



S.EDMUND'S COLLEGE
OLD HALL
AVITA·PRO·FIDE

/. XX

Leo the Great (and others) Lyon

Ex Lib. St Edmund's College ([illegible] [illegible] [illegible])

SS. PP.

LEO MAGNVS, ROMANVS PONTIFEX,

MAXIMVS TAVRINENSIS, PET. CHRYSOL. RAVENNAS, FVLGENTIVS, RVSPENSIS, VALERIAN. CEMELIENSIS, AMEDEVS LAVSANENSIS, ASTERIVS AMASENVS,

HEPTAS PRÆSVLVM CHRISTIANA Sapientiâ & facundiâ clariſſimorum.

THEOPHILVS RAYNAVDVS, SOCIETATIS IESV Theologus, priorem editionem variis ad SS. Leonem & Fulgentium acceſſionibus inſtructam, OCTOGINTA FVLGENTII SERMONIBVS, ex MS. C. cumulauit: CENSVRAM INOFFICIOSÆ CENSVRÆ libri de PRÆDESTINATIONE ET GRATIA S. Fulgentio vendicati appoſuit: VALERIANVM CEMELIENSEM accuratâ defenſione texit, aduersùs PARCVM CHARITATIS criminatorem: AMEDEI Homilias florulentiſſimas de Deipara addidit.

Quibus D. FVLGENTII liber tertius de veritate prædeſtinationis & gratiæ, anteà mutilus, adiunctus fuit ſuis omnibus capitibus abſolutus: perinde atque D. ASTERII Homiliæ, ac eiuſdem Authoris SERMONES viginti longè elegantiſſimi.

Acceſſere in hac poſtrema editione D. PROSPERI Aquitanici, Rhegienſis Epiſcopi opera omnia, accuratâ exemplarium vetuſtorum collatione à mendis expurgata.



LVGDVNI,
Apud Hugonem Denoüally, Typographum.
M. DC. LXXII.
CVM PERMISSV.



TYPOGRAPHVS LECTORI.



EN tibi (candide Lector) vno volumine repræſentatam integram Patrum Bibliothecam. Habes hîc nempe celebrem illam Scriptorum ſanctiſſimorum heptadem, tibi, ſiue Theologiæ naues operam, ſiue ſacrorum pulpitorum ambias lucem, mirum in modum profuturam. Cæterùm ne te fugiat cui acceptum referre debeas inſigne hocce beneficium: collegerat eam primùm ante annos fermè triginta, atque etiam apologiis ac notis poſtmodum illuſtrauerat R.P. THEOPHILVS RAYNAVDVS, vir ſanè publicæ felicitati natus. Quantus Theologus! quam rerum omnium ac librorum cognitione præclarus! quot doctiſſimorum operum parens, quæ ſi corpus in vnum (quod commune eſt eruditorum omnium votum) redacta prodeant in lucem, plurium maioris formæ voluminum molem facile ſint ſuperatura. Quoniam verò haud promptum eſt definire quid in tanto viro potiſſimum emineat, an candor animi cum ſingulari morum ſuauitate coniunctus, an inaudita, prodigioque ſimilis doctrina, quæ fuit eius ſingularis in me humanitas, cùm inaudiſſet typis noſtris recudendum quod modò abſoluimus Patrum volumen, vltrò ea quæ operi noſtro deerant ſuo labore ſuffecit: ſpoponderatque de iis quæ huic editioni acceſſerunt, te in huius libri veſtibulo certiorem facturum. At enim cum adhuc ſudante prælo vix Româ reducem eò reuocarint grauiſſima totius Societatis ſuæ negotia; quod ille præſtiturus erat luculentius, pro meo modulo hîc te monitum volui (humaniſſime lector) nempè eiuſdem eruditiſſimi Patris operâ, altero tanto ſe maiorem prodire ASTERIVM, & viginti omninò Homiliis, quæ ab eo tempore quo primùm hic editus eſt, è tenebris emerſere, auctiorem factum. FVLGENTII verò qui mancus hactenus fuerat tertius de veritate prædeſtinationis & gratiæ liber, ad nos ex Italia miſſus, ſuis hîc numeris abſolutus tranſcuditur: adeò vt nihil in eo deſiderare poſſis, quod non abundè fuerit hac editione ſuppletum. Enim verò eorum quos damus Authorum præclara encomia hîc attexere quamuis operæ pretium eſſe non putem, laudem equidem haud mihi fas eſt prætermittere officio meo perquam conuenientem. Nempè quoniam librorum præſtantiam è commoda venditione æſtimare typographi ſolent, adeo gratum accidiſſe doctis æquè ac piis hominibus huiuſmodi patrum delectum, vt poſt vnam, alteram ac tertiam editionem feliciter planè diſtractam, iſtam de integro noſtris formis recudere neceſſum fuerit. Placuit ſcilicet in LEONE MAGNO inuicto dominicæ Incarnationis præcone mixta grauitate numerorum ſuauis eloquentia. Aures non minùs quàm animos tenuit aureum Chryſologi flumen, non illud quidem acutè dictis, futilibúſque verborum inanium argutiis ſalebroſum, ſed puro ac limpido ſententiarum agmine fluens, quarum vel vna integræ concioni ſit argumentum abundè ſuppeditatura. Quid dicam de FVLGENTIO digno Auguſtino doctore diſcipulo, aduerſus hæreticorum ac Vuandalorum incurſus agere ſemper inconcuſſo? Magnus eſt eloquio perinde ac nomine MAXIMVS TAVRINENSIS; diuinum amorem ſpirat AMEDEVS eloquens iuxtà ac pius B. Virginis laudator; ad extremum Theophilo relinquimus VALERIANVM CEMELIENSEM non purgandum modò, verum etiam ex aduerſariorum calumniis illuſtriorem demonſtrandum. Hoc igitur munus multiplici fœnore auctum æquo animo accipe (Lector erudite) & ſi faueant ſuperi, aliam mellitiſſimorum è Græcia doctorum συζυγίαν, quam idem adornat Theophilus, tuo commodo prodituram à nobis olim expecta. Vale.

S. LEONIS PRIMI PONTIFICIS ROMANI, vitæ Compendium.



LEO Etruſcus, eo tempore præfuit Eccleſiæ, cum Rex Hunnorum Attila, cognomento *Flagellum Dei*, Italiam inuadens, Aquileiam triennij obſidione captam diripuit, & incendit. Vnde cùm Romam ardenti furore raperetur, iamque copias, vbi Mincius in Padum influit, traiicere pararet; occurrit ei Leo, malorum Italiæ impendentium miſericordiâ permotus, cuius diuina eloquentia perſuaſum eſt Attilæ, vt regrederetur: qui interrogatus à ſuis, quid eſſet quod præter conſuetudinem, tam humiliter Romani Pontificis imperata faceret, reſpondit ſe aſtante quodam alio, illo loquente, ſacerdotali habitu vetitum eſſe, ſibi ſtricto gladio minitante mortem, niſi Leoni obtemperaret. Quare in Pannoniam reuerſus eſt.

Leo autem Romæ ſingulari omnium lætitia exceptus, paulò pòſt inuadenti vrbem Genſerico, eadem eloquentiæ vi, & ſanctitatis opinione perſuaſit, vt ab incendio, ignominiis, ac cædibus abſtineret. Sed cùm Eccleſiam à multis hæreſibus oppugnari, maximéque à Neſtorianis, & Eutychianis exagitari videret, totum ſe ad eam purgandam, & in fide catholica confirmandam contulit. Quare Concilium Chalcedonenſe indixit, vbi ſexcentis triginta coactis Epiſcopis Neſtorius, Eutychiúſque condemnati ſunt, & Dioſcori fracta ſuperbia: eiúſque Concilij decreta ſuâ auctoritate confirmauit.

His actis, ſanctus Pontifex ſe ad reficiendas, & ædificandas Eccleſias conuertit. Cuius ſuaſu Demetria, pia fœmina, ſancti Stephani Eccleſiam conſtruxit in ſuo fundo, via Latina, tertio ab vrbe milliario: ipſe via Appia, ſub nomine ſancti Cornelij alteram condidit. Multas præterea & ſacras ædes, & ſacra earum vaſa reſtituit. In tribus baſilicis, Petri, Pauli, & Conſtantiniana, cameras extruxit, ædificauit Monaſterium vicinum Baſilicæ Sancti Petri, ſepulchris Apoſtolorum cuſtodes adhibuit, quos Cubicularios appellauit. Statuit, vt in actione myſterij diceretur: *Sanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam.* Sanxit, ne monacha benedictum capitis velamen reciperet, niſi quadraginta annorum virginitatem approbaſſet, His & aliis præclarè geſtis, cùm multa ſanctè & luculenter ſcripſiſſet, tertio Idus Aprilis obdormiuit in Domino: ſedit in Pontificatu annos viginti vnum, menſem vnum, dies tredecim.

Nicolaus I. in epiſt. ad Mich. Imper.

QVomodo non egeat quælibet Synodus Romanæ Sedis, quando in Epheſino latrocinio, cunctis Præſulibus, & ipſis quoque Patriarchis prolabentibus, niſi Magnus Leo (imitator ſcilicet illius Leonis, de quo ſcriptum eſt, Vicit Leo de Tribu Iuda;) diuinitùs excitatus, os aperiens, totum orbem, & ipſos quoque Auguſtos concuteret, & ad pietatem commoneret, religio Catholica penitùs corruiſſet?

EX

Ex Gennadij Catalogo Illuſtrium Virorum.

CAPVT LXX.

EO vrbis Romæ Epiſcopus, ſcripſit ad Flauianum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopum aduerſum Eutychen Preſbyterum, qui tunc ambitione Epiſcopatus noua in Eccleſiam moliebatur inducere, epiſtolam : in qua admonet eum, vt ſi confiteretur errorem, & polliceretur emendationem, reciperet eum: Sin autem perſiſteret in incepto, cum ſua hæreſi damnaretur. Simul docet in ipſa epiſtola, & diuinis confirmat teſtimoniis, Dominum Ieſum Chriſtum, ſicut & paternæ diuinitatis verum filium, ita verum humanæ naturæ eſſe hominem credendum, id eſt, ex carne virginis Mariæ carnem traxiſſe, & non de cœlo corpus ſibi exhibuiſſe, ſicut Eutyches aſſerebat. Moritur Leone & * Maiorano Imperatoribus.

IOANNES TRITHEM. ABBAS SPANHEMENSIS, in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

EO Papa primus, natione Thuſcus, poſt Sixtum III. ſedit in Cathedra Petri annos viginti vnum : vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & in declamandis homiliis ad populum adeò celebris & facundus, vt ſuperiorem in Eccleſia Romana habuerit neminem : quod Sermones eius clariſſimi teſtantur. Fuit enim Eccleſiaſticæ dictionis Tullius, ſacræ Theologiæ Homerus, rationum fidei Ariſtoteles, authoritatis Apoſtolicæ Petrus, & in Chriſtiano pulpito Paulus. Eius Sermones cor penetrant, afficiunt animum, fidem Catholicam dulci breuiloquio confirmant. Nec mirum, ignem diuini amoris geſtans accenſum in pectore, quid aliud quàm verba ardentia loqueretur. Scripſit autem plura opuſcula. De quibus ego tantum reperi ſubiecta: videlicet.

Contra Eutychen Preſbyterum, Lib. ij. Sicut peritorum dilectiſſ.
De Symbolo Nicæno, Lib. I. Credimus vnum Deum.
Ad Leonem Auguſtum, teſtimoniorum Lib. I. Vnum igitur hoc immob.
Ad inquiſitiones Ianuarij Epiſcopi, Lib. I. Nulla ratio ſinit, vt in.
De Paſſione Domini Homilias xxiv. Lib. I. Semper quidem dilectiſſ.
Homilias multas ad populum, lib. I. Multis diuinarum ſcriptur.
Ad Flauianum Epiſcopum contra Eutychen, Lib. I. Lectis dilectionis tuæ.
Ad Leonem Auguſtum contra Eutychen, Lib. I. Promiſiſſe me memini.
Ad Turibium Epiſcopum contra Priſcill. Lib. I. Quam laudabiliter pro Cathol.
Ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, lib. I. Subditis reſponſionibus.
Ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſium, Lib. I. Quanta fraternitati.
Epiſtolarum multarum ad diuerſos, Lib. I. Dilectiſſimo filio Eutych. De cæteris nihil reperi.

Moritur tandem poſt multos nauatos pro Eccleſiaſtica vtilitate labores, ſub Leone Auguſto, Anno Domini CCCCLXXI. Indictione quartadecima.

Approbationes Doctorum.

AD maiorem commendationem tanti viri Antiqui Ecclesiæ Patris Valeriani, Cemeliensis nimirum Episcopi, Disquisitio ista Theologica, quam edit R^dus Pater THEOPHILVS RAYNAVDVS, meritò prodit in lucem, quippe quæ Catholica & pura. Ita visum. Lugduni, die 13. August. 1628.

Fr. ROBERTVS BERTHELOT, Episcopus Damasci.

IOANNES-CLAVDIVS DEVILLE in sacra Theologia Magister, in Archiepiscopatu Lugdunensi Promotor generalis, & S. Pauli Canonicus: Fidem facimus Nos *Disquisitionem Theologicam, quâ num Valerianus Cemeliensis Episcopus sit integer doctrinæ, & labis Semipelaginorum purus, accuratè discutitur à* THEOPHILO RAYNAVDO, *Societatis* IESV *Theologo*, vidisse: nihílque Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ documentis dissentaneum, sed in omnibus ingenium facilitate in inueniendo, eloquendóque non modo præstans, verum etiam vel maximè recondita solidáque Sacrarum literarum, Sanctorumque Patrum synceriorís doctrinæ eruditione præcellens, nactos esse. Lugduni apud S. Paulum, XIX. Cal. Septembr. 1628.

DEVILLE.

PERMISSIO SVPERIORVM.

LEONIS MAGNI ROMANI PONTIFICIS librum typis hac in vrbe mandari apud Michaëlem Liberal Typographum Lugdunensium, Ego regius in Præfectura Lugd. Consiliarius & Procurator non impedio, cæteris omnibus eundem librum excudere prohibendo. Die 9. Nouembris 1651.

LORIN.

VIso Procuratoris Regis consensu fiat. Datum Lugduni, die 15. Nouembris, 1651.


SEVE.

Consensus Procuratoris Regis.

VIso superiori consensu & concessu, Ego Regis Consiliarius & Procurator in Præfectura Lugdunensi librum hunc in lucem edi sumptibus Hugonis Denoüally, pro Rege non impedio, cæteris ne idem attentent per quinquennium de more inhibendo, dat. Lugduni, die 16. mens. April. 1672.

VAGINAY.

INDEX



INDEX, SERMONVM, Hoc D. Leonis opere comprehensorum.

In anniuersario die assumptionis suæ ad Pontificatum, Sermones III.

De Collectis & Eleemosynis, Sermones V.

De Ieiunio decimi mensis, & Collectis, ac Eleemosynis, Sermones VIII.

In solemnitatem Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, Sermones X.

In solemnitatem Epiphaniæ Domini nostri Iesu Christi, Sermones VIII.

De Quadragesima, Sermones XII.

De Passione Domini, Sermones XIX.

De Resurrectione Domini, Sermones II.

De Ascensione Domini, Sermones II.

De Pentecoste, Sermones III.

De Ieiunio Pentecostes, Sermones IV.



INDEX

INDEX LOCORVM,

Sacræ Scripturæ,tam à D. Leone, quàm à D. Maximo allatorum.

bonæ

13 Si



D. LEONIS PAPÆ HVIVS NOMINIS PRIMI,

SERMONES IN PRÆCIPVIS ANNI TOTIVS Festiuitatibus, ac de seriis quibusdam aliis negotiis habiti ad fidelem plebem.

In anniuersario die Assumptionis eius ad Summi Pontificis Romani culmen & onus.

SERMO PRIMVS.

Dignitates Ecclesiasticæ à quo potissimum conferatur, & ad quid valeant.

Ingratitudinis est beneficia Dei tacere.



AVDEM Domini loquatur os meum, & nomen sanctum eius anima mea, ac spiritus, caro & lingua benedicat. Quia non verecundæ, sed ingratæ mentis indicium est, beneficia tacere diuina: & satis dignum est, à sacrificiis Dominicæ laudis obsequium consecrati Pontificis inchoare. Quia in humilitate nostra memor fuit nostri Dominus, & benedixit nobis: quia fecit mihi mirabilia magna solus, vt præsentem me cerneret vestræ sanitatis affectio, quem fecerat necessitas longæ peregrinationis absentem. Ago igitur Deo nostro gratias, & semper debitus sum pro omnibus, quæ tribuit mihi. Vestri quoque fauoris arbitrium debita gratiarum actione concelebro, euidenter intelligens, quantum mihi possint reuerentiæ, amoris & fidei, studia vestræ dilectionis impendere, animarum vestrarum salutem pastorali sollicitudine cupienti, qui tam sanctum de me nullis admodum præcedentibus meritis iudicium protulistis. Obsecro igitur per misericordias Domini, iuuate votis, quem desideriis expetistis, vt & spiritus gratiæ maneat in me, & iudicia vestra non fluctuent. Præstet in commune nobis omnibus pacis bonum, qui nobis vnanimitatis studia infudit: vt omnibus diebus vitæ meæ, in omnipotentis Dei seruitium, & ad vestra paratus obsequia, cum fiducia possim Dominum deprecari: *Pater sancte, conserua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi*, sempérque proficientibus vobis ad salutem, magnificet anima mea Dominum, & in futuri retributione iudicij ita mihi apud iustum iudicem sacerdotij mei ratio subsistat, vt vos mihi per bona opera vestra sitis gaudium, vos corona, qui bona voluntate syncerum præsentis vitæ testimonium præstitistis Honorabilem igitur mihi, dilectissimi, hodiernum diem fecit diuina dignatio: quæ dum humilitatem meam in summum gradum prouehit, quòd neminem suorum sperneret, demonstrauit. Vnde etsi necessarium est trepidare de merito, religiosum est tamen gaudere de dono: quoniam qui mihi* honoris est autor, ipse mihi fiet administrationis adiutor: & ne sub magnitudine gratiæ succumbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem. Recurrente igitur per suum ordinem die, quo me Dominus Episcopalis officij voluit habere* principium, vera mihi in gloriam Dei causa est lætandi: qui mihi, vt multum à me diligeretur, multa dimisit. Et vt mirabilem faceret gratiam suam, in eum munera sua contulit, in quo meritorum suffragia non inuenit. Quo opere suo Dominus, quid cordibus nostris insinuat, quid ve commendat, nisi vt de iustitia sua nemo præsumat, & de ipsius misericordia nemo diffidat? Quæ tunc euidentius præeminet, quando peccator sanctificatur, & abiectus erigitur. Neque enim de qualitate nostrorum operum pendet cœlestium mensura donorum: aut in isto sæculo, in quo tota vita tentatio est, hoc vnicuique retribuitur, quod mereretur: vbi si iniquitates Dominus obseruaret, nullus iudicium suum sustineret. Magnificate ergo, dilectissimi, Dominum mecum, & exaltemus nomen eius inuicem, vt tota ratio celebritatis hodiernæ ad laudem sui referatur auctoris. Nam quod propriè ad effectum animi mei pertinet, confiteor me plurimum de omnium vestrum deuotione gaudere, Cúmq; hanc venerabilium consacerdotum meorum splendidissimam frequentiam video, angelicum nobis in tot sanctis sentio interesse conuentum. Nec dubito nos abundantiore hodie diuinæ præsentiæ gratia visitari, quando simul adsunt, & vno lumine micant, tot speciosissima tabernacula Dei, tot membra excellentissima corporis Christi. Nec abest, vt confido, ab hoc cœtu etiam beatissimi Apostoli Petri pia dignatio & fida dilectio: nec vestram deuotionem ille deseruit, cuius nos reuerentia congregauit. De vestro itaque & ipse gaudet affectu, & in consortibus honoris sui, obseruantiã Dominicæ institutionis amplectitur, probans ordinatissimam totius Ecclesiæ charitatem, quæ in Petri sede Petrum suscipit, & à tanti

Ioan. 17.

1. Thess. 2.

Aliàs, oneris.

Vide num principatũ legendum.

Quid nos moneat Deus in honorum collatione.

Iob. 7.

tanti amore pastoris nec in personna tam imparis tepescit hæredis. Vt ergo hæc pietas, dilectissimi, quam erga humilitatem meam vnanimiter exhibetis, fructum sui studij consæquatur, misericordissimam Dei nostri clemētiam supplices obsecrate, vt in diebus nostris expugnet impugnātes nos, muniat fidem vestram, multiplicet devotionem ac dilectionem, augeat pacem, méque seruulum suum, quem ad ostendendas diuitias gratiæ suæ gubernaculis Ecclesiæ voluit præsidere, sufficientem tanto operi, & vtilem vestræ defensioni dignetur efficere, & ad hoc tempora nostræ servitutis extendere, vt proficiat deuotioni, quod fuerit largitus ætati, per Christum Dominum nostrum, Amen.

SERMO II.

In anniuersario die adsumptionis eiusdem ad summi Pontificis munus.

Pontificatus qualitas secundum ordinem Melchisedec quæ sit.

QVoties nobis misericordia Dei donorum suorum dies revocare dignatur, iusta, dilectissimi, & rationabilis causa est lætandi, si officij origo suscepti ad laudem sui referatur authoris. Hanc enim obseruantiam omnibus quidem sacerdotibus congruam, sed mihi necessariam maximè esse cognosco, qui respiciens ad exiguitatis meæ tenuitatem, & ad suscepti muneris magnitudinem, etiam

Abac. 3. ego illud propheticum debeo, proclamare: *Domine, audiui auditum tuum, & timui: consideraui opera tua, & expaui.* Quid enim tam insolitum, tam pauendum, quàm labor fragili, sublimitas humili, dignitas non merenti? Et tamen non desperamus; neque deficimus, quia non de nobis, sed de illo præsuminus, quia operatur in nobis. Vnde &

Psal. 109. Davidicum Psalmum, dilectissimi, non ad nostram elationem, sed ad Christi Domini gloriam consona voce cantauimus. Ipse est enim, de quo prophe-

Sacerdos est Christus secúdum ordinem Melchisedec. ticè scriptum est *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* hoc est non secundum ordinem Aaron, cuius sacerdotium per propaginem sui seminis currens, temporalis ministerij fuit, & cum viteris testamenti lege cessauit: sed secundum ordinem Melchisedec, in quo æterni Pontificis forma præcessit: Et dum quibus parentibus sit editus non refertur, in eo ille intelligitur ostendi, cuius generatio non potest enarrari. Denique cùm huius diuini sacerdotij sacramentum etiam ad humanas pervenit functiones, non per generationum tramitem currit, nec quod caro & sanguis creauit, eligitur: sed cessante priuilegio patrum, & familiarū ordine pretermisso, eos rectos Ecclesia accipit, quos Spiritus sanctus præparauit: vt in populo adoptionis Dei, cuius vniuersitas sacerdotalis atq; regalis est, non prærogatiua terrenæ originis obtinét vactionē, sed dignatio cœlestis gratiæ gignat antistitem. Quamuis ergo, dilectissimi, nos ad explendam nostri officij seruitutē, & infirmi inueniamur & segnes, dum si quid deuotè & strenuè agere cupimus, ipsus nostræ conditionis fragilitate tardamur: habentes tamē incessabilem propitiationem omnipotentis & perpetui sacerdotis, qui similis nostri, æqualis Patri, diuinitatem vsque ad humana subuisit, humanitatem vsq; ad diuina prouexit, dignè & piè de ipsius constitutione gaudemus: quoniam etsi multis pastoribus curam suarum ouium delegauit, ipse tamen dilecti gregis custodiam non reliquit. De cuius principali æternòque præsidio, & Apostolici operis munimeu accepimus, quod vtique ab opere suo non vacat: & firmitas fundamenti, cui totius Ecclesiæ superstruitur altitudo, nulla incumbentis sibi templi mole lassescit. Soliditas enim illius fidei, quæ in Apostolorum principe est laudata, perpetua est. Et sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit: ita permanet, quod in Petro Christus instituit. Cùm enim sicut Euangelica lectione reseratum est, interrogasset Dominus discipulos, quem ipsum (multis diuersa opinantibus) crederent, respondissétque B. Petrus, dicens: *Tu es Christus filius Dei viui.* Dominus ait: *Beatus es Simon Bar-Ioна, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petrā ædificabo Ecclesiā meam, & portæ inferi non preualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcūque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis. Et quodcumque solueris super terrā, erit solutū & in cælis.* Manet ergo dispositio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine petræ perseuerans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit. Sic enim præ cæteris est ordinatus, vt dum petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, dum regni cælorum ianitor constituitur, dum ligandorū saluandorùmq; arbiter, mansura etiam in cælis iudiciorum suorū definitione, præficitur, qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsa appellationum eius mysteria nosceremus. Qui nunc pleniùs & potētiùs ea, quæ sibi cōmissa sunt, peragit, & omnes partes officiorum atque curarum in ipso & cum ipso, per quē est glorificatus, exequitur. Si quid itaque à nobis rectè agitur, rectèque discernitur: si quid à misericordia Dei quotidianis supplicationibus obtinetur: illius est operum atque meritorum, cuius in Sede sua viuit potestas & excellit autoritas. Hoc enim obtinuit, dilectissimi, illa confessio, quæ à Deo Patre Apostolico inspirata cordi, omnia humanarum opinionū incerta transcendit: & firmitatem petræ, quæ nullis impulsionibus quateretur, accepit. In vniuersa nāque Ecclesia: *Tu es Christus filius Dei viui,* quotidie Petrus dicit: & omnis lingua, quæ cōfitetur Dominum, magisterio huius vocis imbuitur. Hæc fides diabolum vincit, & captiuorum eius vincula dissoluit. Hæc erutos mūdo inserit cælo, & portæ inferi aduersus eam præualere non possunt. Tāta enim dininitus soliditate munita est, vt eā neque hæretica vnquam corrumpere prauitas, nec pagana potuerit superare perfidia. His itaque modis, dilectissimi, rationabili obsequio celebratur hodierna festiuitas, ut in persona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo & omniū pastorū sollicitudo cum cōmēdatarum sibi ouium custodia perseuerat, & cuius etiam dignitas in indigno hærede non deficit. Vnde venerabiliū quoque fratrum & consacerdotū meorū desiderata mihi & honoranda præsentia hinc sacratior est atq; deuotior, si pietate huius officij, in quo adesse dignati sunt, ei principaliter deferunt, quem non solū huius Sedis præsulē, sed & omnium Episcoporū nouerunt esse primatē. Cùm ergo cohortationes nostras auribus vestræ sāctitatis adhibemus, ipsū vobis, cuius vice fūgimur, loqui credite, quia & illius vos affectu monemus, & nō aliud vobis, quā quod docuit, prædicamus, obsecrantes, vt succincti lumbos mentis vestræ castam & sobriam vitam in timore Dei ducatis, nec cōcupiscentiis carnis, mēs principatus sui oblita, cōsentiat. Breuia & caduca sunt terrenarū gaudia voluptatū, quæ ad æternitatem vocatos, à semitis vitæ conātur auertere. Fidelis ergo & religiosus animus, ea quæ sunt cælestia, concupiscat, & diuinarum promissiorum auidus, in amorem se incorruptibilis boni, & in spem veræ lucis attolat. Certi autem estote,

Ecclesiæ stabilitas.

Matth. 16.

Fidei Ecclesiæ Romanæ præconium.

Petrus omniū Episcoporum primus.

estote, dilectissimi, quod labor vester, quo vitiis resistitis, & carnalibus desideriis repugnatis, placens in cõspectu Dei est atque pretiosus, nec solum vobis, sed etiam mihi apud Dei misericordiam profuturus: quia de profectu Dominici gregis gloriatur cura pastoris, *Corona enim mea*, sicut apostolus ait, *& gaudium vos estis*: si fides vestra, quæ ab initio Euangelij in vniuerso mundo prædicata est, in dilectione & sanctitate permanserit. Nam licet omnem Ecclesiam, quæ in toto est orbe terrarũ, cunctis oporteat florere virtutibus, vos tamen præcipuè inter cæteros populos decet meritis pietatis excellere, quos in ipsa Apostolicæ petræ arce fundatos, & Dominus noster Iesus Christus cum omnibus redemit: & beatus Apostolus Petrus præ omnibus erudiuit, per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

1. Thess. 2. Rom. 1.

SERMO III.

In anniuersario die eiusdem assumptionis.

Sacerdotium supremum quare beato Petro, & eius collatum successoribus.

GAudeo, dilectissimi, de religioso vestræ deuotionis affectu, & Deo gratias ago, quòd in vobis pietatẽ Christianæ vnitatis agnosco. Sicut enim ipsa frequentia vestra testatur, intelligitis huius diei recursum ad communem lætitiam pertinere, & honorem celebrari totius gregis per annua festa pastoris. Nam licet vniuersa Ecclesia Dei distinctis ordinata sit gradibus, vt ex diuersis membris sacrati corporis subsistat integritas: nos tamen omnes, sicut ait Apostolus, *in Christo Iesu vnum sumus*, nec quisquam ab alterius ita est diuisus officio, vt non ad connexionem pertineat capitis cuiuslibet humilitas portionis. In vnitate igitur fidei atque baptismatis, indiscreta nobis societas, dilectissimi, & generalis est dignitas, secundum illud beatissimi Petri Apostoli sacratissima voce dicentes: *& ipsi tanquam lapides viui superædificamini in domos spiritales, sacerdotium sanctũ, offerentes spiritales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum*. Et infrà: *Vos autem genus electũ regale sacerdotiũ, gens sancta, populus acquisitionis.* Omnes enim in Christo regeneratos, crucis signum efficit Reges, sancti verò Spiritus vnctio consecrat sacerdotes: vt præter istam specialem nostri ministerij seruitutem, vniuersi spiritales & rationales Christi agnoscant se regij generis, & sacerdotalis officij esse consortes. Quid enim tam regium, quàm subditum Deo animum corporis sui esse rectorem? Et quid tam sacerdotale, quàm vouere Domino conscientiam puram, & immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre? Quod cùm omnibus per Dei gratiam commune sit factum, religiosum tamen nobis atque laudabile est, de die prouectionis nostræ, quasi de proprio honore gaudere: vt vnum celebretur in toto Ecclesiæ corpore Pontificij sacramentum, quod effuso benedictionis vnguento, copiosius quidem in superiora profluxit, sed non parcè etiam in inferiora descendit. Quum itaque, dilectissimi, de consortio istius muneris magna sit nobis materia communium gaudiorum, verior tamen nobis & excellentior erit causa lætandi, si non in nostræ humilitatis consideratione remoremini: cùm multò vtilius multòque sit dignius, ad beatissimi Petri Apostoli gloriam contemplandam, aciem mentis attollere, & hunc diem in illius potissimum veneratione celebrare, qui ab ipso omnium charismatum fonte tam copiosis est irrigationibus inundatus: vt cùm multa solus acceperit, nihil in quemquam sine illius participatione transierit. Verbum enim caro factũ fuerat, & habitabat iam in nobis, vt reparando humano generi totũ se Christus impenderet. Nihil indispositum sapientiæ nihil erat arduum potestati. Famulabantur elemẽta, ministrabãt spiritus, Angeli seruiebant, nec vllo modo poterat inefficax esse sacramentũ, quod simul ipsius Deitatis vnitas operabatur & Trinitas. Et tamen de toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarũ gentiũ vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur: vt quamuis in populum Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus. Magnum & mirabile, dilectissimi, huic viro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio: & si quid cum eo commune cæteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quicquid aliis non negauit. Omnes denique Apostolos Dominus, quid de se homines opinentur, interrogat: tandiu sermo respondentium communis est, quandiu humanæ intelligentiæ ambuiguitas explicatur. At vbi, quid habeat sensus discipulorum, exigitur, primus est in Domini confessione, qui primus est in Apostolica dignitate. Qui cùm dixisset: *Tu es Christus filius Dei viui*: Respondit ei Iesus: *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.* Id est, ideo beatus es, quia Pater meus te docuit, nec terrena opinio te fefellit, sed inspiratio cælestis te instruxit, & non caro & sanguis, sed ille me tibi, cujus sum vnigenitus filius, indicauit. *Et ego*, inquit, *dico tibi*: hoc est, sicut Pater meus tibi manifestauit diuinitatem meam: ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam, *quia tu es Petrus*. Id est, cum ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum; ego fundamentum præter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum: & Ecclesiæ meæ cælo inferenda sublimitas, in huius fidei firmitate consurget. Hanc confessionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt: vox enim ista, vox vitæ est. Et sicut confessores suos in cælestia prouehit: ita negatores ad inferna demergit. Propter quod dicitur beatissimo Petro: *Tibi dabo claues regni cælorum. Et quæcumque ligaueris super terram, erũt ligata & in cælis. Et quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis.* Transiuit quidem etiam in alios Apostolos vis potestatis istius, & ad omnes Ecclesiæ principes decreti huius constitutio commeauit: sed non frustrà vni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri priuilegium, vbicumque ex ipsius fertur æquitate iudicium. Nec nimia est vel seueritas, vel remissio, vbi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod beatus Petrus aut soluerit, aut ligauerit. Instante autem passione sua Dominus, quæ discipulorum erat turbatura constantiam, Simoni inquit: *Simon ecce Satanas expostulauit vos, vt cribaret sicut triticũ. Ego autẽ rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquãdo cõuersus*

Margin notes: 1. Cor. 12 — 1. Petr. 2. — Sacerdotiũ quomodo competat omnibus Christianis. — Hostiæ spirituales. — Ioan. 1. — Petrus Princeps pastorum à Christo constitutus. — Matth. 16. — Ephes. 2. 1. Cor. 3. — Petrus dicitur petra, super quam fundatur Ecclesia. — Petrus omnibus Apostolis prælatus. — Luc. 22.


confirma fratres tuos, vt non intretis in tentationem. Commune erat in omnibus Apostolis periculũ de tentatione formidinis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebat. Quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Cum itaque, dilectissimi, tantum nobis videamus præsidium diuinitus institutum, rationabiliter & iustè in du his nostri meritis & dignitate lætamur, gratias agentes sempiterno Regi redemptori nostro Domino Iesu Christo, qui tantam potentiam dedit, ei quem totius Ecclesiæ principem fecit: vt si quid etiam nostris temporibus rectè per nos agitur, rectèque disponitur, illius operibus, illius sit gubernaculis deputandum, cui dictum est: *Et tu cõuersus, confirma fratres tuos.* Et cui post resurrectionẽ suã Dominus ad trinam æterni amoris professionem mystica insinuatione ter dixit: *Pasce oues meas.* Quod nũc quoque proculdubio facit, & mandatum Domini pius pastor exequitur, confirmans nos cohortationibus suis, & pro nobis orare non cessans, vt nulla tentatione superemur. Si autem hanc pietatis suæ curam omni populo Dei, sicut credendum est, vbique prætendit: quantò magis nobis alumnis suis opem suam dignatur impendere, apud quos in sacro beatæ dormitionis thoro, eadem qua præsedit carne, requiescit? Illi ergo hunc seruitutis nostræ natalitium diem, illi adscribamus hoc festum, cuius patrocinio sedis ipsius meruimus esse consortes, auxiliante nobis per omnia gratia Domini nostri Iesu Christi, qui viuit & regnat cum Deo Patre & Spiritu sancto in secula sæculorum, Amen.

Christus specialiter pro Petro rogauit.

Lucæ 22.

Ioan. 21.

Oratio sanctorũ pro nobis.



SERMO I.

De collectis.

Eleemosyna quid prosit, & vti præstetur.

MVltis diuinarum scripturarum testimoniis edocemur, quantum eleemosinarum meritum, & quanta sit virtus. Certum est enim vnumquemque nostrum animæ suæ benefacere, quoties misericordia sua inopiæ succurrit alienæ. Prompta ergo & facilis, dilectissimi, apud nos largitas esse debet, si credamus sibi vnumquemque id prestare, quod indigentibus tribuit. Thesaurum enim suum condit in cælo, qui Christum pascit in paupere. Benignitatem itaque in hoc & dispẽsationem diuinæ pietatis agnosce. Idcirco enim te abũdare voluit, vt per te alius non egeret, & per ministerium operis tui, pauperem ab egestatis labore, teque à peccatorum multitudine liberaret. O mira prouidentia & bonitas creatoris, vt vno facto, duobus vellet esse succursum! Ventura igitur Dominica dies, collectarum futura est. Hortor & moneo sanctitatem vestram, vt singuli quique & pauperum memineritis & vestri, & pro possibilitate virium vestrarum intelligatis in egentibus Christum, qui tantum nobis pauperes commendauit, vt se in ipsis vestiri ac suscipi testaretur & pasci Christus Dominus noster, qui cum Patre & sancto Spiritu viuit & regnat in secula sæculorum, Amen.

Eleemosynarum fructus.

Matth. 25.

SERMO II.

De collectis.

Eleemosyna vt sit secundum lauacrum à peccatis, & opus maximæ charitatis.

NOtum vobis, dilectissimi, & familiare mandatum pastorali prædicamus hortatu, vt in opere misericordiæ studeatis esse deuoti. Quod etiamsi numquam à vestra sanctitate negligitur, nunc tamen promptiùs est & impensiùs exequendum, quia primus collectarum dies saluberrimè à sanctis patribus institutus hoc exigit, vt vnusquisque, prout votiuum atque possibile est, in vsus atque alimoniam pauperum de vestris facultatibus conferatis: scientes præter illud regenerationis lauacrum, in quo vniuersorum ablutæ sunt maculæ peccatorum, hoc remedium infirmitati humanæ diuinitus esse donatum, vt si quid culparum in hac terrena habitatione contrahitur, eleemosynis deleatur. Eleemosynæ enim opera charitatis sunt, & scimus, quòd charitas operit multitudinẽ peccatorum. Proinde, dilectissimi, in secundã feriam spõtaneas * collectas vestras sollicitè præparate, vt quicquid vobis de temporalibus substantiis dempseritis, id multiplicatum in æterna retributione sumaris.

Eleemosynis extinguuntur peccata.

2. Cor. 13.

1. Pet. 4.

Alias, *collectiones.*

SERMO III.

De collectis.

Eleemosyna quantum excruciet dæmones quidve sentiendum de collectis.

CHristianæ pietatis est, dilectissimi, vt quæ Apostolicis sunt traditionibus instituta, perseuerãti deuotione seruentur. Nam illi beatissimi discipuli veritatis, hoc diuinitus inspirata commendauere doctrina, vt quoties cæcitas paganorũ * in superstitionibus suis esset intentior, tunc præcipuè populus Dei orationibus, & operibus pietatis instaret. Quoniam immundi spiritus, quantum gentilium errore lætentur, tantum veræ religionis obseruãtia atteruntur, & argumenta iustitiæ vrunt impietatis auctorem. Cuius impia & prophana commenta, ne sacratis Deo vero cordibus aliquid pollutionis inferrent, beatus magister gentium præcauebat, cùm voce Apostolicã diceret: *Nolite iugum cum infidelibus ducere.* Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? Et deinde vocem prophetici spiritus addidit dicens: *Exite, exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis.* Vnde quoniam ad destruendas antiqui hostis insidias in die, quo impij sub idolorum suorum nomine diabolo seruiebant, prouidentissimè in sancta Ecclesia prima est instituta collectio: volumus dilectionem vestram tertia feria per omnes regionum vestrarum Ecclesias cum voluntariis oblationibus eleemosynarum conuenire. In quo opere, etsi non est omnium æqualis facultas, debet * esse par pietas: quoniam fidelium largitas non de muneris pensatur pondere, sed de beneuolentiæ quantitate. Habeant in hoc misericordiæ commercio etiam pauperes lucrum, & ad sustentationem egentium de quantacumque substantia. Si aliquid, quod eos non contristet excerpant, ait diues munere copiosior, dum pauper animo non sit inferior. Quamuis enim maior superetur

Alias, *super institutionibus suis*

Opera bona excruciant diabolum.

2. Cor. 6.

Addendum fortè, *tamen.*

reddi

redditus de maiore femente, poteft tamen de exigua fatione multus fructus prouenire iuftitiæ. Iuftus enim eft iudex & verax, qui neminem fraudat mercede meritorum. Et ideo nos curam pauperũ vult habere, vt in futuræ retributionis examine, mifericordibus, quam promifit, mifericordiam largiatur Chriftus Deus nofter, qui cum Patre & Spiritu fancto viuit & regnat in fæcula fæculorũ, Amen.

SERMO IV.

De collectis, & eleemofyna.

Eleemofyna vt faluet hominem.

MIfericordia, dilectiffimi & iuftitia Dei, formam retributionum fuarum à mundi conftitutione difpofitam, per doctrinam Domini noftri Iefu Chrifti benigniffima nobis expofitione referuauit, vt acceptis rerum fignificationibus, quæ futura credimus, iam quafi gefta nofceremus. Sciebat enim redemptor nofter atque feruator, quantos fallacia diaboli per totum mundum fparfiffet errores, & quàm multis fuperftitionibus maximam fibi partem humani generis fubdidiffet. Sed ne vltra per ignorantiam veritatis, creatura ad imaginem Dei condita, in præcipitia perpetuæ mortis ageretur, Euangelicis paginis iudicij fui inferuit qualitatem, quæ omnem hominem à callidiffimi hoftis reuocaret infidiis: quum iam nulli effet incognitum, quæ bonis fperanda præmia & quæ malis effent inferenda fupplicia. Inuentor nanque ille (Ioan. 8. Diàboli aftus & malitia in deceptione generis humani.) auctorque peccati, primùm fuperbus, vt caderet, deinde inuidus, vt noceret, quia in veritate non ftetit, totam vim fuam in mendacio collocavit, omniàque deceptionum genera de hoc venenatiffimo artis fuæ fonte produxit, vt ab illo bono, quod ipfe propria elatione perdiderat, fpem humanæ deuotionis excluderet, eòfque in confortium damnationis fuæ traheret, ad quorum ipfe reconciliationem pertinere non poffet. Quidquid igitur hominum quibuflibet impietatibus Deum læfit, hujus fraude traductum, huius eft nequitia deprauatum. Facilè enim in omnia flagitia impulit, quos religione decepit. (Fides fine charitate effe poteft. Ad Tit. 1.) Sciens autem Deum non folum verbis, fed etiam factis negari, multis quibus auferre non potuit fidem, fubftulit charitatem: & agro cordis ipforum auaritiæ radicibus occupato, fpoliauit fructu operũ quos non priuauit confeffione labiorum. Propter has ergo, dilectiffimi, verfutias hoftis antiqui, fcire nos voluit ineffabilis benignitas Chrifti, quid in die retributionis de vniuerfitate hominum effet decernendum, vt dum in hoc tempore legitimorum remediorum medicina præbetur, dum elifis reparatio non negatur, & qui diu (Matth. 25.) fuerunt fteriles, poffint tandem effe fœcundi, præueniatur difpofita cenfura iuftitiæ, & nunquam à cordis oculis diuinæ difcretionis imago difcedat. (Iudicii extremi forma.) Veniet enim in maieftatis fuæ gloria Dominus ficut ipfe prædixit, aderitque cum eo radians in fplendoribus fuis, innumerabilis angelicarum multitudo legionum. Congregabuntur ante thronum potentiæ eius omnium gentium populi, & quicquid hominum vniuerfis fæculis toto orbe terrarum progenitum eft, in confpectu iudicantis a ftabit. Separabuntur ab iniuftis iufti, à nocentibus innocentes: & cùm præparatum fibi regnum, recenfitis mifericordiæ operibus, filij pietatis acceperit, exprobabitur duritia fterilitatis iniuftis: & nihil habentes finiftri commune cum dextris, in ignem ad diaboli & Angelorum eius tormenta difpofitum, omnipotentis iudiciis damnatione mittentur, cum illo habituri pœnæ communionem, cuius elegerunt facere voluntatem. (Opera mifericordiæ faluant hominem.) Quis igitur iftam fortem æternorum cruciatuum non paueſcat? Quis mala nunquam finienda non timeat? Sed cùm i eo denunciata fit feueritas, vt mifericordia quæreretur, in diebus præfentibus cum mifericordiæ eft largitate viuendum, vt homini poft periculofam negligentiam, ad pietatis opera reuertẽti, poffibile fit ab hac fententia liberari. Hoc enim agit potentia iudicis, hoc gratia feruatoris, vt relinquat impius vias fuas, & ab iniquitatis fuæ cõfuetudine peccator abfcedat. Mifereantur pauperũ, qui fibi volunt parcere Chriftum. Faciles fint in alimenta miferorum, qui cupiunt ad focietatẽ *peruenire fidelium. (Aliàs, *pertinere*) Non fit vilis homini homo, nec in quoquam defpiciatur illa natura, quam rerum conditor fuam fecit. Cui enim laborantium licet negare, quod Chriftus fibi profitetur impendi? Iuuatur conferuus, & gratiam refert Dominus. Cibus egeni, regni cæleftis eft pretium: & largitor temporalium, hæres efficitur æternorum. Vnde autem exigua ifta impendia, tanta æftimari taxatione meruerunt? nifi quia pondera operum charitatis lance penfantur, & quum amatur ab homine quod Deus diligit, meritò in eius afcenditur regnum, in cuius tranfitur affectum. (Inftitutiones Apoftolorum feruandæ funt.) Ad horum ergo operum, dilectiffimi, piam curam dies nos Apoftolicæ inftitutionis inuitat, in quo fanctarum collectionum prima collectio eft prudenter à patribus & vtiliter ordinata: vt quia in hoc tempore gentilis quondam populus fuperftitiofiùs dæmonibus feruiebat, contra prophanas hoftias impiorum, facratiffima à nobis noftrarum eleemofynarum celebraretur oblatio. Quod quia incrementis Ecclefiæ fructuofiffimum fuit, placuit effe perpetuum. Vnde hortamur fanctitatem veftram, vt per Ecclefias regionum veftrarum quarta feria de facultatibus veftris, quantum fuadet poffibilitas & voluntas, expenfas mifericordiæ conferatis: vt poffitis illam beatitudinem promereri, in qua fine fine gaudebit, qui intelligit fuper egenum & pauperem. (Pfalm. 40.) Ad quem intelligendum, dilectiffimi, follicita benignitate vigilandum eft, vt quem modeftia regit, & verecundia præpedit, inuenire poffimus. (Pauperibus verecundis fubueniendum eft.) Sunt enim, qui palam pofcere ea, quibus indigent, erubefcunt: & malunt miferia tacitæ egeftatis affligi, quam publica petitione confundi. Intelligendi ergo ifti funt, & ab occulta neceffitate *fubleuandi, (Aliàs *releuandi.*) vt hoc ipfo amplius gaudeant, cùm & paupertati eorum confultum fuerit, & pudori. Rectè enim in egeno & paupere, ipfius Iefu Chrifti Domini noftri perfona fentitur, qui cum effet diues, (2. Corint. 8.) ficut dicit Apoftolus, inops factus eft, vt nos fua paupertate ditaret. Et ne deeffe nobis fua præfentia videretur, ita humilitatis & gloriæ fuæ temperauit myfterium, vt quem Regem & Dominum in maieftate patris adoramus, eundem in fuis pauperibus pafceremus, liberandi ob hoc in die mala à damnatione perpetua, & pro intellecti pauperis cura, regni cæleftis confortiis inferendi. Vt autem in omnibus, dilectiffimi, placeat Domino veftra deuotio, etiam ad hanc vos hortamur induftriam, vt Manichæos vbicunque latentes veftris Presbyteris publicetis. (Hæretici prodendi funt.) Magna eft enim pietas prodere latebras impiorum, & ipfum in eis, cui feruiunt, diabolum debellare. Contra iftos enim, dilectiffimi, omnem quidem orbem terrarum, & totam vbique Ecclefiam decet fidei arma arripere. Sed veftra in hoc opere deuotio debet excellere, qui in progenitoribus veftris Euangelium crucis Chrifti ab ipfo beatiffimorum Apoftolorum Petri & Pauli ore

ore didiciſtis. Non ſinantur latere homines, qui legem per Moſen datam, in qua Deus vniuerſitatis conditor oſtenditur, recipiendam eſſe non credũt: Prophetis, & ſancto Spiritu contradicunt: Pſalmos Dauidicos, qui per vniuerſalem Eccleſiam cum omni pietate cantantur, damnabili impietate auſi ſunt refutare: Chriſti Domini natiuitatem ſecundum carnem negant: paſſionem & reſurrectionem eius ſimulatam dicunt fuiſſe, non veram: baptiſmũ regenerationis totius gratiæ virtute diſpoliant. Nihil eſt apud eos ſanctum, nihil integrum, nihil verum. Cauendi ſunt, ne cuiquam noceant: prodendi ſunt, ne aliqua ciuitatis noſtræ parte conſiſtant. Vobis, dilectiſſimi, ante tribunal Domini proderit, quod indicimus, quod rogamus. Dignum eſt enim, vt eleemoſynarum ſacrificio & huius operis palma iungatur: auxiliante nobis per omnia Domino Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO V.

De collectis, & eleemoſynis.

Eleemoſynæ ac temperantiæ bona quæ, virtuteſque omnes non prodeſſe ſine miſericordiæ operibus.

APoſtolicæ traditionis, dilectiſſimi, inſtituta ſeruantes, paſtorali vos ſollicitudine cohortamur, vt diem quem illi ab impiorum ſuperſtitione purgatum, miſericordiæ operibus conſecrarunt, deuotione religioſæ conſuetudinis celebremus, oſtendentes apud nos auctoritatem patrum viuere, corúmque doctrinam in noſtra obedientia permanere. Quoniam ſancta tantæ conſtitutionis vtilitas, non præterito tantum tempori, ſed etiam noſtræ proſpexit ætati: vt quod illis profuit ad deſtructionem vanitatum, hoc nobis proficeret ad incremẽta virtutum. Quid autem tam aptum fidei, quid tam conueniens pietati, quàm egentium iuuare paupertatem? infirmorum curam recipere? fraternis neceſſitatibus ſubuenire? & cõditionis propriæ in aliorum labore meminiſſe? In quo opere, quantum quis poſſit, quantúmque non poſſit, ſolus veraciter ille diſcernit, qui nouit, quid quibúſque contulerit. Non ſolùm enim ſpiritales opes & dona cæleſtia Deo donante capiuntur, ſed etiam terrenæ & corporeæ facultates ex ipſius largitate proueniunt; vt meritò rationem earum quæſiturus ſit, qui non magis poſſidenda tradidit, quam diſpenſanda commiſſit. Muneribus igitur Dei iuſtè & ſapienter vtendum eſt, ne materia boni operis fiat cauſa peccati. Nam diuitiæ quidem, quantũ ad ipſas ſpecies earum atque ſubſtantias pertinet, bonæ ſunt, & humanę ſocietati plurimum proſunt, cùm à beneuolis habentur & largis, nec illas aut luxurioſus prodigit, aut auarus abſtrudit, vt tam pereant malè conditæ, quàm inſipienter expenſæ. Quamuis aurum laudabile ſit, intemperantiam fugere, & turpium voluptatum damna vitare, multique magnificè dedignentur facultates ſuas occulere, & in copias affluentes vilem atque ſordentem horreant parcitatem: non eſt tamen talium aut infelix abundantia, aut probanda frugalitas, ſi ipſis tantum propriæ opes ſeruiunt, ſi eorum bonis nulli iuuantur pauperes, nulli fouentur infirmi: ſi de magnarum abundantia facultatum, non captiuus redemptionẽ, non peregrinus ſolatium, non exul ſentit auxilium. Huiuſmodi diuites, egentiores ſunt omnibus egenis. Perdunt enim illos reditus, quos poſſunt habere perpetuos: & dum breui nec ſemper libero incumbunt vſui, nullo iuſtitiæ cibo, nulla miſericordię ſuauitate paſcuntur: foris ſplendidi, intus obſcuri: abundantes temporalium, inopes æternorum: quia ipſi animas ſuas fame afficiunt, & nuditate honeſtant: qui de iis, quæ terrenis horreis commendarunt, nihil theſauris cæleſtibus intulerunt. Sed fortè ſunt aliqui diuitum, qui licet nullis largitionibus pauperes Eccleſiæ ſoleant adiuuare: alia tamen mandata Dei cuſtodiunt, & inter diuerſa fidei & probitatis merita, venialiter ſibi æſtimant vnam deeſſe virtutem. Verùm hæc tanta eſt, vt ſine illa cæteræ, etſi ſint, prodeſſe non poſſint. Quamuis enim quis fidelis ſit & caſtus, & ſobrius, & aliis moribus ornatus inſignibus, miſericors tamen ſi non eſt, miſericordiam non meretur. Ait enim Dominus: *Beati miſericordes, quoniam ipſorũ miſerebitur Deus.* Cùm autẽ venerit filius hominis in maieſtate ſua, & ſederit in throno gloriæ ſuæ: & congregatis omnibus gẽtibus bonorũ & malorũ fuerit facta diſcretio, in quo laudabuntur, quia ad dexteram Dei ſtabunt, niſi in operibus beneuolentiæ, & charitatis officiis, quæ Ieſus Chriſtus ſibi impenſa reputabit? Quoniam qui naturam hominis ſuam fecit, in nullo ſe ab humana humilitate diſcreuit. Siniſtris verò quid obiicietur, niſi neglectus dilectionis, duritia inhumanitatis, & pauperibus miſericordia denegata? quaſi nec alias virtutes dextri, nec alias offenſiones habeãt ſiniſtri. Sed illo magno ſummoque iudicio tanti æſtimabitur vel largitatis begninitas, vel tenacitatis impietas, vt pro plenitudine omniũ virtutũ, & pro ſumma omnium commiſſorum, & per vnum bonum iſti introducuntur in regnum, & per vnum malũ illi mittantur in ignem æternum. Nemo igitur, dilectiſſimi, de vllis ſibi bonæ vitę meritis blandiatur, ſi illi defuerint opera charitatis: nec de ſui corporis qualitate ſecurus ſit, qui nulla eleemoſynarum purificatione mundatur. Eleemoſynæ enim peccata delent, mortem perimunt, & pœnam perpetui ignis extinguunt. Sed qui ab earum fructu fuerit vacuus, erit ab indulgentia retribuentis alienus, dicẽte Salomone: *Qui obturat aures, ne audiat imbecillem, & ipſe vocabit Dominum, & non erit qui exaudiat eum.* Vnde & Tobias filium ſuum præceptis pietatis inſtituens: *Ex ſubſtantia,* inquit, *tua fac eleemoſynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere:* ita fiet, vt nec à te auertatur facies Dei. Hæc virtus omnes facit vtiles eſſe virtutes, quæ ipſam quoque fidem, ex qua iuſtus viuit & quæ ſine operibus mortua nominatur, ſui admixtione viuificat. Quia ſicut in fide eſt operum ratio: ita in operibus fidei fortitudo. Dum ergo tẽpus habemus, ſicut ait Apoſtolus, operemur bonum: maxime autem ad domeſticos fidei. Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus. Præſens itaque vita tempus eſt meſſis, quando vnuſquiſque ſeminum fructus ſecundum ſationis ſuæ percipiet quantitatem. De prouentu autem iſtius ſegetis nemo falletur, quia animorum ibi magis quàm impendiorum menſura taxabitur: & tantum reddent exigua de exiguis, quantum magna de magnis. Et ideo, dilectiſſimi, ſatisfiat Apoſtolicis inſtitutis. Et quia die Dominica, prima eſt futura collectio, omnes vos deuotioni voluntariæ præparate, vt vnuſquiſque ſecundum ſufficientiam habeat in ſacratiſſima oblatione conſortium. Exorabunt pro vobis & ipſæ eleemoſynæ, & ij, qui veſtris muneribus iuuabuntur, vt ad omne opus bonum idonei ſemper eſſe poſſitis, in Chriſto Ieſu Domino noſtro, qui viuit & regnat per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Patrũ traditiones.

Terrenarũ facultatum non tã poſſeſſio, quã diſpenſatio nobis commiſſa eſt.

Temperantiæ modus ac bonum.

Auarorum & Prodigorũ egeſtas.

Matth. 5.

Virtutes aliæ abſque miſericordiæ operibus non proſunt.

Matth. 25.

Eleemoſynæ bona.

Prou. 21.

Tob. 4.

Fides ſine operibus mortua eſt.

Abac. 2.

Rom. 1.

Galat. 3.

Hebr. 10.

Iacob. 2.

Galat. 6.

SERMO PRIMVS.

De ieiunio decimi mensis, & collectis,

Creatio hominis vt fuerit ad Dei imaginem, quantúmve oratio, ieiunium, eleemosyna nos Deo commendent.

Homo cur ad imaginẽ Dei sit conditus.

SI fideliter, dilectissimi, atque sapienter creationis nostræ intelligamus exordium, inueniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, vt imitator sui esset auctoris. & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodã speculo diuinæ benignitatis forma resplendeat. Ad quam quotidie nos vtique reparat gratia seruatoris dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo. Causa autem reparationis nostræ non est nisi misericordia Dei, quem non diligeremus, nisi prius nos ipse diligeret, & tenebras ignorantiæ nostræ, sua veritatis luce discuteret. Quod per sanctum Esaiam Dominus denuncians ait: *Adducam cæcos in viam quã ignorabant, & semitas quas nesciebant faciam illos calcare. Faciam illis tenebras in lucem, & praua in directa. Hæc verba faciã illis, & non relinquam eos.* Et iterum: *Inuentus sum,* inquit, *à non quærentibus me, & palã apparui iis, qui me non interrogabant.* Quod quomodo impletum sit Ioannes Apostolus docet, dicens: *Scimus quoniam filius Dei venit, & dedit, nobis sensũ, vt cognoscamus verum, & simus in vero filio eius.* Et iterum: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prius dilexit nos.* Diligendo itaque nos Deus, ad imaginem suam nos reparat, & vt in nobis formam suæ bonitatis inueniat, dat vnde ipsi quoque quod operatur operemur: accedens scilicet mentium nostrarum lucernas, & igne nos suæ charitatis inflammans vt non solùm ipsum, sed etiam quicquid diligit, diligamus. Nam si inter homines ea demum firma amicitia est quam morum similitudo sociarit, cùm tamen paritas voluntatum sæpe in reprobos tendat affectus: quantum nobis optandum atque nitendum est, vt in nullo ab iis, quæ Deo sunt placita, discrepemus? De quo dicit Propheta: *Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius*: quia non aliter in nobis erit dignitas diuinæ maiestatis, nisi imitatio fuerit voluntatis. Dicente itaque Domino: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota, mente tua, & diliges proximum tuum sicut teipsum.* Suscipiat fidelis anima auctoris sui atque rectoris immarcessibilem charitatem, totámque se etiã eius subiiciat voluntati. in cuius operibus atque iudiciis nihil vacat à veritate iustitiæ, nihil à miseratione clementiæ. Quoniam etsi magnis quis laboribus & multis fatigetur incommodis, bona est illi causa tolerandi, qui se aduersis vel corrigi intelligit, vel probari. Charitatis verò istius pietas perfecta esse non poterit, nisi diligatur & proximus. Quo nomine non ij tantùm intelligendi sunt, qui nobis amicitia aut propinquitate iunguntur, sed omnes prorsus homines, cum quibus nobis natura communis est, siue illi hostes sint, siue socij, siue liberi, siue serui. Vnus enim nos conditor finxit, vnus nos creator animauit: eodem cuncti cælo, & aëre, iisdem vtimur diebus & noctibus. Quúmque alij sint boni, alij mali, alij iusti, alij iniusti; Deus tamen omnibus largitor, omnibus est benignus, sicut Lycaoniis à Paulo, & Barnaba Apostolis dicitur de Prouidentia Dei, qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem nõ sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens eis de cælo dans

Esaiæ 42. Esaiæ 65. 1. Ioan. 5. 1. Ioan. 4.

Amicitia vera quæ sit.

Psalm. 29. Math. 22.

Proximus noster quis sit.

Actor. 14.

pluuiam & tempora fructifera, & implens cibo & iustitia corda nostra. Dedit autem nobis maiores diligendi proximum causas, Christianæ gratiæ latitudo, quæ se per omnes partes totius orbis extendens neminem despectat, dum docet neminem negligendum. Et meritò etiam inimicos diligi, & pro persequutoribus sibi præcipit supplicari, qui ex omnibus quotidie gentibus fractis oliuæ suæ ramis, germen inserẽs oleastri de inimicis reconciliatos, de alienis adoptiuos, de impiis facit iustos, vt omne genu flectatur, cælestium, terrestium, & infernorum: & omnis lingua cõfiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Cùm ergo Deus bonos nos esse velit, quia bonus est, nihil nobis debet de eius iudiciis displicere. Nam nos per omnia illi gratias agere, quid est aliud, quàm ex quadam eum parte reprehendere? Audet plerúmque humana insipientia aduersus creatorem suum, non solùm de inopia, sed etiam de copia, murmurare: vt & quum aliquid non suppetit, querula, & quum quædam exuberant sit ingrata. Multæ messis dominus, horreorum suorum plenitudinem fastidiuit, & ad copiam vindemiæ affluentis ingemuit: nec de magnitudine fructuum gratulatus, sed de vilitate conquestus est. Si autem parcior fuerit in susceptis terra seminibus, & castigatiore prouentu vites, oleæque defluxerint, accusatur annus, arguuntur elementa, nec aëri parcitur, nec cœlo, quum fideles & pios discipulos veritatis nihil magis commendet & muniat, quàm perseuerans in Deum indefessa laudatio, dicente Apostolo: *Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agitè. Hæc enim voluntas Dei est in Christo Iesu in omnibus.* Huius autem deuotionis quemadmodum poterimus esse participes, nisi rerum varietas constantiam mentis exerceat: vt amor directus in Deum, nec inter secunda superbiat, nec inter aduersa deficiat. Quod placet Deo, placeat & omnibus nobis, de omni mensura munerum eius gaudeamus. Qui bene vsus est magnis, vtatur benè & modicis. Tam nobis copia, quã parcitate consulitur. Nec in spiritalibus lucris angustia grauabimur fructuum, si fœcunditas non arescat animorum. Oriatur de cordis agro, quod terra non dedit. Semper illi, quod largiatur, occurrit, cui benè velle non deficit. Ad omnia igitur, dilectissimi, opera pietatis, omnium nobis qualitas prosit annorum, ne beneuolentiam Christianam difficultas temporalis impediat. Nouit Dominus vasa hospitali viduæ in opus pietatis suæ vacuata, complere: nouit aquas in vina conuertere: nouit de paucissimis panibus quinque millia esurientiũ saturare populorũ. Et ille, qui in suis pascitur, quæ potuit augere dando, potest multiplicare sumẽdo. Tria verò sunt, quæ maximè ad religiosas pertinent actiones, oratio scilicet, ieiunium, & eleemosyna, quibus exercendis omne quidem tempus acceptum, sed illud est studiosius obseruandum, quod Apostolicis accepimus traditionibus consecratum: sicut etiam decimus hic mensis morem refert veteris instituti, vt tria illa, de quibus locutus sum, diligẽtiùs exequamur. Oratione enim propitiatio Dei quæritur, ieiunio concupiscentia carnis extinguitur, eleemosynis peccata redimuntur, simúlque per omnia Dei in nobis imago renouatur, si & in laudem eius semper parati, & ad purificationem nostram sine cessatione solliciti, & ad sustentationẽ proximi indesinenter simus intenti. Hæc triplex obseruantia, dilectissimi, omniũ virtutum comprehendit effectus. Hæc ad imaginem & similitudinem Dei peruenit, & à Spiritu sancto inseparabiles facit. Quia in orationibus permanet fides recta, in ieiunio innocens vita, in eleemosynis mens

Matth. 5. Rom. 12. Philip. 2.

Matth. 9. Lucæ. 16.

1. Thess. 5.

4. Reg. 4. Ioan. 2. Ioan. 6.

Tria potissimum misericordiæ opera.

Dan. 4.

Intercessio sanctorum.

mens benigna. Quarta igitur & sexta feria ieiunemus. Sabbato autem apud beatissimum Apostolum Petrum vigilias celebremus: qui & orationes, & ieiunia, & eleemosynas nostras, precibus suis dignabitur adiuuare, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre & sancto Spiritu viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO II.

De ieiunio decimi mensis, & collectis eiusdem.

Ieiunium mensis ~~Septembris~~ Decembris cur institutum, eiusque efficatia.

QVod temporis ratio & deuotionis nostræ admonet consuetudo, pastoralis vobis, dilectissimi, sollicitudine prædicamus, decimi mensis celebrandum esse ieiunium, pro quo consummata perceptione omnium fructuum, dignissimè largitori eorum Deo, continentiæ libamen offertur. Quid enim potest efficatius esse ieiunio? cuius obseruantia appropinquamus Deo, & resistentes diabolo, vitia blanda superamus. Semper virtuti cibus ieiunium fuit. De abstinentia prodeunt castę cogitationes, rationabiles voluntates, salubriora consilia. Et per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur virtutibus spiritus innouatur. Sed quia non solo ieiunio animarum nostrarũ salus acquiritur, ieiunium nostrum misericordiis pauperũ suppleamus. Impendamus virtuti, quod subtrahimus voluptati. Fiat refectio pauperis abstinentia ieiunantis. Studeamus viduarum defensioni, pupillorum vtilitati, lugentium consolationi, diffidentium paci. Suscipiatur peregrinus, adiuuetur oppressus, vestiatur nudus; foueatur ægrotus, vt quicumque nostrûm de iustis laboribus auctori bonorum omnium Deo sacrificium huius pietatis obtulerit, ab eodem regni cælestis præmium percipere mereatur. Quarta igitur & sexta feria ieiunemus. Sabbato autem apud beatum Petrum Apostolum pariter vigilemus, cuius suffragantibus meritis, quæ poscimus, impetrare possimus, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre & sancto Spiritu viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Ieiunii efficatia.

SERMO III.

De ieiunio decimi mensis, & de eleemosynis eiusdem.

Ager dominicus vt fide muniatur, ieiuniis. exerceatur, eleemosyna seratur, orationibusque fœcundetur.

IN dominico agro, dilectissimi, cuius operarij sumus, oportet nos prudenter atque vigilanter spiritalem exercere culturam, vt perseueranti industria quæ legitimis temporalibus sunt exequenda, curantes, de sanctorum operum fruge lætemur. Quę si pigro otio & inerti desidia negligantur, terra nostra nihil generosi germinis pariet, & spinis ac tribulis subdita, non producet quæ condenda sint horreis, sed quæ vrenda sint flammis. Ager autem iste, dilectissimi, rorante desuper gratia Dei, fide munitur, ieiuniis exercetur, eleemosynis seritur, orationibus fœcundatur, vt inter plantationes rigationésque nostras, nullius amaritudinis radix pullulet nec se incrementa cuiusque noxiæ stirpis attollant, sed enecato omni semine vitiorum, conualescat seges, læta virtutum. Ad quã diligentiam omni quidem nos tempore pietatis magister adhortatur, sed in his diebus, qui huic operi sunt specialiùs præstituti, maior animositas & cura est excitãda feruentior, ne quod pium est agere non indictũ, impium sit negligere prædicatum. Decimi itaque mensis ieiunium, ad quod charitatem vestram religioso proposito nouimus præparatam, vnanimiter auxiliante Christo celebrantes, hortamur monẽtes. vt vnusquisque secundùm mensuram possibilitatis quam accepit à Deo in bonis operibus enitescat. Quia & inimici nostri, qui nostra sanctificatione torquentur, in his diebus, quos ad maiorem obseruantiam nobis dispositos esse nouerunt, vehementiùs sæviunt, & subtiliore insidiantur astutia, vt aliis imittendo metum inopinæ de largitatis expensis, aliis imittendo tristitiam de labore ieiunij, quàm plurimos à consortio huius deuotionis abducant. Contra quas tentationes, dilectissimi vigilet in nobis pij cordis intentio, & à Christianis mentibus cogitationes diffidentiæ repellantur. Modicum est enim, quod pauperi satis est Nec victus illius, nec vestitus onerosus est. Vile enim est, quod esurit: vile est, quod sitit: & nuditas, quæ indiget operiri, non poscit ornari. Et tamen Dominus noster tam pius operum nostrorum arbiter, tam benignus est æstimator, vt etiam pro calice aquæ frigidã sit præmium redditurus. Et quia iustus inspector est animorum, non impendium solùm operis, sed etiam affectum est remuneraturus operantis, per Christum Dominum nostrum.

Diabolus benè operantibus magis insidiatur.

SERMO IV.

De ieiunio decimi mensis, & de eleemosynis eiusdem.

Ieiunium in vtroque testamento obseruatum quid valeat contra peccata.

COnfidenter, vos, dilectissimi, ad opera pietatis hortamur, quia experimẽtis didicimus, libẽter vos suscipere, quod monemus, Scitis namque, & Deo docente cognoscitis, ad æternum vobis gaudium profuturam diuinorum obseruantiam mandaturum. In quibus exequendis quia humana fragilitas plerumque lassescit, & in multis per lubricum suæ infirmitatis offendit misericors & pius Dominus remedia nobis & adiutoria dedit, per quæ veniam obtinere possimus. Quis enim tot illecebras mundi, tot insidias diaboli, tot denique pericula suæ mutabilitatis euaderet, nisi clementia æterni regis mallet nos reparare, quam perdere? Nam & qui iam redempti, iã regenerati filij lucis effecti sunt, quamdiu tamẽ in hoc mundo, qui totus in maligno positus est detinetur: quamdiu infirmitati carnis, corruptibilia & temporalia blandiuntur, non possunt istos dies sine tentatione transire. Nec facilè prouenit cuiquam tam incruenta victoria, vt inter multos hostes frequentésque conflictus, etiamsi sit liber à morte, sit quoque immunis à vulnere. Curandis igitur læsionibus, in quas sæpe incidũt, qui cum inuisibili hoste confligunt, trium maximè remediorum est adhibenda medicina: in orationis instantia. in castigatione ieiunij, in eleemosynę largitate. Quę cum pariter exercentur, Deus propiciatur, culpa deletur, tentator eliditur. Et iis quidem præsidiis semper fidelis anima debet accingi, sed tunc studiosius præparari, cum ij adsunt dies, qui propriè sunt ad hæc pietatis officia præstinatio De quorum ordine est etiam decimi huius mensis solẽne ieiunium: quod

Pugna cõtinua Christianorum. 1. Ioan. 5.

quod non ideo negligendum est, quia de obseruantia veteris legis assumptum est, tanquàm hoc de illis sit, quæ inter discretiones ciborum, inter baptismatum differentias, & auium pecudúmque hostias esse destiterunt. Illa enim quæ rerum futurarum figuras gerebant, impletis, quæ significauerit, finita sunt. Ieiuniorum verò vtilitatē, noui testamenti gratia non remouit. Et continentiam corpori, atque animæ semper profuturam, pia obseruatione suscepit. Quoniam sicut permanet apud intelligentiam Christianam: *Dominum Deum tuum adorabilis, & illi soli seruies*. Et: *Diliges proximū tuū sicut teipsum*, & cętera taliū mandatorum: ita quod in eisdem libris de ieiuniorum sanctificatione & curatione præceptum est, nulla interpretatione vacuatur. In omni enim tēpore, omnique vita huius sæculi, ieiunia nos contra peccata faciunt fortiores, ieiunia concupicentias vincunt, tentationes repellunt, superbiam inclinant, iram mitigant, & omnes bonæ voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt: si tamen in societatem sibi beneuolentiam charitatis assumant, & in operibus misericordiæ se prudenter exerceant. Ieiuniū enim sine eleemosyna, non tam purgatio animæ, quam carnis afflicto est magisque ad auaritiam, quam ad continentiam referendum est, quando aliquis sic à cibo abstinet, vt etiā à pietate abstineat. Nostra ergo ieiunia, dilectissimi, abūdent fructibus largitatis, & in pauperes CHRISTI benignis sint fœcunda muneribus. Nec tardentur in hoc opere mediocres, quia parum sit, quod possint de sua facultate decerpere. Nouit Dominus omnium vires, & scit iustus inspector: de qua mēsura quisque quid tribuat. Dissimiles quidam substantiæ similes erogationes habere non possunt. Sed æquatur plerumque merito, quod distat impendio Qui potest esse par animus, etiam vbi impar est sensus? Hæc itaque vt adiuuante Deo pia deuotionis curentur, quarta & sexta feria ieiunemus. Sabbato verò apud B. Petrum Apostolum vigilias celebremus, cuius orationibus adiuti, in omnibus misericordiam Dei mereamur.

Ieiuniū licet in veteri testamēto sit obseruatum, tamen etiam in nouo obseruandum est.

Matth. 4.
Matth. 22.

SERMO V.

De ieiunio decimi mensis, & de eleemosynis eiusdem.

Ieiunij & eleemosynarum fructus, ac hæreticorum prodigiosa seruitus.

SVblimitas quidem, dilectissimi, gratiæ Dei hoc quotidie operatur in cordibus Christianis, vt omne desiderium nostrum à terrenis ad cœlestia transferatur. Sed & præsens vita per creatoris opem ducitur, & per ipsius prouidentiam sustinetur: quia idem est largitor temporalium, qui promissor est æternorum. Sicut enim pro spe fecilitatis, ad quam per fidem currimus, gratias Deo agere debemus, quòd ad perceptionem tantæ præparationis euehimur: ita pro iis quoque commodis, quæ singulorum annorum reuolutione consequimur, Deus à nobis honorandus atque laudandus est, qui sic terræ fœcunditatem ab initio dedit: sic pariendorum fructuum leges in quibusque germinibus & seminibus ordinauit, vt numquam sua instituta desereret, sed in rebus conditis benigna conditoris administratio permaneret. Quicquid ergo ad vsus hominū segetes, vineæ, oleæque pepererint, totum hoc diuinæ bonitatis largitate profluxit: quæ elementorū qualitate variata, dubios agricolarum labores clementer adiuuit, vt vtilitatibus nostris venti & imbres, frigora & æstus, dies noctesque seruirent. Non enim sibi ad effectus operum suorum humana ratio sufficeret, nisi plantationibus & rigationibus solitis Deus incrementa præberet. Vnde plenum pietatis atque iustitiæ est, vt de iis quæ nobis cælestis pater misericorditer contulit, nos quoque alios adiuuemus. Sunt enim plurimi, qui nullam in agris, nullam in vineis, nullam habent in oleis portionē quorum inopiæ de ea, quam Dominus dedit, copia consulendum est, vt & ipsi nobiscum Deo pro terræ fœcunditate benedicant, & gaudeant possidentibus fuisse donata, quæ etiam pauperibus ac peregrinis fuerunt facta communia. Felix est illud horreum, & omnium fructuum multiplicatione dignissimum, de quo egentium & debilium saturatur esuries, de quo releuatur perigrini necessitas, de quo desiderium fouetur infirmi. Quos ideo sub diuersis molestiis iustitia Dei laborare permisit, vt & miseros pro patientia, & misericordes pro beneuolentia coronaret. Huic autem operi, dilectissimi, cùm omnia opportuna sint tempora, hoc nunc præcipuè aptum est atque conueniens, in quo sancti patres nostri diuinitus inspirati, decimi mensis sanxere ieiunium, vt omnium fructum collectione conclusa, rationabilis Deo abstinentia dicaretur & meminisset quisque ita vti abundantia, vt & circa se abstinentior, & circa pauperes esset effusior. Efficacissima enim pro peccatis deprecatio est in eleemosynis atque ieiuniis, & velociter ad diuinas conscendit aures talibus oratio eleuata suffragiis. Quoniam, sicut scriptum est, *animæ suæ benefacit vir misericors*, & nihil vniuscuisque tam proprium, quàm quod impendit in proximum. Pars enim corporalium facultatum, quæ indigentibus ministratur, in diuitias transit æternas: & illæ opes de hac largitate pariuntur, quæ nullo vsu minui, nulla poterunt corruptione violari. Beati autem misericordes, quoniā ipsorum miserebitur Deus: & ipse erit illis summa præmij, qui est forma præcepti. Inter hæc autem delictissimi, opera pietatis, quæ nos Deo magis magisque commendant, dubium non est, quin hostis noster, nocendi cupidus & peritus, acrioribus inuidiæ stimulis incitetur: vt quos apertis & cruentis persecutionibus impugnare non sinitur, sub falsa Christiani nominis professione corrumpat, habens hæreticos huic operi seruientes, quos à Catholica fide deuios, sibique subiectos, militare in castris suis sub diuersis erroribus fecit. Et sicut decipiēdi à primis homonibus ministerium sibi serpentis assumpsit: ita horum linguas ad seducendos rectorū animos, veneno suæ falcitatis armauit. Sed iis insidiis, dilectissimi, pastorali sollicitudine, quantum Dominus auxiliatur, occurrimus. Et ne quid de sancto grege pereat, præcauentes paternis vos denuntiationibus admonemus, vt labia iniqua & linguam dolosam, à quibus animam suam Propheta liberari postulat, declinetis: quoniam sermo eorum sicut ait beatus Apostolus, serpit vt cancer. Humiliter irrepunt, blandè capiunt, molliter ligant, latenter occidunt. Veniunt enim, sicut Saluator prædixit, sub vestitu ouium, intus autem sunt lupi rapaces: quia non possent veras & simplices oues fallere, nisi Christi nomine tegerent rabiem bestialem. In iis autem omnibus operatur, qui cùm sit veræ illuminationis inimicus, in lucis se angelum transfigurat. Huius arte Basilides, huius Marcion callet ingenio, hoc duce agitur Sabellius, hoc precipitatur rectore Photinus, huius potestati famulatur Arrius, huius spiritui seruit Eunomius. Tota denique bestia

Eleemosynæ fructus

Prou. 11.

Matth. 5.

Heretici ministri diaboli.

Genes. 3.

Psal. 119.

2. Tim. 2.

Matth. 7.

Heretici mentiuntur se Christianos.

bestiarum talium cohors hoc præside ab Ecclesiæ vnitate discessit, hoc magistro à veritate desciuit. Sed cùm in cunctis peruersitatibus multiformem teneat principatum, arcem tamen sibi in Manichæorum struxit insania, & latissimam in eis aulam in qua se exultantiùs iactaret, inuenit, vbi non vnius prauitatis speciem, sed omnium simul errorum impietatùmque mixturã generaliter possideret. Quod enim in paganis prophanum, quod in Iudæis carnalibus cæcum, quod in secretis magicæ artis illicitum, quod denique in omnibus hæresibus sacrilegum atque blasphemum est, hoc in istos, quasi in sentinam quandam cum omnium sordium concretione confluxit. Vnde vniuersas eorum impietates ac turpitudines enarrare, perlongum est. Superat enim verborum copiam criminum multitudo. Et quibus ad indicandum pauca sufficiunt, vt de iis quæ audieritis, etiã illa, quæ verecundè prætermittimus, æstimetis. De sacris tamen eorum, quæ apud illos tam obscœna sunt, quàm nefanda, quod inquisitioni nostræ Dominus manifestare voluit, non tacemus, ne quisquam putet nos de hac re dubiæ famæ & incertis opinionibus credidisse. Residentibus itaque mecum Episcopis ac Presbyteris, ac in eundem consessum Christianis viris ac nobilibus congregatis, electos & electas eorum iussimus præsentari. Qui quum de peruersitate dogmatis sui, & de festiuitatum suarum consuetudine multa referarent, illud quoque scelus, quod eloqui verecundum est, prodiderunt, quod tanta diligentia inuestigatum est, vt nihil minùs credulis, nihil obtrectatoribus relinqueretur ambiguum. Aderant enim omnes personæ, per quas infandum facinus fuerat perpetratum, puella scilicet vt multum decennis, & duæ mulieres, quæ ipsam nutrierant, & huic sceleri præpararant. Præsto erat etiam adolescentulus vitiator puellæ, & Episcopus ipsorum detestandi criminis ordinator. Omnium par fuit horum & vna confessio, & patefactum est execratum, quod aures nostræ vix ferre potuerunt. De quo ne apertiùs loquentes, castos offendamus auditus, gestorum documenta sufficiunt: quibus plenissimè docetur nullam in hac secta pudicitiam, nullam honestatem, nullam penitus reperiri castitatem, in qua lex est mendacium, diabolus religio, sacrificium turpitudo. Hos itaque homines, dilectissimi, per omnia execrabiles atque pestiferos quos aliarum regionum perturbatio nobis intulit crebriores, ab amicitia vestra penitus abdicate, vósque præcipuè mulieres à talium notitia & colloquiis abstinete: dum fabulosis narrationibus incantus delectatur auditus, in diaboli laqueos incidatis. Qui sciens, quòd primum virum mulieris ore seduxerit, pérque femineam credulitatem omnes homines à Paradisi felicitate deiecerit, vestro nunc quoque sexui securiore insidiatur astutia, vt eas, quas sibi potuerit per ministros suæ falsitatis illicere, & fide spoliet, & pudore. Illud quoque vos, dilectissimi, obsecrãs moneo, vt si cui vestrûm innotuerit, vbi habitent, vbi doceant, quos frequentent, & in quorum societate requiescant, nostræ sollicitudini fideliter indicetis: quia parum prodest vnicuique, quod protegente Spiritu sancto ab istis ipse non capitur, si cùm alios capi intelligit, non mouetur. Contra communes hostes pro salute communi, vna communis debet esse vigilantia: ne de alicuius membri vulnere etiam alia possint membra corrumpi: & qui tales non prodendos putant, in iudicio Christi inueniantur rei de silentio, etiamsi non contaminantur assensu. Assumite igitur religiosæ sollicitudinis pium zelum, & contra sæuissimos animarum hostes, omnium fidelium cura consurgat. Ideòque enim misericors Deus quandam nobis partem prodidit hominum noxiorum, vt manifestato periculo, excitaretur diligentia cautionis. Non sufficiat, quod actum est, sed eadem inquisitio perseueret: quæ hoc auxiliante Deo consequitur, vt non solùm, qui recti sunt, incolumes perseuerent, sed etiam multi, qui diabolica seductione decepti sunt, ab errore reuocentur. Vestræ autem orationes & eleemosynæ atque ieiunia, misericordi Deo per hanc ipsam deuotionem sacratius * afferentur: cùm etiam hoc opus fidei ad omnia officia pietatis accesserit. Quarta igitur & sexta feria ieiunemus: Sabbato autem apud præsentem beatissimum Apostolum Petrum vigilias celebremus. Qui sicut experimur & credimus, pro commendatis sibi à Domino ouibus indesinenter pastorales prætendit excubias, exoraturus deprecationibus suis, vt Ecclesia Dei, quæ ipsius est prædicationibus instituta, ab omni errore sit libera: per Christum Dominum nostrum, Amen.

Manichæorum impietas. *Manichæorum sacrificia.* *Hæretici prodendi sunt.* *Offerentur.* *Intercessio sanctorum.*

SERMO VIÆ
De ieiunio decimi mensis, & de misericordiæ operibus.

Morbus auaritiæ quis, & fructus eleemosynarum ac ieiuniorum Christianorum.

CAP. I.

Evangelicis sanctionibus, dilectissimi, multum * auctoritatis præbet doctrina legalis, cùm quædam de mandato veteri ad nouum obseruantiam transferuntur: & ex ipsa Ecclesiastica deuotione demonstratur, quòd Dominus Iesus Christus non venit legem soluere, sed adimplere. Cessantibus enim significationibus, quibus Saluatoris nostri nuntiabatur aduentus: & peractis figuris, quas abstulit ipsa præsentia veritatis, ea quæ vel ad regulas morum, vel ad simplicem Dei cultum ratio pietatis instituit, in eadem apud nos forma, in qua sunt condita, perseuerant: & quæ vtrique testamento erant congrua, nulla sunt commutatione variata. Ex iis autem est etiam decimi mensis solemne ieiunium, quod à nobis nunc annua est consuetudine celebrandum: quia plenum iustitiæ est atque pietatis, gratias diuinæ agere largitati pro fructibus, quos in vsus hominum secundùm summæ prouidentiæ temperamentum terra produxit. Quod vt prompto animo nos facere monstremus, non solùm continentiam ieiunij, sed etiam eleemosynarum curam oportet assumi: vt de terra quoque cordis nostri, germen iustitiæ, & fructus charitatis oriatur, & misericordiam Dei, pauperum ipsius miserendo mereamur. Efficacissima enim est ad exorandum Deum postulatio, cui pietatis opera suffragantur: quoniam qui suum ab inope non auertit animum, citò ad se Domini conuertit auditum, dicente Domino: *Estote misericordes, sicut & pater vester misericos est. Dimittite, & dimittetur vobis.* Quid hac iustitia benignius? Quid hac retributione clementius, vbi sententia iudicaturi in potestate ponitur iudicandi? *Date,* inquit, *& dabitur vobis.* Quàm citò, diffidentiæ sollicitudo, auaritiæ est amputata cunctatio: vt quod redditurã se promittit veritas, secura expẽdat * humilitas? Constãs esto, Christiane largitor, da quod accipias: sere quod metas: sparge quod colligas. Noli metuere dispendium, noli de dubio suspirare prouẽtu. Substãtia tua cum bene erogatur, augetur: & concupiscere iustum miseri

Vtilitatis. *Matth. 5. Vetus lex in noua impletur.* *Lucæ 6. Eleemosynarum vtilitas.* *Humanitas.* CAP. II.

misericordiæ lucrum, æterni quæstus est sectari
Lucæ 6. commercium. Munerator tuus vult te esse munificum,& qui dat,vt habeas, mandat vt tribuas dicens: *Date & dabitur vobis.* Amplectenda est tibi
1.Cor. 4. promissionis istius gratulanda conditio. Quamuis enim non habeas nisi quod acceperis: non potes tamen non habere, quod dederis. Qui ergo pecunias amat, & multiplicare opes suas immodicis optat augmentis, hoc potius sanctum fœnus exerceat, & hac vsurarum arte ditescat, vt non hominum laborantium captet necessitates, ne per dolosa officia in laqueos incidat insolubilium debitorum,sed illius sit creditor,illius fœnerator,qui dicit: *Date,& dabitur vobis,*& *Qua mensura mensi fueritis,eadem remetietur vobis.* Infidelis autem & iniquus est etiam,sibi quid quod æstimat diligendum, non vult habere perpetuum. Quantalibet adiiciat,quantalibet condat & congerat, inops de hoc mundo & egenus abscedet, dicente David
Psalm. 48. Propheta, *Quoniam cùm interierit,non accipiet omnia,neque descendet cum eo gloria eius.* Qui si benignus esset animæ suæ,illi bona sua crederet,qui
Auaritiæ morbus. & idoneus fideiussor est pauperum,& largissimus redditor vsurarum. Sed iniusta & impudens auaritia, quæ beneficium se dicit præstare; cùm decipit, non credit Deo veraciter promittenti, & credit homini trepidè paciscenti: dúmque certiora existimat præsentia quàm futura, meritò in hoc
CAP. III. Fœneratoris malum. frequenter incurrit, vt ei cupiditas iniusti lucri, non iniusti causa sit damni. Vnde quilibet sequatur euentus, mala semper est ratio fœnerantis, cui pecuniam & minuisse & auxisse peccatum est: vt aut miser sit amittendo quod dedit, aut miserior accipiendo quod non dedit. Fugienda prorsus est iniquitas fœnoris:& lucrum,quod omni caret humanitate, vitandum est.Multiplicatur quidem facultas iniustis & tristibus incrementis; sed mentis substantia contabescit: quoniam fœnus pecuniæ, funus est animæ. Quid enim de huiusmodi hominibus sentiat Deus, sacratissimus Propheta
Psalm.15. Dauid manifestat. Qui cùm diceret, *Domine,quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* responso diuinæ vocis instruitur, & eum ad æternam requiem pertinere cognoscit, qui inter alia quæ conuersationis regulas,pecuniā suam non dedit ad vsuram: & à tabernaculo Dei ostenditur alienus, & à sancto monte eius extraneus,qui dolosum quæstum de pecuniæ suæ captat vsuris:& dum per aliena cupit damna ditari,æter-
CAP. IV. na dignus est egestate puniri. Vos itaque,dilectissimi,qui ex toto corde promissionibus Domini credidistis,fugientes auaritię lepram immundissimam, donis Dei piè & sapienter vtimini. Et quoniam de ipsius largitate gaudetis,date operam, vt possitis gaudiorum vestrorum habere consortes.Multis enim,quæ vobis suppetunt, desunt: & in quorumdam indigentia, materia vobis data est diuinæ bonitatis imitandæ: vt per vos etiam in alios beneficia diuina transirent & benè dispensantes temporalia, acquireretis æterna. Quarta igitur & sexta Feria ieiunemus: Sabbato autem apud beatissimum Petrum Apostolum vigilemus, cuius orationibus nobis per omnia obtineatur diuina protectio, per Christum Dominum nostrum, Amen.

* * *

SERMO VII.

De ieiunio decimi mensis, & eleemosynis.

Vt homo Christianus impugnetur assiduè; quæque sint piis arma contra inuisibiles hostes.

PRæsidia militiæ Christianæ, dilectissimi, sanctificandis mentibus nostris atque corporibus diuinitus instituta,ideò cum dierum temporúmque curriculis sine cessatione reparantur: vt infirmitatum nostrarum ipsa nos medicina commoueat.Natura quippe mutabilis & de peccati labe morta- Naturæ humanæ infirmitas.
lis, licet etiam iam redempta, & sacro Baptismate sit renata:in quantum est passibilis, in tantum est ad deteriora procliuis, corrumperetúrque carnali desiderio,nisi spiritali muniretur auxilio,quia sicut illi nunquam deest,vnde corruat: ita semper præsto est,vnde subsistat,dicente Apostolo, *Fidelis enim Deus,qui vos non patietur tentari supra id,quod potestis,sed facit prouentū,vt possitis sustinere.* Quam- 1.Cor. 10.
uis ergo Dominus protegat bellatores, & milites suos ille,qui potens est in prælio,cohortetur & dicat, *Nolite timere,quia ego vici mundum:* sciendum Psalm. 23. Ioan. 16.
tamen est,dilectissimi,hoc incitamento formidinem sublatam esse,non pugnam,& retuso aculeo timoris,causam manere certaminis:quod ab hoste versuto, terribiliter quidem furore persecutionis mouetur,sed innocentibus specie pacis infertur. Vbi Pugnandum homini continuè.
enim in aperto sunt pugnæ, in manifesto sunt & coronæ.Et hoc ipsum alij atque accendit patientiæ fortitudinem:quod sicut proxima est tribulatio, ita est & vicina promissio. Cessantibus verò publicis impugnationibus impiorum, & à cædibus ac suppliciis fidelium diabolo continente, ne pertinacia CAP. II.
crudelitatum,multiplicatio nostrorum fieret triumphorum: fremit aduersarius, & cruentas inimicitias ad quietas conuertit insidias: vt quos vincere fame & gelu,flammis ferròque non poterat,otio tabefaceret, cupiditatibus irretiret, ambitione inflaret,voluptate corrumperet.Sed iis malis atque aliis omnibus destruendis habet acies Christiana potentes munitiones & arma victricia, Deo scilicet instruente milites suos,vt spiritu veritatis,mansuetu- Arma Christianorum.
do iram, largitas auaritiam, benignitas extinguat inuidiam. Commutante enim dextera Excelsi corda multorum,rediit in nouitatem,vetustas & de famulis iniquitatis ministri prodiere iustitiæ.Subegit luxuriam continentia, humilitas arrogantiam propulsauit: & qui impudicitia sorduerant, castitate nituerunt. His autem conuersionibus,dilectissimi, prouidente gratia Dei,addita sunt sancta ieiunia; quæ in quibusdam diebus ab vniuersa Ecclesia deuotionem obseruantiæ generalis exigerent.Quamuis enim pulchrum sit atque laudabile,vt singula quæque membra corporis Christi propriis ornentur officiis:excellentioris tamen est actionis sacratiorisque virtutis, cùm in vnum propositum piæ plebis corda concurrunt:vt illi cui sanctificatio nostra supplicium est,non solum à patre, sed etiam à soliditate superetur.Cui nunc operi,dilectissimi,decimus mensis offertur,admonens quodammodo pro qualitate temporis sui,ne quisquam frigore infidelitatis obtorpeat,sed potius charitatis spiritu concalescat.Quoniam & per ipsa elementa mundi, tanquam per publicas paginas,significationem diuinę voluntatis accipimus: nec vnquam cessat superna eruditio,quando etiam de iis,quæ nobis famulantur imbuimur. Præter illam namque Apostolicam Matth. 3.

sen-

ſententiam, qua homines fructu pietatis carentes, vacuis arboribus comparantur, etiam illa ficus nobis cauenda eſt de ſuæ infœcunditatis exemplo, quam Dominus Ieſus, ſicut Euangelium refert, nihil habentem, quod eſuriens ſumeret, perpetua ſterilitate damnauit: vt intelligeremus, quoniam qui eſurientem non refouet egenum, illi denegat cibum, qui quod pauperi eſt datum, ſibi dixit impenſum. Et huius maledictionis arbores erunt, quibus à iudicante dicetur. *Diſcedite à me, maledicti, in ignem æternum, quem præparauit pater meus diabolo, & Angelis eius. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare. Sitiui, & non dediſtis mihi bibere,* &c. Quæ ideo ſingula recoluntur, vt aduertamus non futurum extra miſericordiam, qui vel partem horum operum fuerit executus. Anima autem neminem iuuans, erit arbor non habens poma cum totius fructu pietatis inuenietur aliena. Decimi ergo menſis ieiunium, quod hyemalis eſt temporis, ad agriculturam nos myſticam vocat: qua ſegetum & palmitum atque arborum vires, quibus humana ſuſtentatur infirmitas, ſpiritalibus ſtudiis excolantur: vt Dominicus ager ſuis ditetur impendiis, & quem nunquam expedit eſſe ſine fructu, de propria fiat vbertate fœcundior. Quod vtique intelligit ſanctitas veſtra, ad totius Eccleſiæ profectum eſſe referendum: quorum in fide germen eſt, in ſpe incrementum, in charitate maturitas: quia caſtigatio corporis, & inſtantia orationis tunc veram obtinent puritatem, cum eleemoſynarum ſanctificatione niteſcunt, dicente Domino, *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Quarta igitur & ſexta Feria ieiunemus: Sabbato autem apud beatiſſimum Petrum Apoſtolum vigilias celebremus, ipſo præſtante & adiuuante, qui cum Patre & ſancto Spiritu viuit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Matth. 26. Pœna eorũ qui eleemoſynas nõ fecerunt. Matth. 25. Lucæ 12.

SERMO VIII.

De ieiunio decimi menſis, & eleemoſynis.

Ieiuniorum Chriſtianorum tempora quæ ſint, déque duplici ieiunio.

CAP. I. CVm de aduentu regni Dei, & de mundi fine ac temporum, diſcipulos ſuos Saluator inſtrueret, totámque Eccleſiam ſuam in Apoſtolis erudiret: *Cauete*, inquit, *ne fortè grauentur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & cogitationibus ſecularibus.* Quód vtique præceptum, dilectiſſimi, ad nos ſpecialius pertinere cognoſcimus: quibus denunciatus dies, etiamſi eſt occultus, non dubitatur eſſe vicinus. Ad cuius aduentum omnem hominem conuenit præparari: ne quem aut ventri deditum, aut curis ſecularibus inueniat implicatum. Quotidiano enim, dilectiſſimi, experimento probatur, potus ſatietate aciem mentis obtundi, & ciborum nimietate vigorem cordis hebetari: ita vt delectatio edendi, etiam corporum contraria ſit ſaluti, niſi ratio temperantiæ obſiſtat illecebræ, & quod futurum eſt oneri, ſubtrahat voluptati. Quamuis enim ſine anima nihil caro deſideret, & inde accipiat ſenſus, vnde ſumit & motus: eiuſdem tamen eſt animæ, quædam ſibi ſubditæ negare ſubſtantiæ, & interiori iudicio, ab inconuenientibus exteriora frænare, vt à corporeis cupiditatibus ſæpiùs libera, in aula mentis poſſit diuinæ vacare ſapientię, vbi omni ſtrepitu terrenarum ſilente curarum, in meditationibus ſanctis, & in deliciis lætetur æternis. Quod ſi in hac vita difficile eſt continuari, poteſt tamen frequenter adſumi: vt ſæpiùs ac diutiùs ſpiritalibus potiùs quam carnalibus occupemur. Et cùm melioribus curis maiores impendimus moras, ad incorruptibiles diuitias, etiam temporales tranſeunt actiones.

Lucæ 1. Intemperãtiæ malum. Animę corpus debet eſſe ſubiectum.

CAP. II. Huius obſeruantiæ vtilitas, dilectiſſimi, in Eccleſiaſticis præcipuè eſt conſtituta ieiuniis, quæ ex doctrina ſancti Spiritus, ita per totius anni circulum diſtributa ſunt: vt lex abſtinentiæ omnibus ſit adſcripta tẽporibus. Siquidem ieiuniũ vernum in Quadrageſima, æſtiuum in Pentecoſte, autumnale in menſe ſeptimo, hyemale autem in hoc qui eſt decimus, celebramus, intelligentes diuinis nihil vacuum eſſe præceptis & verbo Dei ad eruditionem noſtram omnia elementa ſeruire: dum per ipſius mundi cardines, quaſi per quatuor Euangelia inceſſabiliter diſcimus, quod & prædicemus & agamus. Dicente enim Propheta: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamẽtum. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam:* quid eſt per quod veritas nobis non loquitur? Ipſius voces in die, ipſius audientur in nocte. Et pulchritudo rerum vnius Dei opificio conditarum non deſinit cordis auribus magiſtram inſinuare rationem, vt inuiſibilia Dei per ea, que facta ſunt, intellecta conſpiciantur, & non creaturis, ſed creatori omnium ſeruiatur. Cùm ergo vniuerſa vitia per continentiam deſtruantur, & quicquid auaritia ſitit, quicquid ſuperbia ambit, quicquid luxuria concupiſcit, huius virtutis ſoliditate ſuperetur: qui non intelligat, quantum nobis per ieiunia conferatur? in quibus indicitur, vt non ſolùm à cibis, ſed etiam ab omnibus carnalibus deſideriis temperetur. Alioqui ſuperfluum eſt ſuſcipere eſuriem, & iniquam non deponere voluntatem: reciſo affligi cibo, & à concepto non deſinere peccato. Carnale eſt, non ſpiritale ieiunium, vbi ſoli corpori non parcitur: & in iis, quę omnibus deliciis nocentiora ſunt, permanetur. Quid prodeſt animæ foris agere quaſi dominam & intus ſeruire captiuam: membris propriis imperare, & ius propriæ libertatis amittere! Et merito plerumque patitur famulam rebellantem, quæ non reddit Domino debitam ſeruitutem. Ieiunans ergo corpus ab eſcis, mens ieiunet à vitiis, & curas cupiditatéſque terrenas, regis ſui lege diiudicet. Meminerit primam dilectionem Deo, ſecundam deberi proximo, omneſque affectus ſuos hac regula dirigendos: vt nec à cultu recedat Domini, nec ab vtilitate conſerui.

Ieiunij tẽpora ab Eccleſia per totum annum deſcripta. Quadrageſimæ obſeruatio. Pſalm. 18. Rom. 1. Ieiunij vtilitas. Ieiunium corporale abſque ſpiritali non prodeſt.

CAP. III. Quomodo autem Deus colitur, niſi vt quod ipſi placet, placeat & nobis? Nec ab eius imperio noſter vnquam reſultet affectus, quoniam ſi hoc, quod ille vult, volumus, ab illo ſumet infirmitas noſtra virtutem, à quo ipſam accepimus voluntatem. Deus eſt enim, ſicut ait Apoſtolus, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Nec ſuperbia denique homo inflabitur, nec deſperatione frangetur: ſi bonis diuinitus datis, in gloriam dantis vtatur, & ab iis deſideria ſua reuocet, quę ſibi nocitura cognoſcit. Abſtinens enim ab inuidię malignitate, à luxurię diſſolutione, à perturbatione iracundiæ, à cupiditate vindictę, purificabitur veri ſanctificatione ieiunij: & incorruptibilium deliciarum voluptate paſcetur, vt per vſum ſpiritalem etiam terrenas copias in cœleſtẽ nouerit transferre ſubſtantiam, non ſibi cõdẽdo, quæ acceperit, ſed magis magiſque multiplicando quod dederit. Vnde paternæ charitatis affectu dilectionem veſtrã monemus, vt ieiunium decimi menſis fructuoſum vobis eleemoſynarum largitate faciatis, gaudentes, quod per vos Dominus pauperes ſuos paſcit & veſtit. Quibus vtique poſſet eas, quas vobis contulit, tribuere

Philip. 2.

tribuere facultates: nisi pro ineffabili misericordia sua,& illos iustificare vellet de patientia laboris,& vos de opere charitatis. Quarta igitur & sexta Feria ieiunemus: Sabbato autem apud beatissimum Apostolum Petrum vigilias celebremus, qui & orationes,&ieiunia,&eleemosynas nostras, precibus suis dignabitur adiuuare, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & sancto Spiritu viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Incarnationis mysterium.



IN SOLEMNITATE
Natiuitatis Domini Iesu Christi.
SERMO PRIMVS.

De lætitia in hac solemnitate habenda, & quid Christus sua natiuitate nobis attulerit.

CAP. I.

SALVATOR noster, dilectissimi, hodie natus est, gaudeamus. Neque enim fas est locū esse tristitiæ, vbi natalis est vitæ: quæ consumpto mortalitatis timore: nobis ingerit de promissa æternitate lætitiam. Nemo ab huius alacritatis participatione secernitur. Vna cunctis lætitiæ communis est ratio, quia Dominus noster peccati mortisque destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit,ita liberandis omnibus venit. Exultet sanctus, quia propinquat ad palmam. Gaudeat peccator,quia inuitatur ad veniam. Animetur gentilis, quia vocatur ad vitam. Dei namque filius secundum plenitudinem temporis,quam diuini consilij inscrutabilis altitudo disposuit, reconciliandam autori suo naturam generis adsumpsit humani:vt inuentor mortis diabolus per ipsam, quam vicerat, vinceretur. In quo conflictu pro nobis inito,magno & mirabili æquitatis iure certatum est dum omnipotens Dominus cum sæuissimo hoste, non in sua maiestate,sed in nostra congreditur humilitate:obiiciens ei eandem formam, eandémque naturam, mortalitatis quidem nostræ participem sed peccati totius expertem. Alienum quippe ab hac natiuitate,est quod de omnibus legitur, *Nemo mūdus à sorde,nec infas,cuius est vnius diei vita super terram.* Nihil ergo in istam singulare natiuitatem de carnis concupiscentia transiuit, nihil de peccati lege manauit. Virgo regia Dauidicæ stirpis eligitur,quæ sacro grauidāda fœtu, diuinam humanámque prolem prius conciperet mente,quàm corpore Et ne superni ignara consilij, ad inusitatos paueret * affatus: quod in ea operandum erat à Spiritu sancto,colloquio discit angelico. Nec dānū credit pudoris, Dei genitrix mox futura. Cur enim de conceptionis nouitate desperet, cui efficientia de Altissimi virtute promittitur? Confirmatur credentis fides etiam præ cunctis attestatione miraculi, donaturque Elizabeth inopinata fœcunditas: vt qui conceptum dederat sterili, daturus non dubitaretur & virgini. Verbum igitur Dei Deus, filius Dei, qui in principio erat apud Deum, per quē facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil, propter liberandum hominem ab æterna morte factus est homo:ita se ad susceptionem humilitatis nostræ sine diminutione suæ maiestatis inclinans, vt manens quod erat, assumensque quod non erat, veram serui formam ei formæ, in qua Deo Patri est æqualis, vniret: & tanto fœdere naturā vtramque consereret, vt nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio. Salua igitur proprietate vtriusque substantiæ, & in vnam coëunte personam, suscipitur à maiestate humilitas,à virtute infirmitas,ab æternitate mortalitas: & ad rependendum nostræ conditionis debitum, natura inuiolabilis naturæ est vnita passibili,Deúsque verus & homo verus, in vnitatem Domini temperatur,vt quod nostris remediis congruebat,vnus atque idem Dei hominúmque mediator, & mori posset ex vno,& resurgere posset ex altero. Meritò igitur virgineæ integritati nihil corruptionis intulit partus salutis: quia custodia fuit pudoris, editio veritatis. Talis igitur, dilectissimi,natiuitas decuit Dei virtutem & Dei sapientiam Christum: qua nobis & humilitate congrueret, & diuinitate præcelleret. Nisi enim esset Deus verus, non adferret remedium: nisi esset homo verus non præberet exemplum. Ab exultantibus ergo Angelis nascente Domino gloria in excelsis Deo canitur: & pax in terra bonæ voluntatis hominibus nunciatur. Vident enim cœlestem Hierusalem ex omnibus mundi gentibus fabricari: de quo inenarrabili diuinæ pietatis opere, quantum lætari debet humilitas hominum, quum tantum gaudeat sublimitas Angelorum? Agamus ergo, dilectissimi, gratias Deo Patri per Filium eius in Spiritu sancto, qui propter multam charitatem suam, qua dilexit nos misertus est nostri: & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chisto, vt essemus in ipso noua creatura, nouúmque figmentum. Deponamus ergo veterē hominem cum actibus suis: & adepti participationem generationis Christi, carnis renunciemus operibus. Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam: & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire. Memento, cuius capitis & cuius corporis sis membrum. Reminiscere, quia erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lúmen & regnum. Per Babtismatis sacramentum Spiritus sancti factus es templum. Noli tantum habitatorem prauis de te actibus effugare, & diaboli te iterum subiicere seruituti: quia pretium tuum sanguis est Christi, qui in veritate te iudicabit, * qui in misericordia te redemit, Qui cum Patre & Spiritu sancto regnat in sæcula sæculorum, Amem.

Intercessio sanctorum, expeditur.

Iob. 14. secundū 70.

Maria prius mente Dū concepit quam corpore.

* effectus

Cap. II. Ioan. 1.

Philip. 2.

Mediator Dei, & hominum Christus 1. Tim. 2.

1. Cor. 1.

Lucæ 1.

Cap. III. Ephes. 2.

Ephes. 4. Colos. 3.

* qui misericorditer.

SERMO II.
In eadem solemnitate.

Natiuitatis Christi quæ fuerit necessitas, qualitas, & vtilitas.

CAP. I.

EXultemus in Domino, dilectissimi, & spiritali iucunditate lætemur:quia illuxit nobis dies redemptionis nouæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Reparatur enim nobis salutis nostræ annua resolutione sacramentum, ab initio promissum, in fine redditum, sine fine mansurum. In quo dignum est nos erectis sursum cordibus diuinum adorare mysterium: vt quod magno Dei munere agitur, magnis Ecclesiæ gaudijs celebretur Deus enim omnipotens & clemens, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia est: statim vt nos diabolica malignitas veneno suæ mortificauit inuidiæ, prædestinata renouandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa mundi primordia præsignauit: denuncians serpenti fatutum semen mulieris, quod noxii capitis Genes. 3.

Christi in carnem venturi promissio.

elationem sua virtute contereret, Christum scilicet in carne venturum hominémque signans, qui natus ex virgine violatorem humanæ propaginis incorrupta natiuitate damnaret. Nam quia gloriabatur diabolus, hominem sua fraude deceptum, diuinis caruisse muneribus, & immortalitatis dote nudatum, duram mortis subiisse sententiam, séque in malis suis quoddam de præuaricatoris consortio inuenisse solatium: Deum quoque iustè, seueritatis exigente ratione, erga hominem, quem in tanto honore condiderat, antiquam mutasse sententiam: opus fuit, dilectissimi, secreti dispensatione consilij, vt commutabilis Deus (cuius voluntas non potest sua benignitate priuari) primam pietatis suæ dispositionem, sacramento occultiore compleret, & homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam, contra Dei propositum non periret.

Incarnationis necessitas.

Cap. II.

Aduenientibus ergo temporibus, dilectissimi, quæ redemptioni hominum fuerant præstituta, ingreditur hæc infima Iesus Christus Dominus noster, de cælesti sede descendens, à paterna gloria non recedens, nouo ordine noua natiuitate generatus. Nouo ordine, quia inuisibilis in suis, visibilis factus est in nostris. Incomprehensibilis voluit comprehendi. Ante tempora manens, esse cœpit ex tempore. Vniuersitatis Dominus seruilem formam obumbrata maiestatis suæ dignitate suscepit. Impassibilis Deus: non dedignatus est homo esse passibilis, & immortalis, mortis legibus subiacere. Noua autem natiuitate genitus est, conceptus à virgine, natus ex virgine, sine paternæ carnis concupiscentia, sine maternæ integritatis iniuria: quia futurum hominem Saluatorem talis ortus decebat, qui & in se haberet humanæ substantiæ naturam, & humanæ carnis inquinamenta nesciret. Auctor enim in carne nascenti, Deus est, testante Archangelo ad beatam virginem Mariam: Quia *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideóque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Origo dissimilis, sed natura consimilis: humano vsu & consuetudine, quod credimus, caret, sed diuina potestate subnixum est, quòd virgo conceperit, quòd virgo peperit, & virgo permanserit. Non his cogitetur parientis conditio, sed nascentis arbitrium: qui sic homo natus est, vt volebat & poterat. Si veritatem quæris, humanæ naturæ cognosce materiam: si rationem scruteris originis, virtutem confitere diuinam. Venit enim Dominus Iesus Christus contagia nostra auferre, non perpeti: nec succumbere vitiis, sed mederi. Venit, vt omnem languorem corruptionis & vniuersa vulnera sordentium curaret animarum, propter quod oportuit, vt nouo nasceretur ordine, qui nouam impollutæ synceritatis gratiam humanis corporibus inferebat. Oportuit enim vt primam genitricis integritatem nascens incorruptio custodiret, & complacitum sibi claustrum pudoris & sanctitatis hospitium, diuini spiritus virtus infusa seruaret, quæ statuerat deiecta erigere, confracta solidare & superandis carnis illecebris, multiplicatam pudicitiæ donare virtutem: vt virginitas, quæ in aliis non poterat salua esse generando, fieret in aliis imitabilis confitendo, renascendo.

Luc I.

Partus diuini qualitas.

Cap. III.

Hoc ipsum autem, dilectissimi, quod Christus nasci elegit ex virgine: nónne apparet altissimæ fuisse rationis? vt scilicet humano generi natam salutem diabolus ignoraret, & spiritali latente conceptu, quem non alium videret, quàm alios, non aliter crederet natum esse quàm cæteros. Cuius enim similem cum vniuersis aduertit naturam, parem habere arbitratus est cum omnibus causam. Nec intellexit à transgressionis vinculis liberum, quàm ab infirmitate mortalitatis non inuenit alienum. Verax namque misericordia Dei, cùm ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimum consulendi viam elegit, qua ad destruendum opus diaboli, non virtute vteretur potentiæ: sed ratione iustitiæ. Nam superbia hostis antiqui non immeritò sibi in omnes homines ius tyrannicũ vindicabat, nec in debito dominatu premebat: quos à mandato Dei spontaneos in obsequium suæ voluntatis illexerat. Non itaque iustè amitteret originalem dedititij generis seruitutem, nisi de eo, quod subegerat, vinceretur. Quod vt fieret, sine virili semine editus est Christus ex virgine: quam non humanus coitus, sed Spiritus sanctus fœcundauit. Et cùm omnibus matribus non fiat sine peccati sorde conceptio: hæc inde purgationem traxit, vnde concepit. Quò enim paterni seminis transfusio non peruenit: peccati se illic origo non miscuit. Inuiolata vriginitas concupiscentiam nesciuit, substantiam ministrauit. Assumpta est de matre hominis natura, non culpa: creata est forma serui sine conditione virili, quia nouus homo sic contemperatus est veteri, vt & veritatem susciperet generis, & vitium excluderet vetustatis.

Diaboli tyrannis iustè destructa.

Cap. IV.

Quum igitur misericors omnipotensque Saluator ita susceptionis humanæ moderaretur exordia, vt virtutem inseparabilis à suo homine deitatis, per velamen nostræ infirmitatis absconderet, illusa est securi hostis astutia, qui natiuitatem pueri, in salutem generis humani procreati, non aliter sibi, quàm omnium nascentum putauit obnoxiam. Vidit enim vagientem atque lachrymantem, vidit pannis inuolutum, circumcisioni subditum, & legalis sacrificii oblatione perfectum. Agnouit deinceps solita pueritiæ incrementa, & vsque in viriles annos de naturalibus non dubitauit augmentis. Inter hæc intulit contumelias, multiplicauit iniurias, adhibuit maledicta, opprobria, blasphemias, conuitia: omnem postremò in ipsũ vim furoris sui effudit. Omnia tentamentorum genera percurrit, & sciens quo humanam naturam infecisset veneno, nequaquam credidit primæ transgressionis exortem, quem tot documentis didicit esse mortalem. Perstitit ergo improbus prædo & auarus exactor in eum, qui nihil ipsius habebat, insurgere: & dum vitiatæ originis præiudicium generale persequitur, chirographum, quo nitebatur,* excidit ab illo iniquitatis exigens pœnam, in quo nullam reperit culpam. Soluitur itaque lethiferæ pactionis malè suasa conscriptio, & per iniustitiam plus petendi, totius debiti summa vacuatur. Fortis ille nectitur suis vinculis, & omne commentum maligni in caput ipsius retorquetur. Ligato mundi principe, captiuitatis vasa rapiuntur. Redit in honorem suum ab antiquis contagiis purgata natura: mors morte destruitur, natiuitas natiuitate reparatur, quoniam simul & redemptio aufert seruitutem, & regeneratio mutat originem, & fides iustificat peccatorem.

Luc. 2.

Excedit.

Cap. V.

Quisquis igitur Christiano nomine piè & fideliter gloriaris, reconciliationis huius gratiam iusto perpende iudicio. Tibi enim quondam abiecto, tibi extruso à Paradisi sedibus, tibi per longa exilia morienti, tibi in puluerem & cinerem dissoluto, cui iam non erat spes vlla viuendi: per incarnationem Verbi potestas data est, vt de longinquo ad tuum reuertaris auctorem, recognoscas parentem, liber efficiaris ex seruo, de extraneo prouehaˇris in filium vt qui ex corruptibili carne natus es ex Dei spiritu renascaris, & obtineas per gratiam, quod non habebas

habebas per naturam: vt si Dei filium per spiritum adoptionis agnoueris, Deum patrem audeas nuncupare. Malæ conscientiæ reatu absolutus, ad cælestia regna suspires: voluntatem Dei facias diuino fultus auxilio: imiteris Angelos super terram: immortalitatis substantiæ virtute pascaris, securus aduersus inimicas tentationes pro pietate confligas, & si cælestis militiæ sacramenta seruaueris, non dubites te in castris triumphalibus regis æterni pro victoria coronandum; cùm te resurrectio piis parata susceperit in regni cælestis consortium pronehendum. Habentes ergo tantæ spei fiduciam, dilectissimi, in fide, qua fundati estis, stabiles permanete, ne idem ille tentator, cuius iam à vobis dominationem Christus exclusit, aliquibus vos iterum seducat insidiis, & hæc ipsa præsentis diei gaudia suæ fallaciæ arte corrumpat, illudens simplicioribus animis de quorundam * persuasione pestifera, quibus hæc dies solennitatis nostræ, non tam de natiuitate Christi, quàm de noui, vt dicunt, solis ortu honorabilis videatur. Quorum corda vastis tenebris obuoluta, & ab omni incremento veræ lucis aliena sunt: trahuntur enim adhuc stultissimis gentilitatis erroribus. Et quia supra id, quod carnali intuentur aspectu, nequeunt aciem mentis erigere: ministra mundi luminaria diuino honore venerâtur. Absit ab animis Christianis impia superstitio, prodigiosúque mendacium. Vltra omnê modum distant à sempiterno temporalia, ab incorporeo corporea, à dominatore subiecta: quia etsi mirandam habent pulchritudinem, adorandam tamen non habent deitatem. Illa ergo virtus, illa sapientia, illa est colenda maiestas, quæ vniuersitatem mûdi creauit ex nihilo, & in quas voluit formas atq; mensuras, terrenam cœlestémque substantiam omnipotenti ratione produxit. Sol, luna, & sydera, sint commoda vtentibus, sint speciosa cernentibus: sed ita, vt de illis gratiæ referantur autori, & adoretur Deus, qui côdidit, non creatura, quæ seruit. Laudate igitur Deum, dilectissimi, in omnibus operibus eius atque iudiciis. Sit in vobis indubitata credulitas virgineæ integritatis & partus. Reformationis humanæ sacrum diuinúmque mysterium sancto atque syncero honorate seruitio. Amplectimini Christum in nostra carne nascentem, vt eundem Deum gloriæ videre mereamini in sua maiestate regnantem: Qui cum Patre & Spiritu sancto manet in vnitate deitatis in sæcula sæculorum. Amen.

Humana natura per Christum sublimata.

CAP. V.

Præsumptione.

Adorandus solus Deus.

SERMO III.

In eadem solennitate.

Vt sentiendum sit de Christi diuinitate & humanitate, & quare eius incarnatio tamdiu dilata fuit.

CAP. I.

Nota quidem sunt nobis, dilectissimi, & frequenter audita, quæ ad sacramenta pertinent solennitatis hodiernæ: sed sicut illæsis oculis voluptatem adfert lux ista visibilis: ita cordibus sanis æternum dat gaudium natiuitas Saluatoris, quæ à nobis nunquam est reticenda. Non enim ad illud tantummodo sacramentum, quo Filius Dei consempiternus est Patri, sed etiam ad hunc ortum, quo Verbum caro factum est, credimus pertinere, quod dictum est, *Generationem eius quis enarrabit?* Deus itaque Dei filius, par atque eadem de patre & cum patre natura, vniuersitatis Creator Dominus, totus vbique præsens, & vniuersa excedens, in ordine temporum, quæ ipsius dispositione decurrunt, hunc sibi diem, quo in salutem mundi ex beata Virgine nasceretur, elegit, integro per omnia pudore genetantis. Cuius virginitas sic non est violata partu, vt non fuerat temerata conceptu, vt impleretur, sicut ait Euangelista, quod dictum est à Domino per Esaiâ Prophetam, *Ecce virgo côcipiet in vtero, & pariet filiû, & vocabitur nomê eius Emmanuel*, quod interpretatur, nobiscum Deus. Hic enim mirabilis sacræ virginis partus, verè humanâ, verè diuinam, vna edidit prole naturam, quia nô ita proprietates suas tenuit vtraque substantia, vt personarum in eis possit esse discretio: nec sic natura in societatê sui creatoris est assumpta, vt ille habitator & illa habitaculum esset: sed ita, vt naturæ alteri alterâ misceretur Et quamuis alia sit, quæ suscipitur, alia verò, quæ suscipit: in tantâ tamen vnitatem conuenit vtriusque diuersitas, vt vnus idémque sit filius, qui se, & secundum quod verus est homo, patre dicit minorem: & secundum quod verus est Deus patri profitetur æqualem. Hanc vnitatem, dilectissimi, qua creatori creatura conseritur, intelligentiæ oculis cernere cæcitas Arriana non potuit: quæ vnigenitum Dei eiusdem cum patre gloriæ atque substantiæ esse non credens, minorum dixit filij deitatem, de iis argumenta sumens, quæ ad formâ sunt referenda seruilem, quam idem filius Dei, vt ostendat in se non discretæ, neque alterius esse personæ, sic cum eadê dicit: *Ego & pater vnû sumus.* In forma enim serui quâ nostræ reparationis causa in fine sæculorum suscepit, minor est patre: in forma autem Dei, in qua erat ante sæcula, æqualis est patri, In humilitate humana factus est ex muliere, factus sub lege: in maiestate diuina, manens Dei Verbum, per quod facta sunt omnia. Proinde qui in forma Dei fecit hominem, in forma serui factus est homo: sed vtrumque Deus de potêtia suscipientis, vtrumque homo de humilitate suscepit. Tenet enim sine defectu proprietatê suam vtraque natura Et sicut formâ serui forma Dei non adimit: ita formam Dei serui forma non minuit. Sacramentum itaque vnitæ cum infirmitate virtutis, propter eandem hominis naturam minorem patre dici filium sinit. Deitas autem, quæ vna est in Trinitate Patris, & Filij, & Spiritus sancti, omnem opinionem inæqualitatis excludit. Nihil enim ibi habet æternitas temporale, nihil natura dissimile: vna illic voluntas est, eadem substantia: par potestas, & non tres dij, sed vnus est Deus: quia vera inseparabilis est vnitas vbi nulla potest esse diuersitas. In integra igitur veri hominis perfectaque natura, verus natus est Deus totus in suis, totus in nostris. Nostra autem dicimus, quæ in nobis ab initio Creator condidit, & quæ reparanda suscepit. Nâ illa, quæ deceptor inuexit, & homo deceptus admisit, nullum habuerunt in Saluatore vestigium. Nec quia communionem humanarum subiit infirmitatum: ideo nostrorum particeps fuit delictorum. Assumpsit formam serui sine sorde peccati, humana prouehens, diuina non minuens. Exinanitio enim illa, qua se inuisibilis visibilem præbuit, inclinatio fuit miserationis, non defectio potestatis, Vt ergo ad æternâ beatitudinem ab originalibus vinculis, & à mundanis reuocemur erroribus, ipse ad nos descendit, ad quê nos non poteramus ascendere: quia etsi multis inerat amor veri, incertarum tamen opinionum varietas, fallentium dæmonum decipietur astutia, & falsi nominis scientia in diuersas compugnantésque sententias humana ignorantia trahebatur, Ad auferendum autem hoc ludibrium, quo captiuæ mentes superbienti diabolo seruiebant,

Isai. 55.

Esaiæ. 7.

Natura diuina & humana in vna persona subsistit.

Ioan. 14.

Ioan. 10.

Cap. II.

Galat. 4.

Ioan. 1.

Philip. 2.

Christus quomodo maior & minor sit patre.

Cap. III

Incarnationis necessitas.

non sufficiebat doctrina legalis, nec per solas cohortationes propheticas poterat natura nostra reparari: sed adiicienda erat veritas redemptionis mortalibus institutis, & corruptam ab initio originem nouis renasci oportebat exordiis. Offerēda erat pro reconciliandis hostia, quæ esset nostri generis socia, & nostræ cōtaminationis aliena: vt hoc propositum Dei, quo peccatum mundi in Iesu Christi placuit natiuitate ac passione delere, ad omnium generationum secula pertinere: nec turbarent nos, sed potius confirmarent mysteria, pro temporum ratione variata, quum fides, qua viuimus, nulla fuerit ætate diuersa.

Fides vna & eadem séper fuit.

Incarnatio Christi non frustra dilata.

Cessent igitur illorum querelæ, qui impio murmure diuinis dispensationibus obloquentes, de Dominicæ natiuitatis tarditate causantur tanquam præteritis temporibus non sit impensum, quod in vltima mundi ætate est gestum. Verbi incarnatio hæc contulit facienda, quæ facta, & sacramentum salutis humanæ in nulla vnquam antiquitate cessauit. Quod predicauerunt Apostoli, hoc annuntiauerunt Prophetæ: nec sero est impletum, quod semper est creditum. Sapientia verò & benignitas Dei hac salutiferi operis mora, capaciores nos suæ vocationis efficit: vt quod multis signis, multis vocibus, multisque mysteriis per tot fuerat secula prænunciatum, in his diebus Euangelii non esset ambiguum: & natiuitas, quæ omnia miracula, omnemque intelligentiæ erat excessura mensuram, tanto constantiorem in nobis gigneret fidem, quāto prædicatio eius & antiquior præcessit & crebrior. Non itaque nouo cōsilio Deus rebus humanis, nec sera miseratione consuluit: sed a constitutione vnam eandémque omnibus caussam salutis instituit. Gratia autem Dei, qua semper est vniuersitas iustificata sanctorum, aucta est Christo nascente, non cœpta. Et hoc magnæ pietatis sacramentum, quo totus iam mundus impletus est, tam potens etiam in suis significationibus fuit: vt non minus adepti sint, qui in illud credidêre promissum, quam qui suscepêre donatum. Vnde cum manifesta pietate, dilectissimi, tantæ in nobis diuinæ bonitatis effusæ sint gratiæ, quibus ad æternitatem vocandis, non solùm exemplum præcedētium vtilitas ministrauit, sed etiā ipsa veritas, & visibilis & corporalis apparuit, non segni, neque carnali lætitia diē Dominicæ natiuitatis celebrare debemus: quod dignè ac intelligenter fiet à singulis, si meminerit quisque cuius corporis membrum sit, & cui capiti coaptatum, ne sacræ ædificationi discors compago non hæreat. Considerate, dilectissimi, & secundum illuminationem Spiritus sancti prudenter aduertite, quis nos in se susceperit, & quem susperimus in nobis: quoniam sicut factus est Dominus caro nostra nascendo, ita & nos facti sumus ipsius renascēdo. Ideo & membra Christi, & templum sumus Spiritus sancti. Et ob hoc B. Apostolus dicit, *Glorificate & portate Deū in corpore vestro.* Qui formā nobis suæ mansuetudinis & humilitatis insinuans, ea nos virtute induit, qua redimit, ipso Domino pollicente, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiā vos. Tollite iugum meum super vos & discite à me, quia mitis sū & humilis corde, & inuenietis requiē animabus vestris.* Suscipiamus ergo regentis nos veritatis non graue nec asperum iugum, & simus eius humilitati similes, cuius gloriæ volumus esse conformes: ipso auxiliante & perducente nos ad promissiones suas, qui secundū magnā misericordiam suam potens est peccata nostra delere, & sua in nobis dona perficere, Iesus Christus Dominus noster, qui viuit & regnat in secula sæculorū, Amé.

Cap. v. 1. Cor. 6. Math. 11.

SERMO IV.

In eadem solennitate.

Rationem incarnationis Christi explicat, errorésque circa eandem quorundam hæreticorum refellit.

Semper quidem, dilectissimi, diuersis modis multisque mensuris humano generi bonitas diuina consulit, & plurima prouidentiæ suæ munera omnibus retro sæculis, clementer impertiit: sed in nouissimis temporibus omnem abundantiam solitæ benignitatis excessit, quādo in Christo, ipsa ad peccatores misericordia, ipsa ad errātes veritas, ipsa ad mortuos vita descendit, vt Verbum illud coæternum & coæquale genitori in vnitate deitatis suæ naturam nostræ humilitatis assumeret, & Deus de Deo natus, idem etiam homo de homine nasceretur. Promissum quidem hoc à constitutione mundi, & multis significationibus rerum atque verborum semper fuerat prophetatum, sed quantam hominum portionem figuræ illæ & mysteria obumbata seruarent, nisi longa & occulta promissa aduentu suo Christus impleret? & quod tunc paucis credentibus profuit faciendum, innumeris iam fidelibus prodesset effectum. Iam ergo nos non signis neque imaginibus ad fidem ducimur, sed Euangelica historia confirmati, quod factum credimus, adoramus: accedentibus ad eruditionem nostram propheticis instrumentis, vt nullo modo habeamus ambiguum, quod tantis oraculis scimus esse prædictum. Hinc enim est quod Dominus Abrahæ ait: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Hinc David promissionem Dei prophetico spiritu canit: *Iurauit Dominus David, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Hinc idem Dominus per Esaiam: *Ecce virgo*, inquit, *in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel: quod interpretatur nobiscum Deus.* Et iterum, *Exiet virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* In qua virga non dubiè beata virgo Maria prædicta est, quæ de Iesse & David stirpe progenita, & Spiritu sancto fœcundata, nouum florem carnis humanæ, vtero quidem materno, sed partu est enixa virgineo. Exultent ergo in laudem Dei corda credentium, & mirabilia eius confiteantur filij hominum: quoniam in hoc præcipuè Dei opere humilitas nostra cognoscit, quanti eam suus conditor æstimarit. Qui cùm origini humanæ multum dederit, quod nos ad imaginem suam fecit: reparationi nostræ longè amplius tribuit, cùm seruili formæ ipse se Dominus coaptauit. Quamuis enim ex vna eadémque pietate sit, quicquid creaturæ creator impendit, minus tamen mirum est hominum ad diuina proficere, quàm Deum ad humana descendere. Hoc autem nisi facere dignaretur omnipotens, nulla quenquam species iustitiæ, nulla forma sapientiæ à captiuitate diaboli, & à profundo æternæ mortis erueret. Condemnatio enim ex vno in omnes cum peccato transiens permaneret, & lethali vulnere tabefacta natura, nullum remedium reperiret, quia conditionem suam suis viribus mutare non posset. Primus namque homo carnis substantiam accepit è terra, & rationali spiritu per insufflationem creantis animatus est, vt ad imaginem & similitudinem sui authoris viuens, formam Dei bonitatis atque iustitiæ in splēdore imitationis, tanquam in speculi nitore seruaret. Quam naturæ suæ

CAP. I. Genes. 22. Psal. 130. Esa. 7. Esa. 11. Cap. II. Genes. 2.

suæ speciosissimam dignitatem, si per obseruantiam legis datæ perseueranter excoleret: ipsam illam terreni corporis quatitatem ad cælestem gloriam mens incorrupta perduceret. Sed quia inuido & deceptori temerè atque infeliciter credidit, & superbiæ cõsiliis acquiescens, repositũ honoris augmentum occupare maluit quàm mereri, non solùm ille homo, sed etiam vniuersa in illo posteritas eius audiuit: *Terra es, & in terram ibis.* Qualis ergo terrenus, tales & terreni: & nemo immortalis, quia nemo cælestis. Ad hoc itaque peccati & mortis vinculum resoluendum, omnipotens filius Dei omnia implens, omnia continens, æqualis per omnia Patri, & in vna ex ipso, & cum ipso consempiternus essentia, naturam in se suscepit humanam, & creator ac Dominus omnium rerum, dignatus est vnus esse mortalium: electa sibi matre, quã fecerat: quæ salua integritate virginea, corporeæ esset tantum ministra substantiæ, vt humani seminis cessante cõtagio, nouo homini & puritas inesset & veritas. Non ergo in Christo ex vtero virginis genitio, quia natiuitas est mirabilis, ideo est natura dissimilis. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo: & nullum est in vtraque substantia mendacium. Verbũ caro factum est prouectione carnis, non defectione deitatis: quæ sic potentiam suam bonitatèmque moderata est, vt & nostra suscipiendo proueheret, & sua communicando non perderet. In hac natiuitate Christi secundum Prophetiam Dauid, *Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit.* In hac natiuitate etiã Esaiæ sermo cõpletus est dicentis: *Producat terra, & germinet Saluatorem, & iustitia oriatur simul.* Terra enim carnis humanæ, quæ in primo fuerat præuaricatore maledicta, in hoc solo beatæ virginis partu germen edidit benedictũ, & à vitio suæ stirpis alienum. Cuius spiritalem originẽ in regeneratione quisque consequitur, & omni homini renascẽti aqua baptismatis instar est vteri virginalis, eodem Spiritui sancto replente fontem, qui repleuit & virginem: vt peccatũ quod ibi euacuauit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio. Ab hoc sacramento, dilectissimi, insanus Manichæorũ error alienus est, nec vllum habent in Christi regeneratione consortium, qui eum de Maria virgine negant corporaliter natum: vt cuius non credunt veram natiuitatem, nec veram recipiant passionem, & quem non confitentur verè sepultum, abnuant veraciter suscitatum. Ingressi enim præruptam execrandi dogmatis viam, in qua nihil non tenebrosum nihilque non lubricum est, ruunt in profunda mortis per præcipitia falsitatis: nec aliquid solidũ, cui initantur, inueniunt, qui propter omnia diabolici propria commenti, in ipso præcipuo obseruantiæ suæ festo, sicut proxima eorum confessione patefactũ est, vt animi: ita & corporis pollutione lætantur, neque in fide integritatem, nec in pudore seruantes, vt & in dogmatibus suis impij, & in sacris inueniantur obscœni. Aliæ hereses, dilectissimi, licet merito omnes in sua peruersitate damnandæ sint, habent tamen singulæ in aliqua sua parte quod verum est. Arrius Dei filium minorẽ patre & creaturam esse definiens, & ab eodem, inter omnia creatum putans Spiritum sanctum, magna impietate se perdidit: sed sempiternam atque incommutabilem deitatem, quam in Trinitatis vnitate non vidit, in patris essentia non negauit. Macedonius à lumine veritatis alienus diuinitatem sancti Spiritus non recepit, sed in patre & filio vnam potentiam, & eandem confessus est esse naturã. Sabellius ex inexplanabili errore confusus, vnitatem substãtiæ in Patre & Filio & Spiritu sancto inseparabilem sentiens, quod equalitati tribuere debuit, singularitati dedit. Et cùm veram Trinitatem intelligere non valeret, vnam eandèmque credidit sub triplici appellatione personam. Photinus mentis cæcitate deceptus, in Christo verum & substantiæ nostræ confessus est hominem, sed eundem Deum de Deo ante omnia sæcula genitum esse non credidit. Apollinaris fidei soliditate priuatus, filium Dei ita veram humanæ carnis credidit suscepisse naturam, vt in illa carne diceret animã non fuisse, quia vicem eius expleuerit ipsa diuinitas. Hoc modo si omnes, quos Catholica fides damnat, retractentur errores, in aliis atque aliis quidam inuenitur, quod à damnabilibus possit abiungi. In Manichæorum autem sceleratissimo dogmate prorsus nihil est, quod ex vlla parte possit tolerabile iudicari. Sed vos, dilectissimi, quos nullis digniùs quàm beati Petri Apostoli alloquor verbis, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ædificati super inuiolabilẽ petram Christum, ipsique Domino Saluatori nostro per veram susceptionem nostræ carnis inserti, permanere stabiles in ea fide, quam confessi estis coram multis testibus, & in qua renati per quam & Spiritum, sanctum, accepistis chrisma salutis, & signaculum vitæ eternæ. Si quis autem vobis aliud annunciauerit præter id quod didicistis, anathema sit. Nolite impias fabulas præponere lucidissimæ veritati & quicquid contra regulã Catholici & Apostolici Symboli aut legere aut audire contigerit, id omnino mortiferum & diabolicum iudicate. Non vos seducant deceptoriis artibus ficta & simulata ieiunia: quæ non ad purificationem, sed ad perditionem proficiũt animarum. Speciem quidem sibi pietatis & castitatis assumunt, sed hoc dolo actuũ suorum obscœna circumtegunt, & de prophani cordis penetralibus iacula quibus simplices vulnerentur, emittunt, vt sicut ait Propheta, *Sagittent in obscuro rectos corde.* Magnum presidium est fides integra, fides vera, in qua nec augeri ab vllo quicquam, nec minui potest: quia nisi vna est, fides non est, dicente Apostolo, *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma: vnus Deus & pater omniũ qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Huic vnitati, dilectissimi, inconcussis mentibus inhærete, & in hac omnem sectamini sanctitatẽ: in hac preceptis Domini deseruite: quia sine fide impossibile est placere Deo. Et nihil sine illa sanctũ, nihil castum est, nihil viuum. Iustus enim ex fide viuit. Quàm qui diabolo decipiente perdiderit: viuens mortuus est. Quia sicut per fidem iustitia, ita etiam per fidem verã vita obtinetur æterna, dicẽte Domino Saluatore, *Hæc est autẽ vita æterna, cognoscant te solum verũ Deum, & quẽ misisti Iesum Christũ.* Qui vos proficere & perseuerare facit vsque in finem, qui viuit & regnat cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amẽ.

Marginalia (left): Adam in statu innocentiæ potuit mereri. Genes. 3. 2. Cor. 15. CAP. III. Psal. 84. Esaiæ 45. Baptismus est quasi virginis vterus. Manichæorum insania. CAP. IV. CAP. V. Arrius. Macedonius. Sabellius.

Marginalia (right): Photinus. Apollinaris. 1. Pet. 2. Ioan. 3. Gallat. 1. Psal. 10. Fidei commendatio. Ephes. 4. Hebr. 11. Abac. 1. Ioan. 7.

SERMO [I]V.

In eadem solemnitate.

Humanitas Christi, vt fuerit ad credendum difficilis, déque stulta sapientia mundi, quidque obedientia & humilitas Christi nobis attulerint.

CAP. I.

QVamuis, dilectissimi, ineffabilis sit natiuitas Domini nostri Iesu Christi, qua se naturæ nostræ carne vestiuit: audeo tamẽ nõ de facultate mea sed de ipsius inspiratione præsumere, vt in die, qui in sacramentum humanæ restaurationis electus est, aliquid à nobis, quod audientes possit ædificare,

 promatur.

promatur. Non enim quia maior pars Ecclesiæ Dei quod credit, intelligit, ideo necessarium non est, etiam quæ dicta sunt discere, cum vtique nunc multis ad fidem primum venientibus oris nostri officium debeamus, meliúsque sit doctos onerare iam notis, quàm rudes fraudare discendis. Quod ergo filius Dei, qui cum Patre & Spiritu sancto non vnius personæ, sed vnius essentiæ est, dignatus est humanitatis nostræ particeps fieri, & vnus passibilium, vnus voluit esse mortalium, tam sacratum tamque mirabile est: vt ratio diuini cōsilij sapientibus mundi patere non possit, nisi humanæ ignorantiæ tenebras lux vera discusserit. Non enim in solo opere virtutum, aut in sola obseruantia mandatorum, sed etiam in tramite fidei, angusta & ardua via est, quæ ducit ad vitam, & magni laboris est magnique discriminis, inter dubias imperitorū opiniones & verisimiles falsitates per vnam sanæ doctrinæ semitā in offēsis gressibus ambulare, & cum vndique se laquei erroris opponant, omne periculum deceptionis euadere. Quis autem ad hæc idoneus, nisi qui Spiritu Dei docetur & regitur? dicente Apostolo, *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritū, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* Canente etiā Dauid, *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum.*

Fidei difficultas. Matth. 7. 1. Cor. 2. Psal. 93.

CAP. II.

Habentes itaque, dilectissimi, inter pericula erroris præsidia veritatis, & non humanæ sapientiæ verbis, sed doctrina Spiritus sancti eruditi, quod didicimus, credimus: quod credimus, prædicamus, Dei filium ante sæcula à patre genitum, & patri sempiterna, & consubstātiali æqualitate coæternum venisse in hūc mundum per vterum virginis, in hoc sacramentum pietatis electæ, in qua, & ex qua ædificauit sibi Sapientia domum, & formam sibi serui in similitudinem carnis peccati, incommutabilis Verbi deitas coaptauit: in nullo apud se & Patrem & Spiritum sanctum minor gloria sua, quia diminutionem & varietatem summæ & æternæ essentiæ natura non recipit. Propter nostram autem infirmitatem extenuauit se in capacibus sui, & velamine corporis splendorem maiestatis suæ, quem visus hominum non ferebat, obtexit. Vnde etiam exinanisse se dicitur, tanquam se propria virtute euacuauerit: dū in ea humilitate, qua nobis consuluit, non solùm patre, sed etiam seipso factus est inferior. Nec aliquid illi hac inclinatione decessit: cui cum Patre & spiritu sancto, hoc quod est cōmune est, vt hoc ipsum intelligamus ad omnipotentiam pertinere, quod qui secundum nostra, minor est, secundum propria minor non est. Quia enim lux ad obcæcatos, virtus ad imbecilles, misericordia respexit ad miseros, de magna factū est protestate, vt Dei filius substantiam humanā causamque susceperit, qui & nostram naturam, quam condidit, reformaret: & mortem quam non fecit, aboleret.

Prou. 9. Roman. 8. Philip. 2. 1. Cor. 2.

CAP. III.

Repudiatis igitur longèque reiectis omnibus opinionibus impiorum quibus aut stultitia est Crux Christi, aut scādalum, exultet rectarum mentium fides, & verum vnúmque Dei filium, non solùm secundùm deitatem, qua à patre genitus, sed etiam secundum humanitatem, qua de matre virgine est natus, intelligat. Ipse est enim in humanitate nostra, qui est in maiestate, diuina, verus homo & verus Deus, sempiternus in suis, temporalis in nostris: vnum cum patre in substantia, quæ nunquam fuit minor patre: vnum cum matre in corpore, quod creauit. In assūptione enim naturæ nostræ nobis factus est gradus, quo ad ipsum per ipsum possimus ascendere. Nam illa essentia, quæ semper vbique tota est, locali descensione non eguit, & tam ei proprium fuit, totā homini inseri, quàm ei proprium est, totam à patre non diuidi. Manet ergo, quod in principio erat Verbum, & nō est ei accidens, vt quod est, aliquando non fuerit. Sēpiternè enim filius, filius est, & sempiternè pater, pater est. Vnde cū ipse filius dicat; *Qui videt me videt & patrē*: excæcauit te, ô hæretice, impietas tua, vt qui maiestatem filij non vidisti, patris gloriā non videres: dicendo enim genitum esse, qui non erat filium asseris temporalem: & dum filium asseris temporalem: credidisti patrem esse mutabilem. Mutabile enim est, nō solùm quod minuitur, sed etiā quicquid augetur: & si ideo patri impar est genitus, quia vt tibi videtur, generādo eum, qui non erat genuit, imperfecta erat etiam generantis essentia, quæ adhibendo: quod non habuit, generando perfecit. Sed hanc impiam peruersitatem tuam, fides Catholica exècratur & damnat: quæ in deitate vera nihil temporalitatis agnoscit, sed vnius sempiternitatis & patrem confitetur & filium: quia splendor ex luce ortus, non est luce posterior, & lux vera numquam est sui splendoris digna, sic substantiale semper habens fulgere, sicut substantiale semper habet existere. Huius autem splēdoris manifestatio, missio dicitur, qua Christus mundo apparuit. Qui cùm omnia inuisibili maiestate sua semper impleret, tamen quasi de remotissimo altissimoque secreto, iis quibus erat ignotus, aduenit, cum cœcitatem ignorantiæ sustulit, sicut scriptum est: *Sedentibus in tenebris & in vmbra mortis, lux orta est eis.*

Diuinitas Christi. Ioan. 14. Mutabile quicquid augetur. Esai. 9.

CAP. I

Quamuis enim etiam prioribus sæculis ad illuminationem sanctorum Patrum & Prophetarum lumen veritatis emissum sit dicente Dauid, *Emitte lucē tuam & veritatem tuā*: & diuersis modis multisque signis opera præsentiæ suæ deitas filij declarauit, omnes tamē illæ significationes, cunctàque miracula, testimonia fuerunt istius missionis, de qua dicit Apostolus, *Cū ergo venit plenitudo temporis, misit Deus filium suū, natū ex muliere, factum sub lege.* Quid verò hoc est, nisi Verbum carnem fieri? Conditorem mundi per vterum virginis nasci? Dominum maiestatis, humanis se coaptare primordiis? & licet cōceptui spiritali nulla sint terreni seminis mixta contagia, ad suscipiendam tamen veræ carnis substantiam, solam sumere de matre naturam? Hac missione, qua Deus vnitus est homini, filius impar est patri non in eo, quod ex patre, sed in eo, quod est factus ex homine. Æqualitatem enim, quam inuiolabilem habet deitas, non corrupit humanitas, & creatoris ad creaturam descensio, credentium est ad æterna subuectio. Nam quia, sicut ait Apostolus, *In sapientia Dei non cognouit mundus per sapientiā Deū, placuit Deo per stultitiā prædicationis saluos facere credētes.* Mūdo ergo, id est, prudentibus mundi, sapiētia sua cæcitas facta est, nec poterunt per illam cognoscere Deum, ad cuius notitiam non nisi in sapientia eius acceditur Et ideo, quia mundus de vanitate suorum dogmatum superbiebat, in eo constituit Dominus saluandorum fidem, quod & indignum videretur & stultum, vt & deficientibus omnibus opinionum præsumptionibus, sola Dei gratia reuelaret, quod comprehendere humana intelligentia non valeret.

Psal. 42. Galat. 4. Filius minor patre. 2. Cor. 1. Sapientia mundi.

CAP. V.

Agnoscat igitur Catholica fides in humilitate Domini gloriam suam, & de salutis suæ sacramentis gaudeat Ecclesia, quæ corpus est Christi: quia nisi Verbū Dei caro fieret & habitaret in nobis, nisi in communionem creaturæ creator ipse descenderet, & vetustatem humanam ad nouum principium sua natiuitate reuocaret: regnaret mors ab Adam vsque in finem, & super omnes homines condemnatio insolubilis permaneret, cúm de sola cōditione nascēdi, vna cunctis esset causa pereundi. Solus itaqua

Rom. 5.

inter

inter filios hominum Dominus Iesus innocens natus est: quia solus sine carnalis concupiscentiæ pollutione conceptus. Factus est homo nostri generis, vt nos diuinæ naturæ possimus esse consortes. Originem, quam sumpsit in vtero virginis, posuit in fonte baptismatis. Dedit aquæ quod dedit matri
Lucæ 1. Virtus enim Altissimi, & obumbratio Spiritus sancti, quæ fecit, vt Maria pareret Saluatorem: eadem facit, vt regeneret vnda credentem. Quid autem sanandis ægris, illuminandis cæcis, viuificandis mortuis aptius fuit, quàm vt superbiæ vulnera, humilitatis remediis curarentur? Adam præcepta Dei negligens, peccati inpuxit damnationem: Iesus factus sub lege, reddidit iustitiæ libertatem. Ille diabolo obtemperans vsque ad præuaricationem, meruit vt in ipso omnes morerentur: hic patri obediens vsque ad crucem, fecit vt in ipso omnes viuificarentur. Ille cupidus honoris angelici, naturæ suæ perdidit dignitatem: hic infirmitatis nostræ suscipiens conditionem, propter quos ad inferna descendit, eosdem in cælestibus collocauit. Postremò, illi per

Christi obedientia & humilitas. Adæ inobedientia & superbia.

Genes. 5. elationem lapso dictum est, *Terra es, & in terram ibis*: huic per subiectionem exaltato dictum est:
Psal. 109. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

Cap. 6. Hæc Domini nostri opera, dilectissimi, non solùm sacramento nobis vtilia sunt, sed etiam imitationis exemplo, si in disciplinam ipsa remedia transferantur, quodque impensum est mysteriis, prosit & moribus: vt meminerimus, nobis in humilitate & mansuetudine Redemptoris nostri esse viuendum, quoniam sicut ait Apostolus, *Si compatimur, & conregnabimus.* Frustra enim appellamur Christiani, si imitatores non simus Christi: qui ideo se viam dixit esse, vt conuersatio magistri, forma esset discipuli, & illam humilitatem eligeret seruus, quam sectatus est Dominus, Qui viuit & regnat in sæcula sæculorum Amen.

Rom. 8.

Ioan. 14.

SERMO VI.

In eadem solennitate.

Filius Dei quare factus sit filius hominis, & opera bona quid prosint.

CAP. I. Omnibus quidem diebus, dilectissimi, atque temporibus, animis fidelium diuina meditantium, Domini & Saluatoris nostri ex matre virgine ortus occurrit: vt mens ad confessionem sui autoris erecta, siue in gemitu supplicationis, siue in exultatione laudis siue in sacrificij oblatione versetur, nihil crebrius, nihilque magis fidenter spiritali attingat intuitu, quàm quod Deus Dei filius genitus de patre coæterno, idem etiã partu est natus humano. Sed hanc adorandam in cœlo & in terra natiuitatẽ nullus nobis dies magis quàm hodiernus insinuat, & noua etiã in elementis luce radiante, totam sensibus nostris mirabilis sacramenti ingerit claritatẽ. Non solùm enim in memoriam, sed in conspectum quodammodo redit angeli Gabrielis cũ Maria stupente colloquium, & conceptione de Spiritu sancto tam mirè promissa, quàm credita. autor mundi editus est vtero virginali. Et qui omnes naturas condidit, eius est factus filius quam creauit. Hodie Verbum Dei carne apparuit vestitum, & quod nunquã fuit humanis oculis visibile, cœpit etiam manibus esse tractabile. Hodie genitum in nostræ carnis animæque substantia Saluatorem angelicis vocibus didicere pastores, & apud Dominicorum præsules

Festorum celebrandorum ratio.

gregum hodie euangelizandi forma præcondita est. vt nos quoque cũ cœlestis militiæ dicamus exercitu: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis.* Quamuis igitur illa infantia, quam filij Dei non est dedignata maiestas, in virum perfectũ ętatis adiectione prouecta sit, & consummato passionis & resurrectionis triumpho, omnes susceptæ pro nobis humilitatis trãsierint actiones, renouat tamẽ nobis hodierna Festiuitas nati Iesu ex Maria virgine sacra primordia, & dum Saluatoris nostri adoramus ortum, inuenimus nos nostrum celebrare principium. Generatio enim Christi, origo est populi Christiani: & natalis capitis, natalis est corporis. Habeant licet singuli quinque vocatorũ ordinem suum, & omnes Ecclesiæ filij temporũ sint successione distincti, vniuersa tamen summa fidelium, fonte orta baptismatis, sicut cum Christo in passione crucifixi, in resurrectione resuscitati, in ascensione ad dexteram patris collocati: ita cum ipso sumus in hac natiuitate congeniti. Quicquid enim hominum, in quacunque mundi parte credentium, regeneratur in Christo: interciso originalis tramite vetustatis, transit in nouum hominem renascendo, nec iam in propagine habetur carnalis patris, sed in germine Saluatoris qui ideo filius hominis est factus, vt nos filij Dei esse possimus. Nisi enim ille ad nos hac humilitate descenderet, nemo ad illum vllis suis meritis perueniret. Nihil hîc vocatorum cordibus caligini inferat terrena sapientia, nec se contra altitudinem gratiæ Dei, mox in ima rediturus terrenarum cogitationum puluis attollat. Impletum est in fine sæculorum, quod erat ante tempora æterna dispositum, & sub præsentia rerum, signis cessantibus figurarum, lex & prophetiæ veritas facta est, vt Abraham fieret omnium gentiũ pater, & in semine eius daretur mundo promissa benedictio, ne ij tantum essent Israël, quos sanguis & caro genuisset, sed in possessionem hæreditatis fidei filiis præparatæ, vniuersitas adoptionis intraret. Nec obstrepant ineptarum calumniæ quæstionum, nec effectus diuini operis ratiocinatio humana discutiat. Nos cum Abraham credimus Deo, nec hæsitamus diffidentia, sed plenissimè scimus, quoniam quod promisit Dominus, potens est & facere. Nascitur ergo non de carnis semine, dilectissimi, sed de Spiritu sancto Saluator: quẽ primæ transgressionis condemnatio non teneret. Vnde ipsa collati muneris magnitudo dignam à nobis exigit suo splendore reuerentiam. Ideò enim, sicut beatus Apostolus docet, non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est: vt sciamus, quæ à Deo donata sũt nobis: qui nõ aliter piè colitur nisi id ei, quod ipse tribuit, offeratur. Quid enim in thesauro Dominicæ largitatis ad honorem præsentis festi tam congruum possumus inuenire, quàm pacem, quæ in natiuitate Domini prima est angelico prædicata concentu? Ipsa enim est, quæ parit filios Dei, nutrix dilectionis, & genitrix vnitatis: requies beatorum, & æternitatis habitaculũ, cuius hoc opus proprium & speciale beneficium est, vt iungat Deo, quos secernit de mundo, Vnde Apostolus ad hoc bonum nos incitat, dicens: *Iustificati ergo ex fide pacẽ habeamus ad Deum.* Cuius sententiæ breuitate omnium ferè mandatorum continetur effectus: quia vbi fuerit viritas pacis, nihil ibi potest deesse virtutis. Quid est autem, dilectissimi, pacem habere ad Deum, nisi velle quod iubet, & nolle quod prohibet? Si enim humanæ amicitiæ pares animos & similes expetunt voluntates, nec vnquam diuersitas morum ad firmam potest peruenire concordiam: quomodo diuinæ particeps erit pacis, cui ea placent, quæ Deo displicent, & iis

Lucæ 2. CAP. II.

CAP. III.

Rom. 4.

1. Cor. 2.

Pacis commendatio.

Rom. 6.

Pax cum Deo qualis sit.

appetit delectari, quibus illum nouit offendi? Non est iste animus filiorum Dei, nec talem sapientiam recipit adoptiua nobilitas. Genus electum & regiũ regenerationis suæ respondeat dignitati. Diligat quod diligit pater, & in nullo ab authore suo dissẽtiat, né iterum dicat Dominus: *Filios genui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Agnouit bos possessorẽ suum, & asinus præsepe domini sui: Israël autẽ me nõ cognouit: & populus meus me non intellexit.* Magnũ est, dilectissimi, huius muneris sacramentum, & omnia dona excedit hoc donum: vt Deus hominẽ vocet filium, & homo Deum nominet Patrem. Per has enim appellationes sẽtitur & discutitur, quis ad tãtam altitudinem ascendat affectus. Nam si in progenie carnali & stirpe terrena claris parẽtibus genitos vita malæ conseruationis obscuret, & ipso maiorum suorum lumine soboles indigna confunditur, in quem exitum venient, qui propter amorem mũdi à generatione Christi non metuunt abdicari? Si autem ad humanam pertinet laudẽ, vt Patrum decus in prole resplendeat: quantò magis gloriosum est ex Deo natos in authoris sui imaginẽ refulgere? & illũ in se, qui illos generauit, ostendere, dicente Domino: *Sic luceat lumen vestrum corã hominibus vt videãt opera vestra bona, & glorificent Patrẽ vestrum, qui in cælis est.* Scimus quidem, quod sicut Ioãnes Apostolus dicit, *Totus mũdus in maligno positus est*: & insidiãte diabolo & angelis eius, hoc innumeris tẽtationibus laboratur, vt hominem ad superna nitentem, aut aduersa terreant, aut secunda corrumpant: sed maior est, qui in nobis est, quàm qui aduersum nos est: & pacem cum Deo habentibus, ac semper Patri toto corde dicentibus, *Fiat voluntas tua* nulla præualere certamina, nulli possunt nocere conflictus. Accusantes enim nosmetipsos confessionibus nostris, & consensum animi carnis concupiscentiis denegantes, inimicitias quidem aduersum nos eius, qui peccati auctor est, commouemus: sed inexpugnabilem cum Deo pacem, gratiæ ipsius seruiẽdo firmamus, vt regi nostro non solùm obedientia subiiciamur, sed etiam iudicio copulemur. Quoniam si in eadem sententia sumus, si quod vult, volumus, & quod improbat, improbamus, ipse iam pro nobis omnia bella conficiet, ipse qui dedit velle, donabit & posse, vt simus cooperatores operum eius, & propheticum illud cum fidei exultatione dicamus: *Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, à quo trepidabo?*

Esaiæ 1. — Cap. IV. — Opera bona necessaria filiis Dei — Matth. 5. — 1. Ioan. 5. — Matth. 6. — Cooperatores Dei sumus. — Psal. 26.

Qui ergo *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex volũtate viri, sed ex Deo nati sunt* offerant Patri pacificorum concordiam filiorum, & in primogenitum nouæ creaturæ, qui venit non suam, sed mittentis facere voluntatem, vniuersa adoptionis membra concurrant: quoniam gratia patris non discordes, neque dissimiles, sed vnum sentientes, vnúmque amantes, adoptauit hæredes. Ad vnam reformatos imaginem oportet animam habere cõformẽ. Natalis Domini, natalis est pacis. Sic enim ait Apostolus. *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnũ*: quoniam siue Iudæus, siue gentilis, per ipsum habemus accessum in vno spiritu ad patrẽ: qui ante passionis diem, voluntaria dispositione prælectum, discipulos suos hac præcipuè doctrina sua informauit, vt diceret: *Pacẽ meã do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Et ne sub nomine generali, pacis suę qualitas lateret, adiecit: *Non quemadmodũ mundus dat, ego do vobis.* Non habet, inquit: mundus amicitias veras, & multos facit peruerso amore concordes. Sunt etiam in vitiis pares animi, & similitudo desideriorum æqualitatem gignit affectuum. Et si quidam forsitan reperiantur, quibus praua & inhonesta non placeant, quique illicitas consentiones à fœdere suæ charitatis excludant: tamen etiã tales, si vel Iudæi sint, vel hæretici, vel pagani, non de amicitia Dei, sed de pace sunt mundi. Pax autem spiritalium & Catholicorum, à supernis veniens, & ad superna perducens, cum amatoribus mundi nulla nos vult communione misceri, sed omnibus obstaculis resistere, ad vera gaudia à perniciosis delectationibus euolare. dicente Domino: *Vbi fuerit thesaurus tuus, ibi erit cor tuum.* Hoc est, deorsum sunt quæ amas, ad ima descendes: si sursum sunt quæ amas, ad summa peruenies. Quò nos vnum volentes, vnum sentientes, & in fide ac spe & in charitate concordes, spiritus pacis agat atque perducat: quoniam quicunque spiritu Dei aguntur, ij filij sunt Dei, qui regnat cum Filio & Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen.

Cap. V. — Ioan. 1. — Ephes. 2. — Ioan. 14. — Pax mundi qualis. — Matth. 6.

SERMO VII.

In eadem solemnitate.

Duarum naturarum in Christo rationem explicat, & quatenus creaturis vtendum.

Festiuitatis hodiernæ, dilectissimi, verus venerator est & pius cultor, qui nec de incarnatione Domini aliquid falsum, nec de deitate aliquid sentit indignum. Pars enim periculi malum est, si illi aut naturæ nostræ veritas, aut paternæ gloriæ negatur æqualitas. Cùm ergo ad intelligendum sacramẽtum natiuitatis Christi, qua de matre virgine est ortus, accedimus: abigatur procul terrenarũ caligo rationum, & ab illuminatę fidei oculo mũdanæ sapientiæ fumus abscedat. Diuina est enim authoritas, cui credimus: diuina est doctrina, quam sequimur. Quoniam siue legis testificationi, siue oraculis Prophetarum, siue Euangelicæ tubæ, interiorem admoueamus auditum, verum est quod Ioannes plenus Spiritu sancto intonuit: *In principio erat Verbum, & Verbũ erat apud Deũ, & Deus erat Verbũ. Hoc erat in principio apud Deũ. Omnia per ipsũ facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Et similiter verũ est, quod idem prædicator adiecit: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriã quasi vnigeniti à patre.* In vtraque ergo natura idem est Dei filius, nostra suscipiẽs, & propria non amittens: in homine hominem renouãs, in se incõmutabilis perseuerãs. Deitas enim, quæ illi cum patre communis est, nullum detrimentum omnipotẽtię subiit, nec Dei formã serui forma violauit: quia summa & sempiterna essẽtia, quæ se ad humani generis inclinauit salutem, nos quidem in suã gloriã transtulit, sed quod erat esse non destitit. Vnde cũ vnigenitus Dei minorem se patre confitetur, cui se dicit æqualem, veritatem in se formæ vtriusque demonstrat: vt & humanam probet imparilitas, & diuinam declaret æqualitas. Maiestati igitur filij Dei corporea natiuitas nihil abstulit, nihil contulit: quia substãtia incummutabilis nec minui potuit, nec augeri. Quod enim Verbum caro factum est, non hoc significat, quòd in carnẽ sit Dei natura mutata, sed quod à Verbo in vnitatem personæ sit caro suscepta: cuius vtique nomine homo totus accipitur, cũ quo intra virginis viscera, sancto Spiritu fœcundata, & nũquam virginitate caritura, tam inseparabiliter Dei filius vnitur, vt qui erat intemporaliter de essentia patris genitus, ipse sit temporaliter de vtero virginis natus. Aliter enim ab æternę mortis vinculis nõ possemus absolui: nisi in nostris fieret humilis qui

Cap. I. — Ioan. 1. — Naturæ duæ in Christo. — Ioan. 14. — Ioan. 10. — Cap. II. — Verbum caro factũ est quomodo intelligendũ sit.

qui omnipotens permanebat in suis: Nascens itaque Dominus noster Iesus Christus homo verus, qui nunquam destitit esse Deus verus, nouæ creaturæ in se fecit exordium, & ortus sui forma dedit humano generi spiritale principium, vt ad carnalis generationis abolenda contagia, esset regenerandis origo sine semine criminis, de quibus dicitur: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Quæ hoc sacramentum mens comprehendete, quæ hāc gratiam valet lingua narrare? Redit in innocentiam iniquitas, & in nouitatem vetustas: in adoptionem veniunt alieni, & in hæreditatem ingrediuntur extranei. De impiis iusti, de auaris benigni, de incontinentibus casti, de terrenis incipiunt esse cælestes. Quæ autem est ista mutatio, nisi dexteræ Excelsi? Quoniam venit filius Dei dissoluere opera diaboli: & ita se nobis, nósque inseruit sibi, vt Dei ad humana descensio, fieret hominis ad diuina promotio. In hac autem, dilectissimi, misericordia Dei, cuius erga nos magnitudinem explicare non valemus, multa sollicitudine præcauendum est Christianis, ne diabolicis, iterum capiatur insidiis, & eisdem rursus, quibus renunciauerant, erroribus implicentur. Non enim desinit hostis antiquus, transfigurans se in angelum lucis, deceptionum laqueos vbique prætendere, & vt quoquo modo fidem credentium corrumpat, instare. Nouit, cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ. Nouit, quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus: & ibi causas quærit nocendi, vbi quemque viderit studiosiùs occupari. Habet etenim multos ex eis, quos tenaciùs obligauit, aptos suis artibus, quorum ad alios decipiendo & ingeniis vtatur & linguis. Per istos remedia ægritudinum, indicia futurorum placationes dæmonum: & depulsiones promittuntur vmbrarum. Adduntur & illi, qui totam humanæ vitæ conditionem de stellarum pendere effectibus mentiuntur, & quod est aut diuinæ voluntatis, aut nostræ, indeclinabilium dicunt esse fatorum. Qæ tamen vt cumulatiùs noceant, spondent posse mutari, si illis, quæ aduersantur, syderibus supplicetur. Vnde commentum impium sua ratione destruitur: quia si prædicta non permanent, non sunt fata metuenda: si permanent, non sunt astra veneranda. De talibus institutis etiam illa generatur impietas, vt sol inchoatione diurnæ lucis exurgens à quibusdam insipientioribus de locis eminentioribus adoretur: quod nonnulli etiam Christiani adeò se religiosè facere putant, vt priusquam ad B. Petri Apostoli Basilicam, quæ vni Deo viuo & vero est dicata, perueniant, superatis gradibus, quibus ad suggestum aræ superioris ascenditur, conuerso corpore ad nascentem se solem reflectant, & curuatis ceruicibus, in honorem se splendidi orbis inclinent. Quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis spiritu, multum tabescimus & dolemus. Quia etsi quidam fortè creatorem potius pulchri luminis, quam ipsum lumen, quod est creatura, venerantur: abstinendum tamen est ab ipsa huiusmodi specie officij, quam cùm in nostris inuenit, qui deorum cultam reliquit, nonne hanc secum partem opinionis vetustæ tanquam probabilem retentabit, quam Christianis & impiis viderit esse communem? Abiiciatur ergo à consuetudine fidelium damnanda peruersitas, nec honor vni Deo debitus, eorū ritibus, qui creaturis deseruiunt, misceatur. Dicit enim scriptura diuina: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Et beatus Iob, *Homo sine querela* vt ait Dominus, *& continens se ab omni re mala. Nunquid vidi*, inquit, *solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè, & lætatum est cor meum in abscondito?* Et obsculatus sum manum meam, quæ est iniquitatis maxima & negatio cōtra Deum Altissimum. Quid autem est sol, vel quid est luna, nisi visibilis creaturæ & corporæ lucis elementa? quorum vnum est maioris claritatis, & alind minoris est luminis. Sicut enim alia diurna, alia nocturna sunt tempora: ita diuersam in luminaribus qualitatem creator instituit, cùm tamen prius, quàm hæc fierent, & dies sine solis officio, & noctes sine lunæ ministerio præcessissent. Sed condita sunt ista ad faciendam hominis vtilitatem, vt rationale animal, nec in distinctione mēsium, nec in recursu annorum, nec in dinumeratione temporum falleretur, cùm per* inæqualium horarum impares moras, & dissimilium ortuum signa manifesta, & annos sol concluderet, & menses luna renouaret. Quarto namque, vt legimus, die, dixit Deus: *Fiant luminaria in firmamento cæli, & luceant super terram, & diuidant inter diem & noctem, & sint in signa & tempora, & dies, & annos, & sint in firmamento cæli, vt luceant super terram.* Expergiscere, ô homo, & dignitatem tuæ cognosce naturæ. Recordare te factum ad imaginem Dei: quæ etsi in Adam corrupta, in Christo tamen est reformata. Vtere quomodo vtendum est visibilibus creaturis, sicui vteris terra, mari, cælo, aëre, fontibus, atque fluminibus: & quicquid in eis pulchrum atque mirabile est, refer ad laudem & gloriam conditoris. Noli esse deditus illi lumini, quo volucres & serpentes, quo bestiæ & pecudes, quo muscæ delectantur & vermes. Lucem corpoream sensu tange corporeo, & toto mentis affectu illud verum lumen amplectere, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, & de quo dicit Propheta: *Accedite ad eum, illuminamini, & vultus vestri non erubescent. Si enim templum Dei simus, & spiritus Dei habitat in nobis, plus est, quod fidelis quisque habet in sua anima, quam quod miratur in cælo.* Non itaque vobis, dilectissimi, hoc aut indicimus, aut suademus, vt despiciatis opera Dei, aut contrarium aliquid fidei vestræ, in iis, quæ Deus bonus bona condidit, æstimetis: sed vt omni creaturarum specie, & vniuerso huius mundi ornatu rationabiliter, & temperanter vtamini. *Quæ enim videntur*, sicut ait Apostolus, *temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.* Vnde qui ad presentia sumus nati, ad futura autem renati: non temporalibus bonis dediti, sed æternis simus intenti. Et vt spem nostram possimus propiùs intueri, in ipso sacramento natalis Domini cogitemus, quid naturæ nostræ gratia diuina contulerit, Audiamus Apostolum dicentem: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Cùm autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria, Qui viuit & regnat cum Patre & Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum, Amen.

[Marginal notes: Ioan. 1. — 1. Ioan. 3. — Cap. 3. — I. Cor. 11. — Diaboli astus & insidiæ. — Fatorum obseruatio & solis veneratio superstitiosa. — Cap. 4. — Cap. 5. — Matth. 4. — Iob. 31. — Sol. Luna — Genes. 1. — Cap. 6. Genes. 1. — Creaturis vt vtendū. — Ioan. 1. — Psalm. 33. — 1. Cor. 3. — 1. Cor. 4. — Coloss.]

***

SERMO

SERMO VIII.

In eandem solennitate.

Incarnationis Christi modum, necessitatemque, & hæreticorum circa eandem aduersorum mendacia expendi.

CAP. I. CVm semper nos, dilectissimi, gaudere in Domino, omnia diuina eloquia exhortentur, hodie procul dubio ad spiritalem lætitiam copiosiùs incitamur, natiuitatis Dominicæ sacramento nobis clarius coruscante: vt recurrentes ad illam diuinæ misericordiæ ineffabilem inclinationē, qua creator hominum homo fieri est dignatus, in ipsius nos inueniamur natura, quem adoramus in nostra. (*terra.*) Deus enim Dei filius, de sempiterno & ingenito patre vnigenitus, sempiternus manens in forma Dei, & incommutabiliter atque intemporaliter habens nō aliud esse quàm pater, formam serui sine suæ detrimento maiestatis accepit: vt in sua nos proueheret, non ipse in nostra deficeret. Vnde vtrique naturæ in suis proprietatibus permanenti, tanta est vnitatis facta communio, vt quicquid ibi est Dei, non sit ab humanitate disiunctum: quicquid autem est hominis, non sit à Deitate diuisum. Celebrantes igitur, dilectissimi, natalem diem Domini Saluatoris partum Beatæ virginis integrè cogitemus, vt carni animæque conceptæ virtutem Verbi nullo temporis puncto defuisse credamus, nec prius formatum atque animatum templum corporis Christi quod sibi superueniens vindicaret habitator, sed ipsum & in ipso, nouo homini datum esse principium: vt in vno Dei atque hominis filio, & sine matre deitas, & sine patre esset humanitas. Simul enim per Spiritum Sanctum fœcundata virginitas, sine corruptionis vestigio edidit, & sui generis sobolem, & suæ stirpis autorem. Vnde & idem Dominus, sicut Euangelista commemorat, quæsiuit à Iudæis, cuius filium Christum scripturarum autoritate didicisset, & eisdem respondentibus, quod ex Dauid venturus semine traderetur: *Quomodo*, inquit, *illum Dominum suum Dauid id spiritu vocat, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* Nec potuerunt Iudæi propositam soluere quæstionem: quia non intelligebant in vno Christo, & progeniem Dauidicam, & naturam prophetatam esse diuinam. Maiestas autem filij Dei æqualis patri, vestiens se humilitate seruili nec metuebat minui, nec indigebat augeri: ipsúmque effectum misericordiæ suæ, quem restitutioni impendebat humanæ, sola exequi poterat virtute deitas, vt creaturam ad imaginem Dei conditam à iugo diræ dominationis erueret. Sed quia non ita in primum hominem diabolus violentus extiterat, vt eum in partes suas sine liberi arbitrij consētione transferret: sic destruendum peccatum fuerat voluntarium, & hostis consilium, vt dono gratiæ non obesset norma iustitiæ. In totius igitur humani generis strage communi, vnum solum fuit remedium sub diuinæ rationis occulto, quod posset subuenire prostratis, si aliquis filiorum Adam originalis præuaricationis alienus atque innocens nasceretur, qui cæteris exemplo prodesset & merito. Sed quia hoc naturalis generatio non sinebat, nec poterat vitiatæ radicis sine semine propago esse, de quo Scriptura dicit: *Quis potest facere mundum de immundo conceptū semine? Nonne tu, qui solus es?* Dominus Dauid, factus est filius Dauid,

Cap. II. Corpus Christi non prius formatum quàm animatum.

Matth. 22.

Psal. 109.

Genes. 1.

Cap. III.

Incarnationis filii Dei necessitas.

Iob. 14.

& de promissi generis fructu proles est orta sine vitio, in vnam personam gemina conueniente natura: vt eodem conceptu eodéque partu gigneretur Dominus noster Christus, cui verain esset deitas ad miracula operum, & vera humanitas ad tolerantiam passionum.

Cap. IV. Fides igitur Catholica, dilectissimi, oblatrantium hæreticorum spernat errores, qui mundanæ sapientiæ vanitate decepti, à veritatis Euangelio recesserunt, incarnationem Verbi intelligere non valentes, de causa illuminationis fecerunt sibi materiam cæcitatis. Nam omnium ferè falsa credentium opinionibus, quæ etiam in sancti Spiritus negationem proruunt, retractatis, neminem pene deuiasse cognoscimus: nisi qui duarum in Christo naturarum veritatem sub vnius personæ confessione, non credidit. (Hæreseon catalogus.) Alij etenim Domino solam humanitatem, alij solam adscripsere deitatem. Alij veram quidem in ipso diuinitatem, sed carnem dixerunt fuisse simulatam. Alij professi sunt veram eum suscepisse carnem, sed Dei patris non habuisse naturam: & deitati eius, quæ erant humanæ substātiæ, deputantes, maiorem sibi Deum minorémque finxerunt, cùm gradus in vera diuinitate esse non possit. Quoniam quicquid Deo minus est, Deus non est. Alij cognoscentes patris & filij nullam esse distantiam, quia non poterant vnitatem deitatis intelligere nisi in vnitate personæ, eundem asseruerunt esse patrem, quem filium, & nasci & nutriri, pati, & mori, sepeliri & resurgere, ad eundem pertinere, quæ per omnia & hominis personam impleret & verbi. Quidam putauerunt Dominum Iesum Christum non nostræ substantiæ corpus habuisse, sed ab elementis superioribus ac subtilioribus sumptum. Quidam autem æstimauerunt in carne Christi humanam animam non habitasse nec fuisse, sed partes animæ ipsam Verbi implesse deitatem. Quorum imprudentia in hoc transiit, vt animam quidem fuisse in Domino faterentur, sed eamdem dicerent mente caruisse, quia sufficeret homini sua deitas ad omnia rationis officia. Postremò iidem asserere præsumpserunt, partē quandam Verbi in carnem fuisse cōuersam, vt in vnius dogmatis varietate multiplici, non carnis tantum animæque natura, sed etiam ipsius Verbi solueretur essentia.

Cap. V. Multa sunt & alia prodigia falsitatum, quibus enumerandis charitatis vestræ non est fatigandus auditus: sed post diuersas impietates, quæ sibi inuicem sunt multiformium blasphemiarum cognatione connexæ, & de iis potissimum erroribus declinandis obseruantiam vestræ deuotionis admoneo, quorum vnus dudum Nestorio autore consurgere non impunè tentauit. Alius nuper pari execratione damnandus, Eutyche assertore prorupit. (Eutychetis hæresis.) Nam ille beatam Mariam Virginem hominis tantummodo ausus est prædicare genitricem, vt in conceptu eius & partu nulla Verbi & carnis facta vnitio crederetur: quia Dei filius nō ipse factus est hominis filius, sed creato homini sola se dignatione sociauerit. Quod Catholicæ aures nequaquam tolerare potuerunt, quæ sic Euangelio veritatis imbutæ sunt, vt firmissimè nouerint, nullam esse humano generi spem salutis, nisi ipse esset filius virginis, qui creator est matris. Hic autem recentioris sacrilegij prophanus adsertor, vnitionem quidem in Christo duarum confessus est naturarum, sed ipsa vnitione id dixit effectum, vt ex duabus vna remaneret, nullatenus alterius existente substantia, quæ vtique fieri nisi aut in consumptione aut separatione

non

non posset. Hæc verò tam inimica sunt sanæ fidei, vt nequeant recipi sine excidio nominis Christiani Si enim Verbi incarnatio non vnitio est diuinæ humanæque naturæ, sed hoc ipso cōcursu, quod erat geminum, factum est singulare, sola diuinitas vtero virginis nata est, & per ludificatoriam speciem sola subiit nutrimenta & incrementa corporea: vtque omnes mutabilitates humanæ conditionis omittam, sola diuinitas crucifixa, sola diuinitas mortua, sola diuinitas est sepulta, vt iam secundum talia sentientes, sperandæ resurrectionis nulla sit ratio, nec sit primogenitus ex mortuis Christus, quia non fuit, qui deberet resuscitari, si non fuit, qui posset occidi. Absint à cordibus vestris, dilectissimi, diabolicarum inspirationum virulenta mendacia: & scientes, quòd sempiterna filij deitas nullo apud patrem creuit augmento: prudenter aduertite, quod cui naturæ in Adam dictum est, *Terra es, & in terram ibis.* Eidē in Christo dicitur *Sede à dextris meis.* Secūdum illam naturam, qua Christus æqualis est patri, nunquam inferior fuit vnigenitus sublimitate genitoris, nec tēporalis est ei cum patre gloria, quæ est ipsa patris dextera. De qua in Exod. dicitur: *Dextera tua, Domine, glorificata est in virtute.* Et in Esaia: *Domino quis credidit auditui nostro? & brachiū Domini cui reuelatū est?* Assūptus igitur homo in filium Dei, sic in vnitatē personæ Christi ab ipsis corporalibus est receptus exordiis: vt nec sine deitate conceptus sit, nec sine deitate editus, nec sine deitate nutritus. Idem erat in miraculis, idem in contumeliis, & per humanam infirmitatē crucifixus, mortuus & sepultus per diuinam virtutem die tertia resuscitatus, ascēdit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris & in natura hominis accepit à patre, quod in natura deitatis etiam ipse donauit. Hæc, dilectissimi, pro corde meditantes, Apostolici semper memores estote præcepti qui vniuersos admonet dicens: *Videte, ne quis vos seducat per philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionē hominum, & non secundum Christum quia in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis repleti in illo.* Non dixit spiritaliter, sed corporaliter, vt veram intelligamus substantiam carnis, vbi est plenitudinis diuinitatis inhabitatio corporalis: qua vtique tota etiam repletur Ecclesia, quæ inhærens capiti, corpus est Christi, Qui viuit & regnat cum Patre & Spiritu sancto Deus in sæcula sæculorum, Amen.

Rom. 8. Colos. 1. Cap. VI. Genes. 3. Psal. 109. Exod. 15. Dextera patris filius Dei. Esaiæ 53. Rom. 10. Cap. VII. Colos. 2. Ephes. 1. Colos. 1.

SERMO IX.

In eadem solemnitate.

Diuinitas immutabilis vt nostra infirma susceperit, & quid libertatis nobis per hoc ipsum contulerit.

CAP. I. Excedit quidem, dilectissimi, multumque supereminet humani eloquij facultatem diuini operis magnitudo: & inde oritur difficultas fandi, vnde adest ratio non tacendi: Quia in Christo Iesu filio Dei non solùm ad diuinam essentiam, sed etiam ad humanam spectat naturam, quod dictum est per Prophetam: *Generationem eius quis enarrabit?* (Esaiæ 53.) Vtramque enim substantiam in vnam conuenisse personam, nisi fides credat, sermo non explicat: & ideo nunquam materia deficit laudis, quia nunquam sufficit copia laudatoris. Gaudeamus igitur, quòd ad eloquendum tantæ misericordiæ sacramentum impares sumus, & cùm salutis nostræ altitudinem promere non valeamus, sentiamus nobis bonum esse, quod vincimur. Nemo enim ad cognitionem veritatis magis propinquat, quam qui intelligit in rebus diuinis, etiamsi multum proficiat, semper sibi superesse quod quærat. Nam qui se ad id, in quod tendit, peruenisse præsumit, non quæsita reperit, sed inquisitione defecit. Ne autem infirmitatis nostræ perturbemur angustiis, Euangelicæ nos & propheticæ adiuuant voces, quibus ita accendimur & docemur, vt nos natiuitatem Domini, qua Verbum caro factum est, non tam præteritam recolere quàm præsentem videamur inspicere. Quod enim pastoribus pro gregum suorum custodia vigilantibus nunciauit Angelus, etiam nostrum impleuit auditum: & ideo dominicis ouibus præsumus, quia verba diuinitus edita cordis ore seruamus, tanquam & in hodierna festiuitate dicatur, *Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.* Cuius prædicationis summitati exultatio innumerabilium iungitur Angelorum, vt excellentius fieret testimonium, cui militiæ cælestis multitudo concineret in honorem Dei vna benedictione dicentium, *Gloria in Excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis:* Dei ergo gloria est ex matre virgine Christi nascentis infantia, & reparatio humani generis merito in laudem sui refertur authoris: quia & ipse beatæ Mariæ missus à Deo Gabriel Angelus dixerat: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideóque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* In terra autem illa pax conceditur, quæ homines efficit bonæ voluntatis. Quo enim spiritu de intemeratæ matris visceribus nascitur Christus, hoc de sanctæ Ecclesiæ vtero renascitur Christianus, cui vera pax est à Dei voluntate non diuidi, & in iis solis, quæ Deus diligit, delectari.

Ioan. 1. Lucæ 2. Ibid.

Natalem igitur, dilectissimi, diem Domini celebrantes, qui ex omnibus præteritorum temporum diebus electus est, licet dispensatio actionum corporalium, sicut æterno consilio fuerat præordinata transierit, totáque Redemptoris humilitas in gloriam paternæ maiestatis euecta sit, *vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestiū, terrestriū & infernorū, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloria est Dei Patris:* indesinenter tamen ipsum partum salutiferæ virginis adoramus; & illam Verbi & carnis indissolubilem copulam non minus suscipimus in præsepe iacentem, quàm in throno paternæ altitudinis considentem. Immutabilis enim deitas quamuis intra semetipsam, & claritatem suam & potentiam contineret, non tamen ideo non erat conserta nascenti, quia humano aspectui non patebat, vt per veri hominis sic inusitata primordia ille agnosceretur genitus, qui regis Dauid & Dominus esset & filius. Ipse enim prophetico spiritu cantat, dicens: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Quo testimonio, sicut Euangelium refert, confutata est impietas Iudæorum. Nam cùm Iesu interrogante Iudæos, cuius filium dicerent Christum, respondissent, *Dauid*, confestim Dominus cæcitatem illorum arguens, ait; *Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominū dicēs, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis?* Interclusistis vos, ò Iudæi, intelligētiæ viā, & dum solam naturam carnis aspicitis, tota vos veritatis luce priuatis. Expectantes enim secundum vestræ persuasionis fabulosa figmēta, Dauid filium de sola stirpe corporea

Cap. II. Philip. 2. Psal. 9. Matth. 22.

corporea, dum spem vestram in homine tantum constituitis, Deum Dei filium repulistis, vt quod nobis consitui gloriosum est, vobis prodesse non possit. Nam & nos interrogati, cuius filius sit Christus, voce Apostoli cõfitemur, quod *factus est ex semine Dauid secundũ carnem:* & de initio ipso Euangelicæ prædicationis instruimur: legẽtes: *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid.* Sed ideò à vestra impietate discernimur, quia quem ex progenie Dauid hominem nouimus natum, eundem, secundum quod *Verbum caro factum est*, Deum Deo Patri credimus coæternum. Vnde si teneres, ô Israël, tui nominis dignitatem, & propheticas denunciationes non obcæcato corde percurreres. Esaias tibi Euangelicam panderet veritatem, & non surdus audires diuina inspiratione dicentem: *Ecce virgo accepiet in vtero, & pariet filiũ, & vocabitur nomẽ eius Emmanuel, quod est interpretatum: nobiscum Deus.* Quẽ si in tãta proprietate sacri nominis nõ videbas, in Dauidica saltem voce didicisses, ne cõtra testificationẽ noui & veteris testamenti, Iesum Christum Dauid filiũ denegares, quẽ Dauid Dominum non fateris.

Rom. 1. Matth. 1. Ioan. 1. Esai. 7. Matth. 1.

Cap. III. Quapropter, dilectissimi, quoniam per ineffabilem gratiam Dei, Ecclesia fidelium gentium consecuta est, quod carnalium Iudæorum synagoga non meruit dicente Dauid: *Notũ fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium reuelauit iustitiam suã, &* Esaia similiter prædicãte, *Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucẽ magnã: qui habitabant in regione vmbræ mortis lux orta est eis,* Et iterũ. *Gentes, quæ te non nouerunt, inuocabunt te: & populi qui te nesciunt, ad te cõfugiẽt:* exultemus in die salutis nostræ & per nouũ testamentũ in consortiũ eius assumpti, cui dicitur à Patre per Prophetam: *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuã & possessionẽ tuã terminos terræ.* In adoptantis nos misericordia gloriemur: quia sicut Apostolus ait, *Non accepistis spiritũ seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba (Pater)* Dignum est enim atque conueniens, vt testantis patris voluntas ab adoptionis filiis impleatur, & dicente Apostolo, *Si compatimur, & conglorificabimur: sint humilitatis Christi comparticipes qui sunt futuræ gloriæ cohæredes.* Honoretur in infantia sua Dominus, nec ad deitatis referantur iniuriã exordia & incrementa corporea: quoniam naturæ incommutabili nec addidit aliquid nostra natura, nec minuit. sed qui in similitudinẽ carnis peccati dignatus est hominibus esse conformis, in vnitate deitatis Patri permanet æqualis, Cum quo & spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Psal. 97. Esai. 9. Psal. 55. Psal. 2. Rom. 8. ibidem. Rom. 8.

SERMO. X. II.

In eadem solemnitate.

Verbum paternæ maiestatis vt habitauit in nobis, & de eiusdem excellentia.

CAP. I. SÆpe, vt nostris, dilectissimi, de excellentia festiuitatis hodiernæ officium vobis sermonis salutaris impendimus: nec ambigimus ita cordibus vestris diuinæ pietatis resplenduisse virtutem, vt quod vobis fide est insitum, id sit etiam intelligentia comprehensum. Sed quia Domini Saluatorisque nostri natiuitas non solum secundum deitatem de patre, sed etiam secundum carnem de matre, ita facultatem humani excedit eloquij, vt merito ad vtrumque referatur, quod dictum est. *Generationem eius quis enarrabit?* In eo enim ipso, quod dignè non potest explicari, semper exuberat ratio disserendi, non quia liberum sit diuersa sentire, sed quia dignitati materiæ nulla potest lingua sufficere. Magnitudo igitur sacramenti, in salutem humani generis ante secula æterna dispositi, in sæculorũ fine reserati, integritati suæ nec auferri aliquid patitur, nec augeri: & sicut propria non amittit, ita aliena non recipit. Sed multi opinionum suarum sequaces quod nondum intellexerant, paratiores docere quã discere, sicut ait Apostolus, circa fidem naufragauerunt: quorum prauas compugnantesque sententias breui significatione perstringam: vt errorum tenebris à veritatis luce discretis, & religiosè honorentur beneficia diuina, & scienter caueantur mundana mendacia. Quidam enim ex documentis natiuitatis Domini Iesu Christi, quæ eum verum hominis filium demonstrabant, nihil ipsum amplius quàm hominis filium crediderunt, non putantes illi abscidendam esse dignitatem, quem & primordia infantiæ, & incrementa corporea, & passionum vsque ad crucem mortẽmque conditio, non dissimilem cæteris mortalibus approbassent. Alij verò virtutum admiratione permoti, & originis natiuitatem, & dictorum factorũmque potentiam, ad diuinam intelligentes pertinere naturam nihil illi putauerunt nostræ inesse substantiæ, totũmque illud quod corporeæ fuit actionis & formæ, aut de sublimioris generis prodiisse materia, aut simulatam & carnis speciem habuisse, vt videntium & tangentium sensus ludificatoria imagine fallerentur. Fuit autem in quibusdam errantibus etiam illa persuasio, qua conarentur asserere, ex ipsa Verbi substantia quiddam in carnem fuisse conuersum, natòque Iesu ex Maria virgine, nihil maternæ fuisse naturæ, sed & quod erat Deus, & quod erat homo, vtrumque ad id pertinuisse, quod Verbum est: vt scilicet in Christo & per diuersitatem substantiæ salua fuerit humanitas, & per defectum mutabilitatis non vera diuinitas. Has ergo, dilectissimi, aliasque impietates diabolica inspiratione conceptas & in multorum noxam per vasa perditionis effusas, olim Catholica fides, cui Deus & magister est & auxiliator obtinuit, exhortante & instruente Spiritu sancto per legis testificationem, per vaticinia Prophetarum, & per Euangelicam tubam, Apostolicamque doctrinam, vt constanter intelligentèrque credamus; quia sicut ait beatus Ioannes: *Verbum caro factũ est, & habitauit in nobis.* In nobis vtique quos sibi Verbi diuinitas coaptauit, cuius caro de vtero virginis sumpta nos sumus. Quæ si de nostra, id est verè humana non esset, Verbum caro factum non habitasset in nobis. In nobis autem habitauit, qui naturam nostri corporis suam fecit, ædificante sibi sapientia domum, non de quacunque materia. sed de substantia propriè nostra; cuius assumptio est manifestata, cum dictum est, *Verbũ caro factũ est, & habitauit in nobis.* Huic autẽ sacratissimæ prædicationi etiam beati Pauli Apostoli doctrina concordat, dicentis, *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum: quia in Christo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis repleti in illo.* Totum igitur corpus implet tota diuinitatis, & sicut nihil deest illius maiestatis, cuius habitatione repletur habitaculum: sic nihil deest corporis, quod non suo habitatore sit plenum. Quod autem dictum est, Et estis repleti in illo, nostra vtique est significata natura, ad quos illa repletio non pertinet, nisi Dei Verbum, nostri sibi generis & animam & corpus vniisset. Agnoscendum sanè, dilectissimi,

Esai. 53. Hæreses vnde. 1. Timot. 1. Cap. II. Hæreses diuersæ circa incarnationem Verbi. Cap. III. Ioan. 1. Deus Verbum vt in nobis habitarit. Ibidem. Colos. 2.

dilectissimi, & toto corde est confitendum, quòd
Christi incarnatio quàm sit excellens. hæc generatio, qua & Verbum & caro, id est,
Deus & homo vnus Dei filius vnusque Christus efficitur, supra omnem originem humanæ creationis
Genes. 2. excellit. Nec enim aut Adæ de limo terræ formatio, aut Euæ de viri carne psalmatio, aut cæterorum hominum de vtriusque sextus permixtione conditio,
Gen. 22. tio, Iesu Christi potest ortui comparari. Genuit Abraham senex diuinæ promissionis hæredem, & transgressa fœcunditatis annos, sterilis Sara concepit.
Gen. 25. Malach. 1. Rom. 9. pit. Iacob dilectus est à Deo, antequam natus, & præueniente gratia voluntarias actiones ab hispida congeniti fratris asperitate discretus. Hieremiæ dicitur,
Hier. 1. *Prius quam te fomarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te.* Anna diu
Generationes omnium ætatum. fœcunditatis aliena, Samuëlem Prophetam, quem Deo offerret, enixa est, vt & partu clara esset & voto.
1. Reg. 1. to. Zacharias sacerdos de Elizabeth sterili sanctam
Lucæ 1. suscepit prolem: & præcursor Christi futurus Ioannes, spiritum propheticum intra viscera matris acceperat, & nondum editus puer genitricem Domini signo clausæ exultationis ostenderat. Magna hæc omnia, & diuinorum operum sunt plena miraculis: sed hoc ipso immoderatiùs stupenda, quo
Natiuitatis Christi excellentia. plura. Natiuitas autem Domini nostri Iesu Christi omnem intelligentiam superat, & cuncta exempla transcendit. Nec potest vllis esse comparabilis, quæ
Luc. 1. est inter omnes singularis. Electæ namque virgini de semine Abrahæ, ac de radice Iesse, per propheticas voces, & per mystica signa promissæ, denunciatur ab Archangelo sine damno pudoris beata fœcunditas, sacram virginitatem nec conceptu violatura, nec partu. Superueniente quippe in eam
uLc. 1. Spiritu sancto, & Altissimi obrumbrante virtute, incommutabile Dei Verbum de incontaminato corpore habitum sibi humanæ carnis assumpsit; quæ & nullum contagium de concupiscétia carnis traheret, & nihil eorum, quæ ad animæ corporisque
Cap. 5. naturam pertinent, non haberet. Recedant procul, atque in tenebras suas eant hæreticarum monstra opinionum, & insanarum sacrilegia falsitatum. Nos exultans in laudem Dei cælestium multitudo, & instructi ab angelis docuere pastores: vt cognitis
1. Cor. 6. naturæ vtriusque documentis, & verbum in Christo homine, & Christum hominem adoremus in Verbo. Nam si, vt Apostolus ait, *Qui adhæret Domine, vnus spiritus est*: quantò magis Verbum caro factum vnus est Christus? vbi nihil est alterius naturæ, quod non sit vtriusque. Non ergo infirmetur in consiliis misericordiæ Dei, quæ nos & innocentiæ reformat & vitæ, nec quia in Saluatore nostro manifestè cognoscimus geminæ signa naturæ, aut in gloria Dei de veritate carnis, aut in humilitate hominis de deitatis maiestate dubitemus. Idem est in forma Dei, qui formam suscepit serui. Idem est incorporeus manens, & corpus assumens. Idem est in sua virtute inuiolabilis, & in nostra infirmitate
Matt. 28. passibilis. Idem est a paterno non diuisus throno, & ab impiis crucifixus in ligno. Idem est super cælorum altitudines victor mortis ascendens, & vsque ad consummationem sæculi vniuersam Ecclesiam non relinquens. Idem postremò est, qui in eadem, qua ascendit, carne venturus, sicut iudicium sustinuit impiorum, iudicaturus est de omnium actione mortalium. Vnde ne plurimis testimoniis immoremur, vnum sufficit ex Euangelio Beati Ioan-
Ioan. 5. nis adhiberi, quo ipse Dominus noster dicit, *Amē, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quādo mortui audient vocem filij Dei: & qui audierint, viuent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso: & potestatē dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Ergo sub vna sententia ostendit, quia filius Dei atque filius hominis est. Vnde apparet quemadmodum Christum Dominū in vnitate personæ credere debeamus, quia cum sit filius Dei, per quem facti sumus, etiam filius hominis per assumptionem carnis est factus, vt moreretur, sicut ait Apostolus, pro- Rom. 4.
pter delicta nostra, vt resurgeret propter iustificationem nostram. Hæc confessio, dilectissimi, nullas Cap. 6.
metuit contradictiones, nullis cedit erroribus. Agnoscimus enim misericordiam Dei ab initio promissam, & ante sæcula præparatam, per quam resolui captiuitatis humanæ vincula potuerunt, quibus primum hominem omnémque eius posteritatem malè suasus peccati fautor obstrinxerat, & propaginem dedititiam iam originali sibi præiudicio vindicabat. Quia igitur iustificādis hominibus hoc principaliter opitulatur, quòd vnigenitus Dei, etiam filius hominis esse dignatus est, vt ὁμοούσιος patri Deus, id est, vnius substātiæ, idē homo verus & secundū carnem matri consubstantialis existeret, vtroque gaudemus, quia non nisi vtroque saluamur, in nullo diuidentes visibilem ab inuisibili, corporeum ab incorporeo, passibilem ab impassibili, palpabilem, ab impalpabili formam serui à forma Dei: quia etsi vnum manet ab æternitate, aliud cœpit à tempore: quæ tamen in vnitatem conuenerunt, nec separationem possunt habere nec finem, dum exaltans & exaltatus, glorificans & glorificatus, ita sibimet inhæserunt, vt siue in omnipotentia, siue in contumelia, nec diuina in Christo careant huma- Cap. 7.
nis, nec humana diuinis. Hoc credentes, dilectissimi, Christiani sumus, veri Israëlitæ, & in consortium filiorum Dei veraciter adoptati: quia & omnes sancti, qui Saluatoris nostri tempora præcesserunt, per hanc fidem iustificati, & per hoc sacramētum Christi sunt corpus effecti, expectantes vniuersalem credentium redemptionem in semine Abrahæ, de quo dicit Apostolus: *Abrahæ dictæ sunt* Gal. 3.
repromissiones, & semini eius. Non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui, est Christus. Propter quod Matthæus Euange- Matt. 1.
lista vt promissionem ad Abraham factam ostēderet in Christo esse completam, generationum ordinem percurrit, & in quo omnibus gentibus disposita fuisset benedictio, demonstrauit. Lucas quoque Euangelista ab ipso Domini ortu seriem generi sui Lucæ 3.
sursum versus retexuit, vt etiam illa sæcula, quæ diluuium præuenerunt, huic sacramento doceret fuisse connexa, omnésque ab initio successionum gradus, ad eum in quo vno erat salus omnium, tetendisse. Non ergo dubitandum est, quia præter Act. 4.
Christum non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri, Qui cum Patre & Spiritu sancto æqualis in Trinitate viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO I.

In solemnitate Epiphaniæ Domini nostri Iesu Christi.

Epiphaniæ celebritas quid insinuet, & de trium Magorum aduentu ac muneribus.

CELEBRATO proximo die, quo intemerata virginitas humani generis edidit Sal- CAP. I.
uatorem, Epiphaniæ nobis, dilectissimi, veneranda

da festiuitas dat perseuerantiam gaudiorum: vt inter cognatarum solemnitatum vicina sacramenta, exultationis vigor & feruor fidei non tepescat. Ad omnium enim hominum spectat salutem, quòd infantia mediatoris Dei & hominum iam vniuerso declarabatur mundo, cùm adhuc exiguo detineretur oppidulo. Quamuis enim Israëliticam gentem, & ipsius gentis vnam familiam delegisset, de qua naturam vniuersæ humanitatis assumeret, noluit tamen intra maternæ habitationis angustias, ortus sui latere primordia: sed mox ab omnibus voluit agnosci, qui dignatus est omnibus nasci. Tribus igitur Magis in regione Orientis stella nouæ claritatis apparuit, quæ illustrior cæteris pulchriórque syderibus, facilè in se intuentium oculos animósque converteret: vt confestim aduerteretur non esse otiosum, quod tam insolitum videbatur. Dedit ergo aspicientibus intellectum, qui præstitit signum: & quod fecit intelligi, fecit inquiri, & se inueniendum obtulit requisitus.

Tres Magi vt stellam viderint.

Cap. II. Sequuntur tres viri superni luminis ductum, & præuij fulgoris indicium intenta contemplatione comitantes, ad agnitionem veritatis, gratiæ splendore ducuntur, qui humano sensu significatum sibi regis ortum æstimauerunt in ciuitate regia esse quærendum. Sed qui serui susceperat formam, & non iudicare venerat, sed iudicari, Bethlehem præelegit natiuitati, Hierosolymam passioni. Herodes verò audiens Iudæorum principem natum, successorem suspicatus expauit, & molitus necem salutis auctori, falsum spopondit obsequium. Quàm felix foret, si Magorum imitaretur fidem, & conuerteret ad religionem, quod disponebat ad fraudem. O cæca stultæ æmulationis impietas quæ perturbandum putas diuinum tuo furore consilium! Dominus mundi temporale non quærit regnum, qui præstat æternum. Quid incommutabilem dispositarum rerum ordinem vertere, & aliorum facinus præoccupare conaris? Mors Christi non est temporis tui. Ante condendum est Euangelium, ante prædicandum est Dei regnum, ante sanitates donandæ, ante sunt facienda miracula. Cur, quod alieni futurum est operis, tui vis esse criminis? & non habitaturus effectum sceleris, in solum te reatũ præcipitas voluntatis? Nihil hac molitione proficis, nihil peragis. Qui voluntate natus est, sui arbitrij potestate morietur. Consummant ergo Magi desiderium suum, ad puerum Dominum Iesum Christum eadem stella præeunte perueniunt. Adorant in carne Verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, & in hominis veritate Dominum maiestatis: vtque sacramentum fidei suæ intelligentiæque manifestent, quod cordibus credunt, muneribus protestantur. Thus Deo, myrrham homini, aurum offerunt regi: scienter diuinã humanamque naturam in vnitate venerantes, quia quod erat in substantiis proprium, non erat in persona diuersum.

Magorum munera

Cap. III. Reuersis autem Magis in regionem suam, translatóque Iesu in Ægyptum ex admonitione diuina, exardescit, frustrata in meditationibus suis Herodis insania. Necari omnes Bethlehem paruulos iubet, & quoniam quem metuat, nescit infantem, generalem sæuitiam in suspectam sibi tendit ætatem. Sed quos rex impius eximit mundo, Christus inserit cælo: & quibus nondum sanguinis sui impendit redemptionem, iam martyrij tribuit dignitatem. Erigite igitur, dilectissimi, fideles animos ad coruscantem gratiam luminis sempiterni, & impensa saluti humanæ gratiæ sacramenta venerantes, studium vestrum iis, quæ pro vobis gesta sunt, subdite. Diligite castimoniæ puritatem, quia Christus virginitatis est filius: abstinete vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam, quemadmodum nos præsens beatus Apostolus suis, vt legimus, verbis hortatur: *Malitia paruuli estote, quia Dominus gloriæ mortalium se conformauit infantiæ.* Sectamini humilitatem, quam Dei filius discipulos suos docere dignatus est. Induite vos virtutem patientiæ, in qua animas vestras possitis acquirere: quoniam qui cunctorum est redemptio, ipse est omnium fortitudo. *Quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terrã.* Per viam veritatis & vitæ constanter incedite: nec vos impediant terrena, quibus sunt parata cælestia, Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Innocentes martyres.

1. Petr. 2.

1. Cor. 14.

Matth. 11.

Coloss. 1.

SERMO II.

In eandem solemnitate.

Ephiphaniæ Dominicæ ratio, & quid Christianis profuerit excæcatio Iudæorum.

CAP. I. Gaudete in Domino, dilectissimi, iterum dico, gaudete, quoniam breui interuallo temporis post solemnitatem natiuitatis Christi, festiuitas declarationis eius illuxit: & quem in illo die virgo peperit, in hoc mundus agnouit. Verbum enim caro factum sic susceptionis nostræ temperauit exordia: vt natus Iesus, & credentibus manifestus, & persequentibus esset occultus. Iam tunc ergo cœli enarrauerunt gloriam Dei, & in omnem terram sonus veritatis exiuit: quando & pastoribus exercitus angelorum Saluatoris editi annunciator apparuit, & Magos ad eum adorandum præuia stella perduxit: vt à solis ortu vsque ad occasum veri regis generatio coruscaret, cùm rerum fidem & regna Orientis per Magos discerent, & Romanum imperium non lateret. Nam & sæuitia Herodis, volens primordia suspecti sibi regis extinguere, huic dispensationi nesciens seruiebat: vt dum atroci intentus facinori, ignotum sibi puerum indiscreta infantium cæde persequitur, annunciatum cœlitus dominatoris ortum insignior vbique fama loqueretur, quam promptiorem ad narrandum diligentiorémque faciebat, & supernæ significationis nouitas, & cruentissimi persecutoris impietas. Tunc autem etiam Ægypto Saluator illatus est, vt gens antiquis erroribus dedita, iam ad vicinam salutem, per occultam gratiam signaretur: & quæ nondum eiecerat ab animo superstitionem, iam hospitio reciperet veritatem. Meritò igitur, dilectissimi, dies iste manifestatione Domini consecratus, specialem in toto mundo obtinuit dignitatem, quæ in cordibus nostris digno debet splendore clarescere: vt rerum gestarum ordinem non solù credendo, sed etiam intelligendo veneremur. Quantum enim gratiarum actionem debeamus Domino pro illuminatione gentium, probat obcæcatio Iudæorum. Quid enim tam cæcum, quid tam lucis alienum, quàm illi sacerdotes & scribæ Israëlitarum fuerunt? qui percontantibus Magis, & Herode quærente, vbi Christus secundùm scripturarum testimonium nasceretur, hoc responderunt de prophetico eloquio, quod indicabat stella de cælo. Quæ vtique poterat Magos Hierosolymis prætermissis vsque ad cunabula pueri, sicut postmodum fecit, sua

Philip. 4.

Ioan. 1.

Psal. 18.

Rom. 10.

Luc. 2.

Matth. 2.

Christus cur in Ægyptum delatus.

Excæcatio Iudæorum, illuminatio fuit gentium.

Matth. 2.

sui significatione perducere: nisi ad confutandam Iudæorum duritiam pertinuisset, vt non solùm ductu syderis, sed etiam ipsorum professione innotesceret natiuitas Saluatoris Iam ergo ad eruditionem gentium propheticus sermo transibat, & prænunciatum antiquis oraculis Christum alienigenarum corda discebant: cùm Iudæorum infidelitas veritatem ore proferret, & mendacium corde retineret. Noluerunt enim agnoscere oculis, quem de sacris indicabant libris: vt quem non adorabant in infantiæ infirmitate humilem, postea crucifigerent in virtutum sublimitate fulgentem. Quæ ista, Iudæi, tam

Cap. II. imperita in vobis scientia est, & tam indocta doctrina? Interrogati, vbi Christus nasceretur, veraciter & memoriter dicitis, quod legistis in Bethlehem

Mich. 5. Iudæ: sic enim scriptum est per Prophetam, *Et tu Bethlehem terra Iuda, non es minima inter principes Iuda. Ex te enim exiet princeps, qui regat populum*

Luc. 2. *meum Israël.* Hunc principem natum, & pastoribus angeli, & vobis nunciauere pastores. Hunc principem natum longinquæ Orientalium gentium nationes insolito noui syderis splendore didicerunt. Et ne de loco editi regis ambigerent, vestra eruditio prodidit, quod stella non docuit. Cur vobis viam, quam aliis aperitis, obstruitis? Cur in vestra infidelitate residet dubium, quod ex vestra sit responsione manifestum? Locum natiuitatis de scripturarum testimonio demonstratis, præsentiam temporis de cœli & terræ attestatione cognoscitis: & tamen vbi ad persequendum animus Herodis exarsit, ibi ad non credendum vester sensus obduruit.

Matt. 2. Felicior ergo ignorantia infantium, quos persecutor occidit, quàm vestra scientia, quàm in sua perturbatione consuluit. Vos noluistis regnum eius recipere, cuius oppidum potuistis ostendere. Illi potuerunt pro eo mori, quem nondum poterant confiteri. Itaque Christus, ne vllum ei tempus esset absque miraculo, ante vsum linguæ potestatem verbi tacitus exerebat, & quasi iam diceret:

Matth. 28. *Sinite paruulos venire ad me: talium est enim regnum cœlorum.* noua gloria coronabat infantes, & de initiis suis paruulorum primordia consecrabat: vt disceretur neminem hominum diuini incapacem esse sacramenti, quando etiam illa ætas gloriæ esset

Cap. III. apta martyrij. Agnoscamus ergo, dilectissimi, in Magis adoratoribus Christi, vocationis nostræ fideique primitias, & exultantibus animis beatæ spei initia celebremus. Exinde enim in æternam hæreditatem cœpimus introire. Exinde nobis Christum loquentia scripturarum arcana patuerunt, & veritas, quam Iudæorum obcæcatio non recipit, omnibus nationibus lumen suum inuexit. Honoretur itaque à nobis sacratissimus dies, in quo salutis nostræ author apparuit, & quem Magi infantem venerati sunt in cunabulis, nos omnipotentem adoremus in cœlis. Ac sicut illi de thesauris suis mysticas Domino munerum species obtulerunt: ita & nos de cordibus nostris, quæ Deo sunt

Laborantibus, non otiosis, regnum Dei promissũ. digna, promamus. Quamuis enim omnium bonorum sit ipse largitor, etiam nostræ tamen fructum quærit industriæ. Non enim dormientibus prouenit regnum cœlorum, sed in mandatis Dei laborantibus atque vigilantibus: vt si dona illius irrita non fecerimus, per ea, quæ dedit, mereamur accipere quod promisit. Vnde cohortamur dilectionem vestram, vt abstinentes vos ab omni opere malo, quæ sunt casta & iusta, sectemini. Filij enim lucis abiicere debent opera tenebrarum.

Rom. 13. Itaque odia declinate, mendacia abiicite, superbiam humilitate destruite, auaritiam largitate delete. Decet enim, vt capiti suo membra conueniant: vt promissarum beatitudinum mereamur esse consortes, Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit, & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO III.

In eadem solemnitate.

Declarationis Christi causam, necessitatem, vtilitatémque explicat.

CAP. I. QVamuis sciam, dilectissimi, quòd sanctitatem vestram hodiernæ festiuitatis causa non lateat, eamque secundùm consuetudinem Euangelicus vobis sermo reserauerit: tamen vt nostri nihil desit officij, loqui de eadem, quod Dominus donauerit, audebo: vt in communi gaudio tanto religiosior sit omnium pietas, quanto magis omnibus fuerit intellecta solemnitas. Prouidentia namque misericordiæ Dei, dispositum habens pereunti mundo in nouissimis temporibus subuenire, saluationem omnium gentium præfiniuit in Christo, vt quia & cunctas nationes à veri Dei cultu impius dudum error auerterat, & ipse peculiaris Dei populus Israël ab institutis legalibus penè totus exciderat, conclusis omnibus sub peccato, omnium

Rom. 11. misereretur. Deficiente enim vbique iustitia, & toto mundo in vana & maligna prolapso, nisi iudicium suum diuina potestas differret: vniuersitas hominum sententiam damnationis exciperet. Sed in indulgentiam ira translata est, vt clarior fieret exerendæ gratiæ magnitudo, tunc placuit abolendis peccatis hominum, sacramentum remissionis adferri: quando nemo poterat de suis meritis gloriari.

Cap. II. Incarnationis Christi promissum tempus. Huius autem ineffabilis misericordiæ manifestatio facta est, Herode apud Iudæos ius regium tenente, vbi legitima regum successione cessante, & Pontificum potestate destructa, alienigena obtinuerat principatum: vt veri regis ortus, illius prophetiæ probaretur voce, quæ dixerat: *Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de femoribus eius,*

Gen. 49. *donec veniat, cui repositum est, & ipse erit expectatio gentium.* De quibus quondam beatissimo Pa-

Gen. 22. triarchæ Abrahæ innumerabilis fuerat promissa successio, non carnis semine, sed fidei fœcunditate generanda: & ideo stellarum multitudini comparata, vt ab omni gentium patre, non terrena, sed cælestis

Stella cur Magis apparuerit. progenies speraretur. Ad creandam ergo promissam posteritatem, hæredes in syderibus designati, ortu noui syderis excitantur: vt in quo cœli adhibitum fuerat testimonium, cœli famularetur obsequium. Commouet Magos remotioris Orientis habitatores, stellis cæteris stella fulgentior, & de mirandi luminis claritate, viri ad hæc spectanda non inscij, magnitudinem significationis intelligunt: agente hoc sine dubio in eorum cordibus inspiratione diuina, vt eos tantæ visionis mysterium non lateret, & quod oculis ostendebatur insolitum, animis non esset obscurum. Denique officium suum cum religione disponunt, & his se instruunt donis, vt adoraturi vnum, tria se simul credidisse demonstrent: auro honorantes personam regiam, myrra humanam, thure diuinam. Ingrediuntur

Cap. III. itaque Iudayci regni præcipuam ciuitatem, & in vrbe regia ostendi sibi postulant, quem ad regnandum didicerant procreatum. Conturbatur Herodes, timet saluti suæ, metuit potestati. Requirit à

sacerdotibus & doctoribus legis, quid de ortu Christi scriptura prædixerit, in notitiam venit quod fuerat prophetatum. Veritas illuminat Magos, infidelitas obcæcat magistros. Carnalis Israël non intelligit quod legit, non videt quod ostendit: vtitur paginis, quarum non credit eloquiis. Vbi est, Iudæa, gloriatio tua? Vbi de Abraham patre ducta nobilitas? Nónne circuncisio tua præputium facta est? Ecce maior seruit minori, & alienigenis in sortem hæreditatis tuæ intrantibus, eius testamenti, quod in sola litera tenes, recitatione famularis. Intret, intret in patriarcharum familiam gentium plenitudo, & benedictionem in semine Abrahæ, qua se filij carnis abdicant, filij promissionis accipiant. Adorent in tribus Magis omnes populi vniuersitatis authorem: & non in Iudæa tantum Deus, sed in toto orbe sit notus, vt vbique in Israël sit magnum nomen eius. Quoniam hanc electi generis dignitatem sicut infidelitas in suis posteris conuincit esse degenerem: ita fides omnibus facit esse communem. Adorato autem Domino Magi, & omni deuotione completa, secundum admonitionem somnij non eodem, quo venerant, itinere reuertuntur. Oportebat enim, vt iam in Christum credentes, non per antiquæ conuersationis semitas ambularent: sed nouã ingressi viam, à relictis erroribus abstinerent. Tum vt etiam Herodis vacuarentur insidiæ, qui in puerum Iesum impietatem doli per simulationem disponebat officij. Vnde quia spes istius erat soluta commenti, in maiorem furorem iracundia regis ardescit. Nam recolens tempus, quod indicauerant Magi, in omnes Bethlehem pueros rabiem crudelitatis effundit, & cæde generali vniuersæ ciuitatis illius in æternam gloriam transituram trucidat infantiam: æstimans fore, vt nullo illic paruulo non occiso, occideretur & Christus. At ille, qui sanguinem suum pro mundi redemptione fundendum in aliam differret ætatem, Ægypto se parentum ministerio subuectus intulerat, repetens scilicet Hebrææ gentis antiqua cunabula, & principatum veri Ioseph maioris prouidentiæ potestate disponens, vt illam diriorem omni inedia famem, qua Ægyptiorum mentes veritatis inopia laborabant, veniens de cœlo panis vitæ & cibus rationis auferret, nec sine illa regione pararetur singularis hostiæ sacramentum, in qua primum occisione agni, salutiferum Crucis signum & Pascha Domini fuerat præformatum. His igitur, dilectissimi, diuinæ gratiæ mysteriis eruditi, diem primitiarum nostrarum, & inchoationem vocationis gentium rationabili gaudio celebremus: gratias agentes misericordi Deo, qui dignos nos fecit, sicut ait Apostolus, in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ. Quoniam sicut prophetauit Esaias, Gentium populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & qui habitabant in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. De quibus idem dicit ad Dominum, *Gentes, quæ te non nouerunt, inuocabunt te: & populi, qui te nesciebant, ad te confugient.* Hunc diem Abraham vidit, & gauisus est, quum benedicendos fidei suæ filios in semine suo, quod est Christus, agnouit, & omnium se futurum gentium patrem credendo prospexit, dans gloriam Deo, & plenissimè sciens, quoniam quod promisit, potens est & facere. Hunc diem Dauid canebat in Psalmis dicens, *Omnes gentes, quascunque fecisti, venient & adorabunt coram te, Domine, & glorificabunt nomen tuum.* Et illud, *Notum fecit Dominus salutare suum, ante conspectum gentium reuelauit iustitiam suam.*

Rom. 2. Gen. 25. Rom. 9. Psal. 75. Malach. 1. Magi cur per aliam viam reuersi sint. Iesus infans cur Ægypto illatus. Ioan. 6. CAP. IV. Magi primitiæ gentium. Coloss. 1. Esai. 9. Esai. 55. Ioan. 8. Rom. 4. Psal. 85. Psal. 97.

Quod vtique exinde fieri nouimus, ex quo tres Magos, de longinquitate suæ regionis excitatos, ad cognoscendum & adorandum regem cœli & terræ stella perduxit, & rectè intuentibus quotidie apparere non desinit. Et si potuit notum facere Christum in infantia latentem, quantò magis potest eundem manifestare in maiestate regnantem? Cuius vtique famulatus ad formam nos sui hortatur obsequij, vt huic gratiæ, quæ omnes inuitat ad Christum, quantum possumus, seruiamus. Quicunque enim in Ecclesia piè viuit & castè: qui ea quæ sursum sunt, sapit, non quæ super terram: cælestis quodammodo instar est luminis. Et dum ipse sanctæ vitæ nitorem seruat, multis viam ad Dominum quasi stella demonstrat. In quo studio, dilectissimi, omnes vobis inuicem prodesse debetis, vt in regno Dei, ad quod recta fide & bonis operibus peruenitur, sicut lucis filij splendeatis. Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto viuit & regnat, per omnia sæcula sæculorum, Amen. Colos. 3.

SERMO IV.

In eadem solemnitate.

Epiphaniæ festum (in quo magnum præsidium prouidentia diuina constituit) summis laudibus celebrandum docet, Spiritúsque sancti in Magos opus ostendit, atque Manichæorum hæresim detegendo confutat.

IVstum & rationabile, dilectissimi, veræ pietatis obsequium est, in diebus, qui diuinæ opera misericordiæ protestantur, toto corde gaudere, & honorificè ea, quæ ad salutem nostram gesta sunt celebrare: vocante nos ad hanc deuotionem ipsa recurrentium temporum lege, quæ nobis post diem, in quo coæternus patri filius Dei natus ex virgine est, breui interuallo Epiphaniæ intulit festum, ex apparitione Domini consecratum. In quo fidei nostræ magnum præsidium prouidentia diuina constituit: vt dum solenni veneratione recolitur adorata in exordiis suis Saluatoris infantia, per ipsa originalia documenta probaretur veri hominis in Christo orta natura. Hoc enim est, quod iustificat impios, hoc est, quod ex peccatoribus facit sanctos, si in vno eodémque Domino nostro Iesu Christo, & vera deitas, & vera credatur humanitas. Deitas, qua antè omnia sæcula in forma Dei æqualis est patri: humanitas, qua nouissimis diebus in forma serui vnitus est homini. Ad roborandum ergo hanc fidem, quæ contra omnes pronunciabatur errores, ex magna gestum est diuini pietate consilij, vt gens in longinqua Orientalis plagæ regione consistens, quæ spectandorum syderum arte pollebat, signum nati pueri, qui supra omnem Israël esset regnaturus, acciperet. Noua enim claritas apud Magos stellæ illustrioris apparuit, & intuentium animos ita admiratione sui splendoris impleuit: vt nequaquam sibi crederent negligendum, quod tanto nunciabatur indicio. Præerat autem, sicut res docuit, huic miraculo gratia Dei, & cùm Christi natiuitatem nec ipsa adhuc Bethlehem tota didicisset, iam illam credituris gentibus inferebat: & quod nondum poterat humano eloquio disseri, cœlo faciebat euangelizante cognosci. Quamuis autem diuinæ dignationis esset hoc munus,

Cap. II.

nus, vt cognoscibilis gentibus fieret natiuitas Saluatoris, ad intelligendum tamen miraculum signi potuerunt Magi etiam de antiquis Balaam prænunciationibus commoneri, scientes olim esse prædictum, & celebri memoria diffamatum: *Orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israël, & dominabitur gentium.* (Num. 14.) Tres itaque viri, fulgore insoliti syderis diuinitus incitati, præuium micantis luminis cursum sequuntur, existimantes se significatum puerum Hierosolymis in ciuitate regia reperturos. Sed cùm eos hæc opinio fefellisset, per Iudæorum scribas atque doctores, quod sacra de ortu Christi prænunciauerat scriptura, didicerunt, vt gemino testimonio confirmati, ardentiori fide expeterent, quem & stellæ claritas, & prophetiæ manifestabat authoritas. Prolato autem diuino oraculo per responsa pontificum, & declarata spiritus voce, quæ dicit, *Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es inter principes Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel:* (Mich. 5. Matth. 2.) quàm facile & quàm consequens fuit, vt Hebræorum proceres crederent, quod docebant. Sed apparet illos carnaliter cum Herode sapuisse, & regnum Christi commune cum huius mundi potestatibus æstimasse: vt & isti temporalem sperarent ducem, & terrenum metueret ille consortem. Superfluo, Herodes, timore turbaris, & frustra in suspectum tibi puerum sæuire moliris. Non capit Christum regio tua, nec mundi Dominus potestatis tuæ sceptri est contentus angustiis. Quem in Iudæa regnare non vis, vbique regnat: & felicius ipse regnares, si eius imperio ipse subdereris. Cur sincero officio non facis, quod subdola falsitate promittis? Perge cum Magis, & verum regem suppliciter adorando venerare. Sed tu Iudaicæ sequacior cæcitatis, non imitaris gentium fidem, córque peruersum ad crudeles conuertis insidias, nec illum occisurus quem metuis, nec illis nociturus quos perimis.

Cap. III.

Deducti igitur, dilectissimi, in Bethlehem Magi stellæ præcedentis obsequio, grauisi sunt gaudio magno valdè, sicut Euangelista narrauit. *Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius. Et procidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrram.* O perfectæ scientiæ mirabilem fidem, quam non terrena sapientia erudiuit: sed Spiritus sanctus instituit! (Spiritus sancti opus in Magos.) Vnde enim ij viri, cùm proficiscerentur de patria, qui nondum viderant Iesum, nec aliquo contuitu eius, quo eum tam ordinatè venerarentur, aduerterant, hanc deferendorum munerum seruauere rationem? nisi quia præter illam stellæ speciem, quæ corporeum incitauit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit, vt priusquam labores itineris inchoarent, eum sibi significari intelligerent, cui in auro regius honor, in thure diuina veneratio, in myrrha mortalitatis confessio deberetur. Et hæc quidem, quantum ad illuminationem fidei pertinebat, potuerunt illis credita & intellecta sufficere: vt corporali intuitu non inquirerent, quod plenissimo visu mentis inspexerant. (Nobis profuit, quod Magi infantiam Christi viderunt.) Sed diligentia sagacis officij, vsque ad videndum puerum perseuerans, futuri temporis populis, & nostri sæculi hominibus seruiebat: vt sicut omnibus nobis profuit, quòd post resurrectionem Domini vestigia vulnerum in carne eius, Thomæ Apostoli explorauit manus; ita ad nostram vtilitatem proficeret, quòd infantiam ipsius Magorum probauit aspectus. (Rom. 1. Gal. 4. Matth. 5.) Viderunt itaque Magi, & adorauerunt puerum de tribu Iuda, de semine Dauid secundum carnem, factum ex muliere, factum sub lege, quam non soluere venerat, sed adimplere. Viderunt & adorauerunt puerum, quantitate paruulum, alienæ opis indigum, fandi impotem, & in nullo ab humanæ infantiæ generalitate dissimilem. Quia sicut fidelia erant testimonia, quæ in eo maiestatem inuisibilis Deitatis assererent: ita probatissimum esse decebat, Verbum carnem factum, & sempiternam illam essentiam filij Dei, hominis veram suscepisse naturam, ne vel ineffabilium operum secutura miracula, vel excipiendarum supplicia passionum, sacramentum fidei ex rerum diuersitate turbarent: cùm iustificari omnino non possent, nisi qui Dominum Iesum & verum Deum & verum hominem credidissent.

Cap. IV. Manichæorum impietas.

Huic singulari fidei, dilectissimi, & predicatæ per omnia sæcula veritati diabolica Manichæorum resistit impietas: qui sibi ad interficiendas deceptorum animas nefandi dogmatis ferale commentum de sacrilegis & fabulosis mendaciis texuerunt: & per has insanatum opinionum ruinas eousque precipites proruunt, vt sibi falsi corporis fingerent Christum, qui nihil in se solidum, nihil verum oculis hominum, actibúsque præbuerit, sed simulatæ carnis vacuam imaginem demonstrarit. Indignum enim videri volunt, vt credatur Deus Dei filius, fœmineis se inseruisse visceribus, & maiestatem suam huic contumeliæ subdidisse, vt naturæ carnis immixtus, in vero humanæ substantiæ corpore nasceretur: cùm totum hoc opus non iniuria sit ipsius, sed potentia, nec credenda pollutio, sed gloriosa dignatio. Si enim lux ista visibilis nullis immunditiis, quibus superfusa fuerit, violatur, nec radiorum solis nitorem, quem corpoream esse creaturam non dubium est, loca vlla sordentia vel cœnosa contaminant: quid illius sempiternæ & incorporeæ lucis essentiam potuit qualibet sui qualitate polluere? quæ se ei, quam ad imaginem suam condidit, sociando creaturæ purificationem præstitit, maculam non recepit: & sic sanauit vulnera infirmitatis, vt nulla pateretur damna virtutis. Quod diuinæ pietatis magnum & ineffabile sacramentum, quia omnibus sanctarum scripturarum testificationibus est nunciatum: isti, de quibus loquimur, aduersarij veritatis, legem per Mosen datam, & inspirata diuinitùs Prophetarum oracula respuerunt, ipsásque Euangelicas & Apostolicas paginas, quædam auferendo, quædam inserendo violauerunt: confingentes sibi sub Apostolorum nominibus, sub verbis ipsis Saluatoris, multa volumina falsitatis, quibus erroris sui commenta munirent, & decipiendorum mentibus mortiferum virus infunderent. Videbant enim sibi vniuersa obsistere, omnia reclamare, & non solùm nouo, sed etiam veteri Testamento sacrilegæ impietatis suæ dementiam confutari. Et tamen in furiosis mendaciis persistentes, Ecclesiam Dei, deceptionibus suis perturbare non desinunt: hoc miseris (quos illaqueare potuerunt) persuadentes, vt negent à Domino Iesu Christo humanam naturam verè esse susceptam, negent eum verè pro mundi salute crucifixum, negent de eius latere lancea vulnerato sanguinem redemptionis & aquam fluxisse baptismatis, negent eum sepultum, ac die tertia suscitatum, negent eum in conspectu discipulorum ad considerandum in dextera Patris, super omnes cælorum altitudines eleuatum: & vt tota Apostolici veritate Symboli sublata, nullus metus terreat impios, nulla

nulla spes incitet sanctos: negent à Christo viuos & mortuos iudicandos, vt quos tantorum sacramentorum virtute priuarint, doceant in sole & luna colere Christum, & sub nomine Spiritus sancti, ipsum talium impietatum magistrum adorare Manichæum. Ad confirmanda igitur, dilectissimi, corda nostra in fide & veritate, prosit omnibus hodierna festiuitas, & ex testimonio manifestatæ Saluatoris infantiæ confessio Catholica muniatur, & naturæ nostræ carnem in Christo negantium anathematizetur impietas, de qua nos beatus Ioannes Apostolus non dubio sermone præmonuit, dicens: *Omnis spiritus, qui confitetur Christum Iesum in carne venisse, ex Deo est: & omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus.* Nihil ergo cum huiusmodi hominibus commune sit cuiquam Christiano, nulla cum talibus habeatur societas, nullúmque consortium. Prosit vniuersæ Ecclesiæ, quod multi ipsorũ, Domino miserante, detecti sunt, & in quibus sacrilegiis viuerent, eorumdem confessione patefactum est. Neminem fallant discretionibus ciborum, sordibus vestium, vultuúmque palloribus. Non sunt casta ieiunia, quæ non de ratione veniunt continentiæ, sed de arte fallaciæ. Hactenus nocuerint incautis, hactenus illuserint imperitis, post hæc nullius excusabilis erit lapsus: nec iam simplex habendus est, sed valde nequam atque peruersus, qui deinceps repertus fuerit nefando obstrictus errore. Ecclesiasticum sane atque diuinitus institutum non solum inhibemus, sed etiam incitamus affectum: vt etiam pro talibus nobiscum Domino supplicetis, quoniam & nos deceptarum animarum ruinas cum fletu & mœrore misereamur, exequentes Apostolicæ pietatis exemplum, vt cum infirmitatibus infirmemur, & cum flentibus defleamus. Speramus enim exorandam misericordiam Dei multis lachrymis & legitima satisfactione lapsorum: quia dum hoc in corpore viuitur, nullius desperanda reparatio, sed omnium est optanda correctio: auxiliante Domino, *qui erigit elisos, soluit compeditos, illuminat cæcos.* Cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[Margin: Cap. V. — Manichæorum impietas anathematizanda. 1. Ioan. 4. — Manichæi vitandi. — Orandum pro hæreticis. — 1. Cor. 11. Rom. 12. — Psal. 145.]

SERMO V.

In eadem solemnitate.

Epiphaniæ festum quare celebrandum sit, quid stella designet, quid Herodes, & quomodo in Magis (personarum gentium gerentibus) eorum vocatio, Iudæis in errore obstinatis, indicata sit, quos tandem ad resipiscentiam reuocare conatur.

CAP. I.

HOdiernam festiuitatem, dilectissimi, apparitio Domini & Saluatoris nostri (sicut nostis) illustrat: Et hic ille dies, quo ad cognoscendum adorandúmque Dei Filium tres Magos præuia stella perduxit. Cuius facti memoriam meritò placuit honore annuo celebrari: vt dum Euangelica historia incessabiliter recensetur, semper se intelligentium sensibus inferat salutiferum mysterium per insigne miraculum. Præcesserant quidem multa documenta, quæ corpoream natiuitatem Domini manifestis indiciis declararent: siue cùm beata Maria virgo fœcundandam se Spiritu sancto, parituràmque Dei filium audiuit & credidit: siue cùm ad salutationem ipsius in vtero Elisabeth nondum natus Ioannes prophetica exultatione cómotus est, & quasi etiam intra matris viscera iam clamaret, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: vel cùm ortum Domini angelo nuntiante pastores cælestis exercitus sunt claritate circumdati, vt non ambigerent de maiestate pueri, quem erant in præsepe visuri: nec putarent, quòd in sola natura hominis esset editus, cui supernæ militiæ famularetur occursus. Sed hæc atque alia huiusmodi paucis tunc videntur innotuisse personis, quæ vel ad cognitionem Mariæ virginis, vel ad sancti Ioseph familiam pertinebant. Hoc autem signum, quod Magos in longinquo positos & efficaciter mouit, & ad Dominum Iesum perseueranter attraxit, illius sine dubio gratiæ sacramentum, & illius fuit vocationis exordium, qua nimirum non in Iudæa tantùm, sed etiam in toto mundo Christi erat Euangelium prædicandum: vt per illam stellam, quæ Magorum visui splenduit, Israëlitarum vero oculis non refulsit: & illuminatio significata sit gentium, & cæcitas Iudæorum. Permanet igitur, dilectissimi, sicut euidenter apparet, mysticorum forma gestorum: & quod imagine inchoabatur, veritate completur. Radiat namque è cælo stella per gratiam, & tres Magi coruscatione Euangelici fulgoris adsciti, in omnibus quotidie nationibus ad adorandam potentiam summi regis accurrunt. Herodes quoque in diabolo fremit, & auferri sibi iniquitatis suæ regnum in iis, qui ad Christum transeunt, ingemiscit. Vnde si paruulos interficiat, Iesum sibi videtur occidere. Quod vtique facere sine cessatione molitur, dum primordiis renatorum Spiritum sanctum eripere, & quandam teneræ fidei velut infantiam tentat extinguere. Iudæi verò, qui extra regnum Christi esse voluerunt, adhuc quodammodo sub Herodis sunt principatu, & dominante sibi Saluatoris inimico, alienigenæ seruiunt potestati, quasi nesciant prophetarum, dicente Iacob: *Non deficiet princeps ex Iuda, & dux de femoribus eius, donec veniat cui reposita sunt: & ipse est expectatio gentium.* Sed nondum intelligunt quod negare non possunt, & mente non capiunt quod scripturarum narratione nouerunt. Quoniam insanis magistris veritas scandalum est, & cæcis doctoribus fit caligo, quod lumen est. Respondent itaque interrogati, quod in Bethlehem nascitur Christus: & scientiam suam, qua alios instruunt, non sequuntur. Perdiderunt igitur successionem regum, placationem hostiarum, locum supplicationum, ordinem sacerdotum: cùm omnia sibi clausa, omnia experiantur sibi esse finita, non vident ea in Christum esse translata. Vnde quod illi tres viri vniuersarum gentium personam gerentes, adorato Domino sunt adepti, hoc in populis suis per fidem, quæ iustificat impios, totus mundus assequitur: & hæreditatem Domini ante sæcula præparatam accipiunt adoptiui, & perdunt, qui videbantur esse legitimi. Resipisce tandem, Iudæa, resipisce, & ad Redemptorem etiam tuum deposita infidelitate conuertere. Noli sceleris tui immanitate terreri. Non iustos Christus, sed peccatores vocat: nec impietatem tuam repellit, qui pro te, cùm crucifixus esset, orauit. Immitem crudelium patrum tuorum solue sententiam, neque te eorum maledicto patiaris obstringi, qui clamantes de Christo, *Sanguis eius super nos & super filios nostros*, facinus in te sui criminis transfuderunt. Redite ad misericordem, vtimini clementia remittentis. Sæuitia enim vestræ iniquitatis conuersa est in causam salutis. Viuit, quem perire voluistis. Confitemini negatum, adorate venditum: vt vobis bonitas illius prosit, cui vestra malignitas nocere non potuit. Quod ergo ad veram, dilectissimi, pertinet charitatem, quam etiam inimicis nostris ex Dominica eruditione debemus, & optandum nobis est & studendum

[Margin: Tres Magi. Matth. 2. — Luc. 2. Ioan. 1. — CAP. II. — Quid mysticè Stella. Quid Magi. Matth. 2. Quid Herodes. — Gen. 47. — Magi gentium personam gerunt. — Iudæorum vocatio ad resipiscentiam. Matth. 9. Luc. 23. — Matth. 27. — CAP. III. Matth. 5.]

ſtudendum,vt & hic populus,quia ab illa ſpiritali patrum nobilitate defecit,ramis ſuæ arboris inſeratur.Multum enim nos Deo beneuolentia iſta commendat:quia ideo delictum illorum nobis miſericordiæ locum fecit : vt eos ad æmulationem ſalutis recipiendæ fides noſtra reuocaret. Nam vitam piorum non ſolum ſibi,ſed etiam aliis eſſe vtilem decet : vt quod apud eos agi non poteſt verbis,obtineatur exemplis.Conſiderantes itaque,dilectiſſimi, ineffabilem erga nos diuinorum munerum largitatem,cooperatores ſimus gratiæ Dei operantis in nobis.Non enim dormientibus prouenit regnum cælorum , nec otio deſidiáque torpentibus beatitudo æternitatis ingeritur:ſed quia,ſicut Apoſtolus ait,ſi compatimur,& conglorificabimur, illa nobis currenda eſt via,quam ipſe Dominus ſe eſſe teſtatus eſt qui nobis nullis operum meritis ſuffragantibus, & ſacramento conſuluit & exemplo:vt in adoptionem vocatos per illud proueheret ad ſalutem , per hoc imbueret ad laborem.Hic autem labor,dilectiſſimi, piis filiis & bonis ſeruis non ſolùm nec aſper,nec onerosus,ſed etiam ſuauis & lenis eſt,dicente Domino:*Venite ad me omnes,qui laboratis & onerati eſtis,& ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos,& diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.Iugum enim meum ſuaue eſt,& onus meum leue.*Nihil ergo,dilectiſſimi,arduum eſt humilibus,nihil aſperum mitibus,& facile omnia præcepta veniunt in effectum, quando & gratia prætendit auxilium,& obedientia mollit imperium.Intonante enim quotidie auribus noſtris eloquio Dei,omnis homo,qui diuinæ iuſtitiæ placeat,ſcire conuincitur.Sed quia iudicium illud,quod vnuſquiſque recipiet,prout geſſit,ſiue bonum,ſiue malum , iudicaturi patientia & bonitate differtur : impunitatem ſibi iniquitatis infidelium corda promittunt, & putant humanorum actuum qualitates ad diuinę prouidentię non pertinere cenſuram,quaſi non euidentiſſimis plerumque ſuppliciis malè geſta plectantur,aut non ſæpè cæleſtium comminationum terror oſtendatur: quibus vtique & fides monetur , & infidelitas increpatur.

Operum commendatio.

Rom 8.

Ioan.14.

Humilibus & obedientibus nihil difficile.

Matth.11.

2.Cor.5.

Cap. IV.

Inter hæc autem permanet ſuper omnes benignitas Dei,& nulli miſericordiam ſuam denegat,cúm indiſcretè vniuerſis bona multa largiatur , eóſque quos merito ſubderet pœnis,mauult inuitare beneficiis Dilatio enim vindictæ,dat locum pœnitentiæ. Nec tamen dici poteſt nulla ibi eſſe vltio,vbi nulla conuerſio eſt : quia mens dura & ingrata iam ſibi ipſa ſupplicium eſt , & in conſcientia ſua patitur. quidquid Dei bonitate differtur.Non ita igitur delinquentes peccata delectent, vt illos in ſuis actibus vitæ huius finis inueniat.Quoniam in inferno nulla eſt correctio,nec datur remedium ſatisfactionis,vbi iam non ſupereſt actio voluntatis,dicente Propheta Dauid, *Quoniam non eſt in morte,qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi ?* Fugiantur noxiæ * voluptates,inimica gaudia,& deſideria iam iamque peritura.Quis fructus eſt,quæve vtilitas,ea indeſinenter cupere,quæ etiam ſi non deſerant, deſerenda ſunt? Amor rerum deficientium ad incorruptibilia transferatur,& ad ſublimia vocatus animus cæleſtibus delectetur. Confirmate amicitias cum ſanctis angelis , intrate in ciuitate Dei,cuius nobis ſpondetur habitatio,& Patriarchis,Prophetis,Apoſtolis , Martyribúſque ſociamini. Vnde & illi gaudent, inde gaudete. Horum diuitias concupiſcite,& per bonam æmulationem ipſorum ambite ſuffragia.Cum quibus enim fuerit vobis conſortium deuotionis,erit & communio dignitatis.Dum itaque tempus vobis ad mandata Dei exequenda conceditur, glorificate Deum in corpore veſtro,& lucete , dilectiſſimi,ſicut luminaria in hoc mundo. Sint lucernæ mentium veſtrarum ſemper ardentes, & nihil reſideat veſtris in cordibus tenebroſum. Quoniam,ſicut ait Apoſtolus:*Fuiſtis aliquando tenebræ,nunc autem lux in Domino,vt filij lucis ambulate:*impleantùrque in vobis,quæ in trium Magorum imagine præceſſerunt.*Et ſic luceat lumen veſtrum corā hominibus,vt videntes opera veſtra bona magnificent Patrem veſtrum , qui in cælis eſt.* Sicut enim magnum peccatum eſt,cùm inter gentes propter malos Chriſtianos nomen Domini blaſphematur:ita magnum pietatis eſt meritum,cùm eidem in ſancta ſeruorum ſuorum conuerſatione benedicitur : Cui eſt honor & gloria in ſæcula ſœculorum , Amen.

Pſalm.6.

voluntates.

Sanctorum ambienda ſuffragia.

1.Cor 6.

Philip. 2.

Luc.2.

Epheſ.5.

Matth,5.

SERMO VII.

In eadem ſolennitate.

Quomodo munera myſticè offerre debeamus, docet, diaboli (per Herodem ſignificati) inſidiandi rabiem & furorem, & quomodo perſecutoribus tyrannorum Eccleſia creuerit, indicat, & quàm periculoſa ſit tranquillitas iſta à tyrannorum perſecutionibus.

CAP. I.

DIes,dilectiſſimi,quo primum gentibus Saluator mundi Chriſtus apparuit,ſacro nobis honore venerandus eſt:& illa hodie cordibus noſtris concipienda ſunt gaudia,quæ in trium Magorum fuere pectoribus:quando regem cæli & terræ ſigno & ductu noui ſyderis incitati , quem crediderant promiſſum,adorauere conſpicuum.Neque enim ita ille emenſus eſt dies,vt virtus operis,quæ tunc eſt reuelata,tranſierit,nihilque ad nos niſi rei geſtæ fama peruenerit:quam fides ſuſciperet,& memoria celebraret , cùm multiplicato munere Dei , etiam quotidie noſtra experiantur tempora , quidquid illa habuêre primordia. Quamuis ergo narratio Euangelicæ lectionis illos propriè recenſeat dies, in quibus tres viri,quos nec prophetica prædicatio docuerat , nec teſtificatio legis inſtruxerat , ad cognoſcendū Deum à remotiſſima Orientis parte venerunt,hoc idem tamen & manifeſtius nunc & copioſius fieri in omnium vocatorum illuminatione perſpicimus , quoniam impletur Prophetia Iſaiæ , dicētis:*Reuelauit Dominus brachium ſanctum ſuum in conſpectu omnium gentium:* &, *Viderunt omnes gentes terræ ſalutem,quæ à Domino Deo eſt.*Et iterum,*Et quibus non eſt annunciatum de eo,videbunt: & qui non audierunt, intelligent.* Vnde cúm cernimus homines mundanæ ſapientię deditos,& à Ieſu Chriſti cōfeſſione longinquos,de profundo erroris ſui reduci,& ad cognitionem veri luminis aduocari diuinæ procul dubio gratiæ ſplendor operatur,& quicquid in cordibus tenebroſis nouæ lucis apparet,de eiuſdem ſtellæ radiis micat,vt mentes quas ſuo fulgore contingerit,& miraculo moueat, & ad Deum adorandū præeundo perducat.Si autem ſolicito intellectu velimus aſpicere , quomodo etiam triplex illa ſpecies munerum ab omnibus , qui ad Chriſtū greſſu fidei veniunt,offeratur:nónne in cordibus rectè credentiū eadem celebratur oblatio? Aurum etenim de theſauro animi ſui promit , qui Chriſtū regem vniuerſitatis agnoſcit Myrrhā offert, qui vnigenitū Dei credit,veram ſibi hominis vniſſe naturam.Et quodam eum Thure veneratur, qui in nullo ipſum paternæ maieſtati imparem cōfitetur.

Tres Magi vnde venerunt.

Eſai.53.

Eſai. 53.

Chriſto quis offerat Aurum. Myrrham. Thus.

CAP. II. Herodis & diaboli similis insidiandi furor. Organa satanæ.

tur. His comparationibus, dilectissimi, prudenter inspectis, inuenimus etiam Herodis non deesse personam, cuius ipse diabolus, sicut tunc fuit occultus incentor, ita nunc quoque indefessus est imitator. Cruciatur enim vocatione gentium, & quotidiana potestatis suæ destructione torquetur: dolens vbique se deseri, & verum regem in locis omnibus adorari. Parat fraudes, fingit dissensiones, erumpit in cædes: & vt reliquiis eorum, quos adhuc fallit, vtatur, inuidia vritur in Iudæis, simulatione insidiatur in hæreticis, sæuitia accenditur in paganis. Videt enim insuperabilem esse potentiam regis æterni, cuius mors ipsius vim mortis extinxerit, & ideo totam nocendi artem in eos qui vero regi famulantur, armauit: alios per inflationem scientiæ legalis obdurans, alios verò in furorem persequutionis instigans, alios per falsæ fidei commenta deprauans. Sed hanc Herodis istius rabiem ille vincit & destruit, qui etiam paruulos martyrij gloria coronauit: & fidelibus suis tam inuictam indidit charitatem, vt

Rom. 8. Apostoli verbis audeant dicere: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persequutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?*

Psal. 43. sicut scriptum est: *Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus speramus propter eum, qui dilexit nos.*

CAP. III. Hanc fortitudinem, dilectissimi, non illis tantum temporibus necessariam fuisse credimus, quibus reges mundi, & omnes sæculi potestates, cruenta impietate in Dei populum sæuiebant: quum ad maximam pertinere gloriam suam ducerent, si de terris nomen

Persecutionibus tyrannorum creuisse Ecclesiam.

Christianum auferrent, nescientes Ecclesiam Dei per furorem suæ crudelitatis augeri, quoniam in suppliciis & mortibus beatorum Martyrum, qui putabantur minui numero, multiplicabantur exemplo. Denique tantum contulit fidei nostræ impugnatio persequentium, vt nihil magis regium ornet principatum, quàm quòd Domini mundi membra sunt Christi, nec tam gloriantur, quòd in imperio geniti, quàm gaudent, quòd in Baptismate sunt renati.

Otij & tranquillitatis pericula.

Sed quia tempestas priorum turbinum conquieuit, & dudum cessantibus præliis quædam videtur arridere tranquillitas, vigilanter cauenda sunt illa discrimina, quæ de otio ipsius pacis oriuntur. Aduersarius enim, qui in apertis inefficax persecutionibus fuit, tecta nocendi arte desæuit: vt quos non perculit ictu afflictionis, lapsu deiiciat voluptatis. Videns

Persecutio noua Dæmonis in Christianos.

itaque sibi resistere principum fidem, & vnius deitatis inseparabilem Trinitatem, non segniùs in palatiis, quàm in Ecclesiis adorari: interdictam dolet sanguinis Christiani effusionem, & quorum obtinere non potest mortes, impetit mores. Terrores Proscriptionum in auaritiæ mutat incendium, & quos damnis non fregit, cupiditate corrumpit. Malignitas enim longo vsu propriæ imbuta nequitiæ, non deposuit odium, sed vertit ingenium: quo sibi mentes fidelium blandius subdat. Inflammat enim concupiscentiis, quos non potest vexare tormentis: serit discordias, accendit iras, incitat linguas, & ne ab illicitis dolis cautiora corda se reuocent, consummandorum scelerum ingerit facultates: quia illi totius fraudis hic fructus est, vt qui immolatione

CAP. IV. pecudum, & thuris incensione non colitur, quibuslibet ei criminibus seruiatur. Habet igitur, dilectissimi, pax nostra pericula sua: & frustra de fidei liber-

Fides vana.

tate securi sunt, qui vitiorum desideriis non resistunt. Cor hominum de operum ostenditur qualitate, & formas mentium species detegit actionum.

Ad Tit. 2. Nam sunt quidam, sicut ait Apostolus, qui Deum profitentur se scire, factis autem negant. Verè enim reatus negationis incurritur, quando bonum, quod in sono vocis auditur, in conscientia non habetur. Fragilitas enim humanæ conditionis facilè in delicta prolabitur. Et quia nullũ sine delectatione peccatum est, citò acquiescitur deceptoriæ voluptati. Sed à carnalibus desideriis recurratur ad spiritale præsidium, & mens habens notitiam Dei sui, à consiliis se malè suadentis hostis auertat. Prosit illi patientia Dei, nec ideo delinquendi pertinacia nutriatur, quia vindicta differtur. Non sit peccator de impunitate securus, quia si tempus pœnitentiæ amiserit, locum indulgentiæ non habebit, dicente Propheta: *Quia non est in morte, qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?* Psal. 6. Qui autem sibi correctionis reparationem experitur esse difficilem, confugiat ad auxiliantis Dei clementiam, & vincula malæ consuetudinis ab illo poscat abrumpi, qui allevat omnes qui currunt, & erigit omnes elisos. Psal. 144. Non erit vacua confitentis oratio, quoniam misericors Deus voluntatem timentium se faciet, & dabit quod petitur, qui dedit vnde peteretur, Per Dominum nostrum Iesum Christum, viuentem & regnantem in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO VII.

In eadem solemnitate.

De humilitate & infantia Saluatoris, ad quam nos cohortatur.

Memoria rerum ab humani generis Saluatore gestarum, magnam nobis, dilectissimi, confert vtilitatem, si quæ veneramur credita, suscipiamus imitanda. CAP. I. In dispensationibus enim sacramentorum Christi, & virtutes sunt gratiæ, & incitamenta doctrinæ: vt quem confitemur fidei spiritu, operum quoque sequamur exemplo. Fides operibus declaranda. Nam etiam ipsa primordia, quæ Dei filius per matrem virginem nascendo suscepit, ad prouectum nos pietatis instituunt. Simul enim apparet cordibus rectis in vna eadémque persona, & humana humilitas, & diuina maiestas. Quem cunæ testantur infantem, cœlum & cœlestia suum loquuntur authorem. Puer corpore paruus, mundi Rector & Dominus: & genitricis gremio continetur, qui nullo fine concluditur. Sed in his nostrorum vulnerum est curatio, & nostræ deiectionis erectio: quia nisi in vnum tanta diuersitas conueniret, reconciliari Deo humana natura non posset. Legem ergo viuendi remedia nobis nostra sanxerunt: & inde data est moribus forma, CAP. II. vnde mortuis est impensa medicina. Nec immeritò, Tres Magi. cùm tres Magos ad adorandum Iesum noui syderis claritas deduxisset, non eum imperantem dæmonibus, non mortuos suscitantem, non cæcis visum, aut claudis gressum, aut mutis eloquium reformantem, vel in aliqua diuinarum virtutum actione viderũt: sed puerum silentem, quietum, & sub matris sollicitudine constitutum: in quo nullum quidem apparet de potestate signum, sed magnum præbetur de humilitate miraculum. Ipsa itaque species sacræ infantiæ, cui se Deus Dei filius aptarat, prædicationem auribus intimandam oculísque gerebat: & quod adhuc vocis non proferebat sonus, visionis iam docebat effectus. Tota enim victoria Saluatoris, quæ & diabolum superauit & mundum, humilitate est concepta, humilitate est confecta. Dispositos dies sub persequutione inchoauit, & sub persequutione finiuit, nec puero tolerantia passionis, nec passuro defuit mansuetudo puerilis: quia vnigenitus Dei sub vna maiestatis suæ inclinatione suscepit, vt & homo vellet nasci, vt ab hominibus posset occidi.

Si

CAP. IV. Humilitatis Christi magnum exemplum.

Si igitur omnipotens Deus causam nostram nimis malam, humilitatis priuilegio bonam fecit, & ideo destruxit mortem & mortis authorem: quia omnia, quæ persequutores intulere, non renuit, sed obediens patri crudelitates sæuientium mitissima lenitate tolerauit: quantum nos humiles, quãtum oportet esse patientes, qui, si quid laboris incidimus, nunquam nisi nostro merito sustinemus? Quis enim gloriabitur castum se habere cor? aut mundum se esse à peccato? & dicente beato Ioanne: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est*: quis inuenietur ita immunis à culpa, vt in eo non habeat, vel iustitia quod arguat, vel misericordia quod remittat? Vnde tota, dilectissimi, Christianæ sapientiæ disciplina, non in abundantia verbi, non in astutia disputandi neque in appetitu laudis & gloriæ, sed in vera & voluntaria humilitate consistit: quã Dominus Iesus Christus ab vtero matris vsque ad supplicium crucis, pro omni fortitudine & elegit & docuit. Nam cùm discipuli eius intra se, vt ait Euangelista disquirerent, quis eorum maior esset in regno cœlorum, vocauit paruulum, & statuit eum in medio eorum, & dixit: *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Quicumque ergo humiliauerit se sicut puer iste, hic maior erit in regno cælorum. Amat Christus infantiam, quam primùm & animo suscepit, & corpore. Amat Christus infantiam, humilitatis magistram, innocentiæ regulam, mansuetudinis formam. Amat Christus infantiam, quæ maiorum dirigit mores, ad quam senum reducit ætates, & eos ad suum inclinat exemplum, quos ad regnum sublimat æternum. Vt autem plenè valeamus agnoscere, quomodo apprehendi possit tam mira conuersio, & in puerilem gradum qua nobis imitatione redeundum sit: doceat nos beatus Paulus, & dicat, *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote.* Non ergo ad lubrica infantiæ & imperfecta nobis primordia redeundum est, sed aliquid quod etiam graues annos deceat, inde sumendum est, velox ad commotionem transitus, citus ad pacem recursus. Nulla sit memoria offensionis, nulla cupiditas dignitatis. Amor sociæ dilectionis, æqualitas naturalis. Magnum enim bonum est, nocere non nosse, & ad maligna non sapere: quia inferre ac referre iniuriam, mundi huius prudentia est: nemini autem malum pro malo reddere, Christianæ est æquanimitatis infantia. Ad hanc vos, dilectissimi, similitudinem paruulorum mysterium hodiernæ festiuitatis inuitat, & hanc vobis humilitatis formam adoratus à Magis puer Saluator insinuat, qui vt imitatoribus suis quid gloriæ pararet, ostenderet, ortus sui tempore editos martyrio consecrauit: vt in Bethlehem, vbi Christus natus est, geniti, per communionem ætatis consortes fierent passionis. Ametur igitur humilitas, & omnis à fidelibus vitetur elatio. Alter alterum sibi præferat, & nemo quod suum est, quærat, sed quod alterius: vt cùm in omnibus abundauerit affectus beneuolentiæ, in nullo virus inueniatur inuidiæ: quoniam *qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur*: eodem ipso testante Domino nostro Iesu Christo, Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.

Marginal notes: Prou. 20. — 1. Ioan. 1. — Humilitatis laus. — Luc. 22. — Matth. 18. — Infantia quàm sit Christo grata. — 1. Cor. 14. — CAP. V. Pueri vt effici debemus. — Luc. 14. — Luc. 16.

SERMO VIII.

In eadem solemnitate.

Non indigna æstimanda de Christi maiestate, & quibus argumentis deprehenditur, Deum in nobis habitare.

CAP. I. Causam, dilectissimi, & rationem solennitatis hodiernæ sæpè vobis & Euangelica narratio, & obseruantiæ consuetudo patefecit: nec necesse est ita nunc, quæ inter Saluatoris nostri humana primordia sunt gesta, replicari, vt de splendore noui syderis, de Magis Magorúmque muneribus, de sæuitia Herodis, & de interfectione infantium disseramus: cùm sicut nostris, & in stellæ fulgore Dei gratia, & in tribus viris vocatio gentium, & in rege impio crudelitas paganorum, & in occisione infantium cunctorum Martyrum forma præcesserit. Sed quia in sacratissimo die reddendum expectationi vestræ est sacerdotalis sermonis officium: nitamur, vt possumus adiuuante Spiritu Dei, eò per intelligentiæ semitas peruenire, vt cognoscamus sacramentum præsentis festi ad omnium fidelium tempora pertinere: nec vllo modo habeatur insolitum, quod in dispensationum ordine adoratur antiquum.

Mysticè quid stella, tres Magi, Herodes, trucidatio infantium.

CAP. II. Quamuis ergo omnis anima Christiana nihil indignum habeat de filij Dei maiestate sentire, & transcensis incipientis fidei rudimentis oporteat vnumquemque ad sublimiora proficere: necesse est tamen infirmitatem mentis humanæ, dum verum hominem accipit Christum, de ipsa naturæ nostræ communione trepidare, & per initiã, vel incrementa corporea, ad agnitionem vnius cum patre deitatis difficulter accedere. Sed vbi inter caligantes cogitationes radius supernæ lucis refulserit, cunctantes fidei moras splendor veritatis abrumpat, vt cor liberum, & à visibilibus absolutum, lumen intelligentiæ tanquam ducem stellam sequatur: quia sicut Apostolus ait: *Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris*, quem vt venerabatur in cunis humiliter iacentem, ipsum sine diffidentia adoret cum Patre regnantem. Hæc autem manifestatio, dilectissimi, quæ hæsitantium nebulas dissoluit animarum, & ita facit innotescere Dei Filium, vt de hoc, quod idem est etiam hominis filius, nihil patiantur obstaculi, ad præsentis festi pertinet dignitatem, & vera est infantia Saluatoris, declaratio deitatis, quando carnis sensus ab humanis ad diuina transfertur, vt quos deprimunt experimenta infirmitatum, erigant signa virtutum: Quia tali auxilio & natura nostra indigebat, & causa, vt reparare humanum genus, nec sine maiestate posset humilitas, nec sine humilitate maiestas. Iam verò cùm in singulorum fidelium profectibus diuinorum elucet custodia mandatorum, impletúrque quod dictum est: *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & magnificent Patrem vestrum qui in cælis est*: quis illic non præsentem intelligat maiestatem, vbi veram videt apparere virtutem? quæ vtique sine Deo nulla est, nec proprietatem obtinet dignitatis, nisi spiritu sui vegetetur authoris. Dicente enim Discipulis suis Domino, *Sine me nihil potestis facere*, dubium non est, hominem bona agentem, à Deo habere & effectum operis, & initium voluntatis. Vnde & Apostolus copiosissimus fideliũ cohortator, *Cum timore*, inquit, *& tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & operari pro* bona

Marginal notes: Philip. 2. — Matth. 5. — Ioan. 15. — Philip. 2.

Operum bonorum Deus author. *bona voluntate.* Et hæc sanctis causa est tremendi, atque metuendi: ne ipsis operibus pietatis elati, deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ. Qui autem experiri cupit, an in ipso Deus habitet, de quo dicitur, *Mirabilis Deus in sanctis suis:* sincero examine cordis sui interiora discutiat, & sagaciter quærat, qua humilitate resistat superbiæ, qua beneuolentia obluctetur inuidiæ, quàm non capiatur adulantium linguis, quamque bonis delectetur alienis: an pro malo non cupiat malum reddere, malitque inultas obliuisci iniurias, quàm imaginem & similitudinem sui conditoris amittere, qui omnes ad cognitionem sui generalibus incitans donis, pluit super iustos & iniustos, & solem suum oriri facit super bonos & malos. Ac ne in multis laboret solitæ discretionis inspectio, ipsam matrem virtutum omnium charitatem in secretis suæ mentis inquirat: & si in ea dilectionem Dei & proximi toto corde intentè repererit, ita vt etiam inimicis suis eadem velit tribui, quæ sibi optat impendi, quisquis huiusmodi est, Deum & rectorem & habitatorem sui esse non dubitet. Quem tanto magnificentiùs recipit, quanto magis non in se, sed in Domino gloriatur. Quoniam quibus dicitur, *Regnum Dei intra vos est:* nihil non illius agunt spiritu, cuius reguntur imperio. Scientes igitur, dilectissimi, quoniam charitas Deus est, qui operatur omnia in omnibus, sectamini charitatem, ita vt in vnum castæ dilectionis affectum, vniuersorum fidelium corda concurrant. Transeuntia nos & *vana non occupent: constanti desiderio ad ea, quæ sunt semper mansura, tendamus. Sacramentum enim præsentis festi oportet in nobis esse perpetuum. Quod vtique sine fine celebrabitur, si in omnibus actibus nostris Dominus Iesus Christus appareat, Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

In hac vita nemo sit securus.
Psal. 67.
Experimenta inhabitationis diuinæ.
Matth. 5.
Charitas omnium virtutum mater.
1. Cor. 1.
Lucæ 17.
1. Ioan. 4.
ima.

SERMO I.

De Quadragesima.

Ieiunandum esse Hebræorum exemplo, & Christi, ad victoriam obtinendam contra hostes inuisibiles, & de modo ieiunandi.

CAP. I. Hebræorum quondam populus, & omnes Israëliticæ tribus, cùm propter peccatorum suorum offensiones graui Philistinorum dominatione premerentur, vt superare hostes suos possent, sicut sacra manifestat historia, vires animi & corporis indicto sibi reparauêre ieiunio. Intellexerant enim duram & miseram illam subiectionem neglectu se mandatorum Dei & morum corruptione meruisse, frustráque se armis certare, nisi priùs vitiis repugnassent. Abstinentes ergo à cibo & potu, seueræ sibi castigationis adhibuere censuram, & vt hostes suos vincerent, gulæ illecebram in seipsa ante vicerunt. Factúmque est hoc modo, vt sæui aduersarij & graues domini esurientibus cederent, quos sibi saturos subiugarant. Et nos itaque, dilectissimi, inter multas aduersitates & prælia constituti, si similibus remediis vti cupimus, simili obseruatione curemur. Eadem enim propemodum causa nostra est, quæ illorum fuit: quoniam sicut illi à carnalibus aduersariis, ita & nos à spiritalibus maximè impugnamur inimicis. Qui si donata nobis per Dei gratiam morum correctione vincantur: & corporeum nobis hostium fortitudo succumbet; & emendatione nostra infirmabuntur, quos graues nobis, non ipsorum merita, sed nostra delicta fecerunt.

CAP. II. Quapropter, dilectissimi, vt omnes hostes nostros superare valeamus, per obseruantiam cælestium mandatorum diuinum quæramus auxilium: scientes non aliter nos præualere posse aduersariis nostris, nisi præualuerimus & nobis. Sūt enim intra nosmetipsos multa certamina, & aliud caro aduersus spiritum, aliud aduersus carnem spiritus concupiscit. In qua dissensione si cupiditates corporis fuerint fortiores, turpiter animus amittet propriam dignitatem, & perniciosum erit eum seruire, quem decuerat imperare. Si autem mens rectori suo subdita, & supernis muneribus delectata, terrenæ voluptatis incitamēta calcauerit, & in suo mortali corpore regnare peccatum non siuerit, ordinatissimū tenebit ratio principatum, & munitiones eius nulla spiritalium nequitiarū labefactabit illusio: quia tunc est vera pax hominis, & vera libertas, quando & caro animo iudice regitur, & animus Deo præside gubernatur. Hæc autem præparatio, dilectissimi, licet omni tempore salubriter assumatur, vt peruigiles hostes incessabili superentur industria, nunc tamen solicitiùs expetenda est, & studiosiùs instruenda, quando & ipsi subtilissimi aduersarij acriori insidiantur astutia. Scientes enim agere nos sacratissimos. Quadragesimæ dies, in quorum obseruantia omnes præteritæ desidiæ castigantur, omnes negligentiæ diluuntur: ad hoc totam vim suæ malignitatis intendunt, vt celebraturi sanctum Pascha Domini, in aliquo inueniamur indigni: & vnde nobis obtinenda erat propitiatio, inde contrahatur offensio.

Galat. 5.
Vera hominis pax, & libertas.
Rom. 8.

CAP. III. Accedentes ergo, dilectissimi, ad Quadragesimæ initium, id est, ad diligentiorem Domini seruitutē, quia quasi ad quendam agonem sancti operis introimus, ad pugnas tentationum animos præparemus: & intelligamus, quantò studiosiores pro nostra salute fuerimus, tantò nos vehementiùs ab aduersariis impetendos. Sed fortior est, quàm qui aduersum nos est, per ipsum validi sumus, in cuius virtute confidimus: quia ob hoc Dominus se tentari à tentatore permisit, vt cuius munimur auxilio, eiusdem erudiremur exemplo. Vicit enim aduersarium, vt audistis, testimoniis legis, non potestate virtutis: vt hoc ipso & hominem plus honoraret, & aduersarium plus puniret, cùm hostis generis humani non solùm quasi à Deo, sed etiam quasi ab homine impugnaretur & vinceretur. Pugnauit ergo ille tunc, vt & nos posteà pugnaremus: vicit ille, vt & nos similiter vinceremus. Nulla sunt enim, dilectissimi, sine tentationum experimentis, opera virtutis, nulla sine perturbationibus fides, nullum sine hoste certamen, nulla sine congressione victoria. Vita hæc nostra in medio insidiatorum, in medio præliorum est. Si volumus non decipi, vigilandum est; si volumus superare, pugnandum est. Et ideò sapientissimus Salomon, *Fili,* inquit, *accedens ad seruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationē.* Vir enim sapientia Dei plenus, sciens studium religionis laborem habere certaminis, cùm præuideret pugnæ periculum, ante admonuit pugnaturum: ne forte si ad ignorantem tentator accederet, imparatum citiùs vulneraret.

Quadragesimæ tempus.
Tentari cur Christus voluerit.
Eccli. 2.

CAP. IV. Nos itaque, dilectissimi, qui diuinis institutionibus eruditi, ad agonem præsenti certaminis scienter accedimus: audiamus dicentem Apostolum, *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinē, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarū harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus.* Et non ignoremus, quòd hi hostes nostri contra se geri omnia sentiunt, quæcunque nos pro nostra salute agere tentamus, & hoc ipso quod boni aliquid appetimus, aduersarios prouocamus. Hæc enim inter nos atque illos per diabolicæ

Ephes. 6.
Dissensio inter nos & dæmones.

bolicæ inuidiæ fomitem inueterata dissensio est: vt quia illi ab his bonis exciderunt, ad quæ nos Deo auxiliãte prouehimur, nostris iustificationibus torqueantur. Si ergo nos erigimur, illi corruunt: si nos conualescimus, illi infirmantur. Remedia nostra plagæ ipsorum sunt, quia curatione nostrorũ vulnerũ vulnerantur. State ergo, dilectissimi, vt Apostolus ait, succincti lumbos mentis vestræ in veritate, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela maligni ignea extinguere, & galeã salutis assumite, & gladium spiritus, quod est Verbum Dei. Videte, dilectissimi, quàm potentibus nos telis, quàm insuperabilibus munimẽtis dux militiæ malignis triumphis, & inuictus Christianæ militiæ magister armauerit. Succinxit lumbos baltheo castitatis, calceauit pedes vinculis pacis: quia & discinctus miles citò ab impudicitiæ incentore vincitur, & non calceatus facilè à serpente mordetur. Scutũ fidei ad protectionẽ totius corporis dedit, capiti galeam salutis imposuit, dexterã gladio, id est, verbo veritatis instruxit: vt spiritalis præliator non solùm sit tutus à vulnere, sed & repugnãtẽ valeat vulnerare. His igitur, dilectissimi, freti armis, impigrè atque intrepidè propositũ nobis certamẽ ineamus: vt in isto ieiuniorum studio, non eo tantũ simus fine contenti, vt solam ciborum abstinentiam putemus esse sectandam. Parum enim est, si carnis substantia tenuatur, & animæ fortitudo non alitur. Afflicto paululũ exteriore homine, reficiatur interior, & subtracta carni saturitate corporea, spiritalibus mens deliciis roboretur. Circumspiciat se omnis anima Christiana, & seuero examine cordis sui interna discutiat. Videat, ne quid ibi discordiæ inhæserit, ne quid cupiditatis insederit. Incontinentiam castitas procul pellat, mendacij tenebras lux abigat veritatis. quia os, quod mentitur, animam mentientis interficit. Detumescat superbia, humilitas assumatur, resipiscat iracundia, comminuantur iacula noxarum, & obtrectatio linguæ frænetur. Cessent vindictæ, & obliuioni mandentur iniuriæ. Omnis postremò plantatio, quam non plantauit pater cœlestis, radicitus auferatur. Tunc enim in nobis benè virtutũ semina nutriuntur, quando ab agro cordis nostri omne germen externum euellitur. Si quis ergo in quempiam ita cupiditate vltionis exarsit, vt eũ, aut carceri traderet, aut vinculis illigaret, absolutionem non solùm insontis, sed etiam eius, qui pœna dignus videtur, acceleret: vt illa Dominicæ Orationis regula fidẽter vtatur, dicens: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quã partem petitionũ ita Dominus speciali insinuatione commendat, vt totius orationis effectus in hac conditione consistat. *Si enim,* inquit, *dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & Pater vester vobis, qui in cælis est. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

Ephes. 6.

Arma Christianorum.

Cap. v. Ieiunandũ quomodo sit.

Sapien. 1.

Matth. 13.

Matth. 6.

Matth. 18.

Cap. vi.

Proinde, dilectissimi, memores infirmitatis nostræ, quia facilè in quælibet delicta prolabitur: hoc potentissimum remedium, & istã efficacissimã vulnerum nostrorum curationem nullatenus negligamus. Remittamus, vt remittatur nobis, demus veniam, quam rogamus, & non studeamus vindicari, qui nobis precamur ignosci. Pauperum gemitus surdo non transeamus auditu, & misericordiam indigentibus prompta benignitate præstemus: vt misericordiã in iudicio mereamur inuenire. Ad quam perfectionem qui studium suum gratia Dei adiutus intendit, hic sanctum ieiunium fideliter peraget, hic à fermento malitiæ veteris alienus, in azymis synceritatis & veritatis ad beatum Pascha perueniet, & per nouitatẽ vitæ dignè lætabitur in sacramento reformationis humanæ, Per Christum Dominum nostrum, Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

1. Cor. 5.

SERMO II.

De Quadragesima.

Viuendum est in Quadragesima religiosiùs, quia tunc diabolus aduersum nos acriore sæuit inuidia.

Licet nobis, dilectissimi, appropinquante festiuitate Paschali ieiunium Quadragesimæ ipse legitimi temporis recursus indicat: cohortatio tamen etiam nostri sermonis adhibenda est, quæ auxiliante Domino; nec inutilis sit pigris, nec onerosa deuotis. Nam cùm omnem obseruantiam nostram ratio istorum dierum poscat augeri: nemo est (vt confido) de vobis, qui se ad opus horum non gaudeat incitari. Natura enim nostra, manente adhuc mortalitate, mutabilis, etiamsi ad summa quæque virtutum studia prouehatur: semper tamen sicut potest habere quo recidat, ita potest habere, quo crescat. Et hæc est perfectorum vera iustitia, vt nunquam præsumant se esse perfectos: ne ab itineris nondũ finiti intẽtione cessantes, ibi incidant in deficiendi periculum, vbi proficiendi deposuerint appetitum. Quia ergo nemo nostrum, dilectissimi, tam perfectus & sanctus est, vt perfectior sanctiórque esse non possit: omnes simul sine differẽtia graduum, sine discretione meritorum, ab iis, in quæ peruenimus, in ea quæ nondum apprehendimus, pia auiditate curramus, & ad mensuram consuetudinis nostræ necessarij aliquid addamus augmenti. Parum enim religiosus alio tempore demonstratur, qui in his diebus non religiosior inuenitur. Vnde opportunè auribus nostris lectio Apostolicæ prædicationis insonuit, dicẽs: *Ecce nunc tempus acceptũ, ecce nunc dies salutis.* Quid enim acceptius hoc tẽpore? quid salubrius his diebus? in quibus vitiis bellũ indicitur, & omniũ virtutum profectus augetur. Semper quidem tibi, ô anima Christiana, vigilandum contra salutis tuæ aduersariũ fuit, ne vllus pateret locus tentatoris insidiis: sed modo tibi maior cautio & sollicitior assumenda prudentia est, quãdo idem hostis tuus acriori sæuit inuidia. Nunc enim in toto mundo potestas ei antiquæ dominationis aufertur, & innumera illi captiuitatis vasa rapiuntur. Renunciatur atrocissimo prædoni à populis omnium nationum, omniúmque linguarum, & nullum iam genus hominum reperitur, quod non iam tyrannicis legibus reluctetur, dum per omnes fines terræ regeneranda in Christo multorum millium millia præparantur: & appropinquante nouæ creaturæ ortu, spiritalis nequitia, ab iis quos possidebat, excluditur. Fremit ergo expoliati hostis impius furor: & nouum quærit lucrum, quia ius perdidit antiquum. Captat indefessus & peruigil, si quas reperiat oues à sacris gregibus negligẽtius euagãtes, quas per procliuia voluptatum & per deuexa luxuriæ in diuersoria mortis inducat. Inflammat itaque iras, nutrit odia, acuit cupiditates, irridet continentiam, incitat gulam. Quem enim tẽtare non audeat, qui nec ab ipso Domino nostro Iesu Christo conatum suæ fraudis abstinuit? Nam sicut Euangelica patefacit historia: cùm Saluator noster, qui erat verus Deus, vt verũ se hominẽ etiam demõstraret & impias opiniones totius erroris excluderet, post quadraginta

Cap. I.

Vera perfectorum iustitia.

Cap. II.

2. Cor. 6.

Dæmonis calliditas.

Cap. III.

Matth. 4.

draginta dierum noctiumque ieiunium infirmitatis nostræ in se recepisset esuriem, gauisus diabolus signum se in eo passibilis atque mortalis inuenisse naturæ, vt exploraret potentiam quam timebat, *Si filius Dei, inquit, es, dic vt lapides isti panes fiant.* Poterat itaque istud omnipotẽs,& facile erat, vt ad creatoris imperium, inquã iuberetur speciem, cuiuslibet generis * creatura trãsiret,sicut cùm voluit, in conuiuio nuptiali aquam mutauit in vinum: sed hoc magis salutiferis dispensationibus congruebat, vt nequissimi hostis astutia, non potentia deitatis, sed humilitatis mysterio vinceretur. Denique fugato diabolo,& omnibus artibus callidi tentatoris elisis, accesserunt ad Dominum angeli,& ministrabãt ei: vt veri hominis & veri Dei, & apud dolosas interrogationes, inuiolata esset humanitas, & apud sancta obsequia manifesta diuinitas. Confundantur itaque filij diaboli atque discipuli, qui repleti inspiratione viperea, simplices quosque decipiunt, negantes in Christo vtramque veram esse naturam, dum aut deitatem homine, aut hominem deitate dispoliant, cùm vnius temporis gemino documento vtraque falsitas sit perempta: quia & per famẽ corporis perfecta humanitas,& per famulãtes angelos demonstrata est * perfecta diuinitas. Quia ergo, dilectissimi, sicut Redemptoris nostri magisterio edocti sumus, non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei, dignumque est populus Christianus in quantacunque abstinentia cõstitutus, magis desideret se Dei verbo, quàm cibo satiare corporeo: prompta deuotione & alacri fide suscipiamus solenne ieiunium, non in sterili inedia, quam plerunque & imbecillitas corporis & auaritiæ morbus indicit, sed in larga beneuolentia celebrãdum, vt scilicet simus de illis, de quibus ipsa veritas dicit: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Deliciæ igitur nostræ sint opera pietatis,& illis cibus, qui nos ad æternitatem nutriunt, impleamur. Lætemur in refectionibus pauperum, quos impendia nostra satiauerint. Iucundemur in vestitu eorum, quorum nuditatem indumentis necessariis texerimus. Sentiant humanitatem nostram ægritudines decumbentiũm, imbecillitates debilium, labores exulum, destitutio pupillorum, & desolatarum lamenta viduarũ: in quibus iuuandis nemo est, qui non aliquam possit exequi beneuolentiæ portionem. Nulli enim paruus est census, cui magnus est animus: nec de rei familiaris modo mensura miserationis pendet aut pietatis. Nunquam merito caret, etiam in tenui facultate, bonæ volũtatis opulentia. Maiora quidem impendia sunt diuitum, & minora mediocrium: sed non discrepat fructus operum, vbi idem est affectus oparantium. In ista autem, dilectissimi, exercendarum opportunitate virtutum, sunt & aliarum insignia opera coronarum, quæ nullo horreorum dispendio, nulla diminutione pecuniæ capiantur: si pellatur lasciuia, si abdicetur ebrietas, & carnalis concupicentia, castitatis legibus edometur. Si odia transeant in dilectionem, si inimicitiæ conuertantur in pacem, si tranquillitas extinguat iram, si mansuetudo remittat iniuriam: si denique dominorum atque seruorum tam ordinati sint mores, vt & illorum potestas mitior, & istorum sit disciplina deuotior. Hac igitur obseruantia, dilectissimi, obtinebitur misericordia Dei, & abolito peccatorum reatu, religiosè venerandum Pascha celebrabitur. Quod & Romani orbis piissimi Imperatores sancta antiquitus obseruatione custodiũt, qui in honorem Dominicæ passionis, altitudinem suæ potestatis inclinant,& constitutionum suarum seueritate mollita, multarum culparum reos incipiunt relaxari: vt in diebus, quibus mundus saluatur miseratione diuina, etiam ipsorum supernæ bonitatis imitatrix sit æmulanda clementia. Imitentur igitur Christiani populi Principes suos, & ad domesticam indulgentiam regiis incitentur exemplis. Non enim priuatas leges fas est austeriores esse, quàm publicas. Remittantur culpæ, vincula soluantur, deleantur offensæ, pereant vltiones: vt sacra festiuitas per diuinam atque humanam benignitatem, omnes lætanres, omnes habeat innocentes: Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per infinita sæcula sæculorum, Amen.

[Marginalia: Ioan. 2. — *natura.* — Cap. IV. — *manifesta.* — Matth. 4. Deut. 9. — Ieiunium verum. — Matth. 5. — Voluntas bona remuneratur. — Cap. V. — Imperatores Romani quando legum suarũ relaxẽt seueritatem.]

SERMO III.

De Quadragesima.

Non præsumendum de non peccandi facilitate, & de calliditate diabolicæ tentationis.

SEmper quidem nos, dilectissimi, sapienter & sanctè viuere decet, & in id voluntates nostras actionésque dirigere, quod diuinæ nouimus placere iustitiæ: Sed cùm ij appropinquant dies, quos illustriores nobis salutis nostræ sacramenta fecerunt, diligentiore sollicitudine corda nostra sunt mundanda, & studiosius exercenda est disciplina virtutum: vt sicut ipsa mysteria quadam sui parte maiora sunt, ita & nostra obseruantia superet in aliquo consuetudinem suam: & cui festiuitas est celebranda sublimior, ipse quoque in ea reperiatur ornatior. Si enim rationabile & quodammodo religiosum videtur, per diem festum in vestitu nitidiore prodire, & habitu corporis hilaritatem mentis ostendere, si ipsam quoque Orationis Domum propensiore tũc cura & ampliore cultu, quantum possumus, adornamus: nónne dignum est, vt anima Christiana, quæ verum viuumque Dei templum est, speciem suam prudenter exornet, & redemptionis suæ celebratura sacramentum, omni circumspectione præcaueat, ne vlla eam macula iniquitatis obfuscet, aut duplicis cordis ruga dedecoret? Nam quid prodest honestatis formam præferens cultus exterior: si interiora hominis aliquorum sordeant contaminatione vitiorum? Omnia igitur quæ animi puritatem & speculum mentis obnubilant, abstergenda sedulo, & quadam elimatione redéda sunt. Scrutetur quisque conscientiam suam, séque ante se statuat proprij censura iudicij. Videat, si in secreto cordis sui illam, quam Christus dat, inuenit pacem, si desiderium spiritus nulla concupiscẽtia carnis impugnat, si humilia non spernit, si alta non appetit, si iniquo non delectatur lucro, si immoderato rerum suarum non gaudet augmento: si denique aliena felicitate non vritur, aut inimici miseria non lætatur Et cùm harum perturbationum nihil in se fortè repererit, syncero disquirat examine, qualium cogitationum specie frequentetur: & vtrum nullis vanitatũ imaginibus acquiescat, vel quàm citò animũ ab iis quæ noxiè blandiuntur, abducat. Nam nullis illecebris commoueri, nullis cupiditatibus titillari, non est istius vitæ, quæ tota tentatio est, & qua nimirum vincitur, qui vinci ab eadem non veretur. Superbũ est enim de non peccandi facilitate præsumere, cùm hoc ipsum præsumpsisse, peccatum sit, dicente beato Ioanne Apostolo: *Si dixerimus, quia peccatũ non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Nemo igitur se fallat, dilectissimi, nemo se decipiat. Neque ita quisquã de cordis sui puritate consi-

[Marginalia: CAP. I. In Quadragesima viuendum sanctius — Festiuis diebus animus maximè purgandus. — Conscientia vt excutienda. Ioan. 14. — Iob. 7. — I. Ioan. 1. — Cap. II.]

confidat, vt putet se nullis tentationum periculis subiacere, cùm peruigil ille tentator eos acrioribus pulset insidiis, quos maximè viderit abstinere à peccatis. Nam à quo dolos suos contineat, qui ipsum quoque Dominum maiestatis ausus est calliditatis suæ fraude tentare? Viderat superbiam suam baptizati Domini Iesu humilitate calcatam, intellexerat quadraginta dierum ieiunio omnem cupiditatem carnis exclusam, & tamen non desperauit de artibus suæ malitiæ spiritalis improbitas, tantumque sibi de naturæ nostræ mutabilitate promisit: vt quem verum experiebatur hominem, præsumeret posse fieri peccatorem. Si ergo ab ipso Domino & Saluatore nostro deceptionum suarum diabolus non reuocauit insidias: quanto magis fragilitatem nostram impugnare præsumit, quos exinde vehementiore odio & inuidia sæuiore persequitur, ex quo ei in baptismo renunciauimus, & ab illa, cui dominabatur, origine, in nouam creaturam diuina regeneratione transiuimus? Vnde quia dum mortali carne circundamur, non desinit nobis hostis antiquus laqueos peccati vbique prætendere, & tunc maximè aduersus Christi membra sæuire, quando ab eis sunt sacratiora celebranda mysteria, meritò doctrina Spiritus sancti hac eruditione imbuit populum Christianum, vt ad Paschale festum quadraginta dierum se continentia præpararet, cuius purificationis ratio iam nos ad obseruantiam suæ salubritatis inuitat, & diligentiam nobis propositæ castigationis indicit. Quantò enim sanctiùs
CAP. III. quisque hos dies inuenietur egisse, tantò probabitur Pascha Domini religiosiùs honorasse. In die-
Gal. 6. bus igitur sanctorum ieiuniorum pietatis opera, quibus semper studendum est, abundantiùs exequamur: misericordes simus ad omnes, maximè
Matth. 5. autem ad domesticos fidei, vt in ipsis quoque eleemosynarum distributionibus, bonitatem Patris cælestis imitemur, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Quamuis ergo fidelium præcipuè sit adiuuanda paupertas, etiam illi tamen, qui nondum Euangelium receperunt, in suo labore miserandi sunt: quia in omnibus hominibus naturæ est diligenda communio, quæ nos etiam iis benignos debet efficere, qui nobis quacunque sunt conditione subiecti, maximè si eadem gratia iam renati, & eodem sanguinis Christi pretio sunt redempti. Simul enim & cum istis habemus, quòd ad imaginem Dei conditi sumus, nec carnali origine à nobis, nec spiritali natiuitate diuisi sunt. Eodem spiritu sanctificamur, eadem fide viuimus, ad eadem Sacramenta concurrimus. Non spernatur hæc vnitas, nec vilis nobis sit tanta communio: sed hoc ipsum nos per omnia faciat mitiores, quòd eorum vtimur subiectione, cum quibus vni Domino eadem subiicimur seruitute. Si qui ergo horum grauioribus dominos suos offendere delictis, indulgentiam nunc in diebus reconciliationis accipiant. Auferat miseratio seueritatem, & venia deleat vltionem. Nullum custodia teneat, nullum carcer includat, quoniam Deus noster misericordiam suam hac conditione promisit, vt remittenda sibi is nosset peccata propria, qui
Matth. 18. remisisset aliena. Dissensionum materiæ, dilectissimi, & inimicitiarum aculei conterantur. Cessent odia, deficiant simultates, in vnitatem dilectionis
Matth. 5 omnia Christi membra conueniant. Beati enim pa-
Rom. 8. cifici, quoniam filij Dei vocabuntur, nec solùm filij, sed etiam hæredes, cohæredes autem Christi, Qui viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO IV.

De Quadragesima.

Abstinendum in Quadragesima ab omnibus vitiis, & misericordiæ operibus incumbendum, atque de Manichæorum impietate.

PRædicaturus vobis, dilectissimi, sacratissimum maximúmque ieiunium, quo aptiùs vtar exordio, quàm vt verbis Apostoli, in quo Christus loquebatur, incipiam: dicamque, quod lectum est, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis!* Quamuis enim nulla sint tempora, quæ diuinis non sint plena muneribus & semper nobis ad misericordiam Dei per ipsius gratiam præstetur accessus: nunc tamen omnium mentes maiori studio ad spiritales profectus moueri, & ampliori fiducia oportet animari: quando ad vniuersa pietatis officia, illius nos diei, in quo redempti sumus, recursus inuitat: vt excellens super omnia Passionis Dominicæ sacramentum purificatis & corporibus & animis celebremus. Debebatur quidem tantis mysteriis ita incessabilis deuotio, & continuata reuerentia: vt tales permaneremus in conspectu Dei, quales nos in ipso Paschali festo dignum est inueniri. Sed quia hæc fortitudo paucorum est, & dum carnis fragilitate austerior obseruantia relaxatur, dumque per varias actiones vitæ huius sollicitudo distenditur, necesse est de mundano puluere etiam religiosa corda sordescere: magna diuinæ institutionis salubritate prouisum est, vt ad reparandam mentium puritatem, Quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas, & pia opera redimerent, & ieiunia casta decoquerent. Ingressuri igitur, dilectissimi, dies mysticos, & purificandis animis atque corporibus sacratiùs institutos, præceptis Apostoli obedire curemus: emundantes nos ab omni inquinamento carnis ac spiritus, vt castigatis colluctationibus, quæ sunt inter vtramque substantiam, animus, quem sub Dei gubernaculis constitutum, corporis sui decet esse rectorem, dominationis suæ obtineat dignitatem: vt nemini dantes vllam offensionem, vituperationibus obloquentium non simus obnoxij. Digna enim ab infidelibus reprehensione carpemur, & nostro vitio linguæ impiæ in iniuriam se religionis armabunt: si ieiunantium mores à puritate perfectæ continentiæ discrepatint. Non enim in sola abstinentia cibi stat nostri summa ieiunij, aut fructuosè corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate reuocetur, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur. Sic ergo nobis edendi est moderanda libertas: vt etiam aliæ cupiditates eadem lege frenentur. Mansuetudinis & patientiæ, pacis & tranquillitatis hoc tempus est: in quo exclusa omnium contaminatione vitiorum, perpetuitas nobis est obtinenda virtutum. Nunc piarum mentium fortitudo donare culpas, negligere contumelias, & obliuisci assuescat iniurias. Nunc fidelis animus per arma iustitiæ à dextris se exerceat & sinistris: vt per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, securam conscientiam, conantémque probitatem, nec laudes inflent, nec opprobria defatigent. Religiosorum modestia non sit mœsta, sed sancta: nec inueniantur in eis vllarum murmura querelarum, quibus nunquam desunt sanctorum solatia gaudiorum. Non timeatur inter opera misericordiæ terrenarum diminutio facultatum. Semper diues est Christiana

CAP. I. Quadragesimæ sacratissimum ieiunium.
1. Cor. 6.
Passio Domini vt celebranda.
CAP. II.
2. Cor. 7.
1. Cor. 6.

ſtiana paupertas, quia plus eſt quod habet, quàm
quod non habet. Nec pauet in iſto mundo indi-
gentia laborare, cui donatum eſt, in omnium re-
rum dominio omnia poſſidere. Operantibus ergo,
quæ bona ſunt, non eſt omnino metuendum, ne
Lucæ 21. eis deſit facultas operandi: cùm & in duobus num-
Matth. 10. mis Euangelicæ illius viduæ ſit laudata deuotio, &
pro calice aquæ frigidæ præmium habeat gratuita
largitio. Ex affectibus enim piorum benignitatis
menſura taxatur: & nunquam eum miſerendi ef-
ficacia deſerit, in quo miſericordia ipſa non defi-
cit. Experta hoc eſt vidua illa de Sarepta, quæ bea-
2.Reg. 17. to Heliæ in tempore famis, vnius diei cibum, quem
ſolum habebat appoſuit: & Prophetæ eſuriem
neceſſitati ſuæ præferens, exiguum farinæ & puſil-
lum olei incunctanter expendit. Sed non defuit
ei, quod fideliter erogauit, & in vaſis pia effuſione
vacuatis, fons nouæ vbertatis exortus eſt: vt ſan-
ctis vſibus non minueretur eius ſubſtantiæ pleni-
CAP. III. tudo, cuius non fuerat formidata defectio. His
autem ſtudiis, dilectiſſimi, ad quæ vos voluntariè
confidimus præparatos, non ambigimus diabo-
lum, qui omnium virtutum eſt aduerſarius, inuide-
re, & ad hoc vim ſuæ malignitatis armare; vt pietati
laqueos de ipſa pietate prætendat: & quos non
Superbia bonis operibus inſidiatur. potuerit deiicere per diffidentiam, conetur ſupe-
rare per gloriam. Vicinum eſt enim rectis actioni-
bus ſuperbiæ malum, & de proximo ſemper virtu-
tibus inſidiatur elatio: Quia difficile eſt, vt lauda-
2. Cor. 10. biliter viuentem laus non capiat humana, niſi, vt
ſcriptum eſt, *Qui gloriatur, in Domino glorietur.*
Cuius verò ille hoſtis nequiſſimus non audeat im-
pugnare propoſitum? cuius non appetat violare
ieiunium? quando verſutias ſuas, ſicut Euangelica
lectione patefactum eſt, nec ab ipſo mundi Salua-
tore continuit? Expaueſcens enim in illo quadra-
ginta dierum noctiúmque ieiunium, explorare cal-
lidè voluit, vtrùm hanc continentiam donatam ha-
beret, an propriam: vt non metueret deceptionum
Tentationis Chriſtianæ à diabolo ordo explicatur. ſuarum opera ſoluenda, ſi Chriſtus eius eſſet con-
ditionis, cuius eſt corporis. Primò itaque dolo ſcru-
tatus eſt, an ipſe eſſet ſubſtantiarum Creator, qui
rerum corporearum poſſet, in quæ vellet, mutare na-
turas. Secundò, an ſub humanæ carnis ſpecie diuini-
tas obumbrata tegeretur, cui facile eſſet peruium
ſibi aërem facere, & terrena per vacuum membra li-
brare. Sed cùm illi Dominus iuſtitiam maluiſſet op-
ponere veri hominis, quèm potentiam manifeſtare
deitatis: ad hoc conuertit tertiæ fraudis ingenium, vt
eum, in quo diuinæ poteſtatis ſigna ceſſauerant,
dominandi cupiditate tentaret, & ad venerationem
ſui regna mundi pollicendo traduceret. Sed pru-
dentiam diaboli ſtultam fecit ſapientia Dei: vt ſu-
perbus hoſtis hominem videns, quem aliquando ſu-
perauerat, non metueret eum perſequi, quem pro
omnibus oportebat occidi.

CAP. IV. Huius igitur aduerſarij dolos, non ſolùm in ille-
cebris gulæ, ſed etiam in propoſito abſtinentiæ ca-
ueamus. Qui enim ſciuit humano generi mortem
inferre per cibum, nouit & per ipſum nocere ieiu-
nium: & ad contrariæ fraudis effectum, famulis
vtendo Manichæis, ſicut per ſerpentem intulit in-
terdicta præſumi: ita per famem ſuadet conceſſa
vitari. Vtilis quidem eſt abſtinentia, quæ parco aſ-
ſueta victu, deliciarum cohibet appetitum: ſed væ
illorum dogmati, apud quos etiam ieiunando pec-
catur. Damnant enim creaturarum naturam in Crea-
toris iniuriam, & contaminari edentes aſſerunt iis,
quorum non Deum, ſed diabolum conditorem eſ-
ſe definiunt: cùm prorſus nulla ſit ſubſtantia mala,
nec ipſius mali ſit vlla natura. Omnia enim bona
bonus author inſtituit, & vnus eſt vniuerſarum re-
rum creator, *qui fecit cœlum & terram, mare, & om-
nia quæ in eis ſunt.* Ex quibus quicquid homini ad
cibum potúmque conceſſum eſt, ſanctum & mun-
dum in ſui generis qualitate. Quod ſi immoderata
auiditate ſumatur, nimietas edaces & bibaces dede-
corat, non cibi, neque pôculi natura contaminat.
Omnia enim, ſicut Apoſtolus ait, *munda ſunt mundis.*
Coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mun- Ad Tit. 1.
dum, ſed coinquinata ſunt eorũ mens & conſcientia.

Vos autem, dilectiſſimi, Catholicæ matris ſancta CAP. V.
generatio, quos in ſchola veritatis Spiritus ſanctus
erudiuit, libertatem veſtram congrua ratione mo-
deramini, ſcientes quoniam bonum eſt, etiam à lici-
tis abſtinere, & cùm caſtigatiùs viuendum eſt, ita
diſcernere cibos, vt vſus eorum ſemoueatur, non
natura damnetur. Nulla itaque vos contagionis
huius aſpergat impietas, qui ſua maxime obſeruan-
tia polluuntur, ſeruientes creaturæ potiùs quàm
creatori, & luminaribus cœli ſtultam abſtinentiam
deuouentes, quos nemo ambigat eſſe Manichæos,
qui in honorem ſolis ac lunæ die Dominico & ſe-
cunda feria deprehenſi fuerint ieiunare. Vno enim
peruerſitatis ſuæ opere, bis impij, bis prophani ſunt,
qui ieiunium ſuum, & ad ſyderum cultum, & ad
reſurrectionis Chriſti inſtituêre contemptum. Ab-
dicant enim ſe ſacramento ſalutis humanæ, &
Chriſtum Dominum noſtrum, ſicut in veritate car-
nis noſtræ denegant natum: ita verè mortuum &
reſurrexiſſe non credunt. Et ob hoc, diem ſalutis
& lætitiæ noſtræ ſui ieiunij mœrore condemnant.
Cúmque ad tegendum infidelitatem ſuam noſtris
audeant intereſſe myſteriis, ita in ſacramentorum
communione ſe temperant, vt interdum tutiùs la-
teant: ore indigno Corpus Chriſti accipiunt, San-
guinem autem redemptionis noſtræ haurire om-
nino declinant. Quod ideo veſtram volumus ſcire
ſanctitatem, vt vobis huiuſcemodi homines, & his
manifeſtentur indiciis, & quorum deprehenſa fue-
rit ſacrilega ſimulatio, notati & prohibiti à Sancto-
rum ſocietate, ſacerdotali authoritate pellantur. De
talibus enim beatus Paulus Apoſtolus Eccleſiam
Dei prouidè monet dicens: *Rogamus autem vos, fra-* Rom. 16.
*tres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones & offendicula
præter doctrinam, quam didiciſtis, faciunt, & decli-
nate ab illis.* Huiuſcemodi enim Chriſto Domino
non ſeruiunt, ſed ſuo ventri, & per dulces ſermo-
nes & benedictiones ſeducunt corda innocen-
tium. His ergo, dilectiſſimi, admonitionibus no- CAP. VI.
ſtris, quas auribus veſtris contra execrabilem ſe-
ctam frequenter ingeſſimus, ſufficienter inſtructi,
ſanctos Quadrageſimæ dies pia deuotione ſuſcipi-
te: & ad promerendam miſericordiam Dei per
opera vos miſericordiæ præparate, iram extingui-
te, odia deponite, vnanimitatem diligite; & ſyn-
ceris vos humilitatis officiis inuicem præuenite.
Seruis, & his, qui vobis ſubiecti ſunt, cum æqui-
tate dominamini. Nullus eorum aut clauſtris cru-
cietur, aut vinculis: ceſſent vindictæ, remittantur
offenſæ: ſeueritas lenitate, indignatio manſuetu-
dine, diſcordia pace mutetur. Omnes nos modeſtos,
omnes placidos, omnes experiantur benignos: vt ie-
iunia noſtra accepta ſint Deo. Cui ita demum ſacri-
ficium veræ abſtinentiæ & veræ pietatis offerimus, ſi
nos ab omni malitia contineamus. Cum inimicis au-
tem Crucis Chriſti nulla conſenſione iungamur: ne
impiorum conſortio ſanctitas fidelium polluatur.
Lux ſeparetur à tenebris, & fugiant filios diabo-
li filij veritatis. In templum enim Domini, quod eſt
Eccleſia Chriſti, nil contaminatum inferri, nil pro-
phanum oportet admitti: vt omni immunditia à pe-
netralibus

nettralibus cordis exclusa, sanctificetur ieiunium nostrum,& simus æternum Sancti Spiritus habitaculum: qui nos à peccatorum sordibus emundatos & possidere dignetur semper & regere. Secunda igitur & quarta & sexta Feria ieiunemus: Sabbato autem apud beatum Petrum Apostolum Vigilias celebremus, qui commendati sibi gregis curam habere non desinens, custodiam nobis de suis precibus obtinebit, auxiliante Deo nobis per omnia, cui cum Filio & Spiritu sancto vna est deitas, vna maiestas in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO V.

De Quadragesima.

De multitudine periculorum huius vitæ, & peccatis remitendis.

Cap. I. Ephes.4. Coloss.3. Apostolica, dilectissimi, doctrina nos admonet, vt deponentes veterem hominem cum actibus suis, de die in diem sancta conuersatione renouemur. Si enim templum Dei sumus,& mentium nostrarum Spiritus sanctus habitator est, dicente Apostolo, *Vos estis templum Dei viui*: multa nobis vigilantia laborandum est, vt cordis nostri receptaculum tanto hospite non sit indignum. Et sicut in domibus manufactis laudabili diligentia prouidetur, vt si quid aut infusione imbrium, aut turbine procellarum, vel ipsa fuerit antiquitate corruptum, in integrum cura restituat: ita iugi oportet sollicitudine præcaueri, ne quid in nostris animis incompositum, ne quid inueniatur immundum. Quamuis enim ædificium nostrum sine opere sui non subsistat artificis, nec fabrica nostra possit esse incolumis, nisi ei protectio præfuerit conditoris: tamen quia rationabiles lapides sumus & viua materies, sic nos auctoris nostri extruit manus, vt cum opifice suo etiam is, qui reparatur, operetur. Gratiæ igitur Dei obedientia se humana non subtrahat, nec ab illo bono, sine quo non potest bona esse, deficiat. At si quid sibi impossibile aut arduum in mandatorum effectibus experitur, non in se remaneat, sed ad iubentem recurrat: qui ideo dat præceptum, vt excitet desiderium, & præstet auxilium, dicente Propheta: *Iacta in Deum cogitatum tuum, & ipse te enutriet*. An fortè quisquam ita insolenter superbit, ita se illæsum, ita immaculatum esse præsumit, vt nullius iam renouationis indigeat? Fallitur prorsus ista persuasio, & nimia vanitate veterascit, quicunque inter tentationes huius vitæ ab omni se vulnere credit immunem. Plena omnia periculis, plena sunt laqueis. Incitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent, amaræ sunt obloquentium linguæ, nec semper veracia sunt ora laudantium. Inde sæuit odium, hinc decipit mendax officium: vt facilius sit vitare discordem, quam declinare fallacem. In ipsis autem virtutibus obtinendis tam dubius modus,& tam incerta discretio, vt si quisquam inter bonorum malorumque confinia, subtilissimi discriminis potuerit seruare mensuras; difficile sit, vt bene sibi consciam probitatem obtrectantium lingua non mordeat,& iniquorum euadat opprobria, cui est amica iustitia. Iam cùm ad ipsas rerum temporalium varietates cogitatio humana conuertitur, quantæ se opponunt caligines, quanti prauarum opinionum oboriuntur errores, vt de obiectu contrariorum sumatur materia querelarum? Nam licèt omnium fidelium corda non dubitent nullis huius mundi partibus, nullisque temporibus prouidentiam abesse diuinam, nec de stellarum potestate, quæ nulla est, sæcularium negotiorum pendere prouentus, sed æquissimo & clementissimo summi regis arbitrio cũcta disponi, quoniam sicut scriptũ est; *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas*: tamen cùm quædã non secundùm desideria nostra procedunt,& sub humani iudicij errore superior est plerunque iniqui causa quàm iusti: vicinũ nimis atque contiguum est, vt etiam magnanimos ista concutiant, & in aliquod illicitæ causationis murmur impellant. Siquidem istis varietatibus etiã excellentissimus Propheta Dauid vsque ad periculum se turbatum profitetur, & dicit: *Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns*. Vnde quia paucorũ est tam solida fortitudo, vt nulla inæqualitatum perturbatione quatiantur, & multos fidelium non aduersa tantùm, sed etiã secunda corrumpant: sanandis vulneribus, quibus humana infirmitas sauciatur, diligens est adhibenda curatio. Ideò enim de periculis, quibus mundus hic plenus est, quædam breuiter percurri, vt dicente scriptura, *Quis gloriabitur castũ se habere cor, aut mundum se esse à peccato?* omnes sibi intelligant delictorũ indulgentiam,& reparationis necessariam esse medicinam. Quando autem opportuniùs, dilectissimi, ad remedia diuina recurremus, quàm cùm ipsa nobis sacramenta redemptionis nostræ temporũ lege referuntur? quæ vt digniùs celebremus, saluberrimè nos quadraginta dierum ieiunio præparemus. Non enim ij tantùm, qui per mortis Christi resurrectionisque mysterium in nouam vitam baptismo sunt regenerante venturi, sed etiam omnes populi renatorum vtiliter sibi & necessariò prę sidiũ huius sanctificationis assumunt: illi, vt quæ nondum habent, accipiant: isti, vt accepta custodiant. Dicente namque Apostolo, *Qui stat, videat ne cadat*: nemo est tanta firmitate suffultus, vt de stabilitate sua debeat esse securus. Vtamur igitur, dilectissimi, saluberrimi temporis venerabilibus institutis, & sollicitiore cura cordis nostri * piacula tergamus. Quantumlibet enim castè & sobriè mortalis hæc vita ducatur, quodam tamen puluere terrenæ conuersationis aspergitur, & nitor mentium ad Dei imaginem conditarum, non ita à fumo totius vanitatis alienus est, vt nulla possit sorde fuscari, & non semper indigeat expoliri. Quod si etiam cautissimis animis necessarium est, quantò illis ampliùs est expetendum, qui tota ferè anni spatia, aut securiùs, aut fortè negligentiùs transierunt? Quos charitate debita commonemus, vt non ideo sibimet blandiantur, quia nobis conscientiæ singulorum patere non possunt: cùm oculos Dei simul vniuersa cernentis, non abdita locorum, non parietum septa secludant, nec solùm ei acta & cogitata, verùm & agenda & cogitanda sint cognita. Ista ergo scientia summi Iudicis, iste est tremendus aspectus, cui peruium est omne solidum, & apertum omne secretum: cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, & sine voce mens loquitur. Nemo patientiam bonitatis Dei de peccatorum suorum impunitate contemnat: nec ideo illum æstimet non offensum, quia necdum est expertus iratum. Non sunt longæ vitæ mortalis induciæ, nec diuturna est licentia insipientium voluptatum in æternarum dolorem transitura pœnarum: si dum iustitiæ sententia suspenditur, pœnitentiæ medicina non quæritur. Confugiamus igitur ad præsentem vbique misericordiam Dei, & vt sanctum Pascha Domini digna obseruantia celebretur, cunctorum se

Marginalia: 1. Cor.6. — Cooperatores Dei sumus. — Psal.54. — Vita hæc plena periculis. — Cap. II. — Psalm.24. — Psal.72. — Prou.20. — Cap. III. — 1. Cor.10. — * peccata. — Hebr.4. — Rom.2. — Cap. IV.

ſe fidelium corda ſanctificent. Miteſcat ſæuitia, manſueſcat iracundia, remittant ſibi omnes culpas inuicem ſuas, nec exactor ſit vindictæ, qui petitor eſt veniæ. Dicentes enim, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris,* duriſſimis nos vinculis illigamus, niſi quod profitemur, impleamus. Vnde etſi orationis huius ſacratiſſimum pactum non tota ſui conditione ſeruatum eſt, nunc ſaltem conſcientiam ſuam vnuſquiſque cognoſcat, & alienis ignoſcendo delictis, abolitionem ſuorum obtineat peccatorum. Dicente namque Domino, *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter, qui in cœlis eſt, delicta veſtra:* non longè eſt ab vnoquoque quod poſcit, cùm de benignitate ſupplicis ſententia pendeat iudicantis. Qui humanarum precum miſericors & iuſtus auditor, æquitati ſuæ de noſtra lenitate præſcripſit, vt nō haberet in eos ius ſeueritatis, quos non inueniſſet cupidos vltionis. Clementes autem & mites animos etiam largitas decet. Nihil eſt enim dignius, quàm vt homo ſit ſui auctoris imitator: & ſecundùm modum propriæ facultatis, diuini ſit operis executor. Nam cùm aluntur eſurientes, veſtiuntur nudi, fouentur infirmi, nónne auxilium Dei manus implet miniſtri, & benignitas ſerui munus eſt Domini? Qui cùm ad effectus miſericordiæ ſuæ adiutore non egeat, ita ſuam omnipotentiam temperauit, vt à laboribus hominum per homines ſubueniret, & meritæ Deo gratiæ referrentur de pietatis officiis, cuius opera viderentur in famulis. Propter quod ipſe Dominus Diſcipulis ſuis ait: *Sic luceat lumen veſtrum coram hominibus, vt videntes opera veſtra bona magnificent Patrem veſtrum, qui eſt in cœlis.* Qui cum eodem Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum benedictus. Amen.

Matth. 6. Matth. 18. Matth. 6. Luc. 6. Matth. 5.

SERMO VI.

De Quadrageſima.

Quòd ieiunio corporis & animæ adiungenda ſunt opera miſericordiæ, quæ magis ex animi affectione, quàm donorum magnitudine penſantur.

Cap. I. Pſal. 23.

SEmper quidem, dilectiſſimi, miſericordia Domini plena eſt terra, & vnicuique fidelium ad colendum Deum ipſa rerum natura doctrina eſt, dum cœlum & terra, mare, & omnia quæ in eis ſunt, bonitatem & omnipotentiam ſui proteſtantur auctoris: & famulantium elementorum mirabilis pulchritudo iuſtam ab intellectuali creatura gratiarum exigit actionem. Sed cùm ad iſtos recurritur dies, quos ſpecialiùs reparationis humanæ ſacramenta ſignarunt, & qui vicino ordine atque contiguo feſtum Paſchale præcedunt, diligentiùs nobis præparatio religioſæ purificationis indicitur. Quamuis enim in quolibet tempore innocens via ſit multorum, & plurimos Deo bonorum actuum conſuetudo commendet: non adeò tamen de conſcientiæ integritate fidendum eſt, vt humana fragilitate inter ſcandala tentationéſque degente, nihil potuiſſe arbitremur, quod læderet eam, incidere, cùm Propheta excellentiſſimus dicat, *Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor? aut mundum ſe eſſe à peccato?* Et iterum, *Ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo.* Si autem quod experimentis probatur talis conditio eſt eorum, qui concupiſcentiis renituntur, qui iracundiæ motibus reluctantur, & ipſarum quoque cogitationum arcana caſtigant, vt & nunquā poſſint in cordibus ſuis non inuenire, quod reprobent, & ſæpe aut fallantur occultis, aut grauentur alienis: quæ in aliis vitia, quæ ægritudines, quantaque ſint vulnera, quibus auſterior ſit adhibenda medicina, vt illius ſacramenti, per quod ſoluuntur opera diaboli, non inueniantur alieni. Paſchalis quippe feſtiuitatis hoc proprium eſt, vt tota Eccleſia remiſſione gaudeat peccatorum, quæ non in eis tantùm fiat, qui ſacro Baptiſmate renaſcuntur: ſed etiam in eis, qui dudum in adoptiuorum ſorte numerantur. Quamuis enim principaliter nouos homines faciat regenerationis ablutio, quia tamen ſemper neceſſaria eſt omnibus contra rubiginem mortalitatis quotidiana renouatio, & inter perfectum gradus nullus eſt, qui non ſemper melior eſſe debeat: generaliter adnitendum eſt, vt in die redemptionis nemo inueniatur in vitiis vetuſtatis. Quòd ergo, dilectiſſimi, in omni tempore vnumquemque conuenit facere Chriſtianum, id nunc ſolicitiùs eſt & deuotiùs exequendum: vt Apoſtolica inſtitutio quadraginta dierum ieiuniis impleatur, non ciborum tantummodò parcitate, ſed priuatione maximè vitiorum. Nam cùm ad hoc caſtigatio iſta ſumatur, vt carnalium deſideriorum fomites ſubtrahantur: nullum magis ſectandum eſt continentiæ genus, quàm vt ſemper ſimus ab iniuſta voluntate ſobrij, & ab inhoneſta actione ieiuni. Quæ deuotio non omittit ægros, non ſecernit inualidos: quia etiam in languido atque inutili corpore poteſt animi integritas reperiri, ſi vbi fuit ſedes prauitatis, ibi confirmentur fundamenta virtutis. Et ideo infirmæ carnis iſta ſufficit ægritudo, quæ ſæpè menſuram voluntariæ afflictionis excedit, tantùm, vt mens officij ſui impleat partes, & quæ corporea epulatione non vtitur, nulla iniquitate paſcatur. Rationabilibus autem ſanctiſque ieiuniis nulla vtilius, quàm eleemoſynarum opera copulantur, quæ vno miſericordiæ nomine multas laudabiles pietatis continent actiones, vt omnium fidelium pares animi eſſe poſſint etiam inter impares facultates. Dilectio enim, quę ſimul Deo hominique debetur, nullis vnquam impeditur obſtaculis, vt non ei ſemper bene velle ſit liberū. Dicentibus quippe Angelis, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis,* nō ſolùm virtute beneuolentiæ, ſed etiam pacis bono beatus efficitur quicunque aliis quacunque miſeria laborantibus charitate compatitur. Latiſſima enim ſunt opera pietatis, quæ ipſa ſui varietate id veris conferunt Chriſtianis, vt in diſtributione eleemoſynarum non ſolùm diuites & abundantes, ſed etiam mediocres & pauperes, ſuas habeant portiones: & qui largitatis ſunt viribus inæquales, mentis tamen affectione ſint ſimiles. Nam cùm ſub oculis Domini multi in gazophylacio ex opulentia ſua multa conferrent, vidua quædam duos intulit nummos, & tali Ieſu Chriſti teſtimonio meruit coronari, vt in tam paruo muneris modo, omnium fuerit collationi condigna præferri: quia inter magna eorum dona, quibus multa reſidebant, illius quod fuit exiguum, fuit totum. Si verò aliquis tantæ paupertatis coarctatur anguſtiis, vt nec ad duo æra inopi impartienda ſufficiat: habet in præceptis Domini, vnde impleat bonæ voluntatis officium. Siquidē qui ſitienti pauperi calicem aquæ frigidæ miniſtrarit, mercedē eſt ſui operis adepturus: tanta ſeruis ſuis Domino ad obtinēdum regnū ſuum præparante compendia, vt etiam præbitio aquę, cuius vſus gratuitus atque communis eſt, præmio non careat. Quod ne vlla intercluderet

In Quadrageſima religioſiùs conuerſandum. Prou. 20. Pſalm. 18. Cap. II. Luc. 2. Luc. 21. Matth. 10.

cluderet difficultas, de aqua frigida forma est proposita pietatis: ne putaret se mercede cariturum, cui de calefactione potiùs lignorum impendium defuisset. De quo tamen calice non frustra admonet Dominus, vt in nomine ipsius præbeatur: quia hæc, quæ per se sunt vilia, fides efficit pretiosa: & quæ ab infidelibus ministrantur, etsi fuerint sumptu magna, omni tamen iustificatione sunt vacua.

CAP. III. Celebraturi igitur Pascha Domini, dilectissimi, ita vos sanctis exercete ieiuniis: vt ab omnibus perturbationibus liberi, ad festa sacratissima veniatis. Superbiæ spiritus, de quo sunt omnia orta peccata, humilitatis amore pellatur: & qui elatione tumuerant, mansuetudine mitigentur. Quorum verò animos aliqua exasperauit offensio, reconciliatione sibimet in vnitatem studeant redire concordiæ. Nemini malum pro malo reddentes, & donantes inuicem vobis, sicut Christus donauit nobis, humanas inimicitias pace delete: & si qui de subditis vestris, aut claustra custodiæ, aut vincula meruerunt, misericorditer relaxentur: vt qui quotidianæ indulgentiæ remediis indigemus, non difficulter peccatis ignoscamus alienis. Dicentes enim ad Dominum Patrem nostrum, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, certissimum est, quod cùm aliorum delictis veniam tribuimus, nobis diuinam clementiam præparemus, Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Rom. 12.

SERMO VII.

De Quadragesima.

De via domini paranda, déque fide, charitate, & misericordia.

CAP. I. Virtus fidei Christianæ, charitas.

VIrtus, dilectissimi, & sapientia fidei Christianæ, amor Dei est, & amor proximi: neque vllo caret pietatis officio, cui studium est colere Dominum, & iuuare conseruum. Harum autem affectionum duplex, vnitas omni quidem est tempore exercenda, & proficienter augenda, sed nunc incrementis amplioribus dilatanda; vt quadraginta dierum ieiunium, quod festi Paschalis est præuium, interiorem cordis auditum illius vocis instar moueat, qua verbis Esaiæ Prophetæ Ioannes Baptista dicebat: *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Siue enim illam partem populi cogitemus, quæ dudum certamina Euangelici agonis ingressa, per spiritalis studij cursum indesinenter tendit ad palmam, siue illam, quæ lethalium conscia peccatorum, per reconciliationis auxilium festinat ad veniam: siue illam, quæ sancti Spiritus regeneranda baptismate, vetustate Adam exui, & Christi cupit nouitate vestiri, aptè & vtiliter omnibus dicitur: *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Quæ autem viæ Domini, quæve sint semitæ, eiusdem prædicatoris cohortatione discamus: qui diuinæ gratiæ opera & dona promittens futurarum commutationum reserabat affectus, addens sententiam prophetici sermonis, & dicens: *Omnis vallis implebitur, & omnis collis & mons humiliabitur: & erunt praua in directa, & aspera in vias planas.* Vallis itaque mansuetudinem humilium, mons & collis elationem indicat superborum. Sed quia, sicut Veritas dicit, *Qui se humiliat, exaltabitur: & qui se exaltat, humiliabitur:* meritò & vallibus adimpletio, & montibus est annunciata depressio: vt & plana nihil offensionis, & directa nihil habeant prauitatis. Quamuis enim angusta & ardua sit via, quæ ducit ad vitam, non tamen difficulter incedit, quem veritas confirmat & pietas: nec caret delectatione gradiendi, cuius iter efficit virtutum petra solidum, non vitiorum arena succiduum.

Esai. 40.

Lucæ 14. & 18.

Matth. 7.

CAP. II. Verum vt plenius nouerimus, per cuiusmodi vias nobis sit ad Dei promissa tendendum, audiamus Dauid Prophetam, quid doceat, *Vniuersæ viæ Domini, misericordia & veritas.* Forma igitur conuersationis fidelium ab exemplo venit operum diuinorum: & meritò Deus imitationem sui ab eis exigit, quos ad imaginem & similitudinem suam fecit. Cuius vtique gloriæ dignitate non aliter potiemur, quàm si in nobis & misericordia inueniatur & veritas. Per quæ enim ad saluandos Saluator aduenit, & per hæc ad saluantem debent properare saluati: vt & nos misericordia Dei misericordes, & veritas faciat esse veraces. Sicut itaque per viam veritatis mens iusta, ita per viam misericordiæ ambulat mens benigna. Nec tamen vnquam itinera ista diuersa sunt, quasi horum bonorum singula diuersis tramitibus expetantur, & aliud sit misericordia crescere, & aliud veritate proficere. Non est misericors veritatis alienus: nec iustitiæ capax est veritatis extraneus: nec vtraque virtute vtitur, qui non vtraque ditatur. Charitas robur fidei, fides fortitudo est charitatis. Et tunc verum nomen ac verus est fructus ambarum, cùm insolubilis vtriusque manet connexio. Vbi enim non simul fuerint, simul desunt: quia inuicem sibi & iuuamen & lumen sunt, donec desiderium credulitatis impleat remuneratio visionis: & incommutabiliter videatur, & ametur, quod nunc & sine fide non diligitur, & sine dilectione non creditur. Quia ergo, sicut Apostolus ait, *In Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium sed fides, quæ per dilectionem operatur.* simul atque coniunctim & charitati studeamus & fidei. Hic est enim quidam efficacissimus geminarum alarum volatus, quod ad promerendum & videndum Deum puritas mentis attollitur: ne onere curarum carnalium deprimatur. Nam qui ait, *Sine fide impossibile est placere Deo*: idem dicit: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Vnde sacramentorum paschalium diuina mysteria digno suscipiantur officio, & duo hæc, in quibus omnium præceptorum doctrina concurrit, studiosiùs appetantur: quibus singuli quique fidelium, & sacrificium Deo efficiantur, & templum. Instet, fides sperare, quod credit, instet charitas propitiare, quod diligit, vtrumque amantis est, vtrumque credentis. Et cui intelligentiæ concessione subiicimur, eidem pietatis imitatione iungamur.

Psal. 24. Forma viuendi vndè petenda.

Fides sine charitate nō prodest.

Galat. 5.

Hebr. 12.
1. Cor. 13.

CAP. III. Vox Dei est, *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Et vox Domini est, *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Ac ne dubitemus Deo tribui, quod impenditur indigenti, dispensatores eleemosynarum, quæ commercia ineant, audiamus, Domino dicente, quæ futura sit iudicij sui forma, cum dicet ad dexteram collocandis, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui, enim & dedistis mihi manducare. Sitiui, & dedistis mihi bibere. Peregrinus eram, & collegistis me. Nudus eram, & cooperuistis me Infirmus eram, & visitastis me, In carcere eram, & venistis ad me.* Quærentibus autem iustis, quando & qualiter promeruerint ista deprehendere, respondens rex dicet illis, *Amen, amen dico vobis, quandiu fecistis vni ex minimis fratribus meis, mihi fecistis.* Quid hoc opere fructuosius, quid hac humanitate facilius? quæ vtique laude sua fraudanda non esset, si propter ipsam

Leuit. 19. & 20.
Luc. 6.
Matth. 25.

uaturæ communionem iuuando homini ab homine præberetur. Sed quia quod non ex fidei procedit fonte, ad præmia æterna non peruenit, alia est conditio operum cælestium, alia terrenorum. Mundana beneuolentia in iis, quod adiuuat, habet finem: Christiana pietas in suum transit auctorem, dum in ipsum dicamur benigni, quem in nobis fatemur
Matth. 5. operari, dicente Domino, *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & magnificent patrem vestrum qui in cœlis est.*

CAP. IV. Gaude igitur mens fidelium: & gloriam tuam in eius gloria, qui te operatur, agnoscens, de ipsa Paschali festiuitate feruesce. Debiti enim tui est, vt ei, qui pro omnibus passus est, paratus sis compati: quoniam pia vita sanctorum nunquam aliena est Crucis Christi, dum continentiæ clauis desideria carnis configit, & corporeas cupiditates virtute Spiritus in se habitantis interfecit. Difficile est quemquam in se non habere, quod perimat. Extinguenda est iracundia, mortificanda est superbia, destruenda luxuria. Radix quoque auaritiæ altius persequenda est: vt omnium malorum germen excidi valeat, si eorum potuerit fomes euelli. Cùm autem hac diligentia indesinenter sit animus excolendus, & vtendum ita sit corpore, vt rectori suo necessarium præbeat natura inferior famulatum: nunc maximè frenis continentiæ caro moderanda est, & quicquid sublimibus desideriis obuiat, amputandum. Dum enim congruis purificationibus ad celebrandum Pascha Domini vtraque substantia præparatur, profutura omni tempore consuetudo nutritur, seuera in subditos imperia detumescant, cesset vindicta peccati: & rei criminum ad hos dies peruenisse se gaudeant, in quibus à sanctis piisque Principibus etiam publicarum austeritas remittitur vltionum. Aboleantur odia, deficiant simultates, pacis & beneuolentiæ multiplicetur affectus: & qui potuit malitia pollui, studeat benignitate purgari.

Quibus studiis vacandum in Quadragesima.

Matth. 25. Quoniam iudicium Dei, sicut immitibus vehemens, ita erit misericordibus clemens: & detrusis in ignem gehennæ propter inhumanitatem sinistris, dextros eleemosynarum pietate laudatos, æterna cœlestis regni beatitudo suscipiet, Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO VIII.

De Quadragesima.

De vera vtriusque natura in Christo substantia & quibus argumentis vtramque naturam probauerit, ac de hæreticis vitandis.

CAP. I. Deuotionis quidem vestræ, dilectissimi, nouimus hunc esse feruorem vt ieiuniis, quæ Domini Pascha præcurrunt, multi nostros præuenientis hortatus. Sed quia vtilitas abstinentiæ non solùm carnis castigationi, verum etiam mentis necessaria est puritati, obseruantiam vestram sic cupimus esse perfectam: vt sicut desiderij carnis rescinditis voluptates, ita ab animi sensibus excludatis errores. Nam Paschali festo, in quod omnia religionis nostræ sacramenta concurrunt, is vera & rationabili purificatione se præparat: cuius cor nulla infidelitate polluitur. Dicente enim Apostolo,
Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est*: inutilia erunt & vana eorum ieiunia: quos illusionibus suis decipit
Ioan. 6. mendacij pater, & vera Christi caro non poscit. Sicut ergo diuinis mandatis sanæque doctrinæ toto corde famulandum est: ita omni prudentia ab impiis est sensibus abstinendum. Tunc enim mens sanctum agit atque spiritale ieiunium, cùm erroris cibos, atque venena abiicit falsitatis: quæ dolosus ac versutus inimicus: nunc insidiosiùs ingerit, quando ipso venerandæ festiuitatis recursu omnis Ecclesia ad intelligenda salutis suæ mysteria generaliter commouetur. Is enim resurrectionis Christi verus confessor & cultor est: qui & de passione eius non confunditur, & de corporea natiuitate non fallitur. Nam quidem erubescentes Euangelium Crucis Christi, vt audientius euacuarent susceptum pro mundi redemptione supplicium, ipsam veræ carnis in Deo negauere naturam: non intelligentes impassibilem Dei Verbi, atque incommutabilem Deitatem, ita se inclinantem ad humanam naturam & ad eius salutem, vt & potenter propria non amitteret, & misericorditer nostra susciperet. Duplicis itaque in Christo formæ vna persona est, & filius Dei, idémque filius hominis vnus est Dominus, conditionem seruilem consilio pietatis recipiens, nec legem necessitatis incurrens: quia potestate factus est humilis, potestate passibilis, potestate mortalis, vt ad destruendum peccati mortisque dominatum, & pœna capax esset substantia infirmitatis, & nihil gloriæ suæ perderet natura virtutis.

Errores vitandi.

Sanctum & spiritale ieiunium.

Christi vera diuinitas & humanitas.

CAP. II. Cùm itaque, dilectissimi, legentes vel audientes Euangelium, quædam in Domino nostro Iesu Christo cognoscitis subiecta iniuriis, quædam illustrata miraculis: ita vt in eodem nunc humana appareant, nunc diuina resplendeant: nolite quicquam horum adscribere falsitati, tanquam in Christo, aut sola sit humanitas, aut sola diuinitas, sed vtrumque fideliter credite, vtrumque humiliter adorate: vt in vnitate Verbi & carnis, non sit vlla diuisio: nec quia manifesta fuerunt in Iesu signa diuina, falsa videantur documenta corporea. Vera & copiosa sunt in Christo vtriusque testimonia naturæ, ad hoc ex diuini consilij altitudine concurrentia: vt Verbo inuiolabili non separato à carne passibili, particeps per omnia intelligatur, & Deitas carnis, & caro Deitatis. Mens igitur Christiana, fugax mendacij, discipula veritatis, vtere fidenter Euangelica historia, & quæ fideliter & visibiliter sunt gesta per Dominum, tanquam ipsa aggregata cum Apostolis nunc spiritali intellectu, nunc corporeo discerne conspectu. Da homini, quod de muliere puer nascitur: da Deo, quod nec conceptu læditur virginitas materna, nec partu. Formam serui obuolutam pannis, iacentem in præsepio cognosce: sed annunciatam ab Angelis, declaratam ab elementis, adoratam à Magis, formam Domini confitere. Humanum intellige, quod non declinauit nuptiale conuiuium: diuinum approba, quod aquam conuertit in vinum. Nostra tibi innotescat affectio, cùm mortuo amico fletus impenditur: diuina potentia sentiatur, cùm idem post quatriduanam iam fœtidus sepulturam, solo vocis imperio viuificatus erigitur. Lutum de sputo & terra fieri, corporei fuit operis, sed illinc superlitos cœci oculos illuminari, non dubium est illius fuisse virtutis, quæ quod principi naturæ non dederat, ad manifestationem suæ gloriæ reseruarat. Veri est hominis, fatigationem corpoream somni quiete releuare, sed veri Dei est, vim sæuientium procellarum præcepti increpatione compescere. Cibos esurientibus apponere, humanæ benignitatis est, & socialis est animi, sed quinque panibus & duobus piscibus quinque millia virorum, exceptis mulieribus & paruulis, satiare, quis negare

Ioan. 2.

Ioan. 11.

Ioan. 9.

Matth. 4.

Ioan. 6.

gare audeat opus esse deitatis? Quæ cooperantibus secum veræ carnis officiis, & se homini & hominem sibi in esse monstrabat: quia non aliter in humana natura sanari poterant originalis vulnera vetustatis, nisi de vtero virginis carnem sibi assumente Dei Verbo, in vna eadémque persona

CAP. III. simul & caro nasceretur & Verbum. Hanc, dilectissimi, incarnationis Dominicæ fidem, per quam tota Ecclesia corpus est Christi, inconcusso corde seruantes, & ab omnibus hæreticorum ieiunate mendaciis: & ita vobis misericordiæ opera credite profutura, ita fructuosè habendam continentiæ puritatem, si mentes vestræ nulla prauarum opinionum contaminatione sorduerint. Abiicite exosa Domino mundanæ argumenta scientiæ, per quam nemo ad cognitionem veritatis potuit peruenire: & hoc fixum habere in animo, quod dicitis in Symbolo. Credite consempiternum Patri filium Dei, per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil: secundum carnem quoque in fine temporum generatum. Credite hunc corporaliter

Ioan. 1. crucifixum, mortuum, suscitatum, & super altitudines cælestium dominationum eleuatum, in Patris dextera constitutum, ad iudicandum viuos & mortuos in eadem carne, qua ascendit venturum. Hoc enim vniuersis fidelibus Apostolus prædicat, dicens:

Colos. 3. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextra Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram: mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.*

CAP. IV. Habentes ergo, dilectissimi, tantæ promissionis fiduciam, estote non solùm spe, sed etiam conuersione cælestes. Et quamuis omni tempore studendum sit sanctificationi & mentis & corporis: nunc tamen in istis quadraginta dierum ieiuniis sollicitioribus vos pietatis operibus expolite, non solùm in distribuendis eleemosynis, quæ magnum habent emendationis effectum, sed etiam in remittendis offensionibus, & peccatorum reatibus relaxandis: vt conditio, quam inter se & hominem Deus posuit, non resistat orantibus. Dicentes enim secundùm doctrinam Domini,

In Quadragesima maior danda opera pietati.

Matth. 6. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: debemus toto corde implere quod dicimus. Tunc enim fiet omnino quod in consequentibus postulamus, vt & in tentationem non inducamur, & à malis omnibus liberemur, Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO IX.

De Quadragesima.

De persecutione & cruce Christi ferenda, atque de impietate Manichæi, & Appollinaris.

CAP. 1. IN omnibus, dilectissimi, solennitatibus Christianis, non ignoramus Paschale sacramentum esse præcipuum. Cui condignè & congruè suscipiendo totius quidem nos temporis instituta reformant: sed deuotionem nostram præsentes vel maximè dies exigunt, quos sublimissimo diuinæ misericordiæ sacramento scimus, esse contiguos. In quibus meritò à sanctis Apostolis per doctrinam Spiritus sancti maiora sunt ordinata ieiunia: vt per commune consortium crucis Christi etiam nos aliquid in eo, quod propter nos gessit, agere-mus, sicut Apostolus ait, *Si compatimur, & conglorificabimur.* Rom. 8.

Certa atque secura est expectatio promissæ beatitudinis, vbi est participatio Dominicæ passionis. Nemo est, dilectissimi, cui per conditionem temporis societas huius gloriæ denegetur: tanquam tranquillitas pacis vacua sit occasione virtutis. Apostolus enim prædicat, dicens: *Omnes qui pie volunt viuere in Christo, persecutionem patientur.* 2. Tim. 3.

& ideo nunquam deest tribulatio persecutionis, si nunquam desit obseruantia pietatis. Dominus enim in exhortationibus suis dicit, *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Matth. 10.

Nec dubitare debemus hanc vocem non solùm ad discipulos Christi, sed ad cunctos fideles, totámque Ecclesiam pertinere, quæ salutare suum in his, qui aderant, vniuersaliter audiebat. Sicut ergo totius est corporis piè viuere: ita totius est temporis crucem ferre: quæ meritò ferri vnicuique suadetur, quia propriis modis atque mensuris ab vnoquoque toleratur. Vnum nomen est persecutionis, sed non vna est causa certaminis: & plus plerumque periculi est in insidiatore occulto, quàm in hoste manifesto.

Persecutionis Christianorum non vna causa.

Beatus Iob alternantibus bonis ac malis mundi huius eruditus piè veracitérque dicebat: *Nonne tentatio est vita hominis super terram?* Iob. 7.

Quoniam non solis doloribus corporis, atque suppliciis anima fidelis impetitur, verum etiam salua incolumitate membrorum, graui morbo vrgetur, si carnis voluptate mollitur. Sed cùm caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem, præsidio crucis Christi mens rationalis instruitur: nec cupiditatibus noxiis illecta consentit, quoniam continentiæ clauis & Dei timore transfigitur. Galat. 5.

In bono ergo proposito constitutis, inimicitiæ dissimilium diabolo instigante non desunt, & facile in odia prorumpunt, quorum improbi mores detestabiliores fiunt comparatione rectorum.

Mali cur oderint bonos.

Iniquitas cum iustitia non habet pacem, temperantiam odit ebrietas, falsitati nulla est cum veritate concordia: non amat superbia mansuetudinem, petulantia verecundiam, auaritia largitatem: & tam pertinaces habet diuersitas ista conflictus, vt etiamsi exterius conquiescat, ipsa tamen piorum cordium penetralia inquietare non desinat, vt verum sit quod qui voluerint in Christo piè viuere, persecutionem patientur: & verum sit, quòd omnis hæc vita tentatio est. 2. Tim. 3. Iob. 7.

Ipsis experimentis suis vnusquisque fidelis edoctus, Christi Cruce armetur: vt Christo dignior habeatur. Per istum verò agonem, dilectissimi, ad præmia æterna tendentibus in eo maximè diaboli insidiatur astutia, vt quorum peruertere non potest probitatem, subruat fidem.

CAP. II. Piis maximè insidiatur diabolus.

In aliam enim transfertur viam, quisquis à confessione veritatis abducitur, totúsque eius cursus abscessio est: & tanto erit morti vicinior, quanto fuerit à Catholica fide longinquior. Quod etiam in diebus nostris per suam patiuntur incuriam, qui de spiritu olim destructi erroris olimque damnati veterem insaniam conceperunt, qui geminam in Christo audent negare naturam, aut non suscepta carnis scilicet veritate, aut in carnem deitate conuersa, vt aut secundùm Manichæum nulla eius sit resurrectio, cuius nulla est passio, aut secundùm Apollinarem ipsa deitas Verbi mutabilis, ipsa sit facta passibilis. Manichæus, Apollinaris.

Hoc autem sentire, hoc auribus Christianæ plebis ingerere, quid aliud quàm ipsa religionis nostræ fundamenta conuellere; & quòd verus filius Dei, verus sit filius hominis, denegare? In quo solo & humani generis restitutio testificata per legem, promissa per Prophetas, & omnibus veteris testamenti significationibus nunciata, vt ma-

gnum illud & sæculis omnibus profuturum diuinæ misericordiæ sacramentum, quod sæpè & diu fuerat significatum, in præstituto tempore non dubitaretur impletum. Vnde licèt, ex quo Verbum caro factum est, ita in Christo Dei atque hominis vna persona sit, vt in nullis actionibus fiat naturæ vtriusque diuisio, studet tamen Euangelica veritas ipsum, quem Dei filium prædicat, sæpissimè filium hominis confiteri: vt quamuis ea, quæ differuntur, alia sint humanitatis, alia deitatis; sub nomine tamen filij hominis, vtraque memorentur, ne fides Dominum Iesum Christum natum ex Maria virgine, Deum simul atque hominem credita, cunctetur fateri, aut in Deo humanitatem, aut in homine deitatem, vt & in Verbo suscepti hominis vera sit humanitas, & in carne suscipientis Dei vera maiestas. Ioan. 1.

CAP. III. Hæc, dilectissimi, per occasionem festi Paschalis, cui puritatem cordium præparare debemus, de incarnatione Verbi perstrinxisse sufficit: quoniam aliquoties hîc instructos vos esse meministis. Nunc deuotionem vestram de eo, quod tempus poscit, admoneo: vt sanctum ac salubre ieiunium operibus pietatis ornetis. Et quia pro indulgentia maximè laborandum est dilectorum, indubitabilem vobis diuinam misericordiam promittatis: si ipsi quoque circa subditos vestros omnem offensam transtuleritis ad veniam. Placidos enim atque concordes ad tantam festiuitatem decet Dei populos conuenire: vt seueritas vltionem, quæ nunc etiam in publicis iudiciis relaxatur, multò magis in Christianorum cordibus mitigetur. Quia ad hoc potiùs intenta debet esse cura sanctorum, ne vllus algeat, ne vllus esuriat, ne quis inopia deficiat, ne quis mœrore tabescat, ne aliquem vincula adstrictum, ne aliquem habeat carcer inclusum. Quantælibet enim existant causæ offensionis, ab homine tamen in hominem, non tam delicti magnitudo, quàm naturæ est cogitanda communio vt de iudicio, quo alterum iudicat, misericordiam Dei iudicantis obtineat. *Beati enim misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus*, Qui viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen. Matth. 5.

SERMO X.

De Quadragesima.

De laude charitatis, & de offensis remittendis.

CAP. I. Pâschalis solennitas cæteris excellentior.

INter omnes, dilectissimi, dies quos multis modis honorabiles habet Christiana deuotio, nullus est excellentior festiuitate paschali: per quam in Ecclesiam Dei vniuersarum solennitatum dignitas consecratur. Siquidem etiam ipsa Domini ex matre generatio huic fuit impensa sacramento: nec alia fuit Dei filio causa nascendi, quàm vt Cruci posset affigi. In vtero enim virginis suscepta est caro mortalis, in carne mortali completa est dispositio passionis: effectúmque est ineffabili consilio misericordiæ Dei, vt esset nobis sacrificium redemptionis, abolitio peccati, & ad æternam vitam initium resurgendi. Considerantes autem, quid per Crucem Domini adepta est vniuersitas mundi: cognoscimus ad celebrandum Paschæ diem, meritò nos quadraginta dierum ieiunio præparari: vt digni possimus diuinis interesse mysteriis. Non enim summos tantùm Antistites, aut secundi ordinis Sacerdotes, nec solos sacramentorum ministros, sed omne corpus Ecclesiæ, vniuersúmque fidelium numerum, ab omnibus contaminationibus oportet esse purgatum: vt templum Dei, cui fundamentum est ipse fundator, in omnibus lapidibus *speciosum, & in tota sui parte sit lucidum. Nam si regum ædes, & sublimiorum prætoria potestatum, omni ornatu rationabiliter excoluntur, vt excellentiora sint eorum domicilia, quorum ampliora sunt merita: quantopere ædificandum, quanto est honore decorandum, Deitatis ipsius habitaculum? Quod licèt inchoari & perfici sine suo autore non possit, habet tamen ab ædificante donatum, vt etiam labore proprio quærat augmentum. Viua enim rationabilisque materies ad extructionem templi ipsius assumitur, & per spiritum gratiæ vt voluntariè in vnam compagem congruat, incitatur. Quæ ideo dilecta, ideo quæsita est, vt & ipsa ex non quærente quærens, & ex non diligente fit diligens, dicente beato Ioanne Apostolo: *Nos ergo diligamus inuicem, quia Deus prior dilexit nos.* Cùm igitur & omnes simul, & singuli quique fidelium, vnum idémque Dei templum sint, sicut perfectum hoc in vniuersis, ita perfectum debet esse in singulis, quia etsi non eadem est membrorum omnium pulchritudo, nec in tanta varietate partium, meritorum potest esse parilitas: communionem tamen obtinet decoris, connexio charitatis. In sancto enim amore consortes, etiamsi non iisdem vtuntur gratiæ beneficiis, gaudent tamen inuicem bonis suis, & potest ab eis extraneum esse, quod diligunt, quia incremento ditescunt proprio, qui profectu lætantur alieno.

Quadragesimæ ieiunium cur Pascha præcedat.

speciosum.

1. Ioan. 5.

Charitas facit omnia communia.

CAP. II. In hac, dilectissimi, vnitate sanctorum, vbi idem amatur, idem diligitur, idémque sentitur, nec superbis locus est, nec inuidis, nec auaris: & quicquid est illud, quo aut vanitas gloriatur, aut ita sænit, aut luxuria lasciuit, non in Christi fœdere, sed in diaboli parte censetur, longéque à sedibus pietatis excluditur. Fremit itaque innocentiæ aduersarius, & pacis inimicus, & quia ipse in veritate non stetit, totámque naturæ suæ gloriam dum superbit, amisit, dolet hominem Dei misericordia reparari, & in ea bona, quæ ipse perdidit introduci. Nec mirum si peccati auctor probitate rectè agentium cruciatur, & eorum quos deiicere non potest stabilitate torquetur, quandoquidem etiam inter homines reperiuntur, qui opera huius malignitatis imitentur. Multi enim, quod dolendum est profectibus vtuntur alienis, & qui se virtutibus vacuos despici nouerunt, armantur in eorum odium, quorum non sequuntur exemplum. Serui autem Dei & discipuli veritatis, etiam dissimiles sui diligunt, & bellum vitiis potiùs quàm hominibus indicunt, nulli malum pro malo reddentes, sed correctionem peccantium semper optantes. Pulchrum enim valdé est, & diuinæ beneuolentiæ comparandum, sui quenque in altero meminisse, & amare propriam etiam in hoste naturam. Siquidem plurimos nouimus, in optimos mores transiisse de pessimis, ex ebriosis, sobrios ex crudelibus misericordes, ex rapacibus largos, ex incontinentibus castos, ex ferocibus factos esse tranquillos. Dicente autem Domino, *Non veni vocare iustos, sed peccatores*, nulli Christiano quenquã odisse permittitur, quia nemo nisi in remissione peccatorum saluatur, & quos viles fecit carnalis sapientia, nescimus quàm pretiosos spiritalis fit factura gratia. Ioan. 8. Rom. 12. Matth. 9.

CAP. III. Sit ergo sanctus Dei populus, sit benignus, sanctus, vt declinet prohibita, benignus, vt faciat imperata. Quamuis enim magnum sit habere fidem rectam, sanámque doctrinam, & multa laude digna sit circoncisio gulæ, lenitas mansuetudinis, puritas castitatis, nudæ sunt tamen omnes sine charitate

Sine charitate nihil prosunt cæteræ virtute.

tate virtutes, nec poteſt dici in qualibet morum excellentia fructuoſum, quod non dilectionis partus ediderit. Vnde in Ioannis Euangelio Dominus dicit: *In hoc cognoſcent omnes, quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Et in eiuſdem Apoſtoli epiſtola legitur: *Chariſſimi, diligamus inuicem; quoniam charitas ex Deo eſt, & omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum: & qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus charitas eſt.* Diſcutiant ergo ſe fidelium mentes, & intimos ſui cordis affectus vera examinatione diiudicent: ac ſi repoſitum aliquid in conſcientiis ſuis de fructibus charitatis inuenerint, Deum ſibi ineſſe non dubitent: & vt magis magiſque tanti hoſpitis ſint capaces, fiant perſeuerãtis miſericordiæ operibus ampliores. Si enim dilectio Deus eſt, nullum habere debet terminum charitas, quia nullo poteſt claudi fine diuinitas.

Ioan. 13.
Ioan. 4.

Cap. IV. Ad exercendum igitur, dilectiſſimi, charitatis bonum, quamuis tempus omne ſit congruum, præſentes tamen dies ſpecialius cohortantur: vt qui Paſcha Domini cupiunt cum animi & corporis ſanctificatione ſuſcipere, hanc maximè gratiam conentur acquirere, qua & omnium continetur ſumma virtutum, & multitudo tegitur peccatorum. Et ideò celebraturi illud eminens ſuper omnia ſacramentum, quo iniquitates noſtras Ieſu Chriſti ſanguis aboleuit, miſericordiæ primitus hoſtias præparemus: & quod nobis bonitas Dei contulit, nos quoque eis, qui in nos peccauere, præſtemus. In obliuionem mittantur iniuriæ, ſuppliciũ iam neſciant culpæ, & à vindictæ metu omnes ſubditorum abſoluantur offenſæ. Neminem teneant clauſtra pœnalia, nec in cuſtodiis tenebroſis triſtes reorum gemitus perſeuerent. Si quiſquam tales pro aliquo delicto obnoxios tenet, peccatorem ſe eſſe non dubitet: & vt indulgentiã ipſe accipiat, gaudeat ſe inueniſſe cui parcat, vt cùm ſecundùm doctrinam Dei dicimus, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, non ambigamus per noſtræ orationis formam, diuinã nos obtinere clementiam.

Matth. 6.

Cap. V. Miſericordiæ in pauperes quàm gratæ Deo. In pauperes quoque & diuerſis debilitatibus impeditos benignior nunc largitas exeratur, vt gratiæ Deo multorum voce referantur, & ieiuniis noſtris egentiũ refectio ſuffragetur. Nulla enim deuotione fidelium magis Dominus delectatur, quàm iſta, quæ pauperibus eius impenditur: & vbi curam miſericordiæ inuenit, ibi imaginem ſuæ pietatis agnoſcit. Non timeatur in iis expenſis defectio facultatum, quoniam ipſa benignitas, magna ſubſtantia eſt: nec poteſt largitatis deeſſe materies, vbi Chriſtus paſcit & paſcitur. In omni hoc opere illa interuenit manus, quæ panem frangendo auget, & erogando multiplicat. Securus & hilaris ſit eleemoſynæ diſtributor, quia tunc maximum lucrum habebit, quando ſibi minimum reſeruauerit, dicente beato Apoſtolo Paulo, *Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugũ iuſtitiæ veſtræ*, In Chriſto Ieſu Domino noſtro, qui viuit & regnat cum Patre & Spiritu ſancto, in ſæcula ſæculorũ. Amen.

2. Cor. 9.

SERMO XI.

De Quadrageſima.

De tentationibus vitæ humanæ, & diabolica impugnatione, ac remiſſione iniuriarum.

Cap. I. IN omnibus quidem, dilectiſſimi, diebus atque temporibus quædam nobis diuinæ bonitatis ſigna præfixa ſunt, & nulla pars anni à ſacris eſt aliena myſteriis: vt dum nobis vbique præſidia noſtræ ſalutis occurrunt, inuitantem nos ſemper miſericordiam Dei auidiùs expectemus. Sed quicquid illud eſt, quod in diuerſis gratiæ operibus & donis reparationi humanarum confertur animarum, totum id nobis nunc euidentius & copioſius præſentatur: quando non particulatim quædam agenda, ſed ſimul ſunt omnia celebranda. Appropinquante autem feſtiuitate Paſchali adeſt maximum ſacratiſſimúmque ieiunium, quod obſeruantiam ſui vniuerſis fidelibus ſine exceptione denunciat: quia nemo tam ſanctus eſt, vt non ſanctior; nemo tam deuotus, vt non debeat eſſe deuotior. Quis enim in huius vitæ conſtitutus incetto, aut immunis à tentatione, aut liber inueniatur à culpa? Quis eſt, qui nihil virtutis ſibi adiici, aut qui nihil vitij ſibi optet auferri? cum & aduerſa noceant, & ſecunda corrumpant, nec minoris ſit periculi carere deſideratis, quàm abundare conceſſis. Inſidiæ ſunt in diuitiarum amplitudine, inſidiæ in paupertatis anguſtiis. Illæ eleuant ad ſuperbiam, hæ incitant ad querelam. Tentat ſanitas, tentat infirmitas: dum & illa materia eſt negligentiæ, & hæc cauſa triſtitiæ. Laqueus eſt in ſecuritate: laqueus eſt in timore, nec intereſt vtrum animus, qui terreno tenetur affectu, gaudiis occupetur, an curis, cùm par morbus ſit, vel ſub vana delectatione languere, vel ſub anxia ſolicitudine laborare. Impletur itaque per omnia ſententia Veritatis, qua diſcimus anguſtam eſſe & arduam viam, quæ ducit ad vitam: & cùm latitudo itineris ad mortem trahentis, multis frequentetur agminibus: in ſalutis ſemitis paucorum intrantium ſunt rara veſtigia. Vnde autem populoſior eſt via læua quàm dextera? niſi quia ad mundana gaudia & corporalia bona multitudo procliuis eſt? Et quamuis caducum incertúmque ſit, quod cupitur: libentiùs tamen ſuſcipitur labor pro deſiderio voluptatis, quàm pro amore virtutis. Ita cùm innumeri ſint, qui viſibilia concupiſcant: vix inueniuntur, qui temporalibus æterna præponant. Et ideo dicente beato Apoſtolo Paulo, Quæ videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna ſunt: latet quodammodo & in abſcondito eſt virtutum via, quoniam ſpe ſalui facti ſumus, & fides vera id ſuper omnia diligit, quod nullo ſenſu carnis attingit.

Quadrageſimæ maximũ, ſacratiſſimúmque ieiunium ab omnibus obſeruandum.
Tentationum pericula.
Innocens nemo præ vitæ difficultate.
Matth. 7.
1. Cor. 4.
Rom 8.

Cap. II. Magni eſt ergo operis & laboris, mobilitatem cordis ab omnibus continere peccatis, & cùm vndique innumeræ * voluptatũ illecebræ blandiantur, ad nulla contagia vigorem animi relaxare. Quis picem tangit, & non inquinatur ab ea? quis non infirmatur in carne? quis non ſordeſcit in puluere? Quis poſtremò eſt tantæ puritatis, vt iis non polluatur, ſine quibus vita non ducitur? Iubet enim per Apoſtolum doctrina diuina, vt qui habent vxores, tanquam non habentes ſint, & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non poſſidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. Præterit enim figura mundi huius. Beata igitur mens, quæ peregrinationis ſuæ tempora caſtã ſobrietate tranſcurrit: & in iis, per quæ neceſſe eſt eam ambulare, non remanet, vt hoſpita magis quàm domina terrenorum, nec affectibus ſit innixa humanis, nec permiſſionibus deſit diuinis.

* vanitatum.
Eccl. 13.
1. Cor. 7.
Beata mens quæ ſit.

Cap. III. Hanc autem fortitudinem, dilectiſſimi, nulli magis quàm præſentes & exigunt & conferunt dies: quibus dum obſeruantia ſpiritalis impenditur, conſuetudo, in qua perſeueretur, acquiritur. Notum enim vobis eſt hoc eſſe tempus, quo per totum

tum

tum mundum ſæuiente diabolo, acies debet Chriſtiana confligere:& ſi quos aut deſidia trepidos,aut ſollicitudo habuit occupatos, nunc oportet armis ſpiritualibus inſtrui, & cæleſti tuba ad ineundum certamen accendi: quoniam ille, cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum,modò præcipuo liuore vritur, modò maximo dolore cruciatur. Videt enim de omnium hominum genere,ad adoptionem filiorum Dei nouos populos introduci,& per virgineam Eccleſiæ fœcunditatem, partus regenerationis augeri. Videt ſe dominationis ſuæ iure priuatum, à cordibus eorum quos poſſidebat, expelli, eripi ſibi in vtroque ſexu millia ſenum,millia iuuenum, millia paruulorum: nec obeſſe cuiquam vel proprium, vel originale peccatum, vbi iuſtificatio non meritis retribuitur, ſed ſola gratiæ largitate donatur: lapſos quoque & inſidiarum ſuarum fraude deceptos, pœnitentiæ lachrymis ablui, & portas miſericordiæ Apoſtolica claue reſerante,ad remedia reconciliationis admitti.Sentit inſuper diem Dominicæ paſſionis inſtare,& ſe illius Crucis poteſtate conteri, quæ in Chriſto ab omni debito mortis alieno, redemptio fuit mundi, non pœna peccati. Vt itaque malignitas frementis inimici nullos habeat ſui liuoris affectus, ad exequenda Domini mandata, diligentior eſt aſſumenda deuotio: vt tempus, in quo omnia diuinæ miſericordiæ ſacramenta concurrunt, cum præparatione & animorum ſuſcipiamus & corporum,implorantes regimen & miſericordiam & adiutorium Dei, vt ſine quo nihil poſſumus facere, per ipſum omnia valeamus implere. Ideo enim datur præceptum, vt præcipientis quæratur auxilium. Nec ſe quiſquam per occaſionem infirmitatis excuſet, quia qui præſtitit velle, donabit & poſſe,dicente beato Apoſtolo Iacobo: *Si quis veſtrûm indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Quis fidelium neſciat, quibus virtutibus ſtudere, & quibus vitiis debeat repugnare? Quis conſcientiæ ſuæ, aut tam gratioſus, aut tam imperitus eſt arbiter, qui ignoret, quid à ſe auferri, aut quid in ſe oporteat augeri? Nemo quippe ita rationis eſt alienus: qui aut conuerſationis ſuæ non intelligat qualitatem, aut cordis ſui ſecreta non nouerit.Non ergo per omnia ſibi placeat, nec ſe ſecundùm carnis oblectamenta diiudicet: ſed omnem conſuetudinem ſuam in diuinorum præceptorum lance conſtituat, vbi cùm alia interdicantur, ne fiant,alia iubeantur,vt fiant,iuſto ſe trutinabit examine, qui vitæ ſuæ mores ex vtriuſque ponderis comparatione penſauerit. Artifex enim miſericordia Dei, ſplendidiſſimum in mandatis ſuis condidit ſpeculum,in quo homo faciem ſuæ mentis inſpiceret, & quàm conformis imaginis Dei, aut quàm diſſimilis eſſet, agnoſceret: præcipuè vt reiectis paulùlum carnalibus curis & occupationibus inquietis, ſaltem in diebus redemptionis & reparationis noſtræ,à terrenis nos ad cæleſtia conferamus. Quia verò, ſicut ſcriptum eſt, *In multis offendimus omnes*, miſericordiæ primus concipiatur affectus, & aliorum in nos delictorum fiat obliuio, vt illud piiſſimum pactum, cui nos in Dominica oratione deuinximus, nullo vindictæ amore violemus. Et dicentes, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, non ſimus in remiſſione difficiles: quia ad nos recurrit ſiue cupiditas vltionis, ſiue indulgentia lenitatis. Magiſque optandum eſt homini, tentationum periculis ſemper expoſito, vt ſuas culpas habeat punitas, quàm vt plectat alienas.

Sapient.2. | In Baptiſmo gratis confertur iuſtificatio. | Lapſi per pœnitentiam inſtaurantur. | Cap. IV. | Iacob.1. | Præcepta Dei,ſpeculũ humanæ mentis. | Cap. V. Iacob 3. | Matth.6. Iniuriarum remiſſio neceſſaria.

Quid autem conuenientius fidei Chriſtianæ,quàm vt non ſolùm in Eccleſia,ſed etiam in omnium domibus fiat remiſſio peccatorum? Deponantur minæ,vincula relaxentur: quibus ſe multò pernicioſiùs,qui ea non ſoluerit,religabit.Quod enim quiſque in alterũ ſtatuit, hoc in ſemetipſo ſua lege decernit. Beati verò miſericordes, quoniam ipſorum miſerebitur Deus, qui in iudiciis ſuis & iuſtus eſt & benignus,ad hoc quoſdam ſub aliorum eſſe poteſtate permittens,vt ſub æqua moderatione ſeruetur & vtilitas diſciplinæ,& manſuetudo clementię: & nemo audeat alterius delictis veniam denegare, quam pro ſuis optat accipere. Dicente autem Domino, *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*: deponantur omnium diſcordiarum odiorúmque certamina:nec putet ſe quiſquam in Paſchali feſto habiturum eſſe conſortium, qui fraternam pacem redintegrare neglexerit. Apud enim ſummum Patrem, qui non fuerit in charitate fratrum,non habebitur in numero filiorum. In diſtributione quoque eleemoſynarum, & pauperum cura, pingueſcant Chriſtiana ieiunia:& quod ſuis quiſque deliciis ſubtrahit,debilibus impendat & egenis. Detur opera, vt omnes Deo vno ore benedicant, & qui aliquam dat portionem ſubſtantiæ ſuæ, intelligat ſe miniſtrum eſſe miſericordiæ diuinæ, qui partem pauperis in manu poſuit largientis:vt peccata,quæ Baptiſmi aquis,aut Pœnitentiæ lachrymis abluuntur,etiam eleemoſynis deleantur, dicente Scriptura:*Sicut aqua extinguit ignem,ita eleemoſyna extinguit peccatum.*Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Matth.5. | Cap. VI. Ibidem. | Eccleſ.3.

SERMO XII.

De Quadrageſima.

De laude continentiæ, & quòd patientiâ Dei non ſit abutendum.

APpropinquante, dilectiſſimi, ſolennitate Paſchali, ſic eſt præcurrenda conſuetudo ieiunij, vt nos quadraginta dierum numerus ad ſanctificationem corporis & mentis exerceat. Suſcepturi enim feſtorum omnium maximum feſtum,ea nos debemus obſeruantia præparare, vt in cuius ſumus reſurrectione conreſuſcitati, in ipſius inueniamur paſſione commortui, dicente beato Paulo Apoſtolo: *Mortui enim eſtis,& vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Cùm enim Chriſtus apparuerit vita veſtra,tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Quæ verò nobis eſt cum Chriſto participatio, niſi vt deſinamus eſſe quod fuimus? aut quæ ſimilitudo reſurrectionis, niſi depoſitio vetuſtatis? Vnde qui ſacramentum ſuæ reparationis intelligit,carnis ſe vitiis debet exuere,& omnes ſordes abiicere peccatorum:vt intraturus nuptiale conuiuium, ſplendeat veſte virtutum. Quamuis enim benignitas ſponſi cunctos ad communionem regiarum inuitet epularum: ſtudendum eſt tamen vniuerſis vocatis, vt ſacrorum ciborum munere non inueniantur indigni.Abutuntur autem quidam patientia Dei,& qui non ſunt in conſcientia liberi, fiunt de longa impunitate ſecuri: cùm ideo differatur vltio,vt tempus poſſit habere correctio. Miſericordiam igitur Dei noſtri,quę non vult mortem peccatoris,ſed tantùm vt conuertatur & viuat,non ideo quiſquam tardet amplecti,quia quod meruit,

Cap. I. | Coloſſ.1. Cum Chriſto vt reſurgendum. | Matth.22. Miſericordiâ Dei non abutendum | Ezech.18.& 33.

non recepit. Neque enim quicquid differtur, aufertur, aut condemnationem euasit, qui indulgentiam non quæsiuit. Cuius quidem implorandæ non vna omnibus causa est: quia multis modis, multisque mensuris & peccatum à peccato, & crimen distat à crimine. Sed quia vniuersitas fidelium ad perfectam innocentiam, & ad plenam debet tendere puritatem, vt eorum consortio mereatur adscribi, de quibus dicitur, *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*, omni instantia & virtute nitendum est: vt quicquid secretum conscientiæ maculat, quicquid aciem mentis obscurat, diligentissimis emundationibus deleatur. Quamuis enim scriptum sit, *Quis gloriabitur castum se habere cor, aut mundum se esse à peccato?* non tamen desperanda est apprehensio puritatis, quæ dum semper appetitur, nec semper accipitur, nec remanet iudicio condemnandum, quod fuerit confessione purgatum. Hoc illud est, dilectissimi, quod orantes omnes filij Ecclesiæ ex doctrina Domini vniformiter dicunt, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: quia nemo tã sanctus, nemo tam iustus est, qui in tempore huius vitæ, quæ tota tentatio est, cuiuscunque peccati remissione non egeat. Circunstant vndique pericula innumerabilium delictorum, & per illicitos vsus ad immoderatos transitur excessus: dum per curam salutis irrepit delectatio voluptatis: & non sufficit concupiscentiæ, quod potest satis esse naturæ. Hinc habendi amor nunquam satiandus exoritur, hinc cupiditas eminendi, quæ vel stirpi suæ innexa, vel soboli, nunc prolem habet superbiam, nunc parentem. His autem & aliis tentationibus, quarum multiplex est & infinita connexio, quæ rectiùs virtus, quàm continentia opponitur, quæ nutriendis atque seruandis animi & corporis bonis, & incrementa præbet & roborat? Vnde in cælestibus Ecclesiæ disciplinis, multum vtilitatis adferunt diuinitus instituta ieiunia: vt dum continentiæ legibus, carnalis subiicitur appetitus, motus quoque interior temperetur, ac sicut corpus à cibis, ita mens ab iniquitate ieiunet. Dominus enim dicit, *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* Habet ergo populus Dei spiritales epulas castasque delicias, quas salubriter expetit, & laudabiliter concupiscit, quoniam laudante & dicente Propheta, *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus:* quisquis dulcedinem iustitiæ & misericordiæ Dei, quibus omnis prouidentia eius dispensatur, gustu cordis attigerit, & nullo vnquam minuenda fastidio experimenta supernorum hauserit gaudiorum, corruptibilia & temporalia bona æternorum admiratione despiciet: & in illo igne, quem Dei accendit charitas, concalescet, vt algore in feruorem conuerso, & in lucem nocte mutata, vno opere in animis fidelium Spiritus sanctus & tenebras abigat, & peccata consumat. Vnde quia tales fructus mater virtutum continentia parit, & ieiunantes à vitiis, ad ineffabilia oblectamenta perducit: studiosiori nunc opere, dilectissimi, exequamur præcepta cælestia, & quia totum Paschale sacramentum, in remissionem est conditum peccatorum, quod celebrare optamus, imitemur. Misericors enim & iustus Dominus, ita promittit indulgentiam suam, vt eam etiam, quibus parcit, indaget. Exponens enim, qua regula Deo Patri nos voluerit supplicare, *Si dimiseritis, inquit, hominibus peccata eorum, dimittet vobis & Pater vester, qui in cœlis est, peccata vestra. Si autem non remiseritis hominibus, nec Pater vester remittet vobis peccata vestra.* Iusta prorsus & benigna conditio, qua diuinæ potentiæ fit particeps homo vt sententiam Dei ex suo libret arbitrio, & eo sibi iudicio obstringat Dominum, quo iudicauerit ipse conseruum. Siue itaque circa subiectos, siue circa æquales, naturæ parilitas diligatur. Et quia nemo non peccat, nemo non parcat: non difficulter præstemus, quod gratulanter accepimus: vt siue largitate eleemosynarum, siue indulgentia peccatorum, quanto magis fuerimus misericordes, tanto simus perfectiùs innocentes, Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui viuit & regnat cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen.

Matth. 5. | Prou. 20. | CAP. II. | Matth. 6. | Iob. 7. | Continentiæ laus. | Matth 5. | Deliciæ Christianorum. | Psal. 33. | CAP. III. Continentia mater virtutum. | Matth. 6.

SERMO PRIMVS.

De Passione Domini.

De necessitate incarnationis filij Dei, de scelere & infidelitate Iudæ, ac inutili eius pœnitentia, atque Christi potentia.

SACRATISSIMVM, dilectissimi, Dominicæ passionis diem, quam Dominus Iesus Dei filius pro humani generis salute suscepit, & sicut promisit, omnia ad se exaltatus attraxit, tam planè ac lucidè Euangelicus sermo reserauit: vt religiosis & piis cordibus non aliud sit audisse, quæ lecta sunt, quàm vidisse, quæ gesta sunt. Vnde cùm indubitabilem obtineat auctoritatem sacra narratio: anitendum nobis est auxiliante Domino, vt perspicuum habeat intelligentia, quod notum fecit historia. Post illam namque humanæ præuaricationis primam & vniuersalem ruinam, ex qua per vnum hominem peccatum introiuit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt: nemo dominationem diaboli, nemo vincula diræ captiuitatis euaderet, nec cuiquam aut reconciliatio ad veniam, aut reditus pateret ad vitam, nisi coæternus & coæqualis Patri Deo filius Dei, etiam hominis filius esse dignaretur: veniens quærere, & saluare quod perierat, vt sicut per Adam mors, ita per Dominum nostrum Iesum Christum esset resurrectio mortuorum. Non enim quia secundùm inscrutabile propositum sapientiæ Dei, nouissimis diebus Verbum caro factum est, ideo salutiferæ virginis partus, extremi tantùm temporis generationibus profuit, & non se etiam in præteritas refudit ætates. Omnis prorsus antiquitas colentium Deum verum, omnis numerus apud sæcula priora Sanctorum, sacra fide vixit, & placuit, & neque Patriarchis, neque Prophetis, neque cuiquam omnino sanctorum, nisi in redemptione Domini nostri Iesu Christi salus & iustificatio fuit, quæ sicut expectabatur, multis Prophetarum oraculis signisque promissa, ita est etiam ipso munere atque opere præsentata.

CAP. I. | Ioan. 12. | Rom. 5. | Incarnationis filij Dei necessitas. | Luc 19. | I. Cor. 15. | Ioan. I. | Salus nemini vnquam contigit nisi per Christum.

Vnde nunc, dilectissimi, in toto ordine Dominicæ passionis, non ita infirmitatem consideremus humanam, vt arbitremur illic potentiam defuisse diuinam: neque illam ita coæternam, & æqualem Patri formam vnigeniti cogitemus, vt putemus non fuisse vera, quæ Deo videntur indigna. Prorsus vtraque natura vnus Christus; nec Verbum ibi ab homine disiunctim, nec homo est dissociatus à Verbo. Non est fastidita humilitas, quia nec imminuta maiestas: nihil nocuit naturæ inuiolabili, quod passibili oportebat inferri. Totúmque illud sacramentum, quod simul & humanitas consummauit & deitas, dispensatio fuit misericordiæ & actio

CAP. II.

actio pietatis. Talibus enim vinculis tenebamur constricti: vt nisi per hanc opem, non possemus absolui. Humilitas igitur diuinitatis nostra prouectio est. Nos tanto redimimur pretio, nos tanto curamur impendio. Quis enim ab impietate ad iustitiam, à miseria ad beatitudinem esset recursus:
CAP. III. nisi & iustus ad impios, & beatus inclinaretur ad miseros? Non est ergo, dilectissimi, erubescenda Crux Christi, quæ de virtute est diuini consilij, non de conditione peccati. Quamuis enim ex infirmitate nostra verè passus Dominus Iesus, veréque sit mortuus: non tamen ita se abstinuit à gloria sua, vt inter contumelias passionis, nihil diuinæ
Iudæ scelus. operationis exerceret. Nam cùm impius Iudas non iam ouina pelle velatus, sed lupino furore manifestus vim sceleris per speciem pacis incipiens, signum traditionis sæuiore omnibus teli osculo præbuisset, & multitudo furibunda, quæ ad comprehendendum Dominum cum armata militum cohorte confluxerat, inter faces & laternas, lumen verum, tenebris obcæcata suis, non cerneret, Dominus qui
Ioan. 18. expectare potiùs turbas, quàm declinare delegerat, sicut Ioannes Euangelista testatur, quem quærant,
Christi potentia & mansuetudo. necdum inuentus, interrogat, illisque dicentibus, quòd Iesum quærerent: *Ego sum*, inquit. Quod verbum illam manum ita ex ferocissimis congregatam, quasi quodam fulmineo ictu strauit atque perculit; vt omnes illi atroces, minaces atque terribiles, retroacti corruerent. Vbi fuit sæuitiæ conspiratio? vbi ardor irarum? vbi instructus armorum? Dominus dicit, *Ego sum:* & ad vocem eius turba prosternitur impiorum. Quid iam poterit maiestas eius iudicatura, cuius hoc potuit humili-
CAP. IV. tas iudicanda? Veruntamen Dominus sciens, quid magis mysterio suscepto conueniret, in hac potestate non perstitit: sed persecutores suos in facultatem dispositi sceleris redire permisit. Nam, si teneri nollet, non vtique teneretur. Sed quis hominum posset saluari, si ille non se sineret comprehen-
Matth. 26. Marc 14. Luc 22. Ioan. 18. di? Nam & beatus Petrus, qui animosiore constantia Domino cohærebat, & contra violentorum impetus, feruore sanctæ charitatis exarserat: in seruum Principis sacerdotum vsus est gladio, & aurem viri ferociùs instantis abscidit. Sed hunc zelantis Apostoli pium motum progredi Dominus vltra non patitur, recondi gladium iubet, nec sinit se aduersus impios manu ferróque defendi. Contra sacramentum enim erat redemptionis nostræ, vt qui mori pro omnibus venerat, capi nollet: ne dilató gloriosæ Crucis triumpho, & dominatio diabolica fieret longior, & captiuitas humana diu-
Christus in passione sua se Deum ostendit. turnior. Dat ergo in se furentibus licentiam sæuiendi, nec tamen etiam talibus dedignatur se indicare diuinitas. Aurem serui iam ipsa sectione demortuam, & à compage viuentis corporis alienam, in sedem dehonestari capitis reuocat manus Christi, reformat quod ipse formauerat: nec tardè caro sequitur eius imperium, cuius erat ipsa figmentum.
CAP. V. Habent ergo diuinam hæc opera virtutem. Sed quod Dominus maiestatis suæ potentiam comprimit, & vim in se persecutoris admittit, ex illa est
Apoc. 1. Ephes. 5. Rom. 1. voluntate qua dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, cooperante in hoc ipso Patre, qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Vna est enim Patris & Filij voluntas,
Act. 4. vt est vna diuinitas: de cuius dispositionis effectu, nihil vobis gratiæ Iudæi, nihil tibi Iuda debemus. Saluationi quidem nostræ non hoc vobis volentibus impietas vestra seruit, & per vos factum est, quicquid manus Dei & consilium decreuerunt fie-
Act. 4. ri. Mors igitur Christi nos liberat, vos accusat. Meritò soli non habetis, quod omnibus perire voluistis. Et tamen tanta est bonitas nostri Redemptoris, vt etiam vos possitis consequi veniam, si Christum Dei filium confitendo, illam parricidalem malitiam relinquatis. Non enim Dominus in Cruce frustra orauit dicens, *Pater dimitte illis, quia nesciũt quid faciunt.* Quod remedium, nec te Iuda transiret: si ad eam pœnitentiam confugisses, quæ te reuocaret ad Christum, non quæ instigaret ad laqueum: dicendo enim, peccaui, tradens sanguinem iustum, in impietatis tuæ perfidia perstitisti: quia Iesum non Deum Dei filium, sed nostræ tantummodò conditionis hominem inter extremum mortis tuæ periculum credidisti; cuius flexisses misericordiam, si eius non negasses omnipotentiam. Hæc hodie, dilectissimi, piis auribus vestris insinuata sufficiant, ne fastidium de prolixitate subrepat. Quæ autem desunt plenitudini, quarta Feria auxiliante Domino reddenda promittimus: quoniam qui dedit quod locuti sumus, dabit, sicut credimus, quod loquamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium suum, qui cum eo & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

[Luc. 23. Pœnitentia Iudæ infructuosa. Matth. 27. Iudas non credidit Christum Deum.]

SERMO II.

De Passione Domini habitus Feria quarta.

De conuersione latronis, & signis factis in morte Christi ad confusionem Iudæorum.

EXigit fides, dilectissimi, vt partem sermonis, quam de Domini passione promisimus, eodem nobis auxiliante reddamus: in quo nos orationibus vestris non ambigimus adiuuari. Ad commune enim pertinet lucrum, si potueritis me habere deuotum: quia vestræ impenditur ædificationi, quicquid nostræ tribuitur facultati. Post illud ergo impium Iudæ detestandumque commercium, quo ab eo, Iudæis persequentibus, mundi Redemptor est traditus, post illas sacrilegas illusiones, inter quas vsque ad locum pœnæ, eius mansuetudo perducta est: crucifixi sunt cum eo, statuis vtrinque patibulis, latrones duo, quorum vnus ad id vsque temporis, pars, similisque consorti insidiator viarum, & saluti hominum semper infestus, vsque ad crucem reus, fit Christi repentè confessor: & inter illos acerrimos corporis animique cruciatus, quos simul & instantia & difficultas mortis augebat, mira conuersione mutatus, *Memento*, inquit, *mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.* Quæ istam fidem exhortatio persuasit? quæ doctrina imbuit? quis prædicator accendit? Non viderat priùs acta miracula, cessauerat tunc languentium curatio, cæcorum illuminatio, viuificatio mortuorum, ea ipsa quæ mox erant gerenda, non aderant: & tamen Dominum confitetur & regem, quem videt supplicij sui esse consortem. Inde ergo oriebatur hoc donum, vnde accepit fides ipsa responsum. Ait enim ei Iesus: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Excedit humanam conditionem ista promissio, nec tam de ligno Crucis, quàm de throno editur potestatis. Ab illa altitudine præmium fidei datur, in qua chirographum humanę transgressionis aboletur, quia se à forma serui, Dei forma non dirimit, dum etiam inter ipsa supplicia proprietatem vnitatémque suam seruauit, & Deitas inuiolabilis, & natura passibilis. Adiicitur ad confirmationem spei nostræ, totius attestatio creaturæ. Emittente

[CAP. I. Lucæ 23. Latronis in cruce conuersio. Luc. 23. CAP. II. Signa facta in morte Christi.]

spiritum

spiritum Christo omnia elementa tremuerunt. Densis tenebris splendor solis obductus extraordinariè nocti subdidit diem: stabilitatem suam terra profundis concussionibus labefacta non tenuit: & petrarum firmitas confracta soliditate dissiluit. Velum templi, quo priorum mysteria vlteriùs non erant obumbranda, discissum est: & multorum Sanctorum corporibus excitatis, ad præmuniendam resurrectionis fidem, monumenta patuerunt. In vos ergo Iudæi cœlum & terra sententiam tulit, vobis sol virtutem suam diémque subtraxit, vobis famulatum suum elementorum ordines denegauerunt: & recedente à legibus suis ministerio creaturæ, vestra obcæcatio, vestra est significata confusio. Vobis enim dicentibus, *Sanguis eius super nos, & super filios nostros:* meritò hoc retributum est, vt quod vestri generis impia perdidit portio, assequatur hoc fidelis gentium plenitudo. Nos ergo, dilectissimi, quibus Dominus noster Iesus Christus crucifixus, non scandalum, neque stultitia, sed Dei virtus, Deique sapientia est: nos inquam spiritale semen Abrahæ, non in prole seruitutis geniti, sed in familia libertatis renati, pro quibus in manu forti & brachio excelso de oppressione Ægyptiæ dominationis eductis, verus & immaculatus agnus, immolatus est Christus: amplectamur salutaris Paschæ mirabile sacramentum, & ad eius imaginem, qui deformitati nostræ conformis factus est, reformemur. Erigamur ad eum, qui puluerem abiectionis nostræ, corpus fecit gloriæ suæ: & vt resurrectionis eius mereamur esse consortes, humilitatis & patientiæ ipsius per omnia congruamus. Magni nominis militiam, magnæ professionis suscepimus disciplinam. Sectatores Christi discedere à regia non licet via, sed dignum est temporalibus non occupari, ad æterna tendentes. Et quia pretioso Sanguine Christi redempti sumus, glorificemus & portemus Deum in corpore nostro: vt ad ea, quæ fidelibus præparata sunt, peruenire mereamur, Per Christum Dominum nostrum, &c Amen.

Matth. 7.

CAP. III

2. Cor. 1.

1. Cor. 5.

1. Cor. 6.

SERMO III.

De passione Domini, habitus Dominico die.

De gemina Christi natura, Iudæ desperatione, Petri trepidatione, & conuersione, ac Iudæorum scelere ac punitione.

CAP. I.

INter omnia, dilectissimi, opera misericordiæ Dei, quæ ab initio saluti sunt impensa mortalium, nihil est mirabilius, nihilque sublimius, quàm quòd pro mundo crucifixus est Christus. Huic enim sacramento vniuersa præcedẽtium sæculorum mysteria seruierunt, & quicquid hostiarum differentiis in propheticis signis & legalibus institutis, sacra dispensatione variatũ est, hoc prænunciauit dispositum, hoc promisit implendum: vt nunc imaginibus figurisque cessantibus, hoc prosit credere iam effectum, quod antea profuit credidisse faciendum. In omnibus igitur, dilectissimi, quæ ad Domini nostri Iesu Christi pertinent passionem, hoc Catholica fides tradit, hoc exigit: vt in Redemptorem nostrum duas nouerimus conuenisse naturas, & manentibus proprietatibus suis, tantam factam vnitatem vtriusque substantiæ, vt ab illo tempore, quo sicut humani generis causa poscebat, in beatæ virginis vtero Verbum caro factum est, nec Deum illum sine hoc quod homo est, nec hominem sine hoc liceat cogitare, quod Deus est. Exprimit quidem sub distinctis actionibus veritatem suam vtraque natura, sed neutra se ab alterius conuexione disiungit. Nihil ibi ad inuicem vacat, tota est in maiestate humilitas, tota in humilitate maiestas, nec infert vnitas confusionem, nec dirimit proprietas vnitatem. Aliud est passibile, aliud inuiolabile: & tamen eiusdem est contumelia, cuius & gloria. Ipse est in infirmitate, qui & in virtute: idem mortis capax, & idem victor est mortis. Suscepit ergo totum hominem Deus, & ita se illi, atque illum sibi misericordiæ & potestatis ratione conseruit: vt vtraque alteri natura inesset, & neutra in alteram à sua proprietate transiret. Sed quia dispensatio sacramenti, ad reparationem nostram ante sæcula æterna dispositi, nec sine humana infirmitate, nec sine diuina erat consummanda virtute: agit vtraque forma, cum alterius communione, quod proprium est: Verbo scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est. Vnum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis. Aliud ab æqualitate paternæ gloriæ non recedit, hoc naturam nostri generis non relinquit. Veruntamen etiam ipsa receptio passionum, non ita est nostræ affectioni humilitatis exposita, vt à potentia sit diuinitatis abiuncta. Quicquid Domino illusionis & contumeliæ, quicquid vexationis & pœnæ intulit furor impiorum: non de necessitate toleratum, sed de voluntate susceptum est. Venit enim filius hominis quærere & saluare, quod perierat. Et sic ad omnium redemptionẽ vtebatur malitia persequentium, vt in mortis eius resurrectionisque sacramento etiam interfectores sui possent salui esse, si crederent. Vnde scelestior omnibus, Iuda, & infelicior extitisti; quem non pœnitentia reuocauit ad Dominum, sed desperatio traxit ad laqueum. Expectasses consummationem criminis tui, & donec sanguis Christi pro omnibus funderetur peccatoribus, informis lethi suspendium distulisses. Cumque conscientiam tuam tot Domini miracula, tot dona torquerent, illa saltem te à præcipitio tuo sacramenta reuocassent, quæ in Paschali cœna iam de perfidia tua signo diuinæ scientiæ detectus, acceperas. Cur de eius bonitate diffidis, qui te à Corporis & Sanguinis sui communione non repulit? qui tibi ad comprehendendum se cum turbis & armatorum cohorte veniente, pacis osculum non negauit? Sed homo incorruptibilis, spiritus vadens & non reuertens, cordis tui secutus es rabiem, & stante diabolo à dextris tuis, iniquitatem, quam in sanctorum omnium armaueras caput, in tuum verticem retorsisti: vt quia facinus tuum omnem mensuram vltionis excesserat, te haberet impietas tua iudicem, te pateretur tua pœna carnificem. Cùm igitur esset Deus in Christo mundum reconcilians sibi, & creaturam ad creatoris sui imaginem reformandam. creator ipse gestaret, peractis miraculis operum diuinorum, quo propheticus olim spiritus gerenda prædixerat: Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum audient, tũc saliet claudus vt ceruus, & plana erit lingua mutorum: sciens Iesus adesse iam tempus gloriosæ passionis implendæ, *Tristis est,* inquit *anima mea vsque ad mortẽ.* Et iterum: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.* Quibus verbis quãdam formidinem profitentibus, nostræ infirmitatis affectus participãdo, curabat, & pœnalis experiẽtiæ metum subeũdo, pellebat. In nobis ergo Dominus nostro pauore trepidabat: vt susceptionẽ nostræ infirmitatis indueret, & nostram inconstãtiam suæ virtutis soliditate vestiret. Venerat enim in hũc mundum diues atque misericors negotiator cæli, & commutatione mirabili inierat cõmercium salutare

Ioan. 1.

CAP. II.

Lucæ 19.

CAP. III. Iudæ desperatio.

Ioan. 18 Matth. 26.

Psal. 77. Psal. 108

CAP. IV. 2. Cor. 5.

Esai. 35.

Luc. 22.

nostra accipiens, & sua tribuens pro contumeliis honorem, pro doloribus salutem, pro morte dans vitam, & cui ad exterminationem persequentium
Matth. 26. poterant plusquam duodecim millia angelicarum seruire legionum, malebat nostram recipere for-
Cap. v. midinem, quàm suam exercere potestatem. Quantum autem vniuersis fidelibus hac humilitate colla-
idem tũ sit, primus beatissimus Apostolus Petrus expertus est: qui cùm illum instantis sæuitiæ vehementior procella turbasset, ad reparationem vigoris, celeri mutatione conuersus est: sumens de exemplo
Math. 10. remedium, vt tremefactum repente membrum re-
Ioan. 15. diret ad sui capitis firmitatem. Non enim posset Domino seruus, & magistro maior esse discipulus: qui humanæ fragilitatis trepidationem non
Math. 26. vinceret, nisi victor mortis ante timuisset. Res-
Petri conuersio. pexit ergo Dominus Petrum, & inter calumnias sacerdotum, inter falsitates testium, inter cædentium & conspuentium iniurias constitutus, illis turbatum discipulum conuenit oculis, quibus eum præuiderat esse turbandum: & in illum conuersa est veritatis inspectio, vbi erat cordis facienda correctio, quasi quædam illi vox Domini insonaret, ac diceret: Quid habes Petre? quid in tuam conscientiam recedis? ad me conuertere, in me confide, me sequere, meæ passionis hoc tempus est, nondum tui venit hora supplicij. Quid metuis, quod etiam ipse superabis? Non te confundat infirmitas, quam recepi. Ego de tuo fui trepidus, tu de meo
CAP. VI. esto securus. *Mane autem facto consilium inierunt*
Matth. 27. *omnes principes sacerdotum & seniores populi aduersum Iesum, vt eum morti traderent.* Hoc mane Iudæi,
Iudæorum punitio. non ortus vobis lucis contigit, sed occasus, nec vestris oculis solitus dies prodiit, sed impiis mentibus nox terræ cæcitatis incubuit Hoc mane vobis templum & altaria diruit, legẽ & Prophetas ademit, regnum & sacerdotium sustulit, in luctum æternum omnia festa conuertit. In istis enim insanum cruentumque consilium, tauri pingues, vituli multi, frementes bestiæ, canes rabidi, vt morti auctorem vitæ & Dominum gloriæ traderetis: & tanquam extenuanda esset furoris vestri immanitas, si eius sententia, qui prouinciæ vestræ præsidebat, vteremini,
Matth. 27. vinctum Iesum ad Pilati iudicium deduxistis: vt clamoribus improbis, trepido cognitore superato, interfectorem hominem eligeretis ad veniam, & Saluatorem mundi peteretis ad pœnam. Post hanc damnationem Christi, qua excusata est Pilati præsidis ignauia magis quàm potestas, qui lotis manibus & ore polluto iisdem labiis Iesum misit ad Crucem, quibus eum pronunciauerat innocentem: multas illusiones Domino, sacerdotalibus seruiens oculis, licentia popularis ingessit: & in mansuetudinem eius, qui hæc sponte tolerabat, furens turba sæuiuit. Sed quia multum est, dilectissimi, vt omnia hodiernus sermo percurrat: in quartam Feriam, qua lectio Dominicæ passionis iterabitur, residua differantur. Præstabit enim Dominus orantibus vobis, vt ipsius dono, quod promittimus, impleamus: Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO IV.

De Passione Domini Feria quarta.

De significatione latronum & crucis mysterio prædicto.

CAP. I. Expectationi vestræ, dilectissimi, quod debetur, Domino largiente reddendum est, promerentibus orationibus vestris: vt nos ad soluendum faciat idoneos, qui vos ad exigendum fecit intentos. Loquentes enim proximè de Domini passione, vsque ad Euangelicæ historiæ venimus locum, in quo Pilatus impiis Iudæorum clamoribus, vt Iesus crucifigeretur, cessisse narratur. Peractis itaque omnibus, quæ Diuinitas fieri carnis velamine temperata permisit, Iesus Christus filius Dei cruci, quam etiam ipse gestarat, affixus est duobus latronibus, vno ad dexteram ipsius, alio ad sinistram, Latronum in cruce significatio.
similiter crucifixis: vt etiam in ipsa patibuli specie, monstraretur illa, quæ in iudicio ipsius omnium hominum est facienda discretio: cùm & saluandorum figuram fides credentis latronis exprimeret, & damnandorum formam blasphemantis impietas prænotaret. Passio igitur Christi, salutis nostræ continet sacramentum, & de instrumento, quod iniquitas Iudæorum parauit ad pœnam, potentia Redemptoris gradum nobis fecit ad gloriam. Quam Dominus Iesus ita ad omnium hominum suscepit salutem, vt inter clauos, quibus ligno tenebatur affixus, pro interfectoribus suis paternæ clementiæ supplicaret, & diceret: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid* Lucæ 23.
faciunt. Principes autem sacerdotum, quibus indul- CAP. II.
gentiam Saluator petebat, supplicium Crucis irrisionum aculeis asperabant, & in quem manibus amplius sæuire non poterant, linguarum tela iaciebant, dicentes: *Alios saluos fecit, seipsum non potest* Matth. 27.
saluum facere? Si rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. De quo erroris fonte Iudæi, de quo inuidiæ lacu, talium blasphemiarum venena potastis? Quis vobis magister tradidit, quæ doctrina persuasit, quòd illum regem Israël, illum Dei filium, credere deberetis, qui se crucifigi non sineret, aut à confixione clauorum liberum excuteret? Non hoc vobis legis mysteria, non paschalis obseruantiæ sacramenta, nec vlla vnquam Prophetarum ora cecinerunt. Sed illud verè abundéque legistis, quod ad detestabilem vestri sceleris impietatem, & ad voluntariam Domini pertinet passionem. Ipse enim per Esaiam loquitur: *Dorsum meum dedi ad* Esai. 53.
flagella, maxillas meas ad palmas, faciem autem Psal. 67.
meam non auerti à confusione sputorum. Ipse per Dauid, *Dederunt*, inquit, *in escam meam fel, & in siti* Psalm. 21.
mea potauerunt me aceto. Et iterum: *Circundederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi verò considerauerunt, & inspexerunt me, diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Et ne sceleris tantùm Ioan. 1.
vestri videatur ordo prædictus, nulla autem potentia prænunciata crucifixi, non quidem legistis, Dominus descendit de cruce, sed legistis, *Dominus regnauit* Psal. 95.
à ligno. Crux ergo Christi, sacramentum veri & CAP. III.
prænunciati habet altaris, vbi per hostiam salutarem naturæ humanæ celebraretur oblatio. Ibi sanguinis immaculati agni antiquæ præuaricationis pacta delebat: ibi tota diabolicæ dominationis conterebatur aduersitas, & de elatione superbiæ victrix humilitas triumphabat: cùm tamen velox esset fidei effectus, vt de crucifixis cum Christo latronibus, qui in Christum filium Dei credidit, paradisum iustificatus intrauerit. Quis tanti muneris explicet sacramentum? Quis potentiam tam miræ commutationis enarret? Exiguo temporis puncto, longorum scelerum reatus aboletur, inter luctantis animæ dura tormenta, hærens patibulo transit ad Christum, & cui propria impietas intulit pœnam, Christi gratia dat coronam. Hinc iam degustato CAP. IV.
aceto Dominus quod illa dabat vinea, quæ ab auto- Amos 6.
ris sui plantatione degenerans, conuersa fuerat in Matth. 21.
amari

Crux Christi cuius rei sacramentum.

Ioan. 16. amaritudiné vitis alienę, *Consummatum est*, ait, hoc est, completæ sunt scripturæ: non est amplius quód insaniam populi furentis expecté, nihil minus pertuli, quàm me passurum esse prædixi. Peracta sunt mysteria infirmitatis, promantur documenta virtutis. Inclinato itaque capite emisit spiritum, & in corpus de tertio suscitandum, quietem placidi soporis admisit. Cui sacramento cùm se vitæ auctor impenderet, & ad tantam diuinæ maiestatis inclinationem, totius mundi compago quateretur, cùm facinus impium omnis sui confusione creatura damnaret, & manifestam in reos sententiam ipsa elementa proferrent: qui vobis animus Iudæi, quæ conscientia fuit, quando & vos iudicium vniuersitatis vrgebat, & reuocari ad se consummato scelere impietas vestra non poterat? Qualis confusio vos operuit; quæ cor vestrum pœna suscepit; CAP. V. Cùm igitur, dilectissimi, tanta sit misericordia Dei, vt etiam de tali populo multos per fidem iustificare dignatus sit, nósque sub veteris quondam ignorantiæ profunda nocte pereuntes, in Patriacharum societatem, & in sortem electi generis adoptarit: ad altitudinem spei nostræ non segniter, neque cum corpore * curramus, sed prudenter ac fideliter cogitantes, de quali captiuitate, & quàm misera seruitute, quo pretio redempti, & quo brachio sumus educti, glorificemus Deum in corpore nostro: vt habitare eum in nobis, ex ipsa conuersationis nostræ probitate monstremus. Et quia nihil est in omnium virtutum dignitate præstantius, quàm pietas misericordiæ, & puritas castitatis: his nos præsidiis specialius instruamus, vt charitatis opere, ac nitore pudicitiæ, tanquam duabus eleuati alis, de terrenis mereamur esse cælestes. Quo desiderio quisquis gratia Dei adiutus impletur, & de profectu suo non in se, sed in Domino gloriatur, hic legitimè honoret Paschale sacramentum, huius limina vastator Angelus sanguine agni & signo Crucis prænotata, non intrat. Is plagas Ægyptias non pauescit, & iisdem aquis hostes relinquit extinctos, quibus est ipse saluatus. Amplectamur itaque, dilectissimi, purificatis mentibus atque corporibus, salutis nostræ mirabile sacramentum: & ab omni fermento malitiæ veteris emundati, Pascha Domini cum digna obseruatione celebremus, vt regente nos Spiritu sancto à charitate Christi nullis tentationibus separemur, qui in sanguine suo pacificans omnia, & in altitudinem paternæ gloriæ se recepit, & humilitatem sibi seruientium non reliquit, cui est honor & gloria in sæculorum, Amen.

tepore. (margin note to *)

1. Cor. 5. (margin note)

SERMO V.

De Passione Domini, die Dominico.

Quòd necesse fuerit Christum esse Deum & hominem, & pœnitentia Iudæ.

CAP. I. Creator & Dominus omnium rerum Christus post inusitatum sacræ virginis partum, post adorata Magorum confessione cunabula, & post multiplicem doctrinam cœlestis eloquij, & variarum curationum medelas, imperio verbi potentis effectas: dispensationem omnium sacramentorum omniumque virtutum, salutifera passione consummat. Christianæ igitur spei, dilectissimi, vera ratio & principalis causa Crux Christi est, quæ licet Iudæis sit scandalum, gentibus autem stultitia: nobis tamé Dei virtus est, Deique sapientia. Vnde summum hoc & potentissimum diuinæ misericordiæ sacramentum, semper quidem in cordibus nostris cum tota sui dignitate retinendum est: sed nunc viuaciorem animi sensum, & puriorem exigit mentis intuitum, quando non solùm recursu temporis, sed etiam textu Euangelicæ lectionis, omne opus nostræ salutis ingeritur. Nihil ergo apud nos loci cogitationes habeant impiorum, nec integritatem sanæ intelligentiæ, aut Iudaica offensio, aut gentilis corrumpat irrisio: vt quod non solùm pro nobis humiliter, sed etiam sublimiter gestum est, aut secundum hominem impossibile, aut secundum Deū videatur indignum. Vtrumque autem recipi, vtrumque conuenit credi: quia nemo hominum potest, nisi in vtroque saluari. Iustus enim & misericors Deus, non sic iniuria suæ voluntatis est vsus, vt ad reparationem nostram, solam potentiam benignitatis exereret: sed quia consequens fuerat, vt homo faciens peccatum, seruus esset peccati: sic medicina ægris, sic reconciliatio reis, sic redemptio est impensa captiuis, vt condemnationis iustæ sententia, iusto liberatoris opere solueretur. Nam si pro peccatoribus sola se opponeret deitas, non tam ratio diabolum vinceret, quàm potestas. Et rursum, si causam lapsorum sola ageret natura mortalium, non erueretur à conditione, quæ libera non esset à genere. Vnde oportuit in vnum Dominum nostrum Iesum Christum, & diuinam & humanam conuenire substantiam, vt mortalitati nostræ per Verbum carnem factum, & origo noui hominis subueniret & passio. Cùm igitur in Christo CAP. II. Iesu Iudæorum duritia, quæ sunt diuina, gentilium cæcitatis, quæ sunt humana, contemnat: illis aduersus gloriam Domini calumniantibus, istis contra humilitatem superbientibus, nos Dei filium, & in sui virtutibus, & in nostris infirmitatibus adoramus. Nec erubescimus Crucem Christi; & inter contradicentium linguas, nec de morte ipsius, nec de resurrectione dubitamus. Quoniam quod superbos ad infidelitatem trahit, hoc nos ad fidem dirigit, & quod apud illos est materia cōfusionis, hoc apud nos est causa pietatis. Admonitis igitur discipulis Dominus, vt contra vim tentationis instantis vigilanti oratione certarent, ipse Patri supplicans, ait: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Prima petitio infirmitatis est, secunda virtutis. Illud optauit ex nostro, hoc eligit in proprio. Nec enim æqualis patri filius, omnia esse possibilia Deo nesciebat, aut ad suscipiendum Crucé sine sua in hunc mundum descenderat voluntate, vt hanc diuersarum affectionum compugnantiam perturbata quodammodo ratione pateretur. Sed vt suscipientis susceptæque naturæ esset manifesta distinctio: quod erat hominis, diuinam desiderauit potentiam, quod erat Dei, ad causam respexit humanam. Superiori igitur voluntati voluntas cessit inferior, & citò demonstratum est, quid possit à trepidante orari, & quid non debeat à medente concedi. Quia enim nos quid oremus, sicut oportet, nescimus, & vtile nobis est, ne fiat plerunque quod volumus. Deus iustus & bonus, quando ea quæ nocitura sunt petuntur, negando miseretur. Voluntatis ergo nostræ correctionem, Dominus cùm trina oratione firmasset, grauatis adhuc mœrore discipulis, *Dormite iam* inquit, *& requiescite. Ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus. Ecce appropinquauit, qui me tradet.* Inter ipsa autem verba Domini, qui prædicti fuerant, irruerunt, & cum gladiis & fustibus comprehensura Christum turba

Margin notes: Crux Christi vnica spes nostra. 1. Cor. 2. — Ioan. 8. — Matth. 26. — Rom. 8. — Luc. 21. — CAP. III

turba confluxit,ducem ſequens Iudam Iſcariot:qui priuilegio perfidiæ obtinuerat in facinore principatum. Huic nè criminis cauſa aliqua præberet offenſio, nulla eſt negata dignatio.Sed illius ſpiritu inflammatus exarſit,cui miniſterium præbuit & qualem habuit mentem,talē inuenit & præſidem. Meritò ſicut & propheta prædixerat. Oratio eius facta eſt in peccatum, quoniam conſummato ſcelere,tam peruerſa impij conuerſio fuit, vt etiam pœnitudo peccaret. Admittit ergo in ſe filius Dei impias manus,& quod ſæuientium furore agitur, patienti poteſtàte compleuit. Hoc enim erat illud magnæ pietatis ſacramentum,quod Chriſtus conſectabatur iniuriis: quas ſi aperta potentia & manifeſta virtute propelleret, diuina tantùm exerceret, non humana curaret.In omnibus autem,quæ illa popularis & ſacerdotalis inſania contumelioſè & procaciter inferebat,noſtræ diluebantur maculæ,noſtræ expiabantur offenſæ: quia natura,quæ in nobis victa ſemper fuerat atque captiua, in illo innocens patiebatur & libera, vt ad auferendum peccatum mundi, ille agnus ſe hoſtiam offerret,quem & omnibus corporalis ſubſtantia iungeret, & ab omnibus ſpiritalis origo diſcerneret. Hæc hodie, dilectiſſimi, auribus veſtris inſinuata ſufficiant. Cætera in quartam Feriam differantur, auxiliante Domino orationibus veſtris,qui præſtare dignabitur, vt quod promittimus,impleamus, Amen.

Pſalm. 108. Pœnitentia Iudæ.

SERMO VI.

De Paſſione Domini Feria quarta.

Quomodo Chriſtus ductus ſit ad Caipham, & de diruptione veſtimentorum eius, & quomodo Chriſtus ad ſe omnia traxerit.

CAP. I. SPonſionis noſtræ memores, dilectiſſimi, ſanctitati veſtræ reddimus, quod debemus: ad futuram ſperantes gratiam Dei, vt inde nobis proueniat deuotio, vnde eſt incitata promiſſio. Comprehenſus Chriſtus Dominus à turbis, quas principes ſacerdotum & doctores legis armauerant, vt impleret diſpenſationem, cohibet poteſtatem, & beatum Apoſtolum Petrum humana aduerſum irruentes animoſitate commotum, gladio abſtinere præcepit. Superfluum enim erat, vt qui nolebat præſidio angelicarum legionum iuuari, vellet ſe vnius Diſcipuli oppoſitione defendi. Perpetrauerit licet ferox turba quod voluit, & de ſceleris ſui exultarit affectu: maior tamen comprehenſi virtus, quàm comprehendentium fuit. Iudæorum enim cæcitas nihil obtinuit, niſi vt ſua impietate ſe perderet: Chriſti verò patientia hoc egit, vt omnes ſua paſſione ſaluaret. Perducto autem Ieſu ad Caipham principem ſacerdotum, quo ſcribæ & omnis ſacerdotalis ordo conuenerat,falſa aduerſum Dominum teſtimonia quærebantur:ſed inter inconditas & diſſonas voces hoc Ieſus mirabiliter elegerat, vt taceret. Caiphæ tamen dicenti, *Adiuro te per Deum viuum,vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei*: ita veraci ac prouida auctoritate reſpondit, vt iiſdem verbis, & infidelium conſcientias cæderet, & credentium corda firmaret, & ad omnem interrogationem eius referens, *tu dixiſti*, addénſque quod ſequitur: *Veruntamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis ſedentem à dextris Dei, & venientem in nubibus cœli.* Caiphas autem ad exaggerandam auditi ſermonis inuidiam,*ſcidit veſtimenta ſua*: & neſciens quid hac ſignificaret inſania, ſacerdotali ſe honore priuauit. Vbi eſt,Caipha,rationale pectoris tui?vbi continentiæ cingulum? vbi ſuperhumerale virtutum? Myſtico illo ſacratóque amictu ipſe te ſpolias, & propriis manibus pontificalia indumenta diſcerpis, oblitus præcepti illius, quod legeras de principe ſacerdotum, *De capite ſuo cidarin non deponet, & veſtimenta ſua non diſrumpet.* Tu verò, à quo iam alienabatur hæc dignitas,ipſe tibi es executor opprobrij, & ad manifeſtandum finem veteris inſtituti, pertinet eadem diruptio ſacerdotij. Hinc iam, dilectiſſimi, inter multiplicatas illuſiones nocte tranſacta,vinctum Ieſum Pilato præſidi tradiderunt. Principes enim ſacerdotum & ſeniores populi, hoc conſilio rem gerebant, vt ab actione ſceleris viderentur immunes, ſubtrahentes opera manuum, & exercentes tela linguarum, nolentes interficere,& clamantes,*Crucifige,crucifige.* Quid hac ſpecie religionis iniuſtius? quid hac clementiæ ſimulatione crudelius? Qua lege Iudæi, quod vobis non licet facere,licet velle? qua ratione,quod corpora polluit, corda non lædit? Contaminari occiſione eius metuitis, cuius ſuper vos, & ſuper filios veſtros fundi ſanguinem poſtulaſtis. Si non totum facinus veſtra impietas peragit, permitte Præſidem iudicare quod ſentit.Sed vos etiam in ipſum graues atque violenti in id eum declinare non ſinitis, à quo ipſi mendaciter abſtinetis. Peccauerit Pilatus faciendo quod noluit, in veſtram tamen conſcientiam confluit, quicquid furor veſter extorſit. Talis etiam illic veſter obſeruantiâ fuit,vbi pretium,quod vobis Chriſti venditor reportauit, mitti in gazophylacium noluiſtis, cauentes ſcilicet ne ſacros loculos pecunia cruenta pollueret. Cuius cordis eſt iſta ſimulatio? Sacerdotum conſcientia capit,quod templi arca non recipit. Refutatur illius ſanguinis taxatio,cuius non timetur effuſio. Quantiſlibet ita vos fallaciæ circuntegatis vmbraculis, initum eſt cum traditore commercium, quo iuſtum ſanguinem, ſicut non licuit comparari, ita debuit non effundi. Seditioſis igitur clamoribus Iudæorum ſedente Pilato in loco,cui nomen eſt Golgota, crucifigitur Chriſtus.Per lignum, erigitur lapſus in ligno, & guſtu fellis & aceti diluitur eſca peccati. Meritò priuſquam traderetur, dixerat Dominus, *Cùm exaltatus fuero, omnia ad me traham*, id eſt, totam cauſam humani generis agam,& olim perditam in integrum reuocabo naturam. In me omnis infirmitas abolebitur, in me omnis plaga ſanabitur. Exaltatum autem Ieſum ad ſe traxiſſe omnia, non ſolùm noſtræ ſubſtantiæ paſſione, ſed etiam totius mundi commuttatione monſtratum eſt. Pendente enim in patibulo creatore, vniuerſa creatura congemuit,& crucis clauos omnia ſimul elementa ſenſerunt. Nihil ab illo ſupplicio liberum fuit. Hoc in communionem ſui & terram traxit & cœlum,hoc petras rupit, monumenta aperuit, inferna reſerauit,& denſarum horrore tenebrarum, radios ſolis abſcondit. Debebat hoc teſtimonium ſuo mundus auctori, vt in occaſu conditoris ſui, vellent vniuerſa finiri. Sed patientia Dei ſeruat rebus atque temporibus ordinem ſuum, nóſque in illum potius vocat affectum,vt eorum ſalutem petamus,quorum crimen horremus.

Matth. 26. CAP. II. Ibidem. Caiphæ furor. Leu. 21. CAP. III. Matth. 27. Matth. 27. CAP. IV. Ibidem. Ioan. 12. Traxit ad ſe omnia Chriſtus in cruce.

CAP. V. Tanto igitur pretio, tanto ſacramento eruti de poteſtate tenebrarū, & ab antiquæ captiuitatis vinculis abſoluti: date operam, dilectiſſimi, vt integritatem mentium veſtrarum nulla diabolus arte corrumpat. Quicquid nobis contra Chriſtianam fidem ingeritur, quicquid contra mandata Dei ſuadetur,

de illius deceptionibus venit, qui nos innumeris dolis ab æterna vita conatur auertere, captando quasdam occasiones infirmitatis humanæ, per quas incautas negligentesque animas in laqueos iterum suæ mortis inducat. Omnes ergo per aquam & Spiritum sanctum renati, recolant cui renunciauerint, & qua professione iugum à se tyrannicæ dominationis excusserint: nec in secundis quisquam, nec in
Ioan. 8. aduersis ad mortiferum diaboli currat auxilium, Ille enim mendax est ab initio, & in sola viget arte fallendi: vt humanam ignorantiam falsæ scientiæ ostentatione decipiat, fitque eorum nunc malignus
Contra Mathematicos. impulsor, quorum post futurus est improbus accusator. Anni vitæ nostræ & actionum temporalium qualitates, nec in natura elementorum, nec in stellarum effectibus, sed in summi & veri Dei potestate consistunt: cuius auxilium & misericordiam, in omnibus quæ obtinere cupimus, implorare debemus. Sicut enim illo, quod absit, offenso, nihil est, quod
Rom 8. nobis valeat suffragari: ita eodem propitio, nulla nobis nocebit aduersitas. Quoniam si Deus pro nobis, quis cōtra nos? qui filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit; Qui viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO VII.

De Passione Domini, habitus die Dominico.

Cur Christus mori voluerit in festo Paschæ, & de traditione Iudæ, & oratione Christi.

CAP. I. SCio quidem, dilectissimi, Paschale festum tam sublimis esse mysterij, vt non solùm humilitatis meæ tenuissimum sensum, sed etiam magnorum ingeniorum superet facultatem. Sed non ita mihi diuini operis consideranda est magnitudo, vt vel diffidam, vel erubescam de seruitute, quam debeo, cùm sacramentum salutis humanæ non liceat tacere, etiamsi nequeat explicari. Auxiliantibus autem orationibus vestris, adfuturam credimus gratiam Dei, quæ inspirationis suæ rore sterilitatem nostri cordis abstergat: vt linguæ pastoralis officio, quæ sancti gregis auribus sint vtilia, proferantur. Dicen-
Psalm. 80. te enim Domino bonorum omnium largitore, *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud*, Audemus eidem
Psal. 50. verbis propheticis dicere, *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Incipien-
Christi passio cur facta sit in festo Paschali tes igitur, dilectissimi, Euangelicam de passione Domini historiam retractare, diuino intelligimus dispositum fuisse consilio: vt sacrilegi Iudæorum principes, & impij sacerdotes, qui sæuiendi in Christum occasiones sæpè quæsiuerant, non nisi in solennitate Paschali, exercendi furroris sui acciperent potestatem. Oportebat enim, vt manifesto implerentur effectu, quæ diu fuerant figurato promissa mysterio: vt ouem significatiuam ouis vera remoueret, & vt vno expleretur Sacrificio variarum differentia victimarum. Nam omnia illa, quæ de immolatione agni diuinitus per Mosem fuerant præstituta, Christum prophetarant, & Christi occisionem propriè nunciarant. Vt ergo vmbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis, antiqua obseruantia nouo tollitur Sacramento, hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit, & legalis festiuitas dum mutatur, impletur.

CAP. II. Vnde cùm scribas & seniores populi ad impium concilium Pontifices congregarent, omniúmque animos sacerdotum, cura admittendi in Iesum sceleris occupasset, ipsi se doctores legis lege priuarunt, & spontaneo defectu ritus sibi patrios abstulerunt. Incipiente enim festiuitate Paschali, qui ornare templum, mundare vasa, victimas prouidere, & legitimis purificationibus sacratiorem diligentiam adhibere debuerant: parricidalis odij furore concepto, ad vnum opus vacant, & in vnum facinus simili crudelitate coniurant. Qui assecuturi supplicio innocentiæ, condemnatione iustitiæ, nisi vt & noua mysteria non apprehenderent, & antiqua violarent; Prouidentibus ergo principibus ne in die festo tumultus oriretur: non deuotioni, sed facinori studebatur, nec religioni seruiebat hæc cura, sed crimini. Diligentes enim Pontifices & solliciti sacerdotes, seditiones turbarum fieri in præcipua solennitate metuebant: non vt populus non peccaret, sed ne Christus euaderet. At Iesus cōsilij sui certus, CAP. III.
& in opere paternæ dispositionis intrepidus, vetus testamentum consummabat, & nouum Pascha condebat. Discumbentibus enim Discipulis ad edendam mysticam cœnam, cùm in Caiphæ atrio tractaretur, quomodo Christus posset occidi: ille Corporis & Sanguinis sui ordinans Sacramentum, docebat qualis Deo hostia deberet offerri: nec ab hoc quidem mysterio traditore submoto, vt ostenderetur nulla iniuria exasperatus, qui in voluntaria erat impietate*perstiturus. Ipse enim sibi fuit mate- *præscitus.*
ria ruinæ, & causa perfidiæ, sequens diabolum ducem, & nolens Christum habere rectorem. Dicens Matth. 27.
itaque Dominus, *Amen dico vobis, quod vnus vestrùm me traditurus est.* notam sibi traditoris ac proditoris conscientiam demonstrauit: non aspera nec aperta impium increpatione confundens, sed leni ac tacita admonitione conueniens: vt facilius corrigeret pœnitudo, quem nulla deformasset abiectio. Cur infelix Iuda tanta benignitate non vteris? Ecce parcit ausibus tuis Dominus, nulli te, nisi tibi iudicat Christus: nec nomen tuum, nec persona detegitur, sed veritatis & misericordiæ verbo, cordis tantùm tui arcana tanguntur. Non Apostolici ordinis honor, non sacramentorum tibi communio denegatur. Redi in integrum, & deposito furore resipisce. Clementia inuitat, salus pulsat, ad vitam vita te reuocat. Ecce immaculati & innocentes condiscipuli tui ad significationem facinoris expauescunt, & omnes sibi non edito impietatis autore, formidant. Contristati enim sunt, non de conscientiæ reatu, sed de humanæ mutabilitatis incerto: timentes ne minus verum esset, quod in se quisque nouerat, quàm quòd ipsa veritas præuidebat. Tu autem in hac trepidatione sanctorum abuteris Domini patientia, & abscondi te tua credis audacia. Addis impudentiam sceleri, nec signo euidentiore terreris. Cùmque se à cibo alij, in quo iudiciū Do- Ibidem.
minus posuerat, continerent: tu manum non retrahis à paropside, quia animam nō auertis à crimine.

Secutum est itaque, dilectissimi, sicut Ioannes CAP. IV.
Euangelista narrauit, vt cùm traditori suo Domi- Ioan. 13.
nus manifestius designando panem porrexisset intinctum, totum Iudam diabolus occuparet: & quem malignis cogitationibus obligarat iam ipso impietatis opere possideret. Corpore enim tantum cum cœnantibus recumbebat, mente autem sacerdotum inuidiam, testium falsitatem, & furorem imperitæ plebis armabat. Denique videns Dominus, cui fla- Ibidem.
gitio Iudas esset intentus, *Quod facis*, inquit, *fac citius.* Vox hæc, non iubentis est, sed sinentis, nec trepidi, sed parati: qui habens omnium temporum potestatem, ostendit se moram non facere

 traditori,

traditori, & sic ad redemptionem mundi paternam exequi voluntatem: vt facinus, quod à persequentibus parabatur, nec impelleret, nec timeret. Postquam igitur Iudas persuasus à diabolo, discessit à Christo, séque à corpore Apostolicæ vnitatis abscidit, nullo Dominus pauore turbatus, sed de sola redimendorum salute sollicitus: omne temporis spatium, quod à persequentium vacabat incursu, mysticis sermonibus sacratæque doctrinæ, sicut Ioannis Euangelio declaratur, impendit: eleuans ad cœlum oculos, & pro vniuersa Ecclesia supplicans Patri, vt omnes quos dedisset, daturusque esset filio pater, vnum fierent, & in gloria redemptoris indiuidui permanerent, adiiciens postremò illam orationem qua ait, *Pater si fieri potest, transeat à me calix iste.* Vbi non existimandum est, quod Dominus Iesus passionem & mortem, cuius iam discipulis sacramenta tradiderat, voluerit declinare, cùm ipse beatum Apostolum Petrum, deuota fide & charitate feruentem vti aduersum persecutores gladio, vetet, dicens: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis, vt bibam illum?* Certumque sit, quod & Dominus testatus est ipse dicens, *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et quod de ipso ait Apostolus Paulus, *Christus nos dilexit, & tradidit semetipsum pro nobis hostiam Deo in odorem suauitatis.* In saluandis enim hominibus per crucem Christi communis voluntas erat Patris & Filij, communéque consilium, nec vlla poterat ratione turbari, quod ante æterna sæcula, & misericorditer erat dispositum, & incommutabiliter præfinitum. Qui ergo verum totumque hominem assumpsit, veros & corporis sensus, & animi suscepit affectus. Nec quia omnia in illo plena erant sacramentis, plena miraculis, ideo aut falsis lacrymis fleuit, aut mendaci esurie sumpsit cibum, aut simulato sopore dormiuit. In nostra humilitate contemptus, in nostra mœstitudine contristatus, in nostro est dolore crucifixus. Passionem enim mortalitatis nostræ ob hoc misericordia subiit, vt sanaret: ob hoc virtus recepit, vt vinceret. Quod Esaias apertissimè prophetauit, dicens: *Hic peccata nostra portat, & pro nobis dolet: & nos putauimus illum esse in dolore & plaga & vexatione. Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra, & infirmatus est propter facinora nostra, & liuore eius sanati sumus.*

Ioan.17. Matth.27. Oratio Christi quid significet. Ibidem. Ioan. 3. Coloss.1. Esai.53.

CAP. V. Cùm itaque, dilectissimi, Dei filius dicit, *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste*, nostræ vtitur voce naturæ, & causâ fragilitatis & trepidationis agit humanæ: vt in iis, quæ toleranda sunt, & patientia roboretur, & formido pellatur. Denique cessans hoc ipsum petere, excusato quodammodo nostræ infirmitatis metu, in quo nobis remanere non expedit, in alium affectum transit, & dicit: *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et iterum: *Si non potest*, inquit, *calix iste transire à me, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Hæc vox capitis, salus est totius corporis: hæc vox omnes fideles instruxit, omnes Confessores accendit, omnes Martyres coronauit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis posset persecutorum superare terrores: nisi Christus in omnibus & pro omnibus patiens, Patri diceret, *Fiat voluntas tua?* Discant igitur hanc vocem omnes Ecclesiæ filij magno pretio redempti, gratis iustificati: & cùm aduersitas violentæ alicuius tentationis incubuerit, præsidio potentissimæ rationis vtantur: vt superato tremore formidinis, accipiant tolerantiam passionis. Hinc iam, dilectissimi, ad perstringendum ordinem Dominicæ Passionis sermo est dirigendus, quem ne vos cumulo prolixitatis oneremus, in quartam Sabbati diuiso labore, differamus. Aderit precantibus vobis gratia Dei, quæ mihi soluendi debiti tribuat facultatem, Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO VIII.

De Passione Domini Feria quarta.

De peccato Pilati ac Iudæorum, de mysterio quoque & gloria crucis, & de Simone Cyrenæo.

CAP. I. Decursis, dilectissimi, sermone proximo iis, quæ comprehensionem Domini præcesserunt: superest nunc, vt auxiliante Dei gratia, de ipso iam passionis ordine, sicut promisimus, disseramus. Nam cùm verbis sacræ orationis suæ Dominus declarasset, verissimè sibi atque plenissimè & humanam & diuinam inesse naturam, ostendens vnde esset quod pati nollet, & vnde quod vellet, depulsa trepidatione infirmitatis, & confirmata magnanimitate virtutis, rediit in sententiam suæ dispositionis æternæ, & sæuienti diabolo per ministeria Iudæorum, formam serui nihil peccati habentis obiecit: vt per eum ageretur omnium causa, in quo solo erat omnium natura sine culpa. Irruerunt ergo in lumen verum, filij tenebrarum: & vtentes faculis atque laternis, non euaserunt infidelitatis suæ noctem, quia non intellexerunt lucis authorem. Occupant paratum teneri, & trahunt volentem trahi, qui si vellet obniti, nihil quidem in iniuriam eius impiæ manus possent: sed mundi redemptio differretur, & nullum saluaret illæsus, qui pro omnium salute erat moriturus. Sinens igitur inferri sibi, quicquid sacerdotum instinctu furor popularis audebat, ad Annam Caiphæ socerum, ac denique ad Caipham ex Annæ transmissione perducitur: & post insanas calumniantium voces, post commentitias subornatorum testium falsitates, ad examen Pilati Pontificum delegatione transfertur. Qui diuino iure neglecto, clamantes *se regem non habere nisi Cæsarem*, cùm tanquam Romanis deuoti legibus, omne iudicium potestati * Præsidis reseruassent, expetierunt executorem magis sæuitiæ; quàm arbitrum causæ. Offerebant enim Iesum duris nexibus vinctum, colaphis & alapis frequentibus cæsum, sputis oblitum, clamoribus prædamnatum: vt inter tot præiudicia, quem omnes vellent perire, non auderet Pilatus absoluere. Denique nec in accusato eum reperisse culpam, nec in sententia sua tenuisse constantiam, docet ipsa cognitio: in qua iudex, quem innocentem pronunciat, damnat, addicens iniquo populo sanguinem iusti, à quo abstinendum sibi, & intellectu proprio senserat, & somnio vxoris nouerat. Non purgant contaminatum animum manus lotæ, nec in aspersis aqua digitis expiatur, quod famulante impia mente committitur. Excessit quidem Pilati culpam facinus Iudæorum, qui illum nomine Cæsaris territum, & inuidiosis vocibus increpatum, ad effectum sui sceleris impulerunt. Sed nec ipse euasit reatum, qui cooperatus seditiosis, reliquit iudicium proprium, & in crimen transiuit alienum. Quod ergo Pilatus dilectissimi, implacabilis populi victus insania, multis Iesum dehonestari ludibriis, & immodicis vexari permisit iniuriis, quódque eum flagellis cæsum, spinis coronatum, & amictu irrisoriæ vestis indutum persequentium ostentauit aspectui: mitigandos procul dubio inimicorum animos existimauit, vt ex saturatis inuidiæ odiis, non vltra iam crede

CAP. II. Matth. 28. * Cæsaris. Pilati scelus & iudicium. CAP. III.

crederent persequendum, quem tot modis intuebantur afflictum. Sed cùm inardesceret ita clamantium, vt Barrabam indulgentia relaxaret, & Iesum crucis pœna susciperet, cùm consono fremitu dice-

Matth. 27.

retur à turbis, *Sanguis eius super nos, & super filios nostros*, obtinuerunt iniqui, in damnationem suam, quod pertinaciter exiegbant: quorum dentes, sicut

Psal. 59.

Propheta attestatus est, arma erant & sagittæ, & lingua eorũ gladius acutus. Frustrà enim à crucifigendo maiestatis Domino manus proprias continebant, in quem lethalia vocum spicula, & venenata verborum tela iaciebant. Vobis, vobis, falsi Iudæi & sacrilegi principes populi, totum facinoris istius pondus

Iudæorum scelus.

incumbit: & licèt immanitas sceleris & Præsidem obligarit, & milites, omnis tamen facti summa vos arguit. Et quicquid in supplicio Christi, vel Pilati peccauit iudicium, vel cohortis obsequium, hoc vos facit humani generis odio digniores: quia vestri furoris impulsu, nec illis innocentes esse licuit, quibus

CAP. IV.

iniquitas vestra non placuit. Traditus itaque Dominus sæuientium voluntati, ad irrisionem regiæ dignitatis, supplicij sui iussus est esse gestator, vt impleretur quod Esaias Propheta præuiderat, dicens:

Esai. 9.

Ecce natus est puer, & datus est nobis filius, cuius imperium super humeros eius. Cùm ergo Dominus lignũ portatet crucis, quod in sceptrũ sibi conuerteret potestatis, erat quidem hoc apud impiorum oculos

Crucis mysterium.

grande ludibrium, sed manifestabatur fidelibus grãde mysterium: quia gloriosissimus diaboli victor, & inimicarum virtutum potentissimus debellator, pulchra specie, triumphi sui portabat trophæum, & inuictæ patientiæ humeris signum salutis, adorandum regnis omnibus inferebat, tanquã & tunc ipsa operis sui imagine omnes imitatores suos confirmaret,

Matth. 20. Matth. 27.

& diceret: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Euntibus autem cum Iesu tur-

CAP. V. Simonis Cyrenæi mysterium.

bis ad locum pœnæ, Simon quidam Cyrenæus inuentus est, in quem lignum crucis transferretur à Domino: vt etiam tali facto præsignaretur gentium fides, quibus Crux Christi non confusio erat futura, sed gloria. Non ergo fortuitum, sed figuratum & mysticum fuit, vt Iudæis in Christum sæuientibus,

Rom. 8.

ad compatiendum ei peregrinus occurreret, dicente Apostolo, *Si compatimur, & conregnabimus:* vt sacratissimo Saluatoris opprobrio, non Hebræus quisquam, nec Israëlita, sed alienigena subderetur. Per hanc enim translationem, à circuncisione ad præputium, à filiis carnalibus ad filios spiritales, immaculati agni propitiatio, & omnium sacramentorum

1. Cor. 5.

plenitudo transibat: Siquidem *Pascha nostrum*, vt ait Apostolus, *immolatus est Christus*, qui se nouum & verum reconciliationis sacrificium offerens Patri, non templo, cuius iam erat finita reuerentia, nec intra septa ciuitatis, ob meritum sui sceleris diruendæ,

Hebr. 13.

sed foris & extra castra crucifixus est: vt veterum victimarum cessante mysterio, noua hostia nouo imponeretur altari, & Crux Christi, non templi esset

CAP. VI.

ara, sed mundi. Exaltato igitur, dilectissimi, per Crucem Christo, non illa tantùm species aspectui mentis occurrat, quæ fuit in oculis impiorum, quibus per

Deut. 18.

Mosen dictum est: *Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, & timebis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ.* Isti enim nihil in crucifixo Domino præter facinus suum cogitare potuerunt, habentes timorem, non quo fides vera iustificatur, sed quo conscientia iniqua torquetur. Noster verò intellectus, quem spiritus veritatis illuminat, gloriam Crucis cælo & terráque radiantem puro ac libero corde suscipiat, & in-

Ioan. 17.

teriore acie videat, quale sit, quod Dominus cùm de passionis suæ loqueretur instantia dixit: *Venit hora,*

Ioan. 12.

vt clarificetur filius hominis. Et infrà: *Nunc*, inquit, *turbata est anima mea. Et quid dicam? Pater, salua me ex hac hora. Sed propterea veni in hanc horam. Pater, clarifica filium tuum:* Et cùm vox Patris venisset è cælo dicens, *Et clarificaui, & iterum clarificabo?* Respondens Iesus circunstantibus dixit: *Non propter me vox hæc facta est, sed propter vos Nunc iudicium mundi est, nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* O admirabilis potentia Crucis! ô ineffabilis

CAP. VII. Christus crucifixus, vt omnia ad se traxerit.

gloria passionis! in qua & tribunal Domini, & iudicium mundi, & potestas est crucifixi. Traxisti enim Domine omnia ad te, & cùm expandisses tota die manus tuas ad populum non credentem & contradicẽtem tibi, confitendæ maiestatis tuæ sensum totus

Esai. 65. Rom. 10.

mundus accipit. Traxisti Domine omnia ad te, cùm in execrationem Iudaici sceleris, vnam protulerunt omnia elementa sententiam, cum obscuritas luminaribus cæli, & conuerso in noctem die, terrâ quoque motibus quateretur insolitis, vniuersáque creatura impiorum vsui se negaret. Traxisti Domine omnia ad te, quoniam scisso templi velo, sancta sanctorum ab indignis Pontificibus recesserunt: vt figura in veritatem, prophetia in manifestationem, & lex in Euangelium verteretur. Traxisti Domine omnia ad te, vt quod in vno Iudææ templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno apertóque sacramento, vniuersarum vbique nationum deuotio celebraret. Nunc etenim & ordo clarior Leuitarum, & dignitas amplior Seniorum, & sacratior est vnctio Sa-

Crux Christum quantæ efficaciæ.

cerdotum: quia Crux tua omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum: per quam credẽtibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. Nunc etiam carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostia-

Ioan. 1.

rum, vna Corporis & Sanguinis tui implet Oblatio: quoniam tu es verus agnus Dei, qui tollis peccata mundi, & ita in te vniuersa perficis mysteria, vt sicut vnum est pro omni victima sacrificium, ita vnum

CAP. VIII.

de omni gente sit regnum. Confiteamur igitur, dilectissimi, quod beatus magister Gentium Paulus

1. Tim. 2.

Apostolus gloriosa voce confessus est, dicens: *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Hinc enim mirabilior est erga nos misericordia Dei, quòd non pro iustis neque pro sanctis, sed pro iniquis &

Rom. 5.

impiis Christus est mortuus: & cùm mortis aculeum recipere non posset natura deitatis, suscepit tamen nascendo ex nobis, quod posset offerre pro nobis. Olim enim morti nostræ mortis suæ potentiam mi-

Oseæ 13.

nabatur dicens per Oseam Prophetam: *O mors, ero mors tua, & ero morsus tuus inferne.* Leges enim inferni moriendo subiit, sed resurgendo dissoluit: & ita perpetuitatem mortis incidit, vt eam de æterna face-

1. Cor. 15

ret temporalem. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabũtur.* Fiat itaque,

2. Cor. 5.

dilectissimi, quòd Apostolus Paulus ait, *Vt qui viuũt, iã non sibi viuãt, sed ei qui pro omnibus mortuus est, & resurrexit.* Et quia vetera transierũt, & facta sũt omnia noua, nemo in carnalis vitæ vetustate remaneat, sed omnes de die in diem proficiendo, per pietatis augmenta renouentur. Quantumlibet enim quisque iustificatus sit, habet tamen, dum in hac vita est, quo

Qui non proficit, deficit.

probatior esse possit & melior. Qui autem non proficit, deficit: & qui nihil acquirit, nonnihil perdit. Currendum ergo nobis est fidei gressibus, misericordiæ operibus, amore iustitiæ: vt diem redemptionis nostræ spiritaliter celebrantes, non in fermento

1. Cor. 5.

veteris malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis, resurrectionis Christi mereamur esse participes, Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO IX.

De passione Domini.

Passio Christi variis Prophetarum oraculis & figuris prædicta, & de Diaboli ruina, ac auaritiæ morbo, Petrique negatione.

CAP. I. SAcramentum, dilectissimi, Dominicæ passionis in salutem humani generis, ante tempora æterna dispositum, & per multas significationes omnibus retro sæculis nunciatum, non adhuc expectamus manifestandum, sed iam adoramus impletum: concurrentibus ad eruditionem nostram & nouis testimoniis, & antiquis, dum quod prophetica cecinit tuba, Euangelica pandit historia, & sicut scriptum est, *Abyssus abyssum inuocat, in voce cataractarum tuarum*, (Matth. 42.) quoniam ad enarrandum gloriam gratiæ Dei, paribus sibi vocibus vtriusque testamenti altitudo respondet: & quod erat sub velamine figurarum profundum, fit reuelata luce perspicuum. Sic tamen inter illa miracula Saluatoris, quæ sub populorum gerebantur aspectu, pauci veritatis præsentiam sentiebant, ipsique Discipuli voluntaria Domini passione turbati, non euaserunt scandalum crucis sine tentatione formidinis. Vnde fides nostra intelligentiam sumeret, vnde constantia robur acciperet, nisi quæ facta cognoscimus, prædicta legeremus? CAP. II. Peracto igitur, dilectissimi, Saluatoris triumpho, & consummatis dispensationibus, quas omnia veteris testamenti eloquia nunciarunt, lugeat carnalis Iudæus, sed spiritalis gaudeat Christianus: & festiuitas quæ illis conuersa est in noctem, nobis coruscet in lucem, quoniam Crux Christi eadem est & credentium gloria, & non credentium pœna. Quamuis enim persequentium furor nihil aliud in Dominum maiestatis operatus sit, quàm atrocem crudelitatem & immite supplicium: redemptis tamen hac Domini passione, verior iustiórque lætandi est ratio, quàm dolendi. (Pauor discipulorum excusabilis.) Fuerit tunc discipulorum excusabilis pauor, nec diffidentiæ culpam Apostolicus mœror inciderit, quando concurrentibus ad vnum scelus Iudæis Iudæorúmque principibus, superbus taurorum pinguium tumor & proterua vitulorum petulantia sæuiebat: quando sub oculis ouium pastoris iusti sanguinem frementium bestiarum rabies expetebat, quando denique etiam ipse qui pati venerat, de nostræ naturæ communione dicebat: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* (Matth. 26.) Nunc autem postquam susceptione infirmitatis potentia est clarificata virtutis, nulla fidelium mœstitudine paschalis est obscuranda solennitas: nec cum tristitia nobis gestorum ordo recolendus est, cùm ita Dominus vsus sit malitia Iudæorum, vt de intentione facinoris, voluntas sit impleta miserentis. Si autem in exitu Israël de Ægypto, agni sanguis fuit restitutio libertatis, & sacratissima est facta festiuitas, quæ per hostiam pecudis iram auerteret vastatoris: quanta populis Christianis concipienda sunt gaudia, pro quibus omnipotens pater filio suo vnigenito non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, (Rom. 8.) vt in occisione Christi Pascha esset verum & singulare sacrificium: quo non est dominatione Pharaonis vnus populus, sed ex diaboli captiuitate totus mundus eruitur? (Figuræ passionis Christi.) Hoc igitur illud est, dilectissimi, sacramentum, cui ab initio omnia sunt famulata mysteria. CAP. III. Nunc sanguis iusti Abel mortem summi pastoris eloquitur, & in parricidio Iudæorum Cain interfector fratris agnoscitur. (Genes. 4.) (Gen. 9. & 7.) Nunc diluuium & Noë arca manifestat, quid sit renouationis in Baptismo, & quid salutis in ligno. (Gen. 22.) Nunc Abrahâm gentium pater promissos acquirit (Rom. 8.) hæredes, & in semine eius, non germen carnis, sed fidei propago benedicitur. Nunc ad prænunciatum festis omnibus festum sacer nouorum mensis enituit, vt in quo accepit mundus exordium, in eodem haberet Christiana creatura principium. Quamuis igitur furentes Iudæi fecerunt in Dominum Iesum quæcunque voluerunt, suscepti hominis veritatem nullis eorum ausibus potestas diuina subtraxerit: patientia tamen Domini, consilij sui munus impleuit, & pertinacia sacrilegæ crudelitatis profecit operi Saluatoris, quod non Scribæ, non Pharisæi, nec summi intellexere Pontifices. *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* (1. Cor. 2.) (Diabolus captus in morte Christi.) Nec ipse itaque diabolus intellexit, quod sæuiendo in Christū, suum destrueret principatum: qui antiquæ fraudis iura non perderet, si se à Domini Iesu sanguine contineret. Sed malitia nocendi auidus, dum irruit, ruit; dum capit, captus est; dum persequitur mortalem, incidit in Saluatorem. Inuenit sanè in illo molimine, imprudentis audaciæ dignum cooperatorem dignúmque consortem: cùm impius Iudas maluit minister esse Diaboli, quàm Apostolus Christi, quem non timoris perturbatione deseruit, sed pecuniæ cupiditate distraxit. CAP. IV. (Auaritia quàm perniciosa.) Videte, dilectissimi, & prudentes inspicite, quæ germina, & quales fructus de auaritiæ stirpe nascantur, quàm merito Apostolus radicem omnium malorum esse definiuit: (1. Tim. 6.) quia nullum peccatum sine cupiditate committitur, & omnis illicitus appetitus, istius auiditatis est morbus. Amori pecuniæ vilis est omnis affectio, & anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit: nullúmque est in illo corde iustitiæ vestigium, in quo sibi auaritia fecit habitaculum. Hoc perfidus Iudas inebriatus veneno, dum sitit lucrum, peruenit ad laqueum: & tam stultè impius fuit, vt triginta argenteis & Dominum venderet & Magistrum. Cùm autem se ad excipiendum iniquitatis iudicium, Dei filius præbuisset, (Petri negatio.) beatus Apostolus Petrus, cuius fides ea deuotione feruebat, vt & Domino compati paratus esset, & commori ancilla sacerdotis calumniante perterritus, ex infirmitate periculum negationis incurrit: ob hoc, sicut apparet, hæsitare permissus, vt in Ecclesiæ principe remedium pœnitentiæ conderetur: & nemo auderet de sua virtute confidere, quando mutabilitatis periculum, nec B. Petrus potuisset euadere. Dominus autem Iesus qui intra pontificale consilium solo corpore tenebatur, trepidationem Discipuli foris positi diuino vidit intuitu: & pauentis animum, mox vt respexit, erexit, & in fletus pœnitudinis incitauit. Felices, sancte Apostole, lacrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuêre baptismatis. Adfuit enim dextera Domini Iesu Christi, quæ labentem te, priusquam deiiceretis, exciperet, & firmitatem standi, in ipso cadendi periculo recepisti. Vidit in te Dominus non fidem fictam, non dilectionem auersam, sed constantiam fuisse turbatam. Abundauit fletus, vbi non defecit affectus, & fons charitatis lauit verba formidinis: nec tardatum est remedium abolitionis, vbi non fuit iudicium voluntatis. Citò itaque in soliditatem suam rediit petra: tantam recipiens fortitudinem, vt quod tunc in Christi expauerat passione, in suo post supplicio non timeret.

SERMO

SERMO X.

De passione Domini.

Quòd Christus falsò sit accusatus, quòd se regem fecerit, & de compassione mulierum, ac ruina diaboli.

CAP. I. CVm multis modis, dilectissimi, Iudaica impietas laboraret, vt occasioné aliquam perpetrandi in Dominum Iesum sceleris inueniret: & mendacia, quæ falsi testes iniustis sacerdotibus famulando protulerant, nihil quod morte dignum esset, adferrent: hoc quasi insuperabile repererunt, vt Dominum mundi affectati regni inuidia perurgerent. Cúmque Pilatus Iesum, quem frustra videbat argui, vellet absolui: calumniosè & minaciter conclamarunt: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari.* (Ioan. 19.) Stulam insimulationem imprudenter Pilate timuisti. Sed formidabile fuerit nomen regium, vt pro imperio Cæsaris opprimi deb uerit nouæ molitio potestatis: si dominandi consilium tyrannicus tibi prodidit apparatus, si prouisio armorum, si congregatio diuitiarum, si præsidia detecta sunt militum. Quid eum granari finis de affectata potentia, cuius specialis fuit de humilitate doctrina? (Luc. 2. Matth. 17. Matth. 22.) Romanis legibus non contradixit, censum subiit didrachma soluit vectigalia non inhibuit, quæ Dei sunt Deo, & quæ sunt Cæsaris, Cæsari reddenda constituit. CAP. II. Paupertatem elegit, obedientiam suasit, mansuetudinem prædicauit, hoc est verè non impugnare Cæsarem, sed iuuare. Veruntamen ne in totum inanis videatur Iudæorum obiectio, discute diligentiùs Præses, quid de Domini Iesu operibus notum sit, quid de potestate compertum. (Matth. 8.) Cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis donauit eloquium: febres abegit, dolores resoluit, dæmonia eiecit, mortuos viuificauit, mari & ventis, vt quiesceret imperauit. Magnum prorsus regem ista demonstrant, qui non humana excellit potentia, sed virtute diuina. Hanc ergo Iudæi obiiciant potestatem, commutent actionem suam, & hoc proferant ore, quod tenent corde. Quare de terrenis calumniantur, qui cœlestia persequuntur? Quamuis ergo Pilatus onerosum sibi insidiosúmque sentiret, quòd cum Iudæi de neglectu amicitiæ Cæsaris impetebant, aliquandiu tamen furorem ipsorum mitigare conatus est: & ideo Dominum Iesum diuersis contumeliis affici aut permisit, aut iussit; vt satiata iniquitas de innocentis iniuriis, vlteriùs non sæuiret. Sed pertinax malitia propriis crescebat augmentis, & in quem obtinuerat ius illusionis, exigebat & mortis. Vnde cùm & summi sacerdotes & principes Iudæorum, omnisque multitudo crebris vocibus acclamarent, *Crucifige, Crucifige*, tradidit Iesum persequentium voluntati, Barraba illis latrone dimisso, vt qui in die festo authorem interficiebát vitæ, impunitas eis præstaretur homicidæ. CAP. III. Eunte itaque, dilectissimi, ad locum clarificationis suæ Domino, & misericordia ab impiorum tabernaculis exeunte, vt adimpleretur, quod scriptum est, *Longè est à peccatoribus salus*, (Psal. 118.) sequebatur eum multitudo populi, & mulierum plangentium & lamentantium eum. (Luc. 23. Mulieres Christo compassæ.) Solet enim sexus infirmior, etiam pro iis, qui morte sunt digni, lacrhymis commoueri, & damnatorum exitus, pro naturæ communis consideratione misereri. Sed istum sibi planctum Dominus Iesus dedignatur impendi, quia non decebat luctus triumphum: nec lamenta victoriam. Denique conuersus ad eas: *Filiæ*, inquit, *Hierusalem nolite flere super me, sed super vosmetipsas, & super filios vestros flete. Quia venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles & ventres, qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt.* (Christus cur noluerit se plangi à mulieribus.) Vbi est tristitia crucifigédi? Vbi formido morituri? non terret passuri animum hora supplicij, & docens nullam pro se flendi esse rationem, indicit pœnitentiam, denunciando vindictam: Non est, inquit, quod dolere in me Hierusarem filiæ debeatis, pro vobis plangite, & pro vestris filiis euilate. Super illos fundátur isti ploratus, quos tales viscera vestra pepererunt. Lugendú planè vobis est, non de salute credentium, sed de impietate & temeritate pereuntium. Ego crucem volens patior, & mortem in me, quá sum perempturus, admitto. Nolite flere pro mundi redemptione morientem, quem in maiestate Patris videbitis iudicanté. CAP. IV. Exaltatus autem Christus Iesus in ligno, retorsit morté in mortis authorem, & omnes principatus aduersásque virtutes, per obiectionem passibilis carnis elisit, admittens in se antiqui hostis audaciam, qui in obnoxiam sibi sæuiendo naturam, etiam ibi exactor ausus est esse debiti, vbi nullum potuit vestigiú inuenire peccati. Euacuatum est igitur illud generale venditionis nostræ & lethale chirographum, & pactum captiuitatis in ius transiit redemptoris. (Diabolus in cruce victus.) Claui illi, qui manus Domini pedésque transfoderant, perpetuis diabolum fixere vulneribus, & sanctorum pœna membrorum, inimicarum fuit interfectio potestatum: sic suam Christo consummante victoriam, vt in ipso & cum ipso omnes qui in eum crederent, triumpharent.

CAP. V. Cùm ergo Dominus crucifixi corporis eleuatione sublimis, reconciliationem mundi exequeretur in quadam arce supplicij, latronémque conuersum, ad paradisi vocaret habitaculum, vos principes Iudæorum, legísque doctores, nec conscientiæ impietate compuncti, nec affectu sceleris mitigati, fixuris clauorum addebatis tela linguarum, dicentes: *Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere: si rex Israël est, descendat de cruce, & credimus ei.* (Matth. 27.) Sed his vocibus vestris stultis atque blasphemis reddunt omnia elementa responsum, & vnam in vos sententiam ferunt, cœlum, terra, sol, sydera que, indignos vos suo ministerio protestantes terribili motu, insolitóque defectu, tenebras mundo vestræ cæcitatis ostendunt. (Ibidem. Velum templi scissum quid significet.) Quod si ad arguendum vos, nec cœlestia, nec inferna sufficiunt, & crucem Christi magis potuerunt petræ atque monumenta quàm corda vestra sentire, saltem quod in templo actum est, scienter aduertite. Verum, cuius obiectu includebantur sancta sanctorum, à summo vsque ad ima diruptum est, & sacrum illud mysticúmque secretum, quod solus summus Pontifex iussus fuerat intrare, reseratum est, vt nihil iam esset discretionis, vbi nihil resederat sanctitatis. Repudiatos itaque vos debuistis agnoscere, & omne ius sacerdotij perdidisse, quia verum erat, quod Veritas vobis dixerat. *Si crederitis Mosi, crederitis & mihi.* (Ioan. 5.) Meritò ergo vos testamentum vtrumque condemnat, & gratias vacuatos & lege priuatos, qui ideo resistitis nouis, quia non credidistis antiquis. Nos autem, dilectissimi, ab ignorantiæ tenebris liberati, fidei lumen accepimus, & in noui testamenti hæreditatem per electionem adoptionis intrauimus: in festiuitate, quam carnalis Israël perdidit, gaudeamus, quoniam Pascha nostrum immolatus est Christus, (1. Cor. 5.) per cuius ineffabilem gratiam, omnium charismatum benedictione ditamur, & ita in nouitatem à vetustate transferimur, vt non solùm paradisi restituamur habitaculo, sed etiam regni cœlestis gloriæ

præ

præparemur, adiuuante Domino nostro Iesu Christo, Qui cum Patre & sancto Spiritu viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO XI.

De Passione Domini, Dominico die habitus.

De confessione Petri, & de gemina Christi natura, déque occultato Dæmonibus Incarnationis mysterio, atque Iudæ desperatione.

CAP. I. DEsiderata nobis, dilectissimi, & vniuerso optabilis mundo adest festiuitas Dominicæ passionis, quæ nos inter exultationes spiritualium gaudiorum silere non patitur: quia etsi difficile est de eadem solennitate sæpiùs dignè aptéque disserere; non est tamen liberum sacerdoti, in tanto diuinæ misericordiæ sacramento, fidelibus populis subtrahere sermonis officium: cùm ipsa materia, ex eo quòd est ineffabilis, fandi tribuat facultatem: nec possit deficere quod dicatur, dum nunquam potest satis esse, quod dicitur. Succũbat ergo humana infirmitas gloriæ Dei, & inexplicãdis operibus misericordiæ eius, imparem se semper inueniat. Laboremus sensu, hæreamus ingenio, deficiamus eloquio: bonum est, vt nobis parum sit, quod etiam rectè de Domini maiestate sentimus. Dicente enim Propheta, *Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius semper*: nemini præsumendum est, quòd totum, quod quærit, inuenerit: ne desinat propinquare, qui cessarit accedere. Quid autem inter omnia opera Dei, in quibus humanæ admirationis fatigatur intentio, ita contemplationem mentis nostræ & oblectat & superat: sicut passio Saluatoris? De cuius omnipotentia, quæ ei cum Patre vnius & æqualis essentiæ est, quoties, vt possumus, cogitamus, mirabilior nobis fit in Deo humilitas, quàm potestas: & difficiliùs capitur diuinæ maiestatis exinanitio, quàm seruilis formæ in summa prouectio. Sed multum nos ad intellectum iuuat, quòd licèt aliud sit creator, aliud creatura, aliud deitas inuiolabilis, aliud caro passibilis: in vnam tamen personam concurrat proprietas vtriusque substantiæ, vt siue in infirmitatibus, siue in virtutibus, eiusdẽ sit contumelia, cuius & gloria.

Psalm. 104.

Passionis Christi contemplatio quid præstet.

CAP. II. Symbolum. Hac fidei regula, dilectissimi, quã in ipso exordio Symboli per auctoritatem Apostolicæ institutionis accepimus, Dominum nostrum Iesum Christum, quem filium Dei patris omnipotentis vnicum dicimus: eundem quoque de Spiritu sancto natum ex Maria virgine confitemur. Nec ab eiusdem maiestate discedimus, cum ipsum crucifixum & mortuum & die tertia credimus suscitatũ. Omnia enim quæ Dei sunt, & quæ hominis, simul & humanitas & deitas expleuit: vt dũ passibili, impassibilis inest, nec virtus infirmitate affici, nec infirmitas possit virtute superari. Meritò beatus Petrus Apostolus in huius vnitatis confessione laudatus est: qui cùm Dominus quid de ipso intelligerent discipuli, scrutaretur, omnium celerrimè ora præueniens: *Tu es*, inquit, *Christus filius Dei viui.* Quod vtique non reuelante vidit carne, nec sanguine, quorum obiectu interiores oculi poterant impediri: sed in ipso Spiritu patris in corde operante credentis, vt ad regimen totius Ecclesiæ præparatus, primùm disceret, quod doceret, & pro soliditate fidei, quam erat prædicaturus, audiret: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiã meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Christianæ igitur fidei fortitudo, quæ portas mortis super inexpugnabilem petram ædificata non metuit, vnum Dominum Iesum Christum, & verum Deum, & verum hominem confitetur: eundem credens filium Virginis, qui author est matris: eundem natum in fine sæculorum, qui creator est temporum: eundem Dominum omnium virtutum, & vnum de stirpe mortalium: eundem peccati nescium, & in similitudinem carnis peccati, pro peccatoribus immolatum.

Matth. 16.

CAP. III. Incarnationis mysterium diabolo occultatum. Qui vt humanum genus vinculis mortiferæ præuaricationis absolueret: & sæuienti diabolo potentiam suæ maiestatis occuluit, & infirmitatem nostræ humilitatis obiecit. Si enim crudelis & superbus inimicus, consiliũ misericordiæ Dei nosse potuisset, Iudæorum animos mansuetudine potiùs temperare, quàm iniustis odiis studuisset accendere: ne omnium captiuorum amitteret seruitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem. Fefellit ergo illum malignitas sua: intulit supplicium filio Dei, quod cunctis filiis hominum in remedium verteretur. Fudit sanguinem iustum, qui reconciliando mundo, & pretium esset & poculum. Suscepit Dominus, quod secundum propositum suæ voluntatis elegit. Admisit in se impias manus furentium: quæ dum proprio incumbunt sceleri, famulatæ sunt redemptori. Cuius etiam circa interfectores suos tanta erat pietatis affectio, vt de cruce supplicans Patri; non se vindicari, sed illis postularet ignosci, dicens: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* De cuius vtique orationis potentia fuit, vt prædicatio Petri Apostoli, ex iis, qui dixerunt, *Sanguis illius super nos, & super filios nostros*, multorum ad pœnitentiã corda conuerteret, & vno die baptizarentur tria ferè millia Iudæorum: fierétque omnium cor vnum & anima vna, paratorum iam pro eo mori, quem poposcerant crucifigi. Luc. 23. Matth. 27. Act. 2. Act. 4.

CAP. IV. Iudæ desperatio. Psal. 108. Ad hanc indulgentiam traditor Iudas peruenire non potuit: quoniam perditionis filius, cui diabolus stabat à dextris, prius in desperationem transiit, quàm sacramentum Christus generalis redemptionis impleret. Nam mortuo pro omnibus impiis Domino: potuisset etiam fortè hic consequi remedium: si non festinasset ad laqueum. Sed maligno cordi, nunc furtis fraudium dedito, nunc parricidalibus commerciis occupato, nihil vnquam documentorũ misericordiæ Saluatoris insederat, nec piis acceptauerat auribus Domini verba dicẽtis: *Nõ veni vocare iustos, sed peccatores.* Et, *Filius hominis venit quærere & saluare quod perierat.* Non intellexerat clementiam Christi, qui non solùm corporeis infirmitatibus medebatur, sed etiam vulnera debiliũ curabat animarum, dicens paralytico: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Dicens & oblatæ sibi adulteræ: *Nec ego te cõdemnabo, vade, & amplius noli peccare*: vt per omnia opera sua ostenderet, in illo aduentu suo, Saluatorem mundi se venisse, non iudicem. A quo intellectu alienatus impius traditor, insurrexit in semetipsum, non iudicio pœnitentis, sed furore pereuntis, vt qui vitæ authorem interfectoribus vendidisset: in augmentum damnationis suæ etiam moriendo peccaret. Matth. 9. Lucæ 19. Matth. 9. Ioan. 8.

CAP. V. Quod ergo falsi testes, quod cruenti principes, quod impij sacerdotes, in Domini Iesu Christi mysterio, ignauia Præsidis & famulatu imperitæ cohortis egerunt: & detestandum vniuersis sæculis, & amplectendum fuit: Crux enim Domini, sicut in Iudæorum erat mente crudelis, ita est in crucifixi virtute mirabilis. Furit in vnum populus, & miseretur omnium Christus. Quod sæuitia infertur, potestate suscipitur: vt licentia facinoris, æternæ onus impleat voluntatis. Vnde omnis ordo rerum gestarum, quem plenissimè Euangelica narratio percurrit, ita fidelium est accipiendus auditu:

ditu: vt salua fide actionum, quæ tempore Dominicæ passionis impletæ sunt, intelligamus non solum remissionem peccatorum in Christo completam, sed etiam formam iustitiæ esse propositam. Verùm vt hoc diligentiùs iuuante Domino differatur, hæc sermonis portio in quartam Sabbati seruetur. Aderit vt speramus, gratia Dei, quæ nos orantibus vobis faciat promissa complere: Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre & Spiritu sancto regnat in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO XII.

De passione Domini, Feria quarta.

De virtute ac necessitate mortis Christi, & de eius vera diuinitate & humanitate contra Manichæos, & cur solus filius incarnatus sit.

CAP. I. OMnia quidem tempora, dilectissimi, Christianorum animos sacramento Dominicæ passionis & resurrectionis exercent, neque vllum nostræ religionis officium est, quo non tam mundi reconciliatio, quàm humanæ in Christo naturæ assumptio celebretur. Sed nunc vniuersam Ecclesiam maiori intelligentia instrui, & spe feruentiore oportet accendi, quando ipsa rerum dignitas, ita sacratorum dierum recursu, & paginis Euangelicæ veritatis exprimitur, vt Pascha Domini non tam præteritum recoli, quàm præsens debeat honorari. In nullo igitur ab iis, quæ ad Crucem Iesu Christi pertinent, fidei nostræ peregrinetur intuitus, & nihil eorum, quæ narratione Euangelij retexuntur, otioso capiamus auditu: vt quia non defuerunt, nec adhuc desunt, qui veritatem Dominicæ incarnationis impugnent, & quod in vtero virginis matris Mariæ, *Verbum caro factum est*, quod infans editus, per incrementa corporea, ad perfectæ vtilitatis profecit ætatem, quodque crucifixus, mortuus, ac sepultus, die tertia resurrexit, in nostræ quidem imaginis forma, sed non in nostræ carnis asserant gestum esse natura: nos ab Euangelicis & Apostolicis testimoniis nullatenus recedentes, eorum intelligentia roboremur, quorum nos certissima experimenta docuerunt: vt 1. Ioan. 1. piè atque constanter possimus, dicere, quoniam in illis & nos eruditi sumus, & quod viderunt, vidimus, & quod didicerunt, didicimus, & quod contrectauerunt, palpauimus. Et ideo in passione Domini non conturbamur, quia in generatione non fallimur. CAP. II. Scimus etenim, dilectissimi, & toto corde profitemur, Patris & Filij & Spiritus sancti, vnam esse deitatem, & consubstantialem sempiternæ Trinitatis essentiam, in nullo à se diuisam, in nullo esse diuersam, quia simul est intemporalis, simul est incommutabilis, simul quod eum esse non desinens. (Filij persona cur incarnata sit.) In hac autem ineffabili vnitate Trinitatis, cuius in omnibus communia sunt opera atque iudicia, reparationem humani generis propriè filij persona suscepit: vt quoniam ipse est, *per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil*, (Ioan. 1.) quique plasmatum de limo terræ hominem flatu vitæ rationalis animauit, idem naturam nostram ab æternitatis arce deiectam, amicæ restitueret dignitati, & cuius erat conditor, esset etiam reformator, sic consilium suum dirigens in effectum, vt ad dominationem diaboli destruendam magis vteretur iustitia rationis, quàm potestate virtutis. Quia ergo primi hominis vniuersa posteritas vno simul vulnere sauciata corruerat, nec vlla sanctorum merita conditionem poterant illatæ mortis euincere: venit è cælo medicus singularis, multis sæpè significationibus nunciatus, & prophetica diu pollicitatione promissus: qui manens in forma Dei, & nihil propriæ maiestatis amittens, in carnis nostræ animæque natura, sine contagione antiquæ præuaricationis oriretur. Solus enim beatæ virginis natus est filius absque delicto, non extraneus ab hominum genere, sed alienus à crimine, in quo illius ad imaginem & similitudinem Dei conditi, & perfecta esset innocentia, & vera natura, cùm de Adæ propagine vnus existeret, in quo diabolus quod suum diceret, non haberet. Qui dum in eum sæuit, quem sub peccati lege non tenuit, ius impiæ dominationis amisit.

CAP. III. (Sanguinis Christi virtus.) Effusio enim pro iniustis sanguinis iusti, tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent. *Quoniam*, sicut Apostolus ait, *vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia.* (Rom 5.) Et cùm sub peccati præiudicio nati potestatem acceperint ad iustitiam renascendi, validius donum factum est libertatis, quàm debitum seruitutis. Quam itaque sibi in huius sacramenti præsidio spem relinquunt, qui in Saluatoris nostri corpore negant humanæ substantiæ veritatem? Dicant, quo sacrificio reconciliati; quo sanguine sint redempti? Quis est, *qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis?* (Ephes. 5.) Aut quod vnquam sacrificium sacratius fuit, quàm quod verus Pontifex altari Crucis per immolationem suæ carnis imposuit? (Psalm. 115.) Quamuis enim in conspectu Domini multorum sanctorum pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio, propitiatio fuit mundi. Acceperunt iusti, non dederunt coronas: & de fidelium fortitudine exempla nata sunt patientiæ, non dona iustitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo funere soluit, cùm inter filios hominū solus Dominus noster Iesus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sint suscitati. De quibus ipse dicebat, *Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum.* (Ioan. 12.) Fides enim vera iustificans impios & creans iustos ad naturæ suæ tracta participem, in illo acquirit salutem, in quo se inuenit innocentem. Et quia vnus est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, (1. Tim. 2.) per communionem sui generis, ad pacem peruenit deitatis, liberum habens de eius potentia gloriari, qui contra hostem superbum, in carnis nostræ infirmitate congressus, iis victoriam suam tribuit, in quorum corpore triumphauit.

CAP. IV. Cùm ergo in vno Domino nostro Iesu Christo vero Dei atque hominis filio, confitemur diuinam de patre naturam, humanam de matre substantiam, licet Dei Verbi, & carnis vna persona sit, non vna substantia, & vtraque essentia communes habeat actiones: intelligendæ tamen sunt ipsorum operum qualitates, & syncerae fidei contemplatione cernendum est, ad quæ prouehatur humilitas infirmitatis, & ad quæ inclinetur altitudo virtutis, quid sit, quod caro sine Verbo non agit, & quid sit, quod Verbum sine carne non efficit. Sine Verbi enim potentia, nec conciperet virgo, nec pareret: (Matth 2.) & sine veritate carnis obuoluta pannis infantia, non iaceret. Sine Verbi potentia, non adorarent Magi puerum nouo sydere declaratum: & sine veritate carnis, non iuberetur puer in Ægyptum transferri, quem Herodes cupiebat occidere. (Matth. 3.) Sine Verbi potentia non diceret vox Patris missa de cœlo, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* (Luc. 3.) Et sine veritate carnis, non protestaretur

Ioannes,

Ioannes, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Sine Verbi potentia non fieret redintegratio debilium, & viuificatio mortuorum. & sine veritate carnis, nec cibus ieiuno, nec somnus esset necessarius fatigato. Postremò sine Verbi potentia non se Dominus Patri profiteretur æqualem: & sine veritate carnis non idem diceret, Patrem se esse maiorem, cùm Catholica fides vtrumque suscipiat, vtrumque defendat, quæ secundum proprietatem diuinæ humanæque substantiæ, vnum Dei filium & hominem credit & Verbum. Multa sunt, dilectissimi, quæ ad expositionem huius, quam prædicamus, fidei de toto scripturarum corpore possimus assumere, quia nihil sæpiùs diuinis commendatur eloquiis, quàm Dei filius secundum deitatem sempiternus ex patre, & idem secundum carnem temporalis ex matre. Sed ne charitatis vestræ fatigetur auditus, hodierno sermoni adhibendus est modus: vt quarta sabbati, quæ sunt addiicienda, seruemus, auxiliante Domino nostro Iesu Christo qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Ioan. 20.

Ioan. 14.

SERMO XIII.
De passione Domini, Feria quarta.

De reparatione hominis ac legalibus sacramentis per Christum completis, de spiritalibus Israelitis, & vera Christi humanitate.

CAP. I.

Evangelica lectio, dilectissimi, quæ sacratissimam Dominicæ passionis reserauit historiam, ita vniuersæ Ecclesiæ nota est de communi frequenter auditu: vt rerum gestarum ordinem, tanquam sub vestris habitum oculis, singuli quique recolatis. Nec parum æstimandi sunt profecisse, qui de iis, quæ audiunt, non dubitant, vt etiamsi nondum liquidè aliquod valeant scripturarum capere sacramentum: firmissimè tamen credant, in diuinis libris nullum esse mendacium. Quia ergo syncerae fidei promissa est intelligentiæ plenitudo, erigat se ad promerendam sancti Spiritus eruditionem, illuminatarum mentium vigor: & non contentus sit facti ordinem nosse, nisi etiam ipsam rationem impensæ sibi pietatis inspiciat: vt authorem suum humana natura sciendo, quantum ab eo sit dilecta, plus diligat. Miserendi enim nostri causam Deus nisi in sua bonitate non habuit. Et mirabilior est secunda hominum generatio, quàm prima conditio, quia plus est in nouissimis sæculis reparasse Deum quod perierat, quàm à principio fecisse quod non erat. Libertatem itaque innocentiæ naturalis, quam primorum parentum præuaricatione perdidimus, nulla per se sanctorum præcedentium merita receperunt: quia lata in transgressores sententia, omnem progeniem captiuæ posteritatis obstrinxit, & nemo extitit exors à damnatione, quia nullus fuit liber à crimine. Sed redemptio Saluatoris destruens opus diaboli, & rumpens vincula peccati, ita magnæ pietatis suæ disposuit sacramentum: vt vsque ad consummationem quidem mundi, præfinita generationum* plenitudo decurreret, sed renouatio originis, per iustificationem indiscretæ fidei ad omnia retro sæcula pertineret. Incarnatio quippe Verbi, & occisio ac resurrectio Christi vniuersorum fidelium salus facta est: & sanguis vnius iusti, quem nobis Pater donauit, quia eum pro reconciliatione mundi credimus fusum, hoc contulit

Repatatio hominis maior quàm creatio.

patribus qui similiter credidere fundendum. Nihil ergo, dilectissimi, ab antiquis significationibus, in Christiana religione diuersum est, nec vnquam à præcedentibus iustis, nisi in Domino Iesu Christo saluatio sperata est, dispensationibus pro diuinæ voluntatis ratione variatis, sed in idipsum coruscantibus & legis testimoniis, & prophetiæ oraculis, & oblationibus hostiarum, quia sic congruebat illos populos erudiri, vt quæ reuelata non caperent, obumbrata susciperent: & maior Euangelij esset authoritas, cui tot signis totque miraculis atque mysteriis, veteris testamenti paginæ deseruissent. De quibus Dominus profitebatur, quod non venerat legem soluere, sed adimplere. Non æstimet sibi prodesse Iudæus, quod in literæ carnaliter superficie demoratur, & iis scripturis conuincitur repugnare, quæ apud nos veram sui obtinent dignitatem: dum & erudimur prædictis, & ditamur impletis. Dicente enim Domino, *Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad me*, nihil legalium* instructionum, nihil propheticarum resedit figularum, quod non totum in Christi sacramenta transierit. Nobiscum est signaculum circuncisionis, sanctificatio charismatum, consecratio sacerdotum. Nobiscum puritas Sacrificij, Baptismi veritas, honor templi: vt meritò cessarint nuncij, postquam nunciata venerunt. Nec vacuatur reuerentia promissionum, quia plenitudo manifestata est gratiarum. Verùm, sicut ait Apostolus, *Cæcitas ex parte in Israël facta est, nec qui filij carnis, ij filij sunt promissionis*. Ineffabilis misericordia Dei Israëliticum sibi populum de omnibus nationibus fecit, & saxeo illo gentilium cordium rigore mollito, veros Abrahæ filios de lapidibus excitauit: vt conclusis omnibus sub peccato, qui carne nati sunt, spiritu renascantur, nec intersit, quo patre sit quisque genitus, cùm per indiscretam huius fidei confessionem, & fons baptismatis faciat innocentes, & electio adoptionis confirmet hæredes. Quid enim aliud egit crux Christi, quàm vt destructis inimicitiis, & reconcilietur mundus Deo, & per Sacrificium immaculati agni veram in pacem cuncta reuocentur. Non autem concordat Deo, qui ab ea, quam in regeneratione sua edidit, professione dissentit: & diuini immemor pacti, inhærere ostenditur renunciatis, dum resilire inuenitur à creditis. Frustra enim Christianum sibi nomen vsurpat, & nequaquam æstimet se Pascha Domini celebrare: qui Iesum Christum in ea, qua natus est, & passus, & mortuus, ac sepultus carne, resurrexisse non credit: & nostræ in illo naturæ resuscitatas primitias non fatetur. Verus itaque venerator Dominicæ passionis sic crucifixum Iesum oculis cordis aspiciat: vt illius carnem suam esse cognoscat. Contremiscat in redemptoris sui supplicio terrena substantia, rumpantur infidelium mentium petræ, & qui mortalitatis grauabantur sepulchris, discussa obstaculorum mole prosiliant. Appareant nunc quoque in ciuitate sancta, id est, in Ecclesia Dei, futuræ resurrectionis indicia: & quod gerendum est in corporibus, fiat in cordibus. Nulli infirmorum crucis est negata victoria: nec quisquam est, cui non Christi auxilietur oratio. Quæ si multis in ipsum sæuientibus profuit, quantò magis eos, qui ad ipsum conuertuntur, adiuuit? Sublata est ignorantia, temperata est difficultas, & igneam illam, qua vitæ regio erat inclusa, romphæam, sacer Christi sanguis extinxit. Veræ luci, antiquæ noctis cessit obscuritas. Inuitatur ad paradisi diuitias populus Christianus, & cunctis regeneratis, ad amissam patriam patefactus est reditus: si nemo sibi illam

viam

CAP. II. Fides eadem nostra & antiquorum. *multitudo.*

Matth. 5.

Ioan. 12. *institutionum.*

Rom. 11.

Rom. 9.

Matth 3.
Rom. 11.

CAP. III.

Vita Christianorum respondere debet ipsorum professioni.

viam faciat claudi,quæ fide latronis potuit aperiri. Celebrantes igitur,dilectiſſimi, Paſchalis feſti ineffabile ſacramentum, agnoſcamus docente ſpiritu Dei,ad cuius gloriæ participationem vocati, & ad quam ſpem ſimus ingreſſi.Nec ita nos nunc anxiè, nunc ſuperbè præſentis vitæ occupent actiones:vt non toto cordis affectu conformari Redemptori noſtro per illius exempla nitamur.Nihil enim non ad noſtram ſalutem aut egit aut pertulit:vt virtus, quæ inerat capiti,ineſſet etiam & corpori.Nam primùm ipſa illa ſubſtātiæ noſtræ in deitate ſuſceptio, qua Verbum caro factum eſt,& habitauit in nobis, quem hominum miſericordiæ ſuæ,niſi infidelem reliquit exortem? Et qui non communis natura cum Chriſto eſt,ſi adſumentem recipit, & eo ſpiritu eſt regeneratus,quo ille progenitus?Deinde quis in illo ſuas non agnoſcat infirmitates? Quis perceptionem cibi,requietionem ſomni, ſollicitudinem mœſtitudinis, lachrymas pietatis non videat formæ fuiſſe ſeruilis? Quæ quoniam ab antiquis ſananda vulneribus,& à colluuione erat purganda peccati: ita vnigenitus Dei,etiam hominis factus eſt filius, vt & omni humanitatis veritate,& diuinitatis plenitudine non careret.Sicut itaque noſtrum eſt,quod cum vnitione deitatis peperit materna virginitas: ita noſtrum eſt, quod Iudaica crucifixit impietas. Noſtrum eſt,quod exanime iacuit, & quod die tertia reſurrexit, quódque ſuper omnes altitudines cœlorum ad dexteram paternæ maieſtatis aſcendit: vt ſi per viam mandatorum eius incedimus, & ſi quæ in humilitate corporea noſtræ impendit ſaluti,non erubeſcimus confiteri: nos quoque in gloriæ eius conſortium prouehamur,quoniam manifeſtè, quod denunciauit, implebitur: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, & ego confitebor eum coram patre meo,qui in cælis eſt.* Huic autem cohortationi noſtræ adeſt,atque auxiliatur gratia Dei,quæ incarnationis Chriſti & mortis ac reſurrectionis eius inimicos, reuelata per omnes Eccleſias veritate deſtruxit: vt totius mundi fideles,cum Apoſtolicæ fidei authoritate concordes vna nobiſcum exultatione gauderent,dicente beato Paulo Apoſtolo: An ignoratis, quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu,in morte ipſius baptizati ſumus?Conſepulti enim ſumus cum ipſo per baptiſmum in mortem, vt quomodo ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus. Hoc ſcientes quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, vt vltra non ſeruiamus peccato. Qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato. Si autem mortui ſumus cum Chriſto,credimus,quia ſimul etiam viuemus cum illo, Qui viuit & regnat cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

CAP. IV. — Ioan. 1. — Matth. 10. — CAP. V. — Rom. 6.

SERMO XIV.

De Paſſione Domini.

De modo redemptionis generis humani, atque fidei Eccleſiæque vnitate & imitatione Chriſti.

CAP. I.

GLoria, dilectiſſimi, Dominicæ paſſionis, de qua nos etiam hodie locuturos eſſe promiſimus,humilitatis maximè eſt miranda myſterio,quæ omnes nos & redemit & docuit:vt vnde datum eſt pretium,inde & iuſtitia ſumeretur. Omnipotentia enim filij Dei, qua per eandem eſſentiam æqualis eſt patri, potuiſſet humanum genus à dominatu diaboli, ſolo imperio ſuæ voluntatis eruere: niſi diuinis operibus maximè congruiſſet, vt nequitiæ hoſtilis aduerſitas, de eo quod vicerat, vinceretur, & per ipſam materiam naturalis repararetur libertas,per quam generalis fuerat illata captiuitas. Dicente autem Euangeliſta, *Verbum caro factum eſt,& habitauit in nobis*,& dicente Apoſtolo, quod *Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi*: oſtenſum eſt,quia Vnigenitus ſummi Patris tale iniit cum humana humilitate conſortium, vt ſuſcepta noſtræ carnis animæque ſubſtantia, vnus atque idem Dei filius permaneret;noſtra augendo,non propria,quia infirmitas erat prouehenda,non virtus: vt cùm ſuo Creatori creatura eſſet vnita, nihil aſſumpto diuinum,nihil aſſumenti deeſſet humanum.Hoc conſilium miſericordiæ & iuſtitiæ Dei,licet in præteritis ſæculis,quibuſdam velaminibus fuerit obumbratum,non tamen ita obiectum eſt,vt Sanctorum,qui ab initio vſque ad aduentum Domini laudabiles extiterunt, intellectui negaretur: cùm & propheticis verbis, & rerum geſtarum ſignificationibus, ſalus quæ in Chriſto erat ventura,promiſſa ſit,quam non ſolùm qui prædicabant, adepti ſunt, sed omnes etiam, qui prædicantibus crediderunt. Vna enim fides iuſtificat vniuerſorum temporum ſanctos, & ad eandem ſpem fidelium pertinet, quicquid per mediatorem Dei & hominum Ieſum Chriſtum,vel nos confitemur factum, vel patres noſtri adoptauere faciendum.Nec inter Iudæos atque Gentiles vlla eſt diſtinctio. Siquidem ſicut ait Apoſtolus, *circumciſio nihil eſt,& præputium nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorum Dei*, quæ ſi cum integritate fidei ſeruentur, veros Abrahæ filios, id eſt, perfectos faciunt Chriſtianos, dicente eodem Apoſtolo: *Quicumque enim in Chriſto Ieſu baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Non eſt Iudæus neque Græcus,non eſt ſeruus neque liber, non eſt maſculus neque fœmina. Omnes enim vnum eſtis in Chriſto. Si autem vos Chriſti, ergo Abrahæ ſemen eſtis, ſecundùm promiſſionem hæredes.* Non ergo eſt dubium, dilectiſſimi, naturam humanam in tantam connexionem à filio Dei eſſe ſuſceptam,vt non ſolùm in illo homine, qui eſt primogenitus totius creaturæ, ſed etiam in omnibus ſanctis ſuis vnus idémque ſit Chriſtus:& ſicut à membris caput, ita à capite membra diuidi non poſſunt. Quamuis enim non iſtius vitæ ſit, ſed æternæ, vt ſit Deus omnia in omnibus: tamen etiam modò templi ſui, quod eſt Eccleſia,indiuiſus habitator eſt,ſecundùm quod ipſe promiſit dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Quibus Apoſtolus conſonans ait: *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis,vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens,quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem diuinitatis habitare,& per eum reconciliari omnia in ipſo.* His autem & aliis pluribus exemplis & teſtimoniis quid inſinuatur cordibus noſtris, niſi vt per omnia ad imaginem eius renouemur, qui permanens in forma Dei, carnis peccati forma fieri dignatus eſt? Omnes enim infirmitates noſtras, quæ veniunt de peccato, abſque peccati communione ſuſcepit, vt & famis, & ſitis, & ſomni, & laſſitudinis,mœroris, ac fletus affectionibus non careret, doloréſque ſæuiſſimos, vſque ad mortis extrema pateretur, quia nemo poſſet laqueis mortalitatis abſolui, niſi ille, in quo ſolo innocens erat natura omnium, ſineret ſe interfici manibus impio

Ioan. 1. — 2.Cor.5. — CAP. II. — Fides vna ſaluandorum. — 1.Tit. 2. — Rom. 2. — 1.Cor.7. — Galat.3. — CAP. III. — Coloſſ.1. — 1.Cor.15. — Matth. 28. — Coloſſ.1. — CAP. IV. — Philip.2.

piorum. Vnde Saluator noster Dei filius, vniuersis in se credentibus, & sacramentum condidit, & exemplum: vt vnū apprehenderent renascendo, alterum sequerentur imitando. Hoc enim docet beatus Petrus
1. Petr. 2. Apostolus, dicens: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Qui cùm malediceretur, non maledicebat: & cùm pateretur, non comminabatur. Tradebat autem iudicanti se iniustè. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus.*
CAP. V. Sicut ergo nemo est credentium, dilectissimi, cui dona neganda sint gratiæ: ita nemo est, qui non sit Christianæ debitor disciplinæ: quia etsi remota est iustitiæ legis asperitas, voluntariæ tamen obseruantiæ creuit vtilitas, dicente Euangelista Ioanne:
Ioan. 1. *Quia lex per Mosen data est, gratia autem & veritas, per Iesum Christum facta est.* Omnia enim quæ secundū legem, siue in circuncisione carnis, siue in diuersitatibus hostiarum, siue in sabbati obseruantia præcesserunt, Christum testificata, Christi sunt gratiam prælocuta. Et ipse est finis legis, non euacuando significationes ipsius, sed implendo. Qui licet idem sit author veterum, qui nouorum, figuratarum tamen promissionum sacramenta mutauit: quia promissa perfecit, & denunciationibus cessationem imposuit, quoniam denunciatus aduenit. In præceptis autem moralibus nulla prioris testamenti decreta reprobata, sed Euangelico magisterio multa sunt aucta: vt perfectiora & lucidiora essent dantia salutem, quàm promittentia Saluatorem. Omnia igitur, quæ Dei filius ad reconciliationem mundi & fecit & docuit, non in historia tantùm præteritarum actionum nouimus: sed etiam in præsentium operum virtute sentimus. Ipse est, qui de Spiritu sancto ex matre editus virgine, incontaminatam Ecclesiam suam eadem inspiratione fœcundat: vt per baptismatis partum, innumerabilis filiorum Dei multitudo gignatur, de quibus dicitur:

Rom. 10.
Præcepta moralia veteris legis per Christum abrogata non sunt.

Ioan. 1. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*
Gen. 22. Ipse est in quo semen Abrahæ, totius mundi adoptione benedicetur: & fit Patriarcha gentium pater, dum promissionis filij fide, non carne nascuntur. Ipse est, qui nullius gentis exceptionem faciens, de omni natione, quæ sub cælo est, vnum sanctarum ouium efficit gregem, & quotidie implet,
Ioan. 10. quod promiserat, dicens: *Habeo & alias oues quæ nō sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & erit vnus grex, & vnus pastor.* Quamuis enim beato Petro principaliter dicat,
Ioan. 22. *Pasce oues meas:* ab vno tamen Domino ipsa omnium regitur cura pastorum, & venientes ad petram tam lætis támque irriguis pascuis alit, vt innumeræ oues dilectionis pinguedine roboratæ, sicut bonus
Ioan. 10. pastor dignatus est pro ouibus suis animam ponere,
1. Ioan. 2. ita & ipsæ non dubitent pro nomine pastoris occumbere. Ipse est enim, cui non solùm gloriosa Martyrum fortitudo, sed etiam omnium renascentium fides in ipsa regeneratione compatitur. Dum enim renunciatur diabolo, & creditur Deo, dum in nouitatem à vetustate transitur, dum terreni hominis imago deponitur, & cælestis forma suscipitur; quædam species mortis & quædam similitudo resurrectionis interuenit, vt susceptus à Christo, Christúmque suscipiens, non idem sit post lauacrum, qui ante baptismum fuit, sed corpus regenerati fiat caro crucifixi.

Hæc commutatio, dilectissimi, dexteræ est excelsi, qui operatur omnia in omnibus, vt singulis fidelibus per bonæ conuersationis qualitatem, ipsum piorum operum intelligamus authorem, gratias agentes misericordiæ Dei, qui innumeris charismatum donis ita vniuersum Ecclesiæ corpus exornat: vt per multo vnius luminis radios idem vbique splendor appareat, nec possit nisi gloria esse Christi, cuiuslibet meritum Christiani. Hoc est illud verum Coloss. 1.
lumen, quod omnem hominem iustificat & illustrat. Hoc est illud, quod eruit de potestate tenebrarum, & transfert in regnum filij Dei. Hoc est, quod per nouitatem vitæ desideria animi prouehit, & concupiscentias carnis extinguit. Hoc est, quod 1. Cor. 5.
Pascha Domini in azymis synceritatis & veritatis legitimè celebratur: dum fermento veteris malitiæ abiecto, noua creatura de ipso Domino inebriatur & pascitur. Non enim aliud agit participatio Corporis & Sanguinis Christi, quàm vt in id quod sumimus transeamus: & in quo mortui & consepulti & conresuscitati sumus, ipsum per omnia & spiritu & carne gestemus, dicente Apostolo: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in* Coloss. 3.
Deo. Cùm enim Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Qui cum Patre & sancto Spiritu viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Corporis & Sanguinis Domini perceptio quid efficiat.

SERMO XV.

De passione Domini.

De vera Christi humanitate, patientia in morte, obcæcatione Iudæorum, & Manichæorum perfidia.

SErmonem, dilectissimi, de gloriosa Domini nostri Iesu Christi passione promissum, ita expectationi vestræ intelligo esse reddendum: vt officium CAP. 1.
disserendi, & festo Paschali conueniat, & ausibus impij erroris occurrat. Qui enim Dei filium veram nostræ carnis negant suscepisse naturam, inimici sunt fidei Christianæ, & Euangelicam prædicationem nimis impudenter impugnant: vt secundum ipsos Crux Christi aut simulatio fuerit phantasmatis, aut supplicium deitatis. Quod à cordibus piorum longe est repellendum: quia Catholica integritas, nec maculam perfidiæ: nec rugam potest habere mendacij, quæ vnum Christum, sicut Deum, sic hominem confitetur: vt nec falsum hominem, nec Deum dicat fuisse passibilem. Quamuis ergo ab illo Ioan. 1.
initio, quo in vtero virginis Verbum caro factum est, nihil vnquam inter diuinam humanámque substantiam diuisionis extiterit, & per omnia incrementa corporea vnius personæ fuerint totius temporis actiones: ea ipsa tamen quæ inseparabiliter facta sunt, nulla permixtione confundimus. Sed quid cuius naturæ sit, ex operum qualitate sentimus: nec diuina enim humanis præiudicant, nec humana diuinis, cùm ita in idipsum vtraque concurrant, vt in eis nec proprietas assumatur, nec persona geminetur. Transcursis igitur iis, quæ passionem Domini CAP. II.
præcesserunt, quid documentorum habeat sacramentum Paschale, tractemus. Nam exardescente ad 2. Cor. 5.
effectum sui sceleris sæuitia Iudæorum, cùm Deus esset in Christo mundum reconcilians sibi, nulla vis templo corporis eius, nisi ipse permitteret, potuisset inferri. Siquidem terribilis militum cohors illa, Ioan. 18.
& à principibus & Pharisæis missa cum gladiis & fustibus multitudo, ita vna Domini voce percussa est, vt cùm turbæ dixissent Iesum se quærere Nazarenum, & ipse respondisset, *Ego sum*, nemo eorum subsisteret, sed omnes simul amisso membrorum officio, retrorsum acti elisique corruerent. In quo

Potentiam suam non semper in passione Christus voluit ostendere.

quo vtique diuinæ erat potestatis iudicium: quæ impiorum conatus, non armis contrariis, neque vllius creaturæ potentis auxilio, sed sola verbi virtute prosterneret. Quia verò saluando humano generi alterius operis ratio congruebat, nec posset sanguis Christi, pretium credentium fieri, si redemptor se non fineret comprehendi: admisit in se impias manus, & cohibita est potentia deitatis, vt perueniret ad gloriam passionis. Cuius vtique inanis fuisset species, & nulli profutura imago tolerantiæ, nisi vera diuinitas, veris se humanæ carnis sensibus induisset: vt vnus Dei atque hominis filius, aliunde intemerabilis, aliunde passibilis, mortale nostrum per suum immortale renouaret. Et ideo mœstitudine, ideo formidine non carebat: vt ad euincendas huius mundi perturbationes non solùm nos sacramento susceptionis, sed etiam exemplo fortitudinis roboraret. Nam iniusta videretur eius ad patientiam cohortatio, cui nulla esset in nostra infirmitate
CAP. III. communio. Veras autem Domini passiones Esaias
Esai. 50. Propheta ipsius voce pronunciat dicens: *Dorsum meum dedi in flagella, & maxillas meas in palmas, vultum autem meũ non auerti à confusione sputorum.* Quod itaque Verbum caro patiebatur, non Verbi pœna erat, sed carnis: cuius iniuriæ atque supplicia, etiam ad impassibilem redundabant, vt meritò ei dicantur illata, quæ in ipsius sunt corpus admissa, di-
1. Cor. 2. cente Apostolo: *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Obcæcati enim Iudæi malitia sua, in quod prorupissent facinus, nesciebant. Vnde misericors Dominus Iesus, qui etiam interfectores suos vellet sua morte saluare, pro ignorantia sæuientium, de Crucis altitudine supplicabat,
Luc. 22. dicens, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Nec enim intellectu cordis, nec auditu auris, nec oculorum intuitu sentiebant, quàm falsis testimoniis appetiissent, quam affigi patibulo coëgissent: dum in corpore hominis non agnoscunt substantiam deitatis. Viderunt humilem, & non adorauerunt vniuersitatis authorem, nec intellexerunt potestatem iudicaturi, despicientes mansuetudinem iudicati: vt persequutores veri Dei, & negatores veri hominis, vna impietas sociaret: dum serui formam in Christo, & Iudæi æstimant solam, & hæretici asse-
CAP. IV. runt falsam. Dicant ergo isti phantastici Christiani, quæ substantia Saluatoris affixa sit ligno, quæ ia-
Ioan. 20. cuerit in sepulchro, & reuoluto monumenti lapide,
Luc. 24. quæ tertia die caro resurrexit, vel quale corpus Iesus discipulorum visui, clausis ad eos ostiis ingressus intulerit, cùm ad abigendum cernentium diffidentiam, inspici oculis, digitisque tractari, patentes adhuc fixuras clauorum, & recens compuncti lateris vulnus, exegerit. At si tanta in luce veritatis tenebras suas hæretica obduratio non relinquit, ostendant, vnde sibi spem vitæ polliceantur æternæ, vnde resurrectionis Christi se credant esse consortes. Non enim possunt cum Apostolo dicere,
1. Cor. 15. *Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium:* quia non sunt primitiæ hominum, si non sunt de humanæ stirpe naturæ. Qui enim primus hominum resurrexit, eius plenitudinis est portio, quæ præces-
Ibidem. sit: & piè creditur hoc quod est in capite inchoa-
1. Cor. 15. tum, in membris quoque esse complendum. Quia
CAP. V. sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo
fidei. omnes viuificabuntur. Amplectentes igitur, dile-
Coloss. 2. ctissimi, Christianæ*spei vnicum pignus, non diuellamur à compage corporis Christi, *In quo habitat,* sicut Apostolus ait, *omnis plenitudo diuinitatis corporaliter:* Et estis in illo repleti. Nam cùm incorporea sit substãtia Dei, quomodo corporaliter in Christo habitat, nisi quia caro nostri generis, facta est caro deitatis, & in illo sumus Deo repleti, in quo crucifixi, in quo sepulti, in quo sumus etiam suscitati, vt possimus cum Apostolo dicere, *Nostra autem conuersa-* Philip. 3.
tio in cœlis est? Vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, Qui reformabit corpus humilitatis nostræ conforme fieri corpori gloriæ suæ, viuens & regnans cum Patre & cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO XVI.

De Passione Domini, die Dominico.

De passione Christi per Prophetas prænunciata, Iudæorum inexcusabilitate, Iudæ scelere & Christi querela in cruce.

Semper quidem, dilectissimi, fidelium mentes in CAP. I.
diuinorum operum decet admiratione versari: & rationales animos iis maximè cogitationibus inhærere, per quas incrementum fidei consequantur. Cùm enim impia cordis intentio, vel ad generalia beneficia, vel ad specialia ipsius gratiæ dona dirigitur: multas à se vanitates abigit, & à corporalibus curis in quoddam secretum spiritale secedit. Sed hoc in tempore Dominicæ passionis, multo auidius excellentiusque faciendum est: vt ea quæ sacris sunt lectionibus recensita, sanæ intelligentiæ suscipiantur auditu, & quæ magna sunt verbis, appareant maiora mysteriis. Prima namque erigendi sursum nostri cordis est ratio, quod ea quæ etiam Euangelica veritas enarrauit, voces Propheticæ non tanquam gerenda, sed tanquam gesta cecinerunt. Et Prophetæ
quod humanæ aures n ndum cognouerant facien- locuti sunt
dum, iam Spiritus prædicabat impletum. Nam rex futura vt
Dauid, cuius secundum hominem semen est Chri- præterita.
stus, diem crucis Domini mille & plus quàm centũ Rom. 1.
annorum ætate præcessit, & nihil eorum supplicio- Matth. 1.
rum, quæ sibi memorat illata, perpessus est. Sed quia per os eius ille loquebatur, qui carnem passibilem ex ipsius stirpe erat sumpturus, merito sub ipsius persona præmittitur historia crucis, qui in se gerebat corpoream originem Saluatoris. Verè enim Dauid in Christo est passus, quia verè Iesus in Da-
uid est carne crucifixus. Cùm ergo omnia quæ in CAP. II.
Christum Iudaica admisit impietas, tantò antè prædicta sunt, vt non tam de futuris quàm de præsentibus propheticus sit sermo contextus: quid aliud nobis quam sempiternarum dispositionum Dei incommutabilis ordo referatur, apud quem, & discernenda iam diiudicata, & futura iam facta sunt? Cùm enim & qualitates actionum nostrarum, & effectus omnium voluntatum, scientia diuina præueniat: quanto magis nota Deo sunt opera sua? Et rectè placuit, quasi facta recoli, quæ non poterant omnino non fieri. Vnde & Apostoli spiritu Dei pleni, cùm inimicorum Christi minas sæuitiamque paterentur, concordi ad Deum voce dixerunt: *Conuenerunt enim* Act. 4.
verè in ciuitate ista aduersus puerũ tuum Iesum quẽ Iudæi inex-
vnxisti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & cusabiles in
populis Israël facere, quæ manus tua & consilium tuũ passione
decreuerunt fieri. Nunquid iniquitas persequentium Christi.
Christum ex Dei est orta consilio? & illud facinus quod omni maius est crimine, manus diuinæ præpa-
rationis armauit. Non hoc planè de summa iustitia CAP. III.
sentiendum est: quia multum diuersum multùmque contrarium id est, quod in malignitate Iudæorum est præcognitum, & quod in Christi est passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, vnde moriendi: nec de vno extitit spiritu atro-

citas sceleris, & tolerantia Redemptoris. Non enim impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit, nec præsciendo quod faciendum esset, coëgit vt fieret, cùm tamen ad hoc carnem suscepisset, vt fieret. Denique inter crucifixum & crucifigentes tam dispares causæ sunt: vt quod à Christo susceptum est, non possit resolui, quod ab illis commissum, possit aboleri. Qui enim venit peccatores saluos facere, nec ipsis quidem interfectoribus suis misericordiam denegauit, sed impiorum malum in bonum credentium commutauit: vt mirabilior fieret gratia Dei, non secundum merita hominum, sed secundum multitudinem diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei misericorditer præparata: quando & ipsos qui fuderant sanguinem Saluatoris, reciperet vnda baptismatis. Nam sicut scriptura, quæ Apostolorum actus continet, loquitur: Cùm prædicatio beati Petri Apostoli Iudæorum corda compungeret, & agnita impietate sui sceleris dicerent, *Quid faciemus viri fratres?* idem Apostolus ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Vobis est enim facta repromissio, & filiis vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscumque aduocauerit Dominus Deus noster.* Moxque addidit Scriptura, & dixit: *Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt, & appositæ sunt in illo die animæ circiter tria millia.* Quod itaque Dominus Iesus Christus furorem frementium pati voluit, in nullo author eorum criminum fuit. Nec egit, vt hæc vellent, sed cessit, vt possent: & sic vsus est obcæcatæ plebis insania, quomodo & perfidia traditoris, quem ab immanitate concepti sceleris, & beneficiis reuocare dignatus & verbis, assumendo in discipulum, prouehendo in Apostolum, monendo signis, consecrando mysteriis, vt cui nihil beneuolentiæ deesset ad correctionem, nihil occasionis superesset ad crimen.

Matth. 9.
Act. 2.
Ibidem.

CAP. IV. Daniel. 13. Sed tu impiissime homo, semen Chanaan & non Iuda, nec iam vas electionis, sed filius perditionis & mortis, vtiliora tibi diaboli incitamenta credebas: vt facibus inflammatus auaritiæ, ad triginta argenteorum lucrum inardesceres: & quid diuitiarum amitteres, non videres. Nam etsi putabas credendum esse promissis, quæ fuit ratio, vt tantillus pecuniæ modus præponeretur acceptis? Imperabas dæmoniis, & medebaris infirmis, honorabaris cũ Apostolis, & vt finem tuæ cupiditatis expleres, patebant tibi furta de loculis. Sed animum interdictorum admonitum, quod minus licuit, amplius incitauit, nec tam placuit quantitas pretij, quam magnitudo peccati. Vnde facinus commercij tui non ideo detestandum est, quia Dominum viliter æstimasti: sed quia Redemptorem etiam tuum, ne tibi parceres, vendidisti. Et meritò tibi tua pœna commissa est, quia in supplicium tuum nemo te sæuior potuit inueniri.

CAP. V. Quòd igitur in tempore præstituto, secundum propositum voluntatis suæ Iesus Christus crucifixus & mortuus & sepultus est: non propriæ conditionis necessitas, sed nostræ captiuitatis redemptio fuit. Ideo enim Verbum caro factum est, vt de vtero virginis sumeretur natura passibilis, & quod in filium Dei non potuit perpetrari, in filium hominis posset admitti. Nam licet in ipso ortu coruscarent in eo signa deitatis & omnia incrementa corporalium prouentuum diuinis essent plena miraculis, infirmitatum tamen nostrarum susceperat veritatem, & excepta communione peccati, nihil à se humanæ infirmitatis excluserat, vt & sua nobis insereret, & in se nostra curaret. Ab omnipotenti enim medico duplex nobis miseris remedium præparatum est, cuius aliud est in sacramento, aliud in exemplo, vt per vnum conferantur diuina, per aliud erigantur humana. Quia sicut Deus iustificationis est author, ita homo deuotionis est debitor.

CAP. VI. Per hanc ergo, dilectissimi, salutis nostræ ineffabilem reparationem, nec superbiæ nobis, nec desidiæ locus relinquitur, quia nihil habemus, nisi quod accepimus, & iugiter admonemur vt dona gratiæ Dei, non negligenter habeamus. Iustè enim nobis instat præcepto, qui præcurrit auxilio, & benignè incitat ad obedientiam, qui ducit ad gloriam. Vnde meritò Dominus ipse nobis factus est via, quia nisi per Christum non itur ad Christum. Per ipsum autem ad ipsum tendit, qui per semitam patientiæ & humilitatis eius incedit, in quo planè itinere, nec æstus deest laboris, nec nubes tristitiæ, nec procella formidinis, ibi sunt insidiæ iniquorũ, persecutiones infidelium, minæ potentium, contumeliæ superborum, quæ Dominus virtutum & rex gloriæ ideo omnia in infirmitatis nostræ forma, & in carnis peccati similitudine percurrit, vt inter præsentis vitæ pericula, non tam optandum sit nobis declinando ista effugere, quàm tolerando superare.

1. Cor. 4.
Ioan. 14.
Psal. 23.
Rom. 8.

CAP. VII. Inde est quod caput nostrum Dominus Iesus Christus, omnia in se corporis sui membra transformans, quod olim in Psalmo eructauerat, id in supplicio crucis sub redemptorum suorum voce clamabat; *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?* Vox ista, dilectissimi, doctrina est, non querela. Nam cum in Christo Dei & hominis vna persona sit, nec ab eo potuerit relinqui, à quo non poterat separari, pro nobis trepidis & infirmis interrogat, cur caro pati metuens exaudita non fuerit; Instante enim passione, ad sanandum & corrigendum nostræ fragilitatis metum dixerat, *Pater, si possibile est, transeat calix iste à me.* Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et iterum; *Pater, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Quia ergo trepidatione carnis euicta, iam ad paternam transierat voluntatem, & toto mortis terrore calcato, opus suæ constitutionis implebat, cur in ipso tantæ victoriæ exaltatus triumpho, causam & rationem qua sit relictus, id est, non exauditus, inquirit, nisi vt ostendat alium esse illum affectum, quem ad humanæ formidinis excusationem recepit, alium illum, quem ex æterno placito patris pro mundi reconciliatione prælegit? Vnde ipsa vox non exauditi, magni est expositio sacramenti, quòd nihil humano generi conferret Redemptoris potestas, si quod petebat, nostra obtineret infirmitas. Hæc hodie, dilectissimi, ne vos prolixitate sermonis oneremus, dicta sufficiant. Cætera in quartam sabbati differamus. Aderit Dominus orantibus vobis, vt quæ soluenda promittimus, ipso largiente reddamus, Qui viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 21.
Matth. 26.

SERMO XVII.

De Passione Domini, Feria quarta.

De vera Christi diuinitate ac humanitate & clamore eius in cruce, fideque Centurionis.

CAP. I. Sermo proximus, dilectissimi, cuius vobis promissam restituere cupimus portionem in differendi ratione processerat, vt de illa clamantis ad patrem crucifixi Domini voce loqueremur, ne simplex & incuriosus auditor ita acciperet verba dicentis, *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* tanquam fixo Iesu in Crucis ligno, paternæ ab

Psalm. 21.

ab eo deitatis omnipotentia recessisset, cùm in tantam vnitatem Dei & hominis natura conuenerit, vt nec supplicio potuerit dirimi, nec morte disiungi. Manente enim in sua proprietate vtraque substantia, nec Deus relinquit sui corporis passionem, nec Deum fecit caro passibilem: quia diuinitas, quæ erat in dolente, non erat in dolore. Vnde secundum Verbi hominisque personam, idem est, qui factus est inter omnia, & per quem facta sunt omnia. Idem est, qui impiorum manibus comprehenditur, & qui nullo fine concluditur. Idem est, qui clauis configitur, & qui nullo dolore sauciatur. Idem postremú est, qui mortem subiit, & sempiternus esse non desiit: vt vtrumque signis non dubiis manifestetur, quod vera sit in Christo humilitas, & vera maiestas: quia ideo se humanæ infirmitati virtus diuina conseruit, vt dum Deus sua facit esse, quæ nostra sunt, nostra faceret esse, quæ sua sunt. Non ergo aberat à patre filius, nec à filio pater: & illa deitas incommutabilis & inseparabilis Trinitas; nihil sui poterat à se habere discretum. Quamuis enim susceptæ incarnationis dispensatio ad vnigenitum Dei filium propriè pertineret, sic tamen pater non abiungebatur à filio, quemadmodum caro non diuidebatur à Verbo. Ideo ergo Iesus voce magna clamabat, dicens:

CAP. II. Cur Christus clamarit in cruce. Matth. 27.

Quare me dereliquisti? vt notum omnibus faceret, quare oportuerit eum non erui, non defendi, sed sæuientium manibus derelinqui, hoc est, Saluatorem mundi fieri: & omnium hominum Redemptorem non per miseram, sed per misericordiam, nec amissione auxilij, sed definitione moriendi. Quæ verò illic vitæ intercessio sentienda est, vbi anima & potestate est emissa, & potestate reuocata? Dicit enim beatus Apostolus, quòd *Pater filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Et iterum dicit: *Quoniam Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret.* Vnde tradi Dominum passioni, tam fuit paternæ quàm ipsius voluntatis, vt eum non solùm pater relinqueret, sed etiam ipse se quadam ratione desereret, non trepida discessione, sed voluntaria cessione. Continuit enim se ab impiis crucifixi potestas: & vt dispositione vteretur occulta, vti noluit virtute manifesta. Nam qui mortem & mortis authorē sua venerat passione destruere, quomodo peccatores saluos faceret, si persecutoribus repugnaret? Iudæorum igitur hoc fuerat, dilectissimi, vt Iesum crederent à Deo relictum, in quem tanto scelere sæuire potuissent, qui sacramentum mirabilis patientiæ nescientes, sacrilega illusione dicebant: *Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Si rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Non vestræ cæcitatis arbitrio, stulti scribæ & impij sacerdotes, ostendenda erat potentia Saluatoris, nec secundum preces blasphemantium linguarum humani generis redemptio debebat omitti: cùm si deitatem filij voluissetis agnoscere, innumera opera eius videretis, quæ vos ad eam, quam fallaciter promittitis fidem confirmare debuerint. Si autem, vt ipsi profitemini, verum est, quod alios saluos fecit: cur illa tot & tanta miracula, quæ publico facta sunt conspectu, in nullo cordis vestri duritiam mollierunt: nisi quia ita semper sancto Spiritui restitistis, vt omnia vobis beneficia Dei in perniciem verteretis? Nam etiamsi descenderet Christus de cruce, vos tamen hæretis in crimine.

Rom. 8. Ephes. 5. Matth. 27.

CAP. III. Spreta ergo sunt vanæ insultationis opprobria, & misericordiam Domini perdita & collapsa reparantem, nullæ contumeliæ, nulla conuitia à sui via propositi remouerunt. Offerebatur enim Deo pro salute mundi, hostia singularis, & occisio Christi veri agni, per tot sæcula prædicata promissionis filios in libertatem fidei transferebat. Confirmabatur quoque testamentum nouum, & Christi sanguine æterni regni scribebantur hæredes. Ingrediebatur summus Pontifex sancta sanctorum, & ad exorandum Deum immaculatus sacerdos per velum suæ carnis intrabat. Denique adeò tunc à lege ad Euangelium, à synagoga ad Ecclesiam, à multis sacrificiis ad vnam hostiam, quæ Deus est, euidens est facta translatio: vt emittente spiritum Domino, velum illud mysticum, quod templi penetralia sanctúmque secretum suo intercludebat obiectu, à summo vsque ad imum vt subdita scinderetur. Quoniam figuras veritas auferebat, & superflui erant nuntij sub præsentia nunciati. Adiiciebatur iis elementorum omnium tremēda commotio, & autoribus crucis Christi ipsa se naturæ officia subtrahebant. Cúmque custos supplicij Centurio territus iis quæ viderat diceret: *Vere filius Dei erat homo iste*, impietatem tamen Iudaicam, monumentis & petris omnibus duriorem, nulla proditur mitigasse compunctio, vt appareat paratiores ad intelligendum filium Dei tunc fuisse Romanos milites, quàm Israëliticos sacerdotes. Quia ergo Iudæi omnium sacramentorum sanctificatione priuati, lucem sibi in tenebras, & in luctum festa verterunt, nos dilectissimi effusam super omnes gentes gratiam Dei * procliuibus corporibus atque animis adoremus, obsecrantes misericordem Patrem & diuitem Redemptorem, vt de die in diem auxilio eius adiuti, omnia vitæ huius pericula possimus effugere. Adest enim callidus: vbique tentator, & nihil vacuum à suis relinquit insidiis. Cui auxiliante misericordia Dei, quæ nobis inter omnia aduersa prætenditur, fideli semper est constantia resistendum, vt quamuis impugnare non desinat, neminem tamen, quem expugnet, inueniat. Prosint omnibus, dilectissimi, religiosè celebrata ieiunia, & continentiæ vtilitas, quam & animis & corporibus probauimus congruentem, nullis corrumpatur excessibus. Quæ enim ad sobrietatem & parsimoniam pertinent, ideo diligentiùs in iis sunt celebrata diebus, vt de breui studio in longam consuetudinem mitterentur: & siue in operibus misericordiæ, siue in studio parsimoniæ nullum à fidelibus vacuum tempus habeatur, quoniam vtique in accessu dierum & cursu temporum, lucra debemus facere operum, non damna meritorum. Piis autem studiis & religiosis animis aderit misericordia Dei vt quod fecit concupisci, faciat obtineri: Qui viuit & regnat cum Domino nostro Iesu Christo, filio suo, & cum sancto Spiritu in sæcula sæculorum, Amen.

Hebr. 9. Veli templi mysterium. Matth. 27. Centurionis fides, Iudæorum duritia. CAP. IV.

SERMO XVIII.

De passione Domini.

De figuris veteris testamenti in passione Domini reseratis, & sacramento redemptionis humani generis diabolo & Iudæis absconditto, ac de vitandis hæreticorum colloquutis.

CAP. I. Magnitudo quidem, dilectissimi, ineffabilis sacramenti, ita humanæ intelligentiæ altitudinem, & totius vincit eloquij facultatem: vt & excellentissimis ingeniis, & facundissimis linguis, sublimior sit triumphus Dominicæ passionis. Sed gaudendū nobis potiùs quàm erubescendum est, quòd tantæ superamur materiæ dignitate: de qua nemo humiliùs sensit, quā qui putauit non sufficisse quæ dixit. Non ergo superfluò prædicamus, nec de reb. diuinis

1. Cor. 1.

Infidelitas opiniosa & varia.

Veritas sẽper sui similis.

loquenti carnalium aurium ſunt timenda faſtidia, tanquam deſpectui ſint futura, quæ crebrò cognoſcuntur iterata: cùm hoc maximè ad Chriſtianæ fidei pertineat ſoliditatem, vt ſecundum Apoſtolicam doctrinam idipſum dicamus omnes, & ſimus perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſcientia. Infidelitas quippe quæ omnium eſt mater errorum, in multas opiniones, quas arte dicendi neceſſe habeat colorare, diſtrahitur. Veritatis autem teſtificatio nunquam à ſua luce diſcedit, & quod aliis minùs illis ampliùs micat, non varietas facit luminis ſed infirmitas contemplationis. Cui ſecundum ſupernæ illuminationis auxilium, etiam meo ſermone famulandum eſt: vt quoniam Dei agricultura, Dei ædificatio eſtis; ipſe & diſpenſanti & accipienti tribuat ſufficientiam, qui largitionum ſuarum iuſtam exigere nouit vſuram.

1. Cor. 3.

CAP. II.

Decurſo igitur, dilectiſſimi, textu Euangelicæ lectionis, quam de gloria Crucis Chriſti intento accepiſtis auditu, omnia vobis diuinorum eloquiorum myſteria patefacta ſentite: & quicquid ſub propheticis teſtificationibus vmbra veteris teſtamenti velabat, in ſacramento paſſionis Dominicæ manifeſtum eſſe gaudete. Ideo enim ſacrificiorum varietates, & purificationum differentiæ deſtiterunt, ideo mandatum circumciſionis, ciborum diſcretio, otium ſabbati, & paſchalis agni ceſſauit occiſio, quia lex per Moſen data eſt, gratia autem & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Præceſſerunt figuræ, vt ſequeretur effectus, & in aduentu rerum nunciatarum, finita ſunt officia nunciorum, ſic reconciliatione humani generis temperata, vt ſalus quæ in Chriſto eſt, nullis ſæculis ſub eadem iuſtificatione defuerit, & ad hoc dilationum profecerit ratio, vt quæ diu credita ſunt, antequam fierent, incunctanter honorarentur. Nam cùm virtus fidei, in iis quæ viſui non ſubiacent, conſtituta ſit, indulgentiùs nobiſcum egit doctrina cœleſtis, quos in hæc mundi tempora diſtulit ad intelligentiæ facultatem, vt multo pluribus quàm priores, & vatibus vteremur, & teſtibus.

Ioan. 1.

Vetus lex figuras, noua res ipſas habet.

Heb. 11.

CAP. III.

Quod ergo nobis de paſſione Domini Ieſu Chriſti, ſacra & digito Dei ſcripta Euangelia poteſtantur, ſine nubilo hæſitationis accipite: & rerum geſtarum ordinem tam habetote manifeſtum, quàm ſi omni corporeo & viſu attingeretis & tactu. Vera in Chriſto deitas, & vera credatur humanitas. Ipſe eſt caro, qui Verbum & ſicut vnius cum Patre ſubſtantiæ: ita vnius cum matre naturæ. Non geminatus perſona, non confuſus eſſentia: poteſtate impaſſibilis, humilitate mortalis: ſed vtraque ſic vtens, vt & virtus glorificare poſſet infirmitatem, & infirmitas non valeret obſcurare virtutem. Comprehendi ſe à perſequutoribus patitur, qui continet mundum: & eorum manibus nectitur, quorum corde non capitur. Iuſtitia non reſiſtit iniuſtis, & cedit veritas teſtimoniis falſitatis: vt manens in forma Dei, formam impleret ſerui, & veritatem corporeæ natiuitatis confirmaret ſæuitia corporeæ paſſionis. Sed hanc vnigenito Dei ſubire & perpeti, non conditio neceſſitatis, ſed miſericordiæ ratio fuit: vt de peccato damnaret peccatum, & diaboli opus de opere diaboli ſolueretur. Inimicus enim humani generis mortificatæ in ipſa origine vniuerſitati lethale vulnus intulerat: nec poterat declinare ius ferreum dedititij ſeminis captiua progenies. Vnde cùm in tot generationibus mortali ſibi lege ſubiectis, vnum videret inter hominum filios, cuius virtutem ſuper omnes totius temporis ſanctos miraretur excellere, ſecurum ſe fore credidit de perpetuitate ſui iuris, ſi nulla iuſtitiæ merita ſæuæ potuiſſent ſuperare vim mortis. Famulis itaque ſuis & ſtipendariis vehementius incitatis in præiudicium ſuum ſæuit: & dum putat aliquid ſibi debere, quem potuiſſet occidere, non vidit libertatem ſingularis innocentiæ ſimilitudinem perſequendo naturæ. Non autem errabat in genere, ſed fallebatur in crimine. Adam enim primus, & Adam ſecundus, vnum erant carne, non opere: & in illo omnes moriuntur, in iſto omnes viuificabuntur. Ille per ſuperbiæ cupiditatem iter fecit ad miſeriam: hic per humilitatis fortitudinem viam parauit ad gloriam. Vnde ipſe dicit: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Via ſcilicet in forma conuerſationis iuſtæ: veritas in expectatione rei certæ: vita in perceptione felicitatis æternæ.

Rom. 8.

1. Cor. 15.

Ioan. 14.

CAP. IV.

Sacramentum redẽptionis humanæ latuit diabolum & Iudæos

Hoc magnæ pietatis ſacramentũ dilectiſſimi, ſicut Iudaica impietas, ita diabolica ſuperbia neſciebat. Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Sed quia hoſtem generis humani latebat conſilium miſericordiæ Dei: oppoſito carnis velamine, Deus in Chriſto mundum ſibi reconcilians, tegebatur, perſtitit in eum furere, in quo nihil ſuum poterat inuenire. Nam & malignitatis eius hoc magis potuiſſet prodeſſe, ſi parceret & ſe ab effuſione eius ſanguinis abſtineret, per quem omnium erat ſoluenda captiuitas & reparanda libertas. Sed lucem tenebræ non comprehenderunt, nec mendax cæcitas ſapientiam potuit veritatis inſpicere. Tenuit itaque diſpoſita manſuetudo patientiam, & cohibita famulantium ſibi angelicarum virtute legionum, hauſit calicem doloris & mortis; totúmque ſupplicium tranſtulit in triumphum. Victi ſunt errores, ſubactæ ſunt poteſtates: accepit nouum mundus exordium: vt damnata generatio non obeſſet, quibus ſaluandis regeneratio ſubueniret. Tranſierunt vetera, & ecce facta ſunt omnia noua: vt vniuerſorum in Chriſto credentium, & in ſancto Spiritu renatorum, per ipſum & cum ipſo vna eſſet paſſionis ſocietas, & reſurrectionis æternitas, dicente Apoſtolo: *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: Cùm autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.*

1. Cor. 2.

2. Cor. 5.

Ioan. 14.

Ioan. 1.

2. Cor. 5.

Coloſ. 3.

CAP. V.

In hac igitur ſpe, dilectiſſimi, conſtituti, omnes diaboli cauete verſutias, qui non ſolùm per carnis concupiſcentias, & per corporeas tantùm inſidiatur illecebras: ſed inter ipſa quoque ſemina fidei, ſpargens zizania falſitatum, veritatis ſtudet violare culturam, vt quos non potuerit corrumpere malis actibus, impiis ſubuertat erroribus. Fugite ergo mundanæ argumenta doctrinæ, & viperea hæreticorum vitate colloquia. Nihil vobis commune ſit cum eis, qui Catholicæ aduerſantes fidei, ſolo ſunt nomine Chriſtiani. Non enim templum ſpiritus Dei nec membra ſunt Chriſti: ſed falſis opinionibus implicati tot ſpecies habent diaboli, quot ſimulachra mendacij. A quibus malis per Dominum Ieſum Chriſtum, qui & via & veritas & vita eſt, liberati, omnes vitæ iſtius tentationes & prælia cum fidei exultatione toleremus. Si enim compatimur, & conregnabimus. Quod præmium non ei tantùm paratum eſt, qui pro nomine Domini impiorum ſæuitia ſunt perempti, quoniam vniuerſitas Deo ſeruiẽtium Deóque viuentium, ſicut in Chriſto eſt crucifixa, ita eſt in Chriſto coronanda: illis quidem in omni gloria præcellentibus, qui terribiles mortes & ſæua tormenta, vſque ad exhalationem ſpiritus tolerando ſuperauerunt, ſed etiam iis ſubſequentibus, qui auaritiæ cupiditatem, ſuperbiæ elationem, deſideriáque luxuriæ, carnis ſuæ mortificatione vicerunt. Vnde meritò Apoſtolus ait, quòd omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto, perſequutionem patientur. Cuius vtique non eſt extraneus, qui non eſt pietatis alienus. Paſchalem enim feſtiuitatem ſolenni

Ioan. 14.

Rom. 8.

2. Tit. 3.

1 Cor. 5. solenniter agit, qui non in fermento veteris malitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis operatur. Philip. 2. Nec iam in Adam primo, sed in Adam viuit secundo, membrum scilicet factus corporis Christi qui cùm esset in forma Dei, forma serui dignatus est fieri, vt in vno mediatore Dei & hominum homi- 1. Tim. 2. ne Iesu Christo & plenitudo maiestatis diuinæ, & veritas naturæ esset humanæ. Quam nisi Verbi di- *adsumpsisset* uinitas in suæ personæ * reciperet vnitatem: nec regeneratio esset in aqua baptismatis, nec redemptio in sanguine passionis. Sed quia in sacramento incarnationis Christi, nihil falsum, nihil accepimus 1. Cor. 15. figuratum, non frustra nos & cum moriente mortuos, & cum resurgente credimus suscitatos, manente ipso in nobis, qui operatur omnia in omnibus, viuens & regnans cum Patre & Spiritu sancto, Deus in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO XIX.

De Passione Domini.

De incomprehensibili humani generis sacramento, de diaboli insidiis ac potestate, & de Christi cruce ferenda.

CAP. I. SAcram, dilectissimi, Dominicæ passionis historiam, Euangelica, vt moris est, narratione decursam, ita omnium vestrum arbitror inhæsisse pectoribus: vt vnicuique audientium, ipsa lectio, quæ- Veræ fidei potentia. dam facta sit visio. Habet enim hanc potentiam fides vera, vt ab iis mente non desit, quibus corporalis præsentia interesse non potuit, & siue in præteritum redeat, siue in futurum se cor credentis extendat, nullas sentiat moras temporis cognitio veritatis. Adest ergo sensibus nostris imago rerum pro nostra salute gestarum, & quicquid nunc discipulorum perstrinxit animos, nostros quoque tangit affectus: non quòd aut tristitia deprimamur, aut sæuitia furentium Iudæorum terreamur, cùm etiam eos, quos illius tempestatis magnitudo concussit, ad inuictam constantiam resurrectio Domini ascensióque prouexerit. Sed quia cùm in cogitationem venit, quales tunc Hierusalem populi, & quales fuerunt sacerdotes: magno accipiamus cum tremore mentium tantum facinus impiorum. Quamuis enim ad salutem humani generis pertineret passio Saluatoris, & æternæ mortis vincula temporali fiunt Domini morte dirupta: aliud tamen crucifixi patientia, aliud crucifigentium egit insania, nec ad eosdem rerum exitus misericordia, & ita tendebat: cùm per eiusdem sanguinis effusionem Christus solueret mundi captiuitatem, Iudæi interficerent omnium redemptorem. Obdurauit enim carnalem Israël malignitas sua, & nihil ei legis testificatio, nihil mysteriorum imagines, nihil prophetarum oracula profuerunt: cùm pascha Domini tot sæculis celebratum, in eo Ioannes doceret impletum, de quo publica protestatione dice- Ioan. 1. bat: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Repugnat iniquitas iustitiæ, cæcitas luci, mendacium veritati: sed de sæuitia obluctantium, de scelere crudelium, obtinuit Iesu æternæ dispositionis effectum, & ita humano generi sua morte consuluit, vt sacramentum salutis, etiam ipsis persecutoribus non negaret. Qui enim venerat vniuersis credentibus omnia peccata dimittere, à generali indulgentia, nec Iudaicum voluit crimen excludere. Quorum itaque perfidiam detestamur, eorumdem fidem, si conuertantur, amplectimur: & imitantes misericordiam Domini, qui pro eis, à quibus erat crucifixus, orabat: nos quoque cum beato Paulo Apostolo nostras iungimus preces, & vt ille populus misericordiam consequatur, optamus, ob cuius offensionem, gratiam reconciliationis accepimus. Quoniam si ut ait magister gentium, *Conclusit Deus omnia in incre-* Rom. 11. *dulitate, vt omnium misereatur.* Quid autem illud fuit, quòd & Iudæis intellectum abstulit, & sapientium mundi corda turbauit, nisi Crux filij Dei quæ & Philosophiam euanescere prudentium, & 1. Cor. 1. Israëliticam fecit caligare doctrinam? Omnem namque sensum humanæ mentis excessit diuini altitudo consilij, complacuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes, vt mirabilior fieret constantia fidei ex difficultate credendi. Inconsequens enim & irrationabile videbatur, recipere animo, quod creatorem omnium naturarum, in substantia veri hominis virgo intemerata peperisset, quod æqualis Patri filius Dei, qui impleret omnia, & contineret vniuersa, furentium manibus comprehendi, iniquorum iudicio condemnari, & post *dedecora.* *dedecus illusionum, cruci se permisisset affigi. Sed in iis omnibus simul sunt, & humilitas hominis, & celsitudo deitatis, nec misericordiæ ratio maiestatem miserentis obscurat: quia de ineffabili potentia factum est, vt cùm homo verus est in Deo inuiolabili, & Deus verus est in carne passibili, conferretur homini gloria per contumeliam, incorruptio per supplicium, vita per mortem. Nisi enim verbum caro fieret & tam solida consisteret vnitas in vtraque natura, vt à suscipiente susceptam, nec ipsum breue mortis tempus abiungeret, nunquam valeret ad æternitatem redire mortalitas. Sed adfuit nobis in Christo singulare præsidium, vt in natura passibili; mortis conditio non maneret; quam impassibilis essentia recepisset, & per id quod non poterat mori, posset id quod mortuum erat suscitari. Huic sacramento, dilectissimi, vt inseparabiliter congruamus, magna nobis & animi, & corporis intentione nitendum est, vt cùm grauissimi sit piaculi festum Paschale negligere, periculosius sit Ecclesiastici quidem conuentibus iungi, sed in Dominicæ passionis consortio non haberi. Nam dicente Domino: *Qui non accipit crucem suam & sequitur me,* Matth.10. *non est me dignus.* Et dicente Apostolo, *Si compatimur & conregnabimus.* Rom. 8. Quis vere Christum passum, mortuum & resuscitatũ colit, nisi qui cum ipso patitur, & moritur, & resurgit? Et hæc quidem in omnibus Ecclesiæ filiis ipso iã regenerationis sunt inchoata mysterio: vbi peccati interitus, vita est renascentis, & triduanam Domini mortem imitatur trina demersio, vt dimoto quodam aggere sepulturæ, quos veteres suscipit sinus fontis, eosdem nouos edat vnda baptismatis. Sed implendum est nihilominus opere, quod celebratum est sacramento, & natis de Spiritu sancto quantumcumque superest mundani temporis, non sine Crucis susceptione ducendum est. Quamuis enim forti, & crudeli tyranno per potentiam Crucis Christi vasa antiquæ Lucæ 11. deprædationis erepta sint, & dominatio principis mundi à redemptorum sit eiecta corporibus: insidiari tamen etiam iustificatis eadem malignitas perseuerat, & multis modis eos, in quibus non regnat, impugnat, vt si quas animas negligentes imprudentésque repererit sæuioribus eas laqueis rursum innectat, & à paradiso Ecclesiæ raptas, in consortium suæ damnationis inducat. Vnde cùm quispiam obseruantiæ Christianæ se limitem sentit excedere, & in id cupiditates suas tendere, quod eum à recto itinere faciat declinare: recurrat ad crucem Domini, & ligno vitæ motus noxiæ voluntatis adfigat, ac

voce prophetica ad Dominum clamet, & dicat:
Psal. 118. *Confige clauis timoris tui carnes meas, à iudiciis enim tuis timuis.* Quid autem est clauis timoris Dei carnes habere confixas, nisi corporeos sensus ab illecebra illiciti desiderij sub metu diuini continere iudicij, vt qui resistit peccato, & concupiscentias suas, ne quid morte dignum operetur, interficit, audeat cum
Galat. 6. Apostolo dicere: *Mihi autē absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Ibi ergo se constituat Christianus, quo eum secum sustulit Christus, & ad id dirigat omnem viam suam, vbi scit humanā saluatam esse naturam. Passio enim Domini vsque ad finem producitur mundi, & sicut in sanctis suis ipse honoratur, ipse diligitur, & in pauperibus ipse pascitur, ipse vestitur: ita in omnibus, qui pro iustitia, aduersa tolerant, ipse compatitur, nisi fortè æstimandum est multiplicata per orbem fide, & rarescente impiorum numero, omnes persequutiones, & omnia, quæ aduersus beatos Martyres sæuierunt, finita esse certamina, tanquam suscipiendæ crucis illis tantum necessitas incubuerit, quibus ad expugnandam Christi dilectionem atrocissima sunt illata supplicia. Sed aliud seruientium Dei pietas experitur, aliud etiam Apostoli prædicatio protestatur
1. Tim. 3. qui dicit: *Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu persequutionem patiuntur.* Qua sententia nimis trepidus, & segnis ostenditur. qui nulla persequutione pulsatur. Pacem enim cum hoc mundo nisi ama-
2. Cor. 6. tores mundi habere non possunt, & nulla vnquam iniquitati cum æquitate communio, nulla mendacio cum veritate concordia, nullus est tenebris cum luce consensus. Quia etiam si pietas bonorum cupiat malos corrigi, conuersionémque multorum per gratiam Dei miserentis obtineat: malignorum tamen spirituum aduersus sanctos insidiæ non quiescunt, & siue occulto dolo, siue aperto prælio, in omnibus fidelibus propositum bonæ voluntatis infestant. Inimicum autem illis est, omne quod rectum, omne quod castum est. Et cùm eis nihil in quemquam amplius liceat, quàm iustitia diuina permiserit, quæ dignatur suos aut corrigere disciplina, aut exercere patientia, agunt tamen versutissima arte fallaciæ, vt ex arbitrio propriæ potestatis, aut lædere videantur, aut parcere: & multis, quod dolendum est, ita per nequitiam simulationis illudunt, vt quidem illos & timeant pati insensos, & velint habere placatos, cùm beneficia dæmonum omnibus sint nocentiora vulneribus, quia tutius est homini, inimicitiam diaboli meruisse quàm pacem. Sapientes itaque animi, qui vnum timere, vnum diligere, & in vnum sperare didicerunt, mortificatis cupiditatibus, & crucifixis corporis sensibus, ad nullum hostium metum, ad nullum inclinantur obsequium. Voluntatem enim Dei etiam sibi præferunt: & tanto amplius se amant, quanto amplius pro Dei amore se non amant: Cúmque audiunt sibi diuinitus di-
Eccl. 18. ci, *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.* diuidant affectus suos, & legem mentis à corporis lege discindant, vt ex quadam se parte sibi denegent, perdentes se in iis, quæ carnaliter cupiunt, & inuenientes se in iis, quæ spiritaliter concupis-
CAP. II. cunt. Sanctum igitur pascha, dilectissimi, in talibus membris corporis Christi legitimè celebratur, & nihil illis deest triumphis, quos passio Saluatoris
1. Cor. 9. obtinuit. Quoniam in iis, qui Apostolico exemplo castigant corpus suum, & seruituti subiiciunt, iidem hostes eadem fortitudine conteruntur. Etenim nunc à Christo vincitur mundus, & cùm à seruis suis quorumcumque vitiorum incentiua superantur, ipsius virtus est, ipsiúsque victoria. Hæc, dilectissimi, qui ad participationem Crucis pertinent, sufficienter, vt arbitror, vestris sunt hodiè auribus intimata: vt Paschale sacramentum etiam in membris corporis Christi legitimè celebretur. Superest, vt de obtinendo resurrectionis consortio differamus. Quod ne continuato sermone, & mihi & vobis fiat onerosum, in diem sabbati promissa differemus. Aderit, vt credimus, gratia Dei, vt debitum nostrum ipsius auxilio compleatur. Qui viuit & regnat cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen.



SERMO PRIMVS.

De resurrectione Domini.

De duplici vita ac morte, de Resurrectionis Dominicæ documentis, & immortalitate Christi.



SERMONE proximo, dilectissimi, non incongruè vobis, quantum arbitror, participationem Crucis Christi insinuauimus: vt Paschale sacramentum ipsa in se habeat vita credentium, & quod festo honoratur, moribus celebretur. Quàm autem hoc vtile sit ipsi probastis, & ex vestra deuotione didicistis, quantum prosint animis atque corporibus prolixiora ieiunia, frequentiores preces, & eleemosynæ largiores. Nemo enim ferè est, qui non hac exercitatione profecerit: & in abdito conscientiæ suæ aliquid, quo rectè possit gaudere, condiderit. Sed hæc lucra perseueranti sunt seruanda custodia: ne in desidiam resoluto labore, quod donauit Dei gratia, diaboli furetur inuidia. Cùm igitur quadraginta dierum obseruantia hoc voluerimus operari, vt aliquid sentiremus Crucis in tempore Dominicæ passionis: adnitendum nobis est, vt etiam Resurrectionis Christi inueniamur esse consortes, & de morte ad vitam, dum in isto corpore sumus, transeamus. Vnicuique enim homini, qui ex alio in aliud aliqua conuersione mutatur, finis est, non esse quod fuit, & ortus, esse quod non fuit. Sed interest, cui quis aut moriatur, aut viuat, quia est mors, quæ causa est viuendi, & est vita, quæ causa est moriendi. Nec alibi quàm in hoc transitorio sæculo, vtrumque conquiritur: vt ex qualitate temporalium actionum differentia retributionum pendeat æternarum. Moriendum ergo est diabolo, & viuendum Deo: deficiendum iniquitati, vt iustitiæ resurgatur. Occumbant vetera, vt oriantur noua. Et quoniam, sicut ait Veritas: *Nemo potest duobus dominis seruire,* dominus sit, non ille qui stantes impulit in ruinam, sed ille qui deiecto erexit in gloriam. Dicente ergo Apostolo: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cælestis.* Qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cælestis, tales & cælestes. Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem eius, qui est de cælo. Multum nobis de hac commutatione gaudendum est, qua de ignobilitate terrena, ad cælestem transferimur dignitatem, per illius ineffabilem misericordiam, qui vt nos in sua proueheret, in nostra descendit, vt non solùm substantiam, sed etiam conditionem naturæ peccatricis assumeret, & ea sibi pateretur inferri diuina impassibilitas, quæ miserrimè experitur humana mortalitas. Vnde ne turbatos Discipulorum animos longa mœstitudo cruciaret, denunciatam tridui moram tam mira celeritate breuiauit, vt dum ad integrum secundum diem, pars

CAP. I. — Mors & vita duplex. — CAP. II. Matth. 6. Lucæ 16. — 1. Cor. 15.

pars primi nouissima,& pars tertij prima concurrit, & aliquantum temporis spatio decideret, & nihil dierum numero deperiret. Resurrectio igitur Saluatoris nec animam in inferno, nec carnem diu morata est in sepulchro: & tam velox incorruptæ carnis viuificatio fuit, vt maior ibi esset soporis similitudo, quàm mortis: quoniam deitas, quæ ab vtraque suscepti hominis substantia non recessit, quod potestate diuisit, potestate coniunxit. Subsequuta sunt itaque multa documenta, quibus prædicandæ per vniuersum mundum fidei authoritas conderetur. Et licet reuolutio lapidis, euacuatio monumenti, depositio linteorum, & totius facti Angeli narratores copiosè veritatem Dominicæ Resurrectionis adstruerent, & mulierum tamen visui, & Apostolorum frequenter oculis manifestus apparuit: non solùm loquens cum eis, sed habitans atque conuescens, & pertractari se diligenti curiosóque contactu ab eis, quos dubitatio perstringebat, admittens. Ideo enim & clausis ad discipulos ostiis introibat, & flatu suo dabat Spiritum sanctum, & dato intelligentiæ lumine, sanctarum Scripturarum occulta pandebat, & rursus idem vulnus lateris, fixuras clauorum, & omnia recentissimæ passionis signa monstrabat, vt agnosceretur in eo proprietas diuinæ humanæque naturæ indiuidua permanere, & ita sciremus Verbum non hoc esse, quod carnem vt vnum Dei filium, & Verbum confiteremur & carnem. Non dissonat, dilectissimi, ab hac fide magister gentium Apostolus Paulus, cùm dicit: *Et si cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus.* Resurrectio enim Domini non finis carnis, sed commutatio fuit, nec virtutis augmento consumpta substantia est. Qualitas transiit, non natura defecit, & factum est corpus impassibile, quod potuit crucifigi; factum est immortale, quod potuit occidi; factum est incorruptibile, quod potuit vulnerari. Et meritò dicitur caro Christi in eo statu, quo fuerit nota, nesciri: quia nihil in ea passibile, nihil remansit in ea infirmum, vt & ipsa sit per essentiam, & non sit ipsa per gloriam. Quid autem mirum, si hoc de corpore Christi profitetur, qui de omnibus Christianis spiritalibus dicit: *Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem?* Ex hoc, inquit, initium nobis factum est Resurrectionis in Christo, ex quo in eo, qui pro omnibus mortuus est, totius spei nostræ forma præcessit. Non hæsitamus diffidentia, nec incerta expectatione suspendimur, sed accepto promissionis exordio, fidei oculis, quæ sunt futura, iam cernimus: & naturæ prouectione gaudentes, quod credimus, iam tenemus. Non ergo nos rerum temporalium occupent species, nec ad se contemplationem nostram à cælestibus terrena deflectant. Pro transactis habeantur, quæ ex maxima parte iam non sunt: & mens intenta mensuris, ibi desiderium suum figat, vbi quod offertur, æternum est. Quamuis enim spe salui facti simus, & corruptibilem adhuc carnem mortalémque gestemus: rectè tamen dicimur in carne non esse: si carnales non dominentur affectus: & meritò eius rei deponimus nuncupationem, cuius non sequimur voluntatem. Cùm itaque Apostolus dicat, *Carnis curam ne feceritis in desideriis*: non ea nobis interdicta intelligimus, quæ saluti congruunt, & quæ humana poscit infirmitas. Sed quia non omnibus desideriis seruiendum, nec quicquid caro concupiscit, implendum est, de adhibendo temperantiæ modo admonitos nos esse cognoscimus: vt carni quæ sub animi est constituta iudicio, nec superflua concedamus, nec necessaria denegemus. Vnde idem Apostolus alibi ait: *Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam*, cùm vtique non ad vitia, non ad luxuriam, sed ad debitum sit alenda & fouenda famulatum, vt teneat ordinem suum renouata natura, nec peruersè ac turpiter superioribus inferiora præualeant aut inferioribus superiora succumbant, & vitiis animum superantibus, id fiat seruitus, vbi debet esse dominatus. Agnoscat igitur populus Dei, nouam se esse in Christo creaturam, & à quo suscepta sit, quémve susceperit, vigilanter intelligat. Quæ noua facta sunt, non redeant ad instabilem vetustatem, & non omittat opus suum, qui manum misit ad aratrum, sed ad hoc attendat, quod serit, non ad id respiciat quod reliquit. Nemo in id recipiat, vnde surrexit: sed etiamsi pro infirmitate corporea in aliquibus adhuc languoribus iacet, sanari instanter desideret ac leuari. Hæc est enim salutis via, & cœptæ in Christo resurrectionis imitatio: vt quia in lubrico istius vitæ diuersi casus lapsúsque non desunt, vestigia gradientium à fluidis ad solida transferantur: quoniam, sicut scriptum est, *A Domino diriguntur gressus hominis, & viam eius volet. Cùm ceciderit iustus, non collidetur, quia Dominus supponet manum suam.* Hæc meditatio, dilectissimi, non pro solemnitate Paschali, sed pro totius vitæ sanctificatione retinenda est, & ad hoc præsens exercitatio debet intendi: vt quæ animum fideli experimento breuis obseruantiæ delectarunt, in consuetudinem transeant, intemerata permaneant, ac si aliquid delicti irrepserit, celeri pœnitudine deleatur. Et quia antiquorum morborum difficilis & tarda curatio est, tanto velocius adhibeantur remedia, quanto recentiora sunt vulnera: vt semper ab omnibus offensionibus in integrum resurgentes, ad illam incorruptibilem glorificandæ carnis resurrectionem peruenire mereamur in Christo Iesu Domino nostro, Qui viuit & regnat cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen.

[Margin notes, left column: CAP. III. Resurrectionis documenta. — Act. 1. — Ioan. 20. — Lucæ 24. — Ioan. 20. — CAP. IV. — 2. Cor. 5. — Ibidem. — CAP. V. — Rom. 13. — Ephes. 5.]
[Margin notes, right column: CAP. VI. — Luc. 9. — Psalm. 36.]

SERMO II.

De resurrectione Domini.

Quòd Crux Christi sit saluandis sacramentum & exemplum, & de mysterio Incarnationis.


NOtum * quidem, dilectissimi, Paschale sacramentum Euangelica nobis narratio præsentauit, & ita per aurem carnis penetratus est mentis auditus, vt nemini nostrum rerum gestarum imago defuerit: cùm diuinitus inspiratæ textus historiæ euidenter ostenderit, qua Dominus Iesus Christus impietate traditus, quo iudicio addictus, qua sæuitia crucifixus, & qua sit gloria suscitatus. Sed adiiciendum est etiam nostri sermonis officium, vt sicut pia expectatione deposcere vos consuetudinis debitum sentio; ita solennitati sacratissimæ lectionis subiungatur exhortatio sacerdotis. Quia igitur apud fideles aures ignorantiæ locus non est, semen Verbi, quod est in prædicatione Euangelij, debet in terra vestri cordis augeri, vt remoti suffocationibus spinarum ac tribulorum, libera in fructus suos exeant plantaria piorum sensuum, & rectorum germina voluntatum. Crux enim Christi, quæ saluandis est impensa mortalibus, & sacramentum est, & exemplum. Sacramentum, quo virtus impletur diuina, exemplum quo deuotio incitatur humana: quoniam

[Margin notes: CAP. I. Totum. — Luc. 1.]

niam captiuitatis iugo erutis, etiam hoc præstat redemptio, vt eam sequi possit imitatio. Nam si mundana sapientia ita in suis gloriatur erroribus, vt quem sibi quisque ducem elegerit, eius opiniones & mores atque omnia instituta sectetur: quæ nobis
Ioan.14. erit communio nominis Christi, nisi vt ei inseparabiliter vniamur, qui est, vt ipse insinuauit, *Via & Veritas, & Vita?* Via scilicet conuersationis sanctæ,
CAP. II. Veritas doctrinæ diuinæ, & Vita beatitudinis sempiternæ. Collapsa enim in parentibus primis humani generis plenitudine, ita misericors Deus creaturæ ad imaginem suam factæ per vnigenitum suum Iesum Christum voluit subuenire: vt nec extra naturam esset reparatio naturæ, & vltra propriæ originis dignitatem proficeret secunda conditio. Felix, si ab eo non decideret, quod Deus fecit? felicior, si in eo maneret, quod refecit. Multum fuit à Christo recepisse formam, sed plus est, in Christo habere sub-
potestatem. stantiam. Suscepit enim nos in suam*proprietatem illa natura, quæ nec nostris sua, nec suis nostra cõsumeret: quæ ita vnã in se fecit deitatis humanitatisq; personam, vt sub dispensatione infirmitatum atque virtutum, nec caro per diuinitatem inuiolabilis, nec diuinitas per carnem posset esse passibilis. Suscepit nos illa natura, quæ & propaginem nostri generis à communi tramite non abrumperet, & contagium peccati in omnes homines transeuntis excluderet. Infirmitas sanè atque mortalitas, quæ non peccatum erant, sed pœna peccati, à redemptore mundi recepta sunt ad supplicium, vt impenderetur ad pretium. Quod ergo in omnibus hominibus transfusio fuit damnationis, hoc in Christo sacramentum est pietatis. Præbuit enim se crudelissimo exactori liber à debito, & ministras diaboli Iudaicas manus in cruciatum immaculatæ carnis admisit. Quam ideo vsque ad celeberrimam Resurrectionem voluit esse mortalem, vt credentibus in eum, nec persequutio insuperabilis, nec mors posset esse terribilis: cùm ita dubitandum non esset de consortio gloriæ, sicut
CAP. III. dubitandum non erat de communione naturæ. Si incunctanter itaque, dilectissimi, corde credimus, quod ore profitemur: nos in Christo crucifixi, nos sumus mortui, nos sepulti, nos etiam in ipso die tertio sus-
Colos. 3. citati. Vnde Apostolus dicit: *Si consurrexistis cũ Christo, quæ sursum sunt, quærite vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terrã. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Quum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cũ ipso in gloria.* Vt autem nouerint corda fidelium habere se, vnde ad supernam sapientiam spretis mundi cupiditatibus valeant eleuari, spondet nobis Dominus præsentiam
Matth. 28. suam, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationẽ sæculi.* Non enim frustra per
Esai. 7. Esaiam dixerat Spiritus sanctus: *Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filiũ, & vocabitur nomen eius Emmanuel,* quod est interpretatum, nobiscum Deus. Implet ergo Iesus proprietatem nominis sui: & qui ascendit in cælos, non deserit adoptatos: qui sedet ad dexteram Patris, idem totius habitator est corporis: & ipse deorsum cõfortat ad patientiam, qui sursum
CAP. IV. inuitat ad gloriam. Nec inter vana igitur nobis desipiendum est, nec inter aduersa trepidandum. Ibi quidem blandiuntur deceptiones, & hîc grauescunt labores. Sed quia misericordia Domini plena est terra, adest nobis vtique Christi victoria, vt impleatur,
Ioan. 14. quod ait: *Nolite timere, quia ego vici mundum.* Siue ergo contra ambitionem sæculi, siue contra concupiscentias carnis, siue contra hæreticorum iacula dimicemus, Dominica Cruce semper armemur. Nec enim vnquam à Paschali festo recedimus, si à fermento malitiæ veteris, veritatis synceritate abstinemus. Inter omnes namque vitę huius varietates, quę diuersarum plenæ sunt passionum, Apostolicæ exhortationis meminisse debemus, qua nos instruit dicens: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui* Philip. 2.
cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus est, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Si magnæ, inquit, pietatis sacramentũ intelligitis, & quod pro salute humani generis vnigenitus Dei filius gessit, aduertitis, hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, cuius humilitas nulli aspernenda diuitum, nulli est erubescenda nobilium. Nec enim in tantum prouehi potest quælibet felicitas humana fastigium, vt æstimet sibi pudendum, quod manens Deus in forma Dei Deus, non est arbitratus indignum.

Imitamini quod operatus est, diligite quod dilexit, & inuenietis in vobis Dei gratiam. Vestram in illo redamate naturam, quoniam sicut ille paupertate diuitias non amisit, gloriam humilitate non minuit, æternitatem morte non perdidit: ita & vos eisdem gradibus, eisdem vestigiis, vt cælestia apprehendatis, terrena dispicite. Susceptio enim Crucis est interfectio cupiditatum, occisio vitiorum, declinatio vanitatis, & abdicatio omnis erroris. Nam cùm Pascha Domini, non impudicus, non luxuriosus, non superbus celebret, non auarus: nulli tamen ab hac festiuitate longiùs quàm hæretici separantur, maximéque illi, qui de Verbi Incarnatione malè sẽtiunt, aut minuendo quod est deitatis, aut euacuando quod est carnis. Verus.n. Deus est filius Dei, totum habens ex patre, quod pater est, nullo exordio tẽporalis, nulla varietate mutabilis, nec ab vno diuisus, nec ab omnipotenti diuersus. Sẽpiterni genitoris vnigenitus sempiternus, vt mens fidelis credens in Patrem & Filium & Spiritum sanctum: in eandẽ vnus deitatis essentiam, nec vnitatem gradibus diuidat, nec Trinitatem singularitate confundat. Non autẽ sufficit Dei filium in sola patris nosce natura: nisi eum non recedentem à propriis, agnoscamus in nostris. Exinanitio enim illa, quam reparationi impendit humanæ, dispensatio fuit miserationis, non priuatio potestatis. Nam cùm & ex æterno consilio Dei, non Act. 4.
esset aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat saluos fieri: inuisibilis visibilem, intemporalis temporalem, impassibilis passibilem substantiam suam fecit: non vt virtus deficeret in infirmitate, sed vt infirmitas in incorruptibilem posset transire virtutem. Propter quod ipsa festiuitas, quæ CAP. VI.
à nobis Pascha nominatur, apud Hebræos phase, id est, transitus dicitur, attestante Euangelista atque dicente: *Ante diem festum Paschæ sciens Iesus, quia* Ioan. 13.
venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem. Cuius autem naturæ futurus erat transitus iste, nisi nostræ, cùm inseparabiliter & pater in filio, & filius esset in patre? Sed quia Verbum & caro, vna persona est, non diuiditur à suscipiente susceptor, & honor prouehendi prouehentis nominatur augmentum, dicente Apostolo, quod iam commemoraui- Philip. 2.
mus: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen.* In quo vtique assumpti hominis exaltatio commendatur, vt in cuius passionibus manet deitas indiuisibilis, idem coæternus sit in gloria deitatis. Ad hanc participatio

ticipationem ineffabilis muneris, beatum transitum fidelibus suis ipse Dominus præparabat: cùm instanti iam proximus passioni, non solùm pro Apostolis suis atque Discipulis, sed etiam pro
Ioan. 17. vniuersa Ecclesia supplicaret, & diceret: *Non pro his autem rogo tantùm, sed pro iis etiam, qui credituri sunt per verbum ipsorum in me: vt omnes vnum sint, sicut & tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in*
CAP. VII. *nobis vnum sint.* Cuius vnitatis nullum poterunt habere consortium, qui in Dei filio Deo vero humanam negant manere naturam, impugnatores salutiferi sacramenti & paschalis exules festi. Quod quia ab Euangelio dissentiunt, & Symbolo contradicunt, nobiscum celebrare non possunt, quia etsi audent sibi Christianum nomen assumere, ab omni tamen creatura, cui Christus caput est, repelluntur: vobis in hac solennitate meritò exultantibus, pieque gaudentibus, qui nullum recipientes in veritate mendacium, nec de natiuitate Christi secundum carnem, nec de passione ac morte, nec de corporali resurrectione eius ambigitis: quoniam sine vlla separatione deitatis, verum Christum ab vtero virginis, verum in ligno crucis, verum in sepulchro carnis, verum in gloria resurrectionis, verum in dextera paternæ maiestatis agnoscitis. Vnde etiam, sicut Apostolus
Phil. 3. ait, *Expectamus Saluatorem Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus nostræ humilitatis, conforme fieri corpori gloriæ suæ,* Qui viuit & regnat cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen.



SERMO PRIMVS.

De Ascensione Domini.

Cur discipuli permissi sint dubitare de resurrectione Christi, & quid egerit Christus inter ascensionem, & resurrectionem suam, & de Petri prærogatiua, atque cicatricibus Christi.

CAP. I. POST beatam & gloriosam resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, qua verum Dei templum, Iudaica impietate resolutum diuina in triduo potentia suscitauit, quadragenarius hodie, dilectissimi, sanctorum dierum expletus est numerus, sacratissima ordinatione dispositus, & ad vtilitatem nostræ eruditionis impensus: vt dum à Domino in hoc spatio mora præsentiæ corporalis extenditur, fides resurrectionis documentis necessariis muniretur.
Hæsitatio discipulorũ de resurrectione Domini cur permissa sit. Mors enim Christi multum discipulorum corda turbauerat, & de supplicio crucis, de emissione spiritus, de exanimati corporis sepultura, grauatis mœstitudine mentibus, quidam diffidentiæ torpor obrepserat. Nam cùm sanctæ mulieres, sicut Euangelica pandit historia, reuolutum à mo-
Matth. 26. numento lapidem, & sepulchrum corpore vacuum, & viuentis Domini testes Angelos nunciarent, verba earum Apostolis aliisque discipulis,
Lucæ 24. deliramentis similia videbantur. Quam vtique hæsitationem humana infirmitate nutantem, nequaquam permisisset Spiritus veritatis prædicatorum suorum inesse pectoribus, nisi illa trepida sollicitudo & curiosa cunctatio, nostræ fidei fundamenta iecisset. Nostris igitur perturbationibus, nostris periculis in Apostolis consulebatur: nos in illis viris contra calumnias impiorum, & contra terrenæ argumenta sapientiæ docebamur. Nos illorum instruxit aspectus, non erudiuit auditus, nos confirmauit attactus Gratias agamus diuinæ dispensationi, & sanctorum Patrum necessariæ tarditati. Dubitandum est ab illis: ne dubitaretur à nobis. Non ergo ij dies, dilectissimi, qui inter resurrectionem Domini ascensionemque fluxerunt, otioso transiere decursu: sed magna in eis confirmata sacramenta, magna sunt reuelata mysteria. In iis metus diræ mortis aufertur: & non solùm animæ, sed etiam carnis immortalitas declaratur. In iis per insufflationem Domini infunditur Apostolis omnibus Spiritus sanctus: & beato Apostolo Petro, supra cæteros post regni claues, ouilis Domini cura mandatur. In iis diebus, duobus discipulis tertius in via Dominus comes iungitur, & ad omnem nostræ ambiguitatis caliginem detergendam, pauentium ac trepidantium tarditas increpatur. Flammam fidei illuminata corda concipiunt: & quæ erant tepida, referante Scripturas Domino, efficiuntur ardentia. In fractione quoque panis, conuescentium aperiuntur obtutus: multò felicius eorum oculis patefactis, quibus naturæ suæ manifestata est glorificatio, quàm illorum generis nostri Principum, quibus præuaricationis suæ est ingesta confusio. Inter hæc autem aliaque miracula, cùm discipuli trepidi cogitationibus æstuarent, & apparuisset in medio eorum Dominus, dixissetque: *Pax vobis*: ne hoc remaneret in eorum opinionibus, quod voluebatur in cordibus, (putabant enim se spiritum videre, non carnem) redarguit cogitationes à veritate discordes, ingerit dubitantium oculis manentia in manibus suis & pedibus crucis signa, & vt diligentiùs pertractetur, inuitat: quia ad sananda infidelium cordium vulnera, clauorum, & lanceæ erant seruata vestigia vt non dubia fide, sed constantissima scientia teneretur, eam naturam in Dei Patris concessuram throno, quæ iacuerat in sepulchro. Per omne ergo tempus, dilectissimi, quod inter resurrectionem & ascensionem Domini, exactum est, hoc prouidentia Dei curauit, hoc docuit, hoc suorum & oculis insinuauit & cordibus: vt Dominus Iesus verè agnosceretur resuscitatus, qui verè erat natus, & passus, & mortuus. Vnde beatissimi Apostoli, omnesque discipuli, qui & de exitu crucis fuerant trepidi, & de fide resurrectionis ambigui, ita sunt veritate perspicua roborati: vt Domino in cælorum eunte sublimia, non solùm nulla afficerentur tristitia, sed etiam magno gaudio replerentur. Et reuera magna & ineffabilis erat causa gaudendi, cùm in conspectu sanctæ multitudinis super omnium creaturarum cælestium dignitatem humani generis natura conscenderet, & supergressura Angelicos Ordines, & vltra Archangelorum altitudines eleuanda, nec vllis sublimitatibus modum suæ prouectionis habitura, nisi æterni Patris recepta confessu, illius gloriæ sociaretur in throno, cuius naturæ copulabatur in filio. Quia igitur Christi Ascensio, nostra prouectio est, & quò processit gloria capitis, eò spes vocatur & corporis: dignis, dilectissimi, exultemus gaudiis, & pia gratiarum actione lætemur. Hodie enim non solùm Paradisi possessores firmati sumus, sed etiam cælorum in Christo superna penetrauimus, ampliora adepti per ineffabilem Christi gratiam, quàm per diaboli amisseramus inuidiam. Nam quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate deiecit, eos sibi concorporatos Dei filius ad dexteram Patris collocauit: Cum

Right margin notes: CAP. II. Christus quid egerit inter Ascensionem & resurrectionem. Ioan. 20. — Petri prærogatiua. Luc. 24. — CAP. III. Ibidem. — Ioan. 20. — Cicatrices cur Christus seruauerit. CAP. IV. — Luc. 24. — Plus nobis Christus contulit, quàm diabolus abstulit.

Cum quo viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus: Per omnia sæcula sæculorum, Amen.

SERMO II.

De Ascensione Domini.

De exaltatione humanæ naturæ per Christum, de virtute fidei, & Christi diuinitate.

CAP. I. SAcramentum, dilectissimi, salutis nostræ, quam pretio sanguinis sui vniuersitatis conditor æstimauit, à die corporalis ortus vsque ad exitum passionis, per dispensationem humilitatis impletum est. Et licet multa etiam in forma serui diuinitatis signa radiauerint, propriè tamen illius temporis actio ad demonstrandam suscepti hominis pertinuit veritatem. Post passionem verò, ruptis mortis vinculis, quæ vim suam in eum, qui peccati erat nescius, incidendo perdiderat: infirmitas in virtutem, mortalitas in immortalitatem, contumelia transiuit in

Act. 1. gloriam: quam Dominus Iesus Christus in multis manifestisque documentis, multorum declarauit aspectibus, donec triumphum victoriæ, quem reportarat à mortuis, inferret & cælis. Sicut ergo in solennitate Paschali Resurrectio Domini fuit nobis causa lætandi: ita Ascensio eius in cælos, præsentium nobis est materia gaudiorum: recolentibus illum diem & ritè venerantibus, quo naturæ nostræ humilitas in Christo super omnem cæli militiam, supra omnes ordines Angelorum, & vltra omnium altitudinem potestatum, ad Dei Patris est prouecta consessum. Quo ordine operum diuinorum nos fundati, nos ædificati sumus: vt mirabilior fieret gratia Dei, cùm remotis à conspectu hominum, quæ meritò reuerentiam sui sentiebantur indicere, fides non deficeret, spes non fluctuaret, charitas non teperet. Magnarum hic vigor est mentium, & valde fidelium lumen est animarum incunctanter credere, quæ corporeo non videntur intuitu, & ibi figere desiderium, quò nequeas inferre conspectum. Hæc autem pietas, vnde in nostris cordibus nasceretur, aut quomodo quisquam iustificaretur per fidem, si in iis tantùm salus nostra consisteret, quæ obtutibus subiacerent? Vnde & illi viro, qui de resurrectione Christi videbatur ambigere, nisi in ipsius carne vestigia passionis & visu explorasset

Ioan. 20. & tactu: *Quia vidisti me*, inquit Dominus, *credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* Vt igitur

CAP. II. huius beatitudinis, dilectissimi, capaces esse possemus, expletis omnibus, quæ Euangelicæ prædicationi & noui testamenti mysteriis congruebant, Dominus

Lucæ 14. noster Iesus Christus, quadragesimo post resurre-

Marc. 16. ctionem die, coram Discipulis eleuatus in cælum, corporalis præsentiæ modum fecit, mansurus in Patris dextera, donec tempora multiplicandis Ecclesiæ filiis diuinitus præstituta peragantur, & ad iudicandos viuos & mortuos in eadem carne, in qua ascendit, adueniat. Quod itaque Redemptoris nostri conspicuum fuit, in sacramenta transiuit: & vt fides excellentior esset ac firmior, visioni doctrina successit, cuius authoritatem supernis illuminata

CAP. III. radiis credentium corda sequerentur. Hanc fidem Ascensione Domini auctam, & Spiritus S. munere roboratam, non vincula, non carceres, non exilia, non fames, non ignis, non laniatus ferarum, nec exquisita persequentium crudelitatibus supplicia terruerunt. Pro hac fide per vniuersum mundum, non solùm viri, sed etiam fœminæ, nec tantùm impubes pueri, sed etiam teneræ virgines, vsque ad effusionem sui sanguinis decertarunt. Hæc fides dæmonia eiecit, ægritudines depulit, mortuos suscitauit. Vnde & ipsi beati Apostoli, qui tot miraculis confirmati, tot sermonibus eruditi, atrocitatē tamen Dominicæ Passionis expauerant, & veritatē resurrectionis eius non sine hæsitatione susceperant: tantùm de Ascensione Domini profecerunt, vt quicquid illis prius intulerat metum, verteretur in gaudium. Totā enim contemplationem animi in diuinitatem ad Patris dexteram consedentis erexerant, nec iam corporeæ visionis tardabantur obiectu, quominus in id aciem mentis intenderent, quod nec à Patre descendendo abfuerat, nec à Discipulis ascendendo discesserat. *(Ascensio Domini quantum Apostolos confirmarit.)*

Tunc igitur, dilectissimi, filius hominis Dei filius, excellentius sacratiúsque innotuit, cùm in paternæ maiestatis gloriam se recepit, & ineffabili modo cœpit esse diuinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior. Tunc ad æqualem patri filium eruditior fides ingressu mentis cœpit accedere, & contrectatione in Christo corporeæ substantiæ, quæ patre minor est, non egere: quoniam glorificati corporis manente natura, eò fides credentiū vocabatur, vbi non carnali manu, sed spiritali intellectu, par Genitori Vnigenitus tangeretur. Hinc illud est, quod post resurrectionem suam Dominus Mariæ Magdalenæ personam Ecclesiæ gerenti, cùm ad cōtactum ipsius properaret accedere dicit: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*: hoc est, nolo vt ad me corporaliter venias, nec vt me sensu carnis agnoscas. Ad sublimiora te differo, maiora tibi præparo: cū ad patrē ascendero, tunc me perfectiùs veriusque palpabis, apprehensura quod non tangis, & creditura quod non cernis. Cùm autē ascendentē ad cœlos Dominum sequaces Discipulorum oculi intenta admiratione susciperent, adstiterunt ipsis Angeli duo, mirabili vestium candore fulgentes, qui & dixerunt: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Quibus verbis omnes Ecclesiæ filij docebantur, vt Iesus Christus in eadem, qua ascenderat carne, venturus visibilis crederetur, nec posset ambigi omnia illi esse subiecta, cui ab ipso corporeæ natiuitatis exordio, famulatus seruisset angelicus. Sicut enim concipiendum Christum de Spiritu sancto beatæ Virgini angelus nunciauit: sic & editum de Virgine vox cælestium, pastoribus cecinit. Sicut resurrexisse à mortuis supernorum nunciorum prima testimonia docuerunt: sic ad iudicandum mundum in ipsa carne venturum, angelorum officia prædicarunt, vt intelligeremus, quantæ potestates sint adfuturæ cum iudicaturo, cui tantæ ministrauerunt etiam iudicando. Exultemus itaque, dilectissimi, gaudio spiritali, & digna apud Deū gratiarum actione lætantes, liberos cordis oculos ad illam altitudinem, in qua Christus est, erigamus. Sursum vocatos animos desideria terrena nō deprimant, ad æterna præelectos, peritura non occupent, viam veritatis ingressos, fallaces illecebræ non retardent: & ita fidelibus hæc temporalia decurrantur, vt peregrinari se in hac mundi valle cognoscant in qua etiamsi quædam commoda blandiantur, non amplectenda nequiter, sed transeunda sunt fortiter. Ad hanc enim nos deuotionem beatissimus Apostolus Petrus incitat, & secundum illam dilectionem, quam pascendis Christi ouibus trina Dominici amoris pressione concepit, obsecrans dicit: *Charissimi, obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam.* Cui autem, nisi diabolo carnales

Margin notes (left column): In Ascensione Christi lætandum.

Margin notes (right column): CAP. IV. — Ioan. 14. — Ioan. 20. — Act. 20. — Christo quomodo Angeli seruierunt. — Luc. 1. — Ioan. 12. — 1. Petr. 2.

carnales militant voluptates, qui animas ad superna tendentes corruptibilium bonorum delectationibus obligare, & ab illis sedibus, de quibus ipse excidit, gaudet abducere? Contra cuius insidias sapienter debet fidelis quisque vigilare, vt inimicum suum, de eo quod tentatur, possit elidere. Nihil autem est validius, dilectissimi, contra diaboli dolos, quàm benignitas misericordiæ & largitas charitatis, per quam omne peccatum aut declinatur, aut vincitur. Sed huius virtutis sublimitas non prius apprehenditur, quàm illud, quod ei aduersarium est, subruatur. Quid autem tam inimicum misericordiæ & operibus charitatis, quàm auaritia, de cuius radice omnium malorum germen emergit? Quæ nisi in suis fomitibus enecetur, necesse est, vt in agro cordis illius, in quo huius mali planta conualuit, spinæ potius tribulique vitiorum, quàm vllum veræ virtutis semen oriatur. Resistamus ergo, dilectissimi, huic tam pestifero malo, & charitatem, sine qua nulla virtus potest nitere, sectemur: vt per hanc, qua ad nos Christus descendit, dilectionis viam, etiam nos ad ipsum possimus ascendere, cui est cum Deo Patre & Spiritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Charitate & misericordia nihil contra diabolum efficacius.

2. Cor. 13.



SERMO PRIMVS.
De Pentecoste.

De virtute ac missione Spiritus sancti in linguis igneis, & de peccato in Spiritum sanctum.

CAP. I.

HODIERNAM solennitatem, dilectissimi, in præcipuis festis esse venerandam, omnium Catholicorum corda cognoscunt. Nec dubium est, quanta huic diei reuerentia debeatur, quem Spiritus sanctus excellentissimo sui muneris miraculo consecrauit. Nam ab illo die, quo Dominus super omnem cœlorum altitudinem ad dexteram Dei Patris consessurus ascendit, decimus iste est, qui ab eiusdem Resurrectione quinquagesimus nobis in eo, à quo cœpit, illuxit, magna mysteria in se continens & veterum sacramentorum & nouorum: quibus manifestissimè declaratur, & gratiam prænunciatam fuisse per legem, & legem impletam esse per gratiam. Sicut enim Hebræo quondam populo ab Ægyptiis liberato, quinquagesimo die post immolationem agni, lex data est in monte Sina: ita post passionem Christi, qua verus Dei agnus occisus est, quinquagesimo à resurrectione ipsius die, in Apostolos plebémque credentium, Spiritus sanctus illapsus est: vt facile diligens Christianus agnoscat initia veteris testamenti Euangelicis ministrasse principiis, & ab eodem Spiritu conditum fœdus secundum, à quo primum fuerat institutum. Nam sicut Apostolica testatur historia: *Dum complerentur dies Pentecostes, essentque omnes Discipuli pariter in eodem loco, factus est repentè de cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis: & repleuit totam domum vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui aliis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* O quàm velox est sermo sapientiæ, & vbi Deus magister est, quàm citò discitur, quod docetur. Non est adhibita interpretatio ad audiendum, non consuetudo ad vsum, non tempus ad studium, sed spirante vbi voluit, spiritu veritatis, propriæ singularum gentium voces, factæ sunt in Ecclesiæ ore communes. Ab hoc igitur die tuba Euangelicæ prædicationis introiuit, ab hoc die imbres charismatum, flumina benedictionum, omne desertum, & vniuersam aridam rigauerunt: quoniam ad renouandam faciem terræ spiritus Dei ferebatur super aquas, & ad veteres tenebras abigendas, nouæ lucis fulgura coruscabant, cum micantium splendore linguarum, & verbum Domini lucidum, & eloquium conciperetur ignitum, cui ad creandum intellectum consumendumque peccatum, & efficacia illuminandi, & vis inesset vrendi.

Exod. 19.

Act. 2.

Ioan. 3.

CAP. II.

Genes. 1.

CAP. III.

Quamuis autem, dilectissimi, valde fuerit ipsa rei gestæ forma mirabilis, nec dubium sit, in illo omnium humanarum vocum exultante * concentu maiestatem Spiritus S. fuisse præsentem: nemo tamen existimet in iis, quæ corporeis visa sunt oculis, diuinam eius apparuisse substantiam. Natura enim inuisibilis, & Patri Filióque communis, qualitatem muneris atque operis sui, qua voluit significatione monstrauit. Proprietatem verò essentiæ suæ in sua deitate continuit: quia sicut nec Patrem, nec Filium, ita nec Spiritum S. humanus potest visus attingere. In Trinitate enim diuina nihil dissimile, nihil impar est: & omnia quæ de illa possunt substantia cogitari, nec virtute, nec gloria, nec æternitate discreta sunt. Cúmque in personarum proprietatibus alius sit Pater, alius sit Filius, alius Spiritus sanctus: non tamen alia deitas, nec diuersa natura est. Siquidem cùm & de Patre sit Filius vnigenitus, & Spiritus S. Patris Filiique sit Spiritus, non sicut quæcunque creatura, quæ Patris & Filij est: sed sicut cum vtroque viuens & potens, & sempiternus, & ex eo quod est Pater Filiusque subsistens. Vnde cùm Dominus ante passionis suæ diem Discipulis suis sancti Spiritus spondere aduentum. *Adhuc*, inquit, *multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa modo portare. Cùm autem ille venerit Spiritus veritatis, ille diriget vos in omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur, & futura annunciabit vobis. Omnia quæ habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Non ergo alia sunt Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti: sed omnia quæcunque habet Pater, habet & Filius, habet & Spiritus S. nec vnquam in illa Trinitate defuit ista communio: quia hoc est ibi omnia habere, quod semper existere, nulla ibi tempora, nulli gradus, nullæ differentiæ cogitentur, & si nemo de Deo potest explicare quod est, nemo audeat affirmare quod non est. Excusabilius enim est de natura ineffabili non eloqui digna, quàm definire contraria. Quicquid itaque de sempiterna & incommutabili gloria Patris, pia possunt corda concipere, hoc simul & de Filio, & de Spiritu sancto, inseparabiliter atque indifferenter intelligant. Ideo enim hanc beatam Trinitatem, vnum confitemur Deum, quia in his tribus personis, nec substantiæ, nec potentiæ, nec voluntatis, nec operationis est vlla diuersitas. Sicut ergo detestamur Arrianos, qui inter Patrem & Filium aliquam volunt esse distantiam, ita etiam Macedonianos pariter detestamur: qui licet Patri & Filio tribuant æqualitatem, Spiritum tamen sanctum inferioris putant esse naturæ, non considerantes in eam blasphemiam se incidere, quæ neque in præsenti sæculo, neque in futuro sit remittenda iudicio, dicente Domino, *Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: Qui autē dixerit cōtra Spiritū sanctū, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Permanens itaque in hac impietate, sine venia est, quia exclusit eum à se, per quem poterat confiteri: nec vnquam peruenit ad indulgentiæ remedium, qui patrocinantem sibi non habet aduocatum.

* conuentu.

Ioan. 16.

In sancta Trinitate nulla diuersitas.

CAP. IV.

Arriani.

Macedoniani.

Matth. 12.

Peccatum in Spiritum S. cur sit irremissibile.

Ab ipſo enim eſt inuocatio patris, ab ipſo ſunt lachrymæ pœnitentium, ab ipſo ſunt gemitus ſupplicantium. Et nemo poteſt dicere Dominum Ieſum, niſi in Spiritu ſancto. Cuius æqualem cum Patre & Filio omnipotentiam vnamque deitatẽ euidentiſſimè prædicat Apoſtolus dicens: *Diuiſiones autem gratiarum ſunt idem autem ſpiritus. Et diuiſiones miniſtrationum ſunt idem autem Dominus. Et diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* His, dilectiſſimi, aliiſque documentis, quibus innumerabiliter diuinorum eloquiorum coruſcat authoritas: ad venerationem Pentecoſtes vnanimiter incitemur, exultantes in honorem ſancti Spiritus, per quẽ omnis Eccleſia Catholica ſanctificatur, omnis anima rationalis imbuitur. Qui inſpirator fidei, doctor ſcientiæ, fons dilectionis, ſignaculum caſtitatis, & totius eſt cauſa virtutis. Gaudeant fidelium mentes, quod in toto mundo vnus Deus, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, omnium linguarum confeſſione laudatur, quodque illa ſignificatio, quæ in ſpecie ignis apparuit, opere perſeuerat, & munere. Ipſe enim ſpiritus veritatis, facit domum gloriæ ſuæ luminis ſui nitore fulgere, & in templo ſuo, nec tenebroſum aliquid vult eſſe, nec tepidum; de qua ope, atque doctrina etiam ieiuniorum nobis, atque eleemoſynarum eſt collata purgatio. Nam hunc venerabilẽ diem ſequitur ſaluberrimæ obſeruantiæ conſuetudo, quam vtiliſſimam ſibi omnes Sancti ſemper experti ſunt, & ad quam ſedulò celebrandam, paſtorali vos ſollicitudine cohortamur: vt ſi quid macularum proximis diebus negligentia incauta contraxit, id & ieiunij cenſura caſtiget, & deuotio pietatis emendet. Quarta igitur & ſexta Feria ieiunemus. Sabbato autem in idipſum conſueta deuotione vigilias celebremus, Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

1. Cor. 12.

Ibidem.

Ieiunia è Spiritu ſancto manarunt.

SERMO II.

De Pentecoſte.

De myſterio Trinitatis, de miſſione Spiritus ſancti, & Manichæorum impietate.

CAP. I.

PLeniſſime quidem nobis, dilectiſſimi, cauſam atque rationem ſolennitatis hodiernæ diuinorum eloquiorum textus oſtendit, quo ſanctum Spiritum quinquageſimo poſt Domini reſurrectionem die, qui ab Aſcenſione eius eſt decimus, infuſum Chriſti Diſcipulis, ſicut promiſſus ſperabatur, agnouimus. Sed ad nouos Eccleſiæ filios inſtruendos addendum eſt etiam noſtri ſermonis obſequium. Non enim timemus, vt ſpiritales, & eruditi nota faſtidiant, ad quorum fructum pertinet, vt quàm plurimis inſinuari velint, quod ipſi cum magna ſui vtilitate didicerunt. Fiat ergo per corda omnium diſpenſatio munerum diuinorum, & ſeruitutem oris noſtri, docti indoctique non ſpernant. Illi vt probent ſe amare quod norunt: iſti vt oſtendant ſe deſiderare quod neſciunt. Huic enim præparationi noſtræ aderit ipſius largitas, de cuius loqui maieſtate geſtimus: vt ad profectum totius Eccleſiæ, & vos capaces, & nos faciat abundantes. Cùm igitur ad intelligendum dignitatem Spiritus ſancti aciem mentis intendimus, nihil diuerſum ab excellentia Patris & Filij cogitemus: quia in nullo ab vnitate ſua diſcrepat diuinitatis eſſentia. Sempiternum eſt Patri, conſempiterni ſibi Filij ſui eſſe genitorem: Sempiternum eſt Filio, intemporaliter eſſe à Patre progenitum. Sempiternum quoque eſt Spiritui ſancto, Spiritum eſſe Patris & Filij: vt nunquam Pater ſine Filio, nunquam Filius ſine Patre, nunquam Pater & Filius fuerint ſine Spiritu ſancto: & omnibus exiſtentiæ gradibus excluſis, nulla ibi perſona ſit anterior, nulla poſterior. Huius enim beatæ Trinitatis, & incommutabilis deitatis vna eſt ſubſtantia, indiuiſa, in opere, concors in voluntate, par in omnipotentia, æqualis in gloria. De qua cùm ſancta ſcriptura ſic loquitur, vt aut in factis, aut in verbis aliquid aſſignet, quod ſingulis videatur conueniſſe perſonis, non perturbatur fides Catholica, ſed docetur: vt per proprietatem autem aut vocis aut operis, inſinuetur nobis veritas Trinitatis, & non diuidat intellectus, quod diſtinguit auditus. Ob hoc enim quædam ſiue ſub Patris, ſiue ſub Filij, ſiue ſub Spiritus ſancti appellatione promuntur: vt confeſſio credentium in Trinitate non erret. Quæ cùm ſit inſeparabilis, nunquam intelligeretur eſſe Trinitas, ſi ſemper inſeparabiliter diceretur. Benè ergo ipſa difficultas loquendi cor noſtrum ad intelligentiam trahit, & per infirmitatem noſtram cæleſtis doctrina nos adiuuat: vt quia in deitate Patris, & Filij, & Spiritus S. nec ſingularitas eſt, nec diuerſitas cogitanda, vera vnitas & vera Trinitas poſſit quidem aliquatenus mente ſentiri, ſed non poſſit ſimul ore proferri. Fundata igitur, dilectiſſimi, in cordibus noſtris fide, qua ſalubriter credimus, quod ſimul tota Trinitas vna virtus eſt, vna maieſtas, vna ſubſtantia, indiſcreta opere, inſeparabilis dilectione, indifferens poteſtate, ſimul implens omnia, ſimul continens vniuerſa. Quod enim Pater eſt, hoc eſt & Filius, hoc eſt & Spiritus ſanctus, & vera Deitas, in nullo eſſe aut minor aut maior poteſt: quæ ſic in tribus confitenda eſt perſonis, vt & ſolitudinem non recipiat Trinitas, & vnitatem ſeruet æqualitas. Hac, inquam, dilectiſſimi, fide firmiter apprehenſa, non ambigamus, quòd cùm in die Pentecoſtes diſcipulos Domini Spiritus ſanctus impleuit, non fuit inchoatio muneris, ſed abiectio largitatis: quoniam & patriarchæ & prophetæ, & ſacerdotes, omnéſque ſancti, qui prioribus fuere temporibus, eiuſdem ſunt Spiritus ſancti ſanctificatione vegetati: & ſine hac gratia, nulla vnquam inſtituta ſacramenta, nulla ſunt celebrata myſteria: vt eadem ſemper fuerit virtus chariſmatum, quamuis non eadem fuerit menſura donorum. Ipſi quoque beati Apoſtoli ante paſſionem Domini ſancto Spiritu non carebant, nec potentia huius virtutis aberat ab operibus Saluatoris. Et cùm diſcipulis daret infirmitatum curationem, & eiiciendorum dæmonum poteſtatem, eius vtique ſpiritus largiebatur effectum, in quo ipſum immundis ſpiritibus imperantem Iudæorum negabat impietas, & diuina beneficia diabolo deputabat. Vnde taliter blaſphemantes meritò illam Domini excipere ſententiam, qua ait: *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus: Spiritus autem blaſphemia non remittetur hominibus.* Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Vnde manifeſtum eſt, peccatorum remiſſionem ſine Spiritus ſancti * aduocatione non fieri, nec quemquam ſine illo, ſicut expedit, ingemiſcere, aut ſicut oportet, orare, dicente Apoſtolo: *Quid enim oremus ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Et nemo poteſt dicere Dominum Ieſum, niſi in Spiritu ſancto:* quo vacuari nimis exitiabile eſt, nimiſque mortiferum, quia nunquam veniam meretur, qui ab interceſſore deſeritur. Omnes igitur, dilectiſſimi, qui in Dominum Ieſum crediderant, infuſum ſibi habebant Spiritum ſanctum, & remittendo

CAP. II.

Quid de Spiritu ſancto ſentiendum.

CAP. III.

Fides ſanctæ Trinitatis.

Spiritus ſanctus etiam ante Pentecoſten datus.

CAP. IV.

Lucæ 1.

Matth. 12.

* inuocatione.

Rom. 8.

1. Cor. 12.

CAP. V.

tendorum peccatorum iam tunc Apostoli acceperant potestatem, quando post resurrectionem suam Dominus insufflauit,& dixit: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retinebuntur.* Sed illi perfectioni, quæ erat Discipulis conferenda, maior gratia & abundantior inspiratio seruabatur: per quam & quæ nondum acceperant, sumerent, & excellentiùs possent habere, quæ sumpserant. Propter quod Dominus dicebat: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modò. Cùm autem venerit Spiritus veritatis, ille diriget vos in omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæ audierit, loquetur, & futura annunciabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.*

Ioan. 20.

Ioan. 16.

CAP. VI.

Quid ergo est, quod Dominus promittens Discipulis Spiritum sanctum, qui iam dixerat. *Omnia quæ audiui à patre meo, nota feci vobis: Adhuc,* inquit, *multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Quum autem venerit spiritus ille veritatis, ille vos diriget in omnem veritatem?* Nunquid sese Dominus inferioris scientiæ volebat intelligi, aut minus aliquid quàm Spiritum S. à Patre didicisse? cùm ipse sit Veritas, & nihil Pater dicere, nihil possit docere sine Verbo, ideoque dictum sit: *de meo accipiet,* quoniam quod accipit spiritus Patre dante, dat filius? Non itaque alia insinuanda erat veritas, nec alia prædicanda doctrina: sed oportebat capacitatem eorum qui docebantur, augeri, & multiplicari constantiam illius charitatis, quæ omnem formidinem foras mitteret, & furorem persequentium non timeret. Quod vtique Apostoli, posteaquam Spiritus sancti noua abundantia sunt repleti, ardentiùs velle & efficaciùs posse cœperunt, * proficientes à præceptorum scientia ad tolerantiam passionum: vt sub nulla iam tempestate trepidantes, fluctus sæculi & elationes mundi, fide supergrediente calcarent, & morte contempta, omnibus gentibus Euangelium veritatis inferrent. Quod verò addidit Dominus dicens: *Quæcumque audierit, loquetur, & futura annunciabit vobis,* non segni intellectu, dilectissimi, nec transitorio accipiamus auditu. Præter alias enim veritatis locutiones, quibus Manichæorum confutatur impietas, hac apertissimè sententia totum sacrilegæ falsitatis dogma prosternitur. Nam vt magnum quemdam atque sublimem viderentur sequi authorem, in magistro suo Manichæo apparuisse Spiritum sanctum crediderunt, promissumque à Domino Paracletum non prius venisse, quàm hic infelicium deceptor oriretur, in quo ita Spiritus S. manserit, vt non aliud fuerit Manichæus ipse, quàm spiritus, qui per ministerium corporeæ vocis & linguæ, discipulos suos in omnem induceret veritatem, & nunquam cognita præteritorum secreta sæculorum reseraret. Quod quam sit ridiculum quamque vanum, tæderet ostendere, nisi adhuc quosdam non puderet hoc credere. Manichæus ergo magister falsitatis diabolicæ, & conditor superstitionis obscœnæ, eo tempore damnandus innotuit, quo post resurrectionem Domini ducentesimus & sexagesimus annus impletus est, Probo Imperatore, Paulinóque Consule, cùm octaua, iam in Christianos persecutio ebulliret, & innumera Martyrum millia ipsis sui victoriis probauissent impletum esse quod Dominus promiserat, dicens: *Cùm autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* Non ergo potuit promissio Domini tanta per ætatum interualla differri, nec ille Spiritus veritatis, quem mundus non accepit

proficiscentes.

Manichæorum impietas.

Manichæus quo tempore extiterit.

Matth. 16.

impiorum, ita septiformem illam donorum suorum continuit largitatem, vt tot Ecclesiæ generationes, sapientia, & intellectu, consilio & fortitudine, scientia & pietate, atque ipso Dei timore fraudaret; donec prodigiosus turpium mendaciorum signifer nasceretur, cui nec hoc quidem tribui potest, quod vel exiguam diuinæ inspirationis acceperit portionem: quoniam & hic de illa mundi extitit parte, quæ non potest spiritum veritatis accipere. Repletus enim spiritu diaboli, Spiritui resistit Christi: & cùm sanctis Dei hoc Paracleti doctrina contulerit, vt futura prædicerent, hic ne falsitatis eius ipse rerum processus argueret, ridendarum impudentiam fabularum in præteritas retorsit ætates. Et quasi nos nihil de sempiternitate creatoris, nihil de ordine creaturæ in vniuersum mundum bene lex sancta & diuinitùs inspirata prophetia docuisset, in contumeliam Dei, & in omnium iniuriam naturarum, inexplicabilium mendaciorum monstra contexuit. Quibus tandem suas insinuaturus insanias, nisi multùm incestis & nimium à lumine veritatis auersis, qui siue per ignorantiæ cæcitatem, siue per turpitudinis appetitum, ad illa non sacra, sed execramenta peruenient? Quæ propter communem verecundiam non sunt nostro sermone promenda: cùm iam abundantissimè ipsorum sint confectione patefacta. Nulli ergo vestrum, dilectissimi, suadeatur, quod tantæ impietatis authorem Spiritus sanctus aliqua ex parte dignatus sit. Nihil ad istum prorsus de illa virtute peruenit, quam Ecclesiæ suæ Christus & promisit, & misit. Dicente enim Ioanne, *Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum fuerat clarificaturus.* Domini ascensio, dandi Spiritus fuit ratio, quem illi necesse est vt neget datum, qui ad consessum paternæ dexteræ verum in Christo hominem negat esse prouectum. Nos autem, dilectissimi ad beatam æternitatem & animæ & carnis per regenerationem sancti Spiritus adoptati, sacratissimi istius festi diem, rationabili obsequio, & casta lætitia celebremus, confitentes cum beato Paulo Apostolo, quòd Dominus Iesus Christus ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus: vt Euangelium Dei per omne humanæ vocis eloquium prædicetur, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Ad præsentem autem solennitatem etiam ista nobis est assumenda deuotio: vt ieiunium, quod ex Apostolica traditione subsequitur, sancta obseruantia celebremus, quia & hoc inter maxima sancti Spiritus dona numerandum est, quod nobis aduersum illecebras carnis & insidias diaboli, ieiuniorum sunt collata præsidia: quibus omnes tentationes Deo adiuuante vincamus. Quarta igitur & sexta feria ieiunemus, Sabbato autem apud beatum Petrum Apostolum vigilias celebremus, patrocinante eodem orationibus nostris: vt in omnibus misericordiam Dei obtinere mereamur, Per Dominum nostrum Iesum Christum viuentem & regnantem cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen.

Spiritus sancti dona septem.

CAP. VII.

Ioan. 7.

Psal. 67.
Ephes. 4.
Philip. 2.

CAP. VIII.

Ieiunium Apostolicæ est traditionis per Spiritum sanctum.

Sanctorum patrocinium.

SERMO III.

De Pentecoste.

Quod opera Trinitatis sint indiuisa, & de causa incarnationis, & æqualitate personarum.

CAP. I.

HOdiernam, dilectissimi, festiuitatem toto terrarum orbe venerabilem, ille sancti Spiritus consecrauit aduentus, qui post resurrectionem

Act. 2. Lucæ 24. Act. 1. Domini quinquagesimo die in Apostolos populá que credentium, sicut sperabatur, influxit. Sperabatur autem, quia illum Dominus Iesus promiserat adfuturum, non vt tunc primùm esse sanctorum habitator inciperet: sed vt sacrata sibi pectora, & feruentiùs accenderet, & copiosiùs inundaret: cumulans sua dona, non inchoans, nec ideo nouus opere, quia ditior largitate. Nunquam enim ab omnipotentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti est discreta maiestas: & quicquid in dispositione omnium rerum agit diuina moderatio, ex totius venit prouidentia Trinitatis. Vna est ibi benignitas misericordiæ, vna censura iustitiæ: nec aliquid est in actione diuisum, vbi nihil est in voluntate diuersum.

Diuina Trinitatis opera indiuisa.

CAP. II. Quæ ergo illuminat Pater, illuminat Filius, illuminat Spiritus sanctus. Cúmque alia sit persona missi, alia mittentis, alia promittentis, simul nobis & vnitas manifestatur & Trinitas: vt essentia habens æqualitatem, & non recipiens solitudinem, & eiusdem substantiæ, & non eiusdem intelligatur esse personæ. Quod ergo salua cooperatione inseparabilis Deitatis, quædam Pater, quædam Filius, quædam propriè Spiritus sanctus exequitur: nostræ dispositio redemptionis, nostræ salutis est ratio. Si enim homo ad imaginem & similitudinem Dei factus, in suæ honore naturæ mansisset, nec diaboli fraude deceptus, à lege sibi posita per concupiscentiam deuiasset, creator mundi creatura non fieret: neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo patri filius Deus, formam serui & similitudinem carnis peccati assumeret. Sed quia inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum, & aliter solui captiuitas humana non potuit, nisi causam nostram ipse susciperet, qui sine maiestatis suæ damno, & verus homo fieret, & solus peccati contagium non haberet: diuisit sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis: vt Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus sanctus igniret. Oportebat enim vt aliquid etiam saluandi pro se agerent, & conuersis ad Redemptorem cordibus, ab inimici dominatione desciscerent. Quoniam, sicut Apostolus ait, *Misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra clamantem Abba pater*. Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Et nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto.

Gal. 1.

Sapient. 2.

Galat. 4.

2. Cor. 3.

1. Cor. 11.

CAP. III. Si ergo duce gratia, dilectissimi, fideliter sapientérque noscamus, quid Patri, quid Filio, quid Spiritui sancto in reparatione nostra proprium quidve commune sit: ea quæ pro nobis humiliter & corporaliter gesta sunt, ita proculdubio suscipiemus, vt nihil indignum de vna atque eadem Trinitatis gloria sentiamus. Quamuis enim nulla mens ad cogitandum de Deo, nulla ad loquendum lingua sufficiat, tamen quantumcunque illud est, quod humano intellectu de essentia paternæ deitatis attingitur: nisi vnum atque idem est, cùm vel de vnigenito eius, vel de Spiritu sancto cogitatur, non piè sapitur, sed nimis carnaliter caligatur, & ipsum quod de Patre congruenter sentiri videbatur, amittitur: quia à tota Trinitate receditur, si in ea vnitas non tenetur.

CAP. IV. De S. Trinitate quid sit cogitandum.

Nulla autem ratione verè est vnum, quod aliqua est inæqualitate diuersum. Quum igitur ad confitendum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum aciem mentis intendimus: procul ab animo formas visibilium rerum & ætates temporalium naturarum, procul corpora locorum, & loca corporum repellamus. Discedat à corde, quod spatio extenditur, quod fine concluditur, & quicquid nec semper vbique, nec totum est. Cogitatio de deitate Trinitatis concepta, nihil per distantiam intelligat, nihil per gradus quærat. At si quid dignum de Deo senserit, nulli hoc ibi audeat negare personæ, tanquam honorificentiùs Patri adscribat, quod Filio Spirituique non tribuat. Non est pietas vnigenito præferre genitorem. Filij contumelia, patris est iniuria: quod vni demitur: vtrique detrahitur. Nam cùm illis & sempiternitas sit communis & deitas, nec omnipotens pater, nec incommutabilis æstimatur, si aut minorem se genuit, aut quem non habuit, habendo profecit.

CAP. V. Ioan. 14. Dicit quidem Dominus Iesus Discipulis suis, sicut Euangelica lectione recitatum est: *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia ad patrem vado, quia pater maior me est*. Sed hoc illæ aures, quæ sæpius audierunt, *Ego & pater vnum sumus*, &, *Qui me videt, videt & patrem*, sine deitatis accipiunt differentia, hoc nec de illa essentia intelligunt, quam sempiternam cum patre & eiusdē naturæ nouerunt esse firma ratione. Commendatur ergo etiam sanctis Apostolis incarnatione Verbi Dominici humana prouectio, & qui denunciato sibi Domini turbabantur abscessu, ad æterna gaudia honoris sui incitantur augmento. Si diligeretis me, inquit, gauderetis vtique, quia vado ad patrem, hoc est, si perfecta scientia videretis, quid vobis gloriæ confertur per hoc, quod ex Deo patre genitus, etiam ex homine matre sum natus, quod Dominus æternorum, vnus volui esse mortalium, quod visibilem me inuisibilis præbui, quod formam serui in forma Dei sempiternus accepi: gauderetis, quia vado ad patrem. Vobis enim præstatur hæc ascensio, & super omnes cœlos ad patris dexteram collocanda vestra in me humilitas eleuatur. Ego autem qui hoc sum cum patre, quod pater est, indiuiduus cum genitore permaneo, & sic ab illo, ad vos veniens, non recedo, quemadmodum & vos ad illum rediens, non relinquo. Gaudete ergo quia vado ad patrem, quia pater maior me est. Vniui enim vos mihi, & factus sum filius hominis: vt vos filij Dei esse possitis. Vnde licet vnus in vtroque sim, tamen quo vobis conformor, patre sum minor. Quod autem à Patre non diuidor, etiam meipso sum maior. Natura itaque quæ minor est patre, vadit ad patrem, vt ibi sit caro, vbi semper est Verbum: & vna Ecclesiæ Catholicæ fides, quem secundum humanitatem non diffitetur minorem, secundum deitatem credat æqualem.

Ioan. 10. Ioan. 14.

Ibidem.

CAP. VI. Contemnatur igitur, dilectissimi, vana & cæca versutia hæreticæ impietatis, quæ sibi huius *scientiæ sæna interpretatione blanditur, ac dicente Domino, *Omnia quæ habet pater, mea sunt*, non intelligit se patri demere, quicquid filio audet negare. Et ita in his, quæ humana sunt, desipit, vt putet quod ideo vnigenito paterna defuerint, quia nostra suscepit. Non minuit in Deo misericordia potestatem, nec delata reconciliatio creaturæ, sempiternæ defectus est gloriæ. Quæ habet Pater, habet Filius, & quæ habet Pater & Filius, habet & Spiritus sanctus: quia tota simul Trinitas est vnus Deus. Hanc autem fidem terrena sapientia non reperit, nec opinio humana persuasit, sed ipse vnigenitus Filius docuit, ipse Spiritus sanctus instituit, de quo nihil est aliter, quàm de Patre & Filio sentiendum. Quia licet non sit Pater, non sit Filius, non tamen est à Patre Filióque diuisus, & sicut propriam habet in Trinitate personam, ita vnam habet in Patris & Filij deitate substantiam, omnia implentem, omnia continentem, & cum Patre & Filio vniuersa moderantem, per infinita sæcula sæculorum, Amen.

*sententiæ.

Ioan. 15.

SERMO

SERMO PRIMVS.

De ieiunio Pentecostes.

De abstinentia ac carnis afflictione, & neminem in hac vita esse securum.

CAP. I. Odiernam, dilectissimi, festiuitatem descensione sancti Spiritus consecratam sequitur, vt nostris, solenne ieiunium, quod animis corporibúsque curandis salubriter institutum, deuota nobis est obseruantia celebrandum. Repletis namque Apostolis virtute promissa, & in corda eorum Spiritu veritatis ingresso, non ambigimus inter cætera cælestis sacramenta doctrinæ, hanc spiritalis, continentiæ disciplinam de Paracleti magisterio primitus fuisse conceptam: vt sanctificatæ ieiunio mentes conferendis sibi charismatibus fierent aptiores. Aderat quippe Christi discipulis protectio omnipotentis auxilij, & principibus nascentis Ecclesiæ tota Patris Filiique diuinitas, in præsentia sancti Spiritus præsidebat. Sed contra instantes impetus persequentium, contra minaces fremitus impiorum, non corporis fortitudine, nec carnis erat saturitate certandum: cùm hoc maximè hominis interiora corrumpat; quod exteriora delectat: & tanto fiat rationalis anima purgatior, quantò fuerit substantia carnis afflictior.

Ecclesiæ ieiunia auctore Spiritu sancto instituta.

CAP. II. Hi itaque doctores, qui exemplis & traditionibus suis omnes Ecclesiæ filios imbuerunt, tyrocinium militiæ Christianæ sanctis ieiuniis inchoarunt: vt contra spiritales nequitias pugnaturi, abstinentiæ arma raperent, quibus vitiorum incentiua truncarent. Inuisibiles enim aduersarij, & incorporales hostes non erunt cōtra nos validi: si nullis carnalibus desideriis fuerimus immersi. Cupiditas quidem nocendi in tentatore perpetua est, sed inermis atque inefficax erit, si nihil in nobis vnde contra nos pugnet, inuenerit. Quis autem hac fragili carne circundatus, & in isto mortis corpore constitutus, etiam qui multum validéque profecerit, ita iam de sua salute securus sit, vt ab omni se illecebrarum periculo credat alienum? Donet licet sanctis suis quotidianam gratia diuina victoriam: non aufert tamen dimicandi materiam. Quia & hoc ipsum de misericordia protegentis est, qui naturæ mutabili ne de confecto prælio superbiret, semper voluit superesse quod vinceret.

CAP. III. Ieiunia salubriter instituta. Igitur post sanctæ dies lætitiæ, quos in honorem Domini à mortuis resurgentis, ac deinde in cœlos ascendentis, exegimus, postque perceptum sancti Spiritus donum, salubriter & necessariè consuetudo est ordinata ieiunij: vt si quid fortè inter ipsa festiuitatum gaudia, negligens libertas & licentia inordinata presumpsit, hoc religiosæ abstinentiæ censura castiget. Quæ ob hoc quoque studiosius exequenda est, vt illa in nobis, quæ hac die Ecclesiæ diuinitus sunt collata, permaneant. Templum enim facti Spiritus sancti, & maiore quā vnquam copia diuini fluminis irrigati, nullis debemus concupiscentiis vinci, nullis vitiis possideri

CAP. IV. vt virtutis habitaculum nulla sit contaminatione pollutum. Quod vtique regente atque adiuuante Domino omnibus obtinere possibile est: si per ieiunij purificationem ac per misericordiæ largitatem studeamus & peccatorum sordibus liberari, & charitatis fructibus esse fœcundi. Quicquid enim in cibos pauperum, in curationes debilium, in pretia captiuorum, in quælibet opera pietatis impenditur, non minuitur, sed augetur: nec vnquam apud Deum perire poterit, quod fidelis benignitas erogarit, dum quodcunque tribuit ad subsidium, id sibi recondit ad præmium. Beati enim misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus: neque dilectorum memoria erit, vbi testimonium pietatis adfuerit. Quarta igitur & sexta Feria ieiunemus: Sabbato autem apud beatissimum Petrum Apostolum vigilias celebremus: cuius nos orationibus, & à spiritalibus inimicis & à corporeis hostibus confidimus liberari, Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen. Matth. 5. Orant sancti pro nobis.

SERMO II.

De ieiunio Pentecostes.

De ieiunio Christianorum, Iudæorum, hæreticorum, & paganorum.

Dubitandum non est, dilectissimi, omnem obseruantiam Christianam, eruditionis esse diuinæ, & quicquid ab Ecclesia in consuetudinem est deuotionis receptum, de traditione Apostolica, & de sancti Spiritus prodire doctrina: qui nunc quoque cordibus fidelium suis præsidet institutis, vt ea omnes & obedienter custodiant, & sapienter intelligant. Nam cùm in die Pentecostes, quem à Pascha Domini quinquagesimum celebramus, promissus à Domino Spiritus sanctus expectantium mentes maiori quàm vnquam copia & clariore præsentia suæ maiestatis impleuerit: manifestissimè patet inter cætera Dei munera, ieiuniorum quoque gratiam, quæ hodiernam festiuitatem indiuisa subsequitur, tunc fuisse donatam: vt sicut fuit concupiscentia initium peccatorum, ita sit continentia origo virtutum. CAP. I. Traditionis Apostolicæ authoritas. Ieiunia Deo authore instituta.

CAP. II. In exercendo autem hoc Dei munere, non ideo segniores esse debemus, quia & Iudæi & hæretici sæpè ab edendi libertate se continent, & apud ipsos paganos sunt quædam vana ieiunia. Aliud enim agit sub veritate ratio, aliud sub falsitate deceptio. Apud nos fides etiam sanctificat manducantem, apud illos infidelitas polluit ieiunantem. Vnde quia extra Ecclesiam Catholicam nihil est integrū, nihil castum, dicente Apostolo, *Omne quod non est ex fide, peccatum est*: cum diuisis ab vnitate corporis Christi, nulla similitudine comparamur, nulla communione miscemur, quod vtique nobis saluberrimum maximúmque ieiunium est. Ad virtutem enim continentiæ nihil prius pertinet, quàm ab erroribus abstinere: quia tunc demum bene ambulatur, cùm per viam veritatis inceditur. Nam quia angusta & ardua declinantes, procliuia & lata sectando, citò in perditionem deueniunt, melior est gradus lentior per iter rectum, quàm velocitas festina per deuium. Rom. 14.

CAP. III. Agnoscat ergo Catholicus Christianus sanctitatem ieiunij sui, quod etiam inter maximas largitates sterilissimum erit, nisi de sancti Spiritus rigatione processerit: Cùm enim dicat Apostolus, nullas sibi virtutes sine charitate prodesse, idémque dicat, charitatem Dei diffusam esse in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: cauendum est, ne bona quæ facere sine bonitate non possumus, elatione perdamus. Nam omni se meritò laude dispoliat, qui de studiis industriæ suæ in se magis quàm in Domino gloriatur: cùm beatus Dauid doceat in sanctorum operibus Deum esse laudandū, dicens, *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israël ipse dabit virtutem & fortitudinē plebi suæ.* Et iterū, 1. Cor. 13. Rom. 5. 1. Cor. 1. 1 Cor. 10. Hier. 9. Psal. 67. Psal. 88.

Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur, quoniã gloria virtutis eorum tu es. Et ideo, dilectissimi secundum eruditionem Spiritus sancti, per quem Ecclesiæ Dei omnium virtutum collata sunt dona, suscipiamus alacri fide solenne ieiunium, & in mandatis, quæ poterimus efficere, contineamus nos ab inflatione iactantiæ, ad Dei gloriam cuncta referentes, qui & bonarum est inspirator voluntatum, & bonarum est author actionum, dicente Domino: *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & magnificent patrem vestrum, qui in cœlis est.* Qui viuit & regnat, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

CAP. IV. Math. 5.

SERMO III.

De ieiunio Pentecostes.

De vtilitate ieiunij & eleemosynarum.

CAP. I. SAnctarum solennitatum, dilectissimi, ordine celebrato, & spiritalis lætitiæ deuotione completa, oportet nos ad salubritatem recurrere parcitatis, remediúmque ieiunij & exercendis mentibus & castigandis adhibere corporibus; vt quia nos satis de hoc & diuina monita & propria experimenta docuerunt, primùm per sacratissimorum dierum recursum diuinæ pietati gratias referamus: cùm sanctas continentiæ delicias apparentes, aliquantulum nobis de terrenorum ciborum abundantia subtrahamus, ita proficiat eleemosynis, quod non impenditur mensis. Tunc enim demum ad animæ curationem proficit medicina ieiunij: cùm abstinentia ieiunantis esuriem reficit indigentis. Quia ergo scimus apud misericordem Deum ieiuniis præcellere eleemosynæ largitatem, dicente ipso Domino, *Date eleemosynam, & omnia munda sunt nobis:* si animas nostras à peccatorum sordibus cupimus emundari, eleemosynam pauperibus non negemus, vt in die retributionis ad promerendam Dei misericordiam, misericordiæ operibus adiuuemur, Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Eleemosynæ præstant ieiunio.

Luc 11.

SERMO IV.

De ieiunio Pentecostes.

De laude abstinentiæ & carnis castigatione.

CAP. I. INter omnia, dilectissimi, Apostolicæ instituta doctrinæ, quæ ex diuinæ institutionis fonte manarunt, dubium non est, influente in Ecclesiæ principes Spiritu sancto, hanc primùm ab eis obseruantiam fuisse conceptam, vt sancti obseruatione ieiunij, omnium virtutum regulas inchoarent: quia multum ad præcepta Dei exequenda prodest, si Christiana militia contra incentiua omnia vitiorum, continentiæ se sanctificatione muniret. Cùm enim per illecebrã cibi irrepserit prima causa peccati: quo salubriore Dei munere vtitur redempta libertas, quam vt nouerit abstinere à concessis, quæ frænare se nesciuit à vetitis: Omnis quidem creatura Dei bona est, & nihil est abiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sed non ad hoc creati sumus, vt fœda & impudenti auiditate omnes mundi copias expetamus, tanquam quod licet sumi, non liceat prætermitti. Laudetur Deus, qui hominum vsui tam multa donauit: sed agnoscat rationalis animus maiores delicias menti datas esse, quàm carni. Et cùm audit sibi per Spiritum sanctum dici, *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere*, intelligat sibi contra omnia, quæ sensibus corporeis blandiuntur, temperantiæ sectandam esse virtutem, per quam dum exterioris hominis voluptas minuitur, sapientia interioris augetur. Non enim idem vigor cordis est sub onere cibi qui sub leuitate ieiunij, nec eundem sensum potest satietas generare, quem parcitas. Quia cùm caro concupiscens aduersus spiritum, spiritali cupiditate superatur: libera obtinetur sanitas, & sana libertas, vt & caro mentis iudicio, & mens Dei regatur auxilio. Ad hanc ergo vtilitatem nos, dilectissimi, præsens tempus inuitat, vt a resurrectione Domini vsque ad aduentum Spiritus sancti quinquaginta diebus emensis, quos in lætitia præcipuæ festiuitatis exegimus, ad ieiuniorum remedia recurramus: ne forte per occasionem licentiæ blandioris, aliquas negligentiæ culpas delectabiliũ vsus inciderit. Terra enim carnis nostræ, nisi assiduis fuerit subacta culturis, citò de segni otio spinas tribulósque producit, & partu degeneri dabit fructum non horreis inferẽdum, sed ignibus concremandum, dicente Domino: *Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur.* Custodienda igitur nobis omnium germinum seminúmque generositas, quam ex summi agricolæ plantione concepimus, & vigili sollicitudine prouidendum, ne Dei munera aliqua inuidentis inimici fraude violentur, & in paradiso virtutum concrescat sylua vitiorum. Ad declinandum autem hoc malum, nihil est potentius eleemosynis atque ieiuniis: dum & carnales cupiditates continẽtia necat, & desideriorum spiritalium fructus misericordiæ cura multiplicat. Vnde charitatem vestram solenniter admonemus, vt per castigationem corporis & per opera pietatis, mundari ab omniũ peccatorum sorde cupientes, quarta & sexta Feria ieiunemus: Sabbato autem apud beatissimum Petrum Apostolum vigilias celebremus: Cuius meritis & orationibus ita nos per omnia credimus adiuuandos, vt misericordia Dei & ieiuniis nostris adsit & votis, Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Ieiuniorum quànta vis.

1. Tim. 6.

CAP. II.

Eccl. 18.

Galat. 5.


CAP. III.

Caro nostra iugiter castiganda.

Matth. 5.

CAP. IV.

Sanctorum meritis & orationibus adiuuamur.



SERMO PRIMVS.

In natali Apostolorum Petri & Pauli.

De dignitate vrbis Romæ, quam consequuta est per Apostolos Petrum & Paulum, de imperio, superstitione & fide eiusdem, denique de Neronis furore ac persecutione.

CAP. I. OMnium quidem sanctarum solennitatum, dilectissimi, totus mundus est particeps, & vnius fidei pietas exigit, vt quicquid pro salute vniuersorum gestum recolitur, communibus vbique gaudiis celebretur. Veruntamen hodierna festiuitas præter illam reuerentiam, quam toto terrarum orbe promeruit, speciali & propria nostræ vrbis exultatione veneranda est: vt vbi præcipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, ibi in die martyrij eorum sit lætitiæ principatus. Isti enim sunt viri, per quos tibi Euangelium Christi Roma resplenduit, & quæ eras magistra erroris, facta es discipula veritatis. Isti sunt patres tui verique pastores, qui te regnis cœlestibus inserendam multò meliùs multóque felicius condiderunt, quàm illi quorum studio prima mœnium tuorum fundamenta locata sunt: ex quibus is, qui tibi nomen dedit, fraterna te cæde fœdauit: Isti sunt, qui te ad hanc gloriam pro

Romæ quid contulerint Petrus & Paulus.

1. Petr. 2. prouexerunt, vt gens ſancta, populus electus, ciuitas ſacerdotalis & regia, per ſacram beati Petri Sedem caput orbis effecta, latiùs præſideres religione diuina, quam dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victoriis, ius imperij tui terra marique protuleris: minus tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod pax Chriſtiana ſubiecit.

CAP. II. Deus namque bonus, & iuſtus, & omnipotens, qui miſericordiam ſuam humano generi nunquam negauit, omnéſque in communi mortales ad cognitionem ſui abundantiſſimis ſemper beneficiis erudiuit voluntariam errantium cæcitatem, & procliuem in deteriora nequitiam, ſecretiori conſilio & altiori pietate miſeratus eſt, mittendo Verbum ſuum æquale ſibi atque coæternum. Verbum igitur caro factum ita diuinam naturam naturæ vniuit humanæ: vt illius ad infima inclinatio, noſtra fieret ad ſumma prouectio. Vt autem huius inenarrabilis gratiæ per totum mundum diffunderetur effectus; Romanum regnum diuina prouidentia præparauit: cuius ad eos limites incrementa perducta ſunt, quibus cunctarum vndique gentium vicina & contigua eſſet vniuerſitas. Diſpoſito namque diuinitùs operi maximè congruebat, vt multa regna vno confedœrarentur imperio, & citò peruios haberet populos prædicatio generalis, quos vnius teneret regimen ciuitatis. Hæc autem ciuitas ignorans ſuæ prouectionis authorē, cum penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſeruiebat erroribus: & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem. Vnde quantum erat per diabolum tenaciùs illigata, tantum per Chriſtum eſt mirabiliùs abſoluta.

CAP. III. Actor. 2. Nam cùm duodecim Apoſtoli, accepta per Spiritum ſanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Euangelio mundum, diſtributis ſibi terrarum partibus, ſuſcepiſſent: beatiſſimus Petrus princeps Apoſtolici ordinis, ad arcem Romani deſtinatur imperij: vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutem, efficaciùs ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effunderet. *Romanorum ſuperſtitio.* Cuius autem nationis homines in hac tunc vrbe non eſſent? aut quæ vſquam gentes ignorarent, quod Roma didiciſſet? Hîc conculcandæ philoſophiæ opiniones, hic diluendæ erant terrenæ ſapientiæ vanitates hic confutandi dæmonum cultus, hic omnium * ſacrilegiorum impietas deſtruenda, vbi diligentiſſima ſuperſtitione habebatur collectum, quidquid vſquam fuerat vanis erroribus inſtitutum. *ſacrificiorum.*

CAP. IV. Ad hanc ergo vrbem tu beatiſſime Petre Apoſtole venire non metuis, & conſorte gloriæ tuæ Paulo Apoſtolo, aliarum adhuc Eccleſiarum ordinationibus occupato, ſyluam iſtam frementium beſtiarum, & turbulentiſſimæ profunditatis oceanum, conſtantior quàm cùm ſupra mare gradereris, ingrederis, Nec mundi dominam times Romam, qui in Caiphæ domo expaueras ſacerdotis ancillam. Matth. 14. Matth. 26. Nunquid aut iudicio Pilati, aut ſæuitia Iudæorum minor erat, vel in Claudio poteſtas, vel in Nerone crudelitas? Vincebat ergo materiam formidinis vis amoris: nec æſtimabas terrori cedendum, dum horum ſaluti conſulis, quos ſuſceperas *diligendos. *alendos.* Hunc autem intrepidæ charitatis affectum iam tunc profecto conceperas, quando profeſſio tui amoris in Dominum, trinæ interrogationis eſt ſolidata myſterio. Ioan. 21. Nec aliud ab hac mentis tuæ intentione quæſitum eſt quàm vt paſcendis eius quem diligeres ouibus, cibum quo ipſe eras opimatus, impenderes.

CAP. V. Act. 1. Augebant quoque fiduciam tuam tot ſigna miraculorum, tot dona chariſmatum atque experimenta virtutum, Iam populos, qui ex circunciſione crediderant, erudieras. Iam Antiochenam Eccleſiam, vbi primum Chriſtiani nominis dignitas eſt orta, fundaueras. Iam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, atque Bithyniam legibus Euangelicæ prædicationis impleueras: nec aut dubius de prouectu operis, aut de ſpatio tuæ ignarus ætatis, tropheum Crucis Chriſti Romanis arcibus inferebas, quò te diuinis præordinationibus anteibant, & honor poteſtatis, & gloria paſſionis.

CAP. VI. Act. 9. 1. Tim. 2. Ad quam beatus coapoſtolus tuus, vas electionis, & ſpecialis magiſter gentium Paulus occurrens, eodem tibi conſociatus eſt tempore, quoniam omnis innocentia, omnis pudor, omniſque libertas, ſub Neronis laborabat imperio. *Nero primus perſecutor Chriſtianorum.* Cuius furor, per omnium vitiorum inflammatus exceſſum, in hunc eum vſque torrentem ſuæ præcipitauit inſaniæ, vt primus nomini Chriſtiano atrocitatem generalis perſecutionis inferret, quaſi per ſanctorum neces gratia Dei poſſet extingui: cuius hoc ipſum erat maximum lucrum, vt contemptus vitæ huius occiduæ, perceptio fieret felicitatis æternæ. Pretioſa ergo in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Pſal. 115. Nec vllo crudelitatis genere deſtrui poteſt ſacramento Crucis Chriſti fundata religio. Non minuitur perſequutionibus Eccleſia, ſed augetur: & ſemper Dominicus ager ſegete ditiori veſtitur, dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur. Vnde duo iſta præclara diuini ſeminis germina, in quantam ſobolem germinarint, beatorum millia Martyrum proteſtantur: qui Apoſtolicorum æmuli triumphorum, vrbem noſtram purpuratis & longè latéque rutilantibus populis ambierunt, quaſi ex multarum honore gemmarum conſerto vno diademate coronarunt.

CAP. VII. De quorum præſidio, dilectiſſimi, diuinitùs nobis ad exemplum patientiæ & confirmationem fidei præparato, vniuerſaliter quidem in omnium ſanctorum commemoratione lætandum eſt, ſed in horum excellentia patrum merito eſt * excellentiùs gloriandum, *exultantius.* quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Eccleſiæ membra prouexit: vt eos in corpore, cui caput eſt Chriſtus, quaſi geminum conſtituerit lumen oculorum. Epheſ. 1. De quorum meritis atque virtutibus, quæ omnem loquendi ſuperant facultatem, nihil diuerſum, nihil debemus ſentire diſcretum: quia illos & electio pares, & labor ſimiles, & finis fecit æquales. Sicut autē & nos experti ſimus, & noſtri probauere maiores, credimus atque confidimus, inter omnes labores iſtius vitæ, ad obtinendam miſericordiam Dei, ſemper nos ſpecialium patronorum orationibus adiuuandos: vt quantùm propriis peccatis deprimimur, tantùm Apoſtolicis meritis erigamur. *Interceſſio ſanctorum.* Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cui eſt cum Patre, & ſancto Spiritu eadem poteſtas, vna diuinitas in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO II.

In natali Apoſtolorum Petri & Pauli.

De Petri fide ac confeſsione, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia.

CAP. I. Exultemus in Domino, dilectiſſimi, & ſpiritali iucunditate lætemur: quia vnigenitus Dei patris filius, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ad inſinuanda nobis ſuæ diſpenſationis & diuinitatis myſteria, Apoſtolici ordinis primum beatum Petrum huic ciuitati dignatus eſt prærogare, *Petrus, Apoſtolorum primus.* cuius hodierna ſolennitas, recurrente triumpho martyrij, ſpecimen & decus contulit orbi terrarum. Hoc enim obtinuit, dilectiſſimi, illa confuſio, quæ à Deo patre inſpi

inſpirata, Apoſtolico cordi omnium humanarum opinionum incerta tranſcendit,& firmitatem petræ, quæ nullis impulſionibus quateretur, accepit: Euangelica ſiquidem referente hiſtoria, omnes Apoſtolos Dominus quid de ſe homines opinentur, interrogat. Et tamdiu ſermo reſpondentium communis eſt, quandiu humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur. At vbi quid habeat diſcipulorum ſenſus, exigitur, ille primus eſt in Domini confeſſione, qui primus eſt in Apoſtolica dignitate. Qui cum dixiſſet, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, reſpondit ei Ieſus, *Beatus es Simon, Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt.* Ideo beatus es, quia pater meus te docuit, nec opinio te terrena fefellit, ſed inſpiratio cæleſtis inſtruxit: & nõ caro & ſanguis, ſed ille me tibi, cuius ſum vnigenitus, indicauit. Et ego, inquit, dico tibi, hoc eſt, ſicut pater meus tibi manifeſtauit diuinitatem meam, ita ego notam tibi facio excellentiam tuam. Quia tu es Petrus, id eſt, cùm ego ſim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris, vt quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia. Supra hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum, & Eccleſiæ meæ cœlo inſerenda ſublimitas, in huius fidei firmitate conſurget. Hanc confeſſionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt. Vox enim iſta, vox vitæ eſt, & ſicut confeſſores ſuos in cœleſtia prouehit, ita negatores ad inferna demergit. Propter quod dicitur beato Petro Apoſtolo: *Tibi dabo claues regni cœlorum. Et quæcumque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis. Et quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis.* Tranſiuit quidem in Apoſtolos alios vis iſtius poteſtatis, ſed non fruſtra vni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ſingulariter hoc creditur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus Petri forma proponitur. Manet ergo Petri priuilegium, vbicumque ex ipſius fertur æquitate iudicium, nec nimia eſt vel ſeueritas, vel remiſſio, vbi nihil erit ligatum, nihil ſolutum, niſi quod Petrus aut ligauerit, aut ſoluerit. Inſtante autem paſſione ſua Dominus, quæ diſcipulorum ſuorum erat turbatura conſtantiam: *Simon*, inquit, *Simon, ecce Satanas expoſtulauit, vt vos cribaret ſicut triticum: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos, ne intrent in tentationem.* Commune erat omnibus Apoſtolis periculum de tentatione formidinis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen ſpecialis à Domino Petri cura ſuſcipitur, & pro petri fide propriè ſupplicatur: tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens principis victa non fuerit. In petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur. Nam & poſt reſurrectionem ſuam Dominus beato Petro Apoſtolo poſt regni claues, ad trinam æterni amoris profeſſionem, myſtica inſinuatione ter dixit, *Paſce oues meas*: quod & nunc procul dubio facit, & mandatum Domini pius paſtor exequitur, confirmans nos exhortationibus, & pro nobis orare non ceſſans, vt nulla tentatione ſuperemur. Si autem hanc pietatis ſuæ curam populo Dei, ſicut credendum eſt, vbique protendit: quantò magis alumnis ſuis opem ſuam dignatur impendere, apud quos in ſacro dormitionis thoro, eadem qua præſedit carne requieſcit? Cùm itaque, dilectiſſimi, tantum nobis videamus præſidium diuinitùs inſtitutum, rationabiliter & iuſtè in ducis noſtri meritis & dignitate lætamur: gratias agentes ſempiterno Regi & Redemptori noſtro Ieſu Chriſto, quod tantam potentiam dedit ei, quem totius Eccleſiæ Principem fecit: ad gloriam & laudem nominis ſui, Qui cum Deo Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Matth. 16.
Petri confeſſio.
Ephes. 2.
CAP. II. Petrus petra, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia.
Petri priuilegium.
CAP. III.
Lucæ 22.
Ioan. 21.
Petrus vt etiam nunc paſcat Eccleſiam
Petrus totius Eccleſiæ princeps.

SERMO IN OCTAVA.

Apoſtolorum Petri & Pauli.

De ingratitudinis vitio, ac decem leproſis.

CAP. I.

Religioſam deuotionem, dilectiſſimi, qua ob diem caſtigationis & liberationis noſtræ, cunctus fidelium populus ad agendas Deo gratias confluebat, benè ab omnibus proximè fuiſſe neglectam, ipſa paucorum, qui adfuere, raritas demonſtrauit: & cordi meo multum triſtitiæ intulit, & plurimum timoris incuſſit. Magnum enim periculum eſt, eſſe homines ingratos Deo: & per obliuionem beneficiorum eius, nec de correptione compungi, nec de remiſſione lætari. Vereor igitur, dilectiſſimi, ne vox illa prophetica tales increpaſſe, videatur, quæ dicit: *Flagellaſti eos, & non doluerunt, caſtigaſti eos, & noluerunt accipere diſciplinam.* Quæ enim in eis correctio oſtenditur, in quibus tanta auerſio reperitur? Pudet dicere, ſed neceſſe eſt non tacere: plus impenditur dæmoniis, quàm Apoſtolis, & maiorem obtinent inſana ſpectacula frequentiam, quàm beata martyria. Quis hanc vrbem reformauit ſaluti? quis à captiuitate eruit? quis à cæde defendit? ludus Circenſium, an cura Sanctorum? quorum vtique precibus diuinæ cenſuræ flexa ſententia eſt, vt qui merebamur iram, ſeruaremur ad veniam. Tangat, obſecro, dilectiſſimi, cor veſtrum illa ſententia Saluatoris, qui cùm decem leproſos miſericordiæ virtute mundaſſet, vnum tantùm dixit ex eis ad agendas gratias reuertiſſe: ſignificans videlicet de ingratis, quòd huic pietatis officio, etiamſi corporis aſſequuti ſunt ſanitatem, non tamen ſine animi impietate defuerunt. Ne ergo iſta ingratorum nota etiam vobis, dilectiſſimi, poſſit adſcribi, reuertimini ad Dominum, intelligentes mirabilia, quæ in nobis dignatus eſt operari, & liberationem noſtram, non ſicut opinantur impij, ſtellarum effectibus, ſed ineffabili omnipotentis Dei miſericordiæ deputantes, qui corda furentium Barbarorum mitigare dignatus eſt. Ad tanti vos beneficij memoriam toto fidei vigore conferre. Grauis negligentia maiore ſatisfactione curanda eſt. Ad emendationem noſtram vtamur lenitate parcentis: vt beatus Petrus, & omnes Sancti, qui nobis in multis tribulationibus adfuerunt, obſecrationes noſtras pro vobis apud miſericordem Deum iuuare dignentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Ingratitudo quàm pernicioſa.
Hierem. 5.
CAP. II.
Luc 17.
Sanctorum auxilia.
Nota.

SERMO

SERMO IN NATIVITATE Sanctorum septem fratrum Martyrum Machabæorum.

De Machabæorum festo ac martyrio, & continuo Christianorum conflictu.

CAP. I. RATIAS, dilectissimi, agamus Domino Deo nostro, quòd quanta sit huius diei solennitas, etiamsi ego taceam, conuentus vester ostendit. Tam enim conspiranti studio & deuoto animo conuenistis; vt festiuitatis magnificentiam, etsi sermo non indicet, congregatio tamen ipsa testetur. Et rectè. Duplex enim causa lætitiæ est: in qua & Natalem Ecclesiæ colimus, & martyrum passione gaudemus. (Festiuitas Dedicationis Ecclesiæ & Martyrum.) Nec immeritò dignè Ecclesia horum exultat martyrio, quorum ornatur exemplo. Causam ergo solennitatis hodiernæ, dilectissimi, plenissimè sacræ historiæ lectione didicistis, nec latere vos potuit, quē in tanto rerum gestarū ordine exceperitis auditum, cùm gloriosam septem Martyrum matrem exultanti & non tacito honoraretis affectu in singulis quidem filiis passam, sed in omnibus coronatam. Subsecuta est enim felici exitu, quos inuicto præmisit hortatu Beata genitrix, beata progenies, memorabilis præcedentium fortitudo. Nam cùm in illo ordine mortium, & in il a dispositione pœnarum, id sæuissimi regis excogitasset impietas, vt victoriam sibi & de primis promitteret, quos sine tolerantiæ cruciaret exemplo, & de postremis, quos in supplicio torqueret alieno: multiplicatæ sunt Martyrum palmæ, & dum singuli in omnibus vincunt præter coronas proprias, omnes acquisiuere septenas. Sed hæc ad fructuosam recolenda sunt aurium voluptatem. (CAP. II.) Inflat scientia, nisi ædificet obedientia: grauant audita, nisi suscipiantur imitanda. (1. Cor. 8.) Nec enim quia cessauit persecutor & tortor, quia iam Deo militant potestates, desunt Christianis, quas superent, passiones. *Fili, inquit, accedens ad seruitutē Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* (Eccles. 2.) Et Apostolus dicit, *Quicunque in Christo piè volunt viuere, persecutionem patiuntur propter iustitiam.* (2. Tim. 3.) Qui ergo putas quieuisse persecutionem, & nullum tibi cum hostibus esse conflictum, intimum cordis tui scrutare secretum, & omnes recursus animæ tuæ diligens explorator ingredere: & vide si nulla te impugnat aduersitas, si nullus tyrannus vult in mentis tuæ arce dominari. (Conflictus Christianorum.) Noli cum auaritia pacem firmare, & iniquorum quæstuum incrementa contemne. Superbiæ concordiam nega, & magis time in gloriam suscipi, quàm in humilitate calcari. Dissociare ab ira, nec dolorem inflammet inuidiæ, cupido vindictæ. Renuncia voluptati, auertere ab immunditia, pelle luxuriam, fuge iniquitatem, omitte falsitatem: & cùm videris te multiplicem habere pugnam, tu quoque imitator Martyrum, numerosam quære victoriam. Toties enim peccatis morimur, quoties in nobis peccata moriuntur, & pretiosa in conspectu Domini etiam ista mors sanctorum eius, (Psal. 115.) vbi homo occiditur mundo, non terminatione sensuum, sed fine vitiorum. (CAP. III. 2. Cor. 6.) Si ergo, charissimi, non ducitis cum infidelibus iugum, si peccatores esse desistitis, & nullis carnalium cupiditatum tentationibus creditis: solennem hanc diem celebratis, & non solùm Martyres ac Martyrum matrem, sed etiam illius memoriam iusto honore veneramini, qui hoc die antiquam festiuitatem huius loci consecratione geminauit. Magnificus quidem structor parietum, sed magnificentior ædificator animarum, vltra æui sui terminos opera pietatis extendens, vt vtilitatibus institutionum eius etiam in ipso frueretur deuota posteritas, & habitando quod condidit, & faciendo quod docuit. Omnia ergo, dilectissimi, quæ oculis cernitis, & mente meministis ad profectum vestræ ædificationis assumite: (CAP. IV.) & ita vnusquisque vestrum præparato à maioribus vtatur habitaculo, vt in se ipso meminerit templum Dei esse fundatum. Nihil structuræ suæ prauum, nihil supponat infirmum, *sed viui & electis lapidibus congruendo, (*sed vnus ex electis.*) per indissolubilem connexionem crescat in Dominici corporis vnitatem, Auxiliante Domino nostro Iesu Christo, Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO IN FESTIVITATE S. Laurentij Martyris.

De laude atque exemplo Martyrum, & D. Laurentij passione ac triumpho.

VM omnium, dilectissimi, summa virtutum, & totius plenitudo iustitiæ, de illo amore nascatur, quo Deus proximúsque diligitur, (CAP. I.) in nullis profectò hic amor sublimiùs excellere, clariúsque fulgere, quàm in beatissimis Martyribus inuenitur: qui Domino nostro Iesu Christo pro omnibus hominibus mortuo, tam propinqui sunt imitatione charitatis, quam similitudine passionis. Quamuis enim illi dilectioni, (Rom. 5.) qua Dominus nos redemit, nulla cuiusquam benignitas possit æquari, quia aliud est pro iusto mori hominem sua necessitate moriturum, aliud pro impiis occumbere à debito mortis alienum: multùm tamen vniuersis hominibus etiam Martyres contulerunt, quorum fortitudine ita eius largitor vsus est Dominus, vt pœnam mortis & atrocitatem crucis, nulli suorum vellet esse terribilem, sed multis faceret imitabilem. Si ergo nullus bonus, sibi soli est bonus, nec cuiusquam sapientis, sibi tantum sapientia est amica, & hæc verarum natura virtutum est, vt multos a tenebroso abducat errore, qui earum clarus est lumine, ad erudiendum Dei populum, nullorum est vtilior forma quàm Martyrum eloquentia. Facilis ad exhortandum fit ratio, efficax ad suadendum, validiora tamen sunt exempla quàm verba, & plenius est opere docere, quàm voce. (CAP. II.) In quo excellentissimo genere doctrinæ beatus Martyr Laurentius, (D. Laurentij Martyris excellentia.) cuius passione dies hodiernus illustris est, quàm gloriosa polleat dignitate, etiam persecutores ipsius sentire potuerunt, cùm illa mirabilis animi fortitudo, de Christi principaliter amore concepta, non solùm ipsa non cederet, sed etiam alios exemplo suæ tolerantiæ roboraret. Cùm enim furor gentilium potestatum in electissima quæque Christi membra sæuiret, ac præcipuè eos, qui ordinis erant sacerdotalis, impeteret, in Leuitam Laurentium, qui non solùm * ministerio (*in mysterio.*) sacramentorum, sed etiam dispensatione Ecclesiasticæ substantiæ præeminebat, impius persecutor efferbuit, duplicem sibi prædam de vnius viri comprehensione promittens: quem si fecisset sacræ pecuniæ traditorem, faceret etiam veræ religionis exortem. Armatur itaque gemina face homo pecuniæ cupidus, & veritatis inimicus: auaritia, vt rapiat aurum, impietate, vt auferat Christum. Postulat sibi ab immaculato sacrarij Præsule opes Ecclesiasticas,

siasticas, quibus auidissimus inhiabat inferri. Cui Leuita castissimus, vbi eas repositas haberet, ostendens, numerosissimos sanctorum pauperum obtulit greges; in quorum victu atque vestitu inamissibiles condiderat facultates, quæ tantò integriùs erant saluæ, quantò sanctiùs probabantur expensæ. Fremit ergo prædo frustratus, & in odium religionis, quæ talem diuitiarum vsum instituisset, ardescens, direptione thesauri potioris aggreditur, apud quem nullam donariorum substantiam reperisset: vt illud depositum, quo sacratiùs erat diues, auferret Renunciare Christo Laurentium iubet, & solidissimam illam leuitici animi fortitudinem diris parat vrgere suppliciis. Quorum vbi prima nil obtinent, vehementiora succedunt. Laceros artus, & multa verberum sectione conscissos, subiecto præcipit igne torreri: vt per cratem ferream, quæ iam de feruore continuo vim in se haberet vtendi, conuersorum alterna mutatione membrorum, fieret cruciatus vehementior, & pœna productior. Nihil obtines, nihil proficis sæua crudelitas. Subtrahitur *tormentis tuis materia mortalis, & Laurentio in cœlos abeunte, tu deficis flammis tuis. Superari * charitas Christi flamma non potuit: & segnior fuit ignis qui foris vssit, quam qui intus accendit. Sæuisti persecutor in Martyrem, sæuisti & auxisti palmam, dum aggeras pœnam. Nam quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem transierunt triumphi, etiam instrumenta supplicij. Gaudeamus igitur, dilectissimi, gaudio spiritali, & de felicissimo inclyti viri fine gloriemur in Domino, qui est mirabilis in sanctis suis, in quibus nobis & præsidium constituit & exemplum: atque ita per vniuersum mundum clarificauit gloriam suam, vt à solis ortu vsque ad occasum, leuiticorum luminum coruscante fulgore, quàm clarificata est Hierosolyma Stephano, tam illustris fieret Roma Laurentio. Cuius oratione & patrocinio adiuuari nos sine cessatione confidimus: vt quia omnes, sicut Apostolus ait, quicunque volunt in Christo piè viuere, persecutionem patiuntur, corroboremur spiritu charitatis, & ad superandas omnes tentationes, constantis fidei perseuerantia muniamur, Per Dominum nostrum Iesum Christum, viuentem & regnantem cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen.

[Margin: CAP. III. — CAP. IV. — *inuentis. — *charitatis. — Psal. 67. — Sanctorum præsidiū & exemplum. — Sanctorum orationes & patrocinia. — 1.Tim.3.]

SERMO PRIMVS.

De ieiunio septimi mensis.

De laude abstinentiæ & eleemosynarum.



OBSERVANTIAM quidem vestram, dilectissimi, ita nouimus esse deuotam, vt animas vestras non solùm legitimis, sed etiam voluntariis ieiuniis excolatis. Veruntamen adiicienda est huic studio etiam nostræ admonitionis exhortatio, vt si qui sunt in hoc exercitio tardiores: in his saltem diebus communi abstinentiæ se obedienter adiungant, in quibus nos oportet sacratissimam consuetudinem attentiùs celebrare, vt per humilitatem ieiunij, contra omnes hostes nostros, diuinum mereamur auxilium. Res enim est præcipui operis, quam & ex authoritate indicimus, & ex charitate suademus: vt paululum edendi libertate compressa, castigationi corporum, & pauperum studeamus alimoniæ, quos qui reficit, animam suam pascit, & temporales epulas in delicias mutat æternitas. In locum igitur malarum cupiditatum, sanctorum desideriorum incrementa succedant. Cesset iniquitas, sed non sit otiosa iustitia. Quem nullus patitur opprimentem sentiat aliquis adiuuantem. Parum est enim non auferre aliena, nisi largiaris & propria. Sub oculis iusti iudicis sumus: qui nouit quantam vnicuique bene operandi dederit facultatem: non vult otiosa esse munera sua, qui seruis suis sic mensuras mysticorum distribuit talentorum, vt creditum qui liberaliter erogasset, augeret, qui steriliter seruasset, amitteret. Et ideo, dilectissimi, quia septimi mensis ieiunium celebrare nos conuenit, sanctitatem vestram monemus, vt quarta & sexta Feria ieiunemus: Sabbato verò apud beatum Petrum Apostolum pariter vigilemus, cuius suffragantibus meritis ab omnibus tribulationibus mereamur absolui, Per Christum Dominum nostrum, Amen.

[Margin: ...unij vis & præstantia. — Matth. 25. Lucæ 19. — Ieiunium septimi mensis.]

SERMO II.

De ieiunio septimi mensis.

De fortitudine, continentia, & operibus pietatis, carnalibúsque desideriis comprimendis.

DEus humani generis Conditor & Redemptor, qui nos ad promissiones vitæ æternæ per semitas vult ambulare iustitiæ, de futura tentatione, quæ nobis in itinere virtutum insidiosis aduersaretur occursibus, multis nos præsidiis, dilectissimi, in quibus laqueos diaboli obtereremus, instruxit: inter quæ hoc famulis suis saluberrimum contulit, vt contra omnes inimici dolos fortitudine se continentiæ & operibus pietatis armarent. Ille enim, qui ab initio primis hominibus interdicti cibi inseruit appetitum, & malè crudelis per illecebram edendi, omnium concupiscentiarum virus infudit, easdem fraudes retractare non desinit, & in natura, quam scit suis seminibus esse vitiatam & corruptam, sationis suæ germen inquirit, vt ad labefactanda studia virtutis desiderium voluptatis accendat. Quoniam pœna ipsius, est prouectio Christiana: nec potest eorum animos aliquo modo lædere, qui nouerunt auxiliante Domino in sua carne regnare. Rationabili ergo moderatione, sanctóque proposito, frænandæ sunt rebelles cupiditates, nec sinendum est vt castis & spiritalibus desideriis, corporales concupiscentiæ reluctentur. Agnoscat interior homo, exterioris sui se esse rectorem, vt mens diuino gubernata dominatu, terrenam substantiam in bonæ voluntatis cogat obsequium. Nec enim deest nobis ad hunc ordinem obseruandum, misericordissimi regis auxilium, qui nos saluberrimæ obseruantiæ ratione informauit, præfiniens nobis per temporum recursus quosdam ieiuniorum dies, in quibus castigatione corporum virtus roboraretur animorum. Huius autem remedij munus dilectissimi, etiam in isto, qui septimus est, mense depositum est, quod nos prompta conuenit alacritate suscipere, vt præter abstinentiam qua quisque se peculiariter atque priuatim, secundum modum suæ possibilitatis exercet, hæc ipsa, quæ omnibus simul indicitur, animosiùs celebretur. Nam in agone certaminis Christiani, vtilitas continentiæ plurimum valet, ita vt quidam sæuissimorum spiritus dæmonum, qui ab obsessis corporibus nullis exorcizantium fugantur imperiis, sola ieiuniorum & orationum virtute pellantur, dicente Domino: *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi in ieiunio & oratione.* Grata ergo est Deo, & terribilis diabolo ieiunantis oratio: nec latet, quantum acquirat saluti suæ, quæ tantum præstat alienæ

[Margin: CAP. I. — CAP. II. — Ieiunij vtilitas. — Matth. 17. Marc. 9.]

CAP. III alienæ. In hac sanè obseruantia, dilectissimi, quamuis omnes nos vnanimiter oporteat esse deuotos: si qui tamen sunt, quorum voluntati aliqua obsistat infirmitas, laborem qui supra vires est corporum, redimant impendiis facultatum. Multa enim sunt opera pietatis, qui ipsam edendi necessitatem merito ampliore commendent, si ieiunantium purificatione studio benignitatis acquirunt. Nam cùm ij, qui nihil omittunt de humiliatione ieiunij, sub sterili fatigatione desudent, nisi se eleemosynarum, qua possunt erogatione sanctificent: dignum est, vt in alimoniam pauperum abundantior sit eorum largitio, quorum ad abstinendum minor est fortitudo. Quod ergo quis in sua sibi infirmitate non denegat, alienæ inopiæ libenter impendat: & propriam necessitatem faciat sibi cum indigente communem. Non culpatur infirmus ieiunium soluens, à quo cibum accipit pauper esuriens: nec escam sumendo polluitur, qui eleemosynam impertiendo mundatur, dicente Domino: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* In quo opere, dilectissimi, etiam ij, qui ab epularum delectatione se continent, fructus sibi debent misericordiæ comparare, vt qui abundantiùs seminauerint, copiosiùs metant. Non enim vnquam agricolæ suo seges ista mentitur, aut incertam spem habet operis, cultura pietatis. Quicquid hoc modo serentis manu spargitur, non æstus vrit, non torrens trahit non grando prosternit. Incolumes semper sunt omnes pietatis expensæ. nec solùm integræ manent, sed etiam modo augentur, & qualitate mutantur. De terrenis cœlestia prodeunt, de paruis magna gignuntur, & temporale donum in præmium transit æternum. Quisquis igitur diuitias amas, quisquis multiplicari quæ possides, concupiscis, in hæc lucra accendere, in hæc rerum tuarum augmenta suspira: de quibus nihil fur abripit, nihil tinea corrumpit, nihil rubigo consumit. Noli desperare de fœnore, noli de accipiente diffidere. *Quod vni horum fecistis, mihi fecistis,* quis dicat, intellige, & apud quem opes tuas colloces, perspicaciùs fidei oculis securus agnosce. Non dubitet de receptione, cui Christus debitor est. Non sit anxia liberalitas, nec triste ieiunium. Hilarem enim datorem diligit Deus: qui fidelis est in verbis suis, & abundanter largita retribuit, quæ benignè largienda donauit.

Lucæ 11. CAP. IV. Eleemosynarum cōmendario. 2. Cor. 9. Matth. 6. Matth. 2. 1. Cor. 9.

SERMO III.

De ieiunio septimi mensis.

De necessitate ieiunij, de publica ac priuata lege ieiunij, orationisque atque eleemosynæ.

CAP. I. Ieiuniorum quanta vis. AD exorandam, dilectissimi, misericordiam Dei, & ad renouandum statum fragilitatis humanæ, quantùm valeant religiosa ieiunia, sanctorum Prophetarum prædicatione cognoscimus, qui diuinæ iustitiæ commotionem, quam frequenter populus Israël merito iniquitatis inciderat, non nisi ieiunio protestantur posse placari. Vnde & Ioël Propheta admonet dicens: *Hæc dicit Dominus noster, Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & in planctu, & disrumpite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum: quia misericors est, & patiens, & magnanimus & multum misericors.* Et iterum: *Sanctificate ieiunium, prædicate curationem, congregate plebē, sanctificate Ecclesiam.* Quæ cohortatio, dilectissimi,

Ioël. 2. Ibidem.

nostris quoque est amplectenda temporibus, quia huius curationis remedia, etiam à nobis, sunt necessariò prædicanda: vt in obseruantia sanctificationis antiquæ, quod perdidit Iudaica præuaricatio, acquirat Christiana deuotio. Diuinarum namque reuerentia sanctionum, inter quælibet spontaneæ obseruantiæ studia, habet semper priuilegium suum: vt sacratius sit quod publica lege celebratur, quàm quod priuata institutione dependitur. Exercitatio enim continentiæ, quam sibi quisque proprio arbitrio indicit, ad vtilitatem cuiusdam pertinet portionis: Ieiunium vero quod vniuersa Ecclesia suscipit, neminem à generali purificatione seiungit: & tunc fit potentissimus Dei populus, quando in vnitatem sanctæ obedientiæ omnium fidelium corda conueniunt, & in castris militiæ Christianæ, similis ex omni parte præparatio, & eadem est vbique munitio. Fremat licèt cruenti hostis peruigil furor, & latebrosas vndique prætendat insidias: neminem tamen capere, neminem poterit vulnerare: si nullum inermem, nullum desidem, nullum inuenerit ab opere pietatis exortem. Ad huius ergo inuictæ pietatis potentiam, dilectissimi, etiam hoc nos solenne ieiunium septimi mensis inuitat: vt à curis sæcularibus actibúsque terrenis liberos ad Dominum animos erigamus. Et quia hanc intentionem semper necessariam non omnes possumus habere perpetuam sæpiúsque per humanam fragilitatem à supernis in terrena recidimus: istis saltem diebus, qui nobis ad saluberrima sunt remedia præstituti, mundanis nos occupationibus subtrahamus, & aliquid temporis, quod prosit ad bona æterna, furemur. In multis enim sicut scriptum est, offendimus omnes. Et licèt quotidiano Dei munere, à diuersis contaminationibus emundemur: inhærent tamen incautis animis plerumque maculæ crassiores, quas oporteat diligentiori cura ablui, & impendio maiore deleri. Plenissima autem peccatorum obtinetur abolitio, quando totius Ecclesiæ vna est oratio, & vna confessio. Si enim duorum vel trium sanctorum pio consensui omnia quæ poposcerint, Dominus præstanda promittit: quid negabitur multorum millium plebi, vnam obseruantiam pariter exequenti, & per vnum spiritum concorditer supplicanti? Magnum est in conspectu Domini, dilectissimi, valdéque pretiosum, cùm totus Christi populus, eisdem simul instat officiis, & in vtroque sexu, omnes gradus, omnésque ordines eodem cooperantur affectu: cùm in declinando malo ac faciendo bono, par cunctorum & vna sententia est; cùm in operibus seruorum suorum glorificatur Deus, & totius pietatis authori in multarum gratiarum actione benedicitur. Aluntur esurientes, vestiuntur nudi, visitantur infirmi, & nemo quod suum est, quærit, sed quod alterius, dum ad reuelandam alienam miseriam, vnicuique mensura sua sufficit, & facile est inuenire hilarem datorem, vbi modum operis ratio temperat facultatis. Per hanc autem Dei gratiam, quæ operatur omnia in omnibus, communis fidelium fructus & commune fit meritum: Quoniam quidem potest & eorum par esse animus, quorum impar est census, & cùm alter de alterius lætetur largitate, cui æquari non potuit impendio, æquatur affectu. Nihil in tali populo inordinatum, nihilque diuersum est, vbi ad vnum pietatis vigorem, omnia sibi totius corporis membra consentiunt, nec de sua tenuitate confunditur, qui de aliorum opulentia gloriatur. Deus enim vniuersitatis est, excellentia portionis, & cùm Dei spiritu omnes agimur, non solùm illa nostra sunt, quæ ipsi gerimus, sed etiam illa, de quibus in aliorum actione gaudemus. Amplectamur

CAP. II. Publica pietatis studia priuatis præstant. CAP. III. Iacob. 3. Matth. 18. CAP. IV. 1. Cor. 12. Rom. 8. CAP. V.

Nihil à nobis suprà vires exigitur.

plectamur igitur, dilectissimi, beatam istam sacratissimæ vnitatis soliditatem, & solenne ieiunium concordante proposito bonæ voluntatis ineamus. Nihil à quoquam arduum, nihil asperum quæritur, nec aliquid nobis, quod vires nostras excedat, indicitur: siue in abstinentiæ castigatione, siue in eleemosynæ largitate. Sciunt singuli, quid possint, quidve non possint. Ipsi modulum suum pendant, ipsi iusta & rationabili taxatione se censeant: vt sacrificium misericordiæ, non cum tristitia offeratur, nec inter damna numeretur. Hoc pio impendatur operi, quod cor iustificet, quod conscientiam lauet, quod denique & accipienti prosit, & danti. Felix quidem ille est animus, multúmque mirabilis, qui facultatum defectionem benefaciendi amore non metuit, & daturum sibi eroganda diffidit, à quo quod erogaret, accepit. Sed quia cùm magnanimitas ista paucorum est, plenum etiam pietatis est, vt suorum curam quisque non deserat: nos perfectioribus non præiudicantes, ea vos regula generaliter cohortamur, vt mandatum Dei secundum possibilitatis vestræ mensuram operamini: hilarem enim beneuolentiam esse decet, quæ sic suam temperet largitatem: vt de illa & pauperum refectio gaudeat, & domestica sufficientia non laboret. Qui autem ministrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit: & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ. Quarta igitur & sexta feria ieiunemus, sabbato autem apud beatissimum Petrum Apostolum pariter vigilias celebremus, cuius meritis & orationibus confidimus nobis per omnia misericordiam Dei nostri esse præstandam: Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

2. Cor. 9.

Sanctorum merita & orationes.

SERMO IV.

De Ieiunio septimi mensis.

De libertate spiritus, de diuersitate ieiunij Iudæorum & Christianorum, & de delectu ciborum, de generali ieiunio, de diaboli insidiis, & eleemosyna Christianis elargienda.

CAP. I.

PRædicationem nostram, dilectissimi, familiaris vobis adiuuat consuetudo, & ratio temporis cõmendat officium sacerdotis: aut ne onerosum videatur aut arduum, quod & præceptum exigit legis, & deuotio temperat voluntatis. Quæ cùm in vnum gratia Dei auxiliante conueniunt, non litera occidit, sed spiritus viuificat, Vbi autem spiritus Dei, ibi libertas, quæ legem non timore exequitur, sed amore. Obedientia enim mollit imperium, nec dura ibi necessitate seruitur, vbi diligitur, quod iubetur. Cùm ergo vos, dilectissimi, ad quædam quæ etiam in veteri testamento instituta sunt cohortamur: non Iudaicæ vos obseruantiæ iugo subdimus, nec consuetudinem vobis populi carnalis indicimus. Excellit super illorum ieiunia, continentia Christiana: & si quid nobis atque illis commune est in temporibus, non concordat in moribus. Habeant illi nudipedalia sua, & in tristitia vultum ostendant otiosa ieiunia: nos in illo ad habitus nostri honestatẽ dissimiles, nec à iustis & necessariis operibus abstinentes, edendi licentiam simplici parcitate cohibemus, vt in vsu ciborum modus eligatur, non creatura damnetur. Quamuis autem vnicuique nostrum liberum sit voluntariis castigationibus proprium corpus afficere, & nunc moderatiùs, nunc verò districtiùs repugnantes spiritui carnales concupiscentias edomare, quibusdam tamen diebus ab omnibus oportet pariter celebrare generale ieiunium, & tunc est efficacior sanctiórque deuotio, quando in operibus pietatis totius Ecclesiæ vnus animus & vnus est sensus. Publica enim præferenda sunt propriis, & ibi intelligenda est præcipua ratio vtilitatis, vbi vigilat cura communis. Teneant igitur diligentiam suam obseruantiæ singulorum, & contra nequitiæ spiritalis insidias, implorato diuinæ protectionis auxilio, cœlestia quisque arma arripiat Sed Ecclesiasticus miles, etiamsi specialibus præliis possit fortiter facere, tutius tamen & felicius dimicabit, si contra hostem palam in acie steterit, vbi non suis tantùm viribus certamen ineat, sed sub inuicti regis imperio, fraternis consociatus agminibus, bellum vniuersale conficiat. Minore enim discrimine plures confligunt cum hoste, quàm singuli, nec facilè patet vulneri, quem opposito scuto fidei, non sua tantùm, sed etiam aliorum fortitudo defendit, vt vbi est vna omnium causa, sit vna victoria. Quia igitur aduersarius noster insidiari nobis diuersa tentationum arte non desinit, & hæc est vna versutiarum eius intentio, vt redemptos Christi sanguine, à mandatis Dei possit abducere, omni diligentia præcauendum est, vt nullis inimici iaculis vulneremur. Tela enim ipsius non sunt aspera corporis sensibus, sed nimium carni, vt animæ noceant, blandiuntur. Trahunt oculos ad varias cupiditates, vt de mundi pulchritudine, aut concupiscentiæ accendantur faces, aut superstitionum gignantur errores. Insidioso etiam sono mollibus ictibus pulsatur auditus, vt animi soliditas illecebrosa modulatione soluatur, & lethalium consuetudine suauitatum, incauta & parum sobria corda capiantur. Sed hos diaboli dolos inefficaces & irritos faciũt diuinæ præsidia gratiæ, & Euangelicæ præcepta doctrinæ. Quoniam qui acceperunt Spiritum sanctum, & à quibus timor Domini non de pœnæ formidine, sed de Dei charitate conceptus est, illæso fidei pede laqueos talium conterunt captionum, vt, creaturarum omnium pulchritudine, ad gloriam & laudem sui vtantur authoris, eúmque diligant super omnia, per quem facta sunt omnia. In huius admirationem dilectissimi, omnium fidelium tendat affectio, de hoc sibi delectationes non corruptibiles, sed æternas, sapiens continentia petat, & in amorem boni, sine quo nullus est bonus, incontaminata castitas inardescat. Ad hoc enim nobis tradita sunt exercitia Christiana: vt resecata omni illicita voluptate, in sanctas & spiritales delicias æstuemus. Et cùm nos oporteat semper studere virtutibus, quidam tamen dies ideo sunt ad castigationem communis obseruantiæ consecrati, vt anima, quæ terrenis adhuc desideriis implicatur, & curis sæcularibus impeditur, ex interuallo saltem, ad diuina respiret. Et quia portio diuini agri est, dignos cœlestibus horreis adferat fructus. Ibi enim spes est metendi, vbi fuerit diligentia seminandi. His, dilectissimi, ad profectum vestrum pro tẽporis occasione perstrictis, ieiunium vobis septimi mensis indicimus, in quo vos non solùm de ciborum abstinentia, sed etiam de pietatis operibus commonemus: vt quod vestris vsibus religiosa parcitate subtrahitis, in alimoniam pauperum & in cibos debilium transferatis: omnibus quidem indigentibus generali beneuolentia consulentes, sed maximè eorum memores, qui sunt de membris corporis Christi, & nobis vnitate Catholicæ fidei copulantur. Plus enim debemus nostris pro consortio gratiæ, quam alienis pro communione naturæ. Abundet ergo in vobis, dilectissimi, benignitas Christiana, & sicut recurrentia anni tempora desideratis

2. Cor. 3. Libertas Christiana qualis sit.

Ieiunia seruamus, non secundum Iudæorum obseruationem.

Matth. 7. Ciborum delectus quomodo obseruandus sit.

CAP. II.

Ieiunium generale præfertur priuato.

CAP. III.

Tela dæmonis qualia sint.

Ioan. 1. CAP. IV.

Christiana exercitia cur nobis tradita.

CAP. V.

CAP. VI.

ratis.vt plena ſint fructibus,ita & corda veſtra paſcendis ſint fœcunda pauperibus. Quibus vtique potuit Deus,cuius ſunt omnia, neceſſariam conferre ſubſtantiam,& tales eis tribuere facultates, vt in nullo veſtris largitionibus indigerent:ſed & illis & vobis multa virtutum materia defuiſſet , ſi nec illos ad patientiæ coronam inopia exerceret, nec vos ad miſericordiæ gloriam copia prouocaret. Mirabiliter autem prouidentia diuina diſpoſuit , vt eſſent in Eccleſia & ſancti pauperes & diuites boni : qui inuicem ſibi ex ipſa diuerſitate prodeſſent , cum ad æterna & incorrupta præmia promerenda Deo gratias agerent accipientes, & Deo gratias agerent largientes:quoniam ſicut ſcriptum eſt , *Patientia pauperum non peribit in æternum.* & , *Hilarem datorem diligit Deus* , Quarta igitur & ſexta Feria ieiunemus: Sabbato verò apud beatiſſimum Petrum Apoſtolum vigilias celebremus,ſperantes nos ita ipſius orationibus adiuuandos , vt Deus miſericordiarum ieiunij noſtri ſacrificio placatus exaudiat,Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

(Pauperes cur Deus eſſe permiſerit. — Pſal. 9. — 2. Cor. 9.)

SERMO VIII.

De ieiunio ſeptimi menſis.

De fragilitate humanæ naturæ ac pugna carnis,de auxilio diuino & duobus amoribus, atque aduentu regni Dei.

CAP. I. SAcratum , dilectiſſimi, in ſeptimo menſe ieiunium, ad communis deuotionis exercitia prædicamus,fidenter vos paternis cohortationibus incitãtes,vt quod fuit antè Iudaicum,veſtra ſit obſeruãtia Chriſtianum.Eſt enim omni tẽpore aptum & teſtamento vtrique conueniẽs,vt per caſtigationẽ mentis & corporis, miſericordia diuina quæratur : quia nihil eſt efficacius ad exorandum Deum quàm vt homo ipſe ſe iudicet,& nunquam deſinat à venia poſtulanda,qui ſe ſcit nunquam eſſe ſine culpa. Habet enim hoc in ſe generaliter humana natura , non à creatore inſitum,ſed à præuaricatore contractum,& in poſteros generali lege transfuſum:vt de corruptibili corpore, etiam quod animã corrumpere poſſit , oriatur.Hinc interior homo,ſi tamen iam in Chriſto regeneratus,& à vinculis captiuitatis eſt erutus,aſſiduos habet cum carne conflictus : & dum cohibet concupiſcentiam, patitur repugnantem. In qua diſcordia non facilè obtinetur tam perfecta victoria,vt etiam quæ ſunt abrumpenda,non illigent , & quæ ſunt interficienda, non vulnerent:quantumlibet ſapienter & prouidè iudex animus ſuis exterioribus præſit, inter ipſas tamen curas atque menſuras regendæ carnis & alendæ,nimis ei ſemper vicina tentatio eſt.Quis enim ita ſe aut à voluptate corporis, aut à dolore ſeiungit,vt ad ipſam mentem non pertineat,quod extrinſecus aut blanditur , aut cruciat? Indiuiſum eſt gaudium indiſcreta triſtitia : nihil in hominem iracundia non accedit : nihil lætitia non reſoluit,nihil ægritudo non afficit. Et quæ illic declinatio poteſt eſſe peccati,vbi vna paſſio eſt regentis & ſubditi. Merito Dominus proteſtatur , quòd *ſpiritus quidem promptus eſt,caro autem infirma*. Et ne vſque ad inertem deſidiã deſperatione ducamur, quæ impoſſibilia ſunt homini ex imbecillitate propria , poſſibilia ſpondet ex virtute diuina. Anguſta enim & arcta eſt via,quæ ducit ad viam , & nemo in eam greſſum inferret , nemo veſtigium promoueret, niſi difficiles aditus ipſe ſe Chriſtus viam faciendo reſeraret : vt author itineris fiat poſſibilitas ambulantis , quia idem & introducit ad laborem & perducit ad requiẽ.In quo ergo nobis ſpes eſt æternæ vitæ , in eodem eſt & forma patientiæ. Si enim compatimur,& cõregnabimus,quoniam vt Apoſtolus ait, *Qui ſe dicit in Chriſto,manere debet ſicut ille ambulauit,& ipſe ambulare.* Alioqui falſæ profeſſionis imagine vtimur,ſi cuius nomine gloriamur,eius inſtituta non ſequimur. Quæ vtique nobis oneroſa non eſſent,& ab omnibus nos periculis liberarent, ſi nihil aliud quàm quod amandum iubetur,amaremus.Duo namque amores ſunt , ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diuerſæ qualitatibus , ſicut diuiduntur authoribus.Rationabilis enim animus, qui ſine dilectione eſſe non poteſt , aut Dei amator eſt,aut mundi.In dilectione Dei,nulla nimia : in dilectione autem mundi, cuncta ſunt noxia. Et ideo æternis bonis inſeparabiliter inhærendum,temporalibus verò tranſeunter vtendum eſt : vt peregrinantibus nobis , & ad patriam redire properantibus, quicquid de proſperantibus mundi huius occurrerit, viaticum ſit itineris, non illecebra manſionis. Ideo beatus Apoſtolus prædicat dicens:*Tempus breue eſt, reliquum eſt,vt qui habent vxores,tanquam non habentes ſint,& qui flent,tanquam non flentes , & qui gaudent , tanquam non gaudentes , & qui emunt , tanquam non poſſidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquã non vtantur.Præterit enim figura huius mundi.*Sed quod de ſpecie,de copia , de varietate blanditur , non facile declinatur , niſi in illa viſibilium pulchritudine Creator potius quam creatura diligatur.Qui cùm dicit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,& ex tota mente tua,& ex tota virtute tua*,in nullo nos vult ab amoris ſui vinculis relaxari. Et cùm huic præcepto , proximi quoque copulat charitatem,imitationem nobis ſuæ bonitatis indicit: vt quod diligit,diligamus,& quod operatur, operemur.Quamuis enim Dei agricultura ſimus, & Dei ædificatio, & neque qui plantat ſit aliquid , neque qui rigat,ſed qui incrementum dat Deus : in omnibus tamen exigit noſtri miniſterij ſeruitutem , & nos diſpenſatores ſuorum vult eſſe donorum,vt qui fert Dei imaginem Dei faciat voluntatem. Propter quod in Oratione Dominica ſacratiſſimè dicimus : *Adueniat regnum tuum , Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.* Quibus verbis quid aliud poſtulamus, quàm vt Deus , quem necdum ſibi ſubdidit , ſubdat,& ſicut in cœlo angelos,& ita & in terra homines miniſtros ſuæ faciat voluntatis? Hoc autem petentes amamus Deum,amamus & proximum , & non diuerſa in nobis,ſed vna dilectio eſt:quando & ſeruum ſeruire,& dominum cupimus imperare.

(Ieiunium vtrique teſtamento congruit. — Carnis cum ſpiritu conflictus. — Matth. 26. — CAP. II. — Matth. 7. — Rom. 8. — 1. Ioan. 2. — CAP. III. Amores duo. — 1. Cor. 7. — Matth. 22. — 1. Cor. 3. — Matth. 6. Aduentum regni Dei quomodo petamus.)

CAP. IV. Hic igitur affectus,dilectiſſimi, quo amor terrenus excluditur,bonorum operum conſuetudine roboratur,quia neceſſe eſt, vt bonis actibus conſcientia delectetur,& libenter faciat,quod feciſſe ſe gaudeat.Aſſumitur igitur ieiunium , multiplicatur largitio,iuſtitia cuſtoditur, frequentatur oratio , fitque vt ſingulorum deſiderium ſit vnum omnium votum. Nutrit patientiam labor , manſuetudo extinguit iram,beneuolentia calcat inuidiam , immundæ cupiditates ſanctis deſideriis enecantur,auaritia liberalitate depellitur, & onera diuitiarum fiunt inſtrumenta virtutum.Sed quia inſidiæ diaboli etiam inter alia ſtudia non quieſcunt , rectiſſimè in quibuſdam articulis temporum, vigoris eſt noſtri reparatio inſtituta : vt vbi de clementia cœli & vbertate agri poteſt mens præſentium bonorum auida gloriari , & in ampla horrea fructibus congregatis , animæ ſuæ dicere, *Habes multa bona,epulare*, ibi quandam increpationem diuinæ vocis accipiat, audiatque dicentẽ,*Stulte,hac nocte repoſcent animam tuam à te*, Luc 12.

qua autem præparasti, cuius erunt: Hæc sollicitissima meditatio debet esse sapientis, vt quoniam breues dies istius vitæ & incerta sunt spatia, nunquam sit mors improuisa morituro, nec inordinatum incidat finem, qui se nouit esse mortalem. Quod itaque vt & sanctificationi corporum & reparationi prosit animarum, quarta & sexta Feria ieiunemus: Sabbato autem apud beatissimum Petrum Apostolum vigilias celebremus, eius orationibus adiuuandi, vt sanctorum desideriorum consequamur effectum, Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Orationes sancti Petri.

SERMO VI.

De ieiunio septimi mensis.

De duplici Christi natura aduersus Eutychen & Nestorium, & de veritate corporis Christi in Eucharistia.

CAP. I.

DEuotionem fidelium, dilectissimi, nihil est in quo prouidentia diuina non adiuuet: siquidem exercendis ad sanctimoniam mentibus atque corporibus, ipsa quoque mundi elementa famulantur, dum dierum ac mensium distinctè variata reuolutio quasdam nobis paginas aperit præceptorum, vt quod sacra admonent instituta, hoc quodammodo loquantur & tempora. Vnde cùm septimum mēsem nobis anni recursus attulerit, non ignoro obseruantiam vestram ad celebrandum solenne ieiunium spiritaliter incitari: quoniam experiendo didicistis, quantum hæc præparatio & exteriora & interiora hominum purificet, vt cùm à licitis abstinetur, facilius illicitis resistatur. Continentiæ autem ratio, dilectissimi, non in sola castigatione corporum, nec diminutione tantum habetur escarum. Maiora enim virtutis istius bona ad illam animæ pertinent castitatem, quæ non solum carnis concupiscentias conterit: sed etiam mundanæ sapientiæ vana contemnit, dicente Apostolo: *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionem hominum.* Continendum ergo est à cibis, sed multò magis ab erroribus ieiunandum: vt mens nulli carnali dedita voluptati, nullius sit captiua mendacij, quia sicut in præteritis, ita etiam in nostris diebus non desunt veritatis inimici: qui inter Catholicam Ecclesiam mouere audeant bella ciuilia, vt in consensum impiorum dogmatum imperitos quosque ducentes sibi glorientur accrescere, quos à Christi corpore potuerint separare. Quid enim tam aduersatur Prophetis, tam repugnat Euangeliis, tam denique est Apostolicis rebelle doctrinis, quàm in Domino Iesu Christo ex Maria virgine vnigenito, & sempiterno patri intemporaliter coæterno, vnam & singularem prædicare naturam? Quia si hominis tantùm intelligenda est, vbi est, quæ saluat deitas? si tantummodo Dei, vbi est quæ saluatur humanitas? Fides autem Catholica, quæ omnibus resistit erroribus, etiam simul istas impietates refutat, damnans Nestorium, diuina ab homine diuidentem: detestans Eutychen, in diuinis humana vacuantem, quoniam veri Dei Filius Deus verus, vnitatem & æqualitatem habens cum Patre & Spiritu sancto, idem verus homo esse dignatus est, nec conceptu virginis matris & seiunctus à carne, nec partu: sic humanitatem sibi vniens, vt Deus incommutabiliter permaneret, sic deitatem homini impartiens, vt eum glorificatione non consumeret, sed augeret. Qui enim est factus forma serui, forma Dei esse non destitit, nec alter cum altero, sed vnus in vtroque est, vt ex quo Verbum caro factum est nullis dispensationum varietatibus fides nostra turbetur, sed siue in miraculis virtutum, siue in contumeliis passionum, & Deum qui homo est, & hominem credamus esse, qui Deus est. Hanc confessionem, dilectissimi, toto corde promentes, impia hæreticorum commenta respuite: vt ieiunia & eleemosynæ vestræ nullius erroris contagione polluantur. Tunc enim & sacrificij munda est oblatio, & misericordiæ sancta largitio, quando ij, qui ista dependunt, quid operentur, intelligunt. Nam dicente Domino, *Nisi manducaueritis carnē filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitā in vobis:* sic sacræ mensæ communicare debetis, vt nihil prorsus de veritate Corporis Christi & Sanguinis ambigatis, Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur: & frustra ab illis Amen respondetur, à quibus contra id quod accipitur, disputatur. Dicente autem Propheta, *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem,* ille circa pauperes vestimentorum & ciborum laudabilis distributor est, qui se Christum in indigentibus & vestire nouit & pascere: quoniam vt ipse ait, *Quandiu fecistis vni de fratribus his meis, mihi fecistis.* Verus itaque Deus & verus homo vnus est Christus, diues in suis, pauper in nostris, dona accipiens & dona diffundens, particeps mortalium, & viuificatio mortuorum: vt in nomine Iesu Christi omne genu flectatur, cœlestiū, terrestriū, & infernorum, & omnis lingua cōfiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris, viuens & regnans cum sancto Spiritu in sæcula sæculorum, Amen.

Colos. 3. Continendum non dum à cibis, sed etiam erroribus.

Nestorius Eutyches.

CAP. II.

Ioan. 6. Veritas Corporis Christi in Eucharistia.

Psalm. 40.

Matth. 25. Christus est diues & pauper.

SERMO VII.

De ieiunio septimi mensis.

De spiritali veteris legis impletione, rectáque ieiunij forma, & spiritalibus thesauris.

CAP. I.

APostolica institutio, dilectissimi, quæ Dominum Iesum Christum ad hoc venisse in hunc mundum nouerat, vt legem non solueret, sed impleret, ita veteris testamenti decreta distinxit: vt quædā ex eis, sicut erant cōdita Euangelicæ eruditioni profutura decerperet, & quæ dudum fuerant consuetudinis Iudaicæ, fierent obseruātiæ Christianæ. Quamuis enim varietates hostiarum, differentiæ baptismatum, & otia sabbatorum, cum ipsa carnis circuncisione cessauerint: manent tamen ex ipsis voluminibus etiam apud nos plurima præcepta moralia. Et cùm inde dicatur, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & diliges proximum tuū sicut teipsum.* Christo Domino dicente cognouimus, quod in his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ, tantaque est sub huius geminæ charitatis edicto, vtriusque copula tēstamenti, vt sine istarum connexione virtutum, nec lex quemquam inueniatur iustificasse, nec gratia. Illæ quoque partes legalium mandatorum, ex quibus quædam præcipiuntur, vt fiant, quædam interdicuntur, vt non fiant: antiquæ authoritatis retinent firmitatem. Nec ideo eis Euangélica putanda est aduersa perfectio, quia & virtutum studia ad voluntaria incitantur augmenta, & vltiones criminum, pœnitentiæ remediis relaxantur. Dicit enim Dominus: *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quā Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Quomodo ergo abundabit iustitia, nisi superexaltet misericordia? Et quid tam æquum, quidque tam dignum est, quàm vt creatura ad imaginem & similitudinem Dei condita suum imitetur authorem, qui reparationem sanctificationémque credentium in peccatorum remissione constituit,

Matth. 5.

Matth. 22.

Matth. 5.

tuit, vt remota seueritate vindictæ, omnique cessante supplicio, reus innocentiæ redderetur, & criminum finis fieret origo virtutum! Quod igitur, dilectissimi, ex veteris prædicatione doctrinæ ad purificationem animarum corporúmque nostrorum ieiunium septimi mensis assumimus: non legalibus nos oneribus subiicimus, sed vtilitatem continentiæ, quæ Christi Euangelio seruit, amplectimur. Quia in hoc potest super Scribas & Pharisæos Christiana abundare iustitia, non euacuando legem, sed intelligentiam refutando carnalem. Nec enim nostra talia debent esse ieiunia, qualia erant illorum, quibus Esaias Propheta Spiritu sancto in se loquente, dicebat: *Neomenias vestras, & sabbata, & diem magnum non sustineo, ieiunium, & ferias, & dies festos vestros odit anima mea.* Vnde Dominus ieiunandi formam discipulis tradens, *Cùm ieiunatis*, inquit, *nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Quam mercedem, nisi laudis humanæ? propter cuius cupiditatem, iustitiæ species plerunque prætenditur, & vbi nulla est cura conscientiæ, amatur falsitas famæ, vt iniquitas, quæ occultatione arguitur, mendacij opinione lætetur. Rationabile itaque, sanctúmque ieiunium nulla laudis ostentationisque iactantia polluatur, nec bonum suum quisquam fidelium de humanis velit pendere iudiciis. Diligenti Deum, sufficit ei placere, quem diligit, quia nulla maior expetenda est remuneratio quàm ipsa dilectio: sic enim charitas ex Deo est, vt Deus, ipse sit charitas. Quod vtique pius & castus ita gaudet animus implere, vt in nullo extra illum cupiat delectari. Verissimum namque est quod dicit Dominus: *Vbi est thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum.* Quis autem est thesaurus hominis, nisi quidam fructuum eius congregatio laborúmque collectio? Quod enim seminauerit quis, hoc & metet, & quale cuiusque opus, talis est & quæstus: & vbi oblectatio fruendi constituitur, ibi cura cordis obstringitur. Sed cùm multa sint genera diuitiarum dissimilésque materiæ gaudiorum, thesaurus cuique est suæ cupiditatis affectus, qui si de appetitu est terrenorum, non beatos facit sui participatione, sed miseros. Hi verò qui ea quæ sursum sunt, sapiunt, non quæ super terram, nec perituris intenti sunt, sed æternis, in illo habent incorruptibiles recondita facultates, de quo dicit Propheta: *Thesaurus, & salus nostra aduenit, sapientia & disciplina & pietas à Domino.* Hi sunt thesauri iustitiæ, per quos auxiliante Dei gratia, etiam terrena bona in cœlestia transferuntur: dum multi diuitiis aut iustè sibi relictis, aut aliter acquisitis, ad instrumentum impietatis vtuntur. Cúmque ad sustentationem pauperum, quæ possunt exuberare, distribuunt, congregant sibi inamissibiles facultates, vt quod abdiderunt eleemosynis, nullis possit subiacere dispendiis, & dignè ibi habeant cor, vbi habent thesaurum suum, quia tales diuitias suas dignum & beatissimum est exercere, vt crescant, & non timere ne pereant. Operantes igitur, dilectissimi, quod bonum est ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei, septimum mensem ab initio mysticum, propter septiformem spiritum, & ipso sui ordinis numero consecratum, continentiæ fructibus deputantes, quarta & sexta feria ieiunemus: Sabbato autem apud beatum Petrum vigilias celebremus, cuius nobis orationes suffragabuntur & merita, vt quantumcunque fidelibus tribuitur bonum velle, tantum donetur & posse, Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

[Marginalia: CAP. I. I — Ecclesia cur statà ieiunia obseruet. — Esai. 1. — Matth. 6. — Vna gloria in rectè factis cauenda. — CAP. III. — Matth 6. — Thesaurus hominis quis. — Galat. 6. — Coloss. 3. — Matth. 6. — CAP. IV. — Gal. 6.]

SERMO VIII.

De ieiunio septimi mensis.

De duplici concupiscentia, carnis & spiritus, de pugna spiritali & abstinentia.

Omnis, dilectissimi, diuinorum eruditio præceptorum hoc maximè agit apud corda credentium: vt amor prauus recto amore superetur, & delectatione iustitiæ, peccandi cupiditas destruatur, dicente Scriptura: *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.* Cùm autem sint in animis hominum multæ bonæ concupiscentiæ, & laudabiles voluntates, quid est quod iubetur, vt nostris non consentiamus affectibus: nisi quod ab illa concupiscentia prohibemur, & ab illa voluntate reuocamur, cuius ortus ex nobis est, & ideo mala pronunciatur, quia nostra esse conuincitur? Ad distinctiones igitur concupiscentiarum quæ sunt ex Deo, bene homini dictum est: *Post concupiscentias tuas non eas*, vt quas cognouerit proprias, sciat esse vitandas. Meritò ergo Dominus noluit in Oratione, quam tradidit, nos ad Deum dicere, Fiat voluntas nostra, sed fiat voluntas tua: hoc est, non illa quam caro incitat, sed quam Spiritus sanctus inspirat. Vnde autem hoc desiderium concepum sit, cui semper debeat repugnari, non difficulter intelligunt, qui se filios Adæ esse nouerunt, & peccante humani generis patre, non dubitant in propagine vitiatum esse, quod est in radice corruptum. Quamuis autem per gratiam Domini nostri Iesu Christi in nouam creaturam transierimus ex veteri, & imaginem nos terreni hominis homo cœlestis exuerit: donec tamen corpus mortale gestamus, necesse est, vt contra carnis desideria dimicemus. Bonum est enim animæ Deo subditæ, timere ne cadat, & habere quod vincat: quoniam virtus in infirmitate perficitur, & quod nos exercet continentia, hoc perducit ad gloriam. Abstinendum est itaque, dilectissimi, ab his quæ nobis noxiè blandiuntur, & lex peccati, quæ est in membris nostris, Dei lege superanda est: vt licet per omnes sensus corporis multæ insidientur illecebræ, animus tamen cui summum bonum, & verum gaudium Deus est, inter castas spiritaléſque delicias in sapientiæ latitudine, & in veritatis luce versetur. Si enim seipsum sibi rationalis homo comparet, omnésque suorum actuum qualitates vera inspectione diiudicet, nunquid in intimis conscientiæ suæ hoc delectationis inueniet de iniquitate commissa, quod de æquitate seruata? aut tantùm ei iucunditatis carnalis voluptas, quantum spiritalis pariet appetitus? Nihil prorsus de virtutum splendore attingit, nihil de pietatis suauitate gustat, qui magis vult sordescere in iis quæ immunda sunt, quàm in iis splendere, quæ sancta sunt. Non sinit ratio, vt cordibus non vsquequaque captiuis, ita placeat satiata ira, vt remissa vindicta, aut tantum generent gaudium mala quæsita de alieno, quantum bona expensa de proprio. Felicior semper est parca temperantia, quàm profusa luxuria, maiórque est lux humilibus, quàm superbis, & sublimior mens quæ inter prohibita atque permissa certius habet sperare cœlestia, quàm amare terrena: vt autem in hoc prouectu animus religiosus excellat, & ius suæ dominationis obtineat, subigendo corpori castigatio est adhibenda ieiunij. Quod licet generali nomine ad omnem continentiam pertinere videatur, propriè tamen ad edendi diminutionem refertur: vt prosit nunc voluntate non sumere, quod ab initio contra vetitum nocuit

[Marginalia: CAP. II. Præceptorum Dei scopus. — Eccles. 16. — Ibidem. — Matth. 6. — 2. Cor. 12. — CAP. II. — Rom. 7.]

vſurpaſſe,vt ſicut illic concupiſcentia vulneri, ita hîc abſtinentia ſit ſaluti.

CAP. III. Cui medicinæ, dilectiſſimi, quum tempus omne ſit congruum, hoc tamen habemus aptiſſimum, quod & Apoſtolicis,& legalibus inſtitutis videmus electum:vt ſicut in aliis anni diebus,ita in menſe ſeptimo,ſpiritalibus nos purificationibus emundemur. Conuenientibus enim in vnum propoſitum tribus ſtudiis,oratione ſcilicet, & eleemoſyna, atque ieiunio, præſtabitur nobis à miſericorde Deo, & cohibitio cupiditatum,& exauditio precum, & remiſſio peccatorum, Per Dominū noſtrum Ieſum Chriſtum, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO IX.

De ieiunio ſeptimi menſis.


De Ieiunio quatuor temporum, itémque ſpiritali, quod eſt mentis.

CAP. I. SCio quidem, dilectiſſimi, plurimos veſtrum ita in iis,quæ ad obſeruantiam Chriſtianæ fidei pertinent,eſſe deuotos: vt noſtris cohortationibus non indigeant admoneri. Quod enim dudum & traditio decreuit, & conſuetudo firmauit:nec eruditio ignorat, nec pietas prætermittit. Sed quia ſacerdotalis officij eſt, erga omnes Eccleſiæ filios curam habere communem,in id quod & rudibus proſit & doctis, quos ſimul diligimus, pariter incitamus: vt ieiunium quod nobis ſeptimi menſis recurſus indicit, fide alacri per caſtigationem animi & corporis celebremus, Quamuis enim diminutio cibi carnem propriè videatur afficere:nihil tamen corporeis ſenſibus,vel conceditur,vel negatur quod non ſicut ad ſeruientem,ita pertineat ad iubentem. Cùm itaque vnuſquiſque homo duplicem in ſe legem habeat continentiæ,nihilque actionum noſtrarum ad ſolum corpus, multa autem ad ſolum referenda ſint animum:prudenter debemus aduertere,quàm indecens quamque iniuſtum ſit,ſi quod à ſuperiore indicitur, ab inferiore negligatur. Vt autem mens rationalis ſalubriter exteriora caſtiget, debet etiam propria exercere ieiunia: quia non ſolùm carnis deſideriis, ſed etiam animi cupiditatibus conuenit repugnare, dicente Scriptura, *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.* Ieiunans ergo ab iis, quæ caro appetit,ieiunet & ab iis quæ malè interior ſubſtantia concupiſcit. Peſſimus enim animæ cibus eſt,velle quod non licet: & noxia cordis delectatio eſt, quæ aut turpi lucro paſcitur, aut ſuperbia extollitur,aut adulatione lætatur. Quamuis enim his affectibus motus quoque corporis ſeruiant, ad originem tamen ſuam cuncta reſpiciunt, & ibi cenſetur qualitas actionis, vbi inuenitur initium voluntatis, quam reuocare à prauis deſideriis, optimum maximúmque ieiunium eſt:quia tunc eſt edendi abſtinentia fructuoſa,quando exterior parcitas à temperantia interiore procedit. Eccl. 18.

CAP. II. Celebraturi igitur,dilectiſſimi, verum & ſpiritale ieiunium, quod & corpus & animum ſui puritate ſanctificet, cordis noſtri ſecreta rimemur:& quibus rebus aut contriſtentur aut gaudeant, iuſto diſcutiamus examine. Ac ſi quis amor vanæ gloriæ, ſi qua radix auaritiæ,ſi quod ineſt virus inuidiæ,nihil talium anima ſumat eſcarum: ſed virtutum intenta deliciis,cœleſtes epulas terrenæ præferat voluptati. Agnoſcat homo ſui generis dignitatem, factúmque ſe ad imaginem, & ſimilitudinem ſui creatoris intelligat: nec ita de miſeriis, quas per peccatum illud maximum,& commune indicit,expaueſcat, vt non ſe ac miſericordiam ſui reparatoris attollat. Ipſe enim dicit: *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum,*hoc eſt,me diligite,& ab iis, quæ mihi diſplicent,abſtinete.Facite quod amo: amate quod facio. Et cùm videtur eſſe difficile, quod iubeo,ad iubentem occurrite: vt vnde datur præceptum,præſtetur auxilium. Non negabo opem, qui tribui voluntatem: ieiunate ab aduerſis, abſtinete à contrariis. Ego ſum cibus veſter & potus:nemo quæ mea ſunt, inefficaciter concupiſcit. Qui enim ad me tendit, ex mei participatione me quærit. Leuit.19.

CAP. III. His,dilectiſſimi,cohortationibus, quibus nos ad bona incommutabilia & ad gaudia inuitat æterna, plenæ ſunt omnes diuinarum paginæ literarum, & hoc nobiſcum agit teſtamenti vtriuſque doctrina,vt inhæreamus veris, & contineamus à vanis. Non enim apprehendi poteſt quod promittitur, niſi cuſtoditum fuerit quod iubetur. Quid iuſtius, quàm vt homo,cuius fert imaginem,faciat voluntatem, & per abſtinentiã cibi ieiunet à lege peccati?Ideo enim ipſa continentiæ obſeruantia, quatuor eſt aſſignata temporibus: vt in idipſum totius anni redeunte decurſu,cognoſceremus non indeſinenter purificationibus indigere,ſempérque eſſe nitendum,dum huius vitæ varietate iactamur,vt peccatum, quod fragilitate carnis & cupiditatum pollutione contrahitur, ieiuniis atque eleemoſynis deleatur. Ieiunium quatuor temporum cur inſtitutum.

CAP. IV. Eſuriamus paululum,dilectiſſimi, & aliquantulum quod iuuandis poſſit prodeſſe pauperibus, noſtræ conſuetudini ſubtrahamus. Delectetur conſcientia benignorum fructibus largitatis,& gaudia tribuens,quo es lætificandus,accipies. Dilectio proximi, dilectio Dei eſt, qui plenitudinem legis & Prophetarum,in hac geminæ charitatis vnitate cõſtituit:vt nemo ambigeret,Deo ſe offerre,quod homini contuliſſet, dicente Domino Saluatore, cùm de alendis iuuandiſque pauperibus loqueretur, *Quod vni eorum feciſtis, mihi feciſtis.* Quarta igitur & ſexta Feria ieiunemus:Sabbato verò apud beatum Petrum Apoſtolum vigilias celebremus, cuius nos meritis & orationibus credimus adiuuandos,vt miſericordi Deo ieiunio noſtro & deuotione placeamus, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen. Matth.22. Matth. 25. Sanctorum meritis & orationibus adiuuamur.



SERMO, SIVE TRACTATVS Beati Leonis Papæ contra hæreſim Eutychetis, habitus Romæ in Baſilica S. Anaſtaſiæ.

De vitandis hæreticis, de veritate corporis Chriſti, & fidei Romanæ commendatione.

CAP. I. SICVT peritorum, dilectiſſimi, prudentiúmque medicorum eſt,paſſiones infirmitatis humanæ remediis præuenire, & quemadmodum ſaluti contraria declinentur oſtendere:ita paſtoralis officij eſt,ne Dominico gregi hæretica malignitas noceat,prouidere, & qualiter luporum & latronum improbitas ſit cauenda,demonſtrare: quia nunquam potuit hæretica impietas ſic latere,vt non à ſanctis patribus noſtris, & ſemper deprehenſa ſit,& iure damnata. Sollicitudinem itaque noſtram, quam dilectioni veſtræ impendimus, latere non potuit,quoſdam Ægyptios,præcipuè negotiatores ad vrbem veniſſe,eáque quæ Alexandriæ ſceleſtè ab hæreticis ſunt admiſſa, defendere, aſſerentes ſolam deitatis in Chriſto fuiſſe naturam, nec carnis humanæ,quã ſumpſit ex beata Maria virgine, habuiſſe Hæreſis latere non poteſt.

habuisse penitus veritatem: quæ impietas, & falsum hominem, & deum dicit esse passibilem. Quod quo audeant animo, quove consilio, dubitare non possumus. Quia enim ipsi à veritate Euangelij recesserunt, & mendacia diaboli sunt sequuti, alios quoque volunt socios suæ perditionis efficere: & ideo fraterna vos, & paterna sollicitudine commonemus, vt inimicos Catholicæ fidei, hostes Ecclesiæ, Incarnationis Dominicæ negatores, & instituto à sanctis Apostolis Symbolo repugnantes, in nullum recipiatis consensionis affectum, dicente Apostolo: *Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita, sciens quia qui huiusmodi est, subuersus est, & delinquit proprio iudicio condemnatus.* Propria enim pertinacia perit: & sua à Christo discedit insania, qui eam impietatem, per quam ante se multos scit periisse, sectatur, & religiosum sibi atque Catholicum putat id, quod sanctorum Patrum iudicio, & in Photini perfidia, & in Manichæi dementia, & in Apollinaris insania, constat esse damnatum: vt adhuc quasi nouæ, & necdum damnatæ in perniciem animarum suarum consentiant prauitati, qui incarnationis Dominicæ denegant sacramentum. Quasi aliud tota Euangelica lectione doceamur, quàm hoc vno diuinæ misericordiæ sacramento humanum genus in iis qui credunt esse saluatum, quod vnigenitus Dei filius, æqualis per omnia patri, nostræ assumptione substantiæ, manens quod erat, dignatus est esse quod non erat, verus scilicet homo, verus Deus, qui absque cuiusquam sorde peccati, integram sibi nostram perfectámque naturam, veritate & carnis & animæ vniuit, & intra vterum beatæ Virginis matris Spiritu sancti virtute conceptus, nec editionem partus, nec primordia fastidiuit infantiæ: vt Verbum Dei patris humanam sibi inesse substantiam, & deitatis potentia, & carnis infirmitate loqueretur, de corpore habens corporeas actiones, & spiritales de deitate virtutes. Humanum quippe est esurire, & sitire, & dormire, humanum est metuere, flere, tristari, humanum denique est crucifigi, mori atque sepelire: Sed diuinum est super mare ambulare, aquas in vina conuertere, mortuos suscitare, mundum propria morte tremefacere, & cum viuificata super omnem cœlorum altitudinem carne conscendere: vt qui hoc credunt, dubitare non possint, quid humanitati adscribere, quid debeant adsignare deitati, quoniam in vtroque vnius est Christus, qui & deitatis suæ potentiam non amisit, & veritatem perfecti hominis nascendo suscepit. Hos ergo, dilectissimi, de quibus loquimur, tanquam venenum mortiferum fugite, execramini, declinate, & ab eorum colloquiis, si increpati à vobis corrigi noluerint, abstinete, quoniam sicut scriptum est, *Sermo eorum serpit, vt cancer.* Iusto enim iudicio ab Ecclesiæ vnitate reiectis, nulla est tribuenda communio, quam non nostris odiis: sed suis sceleribus perdiderunt. Vos ergo dilecti Deo, & Apostolico testimonio comprobati, quibus beatus Apostolus Paulus doctor gentium dicit: *Quoniam fides vestra annunciatur in vniuerso mundo.* custodite in vobis quod tantum prædicatorem agnoscitis sensisse de vobis. Nemo vestrum efficiatur huius laudis alienus: vt quos per tot sæcula docente Spiritu sancto, hæresis nulla violauit, ne Eutychianæ quidem impietatis possint maculare contagia. Confidimus autem quod protectio Dei corda vestra fidémque custodiat: vt cui hactenus fideliter obedistis, in æternum perseuerante Catholicæ fidei obseruantia placeatis, Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Symbolum Apostolorum.
Ad Tit. 3.
CAP. II.
CAP. III.
2. Tim. 2.
Rom. 1.
Romana fides ad Apostolo commendata.

HOMILIA S. LEONIS Papæ de transfiguratione Domini.

In illo tempore: Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit eos in montem excelsum seorsum. Et reliqua. Matth. 17.

EVANGELICA lectio, dilectissimi, quæ per aures corporis interiorem mentium nostrarum pulsauit auditum, ad magni sacramenti nos intelligentiam vocat: quam aspirante gratia Dei facilius assequemur, si considerationem nostram ad ea, quæ paulò superius sunt narrata, referemus. Saluator enim humani generis Iesus Christus condens eam fidem, quæ & impios ad iustitiã, & mortuos reuocat ad vitam, ad hoc discipulos suos doctrinæ monitis, & operum miraculis imbuebat: vt idem Christus & vnigenitus Dei & hominis filius crederetur. Nam vnum horum sine altero non proderat ad salutem, & æqualis erat periculi, Dominum Iesum Christum, aut Deum tantummodo sine homine, aut sine Deo solum hominem credidisse, cùm vtrumque esset pariter confitendum: quia sicut Deo vera humanitas, ita homini inerat diuinitas. Ad confirmandum ergo huius fidei saluberrimam cognitionem interrogauerat discipulos suos Dominus, inter diuersas aliorum opiniones quid ipsi de eo crederent, quidve sentirent: vbi Petrus Apostolus per reuelationem summi patris, corporea superans & humana transcendens, vidit mentis oculis filium Dei viui, & confessus est gloriam deitatis: quia non ad solam respexit substantiam carnis & sanguinis. Tantùmque in hac fidei sublimitate complacuit, vt beatitudinis felicitate donatus, sacram inuiolabilis petræ acciperet firmitatem, super quam fundata Ecclesia portis inferi, & mortis legibus præualeret, nec in soluendis aut ligandis quorumcumque causis, aliud ratum esset in cœlis, quam quod Petri sedisset arbitrio.

CAP. I.
Petro quantum à Christo collatum.

Hæc autem, dilectissimi, laudatæ intelligentiæ celsitudo instruenda erat de inferioris substantiæ sacramento, ne Apostolica fides ad gloriam confitendæ in Christo deitatis euecta, infirmitatis nostræ receptionem indignam impassibili Deo atque incongruam iudicaret, & ita iam in Christo humanam crederet glorificatam esse naturam, vt nec supplicio posset affici, nec morte dissolui. Et ideo dicente Domino, quod oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus, & scribis, à principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere, cùm beatus Petrus, qui superno illustratus lumine, de ardentissima filij Dei confessione feruebat, contumelias illusionum, & crudelissimæ mortis opprobrium religioso, vt putabat, & libero fastidio respuisset, benigna à Iesu increpatione correptus, & ad cupiditatem participandæ cum eo passionis animatus est. Subsequens enim exhortatio Saluatoris hoc inspirauit, hoc docuit, vt volentes eum sequi, negarent se sibi, & pro spe æternorum, leuissimum ducerent temporalium detrimentum: quia is demum animam suam saluam faceret, qui eam pro Christo perdere non timeret. Vt ergo istam felicis constantiæ fortitudinem toto Apostoli corde conciperent, & nihil de suscipiendæ crucis asperitate trepidarent, vt de supplicio Christi non erubescerent, nec pudendam sibi eam patientiam crederent, quæ sic subitura erat sæuitiam passionis, vt non admitteret gloriam potestatis: Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & fratrē eius

CAP. II.
Matth. 16. & 20.
Matth. 16.
Christus cur coram discipulis transfiguratus sit.

eius Ioannem, & conſcenſo cum eis ſeorſum monte præcelſo, claritatem ſuæ gloriæ demonſtrauit: quia licet intellexiſſent in eo maieſtatem Dei, ipſius tamen corporis, quo diuinitas tegebatur, potentiam neſciebant. Et ideo propriè ſignantérque promiſerat quoſdam de aſtantibus diſcipulis non prius guſtare mortem, quàm viderent filium hominis venientem in regno ſuo, id eſt, in regia claritate, quam ſpiritaliter ad naturam ſuſcepti hominis pertinentem, his tribus viris voluit eſſe conſpicuam. Nam illam ipſiùs deitatis ineffabilem & inacceſſibilem viſionem, quæ in æternam vitam mundis corde ſeruatur, nullo modo mortali adhuc carne circumdati intueri poterant & videre Aperit ergo Dominus coram electis teſtibus gloriam ſuam, & communem illam cum cæteris corporis formam tanto ſplendore clarificat, vt & facies eius ſolis fulgori ſimilis, & veſtitus candori nimium eſſet æqualis. In qua transfiguratione illud quidem principaliter agebatur, vt de cordibus diſcipulorum crucis ſcandalum tolleretur: nec conturbaret eorum fidem voluntariæ humilitas paſſionis, quibus reuelata eſſet abſconditæ excellentia dignitatis. Sed non minore prouidentia ſpes ſanctæ Eccleſiæ fundabatur, vt totum corpus Chriſti agnoſceret, quali eſſet commutatione donandum: vt eius ſibi honoris conſortium membra promitterent, qui in capite præfuiſſet. De quo idem Dominus dixerat, cùm de aduentus ſui maieſtate loqueretur: *Tunc iuſti fulgebũt ſicut ſol in regno patris eorum*: proteſtãte hoc ipſum beato Paulo Apoſtolo, & dicente, *Exiſtimo enim, quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Et iterum *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cum enim Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.*

Matth. 16. / Matth. 17. / Matth. 13. / Rom. 8. / Coloſſ. 3.

CAP. IV.

Confirmandis verò Apoſtolis, & ad omnem ſcientiã prouehendis, alia quoque in illo miraculo acceſſit inſtructio. Moſes enim & Helia, lex ſcilicet & Prophetæ, apparuerunt cum Domino loquentes: vt veriſſimè in illa quinque virorum præſentia compleretur quod dictum eſt, *In duobus vel tribus teſtibus ſtat omne verbum.* Quid hoc ſtabilius, quid firmius verbo in cuius prædicatione veteris & noui teſtamenti concinit tuba, & cum Euangelica doctrina, antiquorum proteſtationum inſtrumenta cõcurrunt? Adſtipulantur enim ſibi inuicem vtriuſque fœderis paginæ, & quem ſub velamine myſteriorum præcedentia ſigna promiſerant, manifeſtum atque perſpicuum præſentis gloriæ ſplendor oſtendit. Quia ſicut ait beatus Ioannes, *Lex per Moſen data eſt, gratia autem, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*, in quo, & propheticarum promiſſio impleta eſt figurarum, & legalium ratio præceptorum: dum & veram docet prophetiam per ſui præſentiam, & poſſibilia facit mandata per gratiam.

Deut. 19. / Matth. 18. / Ioan. 8. / 1. Cor. 13. / Heb. 10. / Ioan. 1.

CAP. V.

His ergo ſacramentorum reuelationibus Petrus Apoſtolus incitatus mundana ſpernens, & terrena faſtidiẽs, in æternorum deſiderium quodam mentis rapiebatur exceſſu: & gaudio totius viſionis impletus, ibi cum Ieſu optabat habitare, vbi manifeſta eius gloria lætabatur. Vnde & ait, *Domine, bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moſi vnum, & Heliæ vnum.* Sed huic ſuggeſtioni Dominus non reſpondit, ſignificans non quidem improbum, ſed inordinatum eſſe, quod cuperet: cùm ſaluari mundus, niſi Chriſti morte non poſſet, & exemplo Domini in hoc vocaretur credentiũ fides, vt licet nõ oporteret de beatitudinis promiſſionibus dubitari, intelligeremus tamen inter tentationes huius vitæ prius nobis tolerantiam poſtulandam eſſe, quàm gloriam, quia tempora patiendi non poteſt felicitas præuenire regnandi.

CAP. VI. Hic eſt filius meus dilectus.

Adhuc itaque eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos, & ecce vox de nube dicens: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſũ audite.* Præſens quidem erat in filio pater, & in illa Domini claritate, quam ad diſcipulorum temperat aſpectum, non ſeperabatur ab vnigenito genitoris eſſentia: ſed ad commendandã proprietatem vtriuſque perſonæ, ſicut viſu ſignificauit Filium ſplendor ex corpore, ſic auditu Patrem vox nunciauit ex nube. Qua voce accepta, diſcipuli quod in faciem ceciderunt, & timuerunt valde: non de patris tantùm ſed & de filij maieſtate tremuerunt. Altiori enim, ſenſu vnam vtriuſque intellexerunt deitatem. Et quia in fide non erat hæſitatio, non fuit in timore diſcretio. Latum ergo illud & multiplex teſtimoniũ fuit, & plus in verborum virtute, quàm in ſono vocis auditum eſt. Dicente enim patre, *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite*, nonne euidenter auditũ eſt, *Hic eſt, filius meus* cui ex me, & mecum eſſe, ſine tempore eſt? Quia nec genitor genito prior, nec genitus eſt genitore poſterior. Hic eſt filius meus, quem à me non ſeparat deitas, non diuidit poteſtas, non diſcernit æternitas. Hic eſt filius meus non adoptiuus, ſed proprius, non aliunde creatus, ſed ex me genitus: nec de alia natura mihi factus comparabilis, ſed de mea eſſentia mihi natus æqualis. Hic eſt filius meus: per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil, quia omnia, quæ facio, ſimiliter facit, quicquid operor, inſeparabiliter mecum atque indifferenter operatur. In patre enim eſt filius, & in filio pater, nec vnquam vnitas noſtra diuiditur. Et cùm alius ego ſim, qui genui, alius ille, quem genui: non aliud tamen de illo vobis eſt cogitare, quàm de me ſentire poſſibile eſt. Hic eſt filius meus: qui eam, quam mecum habet æqualitatem, non rapina appetiit, nec vſurpatione præſumpſit, ſed manens in forma gloriæ meæ, vt ad reparandum genus humanum exequeretur commune conſilium, vſque ad formam ſeruilem inclinauit incommutabilem deitatem.

Ioan. 1. / Ioan. 5. / Philip. 2.


CAP. VII.

Hunc ergo, in quo mihi per omnia benè complaceo, & cuius prædicatione manifeſtor, cuius humilitate clarificor, incunctanter audite: quia ipſe eſt veritas & vita, ipſe virtus mea atque ſapientia. Ipſum audite, quem legis myſteria prænunciauerunt, quem Prophetarum ora cecinerunt. Ipſum audite, qui ſanguine ſuo mundum redemit, qui diabolum ligat, & vaſa eius rapit, qui peccati chirographum, & præuaricationis pacta dirumpit. Ipſum audite, qui viam aperit ad cœlum, & per Crucis ſupplicium gradus vobis Aſcenſionis parat ad regnum. Quid trepidatis redimi? quid pauetis ſaucij liberari? Fiat quod me volente vult Chriſtus. Abiicite carnalem formidinem, & fideli vos armate conſtantia. Indignum eſt enim, vt in Saluatoris paſſione timeatis, quod ipſius munere nec in veſtro fine metuetis.

CAP. VIII.

Hæc, dilectiſſimi, non ad illorum tantùm vtilitatem dicta ſunt qui ea propriis auribus audierunt, ſed in illis tribus Apoſtolis vniuerſa Eccleſia didicit, quicquid eorum & aſpectus vidit, & auditus accepit. Confirmetur ergo ſecundum prædicationem ſacratiſſimi Euangelij omnium fides, & nemo de Chriſti Cruce, per quam mundus redemptus eſt, erubeſcat. Nec ideo quiſquam aut pati pro iuſtitia timeat, aut de promiſſorum retributione diffidat, quia per laborem ad requiem, & per mortem tranſitur ad vitam: cùm omnem humilitatis noſtræ infirmitatem ille ſuſceperit in quo ſi in confeſſione & in dilectione ipſius permaneamus, & quod vicit vinci

vincimus,& quod promisit accipimus, quia siue ad facienda mandata, siue ad tolerenda aduersa, præmissa patris vox debet semper auribus nostris intonare dicentis: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite.* Qui viuit & regnat cū Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen.



HOMILIA S. LEONIS PAPÆ.

Matth. 5. *De eo quod scriptum est, Videns Iesus turbas, ascendit in montem: & quum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, &c. de gradibus ascensionis ad beatitudinem.*

CAP. I. PRÆDICANTE, dilectissimi, Domino nostro Iesu Christo Euangelium regni, & diuersos per totam Galilæam curante languores, in omnem se Syriam virtutum eius fama diffuderat: & multæ ex vniuersa Iudæa turbæ ad cælestem medicū confluebant. Quia enim tarda est humanæ ignorantiæ fides ad credenda quæ non videt, & speranda quæ nescit, oportebat diuina eruditione firmandos, corporeis beneficiis & visibilibus miraculis incitari: vt cuius tam benignam experiebantur potentiam, non ambigerent salutarem esse doctrinam. Vt ergo exteriores medelas Dominus ad remedia interiora transferret, & post sanitates corporum, curationes operaretur animarum: segregatus à circunstantibus turbis secessum vicini montis ascendit, aduocatis Apostolis, quos sublimioribus institutis ab edito mysticæ sedis imbueret, ex ipsa loci atque operis qualitate significans se esse qui Mosen quondam suo fuisset dignatus alloquio: illic quidem terribiliore iustitia, hic autem sacratiore clementia, vt impleretur, (Hier. 31.) quod fuerat, Propheta Hieremia dicente, promissum: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo super domum Israël, & super domum Iuda testamentum nouum.* Post dies illos, dicit Dominus, dabo leges meas in sensu ipsorum, & in corde ipsorum scribam eas. Qui ergo locutus fuerat Mosi, locutus est & Apostolis, & in cordibus discipulorum velox scribentis Verbi manus, noui testamenti decreta condebat, nulla, vt quondam, circunfusa nubium crassitudine, neque per terribiles sonos atque fulgores populo ab accessu montis absterrito: sed patente ad aures circunstantium tranquillitate colloquij, vt per gratiæ lenitatē remoueretur legis asperitas, & spiritus adoptionis auferret formidinem seruitutis. Qualis igitur doctrina sit Christi, sacræ ipsius sententiæ protestantur: vt qui ad æternam beatitudinem peruenire desiderant, gradus felicissimæ ascensionis agnoscant. *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* De quibus pauperibus Veritas loqueretur, fortè esset ambiguum, si dicens, *Beati pauperes*, nihil adderet de intelligenda pauperum qualitate, & sufficere videretur ad promerendum regnum cœlorum ea sola inopia, quam multi sub graui & dura necessitate patiuntur. Sed cùm dicit, *Beati pauperes spiritu*, ostendit eis regnum cœlorum tribuendum, quos humilitas commendat animorum, magis quàm indigentia facultatum. Dubitari autem non potest, quod humilitatis istius bonum, faciliùs pauperes quàm diuites assequantur: dum & illis in tenuitate amica est mansuetudo, & istis in diuitiis familiaris elatio. Veruntamen & in plerisque diuitibus inuenitur hic animus, qui abundantia sua non ad tumorem superbiæ, sed ad opera benignitatis vtatur, idque pro lucris maximis numeret, quod ad reuelandam miseriam alieni laboris impenderit. Omni generi atque ordini hominum datur in hac virtute consortium: quia possunt esse proposito pares, & impares censu: nec interest, quantum sint in facultate terrena dissimiles, qui in spiritalibus bonis inueniūtur æquales. Beata igitur illa paupertas, quæ rerum temporalium amore non capitur, nec mundi opibus augeri appetit: sed cœlestibus bonis ditescere concupiscit. Huius nobis magnanimæ paupertatis exemplum primum post Dominum Apostoli præbuerunt, quia omnia sua sine differentia relinquentes, ad vocem cœlestis magistri, à captura piscium in piscatores hominum alacri conuersione mutati sunt, & multos sui similes fidei suæ imitatione fecerunt, quando illis primitiuis Ecclesiæ vnum cor omnium & anima vna erat credentium: qui vniuersis suis rebus possessionibúsque distracti per deuotissimam paupertatem bonis ditabantur æternis, & ex Apostolica prædicatione gaudebant, nihil habere de mundo, & omnia possidere cum Christo. Hinc B. Petrus Apostolus, cùm ascendens in templum, à claudo eleemosyna posceretur, *Argentum*, inquit, *& aurum non est mecum, quod autem habeo hoc tibi do. In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula*, Quid hac humilitate sublimius? quid hac paupererate locupletius? non habet præsidia pecuniæ, sed habet dona naturæ: quem debilē edidit mater ex vtero, sanum fecit Petrus ex verbo: & qui imaginem Cæsaris in numero non dedit, imaginē Christi in homine reformauit. Huius autem thesauri opibus, non solùm ille adiutus est, cui gressus est redditus: sed etiam quinque millia virorum, qui tunc ad exhortationem Apostoli ob eiusdem curationis miraculum crediderunt. Et ille pauper, qui non habebat quod petenti daret tantam dedit diuinæ gratiæ largitatem, vt quemadmodum vnum hominem redintegrat in pedibus: sic tot millia credentium sanaret in cordibus; facerétque eos in Christo alacres, quos in Iudaica perfidia inuenerat claudicantes. Post prædicationem huius felicissimæ paupertatis, addidit Dominus, dicens: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Luctus hic, dilectissimi, cui consolatio æterna promittitur, non est cum mundi huius affectione communis, nec beatum quenquam faciunt ista lamenta, quæ totius humani generis deploratione funduntur. Alia ratio est sanctorum gemituum, alia beatarum causa lacrymarum. Religiosa tristitia, aut alienum peccatum luget, aut proprium. Nec de hoc dolet, quod diuina iustitia agitur, sed de eo mœret, quod humana iniquitate committitur: vbi magis plangendus est faciens maligna, quàm patiens: quia iniustum malitia sua demergit ad pœnam: iustū autem tolerantia ducit ad gloriam. Deinde ait Dominus: *Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram.* Mitibus atque mansuetis, humilibus ac modestis, ad omnium iniuriarum tolerantiam præparatis, possidenda terra promittitur. Nec parua æstimanda est hæc aut vilis hæreditas, tanquam à cœlesti habitatione discreta sit, cùm regnum cœlorum alij non intelligantur intrare. Terra ergo promissa mitibus, & in possessionem danda mansuetis, caro sanctorum est, quæ ob humilitatis meritum felici resurrectione mutabitur, & immortalitatis gloria vestietur: in nullo iam spiritui futura contraria & cum voluntate animi perfectæ vnitatis habitura consensum. Tunc enim exterior homo interioris hominis erit quieta & intemerata possessio: tunc mens videndo Deo intenta, nullis corporeæ infirmitatis impedietur obstaculis, nec iam dici necesse

Marginal notes: Matth. 5. (at "præbuerunt"); Act. 4. (at "cor omnium"); Act. 3. (at "Argentum"); Act. 5. (at "miraculum"); CAP. III. (at "Beati qui lugent"); Matth. 5. (at "latio æterna"); CAP. II. Gradus ascensionis ad beatitudinem. (at "seruitutis"); CAP. IV. (at "Beati mites").

Sap. 6. ceſſé erit, *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animã, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitãtem:* Quoniam habitatori ſuo non reluctabitur terra, nec immoderatum aliquid contra imperium ſui rectoris audebit. Poſſidebunt enim illam mites pace perpetua, & nihil vnquam de eorum iure minuetur: 1. Cor. 15. cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, vt periculum vertatur in præmium, & quod fuit oneri, ſit honori. CAP. V. Poſt hæc addit Dominus, & dicit *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Nihil hæc eſuritio corporeum, nihil expetit ſitis iſta terrenum: ſed iuſtitiæ bono deſiderat ſaturari, & in omnium oculorum introducta ſecretum ipſo Domino optat impleri. Felix mens, quæ hunc concupiſcit cibum; & ad talem æſtuat potum, quem vtique non expeteret, ſi nihil de eius ſuauitate guſtaſſet. Pſalm. 33. Audiens autem dicentem ſibi Propheticum ſpiritum, *Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus,* accepit quandam ſupernæ dulcedinis portionẽ, & in amorem caſtiſſimæ voluptatis exarſit: vt ſpretis omnibus temporalibus, ad edendam bibendamque iuſtitiam, toto accenderetur affectu, & illius primi Deut. 6. mandati apprehenderet veritatem, dicentis: *Diliges* Matth. 20. *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota* Marc. 14. *mente tua, & ex tota virtute tua:* quoniam nihil eſt Lucæ 10. aliud diligere Deũ, quàm amare iuſtitiam. Denique Diligere Deum quid ſit. ſicut illi dilectioni Dei, proximi cura ſubiungitur: ita & huic deſiderio iuſtitiæ virtus miſericordiæ copulatur, & dicitur, CAP. VI. *Beati miſericordes, quoniam ipſorũ miſerebitur Deus.* Agnoſce, Chriſtiane, tuæ ſapientię dignitatem, & qualium diſciplinarum artibus ad quæ præmia voceris, intellige. Miſericordem te miſericordia, iuſtum vult te eſſe iuſtitia, vt in creatura ſua Creator appareat, & in ſpeculo cordis humani per lineas imitationis expreſſa Dei imago reſplendeat. Secura eſt operantium fides, aderunt tibi deſideria tua, & iis quæ amas, ſine fine potieris. Et quoniam tibi per eleemoſynam omnia munda ſunt, ad eam quoque beatitudinem, quæ conſequenter eſt promiſſa, peruenies dicente Domino.

CAP. VII. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* 1. Cor. 13. Magna felicitas, dilectiſſimi, cui tantum præmium Joan. 1. præparatur. Quid ergo eſt habere cor mundum, niſi 1. Tim. 64. eis, quæ ſupra dictæ ſunt, ſtudere virtutibus? Videre Eſaiæ 64. autẽ Deum, quantæ ſit beatitudinis, quæ mens con- 1. Cor. 2. cipere, quæ lingua valeat explicare? Et tamen hoc conſequetur, cùm transformabitur humana natura, vt non iam per ſpeculum, neque in ænigmate, ſed facie ad faciem, ipſam, quam nullus hominum videre potuit ſicuti eſt, videat deitatem: Et quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, per ineffabile gaudium æternę contemplationis obtineat. Meritò hæc beatitudo cordis promittitur puritati. Splendorem enim veri luminis ſordens acies videre non poterit: & quod erit iucunditas mentibus nitidis, hoc erit pœna maculoſis. Declinentur igitur terrenarum caligines vanitatum, & ab omni ſqualore iniquitatis, oculi tergantur interiores: vt ſerenus intuitus tantum Dei viſione paſcatur. Ad hoc enim promerendum illud intelligimus pertinere, quod ſequitur.

CAP. VIII. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Beatitudo iſta, dilectiſſimi, non cuiuſlibet conſenſionis, aut qualiſcunque concordiæ eſt, ſed illius, de qua Rom 5. dicit Apoſtolus: *Pacem habete ad Deum.* Et de qua pſal 118. dicit propheta Dauid: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.* Hanc pacem etiam arctiſſima amicitiarum vincula, & indiſcretæ ſimilitudines animorum non veraciter ſibi vindicant: ſi non cum Dei voluntate concordant. Extra dignitatem huius pacis ſunt improbarum parilitates cupiditatum, fœdera ſcelerum, & pacta vitiorum. Amor mundi cum Dei amore non congruit: nec ad ſocietatem filiorum Dei peruenit, qui ſe in carnali gene- Epheſ. 4. ratione non diuidit. Qui autem ſemper cum Deo mente ſunt ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, nunquam ab æterna lege diſſentiunt, fideli oratione dicentes: *Fiat voluntas tua, ſicut in cœ-* Matth. 6. *lo & in terra.* Hi ſunt pacifici, hi bene vnanimes, ſãctéque concordes, vocandi æterno nomine filij Dei, cohæredes autem Chriſti: quia hoc merebitur dile- Rom. 8. ctio Dei & proximi, vt nullas iam aduerſitates ſentiat nulla ſcandala pertimeſcat: ſed finito omnium tentationum certamine, in tranquilliſſima Dei pace requieſcat. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO BEATI LEONIS PAPÆ, IN NATALI SANCTI Vincentij Martyris.

CAP. I. D. Auguſtino falsò adſcriptus, De ſanctis ſerm. 13.

Cunctorum licet, dilectiſſimi, glorioſas Martyrum paſſiones, diſtincta regionibus loca meruerunt, vna fides faciat omnibus indiſcreto honore venerabiles: propriam tamen ſibi in hoc venerationis obſequio illi vindicant dignitatem, qui Eccleſiam Dei & documentis præ cæteris erexerunt, & patrociniis adiuuerunt: inter quos iuſtè beatum Leuitam Vincentium, cuius confeſſione & morte Chriſtum incredulis prædicatum incunctanter agnoſcimus, Catholicis ſtudiis celebramus. Qui vt fidelium deuotionem Deo ſtudioſiùs commendaret, altiori charitatis flaueſcens affectu, morti ſeſe tandem fideliter obtulit quò videlicet robur fidei in ſoliditiſſima petra Chriſto fundatum, ſequacibus imitandum daretur: nec non & ſemen Apoſtolicæ prædicationis per eum pluribus diſſeminatum, ope ſuæ interceſſionis tutum ac perfectæ conſummationis fruge refertum in cœleſtibus demum horreis conderetur. Nunc ergo amplius propria venerentur, quem etiam peregrina mirantur, quatenus eis ſe largiorem exhibeat in beneficiis, quibus ſe amabiliorem cognoſcit in gaudiis, fiátque in eius ſolennitate vberior lætitiæ ambitus, de quo fidei creuit effectus. CAP. II. S. Vincentij vita & paſſio. Huius denique ſpiritus tanto virtutum munere claruit, vt ſacri miniſterij fultus officio, qui filium Dei Dominum noſtrum ſecuturus eſſet in paſſione, eiuſdem Chriſti calicem credentibus prius miniſtraret in ſalutem. Cuius hauſtu feliciter mente ebriatus, rabidi hoſtis, atque in Chriſtum ſæuientis inſaniã interius adiit, modeſtus ſuſtinuit, ſecurus irriſit ſciens paratus eſſe vt reſiſteret, neſciens elatus eſſe quo vinceret, quia cuius amore ſpiritalibus armis præmunitus reſiſtebat, eius adiutorio quicquid pœnarum in illum furentis ita excogitabat, inſuperabilis fortiter patiendo vincebat. Ideò non hunc laminæ ignitæ ſartaginis, non eculei, non vngulæ, ferreæque manus, non vires pauendæ cædentium, nec dolor ſciſſorum mẽbrorum, non foci fragor, & ſtrepentis in patentibus viſceribus ſalis iniectio, Daciani quiuerunt aliquatenus ſubdere iuſſioni. Sed dum in tantum eius vecordiæ tumor excreſceret, vt tantis paſſionis ſubactũ doloribus aut viciſſe, aut interemiſſe ſe lætabundus extolleret, ſuſcepta ſpe fruſtratus, vnde victor viſus eſt apparere, inde victus compulſus eſt erubeſcere: quoniam quò Dei Martyr duriori vrgebatur pœna, eò ampliori confeſſioni exultabat conſtantia. Vnde ipſius

ipsius passiones vel vltima peruidere, seu memorari fratres euidentius placet: quatenus animaduertat sanctitas vestra, quò diabolus suum perduxerit dolis ministrum, vel quomodo Christus suum in finem
CAP. III. vsquequaque seruauerit famulum. Ex quo illud sanè erat mirabile, quia quantum iste extrinsecus multiplici pœnarum genere contritus arctabatur, tantùm intrinsecus exultante interiori homine dilatabatur: quantumque ille exteriùs iactantia temporalis potentiæ inflabatur, tantùm interiùs despici se perpendens interiori vexatus homine præfocabatur. Contemni igitur se videns sæuiebat, nec in quem iam vindictam inferret inueniebat. Videbat namque desæuientium manus carnificum plus in eo inuenire vulneris, quàm corporis, solumque vigentem spiritum ei stultitiam exprobare suam, quòd prouocabat veritatis normam. Quapropter credens, quod causam confusionis auerteret, si personam quæ se spreuerat absentaret, minusque Dacianus erubesceret, si Vincentium populus non videret, iussit eum à publico remoueri. Sed vt ne sic quidem careret supplicio, contusa qua iacebat testa substernitur: vt vis acuminis concisam molem superiecti corporis plus discinderet, atque reddita tormentis membra quæ secarent obuia susciperent fragmenta. Fallitur tamen
CAP. IV. vincendi opinione cæca crudelitas. Nam diuina bonitas dilectum suum ampliùs in confessione comitata infert nouam tenebris lucem, & tabernaculum splendidum obscurum reddit ergastulum. Fouebat laceros artus medica Dei manus, & venustiori pristinæ sanitatis augmento fossi lateris damna supplebat. Insolita igitur huius luminis claritate perculsi, obstupuere custodes, quin & vocem angelis hymnũ Deo concinentibus mens pallidi ianitoris expauit. Currit exanimis minister ad Præsidem, quem grauiùs relatio nuncij, quàm ictus erat percussura gladij: & cùm non posset ex magnitudine rei tacere quod viderat, tremor iudicem occupat, dolor lacerat, furor inflammat: & ne in pœnis Vicentius vincens gloriam martyrij obtineret, citius, inquit Dacianus, producatur è carcere, ne dum insistimus rebellem punire, videamur eum potius victoria coronare. Profertur itaque ex illo tetri carceris barathro, cælestis quidem gratia pulchrior, etsi adhuc esset passurus robustior. Sed vbi desiderium ad regni vocationem tendentis nullo pœnarum vel mortis genere frangendum intelligit, iubet inuida mens lenioris strati fulcra substitui, ac blandiori eum requie confoueri: scil. vt si amoto paululum carnifice, animam quietus exhalaret, diceretur non esse occisus, sed mortuus: quasi non eum pœna peremerit, cum
CAP. V. quo & pœna simul perierit. Interea B. Vincenitum cælestis aula suscipit, ac beatæ felicitatis munere donat. Ad cuius ingressum angelici lætantur spiritus, omnésque simul concius gratulantur sancti. Nósque tibi gratias agimus, Domine Iesu, quòd anima tuo digna consortio, quæ pertinax tulit supplicium, mendax fugit obsequium: & quæ fuit contenta persecutor quòd fureret, sit dedignata quòd parceret. Cognito igitur sancto eius abscessu iudex insanus, & quia Christus vicisset in Vincentio nescius Dacianus, illius sibi promittit cadaueris expositione vindictam, cuius gemit ex virtute victoriam. Feris namque & canibus decepta furoris superbia absumendum proiici mandat lictoribus: vt tali pastu eorum impleret ventrem, quorum ipse gerebat mentem. Sed vt diuinis excrescentibus beneficiis maioris victoriæ Vincentio gratia conferatur, mittitur coruus auis amica cadaueribus expositas corporis dapes seruatura ieiunia. Hinc, fratres dilectissimi,
CAP. VI. hinc aduertite distincta meritorum obsequia. Helias quondam impias Achab vel Iezabelis manus cautè declinans, in deserto coruis ministrantibus pascitur: assertor autem veritatis Vincentius Daciani rabie peremptus, feris exponitur consumendus, sed coruo famulante seruatur illæsus. Obtinuit ergo Helias diuino nutu coruis præstantibus quo aleretur, præstitum est Vincentio, obsequente quoque coruo, ne comederetur. Qui vt cœlitùs se custodem designatum ostenderet, aduentantes reliquas aues eminus non segni impetu pertubabat, inter quas immanem quoque lupum propiùs accedentem, veluti qui commissum thesaurum sacrilega audacia attaminare præsumeret, pennis & alis diuerberans procul abegit. Sed ille quòd non tam ad inferendam venisset iniuriam, quàm ad augendam miraculi põpam quadam sui habitudine stupidus indicabat. O impudens furor, & stulta vesania! Coruus obsequitur, lupus veneratur, Dacianus persequitur, nec erubescit velle se adhuc ferox perdere, quem mansuefacta bestialis feritas satagebat protegere. Vnde ad occulendam Martyris laudem non iam secretum, sed profundum elegit: credens sibi ad delitescendam eius gloriam non claustra fidem seruatura, sed maria: quasi non idem elementi dominus esset, per quem dudum ei carceris abdita cœlesti fulgore radiata miscuissent. Datur nautis mergendum corpus in fluctibus: vt ad auxilium saltem æquora proficerent, cui ad vincendum Christi militem terra defecisset. Enauigatis itaque magna ex parte freti gurgitibus, proiectum inter sorbentes vndas præpotens est Dei dextera consecuta: & quæ spiritum intulerat in cœlum, corpus mox retulit ad sepulchrum. Sic prædicator veritatis, charissimi, nec tormentorum vincitur pœnis, nec tenebrosis carceris superatur angustiis. Non à bestiis dilaniatur, non profundo celatur, sed littori redditur, præconio diffamatur: vt qui verè confessus fuerat nomen deitatis, veritate sibi adesse experiretur diuinæ suffragia bonitatis. Cuius gloriosam virtute vitam, ita pretiosæ mortis gratia decorauit: vt quod viuendo docuit, moriendo constanter astrueret: eratque consequens quatenus ad eius visionem per mortem attingeret, quem probabilis vitæ conuersatione semper attestatus fuisset, sciens quod de contemptu præsentis vitæ gloria surgit beatitudinis æternæ, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Coruus exanime Vincentij corpus tuetur.

3. Reg 17.

CAP. VII.

Sermo incerti Authoris, de Martyribus.

Quotiescunque, fratres charissimi, sanctorum Martyrum solennia celebramus, ita ipsis intercedentibus expectemus à Domino consequi temporalia beneficia, vt ipsos Martyres imitando, accipere mereamur æterna. Ab ipsis enim sanctorum Martyrum in veritate festiuitatum gaudia celebrantur, qui ipsorum Martyrum, exhortationes sunt martyriorum: vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Sed nos volumus gaudere cum Sanctis, & tribulationem mundi nolumus sustinere cum illis. Qui enim sanctos Martyres, vel in quantum potuerit, imitari noluerit: ad eorum beatitudinem non poterit peruenire. Sic enim Apostolus Paulus prædicat dicens: Si fuerimus socij passionum, erimus, & consolationum. *Et Dominus in Euangelio*: Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. *Recursat esse in corpore, qui odium mundi non vult sustinere cum capite. Sed dicit aliquis. Et quis est qui possit beatorum Martyrum vestigia sequi? Huic ergo respondeo: quia non solùm Martyres, sed ipsum Dominum cum ipsius adiutorio si volumus, possumus imitari. Audi non me, sed ipsum Dominum generi humano clamantem*: Discite

Reperitur & inter sermones D. Augustini, De Sanctis 47. quamuis nec illius sit.

2. Cor. 1.

Ioan. 15.

Matth. 11. ſcite à me quoniam mitis ſum & humilis corde.
1. Petr. 2. *Audi & beatum Petrum Apoſtolum admonentem*: Chriſtus pro nobis paſſus eſt relinquens vobis exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. *Ecce Chriſtus dicit, Diſcite à me, beatus Petrus dicit, vt ſequamini veſtigia eius. Similiter Paulus Apoſtolus clamat*: Imitatores Dei eſtote, ſicut filij chariſſimi.
Ephes. 5. *Quid ad hæc reſpondebimus, fratres, vel quā excuſationem habere poterimus? Si tibi aliquis dicat vt virtutes, quas fecit Dominus, debeas imitari, iuſta poteſt eſſe excuſatio tua, quia virtutes & miracula facere non omnibus datum eſt. Iuſtè & caſtè viuere, & charitatem cum omnibus cuſtodire ex Dei adiutorio, cunctis præceptum eſt. Nam & ipſe Dominus non dixit, Diſcite à me mortuos ſuſcitare: ſupra aquas ſiccis*
Matth. 5. *pedibus ambulare. Non hoc dixit. Sed quid ait?* Quoniā mitis ſum & humilis corde. *Et iterum*: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, atque orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, vt ſitis filij patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolē ſuum oriri facit ſuper bonos & malos. *Et iterū*: Eſto-
Ibidem. te & vos perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt. *Et licet ſint alia multa, in quibus debeamus Dominum & beatos Martyres imitari, iſta tamen duo præcipua ſunt, id eſt, vt mites ſimus & humiles corde, & inimicos noſtros toto affectu diligamus, de diligendis inimicis, fratres chariſſimi, nullus vnquam in vnitate ſe poterit excuſare. Poteſt mihi aliquis dicere, non poſſum ieiunare, non poſſum vigilare, nunquid poteſt dicere, non poſſum diligere? Poteſt dicere, non poſſum res meas totas pauperibus erogare, & in monaſterio Deo ſeruire, nunquid poteſt dicere non poſſum diligere? Si dixeris, quia non poſſum à vino & à carnibus abſtinere, credemus tibi. Si autem dixeris, quod non poſſis in te peccantibus indulgere, omnino non credemus. Et quia nulla nobis remanet excuſatio, dum nō de cellario, ſed de corde iſtam eleemoſynā iubemur implere, vt per viam vitæ ad æternam patriam mereamur peruenire. Duobus enim præceptis, id eſt, Diliges Dominum tuum, & Diliges proximum quaſi duobus ſpiritualibus pedibus, ſi per viam veræ charitatis volumus currere, ad cæleſtem poſſumus patriam feliciter pertingere. Iſtis pedibus currebat Paulus Apoſtolus,*
1. Cor. 9. *quando dicebat*: Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum. *Qui ergo dilexerit inimicos ſuos, illud in eo*
Matth. 5. *impletur, quod dixit Dominus, videlicet*: Vt ſitis filij patris veſtri, qui in cœlis eſt. *Elige modò, quod tibi placuerit. Si inimicos dilexeris, non ſolùm amicus ſed etiam filius Dei eſſe mereberis. Si verò inimicos amare nolueris, propriū Deum habere non poteris, quia ſcri-*
1. Ioan. 3. *ptum eſt.* Qui odit fratrem ſuū, homicida eſt. *Et ite-*
1. Ioan. 2. *rum*: Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quò eat, quoniam tenebræ obcæcauerunt oculos eius. *Et iterum alibi ſcriptū eſt.* Itinera eorū, qui iniuriam retinent, Dominus labefacit in mortē. *Nunquid hæc verba mea ſunt, fratres chariſſimi? De ſcripturis ſanctis & canonicis proferūtur. Vt ergo ne homicidæ ſimus, ne in tenebris remaneamus, ſtudeamus, non ſolùm amicos, ſed etiā inimicos diligere vt pium & miſericordē Dominū poſſimus ſecundùm cautionis ſuæ vinculum libera cōſcientia conuenire. Ipſe enim dixit.* Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater veſter cœleſtis peccata veſtra. Si autē non dimiſeritis, nec pater ve-
Matth. 6. ſter dimittet vobis peccata veſtra. *Diligenter attēdite fratres & ſcitote aliud eſſe in Deum peccare, aliud in hominem. Quando enim in nos peccant homines, ſi pœnitentibus veniā non indulgemus, peccatū incurrimus. Quando aliquis in Deum peccauerit, ſi ſine grādi diſtrictione, indulgere voluerimus, participes nos peccatis eorum efficimur. Dicit ergo Dominus: Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater veſter cœleſtis peccata veſtra. Rogo fratres, quid dulcius dici poteſt? In poteſtate noſtra poſuit, qualiter in die iudicij iudicemur. Non dixit, vade in Orientem, quære iuſtitiam, nauiga vſque in Occidentem, vt accipias indulgentiam. Dimitte inimico tuo, & dimittetur tibi. Indulge, & indulgebitur tibi; da, & dabitur tibi. Nihil à te extra te quæritur. Ad teipſum & ad conſcientiam tuam te Deus dirigit. In te enim poſuit, quod requirit. Non itaque medicamenta vulneribus tuis longè habes inquirere. Peccatorum tuorum indulgentiam ſi vis intus in cellario cordis tui poteris inuenire. Sed dicit aliquis: Tanta mala me inimicus meus compulit ſuſtinere, vt eum nulla ratione poſſim diligere. Attendis, quid tibi fecerit homo, & non attendis, quid tu feceris Deo? Si conſcientiam tuam diligenter diſcutis & inquiris, ſine vlla compenſatione maiora tu commiſiſti in Deum peccata, quàm in te commiſerit homo. Et qua fronte vis, vt tibi Deus dignetur dimittere multum, cùm tu non acquieſcis dimittere parum? Et ſi hæc quæ ſupra diximus, ſpiritalia medicamenta, ſicut Deo propitiante conſueuiſtis, libenter accipitis, & in armario ſancto conſcientiæ veſtræ recondita diligentiſſimè cuſtoditis: auxiliante Domino venena diaboli non timebitis, & per odium vel iracundiam aut nunquam vobis amara vulnera ingerentur, aut ſi fortè ſubrepſerint, cito per charitatem priſtinam reuocantur, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.*

INCIPIT SERMO S. LEONIS Papæ de natali ſuo.

In anniuerſario die aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum.

SIcut honor eſt filiorum, dilectiſſimi, dignitas patrum, ita lætitia eſt plebis gaudium ſacerdotis, quod, quia ex diuino venit munere, (*Omne enim, ſicut ſcriptum eſt, datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum*) gratias agere bonorum omnium debemus auctori: quoniam ſiue in naturalibus incrementis, ſiue in moralibus inſtitutis; ipſe fecit nos & non ipſi nos, cūque hoc piè & fideliter confitemur, neque in nobis, ſed in Domino gloriamur: fructuosè in nobis renouātur vota cum tempore, & religioſa feſta iuſta ſunt gaudia, in quibus nec ingrati ſumus tacendo de donis, nec ſuperbi præſumendo de meritis. Omnem igitur dilectionem, cauſam, & rationem ſolennitatis hodiernæ ad originem ſuam caputque feramus, & illū debita gratiarum actione laudemus, in cuius manu & gradus officiorum & momenta ſunt temporum. Nam ſi ad nos & ad noſtra reſpicimus, vix aliquid reperimus vnde meritò gaudeamus, mortali etenim carne circundati, & fragilitati corruptionis obnoxij, nunquam ita liberi ſumus, vt non aliqua impugnatione pulſemur: nec tam felix capitur in hoc agone victoria, vt non etiam poſt triumphos ſurgant rediuiua certamina. Vnde nemo tam perfectus eſt Pontifex, tam immaculatus Antiſtes, qui placationis hoſtias pro populi tantùm delictis non etiā pro ſuis debeat offerre peccatis. Quæ conditio ſi omnes ſacerdotes generaliter tenet, quantò magis nos & onerat & obſtringit; quibus ipſa ſuſcepti operis magnitudo creberrima eſt offenſionis occaſio: quamuis enim ſinguli quique paſtores ſpeciali ſollicitudine gregibus ſuis præſint, ſciantque ſe pro commiſſis ſibi ouibus reddituros eſſe rationem, nobis tamen

Ex vet. Cod. ma. Nicolai. Fabri.

tamen cum omnibus cura cõmunis est, neque cuiusquam administratio, non nostri laboris est portio: vt dũ ad B. Apostoli Petri sedem ex toto orbe concurritur, & illa vniuersalis Ecclesia à Domino eidem commendata dilectio, etiam ex nostra dispensatione deposcitur, tanto amplius nobis instare oneris sentiamus, quanto cunctis maiora debemus. In hac ergo materia trepidationis, quæ nobis esset dependendæ fiducia seruitutis, nisi non dormitaret, neque obdormiret qui custodit Israël, & qui Discipulis suis ait: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*, nisi dignaretur nõ solùm custos ouium, sed ipsorum etiam pastor esse pastorum, qui corporeo quidem intuitu, non videtur, sed spiritali corde sentitur, absens carne qua potuit esse conspicuus, præsens deitate qua vbique semper est totus: quia enim *iustus ex fide viuit*, & hæc est iustitia credentis, vt recipiat animo quod non cernit aspectu. *Ascendens Dominus in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*, fidem scit & spem & charitatem, quæ inde magna sunt, indé fortia, inde pretiosa, quia quod carnis oculis non attingitur, id miro mentis affectu & creditur, & speratur, & amatur. Adest igitur, dilectissimi, quod non temerè, sed fideliter confitemur, in medio credentium Dominus Iesus Christus, & quamuis ad dexteram Dei Patris sedeat, *donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum*, non deest tamen Pontifex Summus à suorũ congregatione Pontificum, meritóque illi totum Ecclesiæ & omnium sacerdotum ore cantatur. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.* Ipse enim verus, & æternus est antistes, cuius administratio nec commutationem potest habere, nec finem. Ipse est cuius formã Melchisedech Pontifex præferebat; non Iudaicas hostias offerens Deo, sed illius sacramenti immolans sacrificiũ, quod Redemptor noster in suo corpore & sanguine consecrauit, ipse est cuius sacerdotium pater, non secundum ordinem Aaron cum legis tempore transiturum, sed secundum ordinem Melchisedech pereuniter celebrandum cum firmamento, insolubilibus iurationibus instituit. Nam quia iusiurandum inter homines iis definitionibus adhibetur, quæ perpetuis pactionibus sanciũtur, diuini quoque iuramenti testificatio in his inuenitur, promissisque incommutabilibus sunt fixa decretis, & quia pœnitentia mutationem indicat voluntatis, in eo Deus non pœnitet, in quo secundum æternum placitum non potest aliud velle quàm voluit. Non est itaque nobis, dilectissimi, præsumptuosa festiuitas, quia suscepti sacerdotij diem diuini muneris memores honoramus; quandoquidem piè & veraciter confitetur, quod opus ministerij nostri in omnibus quæ recta agimus Christus exequitur, & non in nobis, qui sine illo nihil possumus, sed in ipso qui possibilitas nostra est gloriamur. Subiungit autem se ad rationem solennitatis nostræ, non solum Apostolica, sed etiã Episcopalis beatissimi dignitas Petri, qui sedi suæ præesse non definit, & indeficiens obtinet cum æterno sacerdote consortiũ. Soliditas enim illa quam de Petra Christo etiam ipse Petro factus accepit, in suos quoque se transfundit hæredes, & vbicumque aliquid ostenditur firmitatis, non dubiè apparet fortitudo pastoris. Nam si omnibus ferè vbique martyribus pro susceptarum tolerãtia passionum, hoc ad merita ipsorum manifestanda donatũ est, vt opẽ periclitantibus ferre, morbos abigere, immũdos spiritus pellere, & innumeros possint curare languores, quis gloriæ B. Petri tam imperitus erit, aut tã inuidus æstimator, qui vllas Ecclesiæ partes non ipsius sollicitudine regi, non ipsius ope credat augeri? viget prorsus & viuit in Apostolorũ principe illa Dei hominúmque dilectio, quam non claustra carceris, non catenæ, non populares impetus, nõ minæ regiæ exterruerunt, & insuperabilis fides, quæ bellando non cessit, vincendo non tepuit. Cùm ergo in diebus nostris mœstitudines in lætitiam, labores in requiem, discordiæ vertuntur in pacem, agnoscimus nos præsulis nostris meritis, & precibus adiuuari, & documentis frequentibus experimur ipsum salubribus consiliis, ipsũ æquis præsidere iudiciis: vt manente apud nos iure ligandi atque soluendi, per moderamen beatissimi Petri, & condẽnatus ad pœnitentiam, & reconciliatus perducatur ad veniam. Et ideo, dilectissimi, quidquid in nobis hodie siue dignatione fratrum, siue pietate filiorum detulistis officij, illi vos mecum religiosiùs & veriùs impendisse cognoscite, cuius sedi, non tam præsidere quàm seruire gaudemus, sperantes orationibus ipsius esse præstandum, vt Deus misericordiarum ministerij nostri tempora benignus aspiciat, pastorémque ouium suarum & custodire semper dignetur, & pascere.

Incipit sermo S. Leon. Papæ, de collectarum die.

ET diuinis præceptis, dilectissimi, & Apostolicis d discimus institutis, omni homini inter vitæ huius discrimina constituto, misericordiam Dei miserendo esse quærendam. Nam quæ lapsos spes erigeret, quæ vulneratos medicina sanaret, nisi eleemosynæ soluerent culpas, & necessitates pauperum fierent remedia delictorum: vnde quia dixerat Dominus, Beati misericordes, quia ipsorum miserebitur Deus omne illud examen, quo maiestate præsenti vniuersum iudicaturus est mundum, sub hac ostendit æquitate liberandum, vt sola erga inopes operum qualitate discussa, & impiis ardere cum diabolo, & benignis paratum sit regnare cum Christo. Quæ ibi in medium facta non venient? quæ occulta non deteguntur? quæ conscientiæ non patebunt, vbi verè nemo gloriabitur castum se habere cor? aut mundum se esse à peccato; sed quoniã exaltabitur super iudicium misericordia, & omnẽ retributionẽ iustitiæ transcendent dona clementiæ, omnis vita mortaliũ, & cunctarum diuersitas actionum sub vnius regulæ conditione taxabitur, vt nulla ibi commemoratio cuiusquam facienda sit criminis, vbi confessione creatoris opera fuerint inuenta pietatis. Non ergo hoc solùm quòd eis exprobabitur, fecerunt sinistri, nec qui humanitatis docebuntur extranei, aliorum peccatorum inuenientur alieni, sed in multis rei ob hoc maximè damnabuntur, quòd crimina sua nullis eleemosynis redemerunt: cum enim durissimi cordis sit quacumque laborantiũ miseria non moueri, & habens auxiliandi copiam tam iniquus sit qui non iuuit afflictũ, quàm qui oppressit infirmum, quæ spes superest peccatori, qui nec ideo miseretur, vt misericordiam consequatur? Primitus itaque, dilectissimi, sibi malus est, qui alteri bonus non est, & animæ nocet suæ, qui vt potest, nõ succurrerit alienæ. Vna est diuitum paupeŕúmque natura, & inter cætera fragilitatis humanæ, nulla est sanitatis tuta fœlicitas, quia quod alicui potest accidere, non est qui debeat non timere. Agnoscat se in quibuscũque hominibus mutabilis, & caduca mortalitas, & pro conditione communi, socialẽ generi suo reddat affectũ, fleat cum flentibus, & cum dolentium gemitibus ingemiscat, cõmunicet cũ indigentibus copias suas beneualentes corporis ministerio. Ad malè iacentẽ inclinet se ægrotũ, inter cibos suos numeret esurientium portionem, & in pallenti trementiũ nuditate se credat algere. Qui enim reuelat

tempo

temporalem miseriam laborantis, euadit æternum supplicium. Prouidenter igitur, dilectissimi, à sanctis Patribus piéque dispositum est, vt in diuersis temporibus quidam essent dies, qui deuotionem fidelis populi ad collationem publicam prouocarent. Et quia ad Ecclesiam maximè ab vnoquoque opē quærente, decurritur, fieret ex possibilitate multorum voluntaria & sancta collectio, quæ per præsidentiū curam necessariis seruiret expensis, ad cuius operis desideratum vobis vt credimus fructum dies vos vicinus inuitat, accedentibus admonitionibus nostris, vt ad Ecclesias regionum vestrarum Sabbato proximè futuro misericordiæ munera deferatis. Et quia hilarē datorē diligit Deus, nemo sibi amplius, quam substantia eius permittat, indicat; inter se & pauperem, æquus quisque sit iudex, remaneat diffidentium læta & secura miseratio; & qui egeno subuenit, Deò se impendere quod largitur, intelligat de quibuslibet substantiis, quarum vtique non vna mensura est, potest esse per meritum, si inter diuersas conferentium quantitates, non sit minor cuiusquam pietas, quàm facultas. Deus enim, apud quem non est acceptio personarum, similiter recipit & diuitis munus & pauperis, quoniam nouit quid singulis dederit, quidve non dederit, & in die retributionis; non modus iudicabitur censuum, sed qualitas voluntatum. Per Christum Dominum nostrum.

Incipit Sermo S. Leonis Papæ, de decimi mensis ieiunio.

DIspensationes misericordiæ Dei, quas Saluator noster pro humani generis reparatione suscepit, ita sunt, dilectissimi, diuinitus ordinatæ, vt Euangelium gratiæ, velamen legis tolleret, non instituta destrueret. Vnde custodienda nobis est Dominica illa sententia, qua dixit se non venire legem soluere, sed implere, vt nos quoque huic regulæ quantum donante Deo possumus, seruiamus: sciētes nihil esse de veteris testamenti constitutionibus negligendum, si vigilanter studeamus agnoscere, quid ibi trāsitura obumbratione velatū, quid permansura actione sit conditum, nam districtio ciborum hostiarum, circumcisio carnis, differentia baptismatum, & obseruatio baptismorum, non adhuc sub figuratis significationibus sunt agenda, quæ etiam sunt rebus ipsis, quæ significabantur, impleta: mandata verò & præcepta moralia, sicut sunt edita, perseuerant; quia non aliud insinuat, quam loquuntur, & apud Christianam deuotionem augmento crescunt, non cessatione deficiunt. Diligere itaque Deum, & proximū, honorare patrem & matrem, non adorare Deos alienos, & cætera, quæ aut terribiliter sunt prohibita, aut sallibriter imperata, non aliter ex legalibus institutis, quàm ex Euangelicis veneramur edictis, & vt quamuis multa accesserint ex nouitate gratiæ, nihil tamen imminutum sit de antiquitate iustitiæ. Vnde meritò disposuerunt Apostolicæ sanctiones, vt veterum ieiuniorum vtilitas permaneret, & licet Ecclesiæ consuetudo prolixioribus se castigationibus exercere didicisset, amplecteretur tamen continentiæ sanctificationem ex lege venientem, quibus enim donatum erat posse quod maius est, indecens fuit non celebrare quod minus est. Hac ergo ratione, dilectissimi, euidenter instructi Ecclesiasticis regulis ieiunium decimi mensis adiungimus, idque deuotioni vestræ sicut est moris indicimus; quoniam plenum pietatis, plerúmque iustitiæ est, vt terrenorum fructuum perceptione conclusa agantur Deo gratiæ, & sacrificium ei misericordiæ cum ieiunij immolatione soluatur. Gaudeat quisque copia sua, & multa se horreis suis intulisse lætetur, sed ita vt de abundantia eius etiam à pauperibus gaudeatur, fœcunditatem segetum, fluenta vitium, partus arborum, vbertas imitetur animorum: quod dedit terra, dent corda, vt possimus dicere cum Propheta: *Terra nostra dedit fructum suum.* Deus nāque verus & summus agricola non solùm corporalium, sed etiam spiritualium auctor est fructuum, & vtraque semina, vtraque plantaria duplici nouit exercere cultura: dans agris profectus germinum, dans animis incrementa virtutum, quæ sicut ab vna prouidentia sumpsere principium, ita ad vnius operis vocant effectum. Homo enim ad imaginem & similitudinem Dei factus, nihi habet in naturæ suæ honore tam proprium, quàm vt bonitatem sui imitetur auctoris, qui donorū suorum sicut misericors largitor est, ita est & iustus exactor, volens nos operum suorum esse consortes, vt quamuis nullam nos valeamus creare naturam, possimus tamen acceptā per Dei gratiam exercere materiā, quia non ita vsui nostro bona terrena collata sunt; vt carnalium tantum sensuum voluptati satietatique seruiant. Alioquin nihil à pecudibus, nihil distaremus à bestiis, quæ alienis necessitatibus consulere nesciunt, & solam sui ac suorum fœtuum curam habere nouerunt. Animalia igitur carentia intellectu nullo sunt erudita mandato, nec acceperunt legem, quæ non accepere rationem: vbi autem est illuminatio rationis, ibi est & disciplina pietatis, quæ dilectionem & Deo debet & proximo: non enim aliter probatur homo, amator esse sui, nisi appareat eum & supra se naturæ suæ auctorem, & secundum se naturæ suæ amare consortem. Meritò in his duobus mandatis tota lex pendet & Prophetæ. Meritò disputationum omnium latitudo sub paucorum breuitate verborum plenissimo est explicata compendio. Diligatur Deus, diligatur & proximus, ita vt formam diligendi proximi ab ea qua nos Deus diligit dilectione sumamus, qui etiam malis bonus est, & benignitatis suæ donis non solùm cultores suos confouet, sed etiam negatores. Amentur propinqui, amentur extranei, & quod debetur amicis, supererogetur inimicis: quamuis enim quorundam malignitas nulla humanitate mitescat, non sunt tamen infructuosa opera pietatis, nec vnquam perdidit beneuolentia quod præstat ingrato. Nemo se, dilectissimi, ab opere bono faciat alienum, nemo de sua tenuitate causetur tanquam qui sibi vix sufficit, & alium iuuare non possit, magnum est quod proferat ex paruo, & in diuinæ lance iustitiæ non quantitate numerum, sed pondere pensatur animorum. Euangelica vidua duos nummos in gazophilacium misit, & omnium diuitum dona transcendit, nulla apud Deum vilis est pietas, nulla infructuosa miseratio; diuersos quidem hominibus dedit census, sed non diuersos quærit affectus. Æstiment omnes substantias suas, & qui plus accepere, plus tribuant, fiat abstinentia fidelium, cibus pauperum, & quod quisque subtrahit sibi, proficiat indigenti, quia licet multum & animis & corporibus conferant remedia parcitatis, parum tamen vtilia sunt ipsa ieiunia, nisi misericordiæ sanctificentur effectu. In eleemosynis enim, virtus quædam est instituta baptismatis, quia sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna peccatum, & per eundem Christum dicitur: *Lauamini, mundi estote*, per quem dicitur, *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis*, vt nemo ambigat, nemo diffidat regenerationis sibi nitorem etiam post multa peccata restitui, qui eleemosynarum studuerit purificatione mundari.

D. LEO



D· LEONIS PAPÆ MAXIMI HVIVS NOMINIS PRIMI, EPISTOLÆ ET DECRETA.

LEO EPISCOPVS VRBIS ROMÆ, VNIVERSIS Episcopis, per Campaniam, & Picenum, vel Tusciam, & per vniuersas prouincias constitutis, in Domino salutem.

Capitum sequentis Epistolæ tituli.

An. Christi 445. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis IV. scripta est hæc epistola. Idem in Epistola Damasi Papæ.

VT nobis gratulationem facit Ecclesiarum status salubri dispositione compositus, ita non leui nos mœrore contristat, quoties aliqua contra statuta canonum, Ecclesiasticamque disciplinā præsumpta vel commissa cognoscimus: quæ si non qua debemus vigilantia, resecemus, illi, qui nos speculatores esse voluit, excusare non possumus, permittentes syncerum corpus Ecclesiæ (quod ab omni macula purum custodire debemus) ambientium improba contagione fœdari, cùm ipsa sibi membrorum per * dissimulationem compago non congruat.

Ezech. 3. 33. — * dissimilitudinem.

CAPVT I.

Dist. 54. Admittuntur.

ADmittuntur passim ad ordinem sacrum, quibus nulla natalium, nulla morum dignitas suffragatur: & qui à dominis suis libertatem consequi minimè potuerunt, ad fastigium Sacerdotij, tanquam seruilis vtilitas hunc honorem iure capiat, prouehuntur: & probari Deo se posse creditur, qui domino suo necdum probare se potuit. Duplex itaque in hac parte reatus est, quod & sacrum * mysterium talis consortij vilitate polluitur: & dominorum, quantum ad illicitæ vsurpationis temeritatem pertinet, iura soluuntur. Ab his itaque, fratres charissimi, omnes prouinciæ vestræ abstineant Sacerdotes, & non tantùm ab his, sed ab illis etiam, qui aut originali, aut alicui conditioni obligati sunt, volumus temperari: nisi fortè eorum petitio aut voluntas accesserit, qui aliquid sibi in eos vendicant potestatis. Debet enim esse immunis ab aliis, qui diuinæ militiæ fuerit aggregandus: vt à castris dominicis, quibus nomen eius adscribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur.

* ministerium. — 1 Tim. 3. Leuit. 21.

CAPVT II.

QValis verò vnicuique natalium honestas, & morum esse debeat, qui sacri Altaris ministerio est sociandus, & Apostolo nos docente, & diuina præceptione didicimus, & canonum regulis, à quibus plerosque fratrum declinasse, & penitus deuiasse reperimus. Nam constat ad Sacerdotium peruenisse viduarum maritos, quosdam etiam quibus fuerint numerosa coniugia, & ad omnem licentiam vita liberior, ad sacrum ordinem passim patefactis aditibus fuisse permissos, contra illam beati Apostoli vocem, qua talibus reclamat, dicens: *Vnius vxoris virum.* Et contra illud antiquæ legis præceptum, quo dicitur & cauetur: *Sacerdos virginem vxorem accipiat, non viduam, non repudiatam.* Hos ergo, quicumque tales admissi sunt, ab Ecclesiasticis officiis, & à Sacerdotali nomine, Apostolicæ Sedis authoritate iubemus arceri: (nec hoc enim sibi poterunt pro arbitrio vendicare, cuius capaces, per hoc quod illis obstiterat, non fuerunt.) Huius discussionis curam nobis specialiter vendicantes, vt, si qua forsitan de his commissa sunt, corrigantur, ne liceat vltrà committi; & ne qua excusatio de ignoratione nascatur: quamquam ignorare nunquam licuerit * sacerdotem, quod canonum fuerit regulis definitum. Hæc ergo ad prouincias vestras, per Innocentium, Legitimum, & Segetium fratres Coëpiscopos nostros scripta direximus: vt quæ malè pullulasse noscuntur; radicitiùs euellantur, & messem Dominicam zizania nulla corrumpant. Ita enim fructum vberem, quæ sunt syncera, præstabunt, si ea quæ natam segetem enecare consueuerunt, diligentiùs amputentur.

1. Tim. 3. Leuit. 21. — 1. Tim. 3. — Leuit. 21. — * Sacerdoti.

CAPVT III.

14. quæst. 4. Nec hoc prætereundum.

NEc hoc quoque prætereundum esse duximus, quosdam lucri turpis cupiditate captos, vsurariam exercere pecuniam, & fœnore velle ditescere. Quod nos, non dicam in eos, qui sunt in clericali officio constituti, sed in laicos cadere, qui Christianos se dici cupiunt, condolemus. Quod vindicare acriùs in eos, qui fuerint confutati, decernimus: vt omnis peccandi opportunitas adimatur.

CAPVT IV.

Distinct. 46. Sicut non suo.

ILlud enim duximus præmonendum, vt sicut non suo, ita nec alieno nomine, aliquis clericorum exercere fœnus attentet: indecens enim est, crimen suum commodis alienis impendere. Fœnus autem hoc solum aspicere & exercere debemus, vt, quod hic misericorditer tribuimus, ab eo Domino, qui multipliciter & in perpetuum mansura retribuet, recipere valeamus.

CAPVT V.

Distinct. 10. Si Roman. Pontif. §. Quibus ad hæc.

HOc itaque admonitio nostra denunciat, quòd si quis fratrum contra hæc constituta venerit, vel venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendum, nec eum communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. Ne quid verò sit, quod prætermissum à nobis fortè credatur, omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium præcessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis* ordinibus, & canonum ordinata sunt disciplinis, ita vestram dilectionem custodire debere mandamus: vt si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari. Data sexto Idus Octobris, Maximo verò & * Paterno viris clarissimis Consulibus.

ordinationibus. *Patric.*

EPISTOLA II.

Ad Episcopos per Italiam, quod plurimi Manichæorum vigilantia ipsius Papæ Leonis in vrbe Roma detecti sunt.

Leo Episcopus vrbis Romæ, omnibus Episcopis per Italiam constitutis, in Domino salutem.

Anno Christi 446. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis 5. scripta est hæc Epistola.

IN consortium vos nostræ sollicitudinis, dilectissimi frates, aduocamus, vt vigilantia pastorali, ne quid diabolicæ fraudis astutia possit nocere commissis vobis gregibus diligentius consulatis, ne is, qui Domini misericordia reuelante per nostram curam à nostris ouibus morbus abigitur, necdum vobis præmonitis, & adhuc quid agatur ignaris, per vestras se dispergat Ecclesias & suarum furtim cuniculos inueniat latebrarum, ne quod à nobis in vrbe extinguitur, tenebrosis apud vos radicibus seminetur. Pluribus impietatis Manichææ sequaces & doctores in vrbe inuestigatio nostra reperit, vigilantia diuulgauit, authoritas & censura coërcuit: quos potuimus emendare, correximus, vt damnarent Manichæum cum prædicationibus & discipulis suis publica in Ecclesia professione & manus suæ subscriptione compulimus, & ita de voragine impietatis suæ confessos, pœnitentiam concedendo, leuauimus. Aliquanti verò, qui ita se demerserant, vt nullum his auxiliantis posset remedium subuenire, subditi legibus, secundum Christianorum Principum constituta, ne sanctum gregem sua contagione polluerent, per publicos iudices perpetuo sunt exilio relegati. Et omnia, quæ tam in scripturis, quàm in occultis traditionibus suis habent prophana vel turpia, vt nosset populus quid refugeret aut vitaret, oculis Christianæ plebis certa manifestatione probauimus, adeò vt ipse qui eorum dicebatur Episcopus, à nobis tentus, procederet flagitiosa in suis mysteriis, quæ tenerent, sicut gestorum vos series potest edocere. Ad instructionem enim vestram etiam ipsa dixerimus: quibus lectis, omnia quæ à nobis reprehensa sunt nosse poteritis. Et qui aliquantos de his, quos ne absoluerentur, arctior reatus inuoluerat, cognouimus aufugisse, hanc ad dilectionem vestram epistolam misimus per Acolythum nostrũ, vt effecta certior sanctitas vestra, sollicitiùs agere dignetur & cautiùs, necubi Manichææ peruersitatis homines plebes vestras facultatem lædendi, & huius sacrilegij possint inuenire doctores. Aliter enim nobis commissos regere non possumus, nisi hos, qui sunt perditores & perditi, zelo fidei Dominicæ persequamur, & à sanis mentibus, ne pestis hæc latiùs diuulgetur, seueritate, qua possumus, abscindamus. Vnde hortor dilectionem vestram, obtestor, & moneo; vt qua debetis & potestis, sollicitudine vigiletis ad inuestigandos eos, necubi occultandi se, reperiant facultatem. Vt enim habebit à Deo ingens remunerationis præmium, qui diligentiùs, quod ad salutem commissæ sibi plebis proficiat, fuerit executus: ita ante tribunal Domini de reatu negligentiæ se non poterit excusare, quicunque plebem suam, contra sacrilegæ persuasionis authores, noluerit custodire. Data tertio Kalendas Februarij, Theodosio XVIII. & Albino, viris clarissimis Consulibus.

EPISTOLA III.

Ad * Iulianum Episcopum Aquileiensem, quod omnis cuiuslibet ordinis Clericus, qui Catholicam deserens, hæreticæ communioni se miscuerit, & ad Ecclesiam conuersus fuerit, in eo gradu, quo erat, sine promotione remaneat. *Ianuarium.*

*Leo Episcopus vrbis Romæ, *Iuliano Aquileiensi Episcopo.* *Ianuario.*

Anno Christi 449. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis 8. scripta est hæc Epist.

LEctis fraternitatis tuæ litteris, vigorem fidei tuæ, quem olim noueramus, agnouimus, congratulantes tibi, quod ad custodiam gregum Christi, pastoralem curam vigilanter exequeris, ne lupi, qui sub specie ouium subintrarunt, bestiali sæuitia simplices quosque dilacerarent: & non solùm ipsi nulla correctione perficiant, sed etiam ea quæ sunt sana corrumpant. Quod ne viperea possit obtinere fallacia, dilectionem tuam duximus commonendam: insinuantes ad animæ periculum pertinere, si quisquam de his, qui à nobis in hæreticorum, atque schismaticorum sectam delapsus, & se vtcumque hæreticæ communis contagione macularit, resipiscens, in Communione Catholica sine professione legitimæ satisfactionis habeatur. Saluberrimum enim & spiritalis medicinæ vtilitate plenissimum est, vt siue Presbyteri, siue Diaconi, aut cuiuslibet ordinis Clerici, qui se correctos videri volunt, atque ad Catholicam fidem, quam iam pridem amiserant rursum reuerti ambiunt, prius errores suos & ipsos authores errorum damnari à se sine ambiguitate fateantur, vt sensibus prauis etiam perēptis, nulla sperandi supersit occasio, ne vllum membrum talium possit societate violari, cùm per omnia illis professio propria cœperit obuiare. Circa quos etiam illam canonum constitutionem præcipimus custodiri, vt in magno habeant beneficio, si adem

Matth. 7. 1. q. 1. Si quis hæretica.

1. q. 7. Saluberrimum 1. quæst. 1. Omnis cuiuslibet. Et cap. si quis hæret. Et in decr. Iuonis lib. 3.

ſi adempta ſibi omni ſpe promotionis, in quo inueniuntur ordine,ſtabilitate perpetua maneant : ſi tamen iterata tinctione non fuerint maculati. Non leuem apud Deum noxam incurrit, qui de talibus ad ſacros promouendos ordines iudicarit. Quod ſi cùm grandi examinatione promotio conceditur inculpatis, multo magis non debet licere ſuſpectis. Proinde dilectio tua cuius deuotione gaudemus, iungat curam ſuam diſpoſitionibus noſtris, & dent operam: vt circunſpectè atque velociter impleantur,quæ ad totius Eccleſiæ incolumitatem, & laudabiliter digeſta ſunt, & ſalubriter ordinata. Non autem dubitet dilectio tua, nos ſi (quod arbitramur) neglecta fuerint, quæ pro cuſtodia canonum, & pro fidei integritate decernimus, vehementius commouendos: quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ ſunt, quàm ad deſides, negligentéſque rectores: qui multam ſæpe nutriunt peſtilentiam, dum neceſſariam diſſimulant adhibere medicinam.Data pridie Calendas Iulij, Alipio & Ardabure viris clariſſimis Conſulibus.

Diſtinct.87. Inferiora culpæ.

EPISTOLA IV.

Ad vniuerſos Epiſcopos per Siciliam conſtitutos.

Capitum ſequentis epiſtolæ tituli.

Leo Epiſcopus,vniuerſis Epiſcopis per Siciliam conſtitutis in Domino ſalutem.

Anno Chriſti 449.qui fuit annus Pontificatus S.Leonis 8.ſcripta eſt hæc Epiſtola. 25.quæſt.1. Diuinis præceptis.

DIuinis præceptis & Apoſtolicis monitis incitamur,vt pro omnium Eccleſiarum ſtatu, impigro vigilemus affectu; ac, ſi quid vſquam reprehenſioni inueniatur obnoxium, celeri ſollicitudine, aut ab ignorantiæ imperitia, aut à præſumptionis vſurpatione reuocemus. Monente enim Dominicæ vocis imperio, quo beatiſſimus Apoſtolus Petrus trina repetitione myſticæ ſanctionis imbuitur, vt Chriſti oues, qui Chriſtum diligit, paſcat, ipſius Sedis, cui per abundantiam diuinæ gratiæ præſumus, reuerentia cohortamur: vt periculum deſidiæ,quantum poſſumus,declinemus, ne profeſſio ſummi Apoſtoli, qua ſe amatorem Domini eſſe teſtatus eſt, vana inueniatur in nobis, quia negligenter paſcens toties commendatum Dominicum gregem, conuincitur ſummum non amare paſtorem.

Ioan.21.

CAPVT I.

CVm ergo mihi de charitatis veſtræ actibus fraterna affectione ſollicito, certis indiciis innotuerit, vos in eo, quod inter ſacramenta Eccleſiæ principale eſt,ab Apoſtolicæ inſtitutionis conſuetudine diſcrepare, ita vt baptiſmi ſacramentum numeroſiùs in die Epiphaniæ,quàm Paſchali tempore celebretis,miror vos,vel præceſſores veſtros tam irrationabilem nouitatem vſurpare potuiſſe, vt confuſo temporis vtriuſque myſterio, nullam eſſe differentiam crederetis inter diem, quo adoratus eſt Chriſtus à Magis,& diem quo reſurrexit à mortuis. Quam culpam nullo modo potuiſſetis incidere, ſi vnde conſecrationem honoris accepiſtis,inde legem totius obſeruantiæ ſumeretis: & B. Petri Apoſtoli Sedes,quæ vobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſet Eccleſiaſticæ magiſtra rationis.A cuius vos regulis receſſiſſe,*minore poſſet æquanimitate tolerari, ſi aliqua commotionis noſtræ increpatio non præceſſiſſet. Nunc autem quia non deſperatur correctio, manſuetudo ſeruanda eſt.Et licet vix ferenda ſit in ſacerdotibus excuſatio, quæ prætendat inſcitiam: maluimus tamen & cenſuram neceſſariam temperare, & ratione vos apertiſſimæ veritatis inſtruere.

minùs poſſet æquanimiter

CAPVT II.

SEmper quidem in æterno conſilio Dei manſit humani generis incommutabiliter præordinata reparatio:ſed ordo rerum,per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum temporaliter gerendarum, in Incarnatione Verbi ſumpſit exordium. Vnde aliud tempus eſt,quo annunciante Angelo, beata Maria fœcundandam ſe per Spiritum ſanctum credidit, & concepit:aliud,quo ſalua integritate virginea, puer editus exultante gaudio cœleſtium miniſtrorum paſtoribus indicatur: aliud, quo infans circuncidit: aliud quo hoſtia pro eo legalis offertur: aliud quo tres Magi, claritate noui ſyderis incitati, in Bethleem ab oriente perueniunt, & adoratum paruulum myſtica munerum oblatione venerantur.Nec iidem ſunt dies,quibus impio Herodi, ordinata diuinitùs in Ægyptum tranſlatione ſubtractus eſt,vel quibus ab Ægypto in Galilæam perſequutore mortuo,reuocatus eſt. Inter has autem diſpenſationum varietates,accedunt augmenta corporea, creſcit Dominus(ſicut Euangeliſta teſtatur)profectibus ætatis & gratiæ. Per dies Paſchæ in templum Hieruſalem cum parentibus venit, & cum abeſſet ſocietate redeuntium, ſedens cum ſenioribus, & inter admirantes magiſtros diſputans inuenitur, rationémque remanſionis ſuæ reddens. Quid eſt (inquit) quod me quærebatis?Neſciebatis, quod in his quæ patris mei ſunt oportet me eſſe? ſignificans, eius ſe eſſe filium,cuius eſſet & templum.Iam verò cùm in annis maioribus apertiùs declarandus, baptiſmum præcurſoris ſui Ioannis expetiit, quid deitatis eius remanſit ambiguum,quando baptizato Domino Ieſu Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie ſuper eum deſcendit & manſit,audita de cœlis patris voce, dicentis?*Tu es filius meus dilectus,in te benè cõplacui?* Quæ omnia ideo, quanta potuimus breuitate, perſtrinximus: vt notum ſit dilectioni veſtræ vniuerſos dies Chriſti innumeris conſecratos fuiſſe virtutibus,& in cunctis eius actionibus ſacramentorum myſteria coruſcaſſe: ſed aliter quoque ſignis denunciari,aliter rebus impleri, nec quæcunque numerantur in operibus Saluatoris, ad tempus pertinere baptiſmatis. Nam ſi etiam illa quæ poſt beati Ioannis lauacrum, à Domino geſta cognouimus,

Luc 1. Luc 2. Matth. 2. Luc 2. Matth. 3. Lucæ 3.

sub indiscreto honore colamus, omnia tempora continuatis erunt deputanda festis, quia omnia sunt plena miraculis. Verùm quia Spiritus sapientiæ & intellectus ita Apostolos, & totius Ecclesiæ erudiuit magistros, vt in Christiana obseruantia nihil inordinatum, nihil pateretur esse confusum: discernendæ erant causæ solennitatum, & in omnibus institutis patrum, principúmque nostrorum rationabilis seruanda discretio: quia non aliter vnus grex, & vnus pastor sumus, nisi quemadmodum Apostolus docet, idipsum dicamus omnes: Simus autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. (2. Cor. 1.)

CAPVT III.

(De consec. distinct. 4. Propriè in morte.)

QVamuis ergo & illa, quæ ad humilitatem, & illa, quæ ad gloriam pertinet Christi, in vnam concurrant, eandémque personam, totumque quicquid in illo, & virtutis diuinæ est, & infirmitatis humanæ, ad nostræ reparationis tendat effectum, propriè tamen in morte crucifixi, & in surrectione ex mortuis, potentia baptismatis nouam creaturā condit ex veteri: vt in renascentibus, & mors Christi operetur, & vita, dicente B. Apostolo Paulo, *An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortē, vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriā patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius: simul & resurrectionis erimus.* (Rom. 6.) Et cætera quæ latius magister gentium, ad commendandum sacramentū baptismatis disputauit vt appareret ex huius doctrinæ spiritu regenerandis filiis hominum, & in Dei filios adoptandis, illum diē esse & illud tempus electum, in quo per similitudinem, formamque mysterij, ea * quæruntur in membris, quæ in ipso capite sunt gesta, congruere, dum in baptismatis regula, & mors interuenit interfectione peccati, & sepulturam triduanam imitatur trina demersio, & ab aquis eleuatio, resurgentis ad instar est de sepulchro. (*quæ geruntur in membris, his, quæ in ipso sunt capite gesta, congruerent.*) Ipsa igitur operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ eum esse legitimum diem, in quo orta est, & virtus muneris & species actionis. Ad cuius rei confirmationem plurimum valet, quod ipse Dominus Iesus Christus, postea quam resurrexit à mortuis, discipulis suis in quibus omnes Ecclesiarū Præsules docebantur, & formam & potestatem tradidit baptizandi, dicens: *Euntes ergo nunc, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* (Matth. 28.) De quo vtique eos etiam ante passionem potuisset instruere, nisi propriè voluisset intelligi regenerationis gratiam ex sua resurrectione cœpisse. Additur sanè huic obseruantiæ, etiam Pentecostes ex aduentu Spiritus sancti consecrata solennitas, quæ de Paschalis festi pendet articulo. Et cùm ad alios dies alia festa pertineant, hæc semper ad eum diem, qui resurrectione Domini est insignis, occurrit porrigens quomodo auxiliantis gratiæ manum, vt hi, quos à die Paschæ, aut molestia infirmitatis, aut longinquitas itineris, aut nauigationis difficultas interclusit inuitos, aut quibuslibet necessitatibus impeditos, desiderij sui effectum dono Spiritus sancti consequantur. Ipse enim vnigenitus Dei in fide credentium, & in virtute operum nullam inter se & Spiritum sanctum voluit esse distantiam: quia nulla est diuersitas in natura, dicens, *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt vobiscum sit in æternum, spiritum veritatis.* (Ioan. 14. Ibidem.) Et iterum: *Paracletus autem Spiritus sanctus, quē mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vniuersa, quacunque dixi vobis.* (Ioan. 16.) Et iterum: *Cùm venerit ille spiritus veritatis, ille diriget vos in omnem veritatem.* Cùm itaque veritas Christus sit, & spiritus veritatis, Spiritus sanctus, nomenque paracleti vtrique sit proprium: non dissimile est festum, vbi vnum est sacramentum.

CAPVT IV.

HOc autem nos, non est nostra persuasione defendere, sed ex Apostolica authoritate seruare, satis idoneo probamus exemplo, sequentes B. Apostolum Petrum, qui in eo die, quo omnem credentium numerum promissus Spiritus sancti repleuit aduentus, trium millium populum, sua prædicatione conuersum, lauacro baptismatis consecrauit. (De consec. distinct. 4. Propriè in morte.) Quod sancta scriptura, quæ Apostolorum actus continet, fideli historia docet, dicens: *His auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus, viri fratres?* (Act. 2.) Petrus verò ait ad illos: *Pœnitentiam* (inquit) *agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remedium peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Vobis enim repromissio est, & filiis vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscunque aduocarit Dominus Deus noster.* Aliis etiam pluribus verbis testificatus, exhortabatur eos, dicens: Saluamini à generatione ista praua. Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt, & appositæ sunt in illa die animæ circiter tria millia.

CAPVT V.

VNde quia manifestissimè patet baptizandis in Ecclesia electis, hæc duo tempora (de quibus locuti sumus) esse legitima, dilectionem vestram monemus: vt nullos alios dies huic obseruantiæ misceatis. (De consec. distinct. 4. Duo tempora.)

CAPVT VI.

QVia etsi sint alia quoque festa quibus multa in honorem Dei reuerentia debeatur, principalis tamen, & maximi sacramenti custodienda nobis est mysticæ rationis exceptio, non interdicta licentia, quâ in baptismo tribuendo, quolibet tempore periclitantibus subuenitur. (De consec. dist. 4. Si qui necessitatem. Ibi Si quis autem Episc. Et in decr. Iuo. lib. 1.) Ita enim ad has duas festiuitattes connexas, atque sibimet cognatas incolumium, & in pacis securitate degentium, libera vota differimus: vt in mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persecutionis angustiis, in timore naufragij, nullo tempore, hoc verè salutis singulare remedium cuiquam denegemus. Si quis autem Epiphaniæ festiuitatem, quæ suo in ordine debito honore veneranda est, ob hoc existimat priuilegium habere baptismatis, quia hoc quidam putant, quod in eadem die Dominus ad baptismum sancti Ioannis accesserit, sciat, illius baptismi aliam gratiam, aliam fuisse rationem, nec ad eandem pertinuisse virtutem, qua per Spiritum sanctum renascuntur, de quibus dicitur: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* (Ioan. 1. Matth. 3.) Dominus enim nullius indigens remissione peccati, nec quærens remedium renascendi, sic voluit baptizari, quomodo voluit circuncidi, hostiamque pro se mundationis offerri, vt qui factus erat ex muliere (sicut Apostolus ait) fieret & sub lege, quam non venerat soluere, sed adimplere, & implendo finire, sicut B. Apostolus prædicat dicens: *Finis autem legis Christus ad institiā omni credenti.* (Galat. 4.) Baptismi autem sui in se condidit sacramentum, (Matth. 4.) quia in omnibus primatum tenens se docuit esse (Rom. 10.)

princi

principium. Et tunc regenerationis potentiam ſanxit, quando de latere ipſius profluxerunt ſanguis redemptonis, & aqua baptiſmatis. Sicut ergo vetus teſtamentum teſtificatio fuit noui, & lex per
Ioan. 19. Ioan. 1. Moſen data eſt, gratia autem & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt: ſic diuerſa ſacrificia vnam hoſtiam præformarunt, & multorum agnorum occiſio illius immolatione finita eſt, de quo dicitur: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Sic & Ioannes, non Chriſtus, ſed Chriſti præuius, non ſponſus, ſed ſponſi amicus fuit adeo fidelis, & non ſua quærens, ſed quæ Ieſu Chriſti, vt ſi profiteretur ad ſoluenda calceamenta pedum eius indignum, quoniam ipſe quidem baptizaret in aqua in pœnitentiam, ille autem batizaturus eſſet in Spiritu ſancto & igni, qui duplici poteſtate, & vitam redderet, & peccata conſumeret. His itaque fratres, tot tantiſque exiſtentibus documentis, quibus omni ambiguitate ſubmota, euidenter agnoſcitis, in baptizandis electis, qui ſecundum Apoſtolicam regulam, & exorciſmis ſcrutandi, & ieiuniis ſanctificandi, & frequentibus ſunt prædicationibus imbuendi duo tantùm tempora, id eſt, Paſcha & Pentecoſten eſſe ſeruanda, hoc veſtræ indicimus charitati, vt ab Apoſtolicis inſtitutis nullo vlterius recedatis exceſſu. Quia inultum poſt hæc eſſe non poterit, ſi quiſquam Apoſtolicas regulas in aliquo crediderit negligendas.

Ioan. 1. Matth. 3. Luc. 3.

In Decret. Iuo lib. 1. De conſec. diſtinct. 4. Duo tempora.

CAPVT VII.

Nic. Conc. cap. 5.

QVare illud primitus pro cuſtodia concordiſſimæ vnitatis exigimus, vt quia ſaluberrimè à ſanctis Patribus conſtitutum eſt binos in annis ſingulis Epiſcoporum debere eſſe conuentus, terni ſemper ex vobis ad diem tertium Kalendarũ Octobrium Romanarũ, ferno concilio ſociandi, occurrãt, & indiſſimulanter à vobis hæc conſuetudo ſeruetur. Quoniam adiuuante gratia Dei, facilius poterit prouideri, vt in Eccleſiis Chriſti nulla ſcandala, nulli naſcantur errores: cùm coram beatiſſimo Apoſtolo Petro ſemper in communione tractatum fuerit, vt omnia inſtituta canonumque decreta apud omnes domini ſacerdotes inuiolata permaneant. Hæc autem, quæ vobis inſpirante Domino, inſinuanda credimus, per fratres & Coëpiſcopos noſtros * Bachillum atque Paſchaſinum, ad veſtram volumus notitiam peruenire. Quibus referentibus cognoſcamus, quàm reuerenter à vobis Apoſtolicæ ſedis inſtituta ſeruentur. Data 12. Kalend. Nouembr. Alypio & Ardabure viris clariſſimis Conſulibus.

Vacilium.

EPISTOLA V.

Ad Dorum Beneuentanum Epiſcopum.

Dilectiſsimo fratri Doro, Leo Epiſcopus.

An. Chriſti 450. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis 9.

IVdicium, quod de te ſperabamus, dolemus eſſe fruſtratum, quando ea te commiſiſſe perſpicimus, quæ omnem Eccleſiaſticæ ſanctionis regulam culpabili nouitate fœdarent, cùm pleniſſimè noueris, quanta ſollicitudine per omnes Domini Eccleſias paternorum velimus canonum præcepta ſeruari, & hanc maximè curam ad ſacerdotes vniuerſarum plebium pertinere, vt ſanctarum conſtitutionum regulæ nullis corrumpantur exceſſibus. Vnde miramur te, quem authoritatum Apoſtolicæ Sedis obſeruantiſſimum eſſe conuenerat, tam negligenter, ac potiùs inſolenter egiſſe: vt traditarum tibi legum non cuſtos, ſed tranſgreſſor exiſteres. Libello etenim Pauli Presbyteri tui, qui in ſubditis habetur, cognouimus, apud te nouo ambitu, fœdoque colluuio Presbyterij ordinem fuiſſe turbatum: ita vt vnius feſtiua & immatura prouectio, quædam eorum deiectio facta ſit, quos ætas commendabat, & nulla culpa minuebat. Quod ſi ambientis intentio, aut imperita fauentium ſtudia id quod nunquam habuit conſuetudo, poſcebant, vt incipiens emeritis, & nouellus præferretur antiquis: tuæ fuerat induſtriæ atque doctrinæ, vt iniuſtè petentium deſideria rationabili authoritate cohiberes, ne quem in ſacerdotali properè prouehebas honore, ad iniuriam eorum, quibus ſociabatur, inciperet. Minor, quis fieret, dum in illo non humilitatis virtus, ſed elationis vitium roboraretur. Neque enim ignorabas dixiſſe Dominum, quod qui ſe humiliat, exaltabitur, qui verò ſe exaltat, humiliabitur. Eundémque dixiſſe, *Quicumque vult inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter. Et quicumque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus.* Luc. 14. & 18. Vos autem quæritis de puſillo creſcere, & de honore maiores eſſe. Vtrumque enim inordinatum, vtrumque paſtorum eſt, & omnis laborum fructus aufertur, omnis meritorum menſura vacuatur ſi tantum quis aſſequitur dignitatis, quantum adulationis obtinuit: vt cupiditas eminendi non ſolùm ſuperbientem maculat: ſed etiam conniuentem. Si veræ (vt aſſeritur) primi ſecundique Presbyteri, circa Epicarpium ſibimet præponendum tam huic aſſentatio fuit, vt illum cum ſui dedecore poſcerent honorari, nec hoc quidem illis, proprio ſe iudicio deiicientibus, tribui debuit, quod volebant, cui tam miſeræ voluntati te dignius fuerat obuiare, quàm credere. Deformis autem, & ignaua ſubiectio bene ſibi conſciis, & non irritam facientibus gratiam Dei, præiudicare non potuit, vt primatus ſuos quocunque commerito in alterutrum transferentes, ſubſequentium ſuorum minuerent dignitatem, & quem vltimum ſibi antepoſuerant, cæteris præemineret. Prædicti igitur Presbyteri, qui indignos ſe honoris ſui ordine ſunt profeſſi, licet priuari etiam ſacerdotio mererentur: tamen vt eis Apoſtolicæ Sedis pietate parcatur, vltimi inter omnes Eccleſiæ Presbyteros habeantur. Et vt iudicij ſui ſententiam ferant, inferiores etiam illo erunt, quem propria ſententia ſibimet prætulere, cæteris omnibus Presbyteris in eo ordine permanentibus, quem vnicuique ordinationis ſuæ tempus adſcripſit. Nec quiſquam præter prædictos duos imminutæ dignitatis patiatur iniuriam, ſed in eorum ſtatum tantummodo hoc recurrat opprobrium, qui nouello, & immaturè ordinato, inferiores fieri elegere, vt illam Euangelicam ſententiam ad ſe ſentiant pertinere, qua dicitur: *Quo iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis: & qua menſura menſi fueritis, eadem remetietur vobis.* Matth. 7. Matth. 4. Paulus verò Presbyter ordinem ſuum, de quo laudabili firmitate non ceſſit, obtineat. Nec vlterius aliquid in cuiuſquam præſumatur iniuriam, ita vt dilectio tua, quam non immerito tota facti huius pulſat inuidia, hoc ſaltem remedio curare ſe properet: vt ſine diſſimulatione hæc, quæ diſcernimus, tradantur effectui, ne ſi iterato ad nos imploratio iuſta confugit, neceſſe ſit ſeuerius commoneri: cùm his, quæ malè ſunt facta, correctis, malimus reintegrare diſciplinam, quàm augere vindictam. Exequutionem verò præceptionum noſtrarum fratri & Coëpiſcopo noſtro Iulio commiſiſſe nos noueris: vt omnia illi, quemadmodum conſtituimus, roborentur. Data Idus Martij, Poſthumiano viro clariſſimo conſule.

EPISTOLA VI.

Ad Eutychen Constantinopolitanum. Abbatem.

Dilectissimo filio Eutychi Presbytero, Leo Episcopus.

An Christi 450. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis 9.

AD notitiam nostram tuæ dilectionis epistola retulisti, quod Nestoriana hæresis quorumdam rursus studiis pullularet. Sollicitudinem tuam ex hac parte nobis placuisse rescripsimus, quoniam index animi tui est sermo, quem sumpsimus: vnde non ambigimus authorem Catholicæ fidei Dominum tibi in omnibus adfuturum. Nos autem cùm plenius, quorum hoc improbitate fiat, potuerimus agnoscere, necesse est, auxiliante Domino prouidere: quatenùs nefandum virus, dudúmque damnatum, radicitus possit extingui. Deus te custodiat incolumem, dilectissime fili. Datum Kalendis Iunij Posthumiano & Zenone viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA VII.

Ad Theodosium semper Augustum.

Leo Episcopus Theodosio semper Augusto.

An Christi 451. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis 10. fuit scripta hæc epistola similiter & duæ sequentes.

QVantum præsidij Dominus Ecclesiæ suæ in fide vestræ clementiæ præparatis, his etiam litteris quas ad me misistis, ostenditur: vt vobis non solùm regium, sed etiam sacerdotalem animum inesse gaudeamus. Siquidem præter imperiales, & publicas curas, piissimam sollicitudinem Christianæ religionis habetis, ne scilicet in populo Dei, aut schismata, aut hæreses, aut vlla scandala conualescant, quia tunc est optimus regni vestri status, quando sempiternæ & incommutabili Trinitatis vnius deitatis confessione seruitur. Quid autem in constantinopolitana Ecclesia perturbationis acciderit, quod ita fratrem, & Coëpiscopum nostrum Flauianum poterit commouere, vt Eutychen Presbyterum communione priuaret: nondum potuimus euidenter cognoscere. Quamuis enim prædictus Presbyter ad Sedem Apostolicam per libellum doloris sui querimoniam miserit: breuiter tamen aliqua prælibauit, asserens se Nicenæ Synodi constituta seruantem, frustra fidei diuersitate culpatum. Eusebij autem Episcopi accusatoris eius libellus, cuius exemplaria ad nos prædictus Præsbyter misit, de obiectionis euidentia nihil habebat. Sed cùm Presbytero hæreseos crimen intenderet, quem tamen in eo sensum arguerit, non euidenter expressit: quamuis & ipse Episcopus Nicœnæ Synodi profiteatur in hac re se esse decretis, propter quod non habuimus, vnde aliud disceremus. Et quia causæ meritum, fidei ratio, & laudabillis sollicitudo vestræ pietatis exegit, necesse est, iam locum subreptionibus non parere: sed prius, de quibus eum æstimat arguendum, instrui nos oportet, vt possit de benè cognitis congruè iudicari. Ad prædictum autem Episcopum litteras dedi, quibus mihi displicere cognosceret, quod ea, quæ in tanta causa gesta fuerant; etiam nimio silentio reticeret, cùm studere debuerit primitus nobis cuncta reserare. Quem credimus, vel post admonitionem omnia ad nostram notitiam relaturum, vt in lucem ductis his, quæ adhuc videntur occulta, id quod Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ concurrit, iudicetur. Data ad Kalendas Martias Asterio & Protegene viris clarissimis consulibus.

Epistola eiusdem octaua ad Flauium Constantinopolitanum Episcopum, vbi quærit cur Eutyches à communione Ecclesiæ fuerit separatus.

Dilectissimo fratri Flauiano Episcopo, Leo Episcopus.

CVm Christianissimus & clementissimus Imperator, sancta & laudabili fide, pro Ecclesiæ Catholicæ pace solicitus, ad nos scripta transmiserit, de his qui apud vos perturbationis strepitum mouerant, miramur fraternitatem tuam, quicquid illud scandali fuerit, nobis silere potuisse, & non potius procurasse, vt primitus nos insinuatio magis tuæ relationis instrueret, ne de rerum gestarum fide possemus ambigere. Accipimus enim libellum Eutychetis Presbyteri, qui se queritur accusante Eusebio Episcopo immeritò communione priuatum: maximè cùm euocatum se adfuisse testetur, nec sui præsentiam denegasse, adeò vt in ipso iudicio: libellum appellationis suæ se asserat obtulisse, nec tamen fuisse susceptum, qua ratione compulsus sit, vt contestatorios libellos in Constantinopolitana vrbe proponeret. Quibus rebus intercedentibus, necdum agnoscimus, qua iustitia à communione Ecclesiæ fuerit separatus. Sed respicientes ad causam, facti tui nosse volumus rationem, & vsque ad nostram notitiam cuncta deferri: quoniam, nos qui sacerdotum Domini natura volumus esse iudicia, nihil possumus, incognitis rebus, in cuiusquam patris præiudicium definire, priusquam vniuersa, quæ gesta sunt, veraciter audiamus. Et ideò fraternitas tua per idoneam maximè, aptámque personam plenissima nobis relatione significet quid contra antiquam fidem nouitas emerserit: quod seueriori sententia dignum fuerit vindicari. Nam & Ecclesiastica moderatio, & religiosa piissimi principis fides multam nobis sollicitudinem Christianæ pacis indicunt: vt amputatis dissentionibus, fides Catholica inuiolata seruetur, & his, qui praua defendunt, ab errore reuocatis, nostra authoritate, quorum fides probata fuerit, muniatur. Nec aliqua poterit ex hac parte difficultas adferri: cùm memoratus Presbyter libello proprio sit professus, paratum se esse ad corrigendum, si quid in se inuentum fuerit, quod reprehensione sit dignum. Decet enim in talibus causis hoc maximè prouideri, vt sine strepitu concertationum, & charitas custodiatur, & veritas defendatur, frater charissime. Et ideò quia dilectio tua de tanta causa nos videt necessario esse sollicitos, quàm plenissimè & lucidè vniuersa nobis, quod ante facere debuit, indicare festinet: ne inter assertiones partium, aliqua ambiguitate fallamur, & dissensio, quæ in suis initiis abolenda est, nutriatur cum in corde nostro ea obseruantia, Deo inspirante, permaneat, ne constitutiones venerabilium patrum diuinitus roboratæ, & ad soliditatem fidei pertinentes, praua cuiuspiam interpretatione violentur.

Deus te custodiat incolumem, charissime frater. Datum duodecimo Kalendas Maij, Asterio & Protegene viris clarissimis Consulibus.

***

EPISTOLA FLAVIANI EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI ad sanctissimum Leonem Papam vrbis Romæ.

Domino beatissimo, & Deo amabili patri Leoni Flauianus in Domino salutem.

CAPVT I.

NVLLA res diaboli venena compescit, nec continet eius mortiferas sagittas. Sursum enim atque deorsum peruolans, quærit, quos possit deuorare. Propter quam rem vigilandum est, & orationibus à Deo obtinendum, vt fatuas inquisitiones euitare possimus. Decet enim sequi patres nostros, nec commutare definitionem eorum perpetuam, quorum regulam secundum sacras Scripturas esse dedicimus. Depositis ergo fletibus & lacrymis (quas incessanter fundo, quia sub me Clericus degens, inuasus est à fero dæmone, & non potui eum liberare, nec auferre à tali lupo, qui animam meam pro illo paratus eram ponere) quomodo raptus sit, quomodo resiliit à proposito diuino, & ad illum cucurrit, qui perdere consueuit, præcepta patrum declinans, & constituta eorum despiciens, iam incipio narrare.

Clericus.

CAPVT II.

Matth. 3. SVnt enim quidam veste sua oues significantes, interiùs lupi rapaces, quos ex fructibus eorũ debemus agnoscere. Isti prima fronte videntur esse de
1. Ioan. 2. numero nostro, sed non sunt de numero nostro. Si enim de numero nostro essent, nobiscum mansissent. Quando autem cœperint assumere impietatem, illud quod prius occultabatur in illis, aperitur, & dolus omnis fit omnibus manifestus. Inueniuntur autem infirmæ fidei homines, & qui diuinas lectiones nesciunt, & secum eos in perditionem præcipitant, dissipantes, & vituperantes patrum disciplinas, & reliquas sanctas Scripturas ad suam perditionem, quos quidem debemus præuidere, & à quibus multum, oportet cauere, ne in malitia sua aliqui occupati concidant de sua firmitate. Exacuerunt enim linguã suam quasi serpentes, & venenum in labiis habent quasi aspides. De his hæc Propheta clamauit.

CAPVT III.

TAlis inter nos Eutyches emersit quondam Presbyter, & Archimandrites, qui quasi nostræ religionis sectam sapiebat, & hanc præferebat: Nestorij autem impietatem confirmabat, & succingebatur pro Nestorio militare in pugna, quæ contra Nestorium parabatur. Trecentorum autem decem & octo sanctorum Patrum de fide expositionem factam & sanctæ memoriæ Cyrilli Alexandrini epistolam scriptam ad Nestorium, vel ad similes eius, cui omnes assenserunt, tentauit euellere, antiquam impij Valentini & Apollinaris reparans sectã, & non timuit præceptum regis veri Dei, dicentis: *Quicunque scandalizauerit vnum de pusillis istis, expedit ei, vt mola*
Matth. 18. Matth 9. *asinaria alligetur collo eius, & demergatur in profundum maris*, Verecundiam autem omnem eius perfidia abiecit, & quam gerebat infidelitatis pellem excutiens, in sancta Synodo asserebat instanter, dicens Dominum nostrum Iesum Christum, non oportere confiteri de duabus naturis post humanam susceptionem, cùm à nobis vnius substãtiæ, & vnius personæ cognoscatur, neque carnem Domini coëssentialem nobis subsistere, tanquam ex nobis susceptam & coadunatam Dei verbo secundum substantiam: sed dicebat Virginem quidem, quæ eum genuit secundum carnem consubstantialem nobis esse, ipsum autem Dominum non suscepisse ex ea carnem consubstantialem nobis, & corpus Domini non esse quidem corpus hominis; humanum verò corpus esse, quod est ex Virgine, omnium Patrum expositionibus contraria sentiens.

CAPVT IV.

SEd ne multa dicens, longam faciam epistolam; solim, quicquid egerimus, misimus ad beatitudinem vestram litteras: quibus literis docuimus & Presbyterio illum esse nudatum, quia sic captus est, & iussimus eum cum Monasteriis nullam habere rationem, & exclusimus eum à communione nostra, vt sanctitas vestra hoc cognoscens, quod circa illum actum est, omnibus Episcopis, sub beatitudine vestra de gentibus, manifestare dignetur illius impietatem ne nescientes aliqui, quid ille senserit, quasi ad orthodoxum vel per litteras, vel per aliquam coniunctionem loquantur.

Epistola Flauiani Archiepiscopi Constantinopolitani alia, ad sanctissimum Leonem Papam vrbis senioris Romæ, de erroribus impij Eutychetis.

Sanctissimo & beatissimo Patri & consacerdoti Leoni, Flauianus in Domino salutem.

PIetate & recta prædicatione verbi veritatis nihil honorabilius sacerdotibus, sicut nosti, Deo amantissime. Omnis enim nostra spes atque salus & retributio promissorum bonorum in his est. Propterea omnia facienda à nobis sunt, & laborandum pro fide, & expositionibus dogmatibusque sanctorũ Patrum: quatenus per omnia & inter omnes concussiones rerum, integra hæc & inuiolata soluantur & custodiantur. Necessarium itaque fuit nunc, & iam videntes nos lædi orthodoxam fidem, & renouari Apollinaris & Valentini hæreses ab Eutyche monacho non hoc dispicere, sed in aperto pro hoc cautela populi reuelare, Iste enim Eutyches abscondítum in se langorem malæ sectæ retinens, insiliens nostræ mansuetudini, inuerecundè & imprudẽter in multos impietatem propriam præsumpsit inferre dicens, ante inhumanationem quidem Saluatoris nostri Iesu Christi duas naturas esse diuinitatis, & humanitatis, post vnitionem verò, vnam naturã factam: neque sciens quod dicit, neque de quibus affirmat. Neque enim vnitas conuenientiũ in Christo duarum naturarũ, sicut vna res proprietates suas in vnitate confudit, sed manent in vnitate perfectæ naturarum proprietates. Adiecit antè & aliam impietatem, dicens corpus Domini, quod ex Maria factũ est, non esse nostræ substantiæ neque humanæ conspersionis: sed humanum quidem illud vocat, non tamen nobis consubstantiale, neque genitrici

eius secundum carnem. Et hæc aiebat, cùm in gestis Ephesi habitis & sancto & vniuersali Concilio, in epistola scripta ad impium damnatúmque Nestoriū apertè sic habeatur: Quia diuersæ quidem ad vnitatem veram concurrere naturæ, vnus autem ex ambobus Christus Dei filius, non tanquam naturarum differentia sit perempta propter vnitatem, sed potius effecerit nobis vnum Dominum Iesum Christum diuinitatis humanitatis per ineffabilem & intelligibilem ad vnitatem concursionem. Et hoc non latet tuam sanctitatem, dum omnino legerit gesta, quæ Ephesi sunt confecta. Quæ pro nihilo ponens idem Eutyches, arbitratur, non se daturum pœnam præfinitam à sancto illo & vniuersali Concilio: quoniam per hæc multi simpliciores eius eloquiis in fidei sermone læduntur. Accusatum verò eum à reuerendissimo Eusebio, & occurrentem in sanctum Concilium, & voce sua sectam propriam * retegentem, alienúmque existentem à recta fide damnauimus, sicut docebunt vestram sanctitatem omnia, quæ super eo sunt gesta, quæque direximus cum nostris his literis. Iustum autem est, & hoc vobis (sicut arbitror) intimari: quia idem Eutiches passus iustam canonicam damnationem, cùm debuisset secūdis saluare priora, & per pœnitentiam perfectā multásque lacrhymas placare Deum, nostrùmque cor vehementer contristatum in eius ruina, per veram sanare pœnitentiam: non solùm non fecit, sed etiam per omnia conturbare sanctam, quæ apud nos est, Ecclesiam festinauit, propositiones iniuriarum publicè ponens & maledictionibus plenas, super hæc & preces offerens piissimo, & Christi amantissimo nostro Imperatori, & easdem arrogantia & petulantia plenas per omnia diuinas regulas conculcare conatus est. Sed his ita gestis, litteræ nobis datæ sunt vestræ sanctitatis per admirabilem Comitē Pamsophium, per quas sumus edocti, quia idem Eutyches libellos direxit vobis plenos omni fallacia atque calliditate dicens: Iudicij tempore libellos se didisse appellationis & nobis, & hic conuenienti sancto Concilio, appellasse vestram sanctitatem: quod nequaquam ab eodem factum est. Sed etiam & in hac parte mentitus est, tanquam per fallaciam mendacij subrepere se sanctis vestris auribus putans. Commotus itaque, sanctissime pater, in his omnibus quæ ab eo præsumpta sunt, & ob ea quæ in nos & sanctissimam Ecclesiam facta sunt atque fiunt: pro consueta fiducia fiducialiter age, secundum quod sacerdotio competit, propriámque faciens communem causam, & sanctarum Ecclesiarum disciplinam, simul decernere damnationem aduersus eum regulariter factam, & per propria scripta dignare, confortare autem piissimi & Christo deditissimi nostri Imperatoris fidem. Causa enim eget solummodò vestro solatio, atque defensione, qua de beatis consensu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis quæ surrexit, & turbæ quæ propter eum factæ sunt, facillimè destruentur, Deo cooperante per vestras sacratissimas literas. Remouebitur autem & Concilium quod fieri diuulgatur: quatenus nequaquam vbique sanctissimæ turbentur Ecclesiæ. Omnium quæ vobiscum est fraternitatem ego, & qui mecum sunt, salutamus. Incolumis in Domino & orans pro nobis, doneris Ecclesiæ & nobis, religiosissime sanctissime Pater.

delegentem.

EPISTOLA IX.

Eiusdem Leonis Papæ ad Theodosium semper Augustum.

Leo vrbis Romæ Episcopus Theodosio semper Augusto.

PRo integritate fidei Catholicæ Christianum Principem conuenit esse sollicitum, & hoc indefessis precibus diuinam misericordiam posco, vt cordi vestro, id quod est veritatis inspiret, neque falli vos in aliquo humanarum calliditatum æmulatione patiatur. A me autem, atque ab omnibus Catholicis sacerdotibus, quæ Euangelicæ fidei pietas defendat, satis plenè ac lucidè literis meis, quas clementiā vestram iam dudum per famulum vestrum Epiphanium tribunum, qui pro hac causa missus est, arbitror vos accepisse. Ratum est nec ambigi potest hoc nos purissimè credere, hoc constanter asserere, quod etiā venerandi Patres, quondam, apud Niceam congregari, secundum fidem Symboli credendum & confitendum sacratissima authoritate sanxerint. Nos enim venerabilis Imperator, sicut Nestorij dogma peruersum meritò anathematizauimus: ita iustè etiā horum impietatem, qui veritatem carnis nostræ negant à Domino Iesu Christo susceptam esse, damnamus. Vnde si pietas vestra suggestioni ac supplicationi nostræ dignetur annuere, vt intra Italiam habere iubeatis Episcopale Concilium, cito, auxiliante Deo poterunt omnia scandala, quæ in perturbationem totius Ecclesiæ sunt commota, resecari: vt per vniuersum regnum vestrum Catholicæ fidei integritate seruata, & pacem Christianam manere, & vestram apud Deum crescere gloriam gaudeamus. Data octauo Calendas Iunias, Asterio & Protegene viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA X.

Eiusdem Leonis Papæ ad Flauianum Constantinopolitanum Episcopum contra Eutychetis perfidiam hæresim.

Capitum sequentis epistolæ tituli.

Leo Episcopus, dilectissimo fratri Flauiano Constantinopolitano Episcopo.

CAPVT I.

LEctis dilectionis tuæ literis, quas miramur fuisse tam seras, & gestorum Episcopalium ordine recensito, tandem quid apud vos scandali continge

contigerit,atque contra integritatem fidei exortum fuiſſet,agnouimus, & quæ prius videbantur occulta, tunc nobis reſerata patuerunt. Quibus Eutyches, qui Presbyterij nomine honorabilis videbatur,multum imprudens,& nimis imperitus oſtenditur,vt etiam de ipſo dictum ſit à Propheta: *Noluit intelligere,vt bene ageret,iniquitatem mediatus eſt in cubili ſuo.* Quid autem iniquius, quàm impia ſapere, & ſapientioribus, doctoribúſque non credere? Sed in hanc inſipientiam cadunt, qui cùm ad cognoſcendam veritatem aliquo impediuntur * obſcuro,non ad Propheticas voces, non ad Apoſtolicas litteras,nec ad Euangelicas authoritates, ſed ad ſemetipſos recurrunt. Sed ideò magiſtri erroris exiſtunt,quia veritatis diſcipuli non fuêre. Quam enim eruditionem de ſacris noui,& veteris teſtamenti paginis acquiſiuit, qui nec ipſius quidem Symboli initia comprehendit? Et quod per totum mundum omnium regeneratorum voce depromitur, iſtius adhuc ſenis corde non capitur.

Pſalm.35. 24. q. 3. Quid autem iniquius. *obſtaculo.*

CAPVT II.

NEſciens igitur quid deberet de Verbi Dei Incarnatione ſentire, nec volens ad promerendum intelligentiæ lumen,in ſanctarum Scripturarũ latitudine laborare,illam ſaltem communem,& indiſcretam confeſſionem ſollicito apprehendiſſet auditu,quà fidelium vniuerſitas profitetur, credere ſe in Deum patrem omnipotentem, & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominum noſtrum, qui natus eſt de Spiritu ſancto,ex Maria virgine.Quibus tribus ſententiis omnium ferè hæreticorum machinæ deſtruuntur.Cùm enim Deus & omnipotens & æternus creditur Pater,& conſempiternus eidem Filius demonſtratur,in nullo à patre differens, quia de Deo Deus,de omnipotente omnipotens, de æterno natus eſt coæternus:non poſterior tempore, non inferior poteſtate,non diſſimilis gloria, non diuiſus eſſentia, idem verò ſempiterni genitoris vnigenitus ſempiternus natus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria virgine. Quæ natiuitas temporalis illi natiuitati diuinæ & ſempiternæ nihil minuit,nihil contulit, ſed totam ſe reparando homini, qui erat deceptus, impendit: vt & mortem vinceret, & diabolum qui mortis habebat imperium, ſua virtute deſtrueret. Non enim ſuperare poſſemus peccati & mortis authorem,niſi naturam noſtram ille ſuſciperet,& ſuam faceret:quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere. Conceptus quippe eſt de Spiritu ſancto intra vterum matris virginis,quæ ita illum, ſalua virginitate edidit, quemadmodum ſalua virginitate concepit. Sed ſi de hoc Chriſtianæ fidei fonte puriſſimo ſyncerum intellectum haurire non poterat, qua ſplendorem perſpicuæ veritatis obcæcatione ſibi propria tenebrarat:doctrinæ ſe Euangelicæ ſubdidiſſet,dicente Matthæo: *Liber generationis Ieſu Chriſti,filij Dauid, filij Abraham.* Apoſtolicæ quoque prædicationis expetiſſet * inſtructum, & legens in epiſt. ad Romanos, Paulus ſeruus Ieſu Chriſti,vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangelium Dei,quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis,de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, ad propheticas quoque paginas piam ſollicitudinem contuliſſet, & inueniſſet promiſſionem Dei ad Abraham,dicentis: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Et ne de huius ſeminis proprietate dubitaret, ſecutus fuiſſet Apoſtolum dicentem: *Abrahæ dicta ſunt promiſſiones,& ſemini eius. Non dicit, & ſeminibus quaſi in multis,ſed quaſi in vno, & ſemini tuo,quod eſt Chriſtus.* Eſaiæ quoque prædicationem interiore apprehendiſſet auditu dicentis: *Ecce virgo in vtero concipiet,& pariet filium,& vocabitur nomen eius Emmanuel,* quod eſt interpretatum,nobiſcum Deus. Eiuſdémque Prophetæ fideliter verba legiſſet: *Puer natus eſt nobis,filius datus eſt nobis,cuius poteſtas ſuper humerum eius,& vocabitur nomen eius magni conſilij Angelus admirabilis,conſiliarius, Deus fortis,princeps pacis,Pater futuri ſæculi.* Nec fruſtratoriè loquens,ita Verbum diceret carnem factum,vt editus vtero virginis Chriſtus haberet formam hominis, & non haberet materni corporis veritatem. An fortè ideo putauit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, non noſtræ eſſe naturæ,quia miſſus ad beatam Mariam ſemper virginem Angelus ait: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te,& virtus altiſſimi obumbrabit tibi; ideóque & quod naſcetur ex te ſanctum,vocabitur filius Dei,* vt quia conceptus virginis diuini fuit operis, non de natura concipientis fuerit caro concepti. Sed non ita nobis intelligenda eſt illa generatio ſingulariter mirabilis, & mirabiliter ſingularis, vt per nouitatem creationis proprietas remota ſit generis. Fœcunditatem enim virgini Spiritus ſanctus dedit, veritas autem corporis ſumpta de corpore eſt, & ædificante ſibi ſapientia domum, Verbum caro factum eſt,& habitauit in nobis,hoc eſt, in ea carne, quam aſſumpſit ex homine, & quam ſpiritus vitæ rationalis animauit.

Matth. 1. *inſtrumentum.* Rom 1. Gen. 22. Gal. 3. Ibidem. Eſai. 9. Luc 1. Luc. 2. Prou. 9. Ioan. 1.

CAPVT III.

SAlua igitur proprietate vtriuſque naturæ, & in vnam coëunte perſonam, ſuſcepta eſt à maieſtate humilitas,à virtute infirmitas,ab æternitate mortalitas: & ad reſoluendum conditionis noſtræ debitum, natura inuiolabilis naturæ eſt vnita paſſibili: vt quod noſtris remediis congruebat, vnus atque idem mediator hominum, homo Ieſus Chriſtus, & mori poſſet ex vno:& mori non poſſet ex altero. In integra ergo veri hominis, perfectáque natura, verus natus eſt Deus,totus in ſuis, totus in nobis. Noſtra autem dicimus,quæ in nobis ab initio Creator condidit,& quæ reparanda ſuſcepit. Nam illa, quæ deceptor intulit, & homo deceptus admiſit, nullum habuere in Saluatore veſtigium. Nec quia communionem humanarum ſubiit infirmitatum, ideo noſtrorum fuit particeps delictorum. Aſſumpſit formam ſerui ſine ſorde peccati, humana augens,diuina non minuens,quia exinanitio illa, qua ſe inuiſibilis viſibilem præbuit, & Creator ac Dominus omnium rerum vnus voluit eſſe mortalium, inclinatio fuit miſerationis non defectio poteſtatis. Proinde qui manens in forma Dei,fecit hominem: idem in forma ſerui, factus eſt homo. Tenet enim ſine defectu proprietatem ſuam vtraque natura. Et ſicut formam ſerui, Dei forma non adimit: ita formam Dei,ſerui forma non minuit. Nam quia gloriabatur diabolus, hominem ſua fraude deceptum, diuinis caruiſſe muneribus, & immortalitatis dote nudatum, duram mortis ſubiiſſe ſententiam, ſeque in malis ſuis quoddam de * præuaricatoris conſortio inueniſſe ſolatium, Deum quoque, iuſtitiæ exigente ratione,erga hominem,quem in tanto honore condiderat, propriam mutaſſe ſententiam: opus fuit ſecreti diſpenſatione conſilij, vt incommutabilis Deus (cuius voluntas non poteſt ſua benignitate priuari) primam erga nos pietatis ſuæ diſpenſationem,ſacramento occultiore compleret, & homo, diabolicæ iniquitatis verſutia actus in culpam,contra Dei propoſitum non periret.

præuaricationis.

CAPVT

CAPVT IV.

INgreditur ergo hæc mundi infirma filius Dei, de cœlesti sede descendens, & à paterna gloria Sion recedens, nouo ordine, noua natiuitate generatus. Nouo ordine, quia inuisibilis in suis, visibilis factus est in nostris. Incomprehensibilis voluit comprehendi. Ante tempora manens, esse cœpit ex tempore. Vniuersitatis Dominus seruilem formam, obumbrata maiestatis suæ immensitate suscepit. Impassibilis Deus, non dedignatus est esse homo passibilis, & immortalis, mortis legibus subiacere. Noua autem natiuitate generatus, quia inuiolata virginitas concupiscentiam nesciuit, carnis materiam ministrauit. Assumpta est igitur de matre Domini natura, non culpa, nec in Domino Iesu Christo, ex vtero virginis genito; quia natiuitas est mirabilis, ideo * nostræ est naturæ dissimilis. *nostra est natura.* Qui enim verus est Deus, idem verus est homo. Et nullum in hac vnitate mendacium, dum inuicem sunt, & humilitas hominis, & altitudo deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim vtraque forma cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est. Vnum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis. Et sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recessit, ita caro naturam nostri generis non reliquit. Vnus enim idémque est, quod sæpe dicendum est, verè Dei filius, & verè hominis filius. Deus (Ioan. 1.) per id, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: Homo per id, quod Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Deus per id, quod omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: Homo per id, quod factus est ex muliere, factus sub lege. Natiuitas carnis, manifestatio est humanæ naturæ: Partus virginis, diuinæ est virtutis indicium: Infantia paruuli, ostenditur humilitate cunarum: Magnitudo (Matth. 2.) Altissimi, declaratur vocibus Angelorum. Similis est rudimentis hominum, quem Herodes impius molitur occidere: sed Dominus est omnium, quem Magi gaudent suppliciter adorare. Iam cùm ad (Matth. 3.) præcursoris sui Ioannis baptismum veniret, ne lateret, quod carnis velamine tegeretur, vox Patris (Matth. 4.) de cœlo intonans dixit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Quem itaque sicut hominem diabolica tentat astutia, eidem sicut Deo Angelica famulantur officia. Esurire, sitire, lassescere atque dormire, euidenter humanum est. Sed & (Ioan. 6.) de quinque panibus, quinque millia hominum satiare, & largiri Samaritanæ aquam viuam, cuius (Ioan. 4.) haustus bibenti præstat, ne vltra iam sitiat, & supra dorsum maris plantis non subsidentibus ambulare, (Matth. 14.) & elationes fluctuum increpata tempestate con- (Lucæ 8.) sternere, sine ambiguitate diuinum est. Sicut ergo (vt multa prætercam) non eiusdem naturæ est, flere (Lazarum. Ioan. 11) miserationis affectu amicum mortuum, & eundem (Matth. 27.) remota quatriduano aggere sepulturæ, & ad vocis imperium excitare rediuiuum, aut in ligno pendere, & in noctem luce conuersa, omnia elementa tremefacere, aut clauis transfixum esse, & paradisi portas fidei latronis aperire: ita non eiusdem (Ioan. 10.) naturæ est, dicere, *Ego & pater vnum sumus*: (Ioan. 14.) & dicere, *Pater maior me est.* Quamuis enim in Domino Iesu Christo Dei & hominis, vna persona sit: aliud tamen est, vnde contumelia in vtroque communis, aliud vnde communis est gloria. De nostro enim illi est minor patre humanitas, de patre illi est æqualis cum patre diuinitas.

CAPVT V.

PRopter hanc ergo vnitatem personæ, in vtraque natura intelligendam, & filius hominis legitur descendisse de cœlo, cùm filius Dei carnem de ea virgine, de qua est natus assumpserit. Et rursus, filius Dei crucifixus dicitur ac sepultus, cùm hæc non in diuinitate ipsa, qua vnigenitus, consempiternus, & consubstantialis est patri, sed in naturæ humanæ sit infirmitate perpessus. Vnde vnigenitum filium Dei crucifixum & sepultum, omnes etiam in symbolo confitemur, secundum illud Apostoli, *Si enim cognouissent, nunquam Dominum maiestatis crucifixissent.* (1. Cor. 2.) Cùm autem ipse Dominus noster atque Saluator fidem discipulorum suorum suis interrogationibus audiret, *Quem* (inquit) *dicunt homines esse filium hominis*? Cúmque illi diuersas aliorum opiniones retexissent. *Vos autem* (ait) *quem me esse dicitis*? Me vtique qui sum filius hominis, & quem in forma serui, atque in veritate carnis aspicitis, quem me esse dicitis? Vbi B. Petrus, diuinitus inspiratus, & confessione sua omnibus gentibus profuturus: *Tu es* (inquit) *Christus filius Dei viui.* (Matth. 16.) Nec immeritò beatus est pronuntiatus à Domino, & à principali petra soliditatem & virtutis traxit & nominis, qui per reuelationem patris eundem & filium Dei est confessus, & Christum, quia vnum horum sine alio receptum non proderat ad salutem: sed æqualis erat periculi Dominum Iesum Christum aut Deum tantùmodò sine homine, aut sine Deo solum hominem credidisse. Post resurrectionem verò Domini, quæ vtique veri hominis fuit, qui aliter non est resuscitatus, quàm qui fuerat crucifixus & mortuus, quid aliud quadraginta dierum mora gestum est, quàm vt fidei nostræ integritas ab omni caligine mundaretur? Colloquens enim cum discipulis suis, & cohabitans (Act. 1.) atque conuescens, & pertractari se diligenti curiosóque contactu ab eis, quos dubietas perstringebat, admittens, ideo & clausis ad discipulos ianuis in- (Ioan. 20.) troibat, & flatu suo dabat Spiritum S. & donato intelligentiæ lumine, sanctarum Scripturarum occul- (Ibidem.) ta pandebat. Et rursus, idem vulnus lateris, fixuras clauorum, & omnia recentissimæ passionis signa (Luc. 24.) monstrabat dicens: *Videte manus meas & pedes, quia ego sum. Palpate & videte, quia spiritus, carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*: vt agnosceretur in eo proprietas diuinæ humanæque naturæ indiuidua permanere, & ita sciremus, Verbum hoc non esse, quod carnem, & vt vnum Dei filium & Verbum confiteremur & carnem. Quo fidei sacramento Eutyches iste nimium æstimandus est vacuus, qui naturam nostram in vnigenito Dei, nec per humilitatẽ mortalitatis, nec per gloriam resurrectionis agnouit. Nec sententiam B. Apostoli & Euangelistæ Ioannis (1. Ioan. 3.) expauit dicens: *Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse ex Deo est: & omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus.* Quid autem est soluere Iesum, nisi humanã ab eo separare naturã, & sacramentũ fidei, per quod saluati sumus, impudentissimis euacuare figmentis? Caligans verò circa naturam corporis Christi, necesse est, vt etiam in passione eius eadem obcæcatione decipiat. Nam si crucem Domini non putat falsam, & susceptum pro mundi salute supplicium, verum fuisse non dubitat, cuius credit mortem, agnoscat & carnem. Nec diffiteatur nostri corporis hominem, quem cognoscit fuisse passibilem: quoniam negatio veræ carnis, negatio est etiam corporeæ passionis. Si enim Christianam suscipit fidem, & à prædicatione Euangelij suum non auertit auditum: (Ioan. 19.) videat

videat quæ natura transfixa clauis pependerit in Crucis ligno, & aperto per militis lanceam latere crucifixi, intelligat, vnde ſanguis, & aqua effluxerint, vt Eccleſia Dei & lauacro rigaretur & poculo. Audiat & B.Petrum Apoſtolum prædicantem, quòd ſanctificatio ſpiritus per aſperſionem fiat ſanguinis
1.Petr.3. Chriſti. Nec tranſitoriè legat eiuſdem Apoſtoli verba dicentis: *Scientes, quod non corruptibilibus argẽto & auro redempti eſtis de vana veſtra cõuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni incõtaminati, & immaculati Ieſu Chriſti.* Beati quoque
1.Ioan.1. Ioannis Apoſtoli teſtimonio non reſiſtat, dicentis:
1.Ioan.5. *Et ſanguis Ieſu filij Dei emundat nos ab omni peccato.* Et iterum, *Hæc eſt victoria, qua vincit mundum, fides veſtra.* Et quis eſt, qui vincit mundum, niſi qui credit, quoniam Ieſus eſt filius Dei? Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem Ieſus Chriſtus. Non in aqua ſolùm, ſed in aqua & ſanguine. Et ſpiritus eſt,
ſpiritus. qui teſtificatur, quoniam * Chriſtus eſt veritas. Quia tres ſunt, qui teſtimonium dant, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres vnum ſunt. Spiritus vtique ſanctificationis, & ſanguis redemptionis, & aqua baptiſmatis: quæ tria vnum ſunt, & indiuidua manent, nihilque eorum à ſui connexione ſeiungitur: quia Catholica Eccleſia hac fide viuit ac proficit, vt in Chriſto Ieſu, nec ſine vera diuinitate humanitas, nec ſine vera credatur humanitate diuinitas.

CAPVT VI.

CVm autem ad interrogationem examinis veſtri Eutyches reſponderit, dicens: Confiteor ex duabus naturis fuiſſe Dominum noſtrum ante adunationem, poſt adunationem verò vnam naturam confiteor, tam abſurdam, támque peruerſam eius profeſſionem, nulla iudicantium increpatione reprehenſam, & ſermonem nimis inſipientem nimiſque blaſphemum, ita omiſſum, quaſi nihil quod offenderet, eſſet auditum: cùm tam impiè duarum naturarum ante incarnationem vnigenitus Dei filius fuiſſe dicatur, quàm nefarie poſtquam Verbum caro factum eſt, natura in eo ſingularis aſſeritur. Quod ne Eutyches ideo vel rectè vel tolerabiliter æſtimet dictum, quia nulla veſtra eſt ſententia confutatũ, ſollicitudinis tuæ diligentiam commonemus, frater chariſſime, vt ſi per inſpirationem miſericordiæ Dei ad ſatisfactionem cauſa perducitur, imprudentia hominis imperiti etiam ab hac ſenſus ſui macula per te purgetur. Qui quidem (ſicut geſtorum ordo patefecit) penè cœperat à ſua perſuaſione diſcedere, cùm veſtra ſententia coarctatus, profiteretur ſe dicere, quod ante non dixerat, & ei fidei acquieſcere, cuius priùs fuiſſet alienus. Sed cùm anathematizando, impio dogmati noluiſſet præbere conſenſum, intellexit eũ fraternitas veſtra in ſua manere perfidia, dignúmque eſſe, qui iudicium condemnationis exciperet: de quo ſi fideliter atque vtiliter dolet, & quàm rectè mota ſit Epiſcopalis authoritas, vel ſerò cognoſcit, vel ſi ad ſatisfactionis plenitudinem, omnia quæ ab eo malè ſunt ſenſa, viua voce & præſenti
Ioan. 10. ſubſcriptione damnauerit: non erit reprehenſibilis
Luc 9. erga correctum quantacunque miſeratio: quia Dominus noſter verus & bonus paſtor, qui animã ſuam poſuit pro ouibus ſuis, & qui venit animas hominum ſaluare, non perdere, imitatores nos vult eſſe ſuæ pietatis, vt peccantes quidem iuſtitia coerceat, conuerſos autem miſericordia non repellat. Tunc enim demum fructuoſiſſimè fides vera defenditur, quando etiam à ſectatoribus ſuis opinio falſa damnatur ad omnem verò cauſam piè ac fideliter exequendam, fratres noſtros Iulianum Epiſcopum & Renatum Presbyterum tituli ſancti Clementis, ſed & filium meum Hilarium Diaconem vice noſtra direximus. Quibus Dulcitium notarium noſtrum, cuius fides nobis eſt ſæpe probata, ſociauimus: confidentes ad futurum diuinitatis auxilium, vt is, qui errauerat, damnata ſenſus ſui prauitate, ſaluetur. Deus te incolumem cuſtodiat. frater chariſſime. Data Idibus Iunij, Aſterio & Prorogene viris clariſſimis conſulibus. Aëra 486.* *l.483.

EPISTOLA XI.

Ad Iulianum Epiſcopum Coenſem, contra Eutychenæ impietatis errorem.

Leo vrbis Romæ Epiſcopus dilectiſsimo fratri Iuliano Epiſcopo.

LIcet per * noſtros, quos ad vrbem pro fidei * eos. cauſa direximus, pleniſſimas ad fratrem Flauianum literas miſerimus contra nimiæ impietatis errorem: tamen quia per filium noſtrum Baſilium Diaconum ſcripta tuæ dilectionis accepimus, quæ multum nobis Catholici ſenſus feruore placuerunt, etiam hanc paginam, quæ illis epiſtolis conſonaret, adiecimus: vt vnanimiter atque conſtanter, his qui Euangelium Chriſti corrumpere cupiunt, reſiſtatis, quoniam ſancti Spiritus in nobis atque in vobis vna eſt eruditio, eadémque doctrina: quam quicunque non recipit, non eſt membrum corporis Chriſti: nec poteſt eo capite gloriari, in quo naturam ſuam aſſerit non haberi. Quid autem prodeſt imprudentiſſimo ſeni, Neſtorianæ hæreſeos nomine, eorum lacerare opinionem, quorum piiſſimum conuellere non poteſt fidem, cum quantum Neſtorius à veritate diſceſſit, deitatem Verbi ab aſſumpti hominis ſubſtantia ſeparando, tantum à recto ttamite etiam iſte deſciſcat, qui vnigenitum Dei filiũ ſic de vtero B.Virginis prædicat natum, vt humani quidem corporis ſpeciem geſſerit, ſed humanæ carnis veritas Verbo vnita non fuerit? De quo prodigio falſitatis quis non videat, quæ opinionum monſtra naſcantur? Negator enim mediatoris Dei & hominũ, hominis Ieſu Chriſti, neceſſe eſt vt multis impleatur: eúmque aut Apollinaris ſibi vindicet, aut Valentinus vſurpet, aut Manichæus obtineat, quorũ nullus in Chriſto humanæ carnis credidit veritatẽ. Qua vtique non recepta, non ſolùm quòd ſecũdum carnem atque animam rationalem, qui erat in forma Dei, manens idem in forma ſerui, homo natus denegatur: ſed etiam, quòd crucifixus eſt, & mortuus ac ſepultus, quódque die tertio à mortuis reſurrexit, & quòd ad dexteram Dei Patris ſedens ad iudicãdos viuos & mortuos, in eo corpore ſit venturus, in quo eſt iudicatus ad mortem, abnuitur: quia hæc redemptionis noſtræ ſacramenta vacuantur, ſi Chriſtus veram veri hominis, totámque naturam ſuſcepiſſe non creditur. An quia manifeſta erant ſigna diuina, falſa dicentur documenta corporea, & teſtimonia vtriuſque naturæ valebunt, vt creator intelligatur, non valebunt, vt creatura ſaluetur? Quod deitatis eſt, caro non minuit: quod carnis eſt, deitas non peremit. Idem enim & ſempiternus ex patre, & temporalis ex matre: in ſua virtute inuiolabilis: in noſtra infirmitate paſſibilis: in deitate Trinitatis cum patre & cum Spiritu ſancto, vnius eiuſdémque naturæ: in ſuſceptione autem hominis, non vnius ſubſtantiæ, ſed vnius eiuſdémque perſonæ: vt idem eſſet diues in paupertate, omnipotens in abiectione, impaſſibilis in ſupplicio immortalis in morte. Nec enim verbum aut in carnem, aut in animam

aliqua ſui parte conuerſum eſt, cùm ſimplex & incommutabilis natura deitatis, tota ſit ſemper in ſua eſſentia, nec damnum ſui recipiens, nec augmentum: & ſic aſſumptam naturam, beatificans, vt glorificata in glorificante permaneat. Cur autem inconueniens, aut impoſſibile videatur, vt videlicet Verbũ & caro atque anima vnus Ieſus Chriſtus & vnus Dei hominiſque ſit filius, ſit caro, & anima, quæ diſſimilium naturarum ſunt, vnam faciunt etiã ſine Verbi incarnatione perſonã: cùm multo ſit facilius, vt hanc vnitatem ſui atque hominis deitatis præſtet poteſtas, quàm vt eam in ſubſtantiis ſuis obtineat ſolius humanitatis infirmitas? Nec Verbũ igitur in carnem, nec in Verbum caro mutata eſt: ſed vtrumque in vno manet, & vnus in vtroque eſt, non diuerſitate diuiſus, non permixtione cõfuſus, nec alter ex patre, alter ex matre: ſed idem aliter ex patre ante omne principium, aliter de matre in fine ſæculorum, vt eſſet mediator Dei & hominum, homo
1. Tim. 2. Ieſus Chriſtus, in quo inhabitaret plenitudo diui-
Coloſſ. 2. nitatis corporaliter quia aſſumpti, non aſſumentis prouectio eſt, quòd Deus illum exaltauit & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in no-
Philip. 2. mine IESV omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quoniam Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris. In eo verò quod Eutyches in Epiſcopali iudicio auſus eſt dicere, ante incarnationem duas in Chriſto fuiſſe naturas, poſt incarnationem autem vnam, neceſſarium fuerat, vt ad reddẽdam rationem profeſſionis ſuæ, crebris atque ſollicitis iudicium interrogationibus vrgeretur, ne tanquam inane aliquid præterflueret, quod non niſi de hauſtu venenatorum dogmatum apparebat effuſum. Arbitror enim talia proloquentẽ hoc habere perſuaſum, quod anima, quã ſaluator aſſumpſit, prius in cœlis ſit cõmorata, quàm de Maria virgine naſceretur, eámque ſibi Verbum in vtero copularit. Sed hoc Catholicæ mentes, auréſque non tolerãt, quia nihil ſecum Dominus de cœlo veniẽs noſtrę conditionis exhibuit: nec animam enim, quę anterior extitiſſet, nec carnẽ, quę nõ materni corporis eſſet, accepit. Natura quippe noſtra ſic aſſumpta eſt, vt prius creata, poſt aſſumeretur, ſed vt ipſa aſſumptione crearetur. Vnde quod in Origene meritò damnatum eſt, qui animarum, antequã corporibus inſererentur, non ſolũ vitas, ſed & diuerſas fuiſſe aſſeruit actiones: neceſſe eſt, vt etiam in iſto, niſi maluerit ſententiam abdicare, plectatur. Natiuitas enim Domini ſecundum carnem quamuis habeat quædã propria, quibus humanæ conditionis initia trãſcendat, ſiue quòd ſolus ex ſancto Spiritu ab inuiolata virgine ſine cõcupiſcentia carnis eſt conceptus & natus, ſiue quòd ita viſceribus matris eſt editus, vt & fœcũditas pareret, & virginitas permaneret: non alterius tamen naturę erat eius caro, quàm noſtra, nec alio illi, quàm cæteris hominibus, anima eſt inſpirata principio, quæ excelleret, non diuerſitate generis, ſed ſublimitate virtutis. Nihil enim carnis ſuæ habebat aduerſũ, nec diſcordia deſideriorum gignebat compugnantiam voluntatum. Senſus corporei vigebãt ſine lege peccati, & veritas affectionum ſub moderamine deitatis & mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat iniuriis. Verus homo, vero vnitus eſt Deo, nec ſecundũ exiſtentem prius animam deductus eſt è cœlo, nec ſecundum carnem creatus ex nihilo, eandem gerens in Verbi deitate perſonam, & tenens communem nobiſcum in corpore, animáque naturam. Non enim eſſet Dei hominúmque mediator,
1. Tim. 2. niſi idem Deus idemque homo in vtroque & vnus eſſet & verus. Incitat quidem nos ad latitudinẽ diſſerendi materiæ magnitudo, ſed apud eruditionem tuam non eſt copia laborandum, præſertim iam, cũ per noſtros ad fratrem Flauianum ſufficientes literas miſerimus, ad confirmandos animos non ſolùm ſacerdotum, ſed etiam laicorum. Præſtabit, vt credimus, miſericordia Dei, vt abſque cuiuſquam animæ detrimento poſſint aduerſum diaboli dolos, & ſana defendi, & vulnerata curari. Data Idibus Iunij, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XII.

Leonis Papæ ad Theodoſium Auguſtum, de legatis, quos vice ſua deſtinauit ad Synodum Epheſinam, pro erroribus Eutychetis collectam.

Cæſari Theodoſio religioſiſsimo & piiſsimo Auguſto, Leo Papa Eccleſiæ Catholicæ vrbis Romæ.

QVantum, rebus humanis conſulere prouidentia diuina dignetur, ſollicitudo clementiæ veſtræ Spiritu Dei incitata demonſtrat, quæ in Catholica Eccleſia nihil impacatum, nihil vult eſſe diuerſum: quoniam fides, quæ non niſi vna eſt, in nullo poteſt ſui eſſe diſſimilis. Vnde licet Eutyches (quantũ geſtorũ Epiſcopaliũ ordo patefecit) imperitè atque imprudẽter errare detectus ſit, debueritq; à ſua meritò reprobabili perſuaſione diſcedere: quoniam tamen pietas veſtra, quæ in honorem Dei religioſiſſimè Catholicã diligit veritatem, apud Epheſum conſtituit Synodale concilium: vt imperito ſeni, ea in qua nimis caligat, veritas innoteſcat, fratres meos Iulianũ Epiſcopum & Renatũ Presbyterum, & filium meũ Hilarium Diaconum miſi, qui ad vicem præſentiæ meæ pro negotij qualitate ſufficeret, & qui eum ſecum deferrent iuſtitiæ ac benignitatis affectum, vt quia dubitari non poteſt, quæ ſit Chriſtianæ cõfeſſionis integritas, & totius erroris prauitas damnaretur, & ſi reſipiſcens, qui deuiauerat, pro venia ſupplicaret, ſacerdotalis ei beneuolentia ſubueniret: cùm in libello ſuo, quem ad nos miſit, hoc ſaltem ſibi ad promerendam veniam reſeruauit, vt correcturum ſe eſſe promitteret, quicquid noſtra ſententia de his, quæ malè ſẽſerat, improbaſſet. Quid autem Catholica Eccleſia vniuerſaliter de ſacramẽto Dominicæ Incarnationis credat & doceat, ad fratrẽ & coëpiſcopum noſtrum Flauianum pleniùs continet ſcripta, quæ miſi. Data Idibus Iunij, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XIII.

Leonis Papæ ad Pulcheriam Auguſtam, de his vnde ſupra ad Theodoſium Auguſtum.

Leo Catholicæ Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, piiſsimæ Pulcheriæ Auguſtæ.

QVantum præſidij Dominus Eccleſiæ ſuæ in veſtra clementia præpararit, multis ſæpè probauimus documentis. Et quicquid noſtris temporibus, contra impugnatores Catholicæ veritatis, induſtria ſacerdotalis obtinet, ad veſtram maximè gloriã redundabit, dum, ſicut Spiritu ſancto docente didiciſtis, illi per omnia poteſtatem veſtram ſubiicitis, cuius munere & protectione regnatis. Vnde quia, contra

contra integritatem fidei Christianæ, dissensionem quandam in Constantinopolitana Ecclesia Eutyche authore generatam, fratris & coëpiscopi nostri Flauiani relatione cognoui, ita vt totius causæ speciem Synodalium gestorum textus ostenderit: dignum gloriæ vestræ est, vt error (qui vt arbitror) de imperitia magis, quàm de versutia natus est, auferatur, priusquam vllas sibi vires de consensu imprudentium pertinacia prauitatis acquirat: quia etiã ignorantia graues nonnunquam incidit lapsus, & plerunque in diaboli ruit foueas incauta simplicitas, per quam in supradicto subrepisse intelligo spiritum falsitatis, vt dum æstimat se religiosiùs de filij Dei maiestate sentire, si ei naturæ nostræ veritatem inesse non dicat, totum illud, quod Verbum caro factum est, vnius atque eiusdem putet esse substantiæ. Et quantum Nestorius à veritate excidit, dum Christum de matre solum hominem asserit natum, tantùm etiam hic à Catholico tramite deuiat, qui de eadem virgine non nostram credit editam, esse substantiam: volens vtique eam solius deitatis intelligi, vt quod formam serui gessit, & quòd nostri similis fuit atque conformis, quædam nostræ naturæ fuerit imago, non veritas. Nihil autem prodest, Dominum nostrum beatæ Mariæ virginis filium, verum perfectúmque hominem dicere, si nòn illius generis homo creditur, cuius in Euangelio prædicatur. Dicit enim Matthæus: *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham*, & ita humanæ originis ordinem sequitur, vt generationũ lineas vsque ad Ioseph, cui mater Domini erat desponsata, deducat. Lucas verò retrorsum successionum gradus relegens, ad ipsum humani generis principem rediit, vt Adam primum, & Adam nouissimum eiusdem ostendat esse naturæ. Potuerat quippe omnipotentia filij Dei sic ad docendos, iustificandósque homines apparere, quomodo & Patriarchis & Prophetis in specie carnis apparuit, cùm aut luctamen iniit, aut sermonem conseruit, cúmve officia hospitalitatis non abnuit, vel etiam appositum cibum sumpsit. Sed illæ imagines huius hominis erant indicia, cuius veritatem ex præcedentium Patrum stirpe sumendum, significationes mysticæ nunciabant. Et ideo sacramentum reconciliationis nostræ ante tempora æterna dispositum nullæ implebant figuræ, quia nondum superuenerat Spiritus sanctus in virginem nec virtus Altissimi obumbrauerat ei, vt & intra intemerata viscera ædificante sibi sapientia domum, Verbum caro fieret, & forma Dei, ac forma serui in vnam conueniente personam, creator temporum nasceretur in tempore, & per quem facta sunt omnia, ipse inter omnia gigneretur. Nisi enim nouus homo, factus in similitudinem carnis peccati, nostram susciperet vetustatem, & consubstantialis patri, consubstantialis esse dignaretur & matri, naturamque sibi nostram solus à peccato liber vniret: sub iugo diaboli generaliter teneretur humana captiuitas, nec aliter possideremus triumphantis victoriam, si extra nostram esset confecta naturam. De hac autem participatione mirabile sacramentum nobis regenerationis indulsit, vt per ipsum Spiritum, per quem Christus & conceptus est & natus, etiam nos, qui per concupiscentiam carnis sumus geniti, spirituali iterum origine nasceremur. Propter quod ab Euangelista de credentibus dicitur: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Cuius ineffabilis gratiæ particeps non est, nec potest filiorum Dei adoptionem consequi, quisquis à fide sua, hoc quod nos principaliter saluat, excludit. Vnde multùm doleo, multúmque contristor, quòd hic qui antea de humilitatis proposito laudabilis videbatur, contra vnicam spem nostram, patrúmque nostrorum, vana nimis & stolida audet adstruere. Qui dum videret insipientiæ suæ sensum Catholicis auribus displicere, reuocare se à sua opinione debuerat; nec ita Ecclesiæ Præsules commouere, vt damnationis sententiam mereretur accipere, quam vtique si in sua sententia voluerit permanere, nullus poterit relaxare. Sedis enim Apostolicæ moderatio hanc temperantiam obseruat, vt & seueriùs agat cum obduratis, & veniam cupiat præstare correctis. Quia ergo multa mihi fiducia est de pietatis tuæ synceríssima fide, obsecro gloriam clementiæ tuæ, vt sicut sancto studio tuo Catholica prædicatio semper adiuta est, ita nunc quoque eius faueat libertati: quam fortè ideo permisit Dominus hac tentatione pulsari, vt quales intra Ecclesiam lateant, possit agnosci. Quorum planè non est negligenda curatio, vt nec ipsorum nos contristet amissio. Augustissimus verò & Christianissimus Imperator cupiens quàm celerrimè turbata componi, Episcopali Concilio, quod Ephesi vult haberi nimium breue & angustum tempus indixit, diem Kalendarum Augustarum præstituendo conuentui, cùm à tertio die Iduum Maiarum, quo serenitatis eius scripta suscepimus, maior pars reliqui sit temporis absumenda, vt profectio sacerdotum, qui negotio sufficiant, valeat ordinari. Nam illud quod pietas eius etiam me credidit debere interesse Concilio, etiamsi secundum aliquod præcedens exigeretur exemplum, nunc tamen nequaquam posset impleri: quia rerum præsentium nimis incerta conditio à tantæ vrbis populis me abesse non sineret, & in desperationem quandam animi tumultuantium mitteretur, si per occasionem causæ Ecclesiasticæ videret patriam & Sedem Apostolicam velle deserere. Quia igitur ad publicam hanc vtilitatem pertinuisse cognoscitis, vt salua clementiæ vestræ venia, charitati me & precibus ciuium non negarem, in his fratribus meis, quos vice mea misi, me quoque adesse cum cæteris qui adfuerint æstimate: quibus secundum causam, satis mihi & gestorum serie, & ipsius, de quo agitur professione, patefactam euidenter & planè quid seruandum esset ostendi. Non enim de portiuncula aliqua fidei nostræ, quòd minùs lucidè clarescat, quæritur: sed hoc stultissima insultatio audet incessere, quod Dominus noster in Ecclesia neminem sexus vtriusque voluit ignorare. Siquidem ipsa Catholici Symboli breuis & perfecta confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa sit munitione cœlesti, vt omnes hæreticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari. Cuius Symboli plenitudinem si Eutyches & puro & simplici voluisset corde concipere, in nullo à decretis sacratissimi Niceni Concilij deuiaret, & hoc à sanctis Patribus intelligeret constitutum, vt contra Apostolicam fidem, quæ non nisi vna est, nullum se ingenium, nullum eleuaret eloquium. Et ideo pro vestræ pietatis consuetudine elaborare dignemini: vt quod contra singulare sacramentum salutis humanæ blasphema insipientia protulit, ab omnium animis repellatur. Ac si ipse, qui in hanc tentationem incidit, resipiscat, ita vt per libellarem satisfactionem proprium damnet errorem, communio ei sui ordinis reformetur. Quod etiam sancto Flauiano Episcopo me clementia tua scripsisse cognoscat, vt charitas non negetur, si error aboletur. Datum Idibus Iunij, Asterio & Protogene viris clarissimis Consulibus.

Matth. 1.
Gen. 32.
Gen. 18.
Prou. 9.
Ioan. 1.
Ioan. 1.
14. quæst. 2. Damnationis sententiam.
Symbolum Apostolorum.

EPISTOLA XIV.

Ad Fauſtum, Martianum, & reliquos Archimandritas Conſtantinopolitanos.

Dilectiſsimis filiis Fauſto, Martiano, & reliquis Archimandritis, Leo Epiſcopus.

CVm propter cauſam fidei, quam Eutyches, perturbare tentauit, de latere meo mitterem, qui defenſionis veritatis aſſiſterent, congruum credidi, vt etiam ad veſtram dilectionem ſcripta dirigerem: quos certum habeo ita ſtudere pietati, vt blaſphemias & impias voces nullatenus æquanimiter audire poſſitis, manente in cordibus veſtris Apoſtolica
Galat. 1. inſtitutione, qua dicitur, *Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit.* Senſum autem prædicti Eutychetis, qui ſicut geſtorum lectione cognouimus, meritò reprobatus eſt, etiam nos deteſtandũ eſſe decernimus: ita vt ſi aſſerere inſipiens in ſua prauitate voluerit permanere, habeat cum his conſortium, quorum eſt ſecutus errorem. Meritò enim fiet extra Chriſti Eccleſiam, qui in Chriſto humanam, id eſt noſtram negat eſſe naturam. Sed ſi idem ſpiritu Dei miſerante correctus impietatem ſui erroris agnouerit, & quæ Catholici execrantur, plena ſatisfactione damnauerit, volumus ei miſericordiam non negari: vt Eccleſia Domini nullum ſentiat damnum, cùm & reſipiſcens poſſit recipi, & ſolus debeat error excludi. De ſacramento autem pietatis magnæ, in qua nobis per Incarnationẽ Verbi Dei iuſtificatio eſt & redemptio, quæ ſit noſtra ex Patrum traditione ſententia, nunc ſufficienter (quantum arbitror) explicatum eſt, vt per inſinuationem præſulis veſtri, quid ſecundum Euangelium Domini noſtri Ieſu Chriſti in omnium fidelium cordibus fixum eſſe cupiamus, noſcatis. Datum Idibus Iunij, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XV.

Ad Epheſinam Synodum ſecundam, in qua prouocat congregatos Epiſcopos Eutychetis blaſphemias condemnare.

Leo Epiſcopus ſanctæ Synodo, quæ apud Epheſum conuenit.

REligioſa clementiſſimi Principis fides ſciens ad ſuam gloriam maximè pertinere, ſi intra Eccleſiam Catholicam nullius erroris germen exurgeret, hanc reuerentiã diuinis detulit inſtitutis, vt ad ſanctæ diſpoſitionis effectum, authoritatem Apoſtolicę Sedis adhiberet, tanquam ab ipſo beatiſſimo Petro cuperet declarari, quid in eius confeſſione laudatum
Matth. 16. ſit, quando dicente Domino, *Quem dicunt homines eſſe filiũ hominis?* varias quidem diuerſorum opiniones diſcipuli memorarunt, ſed cùm ab eis, quid ipſi crederent, quæreretur, princeps Apoſtolorum plenitudinem fidei breui ſermone complexus, *Tu es* (inquit) *Chriſtus filius Dei viui*, hoc eſt, tu qui es, verè es filius hominis, idem verè es filius Dei viui. Tu,
ſub. inquam, verus in deitate, verus in carne, & * ſalua geminæ proprietate naturæ vtrinque vnus. Quod ſi Eutyches intelligenter ac viuaciter crederet, nequaquam ab huius fidei tramite deuiaret. Propter quam ei reſpondetur à Domino, *Beatus es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui eſt cælis. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo Eccleſiã meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Nimis autem à compage huius ædificationis alienus eſt, qui & B. Petri confeſſionem non capit, & Chriſti Euangelio contradicit: oſtendens ſe nullum vnquam ſtudium cognoſcendæ veritatis habuiſſe, & ſuperfluò honorabilem viſum, qui nulla * authoritate cordis, ornauit canitiem ſenectutis. Verùm quia etiam talium non eſt negligenda curatio, & piè ac religioſè Chriſtianiſſimus Imperator haberi voluit Epiſcopale Concilium, vt pleniore iudicio omnis poſſit error aboleri: fratres noſtros Iulianum Epiſcopum, Renatum Presbyterum, & filium noſtrum Hilarium Diaconem, cúmque his Dulcitium notarium probatæ nobis fidei, miſi qui vice mea ſancto conuentui veſtræ fraternitatis interſint, communi vobiſcum ſententia, quæ Domino ſint placitura, conſtituant. Hoc eſt, vt primitùs peſtifero errore damnato, etiam de ipſius, qui imprudenter errauit, reſtitutione tractetur; ſi tamen doctrinam veritatis amplectens, ſenſus hæreticos, quibus imperitia eius fuerat irretita, plenè apertéque propria voce & ſubſcriptione damnauerit, quod etiam in libello quem ad nos miſerat eſt profeſſus, ſpondens, per omnia noſtram ſequuturum ſe eſſe ſententiam. Acceptis autem fratris & coëpiſcopi noſtri Flauiani litteris, pleniùs ad eum de his, quæ ad nos videbatur retuliſſe, reſcripſimus: vt abolito hoc, quo inquinatus videbatur, errore, in laudem & gloriam Dei per totum mundum vna ſit fides, & vna eadémque confeſſio, & in nomine IESV omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris. Data Idibus Iunij, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

[margin: maturitate.] [margin: Philip. 2.]

EPISTOLA XVI.

Ad Flauianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum.

Flauiano chariſsimo fratri, Leo Epiſcopus Romæ.

LItteras tuæ dilectionis accepi cum geſtis, quæ apud vos ſuper fidei quæſtione confecta ſunt. Et quia clementiſſimus Imperator pro Eccleſiæ pace ſollicitus Synodum voluit congregari, quamuis euidenter appareat rem, de qua agitur, nequaquam Synodali indigere tractatu: tamen frater chariſſime, ſubſecutos eſſe ſignifico, quos in hac re placuit deſtinare. Nec neceſſarium fuit, nunc amplius ſcribi, cùm propitio Deo, de his quæ cauſæ credidimus conuenire per ea quæ ipſi portabunt ſcripta, ſis plenius inſtruendus. Data 15. Kalendas Iulij, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XVII.

Ad Theodoſium Auguſtum.

Leo Epiſcopus, Theodoſio ſemper Auguſto.

ACceptis clementiæ veſtræ litteris, & multùm vniuerſali Eccleſiæ gaudendum eſſe proſpexi: quòd Chriſtianã fidem, qua diuinitas honoratur & colitur in nullo diſſimilem, in nullo vult eſſe diſcordem. Quid. n, reb. humanis ad exorandam miſericordiam Dei efficaciùs ſuffragetur, quam ſi vna gratiarũ actio, & vnius confeſſionis ſacrificiũ maieſtati eius ab omnibus offeratur? In quo ſacerdotum & cunctorum fidelium ita demum erit plena deuotio: ſi in his,

his, quæ per vnicum Dei filium Deum Verbum pro noſtra redemptione ſunt geſta, nihil aliud ſentiatur quam quod ipſe prædicari de ſe iuſſit & credit. Vndè quamuis ad diem Concilij Epiſcopalis, quem pietas veſtra conſtituit, occurrere me ratio nulla permittat cùm nec aliqua ex hoc exempla præceſſerint, & téporalis neceſſitas me non patiatur deſerere ciuitaté, præſertim cùm tam euidens fidei cauſa ſit, vt rationalibus cauſis ab indicenda Synodo fuiſſet abſtinédum: tamen in quantum Dominus iuuare dignatur, meum ſtudium commodaui, vt clementiæ veſtræ ſtatutis aliquatenus pareatur, ordinatis hinc fratribus meis, qui amputandis ſcandalis pro cauſæ æquitate ſufficiant, quique preſentiæ meæ impleant vicem: quia non talis quæſtio orta eſt, vnde aut poſſit, aut debeat dubitari. Data duodecimo Calendas Iulij, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XVIII.

Ad Pulcheriam Auguſtam.

Leo Epiſcopus, Pulcheriæ Auguſtæ.

Hæc eadem ferè habentur, ſed fuſius ſuprà Epiſt. 13.

QVantum ſibi fiduciæ de fide veſtræ clementiæ Eccleſia Dei debeat polliceri, multis probauimus ſæpe documentis, dum ſicut Spiritu ſancto docente didiciſtis, illi per omnia poteſtatem veſtram ſubiicere; cuius munere & protectione regnatis. Vnde quia contra integritatem fidei Chriſtianæ, diſſenſionem quandam in Conſtantinopolitana Eccleſia, Eutyche authore generatam, fratris & coëpiſcopi mei Flauiani relatione cognoui, vt totius cauſæ ſpeciem Synodalium geſtorum textus oſtenderit, dignum gloriæ veſtræ eſt, vt error qui de imperitia magis, quàm de verſutia natus eſt, auferatur, priuſquã vllas vires de conſenſu imprudentium, pertinacia prauitatis acquirat. Nam quantùm Neſtorius à veritate excidit, dum Dominum Ieſum Chriſtum de matre virgine hominem ſolum aſſerit natum: tantum etiam hic à Catholico tramite deuiauit, qui de eadem virgine editum, non noſtræ credidit eſſe naturæ: vt quòd formam ſerui geſſit, quòd noſtri ſimilis fuit atque conformis, quædam noſtræ carnis fuerit imago, non veritas. Nihil autem prodeſt Dominum noſtrum beatæ Mariæ virginis filiũ, hominem dicere, ſi non illius generis, atque ſeminis homo creditur, cuius in ipſo Euangelij exordio prædicatur. Vndè multùm doleo, multúmque contriſtor, quòd hic qui antea de humilitatis propoſito laudabilis videbatur, contra vnicam ſpem noſtram patrúmque noſtrorum, vana & nimis peruerſa audet aſtruere. Qui cùm videret inſipientiæ ſuæ ſenſum Catholicis auribus diſplicere, reuocare ſe à ſua opinione debuerat: ne illa Eccleſiæ Præſules commoueret, vt ſententiam damnationis exciperet. Quam vtique ſi in ſuo ſenſu voluerit permanere, nullus poterit relaxare. Sedis enim Apoſtolicæ moderatio hanc temperantiam ſeruat: vt & ſeueriùs agat cum obduratis, & veniam cupiat præſtare correctis. Quia ergo mihi multa fiducia eſt de pietatis veſtræ ſynceriſſima fide, obſecro glorioſiſſimam clementiam veſtram: vt ſicuti ſancto ſtudio tuo Catholica prædicatio ſemper adiuta eſt, ita nunc quoquè eiuſdem faueas libertati. Non enim portiuncula aliqua fidei noſtræ quæ minùs lucidè ſit clara, pulſatur, ſed hoc imperita reſultatio audet inceſſere, quod Dominus in Eccleſia ſua neminẽ voluit ignorare. Et ideo pro veſtræ pietatis conſuetudine elaborare dignemini, vt contra ſingulare ſacramentum ſalutis humanæ, quod blaſphema inſipientia protulit, ab omnium animis repellatur. Ac ſi ipſe, qui in hac tentatione inſidit, reſipiſcat; ita vt quod male ſenſerat, propria voce & ſuſcriptione condemnet: communio illi ſui ordinis reformetur. Quod etiam fratri & coëpiſcopo meo Flauiano me clementia veſtra ſcripſiſſe cognoſcat, & his, quos miſimus, delegaſſe: vt venia concedatur, ſi error aboletur. Ne auté piiſſimi Principis diſpoſitioni, quâ Epiſcopale Concilium voluit congregari, noſtra videretur præſentia defuiſſe fratres meos Iulianum Epiſcopum, Renatum Preſbyterum, & filium meum Hilarium Diaconem miſi, qui vicem præſentiæ meæ implere ſufficerent. Sed ei, qui in errore eſt, melius conſuletur, ſi vbi deſipuit ibidem reſipiſcat: & vbi damnationem meruit, illic indulgentiam conſequatur. Data Idibus Iunij, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XIX.

Ad Iulianum Epiſcopum.

Leo Epiſcopus, Iuliano Epiſcopo chariſſimo fratri.

LIteræ dilectionis tuæ, quæ mihi nuper ſunt redditæ, quã ſpiritali Catholicæ fidei vigeas amore demonſtrant, & multum gaudere me faciunt, quod in eadem ſententia pia corda concurrunt vt ſecundùm doctrinam Spiritus ſancti impleatur in nobis, quod Apoſtolus ait: *Obſecro autem vos fratres per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in nobis ſchiſmata.* Sitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia: cuius vnitatis nimium ſe Eutyches facit extraneum, qui in ſua peruerſitate veteraſcit, nec adhuc, quibus vinculis à Domino ſit obligatus, intelligit. Et quamquam ſacerdotem Domini reperiendum putat, qui eius imperitiæ amentiæque cõſentiat, diu apud nos incertum fuit, quid in ipſo Catholicis diſpliceret. Et cùm fratris noſtri Flauiani nullas literas ſumeremus, ipſe autem ſcriptis ſuis Neſtorianam hæreſim repullulare quereretur: non plenè potuimus diſcere, vnde procederet, vel quò tenderet tam doloſa cauſatio Sed poſtquam geſtorum ad nos Epiſcopalium documenta perlata ſunt, omnia illa, quæ fallacium querelarum velamine tegebantur, quàm eſſent deteſtanda, patuerunt. Et quia clementiſſimus Imperator, beneuolentia ac pietate animi ſui, de ſtatu huius qui ante honorabilis videbatur diligentiùs voluit iudicari, atque ob hoc indicendum credidit Epiſcopale Concilium, per Fratres noſtros Iulianum Epiſcopum, & Renatum Presbyterum, ſed & filium meum Diaconem Hilarium, & quos ex latere meo vice mea miſi, ad Fratrem noſtrum Flauianum ſufficientia pro qualitate cauſæ ſcripta direxi, quibus & veſtra dilectio, & Eccleſia vniuerſa cognoſcat, de antiqua & ſingulari fide, quam indoctus impugnator inceſſit, quid diuinitus traditum teneamus, & quid immutabiliter prædicemus. Quia tamen non debemus partes miſerationis omittere, congrua moderatione credimus ſentiendum: vt ſi condemnatus Presbyter plena ſatisfactione corrigitur, ſententia, qua obſtrictus eſt, relaxetur, Si verò in eodem inſipientiæ ſuæ luto iacere delegerit: ſtatuta permaneant, & cum eis habeat ſortem, quorum eſt ſecutus errorem. Data Idibus Iunij, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XX.

Ad Flauianum Episcopum.

Flauiano dilectissimo fratri, Leo Episcopus.

PRofectis iam nostris, quos ad vos in fidei causa direximus, per filium nostrum Basilium Diaconē scripta tuæ dilectionis accepimus, quibus merito parum de negotio communis sollicitudinis* indidisses, quoniam & gesta ante delata, de omnibus nos sufficienter instruxerant, & ad familiarem interrogationem idoneus erat sermo prædicti, per quem nunc alloquia reddentes, dilectionem tuam per Dei gratiam, in qua fidimus, cohortamur, vtentes verbis Apostolicis, atque dicentes: *In nullo terreamini ab aduersariis, quæ est illis causa perditionis, vobis autē salutis.* Quid enim tā exitiabile, quā negata veritate Incarnationis Christi, omnem spem salutis humanæ velle dissoluere? & Apostolo contraire dicenti manifestè: *Magnum est pietatis sacramentū, quod manifestū est in carne?* Quid tam gloriosum, quàm contra inimicos Natiuitatis & Crucis Christi pro fide Euāgelica dimicare? De cuius purissimo lumine, inuictáque virtute, datis iam ad tuam dilectionem litteris, quid in nostro esset corde, patefecimus: ne de illis, quæ secundum doctrinam Catholicam didicimus & docemus, aliquid inter nos videri possit ambiguum. Quia verò tam valida, & tam clara sunt testimonia veritatis, vt nimis cæcus, nimisque obduratus habendus sit, qui ad coruscationem lucis atque rationis, non confestim se à tenebris falsitatis excusserit; ad curandam imperitorum insaniam, etiam patientiæ volumus adhibere medicinam: vt paternas increpationes hi, qui in senectute carnis suæ mente sunt paruuli, discant obedire maioribus. Ac si deposita imperitiæ suæ vanitate resipiscunt, omnique errore damnato, fidem vēram singularémque suscipiunt, misericordia eisdem Episcopalis beneuolentiæ non negetur: mansuro iudicio, quod præcessit, si impietas meritò condemnata, in sua prauitate perstiterit. Data decimo Kalendas Augusti, Asterio & Protogene viris clarissimis Consulibus.

indidisti.

Philip. 1.

1. Tim. 3.

EPISTOLA XXI.

Ad eundem Flauianum Constantinopolitanum Episcopum.

Leo Episcopus, Flauiano Episcopo.

AVget sollicitudinem nostram taciturnitas tua, qui iam diu nulla dilectionis tuæ scripta suscepimus, cùm nos curarum tuarum participes pro fidei defensione solliciti, frequenter per occasiones idoneas ad dilectionem tuam litteras miserimus: vt adhortationum nostrarum consolationibus iuuaremus, vt aduersariorum stimulis pro fidei defensione non cederes, cùm laboris tui particeps nos probares. Olim ad fraternitatem tuam nostros credimus peruenisse, per quos plenius scriptis, mandatisque nostris instructum te esse retines, & Basilium ad te (vt volueras) ipsi remisimus. Nunc, ne aliqua prætermissum occasione te crederes, per filium nostrum honorabilem & amabilem nobis virum Esitium, hanc paginam dedimus: vt tota celeritate ad scripta nostra respondeas, nósque subinde tuis actibus nostrorúmque, & de totius causæ absolutione facias certiores: vt sollicitudinem quam nunc pro fidei defensione gerimus, prosperioribus nunciis molliamus. Data tertio Idus Augusti, Asterio & Protogene viris clarissimis Consulibus.

EPISTOLA XXII.

Ad Constantinopolitanos.

Vt prophana iudicantur in hac epistola Concilij Ephesini secundi acta, & impenditur consolatio Cōstantinopolitanis pro destitutione Pontificis sui Flauiani.

Leo Episcopus, & sancta Synodus, quæ in vrbe conuenit, Clero, honoratis, & plebi consistenti apud Constantinopolim, dilectissimis filiis in Domino salutem.

IN notitiam nostram, quæ Ephesi contra opinionē omnium sunt acta, perlatis, magno animum nostrum fatemur mœrore confusum: nec tantum licuisse iniquitati, facile potuissemus credere, nisi filius noster Hilarius Diaconus, qui à nobis vice nostra cū aliis, vt interesset synodo, missus fuerat, fugiens reuertisset, declinās, ne iustæ particeps esset sententiæ. Quippe cùm vox illic à nostri contradictioni emissa sit, quam Alexandrinus Antistes (qui totum solus ibi potentiæ suæ vindicauit) audire contempsit, in consortium suę voluntatis inuitos protrahens sacerdotes, vt per vim coacti subscriberent, qui nullam damnationis causam idoneam reperissent. Sed hos ausus pio & Christianissimo Principi cōfidimus minimè placituros. At nunc, quia Ecclesiam vestrā hac ratione cognouimus dissipatam, cōsolandos, adhortandósque vos esse credimus nostris epistolis: vt pro Catholicæ fidei defensione perfidorum nequitiæ resistatis. Nolumus enim dilectionem vestrā hoc mœrore percelli, cùm maior gloria vestrā sit subsequutura constantiā, si à probabili Sacerdote vestro nullę vos minæ, nulla formido diuulserit. Quisquis enim incolumi atque superstite Flauiano Episcopo vestro sacerdotium eius fuerit ausus inuadere: nunquam in communione nostra habebitur, nec inter Episcopos poterit numerari. Nos enim sicut Nestorium in sua peruersitate anathematizauimus: ita eos, qui veritatē carnis nostræ in Domino Iesu Christo, denegāt, pari execratione damnamus. State igitur in spiritu Catholicæ veritatis, & Apostolicā cohortationem ministerio nostri oris accipite, quia vobis donatū est pro Christo non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini. Nolite arbitrari, dilectissimi, quod sanctæ Ecclesiæ suæ desiit, aut defutura sit diuina protectio. Splendescit enim fidei puritas; cùm ab ea sordes separantur errorum. Vnde iterum, iterúmque vos ante conspectum Domini obtestamur pariter & monemus: vt à fide in qua fundati estis, & in qua Christianissimū Principem nouimus permanere, nō insidiis, non cuiusquā persuasionibus moueamini: sed in persona Episcopi vestri illum in cordis oculis habeatis, pro quo idē omnia pati, quæ fuerunt illata, non metuit, cuius per omnia imitatores vos esse cupimus, vt commune cum ipso præmium fidei habere possitis. Data Idibus Octobris, Asterio & Protogene viris clarissimis Consulibus.

Philip. 1.

EPISTOLA XXIII.

Ad Clerum & plebem Constantinopolitanæ vrbis.

Leo Episcopus, & sancta Synodus, quæ in vrbe Romæ conuenit, Clero, honoratis, & plebi consistenti Constantinopoli.

LIcet de his, quæ in Concilio sacerdotum apud Ephesum gesta memorantur, multus nos mœror

ror afficiat, eo quòd sicut consonans fama dispersit, & ipso rerum monstratur effectu, nec iustitiæ illic moderatio, nec fidei est seruata religio; de vestræ tamen deuotionis pietate gaudemus, & in sanctæ plebis acclamationibus, quarum ad nos exempla delata sunt, omnium vestrorum probamus affectum: quia & viuit ac permanet apud bonos filios, optimi patris iusta dilectio, & Catholicæ doctrinæ eruditionem in nulla patimini parte corrumpi. Non dubiè enim, sicut vobis spiritus Sanctus reserauit, Manichæorum confœderantur errori, qui ab vnigenito Dei filio verum & nostræ naturæ hominem negant esse susceptum, omnésque eius corporeas actiones simulatorij volunt fuisse phantasmatis. Cui impietati ne in aliquo præberetis assensum, iam per Filium meum Epiphanium & Dionysium Romanæ Ecclesiæ notarios, cohortatoria ad dilectionem vestram scripta direximus, quibus confirmationem, quam expetistis, vltrò præbuimus: vt nos paternam vobis curam non dubitetis impendere, ac modis omnibus laborare, vt auxiliante misericordia Dei, omnia quæ ab imperitis, & ab insipientibus excitata sunt scandala, destruantur. Nec quisquam sibi audeat de sacerdotali honore blandiri, qui potuerit in execrandi sensus impietate conuinci. Nam si vix in laicis tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in eis, qui præsunt, nec excusatione est digna nec venia, maximè cùm etiam defendere peruersarum opinionum commenta præsumunt, & in consensum suum aut errore, aut gratia insanabiles quosque traducunt? Separentur huiusmodi à sanctis membris corporis Christi, neque sibi Catholica libertas infidelium iugum patiatur imponi. Extra enim donum diuinæ gratiæ, & extra sacramentum habendi sunt salutis humanæ, qui negantes naturam nostræ carnis in Christo, & Euangelio contradicunt, & Symbolo reluctantur. Nec sentiunt se in hoc præruptum sua obcœcatione deduci, vt nec in Passionis Dominicæ, nec in Resurrectionis veritate consistant: quia vtrumque in Saluatore vacuatur, si in eo nostri generis caro non creditur. In quibus istis ignorantiæ tenebris, in quo hactenus desidiæ torpore iacuere, vt nec auditu discerent, vel lectione cognoscerent, quod in Ecclesia Dei in omnium ore tam consonum est, vt nec ab infantium linguis veritas Corporis & Sanguinis Christi inter communis Sacramenta fidei teneatur? Quia in illa mystica distributione spiritalis alimoniæ hoc impartitur, hoc sumitur, vt accipientes virtutem cœlestis cibi, in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus. Vnde & ad confirmationem charitatis vestræ, quæ laudabili fide inimicis veritatis obnititur, aptè, atque opportunè sermone affectúque Apostolico vtar, & dicam: Propterea & ego audiens fidem vestram quæ est in Christo Iesu, & dilectionem in omnes sanctos non cesso gratias agens pro vobis memoriam vestri faciens in orationibus meis: vt Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ reuelationis, in agnitione eius illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis, quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nobis, qui credidimus secundum operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens illum ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super* omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius qui omnia in omnibus* adimplet. Dicant hi aduersarij veritatis, quando omnipotens pater, vel secundum quam naturam filium suum super vniuersa prouexerit, vel cui substantiæ cuncta subiecerit, Deitas enim Verbi, par in omnibus & consubstantialis est Patri, & sempiterne atque intemporaliter vna eadémque potentia est genitoris & geniti. Creator quippe omnium naturarum, quoniam per ipsum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil, superior omnibus quæ creauit, nec vnquam creatori non fuerunt subiecta quæ condidit, cui proprium & sempiternum est, nec aliundè, quàm de patre, nec aliud esse quam pater est. Huic si addita est potestas, si illustrata dignitas, si exaltata sublimitas, minor erit prouehēte, qui creuit, nec habeat diuitias eius naturæ, cuius indiguit largitate. Sed talia sentientem in societatem suam. Arrius rapit, cuius peruersitati multum hæc suffragatur impietas, negans Verbo Dei humanam inesse naturam, vt dum humilitatem in Dei maiestate fastidit, aut falsatam in Christo asserat imaginem corporis, aut omnes actiones eius passionésque corporeas, deitatis potius fuisse dicat quàm carnis. Quodlibet autem defendere audeat, prorsus insanum est, quia nec pietas fidei, nec ratio recipit sacramenti, vt aut aliqua passa sit deitas, aut in nullo mentita sit veritas. Impassibilis igitur Dei filius Deus, qui cum Patre & Spiritu sancto vna incommutabilis Trinitatis essentia, hoc quod est esse perpetuum est, in ea plenitudo temporis quæ sempiterno consilio fuerat præstituta, & prophetica dictorum atque gestorum significatione promissa, factus filius hominis non suæ conuersione substantiæ, sed nostræ assumptione naturæ, venit quærere & saluare, quod perierat. Venit autem non locali accessu, nec motione corporea, tanquam præsens futurus, vnde abfuisset, aut illinc recessurus, vnde venisset: sed venit per hoc, quod erat visibile & commune cernentibus declarandus, humanam scilicet carnem atque animam in visceribus virginis matris accipiens, vt manens in forma Dei, formam serui sibimet, similitudinem carnis peccati vniret, per quam non minueret diuina humanis, augeret humana diuinis. Talis enim erat omnium à primis ducta genitoribus causa mortalium, vt originali peccato transeunte per posteros, nullus pœnam damnationis euaderet, nisi Verbum caro fieret, & habitaret in nobis, in ea scilicet natura, quæ nostri & sanguinis esset & generis. Propter quod dicit Apostolus: *Sicut per vnius delictum in omnes homines, in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines ad iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius hominis obedientiam iusti constituentur multi.* Et iterum: *Quia enim per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Hi vtique omnes; qui licet in Adam sint nati, in Christo tamen inueniuntur renati, habentes fidei testimonium, & de iustificatione gratiæ, & de communione naturæ: quā qui susceptam ab vnigenito Dei filio in vtero Dauidicæ virginis diffitetur, ab omni sacramento Christianæ religionis alienus est, & nec sponsū agnoscēs, nec sponsam intelligens, nuptiali non potest interesse conuiuio. Caro enim Christi velamen est Verbi, quo omnis qui Christum confitetur, integrè induitur. Erubescens autem illud, & quasi indignum refutans, nullum ex eo habebit ornatum, ac licet se regio inferat festo, sacrisque se epulis importunus immisceat, discretionem tamen regis fallere improbus conuiua non poterit, sed sicut ipse Dominus protesta

Marginal notes: D.st 28. Si in laicis videtur. — De consec. distinct. 2. in quibus isti. — Ephes. 1. — omnia Ecclesiæ. — adimpletur. — Ioan. 1. — Luc. 19. — Ioan. 1. — Rom. 5. — 1. Cor. 15. — Matth. 22.

protestatus est, tolletur ligatis manibus & pedibus, & mittetur in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium. Vndè quicunque in Christo non confitetur corpus humanum, nouerit se mysterio Incarnationis indignum, nec eius sacramenti habere consortium. Quod Apostolus prædicat, dicens

Ephes. 5. *Quia membra sumus corporis eius, de carne eius & ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem: & adhærebit vxori suæ, & erũt duo in carne vna.*

Ioan. 19. Exponens, quid per hoc significaretur, adiecit: *Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Ab ipso ergo principio generis humani hominibus Christus est denunciatus in carne venturus, In qua (sicut dictũ est) & erunt duo in carne vna, vtique duo sunt, Deus & homo, Christus & Ecclesia, quæ de sponsi carne prodiit, quando ex latere crucifixi manante sanguine & aqua, sacramentũ redemptionis & regenerationis accepit. Ipsa est enim noua conditio creaturæ, quæ in baptismate non indumento veræ carnis, sed contagio damnatæ vetustatis exuitur, vt efficiatur homo corpus Christi,

Christi. quia & * Christus est corpus hominis. Vnde non Deum tantùm dicimus Christum, sicut hæretici Manichæi, nec hominem tantùm, sicut hæretici Fotiniani, nec ita hominẽ, vt aliquid ei desit, quod ad humanam certum est pertinere naturam, siue animam, siue mentem rationalem, siue carnem, * quam

Quæ non de fœmina sumpta sit, sed facta. non de fœmina sumpsit, sed factam de Verbo in carnem conuerso atque mutato, quæ tria falsa & vana Apollinistrarum hæreticorum tres partes variè protulerunt. Nec dicimus, quod beata virgo Maria hominem sine deitate conceperit, qui creatus à Spiritu sancto, postea sit susceptus à Verbo, quod Nestorium prædicantem meritò iustéque damnauimus: sed dicimus Christum Dei filium Deum verum, natum de Deo patre sine vllo initio temporis, eundémque hominem verum, natum de matre homine, certa plenitudine temporis nec eius humanitatem, qua minor est patre, minuere aliquid eius naturæ, qua æqualis est patri. Hoc autem vtrumque vnus est

Ioan. 10. Christus, qui verissimè dixit, & secundùm Deum,

Ioan. 14. *Ego & pater vnum sumus*, & secundum hominem: *Pater maior me est.* Hanc fidem (dilectissimi) veram & indissolubilem, quæ sola veros efficit Christianos, quamque vt intelligimus, & probamus, pio studio & laudabili amore defenditis, perseueranter tenete, & constanter asserite. Et quoniam oportet vos post diuinum auxilium, etiam Catholicorum Principum gratiam promereri, humiliter ac sapienter exposcite, vt petitioni nostræ qua plenariam indici Synodum postulamus, clementissimus Imperator dignetur annuere: quo citius, adiuuante misericordia Dei, & sanis fortitudo augeatur, & morbidis si curari acquiescant, medicina præstetur. Data Idus Octobris Asterio & Protogene viris clarissimis Consulibus.

EPISTOLA XXIV.

Ad Theodosium Augustum, qua rogat illum speciale Concilium in Italia fieri, & in nullo alio loco, eo quòd contraria canonibus facta sit Synodus Ephesina & in ea acta iudicantur illigitima, nec ritè facta.

Hæc epistola potius fragmentum quoddam esse videtur proximè sequentis epistolæ: nec satis cohærer, nec inuenimus eam in M. S.

Gloriosissimo & clementissimo Theodosio Augusto, Leo Episcopus.

OLim & ab initio in Conciliis celebratis tantam nos percepimus à beatissimo Petro Apostolorum principe fiduciam, vt authoritatem habeamus, ad veritatem pro nostra pace defendendã: quatenus nulli liceat sic eam minutam in aliquo commouere, dum repentè læsio moueretur. Igitur quia Concilium Episcoporum, quod propter Flauianum in Ephesina ciuitate fieri præcepistis, & ipsi fidei probatur obesse, & omnes Ecclesias vulnerare, & hæc à nobis comperta sunt non incerto nuncio, sed ab ipsis reuerendissimis Episcopis qui à nobis missi sunt, & fidelissimo rerum, quæ gesta sunt narratore Hilario Diacono nostro. Hæc autem ideo culpa processit, eo quòd non pura conscientia & recto iudicio secundum consuetudinem hi qui collecti sunt, de fide & erratibus protulerunt. In ipso autem iudicio non omnes, qui conuenerant, interfuisse cognouimus. Nam alios reiectos, alios didicimus intromissos, qui pro supradicti sacerdotis arbitrio impiis subscriptionibus captiuas manus dederũt, quod nociturum statui non sciẽt, nisi imperata fecissent, talemque ab ipso prolatam esse sententiam, vt in omnes per eam sæuiretur Ecclesias. Quod nostri ab Apostolica Sede directi adeò impium & Catholicæ fidei contrarium videntes, nobis significare noscuntur. Vnde tranquillissimi principum remouete (quæsumus) à vestræ pietatis conscientia periculũ religionis & fidei: vt Christi Euangelio vim non inferat humana præsumptio. Ecce ego Christianissime & venerabilis Imperator cum consacerdotibus meis implens ergo reuerentiam clementiæ vestræ synceri amoris officium: cupiénsque vos per omnia placere Deo cui pro vobis ab Ecclesia supplicatur, nec ante tribunal Domini, rei de * consilio Silentio. iudicemur; obsecramus coram vnius deitatis inseparabili Trinitate, quæ tali facto læditur (cùm ipsa vestri sit custos & author imperij) & coram sanctis angelis Christi, vt omnia in eo statu esse iubeatis, in quo fuerunt ante omne iudicium, donec maior ex toto orbe sacerdotum numerus congregetur. Nec alieno peccato patiamini vos grauari, quia (quod necesse est nos dicere) veremur, ne cuius religio dissipatur, indignatio prouocetur. Præ oculis habere, & tota mentis acie reuerenter aspicite beati Petri gloriam, communes cum ipso omnium Apostolorum coronas, cunctorúmque Martyrum palmas: quibus alia non fuit causa patiendi, nisi confessio veræ diuinitatis, & veræ humanitatis in Christo. Cui sacramento quia impiè nunc à paucis imprudentibus obuiatur, omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes mansuetudinis vestræ cum gemitibus & lachrymis supplicant sacerdotes, vt quia & nostri fideliter reclamarunt, & eisdem libellum appellationis Flauianus Episcopus dedit generalem Synodum iubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offensiones ita aut repellat, aut mitiget: ne vltrà aliquid sit, vel in fide dubium, vel in charitate diuisum, conuenientibus vtique Orientalium prouinciarum Episcopis, quorum si qui seperati minis atque iniuriis à veritatis tramite deuiarunt, salutaribus remediis in integrum reuocentur: ipsique quorum est causa durior, si consiliis melioribus acquiescant, vt ab Ecclesiæ vnitate non excidant. Quàm autem post appellationem interpositam hoc necessariò postuletur, canonum Nicææ habitorũ decreta testantur, quæ à totius mundi sunt sacerdotibus cõstituta. Fauete Catholicis vestro more paretúmque

que

que vestrorum, datæ defendendæ fidei libertatem. Cùm enim Ecclesiæ causa statum regni vestri agamus & salutis, vt prouinciarum vestrarum quieto iure potiamini, defendite contra hæreticos inconcussum Ecclesiæ statum: vt & vestrum Christi dextera defendatur Imperium. Datum tertio Idus Octobris, Asterio & Protogene viris clarissimis Consulibus.

EPISTOLA XXV.

Ad Theodosium Augustum de sancta Synodo Ephesina, in qua Eutychetis hæresis quorumdam Episcoporum prauo intellectu adiuta est: vnde hortatur eundem Augustum, vt priscæ fidei constitutio ab eis non violetur, sed Dei sacerdotes totius orbis adunentur.

Leo Episcopus, & sancta Synodus, quæ in vrbe Romæ conuenit, Theodosio semper Augusto.

Litteris clementiæ vestræ, quas dudum ad beati Petri Apostoli Sedem pro Catholicæ fidei amore misistis, tantam fiduciam sumpsimus defendendæ per vos veritatis & pacis: vt in causa tam simplici, támque munita nihil putaremus posse existere, quod noceret, præsertim cum ad Episcopale Concilium, quod haberi apud Ephesum præcepistis, tam instructi sint missi, vt si scripta, quæ vel ad sanctam Synodum, vel ad Flauianum Episcopum detulerunt, Episcoporum publicari auribus Alexandrinus permisisset Antistes, ita manifestatione purissimæ fidei, quam diuinitùs inspiratam, & accepimus, & tenemus, omnium * congressionum strepitus quicuisset, vt nec imperitia vltra deciperet, nec occasionem nocendi æmulatio reperiret. Sed dum priuatæ causæ, religionis exercentu robtentu, commissum est impietate paucorum, quod vniuersam Ecclesiam vulneraret. Comperimus enim non incerto nuncio, sed fidelissimo rerum, quæ gesta sunt, narratore Hilario Diacono nostro (qui vix, ne subscribere per vim cogeretur, effugit) conuenisse ad Synodum plurimos sacerdotes, quorum vtique frequentia collationi & iudicio profuisset, si is qui sibi locum principem vindicabat, sacerdotalem moderationem custodire voluisset, (vt sicut moris est omnium sententiis ex libertate prolatis, id tranquillo & æquo constitueretur examine, quo & fidei congrueret, & errantibus subueniret. In ipso autem iudicio non omnes qui conuenerant, interfuisse cognouimus. Nam alios reiectos, alios didicimus intromissos, qui pro supradicti Sacerdotis arbitrio, impiis subscriptionibus captiuas manus dederent, & nociturum statui suo scirent, nisi imperata fecissent, talémque ab ipso prolatam esse sententiam, vt dum homo vnus impetitur, in omnem Ecclesiam sæuire videretur. Quod nostri ab Apostolica Sede directi, adeo impium, & Catholicæ fidei contrarium esse viderunt, vt ad consentiendum nulla potuerunt oppressione compelli: constantérque in eadem Sinodo [vt decuit] vt fuerint protestati, nequaquam id, quod constituebatur, Sedem Apostolicam recepturam: quoniam reuera omne Christianæ fidei sacramentum (quod absit) à temporibus vestræ pietatis exscinditur, nisi hoc scelestissimum facinus, quod cuncta sacrilegia excedit, aboleatur. Quia verò diabolica nequitia subtiliter fallit incautos, & ita quorumdam imprudentiam per similitudinem pietatis illudit, vt pro salubribus persuadeat nocitura: remouete, quæsumus, à vestræ pietatis conscientia periculum religionis & fidei, quódque in sæcularibus negotiis legum vestrarum æquitate conceditur, in rerum diuinarum pertractatione præstate, vt Christi Euangelio vim non inferat humana præsumptio. Ecce ego Christianissime & venerabilis Imperator; cum consacerdotibus meis implens erga reuerentiam clementiæ vestræ synceri amoris officium, cupiensque vos placere per omnia Deo, cui pro vobis ab Ecclesia supplicatur, ne ante tribunal Christi Domini rei de silentio iudicemur, obsecramus coram vnius deitatis inseparabili Trinitate, quæ tali facto læditur, cum ipsa vestri sit custos, & auctrix Imperij, & coram sanctis Angelis Christi: vt omnia in eo statu manere iubeatis, in quo fuerunt ante omne iudicium donec maior ex toto orbe sacerdotum numerus congregetur. Nec alieno peccato patiamini vos grauari, quia (quod necesse est nos dicere) veremur, ne cuius religio dissipatur, indignatio prouocetur. Præ oculis habete & tota mentis acie reuerenter aspicite beati Petri gloriam, & communes cum ipso omnium Apostolorum coronas, cunctorúmque Martyrum palmas, quibus alia non fuit causa patiendi, nisi confessio veræ diuinitatis & veræ humanitatis in Christo. Cui sacramento quia impiè nunc à paucis imprudentibus obuiatur, omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes mansuetudini vestræ cum gemitibus, & lachrymis supplicant sacerdotes, vt quia & nostri fideliter reclamarunt, & eiusdem libellum appellationis Flauianus Episcopus dedit generalem Synodum iubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offensiones ita autrepellat, aut mitiget, nec aliquid vltra sit, vel in fide dubium, vel in charitate diuisum. Conuenientibus vtique Orientalium prouinciarum Episcopis, quorum si qui superati minis atque iniuriis à veritatis tramite deuiarunt, salutaribus remediis in integrum reuocentur, ipsique quorum est causa durior, si consiliis melioribus acquiescant, ab Ecclesiæ vnitate non excidant. Quàm autem post appellationem interpositam hoc necessariò postuletur canonum Niceæ habitorum decreta testantur, quæ à totius mundi sunt sacerdotibus constituta: quæque subter annexa sunt. Fauete Catholicis vestro more, parentumque vestrorum. Date defendendæ fidei libertatem, quam salua clementiæ vestræ reuerentia, nulla vis, nullus poterit mundanus error auferre. Cùm enim Ecclesiæ causa statum regni vestri agamus & salutis, vt prouinciarum vestrarum quieto iure potiamini, defendite contra hæreticos inconcussum Ecclesiæ statum, vt & vestrum Christi dextra defendatur Imperium. Datum 3. Idus Octobr. Asterio & Protegene viris clarissimis Consulibus.

* concertantiam.

EPISTOLA XXVI.

Ad Pulcheriam Auguſtam contra eandem ſecundam Synodum Epheſinam, vt eius errores in alia Synodo retractentur.

Leo Epiſcopus, & ſancta Synodus, quæ in vrbe Roma conuenit, Pulcheriæ Auguſtæ.

SI epiſtolæ, quæ pro fidei cauſa per noſtros Clericos directæ ſunt, ad veſtram pietatem perueniſſent, certum eſt, remedium vos his rebus, quæ contra fidem factæ ſunt, aſpirante vobis Domino, præſtare potuiſſe. Quando enim ſacerdotibus, quando Chriſtianæ religioni aut fidei defuiſtis? Sed cùm ad manſuetudinem veſtram adeo non potuerint peruenire, qui miſſi ſunt, vt ad nos vix vnus illorum Hilarius Diaconus noſter effugiens ſit reuerſus, iteranda ſcripta credidimus. Et vt validiores preces noſtræ eſſe mereantur ipſorum ſcriptorum, quæ ad clementiam veſtram non peruenerunt, exemplar ſubiecimus, amplioribus vos obteſtationibus obſecrantes, vt quantò acerbiora facta ſunt, quibus pro ſede regia vos conuenit contraire, tantò maiore gloria, in qua excellitis, curam eius religionis habeatis, ne Catholicæ fidei integritas, vlla humanarum concertationum occaſione violetur. Quæ enim congregata apud Epheſum Synodo, ſapienda & ſananda, pacis remedio credebantur, hæc non ſolum in maiora pacis diſpendia, ſed (quod nimis dolendum eſt) etiam in ipſius fidei, qua Chriſtiani ſumus, excidia proceſſerunt. Et hi quidem, qui miſſi ſunt, quorumque vnus vim Alexandrini Epiſcopi, ſibi omnia vindicantis, effugiens, rerum geſtarum nobis ordinem fideliter nunciauit, reclamarunt in Synodo (ſicut oportuit) vnius hominis non tam iudicio, quàm furori proteſtantes ea, quæ per vim, metúmque gererentur, ſacramentis Eccleſiæ & ipſi Symbolo ab Apoſtolis inſtituto præiudicare non poſſe, nec ſe ab ea fide vlla iniuria ſuperandos, quam pleniſſimè expoſitam atque digeſtam à Sede beati Apoſtoli Petri ad ſanctam Synodum detuliſſent. Cuius cùm recitatio poſcentibus Epiſcopis non ſit amiſſa, vt ſcilicet remota ea fide quæ Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, & Martyres coronauit, generatio Ieſu Chriſti Domini noſtri ſecundum carnem, & veræ mortis ac reſurrectionis eius confeſſio (quod horremus dicere) ſolueretur, ſcripſimus de hac re (vt potuimus) ad glorioſiſſimum principem, & quod maximum eſt, Chriſtianum, cuius epiſtolæ pariter exemplar ſubiecimus, vt fidem in qua renatus per Dei gratiam regnat, nulla fineret nouitate corrumpi, quoniam Flauianus Epiſcopus in noſtra omnium communione perſiſtit, atque hoc, quod factum eſt ſine conſideratione iuſtitiæ, & contra omnem canonum diſciplinam, ratum haberi ratio nulla permittit, & quia diſſentionis ſcandalum non abſtuliſſet Epheſina Synodus, ſed auxiſſet: de habendo intra Italiam concilio, & locus conſtitueretur & tempus, omnibus querelis & præiudiciis partis vtriuſque ſuſpenſis quo diligentius vniuerſa quæ offenſionem generauerant, retractentur, & abſque vulnere fidei, abſque religionis iniuria, in pacem Chriſti redeant, qui per impotentiam ſubſcribere coacti ſunt ſacerdotes: & ſoli auferantur errores. Quod vt obtinere mereamur, probatiſſimæ nobis fidei pietas tua, quæ labores Eccleſiæ ſemper adiuuat, ſupplicationem noſtram apud clementiſſimum Principem ſibi ſpecialiter à beatiſſimo Petro Apoſtolo legationem commiſſam dignetur aſſerere: vt priuſquam ciuile hoc, & exitiale bellum intra Eccleſiam conualeſcat, redintegrandæ vnitatis copia & modum, Deo auxiliante, concedat ſciens imperij ſui viribus profuturum, quicquid Catholicæ libertati benigna ipſius fuerit diſpoſitione collatum. Data pridie Idus Octobris, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XXVII.

Ad Flauianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum.

Flauiano chariſsimo fratri, Leo Epiſcopus.

QVæ & quanta dilectio tua pro Catholicæ fidei defenſione patiatur, per Diaconem, qui ab Epheſo furtim eſt lapſus, cognouimus. Et licet magnificemus Deum qui te gratiæ ſuæ virtute confortat: neceſſe eſt tamen nos dolere eorum ruinas, per quos veritas impugnatur, & totius Eccleſiæ fundamenta quatiuntur. Quia verò prouidentia Dei ſemper ſuis neceſſarium præſtat auxilium, ſcire debet fraternitas tua, nos pro communi cauſa nihil eorum, quæ agenda ſunt, prætcrire: vt primitus ad ea, quæ vniuerſitati fidelium proſint, peruenire mereamur. Sin eſt, vt fortiter interim dilectio tua toleret, quæ ſibi ad æternam gloriam non dubitat profutura. Perlator ſanè breuis huius epiſtolæ fidei ſermone poterit enarrare, quicquid illud eſt, ad quod, adiuuante Domino, ſtudio fidei, & charitatis intendimus. Data 3. Kalendas Octobris, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XXVIII.

Ad Fauſtum, & cæteros Archimandritas Conſtantinopolitanos, qua adhortatur eos ad conſtantiam in omni bono, maximè fidei & charitatis, & deteſtatur acta ſecundi Concilij Epheſini.

Leo Epiſcopus & ſancta Synodus, quæ in vrbe Roma conuenit, Fauſto, Martino, Petro, & Magno, & Heliæ presbyteris, & Archimandritis Conſtantinopolitanis, dilectiſsimis filiis in Domino ſalutem.

QVamuis ea quæ ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam ſcripſimus, ſollicitudinem deuotionis veſtræ latere non poſſunt, tamen etiam ſpecialibus dilectionem veſtram litteris cohortandam eſſe credidimus, vt memores ſanctæ profeſſionis veſtræ, quæ propriè in fide & charitate conſiſtit, omnia ſcandala, quæ contra pacem Eccleſiæ orta ſunt, à veſtris cordibus repellatis, beati Apoſtoli ſententiam pia mente retinentes: *Si quis vobis euangeliZauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit* Galat. 8.

& cuſto

& custodientes vnitatem cum fratre nostro Flauiano Episcopo, quem ad tempus Dominus permisit impiorum factione tentari, vt probatum sibi sacerdotem suum, perseuerantiæ merito faceret clariorem. Hæ autem perturbationes necesse est, vt auxiliante Dei gratia, celeriter destruantur, & omne quod reprobum est ab Ecclesiæ puritate: quæ nec maculam, nec rugam recipit, respuatur maximè cum ab insana imperitia in hoc vsque proruptum sit, vt contra sacramentum salutis humanæ Incarnationis Domini nostri Iesu Christi veritas denegetur, atque antiquæ fidei prædicator atque defensor, quia non acquieuit blasphemiis, quas olim sancti Patres nostri in multis hæreticis damnauere, subiiciatur iniuriis: in quo vtique omnium Domini sacerdotum reuerentia cæditur; & vniuersa corporis Christi membra pulsantur, sed quia gloriosum nobis est, quicquid nos pati Deus voluerit, & pro veritate tolerare, in consortium nos patientiæ paternis exhortationibus aduocamur, vt per dilectionem vestram omnibus Deo seruientibus, quæ scripsimus, innotescant, & inimicis Euangelij resistentes, nec pastoris vestri dilectionem, nec vnitatem Catholicæ fidei deseratis. Quoniam ea, quæ in Ephesо nuper contra iustitiam, vel canonum disciplinam per vnius hominis*impudentiam gesta sunt, nulla Catholicæ fidei ratio rata esse permittit. Data octauo Idibus Octobris, Asterio & Protogene viris clarissimis Consulibus.

Ephes. 3.

potentiam.

EPISTOLA XXIX.

Ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem.

Leo Episcopus vrbis Romæ, dilectissimo fratri Anastasio Episcopo.

QVantum relatione Hilarij Diaconi nostri cognouimus, magnum facinus Alexandrino Episcopo authore, vel executore commissum est: vt dum in fratrem nostrum Flauianum veteres æmulationes, & odia priuata desæuiunt, nec innocentiæ probatissimi sacerdotis, nec Christianæ fidei parceretur. Vnde multùm dilectioni tuæ congratulamur, quòd te, ad illam synodum ire cupientem, opportunis obstaculis manus diuina*obtinuit: ne abstenturus proculdubio à tanto scelere, indignis iniuriis subiaceres, & furori impio militibus quantum didicimus, armisque suffulto, contraire non posses. Quia ergo prorupit in apertum perfidia, quæ latebat, & in nefandissimam hæresim, vnius imperitissimi senis assectæ transierunt: tempus probationis nostræ debemus agnoscere, & contra impetus aduersantium, munitionibus cœlestibus freti, incommutabilis animi constantiam præparare. Scimus, frater charissime, quia sacramento magnæ pietatis suæ aderit diuina protectio. Si quid igitur fraternitati tuæ de impiis constitutionibus fuerit ingestum, protestamur pariter, ac monemus: ne vel in damnationem fratris insontis, vel in receptione nefarij dogmatis consensum tui cordis immisceas. Maior est enim, qui in nobis est, quàm qui aduersus nos. Annitere potius, quantum te ipsa naturæ nostræ susceptor & glorificator adiuuerit, vt omnium fratrum nostrorum corda infirmes. Nobis enim ab Euangelio generationis, & mortis, ac resurrectionis Domini nostri Iesu Christi nullatenus recedentibus definitissimum est, in nostræ communionis numero non futuros, eos qui conantur antiqua Catholicæ fidei fundamenta conuellere. Data tertio Idus Octobris, Asterio & Protogene viris clarissimis Consulibus.

detinuit.

1. Tim. 3.

EPISTOLA XXX.

Ad Iulianum Episcopum.

Leo Romanæ Ecclesiæ Episcopus, Iuliano fratri & coëpiscopo salutem.

COgnitis, quæ apud Ephesum vnius hominis præsumptione sunt gesta, magno quidem dolore affecti sumus de his quæ impiè, furioséque commissa sunt: sed ad Dominum nostrum animos dirigentes, multam fiduciam ab ipsa, quam sequimur, veritate concipimus non omittentes omnia agere, quæ auxiliante Dei gratia credimus profutura. Tenendum ergo nobis est, quod tenemus, & sæuiente vnius turbinis procella, serenissima fidei est amplectenda tranquillitas: donec radios suos veritas per vniuersa diffundat, & caliginem infidelitatis consumat. Quæ autem disposita sunt, per latoris sermonem agnosces. Data tertio Idus Octobris, Asterio & Protogene viris clarissimis Consulibus.

EPISTOLA XXXI.

Ad Pulcheriam Augustam, de his quæ superius postulauit.

Leo Episcopus, Pulcheriæ Augustæ.

GAudere me plurimum, & exultare in Domino, pietatis tuæ scripta fecerunt: quibus euidenter ostenditur, quantum Catholicam diligas fidem, & quantum hæreticum detesteris errorem. Hæresis quippe est nimis impia, & Euangelio veritatis inimica, quæ non portionem aliquam lædere, sed ipsa Christianæ religionis conatur fundamenta conuellere: negans sempiterni patris filium sempiternum de vtero beatæ Virginis matris veram carnem nostræ sumpsisse naturæ, & eos damnatione percellens, qui ab Euangelica & Apostolica fide nullo deduci errore potuerunt, illúdque frustra prætendens, quod Nicenæ Synodi fidem teneat, cuius eum constat esse alienum, gloriosissima Augusta. Vnde quia non deserit Ecclesiam suam diuina protectio, dicente Domino: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*, eodémque opere & tempore spiritus Dei & clementiæ vestræ sollicitudinem, & curam nostri cordis accendit, vt de remediis procurandis eadem vtrique cuperemus, & quæ prius poposci, nunc quoque instantius peto, maiore vtens fiducia deprecandi, postea quam præsidium venerandæ exhortationis accepi, sperans ad futuram misericordiam Dei, vt cooperante clementia vestra, pestiferi erroris possit morbus auferri: vt quicquid, ipso inspirante atque auxiliante, potuerit salubriter fieri, cum vestræ fidei laude peragatur: quoniam res

Anno Christi 452. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis 11. scripta fuit hæc Epist. & 5. sequentes.

Matth. 18.

res humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad diuinam confessionem pertinent, & regia & sacerdotalis defendat authoritas. Data decimo sexto Calendas Aprilis, Valentiniano Augusto septies & Auieno, viris clarissimis Consulibus. Æra. 488.

23. quæst. 3. Res autem omnes.

EPISTOLA XXXII.

Ad Martianum & Faustum Presbyteros exhortatoria, de damnatione secundi Ephesini Concilij.

Leo Episcopus, Martiano Faustóque Presbyteris.

BOnorum operum, & spiritualium studiorum Deum authorem esse, non dubium est: qui quorum incitat mentes, adiuuat actiones. Quod nobis præsenti experimento euidenter apparuit. Si quidem inter discretarum spatia longinqua regionum, vnum sumpserunt corda nostra consilium, vt quod à nobis desiderabatis, eo vobis tempore, quo Epistolæ vestræ mittebantur, occurrerit, si tamen dilectioni vestræ tradi scripta nostra potuere, quæ non solùm Apostolicæ Sedis authoritate, sed etiam sanctæ Synodi, quæ ad nos frequens conuenerat, vnanimitate directa sunt, vt in his, quantã curam totius Ecclesiæ habeamus, appareat, hortando scilicet omnium fidelium mentes, & clementissimorum Principum præsidia ad defensionem fidei postulando; quorum pios & Catholicos animos non diffidimus opem atque authoritatem suam iustis petitionibus præstituros, quò citius, auxiliante Domino perniciosa hæresis, & dudum sanctorum Patrum authoritate damnata, & quæ nuper Ephesi malè adiuta est, auferatur. Interim verò det operam (quantum fieri potest) vestra dilectio vt omnibus Ecclesiæ filiis innotescat, quod contra impium sensum, secundùm doctrinam Euangelicam & Apostolicam prædieamus. Quia licet plenè, quæ semper fuisse atque esset Catholicorum sententia scripserimus, tamen nunc quoque ad confirmandas omnium mentes non parum exhortationis addidimus. Memor enim sum, me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cuius à Domino Iesu Christo est glorificata confessio, & cuius fides omnes quidem hæreses destruit, sed maximè impietatem præsentis erroris expugnat, & intelligo nihil aliud non licere, quàm vt omnes conatus meos ei causæ, in qua vniuersalis Ecclesiæ salus infestatur, impendam. Ne autem aliqua negligentiæ occasione scripta nostra ad vos non potuerint peruenire, exemplaria eorundem nunc mittenda credimus, vt nullo modo fidei quam defendimus, prædicatio vestræ notitiæ subtrahatur. Data decimosexto Calendas Aprilis, Valentiniano Augusto septies, & Auieno, viris clarissimis Consulibus.

EPISTOLA XXXIII.

Ad Theodosium Augustum, vbi scripsit vt id, quod de Incarnatione filij Dei ab Anatolio, Constantinopolitano Episcopo prædicatur, agnoscat, & vniuersale Concilium in Italia fiat.

Leo Episcopus, Theodosio semper Augusto.

OMnibus quidem vestræ pietatis epistolis inter eas sollicitudines quas pro fide patimur, spem nobis securitatemque maximam præstitistis? Nicenũ commendando Concilium: adeò vt ab illo, sicut sæpè iam scribitis, non patiamini sacerdotes Domini deuiare. Sed ne aliquid in præiudicium Catholicæ defensionis videret egisse, de ordinatione eius, qui constantinopolitanæ cepit Ecclesiæ præsidere, nihil interim in alterutram tibi partem temerè rescribendum putaui, non dilectionem negans, sed manifestationem Catholicæ veritatis expectans Quod æquanimiter ferat obsecro vestra clementia, vt cùm talem se erga fidem Catholicam, qualem cupimus, approbarit: de synceritate ipsius copiosiùs & securiùs gaudeamus. Ne verò aliqua illum de nostro animo mordeat sinistra suspicio, occasionem totius difficultatis amoueo, nec aliquid exigo, quod aut arduum videatur, aut ambiguum, sed ad id, quod nullus Catholicorum refutet, inuito Noti enim sunt per vniuersum, mundum atque manifesti, qui ante nos, siue Græca, siue Latina lingua in Catholicæ veritatis prædicatione fulserunt, ad quorum scientiam atque doctrinam quidam etiam nostræ ætatis accedunt, de quorum scriptis par & multiplex profertur instructio. Quæ sicut Nestorianam hæresim destruxit, ita etiam hunc, qui nunc malè repullulat, abscindet errorem. Relegat itaque sollicitè, quæ à sanctis patribus Incarnationis Dominicæ fides fuerit custodita, sempérque similiter prædicata, & cùm sanctæ memoriæ Cyrilli Alexandrini Episcopi epistolam (qua Nestorium corrigere & sanare voluit, prauas prædicationes ipsius arguens & euidentius fidem Nicenæ definitionis exponens, quàmque ab eo missam Apostolicæ Sedis scrinia susceperunt) præcedentiũ sensui perspexerit consonantem, Ephesinæ etiam Synodi gesta recenseat, quibus contra Nestorij impietatem, à sanctæ memoriæ Cyrillo inserta & allegata sunt, de Incarnatione Domini Catholicorum testimonia sacerdotum. Non aspernetur etiam meam epistolam recensere, quam pietati patrum per omnia concordare reperier. Cúmque à se hoc, quod eidem profuturum sit, expeti, desiderarique cognouerit, Catholicorum sententiis toto corde consentiat: ita vt synceram communionis fidei professionem, absolutissima subscriptione, coram omni clero, & vniuersa plebe declaret Apostolicæ Sedi & vniuersis Domini sacerdotibus, atque Ecclesiis publicandam: vt pacificato per vnam fidem mundo, possimus omnes dicere, quod angeli, nato de Maria virgine Saluatore, cecinerunt *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc 2. Quia verò & nos, & beati Patres nostri, quorum doctrinã & veneramur, & sequimur, in vnius fidei concordia sumus, sicut prouinciarum omnium protestantur antistites: agat clementiæ vestræ deuotissima fides, vt quàm primùm ad nos Constantinopolitani Episcopi, qualia debét, probati & Catholici sacerdotis scripta perueniant, apertè scilicet atque dilucidè protestantia, quod si quis de Incarnatione Verbi Dei aliud aliquid credat, aut asserat, quàm Catholicorum omnium, & mea professio protestatur, hunc à sua communione secernat, vt ei fraternam in Christo charitatem meritò possimus impendere. Vt autem salubribus curis velociter, pleniórque, auxiliante Domino, per vestræ clementiæ fidem præstetur effectus ad pietatem vestram fratres & Coëpiscopos nostros Abundium, & Asteriũ, sed & Basilium, & Senatorẽ Presbiteros, quorum mihi deuotio est probata, direxi, per quos quæ nostræ forma sit fidei, manifestatis instructionibus (quas misimus) possitis dignanter agnoscere: vt si Constantinopolitanus antistes in eandem

eandem confessionem toto corde consentit, securi (vt dignũ est) de Ecclesiastica pace lætemur, neque aliquid residere videatur ambiguum, vt de superfluis forsitan suspicionibus laboremus: Sin verò aliqui à puritate nostræ fidei atque Patrum authoritate dissentiant, Concilium vniuersale intra Italiam, sicut Synodus quæ ob hanc causam Romæ conuenerat, mecum petit, clementia vestra concedat: vt in vnum conuenientibus omnibus his, qui aut ignorantia aut terrore prolapsi sunt, correctionis remediis consulatur, nec cuiquam vltra sit liberum, ita Nicenæ Synodi facere mentionem, vt eius inueniatur esse fidei contrarius, quoniam & vniuersæ Ecclesiæ, & vestro hoc imperio profuturum est, si vnus Deus, vna fides, & vnum sacramentum salutis humanæ, vna totius mundi confessione teneatur. Data decimoseptimo Calendas Augusti, Valentiniano septies, & Auieno viris clarissimis Consulibus.

EPISTOLA XXXIV.

Leonis Papæ.

*Leo Episcopus Fausto Martiano, Petro Manueli, Iob, Antiocho, Viuantiaco, Abrahamo, Theodoro, Fientio, Eusebio, Helpidio, Paulo, Asterio, & *Charaso Presbyteris, & Archimandritis, & Iacobo Diacono, & Archimandritæ.*

Caroso.

CAusa fidei, in qua salus Christiana consistit, multa me sollicitudine laborare compellit, metuenrem, ne prauitas, quæ in suis fuerat amputanda principiis; processu temporis & pernitiosior fiat & latior. Nam cùm clementissimus Imperator talia ad nos scripta direxerit, quibus sollicitudinem suam pro pace vniuersalis Ecclesiæ demonstraret ipse Constantinopolitanus Episcopus: & hi, qui eundem consecrarant, præter id, quod ad ordinationem noui antistitis pertinebat, nihil nobis de compressis, vel abdicatis erroribus indicarunt, quasi in illa Ecclesia nullum scandalum, nulla extitisset offensio, aut non hinc præcipuè fuerit ordinati meritum demonstrandum, si aliena à se, quæ Catholicorum sensibus sunt aduersa, docuisset. Ne ergo (quod inter longinquas regiones accidere solet) in nimias dilationes tenderent veritatis examina, fratres & Coëpiscopos nostros Abundium, & Asterium, sed & Basilium, & Senatorem Presbyteros probatissimos viros, ad piissimum Principem cum sufficienti paternarum authoritatum instructione direximus. Quos in omnibus, fratres charissimi, diligentia ac sollicitudine vestra cupimus adiuuari, vt impietas, quæ cæcis ausibus in exitialia abrupta processit, simplices quosque decipiendi vlterius non habeat potestatem; cùm aptiore medicina etiam illis cupiamus per correctionis remedia subueniri, qui aut imperitia sunt lapsi, aut errore traducti. Et ideo vos qui iustificamini per fidem, qui Catholicam diligitis veritatem, & de singulari sacramento salutis humanæ per Spiritum sanctum estis edocti, collaborate nobiscum, & quanta potestis deuotione, id agite, vt falsitate destructa, & fidei soliditate defensa, secura per totum mundum Dei pace potiamur. Data decimosexto Calendas Augusti, Valentiniano Augusto septies, & Auieno viris clarissimis Consulibus.

EPISTOLA XXXV.

Ad Pulcheriam Augustam, pro his quæ superius Theodosium Augustum postulauit.

Leo Episcopus, Pulcheriæ Augustæ.

GAudeo fide clementiæ vestræ, quòd religiosum studium dignanter impenditis, vt pax Ecclesiastica renouetur, quæ quorundam dissensionibus videbatur esse turbata. Debetur enim hoc vestræ specialiter gloriæ, vt ablatis omnibus scandalis, quæ contra Catholicam fidem inimicus excitauerat, vna eadémque sit per totum mundum confessio veritatis: quæ facilius, certiúsque reparabitur, si prauorum sensuum nulla semina, nulla vestigia relinquantur Quod tamen mearum partium est, prætereire non debeo, vt scilicet, quid de incarnatione filij Dei à Constantinopolitano Episcopo teneatur, agnoscam: præsertim cùm in ordinatione ipsius plura præcesserint, talia quæ ad nos debuerit scripta dirigere, quæ illum à contagione huius, qui nuper emersit, erroris alienum euidenter ostenderent. Optans itaque securam cum eo habere concordiam, gratiámque illi fraternæ charitatis impendere, scribere ei interim distuli: non dilectionem negans, sed manifestationem Catholicæ veritatis expectans. Simplex enim est absolutúmque, quod posco, vt remoto longarum disputationum labore, sanctæ memoriæ Cyrilli Alexandrini Episcopi epistolæ quam ipse ad Nestorium miserat, acquiescat; in qua & errorem Nestorij arguit, & fidem Nicenæ definitionis exposuit, & epistolæ meæ, quæ ad sanctæ recordationis ad Flauianum Episcopum est directa, consentiat. Quibus vigilanter inspectis, Constantinopolitanus antistes repudiandum sibi quod ausus est contra puram & singularem fidem imperita insipientia definire, incunctanter agnoscat, quia & mea, & sanctorum Patrum de Incarnatione Domini concors, per omnia, & vna confessio est. Quam si quis existimauerit non sequendam, ipse se à compage Catholicæ vnitatis abscindet: cùm tamen nos vt in integrum omnia reuocentur, optemus. Ad effectum verò salubrium dispositionum velocius obtinendũ, fratres & Coëpiscopos meos, Abundium, & Asterium, sed & Basilium, & Senatorem Presbyteros probatissimos viros misi, qui clementiæ vestræ formam fidei, quam secundum doctrinam venerabiliũ Patrum prædicamus, offerrent, & remotis circumloquutionibus, quibus obscurari veritas solet, quid de Incarnatione filij Dei, à totius orbis probatis sacerdotibus defensum fuisset, ostenderent. Quos post diuinam gratiam, sancto vestræ pietatis auxilio dignum est adiuuari, ne in totius Ecclesiæ perturbationem imprudens procedat contentio: cùm correctione adhibita, omnes oporteat in vnius confessionis redire concordiam. A qua si forsitan ab aliquibus discrepatur, vniuersale Concilium sacerdotum haberi intra Italiam, clementia vestra annuente, iubeatur, quo remota arte fallendi, tandem pateat, qui altiore tractatu aut coërceri debeat aut sanari. Data 13. Calend. Augusti, Valentiniano Augusto septies, & Auieno viris clarissimis Consulibus.

EPISTOLA XXXVI.

Ad Martinum Presbyterum.

Leo Episcopus, Martino Presbytero.

GRatias agimus Deo, & multam fiduciam piæ exultationis accepimus, cùm dilectionem tuam

&

& Catholicam fraternitatem ita ſpiritu fidei vigere cognoſcimus, vt cordibus veſtris nihil infirmitatis hæretica poſſit inferre tentatio: ad quam diuinitus deſtruendam, nec defuit (vt ſcitis) ſollicitudo noſtra, nec deerit, donec omnipotentis dextra omnia diaboli arma confringat. Cui ob hoc aliquid audere permittitur, vt à fidelibus Chriſti gloria maiore vincatur. Si quid autem difficultatum interuenit aut morarum, cum æquanimitate tolerandum eſt: quoniam vbi veritas eſt magiſtra, nunquam deſunt diuina ſolatia, fratres chariſſimi. Quamuis ergo magna locorum interualla nos diuidant, vnitate tamen fidei vobiſcum ſumus, toto corde Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum verum Deum, & verum hominem confitentes, nulla in vobis detrimenta perpetimur, cùm de veſtræ profeſſionis concordia gloriamur: tantùm vt ſit auxiliante Domino
Philip. 1. conſtantia perſeuerans, dicente Apoſtolo: *Vobis enim datum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini.* Ad quam fortitudinem ſanctarum mentium roborandam, fratres noſtros atque Legatos, quos pro Apoſtolicæ fidei libertate direximus, & quos dudum apud vos eſſe confidimus, plurimum credimus profuturos: cùm totius actionis noſtræ didiceritis affectum, & curam veſtram atque conſilium operi iunxeritis. De qua re non neceſſe eſt nunc latius ſcribere, cum iam per ſupradictos, ſufficientes epiſtolas miſerimus, quibus abundantiſſimè omnis Catholica fraternitas inſtruatur. Diuinæ erit virtutis & gratiæ, vt Dei filius, qui naturam humani generis ſuam fecit, amplius quàm videmus, aut ſapimus, magnum pietatis ſuæ aſſerat ſacramentum, quod impia temeritas ſibi qui-
2. Tim. 3. dem fraudauit, ſed rectis cordibus non potuit. Data Idibus Septembris, Valentiniano, & Auieno viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA XXXVII.

Ad Leonem Rauennatem Epiſcopum, de his, qui de captiuitate redeuntes, incertum habent, vtrum ante captiuitatem baptiſma conſecuti ſint.

Capita epiſtolæ ſequentis.

De paruulis, qui in captiuitatem deuenerunt, & baptiſmum non reminiſcuntur ſe conſequutos. I.
Vt ab hæreticis baptizatus, per impoſitionem manus Spiritum ſanctum accipiat. II.

Leo Epiſcopus, Leoni Epiſcopo Rauennati ſalutem.

An. Chriſti 453. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis 14. ſcripta fuit hæc epiſtola & 4. ſequentes.

FREQVENTER quidem in diuerſarum ambiguo quæſtionum titubantia fratrum corda, Spiritu Dei inſtruente, ſolidauimus, reſponſionis formam vel ex ſanctarum Scripturarum diſciplinis, vel ex Patrum regulis colligentes, ſed nuper in Synodo nouum & inauditum anteà genus conſultationis exortum eſt.

CAPVT I.

NAm quorumdam fratrum ſuggeſtione comperimus, aliquos captiuorum ad ſedes ſuas, libertatémque redeuntes, qui ſcilicet in captiuitatem illa ætate peruenerint, quæ nullius rei firmam poterat habere notitiam, remedium quidem implorare baptiſmi. Sed vtrum eiuſdem myſterij antè ſacramenta perceperint, infantiæ inſcientia non poſſe ſe reminiſci, & ideo ſub hoc latentis recordationis incerto, animas ſuas in diſcrimen adduci, dum ſub ſpecie cautionis negatur his gratia, quæ ideo non impenditur, quia putatur impenſa. Cum itaque tribuere talibus Dominici ſacramenta myſterij, non immeritò quorumdam fratrum formido dubitaret, in Synodali (vt diximus) cœtu formam huiuſcemodi conſultationis accepimus, quàm diligentiùs diſcuti, & pro vniuſcuiuſque ſenſu ſollicita voluimus ratione tractari, quò ad veritatem, adhibita cognitione multorum, certius peruenire poſſemus. Eadem ergo, quæ in ſenſum noſtrum diuina inſpiratione venerunt, frequens etiam fratrum firmauit aſſenſio. In primis itaque prouidere debemus, ne dum ſpeciem quandam cautionis tenemus, damnum regenegrandarum incidamus animarum. Quis enim ita ſit ſuſpicationibus ſuis deditus, vt verum eſſe definiat, quod omni manifeſtatione ceſſante, ex opinione ambigua ſuſpicatur? Cùm itaque baptizatum ſe nec ille recordetur, qui regenerationis eſt cupidus, nec alter atteſtari de eo poſſit, quod neſciat conſecratum, nihil eſt in quo peccatum poſſit obrepere, cùm in hac parte conſcientiæ ſuæ nec ille reus ſit, qui conſecratur, nec ille qui conſecrat. Scimus quidem inexpiabile eſſe facinus, quoties iuxta hæreticorum damnata à ſanctis Patribus inſtituta, cogitur aliquis lauacrum quod regenerandis ſemel tributum eſt, bis ſubire, Apoſtolica reclamante doctrina, quæ nobis vnam prædicat in Trinitate deitatem, vnam in fide confeſſionem, vnum in baptiſmate ſacramentum. Sed in hoc nihil ſimile formidatur, quoniam non poteſt in iterationis crimen deuenire, quod factum eſſe omnino neſcitur. Atque ideo, quoties perſona talis inciderit, ſollicita primùm examinatione diſcutite, & longo tempore, niſi fortè ſupremus finis immineat, indagate, vtrum nemo ſit penitus, qui teſtimonio ſuo iuuare poſſit ignorantiam neſcientis. Et cùm conſtiterit hunc, qui baptiſmatis indiget ſacramento, ſola inaniter ſuſpicione prohiberi, accedat intrepidus ad conſequendam gratiam, cuius in ſe nullum ſcit eſſe veſtigium. Nec vereamur huic ſalutis ianuam aperire, quam nunquam ante docetur ingreſſus.

De conſec. diſtinct. 4. Cùm itaque baptiſmi.

CAPVT II.

QVod ſi ab hæreticis baptizatum quempiam fuiſſe conſtiterit; erga hunc nullatenus ſacramentum regenerationis iteretur, ſed hoc tantum, quod ibi defuit, conferatur, vt per Epiſcopalem manus impoſitionem, virtutem ſancti Spiritus conſequatur. Quam rem, frater chariſſime, ideo generaliter ad omnium veſtrùm volumus peruenire notitiam: ne dum plus iuſto metuitur, miſericordia Dei ſaluari cupientibus denegetur. Data nono Kalendas Nouembris, conſulatu Martiani Auguſti.

EPISTOLA XXXVIII.

Ad Martianum Auguſtum.

Leo Epiſcopus, Martiano ſemper Auguſto.

LItteras pietatis veſtræ accepiſſe me gaudeo, & ad ſignificationem totius proſperitatis pertinere

tinere cognoſco, cùm ſermones veſtri vos faciant in integritate ſecuros. Quantas itaque clementiæ veſtræ gratias referamus, non ex verbis noſtris, ſed ex beneficiis veſtris quæ Eccleſiæ contuliſtis, agnoſcite: non ambigentes, qualem illum retributorem in omnibus habeatis, pro cuius eſtis tam pia religione ſolliciti, & qui vos (vt res ipſa demonſtrat ad hoc, vt fides Catholica ab inſidiis inimicorum ſuorum defenderetur, elegit. Hæc à me nunc breuiter per fratris mei Anatolij Clericos pietas veſtra dignanter accipiat. Pleniora autem de omnibus, quæ ad curam meam pro ſtatu Eccleſiarum, & concordia pertinet Domini ſacerdotum, per Legatos noſtros ſcripta direximus. Data Idibus Aprilis, Adelphio viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA XXXIX.

Ad Pulcheriam Auguſtam, in qua gratias agit, quòd Neſtorianam & Eutychianam hæreſim fidei defenſione deſtruxerit.

Leo Epiſcopus vrbis Romæ, Pulcheriæ Auguſtæ.

QVod ſemper ſancta pietatis veſtræ mente præſumpſiſſimus, id pleniſſimè experiendo cognouimus, Chriſtianam fidem (quamuis diuerſis prauorum appeteretur inſidiis) vobis tamen præſentibus, & in defenſionem eius à Domino præparatis non poſſe turbari Non enim Deus aut ſuæ miſericordiæ ſacramentum, aut veſtri laboris deſerit meritum: quò dudum ſubdolum ſanctæ religionis hoſtem ab ipſis viſceribus Eccleſiæ depuliſtis, cùm hæreſim ſuam tueri impietas Neſtoriana non potuit, quia non fefellit famulam & diſcipulam veritatis, quantum ſimplicibus infunderetur veneni per illa loquacis hominis colorata mendacia. De quo virtutum agone proceſſit, vt per ſolicitudinem veſtram ea, quæ per Eutychen diabolus molitus eſt, non laterent, & qui ſibi ſingulas partes geminæ impietatis elegerant, vna Catholicæ fidei virtute procumberent. Secunda ergo hæc vobis, de perempto Eutychetis errore victoria eſt, quem ſi quid ſani cordis habuiſſet, dudum in authoribus ſuis perculſum olimque proſtratum, facilè potuerat declinare, ne de ſepultis cineribus rediuiua tentaret incendia commouere, vt in eorum tranſiret conſortium, quorum ſecutus eſſet exemplum, glorioſiſſima Auguſta. Libet igitur exultare cum gaudio, & pro veſtræ clementiæ proſperitate, digna Deo vota perſoluere: qui tibi per omnes mundi partes, in quibus Domini Euangelium prædicatur, duplicem iam & palmam contulit, & coronam. Clementia igitur veſtra agnoſcat omnem Romanam Eccleſiam de vniuerſis fidei veſtræ operibus plurimùm gratulari: ſiue quod legationem noſtram pio per omnia adiuuiſtis affectu, & quod ſacerdotes Catholicos, qui de Eccleſiis ſuis iniuſta fuerunt eiecti ſententia, reduxiſtis, ſiue quod reliquias ſanctæ memoriæ Flauiani innocentis, & Catholici Sacerdotis ad Eccleſiam (cui bene præfuit) feciſtis cum honore debito reuocari. In quibus vtique omnibus gloriæ veſtræ multiplicatur augmentum, dum & ſanctos pro ſuis meritis veneramini, & ab agro Dominico ſpinas & tribulos vultis auferri. Quoſdam ſane Epiſcopos de his, qui rebus impiis videntur præbuiſſe conſenſum, reconciliationem & repoſcere, & Catholicorum communionem deſiderare, tam noſtrorum, quàm fratris & Coëpiſcopi mei Anatolij, cui teſtimonium ferre dignamini, relatione cognouimus: quorum deſiderii ſic præbemus effectum, vt correctis, & quæ malè ſunt facta, propria ſubſcriptione damnantibus, participata noſtrorum (quos miſimus) cura cum ſupradicto Epiſcopo, pacis gratia tribuatur: quia deuotionis vtrumque eſt, Chriſtianæ, vt & pertinaces veritas iuſta coërceat, & conuerſos charitas non repellat. Quia verò nouimus, quantum piæ ſollicitudinis Catholicis ſacerdotibus manſuetudo veſtra dignetur impendere, indicandum eſſe curauimus, fratrem & Coëpiſcopum noſtrum Euſebium nobiſcum degere, & noſtræ communionis eſſe conſortem, cuius commendamus Eccleſiam, quam dicitur vaſtare, qui illi iniuſtè aſſeritur ſubrogatus: illud etiam à veſtra pietate poſcentes, quod vos ſpontaneo facere non dubitamus arbitrio, vt tam fratrem & Coëpiſcopum meum Iulianum, quàm Conſtantinopolitanos Clericos, qui ſanctæ memoriæ Flauiano fidelibus officiis adhæſere, ea qua debetis, gratia foueatis. De omnibus verò pietatem veſtram per noſtros, quid fieri aut declinari deberet, inſtruximus. Data Idibus Aprilis, Adelphio viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA XL.

Ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum.

Capita epiſtolæ ſequentis.

Leo Epiſcopus, Anatolio Epiſcopo.

CAPVT I.

GAVDEMVS in Domino, & in dono gratiæ ipſius gloriamur, quia ſicut dilectionis tuæ litteris, & fratrum noſtrorum, quos Conſtantinopolim miſeramus, relatione cognouimus, ſequacem te Euangelicæ eruditionis oſtendis: vt per Sacerdotis probabilem fidem meritò præſumamus, quod tota Eccleſia eidem credita, nec rugam cuiuſquam ſit erroris habitura, nec maculam, dicente Apoſtolo: *Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* 2. Cor. 11. Illa eſt enim virgo Eccleſia, ſponſa vnius viri Chriſti, quæ nullo ſe patitũr errore vitiari: vt per totum mundum vna nobis ſit vnius caſtæ communionis integritas, in qua ſocietatem tuæ dilectionis amplectimur, & geſtorum, quæ ſumpſimus, ſeriem neceſſariis (ſicut oportuit) munitam ſubſcriptionibus approbamus. Vt ergo inuicem dilectionis tuæ animus noſtris confirmaretur alloquiis, filios noſtros Caſterium Presbyterum, Patricium & Aſclepiadem Diaconos, qui ad nos tua ſcripta detulerunt, cum Epiſtolis noſtris poſt venerabilem diem feſti Paſchalis remiſimus: indicantes nos (vt ſupra diximus) de Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ pace gaudere, cui hanc curam ſemper impendimus, vt eam nulla velimus hæreticorum fraude violari.

CAPVT II.

DE fratribus verò, quos & epiſtolis tuis, & Legatorum noſtrorum relatione communionis noſtræ cupidos eſſe cognouimus: eo quod doleant ſe contra potentiam, contráque terrores non tenuiſ-

se constantiam,sed alieno sceleri præbuisse consensum, cùm ita eos formido turbasset, vt in damnationem Catholici atque innocentis Antistitis, & in receptionem detestabilis prauitatis trepido famularentur obsequio: illud quidem quod præsentibus, & agentibus nostris constitutum est approbamus,vt suarum interim Ecclesiarum essent communione contenti: sed cum legatis nostris (quos misimus) participata tecum solicitudine volumus disponatur: quatenus hi,qui plenis satisfactionibus malè gesta condemnant, & accusare magis se eligunt, quàm tueri, pacis & communionis nostræ vnitate lætentur:ita vt digno prius anathemate,quæ contra ædem Catholicam sunt recepta, damnentur. Aliter enim in Ecclesia Dei, quæ corpus est Christi, nec rata sunt sacerdotia, nec vera sacrificia:nisi in nostræ proprietate naturæ verus nos Pontifex reconciliet,verus immacuati agni sanguis emundet. Qui licet in patris sit dextera constitutus, in eadem tamen carne,quam sumpsit ex virgine, sacramentum propitiationis exequitur,dicente Apostolo. *Christus Iesus,qui mortuus est,imo qui & resurrexit,qui est in dextera Dei,qui etiam interpellat pro nobis.* Neque enim potest in aliquo benignitas nostra reprehendi, cùm satisfacientes recipimus, quos doluimus esse deceptos. Nec asperè igitur communionis nostræ gratia deneganda est, nec temerè largienda: quia sicut plenum pietatis est oppressis charitatem dominicam redhiberi, ita iustum est,omnia perturbationis authoribus imputari.

1.quæst.1. In Ecclesia Dei quæ corpus.

Rom.11.

CAPVT III.

De nominibus autem Dioscori, Iuuenalis, & Eustachij ad sacrum altare non recitandis,dilectionem tuam hoc decet custodire, quod nostri ibidem constituti faciendum esse dixerint, quodque honorandæ S. Flauiani memoriæ non repugnet, & à gratia tua Christianæ plebis animos non auertat. Nam iniquum nimis est atque incongruum, eos qui innocentes & Catholicos sua persequutione vexarunt sanctorum nominibus sine discretione misceri, cùm damnatam impietatem non deserentes ipsi se sua prauitate condemnent, quos conuenit, aut percelli pro perfidia, aut laborare pro venia.

CAPVT IV.

Fratrem verò, & Coëpiscopum nostrum Iulianum, & Clericos, qui sanctæ memoriæ Flauiano fidelibus officiis adhæserunt, dilectioni quoque tuæ volumus adhærere: vt quem fidei suæ meritis viuere apud deum nostrum nouimus,in te sibi eum præsentem esse agnoscant. Illud quoque dilectionem tuam nosse volumus,fratrem & Coëpiscopum nostrum Eusebium, qui causâ fidei multa discrimina,laboresque tolerauit, nobiscum interim demorari,& in nostra nunc communione persistere, cuius Ecclesiam tua sollicitudine volumus esse defensam: vt nihil eodem absente depereat,& nullus ei in aliquo præiudicare præsumat, donec cum literarum nostrarum ad vos prosecutione perueniat. Et vt maior circa te vel nostra, vel totius Christianæ plebis affectio prouocetur, hoc quod ad dilectionem tuam scripsimus, in omnium volumus notitiam peruenire: vt qui Deo nostro deseruiunt, de confirmata apud te pace Sedis Apostolicæ gratulentur. De cæteris verò causis atque personis dilectio tua literis,quas per nostros accipiet pleniùs instruetur. Data Idibus Aprilis, Adelphio viro clarissimo Consule.

EPISTOLA XLI.

Ad Iulianum Episcopum.

Leo Episcopus, Iuliano Episcopo.

Literas fraternitatis tuæ per filios nostros Constantinopolitanos Clericos, nuncias tuæ salutis accepi:quibus te magnis tribulationibus grauatum fuisse significas, cùm vtique non defuerit materia sollicitudini & laboribus, qui inter procaces Catholicæ fidei aduersarios, inhærentem veritati animum fatigarent, idque (vt scribis)fuerit animo,vt per occasionem necessitatis, & nobis te,& patriæ præsentares. Quod verum futurum speraueram, vt apertius omnium hæreticorum ambages tuo ore cognoscerem. Sed gratias Deo, quod ita incolumitas tua & Ecclesiæ causa profecit, vt liberum tibi fuerit apud eos interim degere, quorum nobis probabilis consensus innotuit,sicut & fratris Anatoli scripta profitentur, & gesta, quæ apud ipsum coram nostris sunt confecta, demonstrant fratribus remeantibus. Ergo prædictis salutationibus vicissitudinem reddo, & vt contra falsitatis st[illegible]tias perseuerantem diligentiam teneas, fidenter exhortor, cùm tibi ad hoc, & tuus animus, & nostra authoritas suffragetur. Quoniam licet de multis meliora indicata sint, quod scilicet doleant se deceptos, & damnata perfidia cum authoribus suis, gratiam nostræ communionis exposcant, quod nos adeò libenter accepimus,reddituri his hanc, quam desiderant,communionem, cùm promissa compleuerint: tamen quosdam persistere in sua obduratione cognouimus, quos oportet districtiùs comprimi, si nequeunt benignitate sanari. Ad quam rem nostros post diem venerabilem dirigemus,qui tecum participato consilio, ea quæ à nobis constituta fuerint, exequantur. Data Idibus Aprilis, Adelphio viro clarissimo Consule.

EPISTOLA XLII.

Ad Martianum Augustum,in qua pro conseruatione Cathalicæ fidei illi congratulatur.

Leo Episcopus, Romanæ Ecclesiæ, Martiano semper Augusto.

Qvamuis per Constantinopolitanos Clericos ad pietatem vestram ante rescripserim, sumptis tamen clementiæ vestræ literis per virum illustrem præfectum vrbis filium meum Tatianum, magnam materiam gratulationis accepi: quia studiosissimos vos Ecclesiasticæ pacis agnoui. Cui sancto desiderio, digna æquitate confertur: vt quem statum esse cupitis religionis, eundem habeatis & regni. Nam inter Principes Christianos, Spiritu Dei confirmante concordiam, gemina per totum mundum fiducia roboratur:quia profectus charitatis & fidei, vtrorumque armorum potentiam insuperabilem facit, vt propitiato per vnam confessionem Deo, simul & hæretica falsitas,& barbara destruatur hostilitas, gloriosissime Imperator. Aucta igitur per imperialem amicitiam spe cęlestis auxilij, confidentius pietatem vestram pro sacramento salutis humanæ incitare præsumo: ne cuiusquam procaci, impudentique versutia quasi de incerto,quid sequendum sit finatis inquiri. Et cùm ab Euangelica,Apostolicaque doctrina ne vno quidem verbo liceat diffidere, aut aliter de scripturis diuinis sapere, quam

quàm beati Apoſtoli & Patres noſtri didicerunt atque docuerunt, nunc demum indiſciplinatæ moueantur & impiæ quæſtiones, quas olim mox, vt eas per apta ſibi corda diabolus excitauit, per diſcipulos veritatis Spiritus ſanctus extinxit. Nam is autem iniquum eſt, vt per paucorum inſipientiam ad coniecturas opinionum, & ad carnalium diſceptationum bella, prouocemur: tanquam reparata diſceptatione tractandum ſit, vtrum Eutyches impiè ſenſerit, & vtrum impiè Dioſcorus iudicarit, qui in ſanctæ memoriæ Flauiani condemnatione ſe perculit, & ſimpliciores quoſque, vt in eandem ruinam prouoluerentur, impegit: quorum multis iam (vt cognouimus) ad ſatisfactionis remedia conuerſis, & veniam de inconſtanti trepidatione poſcentibus, non cuiuſmodi ſit fides tenenda tractandum eſt, ſed eorum precibus qualiter annuendum. Vnde piiſſimæ ſollicitudini veſtræ, quam de indicanda Synodo habere dignamini, per legationem, quæ confeſtim ad clementiam veſtram, Deo annuente, perueniet, quicquid ad cauſæ vtilitatem arbitror pertinere, plenius atque opportunius ſuggeretur. Data nono Kalendas Maij, Adelphio viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA XLIII.

Ad Martianum Auguſtum, de directa vocis ſuæ legatione Conſtantinopolim pro Chalcedonenſi Concilio faciendo.

Leo Epiſcopus, Martiano Auguſto.

CAP. I. POpoſceram quidem à glorioſiſſima clementia veſtra, vt Synodum quam ad reparandam Orientalis Eccleſiæ pacem, à nobis etiam petitam, neceſſariam iudicaſtis, aliquantiſper differri ad tempus opportunius iuberetis, vt liberioribus ab omni perturbatione animis, hi quoque Epiſcopi, quos hoſtilitatis metus detinet, conuenirent. Sed quia pio ſtudio humanis negotiis diuina præponitis, & rationabiliter ac religioſè regni veſtri viribus creditis profuturum, ſi nulla in ſacerdotum ſenſibus diſſonantia, nulla ſit in euangelij prædicatione diſcordia, ego etiam veſtris diſpoſitionibus non renitor, optans, vt omnium cordibus Catholica fides, quæ non poteſt niſi vna eſſe, firmetur. A cuius integritate & Neſtorius antea, & nunc Eutyches, diuerſis quidem callibus, ſed impietate non impari deuiarunt: abominandi prorſus in perſuaſionibus ſuis, quas contra ſyncerum veri luminis fontem, de cœnoſis lacubus diabolicæ falſitatis hauſerunt. Prior itaque Synodus Epheſina Neſtorium cum dogmate ſuo meritò iuſtéque damnauit: & quiſquis in illo errore perſiſtit, ad nullius poteſt ſpem remedij peruenire. Sequens verò in prædicta ciuitate non poteſt vocari Concilium, quod in euerſionem fidei fuiſſe conſtat agitatum: quodque veſtra clementia amore veritatis, Catholicis ad futura, aliud ſtatuendo, caſſabis, glorioſiſſime Imperator. Vnde per ipſum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui regni veſtri eſt author & rector, obteſtor & obſecro clementiam veſtram: vt in præſenti Synodo fidem quam beati Patres noſtri ab Apoſtolis ſibi traditam prædicarunt, non patiamini, quaſi dubiam retractari: & quæ olim maiorum ſunt authoritate damnata, rediuiuis non permittatis conatibus excitari. Illúdque potius iubeatis, vt antiquæ Nicenæ Sinodi conſtituta, remota hæreticorum interpretatione permaneant. Nec me quoque (vt voluit veſtra clementia) ab illo credatis abeſſe Concilio, cùm in his fratribus, quos direxi, id eſt, Paſchaſino & Luculentio Epiſcopis, Bonifacio & Baſilio Presbyteris & in fratre meo Iuliano, quem eorum volui eſſe participem, etiam mea ſit æſtimanda præſentia. Quos, auxiliante Chriſto, ita acturos eſſe confido, vt ea quæ Domino noſtro placeant, decernantur, accedente pietatis veſtræ ſtudio, quod & paci proſit religionis, & cuſtodiæ veritatis. Data ſexto Kalendas Iunij, Adelphio viro clariſſimo Conſule.

CAP. II. Obteſtatio grauiſſima.

EPISTOLA XLIV.

Ad Martianum Auguſtum, vbi inter cætera pro defenſione fidei, Imperatori gratulatur.

Leo Epiſcopus, Martiano Auguſto.

MVltam mihi fiduciam ſcribendi ad clementiam veſtram, & litteræ veſtræ quas veneranter accepi, & Coëpiſcopi mei reuertentes à Conſtantinopoli præbuerunt, non ſola aſſertione verborum, ſed ipſis iam operum effectibus demonſtrantes, ad defenſionem Catholicæ fidei diuinum in vobis vigere præſidium. Quo vtique non ſolum Eccleſiæ ſtatus, ſed etiam veſtri robur munitur Imperij: vt meritò eius expectetis protectionem, cuius colitis religionem & veritatem, glorioſiſſime Imperator. Nam vt & fratris mei Anatolij citius manifeſtaretur integritas, olim damnati erroris rediuiuus aſſertor locum in Chriſti Eccleſia non haberet, vt Catholici Epiſcopi, quos nuper hæreticorum perſecutio deprauare non potuit, ab iniuſtis reuocarentur exiliis, vtique reliquiis beatæ memoriæ Flauiani digno honore ſuſceptis, impietatem ſuam condemnator eius agnoſceret: veſtræ virtutis titulus veſtræ, pietatis eſt fructus. Cui confido aliarum inſignia accumulanda palmarum, vt ſicut Conſtantinopolitana Eccleſia, recepta Apoſtolicæ fidei libertate, lætatur: ita omnes regni veſtri prouinciæ emundatas ſe eſſe à diabolici dogmatis contagio glorientur. Vt ergo præcedentibus literis indicaui, fratres meos Luculentium Epiſcopum, & Baſilium Presbyterum, qui ſollicitudinis meæ partes poſſint implere direxi: fauori eos pietatis veſtræ in omnibus quæ ſunt agenda, commendans. Nam cùm & fratres mei Anatolij ſcriptis, & noſtrorum ſermone cognouerim, multos de his qui apud Epheſum Dioſcori factione compulſi, deteſtabilibus ſtatutis præbuere conſenſum pœnitendo inconſtantiæ ſuæ veniam poſtulare, & communionem Catholicam per ſatisfactionem correctionis expetere: non fuit talium negligenda conuerſio, qui non proprio ſenſu, ſed impij præſumptoris impulſu in hæc incidiſſe noſcuntur, in quibus liberum non habuere iudicium. Ne igitur vel reſipiſcentium deſideria mora longior fatigaret, vel incurioſa facilitas temere aliquos ſine diſcretione ſuſciperet, iniuſtum eſt ab Apoſtolica Sede directis: vt in conſortium ſuæ deliberationis accito Conſtantinopolitanæ vrbis Antiſtite, & peſtilentiæ contagio non admittantur, & ſanitatis remedia non negentur. Quæ induſtria in omnibus, quæ nequiter geſta ſunt, emendandis, celerem (iuuante Domino) conſequentur effectum, ſi reparationi pacis Eccleſiaſticæ opem ſuam veſtra pietas dignetur adiungere: vt nobis in terra regnantibus, & Dei regnum intra vos habere mereamini, & Catholicam fidem nulla falſitas violet, nulla hæreſis inquieret, nec cuiquam liceat doctrinam Euangelicam deſerere, & ſacerdotali honore gaudere. Synodum verò fieri, vt meminit

CAP. I. CAP. II.

Causa designatur, prohibens celebrare Concilium, clementia vestra, etiam ipsi poposcimus. Sed sacerdotes prouinciarum omnium congregari præsentis téporis necessitas nulla ratione permittit: quoniam illæ prouinciæ, de quibus maximè sunt euocandi, inquietante bello ab Ecclesiis suis eos non patiuntur abscedere. Vnde opportuniori tempori, propiciante Domino, cùm firmior fuerit restituta securitas, iubeat vestra clementia reseruari. De qua re pleniùs inter cætera apud pietatem vestram poterunt allegare, quos misi. Data *quinto Idus Iunij, Adelphio viro clarissimo Consule.

*septimo Idus.

EPISTOLA XLV.

Ad Pulcheriam Augustam.

Leo Episcopus, Pulcheriæ Augustæ.

CAP. I. Religiosam pietatis vestræ sollicitudinem, qua vniuerso mundo, Deo inspirante, consulitis, crebrioribus alloquiis incitate præsumo: vt operum vestrorum profectum necessaria perfectio subsequatur, ac sicut de statu Constantinopolitanæ Ecclesiæ gratulamur, cuius & Sacerdos, & populus Catholicæ puritatis fidem iam tenere cognoscitur: ita etiam aliorum concors nobiscum sit de Verbi incarnatione cófessio. Vnde quod facturum me aliis literis indicaueram, episcopum, & Basilium Presbyterũ fratres meos dirigere præparaui, qui dispositiones meas, fratris mei Anatolij deuotione sociata, secundum eas, quas acceperunt regulas, exequantur. Sicut enim prædicti Episcopi scriptis, & Clericorum eius suggestione patefactum est, multa sunt quæ indulgentius sunt curáda, multa quæ iustius coërcenda: vt in causa tantæ perturbationis, nec districtio nimis sit aspera, nec remissio parum cauta, cùm aliud satisfacientibus, aliud

CAP. II. pertinacibus debeatur. Offertur ergo pietati vestræ digna materia, quæ placitam Domino curam sancti cordis exerceat, & precedentium meritorum coronas etiam de præsentis erroris abolitione multiplicet. Sicut enim Nestoriana impietas, ita & Eutychiana blasphemia ab omnium est Catholicorũ eliminanda consortio. Quia tam impium est, consubstantialem & consempiternam patri filij deitatem, etiam ex vtero virginis matris partu editam negare corporeo, quam vnam in Dei filio post Incarnationis sacramentum affirmare naturã: vt sc. aut humanitas eius refutetur, aut deitas cum vnione vtriusque essentiæ: nec altera sit in alterutram versa, nec assumpta in assumente finita. Sed & Verbi incommutabilitas, & carnis atque animæ veritas maneāt inseparabiliter in vnitate personæ, quod qui testificante lege, credentibus Patriarchis, annuentibus prophetis, prædicante Euangelio, docentibus Apostolis, & toto mundo confitente non credunt, extra sacramentum corporis Christi, extra

CAP. III. vnitatem sunt nominis Christiani. Quorũ sicut ruinam dolemus, ita perfidiam detestamur. Vt autem circa tales personas syncerum seruetur vbique iudicium, & aliud correctis, & aliud pertinacibus rependatur, vestra pietas nostros, qui ab Apostolica Sede sunt, missi, fouere dignetur: eorumque omnes, quas iniunximus, adiuuet actiones, quò citius ac faciliùs, auxiliante Domino, quæ ad vestram gloriam, & ad totius Ecclesiæ pacem proficiant, exequantur. De Eutyche auté totius scandali & prauitatis authore, hoc clementia vestra præcipiat, vt ab eo loco qui Constãtinopolitanæ vrbi nimis vicinus est, lõgius transferatur: ne frequentioribus solatiis eorum, quos ad impietatem suam traxit, vtatur. Monasterio quoque ipsius, qui perniciosè, indignéque præsedit, Catholicum abbatem iubere præponi: qui illam seruorum Dei congregationem, & à prauo dogmate liberare, & institutis veritatis possit imbuere. Data Idibus Iunij Adelphio viro clarissimo Consule.

EPISTOLA XLVI.

Ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum de his, qui hæreticorum erroribus metu, non voluntate implicantur, vt per satisfactionem in Ecclesia suscipiantur.

Leo Episcopus, Anatolio Episcopo in Domino salutem.

Licet sperem dilectionem tuam ad omne opus bonum esse deuotam, vt tamen efficacior tua possit fieri industria, necessarium & congruum fuit fratres meos Lucentium Episcopum, & basilium Presbyterum (vt promisimus) destinare: quibus tua dilectio societur, vt nihil in his, quæ ad vniuersalis Ecclesiæ statum pertinent, aut dubiè agatur, aut segniter: cum residentibus vobis, quibus executionem nostræ dispositionis iniunximus, ea possint agi cuncta moderatione, vt nec beneuolentiæ partes, nec institiæ negligantur, sed absque personarum acceptione diuinum in omnibus iudicium cogitetur. Quod vt recta obseruantia valeat custodiri, Catholicæ primitus fidei seruetur integritas, & quia per omnia angusta & ardua via est, quæ ducit ad vitam: neque in sinistrã, neque ad dexteram ab eius tramite deuietur. Et quia Euãgelica & Apostolica fides omnes expugnat errores, & ab vno latere Nestorium deiicit, ab alio Eutychen & participes eius elidit, hanc regulam mementote seruandam: vt quicunque in illa synodo, quæ nomen synodi nec habere potuit nec meretur, & in qua maleuolentiam suam Dioscorus, imperitiam autem Iuuenalis ostendit, dolent, vt dilectionis tuæ relatione comperimus, se metu victos, & terrore superatos, ad consensum scelestissimi iudicij potuisse compelli, & communionem Catholicam obtinere desideri, satisfactioni eorum pax fraterna præstetur: ita vt non dubiis professionibus Eutychen cum suo dogmate, cúmque consortibus suis anathematis execratione condemnent. De his autem, qui in hac causa grauius peccauere, & ob hoc superiorem sibi locum in eadem infelici Synodo vindicarunt, vt humilium fratrum simplicitatem arrogantiæ suæ præ iudiciis aggrauarent: si fortè resipiscunt, & à facti sui defensione cessantes, in condemnationem proprij conuertuntur erroris, horum si satisfactio talis accedit, quæ non refutanda videatur, maturioribus Apostolicæ Sedis consiliis reseruetur, vt examinatis omnibus atque perpensis, de ipsis eorum actionibus quid constitui debeat, æstimetur. Neque prius in Ecclesia, cui te Dominus voluit præsidere, cuiusquam talium (vt anteiam scripsimus) nomen ad altare recitetur: quàm quid de eis constitui debeat rerum processus ostendat. De commonitorio verò, à Cleris dilectionis tuæ nobis oblato, necessarium non fuit epistolis quid videretur, inserere: cùm sufficeret Legatis cuncta committi, quorum sermone ex omnibus diligentius instrueris. Annitere igitur, frater charissime, vt quæ Ecclesiæ Dei congruunt, fideliter & efficaciter cum his fratribus, quos tantæ rei idoneos authores elegimus, exequaris: præsertim cùm ipsa vos causæ ratio, spésque diuini auxilij cohortentur, & clementissimorum Principum tam sancta sit fides, tam religiosa deuotio,

Right margin: CAP I. (beside "Licet"); Matth. 7. (beside "Quod vt recta"); CAP. II. (beside "bus Eutychen"); CAP. III. (beside "constitui debeat rerum").

deuotio,vt in eis non solùm Christianum,sed etiam sacerdotalem experiamur affectum. Qui vtique pro ea pietate,qua se Dei famulos esse gloriantur, omnes suggestiones vestras fidei Catholicæ profuturas, dignanter accipient,vt ipsorum quoque ope, & pax Christiana reparari, & error impius possit aboleri. Ac si de aliquibus amplius fuerit deliberandum,celeriter ad nos relatio dirigatur: vt pertracta qualitate causarum,nostra quid obseruari debeat, sollicitudo constituat. Data quinto Idus Iunij, Adelphio viro clarissimo Consule.

EPISTOLA XLVII.

Ad Synodum Chalcedonensem, vbi hortatur per legatos suos Dei sacerdotes, vt secundum scripturas cuncta disponerent.

Leo Episcopus vrbis Romæ,sanctæ Synodo apud Chalcedonem constitutæ.

CAP. I. OPtaueram quidem,dilectissimi, pro vestri charitate collegij, omnes Domini Sacerdotes in vna Catholicæ fidei deuotione persistere,nec quemquam gratia,aut formidine potestatum sæcularium deprauari, vt à via veritatis abscederet. Sed quia multa sæpe, quæ pœnitudinem possint generare, proueniunt,& superat culpas delinquentium, misericordia Dei,atque ideo suspenditur vltio,vt possit locum habere correctio, amplectendum est clementissimi Principis plenum religione consilium: quo sanctam fraternitatem vestram ad destruendas insidias diaboli, & ad reformandam Ecclesiasticam pacem voluit conuenire, beatissimi Petri Apostoli iure atque honore seruato,adeo vt nos quoque suis ad hoc literis inuitaret, vt venerabili Synodo nostram præsentiam præberemus, quod quidem nec necessitas temporis, nec vlla consuetudo poterat permittere. Tamen in his fratribus Paschasino & Lucentio Episcopis,Bonifacio & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas existimet præsidere, nec seiunctam à vobis præsentiam meam confidat,qui nunc in vicariis meis adsum, & iam dudum fidei Catholicæ prædicatione non desum: vt qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare,quid cupiamus. Vnde, fratres charissimi, reiecta penitùs audacia disputandi contra fidem diuinitùs inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat,nec liceat defendi, quod non liceat credi: cùm secundùm Euangelicas authoritates,secundùm Propheticas voces,Apostolicámque doctrinam plenissimè & lucidissimè per literas,quas ad beatæ memoriæ Flauianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de sacramento Incarnationis Domini nostri Iesu Christi pia & syncera confessio.

(Romanus Pontifex præsidet Conciliis.)

CAP. II.

CAP. III. Quia verò non ignoramus, per prauas æmulationes, multarum Ecclesiarum statum fuisse turbatum, plurimósque Episcopos, * qui hæresim non receperunt, sedibus suis pulsos, & in exilia deportatos, atque in locum superstitum alios substitutos: vulneribus his primitus adhibeatur medicina iustitiæ, nec quisquam ita careat propriis, vt alter vtatur alienis, cùm si (vt cupimus) errorem omnes relinquunt, nemini quidem peritè honor debeat: sed illis, qui pro fide laborauerunt, cum omni priuilegio oporteat ius proprium reformari. Prioris autem Ephesinæ Synodi, cui sanctæ memoriæ Cyrillus Episcopus tunc præcedit,contra Nestorium specialiter statuta permaneant:ne tunc damnata impietas,ideo sibi in aliquo blandiatur,quia Eutyches iusta execratione percellitur. Puritas enim fidei atque doctrinæ, quam eodem, quo sancti Patres nostri, spiritu prædicamus: & Nestorianam, & Eutychianam, cum suis authoribus condemnat pariter & persequitur prauitatem. Data quinto Kalendas Iulij,Adelphio viro clarissimo Consule.

(* quis.)

EPISTOLA XLVIII.

Ad Anatolium Episcopum.

Leo Episcopus,Anatolio confratri.

AD declinandam erroris maculam,qua nonnullos aut Nestoriana impietas, aut Eutychiana labefactauit insania, laudabilem curam filij nostri Basilius & Ioannes Presbyteri suæ æstimationis habuerunt:vt inter pugnantia dogmata falsitatis, vera Catholicæ fidei pace gauderent. Siquidem longinquo peregrinationis labore suscepto, sensum cordis sui in Apostolica Sede patefacere:damnantes vtramque hæresim, quarum suprà fecimus mentionem, & de Incarnatione Domini nostri Iesu Christi non aliud recipientes, quàm quod, instruente sancto Spiritu,& didicimus, & docemus. Per hos ergo, frater charissime, cum testimonio nostro ad propria reuertentes,dilectioni tuæ nostra scripta direximus: fidenter orantes, vt qui gratia Apostolicæ communionis ornantur,etiam tuo fauore per omnia se gaudeant adiuuari. Data decimotertio Kalendas Iulij, Adelphio viro Clarissimo Consule.

EPISTOLA XLIX.

Ad Martianum Augustum.

Leo Episcopus, Martiano semper Augusto.

CRedebamus clementiam vestram id desiderio nostro posse præstare, vt præsenti necessitate respecta, differri ad opportunius tempus sacerdotalem Synodum iuberetis: vt vocatis de cunctis prouinciis sacerdotibus, verè posset esse vniuersale Concilium. Sed quia vos amore Catholicæ fidei congregationem nunc fieri voluistis, ne deuoto obuiare videret arbitrio: fratrem & Coëpiscopum meum Paschasinum de ea Prouincia, quæ videtur esse securior, euocatum, qui vicem præsentiæ meæ possit implere, direxi, Bonifacio fratre nostro & Compresbytero sociato, & his, quos antea miseramus, adiunctis, consortem illis fratrem quoque meum Iulianum addentes Episcopum. Quos ea moderatione vniuersa, Domino auxiliante, credimus esse gesturos: vt quæcunque in querelam perturbationémque venerunt, ad vnitatem pacis & fidei, compressa omni dissensione reuocentur: nec vllum in aliquorum cordibus sacerdotum, vel Nestorianæ vel Eutychianæ impietatis vestigium relinquatur, quoniam Catholica fides, quam instruente nos Spiritu Dei per sanctos Patres à Beatis Apostolis didicimus, & docemus, neutrum subrepere permittet errorem. Si quid ergo morborum, si quid est vulnerum, quod syncera possit correctione curari, vt ad veram sanitatem reuocetur, optamus. Quæ nunc vtrique non erunt dubia, nec cuiusquam simplicitati deinceps nocitura? si nullus se excusationibus voluerit obumbrare, cùm absolutionem peccati non obtineat,nisi vera confessio. Quia verò quidam de fratribus

bus (quod ſine dolore non didicimus) contra turbines falſitatis non valuere Catholicam tenere conſtantiam, prædictum fratrem & Coëpiſcopum meũ vice mea Synodo conuenit præſidere: Certus ſum enim quod abſque odio & gratia ibidem ab his, quibus hoc commiſimus, laboretur, vt cum ſolius hæreticæ impietatis excidio, in omnibus Eccleſiis Dei veritas regnet & charitas. Data ſexto Kalendas Iulij, Adelphio viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA L.

Ad eundem Martianum Auguſtum.

Leo Epiſcopus, Martiano Auguſto.

SAnctum clementiæ veſtræ ſtudium, quo ad reparationem pacis Eccleſiaſticæ Synodum habere voluiſtis, adeo libenter accepi: vt quamuis eam fieri intra Italiam popoſciſſem, & aptius expectari tempus optaſſem, quo ſcilicet plurimi poſſent Epiſcopi etiam de longinquis prouinciis euocari, mox tamen vt mihi pietatis veſtræ ſcripta ſunt tradita, & Bonifacium de Compresbyteris meis ab vrbe direxerim, & de Epiſcopis fratrem meum Paſchaſinum de Sicilia fecerim nauigare, qui vicem meam ſufficienter implerent, datis per eoſdem epiſtolis ad eos qui Legationem ante ſuſceperant, vt ipſi quoque prædictis ad implendas partes meæ præſentiæ iungerentur. Vnde quamuis nimis arctus dies Synodo fuerit conſtitutus, ſpero tamen ad futurum omnipotentis auxilium, quo omnes valeant ad præfinitum tempus occurrere: & vnanimiter cum ſanctæ fraternitatis aſſenſu, quæ vniuerſali Eccleſiæ congruant definire. Compreſſa enim, vel remota inquietudine ac prauitate paucorum, facilè firmabitur probanda cõcordia, ſi in eam fidem quam Euangelicis & Apoſtolicis prædicationibus declaratam, per antiquos Patres noſtros accepimus & tenemus, omnium corda concurrant, nulla penitus diſputatione cuiuſquam retractationis admiſſa, ne per vanam, fallacémque verſutiam aut infirma videantur, aut dubia, quæ in ipſo angulari lapide Chriſto fundata ſunt & ſine fine manſura, hoc nobis indeſinenter orantibus, vt à ſacramento ſingularis fidei nemo inueniatur alienus, ſed damnata impietate hæreſeos, nullum de perditione cuiuſquam Catholica Eccleſia ſentiat detrimentum. Quod autem pietatem veſtram de his, per quos meas miſi epiſtolas, obſecraui, nunc quoque ſimili fiducia precor: vt vice mea acturos, commendatos per omnia habere dignemini, quo faciliùs ac diligentiùs, quæ optimo fidei veſtræ ordinata ſunt ſtudio, ſalubri impleantur effectu. Data decimoquarto Kalendas Auguſti, Adelphio viro clariſsimo Conſule.

Semel definita non ſunt in dubium vocanda. Epheſ. 6.

EPISTOLA LI.

Ad Pulcheriam Auguſtam per Theoſticum Magiſtrianum.

Leo Epiſcopus, Pulcheriæ Auguſtæ ſalutem.

CAP. I. RElgioſam clementiæ veſtræ ſollicitudinem, quam Catholicæ fidei indeſinẽter impenditis, per omnia recognoſco, & Deo gratias ago, quòd tantam vniuerſalis Eccleſiæ curam habere vos video: vt quod iuſtitiæ & beneuolentiæ congruere arbitror, confidenter inſinuem, quo celeriùs, quæ propitio Chriſto pietatis veſtræ ſtudio irreprehenſibiliter hactenus geſta ſunt, ad gratulandum perducantur effectum. Quod ergo Synodum Chalcedonenſem haberi clementia veſtra præcepit, cùm à me vt in Italia haberetur, manſuetudo veſtra retineat poſtulatum, vt omnes noſtrarum partium conuocati Antiſtites, ſi ſecuritas temporis ſuppeteret, conuenirent, adeò tamen non aſpernanter accepi: vt binos de Coëpiſcopis meis & Compresbyteris ordinarem, qui vicem meam implere ſufficerent, etiam datis ad venerabilem Synodum congruentibus ſcriptis, quibus fraternitas aduocata cognoſceret, quam formam ſeruare in hac diiudicatione deberet: ne vlla temeritas aut fidei regulis, aut canonum ſtatutis, aut benignitatis remediis obuiaret. Sicut enim à principio huius cauſæ frequentiſſimè ſcripſi, hanc inter diſcordes ſenſus & carnales æmulationes moderationem volui cuſtodiri, vt integritati quidem fidei nihil euelli, nihil liceret apponi: ad vnitatem verò, pacémque redeuntibus, remedium veniæ præſtaretur. Quia tunc operum diaboli potentiæ deſtruuntur, cùm ad Dei proximique dilectionem, hominum corda reuocantur. Sed quam contraria tunc his monitis atque obſecrationibus meis acta ſint, multùm eſt explicare, nec opus eſt epiſtolari pagina comprehendi, quicquid in illo Epheſino non iudicio, ſed latrocinio potuit perpetrari. Ibi primates Synodi, nec reſiſtentibus ſibi fratribus, nec conſentientibus pepercerunt: cùm ad infringendam Catholicam fidem, & ad execrabilem hæreſim roborandam, alios priuilegio honoris exuerint, alios conſortio impietatis infecerint: ſæuiores profectò in eos, quos perſuadendo ab innocentia ſeparabant, quàm in illos quos beatos Confeſſores perſequendo faciebant. CAP. II.
Veruntamen quia tales ſibi maximè ſua iniquitate nocuerunt, & maioribus vulneribus diligentior eſt adhibenda medicina, nullis vnquam epiſtolis definiui etiam talibus, ſi reſipiſcerent, veniam denegandam. Et quamuis incomparabiliter inimiciſſimam Chriſtianæ religioni hæreſim deteſtemur, ipſos tamen, ſi corrigantur, & digna ſe ſatisfactione purificent, ab ineffabili miſericordia Dei non iudicamus alienos: ſed potius cum gementibus gemimus, cum flentibus flemus, & ſic vtimur iuſtitia commotionis, vt non amittamus remedia charitatis. Quod ſicut pietas veſtra cognoſcit, non verbis ſolis promittitur, ſed etiam factis docetur. Siquidem penè omnes, qui in conſenſum præſidentium, aut traducti fuerant, aut coacti reſcindendo quod ſtatutum fuerat ab illis, & condemnando quod ſcripſerant, perpetuam culpæ abolitionem, & Apoſtolicæ pacis gratiam ſint adepti. CAP. III. Rom. 12.

Si ergo clementia veſtra propoſitum noſtrum conſiderare dignetur, probabit me conſilio cuncta geſſiſſe, vt ſine cuiuſquam animæ detrimento, hæreſeos tantùm obtineretur extinctio, & ob hoc circa authores ſæuiſſimorum turbinum, quiddam conſuetudinis minuiſſe, vt ad indulgentiam poſtulandam compunctione aliqua poſſit eorum tarditas excitari. Qui etſi poſt illud iudicium ſuum tam impium, quàm iniuſtum, non ſunt Catholicæ fraternitati ita honorabiles, vt fuerant, ſuas tamen adhuc obtinent ſedes, & Epiſcopatus ſui honore potiuntur: aut per veram & neceſſariam ſatisfactionem pacem Eccleſiæ recepturi, aut ſi hæreſim [quod abſit] tuebuntur, profeſſionis ſuæ merito iudicandi. Data decimotertio Kalendas Auguſti, Adelphio viro clariſſimo Conſule. CAP. IV.

Epistola Rauennij, aliorúmque Episcoporum Gallorum, ad Leonem Papam, fidei eius, quam ad Orientem direxerat, laudes dicentium.

Domino verè sancto, merito in Christo beatissimo, & Apostolico honore digno, venerando Papæ Leoni, Rauennius, Rusticus, Venerius, Constantianus, Maximus, Armentarius, Florus, Sauinus, Valerianus, Constantius, Nectarius, Maximus, Asclepius, item Maximus, Vrsus, Ingenulus, Iustus, Valerianus, Superuentus, Crisaphius, Fonteius, Petronius Hydacius, Etherius, Eulalius, Eutychius, Fraternus, Venturus, Eugenius, Hilarius, Verus, Amandus, Geruntius, Proculeianus, Iulianus Helladius, Armentarius, Honoratus, Hepartius, Amenius, Dinamius, Maximinus, Hyrnantius & Palladius.

CAP. I. Epist. Episcoporum Galliæ egregia. PErlata ad nos epistola beatitudinis vestræ, quam ad Orientem pro Catholicæ fidei assertione misistis, optassemus & statim Apostolatui vestro pro tam immenso munere gratiarum actionem referre: nisi nobis difficultatem, qua in vnum celeriter non potuimus conuenire, vel spatia, quibus à nobis *dispalati (*disparati.*) sumus, longa terrarum vel aurarum, quæ in regionibus nostris præter consuetudinem fuit, intemperies attulisset. Det ergo Apostolatus vester nostræ veniam tarditati, quæ non de otio aut dissimulatione, sed de certa necessitate descendit: quæque à nobis, etsi celeritatis gratiam abstulit, exultandi tamen materiam auferre non potuit. CAP. II. Exultauimus itaque Christo propitio lectis beatitudinis vestræ literis, & omni instructione patefacta, omnes intra Gallias constitutos, exultare mox fecimus: dolentes pariter pro his vobiscum, qui Catholicæ fidei lumine derelicto, in errorū tenebras inciderunt. Quæ Apostolatus vestri scripta, ita vt Symbolum fidei, quisquis redemptionis sacramenta non negligit, tabulis cordis adscripsit, & tenaci, quoad cōfundendos hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendauit. Multi itaque in ea gaudentes pariter & exultantes, recognouerunt fidei suæ sensum: & ita se semper ex traditione paterna tenuisse, vt vester Apostolatus exposuit, iure lætantur. Nonnulli sollicitiores facti, beatitudinis vestræ admonitione percepta modis omnibus se gratulantur instructos, datamque sibi occasionem gaudent, qua liberé ac fiducialiter suffragante etiam Apostolicæ Sedis authoritate, eloquantur, & asserat vnusquisque quod credit. CAP. III. Quis autem Apostolatui vestro pro hoc tanto munere, quod non solùm Gallias, sed totum mundum, velut quibusdam pretiosissimis geminis ornauit, dignitas æstimet gratias posse persolui; Doctrinæ post Deum vestræ debet quisque fidelis, vt constanter teneat, quod credebat, debet etiam infidelis, vt à perfidia sua, agnita veritate, discedat: & Apostolicæ institutionis luce perfusus, erroris sui tenebras derelinquat, magisque sequatur & credat, quod per os vestrum Dominus noster Iesus Christus de sacramento Incarnationis suæ docet, quàm id teneat, quod diabolus humanæ salutis, & veritatis inimicus instillat.

CAP. IV. Optassemus etiam ad filium vestrum, gloriosissimum ac fidelissimum Principem super eandem causam literas dare, quibus congratulantes fidei ipsius, humilitatis quoque nostræ sollicitudinem, quâ vos in Christo sequitur, proderemus: nisi ad nos de Orientalibus partibus nuntio perlato, fieri hoc minimé necessarium putassemus. Meritis autem Apostolati vestri pius Dominus præstitit, vt hæresim, iam diu occultè nutritam, nostris temporibus proderet. Ad laudem enim sollicitudinis vestræ pertinet, quòd malorum error latere non potuit: ad gloriosæ fidei ædificationem redundat, quod praua persuasio participes aut non inuenit, aut inuentos amisit. Respiciat itaque, conseruando Apostolatum vestrum, misericors Dominus, & Ecclesiam suam, toto orbe diffusam. Vobis enim ita inuigilantibus, & hi qui curam animæ suæ gerunt, sollicitiores in fide redduntur: & hi qui paulò desides sunt, tanto ad sollicitudinem accenduntur exemplo. CAP. V. Quod nos ante oculos semper habentes, non designemus Domino ac Deo nostro gratias agere, & pariter supplicare: gratulantes, quòd tantæ sanctitatis, tantæ fidei, tantæque doctrinæ Apostolicæ Sedis, vnde religionis nostræ, propitio Christo, fons & origo manauit, Antistitem dederit: petentes etiam, vt datum, concessumque munus Pontificij vestri, longissima ad ædificationem Ecclesiarum suarum ætate custodiat. Nos autem etsi impares meritis, pari tamen fide, si quid (quod absit) contra Ecclesiam Catholicam prophana infestatione tentetur: parati sumus, confortante Domino, cum beatitudine vestra pro veritate fidei animas nostras ponere, & vitam hanc authori salutis nostræ, & largitori æternitatis impendere. *Et alia manu*: Ora pro me, domine beatissime, merito & Apostolico honore venerande Papa.

Rusticus Episcopus Apostolatum vestrum, in Domino veneror & saluto, & vt digneris pro me orare, supplex rogo.

Venerius, te Dominum in Christo meum, reuerendissime saluto, & vt digneris pro me orare, supplex rogó.

Constantianus Episcopus beatitudinem vestram saluto. *Similiter & omnes Episcopi suprà scripti salutauerunt.*

Maximus Episcopus beatitudinem vestram saluto,

Armentarius Episcopus beatitudinem vestram saluto.

Florus Episcopus beatitudinem vestram in Domino venerans saluto, & vt ores pro me, plurimum quæso.

Sapinus Episcopus beatitudini vestræ me repræsento, & orationem Apostolatus vestri memorem quæso.

Valerianus Episcopus beatitudinem vestram saluto.

Nectarius Episcopus beatitudinem vestram saluto.

Constantius Episcopus beatitudinem vestram saluto.

Maximus Episcopus Apostolatum vestrum saluto.

Ego Asclepius Episcopus Apostolatum vestrum venerans in Domino plurimum saluto.

Ego Maximus Episcopus Apostolatum vestrum saluto.

Ego Vrsus Episcopus beatitudinem vestram saluta.

Ingenulus Episcopus Apostolatum vestrum venerans saluto.

Iustus Episcopus coronam vestram venerans saluto.

Valerius Episcopus Apostolatum vestrum saluto.

Ego Superuentor Episcopus coronam vestram venerans saluto.

Verus Episcopus Apostolatum vestrum reuerenter saluto.

Helladius Episcopus sanctitatem tuam in Domino saluto.

Ætherius Episcopus sanctitatem tuam in Domino saluto.

Eulalius Episcopus sanctitatem tuam in Domino saluto.

Auenius Episcopus sanctitatem tuam in Domino saluto.

Grisafius Episcopus sanctitatem tuam in Domino saluto.

Petronius Episcopus sanctitatem vestram in Domino saluto, & vt pro me orare dignemini, quæso.

Ego Fonteius Episcopus Apostolatum vestrum reuerenter saluto, & rogo, vt mei meminisse dignemini.

Idatius Episcopus Apostolatum vestrum in Domino saluto.

Hilarius Episcopus Apostolatum vestrum plurima in Christo veneratione saluto.

Victurus Episcopus Apostolatum vestrum venerans saluto.

Eugenius Episcopus beatitudinem tuam saluto.

Palladius Episcopus Apostolatum vestrum venerans saluto.

Ego Fraternus Episcopus coronam vestram venerans saluto.

Ego Amandus Episcopus Apostolatum vestrum venerans saluto.

Ego Gerontius Episcopus coronam vestram venerans saluto.

Ego Proculianus Episcopus coronam vestram venerans saluto.

Ego Dinamius Episcopus coronam vestram venerans saluto.

Ego Iulianus Episcopus Apostolatum vestrum venerans saluto.

Ego Armentarius Episcopus coronam vestram venerans saluto.

Ego Honoratus Episcopus coronam vestram venerans saluto.

Ephatius Episcopus Apostolatum vestrum venerans saluto.

Ego Eustochius Episcopus Apostolatum vestrum venerans saluto.

Ego Maximus Episcopus Apostolatum vestrum venerans saluto.

Ego Ynantius Episcopus coronam vestram venerans saluto.

EPISTOLA LII.

Ad omnes Episcopos Galliarum, de damnatione hæreticorum.

Leo Romanæ vrbis Episcopus, Rauennio, Rustico, Venerio, Constantiano, Maximo, Armentario, Floro, Sauino, Valeriano, Constantio, Asclepio, Nectario, Maximo, Vrso, Ingenulo, Iusto, Valeriano, Superuento, Crisapio, Fonteio, petronio, Hydacio, Etherio, Eulalio, Eutychio, Fraterno, Venturo, Eugenio, Hilario, Dero, Amando, Gerontio, Proculeiano, Iuliano, Helladio, Armentario, Honorato, Hepartio, Amenio, Dinamio, Maximino, Hyrnantio & Palladio, Episcopis per Gallias constitutis.

Optassemus quidem fraternitatis vestræ literas eo tempore, quo promiseratis, accipere, vt profecturis ad Orientem fratribus nostris quos ad sanctam Synodum vice nostra pro Catholicæ fidei defensione direximus, etiam vestræ sententiæ professio iungeretur. Sed cùm multa obstacula inopinatam vobis intulerint tarditatem, quamuis seras, & diu expectatas epistolas per fratrem & Coëpiscopum nostrum Ingenulum gratanter accepimus, easque cum gaudio recensentes probauimus, sicut confidebamus eruditione Spiritus sancti cælestem in vobis vigere doctrinam, quam in Orientalibus Ecclesiis versutia hostis antiqui, per eos, quos sequaces suos reperit, falsitasque fatigare conata est, cùm Catholica fides, quæ nulla sui sit parte mutabilis, per ipsas aduersantium exercitationes, & validior efficiatur semper, & clarior, operante hoc gratia Dei, vt si qui fortè ad hæc subtilia inimici iacula declinanda, minus erant instructi, minúsque solliciti: perceptis veritatis armis, fierent contra impiorum mendacia fortiores. Quod ergo sicut causa poscebat fiduciam nostram, quam de vobis habemus in Domino, fideliter atque obedienter auxistis, multa exultatione gaudemus. Et merito nos cognoscimus fratribus, & Coëpiscopis nostris Orientalibus intimasse, quod secundum Euangelicam Apostolicamque traditionem de Incarnatione Domini nostri Iesu Christi, vna esset omnium nostrum, & indiscreta confessio, neque vllis eorum disputationibus detineri, vt aliter aliquid de summi, & salutiferi sacramenti veritate sapiamus, quàm ex prædicatione sanctorum Patrum, & ex authoritate incommutabilis Symboli didicimus ac docemus, damnatis ab vniuersali Ecclesia, & nunc Eutyche, & anteà Nestorio. Quorum si quis non ferendis impietatibus inhærere delegerit, ipse se à corpore Christianæ vnitatis abscidit. Non enim vltrà iam cuiquam executionis refugium de ignorantia, & inscitia, vel de intelligentiæ difficultate conceditur: cùm hoc ipsum sexcentorum ferè fratrum, Coëpiscoporumque nostrorum Synodus congregata, nullam artem ratiocinandi, nullum eloquium differendi contra fundamentum fidei inspiratæ permiserit, quoniam adnitentibus per auxilium gratiæ Dei fratribus, Vicariis nostris, quorum plenissima extitit in omni actione deuotio, non solùm Sacerdotibus Christi, sed etiam Principibus, & potestatibus Christianis, cunctisque clericis, plebibus, ordinibus, plene atque euidenter apparuit, hanc esse verè Apostolicam fidem, ex diuinæ pietatis fonte manantem, quam synceram, & ab omni fæce totius erroris alienam (sicut accepimus) prædicamus, & vniuerso iam mundo consentiente defendimus: extinctis toto orbe dogmatibus, quæ vel præcedens hæreticus ausus est inferre vel subsequens, dissimili quidem commento, sed impietate compari. Nam sicut Nestorius non est toleratus, affirmans beatam Mariam hominis tantummodò fuisse genitricem, qui postmodum fit à Verbo deitatis susceptus, duabus scilicet naturis & personis distinctis, vt neque ipse esset filius hominis, qui filius Dei, neque vnus Christus in vtraque natura, sed alter sempiternus ex patre, alter temporalis ex matre: cùm Euangelica authoritas ita Verbum prædicet carnē factum, vt

CAP. I. An. Christi 454. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis 13. fuit scripta, hæc Epist. & 3. sequentes.

CAP. II.

CAP. III.

vt nõ duos Chriſtos, nec duos filios, ſed in vno Domino Ieſu Chriſto, & Dei, & hominis nobis inſinuet veritatem, vt vtriuſque ſubſtãtiæ, id eſt, ſaluantis atque ſaluatæ, nec proprietas poſſit confundi, nec perſona geminari. Sicut ergo Neſtorius in ſuo dogmate execrabilis: ſic Eutiches, damnatum olim ſectatus errorem, alia prophanitate blaſphemans, à Catholicæ ſoliditatis compage reſecatus eſt, quia indoctis quibuſdam: nimiùmque ſimplicibus perſuadere tentauit, quod Verbum Dei ita fuit caro factum, vt veram carnem de ventre virginis non ſumpſerit, nec noſtri illum generis corpus habuiſſe: ſed diuinitatis eius & carnis, vna eſſet natura, vt vnum Dominum noſtrum Ieſum & falſum hominem, & Deum diceret eſſe paſſibilem. Quod nec pietas fidei nec ratio recipit ſacramenti: vt aut in ſua natura paſſibilis fuerit Deitas, aut in ſuſceptione humana mentita ſit veritas.

CAP. IV. Quæ diabolicorum ſenſuum prodigioſa commenta, ſancta nunc Synodus (humilitatis noſtræ ſcriptis authoritate domini mei beatiſſimi Petri Apoſtoli & merito roboratis) religioſa vnanimitate conſentiens abominando, ab Eccleſia Dei amputauit: Dioſcorum quoque Alexandrinum, in ſua impietate manentem, nec illa Eccleſia, quæ inter ipſa Euangelij principia beatum Marcum beatiſſimi Petri Apoſtoli diſcipulum in omnibus vtique doctrinis doctoris ſui magiſterio conſonantem habuit fundatorem, quæque poſteà recentioribus à noſtra æſtate temporibus Athanaſium, Theophilum, & proximè Cyrillum probatiſſimos Præſules habuit, indignam captiuitatem ſub hæretici dominatione pateretur. Vnde ſecundum magnam miſericordiam Dei vniuerſos diaboli conatus, quibus Eccleſiam Domini
CAP. V. conturbare molitus eſt, noueritis eſſe deſtructos. Reddite igitur Deo gratias, fratres chariſſimi, & dignam gratiarum actionem, & oret nobiſcum veſtra dilectio, vt fratres noſtros, quos expectatio noſtra deſiderat, incolumes quàm primùm rediiſſe lætemur, & de omnibus, quæ Domino adiuuante ſunt geſta, pleniùs vos poſſimus inſtruere. Nam fratrem Ingenulum nolumus hac expectatione tardari, cùm ob hoc ipſum properantiùs remeare debuerit, ne diutius vobis eſſet incognita omnium materia gaudiorum, quæ volumus per curam dilectionis veſtræ etiam ad fratres noſtros Hiſpaniæ Epiſcopos peruenire, vt quod Deus operatus eſt, nulli poſſit eſſe incognitum, Data Kalendis Februarij, Herculano viro clariſſimo Conſule.

Euſebij Mediolanenſis Epiſcopi Epiſtola ad Leonem Papam, per quam fidei eius, quam ad Orientem direxerat, aſſertioni cum aliis Epiſcopis conſentientibus ſubſcripſit,

Domino ſancto & beatiſſimo patri Leoni, Euſebius Mediolanenſis Epiſcopus.

CAP. I. PErnerſis, Domino annuente, fratribus noſtris quos ad Orientem fidei cauſa, ſollicitè prouida beatitudo veſtra direxerat, decurſiſque litteris, quas per eos tua ſanctitas deſtinauit, omni exultantione in Chriſto releuatus ſum, quòd effectum commiſſæ ſibi legationis eoſdem reportaſſe veſtra pagina deſignauit. Nec mirum, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus Catholicæ fidei, quam tenemus maieſtatis ſuæ gratiam, cuſtodiámque præſtiterit: quando vos veros cultus ſuis aſſertores in Apoſtoli ſue ſede Præſulem collocauit, qui & recta ſentire de Incaruationis Dominicæ ſacramento, & eadem poteſtis rectiùs cuſtodire. Admonitis ergo fratribus & Coëpiſcopis CAP. II. meis, habitóque conuentu, veſtrarum formam tenuimus litterarum. Nam recenſens epiſtolam beatitudinis veſtræ, in ſacerdotum Domini Concilio quam ſanctus frater, & Coëpiſcopus noſter Abundantius, & Compresbyter meus Senatus detulerant, agnitáque eorum narratione, ſicut ſcripta veſtra ſignauerant, rerum geſtarum ordine continuo requiſita recitatáque epiſtola, quã fidei aſſertione plenè digeſtam, ad Oriẽtem dudum ſanctitas veſtra tranſmiſerat, quæ ad nos, ex veſtra admonitione, ſancto fratre, & coëpiſcopo noſtro Cyriaco mutuante peruenit, claruit eam plenam fidei ſimplicitate fulgere, Prophetarum etiam aſſertionibus, Euangelicis authoritatibus, & Apoſtolicæ doctrinæ teſtimoniis, nitore quodam lucis ad veritatis ſplendorem radiare, omnibúſque ſenſibus conuenire quos B. Ambroſius, de Incarnationis Dominicæ myſterio, ſuis libris Spiritu S. excitatus inſeruit.

Et quia omnia maiorum fidei, nobis antiquitus CAP. III. traditæ, tota puritate conueniunt, domine ſancte & beatiſſime Pater, placuit omnibus, quorum ſubſcriptio ſubter annexa nomina poterit declarare, vt eos qui impiè de Incarnationis Dominicæ ſacramento ſentiunt, quamuis intellectus ſui prauitate, à Catholicæ fidei veritate recedentes, ſeipſos dignos abiectione fecerint, ſuo etiam conſenſu authoritatis veſtræ præcedente ſententia, damnatione congrua perſequendos. Litterarum ergo veſtrarum formam ſecuti, modum præſcriptæ ordinationis nos ſeruaſſe, his per fratrem & Coëpiſcopum meum Cyriacum miſſis oſtendimus, ſupereſſe vt annuente Domino perpetuè retinentes, hoc futuris memorabile ſæculis relinquatis, vt ab hoc tempore præſenti, extincta impiæ ſectæ contumacia videatur, vt nouis purgationibus in æternum proſtrata ſuccumberet. *Et alia manu:* Incolumem beatitudinem tuam ſumma diuinitas adornet atque cuſtodiat, domine ſancte ac beatiſſime Pater.

Euſebius Epiſcopus Mediolanenſis Eccleſiæ in CAP. IV. omnia ſupradicta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Fauentius Epiſcopus Regienſis Eccleſiæ in omnia ſupradicta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his, qui de incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Maioranus Epiſcopus Eccleſiæ Placentinæ in omnia ſupra ſcripta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Cyprianus Epiſcopus Eccleſiæ Prixillenſis *Therdonenſis.* in omnia ſupra ſcripta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt,

Ego Quinius Epiſcopus Eccleſiæ * Dortonenſis in omnia ſupra ſcripta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Criſpinus Epiſcopus Eccleſiæ Ticinenſis in omnia ſupra ſcripta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego maximus Epiſcopus Eccleſiæ Taurinatis, in omnia ſupra ſcripta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Floteius Presbyter, iuſſus à præſente ſancto Eulogio Epiſcopo meo Eccleſiæ Iporienſis, quia ipſe

ipſe propter infirmitatem ſubſcribere non potuit, in omnia ſuprascripta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Gradus Presbyter, directus ab Epiſcopo Euthaſio Eccleſiæ Auguſtanæ, vice ipſius in omnia ſupra ſcripta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his, qui de Inaarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Cyriacus Epiſcopus Eccleſiæ Leodenſis in omnia ſupra ſcripta conſenſi & ſubſcripſi: anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Abundantius Epiſcopus Eccleſiæ Comenſis in omnia ſupra ſcripta conſenſi ac ſubſcripſi: anathema dicens eis, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego idem Abundantius, pro abſente ſancto fratre meo Aſimone, Epiſcopo Eccleſiæ Curienſis, vice ipſius in omnia ſupra ſcripta conſenſi & ſubſcripſi, anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Paſchaſius Epiſcopus Eccleſiæ Genuenſis in omnia ſupra ſcripta conſenſi & ſubſcripſi, anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Paſtor Epiſcopus Eccleſiæ Aſtenſis, in omnia ſupra ſcripta conſenſi & ſubſcripſi, anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego ſimplicius Epiſcopus Eccleſiæ Nouarienſis in omnia ſupra ſcripta conſenſi & ſubſcripſi, anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Ioannes Epiſcopus Eccleſiæ Cremonenſis in omnia ſupta ſcripta conſenſi & ſuaſcripſi, anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Octauianus Epiſcopus Eccleſiæ Brixianæ in omnia ſupra ſcripta conſenſi & ſubſcripſi anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Iuſtinianus Epiſcopus Eccleſiæ Vercellenſis in omnia ſupra ſcripta conſenſi & ſubſcripſi, anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Quintius Epiſcopus Eccleſiæ Albingauenſis in omnia ſupra ſcripta conſenſi & ſubſcripſi, anathema dicens his, qui de Incatnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

Ego Præſtantius Epiſcopus Eccleſiæ Bergomatis in omnia ſupra ſcripta conſenſi & ſubſcripſi, anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ ſacramento impia ſenſerunt.

EPISTOLA LIII.

Ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, vbi in primis de fide in Chalcedonenſi Concilio laudat: deinde arguit, quòd contra Nicenam Synodum Alexandrinam atque Antiochenam Eccleſias ſibi ſubdere voluiſſet.

Leo, Epiſcopus, Anatolio Epiſcopo.

CAP. I. Manifeſtato, ſicut optauimus, per gratiam Dei lumine Euangelicæ veritatis, & ab vniuerſali Eccleſia pernicioſiſſimi erroris nocte depulſa, ineffabiliter gaudemus in Domino, quòd creditæ nobis diſpenſationis labor ad deſideratum peruenit effectum, ſicut etiam epiſtolæ tuæ textus eloquitur vt ſecundum Apoſtolicam doctrinam, idipſum dicamus omnes, & non ſint in nobis ſchiſmata: ſimus 1.Cor.1. autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia. In cuius operis deuotione gratulamur dilectionem tuam eſſe conſortem: vt & corrigendis tua prodeſſet induſtria, & ab omni à te deuiantiū participatione, & factione purgator eſſes. Deceſſore enim tuo beatæ memoriæ Flauiano, propter defenſionem Catholicæ veritatis eiecto, non immerito credebatur quod ordinatores tui, contra ſanctorum canonum conſtituta, viderentur ſui ſimilem conſecraſſe. Sed adfuit miſericordia Dei, in hoc te dirigens atque confirmans: vt malis principiis bene vtereris, & non te iudicio hominum, ſed Dei prouectū benignitate monſtrares: Quod verè ita accipiendum eſt, ſi hanc diuini muneris gratiam alia offenſione non perdas. Virum enim Catholicum, & præcipuè Domini Sacerdotē, ſicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate violari. Dicente quippe ſcriptura ſancta, *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua * auertere.* Eccl. 18. *vetare.* multis mundi huius illecebris, multis vanitatibus reſiſtendum eſt, vt veræ continentiæ obtineatur integritas: cuius prima eſt labes ſuperbia, initium tranſgreſſionis, & origo peccati. Quoniam meus potentiæ auida, nec abſtinere nouit à vetitis, nec gaudere conceſſis, dum inordinato prauóque proceſſu, impunitatum tranſgreſſionum augentur exceſſus, & crebreſcunt culpæ, quæ toleratæ ſunt ſtudio fidei reparandæ & amore concordiæ.

CAP. II. Poſt illa atque ordinationis tuæ non inculpata principia, poſt conſecrationem Antiocheni Epiſcopi, quam tibimet contra canonicam regulam vindicaſti, doleo etiam in hoc dilectionem tuam eſſe prolapſam, vt ſacratiſſimas Nicenorum canonum cōſtitutiones conareris infringere: tanquam opportunè ſe tibi hoc tempus obtulerit, quo ſecundi honoris priuilegium ſedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Eccleſia proprietatem tertiæ dignitatis amiſerit, vt his loci iuri tuo ſubditis omnes Metropolitani Epiſcopi proprio honore priuentur. Quibus inauditis, & nunquam antè tentatis, ita præuenitis exceſſibus, vt ſanctam Synodum, ad extinguendam ſolùm hæreſim, & confirmationem fidei Catholicæ ſtudio Chriſtianiſſimi Principis congregatam, in occaſionem ambitus trahas, & vt conniuentiam ſuam tibi per, impellas: tanquam refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo, & illa Nicenorum Niceni Concilij 6. & 7. cap. canonum per Spiritum verè ſanctum ordinata conditio in aliqua vnquam ſit parte ſolubilis. Nulla ſibi de multiplicatione congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo Epiſcopis quantumlibet copioſior numerus ſacerdotum vel comparare ſe audeat vel præferre, cùm tanto diuinitùs priuilegio Nicena ſit Synodus conſecrata, vt ſiue per pauciores, ſiue per plures Eccleſiaſtica iudicia celebrentur, omni penitus authoritate ſit vacuum, quicquid ab illorum fuerit conſtitutione diuerſum. Niceni Concilij quanta authoritas. Nimis ergo hæc improba nimis ſunt praua, quæ ſacratiſſimis canonibus inueniuntur eſſe contraria. CAP. III. In totius Eccleſiæ perturbationem ſuperba hæc tendit elatio, quæ ita abuti voluit Concilio Synodali, vt fratres in fidei tantummodo negotio conuocatos, & definitione eius cauſæ, quæ erat curanda, perfunctos, & conſentiendum ſibi aut deprauando traduceret, aut terrendo compelleret. Inde enim fratres noſtri, ab Apoſtelica Sede directi, qui vice mea Synodo præſidebāt, probabiliter atque conſtanter illicitis auſibus obſtiterunt, apertè reclamātes, ne contra inſtituta Niceni Concilij,

cilij, præsumptio reprobæ nouitatis assurgeret. Nec potest de eorum contradictione dubitari, de quibus in epistola tua etiam ipse conquereris, quòd conatibus tuis voluerint obuiare. In quo eos quidem multùm mihi; hæc scribendo, commendas: sed temetipsum, quod eis parêre nolueris, dum illicita moliris, accusas: superfluè non concedenda appetens, & insalubriter tibi contraria concupiscens, quæ nullum vnquam poterunt nostrum obtinere

Rom 2. consensum. Absit enim à conscientia mea, vt tam praua cupiditas meis studiis adiuuetur: ac non potius & meo, & omnium qui non alta sapiunt, sed

CAP. IV. humilibus consentiunt, opere subruatur. Sancti illi & venerabiles Patres, qui in vrbe Nicena, sacrilego Arrio cum sua impietate damnato, mansuras vsque in finem mundi leges Ecclesiasticorum canonum condiderunt, & apud nos & in toto orbe terrarum

25.quæst.1. Quæ ad perpetuam. in suis constitutionibus viuunt, & si quid vsquam aliter quam illi statuerunt, præsumitur, sine cunctatione cassatur: vt quæ ad perpetuam vtilitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur, nec ad priuatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa: & manentibus terminis, quos constituerunt patres, nemo in ius tendat alienum: sed intra fines proprios atque legitimos, provt quis valuerit, in latitudine se charitatis exerceat: cuius satis vberes fructus Constantinopolitanus potest antistes acquirere, si magis humilitatis virtute nitatur, quàm si spiritu ambi-

CAP. V. Rom. 11. tionis inflectur. Noli frater, altum sapere, sed time, & Christianissimorum Principum piissimas aures improbis petitionibus inquietare desiste: quibus certum habeo, modestia te magis quàm elatione placiturum. Persuasioni enim tuæ in nullo penitus suffragatur quorumdam Episcoporum ante sexaginta (vt iactas) annos facta subscriptio, nunquámque à prædecessoribus tuis ad Apostolicæ Sedis transmissa notitiam, cui ab initio sui caducæ, dudúmque collapsæ, sera nunc & inutilia subiicere fomenta voluisti, eliciendo à fratribus speciem con-

Matth.18. Marc. 9. sensionis, quam tibi in suam iniuriam verecundia fatigata præberet. Memento, quid Dominus ei, qui vnum de pusillis scandalizauerit, comminetur, & sapienter intellige, quale sit Dei iudicium subiturus, qui tot Ecclesiis, tot Sacerdotibus scandalum inferre non metuit. Fateor enim, ita me dilectione vniuersæ fraternitatis obstringi, vt nemini prorsus in his, quæ contra se poscit, assentiam, possísque euidenter agnoscere me dilectioni tuæ beneuolo animo contraire, vt saniore consilio ab vniuersalis te Ecclesiæ perturbatione contineas. Non conuellantur prouincialium iura primatuum, nec priuilegiis antiquitus institutis Metropolitani fraudentur antistites. Nihil Alexandrinæ sedis eius, quam per sanctum Marcum Euangelistam beati Petri discipulum meruit, pereat dignitatis: nec Dioscoro impietatis suæ pertinacia corruente, splendor tantæ Ecclesiæ tenebris obscuretur alienis. Antiochena quoque Ecclesia, in qua primùm prædicante beato Apostolo Petro, Christianum nomen exortum est, in paternæ constitutionis ordine perseueret: & in gradu tertio collatæ, nunquam se fiat inferior. Aliud enim sunt sedes, aliud præsidentes: & magnus vnicuique honor est integritas sua. Quæ cùm in quibuslibet locis propria ornamenta non perdat, quantò magis in Constantinopolitanæ vrbis magnificentia potest esse gloriosa, si per obseruantiam tuam & defensionem, paterni canones, & exem-

CAP. VI. plum probitatis mul i habeant sacerdotes. Hæc tibi scribens, frater in Domino, hortor ac moneo, vt deposito ambitionis desiderio, spiritu potiùs ferueas charitatis, eiúsque virtutibus, secundùm doctrinam Apostolicam, proficienter orneris. Est enim patiens Rom. 12. & benigna, & non æmulatur, non agit perperam, 1 Cor. 13. non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt. Vnde si charitas non quærit propria, quantum peccat, qui concupiscit aliena? A quibus, volo, vt te prorsus abstineas, memórque sis eius sententiæ, quæ dicit: *Tene quod * habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Apoc. 3. *tenes.* Nam si inconcessa quæsieris, ipse te tuo opere atque iudicio vniuersalis Ecclesiæ pace priuabis. Frater autem & Coëpiscopus noster Lucianus, & filius noster Basilius Diaconus, quantum in ipsis fuit, studiosè his, quæ eis iniunxeras, adfuere: sed actioni eorum iustitia, negauit effectum. Data vndecimo Kalendas Iunij, Herculiano Viro clarissimo Consule.

EPISTOLA LIV.

Ad Martianum Augustum, vbi de eius gratulatur fide, quæ in Calcedonensi Concilio gesta est. Et de Anatolio Constantinopolitano Episcopo, qui in eodem Concilio Alexandrinam & Antiochenam Ecclesias contra statuta per ambitum sibi voluit subiugare.

Leo Episcopus Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ, Martiano Augusto.

MAgno munere misericordiæ Dei, totius Ecclesiæ Catholicæ multiplicata sunt gaudia, CAP. I. cùm sancto & glorioso clementiæ vestræ studio perniciosissimus error extinctus est: vt labor noster citiùs ad desideratum perueniret effectum, quem Deo seruiens principatus vester, & fide & potestate iuuisset. Quia etsi in virtute Spiritus sancti, inter quaslibet dissensiones per Sedis Apostolicæ famulatum Euangelij erat defendenda libertas, manifestior tamen apparuit gratia Dei, quæ præstitit mundo, vt in victoria veritatis, authores tantùm violatæ fidei deperirent, & sua integritas Ecclesiæ redderetur. Bellum igitur, quod pacis nostræ inimicus excitauerat, adeò feliciter, dextera Domini pugnante, confectum est: vt triumphante Christo, omnium sacerdotum esset vna victoria, & coruscante lumine veritatis, solæ erroris tenebræ cum suis adsertoribus pellerentur. Nam sicut in ipsa Domini resurrectione credenda, ad corroboranda initia fidei multùm securitatis accessit, quòd quidem Apostoli de corporis Domini nostri Iesu Christi veritate dubitauere, & visu atque contactu fixuras clauorum, & vulnus lanceæ perscrutando, ambiguitatem cunctis, dum ambigunt, abstulerunt: ita nunc quoque, cùm aliquorum infidelitas confutatur omnium hæsitantium corda firmata sunt, & profecit vniuersis ad illuminationem, quod quibusdam intulit cæcitatem. In quo opere & dignè & iustè exultat vestra clementia: quæ fideliter, propriéque prospexit, vt Orientalibus Ecclesiis diabolicæ insidiæ non nocerent: sed ad propitiandum Deum efficaciora vsque offerrentur holocausta, quando per mediatorem Dei & hominum hominem Christum Iesum eadem confessio plebium, eadem sacerdotum, eadem esset & regum, gloriosissime fili, & clementissime Auguste.

His autem, propter quæ tanta facta est congre- CAP. II. gatio sacerdotum, bono & optabili fine composi-

tis,

tis, miror & doleo, quod pacem vniuersalis Ecclesiæ diuinitus reformatã, ambitionis rursus spiritus inquietet. Quamuis enim necessariè sibi frater meus Anatolius consuluisse videatur, vt ordinatorum suorum errorem deserens, in assensum Catholicæ fidei salubri correctione transieret: custodire tamen debuit, vt quod nostro beneficio noscitur consecutus, nullius prauitatis cupiditate turbaret. Nos enim vestræ fidei, & interuentionis habentes intuitum, cùm secundum suæ consecrationis authores, eius initia titubarent, benigniores circa ipsum quàm iustiores esse voluimus, quo perturbationes omnes, quæ operante diabolo fuerant excitatæ, adhibitis remediis leniremus: quæ illum modestum magis, quàm immoderatum facere debuerunt. Qui etiamsi præcipuis meritis, optimóque iudicio legitimè fuisset ac solenniter ordinatus: contra reuerentiam tamen canonum paternorum, contra sancti Spiritus instituta, contra antiquitatis exempla, nullis posset suffragiis adiuuari. Apud Christianum & verè religiosum, veréque orthodoxum Principem loquor, multum Anatolius Episcopus proprio detrahit merito, si illicito crescere optat augmento.

CAP. III. Habeat, sicut optamus, Constantinopolitana ciuitas gloriam suam, ac protegente dextera Dei diuturno clementiæ vestræ fruatur imperio. Alia tamẽ ratio est rerum sæcularium, alia diuinarum: nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit vlla constructio propria perdit, qui indebita concupiscit. Satis sit, quod prædicto vestræ pietatis auxilio, & mei fauoris assensu, Episcopatum tantæ vrbis obtinuit. Non dedignetur regiam ciuitatem, quam Apostolicam non potest facere Sedem, nec vllo speret modo, quod per aliorum possit offensiones augeri. Priuilegia enim Ecclesiarum, sanctorum Patrum canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari. In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exequendo, necesse est, me perseuerantem exhibere famulatum, quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum, quæ in Synodo Nicena, ad totius Ecclesiæ regimen Spiritu Dei instruente, sunt conditæ, me (quod absit) conniuente, violentur, & maior sit apud me vnius fratris voluntas, quàm vniuersæ domus Domini communis vtilitas. Et ideo sciens gloriosam clementiam vestram Ecclesiasticæ studere concordiæ, & his, quæ pacificæ congruunt vnitati, piissimum præstare consensum, precor, & sedula suggestione vos obsecro, vt ausus improbos, vnitati Christianæ, pacique contrarios, ab omni pietatis vestræ abdicetis assensu, & fratris mei Anatolij, nocituram ipsi (si perstiterit) cupiditatem, salubriter comprimatis: ne ea quæ vestræ gloriæ atque temporibus inimica sunt, cupiens, maior suis velit esse prioribus, liberumque illi sit, quantis potuerit splẽdere virtutibus, quarum non aliter particeps erit, nisi charitate magis voluerit ornari, quàm ambitione distendi. Hanc autem improbi desiderij conceptionem nunquam debuit intra cordis sui recipere secretum: sed cùm illi fratres & Coëpiscopi mei, qui vice mea aderant, obuiarent, ab illicito appetitu, eorum saltem salubri contradictione cessasset. Nam & vestræ pietatis apices, & ipsius scripta declarant, Legatos Sedis Apostolicæ (sicut oportuit) contradictione iustissima ei restitisse, vt inexcusabilior esset præsumptio, quæ se nec increpata cohiberet.

Matth. 16. 25 quæst. 2. Priuilegia Ecclesiarum & ibidem cap. Priuilegia Ecclesiarum.

CAP. IV.

CAP. V. Vnde quia conuenit fidei vestræ vel gloriæ, vt sicut hæresis, Deo per vos agente, destructa est: ita etiam omnis ambitus retundatur, agite quod & Christianæ est probitatis & regiæ, vt prædictus Episcopus pareat patribus, consulat paci, neque sibi æstimet licuisse, quòd Antiochenum sine vllo exẽplo, contra statuta canonum, Episcopum ordinare præsumpsit, quod amore reparandæ fidei & pacis studio retractare cessauimus. Abstineat ergo ab Ecclesiasticarum iniuria regularum, & illicitos declinet excessus, ne se ab vniuersali Ecclesia, dum inimica paci tentat, abscindat. Quem opto magis, irreprehensibiliter agentẽ diligere, quàm in hac præsumptione, quæ illum ab omnibus poterit separare, perdurare. Frater autem & Coëpiscopus meus Lucianus, qui cum filio meo Basilio Diacono clementiæ vestræ ad me scripta portauit, omni deuotione partem susceptæ legationis impleuit, qui non est æstimandus negotio defuisse, quem potius causa deseruit. Data vndecimo Calendas Iunij, Herculano viro clarissimo Consule.

EPISTOLA LV.

Ad Pulcheriam Augustam, de ambitu Anatolij.

Leo Episcopus, Pulcheriæ Augustæ.

Sanctis & Deo placitis clementiæ vestræ studiis defensam contra hæreticos Catholicam fidem, & vniuersæ Ecclesiæ redditam pacem, ineffabiliter cum vestra pietate gaudemus: gratias agentes misericordiæ omnipotentis Dei, quòd exceptis his qui magis dilexerunt tenebras, quàm lucem, neminem passus est Euangelica veritate fraudari, vt abstersa erroris caligine, in omnium cordibus purissimum lumen oriretur, nec de infirmis, quorumdam animis tenebrosus ille exultaret inimicus, quem non solùm hi, qui illæ si steterant, sed etiam quos fecerat nutare, superauerunt: vt errore abolito, por totum mundum fides vera regnaret, & omnis lingua confiteatur, quoniam Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Confirmato autem in vnitate Euangelij vniuerso mundo, & in eodem spiritu sensus directis cordibus omnium sacerdotum, optimum fuerat, supra illa, propter quæ sancta est Synodus congregata, & quæ, secundum pietatis vestræ studium, probabili sunt fine conclusa, nihil quod tanto bono contrarium esset, inferri, nec per occasionem Episcopalis Cõcilij, id in commune appeti, quod non licuit concupisci. Frater enim & Coëpiscopus meus Anatolius parum considerans, quanto pietatis vestræ beneficio, & mei fauoris assensu Constantinopolitanæ Ecclesiæ sacerdotium fuerit consequutus, non tam de adeptis gauisus, quam de immodicis appetendis supra mẽsuram sui honoris accensus est; credens huic tam intemperanti cupiditati posse prodesse, quod ei quorumdam consensuum præbuisse dicitur extorta subscriptio, cùm tam destruendis mox conatibus, contradictio fratrum, & Coëpiscoporum meorum vicem meam agentium, fideliter & laudabiliter obuiaret. Quoniam contra statuta paternorum canonum, quæ ante longissimæ ætatis annos in vrbe Nicena spiritualibus sunt fundata decretis, nihil cuique addere conceditur, ita vt si quis diuersum aliquid decernere velit, se potius minuat, quàm illa corrumpat, quæ si (vt oportet) à cunctis Pontificibus intemerata seruentur, per vniuersas Ecclesias tranquilla erit pax & firma concordia, nullæ de mensuris

CAP. I.

Ioan. 3.

Philip. 2.

CAP. II.

menſuris harum diſſenſiones, nullæ de ordinationibus lites, nullæ de priuilegiis ambiguitates, nulla erunt de aliena vſurpatione certamina: ſed ea, quæ iure charitatis rationabilis eſt, & morum & officiorum ſeruabitur vnanimitas. Et ille verè erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus, dicente
Matth. 20. Marc. 10. Domino: *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter: Et quicumque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus.* Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Et tamen hæc illis tunc inſinuabantur, qui de puſillo volebant creſcere, & de infimis ad ſumma tranſire: Conſtantinopolitanæ verò Præſuli Eccleſiæ (quia amplius, quàm aſſecutus eſt, concupiſcit) quid illi ſatisfaciet, ſi tantę vrbis magnificentia & claritudo non ſufficit; Superbum nimis eſt & immoderatū, vltra fines proprios tendere, & antiquitate calcata alienum ius velle præripere, atque vt vnius creſcat dignitas, tot Metropolitanorum impugnare primatus, quietiſſque prouinciis, & olim ſanctæ Synodi Nicenæ moderatione diſpoſitis, bellum nouæ perturbationis inferre atque vt venerabilium Patrum decreta ſoluantur, quorundam Epiſcoporum proferre conſenſum, cui tot annorum ſeries negauit effectum. Nam ſexageſimus ferè annus huius iactantiæ eſſe iactatur, qua ſe prædictus Epiſcopus æſtimat adiuuari,
CAP. III. fruſtra cupiens id ſibi prodeſſe, quod etiamſi quiſquam auſus eſt velle, nullus tamen potuit obtinere. Agnoſcat cui ſucceſſit viro, & repulſo omni ſpiritu elationis, Flauiani modeſtiam, Flauiani humilitatem, quæ illum vſque ad Confeſſoris gloriam prouexit, imitetur. Cuius ſi velit ſplendere virtutibus, laudabilis erit, & in omni loco plurimùm dilectionis acquiret, non ambiendo humana, ſed promerendo diuina. Hæc autem obſeruantia eum quoque illi animum ſpondet copulandum, & Apoſtolicæ Sedis dilectionem, quam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſemper impendimus, nulla mobilitate vio-
Epiſt. 55. landum. Quia ſi interdum immoderati Præſules aliquas incidunt culpas, Eccleſiarum tamen Chriſti integra gratia perſeuerat. Conſenſiones verò Epiſcoporum, ſanctorum canonum apud Nicenam conditorum regulis repugnantes, vnita nobiſcum veſtræ fidei pietate in irritum mittimus, & per au-
Attende authoritatem ſummi Pontificis Romani. thoritatem beati Petri Apoſtoli, generali prorſus definitione caſſamus, in omnibus Eccleſiaſticis his legibus obſequentes, quas ad pacificationem omnium ſacerdotum, per trecentos decem & octo antiſtites Spiritus ſanctus inſtituit: ita vt etiam ſi multò plures alij, quàm illi ſtatuere decernerent, in nulla reuerentia ſit habendum, quicquid fuerit à
CAP. IV. prædictorum conſtitutione diuerſum. Prolixitatem itaque epiſtolæ meæ, qua neceſſe habui explicare, quid ſentiam, rogo vt per fratrem & Coëpiſcopum meum Lucianum, qui (quantùm in ipſo eſt) ſollicitudinem ſuſceptæ legationis eſt fideliter exequutus, & per filium meum baſilium Diaconem pietas veſtra dignanter accipiat. Et quia moris veſtri eſt pro pace & vnitate Eccleſiæ laborare, fratrem meum Anatolium Epiſcopum ex veſtra inſinuatione dilectum, ſalubriter in his quæ ipſi profutura ſunt continere: vt gloria clementiæ veſtræ, ſicut magnificatur de fide reparata, ita prædicetur de ambitione compreſſa. Data vndecimo Kalendas Iunij, Herculano viro clariſſimo Conſule.

EPISTOLA LVI.

Ad Iulianum Epiſcopum Coënſem, de Etio & Andrea.

Leo Epiſcopus Romæ, Iuliano Epiſcopo Coënſi.

Agnoui in dilectionis tuæ literis fraternæ charitatis affectum: quod de multis malis, quæ multa & ſæua pertulimus, pio nobiſcum dolore compateris. Sed vtinam hæc, quæ perpeti nos Dominus aut permiſit aut voluit, ad correctionem proficiant multorum, & vt deſinant aduerſitates, finiantur offenſæ. Quod vtrumque de magna erit miſericordia Dei, ſi & flagella remoueat, & ad ſe ſuorum corda conuertat. Sicut autem fraternitatem tuam ea quæ apud nos fuit, contriſtauit hoſtilitas, ita me anxium facit, quod in Conſtantinopolitana Eccleſia (quantum tuæ indicant literæ) hæreticorum inſidiæ non quieſcunt: & quæſitis occaſionibus, hi qui Catholicæ fidei defenſores fuere, vexantur. Nam dum Etius ab officio Archidiaconatus per ſpeciem prouectionis amouetur, & in locum eius Andreas, qui ob hæreticorum ſocietatem fuerat abiectus, aſſumitur, dum beatæ memoriæ Flauiani accuſatoribus honor redditur, & piiſſimi Confeſſoris participes aut diſcipuli conteruntur, nimis apertè, quid Epiſcopo Eccleſiæ ipſius placeat, demonſtratur. In quem pro cauſæ merito differo commoueri, & quid ipſe mecum cum ſuis epiſtolis agat, quas miſſurum eum filius noſter Etius indicauit, expecto dans locum voluntariæ emendationi, qua dolorem meum cupio mitigari. Clementiſſimo tamen Principi & piiſſimæ Auguſtæ de his, quæ ad cuſtodiam pacis Eccleſiaſticæ pertinent, ſcripſi: quod deuotione ſuæ fidei prouiſuros eſſe non dubito, ne contra gloriam operis ipſorum, damnata hæreſis queat pullulare. CAP. I. An. Chriſti 455. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis 14. ſcripta fuit hæc epiſtola & ſimiliter 11. ſequentes.

Studeat ergo dilectio tua (frater chariſſime) piam & neceſſariam curam ſollicitudini Apoſtolicæ Sedis impendere, quæ tibi apud ſe nutrito, Catholicam contra Neſtorianos & Eutychianos hæreticos actionem, materno iure commendat, vt diuino fultus auxilio, ſpeculari de Conſtantinopolitanæ vrbis opportunitate non deſinas, vt prædictorum dogmatum impius nunquam turbo conſurgat. Et quia tanta eſt glorioſorum Principum clementia, vt confidenter eis poſſis, quæ ſunt inſinuanda, ſuggerere, pietate ipſorum, ad vtilitatem Eccleſiæ vniuerſalis vtaris. Conſulente autem dilectione tua de his, in quibus putaueris ambigendum, non deerit relationibus tuis meæ reſponſionis inſtructio. vt ſequeſtrata eorum actione, cauſæ quæ in quibuſcunque Eccleſiis præſulum ſuorum debent cognitione firmari, hac ſpeciali cura, vice mea functus vtaris, ne hæreſis Neſtoriana, vel Eutychiana in aliqua parte reuireſcat: quia in Epiſcopo Conſtantinopolitano Catholicus vigor non eſt, nec multum aut pro ſacramento ſalutis humanæ, aut pro ſua eſt æſtimatione ſollicitus, cùm quid illi ineſſet ſpiritualis induſtriæ, ita & à quibus ordinatus ſit, & cui viro ſucceſſerit, cogitare, deberet, vt magis beatum Flauianum, quàm ſui honoris ſequeretur authores Et ideo cùm piiſſimi Principes ſecundum obſecrationes meas dignitati fuerint fratrem Anatolium de his, quæ meritò in querelam veniunt, increpare, videat charitas tua diligentia ſua, vt vniuerſa ſcandala, adhibita pleniſſima correctione, reſecentur, & à filij noſtri Etij ceſſet iniuriis. CAP. II.

Nam apud Catholicum Episcopum, etiamsi erat vtcunque decus sacerdotale, sacerdoti Archidiaconus propter fidei reuerentiam debuit præmitti potiùs quàm locum Catholici nequissimus hæreticus obtineret. Cùm itaque quæ sequantur, agnouero, tunc manifestius, quid agi oporteat, æstimabo. Nam interim, dolore cohibito, malui indulgere

CAP. III. patientiæ, vt locus esset veniæ. De Palæstinis verò monachis, qui iampridem in tumultu dissensionis esse dicuntur, quo adhuc animo moueantur ignoro. Neque cuiusquam sermone mihi patefactum est, quas causas videantur antefactæ præferre discordiæ, vtrum scilicet Eutychianæ peruersitati tali furore famulentur, an implacabiliter doleant Episcopum suum in hanc impietatem posse traduci, quæ contra ipsorum locorum sanctorum testimonia, quibus totus mundus instruitur, ab Incarnationis Dominicæ veritate desciuerit, & quod in aliis per indulgentiam curare placuit, in illo putent non esse veniale. Vnde cupio me super his plenius edoceri, vt etiam talium correctioni congruè studeatur: quia aliud est contra fidem impiè amari, aliud in errorem quempiam detineri. Chartas etiam, quas Aëtius presbyter ante indicauit esse directas, & Breuiarium fidei, quod te misisse significas, necdum ad me noueris peruenisse. Vnde, si expeditior occasio se præbuerit per latores, libenter habeo, vt si qua est, quæ vtilis videatur, quam primùm ad me mittatur instructio. De Ægyptiis monachis quàm quieti, aut cuius sint fidei, scire desidero, & de Alexandrinæ Ecclesiæ pace quid ad vos veris nunciis perferatur, ad cuius Episcopum, vel ordinatores

al. às. ipsius, seu clericos, quod * alia scripta direxerim, missis exemplaribus scire te volui. Ad clementissimum quoque Principem, & ad religiosissimam Augustam quis nunc meus sermo sit, missa exemplaria docebunt. Verum autem epistola mea, quam de Incarnationis Dominicæ fide, incolumi adhuc sanctæ memoriæ Flauiano, ad dilectionem tuam per Basilium Diaconem miseram, fraternitati tuæ tradita sit, scire desidero: quoniam suspectum habeo, quod de eius textu nullum vnquam iudicium reddidisti gestorum synodalium, quæ omnibus diebus Concilij in Calcedonensi ciuitate confecta sunt, parum clara propter linguæ diuersitatem, apud nos habetur instructio. Et ideo fraternitati tuæ specialiter iniungo, vt in vnum codicem vniuersa facias congregari, in Latinum sermonem absolutissima interpretatione translata, vt in nulla parte actionum dubitare possimus, neque vllo modo esse possit ambiguum, quod ad plenam intelligentiam, te fuerit studente perductum. Data quinto Idus Martij, Opilione viro clarissimo Consule.

EPISTOLA LVII.

Ad Marcianum Augustum, de Etio & Andrea.

Leo Episcopus, Martiano Augusto.

QVam excellenti pietate, & quàm glorioso clementiæ vestræ studio in integrum nuper fides Christiana reuocata sit, totus mundus agnoscit, & saluti suæ singulare præsidium per vos à Domino esse reparatum. At si quid aduersum tanti operis consummationem de contrario spiritu sentitur oboriri, necesse est, vt ad vestræ renocetur pietatis auxilium, quod ad custodiam Catholicæ veritatis diuina prouidentia præparauit, vt cùm potestatis vestræ sit, scandala etiam longinquum nata resecare, multò magis ea quæ sub vestris audient oculis surgere, non sinatis accrescere. Anatolij Episcopi ordinationem (sicut scientia Dei testis est) suspectam (quod ferendum est) mihi fecerant consecrationis eius authores, nec dissimilem ab eligentibus arbitrabar electum, sequutúmque est, vt dum communione Apostolicæ Sedis existeret alienus, diu dandis ad eum epistolis pacis me abstinerem. Sed cùm illi pietatis vestræ testimonium suffragaretur, cùm de fide atque vnanimitate eius optanda quæque & placitura promitteret, professionem eius ita credidi esse synceram, vt tamen, qua obseruantia se agere deberet, non desinerem commonere, sedulò ipsi ac diligenter inculcans, vt de persequutoribus beatæ memoriæ Flauiani neminem auderet in suo habere consortio, & Eutychianæ hæreseos defensorem à se indicaret esse deiectum. Sequutúmque est, vt de his, quæ pro Catholica fide in Synodali Concilio fuerant definita, talia ad me scripserit, qualia Catholicum Sacerdotem scribere congruebat. Cùm ergo ad commendanda ipsius primordia ista præcesserint, quid causæ aut occasionis emerserit, vt virum Catholicæ fidei, & Nestorianis atque Eutychianis hæreticis constanter etiam aduersum Archidiaconem sub honoris specie degradaret; & dispensationum totius causæ & curæ Ecclesiasticæ in Andream Eutychianistam repente transferret, adeò nimia commotione turbatus, vt consecrationem, quam pro iniuria dabat, sexta sabbati traditionis Apostolicæ aut nescius aut oblitus inferret: quasi non ad Episcopum magis, quàm ad Presbyterum ordinationis illius vitium pertineret, qui non inueniens, quod argueret in fide, quod improbaret in moribus, deiectionem innocentis per speciem prouectionis impleuit, addens sententiæ illud iniuriæ, vt eum, cœmeterio deputando, condemnaret exilio. Quem tamen pietati vestræ commendare præsumo, ne vllis vlterius noxiis ingrauari possit insidiis, quem Dominus (vt comperi) sub vestra defensione constituit. Adiicio autem etiam hanc obsecrationem, vt prædictum Episcopum à professione sua dissonum, & nimium testimonij vestri ac fauoris oblitum, necessariè increpare dignemini. Cesset Catholicos insectari, cesset eos, qui sanctæ memoriæ Flauiano placuere, conterere, & eorum societatem, quos improbauit, eligere. Fraternam enim illi charitatem non aliter poterimus impendere, quàm vt se ab inimicis Catholicæ fidei approbet execrari, eorumque à se consortium atque commercium abscindat: Qui etiamsi magna fuisset satisfactione purgatus, post dubium tamen reuersus errorem, Catholicis Diaconibus postponi debuit, non proponi. Illud quoque clementiæ vestræ beneuolentiam peto, vt veneratorem vestrum fratrem meum Iulianum Episcopum, in vestro, sicut facere dignamini, habeatis affectu: cuius obsequiis præsentiæ meæ vobis imago reddatur. Nam & de fidei eius synceritate confidens, vicem ipsi meam, contra temporis nostri hæreticos, delegaui: atque propter Ecclesiarum pacisque custodiam, vt à comitatu vestro non abesset, exegi: cuius suggestiones, pro concordia Catholicæ vnitatis, tanquam meas audire dignemini, placentes Deo, qui vobis præter regiam coronam, etiam sacerdotalem conferat palmam. Data * sexto Idus Martij, Opilione viro clarissimo Consule. quinto.

EPISTOLA LVIII.

Ad Pulcheriam Augustam, de Etio & Andrea.

Leo Episcopus, Pulcheriæ Augustæ.

MVltis extantibus documentis, quibus in dilectionem Ecclesiæ Dei pietatis vestræ manifestatur affectio, meritò quoties aliquid nascitur scandalorum, vestrum desideratur auxilium: vt fides, quæ annitentibus vobis, contra hæreticorum commenta defensa est, securæ pacis perpetem obtineat firmitatem. Nam quid prodest, foris aduersarios veritatis oppressos, si eosdem habeamus intra Dominica septa rediuiuos; Quod itaque circa personam filij mei Etij gestum esse cognoui, nimium me anxium facit, & metuere certa ratione compellit, ne pœnitendum mihi sit, quod de Episcopo Cõstantinopolitano, qui ab impugnatoribus fuerat ordinatus fidei, vobis adorantibus, acquieui meliora sentire, cùm tanto pietatis vestræ testimonio iuuaretur, ne illum grauaret suæ ordinationis infirmitas, vbi vestra interuentio præstaretur. Vnde gratulari cœperam, quod beati Flauiani honoraret memoriam, & hæreticorum conatibus obsistere diceretur. Sed doleo, illum (sicut prædicti lachrymabilis querela demonstrat) in deteriora mutatum, & eum nunc constituisse Archidiaconem, quem ipse professus est à se esse reiectum, qui Eutychianæ hæreseos se apud nos prodiderat defensorem. Quem quia nunc Ecclesiasticis negotiis præposuit[c] propter hæreticam peruersitatem, eidem fauorem suum præstare conuincitur. Qui etiamsi magna satisfactione potuisset indulgentiam promereri, nequaquam debuit his, qui in fide permanserant, anteferri. Vnde quia non latet clementiam vestram, quantum periculi, aut per pudendam socordiam, aut per dolosam nequitiam nutriatur, dignamini Episcopum ad professionem suæ fidei, authoritate vestræ clementiæ reuocare. Et ne sibi has maculas superducat, ne æstimationem suam, quam vestro acquisiuit fauore, contemnat, societatem hæretici, quem dudum à se remouit, abscindat. Cuius innocentiæ vos ita adfuisse gaudeo, vt mœrori eius digna consolatione vestra pietas subueniret. Circa fratrem meum, veneratorem vestrum Iulianum Episcopum, quantum debeat crescere vestra dignatio, Apostolicæ Sedis existimate iudicio: cùm in causa fidei, cui gloria vestra famulatur, vicem ipsi meam eatenus delegarant, vt ab ea, quæ vobis debetur obseruantia, non recedens, pietati me vestræ præsentare non desinat, exequens in custodia fidei, & in Ecclesiasticis disciplinis per omnia sollicitudinem, & opportunis suggestionibus, quod vniuersali Ecclesiæ prosit, insinuans, vt in ipso, nec Catholicis vestrum præsidium, quibus volumus subuenire, nec vobis meum desit obsequium. Data sexto Idus Martij, Opilione viro clarissimo Consule.

EPISTOLA LIX.

Ad Martianum Augustum, vbi gratias agit, quod per Chalcedonense Concilium pax Ecclesiæ Catholicæ sit reddita.

Leo Episcopus, Martiano Augusto.

MVlta mihi in omnibus clementiæ vestræ literis causa gaudij est, dum ex magna diuinæ prouidentiæ misericordia præstitutum humanis rebus experior, quod Ecclesiasticam pacem (quæ non nisi vnitate prædicationis Euangelicæ custoditur) piissimo studio iuuare dignamini: vt fidei vestræ gloria non solùm vtilitate Reipublicæ, sed etiam Religionis profectibus augeatur, gloriosissime Imperator. Vnde ineffabiliter Deo gratias ago, qui eo tempore, quo oboritura hæreticorum scandala præsciebat, vos in Imperij fastigio collocauit: in quibus ad totius mundi salutem, & regia potentia, & sacerdotalis vigeret industria. Nam cùm vestro præcipuè opere sit effectum, vt per Synodale Concilium damnatis impij dogmatis defensoribus, omnes vires sacrilegus error amittet: ad eiusdem deuotionis pertinet palmam, si malum, quod in suis ducibus est oppressum, etiam in quibuscumque reliquiis deleatur. Quod faciliùs clementia vestra arbitretur implendum, si per vniuersas Ecclesias definitiones sanctæ Synodi Chalcedonensis, Apostolicæ Sedi placuisse doceantur. De quo quidem ratio non fuit ambigendi, cùm ei fidei omnium subscribendo consensus accesserit, quæ ad me secundum formam Apostolicæ doctrinæ, ac paternæ traditionis emissa est, & per fratrem meum Lucianum Episcopum talia, & ad gloriam vestram, & ad Constantinopolitanum antistitem scripta direxerim, quæ euidenter ostenderent, me ea quæ de fide Catholica in prædicta Synodo definita fuerant, approbare. Sed quia in eisdem litteris ea, quæ per occasionem Synodi male sunt attentata, reprehenderam, maluit prædictus antistes meam gratulationem tacere, quàm suum ambitum publicare. Mihi autem multum fiduciæ, Deo per vos operante, collatum est, quod probasse vos obseruantiam meam de custodia canonum paternorum, pietatis vestræ affatibus indicastis. Et meritò geminatur gaudium meum, cùm vobis religiosissimè placere cognosco, vt & fides Nicena suam teneat firmitatem, & priuilegia Ecclesiarum illibata permaneant. Quamuis autem de præclaro fidei vestræ opere nihil vestra pietas indicarit, mihi tamen per veneratorem vna mecum specialiter vestrum, fratrem meum Iulianum Episcopum innotuisse significo, quàm pio dignati fueritis responso, imperitorum monachorum animos cohibere pariter & docere, vt si illos non penitus deseruit diuina misericordia, sentiant se & didicisse quod credant, & agnouisse quod timeant. Quia verò omnibus modis obediendum est pietati vestræ, religiosissimæque voluntati constitutionibus Synodalibus, quæ mihi de confirmatione fidei Catholicæ, & hæreticorum damnatione placuerunt libens adieci sententiam meam. Quæ vt in notitiam omnium sacerdotum, Ecclesiarúmque perueniat, vestræ clementiæ præceptio ordinare dignabitur, adfuturam credo & spero gratiam Dei, quæ tam sanctam tanti Principis curam, plenissimum desiderij sui fructum faciat obtinere: vt omnibus

 dissentiendi

dissentiendi occasionibus amputatis, Apostolicæ vbique doctrinæ & pax regnet & veritatis. Fratri autem meo Iuliano Episcopo, nouerit vestra clementia, hoc me propriè delegasse, vt quicquid illic ad custodiam fidei pertinere probauerit, meo nomine vestræ fiducialiter suggerat pietati: quoniam certus sum, vos ad hæc omnia emendanda, vel defendenda, Deo auxiliante, sufficere. Data duodecimo Kalendas Aprilis, Opilione viro clarissimo Consule.

EPISTOLA LX.

Ad Pulcheriam Augustam.

Leo Episcopus, Pulcheriæ Augustæ.

QVamuis nullas nunc litteras tuæ pietatis acceperim scribente tamen gloriosissimo Principe, non aliter dignatione ipsius sum gauisus, quā si mihi etiam tuæ serenitatis redderentur alloquia. Vnde consuetudinem debitam mei officij oportuit me custodire, per quam significatem clementiæ vestræ, absolutè me gaudere, & incessabilibus à Deo precibus postulare: vt vos, & Romanæ Reipublicæ, & Catholicæ Ecclesiæ in omni prosperitate conseruet. De vigore autem fidei vestræ, quo indesinenter Domino sacrificium laudis offertis, quantas Deo gratias agam, enarrare non valeo: quoniam Principibus temporis nostri non solùm potentiam regiam, sed etiam sacerdotalem cognoscimus inesse doctrinam. Indicante enim fratre meo Iuliano Episcopo, peruenerunt ad nos in exemplaribus præceptionum vestrarum saluberrimæ sanctiones, quibus insanam imperitiam monachorum dignati estis parcendo plectere, & docendo punire: vt si eos ad pœnitentiam miseratio diuina conuerterit, multis lachrymis, & à nefandis cædibus, & ab hæreticorum blasphemiis diluantur. Quòd verò piissimus Imparator ad omnes Episcopos, qui Calcedonensi Synodo interfuere, voluit me scripta dirigere, quibus, quæ illic de fidei sunt regula definita, firmarem, libenter impleui, ne fallax cuiusquam simulatio sententiam meam vellet haberi incertam, cùm per Constantinopolitanum Episcopum, cui lætitiam meam largiter indicaui, in omnium potuerit notitiam peruenire, quod scripseram, nisi maluisset meum gaudium tacere, quàm repulsam sui ambitus publicare. Fratri & Coëpiscopo meo Iuliano, cui sollicitudinem meam in causa fidei delegaui, rogo vt eam fiduciam præbere dignemini, qua pietati vestræ possit, quæ vniuersali Ecclesiæ sint profutura, suggerere. Data duodecimo Kalendas Aprilis, Opilione viro clarissimo Consule.

EPISTOLA LXI.

Ad Iuuenalem Hierosolymitanum, & cæteros Episcopos, qui in sancta Synodo Chalcedonensi congregati fuerunt directa.

Leo Episcopus, sanctæ Synodo apud Chalcedonem habitæ.

OMnem quidem fraternitatem vestram nosse non ambigo, definitionem sanctæ Synodi, quæ ob confirmationem fidei in Chalcedonensi celebrata est, toto corde me fuisse complexum: quia nulla sinebat ratio, vt qui vnitatem Catholicæ fidei dolebam ab hæreticis fuisse turbatam, non exultantet in integrum rediisse gauderem. Hoc autem non solùm ab ipso beatissimæ consensionis effectu, sed etiam ex Epistolis meis, quas post reditum meorum ad Constantinopolitanæ vrbis antistitem dedi, potuissetis agnoscere, si vobis responsionem Sedis Apostolicæ manifestare voluisset. Ne ergo per malignos interpretes dubitabile videatur, vtrum quæ in Synodo Chalcedonensi per vnanimitatem vestram de fide statuta sunt approbem, hæc ad omnes fratres, & Coëpiscopos nostros, qui prædicto Concilio interfuerunt, scripta direxi, quæ gloriosissimus & clementissimus Princeps (sicut poposcit) in notitiam vestram mittere pro Catholicæ fidei amore dignabitur, vt & fraterna vniuersitas, & omnium fidelium corda cognoscant, me non solùm per fratres, qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum Synodalium propriam vobiscum iniisse sententiam, in sola videlicet fidei causa (quod sæpe dicendum est:) propter quam generale Concilium, & ex præcepto Christianorum Principum, & ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congregari: damnatis hæreticis, qui si corrigi voluissent, nulla penitus resideret de vera Domini nostri Iesu Christi Incarnatione dubitatio. Vnde si quis vnquam ausus fuerit, vel Nestorij perfidiam tueri, vel Eutychetis ac Dioscori impium dogma defendere, à Catholicorum communione resecetur, nec habeat eius Corporis participationem, cuius abnegat veritatem. De custodiendis quoque sanctorum patrum statutis, quæ in Synodo Nicena inuiolabilibus sunt fixa decretis, obseruantiam vestræ sanctitatis admoneo, vt iura Ecclesiarum, sicut ab illis CCC. XVIII. Patribus diuinitùs inspirata sunt, ordinata permaneant: Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem, suum aliquis quærat augmentum. Quantumlibet enim * exoticis assentationibus sese instruat vanitatis elatio, & appetitus suos Conciliorum æstimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit, quicquid à prædictorum Patrum canonibus discreparit. Quorum regulis Apostolica Sedes quàm reuerenter vtatur, scriptorum meorum, quibus Constantinopolitani antistitis conatus repuli, poterit sanctitas vestra è lectione cognoscere, me auxiliante Domino, & Catholicæ fidei, & paternarum traditionum esse custodem. Data duodecimo Kalendas Aprilis, Opilione viro clarissimo Consule.

EPISTOLA XLII.

Ad Maximum Antiochenum Episcopum.

Leo Catholicæ Ecclesiæ Episcopus, Maximo charissimo fratri Episcopo Antiocheno.

QVentum dilectioni tuæ placeat communis fidei sacratissima vnitas, & pacis Ecclesiasticæ tranquilla concordia, litterarū tuarum textus ostendit, quas ad nos filij nostri Martianus Presbyter, & Olympius Diaconus detulere: eò nobis gratiores, quòd per ipsas alloquia alterna miscemus, & magis magisque innotesceret gratia Dei, qua fit, vt per totum CAP. I.

tum mundum de manifeſto Catholicæ veritatis lumine gaudeatur. Quamuis (quod multum dolemus) quidam adhuc) ſicut ſermo indicat nunciorum) tenebras ſuas diligant, & cum vbique diei ſplendor exortus ſit, etiam nunc cæcitatis ſuæ delectentur obſcuro, & perdita fide, ſolo & vacuo remanſerint nomine Chriſtiani: non habentes intelligentiā qua errorem ab errore diſcernant, & blaſphemiam Neſtorij ab Eutychetis impietate diſtinguant. Nec enim ideo excuſabilis videri aliqua eorum falſitas poteſt, quia ipſi ſunt in ſua peruerſitate contrarij. Nam cum Neſtorium Eutychetis diſcipuli deteſtentur, & Eutychen anathematizent Neſtorij ſectatores, Catholicorum iudicio pars vtraque damnatur, & ambæ ſimul hæreſes à corpore Eccleſiæ reſecantur: quia neutra falſitas nobiſcum poteſt habere concordiam. Nec intereſt, quo ſacrilegio ab Incarnationis Dominicæ veritate diſcordent, dum id quod prauiſſimè ſentiunt, nec authoritas Euangelij, nec ratio recipiat ſacramenti.

CAP. II.

Et ideo, frater chariſſime, oportet dilectionem tuam toto corde perſpicere, cuius Eccleſiæ gubernaculis te Dominus voluerit præſidere, & eius meminiſſe doctrinæ, quam præcipuus Apoſtolorum omnium beatiſſimus Petrus, per totum mundum quidem vniformi prædicatione, ſed ſpeciali magiſterio in Antiochena, & Romana vrbe fundauit: vt illum in ſuæ glorificationis domicilio præeminentem ea intelligas repoſcere inſtituta, quæ tradidit, quæ ſicut ab ipſa, quam confeſſus eſt, veritate ſuſcepit. Neque vllo modo ſinas in Orientalibus Eccleſiis, maximéque in his, quas Antiochenæ ſedi ſacratiſſimorum Patrum Niceni canones deputauere, ab improbis hæreticis Euangelio inſultari, & vel Neſtorij, vel Eutychetis à quoquam dogma defendi. Quoniam ſicut dixi Catholicæ fidei petra (cuius cognomen beatus Apoſtolus Petrus ſumpſit à Domino) nullum recipit ab vtraque impietate veſtigium: ſed euidenter atque perſpicuè & Neſtorium anathematizat, qui verbi carniſque naturam in beatæ virginis coniunctione ſeiungens, vnumque Chriſtum in duos diuidens, aliam Deitatis, & aliam humanitatis voluit eſſe perſonam: cum omnino vnus idémque ſit, qui & ſecundum ſempiternā Deitatem de patre eſt natus ſine tempore, & de matre natus in tempore. Et Eutychen ſimiliter execratur, qui in Domino Ieſu Chriſto veritatem humanæ carnis euacuans, ipſum Verbum in carnem aſſerit transformatum, vt naſci, nutriri, proficere, pati, mori atque ſepeliri, & die tertio

CAP. III.

ſuſcitari, ſolius fuerit Deitatis, quæ ſeruilis formæ non veritatem ſuſceperit, ſed figuram. Summa itaque vigilantia cautum te eſſe conuenit, ne quid ſibi hæretica prauitas audeat vindicare: cùm te deceat his ſacerdotali authoritate reſiſtere, nóſque ſæpius de profectu Eccleſiarum tuis relationibus, quid agatur, inſtruere. Dignum eſt enim, te Apoſtolicæ Sedis in hac ſollicitudine conſortem, & ad augendam fiduciam priuilegia tertiæ ſedis agnoſcere, vt in nullo cuiuſquam ambitione minuantur: quia tanta apud me eſt Nicenorum canonum reuerentia, vt ea quæ ſunt à ſanctis Patribus conſtituta, nec permiſerim nec patiar aliqua nouitate violari. Etſi enim diuerſa nonnunquam ſunt merita Præſulum, tamen iura permanent ſedium: quibus etſi poſſunt æmuli perturbationem aliquam forraſſis inferre, non tamen poſſunt minuere dignitatem. Vnde cùm aliquid pro Antiochenæ Eccleſiæ priuilegiis dilectio tua agendum eſſe crediderit, propriis litteris ſtudeat explicare? vt & nos coſultationi tuæ abſolutè & congruè reſpondere poſſimus. Nunc autem ad omnia generaliter pronunciare ſufficiat, quod quid à quoquam contra Nicenorum canonum ſtatuta in quacunque Synodo, vel tentatum eſt, vel ad tempus videtur exortum: nihil præiudicij poteſt inuiolabilibus inferre decretis. Et facilius erit quarumlibet conſenſionum pactum diſſolui, quam prædictorum canonum regulas ex vlla parte corrumpi. Subrependi enim occaſiones non prætermittit ambitio, & quoties ob incurrentes cauſas generalis congregatio facta fuerit ſacerdotum: difficile eſt, vt cupiditas improborum nō aliquid ſupra menſuram ſuam moliatur appetere. Sicut etiam in Epheſina Synodo, quæ impium Neſtorium cum dogmate ſuo perculit, Iuuenalis Epiſcopus ad obtinendum Palæſtinæ prouinciæ principatum credidit ſe poſſe ſufficere, & inſolentes auſus per commentitia ſcripta firmare. Quod ſanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus meritò perhorreſcens, ſcriptis ſuis mihi, quid prædicta cupiditas cauſa ſit indicauit: & ſollicita prece multum popoſcit, vt nulla illicitis conatibus præberetur aſſenſio. Nam cuius Epiſtolæ ad nos exemplaria direxiſti ſanctæ memoriæ Cyrilli, eam in noſtro ſcrinio requiſitam, nos authenticam noueris reperiſſe. Hoc tamen proprium diffinitionis meæ eſt, vt quantumlibet numerus ſacerdotum amplior aliquid per quorumdam ſurreptionē decernat, quod illis trecentorum decem, & octo Patrum conſtitutionibus inueniatur aduerſum, id iuſtitiæ conſideratione ceſſetur: quoniam vniuerſæ pacis tranquillitas non aliter poterit cuſtodiri, niſi ſua canonibus reuerentia intemerata ſeruetur. Si qui ſanè ab his fratribus, quos ad Sanctam Synodum vice miſi, præter id, quod ad cauſam fidei pertinebat, geſtum eſſe perhibetur, nullius erit penitus firmitatis: quia ad hoc tantum ab Apoſtolica Sede ſunt directi, vt excuſſis hæreſibus, Catholicæ eſſent fidei defenſores. Quicquid enim præter ſpeciales cauſas Synodalium Conciliorum ad examen Epiſcopale defertur, poteſt aliquam diiudicandi habere rationem: ſi nihil de eo eſt à ſanctis Patribus apud Nicæam definitum. Nam quod ab illorum regulis, couſtitutionéque diſcordat, Apoſtolicæ Sedis nunquam obtinebit conſenſum. Quanta verò hoc diligentia cuſtodiatur à nobis, exemplaribus eius Epiſtolæ, quàm ad Conſtantinopolitanum Epiſcopum, refrænantes ipſius cupiditatem, direximus, inſtrueris: quam in omnium fratrum & ſacerdorum noſtrorum facias notitiam peruenire vt nouerint pacem Eccleſiaſticam, per concordiam Deo placitam, debere ſaruari. Illud quoque dilectionem tuam conuenit præcauere, vt præter eos, qui ſunt Domini ſacerdotes, nullus ſibi ius docendi & prædicandi audeat vindicare: ſiue ſit ille Monachus, ſiue ſit laicus qui alicuius ſcientiæ nomini glorietur. Qui etſi optandum eſt, vt omnes Eccleſiæ filij, quæ recta & ſana ſunt, ſapiant, non tamen permittendum eſt, vt quiſquam extra ſacerdotalem ordinem conſtitutus, gradum ſibi prædicatoris aſſumat, cùm in Eccleſiā Dei omnia ordinata eſſe conueniat vt in vno Chriſti corpore & excellentiora membra ſuum officium impleant, & inferiora ſuperioribus non reſultent. Data tertio Idus Iunij, Opilione viro clariſſimo Conſule.

CAP. IV.

D. Cyrillus & Leo contemporant.

CAP. V.

CAP. IV. Concionādi munus ſolis ſacerdotibus permittendum.

EPISTOLA LXIII.

Ad Theodoricum Episcopum Cyri, post Chalcedonense Concilium, de fidei perseuerantia.

Dilectissimo fratri Theodorico Episcopo, Leo Episcopus.

CAP. I. Remeantibus ad nos fratribus, consacerdotibus nostris, quos ad sanctum Concilium Sedes beati Petri direxit, agnouimus dilectionem tuam superno adiutorio nobiscum, tam Nestorianæ impietatis, quam Eutychianæ vesaniæ, extitisse victricem. Vnde gloriamur in Domino cum Propheta canentes: *Adiutorium nostrum in nomine Domini qui fecit cœlum & terram*, qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum substinere permisit: sed quæ nostro prius ministerio definierat, vniuersæ fraternitatis irretractabili firmauit assensu, vt verè à se prodiisse ostenderet, quod prius à prima omnium Sede formatum, totius Christiani orbis iudicium recepisset: vt in hoc quoque capiti membra concordent, in quo amplius nobis accrescit gaudendi materia, dum & tantò magis se pertulit inimicus, quanto contra Christi ministros sæuius insurrexit. Nam de aliarum sedium ad eam, quam cæteris omnium Dominus statuit præsidere, consensus assentationis videretur, aut alia quælibet subrepere posset aduersa suspicio, inuenti prius sunt, qui de iudiciis nostris ambigerent. Et dum nonnulli, dissensionum incitati authore, ad contradictionis bella prosiliunt, ad maius bonum, malum eius, authore totius bonitatis dispensante, peruentum est. Dulciùs siquidem munera gratiæ diuinæ proueniunt, quoties non sine magnis sudoribus acquiruntur. Et minus bonum videri solet, pax continuata per otium quàm reddita post laborem. Ipsa quoque veritas & clarius renitescit, & fortius retinetur dum quæ fides prius docuerat, hæc postea examinatio confirmaret. Multum denique sacerdotalis officij meritum splendescit, vbi sic summorum seruatur authoritas, vt in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. Et ad maiorem Dei gloriam proficit finis examinis, quanto ad hoc se accipit exerendi fiducia, vt vincatur aduersitas, ne quod per se probatur reprobum, silentij præiudicio videatur oppressum.

(marginal: Psal. 123.)

CAP. II. Exulta igitur, charissime frater, & in vnico Dei filio victor exulta. Vicit per nos ille, cuius carnis veritas negabatur: vicit per nos & pro nobis ille, cui viuimus: per quem secunda est post aduentum Domini hæc orbi festiuitas. Redditum sæculo est, prædone prostrato, Incarnationis diuinæ mysterium quod humani generis inimicus quia rebus ipsis auferre non poterat; calumniis obscurabat. Quinimo ab incredulorum corde perierat immortale mysterium, quia nihil prodest tanta salus incredulis; ipsa veritate suis dicente discipulis: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui autem non crediderit condemnabitur.* Solis iustitiæ iubar, densis per Orientem Nestorij & Eutychetis nebulis impeditum, purè ab Occidente resplenduit, vbi commercium in Apostolis & Doctoribus principaliter collocauit: quamuis nec illinc vnquam defuisse credendus sit, quo confessores sibi egregios reseruauit, ita vt dum denuo conaretur hostis antiqui per secundi Pharaonis impœnitens cor, fidei Abrahæ semen & filios repromissionis extinguere, Deo miserante languescens, nisi sibi nocere, nihil posset. De quo & illud omnipotens mirabiliùs egit, quia & quos sibi socios ad Israëlitici populi cædes asciuerat, non cum tyrannidis authore submersit, sed cum suo populo congregauit. Et sicut reuera se dignum, & soli sibi possibile fons misericordiæ nouerat, victos à nobis, nobiscum fecit esse victuros. Nam dum solus verè sit humani generis hostis spiritus falsitatis, omnes de illo iam triumphare non dubium est, quos sibi veritas vindicauit. Nunc prorsus illa redemptoris nostri dicta, quam sint diuinæ authoritatis, apparet: dum contra hostes fidei sic aptantur, vt de ipsis dubitare dictum non liceat: *Vos*, inquit, *ex parte diabolo estis, & desideria patris vestri vultis implere. Ille homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit, quia veritas in eo non est. Quando loquitur mendacium, ex suis propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius.* Ioan. 8.

(marginal: Marc. 16.)

CAP. III. Nihil ergo mirandum est, quod hi, qui in veritate Dei nostræ naturæ mendacium crediderunt, patri suo & circa ista concordant, quicquid visum, quicquid, auditum, quicquid denique (teste Euangelio) tactum est atque palpatum, in vnico Dei filio, non eius comprobatum esse, asserentes, sed coæternæ & coëssentialis patri fuisse substantiæ, quasi aut diuinitatis natura, crucis ligno transfixa sit, aut inconuertibilis crescere per ætates, & in sapientia proficere sapientia sempiterna, vel Spiritu Dei, qui Spiritus est, subinde repleri potuerit. In hoc quoque se acerba vesania, ex quo authore processerit, prodit, quod quantum in se est, vniuersis nocere molita est. Nam qui nos persequendo afflixit, cæteros ad consensum sceleris impellendo deprauauit. Sed nec nos, licèt in singulis fratribus (quia membra nostra sunt) vulnerasset, à speciali dolore fecit exceptos: quibus noua & inaudita atque incredibili audacia inferre contra suum caput est molitus iniuriam. Sed vtinam vel post tot pessima resipiscens, non nos etiam de suo æternæ damnationis interitu contristaret. Quam mensuram sceleris prætermisit, cui nec hoc sufficere potuit, quod nec viuis parcendo, nec mortuis etiam in sanguine innocentis & Catholici sacerdotis, pollutas iampridem, abdicata veritate, atque approbata falsitate, manus intinxit? Et cùm scriptum sit: *Qui odit fratrem suum, homicida est*, ille quod odio iam fecisse dictus est, impleuit operibus, quasi nec audisset illud, quod Dominus ait: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue est.* Dignus diabolici prædicator erroris, Ægyptius vastator inuentus est: quia tanquam sæuissimus tyrannus, Ecclesiæ nefandas blasphemias per violentam seditiosorum turbam, & per cruentas manus militum venerandis fratribus imponebat. Et cùm voce redemptoris nostri firmatum sit, vnum eundémque homicidij esse & falsitatis authorem, ille pariter vtrumque compleuit: quasi vt caueantur, sed vt perpetrentur, scripta sint, ad perditionis suæ cumulum trahens, quæ Dei filius monuit ad salutem. Illud quoque surda nimis aure præteriens, quod ab eodem Domino dictum est, *Ego quod vidi apud patrem meum, loquor, & vos quod vidistis apud patrem vestrum, facitis.*

(marginal: 1. Ioan. 3.; Mich. 12.; Ioan. 8.; Ibidem.)

CAP. IV. Igitur dum sanctæ memoriæ Flauiano vitam præsentis sæculi molitur auferre, se veræ vitæ luce priuauit. Dum vos ab Ecclesiis vestris conaretur expellere, se à Christianorum collegio segregauit. Dum trahit plurimos, & impellit ad erroris assensum, multiplici animam suam vulnere sauciauit: solus vltra omnes & per omnes, ac pro omnibus reus, qui causa reatus omnibus fuit.

Sed licet his tua fraternitas:solido cibo firmata, indigere minimè videatur:tamen vt quod nostri loci est,impleamus circa vocem dicentis Apostoli : *Praeter ea,quæ extrinsecus sunt,instantia mea quotidiana,sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur , & ego non vror.* hoc præcipuè præsenti occasione credimus admonendum,frater charissime, vt quotiescunque diuina gratia administrante, illos,qui foris sunt,fonte doctrinæ,aut submergimus,aut purgamus, in nullo ab illis , quas Spiritus sancti diuinitas in Calcedonensi concilio protulit,fidei regulis recedentes,inter vtrumque hostem, nouellæ perfidiæ sermonem nostrum cum omni cautela libremus : non iam (quod absit)tanquam de dubiis disceptantes , sed authoritate sua,quæ bene definita sunt, adstruentes : cùm & in Apostolicæ Sedis epistola , vniuersalis sanctæ Synodi assensu firmata,tanta diuinæ authoritatis testimonia nouerimus esse congesta : vt nullus queat vlterius dubitare, nisi qui sibimetipsi errorum tenebras inferre maluerit:cùm Synodalia gesta,vel quibus primùm definitio fidei legitur esse formata , vel quibus præfatæ literæ Apostolicæ Sedis,etiam tuæ fraternitatis studio defensæ sunt,& maximè ad piissimos Principes totius Concilij alloquutio , tot sit præcedentium Patrum testimoniis roborata : vt quamuis imprudenti ac pertinaci animo, si tamen non iam cum diabolo pro sua impietate damnatus est, valeant suadere.

1.Cor.11.

CAP. V. Vnde hoc quoque nos contra hostes Ecclesiæ prouidere condignum est , vt eis nullam calumniandi occasionem(quod ad nos attinet)penitus relinquamus,nec vnquam contra Nestorianos aut Eutychianos agentes, alteri eorum videamus terga vertisse, sed vtrosque Christi hostes æqua lance vitemus atque damnemus : ita vt eos, quoties audientium , quantalibet poscit vtilitas, cum dogmatibus eorum digno anathemate promptissimè atque euidentissimè feriamus,ne si hoc à nobis aut obscurius fieri videatur,aut tardius , putetur inuitum. Quod quamuis prudentiam tuam re ipsa admonere sufficiat , nunc tamen & experimenta docuerunt. Sed benedictus Deus noster,cuius inuincibilis veritas ab omni hæreseos macula mundum te , secundum Sedis Apostolicæ iudicia, demonstrauit. Cui dignam retribues pro tot laboribus gratiam,si talem te,qualem probauimus ac probamus,pro vniuersalis Ecclesiæ defensione seruaueris. Nam quod Deum omnium calumniosorum fallacias soluit , maximam beatissimi Petri curam pro nobis cunctis agnoscimus , qui postquam suæ Sedis iudicium in fidei definitione firmauit , nec circa cuiusdam vestrum , qui nobiscum pro Catholica fide laboratis, personam , quicquam reprobum videri permisit:quia nec poterat,Spiritu sancto iudicante , quisquam ex eis non victor existere quorum iam vicerat fides.

CAP. VI. Quod superest , exhortamur , vt quia illic nonnullas Eutychiani ac Nestoriani erroris reliquias cognouimus remansisse, nunc etiam Sedi Apostolicæ collabores. Victoria enim quam Christus Dominus Deus noster suæ donauit Ecclesiæ, quamdiu in hoc mundo versamur , licet fiduciam maiorem tribuat,non tamen in totum sollicitudinem perimit: nec vt dormiamus donata est,sed vt suauius laboremus. Vnde in hoc quoque tuæ vigilantiæ sollicitudine volumus adiuuari , vt tua relatione currente , quid apud illos religionis doctrina Dominica proficiat, Apostolicam Sedem festines instruere:quatenus illius religionis sacerdotes, in quocumque vsus exegerit adiiciemus. De his verò, quæ in supradicto Concilio illicita , contra venerabiles Nicenos canones,præsumptione tentata sunt , ad fratrem , & Coëpiscopum nostrum Antiochenæ sedis Præsulem scripsimus:adiicientes & illud, quod nobis propter improbitatem Monachorum quorumdam religionis vestræ verbo mandatis per Vicarios nostros , & hoc specialiter statuentes, vt præter Domini sacerdotes nullus audeat prædicare, seu Monachus , siue ille sit laicus,qui cuiuslibet scientiæ nomine glorietur.Quas tamen literas,pro vtilitate vniuersalis Ecclesiæ,per prædictum fratrem & Coëpiscopum nostrum Maximum , ad omnium volumus peruenire notitiam : & ob hoc hic nolumus earum exemplar adiicere,quia quæ prædicto fratri iniunximus , non dubitamus implenda. *Et alia manu*,Deus te incolumem custodiat,frater charissime. Dato quarta Idus Iunij,Opilione viro clarissimo Consule.

16.q.1. Adiicimus illud.

Paschasini Episcopi Lilybetani Epistola ad Leonem Papam,qui iusserat illi,vt rescriberet de supputatione Paschalis festi.

Domino verè beatissimo ac Apostolico,mihique post Dominum plurimùm colendo Papæ Leoni,Paschasinus Episcopus.

Apostolatus vestri scripta , Diacono Panormitanæ Ecclesiæ Silano deferente, percepi , quæ nuditati meæ atque ærumnis , quas amarissima captiuitate faciente incurri , solatium in omnibus atque remedium attulerunt : cœlesti rore animum recreantes , atque omne quod triste fuerat , abstergentes , Domine venerabilis Papa. Iubere dignata est corona vestra , vt quod Paschalis supputationis veritas anni post hunc futuri haberet, sacrosanctis auribus vestris exiguitas mea intimaret. Cui præcepto pio inobediens existere non potui omnino , nec debui. Diutino itaque tractatu , vel ratiocinatione id verum inuenimus , quod ab Alexandrinæ Ecclesiæ Antistite beatitudini vestræ rescriptum est. Nam cùm Romana supputatio , quæ cyclo concluditur, cuius ipse, de quo agitur , erit sexagesimus quartus annus, qui cyclus cœpit à consulatu Antonini & Siagrij,vobis dubietatem afferret , eo quòd septimo Kalendarum Aprilium die,dies Dominica , & luna vigesimaprima incurreret , & iterum nono Calendarum Maiarum die (vt rei veritas habet) Dominica dies, & luna decimanona obueniret: in hoc ambiguo fluctuantes ad Hebræorum , hoc est , legalem suppotationem nos conuertimus. quæ cum à Romanis ignoratur , facilè errorem incurrunt, Cæpit ergo Ogdoas à consulatu virorum clarissimorum Ætij iterum & Sigismildi , quæ clauditur anno , de quo quæstio videtur exorta. Talis ratio hæc est. Priores verò anni communes, tertius embolimalis , quartus & quintus communes , sextus embolismalis,septimus communis , octauus embolismalis. Peruidet ergo Apostolatus vestri prudentia,octauum aunum Ogdoadis fieri aliter non posse nisi embolismum teneamus. Quod si voluerimus illud,quod superius diximus , id est , quod primum incurrit , Pascha septimo Calendarum Aprilium die celebrare,communem annum faciemus , & incipiet omnis deinceps subsequentium annorum supputatio vacillare, E ne hoc , quod exposui , beatitudini vestræ obscuritatem aliquam afferat , suggessimus communes annos , apud Hebræos duodecim tantùm menses, hoc est, dies Cccliiij. habere. Necessitate ergo embolismi cogimur id tenere , quod longius est , ne à vero deuiare videamur. Neque

nobis aut nouum, aut erraticium videatur, cùm dies passionis vndecimo Calendas Maij occurrat, à qua (sicut videtur) Pascha nomen accepit: licet Hebrææ linguæ interpres tradant Pascha transitum dici, quod tamen idem & Ioannis Euangelistæ dicto firmatur, quo ait, cùm de passione loqueretur, *Cum venisset hora, vt transiret Iesus de hoc mundo ad patrem*: Non ergo nos dies vna longius posita terreat, ne cùm hoc vitamus, incurramus errorem, sicut tempore beatæ recordationis Domini mei, prædecessoris vestri Zozimi, anno consulatus Honorij Augusti vndecimo, & Constantij secundo. Tunc enim, cùm declinaretur, ne decimo Calendas Maij dies Paschæ teneretur, celebratum octauo die Calendas Aprilis, id est, pro embolissimo, communis est annus tantus, & error grauissimus est ortus in tãtum, vt ministerio certo, quod dono sancti Spiritus ministratur, hæc veritas probaretur. Quod propterea credidi exponendum, quia locus ipse etiam sancto, atque à me venerando fratri meo Libanio Diacono notissimus est. Cuius mysterij miraculum tale est: Quædam vilissima possessio. Meltinas appellatur, in montibus arduis, ac syluis densissimis constituta, illicque perparua, atque vili opere constructa est Ecclesia. In cuius baptisterio nocte sacrosancta Paschali baptizandi hora, cùm nullus canalis, nullà sit fistula, nec aqua omnino vicina, fons ex se repletur, paucisque qui fuerint, consecratis, cùm deductorium nullum habeat, vt aqua venerat, ex sese descendit. Tunc ergo (sicut supra diximus) cum sanctæ memoriæ Domino quondam meo, ac beatissimo Papa Zozimo, cum apud Occidentales error ortus fuisset, consuetis lectionibus nocte sacra discussis, cùm presbyter secundum morem baptizandi, horam requireret, vsque ad lucem aqua non veniente, non consecrati, qui baptizandi fuerant, recesserunt. Vt ergo breuiter narrem, illa nocte, quæ lucescebat in diem Dominicam, decimo die Calendas Maij fons sacer hora competente repletus est. Euidenti ergo miraculo claruit, Occidentalium partium fuisse errorem. Hæc provt potuit, vel epistolaris breuitas passa est, iubente Apostolatu vestro rescripsi.

Ioan. 13.

EPISTOLA LXIV.

Ad Martianum Augustum, de Pascha.

Leo Episcopus, Martiano Augusto.

CAP. I. TAm multis documentis per omnes Christi Ecclesias fides vestræ pietatis innotuit: vt si quid sollicitudinum pro communi religione generatur, meritò vestrum quæratur auxilium. Et quia memor dispensationis mihi creditæ, necesse habeo curas meas etiam in ea, quæ sunt futura, præmittere: non improbè cupio clementiæ vestræ studiis adiuuari, vt in ea obseruantia, quæ certa semper ratione variatur, nihil possit erroris incurri. Paschale etenim festum, quo sacramentum salutis humanæ maximè continetur, quamuis in primo semper mense celebrandum sit, ita tamen est lunaris cursus conditione mutabile, vt plerumque sacratissimæ diei ambigua currat electio, & ex hoc fiat plerumque quod non licet, vt non simul omnis Ecclesia, quod non nisi vnum esse oportet, obseruet. Studuerunt itaque sancti Patres, occasionem huius erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Episcopo delegantes: quoniam apud Ægyptios huius supputationis antiquitus tradita esse videbatur peritia, per quam, quamuis singulis dies prædictæ solennitatis eueniret, Sedi Apostolicæ indicaretur, vt huius scripti ad longinquiores Ecclesias iudiciũ generaliter percurreret. Sed sanctæ memoriæ Theophilus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, cùm huius obseruationis annos centum numero collegisset, septuagesimo sexto Paschale festum longè aliter, quàm alij decreuerant, tenendum esse constituit, à primo augustæ memoriæ Theodosij senioris consulatu succedentes sibi sacræ obseruantiæ ordines ponens: vt longioris temporis ratio eius literis teneretur adscripta, cuius complexionis septuagesimus & quartus est annus, in qua pridie Idus Aprilis sanctum Pascha celebrauimus: sequenti verò anno pridie nonas Aprilis, eadem, propitio Deo, erit habenda festiuitas; sicut regulariter centenariæ annorum rationis ordo declarat. Sed in anno, qui erit septuagesimus sextus, Paschæ dies inuenietur adscriptus, quem à passione Domini nullius exempli nullius constitutionis admittit authoritas. Nam diem octauum Calendarum Maiarum ab eo cognoscimus præfinitum, qui anni limitem, antiquitùs constitutum, excedit: cùm alij quinto decimo Calendarum Maiarum huic festiuitati deputauerint diem. Si quidem ab vndecimo Calendarum Aprilium, vsque in * decimum Calendarum Maiarum, legitimum spatium sit præfinitum. Intra quod omnium varietatum necessitas concludatur: vt Pascha Dominicum, nec priùs possimus habere, nec tardius. Quod enim in decimum, & in nonum Calendarum Maiarum videtur nonnunquam peruenisse festiuitas, quadam ratione defenditur. Quia etsi dies resurrectionis vltra terminum videtur exisse, dies tamen passionis limitem positum non inuenietur ingressus. Ad octauum autem Calendarum Maiarum Paschalem obseruantiam perducere, nimis insolens & aperta transgressio est. Quia ergo in illa, vt dixi, centenaria supputatione Theophili, septuagesimæ sextus annus diem Paschæ contra morem Ecclesiasticum statuisse monstratur, & non leuiter delinquitur, si in principio sacramenti veritas & vnitas ab vniuersali Ecclesia non tenetur: obsecro clementiam vestram, vt studium vestrum præstare dignemini, quatenus Ægyptij, vel si qui sunt alij, qui certam huius supputationis videntur habere notitiam, scrupulum huius sollicitudinis absoluant, vt eum diẽ generalis obseruantia dirigat, qui nec paternarum constitutionum normam relinquat nec vltra præfixos terminos euagetur. Quicquid autem pietas vestra de hac consultatione cognouerit, ad meam iubeat mox notitiam peruenire, vt in diuinis mysteriis nulla dissonantiæ culpa nascatur. Data decimo sexto Calendas Iulij, Opilione viro clarissimo Consule.

CAP. II.

* vndecimum.

CAP. III.

EPISTOLA LXV.

Ad Eudochiam Augustam, de Pascha.

Leo Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ Episcopus, Eudochiæ Augustæ salutem.

SAnctæ memoriæ Theophilus ad Augustum Theodosium seniorem scribens, per centum annos, à primo prædicti Principis consulatu, digessit ordinem diei festi, cuius instructionis septuagesimus quartus nunc annus euoluitur Opilione Consule. Pridie Idus Aprilis celebrata est sacra solennitas

lennitas, vnde sequenti anno, pridie nonas Aprilis, eadem festiuitas rationabiliter consequitur Sed annus, qui erit septuagesimus sextus, memorari Episcopi annotationem habere cognoscitur, quæ à totius antiquitatis exemplo, & ab omni authoritate Patrum discordat. Siquidem in octauum Kalendarum Maiarum dominicum Pascha transtulerit præfinitos antiquitatis limites nimis audenter excedens, cum die quintodecimo Kalendarum Maiarum Paschalem solennitatem (sicut constituere alij) potuerit annotare. Vnde quia non mediocris mihi sollicitudo generatur, ne apud Ægyptios hæc persuasio probaretur, ad Christianissimum & clementissimum Principem scripta direximus, quibus causam scrupuli diligenter exposui, & suppliciter postulaui, vt operam suam, quemadmodum consueuit, religionis cultui dignanter impendat, vt eos, qui huius supputationis perfectam videntur habere notitiam, in vnum iubeat conuenire, & diligenter inquirere, ne fortè hæc definitio teneatur, & hic excessus, qui prioribus videtur repugnare temporibus, nostræ conniuentiæ, vel negligentiæ deputetur & fiat in nostris diebus, quod nunquam antè præsumptum est. Quia verò oportet serenitatem tuam curæ istius mecum esse participem, & nequid tale accidat, præcauere, crebrius religiosissimo & fidelissimo Principi dignare, suggerere, vt indissimulanter iubeat Ægyptios admonere, ne in summæ festiuitatis die, aut dissensione aliqua aut transgressione peccetur. Quicquid autem de hac re diligentiùs inuestigare sollicitudo vestra potuerit, citò ad notitiam meam gloriosissimus Imperator iubeat peruenire: quia & ad ipsius, & ad omnium salutem pertinet, vt Dei cultus nullo errore lædatur. Data sextodecimo Kalendas Iulij, Opilione viro clarissimo Consule.

EPISTOLA LXVI.

Ad Liciniam Eudochiam Augustam, de monachis Palæstinis.

Leo Episcopus, Eudochiæ Augustæ.

QVanta mihi Catholicę cura sit fidei, & qua sollicitudine, in quantum Dominus adiuuat, debeat præcaueri, ne vnquam ab imperitis & impiis veritatis Euangelio resistatur, pietatem vestram scire non dubito. Et ideo cum salutationis officio, quo semper mihi est vestra oranda clementia, obsecro Dominum, vt me tuam incolumitatem in causa fidei, in qua quorundam intra prouinciam Palæstinam monachorum fuerant corda turbata, magis magisque faciat adiuuare, vt tantum, quod pietatis tuæ studio fieri potest, hæreticæ peruersitati omnis fiducia subtrahatur. Quos enim nec ratio sacramentorum, nec authoritas scriptorum, nec ipsa sacratorum locorum testimonia commouebant, quid eis nisi abruptum periculum timeretur; Prosit ergo Ecclesiis (sicut fauente Deo & prodest), & prosit generi humano, in verbis Dei vestrã ibi esse voluntatem, vbi Dominum nostrum Iesum Christum vobis sicut verum Deum, & verum quoque hominem, in vnitate personæ, & mirabilium iudicia, & passionum documenta loquuntur. Si ergo prædicti nomen Catholicum venerantur & diligunt, & inter Domini corpus se volunt membra nominari, prauos errores, quos temerè admiserant, detestentur, & agant pœnitentiam impiarum blasphemiarum, cruentorúmque factorum. Succumbant pro salute animarum suarum Synodalibus, quæ in ciuitate Chalcedonensi sunt confirmata, decretis. Et quia ad intelligendum sacramentum salutis humanæ, nisi fides vera, & humilitas quieta non peruenit, credant in Euangelio, quod confitentur in Symbolo, nec impiis dogmatibus misceantur. Fides enim Catholica sicut damnat Nestorium, qui in vno Domino nostro Iesu Christo duas ausus est prædicare personas, ita damnat etiam Eutychen cum Dioscoro, quod ab vnigenito Dei Verbo negant in vtero Virginis matris veritatem carnis humanæ susceptam. Si quid autem erga prædictorum conuersionem exhortatio vestra profecerit, quod gloriam vobis præstabit æternam peto hoc mihi clementiæ vestræ literis indicetis, vt & in vobis boni operis fructum*, & illis gaudeam misericordiam Domini non periisse. Data septimo Kalendas Iulij, Opilione viro clarissimo Consule. *& in illis.*

EPISTOLA LXVII.

Ad Iulianum Coënsem Episcopum.

Leo Episcopus, Iuliano Coensi Episcopo.

FRequentissime * dilectionem tuam ad hanc curam & diligentiam meis sum literis exhortatus: vt de his, quæ circa fidem aguntur, sollicitudinem meam indesinenter instrueres. Et cum omnibus occasionibus scribere non quiescam, quibusdam tamen scriptis meis, id est, per filium nostrum Rodanum, domesticum filij nostri, viri illustrissimi Asparatij datis, nullum responsum tuæ fraternitatis accepi: tanquam ratio temporis non habuerit, vt quid post mea scripta sit gestum, potueris indicare. Et ideo per filium meum Rodanum his literis te saluto: & vt opportunitatem scribendi non negligas, in quo quæstus sollicitudinis meæ releuatur, admoneo. Cùm enim in te quandam mei Constantinopolitani habeant portionem, dignum pro communi amicitia est, & pro totius Ecclesiæ dilectione, incessabili te vigore prospicere: ne quid possit de statu fidei me latere, Quæ ergo per prædictos, vel ad gloriosissimum Principem, vel ad tuam dilectionem scripsi: vt celerrimè tradantur effectui, opportunis suggestionibus elabora. Et quicquid fuerit (Deo auxiliante) dispositum, scire me facito vt perductis in effectum his, quæ rationabiliter ordinata sunt, pax fidei, canonúmque custodia & securior vbique habeatur & fortior. Data septimo Kalendas Iulij, Opilione viro clarissimo Consule. *sæpissimè.*

EPISTOLA LXVIII.

Ad Iulianum Episcopum.

Leo vrbis Romæ Episcopus, Iuliano Episcopo.

CHristianissimi Principis fidem sæpè euidentissimis probauimus documentis, adde nostro gratias ago, qui talem dignatus est rebus humanis concedere pro sua pietate rectorem: qui fidei causas & Reipublicæ, summæ vigilantiæ studio tuetur hæreticorum ausibus semper obsistens, & nihil eorum insaniæ aduersum Catholicam fidem licere permittens: cuius post Deum beneficiis hoc debetur: quod Hierosolymitanus Episcopus est receptus, & monachos, quos perfidia hæreticæ falsitatis inuaserat, ad sanitatem Augusta authoritas reuocauit.

An Christi 456. qui fuit annus pontificatus S. Leonis 15. scripta fuit hæc epistola & 4. sequentes.

uit. Mox itaque vt accepi epistolas tuas, talia continentes, non solùm eadem die, sed prope eadem hora responsum reddere maturaui: vt certior de omnibus, quæ scripseras, reddereris. Fratrem Proterium Alexandrinæ vrbis Episcopum gratulor satisfactionis plenas de fide sua ad nos literas direxisse,& manifestè, quænam teneat,indicasse, cui me dignam gratiam,pro fidei ipsius synceritate, necesse est præstare,vt honorem in nullo suæ perdat Ecclesiæ, sed sedis suæ priuilegia, paternæ antiquitatis exemplo, iuxta canonum illibata iura possideat. De præsentis anni Pascha nulla dubitatio esse nobis potuit,sed futuro, quod Theophilus Alexandrinæ vrbis Episcopus, nono Kalendarum Maiarum die, quod nunquam ita à tempore Dominicæ resurrectionis celebratum est, credidit adscribendum. Vnde sollicitius congruit hoc requiri,vt omnis occasio tollatur erroris. Nam in nostris annalibus Kalendarum Maiarum dies aptissimè à patribus nostris & constitutus legitur & celebratus. Ac ne vel apud nos, vel apud Orientales nascatur ex hac parte diuersitas, hoc instantius nostro nomine cum Christianissimo Principe agere tua digneris dilectio, quamuis & ipse clementissimus Princeps se inquisitione sollicitissima, curam hanc Ægyptiis delegasse, suis epistolis dignatus sit indicare. Epistolam sanè meam ad Chalcedonensem Synodum datam præsentibus Episcopis & Clericis lectam fuisse, tuis epistolis retulisti: sed vsque ad illud capitulum quo ea,quæ de fide acta sunt, meus videtur firmasse consensus. Vnde miratus sum, quod reliqua, quæ secuta fuerunt, non pariter in notitiam eorum, quibus sunt lecta, prolata sint: cùm maximè omnibus innotescere debuisset, improbum à vobis ambitum notatum fuisse, ne nouis vsurpationibus constituta, inuiolata(vt semper scripsimus) seruarentur. Etiam Presbyterum, quem asseris fuisse discussum, gratulamur, cognitione habita, in omnibus fuisse purgatum. Epistolam quoque ad Christianissimum Principem noueris me misisse: in qua illi gratias egi, quia curam mihi suam, tam pro fidei causa, quàm pro securitate Reipublicæ dignatus est indicare. Aliam quoque ad nos epistolam dedit, interueniens pro Anatolio Episcopo,vt nostri illi animi gratia præbeatur, quoniam correctionem eius promittit, & in omnibus satisfacturum esse, quæ ad fidei obseruantiam pertinent,pollicetur. Data quinto Idus Ianuarij, Ætio & Studio viris clarissimis Consulibus.

De hoc S. Proterio vide Nicephorum lib.15.c.16.

EPISTOLA XLIX.

Ad Martianum Episcopum.

Leo Episcopus, Martiano Augusto.

PVritatem fidei Christianæ, qua clementia vestra præfulget,etiam his literis, quas frater & Coëpiscopus meus Nestorianus detulit, demonstratis instantissimè fratri meo Proterio Alexandrinæ vrbis antistiti impendentes fauorem,quo mihi per omnia esset acceptior. Nam cui vestra pietas testimonium perhibere dignatur, indubitanter esset probandus, etiam si taceret. Sed accedit ad gratiam, quod proprio quoque sermone cognoscatur, & quàm syncerus sit Catholici dogmatis prædicator,ipsius professione clarescat. Vnde plenissimo affectu dilectionem orthodoxi fratris amplector, & Deo gratias ago,quod amoto eo,qui Euangelio Christi voluit contraire, & à sanctorum Patrum intelligentia dissentire, talem prospexit Alexandrinæ Ecclesiæ sacerdotem: qui præcedentibus rectoribus & fide concordaret & vita. Nam cùm amplecti se Epistolam meam, quam ad beatæ memoriæ Flauianum contra Eutychen impium misi, toto corde profitetur, quid aliud, quàm Apostolorum se discipulum ostendit? quoniam doctrina veritatis in lumine suo permanet,& non potest esse diuersum, quod vnum est atque diuinum. Rescripsi itaque prædicto fratri, quod debui:atque in sancto studio,vt perseueraret, admonui. Qui sine dubio constantior erit, si etiam clementiæ vestræ cohortationibus adiuuetur. Nec in aliquo eum terreat quorumdam imperita dissensio, quos paucorum hæreticorum instigationibus ignorantia facit obnoxios. Quod sua ergo negligentia assequi nequeunt, opportunè eorum insinuetur auditui. Et ne * memoratis noua inferre, & propria videatur adstruere, venerabilium Patrum, qui eidem Ecclesiæ præfuerunt, scripta relegantur: & quid B.Athanasius, quid Theophilus, quid Cyrillus, quid etiam Orientales magistri de Incarnatione Domini senserint, recognoscant. Nec repullulantibus decipiantur erroribus, qui olim Euangelici sermonis sunt virtute prostrati. Quoniam omnes fere hæreses, quæ diuersis temporibus extiterunt,dum sacramentum corporeæ natiuitatis, & passionis,ac resurrectionis Christi non intelligunt, ab Euangelio deuiarunt.Et possemus minus laborare in hæreticis repellendis,si rudes animos ipsa non turbarent mendacia, quæ peremit antiquitas. Sed nunc(vt dixi)hic docendi optimus modus est,vt paternorum sensuum linea Alexandrinæ plebis & cleri auribus innotescat, ac si qui sunt, qui nostra scripta despiciant, illis saltem, qui nobiscum Apostolicis sensibus congruunt, acquiescant. In quo opere multum consacerdotis nostri deuotione gaudebo,& semper ipsius vnanimitate lætabor: quia fraterna pax non nisi vna fidei confessione seruatur. Quia verò quorundam hæreticorum versuta nequitia,ad conturbandam aliorum simplicitatem,epistolam meam,quam ad beatæ memoriæ Flauianum dedi,falsasse perhibetur, vt commutatis quibusdam litteris, vel syllabis, receptorem me Nestoriani erroris assereret: obsecro venerabilem clementiam vestram,vt eandem epistolam per fratrem meum Iulianum Episcopum, vel eos, quos idoneos ad hoc opus pietas vestra delegerit, in Græcum sermonem iubeatis integrè,diligentérque translatam, per idoneum latorem sub vestri signaculi impressione deferri, tradendam iudicibus Alexandrinis, qui eam Clero & plebi ipsius ciuitatis, cum prædictorum Episcoporum prædicationibus, qui & meo scripto consentiunt,faciant recitari: vt agnoscant se fallacium hominum fraude vlterius decipi non debere, & probentur Apostolicæ Sedis synceri esse discipuli,apud quam nec Eutyches,nec Nestorius vllum obtinent locum:quia sicut alios hæreticos, ita & istos Ecclesia vniuersalis damnauit. Data quinto Idus Martii,Ætio & Studio viris clarissimis Consulibus.

* Memoratis

EPISTOLA LXX.

Ad Martianum Augustum,in qua scribit de exilio Eutychetis, vt ad secretiora loca eum transferret, quia vbi positus erat, adhuc praua docebat.

Leo Episcopus, Martiano Augusto.

QVod sæpissimè multa iam experimento docuerunt,sanctum pietatis vestræ studium circa religio

religionem Christianam gloriosis perseuerat & crescit augmentis, & hæc fides clementiæ vestræ non solùm me, sed & omnes Domini sacerdotes consolatur & roborat: dum in Christianissimo Principe sacerdotalem experimur affectum. Quem si Orientalium partium Sacerdotes studeant imitari, nihil scandalorum, neque pax, neque fides Christiana patietur. Vnde cùm Constantinopolitanus Episcopus ad omnem pietatis profectum præsenti clementiæ vestræ doceatur exemplo, si fideliter vestris acquiescat hortatibus, habebit in me synceræ gratiæ animum: tantum vt quod verbis spondet, corde perficiat. Si verò, quæ Deo & pietati vestræ displicent, pertinaci intentione delegerit, salua mansuetudinis vestræ reuerentia; vtar cum omnibus, & pro omnibus, vobis quoque annitentibus, aduersum superbientem liberiore constantia: quem (quod sæpe dicendum est) mallem pro sanctis actibus fraterna charitate complecti, gloriosissime Imperator.

CAP. II. Quia verò suggestiones meas pro tranquillitate Catholicæ fidei libenter accepistis, significatum mihi fratris & Coëpiscopi mei Iuliani (quem accepistis piissime) sermone cognoscite, Eutychen impium pro suis quidem meritis exulare, sed in ipso suæ damnationis loco multa aduersus integritatem Catholicam, blasphemiarum desperatiùs venena profundere: & quod in illo totus mundus horruit atque damnauit, impudentia maiore, vt innocentes decipere possit euomere. Plenum itaque rationis æstimo, vt vestra clementia ad longinquiora loca eum iubeat & secretiora transferri. Monasterio verò eius Constantinopoli constituto, in quo habitatores ipsius monachi Euangelica Apostolicáque doctrina crebrius sunt & plenius roborandi, salubriter (vt arbitror) fiet, si is, qui ipsi monasterio Præpositus esse dicitur, à societate veneratoris vestri Iuliani Episcopi, quem in speculis propter fidem illic esse constitui, non recedat: cuius assidua visitatione profectus seruorum Dei illic habitantium possit augeri.

CAP. III. Petitionem autem de festiuitate Paschali gaudeo ita à vestra pietate susceptam, vt confestim Nectarium agentem in rebus Alexandriam mitteret de errore remouendo, quem sanctæ memoriæ Theophili constitutio videtur inferre. De qua re (sicut scribere dignamini (quicquid ad pietatis vestræ notitiam perlatum fuerit, iubete me nosse: vt de obseruantia, quam non licet esse diuersam, quid potissimum sit tenendum, Ecclesia vniuersalis agnoscat. Precor autem, quod vestræ noui clementiæ conuenire, vt eos maximè tueamini contra omnes insidias, quos mihi & vestræ mansuetudini propter amorem fidei placere cognoscitis, vt eos Constantinopolitanus Episcopus lædendi non habeat facultatem. Data decimoseptimo Kalendas * Maij, Ætio & Studio viris clarissimis Consulibus. *Martij.*

EPISTOLA LXXI.

Ad Anatolium Episcopum, per Nectarium agentem in rebus directa.

Leo Episcopus, Anatalio Episcopo.

CAP. I. SI firmo incommutabilique proposito, dilectio tua curam gratiæ communis habuisset: nihil profecto, quod vllam anxietatem tibi ingereret, extitisset. Non enim sinebat ratio, vt eius charitatem spernerem, quem amore pacis, & studio reparandæ Catholicæ fidei inter ipsa Episcopatus rudimenta iuuissemus, optans in Ecclesiasticis curis talem habere consortem: vt mihi de sanctis prædecessoribus tuis, nec Ioannis spiritualem copiosamque doctrinam; nec authoritatem Attici, nec industriam Procli, nec fidem beati Flauiani deesse sentirem: & ita studiis tuis vterer, vt nullus auderet, vel fidei Catholicæ resultare, vel Nicenis venerabilium Patrum regulis contraire. Sed cùm in iniuriam canonum (vt agnoscis) illa tentata sunt, quæ omnibus Ecclesiis scandalum maximum generarent, quid aptius ac modestius facerem, quàm vt te primum vt ab hac intentione discederes fraterno animo, missis literis, admonerem? Ad quas cùm non rescriberes, ipse à colloquij mei consortio separasti. Denique inde iam tacui, sed clementissimo Principi, custodi fidei, frequenti literarum petitione, suggessi, vt pro pace Ecclesiarum, quam tibi maximè prodesse cognoscis, hæc quæ nunc à tua dilectione facta sunt, implerentur. Cui ineffabiles gratias ago, quod secundum eruditionem Spiritus sancti, cuius est virtute plenissimus, sacerdotali dignetur studere concordiæ, sciens sibi orationes supplicantium copiosius profuturas, si famuli vnius Domini in nullo sint à veræ pacis vnitate diuisi. CAP. II. Quod ergo in Constantinopolitana Ecclesia quædam in officiis Clericorum correcta significas, vt & Ætium Presbyterum in gratiam tuam, affectionémque reuocaueris, & Andream Archidiaconi actione submoueris, nobis placuisse rescribo: quia æstimationem tuam (vt optabam) plurimùm erigit atque commendat. Et merito post correctionem in obliuionem deducitur, quod reprehensioni obnoxium videbatur, cum hæreticorum prouectione, & sanctæ memoriæ Flauiani iniuria grauareris, quæ nunc simul ab omni offensione, cum tui (vt volui) laude cessarunt: quia in ordinem suum, quæ fuerant turbata, redierunt, Andream sane, qui rationabiliter Archidiaconi est priuatus officio, & Eufratam, qui sanctæ memoriæ Flauiani (vt comperi) improbus extitit accusator, si professionibus plenissimè scriptis non minus Eutychianam hæresim, quàm Nestorianum execrabile dogma condemnet, quoniam venia est præstanda correctis, Presbyteros consecrabis, vt sibi remedium Catholicæ fidei sentiant profuisse, electo primitus & probato, qui Archidiaconi officium possit implere id est, quem nulla vnquam prædictarum impietatum fama resperserit. Cæteri verò, quos par reatus inuoluerat, si veniam simili professione cum satisfactione deposcunt, suis ordinibus reformentur: his tantum ad officiorum primatum admissis, quos ab omni errore liberos fuisse constiterit. CAP. III. Illam autem culpam, quam de augenda potestate, aliena [vt asseris] adhortatione contraxeras, efficacius, atque syncerius tua charitas diluisset, si quod tentari sine tua voluntate non potuit, non ad sola Clericorum consilia transtulisses. Quia sicut in mala suasione delinquitur, ita & in mala consensione peccatur. Sed gratum mihi (frater charissime) est, quod dilectio tua id profitetur sibi displicere, quod tunc etiam placere non debuit. Sufficit in gratiæ communis regressum professio dilectionis tuæ, & attestatio principis Christiani. Nec videtur tarda correctio, cui tam venerabilis assertor accessit. Abiiciatur penitus inconcessi iuris, qui dissensionem fecerat appetitus. Sufficiant limites, quos sanctorum Patrum prouidentissima decreta posuerunt: vt quieta sit suis meritis, & antiquis priuilegiis, dignitas omnium sacerdotum renouetur, & maneat in te Dominicæ charitatis affectio, ad quam dilectionem tuam sæpius cohortatus sum cum fratre & Coëpi

Coëpiscopo nostro Iuliano, qui communem gratiam semper optauit: cuius industria & sollicitudines tuæ releuabuntur, & fides Catholica munietur. Super omnia autem fraterna charitate horror & moneo, vt ea quæ ad gloriam, vel ad munimen pertinent Sacerdotalis officij, Nicenorum canonum vniuersalis Ecclesiæ pacem seruantia decreta custodias. Sic enim inter Domini Sacerdotes inuiolata charitas permanebit: si paribus studiis, quæ sunt à sanctis Patribus constituta, seruentur. Data 4 Kalendas Iunii, Ætio & Studio viris clarissimis Consulibus.

EPISTOLA LXXII.

Beati Leonis Papæ ad Iuuenalem Hierosolymitanum Episcopum.

Leo vrbis Romæ Episcopus, Iuuenali Episcopo Hierosolymitano.

CAP. I. Acceptis dilectionis tuæ literis, quas ad nos filij nostri Andreas Presbyter & Petrus Diaconus detulerunt, gauisus equidem sum, quod tibi ad Episcopatus tui sedem redire licuisset: sed confluentibus in recordationem omnibus causis, quæ te per quosdam excessus laborare fecerunt, dolui aduersitatum tuarum temetipsum tibi fuisse materiam, & resistendi hæreticis perdidisse constantiam, qui æstimant, non esse tibi liberum, vt eos audeas redarguere, quos tibi professus sis in suo errore placuisse. Beatæ enim memoriæ Flauiani condemnatio, & impiissimi Eutychetis receptio, quid nisi Domini nostri Iesu Christi secundum carnem negatio fuit? quam ipse grandi misericordia sua fecit resolui: cùm detestandum illud Ephesinæ Synodi iudicium, ita sancta Chalcedonensis Concilij authoritate destruxit: vt nullum deprauatorum à remedio correctionis arceret. Vnde quia in tempore indulgentiæ resipiscentiam magis quàm pertinaciam delegisti, ita gaudeo te cœlestem expetisse medicinam: vt fidei ab hæreticis impugnatæ, tandem possis esse defensor. 1. Cor. 14. Quamuis enim nulli sacerdotum liceat nescire quod prædicat, quoniam qui ignorat, ignorabitur, inexcusabilior tamen est omnibus imperitis quilibet Hierosolymis habitans Christianus, qui ad cognoscendam virtutem Euangelij, non solùm paginarum eloquiis, sed ipsorum locorum testimoniis eruditur. Et quod alibi non licet non credi: ibi non potest non videri. Quid laborat intellectus, vbi est magister aspectus? Et cur lecta, vel audita sunt dubia, vbi se & visui, & tactui tot humanæ salutis ingerunt sacramenta? Quasi ad singulos quosque cunctantes Dominus adhuc voce corporea vtatur, Luc. 24. & dicat: *Quid turbati estis, & quare cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum. Palpate & videte, quia spiritus ossa & carnem non habet, sicut me videtis habere.*

CAP. II. Vtere igitur, frater charissime, inuictissimis Catholicæ fidei documentis, & Euangelistarum prædicationem sanctorum locorum, in quibus degis, testificatione defende. Apud te est Bethlehem, in qua Luc 1. salutifer Dauidicæ virginis partus illuxit, quem obuolutum pannis inter angustias diuersorij, præsepe Matth. 2. suscepit. Apud te est declarata ab angelis, adorata à Luc 2. Magis & per multorum infantium mortes ab He- Luc 3. rode quæsita Saluatoris infantia. Apud te est, vbi pueritia eius adoleuit, vbi adolescentia maturuit, & per omnia incrementa corporea, in virum perfectum veri hominis natura profecit, non sine cibo Matth. 4. esuritionis, non sine somno quietis, non sine fletu Marc 4 miserationis, nec sine pauore formidinis. Vnus enim Ioan. 11. atque idem est, qui & in Dei forma operatus est miracula magna virtutis & in forma serui subiit sæuitiam passionis. Hoc tibi ipsa crux indesinenter loquitur, hoc lapis clamat sepulchri, in quo Dominus humana conditione iacuit, & de quo diuina potentia resurrexit. Et cùm ad montem Oliueti, locum Matth. 26. ascensionis veneraturus, accedis, nonne illa vox an- Ioan 19. gelica in tuo resultat auditu, qua eleuationem Do- Matth 28. mini stupentibus dicitur: Act. 1. *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.*

CAP. III. Veram igitur Christi generationem crux vera confirmat, quoniam ipse in nostra carne nascitur, qui in nostra crucifigitur, quæ, nullo interueniente peccato, nisi fuisset nostri generis, non potuisset esse mortalis. Vt autem repararet omnium vitam, recepit Colos. 2. omnium causam & vim veteris chirographi, quod solus inter omnes non debuit, pro omnibus soluendo vacuauit: vt si ut per vnius reatum omnes facti fuerant peccatores, ita per vnius innocentiam Rom. 5. omnes fierent innocentes: inde in homines manante iustitia, vbi est humana suscepta natura. Nulla enim ratione extra nostri est corporis veritatem, de quo Euangelista prædicationem inchoans dicit: *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham.* Et qui Samaritanæ mulieri protestatur, Matth. 1. quoniam salus ex Iudæis est, beati Pauli Apostoli Ioan. 4. consonante doctrina, cùm dicit: *Quorum patres, &* Rom 9. *ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Itemque ad Timotheum: *Memento*, inquit, *Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid secundum carnem.* 2. Tim 2.

CAP. IV. Hæc autem veritas quantis & noui & veteris testamenti authoritatibus declaretur, pro antiquitate sacerdotij tui euidenter agnoscis, cùm fides patrum & scripta mea ad sanctæ memoriæ Flauianum data, quorum mentionem ipse fecisti, adiecta vniuersalis Synodi confirmatione sufficiant. Vnde prospicere oportet dilectionem tuam, ne contra redemptionis, ac spei nostræ ineffabile sacramentum, vllus obmurmuret. Sed si qui sunt, qui adhuc aut ignorantia caligant, aut peruersitate discordant, eorum quorum in Ecclesia Dei Apostolica fuit & est clara doctrina, authoritatibus instruantur, & de Incarnatione verbi Dei hoc nos credere, quod illi credidere, cognoscant, neque se extra corpus Christi, in quo commortui, & conresuscitati sumus, sua obduratione constituant: quia nec pietas fidei, nec ratio suscipit sacramenti, vt aut in sua essentia passibilis fuerit deitas, aut in nostræ naturæ susceptione mentita sit veritas. Particulam Dominicæ crucis cum eulogiis dilectionis vestræ veneranter accepi. Data pridie Nonas Septembris, Ætio & Studio viris clarissimis Consulibus.

EPISTOLA LXXIII.

Ad Leonem Augustum.

Leo Romæ Episcopus, Leoni semper Augusto.

Officiis, quæ ad gratulationem Imperij vestri An. Christi pertinent, persolutis, etiam hanc paginam 459. qui fuit necessariæ supplicationis adieci: quia Catholicæ fidei annus Pontificatus S. diuinitus

Leonis 18. ſcripta eſt hæc epiſtola,& 3. ſequentes.

diuinitus præparatum fauoris veſtri poſco præſidium. Nam talia in Alexandrina Eccleſia perpetrata, fratris & Coëpiſcopi mei Anatolij relatione cognoui, vt omnis Chriſtiana religio ſentiat ſe impeti atque violari, niſi vniuerſali fidei veſtra deuotione proſpiciatur, & memoratæ Eccleſiæ, quæ antea Catholicis fuit clara doctoribus, reddatur Chriſtiana libertas, vt ceſſantibus hæreticorum impugnationibus, Euangelica doctrina, quæ illic ante Dioſcorum viguit, vnita cum totius Eccleſiæ pace reparetur. Quod opus virtutibus veſtris, gloriæque conueniens, celerem & Deo placitum habebit effectum, ſi apud ſanctum Chalcedonenſem Synodum de Domini Chriſti Incarnatione firmata, nulla permiſeretis retractatione pulſari: quia in illo Concilio per Spiritum ſanctum congregato, tam plenis atque perfectis diffinitionibus cuncta firmata ſunt, vt nihil ei regulæ, quæ ex diuina inſpiratione prolata eſt, aut addi poſſit aut minui. Hoc autem etiam apud clementiæ veſtræ ſcientiam non ambigimus eſſe perſpicuum, ſiquidē (vt multorum ante relatione comperimus) molitiones hæreticorum, quæ contra prædictæ Synodi authoritatem conabantur aſſurgere, nihil ex hoc permiſeritis audere. Vnde quod negandum illis ſpontè vidiſtis, glorioſum vobis eſt vniuerſale Eccleſiæ me ſupplicante concedere, & incommutabiliter perpetuéque præſtare, vt quæ ſecundum Euangelium Chriſti & prædicationis Euangelicæ veritatem omnibus retro ſeculis, vna fide, vnaque intelligentia roborata ſunt, nulla vlterius poſſint actione conuelli. Provt ergo miſericordia Dei, conſilio ſpiritus ſui, mentem veſtræ pietatis inſtruxerit, ſanctæ primitus Alexandrinæ Eccleſiæ pacis reparationi conſulite, & per Catholicos ſacerdotes talem prouideri iubete pontificem, in quo & in actuum probitate, & in fidei perfectione nihil poſſit reprehenſibile reperiri: vt omnibus ritè compoſitis, eadem vbique ſeruetur prædicatio veritatis. Data quinto Idus Iunij, Conſtantino & Rufo viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA LXXIV.

Ad Leonem Auguſtum.

Leo Epiſcopus, Romæ, Leoni ſemper Auguſto.

Licet proximè ad clementiam veſtram gemina ſcripta direxerim, quorum vnum debitum ſalutationis impleret, aliud pro ſtatu Eccleſiæ ſupplicaret, tamen occaſione, quæ Deo prouidente ſe præbuit, iterari vtrumque conuenit. Secundum ergo fiduciam illam, quam ex Dei inſpiratione vniuerſali Eccleſiæ præſtitiſtis, ante cuiuſquam preces conſtituendo, quod maximè ab omnibus fuerat expetendum, non deſinimus gratias agere, & prouidentiam Dei in fidei veſtræ feruore benedicere, qui ſancto & Catholico ſpiritu, ſicut fratris & Coëpiſcopi mei Anatolij ſermone cognoui, ita hæreticorum impudentiæ reſtitiſtis, vt profiteremini, ad totius mundi pacem Chalcedonenſis Synodi vos eſſe cuſtodem. Quod cum ex veſtræ fidei ſententia ſalubertimè diffinitum ſit, quanto ſtudioſius vniuerſali Eccleſiæ eſt conferendum, vt tranquillitas fidei Chriſtianæ etiam veſtro proſit imperio, nec improbitas hæretica in aliquo ſuo molimine glorietur? Cuius pertinax inſidioſa contentio illicò conquieſcet, ſi imperiali poteſtate frænetur. Data Kalendis Septembris, Conſtantino & Rufo viris clariſſimis Conſulibus.

EPISTOLA LXXV.

Ad eundem Leonem Auguſtum.

Leo Epiſcopus, Leoni Auguſto.

Literas clementiæ tuæ plenas virtute fidei & lumine veritatis veneranter accepi: quibus cuperem, etiam in eo, quod præſentiam meam pietas veſtra neceſſariam exiſtimat, obedire, vt maiori fructu conſpectum veſtri ſplendoris aſſequerer: ſed magis id vobis arbitror placiturum, quod eligendum ratio demonſtrauit. Nam cùm ſancto ſpiritualique ſtudio vniuerſam pacem Eccleſiæ muniatis, nihilque ſit conuenientius fidei defendendæ, quàm his, quæ per omnia, inſtruente Spiritu ſancto, irreprehenſibiliter definita ſunt, inhærere: ipſi quomodo videbimur ſtatuta velle conuellere, & authoritates, quas Eccleſia vniuerſalis amplexa eſt, ad arbitrium hæreticæ petitionis infringere, atque ita nullum corrigendis Eccleſiis modum ponere, ſed data licentia debellandi, dilatare magis, quàm ſopire certamina. Vnde, quia poſt illas Epheſinæ Synodi impietates, quibus Dioſcori ſcelere fides Catholica refutata, peruerſitas Eutychiana ſuſcepta eſt, nihil ad confirmationem fidei Chriſtianæ vtilius potuit ordinari, quàm vt prædicti facinus ſancta Synodus Chalcedonenſis aboleret, & tanta illic haberetur cœleſtis cura doctrinæ, vt nihil cuiuſquam opinione reſideret, quod à prædicationibus vel Propheticis, vel Apoſtolicis diſſonaret, ea ſcilicet moderatione ſeruata, vt rebellibus tantum ac pertinacibus ab Eccleſiæ vnitate reiectis, nulli correcto venia negaretur. Quid probabilius, quid religioſius poterit pietas veſtra decernere: quàm vt quæ non tam humanis, quàm diuinis ſunt ſtatuta decretis, nullus vltra ſinatur impetere, ne verè digni ſint Dei munus amittere, qui de veritate ipſius auſi fuerint dubitare? Cùm ergo vniuerſalis Eccleſia per illius principalis petræ ædificationē facta ſit petra, & primus Apoſtolorum beatiſſimus Petrus voce Domini audierit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petrā ædificabo Eccleſiā meā*, quis eſt, niſi aut Antichriſtus aut diabolus, qui pulſare audeat inexpugnabilē veritatem, qui in malitia ſua inconuertibilis perſeuerans, per vaſa iræ & ſuæ apta fallaciæ, falſo diligentiæ nomine, dum veritatem ſe mentitur inquirere, mendacia deſiderat ſeminare? atque contemnenda & vitanda meritò ſibi incontinens furor, & impietas cæca præſcripſit, vt diabolico inſtinctu, dum in ſanctam Alexandrinam ſæuit Eccleſiam, quales eſſent qui Chalcedonenſem ſynodum retractari cupiunt, diſceretur, in qua nullo modo accidere potuit, vt à vobis contra ſanctam Niceuam ſynodum ſentiretur, quod hæretici mentiuntur, qui ſe fidem Niceni Concilij tenere confingunt: in quo ſancti & venerabiles Patres noſtri contra Arium congregati, non carnem Domini, ſed deitatem filij homouſion patri eſſe firmauere: in Chalcedonenſi autem Concilio aduerſum Eutychianam impietatem definitum eſt, de ſubſtantia virginis matris Dominum Ieſum Chriſtum ſumpſiſſe noſtri corporis veritatem. Apud Chriſtianiſſimū Principem igitur, & inter Chriſti prædicatores digno honore numerandū, vtor Catholicæ fidei libertate, & ad conſortium te Apoſtolorum, ac Prophetarum ſecurus exhortor: vt conſtanter deſpicias ac repellas eos, qui ſe Chriſtiano nomine priuauere: nec patiaris impios

CAP. I. (beside "Literas clementiæ")
CAP. II. (beside "re, qui de veritate")
CAP. III. (beside "ris veritatem")

patricidas sacrilega simulatione de fide agere, quos constat à fide deuiare. Cùm enim clementiam tuam Dominus tanta sacramenti sui illuminatione ditauerit, debes incunctanter aduertere, regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam: vt ausus nefarios comprimendo, & quæ benè sunt statuta, defendas, & veram pacem his, quæ sunt turbata, restituas, depellendo scilicet peruasores iuris alieni, & antiquæ fidei sedem Alexandrinæ Ecclesiæ reformando, vt correctionibus tuis Dei iracundia mitigata, regiæ ciuitati non retribuat, quæ anteà admissa sunt, sed remittat. Constitue ante oculos cordis tui venerabilis Imperator, omnes, qui per totum orbem sunt, Domini sacerdotes, pro ea tibi fide, in qua totius mundi est redemptio, supplicare: in qua re specialiùs ambiunt, qui Apostolicæ fidei sectatores Alexandrinæ Ecclesiæ præsedere, agentes apud pietatem tuam, ne hæreticos homines, & meritò pro sua peruersitate damnatos, vti sua persuasione patiamini, cùm siue impietatem errorum aspicias, siue opus perpetrati furoris attendas, non solùm ad sacerdotij honorem admitti nequeant, sed ab ipso Christiano nomine mereantur abscindi. Nam (quod exorata pietatis vestræ venia dixerim) quodam contagio splendorem vestræ serenitatis obfuscant, cum sacrilegi parricidæ id audeant petere, quod nec innocentes liceat

CAP. IV. obtinere. Oblatæ sunt pietati vestræ preces, quarum exempla vestris literis subdidistis, sed in his quæ Catholicorum sunt deplorantium, subscriptio continetur, & quia causa probabilis est, fiducialiter nomina singulorum, vel dignitas sui honoris aperitur. In illis autem, quas orthodoxo Principi hæretica porrigere non formidauit obreptio, sub incerto confusæ vnitatis vocabulo, ideo certum nomen retrahitur, ne non solùm paucitas personarum, sed etiam meritum detegatur. Latere enim sibi vtile æstimat eorum quantitas, quorum est, & qualitas iudicata, nec incongruè cuius loci homines sunt, profiteri metuunt, qui meruere damnari. In vna ergo Catholicorum supplicatio continetur, in alia hæreticorum commenta panduntur. Hic sacerdotum Domini, & totius Christiani populi, ac monasteriorum defletur euersio: ibi immanium scelerum continuatio demonstratur, vt quod non licuit audiri, li-

CAP. V. Matth. 21. Marc. 11. Lucæ 19. 1. q. 1. Manifestum est per crudelis. Vide Enagrium l. 2. c. 8 & Niceph. lib. 15. c. 16.

ceat dilatari. Nónne perspicuum est, quibus pietas vestra succurrere, & quibus debeat obuiare, ne Alexandrina Ecclesia, quæ semper fuit domus orationis, spelunca nunc sit latronum? Manifestū quippe est, per crudelissimam, insanissimámque sæuitiam, omne illic cœlestium Sacramentorum lumen extinctum. Intercepta est Sacrificij Oblatio, defecit Chrismatis sanctificatio, & parricidalibus manibus impiorum omnia se subtraxere mysteria. Nec vllo modo ambigi potest, quid de his decernendum sit, qui pòst nefanda sacrilegia, post sanguinem probatissimi Sacerdotis effusum, & concremati corporis cinerem, in contumeliam aëris cœlique dispersum, audent sibi ius persuasæ dignitatis expetere & Apostolicæ doctrinæ inuiolabilem fidem ad Concilia prouocare. Magnum ergo vobis est, vt diademati vestro de manu Domini etiam fidei addatur corona, & de hostibus Ecclesiæ triumphetis: quia si laudabile vobis est aduersarum gentium arma conterere, quanta erit gloria, ab insanissimo tyranno Alexandrinam Ecclesiam, in cuius contritione omnium Christianorum est iniuria, liberare. Vt autem literæ meæ pietati tuæ colloquium quasi præsentis exhibeant, quicquid de communi fide fueram suggesturus, scriptis pro sequentibus insinuandum esse perspexi. Ac ne huius Epistolæ pagina in nimiam longitudinem tenderetur, aliis literis, quæ assertioni Catholicæ fidei congruunt, comprehendi, vt licet ea, quæ Sede Apostolica sunt prædicata sufficerent, insidias tamen hæreticorum etiam hæc, quæ sunt adiecta, reserarent. Sacerdotalem namque & Apostolicum tuæ pietatis animum, etiam hoc malum ad iustitiam vltionis debet accendere: quod Constantinopolitanæ Ecclesiæ puritatem pestilenter obscurat, in qua inueniuntur Clerici quidam, hæreticorum sensui consonantes, & intra ipsa Catholicorum viscera assertionibus suis hæreticorum partem adiuuantes. In quibus deturbandis, frater meus Anatolius cùm nimis benignè parcit, segnior inuenitur: dignamini pro fide vestra, etiam Ecclesiæ istam præstare medicinam, vt tales non solùm ab ordine clericatus, sed etiam ab vrbis habitatione pellantur, ne vlteriùs sanctus Dei populus peruersorum hominum contagio polluatur. Cultores autem pietatis tuæ Iulianum Episcopum, & Eutychium Presbyterum mea petitione commendo, vt suggestiones eorum pro Catholicæ defensione fidei placidè digneris audire: quia verè sunt eiusmodi, vt fidei vestræ possint per omnia vtiles inueniri. Data Kalendis Nouembris, Constantino & Rufo viris clarissimis Consulibus.

EPISTOLA LXXVI.

Ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum.

Leo Episcopus, Anatolio Episcopo.

Diligentiam necessariæ sollicitudinis, quam fraternitas tua in dirigendis ad nos literis exequitur, approbamus, & acceptis per filium nostrum Olympium Paginis tuis, sacerdotalem in te curam vigere sentimus: cui nos quoque (quantùm Dominus dat posse) non desumus, exorantes dilectionem tuam, vt quia tempus laboris incidimus, in sancta vigilantia perseueres, donec dextera Domini faciat virtutem, & sub pedibus Ecclesiæ suæ conterat tentatorem. Consolatur etenim nos per omnia Psalm. 117.
præparata diuinitùs clementissimi Principis fides, quem meo rursus, sicut oportuit, sum cohortatus alloquio: vt impiissimorum latronum ausibus, districtiore constantia faciat obuiari: quos nefas est tantum de suo fauore præsumere, vt etiam apud Constantinopolim audeant insanire. Sed hoc eis ideo diuinæ prouidentiæ ratione permittitur, vt magis ac magis quo spiritu agitentur, appareat: ne dubitari possit, in quantam essent audaciam prorupturi, si post damnationem impiissimæ hæresis disceptandi contra fidem acciperent potestatem, vt quantùm in ipsis est, latiùs hoc furore sæuirent, quem fratres & Coepiscopi nostri, qui ad nos nuper ex Ægypti partibus confugere, se pertulisse deplorant: quibus & à Christianissimo Principe, & a tuæ fraternitatis Deo placita charitate solatia pietatis impendi non ambigerem, etiamsi ipse non scriberes. Opportunum autem credidi, vt ad ipsos quoque scripta dirigerem, quæ illos possint in communis fidei proposito roborare, & quid pro patientia sua superna remuneratione mereamur, agnoscerent. Sicut beatus Apostolus docet, dicens: *Excipite itaque illos cum gaudio in Domino, & huiusmodi cum honore habete, quoniam propter fidem Christi vsque ad mortem accesserunt.* Philip. 2.
Illud sanè plurimum mihi displicere significo, quod inter dilectionis tuæ Clericos quidam esse dicuntur, qui aduersariorum conniueant prauitati, & vasa sanè 24. q. 3. Illud autem

iræ vasis misericordiæ misceantur. Quibus investigandis & seueritate congrua coërcendis debet diligentia tua vigilanter insistere:ita vt his,quibus prodesse non potuerit correctio, non parcat abcissio.
Matth. 18. Marc 9. Oportet enim nos Euangelici meminisse mandati,quod ab ipsa veritate præcipitur,vt si nos oculus, aut pes, aut dextera scandalizauerit, manus à compage corporis auferatur:quia melius sit, his in Ecclesia carere membris,quàm cum ipsis in æterna ire supplicia. Nam superfluò extra Ecclesiam positis resistimus,si ab his, qui intus sunt,in eis,quos decipiũt vulneramur. Abiicienda prorsus pestifera hæc à sacerdotali vigore patientia est, quæ sibimet peccatis
1 Reg. 2. aliorum parcendo non parcit. Sicut Heli quondam sacerdos filiorum suorum delicta tolerando, cum ipsis diuinæ iustitiæ sententiam meruit experiri;quia segni indiligentia dissimulauit plectere peccatores. Quantum itaque opportunitas iuuitat officij, religiosissimum Principem dilectio tua studeat frequentare,& non solùm regiam,sed & sacerdotalem ipsius mentem, precibus meis obsecrare persiste:vt memor communis fidei quam Spiritu sancto docente suscepimus,omnia hæreticorum machinamenta confringat,neque quicquam illis in Ecclesiis Christi licere patiatur, ne in eorum potestate sint diuina mysteria,quibus in domo Dei,pro scelerum suorum magnitudine,nec habitandi ius residet, nec orandi.Data
quinto. * pridie Idus Octobris, Constantino & Rufo viris clarissimis Consulibus.

EPISTOLA LXXVII.

Ad Anatolium Episcopum, per Patricium Diaconem missa.

Leo Episcopus, Anatolio Episcopo.

An. Christi 460.qui fuit annus Pontificatus S.Leonis 20. scripta est hæc epistola,& 2. sequentes.

LEctis dilectionis tuæ literis,quas per filium nostrum Patricium Diaconem direxisti, intellexi tibi studium meæ sollicitudinis displicere, qua secundum Dominicam charitatem, quam tibi à nobis impendi, vt experimentis plurimis approbasti, de cauendis his, qui communis fidei aduersarij dicerentur admonui, ne ad negligentiam rectoris referretur, si quisquam in Ecclesia Catholica ea prædicare præsumeret, quæ hæreticorum sensibus conuenirent. Quòd vtrùm veraciter fama iactaret, dilectionis tuæ inquirendum iudicio delegaui. Neque in aliquo honorem tuum læsi,cui discutienda ea quæ ad me erant perlata,commisi:vt scilicet Atticus Presbyter,quem talia audere cognouerã, nisi perfecta se satisfactione purgasset,& non solũ voce hæreticos, sed etiã propiæ manus subscriptione damnasset, à communionis gratia esset alienus. Qui scripta mittendo dubiæ fidei & professionis incertæ, confirmauit magis,quàm diluit quicquid ad nos de eo fama pertulerat: cùm si conscientiam suam voluisset probare synceram, non Eutychen sibi odiosum fuisse, sed quòd perfidiam ipsius reprobaret atque damnaret, debuit confiteri:quia aliud sunt humanæ,etiam inter Catholicos, simultates, aliud diabolici, quos fides Catholica damnat, errores.Et ideo, frater charissime,in nullo debes de nostra dictione dubitare,
Psal. 138. si Prophetæ exemplum sequaris,& dicas:*Nónne,qui te oderant Domine,oderam illos,& super inimicos tuos tabescebã?* Per omnia enim volo te esse certissimum, quod sicut meam existimationem illæsam cupio permanere,ita opto te quoque in omnibus irreprehensibilem reperiri.Prædictus autem Atticus,vt ab omni suspicione contraria liber appareat, quid in Eutychete anathematizet,ac damnet, euidenter ostendat,& in damnationẽ erroris expressi, remota omni dubitatione,subscribat: ita vt Chalcedonensis Symboli definitionem de fide,cui etiam dilectio tua subscribendo consensit,& quam Apostolicæ Sedis firmauit authoritas, profiteatur se per omnia seruaturum, adiecta subscriptione propriæ manus, quæ in Ecclesia Christiano populo præsente recitetur: vt pro Catholica fide, neque nos negligentes, neque ipse vltrà suspectus habeatur. Qui si in eadem prauitate perdurans, præceptis salubribus parere noluerit:sententiam Synodi Chalcedonensis,cuius definitionibus resultat,excipiat.Data 15. Kalendas Aprilis, Leone & Maiorano Augustis Consulibus.

EPISTOLA LXXVIII.

Ad Leonem Augustum per Philonem in rebus agentem directa.


Leo Episcopus, Leoni Augusto.

MVlto gaudio mens mea exultat in Domino,& magna mihi est ratio gloriandi, cùm clementiæ vestræ excellentissimam fidem augeri per omnia donis gratiæ cœlestis agnosco:& per incrementa diligentiæ deuotionem in vobis animi sacerdotalis experior. Nam in vestræ pietatis alloquiis non dubiè patet, quid per vos in totius Ecclesiæ salutem Spiritus sanctus operetur, & quantum vniuersorum fidelium precibus sit optandum, vt in omnem gloriam vestrum extendatur imperium, qui supra curam rerum temporalium, religiosæ prouidentiæ famulatum diuinis & æternis dispositionibus perseueranter impenditis: vt scilicet Catholica fides, quæ humanum genus sola viuificat, sola sanctificat,in vna confessione permaneat, & dissensiones, quæ de terrenarum opinionum varietate nascuntur,à soliditate illius petræ, supra quam ciuitas Dei ædificatur,abigantur. Hæc autem Dei munera ita demum nobis diuinitùs conferentur, si de his, quæ sunt præstita, non inueniamur ingrati: & tanquam nulla sint,quæ adepti sumus, contraria potius expetamus. Nam quæ patefacta sunt quærere, quæ perfecta sunt,retractare, & quæ sunt diffinita, conuellere:quid aliud est, quàm de adeptis gratiam non referre,& ad interdictæ arboris cibum, improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere? Vnde, quia ad pacem vniuersalis Ecclesiæ,& ad custodiam Catholicæ fidei, cura dignamini sollicitiore respicere,euidenter agnoscitis, quòd magnis hæreticorum audeter insidiis, vt inter Eutychis Dioscorique discipulos, & eum quem Apostolica Sedes direxerit, diligentior, tanquam nihil fuerit ante definitum, tractatus habeatur, & quod totius mundi Catholici sacerdotes in sancta Chalcedonensi Synodo probant, gaudéntque firmatum, in iniuriam etiam sacratissimi Cõcilij Niceni,efficiatur infirmũ. Quod enim nostris temporibus apud Chalcedonem de Domini nostri Iesu Christi Incarnatione firmatum est,hoc etiã apud Niceam mysticus ille Patrum numerus definiuit, ne Catholicorum confessio, aut vnigenitum Dei filium in aliquo crederet Patri imparem;aut eundẽ,cùm factus est filius hominis,non veram carnis nostræ atque animæ habuisse naturam. CAP. I.
Hæc hæretici nunquam non faciunt.
Detestandum ergo nobis est, perseuerantérque vitandum, quod fraus hæretica nititur obtinere, nec in aliquam disceptationem piè & plenè diffinita,reuocanda sunt,ne ad arbitrium damnatorum, ipsi de his videamur ambigere, quæ manifestum est, per omnia propheticis, & Euangelicis, & Apostolicis authoritatibus consonare. Vnde si qui sunt,qui ab CAP. II.

his, quæ cœlitus sunt constituta, dissentiunt, suis opinionibus relinquantur: & ab vnitate Ecclesiæ, cum ea, quam elegêre, peruersitate discedant. Nam nullo modo fieri potest, vt qui diuinis audent contradicere sacramentis, aliqua nobis communione socientur. Iactent se in sui eloquij vanitate, & de argumentationum suarum versutia, quæ inimica est fidei, glorientur: nobis placet, Apostolicis obedire
Coloss. 2. præceptis, dicentibus: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem seductionem hominum.* Nam
Gal. 2. secundum eundem Apostolum, si quæ destruxi, hæc ædifico, præuaricatorem me constituo, & eis me vltionum conditionibus subdo, quas non solùm authoritas beatæ memoriæ principis Martiani, sed etiam ego mea consensione firmaui. Quia sicut sanctè, veracitérque dixistis, perfectio incrementum, & adiectionem plenitudo non recipit. Vnde cùm sciam te, venerabilis Princeps, syncerissimo veritatis lumine imbutum, in nulla fidei parte nutare, sed sancto, perfectóque iudicio à prauis recta discernere, & à te refutandis amplectenda diuidere: obsecro, ne humilitatem meam de diffidentia putes esse culpandam, cum hæc mea cautio non solùm vniuersali Ecclesiæ consulat, sed etiam tuæ gloriæ famuletur: ne sub Imperij tui tempore, & hæreticorum aucta videatur improbitas, & Catholicorum perturbata securitas.
CAP. III. Quamuis ergo multùm per omnia de pietatis vestræ corde confidam, & per inhabitantem in vobis Spiritum Dei, satis vos instructum esse perspiciam: ne fidei vestræ vllus possit error illudere, præceptioni tamen vestræ in eo adnitar obedire, vt aliquos de fratribus mei dirigam, qui apud vos præsentiæ meæ instar exhibeant, & quæ sit Apostolicæ fidei regula, licet (vt dixi) vobis bene sit nota, demonstrent: patefacientes in omnibus & probantes, non esse omnino inter Catholicos computandos, qui definitiones venerabilis Synodi Nicenæ, vel sancti Chalcedonensis Concilij regulas non sequuntur: cùm vtrorumque sancta decreta ex Euangelico & Apostolico sit manifestum fonte prodire, & quicquid non est de irrigatione poculi Christi, poculi esse viperei. Prænoscat igitur pietas vestra venerabilis Imperator, hos, quos spondeo, dirigendos, non ad confligendum cum hostibus fidei, nec ad certandum contra illos, à Sede Apostolica profecturos: quia de rebus, & apud Niceam, & apud Chalcedonem (sicut Deo placuit) definitis, nullum audemus inire tractatum: tanquam dubia vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum sanctum fixit authoritas.

Obserua quàm sollicitè cauerit ne semel definita in dubium vocarentur.

CAP. IV. Instructioni autem paruulorum nostrorum, qui post lactis alimoniam cibo desiderant solidiore satiari, ministerij nostri præsidium non negamus. Et sicut simpliciores non spernimus, ita à rebellibus hæreticis abstinemus: memores præcepti
Matth. 7. Dominici, dicentis: *Nolite dare sanctum canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos.* Nimis quippe indignum, nimisque iniustum est, eos ad libertatem disceptationis admitti, quos significat
Psal. 17. Spiritus sanctus per Prophetam, dicens, Filij alieni mentiti sunt mihi: filij alieni inueterati. Qui etiamsi Euangelio non resisterent, de illis tamen se esse monstrarent, de quibus scriptum est: Deum se pro-
Tit. 1. fitentur scire, factis autem negant. Clamante adhuc
Genes. 4. iusti Abel sanguine aduersum impium Cain, qui increpatus à Domino, non requieuit ad pœnitudinem, sed exarsit ad cædem Cuius vindictam sic Domini iudicio volumus reseruari, vt improbus prædo & parricida crudelis in seipsum recidat, & nostra non teneat. Neque sanctæ Ecclesiæ, Alexandrinæ lamentabilem captiuitatem patiamini vlterius prolongari, cui oportet fidei vestræ iustitiæ que præsidio, suam restitui libertatem, vt per omnes Ægypti vrbes dignitas Patrum & ius sacerdotale reparetur. Data vndecimo Kalendas Aprilis, Leone & Maiorano Augusto Consulibus.



EPISTOLA LXXIX.

Ad Nicetam Episcopum Aquileiensem.

Capita Epistolæ sequentis.

Leo Episcopus, Nicetæ Aquileiensi Episcopo salutem.

REGRESSVS ad nos filius meus Adeodatus, Diaconus Sedis nostræ, dilectionem tuam poposcisse memorauit, vt de his à nobis authoritatem Apostolicæ Sedis acciperes, quæ quidem magnam difficultatem diiudicationis videntur adferre. Sed pro inspectione temporalium necessitatum adhibenda curatio est, vt vulnera, quæ hostilitatis aduersitate illata sunt, religionis maximè ratione sanentur.

CAPVT I.

CVm ergo per bellicam cladem, & per grauissimos hostilitatis incursus, ita quædam dicatis diuisa esse coniugia, vt abductis in captiuitatem viris fœminæ eorum remanserint destitutæ, quæ viros proprios, aut interemptos putarint, aut nunquam à dominatione crediderint liberandos, & ad aliorum coniugium * solitudine cogente, transiuerint, cúmque nunc statu rerum, auxiliante Domino, in meliora conuerso, nonnulli eorum qui putabantur periisse, remeauerint, meritò charitas tua videtur ambigere, quid de mulieribus, quæ aliis iunctæ sunt viris, à nobis debeat ordinari. Sed quia nouimus scriptum, quod à Deo iungitur mulier viro, & iterum præceptum agnouimus, vt quod Deus iunxit, homo non separet: necesse est, vt legitimarum fœdera nuptiarum redintegranda credamus, & remotis malis, quæ hostilitas intulit vnicuique, hoc quod legitimè habuit, reformetur: omnique studio procurandum est, vt recipiat vnusquisque quod proprium est.

sollicitudine.
Prou. 19.
Matth. 19.

CAPVT

CAPVT II.

NEc tamen culpabilis iudicetur, & tanquam alieni iuris peruaſor, qui perſonã eius mariti, qui iam non eſſe æſtimabatur, aſſumpſit. Sic enim multa, quæ ad eos qui in captiuitatem ducti ſunt, pertinebant, in ius alienum tranſire potuerunt: & tamen plenum iuſtitiæ eſt, vt eiſdem reuerſis propria reformentur. Quod ſi mancipiis, vel in agris, aut etiam in domibus, ac poſſeſſionibus ritè ſeruatur: quantò magis in coniugiorum redintegratione faciendum eſt, vt quod bellica neceſſitate turbatum eſt, pacis remedio reformetur.

CAPVT III.

ET ideo, ſi viri poſt longam captiuitatem reuerſi, ita in dilectionem ſuarum coniugum perſeuerant, vt eas cupiant in ſuum redire conſortium, omittendum eſt, & in culpabile iudicandum, quod neceſſitas intulit, & reſtituendum, quod fides poſcit.

CAPVT IV.

SI autem aliquæ mulieres ita poſteriorum virorum amore ſunt captæ, vt malint his cohærere, quam in legitimum redire conſortium, meritò ſunt notandæ, ita vt etiam Eccleſiaſtica cõmunione priuentur, * quia inexcuſabiliter contaminationem criminis eligerunt, oſtendentes ſubimet pro ſua incõtinentia placuiſſe, quod iuſta remiſſio potuit expiare. Redeant ergo in ſuum ſtatum voluntaria redintegratione coniugia, neque vllo modo ad opprobrium malæ voluntatis trahatur, quod conditio neceſſitatis extorſit, quia ſicut hæ mulieres, quæ reuerti ad viros ſuos nolunt, impiæ habendæ ſunt, ita illæ, quæ in affectum initum ex Deo redeunt, meritò ſunt laudandæ.

CAPVT V.

DE his autem Chriſtianis, qui inter eos, à quibus fuerant captiuati, immolatitiis cibis aſſeruntur eſſe polluti, conſultationi charitatis tuæ hoc etiam reſpondendum eſſe credidimus: vt pœnitentiæ ſatisfactione purgentur, quæ non tam temporis longitudine, quàm cordis compunctione penſanda eſt. Et ſiue hoc terror extorſerit, ſiue fames ſuaſerit, non dubitetur abolendum, cùm huiuſmodi cibus, pro metu aut indigentia, non pro religionis veneratione ſit ſumptus.

CAPVT VI.

HIs verò, de quibus dilectio tua ſimiliter nos credidit cõſulendos, qui ad iterandum baptiſmũ vel metu coacti ſunt vel errore traducti, & nũc ſe contra Catholicæ fidei ſacramentũ egiſſe cognoſcunt, ea cuſtodienda eſt moderatio, qua in ſocietatem noſtram non niſi per pœnitentiæ remedium, & per impoſitionẽ Epiſcopalis manus, cõmunionis recipiant vnitatem, temporis pœnitudinis habita moderatione, tuo cõſtituenda iudicio prout cõuerſorũ animos perſpexeris eſſe deuotos, pariter etiam habens ſenilis ætatis intuitum, & periculorum quorumcũque aut ægritudinis reſpiciens neceſſitates, in quibus ſi quis ita grauiter vrgeatur, vt dũ adhuc ſperatur, de ſalute ipſius deſperetur, oportet ei per ſacerdotalem ſollicitudinem communionis gratia ſubueniri.

26.q.9. Tempora pœnitudinis.

CAPVT VII.

NAm hi, qui baptiſmũ ab hæreticis acceperunt, cùm baptizati anteà non fuiſſent, ſola inuocatione Spiritus ſancti per impoſitionem manuum confirmandi ſunt, quia formam tantum baptiſmi ſine ſanctificationis virtute ſumpſerunt. Et hanc regulam (vt ſcitis) ſeruandam omnibus Eccleſiis prædicamus, vt lauacrum ſemel initum nulla iteratione violetur, dicente Apoſtolo: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma.* Cuius ablutio nulla iteratione temeranda eſt, ſed (vt diximus) ſola ſanctificatio Spiritus ſancti inuocanda eſt: vt quod ab hæreticis nemo accepit, à Catholicis ſacerdotibus conſequatur. Hanc autem epiſtolam noſtram, quam ad conſultationem tuæ fraternitatis emiſimus, ad omnes fratres & comprouinciales tuos Epiſcopos facies peruenire, vt in omnium obſeruantia data proſit authoritas. Data 12, Kalendarum Aprilium, Maiorano Auguſto primùm Conſule.

1.q.1. Hi qui baptiſma.

a.q.1. Hanc regulam.

Epheſ.4.

EPISTOLA LXXX.

Ad vniuerſos Epiſcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum conſtitutos.

Leo vniuerſis Epiſcopis per Campaniam Samnium, & Picenum conſtitutis.


MAgna indignatione cõmoueor, & multo dolore contriſtor, quod quoſdã ex vobis comperi ita eſſe Apoſtolicæ traditionis oblitos, & ſtudio ſui erroris intentos: vt præter Paſchæ feſtum, cui ſola Pentecoſtes ſolennitas comparatur, audeat ſibimet, non aliqua humanæ infirmitatis neceſſitate cogente, ſed ſola indiſciplinati arbitrij libertate, ius Baptiſmatis vindicare, & in Natalibus Martyrum, quorũ finis aliter honorandus eſt, quam dies Dominicæ Paſſionis, regenerationis celebrare myſteria, ac ſine vllis ſpiritualium eruditionibus præparationum, ita rudibus & imperitis tradere ſacramentũ, vt circa renouãdos nihil doctrinæ Eccleſiaſticæ, nihil in exorciſmis impoſitio manuum, nihil ipſa ieiunia, quibus vetus homo deſtruitur, operentur, neque in tãto myſterio ſalutis humanæ vlla eius diei habeatur exceptio, quo ipſum donum eſt conditum renaſcentibus. Admonemus igitur, & non ſine periculo ſtatus eorũ, qui hoc faciũt, proteſtamur: vt ab hac præſumptione ceſſetur, & ſummã hanc potentiſſimámque Dei gratiam, non niſi in Paſchali & Pentecoſtes die deſiderantibus & credentibus conferatis: manente quolibet tempore grauium neceſſitatum, ac periculorum conſideratione, ſecundum quam oporteat ſubuenire, ne conditione mortali coarctata infirmitas neceſſaria liberatione fraudetur, cùm ſeruata (ſicut prælocuti ſumus) duarum tantummodo feſtiuitatum reuerentia, propter multa pericula ſit cauendum, ne cuiquam aut in deſperata ægritudine, aut in hoſtilitatis incurſu, aut in timore naufragij, per ſacerdotem Domini regeneratio denegetur. Si quis verò poſt hoc interdictũ, in eadem fuerit vſurpatione detectus, dignam pertinaciæ ſuæ incidet vltionem quoniam oſtendit ſe turpe potius lucrum quam religionis cultum eſſe ſectatum. Illam etiam, contra Apoſtolicam regulam, præſumptionẽ, quam nuper agnoui à quibuſdã illicita vſurpatione committi, modis omnibus conſtituto, ſubmoueri) de pœnitentia videlicet, quæ ita à fidelibus poſtulatur) ne de ſingulorum peccatorum genere, libellis ſcripta profeſſio publicè recitetur: cùm reatus cõſcientiarum ſufficiat ſolis ſacerdotibus indicari confeſſione ſecreta

An.Chriſti 461. qui fuit annus Pontificatus S. Leonis 21. ſcripta eſt epiſtola.

Confessio auricularis & secreta. De pœnitentia dist. 2 Quamuis plenitudo.

ne secreta, Quamuis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur, tamen quia non omnium huiusmodi sunt peccata, vt ea, quæ pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, remoueatur tam improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur: dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quæ primùm Deo offertur, tunc etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentiam peccator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis. Datum pridie Nonas Martij Recimero Consule.

Reliquarũ epistolarum, quæ carent vel data, vel consulibus situatio & ordo, quia latet ob distictã causam, relinquitur alij circumque in posterum diligentius scrutanti vel collectori melius sentienti: Nihilominus continuatur numerus epistolarum, etiam circa sequentes: quatenus lectori facilius commodiusque occurrant, cùm aliquam earum ipsum quærere contigerit.



EPISTOLA LXXXI.

Ad Dioscorum Alexandrinum Episcopum.

Capita Epistolæ sequentis.

De ordinatione Presbyteri aut Diaconi, vt Sabbato sancto celebretur, id est, die Dominico. I.

De festiuitatibus, vt si vna agenda, id est, Missæ celebratio, populis non suffecerit, nulla sit dubitatio iterandi sacrificium. II

Leo Episcopus, Dioscoro Episcopo Alexandrino salutem.



QVANTVM dilectioni tuæ Dominicæ charitati, impendamus affectum, ex hoc poteris approbare, quod tua firmius* desideramus fundare initia, ne quid charitati tuæ ad perfectionem deesse videatur, cùm tibi* specialis gratiæ merita (vt probauimus) suffragentur. Paterna igitur & fraterna collatio debet sanctitati tuæ esse gratissima, & à te taliter suscipi, quemadmodum à nobis eam intelligis proficisci. Vnum enim nos sentire oportet & agere, vt (sicut legimus) in nobis quoque vnum esse cor & anima comprobetur. Cùm enim beatissimus Petrus Apostolicum à Domino acceperit principatum & Romana Ecclesia in eius permaneat institutis, nefas est credere quod sanctus discipulus eius Marcus, qui Alexandrinam primus Ecclesiam gubernauit, aliis regulis traditionum suarum decreta formauerit, cùm sine dubio de eodem fonte gratiæ vnus spiritus fuerit & discipuli & magistri, nec aliud ordinatus tradere potuerit quàm quod ab ordinatore suscepit. Non ergo patimur, vt cùm vnius nos esse corporis & fidei fateamur, in aliquo discrepemus, & alia doctoris, alia discipuli instituta videantur.

festinamus — *spiritualis.* — Act. 4. 24. quæst. 1. Cum beatissimus.

CAPVT I.

QVod ergo à Patribus nostris propensiore cura nouimus esse seruatum, à vobis quoque volumus custodiri, vt non passim diebus omnibus Sacerdotalis vel Leuitica ordinatio celebretur, sed post diem sabbati eius noctis, quæ in prima sabbati lucescit, exordia deligantur, *est, sub lege diuini officij substituatur,* in quibus his, qui consecrandi sunt, ieiuniis, & ieiunantibus sacra benedictio conferatur. Quod eiusdem obseruantiæ erit, si mane ipso Dominico die continuato sabbati ieiunio celebretur, à quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quam ad diem resurrectionis, sicut etiam in Pascha Domini declaratur pertinere non dubium est. Nam præter authoritatem consuetudinis, quam ex Apostolica nouimus venire doctrina, etiam sacra scriptura manifestat, quod cùm Apostoli Paulum & Barnabam ex præcepto Spiritus sancti ad Euangelium gentibus mitterent prædicandum, ieiunantes & orantes imposuerunt eis manus, vt intelligamus quanta & dantium & accipientium deuotione curandum sit, ne tantæ benedictionis sacramẽtum negligenter videatur impletum. Et ideò piè & laudabiliter Apostolicis morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum Sacerdotum formam per Ecclesias, quibus Dominus præesse te voluit, etiã ipse seruaueris: vt his, qui consecrandi sunt, nunquam benedictiones, nisi in die Resurrectionis Dominicæ tribuantur, cui à vespera sabbati initium constat adscribi, & quæ tãtis diuinarum dispensationum mysteriis est consecrata, vt quicquid est à Domino insigniùs constitutum, in huius diei dignitate sit gestum. In hac mundus sumpsit exordium, in hac per resurrectionem Christi, & mors interitum & vita accepit initium. In hac Apostoli à Domino prædicandi omnibus gentibus Euangelij tubam sumunt, & inferendum vniuerso mundo sacramentum regenerationis accipiunt. In hac (sicut beatus Ioannes Euangelista testatur) congregatis in vnum discipulis, ianuis clausis, cùm ad eos dominus introisset, insufflauit, & dixit. Accipite Spiritum sãctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum detinueritis, detenta erunt. In hac denique promissus à Domino Apostolis Spiritus sanctus aduenit: vt cœlesti quadam regula insinuatum & traditum nouerimus, in illa die celebranda nobis esse mysteria Sacerdotalium benedictionum, in quo collata sunt omni dona gratiarum.

In decret. Iuonis lib. 3. Act. 13. — Ioan. 20. — Ioan. 13. & 16.

CAPVT II.

VT autem in omnibus obseruantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri: vt cùm solemnior festiuitas conuentum populi numerosioris indixerit, & ad eam tanta fidelium multitudo cõuenerit, quam recipere Basilica simul vna non possit, Sacrificij oblatio indubitanter iteretur: ne his tantum admissis ad hanc deuotionen, qui primi aduenerint, videantur hi, qui postmodum confluxerint, non recepti, cùm plenum pietatis atque rationis sit, vt quoties Basilicam, qua agitur, præsentia nouæ plebis impleuerit, toties sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem, vt quædam pars populi sua deuotione priuetur, si vnius tantũ Missæ more seruato, sacrificium offerre non possit, nisi qui prima diei parte conuenerint. Studiosè ergo dilectionẽ tuam & familiariter admonemus, vt quod nostræ consuetudini ex forma paternæ traditionis insedit, tua quoque cura non negligat.* vt per omnia nobis & fide & actibus congruamus. Propter quod remeanti filio nostro Possidonio Præsbytero, hanc ad fraternitatem tuam epistolã dedimus perferendam, qui nostris processionibus atque ordinationibus frequenter interfuit, & toties ad nos missus, quid in omnibus Apostolicæ Sedis authoritatis teneremus, agnouit. Data Calendis Iuliis.

De consec. dist 1. Necesse est. — *vt omnia nobis ex fi. & actibus congruant.*

EPISTO

EPISTOLA LXXXII.

Ad Iulianum Coënsem Episcopum.

Leo Episcopus, Iuliano Coënsi Episcopo.

LIteras dilectionis tuæ quas per filium meum virum illustrem Isichium direxisti, eo tempore accepi, quo recentioribus epistolis tuis iterata iam occasione responderem. Vnde quia etiam in his alloquiis tuis eadem de impiissimis hæreticis iusto dolore conquestus es, congruum fuit, quo ad scribendum opportunitas extitit, non tacere. In causa itaque fidei, quicquid pro nostro officio oportuit, ac potest, iuuante Domino, & sollicitè & libenter exequimur: vt Euangelio Christi irreprehensibiliter seruiamus, ne per desidiam nostram vlla pars Ecclesiæ Catholicæ neglecta, videatur. Propter quod, sicut omnibus notum est, non destiti laborare, vt manifestata atque defensa Incarnationis Dominicæ veritate, omnis fraternitas, quid vbique, secundum doctrinam Apostolicam, & tenendum & docendum esset, agnosceret, accedente gloriosissimorum Principum studio diuinitus inspiratio, vt in ciuitate Chalcedonensi Synodo congregata, hæretica damnaretur impietas, ne vel quisquam sectator Nestorij, vel vllus discipulus Eutychis liberum possit cum Catholicis habere consortium: cum (quod ad sancti Concilij authoritaté pertinet) nulla vsquam remanserit discordia. Si qui autem sua obduratione cæcati, ita in reprobi sensus amentiam transierunt, vt mallent furere, quàm sanari: ad Imperialem pertinet potestatem, vt perturbatores Ecclesiæ, pacis & Reipublicæ, quæ Christianis Principibus meritò gloriatur, inimici sollicitus comprimantur. Vt autem Imperialis est, (vt diximus) potestatis, tumultus publicos ac seditiones sacrilegas seueriùs coërcere: ita authoritatis est sacerdotalis, monachis prædicandi aliquam contra fidem licentiam non præbere, & omni virtute resistere, ne ea, quæ ad sacerdotes pertinent, sibi audeant vindicare. Vnde miramur fratrem Talasium Episcopum, quod Georgio nescio cui qui præsumendo illicita, & propositum monachi, & nomen amisit, scribendi, vel prædicandi aliquam permiserit facultatem. Ad quem Episcopum (si dilectioni tuæ visum fuerit) ex hac parte competentia scripta mittamus. Agat itaque fraternitas tua opportunis suggestionibus vt clementissimus Princeps, quæ Domino sunt placitura, præcipiat, & incentores cruentarum seditionum iubeat competentius coërceri: vt nec illi impuniti sint, quorum manus scelera perpetrarunt, nec illi qui talium vtuntur insania. Si autem inquisitio iudicaria & confessio reorum ad eas personas peruenit, quarum vel consilio vel impulsu mala tanta commissa sunt, nullius fauoris eis sunt præstanda solatia. Quantum enim meliora de ipsis sunt credita, tantum sunt amplius detestandi, quorum nunc impietas, quæ per hypocrisim fuerat velata, deregitur. Et ideo agat Christianissimus & piissimus Imperator, quod paci Ecclesiasticæ intelligit profuturum. Quem superna inspiratione ita instruendum esse confido: vt & disciplina inquietos reuocare, & à sanguine eorum iubeat abstineri: quamuis nil vltionum non mereantur subire, qui ausi sunt & diuinis & humanis constitutionibus repugnare.

EPISTOLA LXXXIII.

Ad Palæstinos Episcopos.

Leo Episcopus vniuersis Episcopis, per Palæstinam constitutis.

SOllicitudini meæ, quam vniuersali Ecclesiæ, omnibúsque eius filiis debeo, multorum relatione patefactum est dilectionis vestræ animis quiddam offensionis illarum, dum aut imperiti (vt apparet) interpretes aut maligni, quædam vos aliter intelligere, quam à me sunt prædicta, fecerunt, non valentes in Grecum eloquium aptè & propriè Latina transferre, cùm in rebus subtilibus, & difficilibus explicandis, vix sibi etiam in sua lingua disputator quisque sufficiat. Quod tamen apud me eò profecit, vt dum ea, quæ Catholica fides respuit, improbatis, intelligamus vos veris amiciores esse, quàm falsis, & id merito refutare; quod ex antiquæ institutione doctrinæ etiam * ipse detestor. Quamuis enim epistola mea, ad sanctæ memoriæ Flauianum Episcopum data, satis sibi ad manifestationem sui ipsa sufficiat: neque in aliquo, aut purgationis, aut expositionis indigeat, & alia tamen cum eadem mea scripta concordant, in quibus similiter prædicationis meæ sensus in aperto est: necessi[t]a[t]em enim habens contra hæreticos, qui multos Christi populos conturbauerant, disserendi, & clementissimis Principibus, & Sancto Concilio Synodali, & Constantinopolitanæ Ecclesiæ, quid de Incarnatione Verbi, secundum Euangelicam Apostolicámque doctrinam, deberemus sapere ac sentire, patefeci, & in nullo à sanctorum Patrum confessione discessi: quia vna est: vera, singularis, perfecta, inuiolabilis Catholica fides, cui nihil addi, nec minui potest. Quã Nestorius prius, & nunc Eutiches diuersa quidẽ assertione, sed simili impietate impugnare conati sunt, & Ecclesiæ Dei duas hæreses sibimet contrarias inferre tentarunt, vt vterque à discipulis veritatis meritò damnaretur: quia insanum nimis & sacrilegum fuit, quod varia falsitate ambo senserunt. Anathematizetur ergo Nestorius, qui beatam virginẽ Mariam hominis tantummodo credidit genetricem, vt aliam personam carnis, aliam faceret deitatis, nec vnum Christum in Verbo Dei & carne sentiret, sed separatim atque seiunctim, alium filium Dei, alium hominis prædicaret: cùm tamẽ manente illa incommutabilis Verbi essentia, quæ ei cum Patre & Spiritu sancto intemporalis atque coæterna est, ita intra virginea viscera Verbum caro fit factum, vt vno cõceptu, vnoque partu eadem virgo secundum vnionem vtriusque substantiæ & ancilla Domini esset & mater. Quod etiam Elizabeth (sicut Lucas Euangelista declarat) intellexit & dixit: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Eutyches quoque eodem percellatur anathemate, qui per impios veterum hæreticorum volutatus errores, tertium Apollinaris dogma delegit: vt negata humanæ carnis atque animæ veritate totum Dominum nostrum Iesum Christum vnius asserat esse naturæ, tanquam Verbi deitas ipsa se in carnem animámque conuerterit, & concipi & nasci, nutriri, & crescere, crucifigi ac mori, sepeliri ac resurgere, & ascẽdere in cœlum & in Patris Dextera, vnde ad iudicandos viuos & mortuos veniet, confidere, diuinæ eius tantùm essentiæ fuerit, quæ nihil horum in se sine carnis veritate recipit: quoniam natura vnigeniti, natura est

CAP. I.

Cum hac epistola conueniunt pleraque in Epist. 97.

ipse Eutyches detestatur.

Nestorius Eutyches hæretici.


CAP. II.

Luc 1.

Patris, natura est Spiritus sancti, simúlque impassi-
bilis, simul est incommutabilis, sempiternę Trinitatis
indiuisa vnitas, & consubstantialis æqualitas. Vnde
si ab Apollinaris peruersitate hæreticus iste descis-
cit, ne conuincatur deitatem passibilem sentire at-
que mortalem, & tamen Verbi incarnati, id est, Ver-
bi & carnis vnam audet pronunciare naturam: non
dubiè in Manichæi & Marcionis transit insaniam,
& mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum
Christum simulatoriè omnia credit egisse, nec hu-
manum in ipso corpus, sed phantasticam corporis
CAP. III. speciem oculis apparuisse cernentium. Quæ impie-
tatis mendacia quoniam olim fides Catholica de-
testatur, & talium sacrilegia concordibus per to-
tum mundum beatorum Patrum sunt damnata sen-
tentiis: quicumque illi sunt ita obcæcati, & à lu-
mine veritatis alieni, vt Verbo Dei à tempore incar-
nationis, humanam, id est, nostram negent inesse na-
turam ostendant, in quo sibi Christianum nomen
vsurpent, & cum Euangelio veritatis, qua ratione
concordent, si per beatæ virginis partũ, aut caro sine
deitate, aut deitas est orta sine carne. Sicut enim
Ioan. I. negari non potest, quod Verbum caro factum est,
& habitauit in nobis: ita negari non potest, quod
2. Cor. 5. Deus erat in Christo, mundũ reconcilians sibi Quæ
autem reconciliatio esse potest, qua humano generi
propitiaretur Deus, nisi omnium causam mediator
Dei hominúmque susciperet. Qua verò ratione ve-
ritatem mediatoris impleret, nisi qui in forma Dei
æqualis erat Patri, in forma serui particeps esset &
nostri: vt per vnum nouum hominem fieret renoua-
tio vetustatis, & mortis vinculum vnius præuarica-
tione contractum, vnius morte, qui solus morti ni-
hil debuit, solueretur? Effusio enim pro iniustis san-
guinis iusti tam potens fuit ad priuilegium, tam di-
ues ad pretium: vt si vniuersitas captiuorum in
redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vin-
Rom. 5. cula retinerent: quoniam (sicut Apostolus ait) *vbi
abundauit peccatũ, superabundauit & gratia*. Et cùm
sub peccati præiudicio nati potestatem acceperint ad
iustitiam renascendi: validius factum est donum li-
CAP. IV. bertatis, quam debitum seruitutis. Quam itaque sibi
in huius sacramenti præsidio spem relinquunt, qui
in Saluatoris nostri corpore negant humanæ substã-
Ephes. 5. tiæ veritatem? Dicant quo sacrificio reconciliati, di-
cant quo sanguine sint redempti? quis est qui tradi-
dit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam
Deo in odorem suauitatis? Aut quod vnquam sa-
crificium sacratius fuit, quam quod verus Pontifex
Altari Crucis per immolationẽ suæ carnis imposuit?
Psalm. 115. Quamuis enim multorum sanctorum in conspectu
Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen inson-
tis occisio, propitiatio fuit mundi. Acceperunt iusti,
non dederunt coronas, & de fortitudine fidelium
exempla nata sunt patientiæ, non dona iustitiæ. Sin-
gulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alte-
rius quisquam debitum suo fine persoluit, cum in-
ter filios hominum vnus solus Dominus noster Ie-
sus Christus extiterit, in quo omnes crucifixi, om-
nes mortui, omnes sepulti, omnes sunt etiam susci-
Ioan. 12. tati. De quibus ipse dicebat: *Cùm exaltatus fuero à
terra, omnia trahã ad me*. Fides etenim vera iustificãs
impios, & creans iustos, ad humanitatis suæ tracta
participem, in illo acquirit salutem, in quo solo ho-
mo se inuenit innocentem, liberum habens per gra-
tiam Dei de eius potentia gloriari, qui contra hostem
superbum in carnis nostræ humilitate congressus,
his victoriam suam tribuit, in quorũ corpore trium-
CAP. V. phauit. Quamuis ergo in vno Domino nostro Iesu
Christo, vero Dei atque hominis filio, Verbi & car-
nis vna persona sit, & vtraque essentia cõmunes ha-
beat actiones: intelligendæ tamen sunt ipsorum ope-
rum qualitates, & synceræ fidei contẽplatione cer-
nendum est, ad quæ prouehatur humilitas infirmi-
tatis, & ad quæ inclinetur altitudo virtutis: quid sit, Luc 1.
quod caro sine Verbo non agit, & quid sit quod Luc 2.
Verbum sine carne non efficit: Sine Verbi enim po- Matth. 2.
tentia, nec conciperet virgo, nec pareret: & sine ve-
ritate carnis obuoluta pannis infantia nõ iaceret. Si-
ne Verbi potentia non adorarent Magi puerũ nouo
sydere declaratum: & sine veritate carnis non iube-
retur transferri in Ægyptũ puer, & ab Herodis per Matth. 3.
secutione subduci. Sine Verbi potentia non diceret Marc. 1.
vox Patris, missa de cœlo, *Hic est filius meus dilectus*, Ioan. 11.
in quo mihi complacui: & sine veritate carnis nõ pro- Matth. 4.
testaretur Ioannes, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit pec-* Ioan. 1.
cata mundi. Sine Verbi potentia non fieret redinte- Ioan. 16.
gratio debilium, & viuificatio mortuorum: & sine Ioan. 15.
veritate carnis, nec cibus ieiunio, nec somnus esset
necessarius fatigato. Postremo, sine Verbi potentia,
non se Dominus Patri profiteretur æqualem, & sine
veritate carnis non idem diceret patrem se esse ma-
iorem: cùm Catholica fides vtrumque suscipiat,
vtrumque defendat, quæ secundum proprietatem
diuinæ humanæque substantiæ vnum Dei filium, &
hominem credit, & Verbum. Quamuis ergo ab illo CAP. VI.
initio, quo in vtero virginis Verbum caro factũ est,
nihil vnquam inter diuinam humanámque substan-
tiam diuisionis extiterit, & per omnia incrementa
corporea, vnius personæ fuerint totius temporis
actiones: ea ipsa tamen, quæ inseparabiliter facta
sunt nulla permixtione confundimus, sed quid cuius
formæ sit ex operum qualitate sentimus. Nec diui-
na enim humanis præiudicant nec humana diuinis,
cùm ita in idipsum vtraque concurrant, vt in eis nec
proprietas absumatur, nec persona geminetur. Dicãt Ioan. 19.
igitur isti phantasmatici christiani, quæ sub antia Ibidem.
Saluatoris affixa sit ligno, quæ iacuerit in sepulchro, Matth. 28.
& reuoluto monumenti lapide, quæ tertio die caro Lucæ 23.
surrexerit, vel quale corpus Iesus discipulorum vi- Ioan. 20.
sui, clausis ad eos ostiis ingressus, intulerit: cùm ad Ibidem.
abigendam cernentium diffidentiam, inspici oculis,
digitisque tractari, patentes adhuc fixuras clauorum
& recens compuncti lateris vlnus exigeret. At si in
tanta luce veritatis tenebras suas hæretica obdura-
tio non relinquit: ostendant, vnde sibi spem vitæ
polliceantur æternæ, ad quam nisi per mediatorem
Dei & hominum, hominem Iesum Christum non Act. 4.
potest perueniri. Non enim est aliud nomen datum
hominibus sub cœlo, in quo oporteat saluos fieri:
nec est redemptio captiuitatis humanæ, nisi in san-
guine eius, qui dedit semetipsum redemptionem pro
omnibus. Qui (sicut prædicat beatus Apostolus,) *Cũ* 1 Tim. 2.
in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse Philip. 2.
*æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam ser-
ui accipiens, in similitudinem hominum factus, & ha-
bitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus
obediens vsque ad mortem, mortem autẽ crucis. Propter
quod & Deus illum exaltauit & donauit illi nomen,
quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne
genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum,
& omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Chri-
stus in gloria est Dei patris*. Quamuis ergo vnus sit
Dominus Iesus Christus, & veræ deitatis, veræque CAP. VII.
humanitatis in ipso vna prorsus eadémque persona
sit, neque huius vnitionis soliditas vlla possit diuisio-
ne seiungi: exaltationem tamen, qua illum exaltauit
Deus, & donauit illi nomen, quod super omne nomẽ
excellit, ad eã intelligimus pertinere formã, quæ ditã-
da erat tãtæ glorificationis augmẽto. In forma quip-
pe Dei, æqualis erat filius patri, & inter genitorẽ at-
que vnigenitũ nulla erat in essentia discretio, nulla in
maiestate

maiestate diuersitas, nec per Incarnationis mysterium, aliquid decesserat Verbo, quod ei patris munere redderetur. Forma autem serui, per quam impassibilis deitas sacramentum magnæ pietatis impleuit, humana humilitas est, quæ in gloriam diuinæ potestatis euecta est, in tantā vnitatem ab ipso conceptu virginis deitate & humanitate cōnexa, vt nec sine homine diuina, nec sine Deo agerentur humana. Propter quod sicut Dominus maiestatis dicitur crucifixus, ita qui ex sempiternitate æqualis est Deo, dicitur exaltatus. Nec interest ex qua Christus substantia nominetur; cùm inseparabiliter manente vnitate personæ, idem sit & totus hominis filius propter carnem, & totus Dei filius propter vnam cum patre deitatem. Quicquid ergo in tempore accepit Christus, secundū hominem accepit, cui quæ non habuit, conferuntur. Nam secundum potentiam Verbi indifferenter omnia, quæ habet pater, etiam filius habet, & quæ in forma serui à patre accepit, eadem in forma patris etiam ipse donauit, & idem ipse & diues & pauper. Diues, quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Pauper verò, quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Quæ autem est eius exinanitio, quæve paupertas, nisi formæ seruilis acceptio? per quā, Verbi maiestate velata, dispensatio humanæ redemptionis impleta est? Nam quia captiuitatis nostræ resolui originalia vincula non poterant, *& ab hostis imperio relaxari*, nisi existeret homo nostri generis, nostræque naturæ, quæ veteris debiti præiudicia non teneret, & qui immaculato sanguine suo chirographum lethale dilueret, sicut ab initio erat diuinitus præordinatum; *& prophetarum oraculis prænunciatum*: ita est in plenitudine præfiniti temporis factum, vt multis modis significata promissio, in diu expectatum veniret effectum, nec posset esse ambiguum, quod continuis significationibus semper fuerat nunciatum. Destructis itaque tot hæresibus, quæ per sanctam deuotionem præsidentium Patrum, à corpore sunt Catholicæ vnitatis abscissæ, quæque ideo extorres à Christo esse meruerunt, quia Verbi Incarnationem, quæ singularis est rectè credentium salus, fecerunt sibi lapidem offensionis & petram scandali: miror dilectionem vestram in discernendo veritatis lumine laborare. Et cum multis manifestationibus declaratum sit, quàm rectè & Nestorium & Eutychen cum Dioscoro fides Christiana damnauerit, nec Christianus possit vocari, qui vel illius, vel horum impietati præbet assensum: doleo vos Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ (vt audio) resultare, exagitando seditionibus ciuitates, conturbando Ecclesias, nec solùm iniurias, sed etiam cædes Presbyteris atque Episcopis inferendo: vt præ furore & sæuitia, propositi vestri & professionis sitis immemores. Vbi est regula mansuetudinis & quietis? Vbi longanimitas patientiæ, vbi tranquillitas pacis, vbi firmamentum dilectionis, & tolerantiæ fortitudo? Quæ vos ab Euangelio Christi aut persuasio abduxit, aut persequutio separauit? vel quæ tanta extitit decipientis astutia, vt obliti Prophetarum & Apostolorum, obliti Symboli salutaris & confessionis, quam pronunciantes coram multis testibus, sacramentum baptismi suscepistis, diabolicis vos illusionibus subderetis? Quid apud vos acturæ fuerant vngulæ, quid sæua tormenta, si ad expugnandum fidei vestræ integritatem tantum vana hæreticorum commenta valuerunt? Pro fide vos agere creditis, & fidei contraitis. Ecclesiæ nomine armamini, & contra Ecclesiam dimicatis. Hoc à Prophetis, hoc ab Euangelistis, hoc ab Apostolis didicistis, vt negantes veram Christi carnem, & ipsam Verbi essentiam passioni mortique subdentes, alienam faciatis nostram à suo reparatore naturam, totumque quod crux intulit, quod lancea vulnerauit, quod sepulchri lapis suscepit & reddidit, solum fuisse opus diuinæ potentiæ, non etiam humilitatis humanæ? Propter quam Apostolus dicit, *Non enim erubesco Euangelium*: quoniam nouerat, quale Christianis obiiceretur opprobrium ab inimicis. Et ideo etiam Dominus protestabatur, dicens: Qui me confessus fuerit coram hominibus, & ego confitebor illum coram patre meo. Hi enim non erunt digni confessione filij & patris, quibus nunc caro Christi verecundiam facit: probabuntque se nullam de signo crucis sumpsisse virtutem, qui quod præferendum frontibus acceperunt, promere labiis erubescunt. Declinate filij ab his diabolicis persuasionibus, declinate. Veritatem Dei nulla res violat, sed veritas nos nisi in nostra carne non saluat. Veritas quippe (sicut Propheta ait) de terra est, & sic Verbum Maria virgo concepit, vt vniendam *sibi carnem de sua substantia ministraret: nec cum adiectione personæ, nec cum euacuatione naturæ, quoniam qui erat in forma Dei, ita accepit formam serui, vt vnus atque idem in forma vtraque est Christus, inclinante se Deo vsque ad infima hominis, & proficiente homine vsque ad summa deitatis: dicente Apostolo. Quorum Patres, & ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia benedictus in sæcula, Amen.

[Margin notes: 1. Cor. 8. Ioan. 1. ibidem. Coloss. 2. CAP. VIII. 1. Petr. 2. Rom. 1. Marc. 8. Luc 12. CAP. IX. Psalm. 84. *sibi. Rom. 6.]



EPISTOLA LXXXIV.

Ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum.

Capita Epistolæ sequentis.

Leo

Leo Epiſcopus vrbis Romæ, Anaſtaſio Epiſcopo Theſſalonicenſi.



Q VANTA fraternitati tuæ à beatiſſimi Petri Apoſtoli * authoritate ſint commiſſa, & qualia etiam noſtro tibi fauore ſint credita, ſi vera ratione perſpiceres, & iuſto examine ponderares, multùm poſſemus de iniunctæ tibi ſollicitudinis deuotione gaudere. *Sede.*

CAPVT I.

QVoniam ſicut præceſſores mei præceſſoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum ſecutus exemplum, vices mei moderaminis delegaui, vt curam, quam vniuerſis Eccleſiis principaliter ex diuina inſtitutione debemus, imitator noſtræ manſuetudinis effectus adiuuares, & longinquis ab Apoſtolica Sede prouinciis præſentiã quodammodo noſtræ viſitationis impenderes: * quia de continenti opportunóque proſpectu promptum tibi eſſet agnoſcere, quid in quibuſque rebus, vel tuo ſtudio componeres, vel noſtro iudicio reſeruares. Nam cùm maiora negotia & difficiliores cauſarum exitus liberum tibi eſſet, ſub noſtræ ſententiæ expectatione ſuſpendere, nec ratio tibi, nec neceſſitas fuit, in id, quod menſuram tuam excederet deuiandi. Abundant enim apud te * monitorum ſcripta noſtrorum, quibus te de omnium actionum temperantia frequenter inſtruximus: vt commendatas tibi Chriſti Eccleſias, per exhortationem charitatis, ad ſalubritatem obedientiæ prouocares. Quia etſi plerumque exiſtant inter negligentes vel deſides fratres, quæ oporteat maiore * authoritate curari: ſic tamen eſt adhibenda correctio, vt ſemper ſit ſalua dilectio. Vnde & beatus Apoſtolus Paulus, ad eccleſiaſticum regimen Timotheum imbuens, dicit, *Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem: iuuenes vt fratres, anus vt matres, iuuenculas vt ſorores in omni caſtitate.* Quæ moderatio ſi quibuſcunque inferioribus membris ex Apoſtolica inſtitutione debetur, quanto magis fratribus & Coëpiſcopis noſtris ſine offenſione reddenda eſt; Et licet nonnunquam accidant, quæ in ſacerdotalibus ſint reprehendenda perſonis, plus tamen erga corrigenda agat beneuolentia, quàm ſeueritas: plus cohortatio, quàm commotio, plus charitas, quàm poteſtas. Sed, qui quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti, facilè ab hac lege diſcernuntur, & dum dominari magis quàm conſulere ſubditis quærunt, placet honor, inflat ſuperbia, & quod prouiſum eſt ad concordiam, tendit ad noxam. Quod vt neceſſe habeamus ita dicere, non de prauo animi dolore procedit. Me ipſum enim quodammodo in culpa ſentio, cùm te à traditis tibi regulis immodicè deuiaſſe cognoſco. Qui ſi tuæ exiſtimationis parum diligens eras, meæ ſaltem famæ parcere debueras, ne quæ tuo tantùm facta ſunt animo, noſtro viderentur geſta iudicio. Relegat fraternitas tua paginas noſtras, omniaque ad tuos miſſa maiores Apoſtolicæ Sedis præſulum ſcripta percurrat, & vel à me, vel à præceſſoribus meis inueniet ordinatum, quod à te cognouimus eſſe præſumptum. Venit namque ad nos cum Epiſcopis prouinciæ ſuæ frater noſter Atticus, veteris Epiri Metropolitanus Antiſtes, & de indigniſſima afflictione, quam pertulit, lachrimabili actione conqueſtus eſt coram adſtantibus Diaconibus tuis, qui querelis fidelibus nihil contra referendo, ea quæ nobis ingerebantur, fide non carere monſtrabant. Legebatur quoque in literis tuis, quas iidem Diaconi detulerunt, quod frater Atticus Theſſalonicam veniſſet, quodque conſenſum ſuum etiam ſcripturæ profeſſione ſignaſſet, vt de illo non aliud à nobis intelligi poſſet, quàm proprij arbitrij & ſpontaneæ deuotionis fuiſſe, quod venerat, quod chartulam de obedientiæ ſponſione conſcripſerat, in cuius tamen chartulæ mentione ſignum prodebatur iniuriæ. Non enim neceſſarium fuerat vt obligaretur ſcripto, qui obedientiam ſuam ipſo iam voluntarij aduentus probabat officio. Vnde deplorationibus ſupradictis hæc verba epiſtolæ tuæ teſtimonium præbuere, & per hoc, quod non eſt tacitum, nudatum eſt illud, quod ſilentio fuerat adopertum, adhibitam ſcilicet Illyrici præfecturam & ſublimiſſimã inter mundanos apices poteſtatem in exhibitionem inſontis Antiſtitis incitatam: vt miſſa exequutione terribili, quæ omnia ſibi officia publica ad effectum præceptionis adiungeret, à ſacris Eccleſiæ adytis, nullo, vel falſo inſimulatus crimine extraheretur, Sacerdos, cui non ob moleſtiam ægritudinis, non ob ſæuitiam hyemis darentur induciæ, ſed iter aſperum & periculis plenum per inuias * niues agere cogeretur. Quod tanti laboris, tantique diſcriminis fuit, vt ex his, qui Epiſcopum comitati ſunt, quidam defeciſſe dicantur. Multum ſtupeo, frater chariſſime, ſed & plurimum doleo, quod in eum, de quo nihil amplius indicaueras, quàm quod euocatus adeſſe differret, & excuſationem infirmitatis obtenderet, tam atrociter, & tam vehementer potueris commoueri: præſertim cùm etſi tale aliquid meretur, expectandum tibi fuerat, quid ad tua * conſulta reſcriberemus. Sed vt video, bene de moribus meis exiſtimaſti, & quam ciuilia pro conſeruanda ſacerdotali concordia reſponſurus eſſem, veriſſimè præuidiſti, & ideo motus tuos exequi ſine dilatione properaſti, ne cùm moderationis noſtræ aliud diſponentia ſcripta ſumpſiſſes, faciendi id, quod factum eſt, licentiam non haberes. An forte aliquod tibi facinus fratris innotuerat, & Metropolitanum Epiſcopum noui apud te criminis pondus vrgebat? At hoc quidem alienum ab illo eſſe, etiam tu nihil ei obiiciendo confirmas. Sed etiam, ſi quid graue intolerandumque geſſiſſet, noſtra erat expectanda cenſura: vt nihil prius ipſe decerneres, quàm quid nobis placeret, agnoſceres. Vices enim noſtras ita tuæ credidimus charitati: vt in partem ſis vocatus ſollicitudinis, non in plenitudinẽ poteſtatis. Vnde ſicut multum nos ea, quæ à te piè ſunt geſta, contriſtant, & neceſſe eſt, poſt multarum experimenta cauſarum ſollicitiùs proſpici, & diligentius præcaueri: quatenus per ſpiritum charitatis & pacis omnis materia ſcandalorum de Eccleſiis Domini (quas tibi commendauimus) auferatur, præeminente quidem in illis prouinciis Epiſcopatus tui faſtigio, ſed amputato totius vſurpationis exceſſu.

Marginalia, left column: *ſiquidem.* — *monimentorum.* — *auſteritate.* — 2. Tim 5. — Philip. 2.

Marginalia, right column: *cautes.* — 3. q. 6. Multum ſtupeo. — *conſulti.* — 3. q. 6. Multum.

CAPVT II.

IGitur ſecundum ſanctorum Patrum canones, Spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia conſecratos, Metropolitanos ſingularum prouinciarum Epiſcopos, quibus ex delegatione noſtra fraternitatis tuæ cura prætenditur, ius traditæ ſibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus: ita vt à regulis præſtitutis, nulla aut negligentia, aut præſumptione diſcedant. 25. q. 2. Igitur.

CAPVT III.

IN ciuitatibus, quarum rectores obierint, de ſubſtituendis Epiſcopis hæc forma ſeruetur: vt is, qui

ordinan

ordinandus est (etiam si bonæ vitæ testimonio fulciatur) non laicus, non neophytus, nec secundæ coniugis sit maritus, aut qui vel vnam quidem habeat, vel habuerit, sed nec qui sibi viduam copularit. Sacerdotum enim tam excellens est electio: vt hæc, quæ in aliis Ecclesiæ membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita. Dist.32. Omnium sacerdotum.

CAPVT IV.

NAm cùm extra Clericorum ordinem constitutis, nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum: ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconibus quidem connubium carnale conceditur: vt & qui habent, sint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares. Quod si in ordine, qui quartus à capite est, dignum est custodiri: quantò magis in primo, aut secundo, vel tertio seruandum est, ne aut Leuitico ministerio, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentia quisquam idoneus existimetur, qui se à voluptate vxoria necdum frenasse detegitur; 1.Cor.7.

CAPVT V.

CVm ergo de summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri plebisque consensus concorditer postularit: ita vt si in aliam forte personam partium se vota diuiserint, Metropolitani iudicio is alteri præferatur, qui maioribus & studiis iuuatur & meritis: tantum vt nullus inuitis & non petentibus ordinetur, ne plebs inuita Episcopum non optatum, aut contemnat, aut oderit, & fiat minus religiosa, quàm conuenit, cui non licuerit habere, quem voluit. In decret. Iuo lib.3. distin.63. Si forte.

CAPVT VI.

DE persona autem consecrandi Episcopi, & de Cleri plebisque consensu Metropolitanus Episcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in prouincia bene placuit, scire te faciat: vt ordinationem ritè celebrandam tua quoque firmet authoritas. Quæ rectis dispositionibus nihil moræ aut difficultatis debet afferre, ne gregibus Domini diu desit cura pastorum, Metropolitano verò defuncto, cùm in locum eius alius fuerit subrogandus prouinciales Episcopi ad ciuitatem Metropolitanam conuenire debent: vt omnium Clericorum atque omnium ciuium voluntate discussa, ex Presbyteris eiusdem Ecclesiæ, vel ex Diaconibus optimus eligatur, de cuius nomine ad tuam notitiam prouinciales referant Episcopi, impleturi vota poscentium, si quod ipsis placuit, tibi quoque placuisse cognouerint. Sicut enim iustas electiones nullis dilationibus volumus fatigari: ita nihil permittimus te ignorante præsumi. Distinct.65. De persona autem. Distinct.36. Metropolitano. Et dist.77. in princip. distinct.

CAPVT VII.

DE Conciliis autem Episcopalibus non aliud indicimus, quàm sancti Patres salubriter ordinarunt: vt scilicet bini conuentus per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quæ inter diuersos Ecclesiæ ordines nasci adsolent, iudicetur At si forte inter ipsos, qui præsunt, de maioribus (quod absit) peccatis causa nascatur, quæ prouinciali nequeat examine definiri: fraternitatem tuam de totius negotij qualitate Metropolitanus curabit instruere, & si coram positis partibus, nec tuo fuerit res sopita iudicio, ad nostram cognitionem, quicquid illud est, transferatur. Dist.18. De Conciliis. Et in decr. Iuo. lib.4.

CAPVT VIII.

SI quis Episcopus, mediocritate ciuitatis suæ despecta, administrationem loci celebrioris ambierit, & ad maiorem se plebem quacunque occasione transtulerit: non solum à cathedra quidem pellatur aliena, sed carebit & propria: vt nec illis præsideat, quos per auaritiam concupiuit, nec illis, quos per superbiam spreuit. Suis igitur terminis contentus sit quisque, nec supra mensuram iuris sui affectet augeri. 7.q.1. Si quis Episcopus.

CAPVT IX.

ALienum Clericum, inuito Episcopo ipsius, nemo suscipiat, nemo sollicitet: nisi fortè ex placito charitatis id inter dantem accipientemque cõueniat. Nam grauis iniuriæ reus est, qui de fratris Ecclesia id quod est vtilius, aut pretiosius, audet vel allicere, vel tenere. Itaque si intra prouinciam res agatur, transfugam clericum ad suam Ecclesiam Metropolitanus redire compellet. Si autem longiùs processit, tui præcepti authoritate reuocabitur, vt nec cupiditati, nec ambitioni occasio relinquatur. 19.q.2. Alienum clericum.

CAPVT X.

IN euocandis autem ad te Episcopis moderatissimum te esse volumus: ne per maioris diligentiæ speciem, fraternis videaris gloriari iniuriis. Vnde si causa aliqua maior extiterit, ob quam necessarium sit, fraternum aduocare conuentum, binos de singulis prouinciis Episcopos, quos Metropolitani crediderint esse mittendos, ad fraternitatem tuam venire sufficiat, ita vt præstituto tempore non vltra quindecim dies* quo conuenerint, retardentur. *qui*

CAPVT XI.

SI autem in eo, quod cum fratribus tractandum definiendúmve crediderís, diuersa eorum fuerit à tua voluntate sententia, ad nos omnia sub gestorum testificatione referantur, vt remotis ambiguitatibus, quod Deo placeat, decernatur. Ad hunc enim finem, omnem affectum nostrum, curamque dirigimus, vt quod ad vnitatem concordiæ, & quod ad custodiam pertinet disciplinæ, nulla dissensione violetur, nulla desidia negligatur. Et te igitur, frater charissime, & eos fratres nostros, qui de tuis offenduntur excessibus, cùm tamen non similis sit omnium materia querelarum, hortor & moneo, vt quæ piè sunt ordinata, salubriterque disposita, nulla concertatione turbentur. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius, sicut Apostolus ait. *Vnusquisque vestrum proximo suo placeat in bono ad ædificationem.* Nec enim poterit vnitatis nostræ firma esse compago, nisi nos ad inseparabilem soliditatem vinculum charitatis adstrinxerit, quia sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Connexio totius corporis vnam sanitatem, vnam pulchritudinem facit. Et hæc quidem connexio totius quidem corporis vnanimitatem requirit, sed præcipuè exigit concordiam sacerdotum. Quibus etsi dignitas non sit communis, est tamen ordo generalis: quoniam & inter beatissimos Apostolos in simili Philip.2. Rom.15. Rom.12. 1.Cor.12.

similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cùm omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt cæteris præeminetet. De qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio, & magna dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent: sed essent in singulis prouinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursus quidam in maioribus vrbibus constituti, sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri Sedem vniuersalis Ecclesiæ cura confluetet, & nihil vsquam à suo capite dissideret. Qui ergo scit se quibusdam esse propositum, non molestè ferat, aliquem sibi esse præpositum: sed obedientiam quam exigit, etiam ipse dependat. Et sicut non vult grauis oneris sarcinam ferre, ita non audeat, aliis importabile pondus imponere. Discipuli enim sumus humilis & mitis magistri, dicentis: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Quòd quomodo experiemur, nisi & illud in obseruantiam veniat, quod idem Dominus ait: *Qui maior est vestrum, erit minister vester? Qui autem se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.*

2.q. 6. Qui scit se. Matth. 23. Matth. 11. Matth. 20. Marc. 10. Luc 22. Luc 24.

EPISTOLA LXXXV.

Ad Septimium Altinum Episcopum.

Leo Episcopus, Septimio Episcopo salutem.

Lectis fraternitatis tuæ literis, vigorem fidei tuæ, quam olim noueramus, agnouimus, congratulantes tibi, quod ad custodiam gregum Christi pastoralem curam vigilanter exequeris, ne lupi, qui sub specie ouium subintrarunt, bestiali sæuitia simplices quosque dilacerent, & non solum ipsi nulla correctione proficiant, sed etiam ea, quæ sunt sana, corrumpant. Quod ne viperea possit obtinere fallacia ad Metropolitanum Episcopum prouinciæ Venetiæ scripta direximus, quibus ad status sui periculum cognosceret pertinere, si quisquam de Pelagianorum & Cælestianorum consortio veniens, in communione Catholica sine professione legitimæ satisfactionis habeatur. Saluberrimum enim est, & spiritualis medicinæ vtilitate plenissimum, vt siue Presbyteri, siue Diaconi, siue alij cuiuslibet ordinis clerici, qui se correctos videri volunt errorem suũ, & ipsos erroris authores damnari à se sine ambiguitate fateantur: vt sensibus prauis, & dudum peremptis, nulla sperandi supersit occasio, ne vllum membrum Ecclesiæ, talium possit societate violari, cùm per omnia illis professio propria cœperit obuiare. Circa quos etiam illam canonum constitutionem præcipimus custodiri, ne ab his Ecclesiis, ad quas propriè pertinent, sinantur abscedere, & pro suo arbitrio ad loca sibi non deputata transire. Quod cùm rectè non permittitur inculpatis, multò minùs debeat licere suspectis. Proinde dilectio tua, cuius deuotione gaudemus, iungat curam suam dispositionibus nostris, & cum supradicto Metropolitano det operam: vt circumspectè ac velociter impleantur ea, quæ ad totius Ecclesiæ incolumitatem, & laudabiliter sunt gesta, & salubriter ordinata.

Matth. 7. 1.q. 7. Saluberrimum enim. Et 1. q. 1. Omnis cuiuslibet. Et Si quis hæretica. Et in dec. Iuo. l. 3. cum literæ variatione.

EPISTOLA LXXXVI.

Ad Nicetam Aquileiensem Episcopum.

** Leo Episcopus Romæ, Nicetæ Aquileiensi Episcopo salutem.*


Item ad Metropolitanum Venetiæ. CAP. I.

Relatione sancti fratris & Coëpiscopi nostri Septimij, quæ in subditis habetur, agnouimus quosdam Presbyteros, Diacones, ac diuersi ordinis Clericos, quos Pelagiana, siue Cælestiana hæresis habuerit implicatos, ita in vestra prouincia ad communionem Catholicam peruenisse: vt nulla ab eis damnatio proprij exigeretur erroris, & pastoralibus excubiis nimium dormitantibus, lupus ouium pellibus tectus in ouile Dominicum non depositis bestialibus animis introiret: & quod per authoritatem canonum decretorumque nostrorum ne insontibus quidem conceditur vsurpare, vt relictis Ecclesiis, in quibus Clericatum aut acceperant, aut receperant, instabilitate sua per diuersa circumferantur, amantes semper errare, & nunquam in fundamento Apostolico permanere. Quoniam qui nullo discussi examine, nullo sunt præiudicio suæ professionis obstricti, hunc maximè expetunt fructum, vt sub velamento communionis plures domos adeant, & per falsi nominis scientiam multorum corda corrumpant. Quod vtique efficere non possent, si Ecclesiarum Præsules necessariam diligentiam in talium receptione seruarent: ne cuiquam eorum euagari in diuersa licuisset. Ne ergo hoc vlterius audeatur, neve per quorumdam negligentiam introducta pernicies, ad euersionem multarum tendat animarum, hac nostri authoritate præcepti, industriæ tuæ fraternitatis indicimus: vt congregata apud vos Synodo prouincialium Sacerdotum, omnes siue Presbyteri, siue Diaconi, siue cuiusque ordinis Clerici, qui de Pelagianorum Cælestianorumque consortio in communionem Catholicam ea imprudentia sunt recepti, vt non prius ad damnationem sui coarctarentur erroris, nunc, saltem posteaquam hypocrisis eorum ex quadam parte detegitur, ad veram correctionem, quæ & ipsis prodesse, & nullis possit nocere, cogantur. Damnent apertis professionibus sui superbi erroris authores, & quicquid in doctrina eorum vniuersalis Ecclesia exhorruit, detestentur: omniaque decreta Synodalia, quæ ad excisionem huius hæreseos Apostolicæ Sedis confirmauit authoritas, amplecti se, & in omnibus approbare, plenis & apertis, ac propria manu subscriptis protestationibus eloquantur. Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inueniatur ambiguum. Quoniam nouimus hanc istorum esse versutiam, vt *in* quacumque particula dogmatis execrandi, *qua* se à damnatorum societate discreuerint, nihil sensum suorum existiment esse non saluum. Cumque omnes diffinitiones suas ad tantam facilitatem improbare se simulent, atque deponere, hoc tibi tota arte fallendi, nisi intelligantur, excipiant, vt gratia Dei secundum meritum dari accipientium sentiatur. Quæ nisi gratis detur, non est gratia, sed merces, retributióque meritorum, dicente beato Apostolo: *Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est. Non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Omnis itaque bonorum operum* donatio diuina præparatio est, nec propria quisquam iustificatur virtute, quoniam

Psal. 7. CAP. II. CAP. III. Ephes. 2. ** deuotio.*

niam gratia vnicuique principium iustitiæ, & bonorum fons, atque origo meritorum est. Sed ab istis ideo per naturalem industriam dicitur præueniri, vt quæ ante gratiam proprio data sit studio, nullo videatur peccati originalis vulnere sauciata; falsumque sit quod veritas ait: Quoniam filius hominis venit quærere & saluare quod perierat. Ideo etiam paruulos dicunt, si sine baptismo hinc de sæculo exierint, non posse damnari, neque reos in peccato Adæ teneri, sed ad regnum Dei, vel ad vitam æternam, sine vlla cunctatione venire, cùm Apostolus dicat: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit*, propter quod & ipsi paruuli baptizantur. Quamuis in illo vno possint intelligi plura peccata, si vnum ipsum in sua quasi membra singula diuidatur. Nam & superbia est illic, quia in sua domo potius esse, quàm in Dei potestate dilexit: & sacrilegium, quia Deo non credidit: & homicidium, quia se præcipitauit in mortem: & fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humanæ serpentina suasióne corrupta est: & furtum, quia prohibitus vsurpatus est cibus: & auaritia, quia plus quam sufficere illi debuit, appetiuit: & si quid aliud in hoc vno admisso diligenti consideratione poterit inueniri. Parentum quoque peccatis paruulos obligari, non solùm primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur. Illa quippe sententia. *Reddam peccata patrum in filios*, tenet eos vtique, antequam per regenerationem ad testamentum nouum incipiant pertinere: quod testamentum prophetabatur, cùm diceretur per Ezechielem, non accepturos filios peccata patrum suorum, nec vlteriùs futuram in Israël parabolam illam, Patres manducauerunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. Ideo enim quisque renascitur, vt soluatur in eo, quicquid peccati est, cum quo nascitur. Nam peccata, quæ malè agendo postea committuntur, possunt, & pœnitendo sanari, sicut etiam post baptismum fieri videmus. Ac per hoc non est instituta regeneratio, nisi quia vitiosa est generatio, vsque adeo vt etiam de legitimo matrimonio procreatus dicat: *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea in vtero me aluit.* Neque hic dixit, in iniquitate, vel in peccato, cùm hoc rectè dici posset, sed iniquitates & peccata dicere maluit: quia & in illo vno, quod in omnes homines pertransiuit, quódque tam magnum est, vt eo mutaretur & conuerteretur in necessitatem mortis humana natura (sicut supra disserui,) reperiuntur plura peccata, & alia parentum, quæ licet non possunt mutare naturam, reatu tamen obligant filios, nisi gratuita gratia & misericordia diuina subueniat. A paruulo enim recens nato, vsque ad decrepitum senem, quamlibet corporis ætatem generant, sicut nullus prohibendus est à baptismo, ita nullus est, qui non peccato moriatur in baptismo. Sed paruuli tantùm originali, maiores autem etiam his omnibus moriuntur peccatis, quæcumque malè viuendo addiderunt ad illud quod nascendo traxerunt. Cauendum ergo dilectioni tuæ est, magnáque diligentia prouidendum, nec per huiusmodi homines extincta dudum scandala suscitentur: & de exciso olim dogmate aliquod in prouincia tua eiusdem mali germen oriatur: quod non solum in radicibus suis crescat, sed etiam sanctæ Ecclesiæ sobolem veneno sui odoris inficiat. Qui correctos se videri volunt, ab omni suspicione se purgent, & obediendo nobis, probent se esse nostros. Quorum si quisquam salubribus præceptis satisfacere detrectarit siue ille clericus, siue sit laicus, ab Ecclesiæ societate pellatur, ne perditor animæ suæ, saluti insidietur alinæ. Illam quoque partem Ecclesiasticæ disciplinæ, qua olim à sanctis Patribus, & à nobis sæpe decretum est, nec in Presbyteratus gradu, nec in Diaconatus ordine, vt nec in subsequenti officio clericorum ab Ecclesia *ad Ecclesiam* cuiquam transire sit liberum, vt in integrum reuoces, admonemus. Et vnusquisque non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum deprauatus, vbi ordinatus est, perseueret: ita vt si quis sua quærens, non quæ Iesu Christi, ad *plebem &* Ecclesiam suam redire neglexerit: & ab honoris priuilegio, & à communionis vinculo habeatur extraneus. Non autem dubitet dilectio tua, nos, si (quod non arbitramur) neglecta fuerint, quæ pro custodia canonum, & pro fidei integritate decernimus, vehementius commouendos: quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides negligentésque Rectores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam.

Rom. 5. — CAP. IV. — Exod. 20. — Ezech. 18. Hier. 31. — Psalm. 50. Rom. 5. — De consec. dist. 4. A paruulo. — CAP. V. — CAP. VI. — In Concil. Hispalen. 2. cap. 3. — Dist. 86. Inferiorum culpa.



EPISTOLA LXXXVII.

Ad Episcopos Africanos per Mauritaniam Cæsariensem constitutos.

Capita Epistolæ sequentis.

Leo Episcopus, vniuersis Episcopis per Cæsariensem Mauritaniam in Africa constitutis, in Domino salutem.

CAPVT I.

CVm de ordinationibus Sacerdotum quædam apud vos illicitè vsurpata crebrior ad nos commeantium sermo perferret, ratio pietatis exegit: vt pro sollicitudine, quam vniuersæ Ecclesiæ ex diuina institutione dependimus rerum fidem studeremus agnoscere, vicem curæ nostræ proficiscenti à nobis fratri, & consacerdoti nostro Potentio, * iniungentes, qui secundum scripta, quæ per ipsum ad vos direximus, de Episcopis, quorum culpabilis ferebatur electio, quid veritas haberet, inquireret, nobisque omnia fideliter indicaret. Vndè quia idem plenissimè notitiæ nostræ cuncta retulit, & sub quibus qualibusque rectoribus quædam Christi plebes in partib. prouinciæ Cæsariensis habeantur syncera nobis relatione patefecit: necessarium fuit, vt dolorem cordis nostri, quo pro Dominicorum gregum periculis æstuamus, datis nunc quoque ad dilectionem vestram literis promeremus: mirantes tantum apud vos: per occasioné temporis impacati, aut ambientium præsumptionem, aut tumultum valuisse popularem: vt indignis quibusque & longè extra sacerdotale meritum constitutis pastorale fastigium & gubernatio Ecclesiæ crederetur. Nó est hoc consulere populis, sed nocere: nec præstare regimen, sed augere discrimen. Integritas enim præsidentium, salus est subditorum, & vbi est incolumitas obedientiæ, ibi sana

delegantes. — Dist. 61. Miramur tantum.

1.q 1. Principatus quem. sana est forma doctrinæ. Principatus autem, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupauit, etiamsi moribus atque actibus non offendit, ipsius tamen initij sui est perniciosus exemplo. Et difficile est, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.

Quod si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus prouidenter, scientérque curandum est, vt in Domini domo nihil sit inordinatum, nihilque præposterum, quantò magis elaborandum est, vt in electione eius, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite. Vbi est illa beati Pauli Apostoli per Spiritum Dei emissa præceptio, qua in persona Timothei omnium Sacerdotum Christi numerus eruditur, & Dist. 87. Quid est manus. proinde vnicuique nostrum dicitur: Manus cito nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis? Quid est cito manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis est ille qui non * *meruit.* meruit ordinari? Sicut enim boni operis sibi comparat fructum, qui rectum * *tenet.* sectatur in eligendo Sacerdotes iudicium: ita graui semetipsum afficit damno, qui ad suæ dignitatis collegium sublimat indignum. Non enim in cuiusquam persona prætermittendum est, quod institutis generalibus continetur: nec putandum est honor ille legitimus, qui fuerit de præuaricatione collatus. Dicente enim Apostolo, vt inter alias electionis regulas, is Episcopus ordinetur, quem vnius vxoris virum fuisse aut esse constiterit, tam sacra semper habita est ista præceptio, vt etiam de muliere Sacerdotis eligendi eadem intelligatur seruanda conditio, ne fortè illa, priusquam in matrimoniũ eius veniret, qui aliam non habuisset 1. Tit. 3. Leu. 21. Ezech 44. Ephes. 5. 1. Cor. 11. vxorem, alterius viri esset experta coniugium. Quis ergo dissimulare audeat, quod in tanti sacramenti perpetratur iniuriam: cùm huic magno venerandóque mysterio, ne diuinæ quidem legis statuta defuerint, quibus euidenter est definitum, vt virginem Sacerdos accipiat, & alterius thorum nesciat coniugis, quæ vxor est futura Pontificis? Iam tunc enim in sacerdotibus figurabatur Christi Ecclesiæ spirituale coniugium: vt quoniam vir caput est mulieris, discat sponsa * *Christi.* Verbi non alium virum nosse quàm Christum, qui meritò vnam elegit, vnam diligit, & aliam præter ipsam suo consortio non adiungit. Leuit. 21. Ezech. 44. Si ergo etiam in veteri testamento hæc sacerdotalium coniugiorum forma seruata est: quantò magis sub reuelata iam gratia constituti, Apostolicis debemus inseruire præceptis, vt quamlibet quis bonis moribus præditus, & sanctis operibus inueniatur ornatus, nequaquam tamen, vel ad Diaconij gradum, vel ad Presbyterij honorem, vel ad Episcopatus culmen ascendat, si aut ipsum non vnius vxoris virum, aut vxorem eius non vnius viri fuisse claruit? Monente verò Apostolo atque dicente. 1. Tim. 3. *Et hi autem probentur primùm, & sic ministrent*, quid aliud intelligendum in hoc putamus: nisi vt in his prouectionibus non solùm matrimoniorum castimoniam, sed etiam laborum merita cogitemus, ne aut à baptismo rudibus, aut à sæculari actu repente conuersis, officium pastorale credatur, cùm omnis gradus militiæ Christianæ de incrementis profectuum debeat æstimari, an possint cuiquam maiora committi? Distinct. 61. Miramur tantùm. Meritò sanctorum Patrum venerabiles sanctiones, cùm de Sacerdotum electione loquerentur, eos demum idoneos sacris administrationibus censuerunt, quorum omnis ætas, à puerilibus exordiis vsque ad prouectiores annos per disciplinæ Ecclesiasticæ stipendia cucurrisset, vt vnicuique testimonium prior vita præberet: nec posset de eius prouectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro castis moribus, pro actibus strenuis, celsioris loci præmium deberetur. Si enim ad honores mundi sine suffragio temporis, sine merito laboris, indignum est peruenire, & notari ambitus solent, quos probitatis documenta non adiuuant: quàm diligens & quàm prudens habenda est dispensatio diuinorum munerum & cœlestium dignitatum, ne in aliquo Apostolica & canonica decreta violentur, & his Ecclesia Domini regenda credatur, qui legitimarum institutionum nescij & totius humilitatis ignari, non ab infirmis sumere incrementum, sed à summis volunt habere principium? cùm valde iniquum sit & absurdum, & imperiti magistris, noui antiquis, & rudes præferantur emeritis. In domo quidem magna necesse est (sicut Apostolus disserit) vt 2. Tim. 2. vasa diuersa sint, quædam aurea & argentea, quædã verò lignea & fictilia: sed horum ministerium pro materiæ qualitate discernitur, nec qui est pretiosorum, idem vsus est & vilium. Nam inordinata erunt omnia, si fictilia aureis, & lignea præferantur argenteis. Sicut autem in ligneis & fictilibus eorum hominum species figurantur, qui nullis adhuc virtutibus nitent: ita in aureis & argenteis hi sine dubio declarantur, qui per longæ eruditionis ignem, & per fornacem diuturni laboris excocti, aurum probatum & argentum purum esse meruerunt. Quibus si merces pro deuotione non redditur, omnis Ecclesiastica disciplina resoluitur, omnis ordo turbatur: dum in Ecclesia, qui nullum subiere ministerium, peruerso eligentium iudicio, indebitum obtinent principatum. Cùm ergo inter vos tantum valuerint, aut studia popularium, aut ambitus superborum, vt non solùm laicos, sed etiam secundarum vxorum viros, aut viduarum maritos ad officium cognoscamus pastorale prouectos: nonne * aptissimè exigunt causæ, vt Ecclesiæ, in quibus ista commissa sunt, iudicio seueriore purgentur, & *apertissimè.* 1. quæst. 7. Exigunt causæ. non solùm in tales Præsules, sed etiam in ordinatores eorum vltio competens proferatur? Sed circunstant nos hinc mansuetudo clementiæ, hinc censura iustitiæ. Et quia vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas, cogimur secundum Sedis Apostolicæ pietatem, ita nostram temperare sententiam vt Psal. 24. 1. quæst. 7. Exigunt causæ. trutinato pondere delictorum, quæ constat non vnius esse mensuræ, quædam definiamus vtcunque toleranda, quædam verò penitus amputanda. Eos enim, qui vel secundas nuptias inierunt, vel viduarum se coniugio sociarunt, nec Apostolica, nec legalis authoritas, sacerdotium obtinere permittit: & multò magis illum, si fuerit vestro iudicio confutatus, qui (sicut ad nos relatum est) duarum simul est maritus vxorum, vel * istum, qui à prima vxore dimissus, alteram duxisse perhibetur, priuandum honore decernimus. *illum qui prima vxore dimisse.* 1. quæst. 7. Exigunt causæ. Cæteros verò, quorum prouectio hoc tantùm reprehensionis incurrit, quòd ex laicis ad officium Episcopale delecti sunt, neque ex hoc quòd vxores habeant, possunt esse culpabiles, susceptum Sacerdotium tenere permittimus: non præiudicantes Apostolicæ Sedis statutis; nec præcessorum nostrorũ nostrisque decretis, quibus salubriter statutum est, ne primum, vel secundum, aut tertium in Ecclesia gradum quisquam laicorum, quibuslibet suffragiis fultus ascendat, priusquam ad hoc meritum per legitima augmenta perueniat. 1. quæst. 7. Exigunt causæ. Quod enim nunc vtcunque patimur esse veniale inultum, postmodum

modum esse non poterit, si quisquam id, quod omnino interdicimus vsurpare præsumpserit: quia remissio peccati, non dat licentiam delinquendi, nec quod potuit aliqua ratione concedi, fas erit amplius impunè commiti.

CAPVT II.

CVm itaque de omnibus ferè quæ fratris nostri Potentij relatio continebat, plenissimè dilectionem vestram per Dauid fratrem, & Coëpiscopum nostrum, qui & Sacerdotij merito nobis est probatus & moribus, videatis instructam: superest fratres, vt concordi obedientia salubres suscipiatis hortatus, & nihil per contentionem agentes, sed ad omne studiũ deuotionis vnanimes, diuinis & Apostolicis constitutionibus pareatis: & in nullo patiamini prouidentissima canonum decreta violari. Quæ enim nunc certarum remisimus consideratione causarum, antiquis deinceps custodienda sunt regulis: ne quod ad tempus pia lenitate concessimus, iusta posthæc vltione plectamus: in eos specialiùs & propensiùs commouendi qui in Episcopis ordinandis sanctorum Patrum statuta neglexerint, & quos refutare debuerant, consecrarint. Vnde si qui Episcopi talem consecrauerint Sacerdotem, qualem non liceat, etiamsi aliquo modo damnum proprij honoris euaserint, ordinationis tamen ius vlterius non habebunt, nec ei sacramento intererunt, quod neglecto diuino iudicio immeritò præstiterunt. Illud sanè quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus canonum statuta seruari: vt non in quibuslibet locis, neque quibuslibet castellis, & vbi ante non fuerunt, Episcopi consecrentur: cùm vbi minores sunt plebes, minorésque conuentus, Presbyterorum cura sufficiat: Episcopalia autem gubernacula non nisi maioribus populis, & frequentioribus ciuitatibus oporteat præsidere: ne quod sanctorum patrum diuinitùs inspirata decreta vetuerant, vinculis, & possessionibus, vel obscuris, & solitariis municipiis tribuatur Sacerdotale fastigium & honor: cui debent excellentiora committi, ipse sui numerositate vilescat. Quod nunc in sua diœcesi Restitutus Episcopus factum esse causatus est, & rationabiliter pestulauit, vt si Episcopi eorum locorum, in quibus non debuerant ordinati, humana conditione decesserint: loca ipsa ad ius eius Antistitis redigãtur, cuius fuerant ante priora. Et inutile est, vt Sacerdotalis dignitas inconsiderata ordinantis facilitate superflua multiplicatione * muniatur. De his autem quæ in sacro virginitatis proposito constitutæ barbaricam pertulere violentiam, & integritatem pudoris non animo, sed corpore perdiderunt, ea nobis seruanda videtur moderatio. vt neque in viduarum deiiciantur gradum, neque in sacrarum & perseuerantium virginum numero censeantur. Quibus, si in omnibus virginalibus obseruationibus perseuerant, & castimoniæ soliditatem mẽte custodiunt, sacramentorum non est neganda communio: quia iniustum est, eas in eo, vel argui, vel notari, quod non volũtas amisit, sed vis hostilis eripuit: Causam quoque Lupicini Episcopi illic iubemus audiri. Cui multùm & sæpius postulanti, communionẽ hac ratione reddidimus, quoniam ad nostrum iudiciũ prouocasset immeritò eum, quem pendente negotio, à communione videbamus fuisse suspensum. Adiectum etiam illud est, quod huic temerè superordinatus esse cognoscitur, qui non debuit ordinari, antequã Lupicinus in præsenti positus, aut confutatus, aut certè confessus, iustæ posset subiacere sententiæ: vt vacantem locum, quemadmodum disciplina Ecclesiastica exigit, is, qui consecrabatur, exciperet.

1. quæst. 7. Donatum autem. 1. quæst 1. & 15 quæst. 2 Si qui Episcopi talem.

Dist. 80. Illud sanè quod ad Cap. 6. Sardicen. Concil.

Sententialiter ponitur iste canon. 32 q. 5. 11.

minuatur.

CAPVT III.

DOnatum autem Salicinensem ex Nouatianis cum sua (vt comperimus) plebe conuersum, ita dominico volumus gregi præsidere: vt libellum fidei suæ ad nos meminerit, dirigendum, quo & Nouatiani dogmatis damnet errorem, & plenissimè confiteatur Catholicam veritatem. Maximum quoque ex laico licet reprehensibiliter ordinatum, tamen si Donatista iam non est, & à spiritu schismaticè prauitatis alienus, ab Episcopali, quam quoquo modo adeptus est, non repellimus dignitate: ita vt & ipso libello ad nos edito Catholicum se esse manifestet.

1. quæst. 7. Donatum autem.

CAPVT IV.

DE Aggaro & Tyberino, quorum à cæteris, qui ex laicis ordinati sunt, in hoc causa diuersa est, quòd eorum ordinationi atroces tumultus, & sæuæ seditiones memorantur esse famulatæ, vestro iudicio cuncta commisimus: vt relata habiti apud vos examinis fide, quid de supradictis statuendum sit, scire possimus.

1. quæst. 5. Maximum quoque ex laico.

CAPVT V.

ILlæ autem famulæ Dei, quæ integritatem pudoris oppressione barbarica perdiderunt, laudabiliores erunt in humilitate ac verecundia: si se incontaminatis non audeant comparare virginibus. Quamuis enim omne peccatum ex voluntate nascatur, & potuerit corruptione carnis mens inuita non pollui minùs tamen hoc illis oberit, si quod potuerunt animo non amittere, doleant se vel corpore perdidisse. Si verò aliæ emerserint causæ, quæ ad statum Ecclesiarum, & ad concordiam pertineant Sacerdotum, illic sub timore Domini volumus ventilentur, & de componendis atque compositis omnibus ad nos relatio plena mittatur, vt ea quæ iuxta Ecclesiasticum morem iustè & rationabiliter fuerint definita, mea quoque sententia roborentur. Data quarto Idus Augusti.

32. quæst. 5. Illæ autem famulæ Dei.

EPISTOLA LXXXVIII.

De priuilegio Chorepiscoporum siue Presbyterorum, ad vniuersos Germaniæ atque Galliæ Ecclesiarum Episcopos.

Leo Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ Sedis Episcopus, vniuersis Germaniarum atque Galliarum regionum Episcopis salutem.

CVm in Dei nomine in Romana Ecclesia Synodum Episcoporum siue cæterorum consacerdotum Christique fideliũ coadunatam habuissemus, & de ordinationibus illicitis, super quibus crebrior ad nos illarum partium commeantium sermo perueneràt, atque de aliis necessariis Ecclesiasticis negotiis tractantes, sacrosque canones relegentes, solerter egissemus, à multis lacrymabili vultu relatum est nobis, quòd quidam Germaniarum ac Galliarum vrbium Episcopi frequenter Chorepiscopos, qui iuxta canones Neocæsarienses, siue secundum aliorum decreta patrum iidem sunt, qui & Presbyteri, vel Presbyteros destinarent, qui absente Pontifice Altaria erigerent, Basilicásque consecrarent. Quod quidem non est mirum, id præcepisse viros Ecclesiasticæ disciplinæ ignaros, quod est canonicæ

Cap. 13. Damasi Papæ in epist. ad Numidiæ Episcopos.

nonicæ regulæ contrarium,& statim à seculari militia, in Sacerdotale ministerium delegatos atque promotos. Ergo ne vltra talis à vobis licentia vsurpetur, communi sententia statuendum oportuit, scientes, quia sicut Chorepiscopo, vel Presbytero illicita consecratio est Altaris, ita & constitutio. In diuinis enim literis, præcipiente Domino, solus Moses in tabernaculo Dei erexit altare, solus ipse vnxit, qui vtique summus Sacerdos Dei erat, sicut scriptum est de eo: *Moses & Aaron in sacerdotibus eius.* Ideóque id quod tantùm facere principibus Sacerdotum iussum est, quorum typum Moses & Aaron tenuerunt, omnino decretum est, vt Chorepiscopi vel Presbyteri, qui filiorum Aaron gestant figuram, arripere non præsumant. Nam quamuis cum Episcopis plurima illis ministeriorum communis sit dispensatio, quædam tamen authoritate veteris, legis quædam nouæ etiam Ecclesiasticis regulis sibi prohibita nouerint, sicut Presbyterorum & Diaconorum, aut virginum consecratio, sicut constitutio Altaris, ac benedictio, vel vnctio. Siquidem nec erigere eis Altaria, nec Ecclesias, vel Altaria, consecrare licet, nec per impositiones manuum fidelibus baptizandis, vel conuersis, ex hæresi Paracletum Spiritum sanctum tradere, nec Chrisma conficere, nec Chrismate baptizatorum frontes signare, nec publicè quidem in Missa quemquam pœnitentem reconciliare, nec formatas cuilibet epistolas mittere. Hæc enim omnia illicita sunt Chorepiscopis, qui ad exemplum & formam septuaginta discipulorum esse noscuntur, vel Presbyteris, qui eandem gestant formam: quoniam quãquam consecrationem habeant, Pontificatus tamen apicem non habent. Quæ omnia, solis deberi summis Pontificibus authoritate canonum præcipitur, vt per hoc & discretio graduum, & dignitatis fastigium summi Pontificis demonstretur. Sed neque coram Episcopo licet Presbyteris in baptisterium introire, nec præsente Antistite infantem tingere, aut signare, nec pœnitentem sine præceptione Episcopi sui reconciliare, nec eo præsente, nisi illo iubente, Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi conficere, nec eo coram posito populum docere, vel benedicere, aut salutare, nec plebem vtique exhortari.

Num.7. Psal. 98.

Ex fine huius epistolæ argumentum sumitur, quòd non sit plena, sed fragmentum duntaxat.

EPISTOLA LXXXIX.

Ad Episcopos per Viennensem prouinciam constitutos.

Dilectissimis fratribus, vniuersis Episcopis per Viennensem prouinciam constitutis, Leo Romæ Episcopus.

Dist.19. Ita Dominus noster Iesus. CAP. I.

Diuinæ cultum religionis, quem in omnes gentes, omnésque nationes, Dei voluit gratia coruscare, ita Dominus noster Iesus Christus humani generis Saluator instituit: vt veritas, quæ antea legis & Prophetarũ præconio cõtinebatur, per Apostolicam tubam in salutẽ vniuersitatis exiret, sicut scriptum est: *In omnem terram exiuit sonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum.* Sed huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro, Apostolorum omniũ summo, principaliter collocaret vt ab ipso quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet, vt exortẽ se mysterij intelligeret esse diuini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, vt æterni templi ædificatio, mirabili munere gratiæ Dei, in Petri soliditate consisteret, hac Ecclesiam suam firmitate corroborans, vt illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ contra illam inferi præualerent. Verùm hanc petræ istius sacratissimam firmitatem, Deo (vt diximus) ædificante constructam: nimis impia vult præsumptione violare: quisquis eius potestatem tentat infringere, fauendo cupiditatibus suis, & id quod accepit à veteribus, non sequendo: cùm nulli se subditum legi, nullus institutionis Dominicæ credit regulas contineri, à vestro nostroque, per nouæ vsurpationis ambitum, more desciscens, præsumendo illicita, & quæ custodire debuit, negando. Verùm hæc nos, Deo (vt credimus) aspirante, seruata circa vos nostræ charitatis gratia, quam sanctitati vestræ Apostolica semper Sedes (vt meministis) impendit, nitimur consilio maturiore corrigere, & vestrarum Ecclesiarum statum communicato vobiscum labore, componere, non noua instruentes, sed vetera renouantes: vt in status consuetudine, quæ nobis à nostris patribus est tradita, perduremus, & Deo nostro per boni operis ministerium, remotis perturbationum scandalis, placeamus. Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem pro sui reuerentia, à vestræ etiam prouinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, & pro diuersarum (quemadmodum vetus consuetudo poscebat) appellatione causarum, aut retractata, aut confirmata fuisse iudicia, adeò vt seruata vnitate spiritus in vinculo pacis commeantibus hinc inde literis, quod sanctè agebatur, perpetuæ proficeret charitati. Quam sollicitudo nostra, non sua quærens, sed quæ sunt Christi, dignitatem diuinitùs datam nec Ecclesiis, nec Ecclesiarum Sacerdotibus abrogabat. Sed hunc tramitem semper inter maiores nostros & benè tantum, & salubriter constitutum, Hilarius Ecclesiarum statum, & concordiam Sacerdotum nouis præsumptionibus turbaturus excessit, ita suæ vos cupiens subdere potestati, vt se beato Apostolo Petro non patiatur esse subiectum, ordinationes sibi omnium per Gallias Ecclesiarum vindicans, & debitam Metropolitanis sacerdotibus in suum ius transferrens dignitatem: ipsius quoque beatissimi Petri reuerentiam verbis arrogantioribus minuendo, cui cùm præ cæteris soluendi & ligandi tradita sit potestas, pascendorum tamen ouium cura specialius mandata est. Cui quisquis principatum æstimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem: sed inflatus spiritu superbiæ suæ, semetipsum in inferna demergit. Quæ igitur apud nos in causa Celidonij Episcopi gesta confecta sint, & quæ Hilarius dixerit, dum eum eodem, præsente supradicto Episcopo, audiretur, inditus chartis rerum ordo demonstrat. Vbi postquam Hilarius rationabile, quod in sanctorum Concilio Sacerdotum posset respondere, non habuit: ad ea se occulta cordi ipsius transtulerunt, quæ nullius laicorum dicere, nullius sacerdotũ posset audire. Doluimus (fateor) fratres, & hũc eius mentis tumorem medelis patientiæ nostræ curare tentauimus. Nolebamus etenim ea illi exacerbare vulnera, quæ suæ animæ insolentibus subinde sermonibus infligebat, & quem susceperamus, vt fratrem

Psalm.18.

Matth.6.

CAP. II.

Matth.16. Ioan.12. Romanæ Ecclesiæ.

CAP. III.

fratrem, lelinire magis ipsum (quamuis ipse se suis responsionibus implicaret) quam contristare nostris interlocutionibus nitebamur. Absolutus est Celidonius Episcopus, quoniam se iniustè Sacerdotio fuisse deiectum, manifesta testium responsione, ipso etiam præsente, monstrauerat, ita vt, quod Hilarius nobiscum residens posset opponere, non haberet. Remotum est ergo iudicium, quod prolatum in hac sentent a legebatur, quod tanquam viduæ maritus Sacerdotium tenere non posset. Quod nos quidem, seruantes legalia constituta, sollicitius voluimus custodiri, non solum circa Sacerdotes, sed circa Clericos quoque minoris officij, ne ad sacram militiam hi permittantur accedere, quibus sit tale coniugium, vel contra Apostolicam disciplinam non vnius tantùm vxoris viri fuisse monstrentur. Sed sicut eos, quos factum suum non potest excusare, aut non admittendos, aut si fuerint, decernimus remouendos: ita quibus hoc falsum obiicitur, ab ea necesse est, examinatione purgemus, & suum officium perdere non sinamus. Mansisset namque in illum prolata sententia, si obiectorum veritas extitisset. Redditus itaque est Ecclesiæ, suæ & huic, quā amittere non debuit, dignitati Coëpiscopus noster Celidonius, sicut gestorum series, & post decursam cognitionem sententia, quæ à nobis est prolata, testatur. Huic negotio sic finito, fratris & Coëpiscopi

CAP. IV. nostri Proiecti querela successit: cuius ad nos literæ lachrymabiles, & dolendæ de superordinato sibi Episcopo sunt directæ. Epistola quoque ingesta est ciuium ipsius, & numerosa subscriptione singulorum firmata, inuidiosissimis contra Hilarium plena querimoniis, quod Proiecto Episcopo suo ægrotare liberum non fuisset, eiusque Sacerdotium in alium præter suam notitiam esse translatum, & tanquam in vacuam possessionem ab Hilario peruersore hæredem viuentis inductum. Quid hic fraternitas vestra sentiat, cuperemus audire, quamquam de vestris animis nostra non debeat sententia dubitare: cùm fratrem in lectulo constitutum, non tam infirmitate corporis aggrauari, quam alio videaris dolore torqueri. Quæ spes illi de vita relinquitur, cui de Sacerdotio suo, dum illi alter substituitur, irrogatur desperatio? Apparet ergo, quam mitis sit corde Hilarius, qui obesse præsumptioni suæ fraternæ mortis credidit tarditatem. Quantum enim in se fuit, illi substraxit lucē, abstulit vitam, qui hunc dolorem, in locum eius alterum subrogando, nec ad salutem illi recursus esset, iniecit. Esto vt breuis fratri inuenerit humanæ conditionis consueta migratio, quid sibi Hilarius quærit in aliena prouincia: & id quod nullus decessorum ipsius, aut Patroclus habuerit, cur vsurpat, cùm & ipsum, quod Patroclo à Sede Apostolica temporaliter videbatur esse concessum, postmodum sit sententia meliore sublatum? Expectarentur certè vota ciuium, testimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio Clericorum, quæ in Sacerdotum solent ordinationibus ab his, qui norunt patrum regulas, custodiri vt Apostolicæ auctoritatis norma in omnibus seruaretur, qua præcipitur, vt Sacerdos Ecclesiæ præfuturus, non solùm attestatione fidelium, sed etiam eorum qui foris sunt, testimonio muniatur, neque vllius scandali relinquatur occasio, cùm per pacem, & Deo placitam concórdiam consonis omnium studiis, qui doctor pacis futurus est, ordi-

CAP. V. natur. Sed insperatus nescientibus superuenit, & improuisus abscessit cursu (vt didicimus) celeri, itinera multa conficiens, & per longinquas prouincias tanta immaturitate discurrens, vt videatur gloriam de scurrili velocitate potiùs, quam de Sacerdotali moderatione captasse. Hæc enim directarum ad nos ciuium verba sunt literarum. Ante abcessit, quam eum venisse nossemus. Non est hoc redire, sed fugere, nec salubritatem impendere diligentiæ pastoralis, sed vim inferre latronis & furis, dicente Domino: *Qui non intrat per ianuam in cohortem ouium, sed ascendit aliunde, hic fur & latro est.* Ioan. 10.

Non ergo Hilarius tam studuit Episcopū cōsecrare, quam eum potius, qui ægrotabat, occidere, & ipsum quem superposuit, malè ordinando decipere. Nos tamen, quod vobis credimus Deo iudice placiturum, in commune cunctis fratribus consulentes, & malè ordinatum submoueri, & Episcopum Proiectum in suo Sacerdotio permanere debere decreuimus: id statuentes, vt si quisquam fratrum nostrorum in quacunque prouincia decesserit, is sibi ordinationem vindicet Sacerdotis, quem illius prouinciæ Metropolitanum esse constiterit: quia (vt videmus) causæ transactæ sunt, in quibus etiam multa sunt, quæ præter rationem Ecclesiasticam videantur esse commissa, & iusti iudicij debeant expectare censuram. Sed nos diutiùs hic non possumus immorari, cùm ad alia, quæ nobis cum vestra sanctitate conferenda sunt, prouocemur.

Militaris manus (vt didicimus) per prouincias sequitur sacerdotem, & armatis præsumptione suffultum ad inuadendas per tumultum famulatur Ecclesias, quæ proprios amiserint. Traduntur ordinandi ad hoc officium, his quibus perficiendi sunt ciuitatibus ignoti. Vt enim notus, qui fuerit probatus, per pacem petitur: ita per vim, necesse est, qui ignotus adducitur, imponatur. Obtestor & obsecro, & sub Dei vos inuocatione conuenio prohibere fratres talia, & omnem dissensionis materiam de vestris prouinciis remouete. Certè nos ante Deum absoluimus, qui vos, ne permittatis vltra hæc fieri, conuenimus. Per pacem & quietem, Sacerdotes qui præfuturi sunt postulentur. Teneatur subscriptio Clericorū, honoratorum testimonium, ordinis consensus & plebis. Qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur. Ordinationem sibi (vt ante iam dicimus) singuli Metropolitani suarum prouinciarum cum his, qui cæteros sacerdotij antiquitate præueniunt, restituto sibi per nos iure defendat. Alienum ius alter sibi non audeat vindicare. Suis limitibus, suis terminis sit vnusquisque cōtentus Et priuilegium sibi debitum, in alium transferre se posse, nouerit nō licere. Quòd si quis negligens Apostolicas sanctiones plus gratiæ tribuens personali: sui honoris desertor esse voluerit, priuilegium suum in alium transferre posse se credens, non is, cui cesserit, sed is, qui intra prouinciam antiquitate Episcopali cæteros præueni t sacerdotes, ordinandi sibi vindicet potestatem, non quæ passim, sed die legitimo celebretur. Nec sibi constare status sui nouerit firmitatem, qui non die sabbati vespere, quod lucescit in primam sabbati, vel ipso Dominico die fuerit ordinatus. Solum enim maiores nostri resurrectionis Dominicæ diem honore dignum iudicauere, vt sacerdotes, qui sumuntur, hoc die potissimum tribuantur. Suis vnaquæque prouincia sit contenta Conciliis, nec vltra Hilarius audeat conuentus indicere Synodales, & Sacerdotum Domini iudicia, se interserendo, turbare, qui non tantum nouerit se ab alieno iure depulsum, sed etiam Viennensis prouinciæ (quam malè vsurpauerat) potestate priuatum. Dignum est enim, fratres, antiquitatis statuta reparari, cùm is, qui sibi ordinationem prouinciæ indebitè vindicabat, talis in præsenti etiam probatus fuerit: cùm ipse frequentius temerariis & insolentibus verbis sententiam damnationis expeteret, suæ tantùm

CAP. VI. (margin beside "Militaris manus")

CAP. VII. (margin beside "muntur, hoc die potissimum")

ciuitatis illi sacerdotium, pro Sedis Apostolicæ pietate, præceptio nostra seruauerit. Non ergo sit illi ordinatio, quæ meriti sui conscius, cùm quæreretur ad accusandum, turpi fuga se credidit subtrahendum, exors Apostolicæ communionis, cuius particeps esse non meruit, Deo) vt credimus)hoc agente, qui illum, inopinantibus nobis, & ad iudicia nostra pertraxit, & inter examinationes habitas, ne communionis nostræ consors fieret, vt abscederet latenter, effecit. Nulli Christianorum facilè communio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium Sacerdotis, quod in magni reatus vltionem inuitus, & dolens quodammodo debet inferre animus vindicantis. Cognouimus enim, pro commissis, & leuibus verbis quosdam à gratia communionis exclusos, & animam, pro qua Christi sanguis effusus est, irrogatione tam sæui supplicij sauciatam, & inermem quodammodo, exutamque omni munimine diabolicis incursibus, vt facilè caperetur, obiectam. Certè quando causa talis emerserit, vt pro commissi criminis qualitate aliquem iustè faciat communione priuari: is tantùm pœnæ subdendus est, quem reatus inuoluit, nec particeps debet esse supplicij, qui consors non docetur fuisse commissi. Sed quid mirum eum in laicos talem existere, qui soleat de Sacerdotum damnatione gaudere? Vnde quia nostra longè alia videtur intentio (nam omnium Ecclesiarum statum, & concordiam custodiri cupimus sacerdotum) ad vnitatem vos vinculo charitatis hortantes, & obtestamur, & affectione congrua commonemus: vt ea, quæ à nobis Deo inspirante, & beatissimo Petro Apostolo, discussis probatisque nunc omnibus causis, decreta sunt, pro vestra pace & dignitate seruetis: certi non tam nostro honori proficere, quod talia statuisse cognoscimur. Non enim nobis ordinationes vestrarum prouinciarum defendimus, quod potest forsitam ad deprauãdos vestræ sanctitatis animos Hilarius pro suo more mentiri: sed vobis per vestram sollicitudinem vindicamus, ne quid vlterius liceat nouitati, nec præsumptori locus vltrà iam pateat priuilegia nostra cassandi. Nostræ enim gratulationi hoc solùm crescere profitemur, si Apostolicæ Sedis diligentia apud vos illibata seruetur: & per sacerdotalis disciplinæ custodiam honori vestro perire, quod suum est, pro nouis vsurpationibus non sinamus. Et quoniam honoranda est semper antiquitas, fratrem & Coëpiscopum nostrum Leontium probabilem Sacerdotem, hac (si vobis placet) dignitate volumus decorari: vt præter eius consensum alterius prouinciæ non indicatur à vestra sanctitate Concilium, & à vobis omnibus quemadmodum vetustas eius & probitas exigit, honoretur, Metropolitanis priuilegij sui dignitate seruata. Æquum est enim, nec vlli de fratribus fieri videtur iniuria: si his, qui sacerdotij vetustate præcedunt, pro ætatis suæ merito in suis prouinciis à Sacerdotibus cæteris deferatur. Deus vos incolumes custodiat, fratres mei.

Sententia excommunicationis non temerè ferenda est.

CAP. VIII

EPISTOLA XC.

Ad Rauennium Arelatensem Archiepiscopum.

Domino fratri Rauennio. Leo Romæ Episcopus.

PRouectionem dilectionis tuæ, quæ summi sacerdotij adepta est dignitatem, ita nobis placere cognosce: vt non solum tibi de honoris augmento, sed etiam Arelatensi Ecclesiæ, cui te Dominus præposuit, gaudeamus. Ad omnium enim fidelium decus atque vtilitatem redundat, cùm talis habetur Antistes, cuius plurimi & adiuuentus præsidio, & incitentur exemplo. Vnde quia non ignoras, quid de sinceritate animi tui secundum præsentem notitiam senserimus, iustissimè nos agnoscis exigere, vt quod præsumimus, hoc probemus, frater charissime. Modestiæ igitur tuæ non authoritas constantiam, sed mansuetudo commendet iustitiam: lenitas temperet, patientia contineat libertatem: & declinata superbia, cui proximum est, vt decidat, ametur humilitas, cui semper debetur, vt crescat. Ecclesiasticarum legum non ignata est dilectio tua, vt intra earum regulas atque mensuras omnia potestatis tuæ iura contineas. Iustè tamen dicitur lex non esse posita, quia normam præceptionis implet iudicio voluntatis: cùm verus recti amor in semetipso habeat, & Apostolicas authoritates, & canonicas sanctiones. Quarum deuotus sectator, & diligens executor, in eorum proculdubio consortio gloriaberis, qui de creditorum sibi profectibus talentorum audire meruerunt: *Euge serue bone & fidelis, quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui* Vt autem fiduciam dilectionis erga te nostræ habere non dubites, sæpius nos de processu actuum tuorum facias certiores: quoniam iudicij nostri memores, cupimus semper de tuis profectibus in domino gloriari. Deus te incolumem custodiat, frater charissim.

1. Tim. 1.

Matth. 25. Luc. 19.

EPISTOLLA XCI.

Ad Theodorum Foroiuliensum Episcopum, vt his, qui in exitu sunt, pœnitentia & communio negentur.

Leo Episcopus, Theodoro Episcopo Foro iuliensi salutem.

SOllicitudinis quidem tuæ is ordo esse debuerat, vt cum Metropolitano tuo primitus de eo, quod quærendum videbatur esse, conferres: ac si id, quod ignorabat dilectio tua, etiam ipse nesciret, instrui vos pariter posceretis: quia in causis, quæ ad generalem obseruantiam pertinent, omnium Domini sacerdotum nihil sine primatibus oportet inquiri. Sed vt quoquomodo instruatur ambiguitas consulentis, quid de pœnitentium statu Ecclesiastica habeat regula, non tacebo. Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, vt non solùm per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ vt qui regenerationis donum violassent, proprio se indicio condonantes, ad remissionem criminum peruenirent, sic diuinæ bonitatis præsidiis ordinatis, vt indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Christus Iesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidi potestatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent: eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorũ per ianuam reconciliationis admitterent. Cui vtique operi incessabiliter ipse Saluator interuenit, nec vnquam ab his abest, quæ ministris suis exequenda commisit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi:* vt si quid per seruitutem nostrã bono ordine, & gratulando impletur effectu, non ambigamus per Spiritum sanctum fuisse donatum. Si autem aliquis eorum

CAP. I.

De pœnitentia dist. 1. Multiplex CAP. II.

Marc. 28. De pœnitentia dist. 1. Multiplex CAP. III.

eorum, pro quibus Domino supplicamus, quocumque interceptus obstaculo, à munere indulgentiæ præsentis exciderit, & priusquam ad constituta remedia perueniat, temporalem vitam humana conditione finierit: quod manens in corpore non receperit, consequi, exutus carne, non poterit. Nec necesse est nos, eorũ qui sic obierint, merita actúsque discutere: cùm Dominus Deus noster, cuius iudicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ iustitiæ reseruauerit, ita potestatem suam timeri volens, vt hic error omnibus prosit, & quod quibusdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multum enim vtile ac necessarium est, vt peccatorum reatus ante vltimum diem Sacerdotali supplicatione soluatur.

De pœnitentia dist. 1. Multiplex Et 26. q. 6. His qui tempore. CAP. IV.

His autem qui in tempore necessitatis, & in periculi vrgentis instantia, præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant: nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda: quia misericordiæ Dei, nec mensuras possumus ponere nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conuersio; dicente spiritu Dei per Prophetam: *Cùm conuersus ingemueris, tunc saluus eris.* Et alibi: *Dic tu iniquitates tuas prior, vt iustificeris.* Et iterum: *Quia apud Dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemptio.* In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrymas, gemitúsque negligere, cùm ipsam * pœnitentiam ex Dei credamus inspiratione conceptam, dicente Apostolo: *Ne fortè det illis Deus pœnitentiam, vt resipiscant à diaboli laqueis, à quo capti tenentur ad ipsius voluntatẽ.* Vnde oportet vnumquemque Christianum conscientiæ suæ habere iudicium, ne conuerti ad Deum de die in diem differat: nec satisfactionis sibi tẽpus in fine vitæ suæ constituat, quem periculosè ignorantia humana concludit, vt ad paucarum horarum spatium se reseruet incertum: cùm possit pleniore satisfactione indulgentiam promereri, illius temporis angustias eligat, quo vix inueniat spatium, vel confessio pœnitentis, vel reconciliatio Sacerdotis. Verùm (vt dixi) etiam talium necessitati ita auxiliandum est, vt nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, si eam etiam amisso ab eis vocis officio, per indicium integri sensus quærere cõprobentur. Quod si aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggrauati, vt quod paulò antè poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circunstantium prodesse debebunt, vt simul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur: seruata tamen regula canonum paternorum circa eorũ personas, qui in Deum à discedendo, peccarunt. Hæc autem, frater, quæ ad interrogationem dilectionis tuæ ideo respondi, ne aliquid contrarium sub ignorantiæ excusatione gereretur, in Metropolitani tui notitiam facies peruenire: vt si qui fortè sunt fratrum, qui de his antea putauerunt ambigendum, per ipsum de omnibus, quæ ad te scripta sunt instruantur. Data 4. Idus Iunij Herculano viro clarissimo Consule.

Esa 30. Esa. 43. Psal. 123. pœnitendi affectionem. 2. Tim 2. CAP. V. De pœnitentia dist. 1. Multiplex 26. quæst. 6. His qui tempore.

EPISTOLA XCII.

Ad Rusticum Narbonensem Episcopum.

Capita Epistolæ sequentis,

Leo Episcopus, Rustico Narbonensi Episcopo.

EPISTOLAS fraternitatis tuæ, quas Hermes Archidiaconus tuus detulit, libenter accepi, diuersarum quidem causarum connexione multiplices, sed nõ ita patiẽtiæ legẽtis onerosas: vt aliquid earũ per intercurrentes vndique sollicitudines fuerit prætermissum. Vnde totius sermonis tui allegatione comperta, & gestis quæ in Episcoporũ, honoratorúmque examine confecta sunt, recensitis. Saniniano, & Leoni Presbyteris actionis suæ intelleximus fiduciam defuisse: nec eis iustam superesse querimoniam, qui se ab inchoatis disceptationis spontè subduxerint. Circa quos quã formam, quámve mensuram debeas tenere iustitiæ, tuo relinquo moderamini: suadens tamẽ charitatis hortatu, vt sanandis ægris spiritualem adhibere debeas medicinam, & dicente scriptura, Noli esse nimium iustus, mitiùs agas cum eis, qui pudicitiæ zelo videntur modum excessisse vindictæ: ne diabolus qui decipit adulteros, de adulterij exultet vltoribus. Miror autem, dilectionem tuam in tantùm scandalorum quacumque occasione nascentium aduersitate turbari: vt vacationem ab Episcopatus laboribus optare te dicas, & malle in silentio atque otio vitam degere, quàm in his quæ tibi commissa sunt, permanere. Dicente verò Domino, *Beatus qui perseuerauerit vsque in finem*: vnde beata erit perseuerantia, nisi ex virtute patientiæ? Nam secundum Apostolicam prædicationem, *Omnis qui voluerit piè viuere in Christo Iesu, persecutionem patietur.* Quæ non in eo tantùm computanda est, quod contra Christianam pietatem, aut ferro, aut ignibus agitur, aut quibuscunque

Eccl. 7. Matth. 24. 2. Tim. 3.

supplicijs: cùm persecutionum sæuitiam suppleant, & dissimilitudines morum, & contumaciæ inobedientiam, & malignarum tela linguarum: quibus cōflictationibus cùm omnia semper Ecclesiæ membra pulsentur, & nulla piorum portio hic à tentatione sit libera, ita vt periculis nec otia careant, nec labores, quis inter fluctus maris nauem diriget, si gubernator abscedat? Quis ab insidiis luporum oues custodiet, si pastoris cura non vigilet? Quis denique latronibus obsidet & furibus, si speculatorem in prospectu explorationis locatum, ab intensione sollicitudinis amor quietis abducat. Permanendum ergo in opere est credito, & in labore suscepto. Constanter tenenda est iustitia, & benignè præstanda clementia. Odio habeantur peccata, non homines. Nunc corripiantur tumidi, nunc tolerentur infirmi: & quod in peccatis seueriùs castigari necesse est, non sæuientis plectatur animo, sed medentis. At si vehementior tribulatio incubuerit, non ita expauescamus, quasi illi aduersitati propriis sit viribus resistendum, cùm & consilium nostrum, & fortitudo nostra sit Christus, vt sine quo nihil possumus, per ipsum cuncta possimus: qui confirmans prædicatores Euangelij, & sacramentorum ministros: *Ecce ego*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Et iterum, *Hæc*, inquit, *locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis: in mundo autem tribulationem habebitis.* Sed bono animo estote, quia ego vici mundum. Quæ pollicitationes quia sine dubitatione manifestæ sunt, nullis debemus scandalis infirmari: ne electioni Dei videamur ingrati, cuius tā potentia sunt adiutoria, quàm vera promissa. De consultationibus autem dilectionis tuæ, quas separatim conscriptas Archidiaconus tuus detulit, quid sentiendum sit inter præsentes opportuniùs quæretur, si nobis tui conspectus copia perueniret. Nam cùm quædam interrogationes modum diligentiæ videantur excedere, intelligo eas colloquiis aptiores esse, quàm scriptis. Quia sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione conuelli, ita multa sunt, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitudine rerum oporteat temperari: illa semper conditione seruata, vt in his, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id nouerimus sequendum, quod nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inueniatur aduersum.

Ioan. 20. — Dist. 86. Odio habeantur, peccata. — Ioan. 15. — Matth. 28. Ioan. 16. — Dist. 14. Sicut quædā.

Incipiunt ad inquisitiones eiusdem Episcopi subiecta responsa.

CAPVT I.

Nulla ratio sinit, vt inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à Prouincialibus Episcopis cum Metropolitani iudicio consecrati. Vnde cum sæpe quæstio de malè accepto honore nascatur, quis ambigat, nequaquam istis esse tribuendum, quod non docetur fuisse collatum. Si qui autem Clerici ab istis pseudoepiscopis in eis Ecclesiis ordinati sunt, quæ ad proprios Episcopos pertinebant, & ordinatio eorum cum consensu & iudicio Præsidentium facta est, potest rata haberi: ita vt in ipsis Ecclesiis perseuerent. Aliter autem vana habenda est ordinatio, quæ nec loco fundata est, nec authoritate munita.

Dist. in. 62. Nulla ratio. — 1. quæst. 1. Si quia pseudoëpisc.

CAPVT II.

Alienum est à consuetudine Ecclesiastica, vt qui in Presbyterali honore, aut in Diaconij gradu fuerint consecrati, ij pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi: quod sine dubio ex Apostolica traditione descendit, secundum quod scriptum est: *Sacerdos si peccauerit, quis orabit pro eo?* Vnde huiusmodi lapsis, ad promerendam misericordiam Dei, priuata est expetenda secessio, vbi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.

Dist. 50. Alienum est à consuetud. — 1. Reg. 2.

CAPVT III.

Lex continentiæ eadem est ministris altaris, quæ Episcopis atque Presbyteris. Qui cùm essent laici siue lectores, licitè & vxores ducere, & filios procreare potuerunt. Sed cùm ad prædictos peruenerint gradus, cœpit eis non licere, quod licuit. Vnde, vt de carnali fiat spirituale coniugium, oportet eos nec dimittere vxores, & quasi non habeant, sic habere, quo & salua sit charitas * coniugiorum & cessent opera nuptiarum.

*connubiorum.

CAPVT IV.

Non omnis mulier iuncta viro, vxor est viri: quia nec omnis filius hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales, multo prius hoc ipsum Domino constituente, quàm initium Romani iuris existeret. Itaque aliud est vxor, aliud concubina: sicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam Apostolis ad manifestandam harum personarum discretionem, testimonium ponit ex Genesi, vbi dicitur Abrahæ: *Eiice ancillam & filium eius, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Vnde cùm societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum coniunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ sacramentum: dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua non docetur nuptiale fuisse mysterium. Igitur cuiuslibet loci Clericus, si filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi coniugato eam dederit, nisi fortè illa mulier & ingenua facta, & dotata legitimè, & publicis nuptiis honestata videatur. Paterno arbitrio viris iunctæ carent culpa, si mulieres, quæ à viris habebantur, in matrimonio non fuerunt, quia aliud est nupta, aliud concubina.

Gen. 21. — Galat. 4. — Genes. 21. — 17. quæst. 2. Cum societas. Et in decret. suo lib. 6. — Ephes. 5.

CAPVT V.

Ancillam à thoro abiicere, & vxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio coniungij, sed profectus est honestatis. Culpanda est sanè taliū negligentia, sed non penitus desperanda: vt crebris cohortationibus incitati, quod necessariè expetierunt, fideliter exequantur. Nemo enim desperandus est, dum in hoc corpore constitutus est: quia nonnūquam, quod diffidentia ætatis differtur, concilio maturiore perficitur.

32. quæst. 2. Ancillam à thoro. — De pœnitentia dist. 7. Nemo desp.

CAPVT VI.

Horum causa Dei iudicio reseruanda est, in cuius manu fuit, vt talium obitus vsque ad communionis remedium differretur. Nos autem, quibus viuentibus non communicauimus, mortuis communicare non possumus.

CAP

CAPVT VII.

De pœnitentia diſt. 1. Pœnitentia quæſti.

DIſſimulatio hæc poteſt non de contemptu eſſe remedij, ſed de metu grauius delinquendi. Vnde pœnitentia quæ dilecta eſt, cùm ſtudioſius petita fuerit, non negetur: vt quoquomodo ad indulgentiæ medicinam anima vulnerata perueniat.

CAPVT VIII.

ALiud quidem eſt debita iuſta repoſcere, aliud propria perfectionis amore contemnere. Sed illicitorum veniam poſtulantem oportet à multis etiam licitis abſtinere, dicente Apoſtolo: Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. Vndè ſi pœnitens habet cauſam, quam negligere forte non debeat, melius expetit Eccleſiaſticum, quam forenſe iudicium.

1. Cor. 5.

CAPVT IX.

De pœnit. diſt. 5. Qualitas lucri.

QValitas lucri negotiantem aut excuſat, aut arguit: quia eſt & honeſtus queſtus & turpis. Veruntamen pœnitenti vtilius eſt etiam diſpendia pati, quam periculis negotiationis obſtringi: quia difficile eſt, inter ementis vendentiſque commercium non interuenire peccatum.

CAPVT X.

De pœnit. diſt. 1. Contrarium. 2. Tim. 2.

COntrarium eſt omnino Eccleſiaſticis regulis, poſt pœnitentiæ actionem redire ad militiam ſecularem, cum Apoſtolus dicat: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus.* Vnde non eſt liber à laqueis diaboli, qui ſe militiæ mundanæ voluerit implicare.

CAPVT XI.

IN adoleſcentia conſtitutus, ſi vrgente aut metu mortis, aut captiuitatis periculo, pœnitentiā geſſit, & poſtea, timens lapſum incontinentiæ iuuenilis, copulam vxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur feciſſe venialem, ſi præter coniugem, nullam omnino cognouerit. In quo tamen non regulam conſtituimus, ſed quid ſit tolerabilius, æſtimamus. Nam ſecundum veram cognitionem nihil magis ei congruit, qui pœnitentiam geſſit, quàm caſtitas perſeuerans & mentis & corporis.

CAPVT XII.

10. quæſt. 3. Propoſitum Deut. 23. Pſ 49. & 115. Eccl. 5. Ionæ. 2.

PRopoſitum monachi proprio arbitrio aut voluntate ſuſceptum, deſeri non poteſt abſque peccato. Quod enim quis vouit Deo, debet & reddere. Vnde qui relicta ſingularitatis profeſſione, ad militiam, vel ad nuptias deuolutus eſt, publicæ pœnitentiæ ſatisfactione purgandus eſt: quia etſi innocens militia & honeſtum poteſt eſſe coniugum, electionem tamen meliorum deſeruiſſe, tranſgreſſio eſt.

CAPVT XIII.

20. quæſt. 1. Puellæ.

PVellæ, quæ non coactæ parentum imperio, ſed ſpontaneo iudicio virginitatis propoſitum atque habitum ſuſceperunt, ſi poſtea nuptias eligunt, præuaricantur: etiamſi conſecratio non acceſſit, cuius vtique non fraudarentur munere, ſi in propoſito permanerent.

CAPVT XIV.

AMbigi verò non poteſt crimen magnum admitti, vbi & propoſitum deſeritur, & conſecratio violatur. Nam ſi humana pacta non poſſunt impunè calcari, quid eis manebit, qui corruperint fœdera diuini ſacramenti.

Vbi ſuprà 20. quæſt. 1. Puellæ quæ non.

CAPVT XV.

SI nulla exiſtant indicia inter propinquos aut familiares, nulla inter Clericos aut vicinos, quibus hi, de quibus quæritur, baptizati fuiſſe doceantur, agendum eſt, vt renaſcantur: ne manifeſtè pereat, in quibus, quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit, vt videatur iteratum. Qui autem poſſunt meminiſſe, quod ad Eccleſiam veniebant cum parentibus ſuis, poſſunt recordari, an quod eorum parētibus dabatur, acceperint. Sed ſi hoc etiam ab eorum memoria alienum eſt, conferendum eis videtur, quod collatum eſſe neſcitur: quia non temeritas interuenit præſumptionis, vbi eſt diligentia pietatis.

De communione diſp. 4. Si nulla ex. Et in decret. Iuo. l. 1.


CAPVT XVI.

HI autem, de quibus ſubſcripſiſti, qui ſe baptizatos ſciunt, ſed cuius fidei fuerint, qui eos baptizauere, ſe neſcire profitentur, quolibet modo formam baptiſmatis acceperint, rebaptizandi non ſunt, ſed per manus impoſitionem, inuocata virtute Spiritus ſancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, Catholicis copulandi ſunt.

De commu. diſt. 4. Hi de quibus. Et in decret. Iuo. l. 1.

CAPVT XVII.

QVi conuiuio ſolo gentilium, & eſcis immolatitiis vſi ſunt poſſunt ieiuniis & manus impoſitione purgari: vt deinceps ab idolothytis abſtinentes, ſacramentorum Chriſti poſſint eſſe participes. Si autem aut idola adorauere, aut homicidiis, vel fornicationibus contaminati ſunt: ad communionem eos, niſi per pœnitentiam publicam, non oportet admitti.



EPISTOLA XVIII.

Ad Turribium Auſtrienſem Epiſcopum.

Capita epiſtolæ ſequentis.

Leo Episcopus, Turribio Episcopo salutem.

QVAM laudabiliter pro Catholicæ fidei veritate mouearis, & quàm sollicitè Dominico gregi deuotionem officij pastoralis impendas, tradita nobis per diaconum tuum fraternitatis tuæ scripta demonstrant, quibus notitiæ nostræ insinuare curasti, qualis in regionibus vestris de antiquis pestilentiæ reliquiis errorem morbus exarserit. Nam & epistolæ sermo, & commonitorij series, libelli tui textus demostrant Priscillianistarum fœtidissimam apud vos recaluisse sentinam. Nihil est enim sordium in quorumque sensibus impiorum, quod in hoc dogma non confluxerit: quoniam de omnium terrenarum opinionum luto, multiplicem sibi fæcem commiscuerunt: vt soli totum biberent, quicquid alij ex parte gustassent. Denique si vniuersæ hæreses, quæ ante Priscilliani tempus exortæ sunt, diligentius rettactentur: nullus penéinuenitur error, de quo non traxerit impietas ista contagium: quæ non contenta eorum recipere falsitates, qui ab Euangelio Christi sub Christi nomine deuiarunt, tenebris etiã paganitatis immersit, vt per magicarum artium prophana secreta, & mathematicorum vana mendacia, religionis fidem, morùmque rationem in potestate dæmonum, & in effectu syderum collocarent. Quod si & credi liceat & doceri: nec virtutibus præmium, nec vitiis pœna debetur, omnique non solùm humanarum legum, sed etiam diuinarum constitutionum decreta soluentur: quia neque de bonis, neque de malis actibus vllum poterit esse iudicium, si in vtrãque partem fatalis necessitas motum mentis impellit: & quicquid ab hominibus agitur non est hominum, sed astrorum. Ad hanc insaniam pertinet prodigiosa illa totius humani corporis per duodecim cœli signa distinctio, vt diuersis patribus diuersæ præsideant potestates: & creatura quam Deus ad imaginem suam fecit, in tanta sit obligatione syderum, in quarta est connexione membrorũ. Meritò patres nostri, sub quorum temporibus hæresis hæc nefanda prorupit, per totum mundum instanter egère, vt impius furor ab vniuersa Ecclesia pelleretur: quando etiam mundi principes ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt vt authorem eius ac plerosque discipulos legum publicarum ense prosternerent. Videbant enim omnem curam honestatis auferri, omnem coniugiorum copulam solui, simùlque diuinum ius humanùmque subuerti: si huiusmodi hominibus vsquã viuere cum tali professione licuisset. Et profuit diu ista districtio Ecclesiasticæ lenitati, quæ etsi sacerdotali contenta iudicio cruentas refugit vltiones, seueris tamẽ Christianorum principum constitutionibus adiuuatur: dũ ad spiritale nonnũquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium. Ex quo autem multas prouincias hostilis occupauit irruptio, & executionem legum tempestates interdixere bellorum, ex quo inter Sacerdotes Dei difficiles commeatus, & rari cœperunt esse conuentus: inuenit ob publicam perturbationem secreta perfidia libertatem, & ad multarum mentium subuersionem his malis est incitata, quibus debuit esse correcta. Quæ verò illic aut quanta pars plebium à contagione pestis huius aliena est, vbi) sicut charitas tua indicat) lethali morbo etiam quorundam Sacerdotum corda corrupta sunt, & per quos opprimenda falsitas, & defendenda veritas credebatur, per ipsos doctrinæ Priscilliani, Euangelium subditur Christi, vt ad prophanos sensus pietate sanctorum voluminum deprauata, sub nominibus Prophetarum & Apostolorum non hoc prædicetur, quod Spiritus sanctus docuit, sed quod diaboli minister inseruit. Quia ergo dilectio tua fideli, quantum potuit, diligentia damnatas olim opiniones decem & septem Capitulis comprehendit: nos quoque strictim omnia retractemus, ne aliquid harum blasphemiarum aut tolerabile videatur, aut dubium.

CAPVT I.

PRimo itaque capitulo demõstratur, quàm impiè sentiant de Trinitate diuina, qui & patris, & filij, & spiritus sancti, vnam atque eandem asserunt esse personam, tanquam idem Deus, nunc pater, nunc filius, nunc Spiritus sanctus nominetur: nec alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de vtroque processit: sed singularis vnitas in tribus quidem vocabulis, sed non tribus sit accipiẽda personis. Quod blasphemiæ genus de Sabellij opinione sumpserũt, cuius discipuli etiam Patripassiani meritò nuncupãtur: quia si ipse est filius, qui & pater, crux filij, patris est passio: & quidquid in forma serui filius patri obediendo sustinuit, totum in se pater ipse suscepit. Quod Catholicæ fidei sine ambiguitate contrarium est: quæ Trinitatem vnitatis sic homousion confitetur, vt Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum sine confusione indiuisos, sine tempore sempiternos, sine differentia credat æquales: quia vnitatem in Trinitate non eadem persona, sed eadem implet essentia.

CAPVT II.

IN secundo capitulo ostenditur ineptum vanumque commentum, de processionibus quarundam virtutum ex Deo, quas habere cœperit, & quas essentia sua ipse præcesserit: quo Arrianorum quoque suffragantur errori, dicentium, quod pater prior filio sit, quia fuerit aliquando sine filio, & tunc pater esse cœperit, quando filium genuerit. Sed sicut illos Catholica Ecclesia detestatur: ita & istos, qui putãt vnquam Deo id, quod eiusdem est essentiæ, defuisse. Quem sicut mutabilem, ita & proficientem dicere nefas est. Quam enim mutatur, quod minuitur, tam mutatur etiam, quod augetur.

CAPVT III.

TErtij verò capituli sermo designat, quod iidem impij asserãt, ideo vnigenitum dici filium Dei, quia solus sit natus ex virgine. Quod vtique non auderent dicere, nisi Pauli Samosateni & Photini virus hausissent: qui dixerunt Dominum nostrum Iesum Christum antequam nasceretur ex virgine Maria, non fuisse. Si autem isti aliud de suo sensu intelligi volunt, neque principium de matre dant Christo, asserant necesse est non vnum esse filium

Dei,

Dei, sed alios quoquè ex summo patre progenitos, quorum hic vnus sit natus ex fœmina, & hic ob hoc appelletur vnigenitus, quia hanc nascendi conditionem alius filiorum Dei nemo susceperit, Quaquauersum igitur se contulerint, in magnæ tendunt impietatis abruptum, si Cristum Dominum, vel ex matre volunt habere principium, vel patris Dei vnigenitum diffitentur: cùm & de matre is natus sit, qui erat Deus Verbum, & de patre nemo sit genitus præter Verbum.

CAPVT IV.

Ioan. 1. Vide huius S. Leonis serm. 2 in Nata. Do. c. 5. & ser. 7. c. 3. 4. 5. 6. Item de Epiph. ser. 4. in fine c. 4.

QVarto autem capitulo continetur, quod natalem Christi, quem secundum suceptionem veri hominis Catholica Ecclesia veneratur, quia Verbum caro factum est & habitauit in nobis, non verè isti honorent, sed honorare se simulent: ieiunantes eodem die, sicut & die Dominico, qui est dies resurrectionis Christi, quod vtique ideo faciunt, quia Christum Dominum in vera hominis natura natum esse non credunt, sed per quandam illusionem ostentata videri volunt, quæ vera non fuerint; sequentes dogma Cerdonis atque Marcionis, & cognatis suis Manichæis per omnia concordantes. Qui sicut in nostro examine detecti atque conuicti sunt, Dominicum diem, quem nobis Saluatoris nostri resurrectio consecrauit, exigunt in mœrore ieiunij, Solis (vt proditum est) reuerentiæ hanc continentiam deuouentes, vt per omnia sint à nostræ fidei vnitate discordes, & dies qui à nobis in lætitia habetur, ab illis, in afflictione ducatur, Vnde dignum est, vt inimici crucis Christi & resurrectionis, talem excipiant sententiam, qualem elegerunt doctrinam.

CAPVT V.

QVinto capitulo refertur, quod animam hominis diuinæ asserant esse substantiæ, nec à natura creatoris sui conditionis nostræ distare naturam. Quam impietatem ex philosophorum quorundam, & Manichæorum opinione manantem, Catholica fides damnat: sciens nullam tam sublimem, tàmque præcipuam esse facturam, cui Deus ipse natura sit. Quod enim de ipso est, idem est quod ipse. Nec id aliud est, quàm Flius, & Spiritus sanctus. Præter hanc autem summæ Trinitatis vnam consubstantialem, & sempiternam, atque incommutabilem deitatem nihil omnium creaturarum est, quod non in
Psalm. 71. & 135. exordio sui ex nihilo creatum sit Non autem, quicquid inter creaturas eminet, Deus est, nec si quid magnum est, atque mirabile hoc est, quod ille, qui facit mirabilia magna solus. Nemo hominum veritas, nemo sapientia, nemo iustitia est, sed multi participes sunt veritatis & sapientiæ atque iustitiæ. Solus autem Deus nullius participationis indignus est. De quo quicquid dignè vtcumque sentitur, non qualitas est, sed essentia. Incommutabili enim nihil accedit, nihil deperit: quia esse illi, quod est sempiternum, semper est proprium. Vnde in se manens innouat omnia, & nihil accipit, quod ipse non dedit. Nimium igitur superbi, nimiúmque sunt cæci, qui cùm dicant humanam animam diuinæ esse substantiæ, non intelligunt, nihil se aliud dicere, quàm Deum esse mutabilem, & ipsum perpeti quicquid potest naturæ eius inferri.

CAPVT VI.

SExta adnotatio indicat eos dicere, quod diabolus nunquam fuerit bonus, nec natura eius opificium Dei sit, sed eum ex chao & tenebris emersisse: quia scilicet nullum sui habeat authorem, sed omnis mali ipse sit principium atque substantia: cùm fides vera, quæ est Catholica omnium creaturarum siue spiritualium, siue corporalium bonam confiteatur substantiam, & mali nullam esse naturam: quia Deus qui vniuersitatis est conditor, nihil non bonum fecit. Vnde & diabolus bonus esset, si in eo, quod factus est, permaneret. Sed quia naturali Ioan. 8.
excellentia malè vsus est, & in veritate non stetit, non in contrariam transiit substantiam, sed à summo bono, cui debuit adhærere, desciuit: sicut ipsi, qui talia asserunt, à veris in falsa proruunt, & naturam in eo arguunt, in quo sponte delinquunt, ac pro sua voluntaria peruersitate damnantur. Quod vtique in ipsis malum erit, & ipsum malum non erit substantia, sed pœna substantiæ.

CAPVT VII.

SEptimo loco sequitur, quod nuptias damnant, & procreationem nascentium perhorrescunt: in quo (sicut penè in omnibus) cum Manichæorum prophanitate concordant, ideo (sicut ipsorum mores probant) coniugalem copulam detestantes, quia non est illic libertas turpidinis, vbi & pudor matrimonij seruatur & spes sobolis.

CAPVT VIII.

OCtauum ipsorum est, plasmationem humanorum corporum diaboli dicere esse figmentum, & semina conceptionum, opera dæmonum in mulierum vteris figurari: propterea resurrectionem carnis non esse credendam, quia concreatio corporis non sit congruens animæ dignitati. Quæ falsitas sine dubio opus diaboli est, & talia prodigia opinionum figmenta sunt dæmonum, qui non in fœminarum ventribus formant homines, sed in hæreticorum cordibus tales fabricantur errores. Quod immundissimum virus de Manichææ impietatis specialiter fonte procedens, olim fides Catholica deprehendit atque damnauit.

CAPVT IX.

NOna autem annotatio manifestat, quod filios promissionis, ex mulieribus quidem natos, sed ex Spiritu sancto dicant esse conceptos, ne illa soboles, quæ de carnis semine nascitur, ad Dei conditionem pertinere videatur. Quod Catholicæ fidei repugnans atque contrarium est, quæ omnem hominem in corporis animæque * substantia à *substantiæ.*
conditore vniuersitatis formari, atque animari intra materna viscera confitetur: manente quidem illo peccati mortalitatisque contagio, quod in prolem à primo parente transcurrit, sed regenerationis sacramento subueniente, quo per Spiritum sanctum promissionis filij renascuntur, non in vtero carnis, sed in virtute baptismatis. Vnde & Dauid, qui vtique erat promissionis filius, dicit ad Deum: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me.* Et ad Psalm. 118. Iob. 10.
Hieremiam Dominus ait: *Prius quàm te formarem in vtero, noui te.* Hier. 1.

CAPVT

CAPVT X.

DEcimo autem capitulo referuntur asserere animas, quæ humanis corporibus inseruntur, fuisse in corpore, & in cœlesti habitatione peccasse, atque ob hoc à sublimibus ad inferiora delapsas, in diuersæ qualitatis principes incidisse, & per aëreas ac sydereas potestates alias duriores, alias mitiores corporibus esse inclusas, sorte diuersa & conditione dissimili, vt quicquid in hac vita variè & inæqualiter prouenit, ex præcedentibus causis videatur accidere. Quam impietatis fabulam ex multorum sibi erroribus texuerunt, sed omnes eos Catholica fides à corpore suæ vnitatis abscidit constanter prædicans atque veraciter, quod animæ hominum priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere; nec ab alio incorporentur, nisi ab opifice Deo, qui & ipsarum est creator & corporum. Et quia per primi hominis præuaricationem tota humani generis propago vitiata sit, neminem posse à conditione veteris hominis liberari, nisi per sacramentum baptismatis Christi, in quo nulla est discretio renatorum, dicente Apostolo: *Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus, neque Græcus: non est seruus, neque liber, non est masculus, neque fœmina, omnes enim vnum estis in Christo Iesu.* Quid ergo hic agunt cursus syderum, quid figmenta fatorum; quid mundanarum rerum mobilis status, & inquieta diuersitas; Ecce tot impares gratia Dei facit æquales, qui inter quoslibet vitæ huius labores, si fideles permanent, miseri esse non possunt, Apostolicum illud in omni tentatione dicentes, *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Sicut scriptum est, quia propter te morte afficimur tota die, æstimati sumus vt oues occisionis. Sed in his omnibus superamus in eo, qui nos dilexit.* Et ideò Ecclesia, quæ corpus est Christi, nihil de mundi inæqualitatibus metuit quia nihil de bonis corporalibus coucupiscit. Nec timet inani strepitu fatorum grauari, quæ patientia tribulationum nouit augeri.

Gal. 5.

Rom. 8.

CAPVT XI.

VNdecima ipsorum blasphemia est, qua fatalibus stellis & animas hominum, & corpora opinantur adstringi, per quam amentiam, necesse est, vt omnibus paganorum erroribus implicati, & fauentia sibi (vt putant) sydera colere, & aduersantia studeant mitigare. Verùm ista sectantibus nullus in Ecclesia Catholica locus est: quoniam qui se talibus persuasionibus dedit, à Christi corpore totus abscessit.

CAPVT XII.

DVodecimum inter hæc illud est, quod sub aliis potestatibus partes animæ, sub aliis corporis membra describunt, & qualitates interiorum præsulum in patriarcharum nominibus statuunt, quibus è diuerso signa syderea, quorum virtuti corpora subiiciantur, opponunt. Et in his omnibus inextricabili se errore præpediunt, non audientes dicentem Apostolum: *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum: quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis.* Et iterum: *Nemo vos seducat, volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum Dei.* Quid ergo opus est in cor admittere, quod lex non docuit, quod prophetia non cecinit, quod Euangelij veritas non prædicauit, quod Apostolica doctrina non tradidit; Sed hæc operta sunt eorum mentibus, de quibus Apostolus dicit: *Erit enim tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus, & a veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Nihil itaque * nobiscum commune habeant, qui talia audent, vel docere, vel credere, & quibuslibet modis nituntur astruere, quod substantia carnis ab spe resurrectionis aliena sit, atque ita omne sacramentum Incarnationis Christi resoluunt: quia indignum fuit integrum hominem suscipi, si indignum erat integrum liberari.

Coloss. 2.

Coloss. 2.

vobiscum.

CAPVT XIII.

TErtio decimo loco positum est eosdem dicere quod omne corpus scripturarum canonicarum sub patriarcharum nominibus accipiendum sit, quia illæ duodecim virtutes, quæ reformationem hominis interioris operantur, in horum vocabulis indicentur, sine qua scientia nullam animam posse assequi, vt in eam substantiam, de qua prodiit, reformetur. Sed hanc impiam vanitatem despectui habet Christiana sapientia, quæ nouit veræ deitatis inuiolabilem & incorruptibilem esse naturam: animam autem, siue in corpore viuentem, siue à corpore separatam, multis passionibus subiacere. Quæ vtique si diuinæ esset essentiæ, nihil aduersi posset incidere. Et ideo ineffabiliter aliud creator est, aliud creatura. Ille enim semper idem est, & nulla varietate mutatur: hæc autem mutabilis est etiam non mutata, quia vt non mutetur, datum poterit habere, non proprium.

CAPVT XIV.

SVb quarto decimo verò capitulo, de statu corporis sentire dicuntur, quod sub potestate syderum atque signorum pro terrena qualitate teneatur, & ideo multa in sanctis libris, quæ ad exteriorem hominem pertineant, reperiri, vt in ipsis scripturis inter diuinam, terrenámque naturam quædam sibi repugnet aduersitas, & aliud sit, quod sibi vindicent animæ præsules, aliud quod corporis conditores. Quæ fabulæ ideo differuntur, vt & anima diuina affirmetur esse substantiæ, & caro credatur malæ esse naturæ; quoniam & ipsum mundum cum elementis suis non opus Dei boni, sed conditionem mali profitentur authoris: atque vt hæc mendaciorum suorum sacrilegia bonis titulis colorarent, omnia penè diuina eloquia sensuum nefandorum immissione violarunt.

CAPVT XV.

DE qua re quintidecimi capituli sermo conqueritur, & præsumptionem diabolicam meritò detestatur, quia & nos istud veracium testium relatione comperimus, & multos corruptissimos eorum codices, qui canonici titulantur, inuenimus. Quomodo enim decipere simplices possent, nisi venenata pocula quodam melle prælinirent, ne vsquequaque sentirentur insuauia, quæ essent futura mortifera? Curandum ergo est, & sacerdotali diligentia

gentia maximè prouidendum, vt falſati codices,& à ſyncera veritate diſcordes, in nullo vſu lectionis habeantur. Apocryphæ autem ſcripturæ, quæ ſub nominibus Apoſtolorum multarum habent ſeminarium falſitatum, non ſolùm interdicendæ, ſed etiam penitus auferendæ ſunt, atque ignibus concremandæ. Quamuis enim ſint in illis quædam, quæ videantur ſpeciem habere pietatis, nunquam tamen vacuæ ſunt venenis, & per fabularum illecebras hoc latenter operantur, vt mirabilium narratione ſeductos, laqueis cuiuſcumque erroris inuoluant. Vnde ſi quis Epiſcoporum, vel apocrypha haberi per domos non prohibuerit, vel ſub canonicorum nomine eos codices in Eccleſia permiſerit legi, qui Priſcilliani adulterina ſunt emendatione corrupti; hæreticum ſe nouerit iudicandum, quoniam qui alium ab errore non reuocat, ſeipſum errare demonſtrat.

CAPVT XVI.

Dictinij. POſtremo autem capitulo hoc prodidit iuſta querimonia, quod * Dicticinij tractatus, quos ſecundum Priſcilliani dogma conſcripſit, à multis cum veneratione legerentur, cùm ſi aliquid memoriæ *
Dictinio. Dicticinio tribuendum putant, reparationem eius magis debeant amare, quàm lapſum. Non ergo * Di-
Dictinium. cticinium, ſed Priſcillianum legunt, & illud probant, quod errans docuit, non quod correctus elegit. Sed nemo hoc impunè præſumat, nec inter Catholicos cenſeatur, quiſquis vtitur ſcripturis, non ab Eccleſia ſolummodo Catholica, ſed etiam à ſuo authore damnatis. Non ſit peruerſis liberum ſimulare quod fingunt, nec ſuo velamine nominis Chriſtiani, decretorum Imperialium ſtatuta declinent. Ideo enim ad Eccleſiam Catholicam cum tanta cordis diuerſitate conueniunt, vt & quos poſſunt, ſuos faciant, & legum ſeueritatem, dum ſe noſtros mentiuntur, effugiant. Faciunt hoc Priſcillianiſtæ, faciũt hoc Manichæi, quorum cũ iſtis tam fœderata ſunt corda, vt ſolis nominibus diſcreti, ſacrilegiis autem ſuis inueniantur vniti: quia etſi vetus teſtamentum, quod iſti ſe ſuſcipere ſimulant, Manichæi refutant, ad vnum tamen finem vtrorumque tendit intentio, cùm quod iſti recipiendo corrumpunt, illi abdicando impugnant. In execrabilibus autem myſteriis eorum, quæ quanto immundiora ſunt, tanto diligentius occultantur, vnum prorſus nefas eſt, vna eſt obſcœnitas, & ſimilis turpitudo. Quam etſi eloqui erubeſcimus, ſollicitiſſimis tamen inquiſitionibus indagatam, & Manichæorum, qui comprehenſi ſunt, confeſſionibus detectam, ad publicam fecimus peruenire notitiam, ne vllo modo poſſit dubium videri, quod in iudicio noſtro, cui non ſolùm frequentiſſima præſentia Sacerdotum, ſed etiam illuſtrium virorum dignitas, & pars quædam Senatus ac plebis interfuit, ipſorum qui omne facinus perpetrarant, ore reſeratum eſt; ſicut ea, quæ ad dilectionem tuam nunc direximus, geſta demonſtrant. Quod autem de Manichæorum fœdiſſimo ſcelere, hoc etiam de Priſcillianiſtarum inceſtiſſima conſuetudine olim compertum, multumque vulgatum eſt. Qui enim per omnia ſunt impietate ſenſuum pares, non poſſunt in ſacris ſuis eſſe diſſimiles. Decurſis itaque omnibus, quæ libelli ſeries comprehendit, & à quibus commonitorij forma non diſcrepat, ſufficienter (vt opinor) oſtendimus, quid de his, quæ ad nos fraternitas tua retulit, cenſeamus, & quàm non ſit ferendum, ſi tam prophanis erroribus etiam quorumdam ſacerdotum corda conſentiunt, vel (vt mitius dixerim) non reſiſtunt. Qua conſcientia honorem ſibi debitum vindicant, qui pro animabus ſibi creditis non laborant? Beſtiæ irruunt, & ouium ſepta non claudunt: fures inſidiantur, & excubias nõ prætendunt: morbi crebreſcunt, & remedia nulla proſpiciunt. Cùm autem etiam illud addunt, vt his, qui ſollicitius agunt, conſentire detrectent, & impietates, olim toto orbe damnatas, ſubſcriptionibus ſuis ſe anathematizare diſſimulent, quid de ſe intelligi volunt, niſi quod de numero fratrum non ſunt, ſed de parte hoſtium.

CAPVT XVII.

IN eo verò, quod extrema familiaris epiſtolæ tuæ parte poſuiſti, miror cuiuſquam Catholici intelligentiam laborare, tanquam incertum ſit, an deſcendente ad inferna Chriſto, caro eius requieuerit in ſepulchro: quæ ſicut verè & mortua eſt & ſepulta, ita verè eſt die tertio reſuſcitata. Hoc enim ipſe Dominus denunciauerat, dicẽs ad Iudæos: *Soluite templum hoc, & in triduo reſuſcitabo illud.* Vbi Euange- Ioan. 2.
liſta ſubiungit: *Hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* Cuius rei veritatem etiam Dauid Propheta prædixerat, loquens ſub perſona Domini Saluatoris, & Pſalm. 15.
dicens: *Inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Quibus vtique verbis manifeſtum eſt, quod caro Domini, & verè ſepulta requieuit, & corruptionem non ſubiit: quia celeriter viuificata reditu animæ reſurrexit. Quod non credere ſatis impium eſt, & ad Manichæi, Priſcillianique doctrinam pertinere non dubium eſt: qui ſacrilego ſenſu ita ſe Chriſtum ſimulant confiteri, vt Incarnationis & mortis, & reſurrectionis auferant veritatem. Habeatur ergo inter vos Epiſcopale Concilium, & ad eum locum, qui omnibus opportunus ſit, vicinarum prouinciarum conueniant Sacerdotes: vt ſecundum ea, quæ ad tua conſulta reſpondimus, pleniſſimo diſquiratur examine, an ſint aliqui inter Epiſcopos, qui huius hæreſeos contagio polluantur, à communione ſine dubio ſeparandi, ſi nefandiſſimam ſectam per omnium ſenſuum prauitates damnare noluerint. Nulla enim ratione tolerandum eſt, vt qui prædicandæ fidei ſuſcepit officium, is contra Euangelium Chriſti, contra Apoſtolicam doctrinam, contra vniuerſalis Eccleſiæ Symbolum audeat diſputare. Quales illic erunt diſcipuli, vbi tales docebunt magiſtri? Quæ illic religio populi, quæ ſalus plebis, vbi contra humanam ſocietatem pudoris ſciſſi verecundia tollitur, coniugiorum fœdera auferuntur, propagatio generationis inhibetur, carnis natura damnatur, contra verum autem veri Dei cultum Trinitas deitatis negatur, perſonarum proprietas confunditur, anima hominis diuina eſſentia prædicatur, & eadem ad diaboli arbitrium carne concluditur: Dei filius per id, quo ex virgine ortus, non per id, quo ex patre natus eſt, vnigenitus prædicatur, idémque nec vera Dei proles, nec verus filius virginis aſſeritur, vt per falſam paſſionem, mortémque non veram mendax etiam reſurrectio reſumptæ de ſepulchro carnis habeatur? Fruſtra autem vtuntur Catholico nomine, qui iſtis impietatibus non reſiſtunt. Poſſunt hæc credere, qui poſſunt talia patienter Audire. Dedimus itaque litteras ad fratres & Coëpiſcopos noſtros Terraconenſes, Carthaginenſes, Luſitanos, atque Gallicos, eiſque Concilium ſynodi generalis indiximus. Ad tuæ dilectionis ſollicitudinem pertinebit, vt noſtræ ordinationis authoritas ad prædictarum prouinciarum Epiſcopos deferatur. Si autem aliquid (quod abſit) obſtiterit,

ſtiterit, quo minus poſſit celebrari generale Concilium Galliciæ, ſaltem in vno conueniant ſacerdotes, quibus congregatis fratres noſtri Hydacius & Ceponius imminebunt coniunctа cum eis instantia tua, quo citius, vel prouinciali conuentu remedium tantis vulneribus afferatur.

EPISTOLA XCIV.

Ad Ruſticum, Rauennium, Venerium, & cæteros Epiſcopos Galliarum.

Leo Epiſcopus Romæ, Ruſtico, Rauennio, Venerio, cæteriſque Galliarum Epiſcopis.

IMpletis per miſericordiam Dei communibus votis, dignum eſt fraternitatem veſtram ſanctorum gaudiorum habere conſortium. Nam fratres mei, qui vice mea orientali Synodo præſederunt, quæ vota retulere, ſignifico, confirmata Catholica fide & glorificata Apoſtolicæ prædicationis triumpho, quod etiam hi, qui ad deuiandum, vel ſeducti fuerant, vel impulſi, recepta veritatis luce lætantur. Siquidem omnes Domini ſacerdotes in vna ſententia, ſancto ſpiritu docente, conſenſere. Et de ſacramento Dominicæ Incarnationis, in qua multorum intelligentia caligabat, ita tenebræ erroris ablatæ ſunt, vt in vno Domino noſtro, vero Dei & hominis filio, nec de humanitatis ambigatur natura, nec de deitatis eſſentia. In impios autem nefandi erroris authores, qui indignos ſe Dei gratia iudicantes, correctionis vti remediis noluere, qualis ſit lata ſententia, exemplaria quæ miſimus, edocebunt: vt agnoſcat veſtra dilectio, fratres chariſſimi, in ſancto examine diuinum non defuiſſe iudicium, quo & vindicta retributa eſt obduratis, & pax impenſa correctis. Dominus vos incolumes cuſtodiat, fratres chariſſimi.

EPISTOLA XCV.

Ad Epiſcopos Galliarum & Hiſpaniarum de Paſcha.

Dilectiſſimis fratribus vniuerſis Epiſcopis Catholicis per Galliam & Hiſpaniam conſtitutis, Leo Romæ Epiſcopus.

CVm in omnibus diuinorum præceptorum regulis exequendis ſacerdotalem obſeruantiam oporteat eſſe concordem, maximè nobis principaliter prouidendum eſt, ne in Paſchalis feſti die, vel ignorantia, vel præſumptione peccatum diuerſitatis incurrat. Vnde quia tempus ſacratiſſimæ ſolennitatis ita diſpoſitos habet limites ſuos, vt ſalutare ſacramentum nunc citius, nunc tardiùs oporteat celebrari, non deſinit Apoſtolicæ Sedis ſollicitudo proſpicere, ne deuotio Eccleſiaſtica aliquo turbetur incerto. Cùm igitur in quibuſdam adſcriptionibus patrum futurum proximè Paſcha Domini, ab aliis in diem quintum decimum Kalendas Maij, ab aliis in diem octauum Kalendarum earumdem inueniretur adſcriptum: tantùm me diuerſitas iſta permouit, vt clementiſſimo Principi Martiano curam de hac re animi mei panderem, vt præcipiente ipſo ab his, qui habent huius ſupputationis peritiam, diligentiùs illa diſcuſſa ratione quæreretur, quo die poſſet veneranda ſolennitas rectiùs celebrari. Quo reſcribente, octauo Kalendas Maij definitus eſt dies. Quia ergo ſtudio vnitatis & pacis malui Orientalium definitioni acquieſcere, quàm in tantæ feſtiuitatis obſeruantia diſſidere: nouerit fraternitas veſtra die octaua Kalendarum Maiarum ab omnibus Reſurrectionem Dominicam celebrandam, & hoc ipſum per vos aliis eſſe fratribus intimandum, vt diuinæ pacis conſortio, ſicut vna fide iungimur, ita vna ſolennitate feriemur.

EPISTOLA XCVI.

Ad Epiſcopos & Preſbyteros intra Thraciam prouinciam conſtitutos.

Dominis fratribus meritò beatiſſimis, in Chriſto venerabilibus, Samartioni, Charathoni, Deſiderio Epiſcopis, & Presbyteris omnium Eccleſiarum, quæ ſunt intra prouinciam Thraciam conſtitutæ, Leo, Victorius, Euſtachius Epiſcopi.

TAntâ ſæculi poteſtates circa ſacerdotalem ordinem reuerentiâ præualuêre, etiam hi, quos ſub Imperiali nomine terris diuina potentia præeſſe præcepit, vt ius diſtinguendorum negotiorum Epiſcopis ſanctis iuxta diualia conſtituta permiſerint. Quod cùm & iuris antiqui formulis, & illibatis frequentiùs ſit legibus confirmatum, præſenti tamen tempore à pleriſque inuenimus fuiſſe calcatum. Nam prætermiſſo ſacerdotali iudicio, paſſim ad examen ſæculare tranſiere. Quocirca nobis viſus eſt, vt hanc & ſacræ legis, & noſtri ordinis contumeliam, & ad præſens vlciſceretur plena diſtrictio, & obſeruandam formulam conſtitueret in futurum. Cenſemus itaque, vt cuicumque, prætermiſſo Sacerdote Eccleſiæ ſuæ, ad diſceptationem venerit ſæcularium, ſacris liminibus expulſus à cœleſti arceatur altari, neque vllus poſt hanc definitionem, qui communi ſedit arbitrio, quicquam ſibi vltra præſcriptum vindicare nitatur: ita fiet, vt hi, qui antè errauere, congrua emendatione ſe corrigant, & qui ſub obſeruatione clericali cœleſti probatur ſeruire officio, ex clero abiiciendum, ſi prætermiſſo ſacerdotum iudicio, ſæcularem adierit poteſtatem. Quo ideo ſingulos vniuerſóſque volumus agnoſcere, vt quod pleno iuſtitiæ & iuris ordine conſtitutum eſt, effectum totius firmitatis in omnibus clericorum negotiis ſortiatur. Sanè ſi clericus laicum pulſet, prius ſe audiri ab Epiſcopis poſcat: tum ſi petitioni ſuæ laicum viderit obuiare, ex permiſſu Epiſcopi ſui, in ſæculi moderatores diſceptatione confligat. Leo Epiſcopus ſcribit. Victorius Epiſcopus ſcribit. Euſtachius Epiſcopus ſcribit.

EPISTOLA XCVII.

Ad Leonem Auguſtum.

Capita Epiſtolæ ſequentis.

De blaſphemiis Neſtorij & Eutychetis, eorúmque digno anathemate. I.
Quod in vna Domini Ieſu perſona, gemina ſit deitatis & humanitatis aſſerenda natura. II.
De capitulis fidei ex ſanctorum patrum libris collectis. III.

Leo

Leo Romæ & vniuerſalis Catholicæque Eccleſiæ Epiſcopus, Leoni ſemper Auguſto ſalutem.

PROMISISSE me memini, venerabilis Imperator, in cauſa fidei, de qua clementiam tuam noui piè eſſe ſollicitam, pleniorem humilitatis meæ dirigendum eſſe ſermonem, quem nunc (auxiliante Domino) fideli occaſione perſoluo, vt ſancto pietatis tuæ ſtudio vtilis (quantum arbitror) deeſſe non poſſit inſtructio. Quamuis enim ſciam clementiam tuam humanis inſtructionibus non egere, & ſynceriſſimam de abundantia Spiritus ſancti hauſiſſe doctrinam; officij tamen mei eſt, & patefacere quod intelligis, & prædicare quod credis: vt ignis ille, quem Dominus veniens miſit in terram, motu crebræ meditationis agitatus, ſic concaleſcat, vt ferueat: & ſic inflammetur, vt luceat. Luc. 12.

CAPVT I.

Ioan. 1. MAgnas enim caligines Eutychiana hæreſis Orientis partibus inferre molita eſt: & ab illa luce, quæ (ſicut Euangelium loquitur) lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt, imperitorum oculos tentauit auertere. Cúmque ipſa in ſuam recideret cæcitatem, nunc in diſcipulis recrudeſcit, quod in authore defecit: Non longo namque temporis interuallo Catholica fides, quæ eſt ſingularis & vera, cuique nihil addi, nihilve minui poteſt, à duobus eſt hoſtibus appetita, quorum prior Neſtorius, Eutyches ſecundus emerſit, qui Eccleſiæ Dei duas hæreſes ſibimet contrarias inferre voluerunt, vt vterque à prædicatoribus veritatis meritò damnaretur, quia inſanum nimis & ſacrilegum fuit, quod varia falſitate ambo ſenſerunt. Duos hoſtes Neſtorius & Eutyches. Neſtorius. Anathematizetur ergo Neſtorius, qui beatam virginem Mariam non Dei, ſed hominis tantummodo credidit genitricem, vt aliam perſonam carnis, aliam faceret deitatis: nec vnum Chriſtum in Verbo Dei & carne ſentiret; ſed ſeparatim atque ſeiunctim alterum filium Dei, alterum hominis prædicaret: cùm manente illa incommutabili Verbi eſſentia, quæ ei cum Patre & Spiritu ſancto intemporalis atque coæterna eſt, ita intra virginea viſcera Verbum caro ſit factum, vt per id, quod ineffabile eſt ſacramentum vno conceptu, vnoque partu, ſecundum veritatem vtriuſque naturæ ea virgo & ancilla Domini eſſet & mater. Luc. 1. Quod etiam Elizabeth (ſicut Lucas Euangeliſta declarat) intellexit & dixit: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me:* Eutyches. Euthyches quoque eodem percellatur anathemate, qui per impios veterum hæreticorum volutatus errores, tertiũ Apolinaris dogma delegit: Apollinaris. vt negata humanæ carnis atque animæ veritate, totum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum vnius aſſereret eſſe naturæ, tanquam Verbi deitas ipſa ſe in carnem animámque conuerterit & concipi ac naſci, nutriri & creſcere, crucifigi ac mori, ſepeliri ac reſurgere, & aſcendere in cœlum, & in Patris dextera, vnde ad iudicandos viuos & mortuos veniet, conſidere, diuinæ tantùm eſſentiæ fuerit, quæ nihil horum in ſe ſine carnis recipit veritate, quoniam natura vnigeniti natura eſt Patris, natura eſt & Spiritus ſancti, ſimúlque impaſſibilis, ſimul eſt incommutabilis, ſempiterna Trinitatis indiuiſa vnitas, & conſubſtantialis æqualitas. Vnde ſi ab Apollinaris peruerſitate Eutychianus quiſque deſciſcit, ne conuincatur deitatem paſſibilem ſentire atque mortalem, & tamen Verbi incarnati, id eſt, Verbi & carnis vnam audet pronunciare naturam, manifeſtè in Valentini & Manichæi tranſit inſaniam, & mediatorem Dei & hominum, hominem Ieſum Chriſtum ſimulatoriè credit omnia egiſſe, nec humanam in ipſo corpus, ſed phantaſticam corporis ſpeciem oculis apparuiſſe cernentium. Valentini & Manichæi inſania. Quæ impietatis mendacia, quoniam olim fides Catholica deteſtatur, & aliarum aſſertionum ſacrilegia concordibus per totum mundum beatorum Patrum dudum ſunt damnata ſententiis, non dubium eſt, eam non fidem prædicare atque defendere, quam ſancta Synodus Nicæna confirmauit, dicens: Nicænæ Synodi Symbolum. Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, omnium viſibilium & inuiſibilium factorem: Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei, natum de Patre vnigenitum, hoc eſt, de ſubſtantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum, vnius ſubſtantiæ cum Patre (quod Græci dicunt homouſion) per quem omnia facta ſunt, ſiue quæ in cœlo, ſiue quæ in terra. Qui propter nos, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis: Et incarnatus eſt, & homo factus, paſſus eſt, & reſurrexit tertia die. Aſcendit ad cœlos, inde venturus iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum ſanctum. In qua profeſſione hoc euidentiſſimè continetur, quod etiam nos de Domini Incarnatione confitemur & credimus, qui ad ſalutem humani generis reformandam, veram carnem noſtræ fragilitatis non de cœlo ſecum detulit, ſed in vtero virginis matris aſſumpſit.

CAPVT II.

QVicumque ergo ſunt ita obcæcati, & à lumine veritatis alieni, vt verbo Dei à tempore incarnationis, humanæ carnis denegent veritatem: oſtendant, in quo ſibi Chriſtianũ nomen vſurpent, & cum Euangelio veritatis qua ratione concordent, ſi per beatæ virginis partum, aut caro ſine deitate, aut deitas eſt orta ſine carne. Sicut enim negari non poteſt (Euangeliſta dicente:) quod *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis:* Ioan. 1. ita negari non poteſt (beato Paulo Apoſtolo prædicante) quod *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* 2. Cor. 5. Quæ autem reconciliatio eſſe poſſet, in qua humano generi propitiaretur Deus, niſi omnium cauſam mediator Dei, hominúmque ſuſciperet? Qua verò ratione veritatem mediatoris impleret, niſi qui in forma Dei æqualis eſt Patri, in forma ſerui particeps eſſet & noſtri: vt mortis vinculum vnius præuaricatione contractum, vnius morte (qui ſolus morti nihil debuit) ſolueretur: effuſio enim pro iniuſtis ſanguinis iuſti Chriſti, tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad pretium, vt ſi vniuerſitas captiuorum in redemptorem ſuum crederet, nullum diaboli vincula retinerent, quoniam ſicut Apoſtolus ait: Rom. 5. *Vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit & gratia.* Et cùm ſub peccati præiudicio nati, poteſtatem acceperint ad iuſtitiam renaſcendi, validius factum eſt donum libertatis, quàm debitum ſeruitutis. Quam itaque ſibi in huius ſacramenti præſidio ſpem relinquunt, qui in Saluatore noſtro negant humani corporis veritatẽ? Dicant, quo ſacrificio reconciliati: dicant, quo ſanguine ſint redempti? *Quis eſt* (vt ait Apoſtolus) *qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationẽ & hoſtiã Deo in odorem ſuauitatis?* Ephes. 5. Aut quod vnquam ſacrificium ſacratius fuit, quàm quod verus & æternus Pontifex altari crucis, per immolationem ſuæ carnis, impoſuit? Quamuis enim multorum Sanctorum in conſpectu Domini pretioſa mors fuerit, Pſal. 115. nullius tamen inſontis occiſio redemptio fuit mundi. Acceperunt iuſti, non dederunt coronas, & de fortitudine fidelium exempla nata ſunt patientiæ, non dona iuſtitiæ.

Singulares quippe in ſingulis mortes fuerunt, nec alterius quiſquam debitum ſuo fine perſoluit, cùm inter filios hominum vnus ſolus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui verè erat agnus immaculatus, extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti, omnes ſunt etiam ſuſcitati. De quibus
Ioan.12. ipſe dicebat: *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Fides etenim vera iuſtificans impios, & creans iuſtos, ad humanitatis ſuæ tracta participem, in illo acquirit ſalutem, in quo ſolo homo ſe inuenit innocentem, liberum habens per gratiam Dei de eius potentia gloriari, qui contra hoſtem humani generis in carnis noſtræ humilitate congreſſus, his victoriam ſuam tribuit, in quorum corpore triumphauit. Licet ergo in vno Domino Ieſu Chriſto, vero Dei atque hominis filio, Verbi & carnis vna perſona ſit, quæ inſeparabiliter atque indiuiſè communes habeat actiones, intelligendæ tamen ſunt ipſorum operum qualitates, & ſynceræ fidei contemplatione cernendum eſt, ad quæ prouehatur humilitas carnis, & ad quæ incli-
Luc.1. netur altitudo diuinitatis. Quid ſit quod caro ſine
Luc.2. Verbo non agit, & quid ſit quod Verbum ſine carne non efficit. Sine Verbi enim potentia nec conciperet virgo, nec pareret, & ſine veritate carnis obuoluta pannis infantia non iaceret. Sine Verbi po-
Matth. 2. tentia non adorarent Magi puerum, ſtella indice declaratum: & ſine veritate carnis non iuberetur in Ægyptum transferri puer, & ab Herodis perſecu-
Ibidem. tione ſubduci. Sine Verbi potentia non diceret vox
Matth.13. Patri miſſa de cœlo: *Hic eſt filius meus dilectus, in*
Ioan.1. *quo mihi bene complacui, ipſum audite*: & ſine veri-
Ioan.11. tate carnis non proteſtaretur Ioannes: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Sine Verbi potentia non fieret redintegratio debilium, & viuificatio mortuorum: & ſine veritate carnis, nec cibus ieiuno, nec ſomnus eſſet neceſſarius fatigato. Poſtremò,
Ioan.14. ſine Verbi potentia non ſe Dominus Patri profiteretur æqualem: & ſine veritate carnis non idem diceret Patrem ſe eſſe maiorem: cùm Catholica fides vtrumque ſuſcipiat, vtrumque defendat; quæ
Matth. 16. ſecundum confeſſionem beati Apoſtoli Petri, vnum Chriſtum Dei viui filium, & hominem credit, & Verbum. Quamuis itaque ab illo initio, quo in vtero virginis Verbum caro factum eſt, nihil vnquam inter vtramque formam diuiſionis extiterit, & per omnia incrementa corporea vnius perſonæ fuerint totius temporis actiones, ea ipſa tamen, quæ inſeparabiliter facta ſunt, nulla commixtione confundimus, ſed quid cuius formæ ſit ex operum qualitate ſentimus. Nec diuina enim humanis præiudicant, nec humana diuinis: cùm ita in idipſum vtraque concurrant, vt in eis nec proprietas abſumatur,
Ioan.19. nec perſona geminetur. Dicant ergo iſti hypocritæ,
Ibidem. qui cæcis mentibus lumen nolunt recipere veritatis, in qua forma crucis ligno Dominus Maieſtatis
Matth.29. Chriſtus affixus ſit? quid iacuerit in ſepulchro? &
Luc.24. reuoluto monumenti lapide, quæ tertio die caro reſurrexit? & in qua poſt reſurrectionem ſuam non credentes quoſdam diſcipulos arguebat, & hæſitationem cunctantium confutabat, cum diceret,
Luc.vlt. *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere?* Et Apoſtolo Thomæ, *Infer manum tuam in latus meum, & vide manus*
Ioan.20. *meas & pedes, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis?* Qua vtique manifeſtatione corporis ſui iam hæreticorum mendacia deſtruebat: vt vniuerſa Eccleſia, Chriſti imbuenda doctrinis, hoc ſibi non dubitaret credendum, quod Apoſtoli ſuſceperant prædicandum. At ſi in tanta luce veritatis tenebras ſuas hæretica obduratio non relinquit, oſtendant, vnde ſibi ſpem polliceantur æternæ, ad quam niſi per mediatorem Dei & hominum, hominem Ieſum Chriſtum, non poteſt perueniri. Sicut enim ait beatus Petrus Apoſtolus. *Non eſt aliud nomen datum homi-* Act.4.
nibus ſub cœlo, in quo oporteat nos ſaluos fieri, nec eſt 1.Tim.2.
redemptio captiuitatis humanæ, niſi in ſanguine eius, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus; & qui (ſicut prædicat beatus Apoſtolus Paulus) *Cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus* Philip.2.
eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimulitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria
eſt Dei patris. Cùm ergo vnus ſit Dominus Ieſus Ibidem.
Chriſtus, & veræ deitatis, veræque humanitatis, in ipſo vna prorſus, eadémque perſona ſit, exaltationem tamen, qua illum (ſicut Doctor gentium dicit) exaltauit Deus, & donauit illi nomen, quod ſuper omne nomen excellit, ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento. In forma quippe Dei æqualis erat filius patri, & inter genitorem atque vnigenitum nulla in eſſentia erat diſcretio, nulla in maieſtate diuerſitas, nec per incarnationis myſterium aliquid deceſſerat Verbo, quod ei patris munere redderetur. Forma autem ſerui, per quam impaſſibilis deitas ſacramentum magnæ pietatis impleuit, humana humilitas eſt, quæ in gloriam diuinæ poteſtatis euecta in tanta vnitate, ab ipſo conceptu virginis, deitate & humanitate conſerta, vt nec ſine homine diuina, nec ſine Deo agerentur humana. Propter quod ſicut Dominus maieſtatis dicitur crucifixus, ita qui ex ſempiternitate æqualis eſt Deo, dicitur exaltatus: quia inſeparabiliter (manente vnitate perſonæ) vnus atque idem eſt, & totus hominis filius propter carnem; & totus Dei filius propter vnam cum patre deitatem. Quicquid enim in tempore accepit Chriſtus, ſecundum hominem accepit, cui quæ non habuit, conferentur. Nam ſecundum potentiam deitatis indifferenter omnia, quæ habet pater, etiam filius habet: & quæ in forma ſerui à patre accepit, eadem in forma Dei Ioan.10.
etiam ipſe donauit. Secundum formam enim Dei, ipſe & pater vnum ſunt: ſecundum formam autem ſeruit, non venit facere voluntatem ſuam, ſed voluntatem eius, qui miſit eum. Secundum formam Dei, Ioan.1.
ſicut pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio vitam habere in ſemetipſo. Secundum formam ſerui, triſtis eſt anima eius vſque ad mortem. Et Matth.26.
idem ipſe eſt (ſicut ait Apoſtolus) & diues, & pau- 2.Cor.8.
per. Diues, quia Euangeliſta dicente, *In principio* Ioan.1.
erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Ibidem.
Pauper verò, quia propter nos Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Quæ autem eſt eius exinanitio, quæve pauperras, niſi formæ ſeruilis acceptio? per quam Verbi maieſtate velata, diſpenſatio humanæ redemptionis impleta eſt. Nam quia Coloſſ.1.
captiuitatis noſtræ reſolui originalia vincula non poterant, niſi exiſteret homo noſtri generis, noſtræque naturæ, quem peccati præiudicia non tenerent, & qui immaculato ſanguine ſuo chirographum lethale dilueret, ſicut ab initio erat diuinitus præordinatum, ita eſt in plenitudine præfiniti temporis factum, vt multis modis ſignificata promiſſio, in diu expectatum

expectatum veniret effectum, nec poſſet eſſe ambiguum, quod continuis teſtificationibus ſemper fuerat nuntiatum. In magno autem ſacrilegio ſe verſari, hæreticorum manifeſtat impietas, cùm ſub ſpecie deitatis honorandæ, humanæ carnis in Chriſto denegant veritatem, & religioſè exiſtimant credi, ſi dicatur in Saluatore noſtro, verum non eſſe, quod ſaluat, cùm ita ſecundum promiſſionem omnia ſecula percurrentem, mundus ſit Deo reconciliatus 2.Cor.5. in Chriſto, vt niſi Verbum dignaretur caro fieri, nulla poſſet caro ſaluari. Omne enim ſacramentum fidei Chriſtianæ, magno (vt hæretici volunt) decoloratur obſcuro, ſi lux veritatis ſub mendacio putatur latuiſſe phantaſmatis. Non ergo quiſquam ſibi erubeſcendum exiſtimet Chriſtianus de noſtri in Chriſto corporis veritate: quia omnes Apoſtoli, Apoſtolorúmque diſcipuli, & præclari Eccleſiarum quinque doctores, qui ad Martyrij coronam, vel ad confeſſionis meruere gloriam peruenire, in huius fidei lumine ſplenduere, conſonis vbique ſententiis intonantes, quod in Domino Ieſu Chriſto deitatis & carnis vna ſit confitenda perſona. Qua autem rationis ſimilitudine, qua diuinorum voluminum portione, hæretica impietas ſe exiſtimat adiuuari, quæ veritatem negat corporis Chriſti: cum hanc non lex teſtificari, non prophetia præcinere, non Euangelia docere, non ipſe deſtiterit Chriſtus oſtendere? Quærant per omnem ſeriem ſcripturarum, quo tenebras ſuas fugent, non quo verum lumen obſcurent, & per omnia ſæcula ita veritatem inuenient coruſcantem, vt magnum hoc & mirabile ſacramentum, ab initio videant creditum, quod eſt in fine completum. De quo cùm ſanctarum literarum nulla pars ſileat, ſufficit quædam conſona veritatis ſigna poſuiſſe, quibus diligentia fidei ſplendiſſima latitudine dirigatur, & ſyncera intelligentiæ luce perſpiciat: quod in filio Dei, qui ſe inceſſabiliter filium hominis & hominem profitetur, non ſit Chriſtianis erubeſcendum, ſed conſtantiſſimè gloriandum. Vt autem pietas tua cum venerabilium patrum prædicationibus nos concordare cognoſcat, aliquantas eorum ſententias huic credidi ſubiiciendas eſſe ſermoni. Quibus ſi digneris attendere recenſitis, non aliud nos prædicare reperies, quàm quod ſancti Patres noſtri toto orbe docuerunt: nec quemquam ab illis, niſi ſolos impios hæreticos, diſcrepare. His igitur glorioſſime & venerabilis Imperator, quanta potui breuitate perſtrictis, cum inſpirata tibi diuinitus fide etiam noſtram prædicationem vnitam eſſe cognoſce, nec in aliquo nos ab Euangelica Apoſtolicáque doctrina, vel à 1.Tim.3. Catholicæ profeſſionis Symbolo diſcrepare: quoniam ſicut docet beatus Apoſtolus Paulus, *Magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria.* Quid igitur tuæ vtilius ſaluti, quid tuæ congruentius poteſtati, quàm vt paci Eccleſiarum Domini tua conſtitutione proſpicias, & in omnibus tibi ſubditis Dei dona defendas, neque vlla ratione patiaris per inuidiam diaboli miniſtros ipſius in cuiuſquam ſæuire perniciem, vt qui in hoc ſeculo temporali emines regno, in æternum merearis regnare cum Chriſto.

CAPVT III.

Matth.16. Sancti Hilarij Pictauienſis Epiſcopi & Confeſſoris, *in libro ſecundo inter cætera*: Vnum igitur hoc eſt immobile fundamentũ, vna hæc fœlix fidei petra, Petri ore confeſſa: *Tu es* (inquit) *Chriſtus filius Dei viui*, tanta in ſe argumenta ſuſtinens veritatis, quantæ peruerſitatũ quæſtiones & infidelitatis calumniæ mouebuntur. Iam in cæteris diſpenſatio voluntatis paternæ eſt. Virgo, partus, & corpus, poſtque crux, mors, inferi, ſalus noſtra eſt. Humani enim generis cauſa Dei filius natus ex virgine eſt, & Spiritu ſancto, ipſo ſibi in hac operatione famulante, & ſua, Dei videlicet inumbrante virtute, corporis ſibi initia conſeuit, & exordia carnis inſtituit, vt homo factus ex virgine, naturam in ſe carnis acciperet, pérque huius admixtionis ſocietatem ſanctitatum in eo vniuerſi generis humani corpus exiſteret, vt quémadmodum omnes in ſe, per id, quod corporeum ſe eſſe voluit, conderentur, ita rurſum in omnes ipſe, per id, quod eius eſt, inuiſibile referretur. Dei igitur imago inuiſibilis pudorem humani exordij non recuſauit, & per conceptionem, partum, vagitum, & cunas, omnes naturæ noſtræ contumelias tranſcurrit. Quid tandem dignum à nobis tantæ dignationis affectui rependetur? Inenarrabilis à Deo originis, vnus vnigenitus Deus, in corpuſculi humani formam ſanctæ virginis vtero inſertus accreſcit. Qui omnia continet, & intra quem, & per quem cuncta ſunt, humani partus lege profertur: & ad cuius vocem Archangeli atque Angeli tremunt, cœlum & terra & omnia huius mundi reſoluuntur elementa, vagitu infantiæ auditur. Qui inuiſibilis & incomprehenſibilis eſt, non viſu, ſenſu, tactúque moderandus, cunis eſt obuolutus. Hæc ſi quis indigna Deo recolit, tantò ſe maioris beneficij obnoxium confitebitur, quantò minus hæc Dei conuenerint maieſtati. Ioan.1. Non ille eguit homo effici, per quem homo factus eſt: ſed non eguimus, vt Deus caro fieret, & habitaret in nobis, id eſt, aſſumptione carnis vnius membra vniuerſæ carnis incoleret. Humilitas eius noſtra nobilitas eſt: contumelia eius, noſter honor eſt. Quod ille eſt Deus in carne conſiſtens, hoc nos viciſſim in Deum ex carne reuocati. *Item eiuſdem in libro nono inter cætera*: planè vitam ſuam neſcit, qui Chriſtum Ieſum vt verum Deum, ita & verum hominem ignorat. Et eiuſdem periculi res eſt, Chriſtũ Ieſum, vel ſpiritum Deum, vel carnem noſtri corporis denegare. *Omnis ergo*, inquit, *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui eſt in cœlis. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui eſt in cœlis.* Hæc Verbum caro factum loquebatur, & homo Ieſus Chriſtus Dominus maieſtatis docebat: mediator ipſe in ſe ad ſalutem Eccleſiæ conſtitutus, & illo inter Deum & homines mediatoris ſacramẽto vtrumque vnus exiſtens, dum ipſe ex vnitis in idipſum naturis, naturæ vtriuſque res eadem eſt: ita tamen, vt neutra careret, in vtroque, ne fortè Deus eſſe homo naſcendo deſineret, & homo rurſus Deus manendo non eſſet. Hæc itaque humanæ beatitudinis fides vera eſt, Deum & hominem prædicare, Verbum & carnem confiteri: neque Deum neſcire, quod homo ſit: neque carnem ignorare, quod Verbum ſit. *Item eiuſdem in eodem libro inter cætera*: Natus igitur vnigenitus Deus ex virgine homo, & ſecundum plenitudinem temporum in ſemetipſo prouecturus in Deum hominem, hunc per omnia Euangelici ſermonis modum tenuit, vt ſe filiũ Dei credi doceret, & hominis filium prædicari admoneret * loquens deinde & gerens homo vniuerſa quæ Dei ſunt, loquens deinde & gerens Deus vniuerſa quæ hominis ſunt: ita tamen vt in ipſo illo vtriuſq; generis ſermone, nunquam niſi cum ſignificatione & hominis loquutus & Dei ſit. *Item alio loco in eodem libro inter cætera*: Hinc itaque fallendi ſimplices atque ignorantes hæreticis occaſio eſt: vt quæ ab eo ſecundum hominem dicta ſunt, dicta eſſe ſecun-

Idem Hilarius lib 9. vbi ſupra.

Matth.10.

locutus.

Idem vbi ſupra.

dum naturæ diuinæ infirmitatem mentiatur: & quia vnus atque idem est loquens omnia quæ loquitur de semetipso, omnia eum locurum esse contendant. Nec sanè negamus, totum illum qui eius manet, naturæ suæ esse sermonem: sed si Iesus Christus & homo & Deus est, & neque cùm homo, tum primùm Deus, neque cùm homo, tum non etiam & Deus, neque post hominem, in Deo non totus homo, totus Deus, vnum atque idem necesse est dictorum eius sacramentũ esse, quod generis. Et cùm in eo secundum tempus discernit hominem à Deo, Dei tum atque hominis discerne sermonem. Et cùm Deum atque hominem in tempore confiteberis, Dei atque hominis in tempore dicta diiudica. Cùm verò ex homine & Deo rursum totius hominis, totius iam Dei tempus intelligis. Si quid aliud ad demonstrationem eius temporis dictum est, tempori coaptato quæ dicta sunt, vt cùm aliud sit ante hominem Deus, aliud sit homo & Deus, aliud sit post hominem & Deum totus homo, & totus Deus: non confundas temporibus & generibus dispensationis sacramentum, cùm pro qualitate generum ac naturarum, alium ei in sacramento hominis necesse est sermonem fuisse non nato, alium adhuc morituro, alium iam in æterno. Nostri igitur causa hæc omnia Iesus Christus manés, & corporis nostri homo natus, secundum consuetudinem naturæ nostræ loquutus est: non tamen omittens naturæ suæ esse, quod Deus est. Nam tametsi in partu, & passione & morte naturæ nostræ rem peregerit, res tamen ipsas omnes virtute naturæ suæ gessit: & reliqua, *Item alio loco in eodem libro inter cætera:* Vidésne ita Deum & hominem prædicari, vt mors homini, Deo verò carnis excitatio deputetur? Non tamen vt alius sit, qui mortuus est, & alius sit, per quem mortuus resurgit. Spoliata enim caro Christus est mortuus, & rursum Christum à mortuis excitans, idem Christus est, carne se exspolians. Naturam Dei in virtute resurrectionis intellige, dispensationem hominis in morte cognosce. Et cum sint vtraque suis gesta naturis, vnum tamen Christum Iesum eum memento esse, qui vtrumque est. *Item post pauca:* Hæc igitur demonstranda à me paucis fuerunt, vt vtriusque naturæ formam tractari in Domino Iesu Christo meminissemus, quia qui in forma Dei manens, formam serui accepit, ipse diuinitatem nequaquam amisit.

Idem vbi supra.

Idem vbi supra.

CAPVT IV.

Athan. Alexand. ex epist.ad Epictetum Episcopum Corinth. *Deus quidem ex.*

SAncti Athanasij Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi & Confessoris ad Epictetum Corinthiorum Episcopum: Quomodo autem vel dubitare ausi sunt qui dicuntur Christiani, si is Dominus, qui ex Maria virgine processit, * filius quidem substantia & natura Dei, id verò, quod est secundum carnem, ex semine Dauid est & carne sanctæ Mariæ?

CAPVT V.

Amb.Mediol.lib.2.de fide,c.4.ad Gratianum Imperatoré

SAncti Ambrosij Episcopi & confessoris Mediolanensis Ecclesiæ, quod misit ad Imperatorem Gratianum in libro secundo de fide inter cætera: Vnde illud quod lectum est, Dominum maiestatis crucifixum esse, non quasi maiestate sua crucifixum putemus. Sed quia idem Deus, idem homo, per diuinitatem Deus, per susceptionem carnis homo, Christus Iesus Dominus maiestatis dicitur crucifixus, quia consors vtriusque naturæ, id est, humanæ atque diuinæ, in natura hominis subiit passionem, vt indiscretè, & Dominus maiestatis dicatur esse, qui passus est, & filius hominis sicut scriptum est: Qui descendit de cœlo. *Item alio loco in eodem libro inter cætera:* Sileant igitur inanes de sermonibus quæstiones, quia regnum Dei (sicut scriptum est) non in persuasione verbi est, sed in ostensione virtutis. Seruemus distinctionem diuinitatis & carnis. Vnus in vtroque loquitur Dei filius, quia in eodem vtraque natura est. Et si idem loquitur, non vno semper loquitur modo. Intende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis passiones. Quasi Deus loquitur, quæ sunt diuina, quia Verbum est: quasi homo dicit, quæ sunt humana, quia in ea substantia loquebatur. *Item eiusdem in libro de Incarnatione Domini contra Apollinaristas.* Sed dum hos redarguimus, emergunt alij, qui carnem Domini dicant, & diuinitatem vnius naturæ. Quæ tantum sacrilegium inferna vomuerunt? Iam tolerabiliores sunt Arriani, quorum per istos perfidiæ robur adolescit, vt maiore contentione asserant Patrem & Filium & Spiritum sanctum vnius non esse substantiæ, quia isti diuinitatem Domini & carnem substantiæ vnius dicere tentauerunt. *Item infra.* Et hi mihi frequenter Niceni Concilij tractatum se tenere commemorant. Sed in illo tractatu patres nostri non carnem, sed Dei Verbum vnius substantiæ cum patre esse dixerunt, & Verbum quidem ex paterna processisse substantia, carnem autem ex Virgine esse confessi sunt. Quomodo igitur Niceni Concilij nomen obtenditur, & noua inducuntur, quæ nunquam nostri sensêre maiores? & reliqua *Item eiusdem ad * Sabinum Episcopum inter cætera.* Vnde pulchrè Apostolus eiusdem verbi repetitione vsus est, dicés de Domino Iesu Christo: Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Quid est in forma Dei, nisi in plenitudine deitatis, in illa perfectionis diuinæ expressione: ergo cùm esset in plenitudine diuinitatis, exinaniuit se, & accepit plenitudinem naturæ & perfectionis humanæ. Sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi, vt esset perfectus in vtraque forma. Vnde & Dauid dicit: *Speciosus forma præ filiis hominum.* Concluditur Appollinarista, nec quò se vertat, habet, suis clauditur retibus, ipse enim dicit, formam serui accepit, non seruus locutus est. Iterum ergo interrogo: Quid est in forma Dei? Respondit, in natura Dei. Sunt enim (ait Apostolus) qui non sunt natura dij. Quæro, quid sit, formam serui accipiens? Sine dubio perfectionem naturæ, & conditionis, vt dixi humanæ, vt esset in hominum similitudine. Et pulchrè, non carnis, sed hominum dixit similitudinem, quia in carne eadem est. Sed quia sine peccato erat solus, omnis autem homo in peccato, in specie hominis videbatur. Vnde & Propheta ait: *Et homo est, & quis cognoscit eum?* Homo secundum carnem, sed vltra hominem, diuina operatione. Denique cùm leprosum tangeret, homo videbatur: sed vltra hominem, cùm mundaret. Et cùm Lazarum mortuum fleret, mortuum quasi homo flebat, sed supra hominem erat, cùm mortuum vinctis iuberet pedibus exire. Homo videbatur, cùm penderet in cruce: sed supra hominem, cùm reseratis tumulis mortuos suscitaret.

Ioan.3. Ephes.4.

Idem in eodem libro

Et c.6. eiusdem Ambr. li.10. de Incarn.Domi. ni contra Apollinaristas.

Eod.lib.& capitulo.

Irenensem.

Lib.7.epist. 47.epistolaris eiusdem. Philipp.2.

Psalm.44.

Galat.4.

Hier.17.

CAPVT VI.

Ex epist.B. Aug.Hipp. ad Dardanũ cap.6.

SAncti Augustini Episcopi Hipponensis Ecclesiæ ad Dardanum inter cætera: Noli itaque dubitare, ibi nunc esse hominem Christum, vnde venturus est, memoritérque recole, & fideliter tene Christianam confessionem, quoniam resurrexit à mortuis, ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris, nec aliũde quàm inde ad iudicandos venturus est viuos, & mortuos. Et sic venturus est illa Angelica voce testante,

Act.1.

testante, quemadmodum est ire visus in cælum, id est, in eadem forma carnis atque substantia, cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit. *Item in eiusdem epistola ad Volusianum inter cætera*: Nunc verò ita inter Deum & homines mediator apparuit, vt in vnitate personæ copulans vtramque naturam, & solita sublimaret insolitis, & insolita solitis temperaret. *Item eiusdem in expositione Euangilij secundum Ioannē inter cætera:* Quid igitur hæretice? Cùm Christus Deus sit & homo, loquitur vt homo: & calumniaris Deo? Ille in se naturam commendat humanam, tu in illo audes deformare diuinam? *Et iterum infra*: Agnoscamus geminam substantiam Christi, diuinā scilicet, qua æqualis est Patri; humanam, qua maior est Pater. Vtrumque autem simul, non duo sed vnus est Christus: ne sit quaternitas, non Trinitas Deus. Sicut enim vnus est homo anima rationalis & caro, sic vnus est Christus Deus & homo: ac per hoc Christus est Deus anima rationalis, & caro, Christum in his omnibus, Christum in singulis cōfitemur. Quis est ergo, per quem factus est mundus? Christus Iesus, sed in forma Dei. Quis est sub Pōtio Pilato crucifixus? Christus Iesus, sed in forma serui. *Item eiusdem, cuius supra*: Quis non est derelictus in inferno? Christus Iesus, sed in anima sola. Quis resurrecturus, triduo iacuit in sepulchro? Christus Iesus, sed in carne sola. Dicitur ergo in his singulis Christus. Verùm hæc omnia non duo, vel tres, sed vnus est Christus. Ideo ergo dixit: *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrē.* Quoniam naturæ humanæ gratulandum est, eo quòd sic assumpta est à Verbo vnigenito, vt immortalis constitueretur in cœlo, atque ita fieret terra sublimis, vt incorruptibilis puluis sederet ad dexteram Patris.

Eiusdem ex Epistol. ad Volusianū.
Tract. 78. post mediū.
Vbi suprà statim post.
Ioan. 14.

CAPVT VII.

SAncti Ioannis Constantinopolitani Episcopi & Confessoris in Homilia de Cruce & Latrone: Sed cur cū cruce veniat, videamus. Scilicet vt hi, qui eū crucifixerunt, suæ sentiant dementiæ cæcitatem: & ideo impudentiæ eorum signum portatur. Ideo Propheta ait: tunc lamentabuntur omnes tribus terræ, videntes accusatorem, & agnoscentes peccatuū. Et quid mirum est, si crucem portans adueniet, quando & vulnera corporis ipsa demonstrat? Tunc enim (inquit) videbunt, quem * confixerunt. Et sicut post resurrectionem, Thomæ voluit diffidentiam confutare, & illi clauorum loca monstrauit, & lateris vulnera declarauit, & dixit, Mitte manum tuam, & vide quoniam spiritus carnem & ossa non habet sicut me vides habere: sic & tunc ostendet vulnera, cicatricémque demonstrabit, vt ostendat illum se esse, qui fuerat crucifixus. *Item eiusdē in Homilia de Ascensione Domini*: Nam sicut duobus iurgio separatis, vnus in medio positus altercantium litem discordiáque dissoluit: ita & Christus nobis fecit. Deus nobis iustè irascebatur, & nos contemnebamus iratum, & clementem Dominum declinabamus: & se mediū Christus ingessit, & sociauit vtramque naturam, & nobis quod imminebat supplicium, ipse sustinuit. *Item eiusdem in eadem Homilia inter cætera:* Christus igitur nostræ naturæ primitias obtulit patri, & oblatum donum miratus est pater, quod & tanta dignitas offerebat, & quod offerebatur, nulla macula fœdabatur. Nam & suis manibus suscepit oblatum, & suæ sedis fecit esse participem, & quod plus est, ad partem suæ dexteræ collocauit. Cognoscamus quis est ille, qui audiuit, Sede ad dexteram meam; quæ natura est cui dixit, Esto meæ participes sedis. Illa natura est quæ audiuit, Terra es, & in terram ibis. *Item eiusdem in eadem Homilia inter cætera*: Quo sermone vtar, quo verbo dicam, reperire non possum. Natura fragilis, natura contempta, & omnibus monstrata deterior, omnia vicit, omnia superauit, & omnibus hodierna die meruit excelsior reperiri. Hodie Angeli diu vota desiderata receperunt, hodie Archangeli, quod multo tempore cupiebant, inspicere valuerunt. Naturam nostram ipsi in sede Dominica immortali fulgentem gloria prodiderunt.

Ioan. Chrys. Episcopi Constan. ex Homil. de Cruce & Latrone c. 6.
Zachar. 12.
*confixerunt.
Ioan. 19.
Ioan. 20.
Luc. 14.
Eiusdem Ioannis Chrysost. ex hom. de Ascens. c. 3.
Ante mediū illius hom. cuius supra cap. 4.
Psalm. 119.
Matth. 22.
Genes. 1.
In hom. medio, vbi supra cap. 5.

CAPVT VIII.

SAncti Theophili Episcopi Alexand. de Epistola Paschali, quam per Ægyptum destinauit: Cuius rei testis est ille, qui loquitur: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.* Et Prophetæ Christi auxilium deprecantes: *Domine, inclina cœlos tuos, & descende.* Non vt mutaret locum, in quo omnia sunt, sed propter salutem nostram, carnem humanæ fragilitatis assumeret, Paulo Apostolo eadem concinente: *Cum esset diues, pro nobis egenus factus est, vt nos illius paupertate ditaremur*: venitque in terras & de virginali vtero, quem sanctificauit, egressus homo, interpretationē nominis sui Emmanuel, id est, nobiscum Deus, dispensatione confirmans, mirum in modum cœpit esse, quod nos sumus, & non desiit esse, quod erat: sic assumens naturam nostram, vt quod erat ipse, non perderet. Quanquam enim Ioannes scribat, Verbum caro factum est, id est, aliis verbis: Deus homo factus est. Verbum tamen non est versum in carnem, quia nunquam Deus esse cessauit. Ad quem & Spiritus sanctus loquitur: *Tu autem idem ipse es.* Et pater de cœlo cōtestatur, & dicit: *Tu es filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Vt & homo factus nostra confessione permanere dicatur, quod fuit priusquā homo fieret, Paulo nobiscum eadem prædicante: *Iesus Christus heri & hodie, idem ipse & in æternum.* In eo enim quod ait *ipse*, ostendit eum pristinam non mutasse naturam, nec diuinitatis suæ minuisse diuitias, quia propter nos pauper effectus, plenam similitudinem nostrę conditionis assumpserat. Item eiusdem in alia epistola Paschali contra Origenē, inter cætera: Vnus filius patris, nostrique mediator, nec æqualitatem eius amisit, nec à nostro consortio separatus: Inuisibilis Deus, & visibilis homo, forma serui absconditus, & Dominus gloriæ confessione credentium comprobatus. Neque enim priuauit eum pater naturæ suæ nomine, postquam pro nobis homo, & pauper effectus est, nec in Iordane fluuio baptizatum altero appellauit vocabulo, sed filium vnigenitum, *Tu es filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Nec similitudo nostra in diuinitatis est mutata naturam, nec diuinitas in nostræ naturæ versa est similitudinem.

Theophili Alexandrini ex epist. per Ægyptum missa.
Psalm. 13.
Psalm. 143.
2. Cor. 8.
Matth. 1.
Matth. 3.
Marc. 1.
Luc. 3.
Hebr. 13.
Matth. 3.
Marc. 1.
Luc. 3.

CAPVT IX.

SAncti Gregorij Episcopi Nazianzeni in Homilia de Epiphania inter cætera: Cùm ergo processisset ex virgine Deus, in ea, quam assumpserat, humana natura, vnum è duobus sibi inuicem contrariis, existens carne & spiritu, aliud in Deum assumitur, aliud deitatis gratia præstat. Item infra: Missus est quidem, sed vt homo, Duplex enim erat in eo natura. Inde denique & laborauit ex itinere: inde & esuriit, & sitiuit, & contristatus est, & fleuit humani corporis lege.

Gregor. Nazianz. in hom. de Epiphania post mediū. Idem vbi supra circa medium medii & finis.

CAPVT X.

SAncti Basilij Episcopi Cappadocis: Cùm ergo quædam in Christo ita videmus humana, vt nihil à communi mortalium fragilitate distare videātur; quædam ita diuina, quæ nulli alij, nisi illi ineffabili naturæ conueniant deitatis, hæret humani intellectus angustia, & tantæ admirationis stupore perculsa, quò declinet, quid teneat, quò se vertat ignorat. Si hominem putet, deuicto mortis regno cum spoliis redeuntem à mortuis cernit. Propter quod cum omni metu & reuerentia contemplandum est, vt in vno eodémque ita vtriusque naturæ veritas demonstretur, vt neque aliquid indignum & indecens de diuina illa & ineffabili substantia sentiatur: neque rursum quæ humanitùs gesta sunt, falsis illusa imaginibus æstimentur.

CAPVT XI.

Cyrilli Episcopi Alexādrini.

SAncti Cyrilli Episcopi Alexandrini: Homo nominatus est, cum sit natura Deus Dei patris Verbum, quoniam similiter & nos sanguini communicauit & carni. Sic enim in terris apparuit, non amittens id quod erat, sed assumens humanitatis naturam in sua ratione perfectam. Item eiusdem in libro, qui dicitur Golia. Vnus igitur est, & ante incarnationem Deus verus, & qui in diuinitate mansit in qua erat, est & erit. Non discernendum igitur, vnum Dominum Iesum Christum in hominem seorsum, & seorsum in Deum, sed vnum eundémque Iesum Christum esse dicimus, non ignorantes differentias naturarum, sed eas inconfusas inter se seruantes. Item cuius supra. Dicitur namque tanquā aliud in alio inhabitare, id est, diuinam naturam in humanitate non perpessam cōmixtionem, vt esset, quod non erat. Quicquid enim in alio habitare dicitur, non ipsum fit tale, quale est id, in quo habitat, sed aliud in eo magis intelligitur. At verò in Verbi persona & humanitatis, nobis solam differētiam designat diuersitas naturarum: vnus enim ex vtraque intelligitur Christus. Ergo inconfusione (vt antè dixi) seruata inhabitasse ait Verbum in nobis. Scit enim vnum esse filium vnigenitum, carnem factum & hominem. Item cuius supra ad Nestorium: Ait igitur sancta & magna Synodus ipsum, qui est ex Deo patre natus naturaliter, filium vnigenitum Deum verum de Deo vero, lumen de lumine, per quem, & cum quo omnia fecerit pater, hunc descendisse, incarnatum esse, & hominem factum, passum esse, resurrexisse tertia die, & ascendisse rursus ad cœlos.

Eiusdem ex libro dicto Golia.

Idem Cyrillus in epist. ad Nestoriū, & habetur tempore Ephesini Concilij sub Cælest. Papa.

Hæc nos sequi verba debemus, his nos conuenit obtemperare dogmatibus, considerantes quid sit incarnatum esse, & hominem factum Dei verbum. Non enim dicimus, quod Dei natura conuersa, vel immutata, facta sit caro, nec quod in totum hominem, qui est ex anima & corpore transformata sit, sed illud magis, quod carnem animatam anima rationali, sibi copulauerit Verbum, & substantialiter, ineffabiliter, & irreprehensibiliter factus sit homo & nuncupatus sit etiam filius hominis, non nuda tantummodo voluntate, sed nec assumptione sola personæ, sed quod diuersæ quidem naturæ in vnum conuenerint, vnus tamen ex ambabus Christus & filius, non euacuata aut sublata diuersitate naturarum per coniunctionem, sed quia simul nobis effecerunt vnum Dominum, & Christum, & filium, id est, diuinitas & humanitas per arcanam illam, ineffabilemque copulationis admirationem. Itaque is, qui ante sæcula omnia est natus ex patre, etiam ex muliere carnaliter dicitur procreatus in tempore. Non quia diuina ipsius natura de sacra Virgine sumpsit exordium, nec quod propter seipsam opus habuit secundò nasci post illam natiuitatem, quam habebat ex patre, (est enim ineptum & stultum hoc dicere, quod is, qui ante omnia sæcula est consempiternus patri, secundæ generationis eguerit, vt esse inciperet) sed quia propter nos & propter nostram salutem, naturam sibi copulauit humanam, & processit ex muliere, idcirco dicitur natus esse carnaliter. Neque enim prius natus est homo communis de sancta virgine, & tunc demum habitauit in eo Verbum, sed in ipsa vulua vteróque virginali, se cū carne coniunxit, & sustinuit generationem carnalem, carnis suæ natiuitatem, suam faciens. Sic illum dicimus & passum esse & resurrexisse, non quia Deus Verbum in sua natura passus sit, aut plagas, aut clauorum transfixiones, aut alia vulnera susceperit (Deus namque incorporalis extra passionem est;) sed quia corpus illud quod ipsius proprium factum est, passum est, ideo hæc omnia pro nobis ipse dicitur passus. Intrat enim in eo corpore, quod patiebatur, Deus qui pati non poterat. Simili modo & mortem ipsius intelligimus. Immortale enim & incorruptibile est naturaliter, & vita, & viuificās Dei Verbum. Sed quia corpus ipsius proprium, gratia Dei, iuxta Pauli vocem, pro omnibus mortem gustauit, idcirco ipse dicitur mortem passus esse pro nobis. Non quod in se mortem esset expertus, quantum ad ipsius naturam pertinet (insania est enim, hoc vel sentire, vel dicere) sed quod (vt supra diximus) caro ipsius mortem gustauit. Ita & resurgente carne, ipsius rursus resurrectionem dicimus: non quia in corruptionem ceciderit (quod absit) sed quia eius resurrexit corpus. Ita Christum vnum & Dominum confitemur, non tanquam hominem cum Verbo coadorantes, ne diuisionis quædam species inducatur: sed vnum iam & eundem adorantes, quia non est alienum à Verbo corpus suum, cum quo ipsi etiam assidet patri. Nec hoc ita dicimus, quasi duobus filiis assidentibus, sed vno cum carne per vnitatem: quia si talem copulationem factam per substantiam, aut quasi passibilem, aut quasi parum decoram, voluerimus accipere: in id incidimus, vt duos filios esse dicamus. Necesse est enim discernere, & dicere hominem separatim fuisse sola filij appellatione honoratum, & rursum Verbum, quod est ex Deo, & homine, & veritate, filium Dei, sed discernere in duos filios non debemus vnum Dominum Iesum Christum. Neque enim id aduuat rectam fidei rationem, licet nonnulli, nescio quam perhibeant copulationem personarum. Non dixit enim scriptura, Verbum Dei personam hominis sibi assumpsisse, sed carnem factum esse. Id autem est ostendere Dei Verbum similiter * ac nos participationem habuisse carnis & sanguinis, & corpus nostrum propriè suum fecisse, & hominem ex muliere processisse, non abiecta nec deposita deitate, aut generatione illa quam habebat ex patre, sed mnasisse etiam in assumptione carnis Deum, quod erat. Hoc itaque rectæ fidei ratio protestatur. In tali sensu sanctos patres fuisse comperimus. Ideo illi non dubitauerunt sanctam Virginem dicere theotocon, non quod Verbi natura, deitasque in sancta Virgine sumpsit exordium: sed quod ex ea natum sit sacrum illud corpus animatum anima rationali, cui substantialiter adunatum Dei Verbum, carnaliter natum esse dicitur.

Hebr. 2.

Ioan. 1.

EPISTO

EPISTOLA XCVIII.

Ad Fauſtum Preſbyterum.

Dilectiſſimo Fauſto Presbytero, Leo Epiſcopus ſalutem.

GRatum ſemper eſt mihi tuam alioqui charitatem, & affectum ſalutationis exſoluere: quoniam ſcio te & probabilem & ſynceriſſimæ fidei eſſe cuſtodem,& qui non circumducitur omni vento doctrinæ, ſed in fundamento Prophetarum & Apoſtolorum (qui Chriſtus eſt) firmè conſiſtere: vt cùm venerit filius hominis in diuinitate ſua ad purgationem totius mundi,in electione reperiaris frumentum æternitatis, qui dignus theſaurizari poſſis in horreis. Suſceptis itaque literis per filium meum Parthenium reciprocam ſalutationem exſoluens, exhortor tuam beatitudinem fili chariſſime, vt non confundaris de Euangelio generationis Domini Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham ſecundum carnem, quoniam hæc fides vincit mundum, quando quis credit,quia Chriſtus eſt filius Dei. Si quæ verò fidei quæſtiones inueniuntur, admonemus vt de his,quæ ad communem vtilitatem pertinent, latiùs nobis ſcribas,libenter ſuſcipientibus, qui iſta detulerint.

EPISTOLA CERETII.

Salonij & Verani Epiſcoporum Gallorum ad Leonem Papam.

Domino ſancto, beatiſſimo Patri, & Apoſtolicæ Sedis digniſſimo Papæ Leoni, Ceretius, Salonius, & Veranus.

REcenſita epiſtola beatitudinis veſtræ,quam de fidei inſtructione conſcriptam ad Conſtantinopolitanum Epiſcopum deſtinaſtis, dignum eſſe cenſuimus,vt tantæ doctrinæ vbertate ditati, debitas gratias ſaltem oblato litterarum officio redderemus. Paternæ ſiquidem erga nos pietatis veſtræ ſollicitudinem comprobantes, anticipationi curationis veſtræ hoc magis obnoxios confitemur, quòd remediorum beneficia ante malorum experimenta cognouimus. Scientes namque penè ſera eſſe remedia,quæ adactis iam vulneribus apponuntur, vt Apoſtolicis illis munitionibus induamur, prouidæ pietatis vocibus præmoneatis. Agnoſcimus planè beatiſſime Papa, qua ad nos interiora peculiari affectione tranſmiſeritis,quorum incolumitati aliorum curatione ſuccurritis: & dum ex aliorum præcordiis infuſa antiqui ſerpentis venena producitis,quaſi in quadam charitatis ſpecula conſtituti,Apoſtolica illa cura ac ſollicitudine conclamatis, ne inopinantibus improuiſus hoſtis aduenìat, ne vulneri locum præbeat incauta ſecuritas, domine ſancte beatiſſime pater & Apoſtolica Sede digniſſime Papa. Magna præterea & ineffabili quadam nos peculiares tui gratulatione ſuccreſcimus,quòd illa ſpecialis doctrinæ veſtræ pagina ita per omnium Eccleſiarum conuenticula celebretur, vt verè conſona omnium ſententia declaretur merito illic principatum Sedis Apoſtolicæ conſtitutum, vnde adhuc Apoſtolici ſpiritus oracula referentur. Idcirco ſi dignanter admittitis, deprecamur,vt opus & præſentibus,& futuris temporibus profuturum, quod nos aſſeruandi ſtudio foliis mandare curauimus,ſanctitas veſtra percurrere, & ſi quid librarij errore defuerit, emendare dignetur, vel ſi ſalutarem lecturis omnibus paginam aliquo ſtudij veſtri accumulaſtis augmento, idipſum addi libello huic ſollicita pietate iubeatis, vt non ſolùm plures ſancti Epiſcopi fratres noſtri per Gallias, verum etiam multi ex laicis filij veſtri,qui epiſtolam iſtam magnoperè pro veritatis manifeſtatione deſiderant, remiſſam ad nos,& ſancta manu veſtra emendatam tranſcribere, legere & tenere mereantur. In rem miſſos, ſi dignum ducitis, redire mox cupimus, vt quia incolumitas veſtra, exultatio & ſalus noſtra eſt, citius ad nos relatu deſiderabili ſalutis veſtræ gaudia recurrant. Et alia manu: Memorem coronam veſtram humilitatis noſtræ Chriſtus Dominus longæua ætate conſeruet, domine ſancte beatiſſime pater,& Apoſtolica Sede digniſſime Papa. Ceretius ſuſceptus veſter Apoſtolum veſtrum ſaluto, commendans me orationibus veſtris.Salonius venerator veſter Apoſtolatum veſtrum in Domino ſaluto, orationum veſtrarum ſubſidia depoſcens. Veranus cultor veſtri Apoſtolatus beatitudinem veſtram ſaluto,& vt pro me oretis, peto.

EPISTOLA XCIX.

Ad Leonem Auguſtum.

Leo Epiſcopus, Leoni Auguſto.

SI glorioſum pietatis veſtræ in fidei defenſione propoſitum tanta proſequi laude cupiamus, quanta rerum ipſarum magnitudo depoſcit, inueniemur impares in actione gratiarum,ſi noſtri tantùm oris anguſtiis vniuerſalis Eccleſiæ gaudia celebremus.Sed digniùs illius remuneratio veſtris actibus meritiſque ſeruabitur,in cuius cauſa & ſpeciali excellitis animo, & optato triumphatis euentu gloriæ. Sciat igitur clementia veſtra omnes Eccleſias Dei cum laude veſtra exultare pariter & lætari, quòd ab Alexandrinæ Eccleſiæ iugo improbus parricida depulſus eſt,& populus Dei,cui prædo nefarius incubabat, in antiquam fidei libertatem reductus, poteſt iam in ſalutis viam fidelium ſacerdotũ prædicatione reuocari, cùm videat omne ſeminarium venenorum in ipſo authore proiectum.Nunc ergo quia hoc conſtanti propoſito & magna mente peregiſtis, conſummato operi fidei illud adiungite, vt de Catholico ciuitatis illius præſule quod Deo placet decernatis, qui nulla damnatæ toties impietatis ſit infectus aſpergine, ne fortaſsè tectum vulnus ſub ſpecie obductæ cicatricis increſcat, & plebs Chriſtiana, quæ vobis agentibus apertè ab hæreticorum peruerſitate liberata eſt,lethalibus iterùm obnoxia ſit venenis. Vides autem, venerabilis Imperator,& euidenter agnoſcis, quòd in perſona, de cuius abſciſſione agitur,non ſola eſt fidei integritas intuenda: quæ etiamſi vllis correctionibus profeſſionibuſque purgari, & in integrum valeret qualibet conditione reſtitui, nequaquam tamen quæ ſceleſtè cruentéque commiſſa ſunt, poſſunt probabilium verborum proteſtationibus aboleri: quia in Pontifice de hac (maximè tantæ Eccleſiæ ſacerdote) non ſufficit ſonus linguæ & ſermo labiorum: & nihil prodeſt ſi Deus voce prædicatur,& mens in impietate conuincitur. De talibus enim per Apoſtolũ ſanctus Spiritus loquitur:

Timotheum Ælurum dicit.

Locus mendoſus.

1. Tim. 3. Tit. 1. quitur: *Habentes speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Et iterum alibi: *Deum profitentur se scire, factis autem negant.* Vnde cùm omni Ecclesiæ membro & integræ fidei veritas, & bonorum operum plenitudo quæratur: quantò magis in summo Pontifice debent vtraque præcellere, quia alterum sine altero non potest cum Christi corpore compagem? Nec necesse est nunc omnia, quæ Timotheum execrabilem faciunt enarrare, cùm copiosè atque manifestè in totius mundi notitiam, quæ per ipsum, propter ipsum sunt gesta, processerint, & si quid ab imposito vulgo contra iustitiam perpetratum est, in huius omnia verticem confluant, cuius desideriis manus furentium seruierunt. Vnde si etiam in professione fidei nihil hic negligat, nihil fallat, aptissimum gloriæ vestræ est ab hoc appetitu illum prorsus excludere: quia in tantæ vrbis antistite vniuersa Ecclesia videtur deesse, membra decet sancta exultatione gaudere, vt vera pax Domini non solùm prædicatione fidei, sed etiam morum clarificetur exemplo. Data 15. Kalendarum Iuliarum, Magno & Appollonio Consulibus, per Philoxenum agentem in rebus.

Is est annus salutis 460. Pontificatus S. Leonis 21.

EPISTOLA C.

Ad Gennadium Episcopum Constantinopolitanum.

Leo Episcopus, Gennadio Episcopo Constantinopolitano.

Dilectionis tuæ literis, & fratrum Coëpiscoporúmque nostrorum Domitiani & Geminiani sermone agnoui, Timotheum postquam Ecclesiâ Alexandrinæ ciuitatis expulsus est, Constantinopolim (nonnullis hoc fidei aduersariis agentibus) venire permissum: vt quantùm datur intelligi, quia vniuersorum Domini sacerdotum sententiis coarctatus, inuitus saltem ad Catholicum se dogma conuertat, vt tanquam propter hanc tantummodò culpam videtur eiectus, hæreticæ peruersitatis errore damnato, doctrinæ Apostolicæ, vt ad Alexandrinam redeat, acquiescat, cùm illi, etiam si Catholicus probaretur, hoc vehementer obsistat, quòd viuente Episcopo, tantæ sedis inuasor est, & author apparuit inauditæ crudelitatis admissæ. Et ideò dilectio tua sollicitudine qua claret, eniti & elaborare debebit, ne cum tam nefario homine sermo aliquis priuatim, vel publicè misceatur, néve sub specie correctionis eius, quorumdam conuentui præbeatur occasio, ne redeundi integram capiat libertatem, de quo iam edictis suis princeps Christianissimus iudicauit. Omni igitur labore & circumspectione peruigili vnitati Ecclesiasticæ profuturus enitere, frater charissime, vt spes suffragatoribus ipsius adimatur, & Alexandrinis ex clero suo Catholicus Episcopus, secundùm morem veterem per orthodoxos Episcopos consecretur: quia parricida ille non aliàs à suis defensoribus deseritur, nisi Alexandrina Ecclesia, quæ patrum honori & suæ restituenda est libertati, rectorem sanandis omnibus, quæ malè gesta sunt, probatissimum fuerit consecuta. Datum 15. Kalend. Iulias, Magno & Apollonio Consulibus, per Philoxenum agentem in rebus.

De cæde Proterij Episcopi dicit.

EPISTOLA CI.

Ad Timotheum Episcopum Alexandrinum.

Leo Episcopus, Timotheo Episcopo Catholico Alexandrinæ Ecclesiæ.

Euidenter apparet sub Apostolicæ splendore sententiæ, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, & diuinæ dispensatione pietatis, vbi excipiuntur aduersa, ibi donantur & prospera, quod Alexandrinæ Ecclesiæ experimẽta demonstrant, in qua multos sibi patientiæ thesauros humilitas, modestia & tolerantia congregauit: quia iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit: glorificata in omnibus inclyti principis fide, per quem dextera Domini fecit virtutem, ne in Thronum beatorum Patrum Antichristi diutius sederet opprobrium, cuius impietas nemini magis quàm sibi nocuit: quia etsi aliquos ad societatem facinoris impulit, se tantum denique inexpiabiliter cruentauit. Vnde de eo, quod instinctu fidei in fraternitatem tuam cleri & plebis, atque omnium fidelium egit electio, vniuersam mecum Ecclesiam Domini gaudere rescribo, vtque hoc benignitas diuinæ pietatis multiplicata gratia confirmet exopto, ita ipsi per omnia tua deuotione famulante, vt etiam eos, qui veritati aliquatenus restiterunt, reconciliandos Deo per Ecclesiæ preces instanter acquiras, & sacramenta Catholicæ fidei, cuius soliditas nullam diuisionem recipit, sollicitus rector adiungas: illum imitatus verum piumque pastorem, qui animam suam posuit pro ouibus suis, & errantem vnam ouem non flagellis coërcuit, sed ouile proprium suis humeris reportauit. Agat ergo dilectio tua frater charissime, ne vel Nestoriani dogmatis, vel Eutychiani erroris vilum in Dei populo possit vestigium reperiri: quia nemo potest fundamentum ponere, præter id quod positum est, qui est Christus Iesus: qui vniuersum mundum non reconciliaret Deo Patri, nisi per fidei regenerationem omnes in nostræ carnis veritate susciperet. Cùm ergo scribendi opportunitates, quibus fraternitas tua vtatur, extiterint, sicut necessariè & ex more fecistis, vt per filios nostros Danielem presbyterum, & Timotheum Diaconum ordinationis tuæ ad nos scripta dirigeres: ita omni tempore in hoc officio perseueres, vt de prouectibus pacis sæpè, quantum fieri potest, sollicitudini nostræ mittantur indicia, vt per alterna colloquia sentiamus, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Datũ 15. Kal. Septemb. Magno & Apollonio Consulibus.

Is es Timotheus Salophaciolus, qui in Timothei Æluri locũ subrogatus est. Rom. 8. Psal. 33. Ioan. 10. Lucæ 15. 1. Cor. 3. Rom. 5.

EPISTOLA CII.

Ad Presbyteros & Diaconos Ecclesiæ Alexandrinæ.

Leo Episcopus Presbyteris & Diaconis Ecclesiæ Alexandrinæ, dilectissimis filiis in Domino salutem.

Gaudeo exultanter in Domino de piissimo, quem inter vos habetis affectu, dum sicut scripta vestra manifestant, & pastor gregem, & grex ostenditur amare pastorem. Solliciti ergo in inuicem,

Ephes. 4.

cem, ſicut Apoſtolus ait, ſeruate vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, properate * ad fructum veræ peruenire patientiæ. Quid enim dignius aut velle poteſtis, aut agere, quàm vt auxiliante Dei gratia, glorioſiſſimi principis fide ad profectum ſolidiſſimæ pacis vtamini? remota procul ea beſtia, quæ vineam plantationis Dominicæ, ſicut Pſalmus propheticus canit, ſingulari feritate vaſtabat. Quia ergo in ouili Dominico nec furum iam inſidiæ, nec latronum timentur incurſus, redeat vniuerſitas veſtra in concordiam, & magiſterio Spiritus ſancti illa in omnibus vnitas expetatur, propter quam dicit Apoſtolus: *Non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant.* Idipſum dicant & ſentiant omnes, nulla ſint ſenſuum, diſputationumque certamina. Quod vſque ad Catholicos præſules in Alexandrina Eccleſia diſcipuli veritatis didicerunt atque docuerunt, eadem à cunctis fidelibus confeſſione promatur: quia varietatem veritas (quæ eſt ſimplex atque vna) non recipit. Si quos autem cuiuſlibet ordinis Chriſtianos impia hæreticorum conturbauere mendacia, ad ſatisfactionis remedia * probitate, & in ſpiritu manſuetudinis cum benignitate corripite: quia ſicut ait beatus Apoſtolus Petrus, non tardat Dominus promiſſum, ſed patienter agit propter vos, nolens aliquot perire, ſed omnes ad pœnitentiam conuerti. Agendum ergo eſt, ne difficultas veniæ curationem faciat tardiorem. Data decimoquinto Kalend. Septemb. Magno & Apollonio Conſulibus.

[Margin: vt poſſitis. — Pſal. 79. — 1. Cor. 10. — Veritas ſimplex & vna. — legendum videtur, prouocate. — 2. Petr. 3.]

EPISTOLA CIII.

Ad quoſdam Ægypti Epiſcopos.

Leo Epiſcopus, Theophilo, Ioanni, Athanaſio, Abrahæ, Danieli, Ioahæ, Paphnutio, Muſæo, Panuluto, & Petro, Epiſcopis Ægyptiis.

Literis fraternitatis veſtræ, quas ad me filij noſtri Daniel Preſbyter & Timotheus Diaconus detulerunt, cognouiſſe me gaudeo, quod glorioſi & venerandi Principis fides, Propheticis & Euangelicis vnita doctrinis, ad ſanctos & Deo placitos diſpoſitionum ſuarum deuenit effectus, vt cruentiſſimo Alexandrinæ Eccleſiæ peruaſore deiecto, & in longinquiora tranſlato, dignum ſua gubernatione rectorem totius ciuitatis mereretur electio: ad cuius vos conſecrationem nullus ambitus traheret, nulla ſeditio impelleret, nulla iniquitas incitaret: ſed in medio conſtituta meritorum ſanctitate, eum cunctis non dubitaret præponere, quem ſibi vniuerſitas cuperet præſidere. Vnde reddita populis Chriſtianis Dei pace gaudentes, commendamus vobis inuicem veſtri operis dignitatem; vt religioſè per omnia ordinatus antiſtes, fraterno ſe viuere experiatur aſſenſu, & ad abolenda ſcandala, quæ error hæreticus excitauerat, cooperatione veſtra gaudeat adiuuari. Excluſo enim qui imitator diaboli fuit, & in veritate non ſtetit, malè vtens ſpecie perſuaſi honoris & nominis, congruit, vt Alexandrina Eccleſia eum veneretur, & diligat, quem & probitate morum, & integritate Catholicæ fidei, dignum tanto ſacerdotio comprobauit: cui mutuæ charitatis plenum animi noſtri præbemus affectum, cohortantes, fratres chariſſimi, & fiducialiter exigentes, vt in prædicatione verbi, in eruditione præcepti illam formam cuſtodiatis charitatis, ſine qua nullæ poſſunt prodeſſe virtutes. Quod autem fratri, & Coëpiſcopo noſtro Timotheo de reuocandis his, qui à veritatis itinere deuiantes, inconſultius ſe ferociuſque geſſerunt, ſcriptum eſſe cognoſcitis, dilectio quoque veſtra ad curam ſuam intelligat pertinere: vt quia latè ſeſe peſtilens illa ægritudo diffudit, vbique omnibus eadem adhibeatur medicina vulneribus, vt per diligentiam paſtoralem in cunctis Eccleſiis Domini ouile reparetur, & per ſolicitudinem charitatis atque doctrinæ, omnes Chriſti oues vnum ſentiant ſe habere paſtorem. Data Kalend. Septembris, Magno & Apollonio Conſulibus.

SEQVENTES EIVSDEM S. LEONIS PAPÆ EPISTOLÆ,

per R. D. Doct. Gerardvm Vossivm recenter ſuperioribus adiectæ, ſuiſque argumentis ac Notis illuſtratæ ſunt.

EPISTOLA CIV.

Eiuſdem S. Leonis Papæ, ad vniuerſos Epiſcopos per Siciliam conſtitutos.

Vniuerſis Epiſcopis per Siciliam conſtitutis ſcribit, & conſtitutione perpetua ab Epiſcoporum vſurpatione reſecandum decernit, quod in duabus Siciliæ Eccleſiis improbè geſtum, iniuſteque per Epiſcopos ibidem præſumptum eſt, in Eccleſiarum ſuarum bonis illicitè alienandis. Quare & Decretvm hic perpetuum interponit, de rebus Eccleſiæ non alienandis: pœnáſque aduerſus contrauenturos decernit.

Leo Papa vniuerſis Epiſcopis per Siciliam conſtitutis in Domino ſalutem. Occaſio † ſpecialium querelarum, curam nobis prouidentiæ generalis indicit, vt quod in duabus prouinciæ veſtræ Eccleſiis improbè geſtum, iniuſtéque præſumptum eſt; id Conſtitutione perpetua ab † omni Epiſcoporum vſurpatione reſecemus. † Tauromitanis enim Clericis, Eccleſiæ deplorantibus nuditatem; eo quòd omnia eius prædia, vendendo, donando, & diuerſis modis alienando, Epiſcopus diſſiparet: etiam Panormitani Clerici, quibus nuper eſt ordinatus Antiſtes, ſimilem querimoniarum, in ſancta Synodo, cui † præeſſe debebamus, de vſurpatione prioris Epiſcopi, cauſam detulerunt. Quamuis ergo ordinatum à nobis ſit, quemadmodum vtriuſque Eccleſiæ vtilitatibus conſulatur; ne tamen hoc pernicioſum nequiſſimæ deprædationis exemplum cuiquam poſthac fiat imitabile, hanc præcepti noſtri formam apud dilectionem veſtram volumus eſſe perpetuam: qua, ſine exceptione decernimus; vt, ne quis Epiſcopus de Eccleſiæ ſuæ rebus audeat quidquam vel donare, vel commutare, vel vendere; niſi fortè ita aliquid horum faciat, vt meliora proſpiciat, & cum totius Cleri tractatu, atque conſenſu id eligat, quod non ſit dubium Eccleſiæ profuturum. Nam Preſbyteri, vel Diaconi, aut cuiuſcumque ordinis Clerici, qui conniuentiam in Eccleſiæ damna miſcuerint, ſciant ſe, & ordine, & communione priuandos: quia plenum

[Margin: Ex antiquo MS cod. Car. Sirleti. — † al Spiritalium. — † al. communiū. — † al. Taurimenianis. — † al. cui præſidebamus. — Decretum de rebus Eccleſiæ nō alienandis.]

num iustitiæ est, fratres chariſſimi, vt non ſolùm Epiſcopi, ſed etiam totius Cleri ſtudio, Eccleſiaſticæ vtilitatis incrementa ſeruentur, & eorum munera illibata permaneant, quæ pro animarum ſuarum ſalute fideles de propria ſubſtantia Eccleſiis contulerunt. Data 11. Kalend. Nouembris † Calypio V.C. Coſſ.

† al. Callepio, & al. Alypio.

Notæ in præcedentem Epiſtolam.

Hanc, vt & proximè hic ſequentem ad Iulianum Epiſcopum, ſancti Leonis Epiſtolas antea non editas, Cardinali Sirleto bon. mem. Bibliothecario Apoſtolico eruditiſſimo, & proborum atque eruditorum hominum fautori beneuolentiſſimo acceptas referre debemus, ex cuius MS. Cod. eas deſcriptas habuimus. Eſſe autem illas verè S. Leonis noſtri Magni Epiſtolas, præter phraſim ac dictionem, etiam conuincit Conſulatus: cuius in pluribus etiam aliis eiuſdem S. Leonis Papæ primi Epiſtolis fit mentio: ſicut imprimis patet ex Epiſtola eius tertia in ordine, ad Ianuarium Aquileienſem Epiſcopum, quæ incipit: Lectis fraternitatis literis, &c. *in cuius Data, ad finem, etiam Conſulatus Alypij, & al. Calypij, ſiue Callepij fit mentio, ſicut & hic, quemadmodum etiam poſtea in eiuſdem S. Leonis Epiſtola quarta, ad vniuerſos Epiſcopos per Siciliam conſtitutos, cuius principium eſt:* Diuinis præceptis, & Apoſtolicis monitis incitamur, &c. *Et in Epiſtola eiuſdem nonageſima tertia, quæ eſt ad Turibium Aſturicenſem Epiſcopum, cuius initium eſt:* Quàm laudabiliter pro Catholicæ fidei veritate moueäris, &c. *in cuius Epiſtolæ Data, etiam exprimitur Alypij (& al. Calypij, ſiue Callepij) Conſulatus. Herculani porro Conſulatus (de quo in proximè ſequente hic Epiſtola, ad Iulianum Epiſcopum) mentio fit, in pluribus quoque S. Leonis Epiſtolis; videlicet, Epiſt. 52. ad omnes Epiſcopos Galliarum:* Optaſſemus quidem, &c. *& Epiſt. 53. ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum:* Manifeſtato, ſicut optauimus, &c. *item Epiſt. 54. ad Marcianum Auguſtum:* Magno munere, &c. *Epiſt. 55. ad Pulcheriam Auguſtam:* Sanctis & Deo placitis, &c. *necnon Epiſt. 91. ad Theodorum Foroiulienſem Epiſcopum:* Sollicitudinis quidem tuæ, &c. *in quarum omnium Epiſtolarum Datis, Conſulatus Herculani, vt in conſequente hic Epiſtola ad Iulianum Epiſcopum fit mentio, vt nulla de hiſce quin S. Leonis ſint, oriri queat dubitatio.*

Hanc præcepti noſtri formam, apud Dilectionem veſtram volumus eſſe perpetuam, qua ſine exceptione decernimus, vt ne quis Epiſcopus, &c.

Quia in duabus Siciliæ Eccleſiis indebitè atque illicitè per Epiſcopos bona Eccleſiarum alienata ac diſſipata erant, hinc præſens iſtud ſuum Decretum de rebus Eccleſiæ non alienandis interponit S. Leo Papa; conſtitutionéque perpetua cauet ac prohibet, ne quiſquam Epiſcoporum præſumat quidquam de bonis Eccleſiæ ſuæ alienare vel vendere; niſi fortè ita aliquid horum faciat, vt meliora proſpiciat: & cum totius Cleri tractatu atque conſenſu id eligat, quod Eccleſiæ profuturum certò conſtiterit, &c. Conſonántque optimè hiſce, quæ Hilarius Pontifex, proximus S. Leonis Papæ in Pontificio throno ſucceſſor, de rebus Eccleſiæ non alienandis, ſub finem cuiuſdam Epiſtolæ ſuæ ad Metropolitanos diuerſarum Prouinciarum Galliæ (cuius principium eſt: Quamquam notitiam dilectionis veſtræ, &c.) *ſic ſcribit:* Simul etiam ſuper hoc vniuerſam fraternitatem veſtram volumus eſſe commonitam, ne prædia, quæ neque deſerta, neque damnoſa ſunt, & ad Eccleſiam pertinent, ex quibus plurimorum conſueuerit neceſſitatibus ſubueniri, aliquo iure in alterum transferantur, niſi prius apud Concilium alienationis ipſius cauſa doceatur; vt quid fieri debeat, communionum deliberatione tractetur, &c. *ita in ea Epiſtola Papa Hilarius. In quem rem, etiam Epiſtolam de non alienandis bonis Eccleſiæ ſcripſit Agapetus Papa ad Cæſarium Epiſcopum Arelatenſem; quæ incipit:* Tanta eſt, Deo propitio, circa tuæ fraternitatis affectum noſtra deuotio, &c. *vbi inter alia ſic habet:* Sed reuocant nos veneranda Patrum manifeſtiſſima conſtituta, quibus ſpecialiter prohibemur prædia iuris Eccleſiæ, cui nos omnipotens Dominus præeſſe conſtituit, quolibet titulo ad aliena iura transferre, &c. *Poſt finem verò Epiſtolæ, idem Pontifex eiuſmodi appoſuit Decretum editum in Romano Concilio tertio ſub Symmacho Papa, c. 4. totidem verbis exſcriptum, appoſito huiuſmodi titulo.*

Ex conſtituto Synodali inter cætera, & ad locum: His ergo perpenſis, manſuro cum Dei noſtri conſideratione Decreto ſancimus, vt nulli à præſenti die (donec diſponente Domino Catholicæ fidei manſerit doctrina † Saluatoris) liceat prædium ruſticum, quantæcunque fuerit vel magnitudinis, vel exiguitatis, ſub qualibet alienatione ad cuiuſlibet iura transferre, &c. *Ac non longè ibidem poſt* †: Quicunque oblitus Dei, & decreti huius immemor, cuius Romanæ ciuitatis Sacerdotes volumus religioſis nexibus deuinciri, contrafacere, aut aliquid alienare tentauerit, honoris ſui amiſſione mulctetur. Præterea † qui petierit, aut acceperit, vel qui preſbyterorum, aut diaconorum, ſeu Defenſorum danti ſubſcripſerit, anathemate feriatur, &c. *additurque ibidem poſtea:* † Sed etiam liceat quibuſcunque Eccleſiaſticis perſonis vocem contradictionis afferre, & Eccleſiaſtica auctoritate fulciri, ita vt cùm fructibus poſſint alienata repoſcere, &c. *ita inter alia: Agapetus ex dicto Romano Concilio, ad Cæſarium Epiſcopum Arelat.*

† al. Saluatoris.

† Eodem Concil. c. 6. in 17. q. 4. Quicunque Dei.

† Eod Ro. conc. c. 7.

† Eod. Ro. conc. 3. c. 8.

Hinc & S. Gregorius Papa Magnus præcauere & impedire volens, ne Eccleſiæ depauperarentur, res diſtractas, & venditas, per Defenſorem S. R. E. recuperari iubebat. Vt videre licet apud eum, lib. 1. Epiſt. 66. Diſtrahentes verò puniebat, ſicut ibidem habetur. Quin & Vaſa Eccleſiæ direpta, vndique per Siciliam diſperſa recolligi mandauit Rectori eiuſdem Prouinciæ, & Eccleſiis propriis reſtitui, inuentario eorundem vaſorum apud ſe remanente, &c. lib. 3. Epiſt. 16. Iuſſitque Defenſori, vt non pateretur aliquid iuris Eccleſiaſtici ſuper quibuſdam prædiis ſubripi, pro quorum tuitione etiam priuilegia Imperatoris tranſmiſit, &c. lib. 8. Epiſt. 53. Bona quoque Eccleſiæ per Epiſcopum dilapidata, ex bonis ipſius Epiſcopi, quæ ante Epiſcopatum poſſederat, reſtitui voluit, &c. lib. 10. Epiſt. 33. Apud eundem etiam S. Gregorium legimus, quòd Archidiaconi Eccleſiarum reſiſtebant Epiſcopis dilapidantibus & diſtrahentibus bona Eccleſiarum, &c. lib. 2. Indict. 10. Epiſt. 15. & 16. Quæ omnia hic fuſiùs adducere viſum eſt, vt ex illis quiuis intelligat, quàm aduerſi & prorſus alieni ſemper fuerint S. Pontifices à rerum Eccleſiæ alienatione; quamobrem & meritò ſuum in hac præſente Epiſtola Decretum interpoſuit Magnus Leo Pontifex, de rebus Eccleſiæ non alienandis.

EPISTO

EPISTOLA CV.

Eiuſdem S. Leonis Papæ, ad Iulianum Coënſem Epiſcopum.

Nicæni Concilij authoritas quanti facienda ſit, demonſtrat. Iulianum Coënſem Epiſcopum, cui hîc ſcribit, grauiter prudenterque quòd Anatolij Conſtantinopolitani Epiſcopi plures Eccleſias ambitiosè affectantis deſiderio fauerit, coarguit: amanterque eundem, vt maior apud ipſum ſit vniuerſalis Eccleſiæ ſtatus, quàm quòd in cuiuſquam gratiam ab ipſo velit poſtulare, quæ ſine reatu vtriuſque ipſorum, nec ſibi concedere, nec ei liceat obtinere, admonet.

Ex MS. cod. Card. Sirleti, Nicæni Concilij authoritas.

LEO Papa Iuliano Coënſi Epiſcopo. Dilectio tua non ignorat, quàm conſtanti fixóque propoſito Sanctorum Nicænorum Canonum ſtatuta cuſtodiam, diſſolui omnes Eccleſiaſticas regulas æſtimans, ſi quidquam ex illa ſacroſancta Patrum conſtitutione violetur. Quare miror talia te per fratrem & Coëpiſcopum noſtrum Lucianum dirigere ſcripta potuiſſe, quibus in tantum pro appetitu nouæ literarum † greſſionis interuenis, vt tibi putes aliquid ſpeciale præſtandum, ſi his qui illicitè concupiſcunt, annuero. Quantumlibet autem te affectione complectar, nullo tamen modo poteris obtinere, vt me in excidium Eccleſiaſtici ſtatus, vel † ſuadendo impellas, vel ſupplicando traducas. Frater enim & Coëpiſcopus noſter Anatolius, ſi diuina beneficia, & mei fauoris aſſenſum ſapienter intelligit, ſatis illi ſuffecerit obtinuiſſe, quod ſummus Antiſtes de honore Epiſcopatus ſui gratias Deo referat, & ſe ab illicitorum cupiditate contineat; & quicunque illum ſpicialiter diligunt, tali eum debent confirmare conſilio, vt impoſſibilia omnino non quærat; & ſibi, talia concupiſcendo, non noceat: quia † nullus apud me patrociniis ita poterit adiuuari, vt his quæ poſtulat, calcata Patrum conſtitutione, conſentiam. Reſcribens itaque ad Epiſtolas tuas, pro ea qua diligo affectione, te moneo; vt maior apud te ſit vniuerſalis Eccleſiæ ſtatus, ſaluberrima olim, & vera ordinatione munitus, quàm vt in cuiuſquam gratiam à me velis poſtulata., quæ ſine reatu vtriuſque noſtrum nec mihi concedere, nec tibi liceat obtinere. Data 11. Kalend. Iunias, Herculano viro clariſſimo Conſule.

† al. tranſgreſſionis.

† al. ſuperaddendo.

† al. nullis.

NOTÆ.

Concordant, quæ ab eodem Sancto Leone Papa in Epiſtola quinquageſima tertia, ad ipſum Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum adducuntur: vbi inter alia eum arguit, quod contra Nicænæ Synodi decreta, Alexandrinam atque Antiochenam Eccleſias ſibi ambitiosè ſubdere voluiſſet. Quare inter multa, eum ibi compellando, ſic ait: Abſit à conſcientia mea, vt tam praua cupiditas meis ſtudiis adiuuetur: ac non potius & meo, & omnium qui non alta ſapiunt, ſed humilibus conſentiunt, opere (*al. ope*) ſubruatur, &c. *Subditque ibidem poſtea*: Quæ enim ad perpetuam vtilitatem generaliter inſtituta ſunt, nulla commutatione varientur: nec ad priuatum trahantur commodum, quæ ad bonum ſunt commune præfixa; & manentibus terminis, quos conſtituerunt Patres, nemo in ius tendat alienum, &c. *pauciſque interiectis ibidem poſtea de eodem ſic*: Noli, frater altum ſapere: ſed time, & Chriſtianiſſimorum Principum piiſſimas aures improbis petitionibus inquietare deſiſte: quibus, certum habeo, modeſtia te magis quàm elatione placiturum, &c. *Quin & Luciani Epiſcopi (de quo hic fit mentio) eiuſque Legationis meminit ſub finem eiuſdem Epiſt. 53. & quidem ſub eadem, qua hic, Data 11. Kalend. Iunij, & eodem Herculano Conſule. Similiterque in Epiſt. 54. in fine, & Epiſt. 55. ſub iiſdem, Dat. & Conſule: vbi & cum hiſce multa habentur conformia, ſicut etiam poſtea in Epiſt. 60. & 61. circa finem vtriuſque: vt dubitandum non ſit, quin præſens hæc, vera ſit eiuſdem S. Leonis Papæ Epiſtola, quam γνήσιον illius eſſe etiam ex reliquis eius ad eundem Iulianum Coënſem Epiſcopum datis Epiſtolis, ſatis conuincitur, oſtenditurque.*

EPISTOLA CVI.

Eiuſdem S. Leonis Papæ, ad Epiſcopos per Arelatenſem Galliæ Prouinciam conſtitutos.

Gaudet S. Leo Pontifex de bona ac pacifica electione Epiſcopi Arelatenſis facta. Laudatque in eo Comprouinciales Epiſcopos, quòd poſt defunctum Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, concordibus votis ac animis Rauennium, virum vita ac moribus probatum, in eiuſdem locum ſubrogauerit: Cui ideo bonum in ſuo regimine ſucceſſum precatur, & vt bonæ de ſe conceptæ opinioni atque expectationi ſatisfaciat, exoptat.

Dilectiſſimis Patribus, Conſtantino, Audentio, Ruſtico, Auſpicio, Niceta, Nectari, Floro, Aſclepio, Iuſto, Auguſtali, Hymnatio & Chryſaphio Leo Papa. Iuſta & rationabilis cauſa gaudendi eſt, cum à Sacerdotibus Domini ea geſta cognoſcimus, quæ & paternorum Canonum regulis & Apoſtolicis congruant inſtitutis. Neceſſe eſt enim, vt omne corpus Eccleſiæ ſalubri creſcat augmento, ſi membra, quæ præſunt, & vigore excellant auctoritatis, & tranquillitate moderaminis. Quod ergo in Arelatenſium ciuitate, defuncto ſanctæ memoriæ Hilario, virum etiam nobis probatum fratrem Rauennium, ſecundum deſideria Cleri, honoratorum & plebis, vnanimiter conſecratis, bonum fraternitatis veſtræ opus noſtro iudicio roboramus Quia electionem pacificam atque concordem, cui nec merita morum, nec ſtudia ciuium defuerunt, poſtulationis quidem humanæ, ſed inſpirationis credimus fuiſſe diuinæ. Vtatur itaque, fratres chariſſimi, Dei munere memoratus Antiſtes; & ſecundum conſonantia omnium ordinum vota, quid ex ipſo deuotionis expectetur, intelligat: vt diſpenſationis ſibi creditæ diligens ac temperans executor, veſtro teſtimonio non inferior, & noſtro fauore per omnia ſit dignior. Deus vos incolumes cuſtodiat, fratres chariſſimi, Dat. 11. Kalend. Septembr. Aſterio & Protogene Coſſ.

Ex MS. antiq. cod. Eccleſiæ Arelatenſis apud Bar. ann. 449. num. 61.

EPISTOLA CVII.

Eiuſdem S. Leonis Papæ, ad Rauennium Arelatenſem Epiſcopum.

Petroniani vagi atque erronei hominis temeritati obuiandum monet, & ab omnium Eccleſiarum communione, ne vlterius fallaciter alios decipere pergat, eundem expellendum ſeriò mandat.

Ex MS. Arelatenſ. apud Baron. 449. n. 26.

Dilectiſſimo Fratri Rauennio Leo Papa. Circunſpectum te volumus eſſe atque ſollicitum, ne quid ſibi plectenda poſſit vendicare præſumptio; quæ cum aditum falſa ſurreptione repererit, ad maiorem ſe temeritatem nomine vſurpatæ dignitatis extendit. Petronianum quendam vagum & ſemper erroneum certa nos Clericorum tuorum ſuggeſtione didicimus per Gallias ſe noſtrum eſſe Diaconum iactitaſſe, & ſub huius honoris obtentu, diuerſas eius Prouinciæ Eccleſias circuire. Cuius audaciæ tam nefandæ, dilectionem tuam, frater chariſſime, ita volumus obuiare, vt eum, admonitis etiam totius prouinciæ Epiſcopis, in ſua falſitate detectum, ab omnium Eccleſiarum communione, ne vlterius hoc vſurpet, expellas. Dominus te incolumem cuſtodiat, frater chariſſime. Dat. ſub die 7. kalend. Septembr. Aſterio & Protogene, VV. Clariſſimis Conſulibus.

Epiſt. 10.

EPISTOLA COMPROVINCIALIVM

Epiſcoporum metropolis Arelatenſis ad S. Leonem Papam.

Epiſcopi Comprouinciales legationem (occaſione Rauennij recenter in Epiſcopum Arelatenſem electi) ad S. Leonem Papam inſtituerunt, pro recuperandis antiquis iuribus ac priuilegiis Arelatenſis Eccleſiæ, illud in primis depoſcentes, vt de more antiquo Prouinciæ Viennenſis eidem Eccleſiæ Arelatenſi ſubiiceretur.

Ex MS. Arelatenſ. Baron. ann. 450. n. 52.

Preces miſſæ ab vniuerſis Epiſcopis Metropolis Arelatenſis ad S. Leonem Papam. Memores, quantum honoris & teuerentiæ, beatiſſimæ Sedi Apoſtolicæ, cui vos Dominus noſter Ieſus Chriſtus pro meritis ſanctitatis voluit præſidere, ſemper debitum fuerit, ſempérque debeatur: ordinationem, qua Sanctus frater, & Coëpiſcopus noſter Rauennius in ciuitate Arelate poſt tranſitum beatæ recordationis Hilarij Epiſcopi, concordantibus omnium votis, ad ſummum Pontificium, Domino fauente, prouectus eſt, miſſis continuò litteris Apoſtolatui veſtro indicare curauimus. Quibus à beatitudine veſtra, tanta dignatione & charitate fuiſſe reſponſum immenſas gratias agimus; etſi tantas, quantas debemus, referre non poſſumus.

Coronæ Epitheton Papæ attribuitur.

Notum licet nobis ante iam fuerit, prædictum Sanctum fratrem, & Coëpiſcopum noſtrum maximè coronæ veſtræ gratia morum ſuorum manſuetudinem & ſanctitatem meruiſſe: perceptis nunc tamen beatitudinis veſtræ litteris, quanta eum charitate complectamini, euidenter agnouimus. Vnde præmiſſis officiis, quæ Apoſtolatui veſtro iure debentur, ſuggeſtionem noſtram, quæ iuſtitiæ partibus fungitur, audiendam à corona veſtra minime dubitamus. Quippe cum non aliqua noua inſtitui, ſed priſca per vos optamus & antiqua reparari. Nec enim iuſtum eſt, vt honorem eius, quem (vt probauimus) impensè diligitis, illas res minuat, quæ pietatem veſtram altè offendit. Et ſanè manifeſtum eſt Eccleſiæ Arelatenſi diuinæ gratiæ fauorem adeſſe, cui talem habere contigit Sacerdotem, per quem priuilegia dignitatis antiquæ, quæ dolebat ſibi pro tempore diminuta, gauderet in perpetuum recentioribus Apoſtolicæ ſedis authoritatibus reformata.

Arelatenſis ciuitatis olim prærogatiua.

Omnibus etenim regionibus Gallicanis notum eſt, ſed nec Sacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ habetur incognitum, quòd prima intra Gallias Arelatenſis ciuitas miſſum à beatiſſimo Petro Apoſtolo ſanctũ Trophimum habere meruit Sacerdotem, & exinde aliis paulatim regionibus Galliarũ donum fidei & religionis infuſum: priuſquam alia loca ab hoc riuo fidei, quem ad nos Apoſtolicæ inſtitutionis fluenta miſerunt, meruiſſe manifeſtum eſt Sacerdotem, quàm Viennenſis ciuitas, quæ ſibi nunc impudenter ac notabiliter primatus expoſcit indebitos. Iure enim ac meritò ea Vrbs ſemper apicem Sanctæ dignitatis obtinuit, quæ in ſancto Trophimo primitias noſtræ religionis prima ſuſcepit, ac poſtea intra Gallias hoc quod diuino munere fuerat conſecuta, ſtudio doctrinæ ſalutaris effudit. Cuius honoris obtentu Eccleſiam Arelatenſem omnes deceſſores prædeceſſoréſque noſtri velut mat[illegible]m debito ſemper honore coluerunt, tenentéſque [illegible] atiditionẽ totam ab hac ſibi ciuitatis noſtræ ſede Epiſcopos poſtularunt. Ab huius Eccleſiæ Sacerdote tam deceſſores noſtros, quàm nos ipſos conſtat in ſummũ Sacerdotium, donante Domino, conſecratos. Quam quidem antiquitatem ſequentes prædeceſſores Beatitudinis veſtræ, hoc quod erga priuilegia Arelatenſis Eccleſiæ inſtitutio vetuſta tradiderat, promulgatis (ſicut & ſcrinia Apoſtolicæ Sedis procul dubio continent) auctoritatibus confirmarunt: credentes plenum eſſe rationis atque iuſtitiæ, vt ſicut per beatiſſimum Petrum Apoſtolorum principem ſacroſancta Eccleſia Romana teneret ſupra omnes totius mundi Eccleſias principatum, ita etiam intra Gallias Arelatenſis Eccleſia, quæ ſanctum Trophimum ab Apoſtolis miſſum ſacerdotem habere meruiſſet, ordinandi Pontificium vendicaret: his ſecundum religionem vtitur priuilegiis Eccleſia memorata.

S. Trophimus primus Arelatæ Epiſcopus.

Scrinia Apoſtolicæ Sedis.

Cæterùm multa ſunt, quibus ſecundum inſtituta Principum cunctis intra regiones noſtras ciuitatibus præferatur. Hæc in tantùm à glorioſiſſimæ memoriæ Conſtantino peculiariter honorata eſt, vt ab eius vocabulo præter proprium nomen, quo Arelas vocitatur, Conſtantina nomen acceperit. Hanc clementiſſimæ recordationis Valencianus & Honorius fideliſſimi Principes ſpecialibus priuilegiis, & vt verbo ipſorum vtamur, matremonium Galliarum appellando decorarunt. In hac Vrbe, quicumque intra Gallias ex tempore prædictorum oſtentaſe voluit inſignia dignitatis, Conſulatum ſuſcepit & dedit: hanc ſublimiſſima præfectura, hanc reliquæ poteſtates, velut communem omnibus patriam ſemper inhabitant.

Arelas, aliàs Conſtantina eſt appellata, & aliàs matremonium Galliarum.

Ad hanc ex omnibus ciuitatibus multarum vtilitatum cauſa concurritur: & planè ita ſibi erga priuilegia memoratæ vel Eccleſiæ vel ciuitatis, diuina (vt credimus) diſpenſatione, omnia conſenſerunt, vt ſemper ſicut Eccleſia Arelatenſis intra Gallias primatum in Sacerdotio antiquitatis merito, ita etiam ciuitas ipſa principatum in ſæculo, opportunitatis gratia poſſederit. Vnde factum eſt, vt non ſolùm prouinciæ Viennenſis ordinationem, ſed etiam trium prouinciarum, contemplatione ſancti Trophimi (ſicut & Sanctorum prædeceſſorum veſtrorum patefacta ſibi teſtatur auctoritas) Arelatenſis

Eccleſiæ

Eccleſiæ Sacerdos ad ſollicitudinem ſemper ſuam, curamque reuocarit. Cui id etiam honoris dignitatiſque collatum eſt, vt non tantum has prouincias poteſtate propria gubernaret, verum etiam omnes Gallias, ſibi Apoſtolicæ Sedis vice mandata, ſub omni Eccleſiaſtica regula contineret.

Coronæ Epitheton Papæ applicatum.

His itaque omnibus intimatis, & in notitiam Beatitudinis veſtræ fideli aſſertione perlatis, quæſumus & obſecramus coronam Sanctimoniæ veſtræ per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui in vobis iuſtitiam, patientiam, tranquillitatem, & bona totius ſanctitatis ac perfectionis elegit, & per beatiſſimum Apoſtolum Petrum, quem vita & conuerſatione veſtra nobis diuino munere redditum credimus, vt quidquid Arelatenſis Eccleſia (ſicut ſuperius indicauimus) vel ab antiquitate ſuſcepit, vel poſtea auctoritate Sedis Apoſtolicæ vendicauit, id omne ad ſuum Pontificium reuocare eiuſdem Eccleſiæ Sacerdotem beatitudinis veſtræ auctoritas in perpetuum manſura præcipiat. Ipſi autem vel officiorum cauſa, vel eius legationis obtentu, Sanctimoniæ veſtræ nos præſentaſſemus aſpectibus, niſi alios infirmitas, alios anni præſentis penuria ab hac votorum noſtrorum cupiditate reuocaſſet. Sed confidimus in Domino Ieſu Chriſto, qui precibus & deſideriis noſtris effectum promptiſſimæ pietatis veſtræ præſtitit, quod qui nunc legationis officio fraudamur, gratiarum poſtea referendarum per noſmetipſos actione fungemur.

NOTÆ.

Hæ notæ ex Baron. 450. num. 56.

Hæ Epiſcoporum comprouincialium erant preces ad Papam Leonem directæ, ſine die & Conſule: verùm Valentiniano Auguſt. & Abieno Coſſ. datas eas eſſe, ex hic proximè ſubiecta S. Leonis Epiſtola ad ipſos reddita planè innoteſcit: ex qua ſimiliter palam fit, Eccleſiam quoque Viennenſem eadem de cauſſa Romam ad S. Leonem Papam legationem miſiſſe. Iuribus porrò vtriuſque partis auſcultatis ac diligenter examinatis, perſtitit Leo Pontifex in ea ſententia, vt Arelatenſis Eccleſia nihil ſibi eorum aſſumeret, quæ Viennenſis Eccleſiæ eſſent, quare etiam immediatè hic conſequentem ad eos dedit Epiſtolam.

Epiſt. 109.

EPISTOLA EIVSDEM S. LEONIS Papæ ad comprouinciales Epiſcopos Metropolis Arelatenſis.

Sententia atque Decretum ſuum S. Leo interponit ſuper antiqua quæſtione iuriſdictionis inter Arelatenſem & Viennenſem Eccleſias: ſingulàſque ſuis limitibus contentas eſſe debere, decernit.

Et MS. Arelatẽſ. Baron. an. 450. num 57.

Dilectiſſimis fratribus Conſtantino, Armatario, Audentio, Seueriano, Valeriano, Vrſo, Stephano, Nectario, Conſtantio, Maximo, Aſclepio, Theodoro, Iuſto, Ingenuo, Auguſtali, Superuentori, Vnantio, Fonteio, Palladio, Leo Papa. Lectis dilectionis veſtræ litteris, quas ad nos filij noſtri Petronius Presbyter, & Regulus Diaconus detulerunt, quàm beneuolum fratri & Coëpiſcopo noſtro Rauennio impendatis affectum, euidenter agnouimus: ſiquidem poſtulatis, vt ei quod deceſſor ipſius merito nimiæ præſumptionis amiſerat, reformetur. Sed petitionem fraternitatis veſtræ Viennenſis Epiſcopus miſſis litteris & Legatis, ſua ſuggeſtione præuenerat, conquerens Arelatenſem Epiſcopum ordinationem ſibi † Valenſis Antiſtitis vſurpaſſe. Cùm itaque nobis ita & paternarum reuerentia ſanctionum, & omnium veſtrum ſeruanda ſit gratia, vt in Eccleſiarum priuilegiis nihil conuelli, nihil patiamur exſcindi: conſequens fuit, vt ad conſeruandam intra Viennenſem & Arelatenſem prouincias pacem adhiberetur iuſtitiæ moderatio, quæ nec antiquitatis vſum, nec deſideria veſtra negligeret.

† al. Vaſatenſis.

Sententia Papæ Leonis ſuper antiqua controuerſia iuriſdictionis inter Arelatenſem & Viennenſem Eccleſias.

Conſideratis enim allegationibus vtriuſque partis præſentium Clericorum, ita ſemper intra prouinciam veſtram & Viennenſem & Arelatenſem ciuitates claras fuiſſe reperimus, vt quarumdam cauſarum alterna ratione, nunc illa in Eccleſiaſticis priuilegiis, nunc iſta præcelleret, cum tamen eiſdem commune ius quondam fuiſſe, à gentibus proderetur. Vnde Viennenſem ciuitatem, quantum ad Eccleſiaſticam iuſtitiam pertinet, inhonoratam penitus eſſe non patimur; præſertim cùm de receptione priuilegij auctoritate iam noſtræ diſpoſitionis vtatur. Quam poteſtatem Hilario Epiſcopo ablatam, Viennenſi Epiſcopo credimus deputandam, qui ne repente ſemetipſo factus videatur inferior, vicinis ſibi quatuor oppidis præſidebit, id eſt, Valentiæ & Tharantaſiæ, & Geneuæ, & Gratianopoli; vt cum eis ipſa Vienna ſit coniuncta, ad cuius Epiſcopum omnium prædictarum Eccleſiarum ſollicitudo pertineat: reliquæ verò ciuitates eiuſdem Prouinciæ ſub Arelatenſis Antiſtitis authoritate & ordinatione conſiſtant: quem pro modeſtiæ ſuæ temperantia, ita futurum credimus ſtudioſum charitatis & pacis, vt nequaquam ſibi credat ablatum, quod fratri videat eſſe conceſſum. Dat. 3. Non. Maij, Valentiniano Auguſto & Abieno V.C. Coſſ.

Quatuor oppida Viennenſi Epiſcopo ſubiecta.

In fine huius Epiſtolæ, hæc quæ ſequuntur verba habentur: Hoc præceptum Domini Leonis confirmatum eſt à Sede Apoſtolica, præſidente Symmacho Papa, Probo V.C. Conſule.

NOTÆ.

Ex Baron. ann. 450.

Habes lector ex hac S. Leonis Papæ Epiſtola ex vetuſtiſſimo MS. exemplari ipſius Eccleſiæ Arelatenſis Archiuij deſcripta, ſuper antiqua quæſtione iuriſdictionis inter Arelatenſem & Viennenſem Eccleſias, determinationem atque ſententiam ipſius magni Leonis Pontificis: cui quidem Epiſtolæ, vel eo plus authoritatis ac fidei tribuendum eſt, quòd S. Leonis Papæ primi ac magni ſit; quódque, licet quæ contra ipſam eſſe probarentur, Arelatenſem Eccleſiam contineat; æquè tamen vt reliquæ, integra ac ſalua hactenus in illius archiuio fideliter aſſeruata cuſtodiatur: vbi & ſub eodem die ac anno data ad Rauennium Arelatenſem Archiepiſcopum alia adhuc eiuſdem S. Leonis in eodem MS. Cod. reperitur Epiſtola, quam hic opportunè ſubiecimus.

Quam poteſtatem Hilario Epiſcopo ablatam, Viennenſi Epiſcopo credimus deputandam: qui vicinis ſibi quatuor oppidis præſidebit, *id eſt*: Valentiæ, & Tharantaſiæ, & Geneuæ, & Gratianopoli, *&c.*

Huic Decreto S. Leonis Papæ inhærendum cenſuit & Symmachus Papa, illudque confirmauit in ſua ad vniuerſos Galliæ Epiſcopos Epiſtola, cuius initium eſt: Sedis Apoſtolicæ inſtituta prædicanda ſollicitant, vt de concordia vniuerſalis Eccleſiæ, peruigili cura tractemus, *&c. vbi inter alia ſic habetur*: Idcirco quemadmodum deceſſor noſter Leo Papa dudum cognitis allegationibus partium, definiuit Parochiarum numerum vel quantitatem Arelatenſi & Viennenſi ſacerdotibus deputandum, & nos præcipimus nullius vſurpatione tranſgredi: Sed (vt ante prædiximus) iuxta indulgentiam ſupradicti Pontificis, Valentiam, Tharantaſiam, Geneuam, Gratianopolim,

nopolim,oppida,Viennensis Antistes iuri suo vendicet: nec quidquam amplius ab his quæ semel ab Apostolica sibi Sede concessa sunt, æstimet præsumendum, *&c. ita in ea Epistola Symmachus Papa. Suffragatúrque iisdem Hilarius Pontifex in Epistola sua 14. postea hic addita; cuius initium:* Sollicitis admodum nobis,&c. *vbi inter alia habet:* Nam dignitatem Viennensis Ecclesiæ Mamertus Episcopus meminit Arelatensis Antistitis quondam transgressione creuisse, & pro corrigendis quæ perperam gerebantur, inuiolabili postea definitione compositum, ne alter inglorius, alter in totum veteri honore per vitium prædecessoris reperiretur exutus, &c. *vbi ad præsens Leonis nostri Decretum planè Hilarius Papa respexisse videtur, cui prorsus insistendum censuit.*

EPISTOLA CX.

Eiusdem S. Leonis Papæ, ad Rauennium Arelatensem Archiepiscopum.

Mittit Rauennio famosam & insignem illam suam dogmaticam Epistolam de Incarnatione verbi Dei aduersus hæreticos: vt pro defensione fidei, per eum doctrina eiusdem Epistolæ cunctis Galliæ Episcopis fideliter innotescat atque clarescat.

Ex MS. Arelatens. Baron. an. 450. n. 59.

D*Ilectissimo fratri Rauennio, Leo Papa.* Diu filios nostros, Petronium Presbyterum, & Regulum Diaconum in Vrbe tenuimus: quoniam & de nostra hoc gratia merebantur, & fidei, quæ nunc quorumdam errore vexata est, ratio postulabat. Voluimus enim eos interesse tractatui, & vniuersa cognoscere, quæ per te cupimus ad omnium fratrum & consacerdotum nostrorum notitiam peruenire: charissimæ hoc dilectioni tuæ specialiter delegantes, vt sollicitudine vigilantiæ tuæ Epistola nostra, quam ad Orientem pro fidei defensione direximus, vel sanctæ memoriæ Cyrilli, quæ nostris sensibus tota concordat, vniuersis fratribus innotescat, vt certiores effecti contra eos qui incarnationem Domini prauis persuasionibus æstimant temerandam, spirituali se virtute præmuniant. Habes probabilem facultatem, qua cunctis Ecclesiis, & Domino nostro, Episcopatus tui possis commendare primordia; si hæc ita, vt credimus atque mandauimus, impleueris, frater charissime. Quæ autem committenda litteris non fuerunt, cùm prædictorum filiorum nostrorum insinuatione didiceris, frater charissime, Domini fretus auxilio efficaciter (vt diximus) aut laudabiliter exequeris. Deus te incolumen custodiat, frater charissime. Dat. 3. Non. Maij, gloriosissimo Valentiniano Aug. 7. & Abieno V.C. Coss.


NOTÆ.

Ex hac Epistola clarè liquet. S. Leonem Papam etiam ad Gallicanos Episcopos misisse famosam illam & insignem dogmaticam Epistolam Flauiano Constantinopolitano Episcopo inscriptam, quam in Orientem pro fidei defensione direxerat: vt non solum Orientalibus, sed etiam Occidentalibus innotescerent, quæ de Verbi incarnatione teneret hactenus atque tenuisset semper sancta & Catholica Dei Ecclesia. Quæ per illos accepta, & bene intellecta Epistola, eiúsque in omnibus cum fide Catholica, quam hactenus fideliter custodierant, consensione explorata atque probata, rescripserunt ad eundem S. Leonem Epistolam illam, quæ sine die & Consule data, habetur inter Epistolas S. Leonis, & sic inchoatur: Perlata ad nos Epistola Beatitudinis vestræ, quam ad Orientem pro Catholicæ fidei assertione misistis, &c. *Eam autem sub dictis eiusdem temporis Consulibus (quorum hac sua ad Rauennium Epistola S. Leo meminit) datam esse, colligitur manifestissimè.*



Ex vetusto manuscripto Vatic. n. 23. 46.

TRACTATVS SANCTI LEONIS Papæ, aduersus errores Eutychetis, & aliorum hæreticorum.



AD Ecclesiæ filios instruendos, addendum est nostri sermonis obsequium. Nó enim timemus ne spiritales & eruditi nota fastidiant, ad quorum fructum pertinet aliis insinuare, quod ipsi cum magna sui vtilitate didicerunt. Fiat ergo per corda omnium, dispensatio munerum diuinorum, & sermonem oris nostri, docti indoctíque non spernant. Adsit etiam nostræ fidei, ipsius largitas, de cuius maiestate loqui *tentamus, vt ad profectum totius Ecclesiæ suæ, & vos capaces, & nos faciat abundantes. Cùm igitur ad intelligendam dignitatem Spiritus sancti oculos mentis intendimus, nihil diuersum ab excellentia patris & filij cogitemus; quia in nullo ab vnitate sua discrepat diuinæ * Trinitatis essentia. Sempiternum est Patri, coæterni sibi Filij esse genitorem. Sempiternum est Filio, intemporaliter à Patre esse progenitum. Sempiternum quoque est Spiritui sancto, Spiritum esse Patris, & Filij: vt nunquam sine Filio Pater, nunquam Filius sine Patre, nunquam Pater & Filius sine Spiritu sancto fuerint. Et omnibus existentiæ gradibus exclusis, nulla ibi persona sit anterior, nulla posterior. Huius enim beatæ Trinitatis * incommutabilis diuinitas, vna est in substantia, indiuisa in opere, consors in voluntate, par in omni potentia, æqualis in gloria. De qua cùm Scriptura sancta sic loquitur, vt aut in factis, aut in verbis aliquid * designet, quid singulis videatur conuenire personis, non perturbatur fides catholica, sed docetur: vt per proprietatem aut vocis, aut operis, insinuetur nobis veritas Trinitatis, & non diuidat intellectus, quod distinguit auditus. Ob hoc enim quædam siue sub Patris, siue sub Filij, siue sub Spiritus sancti appellatione promuntur, vt confessio * fidelium in Trinitate non erret. Quæ cùm sit inseparabilis, nunquam intelligeretur Trinitas esse, si semper inseparabiliter diceretur. Bene ergo ipsa difficultas

al. loqui gestimus.

al. diuinitatis essentia.

al. Et incommutabilis Deitatis vna est substantia, &c.

al. assignet, quod singulis videatur conuenisse personis, &c.

al. credentium.

difficultas loquendi cor noſtrum ad intelligentiam trahit,& per infirmitatem noſtram cœleſtis doctrina nos adiuuat: vt quia in deitate Patris, & Filij & Spiritus ſancti,nec ſingularitas eſt,nec diuerſitas cogitanda, vera vnitas & vera Trinitas poſſit quidem mente ſimul ſentiri, ſed non poſſit ſimul ore proferri.

Fides S. Trinitatis. Quod opera Trinitatis ſint indiuiſa.

Fundata igitur, dilectiſſimi, in cordibus noſtris hac fide,qua ſalubriter credimus,quod tota ſimul Trinitas vna virtus eſt, vna maieſtas, vna ſubſtantia, indiſcreta * operatio, inſeparabilis dilectio, indifferens poteſtas ſimul implens omnia, ſimul continens vniuerſa. Quod enim eſt Pater, hoc eſt & Filius,hoc eſt & Spiritus ſanctus: Et vera deitas,in * nullò eſſe aut minor,aut maior poteſt: Quæ ſic in tribus eſt confitenda perſonis,vt & ſolitudinem non recipiat Trinitas,& vnitatem ſeruet æqualitas. * Nunquam enim ab omnipotentia Patris,& Filij,Spiritus Sancti eſt diſcreta maieſtas. Et quidquid in diſpoſitione omnium rerum agit diuina moderatio, ex totius venit prouidentia Trinitatis.Vna eſt,vbi benignitas miſericordiæ, vna cenſura iuſtitiæ: nec aliquid eſt in actione diuiſum, vbi nihil eſt in voluntate diuerſum.

al. indiſcreta in opere, inſeparabilis dilectione, indifferens poteſtate, &c.

in nullo ſeſe aut minor, aut maior eſt.

Quæ ergo illuminat Pater,illuminat Filius, illuminat Spiritus ſanctus. Cúmque alia ſit perſona miſſi,alia mittentis, alia promittentis, ſimul nobis & vnitas manifeſtatur & Trinitas: vt eſſentia habens æqualitatem, & non recipiens ſolitudinem, & eiuſdem ſubſtantiæ, & non eiuſdem intelligatur eſſe perſonæ. Quod ergo ſalua cooperatione inſeparabilis deitatis, quædam Pater, quædam Filius, quædam propriè Spiritus ſanctus exequitur,noſtræ redemptionis diſpoſitio, noſtræ ſalutis eſt ratio. Si enim homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus,in ſuæ naturæ honore manſiſſet,nec diabolica fraude deceptus, à lege ſibi poſita per concupiſcentiam deuiaſſet, creator mundi creatura non fieret: neque aut ſempiternus temporalitatem ſubiret,aut æqualis Deo Patri Filius Deus,formam ſerui & ſimilitudinem carnis peccati aſſumeret. Sed quia inuidia diaboli mors intrauit in orbem * terrę, & aliter ſolui captiuitas humana non potuit, niſi cauſam noſtram ille ſuſciperet * ſine maieſtatis ſuæ damno,& verus homo fieret,& ſolus peccati contagium non haberet: diuiſit ſibi opus noſtræ reparationis miſericordia Trinitatis, vt Pater propitiaretur,Filius propitiaret, Spiritus ſanctus igniret. Si igitur duce gratia dilectiſſimi, fideliter ſapientérque noſcamus,quid Patri, quid Filio, quid Spiritui ſancto, in reparatione noſtra proprium, quidve commune ſit, ea quæ pro nobis humiliter & corporaliter geſta ſunt,ita procuIdubio ſuſcipiemus, vt nihil indignum de vna atque eadem Trinitatis gloria ſentiamus. Quamuis enim nulla mens ad cogitandum de Deo,nulla ad loquendum lingua ſufficiat, tamen quantumcunque illud eſt, quod humano intellectu de eſſentia paternæ deitatis attingitur,niſi vnum atque idem eſt,cùm * id de vnigenito eius, & de Spiritu ſancto cogitatur, non piè ſapitur, ſed nimis carnaliter caligatur, & ipſum quod de Patre congruenter ſentiri videbatur,amittitur,quia de tota Trinitate receditur,ſi in ea vnitas non tenetur. Nulla autem ratione verè eſt vnum, quod aliqua eſt inæqualitate diuerſum. Cùm ergo ad confitendum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum aciem mentis intendimus, procul ab animo formas viſibilium rerum, & ætates temporaliũ naturarum, procul corpora locorum & loca corporum repellamus. Diſcedat à corde, quod ſpatio extenditur, quod fine concluditur, & quicquid nec ſemper vbique,nec totum eſt. Cogitatio de deitate Trinitatis concepta,nihil per diſtantiam intelligat, nihil per gradus quærat, aut * ſi quid dignum Deo ſenſerit, nulli hoc ibi audeat negare perſonæ. * Hanc autem fidem non terrena ſapientia reperit, nec opinio humana perſuaſit: ſed ipſe vnigenitus Filius docuit,ipſe Spiritus ſanctus inſtituit: de quo nihil eſt aliter, quàm de Patre & de Filio ſentiendum:quia licet non ſit Pater,non ſit Filius,non tamen eſt à Patre Filióque diuiſus. Et ſicut propriam habet in Trinitate perſonam,ita vnam habet in Patris & Filij deitate ſubſtantiam omnia implentem, omnia continentem,& cum Patre & Filio vniuerſa moderantem,in ſecula.* Quid enim tam aduerſatur Prophetis,tam repugnat Euangeliis, tam denique eſt Apoſtolicis rebelle doctrinis, quàm in Domino Ieſu Chriſto ex Maria virgine genito,& ſempiterno Patri intemporaliter coæterno,vnam ac ſingularem prædicare naturam?quia ſi hominis intelligenda eſt, vbi eſt quæ ſaluat deitas? ſi tantummodo Dei, vbi eſt quæ ſaluatur humanitas? Fides autem Catholica, quæ omnibus reſiſtit erroribus, etiam iſtas ſimul impietates refutat, damnans Neſtorium diuina ab homine diuidentem,deteſtans Eutychen, in diuinis humana vacuantem: quoniam veri Dei Filius,Deus verus,vnitatem & æqualitatem habens cum Patre,& cum Spiritu ſancto;idem verus homo eſſe dignatus, nec conceptu virginis matris ſeiunctus à carne,nec partu,ſic humanitatem ſibi vniens, vt Deus incommutabiliter permaneret,ſic deitatem homini impertiens,vt eum glorificatione non conſumeret,ſed augeret. Qui enim factus eſt in forma ſerui, in forma Dei eſſe non deſtitit; nec alter in altero,ſed vnus in vtroque eſt. Nullis diſpenſationum varietatibus fides noſtra turbetur,ſed in miraculis virtutum, ſiue in contumeliis paſſionum, & Deum qui homo eſt, & hominem credamus eſſe, qui Deus eſt. Verus itaque Deus, & verus homo vnus eſt Chriſtus, diues in ſuis, pauper in noſtris, dona accipiens,& dona diffundens,particeps mortalium, & viuificatio mortuorum: vt in nomine Ieſu Chriſti omne genu flectatur.

Geneſ. 1.

Sapient. 2.

al. terrarum.

al. qui ſine, &c.

al. cùm vel de vnigenito eius, vel de Spiritu ſancto, &c.

De S. Trinitate, vt ſit cogitandum.

al. At ſi quid de Deo dignũ ſenſerit, &c.

Iſta ſub finẽ ſermonis tertij de Pentecoſtẽ habentur.

Hucuſque ex fine ſermonis tertij de Pentecoſte.

Contra Neſtorium & Eutychetẽ.

Neſciens igitur Eutyches,quid deberet de Verbi Dei incarnatione ſentire, neque volens in ſanctarum Scripturarum latitudine laborare,illam ſaltem communem confeſſionem ſollicito recepiſſet auditu,qua fidelium vniuerſitas profitetur,credere ſe in Deum Patrem omnipotentem: & in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum Dominum noſtrum, qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, * Maria virgine. Quibus tribus ſententiis, omnium fere hæreticorum machinæ deſtruuntur. Cùm enim * Deus & omnipotens Pater creditur, ſempiternus eidem Filius demonſtratur,in nullo à Patre differens: quia de Deo Deus,de omnipotente omnipotens,de æterno natus eſt coæternus:non poſterior tempore,non inferior poteſtate, non diſſimilis gloria, non diuiſus eſſentia. Idem verò ſempiterni genitoris vnigenitus ſempiternus, natus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria virgine. Quæ natiuitas temporalis, illi natiuitati diuinæ & ſempiternæ nihil minuit,nihil contulit: ſed totam ſe reparando homini,qui erat deceptus,impendit; & * vt mortem vinceret, & diabolum,qui habebat mortis imperium, ſua virtute deſtrueret.

Iſta ſunt in Epiſtola S. Leonis ad Flauianum.

al. ex Maria virgine.

al. cùm enim Deus & omnipotens & æternus creditur, conſempiternus eidem filius demonſtratur.

al. vt & mortem.

In quo etiam conflictu pro nobis inito, magno & mirabili æquitatis iure certatum eſt,dum omnipotens Deus cum ſæuiſſimo hoſte non in ſua maieſtate,ſed in noſtra humilitate congreditur,obiiciens eandem formam,eandemque naturam, mortalitatis quidem noſtræ participem,ſed peccati totius expertem. Non enim ſuperare nos poſſemus peccati & mortis

mortis auctorem, nisi naturam nostram ille susciperet, & suam faceret, quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere. Conceptus quippe est de Spiritu sancto intra vterum virginis matris: quæ illum ita salua virginitate edidit, quemadmodum salua virginitate concepit. An fortè ideo putauit hæreticus ille Dominum nostrum Iesum Christum, non nostræ esse naturæ, quia missus Angelus ad Virginem ait: Et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei: vt quia conceptus virginis diuini fuit operis, non de natura concipientis fuerit caro concepti? Sed non ita intelligenda est illa generatio singulariter mirabilis, & mirabiliter singularis, vt per nouitatem creationis proprietas remota sit generis. Fœcunditatem enim virgini Spiritus sanctus dedit, veritas autem corporis de corpore sumpta est, & ædificante sibi sapientia domum, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, hoc est, in ea carne, quam sumpsit ex homine, & quam Spiritus vitæ rationalis animauit. Verbum igitur Dei Deus, Filius Dei, qui in principio erat apud Deum, per quem facta sunt omnia, sine quo factum est nihil. Propter liberandum hominem ab æterna morte factus homo, ita se ad susceptionem humilitatis nostræ sine diminutione maiestatis suæ inclinans, vt manens quod erat, assuménsque quod non erat, veram serui formam ei formæ in qua Deo Patri est æqualis vniret, & tanto fœdere naturam vtramque consereret, vt nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio. Salua igitur proprietate vtriusque naturæ, & in vnã coëunte personam, suscepta est à maiestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas; & ad resoluendum conditionis nostræ debitum, natura inuiolabilis naturæ est vnita passibili, vt quod nostris remediis congruebat, vnus atque idem mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus & mori posset ex vno, & mori non posset ex altero. Integra * ergo perfectione veri hominis, perfectáque natura, verus natus Deus est, totus in suis, & totus in nostris. Nostra autem dicimus, quæ in nobis ab initio creator condidit, & quæ reparanda suscepit. Nam illa, quæ deceptor intulit, & homo deceptus * amisit, nullum habuerunt in Saluatore vestigium. Nec quia communionem humanarum subiit infirmitatum, ideo nostrorum fuit particeps delictorum. Assumpsit formam serui sine sorde peccati, humana augens, diuina non minuens: quia exinanitio illa, qua se inuisibilis visibilem præbuit, & creator ac Dominus omnium * vnus voluit esse mortaliũ, inclinatio fuit miserationis, non defectio potestatis. Proinde qui manens in forma Dei, fecit hominem, idem in forma serui factus est homo. Tenet enim sine defectu proprietatem suam vtraque natura. Et sicut * forma serui, Dei formam non adimit: ita forma Dei, formam serui non minuit. Nam quia gloriabatur diabolus, hominem sua fraude deceptum, diuinis caruisse muneribus, & immortalitatis dote nudatum, duram mortis subiisse sententiam, seque in malis suis quoddam de * præuaricatoris consortio inuenisse solatium, Deum quoque iustitiæ exigente ratione, erga hominem, quem in tanto honore condiderat, propriam mutasse sententiam: opus fuit secreti dispensatione consilij, vt incommutabilis Deus (cuius voluntas non potest sua benignitate priuari, primam erga nos pietatis suæ dispensationẽ sacramento occultiore compleret, & homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam contra Dei propositum non periret. Ingreditur ergo hæc mundi * infirma Filius Dei, de cælesti sede descendens, & à paterna gloria non recedens, nouo ordine, noua natiuitate generatur. Nouo ordine, quia inuisibilis in suis, visibilis est factus in nostris. Incomprehensibilis voluit comprehendi. Ante tempora manens, cœpit esse ex tempore. Vniuersitatis Dominus seruilem formam, obumbrata maiestatis suæ immensitate suscepit. Impassibilis Deus, non dedignatus est homo esse passibilis, & immortalis, mortis legibus subiacere. Noua autem natiuitate generatus, quia inuiolata virginitas concupiscentiam nesciuit, carnis materiam ministrauit. Assumpta est * de matre Domini natura, nõ culpa: nec in Domino Iesu Christo, ex vtero virginis genito, quia natiuitas est mirabilis, ideo nostræ * naturæ est dissimilis. Qui enim verus est Deus, idẽ verus est homo. Et nullum in hac vnitate est mendacium, dum inuicem sunt & humilitas hominis, & altitudo Deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate: agit enim vtraque forma cum alterius communione, quod proprium est; Verbo scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est. Vnum horũ coruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis. Et sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non * recedit: ita caro naturam nostri generis non reliquit. Vnus enim idémque est, quod sæpe dicendum est, verè Dei filius, & verè hominis Filius. Deus per id, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: Homo per id, quod Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Quem vtique sicut hominem diabolica tentat astutia, eidem sicut Deo angelica famulantur obsequia. Esurire, sitire, lassescere, atque dormire, euidenter humanum est. Sed * quinque panibus quinque millia hominum saturare, largiri Samaritanę aquam viuam, cuius haustus bibenti præstat, ne vltra iam sitiat: & supra dorsum maris, plantis non subsidentibus ambulare, & elationes fluctuum increpata tẽpestate consternere, sine ambiguitate diuinum est. Sicut ergo (vt multa prætercam) non eiusdem naturę est flere miserationis affectu Lazarum amicũ mortuum, & eundem remoto quatriduanæ aggere sepulturæ, ad vocis imperium excitare rediuiuum, aut in * cruce pendere, & in noctem luce conuersa omnia elementa tremefacere, aut clauis transfixum esse, & paradisi * portam fidei latronis aperire: ita non eiusdem naturæ est dicere: Ego & Pater vnum sumus: & dicere, Pater maior me est. Quamuis enim in Domino Iesu Christo, Dei & hominis vna persona sit: aliud tamen est, vnde in vtroque communis est contumelia: aliud, vnde communis est gloria. De nostro enim illi est minor Patre humanitas, de Patre illi est æqualis cum Patre diuinitas. Propter hãc ergo vnitatem personæ in vtraque natura intelligendam, & Filius hominis legitur descendisse de cælo, cùm filius Dei carnem de ea virgine, de qua est natus, assumpserit. Et rursus Filius Dei crucifixus dicitur ac sepultus, cum hæc non in diuinitate ipsa, qua vnigenitus, consempiternus, & consubstantialis est Patri: sed in naturæ humanæ sit infirmitate perpessus. Vnde vnigenitum Filium Dei, crucifixum, & sepultum, omnes etiam in Symbolo cõfitemur, secundum illud Apostoli dictum: *Si enim cognouissent, nunquam Dominũ maiestatis crucifixissent*, quia Ecclesia Catholica hac fide viuit, hac proficit, vt in Domino Iesu Christo, nec sine vera diuinitate humanitas, nec sine vera humanitate credatur diuinitas. Cùm autem in Concilio, Eutyches profiteretur ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post adunationem verò vnam naturam confiteretur; miror tam absurdam, támque peruersam

Marginal notes (left column): Prou. 9. — Ioan. 1. Eadem sunt in Epistola ad Flauianum. — *al. In integra ergo veri hominis, perfectáque natura, &c.* — *al. admisit.* — *al. omnium rerum.* — *Et sicut formam serui, Dei formam nõ adimit: ita formam Dei, serui forma non minuit.* — *al. præuaricationis.* — Ex eadem Epistola ad Flauian. — *al. infima.*

Marginal notes (right column): *al. Assumpta est igitur de, &c.* — *al. nostra est natura dissimilis.* — *al. non recessit.* — Ioan. 1. In eadem Epistola ad Flauian. — *al. Sed & de quinque panibus, &c.* — Ioan. 6. — Ioan. 4. — Matth. 14. — Luc. 8. — Matth. 11. — *al. in ligno.* — *al. portas.* — Ioan. 10. — Ioan. 14. — 1. Cor. 2.

peruersam eius professionem, nulla iudicantium increpatione reprehensam, & sermonem nimis insipientem nimisque blasphemum, ita omissum, quasi nihil quod offenderet, esset auditum: cùm tam impiè duarum naturarum ante incarnationem vnigenitus Dei filius fuisse dicatur, quàm nefariè postquã Verbum caro factum est, natura in eo singularis asseritur. Quod non * Eutyches ideo vel rectè vel tolerabiliter æstimet dictum, quia nulla vestra est sententia confutatum. Tunc enim fructuosissimè vera fides defenditur, cùm etiam à sectatoribus suis opinio falsa damnatur. * Inter hæc ergo quantum Nestorius à veritate deuiauit, deitatem Verbi ab assumpti hominis substantia separando, tantùm à recto tramite etiam iste discessit, qui vnigenitum Dei filium sic de vtero beatæ Virginis prædicat natum, vt humani quidem corporis speciem gesserit, sed humanæ carnis veritas Verbo vnita non fuerit. De quo prodigio falsitatis, quis non videat, quæ opinionum monstra nascantur? Negator enim mediatoris Dei & hominum, hominis Iesu Christi necesse est, vt multis impietatibus impleatur: cùmque aut Apollinaris sibi vendicet, aut Valentinus vsurpet, aut Manichæus obtineat, quorum nullus in Christo Iesu humanæ carnis credidit veritatem. Qua vtique non recepta, non solùm quod secundum carnem atque animam rationalem, qui erat in forma Dei, manens idem in forma serui homo natus denegatur: sed etiam, quod crucifixus est, & mortuus, ac sepultus, quodque die tertia à mortuis resurrexit, & quòd ad dexteram Dei Patris sedens, ad iudicandos viuos & mortuos, in eo corpore sit venturus, in quo est iudicatus, abnuitur: quia hæc redemptionis nostræ sacramenta vacuantur, si Christus veram veri hominis, totámque naturam suscepisse non creditur. An quia manifesta erant signa diuina, falsa dicentur documenta corporea? & testimonia vtriusque naturæ valebunt, vt creator intelligatur; non valebunt, vt creatura saluetur? Quod deitatis est, caro non minuit; quod carnis est, deitas non peremit. Idem enim & sempiternus ex patre, & temporalis ex matre; in sua virtute inuiolabillis, in nostra infirmitate passibilis; in deitate Trinitatis cum Patre & cum Spiritu sancto, vnius eiusdémque naturæ; in susceptione autem hominis, non vnius substantiæ, sed vnius eiusdémque personæ: vt idem esset diues in paupertate, omnipotés in abiectione, impassibilis in supplicio, immortalis in morte. Nec enim Verbum, aut in carnem, aut in animam aliqua in sua parte conuersum est; cùm simplex & incommutabilis natura deitatis, tota in sua sit semper essentia, nec damnum sui recipiens, nec augmentum. Et sic assumptam naturam beatificans, vt glorificata in glorificante permaneat. Cur autem inconueniens, aut impossibile videatur, vt Verbum & caro, atque anima vnus Iesus Christus, & vnus Dei hominisque sit Filius, si caro & anima, quæ dissimilium naturarum sunt, vnam faciunt, etiam sine Verbi incarnatione personam? cùm multò facilius sit, vt hanc vnitatem sui atque hominis deitatis præstet potestas, quam vt eam in substantiis suis obtineat solius humanitatis infirmitas? Nec Verbum igitur in carnem, nec in Verbum caro mutata est: sed vtrumque in vno manet, & vnus in vtroque est, non diuersitate diuisus, nec permixtione confusus. Nec alter ex Patre, alter ex mare, sed idem aliter ex patre ante omne principium, aliter de matre in fine sæculorum, vt esset mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, in quo habitaret plenitudo diuinitatis corporaliter: quia assumpti, non assumentis prouectio est, quod Deus illum exaltauit, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. Natiuitas enim Domini secundum carnem, quamuis habeat quædam propria, quibus humanæ conditionis initia transcendat, siue quod solus ab inuiolata Virgine sine concupiscentia carnis est conceptus, & natus: siue quod ita è visceribus matris est editus, vt fœcunditas pareret, & virginitas permaneret, non alterius tamen naturæ erat eius caro, quàm nostra, nec alio illi, quàm cæteris hominibus, anima est inspirata principio, quæ excelleret non diuersitate generis, sed sublimitate virtutis. Nihil enim carni suæ habebat aduersum, nec discordia desideriorum gignebat compugnantiam voluptatum. Sensus corporei vigebant sine lege peccati, & veritas affectionum sub moderamine deitatis & mentis. Nec tentabatur illecebris, nec cedebat iniuriis. Verus homo, vero vnitus est Deo: nec secundum existentem prius animam deductus est è cœlo, nec secundum carnem creatus ex nihilo, eandem gerens in Verbi deitate personam, & tenens communem nobiscum in corpore, animâque naturam. Non enim esset Dei, hominúmque mediator, nisi idem Deus, idémque homo in vtraque & vnus esset & verus. Deinde non Deum tantùm dicimus Christũ, sicut hæretici Manichæi, nec hominem tantùm, sicut hæretici Fotiniani: nec ita hominem, vt aliquid ei desit, quod ad humanam certum est pertinere naturam, siue animam, siue mentem rationabilem, siue carnem, quæ non de fœmina sumpta sit, sed facta de Verbo, in carnem conuerso, atque mutato: quæ tria falsa, & vana Apollinaristarum hæreticorum tres * varias protulerunt partes. Nec dicimus, quod beata virgo Maria hominem sine deitate conceperit, qui creatus à Spiritu sancto, postea sit susceptus à Verbo, quod Nestorium prædicantem, meritò iustéque damnauimus: sed dicimus Christum Dei filinm, Deum verum, natum de Deo Patre, sine vllo initio temporis; eundémque hominem verum natum de matre homine, certa plenitudine temporis; nec eius humanitatem, qua maior est Pater, minuere aliquid ei * naturæ qua æqualis est Patri. Hoc autem vtrumque vnus est Christus, qui verissimè dixit, & secundum Deum: *Ego & Pater vnum sumus*, & secundum hominem: *Pater maior me est.* * Quamuis ergo in vno Domino nostro Iesu Christo, vero Dei atque hominis filio, Verbi & carnis vna persona sit, & vtraque essentia communes habeat actiones, intelligendæ tamen sunt ipsorum operum qualitates, & synceræ fidei contemplatione cernendum est, ad quæ prouehatur humilitas infirmitatis, & ad quæ inclinetur altitudo virtutis: quid sit, quod caro sine Verbo non agit, & quid sit, quod Verbum sine carne non efficit. Sine Verbi enim potentia non conciperet virgo, nec pareret: & sine veritate carnis obuoluta pannis infantia non iaceret. Sine Verbi potentia, non fieret redintegratio debilium, & viuificatio mortuorum: & sine veritate carnis, nec cibus ieiuno, nec somnus esset necessarius fatigato. Postremo, sine Verbi potentia, non se Dominus Patri profiteretur æqualem: & sine veritate carnis, non idem diceret, patrem se esse maiorem: cùm Catholica fides vtrumque suscipiat, vtrumque defendat, quæ secundum proprietatem diuinæ humanæque substantiæ vnum Dei filium, & hominem credit, & Verbum. Quamuis ergo ab initio, quo in vtero virginis Verbum caro factum est, nihil vnquam inter diuinam humanámque substantiam diuisionis exstiterit, & per omnia incrementa corporea, vnius personæ fuerint totius temporis actiones: ea ipsa tamen, quæ inseparabiliter facta sunt, nulla permixtione confundimus, sed quid cuiusque formæ sit, ex operum

Marginalia: *al. ne Eutyches ideo.* — Hucusque ex Epistola ad Flauian. — Apollinaris, Valentini, & Manichæi errores. — 1. Tim. 2. Coloss. 2. — Philip. 2. — *al. tres partes variè protulerunt.* — *al. minor est patre. al. eius natura.* — Ioan. 10. Ioan. 14. — Ioan. 1. Luc. 2. Luc. 2. Matth. 2. Ioan. 1. Matth 14. Ioan 16. Ioan. 14.

operum qualitate ſentimus. Nec diuina enim humanis præiudicant,nec humana diuinis: cùm ita in idipſum vtraque concurrant, vt in eis nec proprietas abſumatur,nec perſona geminetur. Quamuis ergo vnus ſit Dominus Ieſus Chriſtus, & veræ deitatis, veræque humanitatis in ipſo vna prorſus eadémque perſona ſit: neque huius vnitionis ſoliditas vlla poſſit diuiſione ſeiungi, exaltationem tamen, qua illum exaltauit Deus, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento. In forma quippe Dei æqualis erat filius patri: & inter genitorem atque vnigenitum nulla erat in eſſentia diſcretio, nulla in maieſtate diuerſitas, nec per incarnationis myſterium aliquid deceſſerat Verbo, quod * Dei Patris munere redderetur. Forma autem ſerui, per quam impaſſibilis deitas ſacramentum magnæ pietatis impleuit, humana humilitas eſt, quæ gloriâ diuinæ poteſtatis euecta eſt in tantam vnitatem ab ipſo conceptu Virginis, deitate & humanitate connexa, vt nec ſine homine diuina, nec ſine Deo agerentur humana. Propter quod ſicut Dominus maieſtatis dicitur crucifixus, ita qui ex ſempiternitate æqualis eſt Deo, dicitur exaltatus. Nec intereſt, ex qua Chriſtus ſubſtantia nominetur: cùm inſeparabiliter manente vnitate perſonæ, idem ſit & totus hominis filius, propter carnem, & totus Dei filius propter vnam cum patre deitatem. Quidquid ergo in tempore accepit Chriſtus, ſecundum hominem accepit, cui quæ non habuit, conferuntur. Nam ſecundum potentiam Verbi, indifferenter omnia, quæ habet pater, etiam filius habet: Et quæ in forma ſerui à Patre accepit, eadem in forma Patris etiam ipſe donauit. Eam fidem, cùm plurimi hæreticorum impugnarent, Neſtorius Eutyches, diuerſa quidem aſſertione, ſed ſimili impietate conati ſunt irrumpere.* Anathematizetur ergo Neſtorius, qui beatam Virginem hominis tantummodo credidit genitricem, vt aliam perſonam carnis, aliam faceret deitatis. Cùm ita intra virginea viſcera Verbum caro ſit factum, vt per ineffabile ſacramentum vno conceptu, vnóque partu ſecundum veritatem atque vnionem vtriuſque naturæ, eadem virgo & ancilla Domini eſſet, & mater. Percellatur quoque Eutyches eodem anathemate, qui negata humanæ carnis atque animæ veritate, totum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum vnius aſſeruit eſſe naturæ, tanquam Verbi deitas ipſa ſe in carnem, animamque conuerterit. Quæ*mendacia tam ſacrilega, per totum mundum ſanctorum Patrum damnata ſunt ſententiis. Fides autem Catholica ſingularis atque vera, iuſtificans impium, & creans iuſtum, ad humanitatis ſuæ tracta participé in illo acquirit ſalutem, in quo ſolo homo*inuenerit innocentem. Eam fidem ſecundum propheticam, Euangelicam, Apoſtolicã, & ſalutaris ſymboli doctrinam, Nicæna Synodus inſtituit, examen Chalcedonenſe confirmauit, orbis terrarum celebrat atque veneratur. Eandem, dilectiſſimi, pio ſtudio & amore laudabili defendite, imo fideliter firmitérque retinete, ac conſtanter aſſerite. Quoniam ſicut ait B. Apoſtolus Paulus, Magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in hoc mundo, aſſumptum eſt in gloria.

Conueniunt quæ in eiuſdem ſunt Epiſtola 83. ad Palæſtinos Monachos.

al. quod ei Patris munere, &c. al. in gloriam.

al. corrumpere.

al. impietatis mendacia.

al. ſe inuenit innocentem.



SANCTI
MAXIMI
TAVRINENSIS
EPISCOPI,
Homiliæ.

SEQVVNTVR HOMILIÆ SANCTI MAXIMI, EPISCOPI Taurinenſis, de quo ſic Gennadius in Catalogo illuſtrium virorum.

MAXIMVS Taurinenſis Eccleſiæ Epiſcopus, vir in diuinis ſcripturis ſatis intentus, & ad docendam, ex tempore plebem ſufficiens, compoſuit in laudem Apoſtolorum tractatus, & in Ioannis Baptiſtæ, & generalem omnium martyrum homiliam, ſed & de capitulis Euangeliorum, & actuum Apoſtolorum multa ſapienter expoſuit: fecit & duos ad ſancti Euſebij, Vercellenſis Epiſcopi, & Confeſſoris, vita tractatus, & de S. Cypriani ſpeciale de baptiſmi gratia librum edidit, ſcripſit de auaritia, de hoſpitalitate, de defectu lunæ, de elemoſynis: de eo, quod ſcriptum eſt in Iſaia; Caupones tui miſcent vino aquam; de paſſione Domini, ieiunio ſeruorum Dei generali, de ieiunio ſpeciali quadrageſimæ, & quod non ſit in eo iocandum: de Iuda traditore, de cruce Domini, de ſepulchro eius, de reſurrectione ipſius, de accuſato & damnato Domino apud Pilatum, de Kalendis Ianuariis. Scripſit etiam homilias & de natali Domini, homilias de Epiphania, & de Paſcha, & de Pentecoſte multas, de hoſtibus carnalibus non timendis, de gratiis poſt cibum Deo agendis, de pœnitentia Niniuitarum, & multas alias eius homilias de diuerſis legi, quæ nec retineo. Moritur Honorio & Theodoſio iuniore regnantibus, anno ab orbe redempto, CCCCXX.

INDEX

INDEX
Homiliarum Sancti Maximi, Taurinensis Episcopi, partis Hyemalis de tempore.

Index partis æstiuæ de tempore.

Index homiliarum hyemalium, ac æstiualium de sanctis.

Index homiliarum de diuersis.

De expositione Symboli.



HOMILIÆ

HOMILIÆ SANCTI MAXIMI EPISCOPI TAVRINENSIS,

De Tempore Hyemales.

Luc. 17. Matth. 24.

IN ADVENTV DOMINI, DE EO QVOD scriptum est: Sicut fulgur coruscans de cœlo, ita erit aduentus filij hominis: & de duobus in lecto vno.

HOMILIA PRIMA.



MOVET fortasse vos, fratres, cur Dominus aduentum suum indicans, noctis se tempore ostenderit aduenturum, cum vtique eius aduentus magna cum claritate diei, magno cum nitore & timore suscipi deberet à cunctis. Frequenter namque audiuimus sacris litteris prædicatum, priusquàm Dominus Christus adueniat, Antichristum regnaturum, qui ita tenebras humano generi suæ prauitatis infundet, vt lucem veritatis nemo penè respiciat, & caligine propria operiens mentes hominum, cœcitatem quandam spiritualibus oculis exhibebit. Nec mirum si diabolus emittat iniquitatis tenebras, cum ipse nox sit omnium peccatorum. Ad huius igitur terram caliginem depellendam velut fulgur quoddam Christus adueniet. Et sicut lucescente die nox subuertitur: ita coruscante saluatore Antichristus effugatur, nec vlterius poterit disseminare iniquitatis suæ tenebras, cùm lumen veritatis effulserit. Quod autem ait, illa nocte erunt duo in lecto vno, vnus assumetur, & vnus relinquetur. Hic iam resurrectionis meritum demonstratur, quod pro qualitate viuendi sit gratia resurgendi, ac tantam in singulis quibusque resurrectionis esse distantiam, vt duobus etiam pariter dormientibus, & vna sede quiescentibus æqualis non possit esse assumptio. Quamuis enim eodem consortij lectulo teneantur, pro meritis tamen alter eorum rapietur ad cœlum, alter relinquetur in terris. Lectus enim quidam noster communis est terræ huius amplissimum solum, in quo corpora nostra deposita tutissimâ sede requiescunt. In hoc autem lectulo ille mollius dormit quisquis durius in vita se gesserit. Possumus enim ipsa membra nostra lectulos nostros proprios nuncupare, in quibus animæ nostræ veluti in quodam strato suauissimè demorantur. Quod quidem sanctum Prophetam sensisse arbitror cum dicit: vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius. Beatus enim est ille, cuius stratum Dominus in ipsius infirmitate conuertit, vt qui fuerat paulo ante iracundus, adulter, & petulans, & cunctorum scelerum infirmitatibus plenus, assuetum corpus eius malo versans Dominus, fiat castus, humilis & modestus. De quo strato spiritualiter ad paralyticum dictum est à Domino: Surge: tolle lectum tuum, & ambula. Non enim tam in eo admirationis aliquid erat, vt confracti lectuli ligneam cratem portaret paralyticus, quàm vt resoluti corporis membra, & debilitate confracti velut animæ suæ necessarium lectulum paralyticus ipse gestaret: & coram positis Iudæis propriis abiret pedibus, qui manibus allatus fuerat alienis. In hoc planè (sicut dixi) completa est Prophetica illa sententia: versasti stratum eius in infirmitate eius, vt versa vice portaret lectum in quo fuerat paulo ante portatus, & anima illius quæ prius vasculo corporis ferebatur, postea corpus suum ipsa vtilius circumferret. Potest etiam accipi quod ait: Erunt duo in lecto vno, vnus assumetur, & vnus relinquetur, Christianorum plebs, & populus Iudæorum, qui velut vno lectulo, hoc est, vna mandatorum lege tenentur, & velut simili resurrectionis * specie gloriantur. Tunc igitur Christianorum beatus populus assumetur in gloriam, Iudæorum autem execrabilis conuentus relinquetur in terra.

1. Thess. 3. — Luc. 17. Matth. 24. — Psalm. 40. — Lucæ 5. Matth. 2. — alias spe.

Homilia secunda de eodem aduentu.

SVperiore dominica capitulum Euangelicum differentes, partem quandam ex illo perstrinximus: superest vt sequentia decurramus, descripsimus enim quid esset quod Dominus ait: In illa nocte erunt duo in lecto vno, & reliqua. Nunc ergo videamus quod reliquum est: Dicit enim eadem diuina sententia: Erunt duæ molentes in pristino, vna assumetur, & vna relinquetur. Primum igitur considerandum est, quomodo constet molentis officium: deinde quæ sint duæ, quæ molere dicuntur: tertio quid pistrinum sit, quidve molitionis effectus. Nulli dubium est quod molere aliter non constat, nisi duobus lapidibus apparatis & conuenientibus sibi, vt alteri ex his magnitudo alterius imponatur: & illum quidem lapidem, qui prior solo sternitur esse pigrum & tardum, & penè (vt ita dixerim) otiosum, ac nisi superioris participatione lapidis ornaretur, forsitan necessarius non videretur. Ita dum ille operatur, etiam iste vtilis inuenitur. Ille autem, id est, superior lapis tota velocitate operis circumfertur, vt fallens oculos in ipsa celeritate stare credatur, & putatur immobilis esse dum currat. Qui quanto violentius actus fuerit, tantò opus per-

Matth. 24. Luc. 17.

fectius consummatur. Ita ergo prior lapis stat, iacet, & penè nihil prodest: ille vero alter quæ inferuntur cuncta suscipit, quæ veniunt vniuersa complectitur: & per cauernulas quasdam vterque quod operetur, acquirit. Qui molit autem, hoc habere videtur officij, vt peruigili cura granorum asperitate confracta ex intimis eorum occultísque visceribus similaginem medullámque producat, & sordium leuitate discussa in apertum profert omne quod purum est, ex quo mundissimum panem conficiens gratiam domini consequatur. Hos igitur duos molares lapides duo esse arbitror testamenta, hoc est, legem Moysi & Euangelium Domini, quæ ita sunt disposita, vel parata, vt sibi testamentum vtrumque conueniat: sicut ait Matth. 5. Saluator: Non veni legem soluere, sed adimplere. Et ad vicem molarum aliud prius solo positum, aliud insuper collocatum, hoc est, legem primùm hominibus constitutam, deinde ad perfectum Euangelium. Quæ lex velut inferioris molæ saxum ita erat tarda, pigra, & penitus otiosa, vt quicquid operando acceperat, id omne perdiderit: dicente de Psalm. 15. & 51. Iudæis propheta. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Ergo nisi Euangelium superpositum fuisset, adhuc lex veluti tarda & grauis iaceret in terra Iudaica, & vnius prouinciæ cooperaretur angustiis. Nisi Euangelium inquam datum esset, lex necessaria omnino non esset. Hoc autem Rom. 4. lex operabatur sine Euangelio, quod vno saxo fieri potest. Confringere poterat, non prodesse: sicut ait beatus Apostolus. Lex autem iram operatur, gratiã verò non præstat. Stante ergo lege, Euangelium datum est, quod veteri superpositum testamento, vtrumque condecorat: ac tanta velocitate operis circumfertur, vt volubilitate sui sæculum omne circumeat, hoc est, inferna visitet, cœlestia penetret, terrena collustret. Quod Euangelium tanquam superior mola cunctos credentes suscipit: omnes aduenientes accipit, & veluti per quasdam cauernulas præceptorum ad interiora transmittit: vt ibi hinc inde duorum testamentorum salutaribus mandatis gentilitatis asperitate * molita, producat omne quod purum est. Quam similitudinem testamentorum Ezechielem Prophetam arbitror perstrinxisse, cum dicit totam in medio totæ esse connexam. Harum igitur molarum operatione, id est, noui ac veteris testamenti hoc agit sancta Ecclesia cura peruigili, vt peccatorum asperitate discussa, ex occultis cogitationibus medullam mundi cordis eliciat, & cœlestibus mandatis mundata, ex intimis spiritalia alimenta producat. De quibus alimentis 1. Cor. 3. Paulus Apostolus ait: Lac vobis potum dedi, non Hebr. 5. escam. Et iterum: Perfectorum autem est solida esca, qui propter habitum sensus exercitatos habent, & reliqua ac spiritum nostrum omni humanitate purificans velut similaginem Deo offerre Psalm. 50. contendit, sicut Dauid sanctus ait: Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Tanta autem velocitate circunfertur Euangelium, vt non nisi sapientes cursum eius intelligant, quam beatus Paulus intel- 2. Thess. 3. ligens ait: vt sermo Dei currat & clarificetur in vobis, Amen.

[Margin: * mollita. Ezech. 1.]

In vigiliis natalis Domini homilia.

LÆtitia quanta sit, quantísque concursus cum imperatoris mundi istius natalis celebrandus est, bene nostis, quemadmodum duces eius & principes omnes etiam militantes accurati sericis vestibus, accincti operosis singulis, auro fulgente pretiosis, ambiant solito nitidius in conspectu regis incedere. Credunt enim maius esse imperatoris gaudium, si viderit maiorem suæ apparitionis ornatum, tantoque illum lætum futurum, quanto ipsi fuerint in eius festiuitate deuoti: vt quia imperator tanquam homo corda non conspicit, affectum eorum circa se probet, vel habitum contuendo: ita fit, vt splendidiùs se accuret, quisquis regem fidelius diligit. Deinde quia in die natalis sui sciunt eum largum futurum, ac donaturum plurima, vel ministris suis, vel his qui in domo eius abiecti putantur & viles, tanta prius thesauros eius replere diuitiarum varietate festinant, vt in quantum prærogare voluerit, in tantum prærogatio copiosa non desit, & ante voluntas donandi deficiat quam substantia largiendi. Hæc autem ideo sollicite faciunt, quia maiorem sibi remunerationem pro hac sollicitudine sperant futuram. Si ergo, fratres, sæculi istius homines propter præsentis honoris gloriam terreni regis sui natalis diem tanta apparitione suscipiunt: quanta nos accurratione æterni regis nostri Iesu Christi natalem suscipere debemus, qui pro deuotione nostra non nobis temporalem largietur gloriam, sed æternam, nec terreni honoris administrationem dabit, quæ successore finitur, sed cœlestis imperij dignitatem, quæ non habet successorem? Qualis autem nostra remuneratio sit futura, dicit Propheta: Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Quibus indumentis nos exornari oportet. Quod autem diximus nos, hoc est, animas nostras, quia rex noster Christus non tam nitorem vestium quàm animarum requirit affectum: nec inspicit ornamenta corporum, sed considerat corda meritorum: nec fragilis cinguli præcingentis lumbos operositatem miratur, sed fortis castimoniæ restringentis libidinem ad pudicitiam plus miratur. Ambiamus ergo inueniri ante ipsum probati fide, concepti misericordia, moribus accurati: & qui fidelius Christum diligit, nitidus se mandatorum eius obseruatione componat, vt vere nos in se credere videat, cum ita in eius solennitate fulgemus, & eo magis lætus sit, quo nos perspexerit puriores. Atque ideo ante cõplures dies castificemus corda nostra, mundemus conscientiam, purificemus spiritum, ac nitidi, & sine macula immaculati Domini suscipiamus aduentum: vt cuius natiuitas per immaculatam virginem constitit, eius natalis per immaculatos seruulos procuretur. Quisquis enim in illa die sordidus fuerit ac pollutus, natalem Christi votumque non curat. Intersit licet dominicæ festiuitati corpore, mente tamen longius à saluatore separatur. Nec societatem habere poterunt immundus & sanctus, auarus & misericors, corruptus & virgo, nisi quod magis ingerendo se indignus offensionem contrahit, cum minime se cognoscit. Dum enim vult officiosus esse, iniuriosus existit, sicut ille in Euangelio qui in cœtu sanctorum inuitatus ad nuptias venire ausus est, vestem non habens nuptialem. Et cum alius niteret iustitia, alius luceret fide, alius castitate fulgeret, ille solus conscientiæ fœditate pollutus, cunctis splendentibus deformi horrore sordebat: & quanto plus simul discumbentium beatorum candebat sanctitas, tanto magis peccatorum illius apparebat improbitas, qui potuerat minus displicuisse forsitan, si in consortium iustorum minime se dedisset. Propterea ergo sublatus manibus & pedibus in tenebras exteriores expellitur, non solum quod peccator erat, sed quia cum peccator esset, sanctitatis sibi meritum

[Margin: Doctrina moribus sæcularibus trahitur. — Esai. 64. & 1. Cor. 2. — In aduentu dominico quales inueniri debeamus. — Matth. 22. Luc. 14.]

Adhortatio cultus mysticus natalis dominici.

tum vindicabat. Igitur fratres, suscepturi natalem domini ab omni nos delictorum fæce purgemus, repleamus thesauros eius diuersorum munerum donis, vt in die sancta sit vnde peregrini accipiant, reficiantur viduæ, pauperes vestiantur. Nam quale erit si in vna eadémque domo inter seruulos vnius domini alter exultet in holosericis, alter consumatur in pannis, alius æstuet cibo, alius famem frigusque sustineat: ille ex .ctet hesternam indigestionis crapulam, hic hesternam ieiunij mediam non resoluat? Aut qui erit nostræ orationis effectus, petimus vt liberemur ab inimico, qui non sumus liberales in fratres? Simus imitatores Domini nostri. Si enim ille pauperes in cœlesti gratia voluit nobis esse consortes, cur nobis non sint in substantia terrena consortes? Nec extranei sunt alimoniis, qui fratres sunt sacramentis, nisi quod rectius apud Deum per ipsos agimus causam nostram, vt nostris eos alamus sumptibus, qui illi gratias agant. Quicquid autem pauper Dominum benedicit, illi proficit, quo faciente Dominum benedicit. Et sicut scriptum de illo: Væ illi homini per quem nomen Domini blasphematur, ita & de isto scribitur, Pax huic homini per quem nomen Domini benedicitur Saluatoris. Quale autem est meritum largientis, vt solus quis operetur in domo, & per multos in Ecclesia Dominum deprecetur; & quod ille fortassis petere de diuitate non audeat, plurimorum interpellantium orationibus etiam quod non sperabat, accipiat? Quod ad adiutorium nostrum commemorans beatus Apostolus ait: Vt per multos gratiarum actio referatur pro nobis. Et iterum: Vt fiat oblatio nostra accepta, sanctificata in Spiritu sancto. (Rom. 2.) (Rom. 15.)

In natali Domini homilia prima.

HOdie, fratres charissimi, Christus natus est, nos renati. Hodie Saluator mundi per matrem nascendi tempus accepit, qui de patre natiuitatis non habet tempus. Hodie per hominem filius Dei ingressus est mundum, cuius manu ante hominem factus est mundus. Hodie habitator cœli venit ad terras, qui terrarum incolas euocaret ad cœlum. Mirabilis, inquit, Deus in sanctis suis. Si in sanctis suis mirabilis Deus, quomodo non in seipso mirabilis? Si mirabilis in Ioanne, quem nasci de patre senissimo, & sterili de matre præcepit, quanto magis in se est mirabilis, qui vt nostræ conditionem carnis indueret, nouum virgini & conceptum dedit & partum? Ait sanctus Abacuc propheta: Domine audiui auditionem tuam, & timui, consideraui opera tua & expaui. Quis non expauescat & metuat tanti profunditatem mysterij, quandoquidem vnus idemque sine conceptione natus est Deus, & sine creante factus est homo? Duas in Christo generationes legimus, fratres charissimi: sed in vtraque incomprehensæ diuinitatis est virtus. Ibi enim illum ex semetipso genuit Deus: hic eum virgo Deo operante concepit. Ibi sine initio, hic sine exemplo. Ibi natus vt conderet vitam, hic factus vt tolleret mortem. Ibi patri natus, hic hominibus procreatus. Illa natiuitate hominem fecit, hac generatione hominem liberauit. Vtranque, fratres, generationem eius non posse enarrari sententia hac vna complectitur. Illa enim est ante hominem, ista supra hominem. Illa incogitabilis, ista mirabilis. Cum autem duas Christi docemur natiuitates, non bis asseritur Dei filius natus, sed gemina in vno Dei filio confirmatur esse substantia. Ibi quod erat natus est, hic quod non erat, factus est. Ait de his beatus Euangelista Ioannes: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Et Deus erat Verbum. Et iterum. Et Verbum caro factum est. Igitur Deus qui apud Deum erat, prodiit à Deo, & caro Dei, quæ in Deo non erat, processit ex fœmina. Ita Verbum caro factum est: non vt Deus vacuaretur in hominem, sed vt homo glorificaretur in Deum. Itaque non bis natus est Deus, sed ex duabus natiuitatibus, id est, Dei & hominis seipsũ vnigenitus patris, atque in sese hominem vnum esse voluit Deum. Generationem ergo eius quis enarrabit? Fratres, generatio Christi si narrari non potest, credi potest. Si lingua deficit, fides proficit. Magnus enim profectus est fidei, cum tantùm de Deo suo concipit, quantum sermo non potest parturire. Cauete, dilectissimi, ne quando vos de his incredulitas moueat, quia si homo non valet explicare quod sentit, Deus sine dubio potuit implere quod voluit. Et perabsurdum est, fratres, vt ineffabilem Deum infirmissimo fragilitatis nostræ sermone pensemus. Amentiæ res est, vt operationes maiestatis immensæ, inter exigua corruptibilis oris nostri conemur verba concludere. Quomodo enim comprehendere potest homo Deum, factus ingenitum, mortalis æternum? Si inuestigare niteris qualiter Deus in hominem vel homo transiuit in Deum, inuestiga prius si potes, quomodo ex nihilo factus est mundus, cœlum vnde resplenduit, aquarum liquor, terræ soliditas qua ratione subsistunt. Quomodo etiam de terra homo, de masculo femina, itemque per feminam masculus: quid illud est post omnia, quod lumen gignit ac tenebras, quod vitam facit ac mortem? Si ergo teipsum ô homo, & quæ propter te facta sunt, qualiter aut vnde sunt facta, comprehẽdere non vales, qua præsumptione, quave stultitia tuum ipsius atque omnium discutis creatorem? Natum ergo de Deo patre Deum, eundemque hominem factum de virgine cõfitemur. Sed hæc, charissimi, rationi cæca sunt, fidei manifesta. Tunc enim parte ex aliqua indefinitæ maiestatis eius poterimus immensa rimari, si aduertamus, quantus, qualisve sit Deus à nobis non posse cognosci, vt ait Dominus ad Moysen: Tu autem non poteris videre faciẽ meam, id est, non potes carnalibus oculis meam, sicut est, inspicere deitatem. Beatus namque Dauid virtutem omnipotentiæ eius intendens clamabat, dicens: Mirabilia opera tua Domine, & anima mea nouit valde. Valde enim sciebat anima prophetalis opera Dei omnem meditationem humanæ mentis excedere, propter quod sapientissimus Patriarcha mortalis sensus conclusus angustiis, quæ inuestigare non poterat, mirabatur. Quis ergo hominum discutere aut inquirere audet, tantus quod Propheta miratur? Mirabilia, inquit, opera tua, & anima mea nouit valde: ipsum enim quod incomprehensibilis est Deus, anima eius nouerat, caro sentire non poterat. Omnis ergo qui opera Dei magis vult examinare quàm credere, non sequitur animæ sensum, sed carnis errorẽ. Et ideo, fratres, non discutiamus, qualiter Deus de Deo natus est, sed credamus: nec retractemus partum virginis, sed miremur, vt vnigenitum Dei Deum & hominem confitentes, inoffensam teneamus cœlestis fidei veritatem.

Psalm. 67. Luc. 1. Abac. 3. Duæ in Christo generationes. Ioan. 1. Esai. 53. Exod. 33. Psal. 132. Opera Dei magis sunt credenda quàm examinanda.

Homilia secunda de eodem.

IVstissime, fratres, festiuitate præsẽtis diei in omne se gaudium totus vbique suscitat mundus, quia hodie promissus à sæculis vniuerso orbi iudex ortus est & redemptor. Et necesse est, vt in commune

nos omnes qui futuri examinis resurrectionisque promissæ salutarem suscepimus fidē habeamus metum quidem de iudice, sed de redemptore lætitiam. Omnis nāque fidelis anima timore corrigitur, correctione lætatur. Et in hoc charissimi, quanta erga humanum genus omnipotentis patris dispensatio est, quantáve benignitas vt quem iudicem præparabat incredulis, hunc crediturus præmitteret redemptorem: quatenus præcurrens misericordia, seueritatem aduenientis iudicis præueniret. Hodie itaque natus est Christus, sed in natiuitate eius nostra omnium habet vita natalem: quia qui priuilegia primæ natiuitatis amisimus, visitante nos Christo sanctiore partu redimus ad vitam. Hodie peperit Maria, sed ipsa suum parturiuit auctorem. Hodie edidit mundo hominem, quem non suscepit ab homine. Quid hoc est miraculi fratres? Nascitur caro de carne, non tamen generata per carnem, & secreto quodam incomprehensóque conceptu procedit de mortali fœmina diuina progenies. Nec mirum sanè si extitit diuina natiuitas, vbi non erat humana conceptio, aut si illam matrem non violauit partus, quam coitus nō fœdauit. Ille quondam futurorū conscius Esaias populis, & gentibus signum nouæ salutis aperiens: Ecce, inquit, virgo in vtero concipiet & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod interpretatur, nobiscum Deus. Atque vt aduertamus noui ac veteris Testamenti vnum esse consensum, vnumque consilium, ait etiam beatissimus Lucas Dominicæ generationis relator egregius, dicens: Missus est Angelus Gabriel à Deo ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph, & ait ad illam: Ecce concipies in vtero & paries filium, & vocabunt nomen eius Iesum. Iesus autē, charissimi, Latino sermone saluator dicitur. Ecce qualiter se inuicem concordantibus sententiis testimonia diuina confirmantur, & cum prædicantum diuersa sint tempora, non tamen diuersa narratio. Nam partum virginis quem ille prædixerat, iste testatur. Quis igitur de diuinitate Christi, quis de redemptione cunctetur, quem & Esaias profitetur Deum, & Gabriel annunciat saluatorem? Quis intactæ puerperæ aluū dubitet floruisse, quod vno pene ore atque eodem spiritu proloquuntur Euangelista, Angelus & Propheta? Vbi tanti talésque sunt testes non erubescit veritas, sed auditor incredulus confutatur. Sed iam videamus, quas pro nobis natus perferat Christus iniurias, quibúsve rursus iniuriæ illæ virtutibus decorentur: & ante omnia fœmineo sexu se concipi patitur, qui in exordio mundi omnipotenti manu de masculo operatus est fœminam. Sed hanc humilitatē nascendi virginalis matris sublimat integritas. Et quāuis natus Christus fœmineo (vt infans) lacte pascatur, tamen vt rerū potens virgineis nutritur vberibus, atque vt primum illum in has sæculi procellas & fluctuantis sentinam mundi vterus maternus effudit, vilissimis circumdatur pannis. Pannis siquidem induitur ille pro nobis, qui quum crearet omnia, terras luce perfudit, cœlum sydcribus adornauit, & ignea solē claritate vestiuit. Obuoluitur quidem pannis, sed hi panni noua stella radiante munerantur à magis, & exultantibus Angelis honorantur. Et vt nouerimus vniuersa hæc per mysterium, vel fieri, vel dici, hic qui pannis circūuoluitur prædicatus ab initio de sinu patris, æternóque thalamo salutarium nuptiarum sponsus venit è cœlo, sicut ait venerandus Dauid. Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Deinde (vt legitur) ponitur in præsepi, quia vt ait Euāgelista, non erat illis locus in diuersorio. Ne quē fratres ista permoueant quia omnis hæc in saluatore vtilitas pretiosissimum nostræ salutis est sacramentū. Videte enim quanta sapiētia collocari Christus dicitur in præsepi, qui gemina quadam gratia humani generis & esca erat futurus & pastor. Qui bene in præsepio ponitur, vt ad pabula perennis vitæ, spiritualium ouium greges agni cœlestis balatus inuitet. Non erat, inquit, eis locus in diuersorio. Numquid tantæ illius erant angustiæ mansionis, vt nati sub hora paruuli membra non caperet? Sed idcirco mystico refertur sermone non inueniri locum in diuersorio, quia ingressus mundum Christus fidem in qua possit requiescere, non inuenit: vt ait ipse in Euangelio dicens; Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. Vnde aduertimus, quia vnicus Dei filius non in spatiosis domibus auratisque laqueariis, sed in fide credentium requiescit. Hunc ergo Christum Iesum sugentem vbera, nascentium infantium more vagientem, vilibus circundatum pannis, iacentem in præsepi angelica ministeria prosequuntur, & omnis cœlestis exercitus multitudo miratur, consona eum voce collaudans & dicens: Gloria in excelsis Deo, & pax in terra hominibus bonæ voluntatis. Gloria vtique, qui desperatis mortalibus munus æternæ salutis exhibuit: & pax hominibus bonæ voluntatis, quos certamine suo Christus suóque prælio in regnum proprium diabolica de captiuitate reuocauit. Et quam congruè Euangelicus intonat sermo cum dicitur, gloria in excelsis Deo, & pax in terra hominibus. Quod idem ipse Dei filius & apud Angelos gloriosus est in cœlis, & bonæ voluntatis hominibus pacem præstat in terris. Propter quod, dilectissimi, competentibus gaudiis tanta de salute lætemur, atque Angelicis nos vocibus sociantes, honore debito mysteria semper Christi virtutésque laudemus.

[Marginalia, left column: Noua natiuitas. — Ezech. 7. — Luc. 1. — Diuinorum testimoniorum consonantia de Christo. — Christi nati humilitas. — Psal. 18. — Luc. 2.]

[Marginalia, right column: Christus cur in præsepi ponatur. — Matth. 8. — Luc. 2.]

Homilia tertia de eodem.

IN aduentu dominico, fratres charissimi, solutus est omnis paternæ præuaricationis metus, quem diabolicis dudum fraudibus incurrit circumuenta mortalitas. Adest enim nobis cœli terræque iudex, qui rescisso chirographo delictorum, reatū nostrum miseratus absoluit. Adest ille Dominus, qui iugum captiuitatis antiquæ nostris à ceruicibus soluens, mœrorem mundi æterna libertate lætificat. Adest rex ille mansuetus, qui per spatia totius orbis, cœlestis justitiæ gressibus incedens, superbientem furentis inimici contriuit tyrannidem. Hodie nāque parturiente Maria natus est nobis Dei filius, vt germanæ carnis nostræ conceptione productus creato à se homini & pietatem paternam, & fraternum largiretur affectum. Et natus sane ab intacta est fœmina, vt eum pariter & hominem testaretur partus humanus, & Deum probaret æterna virginitas. Nam sicut non poterat nisi caro de carne nasci: ita non poterat Dei caro de fœmineo vtero nisi sine generante prodire. Propter quod ait Angelus beatissimæ Mariæ: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: quod nascetur ex te, sanctum vocabitur filius Dei: Spiritus, inquit, sanctus superueniet in te. Idcirco tibi, frater virtutem sancti Spiritus Angelicus sermo prætexit, ne coniecturis carnalis disputationis hebetatus, cœleste tibi ipse mysterium terrena argumentatione confundas. Aut non putas eum nouum puerū in aluo virginis potuisse formare, qui quum primum conderet hominem, nec semen patris, nec viscera materna quæsiuit? Dic itaque quicunque es supernæ dispensationis arbiter & discussor, quæ tibi videtur virtus eminentior

[Marginalia: Lucæ 1.]

rentior partum dedisse virgini, aut perfectum ho-
1. Cor 15. minem creasse de terra? Primus enim homo, vt ait Apostolus, de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Si contra naturam esse contendis, quod in mysterio redemptionis nostræ sine viro puella asseritur concepisse, cuius quæso naturæ est quod in parente generis nostri caro sine carne formata est? Quæ ista est ratio, immò quam cæca contentio, vt non credatur Deus facere hominem posse de femina, quem creditur fecisse de puluere? Si omnipotens ô homo, tali in negotio esse perspicis voluntatem, de opere cur retractas? Omnia enim
Psalm. 134. (sicut legitur) Dominus quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra. Et si sollicitus perscruteris, præter hunc legitimum humanæ conceptionis vsum, tres valde mirabiles nascendi species operatam reperies Trinitatem. Et prima est quidem, quod Adam figuratus ex limo est: secunda quod mulier formata de masculo: tertia, quæ & cœlestis est quod Christus processit ex virgine. Quid horum non nouum? Quid horum non mirabile? Quid horum, si non fidem sequamur, inquisitio poterit humana complecti? Quod autem mystico hoc conceptu visitare mundum suum Dei dignatus est filius, nostræ hoc saluris necessitas flagitabat, nimirum vt cœlestis tandem generatio reparet, quod natiuitas terrena perdiderat. Sed fortassis, hunc qui natus prædicatur ex femina, dum vilibus obuoluitur pannis, dum iacere contentus est in præsepi, dum lachrymosis vagitibus concrepat, dum maternis lactatur
Mich. 2. Luc 2. vberibus, Deum esse diffidis? Immo per ista, frater, adverte eum: & vt hominem infirma pro infirmis pertulisse, & vt Deum potentiã exercuisse cœlestem: Hic namque qui sordentibus circundatur pannis, regiis per Caldæos muneribus honoratur. Hic qui
Ioan. 6. Ioan. 11. in præsepi humilis iacet, lumine noui syderis coruscat à cœlo. Hic qui vagitus reddit infantiæ, angelici exercitus vocibus collaudatur. Hic qui femineo lacte nutritur, multa hominum millia paruissimo pane satiauit. Quid illud adiiciam, quod Deum
Luc. 18. Marc. 14. Matth. 3. illum & verũ Dei esse filiũ resurgens à mortuis Lazarus probat, recepto lumine cæcus annũciat, venerandis eius calcata vestigiis maris vnda testatur, &
Adhortatio sacramenti dominicæ natiuitatis. quod præcellit hæc omnia, resultans è cœlo vox paterna confirmat? Propter quod dilectissimi, tam magnũ hoc natiuitatis dominicæ sacramentum dignis vocibus honoremus, diligamus præ omnibus castitatem, quia vt placere hanc sibi Christus ostenderet pudicitiam vteri virginalis elegit. Sectemur misericordiam, quia pietas est quòd saluamur. Iustitiã sollicitè teneamus, quia ob hoc vnigenitus Dei effici dignatus est homo, vt veritatem prædicans, vniuersam mundi faciem damnata iniquitate purgaret.

Homilia quarta de eodem.

HOdierni mysterij sacramentum, fratres charissimi, sicut credidistis semper & creditis, reparatio est salutis humanæ, virtutum natiuitas, ruina vitiorum. Hodie namque Christus Iesus Dominus noster, in quo diuinitatis est plenitudo, carnis nostræ infirma suscipiens, nouus natus est homo. Hodie refulsit secundus ille Adam non incola, sed Dominus paradisi, quem interdictæ arboris pulchritudo non fallat, serpens non decipiat, mulier non seducat. Hodie exortum est in tenebris lumen, hodie illud quod cœlum & cœli cœlorum se habere gaudebant, mundus dum nescit, accepit. Neque enim vt temporalis quidam; aut qui ante non fuerit, de femina nobis repentinus emersit: sed qui semper erat cum patre Deus, sempérque regnabat, nouo per virginem voluit mortalibus apparere mysterio.
Christus à Prophetis prænunciatus. Nouus quidem homo, sed Dominus sempiternus; nouus Christus, sed rex omnium sæculorum. Ipse est in fine temporum natus ex Maria, qui ante omnia sæcula vnigenitus processit è patre. Hic est prædictus à Patriarchis, à Prophetis prædicatus, annunciatus ab Angelis, ab Apostolis approbatus. De Ioan. 1.
vno eodémque legi: In principio erat Verbum: & Verbum caro factum est. Gaude nunc & exulta ad Deum tuum tandem conuersa gentilitas. Percepisti donum quod Abraham in spiritu se vidisse lætatus Ioan. 6.
est: meruisti per Christum quod mereri quondam Hebræorum gens electa non potuit. Timens enim Israël & tremens mirabatur, vt legimus, quòd Moyses populi princeps reconditus in nube & in vertice montis altissimi solus cum Domino loqueretur. Tibi verò sic natus est Christus, & tanta se nobis dignatione concessit, vt loqueretur omnibus, & ab omnibus videretur. Ad illum tunc montem Sina quicunque accessisset ex populo, præsenti puniebatur interitu. Ad hunc verò montem qui hodie natus est mundo, quicunque non accesserit, morietur. Et tunc quidem vnus populus erudiebatur ad fidem, nunc verò omnes gentes vocantur ad vitam.
Viderunt venerabiles patres nostri innumera magnaque mirabilia. Cœlum illis Angelicas rorauit escas, dulcia pocula lapis durissimus ministrauit, Iordanis perpetem meatum suum retorsit in fontem validissimi hostium muri turbatũ strepitũ corruerunt. Sol quoque commoratus in cœlo longiorẽ triumphanti populo præstitit diẽ. Exod. 16. & 17. Iosue 3. Iosue 6. Iesu 10.
Hoc vero nullis antea videre sæculis datum est, vt vnigenitus altissimi, quem trementes Archangelorum suscipiunt potestates hominem se hominibus exhiberet, & carnem quam sumpsit ab homine, transformaret in Deum. Amplectere ergo dignationem maiestatis æternæ, & ne arcanam Dei tui discutias voluntatẽ: quia omnibus quidem natus est Christus, sed fidelibus dat salutem. Quod si tibi sensuum tuorum fragilitate minus dignum videtur filium Dei natum de femina credere, virginem cogita peperisse. Si tibi panni quibus obuolutus est, fortasse vilescunt, Angelos collaudantes & multitudinem cœlestis exercitus admirare. Si præsepe in quo infans iacuit despicis, erige paulisper oculos, & nouã in cœlo stellam protestantem mundo natiuitatẽ dominicã contuere. Si credis vilia, crede mirifica. Si de his, quæ humilitatis sunt disputas, quæ alta sunt & cœlestia venerare. Iisdem enim referentibus, iisdemque autoribus de Domino saluatore, quæ humilia & quæ gloriosa sunt, didicisti. Vniuersa quæ ad salutis tuæ mysteriũ pertinebant, sacra tibi Euangelia prodiderunt. Habes in his vnde Dominum Iesum & natum hominem credas, & Deum esse dubitare non possis.

Homilia quinta de eodem.

INuestigabiles humanis sẽsibus dispositiones esse diuinas ipsa operum Dei altitudo testatur. Sed eo magis nobis Christi sunt veneranda mysteria, quo magnitudine sui capacitatem ingenij mortalis excedunt. Et ideo, fratres, cùm annunciatur nobis sempiternus ille vnigenitus Dei Patris, cui subiacẽt omnia, & per quem creata sunt vniuersa, sub fine temporum nasci voluisse de femina, infantiam perpeti, nostræ carnis subire consortia, tantæ dignationis gratiam non debemus examinare: sed credere: nec discutere, sed mirari. Quid enim est æquius, quidve tam congruum, quã vt in rebus diuinis omnipotentiam magis sequamur Dei, quàm sapientiam Christi natiuitas non discutienda sed credenda.

mundi? Hodie igitur nobis (sicut decursa Euangelij lectione cognouimus) secundum carnem natus est Christus, incipiens quidem esse quod non erat, sed non desinens esse quod erat. Nec enim natiuitas hominis imminuere aut separare indiscretæ maiestatis poterat vnitatem. Quod Deus de Deo patre processit, ineffabilis ac permanentis est secretum virtutis: quod homo est natus ex femina, nostræ salutis est gratia. Illic gloria naturæ: hic mysterium voluntatis. Quis ergo fratres, profundum hoc cœlestis consilij valeat æstimare, quod immortalitatis dominus incorruptæque substantiæ, vt conditione carnis mortem suscipere pro mortalibus possit, de femineo vtero nulla corporeæ generationis lege conceptus, humana voluit sub lege prodire, atque hoc ita, vt eum beata mater, quæ intacta conceperat, inuiolata proferret? Obuoluitur præterea pannis, & ponitur in præsepi. Vilitas ista infanti preciosum Dei est sacramentum in pannis enim nostras infirmitates, nostra se indicat suscepisse peccata. Quod verò in præsepi, vbi pastus est animalium, sua collocari membra permittit, in æternam refectionem vescendũ à mortalibus suum corpus ostendit. Quid illud dicam quod in terras Angelica multitudo descendens vagientem paruulum gloriosa laude prosequitur? Stupet enim omnis creatura tam grande miraculum, quod vnus idemque & Deus regnat in cœlo & homo nutritur in terra. Cuius Mysterij beatus Dauid annuncians nouitatem, omne hominum genus ad concentum cantici spiritualis inuitat, dicens: Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra. Quid tam nouum, charissimi quàm quod omnipotens Deus maiestatis immensæ patri coæternus, & perpetui regni Dominus ad infirmitates corporeas, & humilitatẽ se inclinauit humanam? Quid tam nouum, quàm concipiente & parturiente femina, illæsam virginitatem permanere: Et talis re vera saluatorem mundi decebat ingressus; vt qui humani generis veniebat peccata mũdare, præ cæteris mundius nasceretur. Bene etiam propheta subiunxit, cantate Domino omnis terra. Cui enim alij omnis debet cantare terra, nisi qui vniuerso terrarum orbi delictorum veniam, & spem sempiternæ saluti inuexit? Magnificemus ergo, fratres Dominum ac Deum nostrum, psallamus ei atque cantemus. Dignum est enim vt eorum præcipuè laudibus honoretur, quos proprij corporis passione & sanguinis sui effusione saluauit.

Luc. 2.

P sal. 95.

Exhortatio.

Homilia sexta de eodem.

IN aduentu dominico fratres charissimi cuius honorem debitum præsenti festiuitate deferimus, multimoda cœlestium mysteriorum gratia reuelatur. Hodie enim, hoc est, in fine temporum editus est ille, cuius æternitatem nulla sæculorum tempora comprehendunt. Hodie cœli terrarúmque Dominus pro libertate seruorum formam induit seruitutis. Hodie noua feminei sexus gloria peperit virgo, & quod vniuersa nobiscum creatura miratur, natus est homo non per hominem procreatus. Sed quamuis nouum videatur, non tamen incredulum quod Christus in vtero Mariæ sine generatione conceptus est, qui de Deo patre sine cõceptione processit. Quod enim Deus est, solius patris est vnigenitus, quod homo est, solius matris est filius. Atque ideò illum qui ex patre Deus est, & ex matre homo, hoc est, Deum & hominem vnum Dominum confitemur. Hoc autem totum factum est, vt & Deus per carnem hominis mysterium salutaris susciperet passionis, & homo per virtutem Dei æternitatis suæ reciperet dignitatem. Nascitur itaque Christus ex Maria, vt & sexus femineus hominem daret, & Deum proderet integritas virginalis. Nascitur Christus ex femina, vt sicut Adam decipientem per Euam diabolum non potuit præcauere, ita diabolus aduentaneum per Mariam Deum non deprehenderet esse præsentem. Parturit igitur femina salutem mundi, vt quæ extiterat fomes iniquitatis, fieret ministra iustitiæ, & per quam mors sibi in hunc mundum aditum patefecit, per eam ad nos vita haberet ingressum. Atque vt ostenderet creator humani generis vtriusque se sexus curam habere, & vtrumque se velle saluare, vir nascitur & procedit ex femina, quatenus aduertemus nullam esse apud Deum inter virum ac feminam in percipienda salute distantiam. Cur autem non tota deuotione credamus salutatem puerum nasci potuisse de virgine, qui perfectum hominem credimus de puluere fuisse formatum? Exultemus ergo, fratres, & lætemur celebrantes natalẽ Domini nostri Iesu Christi: quia in eius natiuitate nos omnes natos sentimus ad vitam. Factus est enim homo, non vt sibi viueret, qui autor est vitæ, sed vt morte sua vitam redimeret mortuorum. Tantis enim vinculis humanum genus vinxerat inimicus, tantáque nos mole immanium presserat peccatorum, vt nullus nobis esset reditus ad salutem, nisi nasceretur ille, qui virtute propria ad vitam posset redire post mortem.

Christus vtriusque sexus curam habet.

Exhortatio.

In circumcisione Domini, siue de Kalendis Ianuarij increpatio.

QVanquam non dubitem vos, charissimi, per paternam sollicitudinem instructione diuini sermonis edoctos, vniuersas Kalendarum superuenientium vanitates declinare penitus & horrere ad perfectioris tamen emendationis augmentum, non me piget vsitatum vestris auribus inferre sermonem, sicut ait beatissimus Paulus: Fratres eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium. Necessarium, dilectissimi, nec superfluum reor, si pro commonitione sancta dudum habita præcedentium patrum vobis repetantur alloquia. Et re vera quid fastidij, quid oneris habet pro salutis profectu vtilia ac Deo placita sæpe dicere, frequenter audire? Et ideo, charissimi, fide ac deuotione solita religiosi itineris vias ac veritatis semitas gradientes magis magisque errorum deuia, & diabolica calcare figmenta. Nec enim debet fidelis anima, quæ Angelorum consortia concupiscit, dæmoniorum lusibus delectari. Neque vero luci ac tenebris, veritati atque mendacio, turpitudini & honestati apud Dei seruos vlla potest esse communio, sicut nos Ecclesiarum doctor instruit dicens: Quæ conuentio Christi ad Belial? quis autẽ consensus templo Dei cum idolis? Quicunque ergo credentium vel est templum Dei, vel desiderat, sollicitè caueat ne mortua & vana sectando, desinens esse templum Dei, fiat habitatio tenebrarum, fiat dæmonis monumentum. Ait gloriosissimus propheta Dauid: Beatus vir cuius est nomen Domini spes ipsius, & non respexit in vanitates & insanias falsas. Itaque qui sperat in Deum, ac toto corde in eius gloriam luminum suorum defigit aspectum, ad insanissimas vanitates consecratos semel Deo non debet oculos retorquere, quia vt ait Dominus: Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciẽs retro aptus est regno Dei. Omnis enim arans

Philip. 3.

2. Cor. 6.

Psalm. 39.

Luc. 9.

arans ſi retro reſpiciat, aut tortuoſum & inutilem faciet ſulcum, aut arantum bonum ſuorum veſtigia vulnerabit. Ita & qui directo tramite ac ſpirituali vomere vitia mundana perſulcans incedit ad Dei regnum, ſi aſpectum ſuum ad impia & vana conuerterit, & iuges ſuos, hoc eſt, corpus atque animam vulnerabit, & optimi itineris periculoſum incurret errorem. Et non reſpexit, inquit, in vanitates & inſanias falſas. Quomodo beatus Dauid falſas inſanias dicit, cùm verè inſaniant, qui obiecto retrorſum timore Dei ad dæmonum reſpiciunt vanitates? Sed vir fidelis propriè naturam impiæ falſitatis expreſſit, quia inſana ſunt omnia quæcunque diaboli fallente mendacio, Dei in ſe non habent veritatem. Et illorum grauior atque immedicabilis languor eſt, qui ſuperſtitionum furore, & ludorum ſuauitate decepti, ſub ſpecie ſanitatis inſaniunt. An non omnia quæ à miniſtris dæmonum illis aguntur diebus, falſa ſunt & inſana, cum vir viriū ſuorum vigore mollito, totum ſe frangit in feminam, tantóque illud ambitu atque arte agit, quaſi pœniteat illum eſſe quod vir eſt? Nunquid non vniuerſa ibi falſa ſunt & inſana, cum ſe à Deo formati homines, aut in pecudes, aut in feras, aut in portenta transformant? Nunquid non omnem excedit inſaniam, cum decorē vultus humani Dei ſpecialiter manibus in omnem pulchritudinem figurarum ſqualore ſordium, & adulterina fœditate deturpant? Quomodo non ſanum ſapientibus patet, nihil ibi ineſſe ſanitatis, vbi impia, vbi inhoneſta, inuersáque omnia & faciunt & loquuntur: non audientes clamantem quotidie in Eccleſia beatū Dauid & dicentem: Filij hominū vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatē, & quæritis mēdacium? Graue vtique eorum cor eſt, atque omni impietate depreſſum, qui per ſacrilegos locos diuinis monitis illudentes, vana diligunt & falſa ſectantur, & poſt omnia ad offenſionis plenitudinem dies ipſos annum nouum vocant: Quanquam non inconuenienter ſecundum ſe nouum appellent annum: quoniam per nefandas ferias de honeſtate falſa turpitudo & peruerſitas innouatur. Nouum vocant annum, quaſi noui aliquid, aut cœlum tunc oſtēdat aut terra. Nouum annum Ianuarias appellant Calendas, cum vetuſto ſemper errore & horrore ſordeſcant. Auſpicia etiam vaniſſimi colligere ſe dicunt, ac ſtatum vitæ ſuæ inanibus indiciis æſtimantes, per incerta auium, ferarúmque ſigna, imminentis anni futura rimantur: cum vtique apud Deū ſolum ſit notitia futurorum, & legalis autoritas iſta prohibeat dicens: Ne auſpicemini, ne auguriis intendatis. Sed miſeri ac miſerandi homines rapti erroribus paganorum, & minus prouido corde cæcati, cum impietate de domibus ſuis prodeunt: & cum ſacrilegio reuertuntur. Aut quomodo ſe Chriſtianū putat poſſe vel dici, qui in tali obſeruatione videt ſe perfidis eſſe conſortem? Iſta vos, chariſſimi, iādudum nec obſeruare nec quærere manifeſta relatione cognoui, ac reuera non ſunt à nobis penitus inquirenda, qui omnipotenti Deo credimus, qui pro qualitate meritorum, aut fidei probatione cunctis mortalibus poteſtate arbitrij ſui, vel proſpera, vel aduerſa diſpenſat: præcipuè cū huiuſmodi homines arguat & increpet Apoſtolus dicens: Dies obſeruatis & menſes & tēpora & annos; timeo ne fortè ſine cauſa laborauerim in vobis. Videte, chariſſimi, in quo laborem erga ſe Apoſtolicū perdiderūt. Vos autē, ſicut huc vſq; pro Dei timore feciſtis, abhorrete vana, refugite falſa, impia declinate, vt & ad domū Dei confidenti ſemper corde venire poſſitis & in fide veſtra gētiū magiſter & iudex, doctrinæ ſuæ fructū Paulus inueniat.

Notat ſuperſtitionum furorem.

Pſalm. 4.

Nouus annus.

Deut. 17.

Galat. 4.

In Epiphania Domini homilia prima.

IN hac, dilectiſſimi, celebritate ſicut relatu paternæ traditionis inſtruimur, multiplici nobis eſt feſtiuitate lætandum. Ferunt enim hodie Chriſtum Dominum noſtrum vel ſtella duce à gentilibus adoratum, vel inuitatum ad nuptias aquas in vina vertiſſe, vel ſuſcepto à Ioanne baptiſmate conſecraſſe fluenta Iordanis, ſuúmque ſimul purificaſſe Baptiſtam. Sed quid potiſſimum præſenti hoc factum ſit die, nouerit ipſe qui fecit, nos tamen credere nec dubitare debemus, quicquid illud eſt, factum eſſe pro nobis. Nam quod eum fulgentioris ſtellæ radiis incitati adorauere Chaldæi, Dominum verum gentibus ſpes data eſt adorandi. Quod aquæ nouo ſunt ordine in vina mutatæ, noui nobis poculi prælibatum eſt ſacramentum. Quod autem baptizatus eſt agnus Dei, regenerantis baptiſmi ſalutare nobis munus eſt dedicatum. Oportet itaque nos, fratres, ad honorem Saluatoris noſtri, cuius natiuitatem debita nuper cum exultatione tranſegimus, omni cum deuotione etiā hunc virtutum eius celebrare natalem. Et quam rectè tria hæc nobis vno acta in die myſteria prædicantur, qui ineffabilis Trinitatis arcanum vno Dei ſub nomine confitemur. Per hæc ergo miracula Chriſtus Dominus redemptórque noſter oculis ſe voluit reuelare mortalium quatenus inuiſibilis eius diuinitas quæ latebat in homine, in opere non lateret: vt dum tentator Verbum patris omnipotentis non deprehendit in carne, omnes vbique qui in Dei filio Verbum & carnem crederent, ſaluarentur. Et quidem videbat diabolus infantem pannis obſitum; ſed ignorabat ipſum eſſe, qui remotis initio tenebris mundum luce veſtiuit. Videbat eum mortalis matris vbera ſugentem: ſed neſciebat ipſum eſſe qui eſurientem Hebræum populum, Angelico fecit pane velut cœleſti lacte pingueſcere. Videbat paruulum auguſtis in cunabulis quieſcentem, ſed videre non poterat ipſum eſſe, quem nō capit mundus. Quanto igitur inimicus in hac Chriſti humilitate per incerta diſtractus ſtupore nutabat, cum per Chaldæos, præcipuos vtique tyrannidis ſuæ miniſtros, nouum videret infantulum, velut noui imperij regem regiis muneribus honorari; At quomodo non ſtuperet, cum turbatus inſpiceret à magis ſuis adorari puerum quem ipſe neſciret? Quo torquebatur lāguore, cum pariter eius & cunas in terris deſpiceret, & ſtellam miraretur in cœlo? Vnigenitus autem Altiſſimi ſic humiliter ingreſſus eſt mundum, vt indubitata diuinitatis ſuæ deferret indicia. Natus enim de femina eſt, natus ex virgine iacebat in præſepi, ſed in ſydere rutilabat: vt hominem illum, Deúmque eſſe, & terrena mater, & ſignū cœleſte monſtraret. Quibus verò radiis, quantove lumine illam Domini ſtellam, antequam credimus tunc inter aſtra fulſiſſe? Quātum in ſplēdore præceſſit, quæ tantum præibat in munere? quæ velut quidam totius orbis oculus caligantis mundi veterem nouauit aſpectum? Ecce fratres, ad quærendum regem regū vna Chaldæos ſtella pertraxit. Iudaicū verò populum ad obedientiam Dei ſui, nec ignea quondam potuit columna conuertere. Nec ſanè quenquam moueat tanta hæc perfidia Iudæorum, quod Chriſti illos fidē ſuſcipere, neque noui ſtella fulgoris, nec parturiens virgo compulerit, qui nec tunc quidem Deo credidere ſuo, cum illos per arentia deſerta ipſo comitante Deo cœlum paſceret, petra potaret. Sed iam ad illud præcipuum Chriſti miraculum veniamus, quo pro documento deitatis

Matth. 2.

Ioan. 2.

Matth. 3.

Tria vno die acta myſteria.

In Chriſti humilitate inimicus torquetur.

Iudæorum perfidia.

Dominus cur ierit ad nuptias.

deitatis suæ aquas vertit in vinum. Inuitatus itaque, vt legitur, Dominus perrexit ad nuptias, sed vt dignaretur hoc virginis filius, nostræ eruditionis est ratio, vt docti exemplo legitimarum illum nuptiarum non negemus authorem. Vadit ergo ad nuptias Dei filius, vt qua dud im potestate constituit, nunc præsentiæ suæ benedictione sanctificet. Vadit ad nuptias veteris instituti, nouam sibi perpetuæ virginitatis sponsam gentium de conuersione facturus. Vadit ad nuptias quæ nuptiæ non crearunt. Vadit ad nuptias, non vtique vt conuiuiis delectetur, sed vt mirabilius innotescat. Vadit ad nuptias, nō sumpturus pocula, sed daturus. Nam cum defecisset nuptiantibus vinum ait illi beatissima Maria, Vinum non habent. Cui velut indignans respondit Iesus. Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Hæc verba indignātis esse quis dubitet? Sed idcirco vt reor, quia tam temerè ei mater de defectu carnalis proculi suggerebat, qui venerat totius orbis gentibus nouum salutis æternæ calicem propinare. Quod enim ait, nondum venit hora mea, illam nimirum gloriosissimam passionis suæ horam, atque illud redemptionis nostræ vinum, quod vitæ omnium proficeret, promittebat. Nam, quod petebat Maria, erat gratiæ temporalis; quod Christus parabat, gaudij sempiterni. Nec tamen piguit benignissimum Dominum, dum magna veniunt, parua præstare. Et ideo venerabilis Maria, verè vt mater Domini, in spiritu futura prænoscens, ac dominicam præuidens voluntatem sollicitè ministros admonuit dicens. Quodcunque dixerit vobis, facite. Sciebat profectò mater sancta obiurgationem illam Domini filijque sui non irascentis offensam prætendere, sed miserantis portare mysterium. Tunc Dominus increpatæ matris reuelans pudorem, suámque iam aperiens maiestatem, expectantibus ait ministris: Implete hydrias aqua. Nec mora obsequium suum obediens minister exhibuit, ecce repente aquæ illæ cœperunt mirabiliter fortitudinem sumere, ducere colorem, odorem præbere; saporem concipere totámque simul mutare naturam. Quem permutatio aquarum à sua in aliam creaturam, præsentis creatoris est testata virtutem. Neque verò quisquam conuertere aquas in vsus posset alios, nisi illi qui eas fecit ex nihilo. Stupuit ergo minister attonitus qui aquas miserat & vina sumebat, lætatúsque nimium illa se suis humeris fluenta portasse, per quæ Dei esset gloria reuelata. Nemo enim quicquam locutus est in tempore, hydriis præter aquam nihil adiectum, ars nulla conducta est, & tam grande miraculum inter pauida circunstantium silentia, sola tantum voluntas Domini tacentis effecit. Nec dubitandum, charissimi, quia ipse aquas traduxit in vinum, qui eas ab initio cōcreuit in niues, durauit in glaciem, Ægyptiis vertit in sanguinem, & Hebræis sitientibus manere arida de rupe præcepit, quæ innumerabilium multitudinem populorum stillicidio noui fontis vice maternorum vberum nutriebat. Quid primum stupeas, quid mireris vinum de aqua, an aquam de petra? Sed nulla te, quicunque es qui inter ista cunctaris, infidelitas turbet, quod dubium non est ad nutum creatoris creaturarum elementa pendere. Aut cur non credamus virtute dominica vinum fieri potuisse de aqua, cum nobis operante Deo fomentis imbrium terræ de gremio per ministeria vinearum aqua surgat in vinum? Hoc, inquit, fecit Iesus initium signorum in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius: Crediderunt discipuli, non vtique hoc quod fieri cernebant, sed illud quod carnalis videre non possit aspectus. Crediderunt nō quod Christus Iesus filius esset virginis quod sciebatur; sed quod idem vnigenitus esset Altissimi, quod in opere probatur. Vnde & nos fratres, toto corde credamus ipsum esse Dei filium, quem filium hominis confitemur. Credamus illum & nostræ consortem naturæ, & paternæ substantiæ coæqualem, quoniam & nuptiis interfuit homo, & aquas in vina mutauit vt Deus quatenus fidei huius merito nos etiam Dominus noster sobrio illo gratiæ suæ vino propitius potare dignetur.

Ioan. 2. / Ibidem. / Ibidem. / Exod. 7. / Ibidem. 17. / Adhortatio.

Homilia secunda vnde supra.

AVdistis, fratres, lectionem Euangelij salutaria præsentis diei sacramenta recitantem. Audistis qualiter Christus Dominus qui in hunc mundum latenter aduenit, paulatim dignatus est suam aperire mortalibus maiestatem. Quanquam, charissimi, latere inter obscura sæculi lumen cœleste non poterat. Denique cum visitationem suam nec dum terra dignosceret, cœlum sua gaudia ac totius mundi lætitiā Chaldæis stupentibus tacito in sydere loquebatur. Et cùm quis quantúsve esset necdum infidelis possit videre Iudæa, iam tunc gloriam eius iudiciis excitata cœlestibus gentilitas sentiebat: noua enim stella nouum aduentasse hominem reuelabat, & ita reuera nouum vt cùm Dei esset filius, indueret carnem sine generatione carnali, & haberet secundum hominem tēpus nascendi, qui secundum Deum natiuitatis initium non habebat. Nouum nimirum erat, vt vnigenito Altissimi quem non capit cœlum, paruissimi tugurij minimum præsepe sufficeret. Nouum erat qui in cœlestibus cum Deo Patre regnabat, terrena matre contentus, vagitus infantiæ daret in pannis. Lætemur itaque, fratres, totisque gaudiis exultemus, qua nobis est natus Christus ex fœmina, nobis iacuit in præsepi, nobis vagiebat in cunis, nobis arridebat in stella. Totum enim nobis proficiebat, quicquid saluator hominis agebat in homine. Ait itaque Euangelicus sermo. Ecce magi ab Oriente aduenerunt Hierosolymis dicētes: Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eùm. Quousque Iudæe durissime, obtusa aure, clausis oculis & perfido corde persistis? Ecce iam post illa Patriarcharum præconia, post vaticinia Prophetarum, Christus & à gentibus prædicatur. Si patribus tuis credere detrectas, qui ab initio sæculi æterni regis aduentū innumeris sacratisque vocibus cecinerunt, crede vel his tandem, qui eum non adhuc post tempora nasciturum, sed iam & apud te & tibi natum esse testantur. Quæ tanta est in pectore tuo mortiferæ obstinationis auersio, vt solus non audias quod omnes loquuntur, solus refugias quod vniuersitas credit, solus certæ videre contēnas quod splendet è cœlo? Apud te virgo concepit, & virginis tuæ partum alienus agnoscit. Tibi salutem tuam angelicæ voces persuadere non possunt, & ad Christum tuum vna Chaldæos stella perduxit. Vbi est, inquiunt Magi, qui natus est rex Iudæorum? Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. In his impletum est illud, quod prophetico sermone prædictum est. Quibus non est nunciatum de eo, videbunt, & qui non audierunt, intelligent, Ecce enim Chaldæus, cui neque annunciatūm de Christo fuerat, neque audierat: & vidit stellam Christi, & adesse eum intellexit in stella. Adorant itaque Magi Dominum & offerunt munera, vt impleretur quod ait ille præcipuus Prophetarum Dauid: Afferte Domino patriæ gentium: afferte Domino gloriā & honorem. Domino & Domino quod ait, Dominum illum

Matth. 2. / Iudæorum mortifera obstinatio. / Esa. 52. / Psalm. 28.

illum esse secundum Deum, Dominum & secundum hominem mystico sermone declarat. Quod enim Deus est, creator est mundi: quod homo est, redemptor est mundi. Quomodo ergo non priuilegio vtriusque substantiæ Dominus est omnium Christus, qui sibi vniuersa, aut creatione, aut redemptione subegit? afferte, inquit, Domino gloriam & honorem. Honoris ergo est, charissimi, quod offerunt Gentiles munera gloriæ quod adorant, Munera Chaldæi offerunt & adorant. Vnum ab illis defertur vt regi, aliud exhibetur vt Deo. Hi itaque adorato Christo oblatisque muneribus, per aliam vt lectum est, viam reuersi sunt in regionem suam. Rectissime per aliam viam redeunt, ne cruentus Herodes, qui mortem parabat infanti, itinere magorum peruenire possit ad Christum. Neque enim qui adorare Dominum venerant, Domini esse poterant proditores. Quam bene, fratres, per aliam viam rediisse dicuntur! Nam qui stella duce venerant in Iudæam, in patriam suam æterni solis illuminati radiis reuerterunt. Et ideo omni cum reuerentia celebremus hunc diem, magorum obsequia nostra deuotiones superantes, quoniam si illi Christum iacentem in cunabulis repererunt, nos eum regnantem habemus in cœlo.

Christus omnium Dominus.

Ibidem.

Homilia tertia vnde supra.

QVamuis, dilectissimi fratres, Christus salutis nostræ Dominus, omnipotentis patris filius coæternus velamine carnis adopertus & humilis dignatus sit visitare mortales, dedit tamen multa ac maxima suæ maiestatis indicia, quibus mens humana sentiret & nouum hominem natum, & Deum aduentasse de cœlo. Nam cum ipse Dominus noster lege natiuitatis humanæ paruulus & infans apud Iudæam vagiret in cunis, lateret in pannis, magnificentiam tamen eius vniuerso orbi mirabilis ab alto stella prodebat. Quis enim dubitet ipsam stellã lætiori luce & fulgentioribus radiis coruscasse, quæ cœli terræque lumen humanis oculis ingerebat? Et necesse erat, vt stella hæc à cæteris sideribus orbe clariore distaret quæ annunciabat Christum, cuius natiuitas ab vniuersis mortalibus differebat. Et nouo quidem sidere tunc micabat cœlum, sed magis nouo mundus lumine refulgebat. Quis hanc inuestigare miraculorum gloriam posset, quod pro remedio salutis nostræ vno eodemque momento creatura lucebat in cœlo, & creator splendebat in terris? Nec mirum, charissimi, si cœlorum Dominum testimonium cœleste prosequitur. Aut cur nobis incredulum videatur, si conditorem suum obsequens factura testatur? Et mirabatur quidem terra, quod nouam stellam videret in cœlo? sed plus mirabatur cœlum, quod nouum solem videbat in terris. Quam profundæ cogitationes Domini, & inuestigabiles viæ eius? qui ne perfidia hominum partum virginis impugnaret, dedit ab excelso clarissimum signum, quod nec gentilitas refutare posset, nec Iudæa celare. Veniunt itaque, vt lectum est, ab Oriente Chaldæi, sequuntur præuiam stellam non magica arte recognitam, sed sui nouitate mirabilem. Idcirco autem magi apud Hierosolymam præcipua natum regem requirunt, quia Balaam ille ariolus & sacerdos quondam gentium, cuius asina locuta perhibetur, stellam ex Iacob oriundam, & hominem ex Israël prophetauerat esse venturum. Ait enim inter cætera sicut legitur: Orietur stella ex Iacob: & exurget homo ex Israël. Nemo ergo nũc miretur natiuitatem dominicã agnouisse Chaldæos,

Magna miraculorum gloria.

Matth. 2.

Num. 22.

Num. 24.

quam vtique si reuelante Deo gentilis pronunciare potuit, potuit gentilis agnoscere. Fuit enim hoc, quantum æstimari datur, supernæ dispositionis arbitrium, vt inter sacratissimas prophetarum voces, etiam ab infideli homine eius prædiceretur aduentus, qui pro fidelium infideliumque erat redemptione venturus. Et ea nimirum ratione prophetat idolorum sacerdos, vt si Iudæis prædicatoribus de aduentu Christi credere fortè gentilitas renuisset, suorum saltem testimonium sequeretur auctorum. Nec dubitemus omnipotentem ac benignissimum Deum, Balaam illi alienigenæ præscientiæ dare potuisse sermonem, qui asinæ ipsius linguam in verba potuit humana laxare. Loquebatur igitur sessoris arioli asina. Pronum quippe animal, & naturaliter inspiciens in terram, vt manifesto signaret indicio, quod vniuersa gentilitas, quæ aris dedita & in terram semper perfidiæ suæ pondere pressa, despiciens omnipotentis Dei cultum, tacita erat & muta, aduentante stella ex Iacob, & homine ex Israël, erectis ad cœlũ oculis, æterni Dei gloriã quotidianis esset confessionibus locutura. Venit itaque, fratres, ab Oriente illuminata gentilitas. Iudæa verò durissimi cordis sui infidelitate cæcata remanet in occasu. Quomodo autem non verè in occasu & in tenebris tabescit omnis contumacia Iudæorum, qui indefessi solis præsentiam respuentes, diem perpetuum perdiderunt? Et bene charissimi, vno itinere tres simul adoraturi veniunt magi, quia in vno Christo Iesu, qui omnium credentium via est, inseparata ab eis erat Trinitas adoranda. Deferunt autem & munera, quæ non tam munera quàm mysteria probarentur. Offerunt ei aurum. In auro, fratres, ostenditur captiuitatis nostræ pretiosa redemptio. In thure autem, & dæmoniorum superstitio cessatura, & futurus veræ religionis cultus aperitur. In myrrha verò, qua exanima solent corpora conseruari, præfiguratur carnis nostræ reparatio & resurrectio mortuorum. Hæc autem offerri Christo tam sacrata donaria non magorum arbitrium, sed inspiratio omnipotentis elegit. Quantum enim ad gloriam pertinet Christi, munera hæc inspecta carnaliter maiestatis eius omnimodè videntur indigna. Nam quò Domino immortali aurum, quod vtique solis est mortalibus, & vsui & amori? Quo omnipotenti Deo thus, cuius nidore etiam simulachra à gentibus honorantur? Aut quò ei myrrha fœtidorum corporum condimentum, cuius carni nulla mortis erat dominatura corruptio? Quæ omnia, dilectissimi, apud Dei filium superflua videbuntur & vacua, nisi adũbrata in illis vitæ nostræ sacramenta credantur. Propter quod, fratres, speremus in Domino, & confortetur cor nostrum, vt in nobis quoque stella fidei elucescat, quæ nos via recta & sine errore perducat ad Christum. Offeramus & nos actuum nostrorum deuotionisque munuscula, quæ iam non in terris, & in cunis iacens suscipiat Christus, sed quæ sedens ad dexteram patris amplectatur in cœlo.

Christi aduentus cur ab infideli prædictus sit.

Tres simul Magi cur adoraturi veniant.

Adhortatio.

Homilia quarta vnde supra.

AIt Prophetarum præcipuus Esaias, sicut audistis, fratres charissimi: illuminare, illuminare Hierusalem, adest enim lumen tuum, & maiestas Domini in te exorta est. Hierusalem vero manifestum est esse fidelium ciuitatem. Vnde nos, fratres, qui portas cœlestis Hierusalẽ cœpimus introire, illuminati salutaribus sacramentis in conspectu Dei nostri nouo gaudio necesse est exultemus: quia noua hodie stella nouũ mundo hominem

Esa. 60.

reuelauit. Hoc profecto die Christus Iesus à patre veniens, Deus & homo natus è fœmina sub specie adorantium Chaldæorum fidem gentium dedicauit. Qui quamuis diuinitatem suam nostri corporis adumbratione valeret, Deum tamen esse illum cœlum prodidit, & terra cognouit. Humilis quidem, sed mirabilis venit; vt pariter in eo & assumptæ carnis veritas, & ineffabilis deitatis natura fulgeret. Et quamquam nascentem illum cunabula terrena susceperint, non tamen esse terrenum cœleste signaculū testabatur. In cunis namque iacebat, sed radiabat in cœlo. Vagiebat apud Iudæos, & apud Gentiles regnabat. In Bethleem lactabatur à matre, & in Chaldæa adorabatur à Magis. Ait namque beatissimus Euangelista Matthæus: Ecce Magi ab Oriente aduenerunt dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudæorum. Quam bene ab Oriente properare dicuntur, qui adoraturi sempiternum veniunt Orientem, de quo dictum est: Et visitauit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris sedent. Deinde subiungunt Chaldæi. Vidimus stellam eius, & venimus adorare eum. Eius, inquiunt, stellam vidimus. Bene eius, quia quamuis omnes ab eodem creatæ stellæ ipsius sunt, hæc tamen propriè Christi erat, quæ specialiter eius nunciabat aduentum. Et cæteræ quidem factæ sunt stellæ, vt mundi istius tempora cursusque distinguerent: hæc veró prodire iussa est, vt ipsum mundi Dominum, & regni cœlestis adesse tempus ostenderet. Aiunt itaque Magi. Vidimus stellam eius, & venimus adorare eum. Ecce Christum qui non habent, habere volunt, & inuenire contendunt. Iudæus Deum suum refugit, paganus inquirit. Quod proximus non agnoscit, alienus intelligit. Gentilis stellam Christi videt & venit: Iudæus Christum videt & inuidet, sicut lectum est: in sua venit, & sui eum non receperunt. Verè Iudæa durissima suaque infidelitate cæcata, non videbat quod stella radiabat, nec audire poterat quod Angeli conclamabant. Igitur inquirentibus Magis ac dicentibus: vbi est qui natus est rex Iudæorum? Turbatus est rex Iudæorum Herodes, & omnis Hierosolima cum illo. Turbatur rex, regno credo metuens suo, nesciens quia Christus non veniebat regnum eius inuadere, sed saluare: & quod nulli inferret mortem, qui est vita cunctorum. Et cum perambularent magi, stella, sicut lectum est, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, donec veniret & staret supra vbi erat puer: Venit, inquit, & stetit supra vbi erat puer. Nunquid non dicere & clamare videbatur. Hic est puer, quem natum testabar è cœlo? Hic est rex ille magnus, qui venit cœlesti imperio regnū sociare terrarum. Verè stella hæc dominicæ natiuitatis ministra, quæ tanto est Chaldæis obsecuta famulatu, vt in inquirēdo Christo non solum eos moneret è cœlo, sed & ducatum illis præberet in terris. Adorato itaque Domino, Magi, oblatisque muneribus prætereuntes Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Neque vero poterant per Herodem, id est, itinere mortis redire, qui in patriam suam adorato Dei filio cœlestis vitæ munera reportabant. Elusus ergo Herodes, & contemptus à magis (vt ait Euangelista) iratus est valde, & misit, & occidit omnes pueros qui erant in Bethleem à bimatu, & infra. A bimatu, inquit, & infra ætas scribitur occisorum, vt occidentis innotescat acerbitas. O ira peruersa, inconsultaque sæuientis indignatio, Chaldæis irascitur, innocentes interficit, & dum in mortem immaculati fertur infantis, lactantium perimit turbas, quatenus iniquissimum regem qui indebitum quærebat sanguinem, prostratæ multitudinis multiplex reatus inuolueret. Nec aduertere poterat furentis insania, quod ille qui mortuos morte sua viuificare veniebat, cogi in mortem non possit inuitus. Et hæc omnia, charissimi, agebat per Herodem diabolus, vt per voluntatis suæ ministrum, aut Christum petimeret, aut paruulorum nec læsissimum Christi contristaret ingressum. Sed nulla sit apud fideles innocentium de morte tristitia, quia Christus iustissimus retributor, propter se passos suæ fecit participes passionis, atque eos quibus libenter vitam parabat æternam, patienter permisit occidi. Proinde nos, dilectissimi, venientes ex gentibus, quibus in stella dominica salutare lumen radiauit è cœlo, apud quos virginis fidelis est partus, quibus Christus & in cunabulis Deus, & deuotionis ac fidei nostræ munera deferentes, Herodis perfidiam declinemus, & sanctificato corpore ac spiritu nostram misericordiam diligentes sacratissimum semper domini honoremus aduentum, vt sicut de eius illuminatione gaudemus, ita de nostra retributione lætemur.

Matth. 2. — Luc. 1. — Ioan. 1. — Stella dominicæ natiuitatis ministra. — Matth. 2. — Herodis insania. — Adhortatio.

Homilia quinta vnde supra.

SAlutare nobis est, fratres, atque conueniens; vt concurrentes ad festa dominica, & mysteria Saluatoris nostri, de cuius natiuitate gauisi sumus, eius manifestatione lætemur: quia sicut nascendo gloriosus est Dei filius, ita apparendo mirabilis. Mirum namque quod Christus processit ex virgine: nec minus magnificum, quod ostensus è cœlo est. Mirum valdè quod nouum hominum terra suscepit, stupendum nihilominus quod nouum hunc hominem de cœlo stella prodiderit. Apud Iudæam Christus in præsepi pastoribus vagiebat, & in Chaldæa Magorum oculis inter sydera coruscabat. Apud Iudæos sordebat in pannis: apud Gentiles fulgebat in gloria. Et quidem necesse erat vt cœlorum Dominum testimonium cœleste præcederet, & auctorem lucis, signum luminis reuelaret. Magnum hoc, fratres, tremendumque mysterium, cùm vnus idémque annunciatur de patre Deus, & homo de matre. Vnus idémque filius fœminæ, & filius maiestatis. Vnus idémque hominum particeps & Dominus Angelorum. Quis enim valeat æstimare, quanti sacramenti quantæque sit gratiæ quod ille sugit vbera qui pascit omnia, & qui vniuersis animantibus viuendi substantiam præstat e cœlo, ob salutem terrestrium terreno lacte nutritur? Nullus ergo ambigat, nemo cunctetur, quod Christus in terra degens fulgebat in cœlo, quia sic venit ad terras, vt non relinqueret cœlum. Et inde est quod virginalem hunc puerum laudant Angeli, mirantur pastores, cœlum attestatur, venerantur & magi, quia mystica eius natiuitas sempiterno gaudio, & terram lætificauit & cœlum. Hunc ergo regem cœlestium hominúmque rectorem sub carnis mysterio venientem, inuidus tremit Herodes Iudæa infidelis abiurat. Tremit Herodes infantem regiæ dignitatis, quia bonitatem nascentis ignorat. Abiurat Christum Iudæa quem prædicat, quia impietatibus suis metuens, iusti iudicis refugit æquitatem, & scelerum suorum obcæcata tenebris sola videre non potest, quod omnibus splendet è cœlo. Et cum omnium Patriarcharum doctrina ac Prophetica sanctorum virorum eloquia ad agnitionem filij Dei Iudaica corda non flexerint, vnius stellæ radius fidem gentium suscitauit. Quæ tanta permutatio, fratres, quæve ista conuersio est? Apud Iudæos Propheta loquitur nec auditus, apud Gentiles stella

Magnum tremendúmque mysterium. — Mystica Christi natiuitas terram lætificauit & cœlum.

Eſa.52. ſtella tacet & ſuadet. Verè ſicut ſcriptum eſt, quibus non eſt nunciatum de eo videbunt, & qui non audierunt intelligent. Ecce enim Chaldæi, quibus nihil vnquam fuerat de huiuſmodi myſteriis prædicatum, intellexerunt natiuitatem Chriſti, ipſumque Chriſtum ſollicitè perquirentes, cœlo monſtratæ ſtellæ ducatu antevideruut. Nec ſanè à quibuſcunque vilibus, obſcuris abiectiſque hominibus hæc ſunt, vel intellecta vel viſa: ſed à Chaldæis, id eſt, apud quos ſuperſtitionum regnabat error. In his ingreſſus mundum Chriſtus primitias fidei ſalutaris inuenit. Et factum eſt inter Iudæos atque Gentiles quoddam perfidiæ fideique certamen. Nato enim Chriſto exultabat Chaldæa, & tota cum ſuis principibus Heroſolyma torquebatur. Inſectabatur Iudæus, Magus adorabat, Herôdes acuebat gladium, Chaldæus munera præparabat. Sed quid mirum, ſi turba illa Iudaica Chriſti non ſuſcepit infantiam, quæ etiam mortuos ſuſcitanté contumaciter ab vſu contempſit? Quid mirum, ſi in cunis iacentem Chriſtũ ſpreuere Iudæi, quem cum cæcis, vel noua daret lumina, vel repararet amiſſa, languoréſque varios ſalutifero ſermone curaret, ad omnia beneficia Domini redimentis ingrati, mendacis linguæ calumniis incuſabant? Quid mirum ſi in eius natiuitate ſtellæ ſplendentis indicia neglexerunt, in cuius paſſione etiam ſole lugente lætati ſunt? Quid mirum ſi Chaldæis aduentantibus hi credere noluerunt, quos ad fidem veritatis adducere concurſus non potuit Angelorum? Lætemur itaque nos fratres & exultemus in domino feſtiuitatem perennis myſterij omni cum gaudio celebrantes, qui natiuitatem dominicam non coniecturis carnalibus abnegamus, ſed fide ſimplici confitemur, qui ſaluatoris aduentum non nunciantibus Magis, ſed atteſtante deſuper patre cognouimus, qui Chriſtum Dominum non iam inter cunabula vagientem quærimus, ſed regnantem veneramur in cœlo.

Iudæorum atque Gentium certamen.

Homilia ſexta vnde ſupra de baptiſmo Chriſti.

Complura nobis, fratres, atque diuerſa feſtiuitas præſentis diei ſalutarium myſteriorum ſacramenta multiplicat. Nam ſicut poſteritati ſuæ fidelis mandauit antiquitas, hodie ſaluator humani generis cœleſtibus oſtenſus indiciis à Chaldæis eſt adoratus. Hodie Chriſtus beati Ioannis miniſterio fluenta Iordanis benedictione proprij baptiſmatis conſecrauit. Hodie etiam inuitatus ad nuptias diuinitatis ſuæ potentiam manifeſtans, aquas vertit in vinum. Aquas, inquam, vertit in vinum, hoc eſt, qui ſanctificauit in baptiſmo, nobilitauit in nuptiis. Tria quidem hæc, fratres, vnius fidei myſteria recenſemus, quæ per vnum Dominum dignatio Trinitatis impleuit. Neque enim aliquando in operatione virtutum abeſſe ſibi vnitas poteſt, aut vnquam ſeparari ab inuicem poterit, quod Deitate eſt indiuiſum. Denique cum baptizaretur ſaluator, non ſe deeſſe vnigenito pater in voce prodidit, ſpiritus in columba. Non ergo miremur, fratres, quibus in fide eſt Trinitas, ſi tria vnûm nobis diem myſteria conſecrarunt. Hodie itaque vt diximus Magus per ſtellam repetit, quod Iudæus credere noluit per Prophetas. Hodie gentilitas edocta de cœlo redemptorem mundi inquirit vt regem, muneratur vt forté, adorat vt Deum. Et quam rectè, chariſſimi, in teſtimonium nouæ natiuitatis, noua terris ſtella reſplenduit, cuius vtique Iudæorum gens perfidia, nec radium occultare poſſit, nec abſcondere veritatem. Neque enim vlla iam per éos poterat locum habere malignæ interpretationis obſcuritas, vbi cœlum ipſum vniuerſorum oculis ſydereo lumine credenda fulgebat. Et quam hoc mirabile quod exiguus ſtellæ radius ſtupentia alienigenarum corda permouit, cum illum Iudaicum populum, cui mare diuiſum, cui præbitum manna de nubibus, nec ignea potuerit & ipſa de cœlo micans columna conuertere. Sed iam ad Chriſti baptiſmum properemus. Venit, inquit, Ieſus ad Iordanem vt baptizaretur à Ioanne. Cui ait Ioannes. Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Ego vtique à te debeo baptizari, quia mihi eſt ex paterna præuaricatione corruptio, & tibi in paterna maieſtate communio. Ego in hunc mundum carnali ſum parente profuſus: tu verò huc ab ingenito patre vnigenitus adueniſti. Me viri & fœminæ naturalis copula procreauit, te autem altiſſimi obumbrante virtute, veneranda nobis virginitas dedit. Ego terrenum animal, tu agnus Dei. Ego peccati lege mortalis, tu autem aduerſus peccata veniens, neſcis ſubiacere peccato: & poſt omnia ego factus ſum redimendus à te tu autem natus vt redimas. Cui indignatus reſpondit Ieſus: Sine modo: Sic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Id eſt, omnia quidem vera ſunt quæ memoras, ſed hæc mei aduentus eſt ratio, vt quia ſub lege factus ſum, ordo legitimus ſuppleatur. Veni enim, non vt mihi viuerem, cui vita æterna cum patre eſt; ſed vt conditionem veſtræ mortis auferam. Et hoc eſt iuſtiſſimum, vt quia totum ſuſcepi hominem, per omnia hominis tranſeam ſacramenta. Et reuera, fratres, quomodo pro nobis Chriſtus ad baptiſmum non veniret, propter quos etiam corporeæ circuncifionis non vitauit iniuriam? Vnde & Ioannes ſalutare myſterium recognoſcens, non iam Dei filium vt Baptiſta ſanctificat, ſed vt deuotus miniſter cœleſtis obtemperat imperatis. Nec enim poterat non obedire ſeruus Domino, præco iudici, regi miles, præcurſo rautori. Atque vt hæc omnia diuinitate agi plenius perfectiuſque Propheta dignoſceret, in ſpecie columbæ ſanctus ſe Spiritus videri dedit, & in voce ſermonis pater audiri. Ait enim. Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. Videte & intendite fratres, quantum Ibidem. gratiæ de diuina dignatione mortalitas conſequatur. Nam vt ſacratiſſima redemptionis noſtræ myſteria confirmentur, & vt manifeſtius æterna nobis Trinitas reueletur, baptizatur filius in Iordane, Spiritus ſanctificat ſacramentũ, pater aperit veritatem. Supereſt iam vt tertia deuotionis huius charitati veſtræ cauſa clareſcat. Hodie nihilominus, vt perhibetur à patribus, Dominus Ieſus in Cana Galilææ de aquis efficit vinum. Nihil à nobis eſt, fratres, in huiuſmodi mirabilibus de creatore cunctandum. Qui enim in exordio mundi dedit eſſe aquas, in fine quoque mundi quod voluit fecit ex aquis. Maioris nempe maieſtatis eſt creare quæ non erant, quam creata mutare. Et quid mirum ſi ad præceptum Domini ſui aqua tranſiuit in vinum, cuius nutu ſalubrium fomento imbrium & ipſa vini genitrix vua nutritur? Quid mirum ſi Dominus omnium propter hominem aquas vertit in vinum, qui vt hominem conderet, terram transformauit in carné? Quid mirum, ſi eius iuſſu aqua in liorem proficit in ſaporé, cuius operatione, cum amara eſſet myrrha, bibituris populis ligno medicante dulcata eſt, cuius imperio etiam, vt ſitientibus in eremo non deeſſet, concita proſiluit è petra? Et ibi quidem per Moyſen aqua procedit è ſaxo, vbi adhuc figura ſpiritualis eſt poculi: hic vero per Chriſtum efficitur vinum, vbi iam vera eſt bibentium ſalús. Quid igitur, fratres, hoc

Matth.2. Matth.3. Ioan.2. — Matth.3. — Ioan.2. — Exod.14.

lætius die, quid hac solennitate sacratius, in qua partũ virginis qui latebat in cunis, stella fulgentior gentibus corruscauit, in qua vnigenitũ Dei in sanctificationem sui Iordanis vnda suscepit, homo Spiritum S. vidit, patrem mundus audiuit? in qua etiam sobrio illo vini mirabilis poculo, peccatis ebrium mortale genus visitasse se Christus ostendit. Et ideo, charissimi, in spiritualibus donis, lubricæ carnis voluptate deposita, spiritualiter gaudeamus, vt tenebras cordis nostri nomen stellæ cœlestis irradiet, benedictio paternæ vocis illustret, & salutare nos vinum Christo propinante lætificet.

Exhortatio.

Homilia septima vnde supra, & de baptismo Christi.

Licet, fratres dilectissimi, de solennitate diei huius veterum sit diuersa traditio, vna tamen sanctæ deuotionis est fides. Et quamquam nonnulli hodie Dominum nostrum Iesum Christum stella duce venientibus ab oriente Magis æstiment adoratum: alij autem asserant eum aquas in vina mutasse, quidam verò baptizatum illum ab Ioanne confirment, in omnibus Dei filius creditur, in omnibus est nostra festiuitas. Nam quod magis vtique gentilibus & adorare Dominum & munera offerre conceditur, gentium est præfigurata vocatio. Quod aquæ transformantur in vinum, religionis nostræ designatur arcanum. Quod verò fluentis Iordanis baptizatur Iesus, aquæ nostro baptismati consecrãtur. Oportet itaque, charissimi, vt aliqua non de ipso baptismate sanctitati vestræ, provt Dominus donauerit, proferamus: vt simul & humilitatem saluatoris nostri, & mysteriorum gloriam cognoscatis.

Matth. 3. Luc. 3.

Prædicabat in deserto Ioannes baptismum pœnitentiæ populo peccatori, non quo crimina commissa deieret, sed quo emendaret errantes. Nam remissio peccatorum Christi gratiæ seruabatur. Confluebat ergo ad Iordanem desiderio lauacri diuersorum copiosissima multitudo, quorum essent tam scelerati actus, vita tam perdita, vt eos venerabilis Baptista vipereo semini compararet. Inter huiusmodi homines, ille virtutum cœlestium Dominus: ille qui respicit terram, & facit eam tremere Christus Iesus, non dedignatur humilis & quietus ad serauuli sui baptismum properare. Sed quid mirum de mansuetudine saluatoris, sic se Prophetæ sui manibus inclinauit, qui se ab inimicis suis passus est crucifigi? Quo properãte ad fluuium talem Ioannes circunstantibus turbis erupit in vocem: ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hoc est dicere: Cessate iam, cessate à baptismo meo, quo pœnitentia suscipitur: ecce Baptista, per quem crimina dimittuntur. Desinite vlterius à conseruo vestro baptizari velle, præsens est Dominus omniũ nostrum, qui baptizat ad vitam: Illum sequimini; illi credite, ab illo lauacrum salutis tota mente supplices postulate, à quo & ego ipse Baptista vester cupio baptizari. Non tenuit quidem Iesus testimonium vocis huius: sed qui per ordinem vellet vniuersa compleri: nihilominus baptizari se expetit ab Ioanne. Tum Baptista deuotus baptizandi sui potentia tremefactus, ait. Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Id est, quoniam ego creatura sum, tu Creator; ego seruus, tu Dominus; ego figura, tu veritas. At Iesus ait: Sine modo. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Id est, quid nunc ista commemora? propositum susceptæ humilitatis implendũ est. Tunc ille, qui præsumere formidabat, velociter paruit præcipiẽtis imperio. Baptizatur ergo Iesus non sibi, sed nobis. Baptizatur non vt purificetur aquis, sed vt aquas ipse sanctificet. Baptizatur nouus homo, vt noui baptismatis constituat sacramẽtum. Aperti sunt, inquit, ei cœli. Æstimo vt in cœlestibus esset miraculum, de his quæ gerebantur in terris, sicut ait scriptura, in quem concupiscunt Angeli prospicere. Quomodo enim poterant non mirari virtutes cœlorum, & dominationes, Cherubin & Seraphin, cum viderent Dominum Sabaoth in fluuio ab Ioanne baptizari? Vt autẽ Ioannis attestatio etiam cœlesti testimonio confirmetur, vidit Spiritum sanctum corporali specie quasi columbam descendentem & manentem super Iesum. Audit & patrem dicentem. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Aduertite, dilectissimi fratres, quanta nobis in baptismate Domini nostri Iesu patefacta sit gratia, quam subtili sacramento Trinitas se hodie homini reuelauit. Pater enim auditur in voce, Filius manifestatur in homine, Spiritus sanctus dignoscitur in columba. Quam mirifico autem mysterio Dominus noster Iesus Christus, vel tactu corporis sui, vel transitu gloriæ suæ omnem ad momentum creaturã sanctificat, viuificat, & illustrat? Aquas enim consecrat dũ baptizatur, terram sanctificat dum sepelitur, mortuos suscitat dum resurgit, cœlestia glorificat dum ascendit ad cœlum, & sedet ad dexteram Dei patris.

Psalm. 103. Ioan. 1. Matth. 3. Christus cur baptizetur. 1 Petr. 1.

Homilia octaua vnde supra, & de gratia baptismi.

Redemptionis nostræ auctor, æternus, omnipotens Dominus vnigenitus Dei viui, inseparabilis semper permanens apud patrem, ita pro nobis perfectum suscipere dignatus est hominem, ita quod Deus erat exinaniuit in semetipso, vt per omnia legalium sanctionum sacramenta transiret. Nam vt primum beatæ matris sancto processit ab vtero, circuncisionis signaculo dedicatur: siue vt indubitatam carnis suæ ostenderet veritatem; siue ne eum velut alienigenam alumna circuncisionis plebs Iudaica declinaret. Dein quia traditæ per Moysem legis præteriri præcepta non poterant, offertur pro eo purgationis holocaustum. Et pro illo, fratres, holocaustum purgationis offertur, qui omnium hominum sordes purgaturus aduenit. Sed cum Ioannes præmissus ante faciem eius concurrentes ad se populos, & prædicatione corrigeret, & pœnitentiæ baptismo consecraret, ipse ad eum inter promiscuas vilésque turbas velut vnus è populo properauit: & tanta sese benignissimus dignatione subiecit, vt illud sacratissimum caput, tremendum potestatibus, Angelis venerandum, ad suscipiendum baptismum serauuli sui manibus inclinaret. Quẽ videns Ioannes venientem ad baptismum suum, ac dominica in eo gloriæ insignia recognoscens, dixit ei. Ego à te debeo baptizari, hoc est, terrenus à cælesti, mortalis ab æterno, fragilis à potente. Et tu venis ad me? Ad præcursorem iudex, ad creaturam creator, rex ad ministrum, & humiliabis te mihi exiguo, cum tua non sum dignus calceamenta portare? Tu inter peccatores ad baptismum venis, in cuius ore dolus inuentus non est, & per quem totius mundi peccata tolluntur? ac tantùm te tuis subiicis creaturis, vt poteris obliuisci quod Deus es. Ego quidem hominem video, sed meum Dominum recognosco. Humanum in te corpus aspicio: sed cœleste intelligo sacramentum. Neque me species hæc carnis assumptæ à fide veritatis abducit, tu es, Domine, tu es ipse qui me ad ista misisti. Quomodo autem

Exod. 14. Luc. 2. Matth. 3. Esai. 53. & 1. Petr. 2.

autem nunc ego te ad ſtantem præſentémque ignorare poſſum, quem dudum adhuc in vtero virginali, & intra materna viſcera conſtitutum necdum ipſe natus, agnoui? Cui Ieſus ait Sine modo. Sic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Sine modo, inquit Dominus. Hoc eſt, vera ſunt quidem, nec renuo iſta quæ memoras, ſed miniſterium veni ſeruitutis implere, vt eos quos peccatum ſubdidit ſeruituti, ad meam reuocem libertatẽ. Nec mireris, Ioannes, ſi tuis me manibus inclino, qui enim contentus ſum naſci, contentus circumcidi, pãnis etiam contentus inuolui, quomodo non Iordanem hunc contentus liber ingrediar? Noli putare iniurioſum mihi, indignumque videri hoc baptiſma. Aliæ re manent iniuriæ, aliæ ſunt contumeliæ, quas pro humana perpeti ſalute diſpoſui. Poſt hæc beatus Ioannes ſuſcepit deuotus, quẽ timidus prohibebat. Nec ignorabat prophetarum ille præcipuus à ſe Dominum baptizandum, ſed miniſterium ſuum noluit ſine confeſſione complere. Itaque & fides confeſſa eſt Dominum, & obedientia impleuit obſequium. Baptizato itaque Domino & ſpiritus ſanctus adfuit, & vox de cœlo paternæ maieſtatis audita eſt dicentis, tu es filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui. Quod factum, fratres, noſtræ proficere fidei manifeſtum eſt; vt preſentia ſancti ſpiritus, & authoritate paternæ vocis, apud omne hominum genus, & teſtimonium Ioannis, & veritas filij, & ſacramentum baptiſmi firmaretur, per quod magnificamus & glorificamus Deum patrem omnipotentem, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Matth. 3.

In die Cinerum homilia.

QVia nonnullorum eſt conſuetudo, chariſſimi, aduenientes quadrageſimæ dies deuotiore ieiunio præuenire, neceſſariè præſens Euangelij decurſa eſt lectio, in qua Dominus noſter virtutum ſpiritualiũ retributor, ſanctam nobis perfectámque dedit regulam ieiunandi dicens. Cum ieiunatis, non eritis ſicut hypocritæ triſtes, Exterminant enim facies ſuas, vt appareãt hominibus ieiunare. Nõ enim Deo ieiunat, ſed hominibus, quicumque oſtentatione ieiunij ſui gloriam requirit humanam. Exterminant autem facies ſuas, qui mœrore ſimulato religioſum vultum populorum oculis mentiuntur. Non vult enim diſciplinæ cœleſtis magiſter irreligioſè agi, quod fieri pro religione præcipitur, nec patitur inuocantium ſe laborem, quibus æternam parat mercedem, infructuoſæ iactantiæ vitio deperire. Non eritis, inquit, ſicut hypocritæ triſtes. Si enim verè mœſtus & triſtis es, quia ieiunas, nullã tibi vt ingratus apud Deũ gratiam reſeruabis, quia quamuis opus facias bonum, prauitatem tamẽ degeneris animi inuitus operaris. Si autem pro quadam ſanctitatis imagine triſtitiam ſimulas, omnem fructum promiſſionis diuinæ obſequij tui oſtentator amittis. Quod ſi Deo ieiunium tuum defers, cur illud hominibus pari tecum conditione viuentibus vanæ gloriæ ſectator oſtentas? Hanc nimirum Paulus Apoſtolus ſecutus ſententiam dicebat. Nolite fieri inanis gloriæ cupidi. Inane eſt enim & vanum quicquid nullius ponderis aut virtutis firmitate conſiſtit. Inane eſt quod cum ſæculo prætereunte deficiens ad vitam non tranſit æternam. Quicquid enim pro carnali honore laboratur, corruptibili cum carne dilabitur, vt ait Propheta. Omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis vt flos fœni. Aruit fœnum, & flos decidit, verbum autẽ Dei manet in æternum. Nec poſſumus, dilectiſſimi, pro vno eodemque opere & laudem mundi adulantis expetere, & præmiũ vitæ cœleſtis acquirere Sed vnge, ait, caput tuum, & laua faciem tuam. Vngit reuera omnis deuotus caput ſuum, cuius religioſum ieiunium ſanctæ eleemoſynæ vbertate pingueſcit. Et ſi altius aliquid cogitemus, vnges caput tuum quod eſt Chriſtus, ſi bonis operibus meliora ſubiungens ſimplici cum deuotione lætifices. Lauabis ſine dubio & faciem tuam, atque omni eam lætitiæ ſerenitate deterges, ſi diuino iucundior cultu, nullius vanitatis affectatione ſordeſcat. Illotus eorum vultus eſt, qui falſo oculorum mœrore præconia mundana mercantur. Quos Apoſtolus ſententia ſua notat dicens, quæſtũ exiſtimant eſſe pietatem. Et cum hæc ita ſint non repellit Dominus lugentes, vel peccata ſua, vel mundum qui dixit, Beati qui lugent quoniam ipſi conſolabuntur. Non reprehenditur ille qui dudum corde deuio & lubricis greſſibus à tramite ſalutis elapſus, redintegrare ſe Deo mœſta pœnitentiæ ſatisfactione conatur, vt in quinquageſimo legitur pſalmo. Cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Non vtique ſpernit Deus ſanctum mœrorem, ſed ſeruientis ſibi artificem & dolo ſimulatam non vult circumferre triſtitiam. De quibus ait Chriſtus ad diſcipulos ſuos; Amen dico vobis perceperunt mercedem ſuam. Quanta eſt igitur ſpes fidei eorum, vel quæ futuræ retributionis expectatio, qui omnem mercedem operum ſuorum in præſenti ſæculo temporalis auræ ambitione conſumũt? Et ideo fratres inoffenſam & Deo placitam in omnibus tenete menſuram, ſit apud vos purum ieiunium, ſimplex miſericordia omniſque ſyncera deuotio, vt ſanctam vitam veſtram Euangelica inſtitutione perfectam plena Dei noſtri retributio proſequatur.

Matth. 6. | Hominibus qui ieiunent. | Gal. 6. | Inane eſt ieiunium. | Eſai. 40. | Vngere caput. | 1. Tim. 6. | Matth. 5. | Matth. 6. | Exhortatio.

Homilia prima de ieiunio Quadrageſimæ.

AVdiſtis chariſſimi, ſicut Euangelica turba cecinit, Dominum ac redemptorem noſtrum aduerſus tentamenta diaboli reluctantem quidem verbis, ſed ſpiritu dimicantem. Sermone enim certamen agit, ſed peragit maieſtate victoriam. Nec ſine ingenti myſterio huiuſmodi putemus eſſe conflictũ, in quo aut accenſus diabolus in verba prorumpit, aut rerum Dominus tentatori ſuo verbis nihilominus reſpondere dignatur. In his autem omnibus noſtræ ſalutis eſt ratio. Nobis ſaluator eſurit, pro nobis loquitur. Nos illo vincimus, quia nos ei cauſa ſumus pugnandi. Nam quis ambigat vnigenitum patris; cui nulla obuiare poterat creatura, pro illis iniiſſe certamen, quorum ſe carne veſtiuit? Humani igitur corporis forma hoſtem callidiſſimum prodire ſuaſit ad prælium, quem verus Dei filius veri hominis reſponſione confudit. Propter quod errabundus & anceps tentator, mollia ſuſpenſáque tentamenta rimatur, quia licet carnalis viri ſpeciem contemplaretur in Chriſto: præſentia tamen diuinitatis eius concitatus, ſuſpicabatur eum plus eſſe quàm hominem. Animabat itaque illum præſumere congreſſum partus femineus, ſed terrebat virginitas parientis. Quamuis enim Chriſtum Maria Euæ vtique filia peperiſſet, non tamen eum conceperat de Adam. Cum ergo videret inimicus Dei filium tanta per miracula procreatum, voluebat ſecum, vt arbitror, atque admirans dicebat. Quis iſte eſt qui neſciente me hunc ingreſſus eſt mundum? Noui quidem quia de femina natus eſt, ſed neſcio vnde conceptus. Aſtat ecce mater, ſed patrem inueſtigare non poſſum. Partum video, ſed non agnoſco naſcentem, & quod ſtupori meo Callidi hoſtis querela.

accreſcit, inconſueta lege parienli etiam edito filio mater exultat, vt virgo. En iacet in cunabulis paruulus, ſuffundit lachrymis vultum, ſimilemque eſſe mortalium vagitibus prodit, & cum nihil ei de infantia deſit, nulla tamen illi eſt velut in infante corruptio. Pannis obſitus ſordet, ſed cælum illi radio ſtellæ lætioris arridet, atque in honorem ipſius miniſtrantes ei Angeli inter ſydera terraſque concurrunt, & exultantes annunciant quam non intelligo, nouitatem. Quid hoc miraculi eſt? Video quod aduertere nequeo, audio quod ſuſtinere non poſſum. Vt homo natus, honoratur vt Deus. A ſæculis nunquam hoc mihi contigit, vt quiſquam naſceretur homo, & humani vitij nil haberet. Quæ hæc tam noua potenſque generatio eſt? Inter peccatores & impios natus, mortali etiam de matre progreſſus, purgatior cunctis naſcentibus, & ipſo mihi cælo purior apparet. Auaritiæ in eo radix nulla conſurgit, nulla cor eius pulſat inuidia, neſcit lingua eius mendacium, oculi eius concupiſcentiam non admittunt, nulla aurium voluptate mollitur, luxuries certe per quam mihi humanum ſubieci genus, pectus eius non poteſt penetrare, nulla illi iactantia ineſt, nulla malitia. Et quid plura? Nihil in eo reperio quod me delectet, omnes meos conatus euacuat. Quid agam? Quò me conuertam? Fortiorem ſentio, puto illum in regno meo velle regnare, ne forte Deus ſit iſte quem nullum poteſt maculare delictum. Sed ſi Deus eſſet, quomodo indignitates partus feminei ſuſtineret? Quomodo eſſet cunis panniſque contentus? Quis credere poſſit infantiæ vagitus in Deo, cui non audienti ridiculum eſt Deum femineo lacte nutriri? Poſt omnia ecce eſurit, cum vtique eſurire Deum ratio nulla perſuadeat. Ignorabat nimirum diabolus, quia quod Chriſtus nutrimenta perferebat infantiæ, quodque eſuriebat vt homo, non erat fragilitatis corporeæ, ſed cæleſtis gratiæ ſacramentum. Dei enim filius cui cum ſempiterno patre intemporalis conſtat æternitas, qui cum ſuo genitore naturaliter impaſſibilis incorrupto regnat imperio, egit in carne noſtra ſalutare myſterium, & ob hoc communem mortalium ſubiit paſſionem, vt inimicum generis humani, hominis
Matth. 4. certamine triumpharet. Vnde & præſumptor ille furore ſuo cæcatus ait ad Dominum. Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Stultiſſima hęc eius inaniſque ſubreptio. Per panem enim vult eum tentare qui panis eſt, æſtimans illum eſcæ penuria laborare, qui voluntariam perferebat eſuriem. Cui
Deut. 8. reſpondit Dominus. Scriptum eſt, non in pane tantùm viuit homo, ſed in omni verbo Dei. Hoc eſt dicere. Fruſtra diabole, iterum per eſcam ſupplantare conaris, ſufficiat tibi ſuadendo cibos illicitos in paradiſo Adam per te fuiſſe deceptum. Nec eſu-
aliàs credo. ries me vincit, nec tuis ſuaſionibus * cedo. Voluntas enim Dei cibus eſt meus, verbum Dei mihi eſt perfecta refectio. Qua ſententia repercuſſus, iterum vt æſtimo dixit diabolus. Quid hoc rei eſt? Video illum eſurire, & neceſſitatẽ in eo non inuenio manducandi. Omnia vt homo patitur, & omnia vincit, vt Deus Adã ille Dei certe manibus factus meis quondã ceſſit inſidiis, hic natus è femina, neque ſuis neceſſitatibus flectitur, neque meis cõſiliis acquieſcit. Illum ſerpentis ore ſuperaui, hic me etiam ipſum loquentem contemnit. Iterum ſtanti Domino ſupra pinnam templi ait: Si filius Dei es, mitte te deorſum. Quam turbatus hoc loquitur, qui putat ei ſe poſſe præcipitium perſuadere à quo nihil potuit de pa-
Deut. 6. nibus impetrare. Cui reſpondetur à Chriſto. Scriptum eſt: non tentabis Dominum Deum tuum. Id eſt, hoc quod ſuades diabole, tẽtationis præſumptio eſt, non conſilium ſanitatis, iactantiæ vanitas, non virtutis exemplum. Inane eſt enim omne miraculũ, quod vtilitatem ſaluti nõ operatur humanæ. Et hac Domini reſponſione caſſatus, oſtendit ei omnia regna mundi, & honores eorum dicens. Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraueris me. Cui iterum reſpondetur. Scriptum eſt, Dominum Deum tuum Deut. 6. & 10.
adorabis, & illi ſoli ſeruies. Id eſt, qui te dæmõ adorauerit, non ei regna, ſed inferna debentur. Adorare nãque Deum verum, eique ſeruire prærogatiua regnandi eſt. Tu autem qui honores mundi expetita præuaricatione promittis, nec regnum dare poſſe te noueris. Ecce tentator trina iam interrogatione nihil proficit. Incertus venit, rediit incertior. Aggreſſus eſt, vt probaret, reprobatus abſceſſit. Er- Adhortati.
go nunc, fratres chariſſimi, quia ieiunantis domini victorias recenſentes, triumphum noſtræ ſalutis agnouimus, ieiunia noſtra religioſis ſanctificemus obſequis. Quid autẽ eſt aliud ſanctificare ieiuniũ, niſi ieiunij cauſa ſancta, vlla iuſta facere, iniqua vitare? Sanctificat ille ieiunium, cuius cor adulatio Sanctificare ieiunium.
potentum, amicorum parentúmque gratia, clientiũ etiã parua magna ve munuſcula, à recti tramite non auertunt. Sanctificat ieiunium ſuum cuius iuſtitia pretio non vileſcit. Sanctificat ille ieiuniũ, qui flammas ſæuientis iracundiæ, manſuetæ menti placabilitate reſtinguit. Sanctificat ieiunium, qui laſciuientes oculos turpi ab aſpectu habentis caſtitatis auertit. Sanctificat ieiuniũ, qui conuitiorum iacula ſcuto patientiæ repercuſſa diſpergit. Sanctificat ieiuniũ, qui litigantum tumultus pacifici ſanitate ſermonis, & linguæ prudentioris arte compeſcit. Sanctificat ieiunium, qui conſurgentes in ſemetipſo vanarum cogitationum ſpinas, euangelico ſulcante vomere velut quidam pectoris ſui arator excidit. Sanctificat ieiunium, qui inopias egenorum pro quantitate ſubſtantiæ ſuæ miſeratis manus humanitate ſolatur. Apprime ſanctificat ille ieiunium, qui per omnia præceptis diuinæ legis intentus, diabolica à corde ſuo reſpuit tentamenta. Et ideo, Fratres chariſſimi, Quæ ſunt
ſi volumus Deo placita exhibere ieiunia, ſimus in Deo placita
fidẽ fortes, in iudiciis iuſti, in amicitia fideles, in ieiunia.
iniuriis patientes, in contentionibus moderati, refugientes turpiloquia, aduerſus iniqua conſtantes, in conuiuiis ſobrij, in voluptatibus continentes, in charitate ſimplices, inter ſubdolos cauti, condolentes triſtibus, contumacibus reſiſtentes, in ſuſpicionibus parci, inter maliloquos taciti, inter humiles coæquales. Si huiuſmodi virtutibus noſtra voluerimus ſanctificare ieiunia, tribuente Domino ad feſtiuitatem paſchalis gratiæ, ad gaudia cœleſtium promiſſionum indubitata fiducia & conſcientia lætiore veniemus.

Homilia ſecunda vnde ſupra.

Conflictus iſte mirabilis quem inter cæli regem & regni cœleſtis tyrannum fuiſſe charitatis veſtræ auribus ſancti Euangelij lectio nunc decurſa reſtata eſt, dominicæ nobis incarnationis triumphale myſterium ſonat. Omnipotens enim Dominus ineffabilis pietatis affectu captiuitatem miſeratus humanam, ſimulque volens diabolicam poteſtatem ſuo iam remouere de mundo, miſit vnigenitum filium ſuum non diuinitate degenerem, non virtute diſſimilem, non voluntate diſcordem, qui noſtram ſuſcipiens carnem, ſpreta veteri conditione naſcendi, de femina incorrupti corporis noua lege nouus filius naſceretur, Diabolus
quatenus diabolus ſalutarem hunc hominem in leo feralis.
conſor

consortium deitatis adscitum, & si tentare præsumeret, superare non posset. Itaque cum videret leo ille feralis agnum Dei post longissimum atque cótinuum quadraginta dierum ac noctium ieiunium esurire, & esurientem, Deum esse non crederet, arte illum callidissimæ tentationis aggreditur dicens, si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Cogitabat, vt æstimo apud se tanti artifex doli, & dicebat :
Matth. 4. Si hic ipse est cuius præcepto esurientibus per de-
Ezech. 16. serta populis manna fluxit è cœlo, si ipse est, quem
Exod. 17. noui ergo flumina produxisse de petra, poterit nunc in panem lapides transformare, & si non mea petitione, sua tamen necessitate qui esurit. Quod si fecerit, Deum probabo, si nequiuerit, hominem deprehendam. Expectabat ergo diabolus panem quem non tám sibi acquirere quam mundo conabatur auferre. Sed rerum dominus qui & panem de lapide posset efficere, & exploranti humanæ nollet salutis clarescere sacramentum, sic suum moderatus est sancto in ore responsum, vt nec ipse qui veritas erat mendacium loqueretur, nec ille qui ab initio men-
Ioan. 8. dax est, quam non erat crediturus possit agnoscere veritatem. Ait ergo Dominus. Scriptum est. Non in pane tantùm viuit homo, sed in omni verbo Dei.
Deut. 8. Accepit tentator ex lege responsum, cui contraire non possit. Non accepi panem quem non manducandi consuetudine, sed decipiendi fraude poscebat. In quo enim filius Dei panem necessarium haberet humanum, cui omnis erat propria in diuinitate substantia? Vel qua ratione qualicumque de lapide Christus terrenum faceret panem, cum ipse
Ioan. 7. sicut legitur, spiritualis & panis esse & lapis? Illu-
Matth. 21. sus itaque irrisúsque tentator aliam machinam tentationis aggreditur. Nam cùm secreto suo arcanóque consilio staret Dominus supra pinnam templi, ait illi diabolus : Si filius Dei es mitte te deorsum. O quam stulta hæc suasio nimiúmque peruersa, vt filio Dei diceret, mitte te deorsum. Nunquid non rectius dixisset, si filius Dei es, ascende in cælum? Quod vtique si faceret Dominus vere illum Dei esse filium comprobaret. Sed inimicus cœli ne tentando quidem ascensum vult suadere cœlestem, deorsum & in ima prouocat, quia optat omnes cadere, qui se sentit præ omnibus cecidisse. Nec intelligit cæcus, quia illi conatur ruinam suadere, qui non solum cadere non potest, sed ruinas venit emendare lapsorum. Dominus enim, vt lectum est,
Psalm. 145 erigit elisos, Dominus soluit compeditos. Qui ergo venerat non decipi, sed decepta saluare explorantis artem tanta mensura cautissimæ responsionis euacuat, vt tenebrosus hostis non solum mysterium pro nobis propositum videre non possit, sed magis magisque responsis dominicis circumactus obscuriore confunderetur incerto. Ait enim illi spiritua-
Deut. 6. lis prælij bellator inuitus. Scriptũ est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Quã simplex in hac responsione prudentia, & quàm circumspecta simplicitas, per quam nec veritas reticetur, nec reprobus potest probare quæ vera sunt. Vere vt scriptum est lux in
Ioan. 1. tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Audit diabolus Deum non esse tentandum, non tamen agnoscit Deum hominémque esse quem tentat : Videt enim pariter Christum & respondere quæ hominis sunt, & posse quæ Dei sunt. Sed nequitiæ eius nec ista sufficiunt : tertiæ adhuc tentationis laqueos nectit. Duxit, inquit, illum in montem excelsum valde : & ostendit ei omnia regna mundi, & honores eorum dicens. Hæc omnia tibi dabo si procidens adoraueris me. Sollicitè, fratres, aduertite, quia cadere est omne quod suadet inimicus. Vere enim procidit omnis, qui adorat dia-

Cadit omne quod diabolus suadet.

bolum, & verè cadit qui potestates honorésque mundi per artes sacrilegas inimico promittente sectatur. Sed Dominus ac saluator noster solita eum responsione confudit, dicens. Vade retro Sathana. Scriptum est enim, Dominum Deum tuum ado- Deut. 6. & 10.
rabis, & ipsi soli seruies. Sanctarum illi scripturarum testimonia ingeruntur, non vt inconuertibilis doceatur, sed vt impudens confutetur. Retro illi abire præcepit Christus, vt hostis durissimus adempta sibi iam loquendi licentia, cuius voluntatem agnoscere non potest, sentiat potestatem. Retro ei abire præcipitur, mundi qui dabit regna, vt imperio filij Dei cui voluntarius non cedebat, subiaceret inuitus, atque illum à quo se adorari improbè poscebat, probaret meritò ab omnibus adorandum. Et quid plura charissimi? dum nefanda tentator loquitur, dumque inconcessa præsumit, quasi ab homine victus obmutuit, & quasi à Deo iussus abscessit. Et necesse erat ab illius iã tentatione discederet, in quo tota se mole moués, totisque nisus viribus, ne vestigium quidẽ suæ reperire potuit voluntatis, stupens atque demirans post tot sæcula inuenisse hominem humanas concupiscentias non habentem, natumque in carne mihi penitus corruptionis habere carnalis. Discedẽte itaque retrorsum diabolo, accedentes, vt lectum est, angeli ministrabát ei. Triumphus iste quantæ sit gloriæ obsequia nos edocent angelorum Nec mirum sane si eius angeli ministeriis occurrerunt, cuius victoriã mirabantur. Et ideo fratres, si nolumus à diabolo superari, inhæreamus ei qui diabolum triumphauit. Adhærere autem est Christo credere, & paternæ illi deitatis esse naturam, & materni corporis veritatem. Vincere Diabolus quomodo vincendus.
autem diabolum ipso suffragante Domino poterit quicunque salutaria Dei præcepta suspirãs, studuerit exosam cunctis tumidæ mentis suæ inclinare superbiam, radicem omnium malorum auaritiã coërcere, inimicam bonarum virtutum refrænare luxuriem, hostem sanctæ charitatis inuidiam mitigare, inutilia & sæpe periculosa obtrectantium vitare colloquia, vsuræ etiam perniciosa non amare compendia, custodem pacis iustitiam muneribus non grauare, noxia factionum horrere commẽta, in glorium & nonnunquam cruentum indebiti honoris ambitum declinare, incentiua discordiæ, contumeliosæ linguæ maledicta cohibere, mendacia nihilominus quæ vitam maculant, animã vulnerant, amicitias dissipant Christiano ab ore repellere, atque ab omnibus superstitionibus dæmonum idolorúmque sacrilegiis, per quæ vel maximè benignitas omnipotentis offenditur, veri Dei amore diffugere. Si ergo ab his atque vniuersis huiusmodi sceleribus vitiisque iugiter ieiunemus, sanctæ huius quadragesimæ ritè celebrabimus dies, & omnium solennitatum nostrarum festa exultantes cum fiducia lætioris conscientiæ & tranquillitate temporum transfigemus adiuuante Domino nostro Iesu Christo.

Homilia tertia vnde supra.

ADuertite, fratres charissimi, quanta nobis spiritualis vitæ documenta succrescunt, quanquam magnificis ad propositum sanctitatis prouocamur exemplis, quod quadragenis referuntur die- Exod. 34.
bus beatus Moyses & Dei filius ieiunasse. Illud sa- Matth. 4.
nè perspicite, quia quantùm distat seruus à Domino : tantum necesse est eorum distare ieiuniũ. Moyses enim veteris aditer legis est. Christus noui conditor testamenti. Ieiunat Moyses vt præceptis legalibus vnius populi erudiat disciplinam. Christus

ieiunat, vt vniuersas totius mundi redimat gentes Ieiunat Moyses, vt præsentis vitæ mandata suscipiat, ieiunat & Christus, vt æternæ salutis sacramēta constituat, Ieiunat Moyses, vt Deum videret: ieiunat & Iesus, vt vnum se esse cum Deo dum diabolum triumphat ostenderet. Moyses post ieiunium scriptas digito Dei tabulas populo præuaricante confregit. Christus suo ieiunio mansurum per sæcula euangelium consecrauit. Quid illud est autem quod cū vterque quadragenos ieiunauerit dies, non vterque post ieiunium esurisse perhibetur? Moyses vtique nō esuriuit, vt in homine fragili operata diuinitas probaretur. Esuriuit Dei filius, vt assumptionem carnis nostræ fragilem suscepisse hominem reuelaret. Quod non esurit Moyses cœlestis est possibilitatis exemplum: quod esurit Christus nostræ redemptionis est sacramentum. Huiusmodi dominus peregit in sua carne mysterium, vt sicut Deus esse diuinis virtutibus creditur, ita & homo esse infirmitatibus dignoscatur humanis. Et hinc est quod Christus, vt homo esurit, & esurientes pascit vt Deus. Hinc quod fatigatur itinere, & claudis virtutem tribuit ambulandi. Hinc quod oculos suos laxat in lachrymis, & mirabiliter cæcis reformat aspectum. Hinc quod appropiante morte tristatur, & mortuum Lazarum suscitat de spulchro. Hæc omnia fratres, conditor ac redemptor vt Deus & homo agit, non quia talis illi nascendi necessitas fuit: sed quia tale in cœlo & terris voluit regnare mysterium. Illud etiā quantæ est admirationis in Christo quod ita ad omnia tētatoris interrogata respondit, vt nec veritatem regni sui Tyranno proderet, nec mysterium susceptæ carnis explorator agnosceret? Tanta denique sermonem suum subtilitate circumtulit, vt ille totius doli artifex inimicus, furoris sui errore deceptus, dum Christum tentat vt hominem, Deum in homine non videret. Nos verò, fratres, quibus propugnator inuictus hanc venerabilem quadragesimam dedicauit, repudiantes carnalia desideria sic castigamus membra ieiuniis, vt animas virtutibus saginemus. Ieiunet in nobis perniciosa luxuries, ieiunet omnis iniquitas, ieiunet odiosa contētio. Abstineamus ab epulis, magis abstineamus à vitiis, sic nos temperemus, sic sobrij simus à vino, vt nulla nobis voluptatū dominetur ebrietas. Quid enim prodest obseruatione quadraginta dierum ieiunandi nos tempora custodire, & legem nō tenere ieiunij? Quid prodest vobis vacare à conuiuiis, & diem litibus occupare? Quid prodest proprium non edere panem, & victum diripere miserorum! Ieiunium Christiani, egentis debet esse refectio. Ieiunium Christiani pacem debet nutrire, non iurgia. Quale illud est autem quod non vesceris carnibus, & de ore tuo omni esca sordidius egreditur maledictum? Quale est quod sanctificatur venter ieiunio, & polluitur lingua mendaciis? Rectè sanè, frater, frequentabis Ecclesiam, si gressus tuos lethalibus laqueis auida illa non implicet & inuoluat vsura. Rectè orabis Dominum tuum, si precibus tuis obuia tibi cordis tui obsistat inuidia. Rectè contundes manibus pectus, si omnem inde furorem malignæ voluntatis excusseris. Iustè etiam dabis denarium pauperi, si alij illud pauperi non tulisti. Hæc ergo est, charissimi, religiosa esuries, hic fidelium passus animarum, vt ieiunium nostrum sanctificet castitas, ornet patientia, benignitas foueat, misericordia lætificet, commendet humilitas. His quadragesimam Christi prout possumus virtutibus subsequamur, vt gemino quodam corporis animique ieiunio, diuinæ nos semper gratiæ commendemus.

Exod. 32.

Christus Deus & homo, Vnde dignoscatur.

Ioan. 11.

Adortatio ad ieiunium.

Ieiunium. Christiani quale.

Religiosa esuries.

Homilia quarta vnde supra.

PEractum à Domino nostro Iesu Christo hoc quod lectum est, cum tentatore certamen, nostræ securitati, fratres charissimi, salutique proficit, quia quos olim apud paradisum persuasione serpentis paterna præuaricatio deiecit in mortem, dominicus nunc triumphus erexit ad vitam. Nobis vtique vicit, qui dignatus est esurire pro nobis. Aggreditur itaque diabolus tentare Christum, exploratque sollicitus si forte illum Dei esse filium deprehendat, cui nullum corruptionis suæ videt inesse vestigium. Miratur pariter ac turbatur huiusmodi in hoc sæculum aduentasse hominem, qui natus quidem esset de femina, sed non esset ab homine procreatus. Suspicatur illum Dei esse filium, quem continua um quadraginta dierum videt explicuisse ieiunium. Sed rursus dubitat diuinam illi inesse naturam, quam quasi infirmum inter cæteros homines perspicit esurire. Stuper attonitus quæ sit ista nouitas humanum non habere peccatum, & necessitatem peccatoris hominis sustinere Christus autem Dominus redemptorque noster, vt perditum infirmúmque hominem reuocaret ad Deum, esuriem, lassitudinem, mœrorem, & omnia in se humani corporis infirma suscepit, inter ista ergo diabolus dubius & incertus, hoc cum esuriente Domino sermone congreditur. Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Matth. 4. Stultus & audax qui putaret Dei filium diabolicam voluntatem edendi necessitate facturum, quasi impossibile ei esset in panem lapides commutare, qui quondam sitientibus in deserto populis de petra arida largissima aquarum Exod. 17. fluenta produxit, aut esurienti sibi post quadraginta dierum ieiunium, escam non poterat prouidere, cuius præcepto, vt innumerabilis Hebræorum exercitus pasceretur, cœlestia de nubibus alimenta fluxerunt? Exod. 16. Sed verò omnipotens vnigenitus, qui nostram magis esuriret salutem, tali tentatorem suum responsione confudit, Non in pane tantùm viuit homo sed in omni verbo Dei. Deut. 8. Quo responso, charissimi, vt explorator qui incertus venerat, incertior redderetur, inæstimatæ prudentiæ Dominus, nec inesse sibi esuriem denegauit, nec manducandi necessitatem se habere professus est. Non, inquit, in pane tantum viuit homo, sed in omni verbo Dei. Hoc est, etsi ego esuriam, mihi tamen, diabole, non est necessarius panis, qui ex tuo consilio tuáque voluntate descendit. Reficit quidem esuriem corporeus panis, verbum autem Dei cunctis fidelibus substantiam sempiternæ salutis operatur. Sed doceri nescius inimicus, stanti Domino super pinnam templi iterum ait. Si filius Dei es, mitte te deorsum Scriptum est enim, quod angelis suis mandauit de te, vt manibus tollant te, ne vnquam offendas ad lapidem pedem tuum. Psalm. 90. Mitte te, inquit, deorsum. Diabolicæ est consuetudinis, fratres charissimi, præcipitium persuadere, sed obedire ei ille non poterat, qui cadere nesciebat. Nec quicquam de Domino surreptor impetrat, quia non sunt religionis eius verba, sed fraudis. Quem redemptor humani generis rursus telo sententiæ cœlestis euerberat, dicens. Scriptum est. Non tentabis Dominum Deum tuum. Deut. 6. Qua responsione ne quid manifesta veritate autor falsitatis audiret, verborum sensuúmque moderator Dominus ex alto dare nec prodidit se posse, nec non posse mentitus est: sed scriptum est, ait, non tentabis Dominum Deum tuum. Id est, Deum tentat, qui iactantiæ suæ vitio superfluam & inutilē vult ostentare virtutem.

Quid enim vtilitatis habet, quid commodi confert, si per præceps hinc in plana descendero? Aut cur adulationis tuæ tentamentis ista persuadeas, cum tui sit operis de superioribus corruentem ad inferiora deiicere? Post hæc verò, vt lectio decursa testatur, duxit illum in montem excelsum, & ostendit ei omnia regna mundi, dicens. Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me. Vt fallax deceptor offert quod non habet, & vt verè cæcus cœlorum Domino terrarum regna promittit. Hæc omnia, inquit, tibi dabo, si procidens adoraueris me. Verè procidit & cadit, qui non largiente Deo, sed ad nutum diaboli acquirit sæculi dignitates. Respondit autem ei Dominus: Vade retro Sathana. Scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. (Deuter.6. & 10.) Iustissimè retrorsum abire præcipitur, qui tentando ad hoc vsque peruenit, vt se ab adorando Dei filio posceret adorari, æstimans quod Christus qui decipi laudis suæ subreptione non potuit, indignatione ingestæ contumeliæ se proderet exploranti. Sed fortissimus propugnator qui pro vita ac libertate nostra aduersus tyrannum suum nouum bellum gerebat, nec molli adulatione frangitur, nec durissimis iniuriis commouetur, sed ita ad omnia inimici tentamenta respondit, ne posset in vno eodémque Deo & homine cœlestis mysterij deprehendere sacramentum. (Adhortatio.) Et ideo, fratres, dominici certaminis victoriæque exemplum sequentes, & diabolicas præcauentes insidias, horum quadraginta dierum acceptabile Deo nostro ieiunium celebremus. (Quomodo aduersarij doli superandi.) Tunc enim dolos aduersarij superare poterimus, si continuatis precibus, aut per casta ieiunia corporis vitia compescamus, aut cor nostrũ ab omni vanitate & ambitione purgemus, vt ait ipse saluator. (Matth.17.) Hoc genus non eiicitur nisi ieiuniis & oratione. Bene autem ieiunat, quicunque esuriem suam refecti pauperis satietate sustentat. Bene ieiunat qui diuini recordatione iudicij semetipsum refrænans ab omni illecebrarum voluptate suspendit. Bene ieiunat qui carnem suam vitiorum germina pullulantem, sanctarum meditatione virtutum, & sobrietatis amore castigat. Bene ieiunat qui fraternas iniurias pacifici pectoris lenitate dimittit. (Gratissimum Deo ieiunium quale sit.) Gratissimum Deo defert ieiunium, qui mentem suam à prauis cogitationibus, oculos à concupiscentia, linguam manúsque à lite custodit. Et post omnia, frater, beatus eris & bene esuries panem ac sities poculum, si Christianæ mentis affectu cœperis esurire & sitire iustitiam, sicut ipse Dominus dixit. (Matth.5.) Beati qui esuriunt ac sitiunt iustitiam, quia ipsorum est regnum cœlorum. Propter quod, charissimi, si volumus diabolum superare cum Christo, si desideramus transeuntes è sæculo regnare cum Deo, si optamus sacratissimum resurrectionis dominicæ diem lætis mentibus celebrare, ab esca quidem, vel potu pro viribus temperemus, à vitiis autem totis viribus ieiunemus.

Dominica in ramis palmarum super illud Psalmi: Deus Deus meus respice in me. Homilia.

PSalmi vigesimi primi, qui lectus est, seriem decursuri, diligenter prius debemus intendere, quid in superscriptione contineat, vt cognita eius origine intelligentiam ipsius facilius consequamur, & manifestato capite possint rectius membra distribui. Inscribitur enim ita: In finem pro susceptione matutina psalmus ipsi Dauid. Nisi fallor susceptio matutina solis ortũ semper anteuenit, & priusquam orbem radiorum clarus splendor illuminet, matutinum noctium tenebris terminum ponit, ac resoluta sensim caliginum cæcitate, rebus cũctis facies quædam ac lumen infunditur, & cum veluti sub vna materia tenebrarũ mundus in confusione iacuerit, interueniente matutino, diuersa specierum varietate distinguitur, hoc est, cum omnia cæca fuerint, oculi omnium reparantur. Nox enim quodammodo aufert oculos mundo, aurora restituit. Atque ita ante matutina susceptione perfruimur, vt gloriosius postmodum solis splendore potiamur. Sed quoniam (sicut dicit Apostolus) lex spiritualis est, spiritualibus spiritualia comparanda sunt. (Rom.7.) Solem hic iustitiæ arbitror designari, hoc est, Christum Dominum, qui nobis ignorantiæ tenebris & peccatorum cæcitate submersis, cœlestis doctrinæ suæ lumen infundit, & quos non habebamus oculos cordis inseruit, & velut radios quosdam Apostolos suos misit, qui nos de nocte teterrima delinquentiæ liberaret, & paulatim resolutis in nobis tenebris peccatorum matutina nos susceptione consuesceret, vt perfecti facilius possimus tolerare solis ardorem, hoc est, primum nos præceptis simplicioribus erudirent, quo capaciores efficerent cœlestium secretorum. Huius itaque solis iustitiæ matutino, peccatorum caligo tota perimitur, sicut ipse Propheta ait ex persona Domini. In matutinis interficiebam omnes peccatores terræ, hoc est, oriente in nobis sole iustitiæ, qui habitaculum domini sumus, omnis cogitatio iniqua subuertitur. (Psal.100.) Totus autem hic psalmus digressus est ex persona Domini saluatoris, quippe cum plura de eo in nouo sint posita testamento. Dicit itaque, Deus Deus meus respice in me, & reliqua. Quare assumpti hominis agit causam, vt interrogare quodammodo videatur, dicens Deus omniũ qui es Deus meus, cur me dereliquisti? Nihil enim mihi conscius sum. Secundum enim Prophetam nesciebat peccatum, nec erat dolus in ore eius. (Esa.53.) Hæc autem dicit, vt manifestaret propter nos se esse derelictum, quorum peccata portabat, ac videntes disceremus, & nos pro ipso sancto & iusto mori cum pro peccatoribus ille moreretur. Denique hac voce in passione vsus est, sicut in euangelio legimus: Eli, Eli, lamasabachthani, hoc est, Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? Hac inquam voce vsus est, vt quod prophetia annunciauerat, rei exitus approbaret. (Psal.18.) Et quoniam sequentia pene manifesta sunt, illum inspiciamus versiculum, in quo ait. Ego autem sum vermis, & non homo. (Humilitas maxima sanctorum virtus.) Cur totius Dominus creaturæ vermiculo se voluerit comparari, possimus hoc quidem humilitati primitùs assignare, quæ sanctorum virtus est maxima, sicut sanctus Moyses ante Deum, animal se irrationabile profitetur, Dauid pulicem se sæpe commemorat. Sed magis illud accipiendum puto, quoniam vermis nulla extrinsecùs admixtione alieni corporis, sed de sola & pura terra procreatur, ideo illum comparatum Domino, quoniam & ipse saluator de sola & pura Maria generatur. Legimus etiam in libris Moysi de manna vermiculos procreatos: digna plane & iusta comparatio. (Exod.16.) Siquidem de manna vermiculus gignitur, & Dominus Christus de virgine procreatur, quin potiùs ipsam Mariam manna dixerim, quia est subtilis, splendida, suauis & virgo, quæ velut cœlitus veniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit, quem qui edere ac manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit, sicut ipse Dominus ait. Nisi quis manducauerit meam carnem, & biberit meum sanguinem, non habebit vitam in semetipso, sed potius ipse cibus in iudicium conuertetur, sicut Apostolus dicit. (Ioan.6.) Qui (1.Cor.11.)

manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat.
Exod. 16. Quod filiis Israël subtiliter prophetatum est in veteri testamento. Manna enim illis cót... diuina præcepta tractantibus, vermes effecti sunt, id est, contumaciæ vltores & iudice. Quæ similitudo Christum indicat Dominum, quem qui suauem cibum & dulcem potum humane neglexerit, iudicē patietur, sicut ipse ait.
Ioan. 9. Neque enim pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio. Quod autem dicit, diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestimentum meum miserunt sortem, hoc factum in Euangelio reperimus, quod milites quatuor qui
Ioan. 19. crucifixerunt saluatorem, in quatuor partes eius sibi diuiserunt vestimenta, vestimentum verò eius quod assutum non erat, sed erat de superiore contextum, sorte perceperunt. Quæ igitur ista vestimenta sunt videamus, qui milites, quodve etiam vestimentum? Vestimenta esse puto prophetias, vel scripturarum cœlestium lectiones, quibus Christi Domini annunciatum est sacramentum, quas prophetias vnū canentes & vnum per omnia nunciantes aduersarij saluatoris, hoc est, peruersi hæretici, qui quotidie in illo tanquam milites manus impias ingerunt, hoc pro sua sibi diuidunt voluntate, & vnius corporis vestimenta per varia membra distribuūt, atque spoliantes Dominum sua falsa dogmata vestierunt. Vestimentum autem eius quod non erat consutum; sapientiam eius cœlestem possumus approbare, quia erat de superiore contextum. Nostra enim sapientia, hoc est, humana consuitur. Adsuitur enim cum liberos damus ad studia Grammaticis, tradimus Philosophis, erudimus eos, vt sapientia in illis, quæ non erat, acquiratur. Domini autem sapientia non assuta
Ioan. 7. est, non quæsita. Non enim didicit à magistro, sicut ipsi Iudæi dicunt, quomodo hic litteras nouit cum non didicerit, & ipse dicat: Mea doctrina non est de
Ibidem. hoc mundo, sed eius qui me misit. Hoc est quod ait de superiore contextum, quo vestimento, vel quibus omnibus vestimentis Ecclesia Catholica semper amicta est, sicut Propheta ait. Astitit regina à
Psal. 44. dextris tuis in vestitu deaurato,

Hæretici saluatoris aduersarij.

De accusato & iudicato Domino apud Pilatum. Homilia prima.

Mirum forsitā videatur vobis, fratres, cur dominus apud præsidem Pilatum à principibus sacerdotum accusetur & taceat, nec nequitiam eorum sua responsione conuincat, cùm vtique ingestam accusationem non nisi refellere soleat subsecuta defensio. Mirum, inquam, sit fratres quod arguatur saluator & taceat. Taciturnitas enim interdum pro consensu habetur. Videtur namque confirmare quod obiicitur, cui non vult respondere quod quæritur. Accusationem ergo suam Dominus tacendo confirmat? Non planè accusationem suam tacendo confirmat, sed despicit non refellendo. Benè enim tacet qui defensione non indiget. Ambiat defendi qui metuit superari. Festinet loqui qui timet vinci. Christus autem cum condemnatur & superat: cum iudicatur & vincit, sicut ait Propheta, vt iustificeri in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Quid ergo opus erat ei loqui ante iudicium, cui ipsum iudicium erat plena victoria? Vincit enim cum iudicatur Christus, quia sic innocens approbatur. Vnde ait Pilatus. Innocens ego sum à sanguine huius iusti. Melior est igitur causa quæ non defenditur & probatur, plenior iustitia est quæ non verbis astruitur, sed veritate fulcitur. Taceat lingua necesse vbi ipsa æquitas sibi adest. Taceat lingua in

Christus cur taceat.
Psal. 50.
Matth. 27.

bono negotio, quia & malas causas obtinere consueuit. Nolo sic defendi iustitiam, sicut solet iniquitas excusari. Quod vincit Christus non orationis est, sed virtutis. Scit enim saluator qui est sapientia, quomodo tacendo vinceret, quomodo non respondendo superaret, atque ideo causam suam maluit comprobare quam dicere. Quæ enim res illum compelleret ad loquendum, cum silentium satis sufficeret ad vincendum? Sed fortasse metus eum cogeret ne salutem perderet, nisi quod ipsa erat tota causa victoriæ. Suam enim salutem perdidit, vt salutem omnium lucraretur. In se vinci maluit, vt victor esset in cunctis. Sed quid de Christo loquar? Daniel. 13.
Susanna mulier inimicos suos tacuit & vicit. Non enim apud Danielem iudicem verborum se ratione defendit, non patrocinij sermone tutata est, sed in sancta femina tacente lingua pro ea castitas loquebatur. Castitas enim Susannæ adfuit in iudicio, quæ eam defendit & in paradiso. Ibi enim pudori eius cōsuluit, hic saluti. Ibi enim macularetur pudicitia, hic ne innocentia damnaretur. Castitas ergo Susannæ & Presbyteros & impudicos conuicit in paradiso, & in iudicio falsos accusatores obtinuit, bisque victrix reos facit testimonij, quos reos fecerat adulterij, atque tandem iudicem meretur castitas Danielem puerum iuniorem necdum pubescentis ætatis. Multum igitur de Deo pudicitia consequitur, cum iudicem virginem promeretur. Secura enim est de victoria castitas, cui est iudicatura virginitas. Pudicitiæ autem causam nisi vir pudicus audire non debuit, talem enim arbitrum meretur castimonia, apud quem non periclitetur verecundia. Cognito igitur Daniel Susannæ negotio, cum eam falsis accusationibus vellet plebs imperita damnare, ait idē. Mundus ego sum à sanguine huius. Quo dicto peccantis populi reuocauit errorem. Hac ergo voce circa Susannam Daniel vtitur, qua circa Dominum vsus est & Pilatus. Ait enim Pilatus. Mundus ego sum à sanguine huius iusti. Eadem igitur sententia soluitur pudicitia, qua est absoluta iustitia, sed Daniel melius quam Pilatus. Ille enim pudicnæ sanguinem non condemnat, sed liberat: hic autem iustum sanguinem & confitetur & tradit. Quid enim profuit testimonium perhibuisse innocentiæ, & velut reum addixisse nequitiæ, nisi quod grauius peccatum est vnum eundémque & pronunciare iustum, & tradere criminosum? Ipse enim iniquitatis suæ testis est qui ore absoluit, & corde condemnat. Lauerit licèt manus suas Pilatus, tamen sua facta non diluit, & quamuis abstergere se putauerit iusti sanguinem de suis membris, eo tamen sanguine mens eius tenetur infecta. Ipse enim occidit Christum qui cum tradidit occidendum. Iudex enim constans & bonus, ne sanguinem innocentis addiceret, nec inuidiæ cedere debuit nec timori. Daniel ergo melius quam Pilatus. Ille peccantis populi reuocauit errorem, hic autem furentis synagogæ sacrilegium confirmauit.

Ibidem.
Matth. 27.

Homilia secunda vnde supra.

Ante dies prosecuti sumus sanctæ Susannæ iudicium simile admodum fuisse iudicio saluatoris, & iisdem criminationibus laborasse memoratæ castitatem fœminæ, quibus Christi laborauit integritas. Similiter enim persecutores in Susanna passa est pudicitia, sicut & in Christo passa est iustitia. Illa enim dum in adulterio conuincit Presbyteros, ipsa tanquam adultera retinetur, hic dum in sacrilegio arguit Pharisæos, ipse tanquam sacrile- Daniel. 13.

sacrilegus accusatur. Quod quidem sacrilegium in Pharisæis maius adulterium vocari potest. Grauius est enim religionis adulterum esse quam corporis, & plus est integritatem diuinitatis lædere quam integritatem hominis violare. Condemnatur ergo Susanna, condemnatur & dominus. Illa quia castitatē corporis tuebatur, hic quia religionis castimoniam defendebat. Similis igitur erat in vtroque causa iudicij, nisi quod meliore vsa est iudice Susanna quam dominus. Hunc enim præses iudicat, hanc propheta. Hunc audit vir qui Pharisæorum seditionibus terrebatur, hanc audit puer qui sancto Spiritu replebatur. Iste quod sentit, constanter pronunciat, non defendit. Susannæ enim iudex quam absoluit & liberat, Domini cognitor quem absoluit damnat & tradit. Simile ergo fuit pene per omnia Susannæ Dominique iudicium. Siquidem nec accusatio in iis fuerit ipsa dissimilis, Susannam enim seniores deferunt, Dominum Iudas accusat. Illam doctores sui, hunc discipulus proprius criminatur. Susannam inquam pseudo presbyteri arguunt, prodit pseudoepiscopus Saluatorem. Episcopus enim & Iudas fuit, sicut ait propheta de eodem dicens, Fiant dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter. Sed nec locus fratres in vtraque causa videtur esse dissimilis: Susanna enim in paradiso ab accusatoribus circumuenitur, Dominus horti in paradiso à traditoribus circundatur. Illa ibi insidiatores patitur, iste hic sustinet proditorem. Videamus autem exitum vtriusque iudicij. Susannæ accusatores tanquam falsi testes prophetica sententia feriuntur, & eiusdem criminis puniuntur rei, cuius damnare innocentis sanguinem gestiebant, Domini autem traditorem non inuenio à iudice esse damnatum. Non enim eum damnat Pilatus, non damnat populus, sed quod est grauius, se ipse condemnat, & cessante iustitia iudicatur. Quem enim alter iudicat potest vtcumque esse excusabilis, reus autem sine excusatione est qui conscientiæ suæ iudicio condemnatur. Quem alter iudicat, potest quandoque à suo iudice spetare indulgentiam, qui se ipse iudicat à quo indulgentiam postulabit? Referens enim Iudas dominici sanguinis pretium ait Iudæis. Peccaui quod tradiderim sanguinem innocentem. Magnum igitur dominicæ innocentiæ testimonium est, dum accusator eius & confitetur de scelere, & reus est de mercede, dum enim miser refudit venditionis pretium, putat se facinoris sui soluere posse contractū. Sed nec iste absoluitur. Dum enim author venditionis suæ reus est, constat istos sceleratum cum sacrilego iniisse contractum. Sua ergo sententia Iudas proditor condemnatur. Mirum forte sit vobis quod non eum populus iudicauerit, non præses addixerit, hoc sacrilegi solet esse iudicium, vt impietatē suam ipse dum recordatur & puniat, scelus suum dum recognoscit & vindicet. Omnium enim supergreditur sententias, qui à sua conscientia, sua sententia condemnatur. Hoc inquam sacrilegio solet esse iudicium, vt conscius facti ipse se damnet, sicut ait Apostolus Paulus de hæretico dicens: Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionē deuita, sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit proprio iudicio condemnatus. Ipse enim se damnat hæreticū, cum de ecclesia ipse se proiicit, & de cœtu sanctorum nullo compellente procedit. Ipse enim ostendit quid mereatur à cunctis, qui suo iudicio separatur à cunctis. Ipse inquam se damnat hæreticus, quia cum omnes criminosi, episcopi sententia proiiciantur de consortio Christiano, hæreticus cuncta præueniens sententia suæ voluntatis abiicitur. Tali ergo hæreticus, quali & Iudas pœna damnatur, vt idem sui & reus sit sceleris, & iudex sit vltionis. Tali inquam hæreticus, quali & Iudas pœna damnatur, nec immerito, quia Dominum quem ille vendidit, iste blasphemat, quem ille persecutoribus tradidit, quotidie iste persequitur. Persequitur enim hæreticus Dominum, cum diuinitatem ei derogat, & asserit creaturam.

Similis domini & Susannæ iudicij causa.

Psal. 108.

Matth. 27.

Tit. 3.

Eadem pœna hæreticus qua & Iudas damnatur.

De Iuda traditore homilia.

Retinet dilectio vestra nos hoc proxima dominica prædicasse, quod Iudas Scarioth propria sententia cōdemnatus, ad Pharisæos dominici mercedem sanguinis reportarit, & actus pœnitentia refuderit venditionis pretium, sed conscientiæ suæ non resoluerit scelus. Denique post redditum pretium laqueo se suspendit, vt qui se mulctauerat pecunia, mulctaret & vita. Intelligens enim quantum scelus admiserit, nō suffecit ei sacrilegij carere mercede, nisi carerer & salute. Dignum enim se morte iudicauit, quod Christum vitam omnium tradidisset. Seuerissimus igitur iudex sui Iudas, vel in vlciscendo confitetur quem negauerat in tradendo. Restituit ergo pecuniam Pharisæis, sed nec Pharisæi eam libenter accipiunt Dicunt enim inhibitum sibi esse in suis eā habere thesauris. Videte igitur quanta vis dominicæ sit pecuniæ, quam inde Iudas reiicit, hinc Pharisæi loculos non recludunt. Iusti enim sanguinis pretium pertimescit iniquitas possidere, consilium tamen ineunt Pharisæi, vt ex ea ager figuli comparetur, in quo peregrinorum corpora collocentur. Quod quidem prouidentiā factum puto, vt pretium saluatoris non peccatoribus sumptum præbeat, sed peregrinis requiem subministret, non sacrilegis sit ad lusum, sed defunctis sit ad sepulchrum, vt iam exinde Christus & viuos sanguinis sui passione redimat, & mortuos pretio à passione suscipiat. Pretio ergo Dominici sāguinis ager figuli comparatur Legimus in scripturis, quod totius generis humani salus redempta sit sanguine saluatoris, sicut ait Apostolus Petrus. Non enim redempti estis corruptibilibus auro vel argento, sed pretioso sanguine agni incontaminati & immaculati Iesu Christi. Igitur si pretium vitæ nostræ, sanguis est Domini, vide ergo quia illa non tam redempta sit agri terrena fragilitas, quam totius mundi incolumitas sempiterna. Ait enim Euangelista. Non enim venit Christus vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Vide inquam ne pecunia illa non tam comparatio sit agri parua portio, quam totius mundi copiosa possessio, sicut ait Dauid Propheta. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Ager ergo iste mundus hic totus est, in quo nos dispersi & disseminati domino fructum boni operis germinamus. Sed fortasse perquiras à me, si ager mundus est, quisnam sit figulus, qui mundi possit habere dominatum? Nisi fallor, ipse est figulus qui vascula corporis nostri fecit è limo, de quo dicit scriptura. Et fecit Deus hominē de limo terræ. Ipse est figulus qui carnium nostrarum cœnosum lutum vapore sui spiritus animauit, & materiam fluidam atque terrenam ignito calore decoxit. Ipse, inquam, est figulus, qui nos per manus suas formauit ad vitam, per Christum suum reformauit ad gloriam, sicut ait Apostolus: Ad eandem imaginem reformamur de gloria in gloriam, scilicet, vt qui à priore factura propriis vitiis corruimus, in secunda natiuitate figuli huius misericordia reparemur, hoc est, qui per Adæ transgressionem morte concidimus, per

Matth. 27.

1. Petr. 1.

Ioan. 5.

Psalm. 2.

Ager mundus ep.

Genes. 2. Deus figulus est.

2. Cor. 3.

per saluatoris gratiam denuo resurgamus. Ipse plane est figulus, de quo dicit beatus Apostolus: Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, cur me fecisti sic? Et iterum: Nunquid non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Ex eodem enim luto corporis nostri Deus pro meritis singulorum alios reseruat ad pœnam, alios ad gloriam. Istius itaque figuli ager, Christi sanguine emptus est peregrinis. Peregrinis inquam qui erant sine domo, sine patria, & toto orbe exules iactabantur, requies Christi sanguine prouidetur, vt quibus non est in mundo possessio, iis in Christo sepultura. Istos autem peregrinos quos esse dicimus, nisi deuotissimos Christianos, qui renunciantes sæculo, & nihil possidentes in mũdo, in Christi sanguinem requiescunt? Christianus enim qui mundum non possidet, hic totum possidet saluatorem. Ideo autem peregrinis Christi sepultura promittitur, vt qui se à carnalibus vitiis tanquam peregrinum & alienum custodierit, is Christi requiem mereatur. Sepultura enim Christi quid est aliud, nisi requies Christiani? Nos ergo peregrini in hoc mundo sumus, & tanquam hospites in hac luce versamur, sic ait Apostolus dicens: Etenim dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Peregrini inquam sumus, & nobis saluatoris sanguinis pretio empta est sepultura. Consepulti enim sumus (sicut ait Apostolus) cum illo per baptismum in mortem. Baptismus igitur Christi nobis est sepultura, in quo peccatis morimur, criminibus sepelimur, & veteris hominis conscientia resoluta in alteram natiuitatem rediuiua infantia reparamur. Baptismus inquam, saluatoris nobis est sepultura, quia & ibi perdimus ante quod viximus, & ibi denuo accipimus vt viuamus. Magna igitur sepulturæ huius est gratia, in qua nobis & vtilis mors infertur, & vita vtilior condonatur. Magna, inquam, huius gratia sepulturæ; quæ & purificat peccatorem, & viuificat morientem.

Rom. 9. Ibidem. Peregrini sunt Christiani. Sepultura requies est Christiani. 2. Cor. 5. Coloss. 2.

De passione & cruce Domini. Homilia prima.

SÆculi ferunt fabulæ Vlyssem illum qui decennio marinis iactatus erroribus ad patriam peruenire non poterat, cum in locum quendam cursus illum nauigij detulisset, in quo Sirenarum dulci cantus crudelis varietate resonabat, & aduenientes sic blanda modulatione mulcebat, vt non tam spectaculum voluptatis caperent, quam naufragiũ salutis incurrerent. Talis enim erat illis oblectatio cantilenæ, vt quisquis audisset vocis sonitum, quasi quadam captus illecebra non iam tenderet ad eum quem volebat portum, sed pergeret ad exitum quod nolebat. Igitur cum Vlysses incidisset hoc dulce naufragium, & suauitatis illius vellet declinare periculum, dicitur inserta cera auribus sociorum seipsum ad arborem nauigij religasse, quo & illi carerent perniciosa auditus illecebra, & se de periculo nauigij cursus auferret. Si ergo de Vlysse illo refert fabula quod eum arboris religatio de periculo liberarit, quanto magis prædicandum est, quod vere factum est, hoc est, quod hodie omne genus hominum de mortis periculo crucis arbor eripuit? Ex quo enim Christus Dominus religatus in cruce est, ex eo nos mundi illecebrosa discrimina velut clausa aure transimus, nec pernicioso enim sæculi detinemur auditu, nec cursum melioris vitæ deflectimus in scopulos voluptatis. Crucis enim arbor non

Legatur Hom. l. 30. Odysseæ. Virgil. Æn. 7. Ouid. 14. metamor. Diodorus Sicul. l. 5. Boëtius de consol. 4. metro. 3. Aug. de ciuitate Dei, li. 18. c. 17.

solum religatum sibi hominem patriæ repræsentat, sed etiã socios circa se positos virtutis suæ vmbra custodit. Quod autem crux ad patriam post multos errores redire nos faciat, Dominus declarat dicens latroni in cruce posito: Hodie mecum eris in paradiso. Qui vtique latro diu oberrans ac naufragus aliter ad patriam paradisi, de qua primus homo exierat, redire non poterat, nisi fuisset arbori religatus. Arbor enim quædam in naui est crux in Ecclesia, quæ inter totius sæculi blanda & perniciosa naufragia incolumis sola seruatur. In hac ergo naui quisquis aut arbori crucis se religauerit, aut aures suas scripturis diuinis clauserit, dulcem procellam luxuriæ non timebit. Sirenarum enim quædam suauis figura est, mollis concupiscentia voluptatum, quæ noxiis blandimẽtis constantiam captæ mentis effeminat. Ergo Dominus Christus pependit in cruce, vt omne genus hominum de mundi naufragio liberaret. Sed omittamus Vlyssis fabulam, quæ ficta, non facta est, videamus si quod in scripturis diuinis exemplum simile possumus inuenire, quod Dominus per semetipsum postea completurus, per prophetas suos ante promiserit. Legimus in veteri testamento cum Moyses sanctus filios Israël de captiuitate Ægypti produxisset, atque idem populus in deserto graui à serpentibus incursione laboraret, nec aliqua illis armorum defensio posset obsistere, tunc sanctus Moyses diuino repletus spiritu, serpẽtem æreum affixum ligno inter medias morientiũ erexisse turbas, & mandasse populo, vt de illo signo spem gererent sanitatis, atque hac re tantam medicinam contra morsum aspidum prouenisse, vt quisquis vulneratus in illam serpentis crucem aut respiceret, aut speraret, statim remedium salutis acciperet. Cuius facti etiam Dominus in Euangelio meminit dicens: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Vnde si affixus serpens ligno filiis Israël contulit sanitatem, quanto magis salutem præstat populis Dominus in patibulo crucifixus? Et si figura tantum profuit, quantum prodesse credimus veritatem? Serpens igitur primus crucifigitur. Rectè planè, vt quia primus apud Deum peccauerat diabolus, primus crucis sententia feriretur. In ligno enim crucifigitur, rationabiliter factum, vt quia homo in paradiso per arborem concupiscentiæ deceptus fuerat, nunc idẽ per ligni arborem saluaretur: atque eadem materia quæ causa mortis fuerat, esset remedium sanitatis. Deinde post serpentem in saluatore homo ipse crucifigitur, scilicet vt post authorem puniatur & facinus. Per primam enim crucem vindicatum est in serpentem per secundam in venena serpentis, hoc est, primum author ipse punitur, deinde eius malignitas condemnatur. Virus enim quod persuasione sua in hominem transfuderat, nunc reiicitur, nunc curatur. Nam cum homo passioni addicitur, non morti traditur, sed mortis in eo facinus emendatur. Hoc enim egit Dominus per hominem quem suscepit, vt dum innocens patitur, præuaricationis illius diabolicæ in eo inobedientia corrigatur, & deinceps liber à culpa fieret, ac liber esset à morte. Habentes igitur Dominum Iesum qui nos passione sua liberauit, in ipsum aspiciamus semper, & ipsius signo speremus nostris vulneribus medicinam, hoc est. Si forte nobis venenum auaritiæ se diffundit, ipsum consideremus, & sanat: Si scorpionis nos libido compungit, ipsum rogemus, & curat: Si terrenarum cogitationum nos morsus lacerant, eundem precemur, & viuimus. Hi enim sunt spirituales serpentes animarum nostrarum, propter quos conculcandos Dominus crucifixus est, de quibus ipse ait:

Luc. 23. Crux in Ecclesia est arbor in naui. Vlyssis fabula ficta non facta est. Num. 21. Ioan. 3. Exhortatio dominicæ passionis. Luc. 10.

Super

Super serpentes & scorpiones ambulabitis, & nihil vobis nocebunt.

De cruce & sepultura Domini. Homilia secunda.

DIximus hesterna die quod crux Domini salutem generi contulerit humano, & verum est. Passio enim illius nostra redemptio est: mors eius vita nostra est. Ideo autem mala hæc cuncta sustinuit, vt nos bona omnia sentiremus, ideo crudelitatem in se exerceri maluit, vt nobis misericordiam largiretur. Bonus ideo in nos ita esse voluit, vt ante in se esset immitis. Auferens enim per crucem humani generis iniurias, omnes eas in sua passione cōsumpsit, vt vlterius non esset homini quod noceret. Grande ergo crucis est sacramentum, & si intelligamus, per hoc signum etiam mundus ipse saluatur. Nam cum à nautis scinditur mare, prius ab ipsis arbor erigitur, velum distenditur, vt cruce Domini facta, aquarum fluenta rumpantur, & hoc dominico secuti signo portum salutis petunt, periculum mortis euadunt. Figura enim sacramenti quædam est velum suspensum in arbore, quasi Christus sit exaltatus in cruce, atque ideo confidentia de mysterio veniente homines ventorum procellas negligunt, peregrinationis vota suscipiunt. Sicut autem Ecclesia sine cruce stare non potest, ita & sine arbore nauis infirma est. Statim enim diabolus inquietat, & illam ventus allidit, at vbi signum crucis erigitur, statim & diaboli iniquitas repellitur, & ventorum procella sopitur. Sed & bonus agricola cum parat terræ solum vertere, & vitæ alimenta perquirere, non nisi per signū crucis id facere conatur. Dum enim aratro dentale subiicit, afficit aures, stiuam inserit, figuram crucis imitatur. Compactio enim ipsa similitudo quædā est dominicæ passionis. Cœlum quoque ipsum huius signi figura dispositum est. Nam cum quatuor partibus, hoc est, oriente & occidente, ac meridiano & septentrione distinguitur, quatuor quasi crucis angulis continetur. Ipsius enim incessus hominis cum manus leuauerit, crucem pingit: atque ideo eleuatis manibus orare præcipimur, vt ipso quoque membrorum gestu passionem Domini fateamur. Tunc enim citius nostra exauditur oratio, cum Christum, quem mens loquitur, etiam corpus imitatur. Hoc etiam exemplo Moyses sanctus cum contra Amalech bellum gereret, non armis, non ferro, sed eleuatis eum ad Deum manibus superauit. Sic enim habes scriptum. Cum eleuasset manus suas Moyses, vincebat Israël, cum autem deposuisset manus suas, conualescebat Amalech. Hoc igitur dominico signo scinditur mare, terra colitur, cœlum regitur, homines conseruantur. Hoc inquam dominico signo etiam reserantur inferna. Nam ex quo homo Dominus Iesus, qui ipsam crucem gestabat, sepultus in terra est, veluti dirupta ab eo exarata terra, omnes quos retinebat, mortuis germinauit. Sed videamus de hoc ipso Domini corpore, posteaquam de cruce deponitur, quid geratur. Accepit illud Ioseph ab Arimathia vir iustus, sicut ait Euāgelista, & in nouo suo sepeliuit monumento, in quo nondum quisquam positus erat. Beatum ergo corpus Domini Christi, quod cum nascitur vtero virginis, gignitur, cum recedit, iusti tumulo commendatur. Beatum planè corpus quod virginitas peperit, & iustitia custodiuit. Custodiuit illud Ioseph tumulus incorruptum, sicut seruauit illud Mariæ virginis vterus illibatum. Hîc enim viri pollutione non tangitur, ibi mortis corruptione non læditur. Vbique beato corpori defertur sanctitas, vbique virginitas: nouus illud venter concipit, nouus tumulus includit. Dominica ergo & virgo vulua, & virgo est sepultura. Quin potius ipsam sepulturam vuluam dixerim, est enim similitudo non parua. Sicut enim Dominus de Matris vulua viuus exiuit, ita de Ioseph sepultura viuus surrexit, & sicut tunc de vtero ad prædicādum natus est, ita & nunc ad euangelizandum renatus est de sepulchro, nisi quod gloriosior ista est, quam illa natiuitas. Illa enim corpus mortale genuit, hæc edidit immortale. Post illam natiuitatem ad inferos descenditur, post hanc remeatur ad cœlos. Religiosior planè est ista quàm illa natiuitas. Illa enim totius mundi Dominum nouem mensibus in vtero clausum tenuit. Hæc autem tridui tantùm tumuli gremio custodiuit. Illa cunctorum spem tardiùs protulit, hæc omnium salutē citiùs suscitauit.

Sacrificium crucis grande est.

Comparatio ecclesiæ & nauis.

Cœlum crucis figura dispositum est.

Manibus eleuatis cur orare præcipiamur.

Exod. 17.

Luc. 23.

De passione & sepultura Domini. Homilia tertia.

FOrtasse quis dicat de prioris dominicæ prædicatione, in qua prædicauimus non minorem esse gloriam, quod tumulus Ioseph suscitauerit Dominum, quam quod eum sanctæ Mariæ vterus procrearit, quæ comparatio ventris & tumuli, cum illa ex intimis visceribus edidit filium, hic autem solummodo locum præstiterit sepulturæ? At ego dico non minorem Ioseph affectum fuisse quam Mariæ. Siquidem illa vtero Dominum, hic corde concepit. Illa saluatori membrorum suorum secretum præstitit, hic secretum sui corporis non negauit. Illa Dominum pannis inuoluit cum natus est, hic linteis cum recessit. Illa perunxit beatum corpus oleo, hic aromatibus honorauit. Conueniunt ergo sibi obsequia, conuenit & affectus. Vnde necesse est & meritū conuenire, nisi quod Angelus Mariam ad obsequium admonuit. Ioseph autem sola iustitia persuasit, Ioseph in suo sepulchro posuit Dominum. Legimus in Propheta: Sepulchrum patens est guttur eorum. Si ergo sepulchrum patens est guttur hominum, vide ne fortè secundum hanc similitudinem, Dominum Ioseph non tam in sepultura terrena posuerit, quam in monumento sui pectoris collocarit, & custodiendum illum susceperit, non tam memoria fragili elementorum, quàm memoria sancta virtutum. Hæc virtutum fidelis est memoria, quæ intra se continens Christum, lædi eum hæreticorum corruptione non patitur. De qua memoria in sacris dicit Dominus: Quotiescunque hoc facietis, in memoriam mei facietis, donec veniam. Quotiescunque enim Christum loquimur, toties eum sacri oris memoria commendamus. Sepulchrum ergo patens est guttur eorum. Rectè planè dicit propheta. Sepulchrum enim Christi patens est Euāgelistarum beatum guttur, per quod illud æterno litterarum thesauro condiderunt. Patens autem sepulchrum ideo dicitur, quia qui vult ad Christi peruenire mysterium, non ingreditur ad illud, nisi per Euangelicæ scripturæ secretum. In litterarum enim sacrarum quasi quodam nouo vasculo commendandus est Dominus. Quisquis igitur illum videre desiderat, ibi & passionis eius sacramentum inuenit, & resurrectionis gloriam recognoscit. Patens ergo guttur sanctorum est. Vnde Apostolus ad Corinthios, ait. Os nostrum patet ad vos, ò Corinthij, inuitans eos vt per prædicationis suæ semper apertam ianuam ingrediantur Christi secreta mysteria. In hac igitur pectoris memoria collocatur Dominus à Ioseph, vt in iustitiæ sede requiescat & habeat

Psalm. 5.

Luc. 22.

2. Cor. 6.

Saluator quare in aliena sepultura ponatur.

habeat filius hominis vbi caput reclinet. Videamus igitur quare saluator in aliena sepultura ponatur; ac suam non habeat sepulturam. Ideo in aliena sepultura ponitur, quia pro aliorum moriebatur salute. Mors enim ista non illi illata est, sed nobis deleta. Mors ista non illi accidit, sed nobis proficit. Vt quid ergo ei propria sepultura, qui in se morte propriam non habebat? Vt quid illi tumulus in terris, cuius sedes manebat in cœlis? Vt quid illi sepultura, qui tridui tantum temporis spatio, non tam in sepulchro mortuus iacuit, quam velut in lectulo dormiẽs conquieuit? Ipsa enim temporis breuitas declarat somnum potius fuisse quam mortem. Sepulchrum autem mortis est habitaculum necessarium. Necessarium ergo non erat mortis habitaculum Christo qui vita est, nec opus habebat semper viuens domicilio defunctorum. Rectè autem hanc vitam nos in nostro sepulchro condidimus, vt cum ipso viuificante mortem nostram à mortuis surgeremus. Vnde & illa Mariæ Magdalenæ quæ Dominum inter cæteros defunctos in sepulchro quærebat, arguitur, & dicitur illi, quid quæris viuentem cum mortuis? Hoc est, quid quæris apud inferos, quem rediisse iam constat ad superos? Quem illa adhuc non intelligens nec cognoscens, respondit illi: Domine si tulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum, & ego illum tollam. Existimabat enim illum, sicut dicit scriptura, hortulanum esse. Sancta ergo & simplex femina Christum requirebat à Christo, ac deuotione mentis prophetat & nescit. Ait enim Domino de semetipso. Si tu tulisti illum, dicito mihi. Recte interrogat, si tu tulisti eum. Ipse enim tulit corpus suum qui suscitauit, ipse tulit corpus qui illud iacens & dormiens sua aspiratione collegit, ipse tulit corpus, qui diuinitatis illud virtute gestans portat ad cœlos. Atque ideo mulier sapienter interrogat & requirit: Si tu tulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum? Hoc est, si illud auferens de sepulchro ad paradisum transtulisti. Audierat enim illum dicentem latroni, hodie mecum eris in paradiso. Aut certè de infernis in patris dextera collocasti, sicut ait Apostolus. Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est ad dexteram Dei. Beatus ergo qui ita quærit Christum Dominum, vt credat eum & in paradiso constitutum, & in cœlestibus collocatum. Nam qui eum aut in infernis requirit, aut tumulis, dicitur ei, quid quæris viuentem cum mortuis?

(Luc. 24. — Ioan. 20. — Luc. 23. — Coloss. 3.)

De sepultura Domini, & de Maria Magdalene. Homilia quarta.

HÆret adhuc sensibus vestris, fratres, hoc nos ante dies paucissimos prædicasse, quod Maria Magdalene non leuiter fuerit obiurgata, cur post resurrectionem Dominum quæreret in sepulchro, & non reminiscens verborum eius, quibus se ab inferis tertia die rediturum esse dixerat, putaret eum inferni legibus detineri. Arguitur enim non leuiter, cur memoraretur resurrectionis promissum, ac mortis scrutaretur indiciũ. Fides enim humilis & ignara quærit quod nescit, obliuiscitur quod docetur. Festiua quidem est ad obsequium, sed non perfecta est ad credendum. Anxia est de dominicæ carnis iniuria, sed incerta de resurrectionis gloria. Plorat quidem amore Christi, sed mœret desperatione corporis non reperti, periisse putat quem iam regnare constabat, scrutatus eum in tumulo, quem vocare potius debebat è cœlo. Increpatur igitur sancta Maria tanquam pigrior ad credendum, & cum serò licet Dominum cognouisset, dicitur ei à saluatore Noli me tangere, quia nondum ascendi ad patrem. Noli me tangere, increpationis verbum est. Hoc est. Noli me tangere manibus, quoniam resurrectionem meam mentis obliuione non retines. Non potes me corporis tenere complexibus, quoniam fidei perfectione non tangis. Prohibetur tactu quæ amisit auditum. Noli me, inquit, tangere, quia nondum ascendi ad patrem. Videamus quomodo nondum ad patrem ascenderit Christus, quum ipse dicat, quia pater in me, & ego in patre, à quo per indiscretam diuinitatis substantiam nunquam est separatus. Dum enim vnus in vno manet, semper patrem filiúmque simul esse significat. Aut nunquid illuc ascendere se dicit filius vbi ante habitat quam ascendat? Dixit enim idem Dominus: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo. Si ergo cum descendit Saluator in cœlo est, multo magis etiam priusquam ascendat in cœlo est. Sed vide ne forte ad obiurgationem Mariæ vox ista pertineat, cui paulo ante inter sepulchra quærenti Dominum, dicitur. Quid quæris viuentem cum mortuis? Nunc addatur: noli me tangere, quia nondum ascendi ad patrem. Hoc est, quid me contingere cupis, quæ me dum inter tumulos quæris, adhuc ad Patrem ascendisse non credis, quæ dum me inter inferna scrutaris, ad cœlestia rediisse diffidis, dum inter mortuos quæris, viuere cum Deo patre meo non speras? Nondum, inquit, ascendi ad patrem, hoc est, tibi nondum ascendi ad patrem, quia apud fidem tuam adhuc detineor in sepulchro. Quantum in te est enim adhuc humilibus immoror, adhuc inhæreo terrenis, quia nondum me fides tua eleuauit ad cœlum. Quid ergo me festinas contingere, vt Dei filium, quem redeuntem ad patrem mentis deuotione non sequeris? Quisquis igitur vult cõtingere Dominum saluatorem, prius illum debet fide sua ad dexteram diuinitatis imponere, & credulitate cordis collocare in cœlestibus potius quam inter defunctos inquirere. Illi autem ascendit Dominus in patrem, qui eum semper esse credit in patre. Ascendit beatis Apostolis ad patrem, quibus ait. Qui me videt, videt & patrem. Ascendit Ioanni Euangelistæ qui apud patrem eum quæsiuit & reperit, atque ideo ait. Et Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ascendit etiam beato Paulo qui non contentus solũ se scire quod nouerat, nos quoque docuit quemadmodum saluatorem in cœlestibus quæreremus, dicens. Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextra Dei sedens. Et vt nos ab hac humili vel terrena inquisitione Mariæ penitus submoueret, addidit dicens: Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Ergo iam non super terram, nec in terra, nec secundum carnem debemus quærere saluatorem, si volumus eum inuenire atque contingere, sed secundum diuinæ maiestatis gloriam, vt dicamus cum Apostolo Paulo. Nunc autem secundum carnem non nouimus Christum. Igitur & Stephanus beatus fide sua non super terram quæsiuit Christum, sed stantem illum ad Dei dexteram recognouit, ibi illum reperit, vbi mentis deuotione quæsiuit. Non solum autem Stephanus in cœlo videt Christum, sed eum & martyrio suo tangit. Tangit enim Dominum cum pro inimicis suis orans velut fide sua tenens illum dicit: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Intelligite ergo quanta deuotionis est gloria. Maria iuxta Dominum constituta eum tangere non meretur. Stephanus in terris positus Christum tangit in cœlo. Illa inter angelos præsentem non videt saluatorem. Stephanus intra cœlos Dominum cernit absentem.

(Ioan. 20. — Ioan. 14. — Ioan. 3. — Luc. 24. — Tangere Dominum. — Ioan. 14. — Ioan. 1. — Ibidem. — 2. Cor. 5. — Actor. 7.)

De sancto Latrone, Homilia prima.

QVoniam hesterno die de latrone fecimus mentionē, videamus quis ipse latro sit, qui in cruce Domino constituto, non solum peccatorum suorum veniam consequitur, sed etiam paradisi amœnitate donatur, vt qui propter scelera damnatus fuerat ad pœnam, propter fidem transferretur ad gloriam, fueritque illi crux quam pertulit non tam supplicij damnatio quam salutis occasio. In cruce enim positus Christum Dominum nostrum credidit crucifixum. Et ideo qui consortio passionis vtitur, consortio paradisi condonatur. Beatus enim latro dum supplicium patitur, regnum cœleste consequitur. Ecce reus dicitur sicut cui damnari ad tempus expediuit. Non enim perueniret ad gloriam, si non contradictus esset ad pœnam. Videamus, inquam, cur tantorū criminum reus tam citò à saluatore paradisum promeretur, cum alij multorum temporum lachrymis frequentibúsque ieiuniis vix delictorum suorum veniam consequantur. Magna, fratres, & multiplex causa est. Primum quod iste latro deuotione fidei tam repente mutatus est, vt præsentem pœnam despiceret, ac de futura veniam precaretur, & magis crederet vtile sibi esse de æterno iudicio petere, quàm de temporali supplicio postulare. Reminiscens enim scelerum suorum, & pœnitudinem gerens, plus incipit dolere quod sperat, quam sentire quod patitur, potuit enim nisi de futuris amplius cogitasset, qui in Christum semel crediderat, de præsenti magis supplicio deprecari. Deinde illud ad gratiam eius maioris est meriti, quod Christum in cruce positum credidit, & passio quæ aliis scandalum fecit, illi ad fidem profecit. Crucis enim passio multis scandalum fuit, sicut dicit Apostolus: Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. (1.Cor. 1.) Rectè ergo meretur paradisum, qui crucem Christi non putauit esse scandalū, sed virtutem. Dicit enim idem Apostolus: Ipsis vocatis Iudæis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. (Ibidem.) Rectè planè & Dominus huic donat paradisum, quia quē Iudas Scarioth in hortulo paradisi distraxerat, hic in crucis patibulo confitetur. Mira res, confitetur latro quem discipulus abnegauit. Mira, inquam, res, latro honorificat patientem, quem Iudas prodidit osculantem. Ab hoc pacis blandimenta venduntur, ab illo crucis vulnera prædicantur. Ait enim: Memento mei Domine cum veneris in regnū tuū. (Luc. 13.) Hæc est fidei plena deuotio, vt cum de vulneribus Domini profluens sanguis cernitur, tunc de potestate eius venia postuletur: cum videtur eius humilitas, tunc magis timeatur eius diuinitas, cum morti addictus putatur, tunc regis illi honorificentia deferatur. Iste enim fidelis latro non credidit moriturum, quem annunciat regnaturum; (Latro fidelis.) non putat subdendum inferis, quem dominaturum confitetur in cœlo; non arbitratur eum apud tartarum detineri, à quo etiā se postulat liberari. Cernat licet eius hiantia vulnera: spectet ipsius sanguinem profluentem, Deum tamen credit, quem reum nescit, iustum fatetur, quem non meminit peccatorem. Ait enim illi alteri exprobranti latroni: (Luc. 23.) Nos quidem rectè digna factis recipimus, hic autē nihil mali gessit. Intellexit enim quod pro alienis peccatis has plagas susciperet: pro alienis sceleribus hæc vulnera sustineret, & sciuit quod illa in corpore Christi vulnera, non essent Christi vulnera, sed latronis, atque ideo plus amare cœpit postquam in corpore eius sua vulnera recognouit. Ait enim propheta: Quoniam ipse infirmitates nostras portat, & pro nobis dolet. Nos autem existimabamus eum esse in dolore, liuore eius nos sanati sumus. (Esai. 53.) Plus ergo in cruce positus, liuorem eius cernens latro diligit Deum. Mira res, plus in cruce latro Christum diligit, quam Iudas dilexit in cœna. Ille per cibum supplantat magistrum, hic credidit Dominum per dolorem, sicut ait propheta: Qui edebat panes meos adampliauit aduersum me supplantationē. (Psalm. 40.) Cognouit igitur hic latro omnem Dei passionem ex ipsius fieri voluntate, & in potestate eius esse, vel morti animam tradere, vel ad vitam iterum remeare, sicut ipse ait. Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. (Ioan. 10.) Vsque adeo autem illum liberum ab inferni legibus iudicauit, vt etiam se ab iis posceret liberari.

De eodem Latrone & Petro Apostolo & ancilla ostiaria, Homilia secunda.

MEminit, fratres, vestra dilectio, me dedisse rationem, cur tantorum criminum inueteratus latro & scelerum suorum confessione damnatus paradisum in ipso supplicij patibulo potuerit promereri, & tāta fuerit celeritate saluatus, vt peccata eius gratia præuenerit, antequā pœnas, & prius in malis suis gloriari cœperit quam puniri. Non enim patitur supplicium, dum paradisum promeretur. (Ioan. 13.) Petro dicitur à Christo: Non potes me modò sequi, sequêris postea. (Luc. 23.) Et huic dicitur: Hodie mecum eris in paradiso. Tanquam discipulus ille differtur, & hic tanquam socius inuitatur. Ille adhuc reseruatur ad præmium, etiam ad consortium iste diligitur. Non potes, inquit, me modò sequi. Impossibile est Petro sequi Dominum, etiam facile latroni est esse cū Domino: Hodie mecum eris in paradiso. Non in aliud differtur tempus, non in diem alteram reseruatur. Ipsa hora qua paradisus Deum suscepit, suscepit & latronem, vnus passus est pro salute cunctorum, & duobus pariter immortalitatis ianua reseratur. Sed hanc totam gloriam latroni fides præstitit. (Fidei efficacia.) Fides enim est quæ peccata cooperit, quæ vincit crimina, quæ facit de latronibus innocentes. Quamuis enim delinquentium grandis culpa sit, fidei tamen maior est gratia. Plus enim credidisse Christo quam sæculo deliquisse, & plenioris est meriti veniam sperasse de Domino, quam culpam contraxisse de mundo. Sicut enim perfidia criminosum fecit, ita fides perfecit innocentem. Denique Iudas posteaquam fidem perdidit, innocentiam Apostolatus amisit, omnium enim criminum reus factus est, posteaquā virtutum omnium Dominum denegauit. Sicut ergo sufficit isti ad scelera deseruisse Christum, ita illi sufficit ad innocentiam Domino credidisse. Facit igitur & fides innocētes latrones, & perfidia Apostolos criminosos. Magna igitur & perfecta fides in illo latrone fuit. (Magna latronis fides.) Magna plane est & admirabilis fides, quę Christum crucifixum glorificari magis credidit quam puniri. In hoc enim totius forma salutis est: saluatorem tunc maiestatis Dominum recognoscit, cum videtur humilitatis patientia cruciari. Vnde ait Apostolus: Si cognouissent, nunquam Dominum maiestatis crucifixissent. (1.Cor. 11.) Hæc inquam, perfecta fides est, Christum in cruce Deum, non reum credere. Vnde ille latro iustificatus est, quia saluatore in patibulo constituto Iudæis insultantibus, & vel criminosa dicentibus: libera teipsum si potes: ille certus de diuinitate eius, (Matth. 27.) & securus de voluntate, se magis postulat liberari, Magna, inquā, fides in illo latrone fuit,

& sanctis Apostolis comparanda, nisi quod & forte præcessit, præcessit etenim deuotione, qui præcessit & præmio. Prior enim latro ad paradisum quàm Apostoli peruenerunt. Denique Petrus Dominum sequitur, & iste comitatur. Dominus autem secundum fidem & meritum tribuit & remunerationis obsequium. Omnes enim, sicut legimus, in passione saluatoris discipuli trepidarunt, omnes eum pene cùm traderetur, reliquerunt, factum est sicut scriptum est: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Denique fidem Petrus nec admonitus potuit custodire, toties lapsus est, quoties ne laberetur admonitus. Et nisi modum quendam tertio denegandi ei Dominus statuisset, forsitan sæpius interrogatus, sæpius abnegasset. Tantam enim trepidationem discipulis intulit passio saluatoris, vt quod Apostolo Christus ante prædixerat, ancilla destrueret, & magis præualeret ostiaria ad perfidiam, quam Apostolus ad cautelam. Non bona ostiaria, quæ Petrum ideò in domum sacerdotis includit, vt à fide saluatoris excludat. Male Adam induxit Eua, male Petrum introduxit ancilla. Illa exclusit à paradiso, hæc exclusit à Christo. Illa persuasione sua virum decepit, hæc interrogatione sua Apostolum circumscripsit. Illa ad præuaricandum Adam impulit, hæc Petrum compulit ad negandum. Et idem sexus in vtraque ostiariæ officium gerens aut excludit à vita, aut includit ad mortem.

Matth. 26. Zach. 13. Matth. 26. Genes. 3.

De pœnitentia Petri, & ostiaria ancilla. Homilia tertia.

Diximus fratres, quod ad similitudinem Euæ, Petrum ostiaria mulier quoque deceperit, & sicut Adam femina circũscripserit, ita & Apostolum femina circumuenerit. Vsitatus enim ad decipiendũ sexus est, fraudis suæ vasculum in ostiaria diabolus recognouit, quia fideles viros non nisi per mulierẽ oppugnare consueuit. Ibi Adam per Euam superat, hic Petrum vincit per ostiariam. Fuit enim, sicut legimus, in paradiso deliciarum diabolus, nec defuit, sicut intelligimus, in prætorio Iudæorum. Ibi imminebat Sathanas serpens, hic Iudas coluber perurgebat. Est ergo eadem similitudo deceptionis in Petro, quæ in Adam fuit, quoniam eadem est & similitudo mãdati. Accepit enim à Domino vterque mandatũ. Adam ne tangeret, & Apostolus ne negaret. Ille ne lignum scientiæ præsumeret, hic ne crucem sapientiæ præteriret. Sed transgrediẽs vterque præceptum pari modo delinquunt. Gustat ille quod non licet, loquitur iste quod non decet, & tamen facilior negatio Petri quam Adæ præuaricatio. Citius enim Apostolo quàm protoplasto subuenitur. Hunc etenim Deus ad vesperũ requirit errantem, illum Dominus pullorum cantu denegantẽ. Adam reus facti nudus erubuit, Petrus conscius dicti correctus ingemuit. Ille tanquam deprehensus festinat ad latebras, hic tanquam emendatus prorumpit ad lacrymas. Velut latenti enim & celanti se à diuinitate Adæ dicitur: Adam vbi es? Non quod Adam conspectum domini latere potuerit, sed quod peccatrici conscientiæ nullus locus tutus vel certus sit dum metuit deprehendi. Respexit Dominus Petrũ, & apertis oculis eius emendauit errorem. Rectè oculis emendat, quia scriptum est. Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Ergo Petrus prorupit ad lachrymas nihil voce precatus. Inuenio enim quod fleuerit, non inuenio quid dixerit. Lachrymas eius lego, satisfactionem non lego. Rectè plane Petrus fleuit & tacuit, quia quod defleri solet, nõ solet excusari, & quod defendi non potest, ablui potest. Lauat enim lachryma delictum, quod voce pudor est, confiteri. Lachrymæ ergo verecundiæ consulunt pariter & saluti, nec erubescunt in petendo, & impetrant in rogando. Lachrymæ, inquam, tacitæ quodammodo preces sunt, veniam non postulant, & merentur, causam non dicunt & misericordiam consequuntur, nisi quod vtiliores lachrymarum preces sunt quàm sermonum, quia sermo in precando forte fallit, lachryma omnino nõ fallit. Sermo enim interdum non totum profert negotium, lachryma semper totum prodit affectum. Et ideo Petrus iam non vtitur sermone quò fefellerat, quo peccauerat, quo fidem amiserat, ne per id ei non credatur ad confitendum, quo vsus fuerat ad negandum, ac per hoc mauult & causam suam flere quàm dicere, & quod voce negauerat, lachrymis confiteri. Inuenio autem & aliud cur tacuerit Petrus, ne tam cito veniæ postulatio per impudentiam plus offenderet quàm impetraret. Solet enim citiùs mereri indulgentiam, qui verecundius deprecatur. In omni igitur culpa ante flendum est, sic precandum. Scimus iam hoc exemplo, quemadmodum nostra peccata curemus. Ecce nihil nobis Apostolus nocuit quod negauit, & plurimum profuit quod emendauit. Denique imitemur eum alibi dicentem. Cum enim tertiò interrogaretur à Domino: Simon, amas me? respondit tertiò, Domine tu scis quia diligo te. Ait Dominus, Pasce oues meas. Et hoc tertiò, quod quidem dictum ad compensationem prioris fecit erroris. Qui enim dominum tertiò negauerat, tertiò confitetur: & quoties culpam delinquendo contraxerat, toties gratiam diligendo conquirit. Videte ergo quantum fletus profuerit Petro: antequam fleret lapsus est, posteaquàm fleuit electus est, & qui ante lachrymas præuaricator extitit, post lachrymas pastor assumptus est; & alios regendos accepit, qui prius se ipse non rexit.

Genes. 3. Similis deceptio in Petro & Adam. Ibidem. Luc. 22. Psalm. 33. Lachrymæ tacitæ preces sunt. Petrus cur tacuerit. Ioan. 21. Petrus tertiò Dominum negauerat, & tertiò confitetur.

De eodem Petro Apostolo, homilia quarta.

Adstruximus superiore dominica sanctum Petrum in saluatoris passione sine erroribus profecisse, & posteaquam negauit Dominum Deum fuisse meliorem. Fidelior enim factus est, postquàm fidem se perdidisse defleuit, atque ideo maiorẽ gratiam reperit quàm amisit. Tanquam bonus enim pastor tuendum gregem accepit, vt qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum: & qui ipse interrogationis tentatione nutauerat, cæteros fidei stabilitate fũdaret. Denique pro soliditate deuotionis Ecclesiarum petra dicitur, sicut ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc Petrã ædificabo Ecclesiam meã. Petra enim dicitur, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxũ immobile totius operis Christiani cõpagẽ molẽmque contineat. Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & petra pro virtute. Dominus nuncupatur, sicut ait Apostolus: Bibebant autem de spirituali consequenti eos petra, petra autem erat Christus. Rectè consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis. In eadem enim domo Petrus fundamentũ posuit. Petrus plantat, Dominus incrementum dat, Dominus irriguũ subministrat. Petrus enim tẽtationibus suis proficit, fletibus suis gaudet, periculis suis crescit. Sic nãque in mari dũ super vndas temerarius viator ingreditur, nutat incessu, sed conualescit affectu: periclitatur corpore, sed deuotione non labitur: mergitur pedibus, sed Christi dextera sustentatur:

Matth. 16. Petrus dicitur petra. Christus dicitur petra. Matth. 4.

sustentatur: sustentat fides quem vnda mergebat, & quem fluctuum procella turbabat, saluatoris dilectio confirmabat. Ambulauit enim in mari Petrus magis dilectione quàm pedibus. Non enim videbat vbi pedum vestigium poneret, videbat autem vbi figeret vestigium charitatis. In naui enim positus considerat Dominum, & amore eius ductus descendit in mare, non cogitat labentes aquas, non fluenta currentia, & dum Christum respicit, non respicit elementum. Credit fide etiam inter vndas solidum inuenire vestigium, iactetur licet fluctibus mare, ventis pelagus conturbetur, non tamen turbatur Petri semita quæ ducit ad Dominum. Ambulat igitur super aquas Petrus, & sub pedibus eius mollis vnda non credit. Legimus in veteri testamento filios Israel per mare rubrum, siccis itineribus ambulasse, & ad securitatem gradientium ne laberetur vnda, in soliditatem quandam eam fuisse mutatam. Quanto hoc melius vbi ambulante Petro, nec mutatur vnda, nec labitur, nec solidatur aqua nec refugit? Melius, inquam, est vbi eadem vnda quæ fluctuat & sustentat, vbi idem gurges qui mergitur & famulatur. Illic vt portaretur per mare populus Israel, meatum suum natura perdiderat, hic portatur in aquis Petrus, cursum suum fluenta non perdunt. Temerarius ergo viator Apostolus, noui itineris viam carpit, modò curuati gurgitis molem ascendit, modò subsidentis sinus vndam descendit, & inter marinos fluctus ascensus illi itineris descensusque non deest, sed vbi turbatus ventis, exagitatus procellis incipit timere quod credidit, statim ei gurges subtrahitur, vnda subducitur. Mox defatiscente fide fatiscit semita, tunc exclamans Dominum Iesum saluum se fieri deprecatur, quem apprehensum manu saluator liberat & obiurgat, dicens: Modicæ fidei quare dubitasti? Hoc est, cur tam paruæ fidei es, vt qui credendo mare ambulare cœperas, non id perseuerando transires? Scriptum est enim. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Sed dum cunctaris & dubitas, iter quod ingressus fueras, perdidisti. Cur inquam, tam modicæ fidei es, vt non ea fide qua venire cœperas, peruenires? Intellige ergo quia in mari crudelitas te portabat, perfidia submergebat. Igitur fratres, sanctus Petrus dum fluctuat, dum mergitur, dum periclitatur, sic peruenit ad Dominum, ostendens nobis quod non nisi per pericula properatur ad Christum. Multi enim diabolici fluctus sunt in hoc mundo, tentationum multa naufragia, à quibus ita liberari possumus, si clamantibus manum suam saluator extenderit. Nos ergo clamare ad Dominum non cessemus, ille auxilium suum non negabit.

Ibidem. Exod. 14. Petrus temerarius viator. Matth. 14. Matth. 10.

HOMILIÆ SANCTI MAXIMI EPISCOPI TAVRINENSIS DE TEMPORE ÆSTIVALES.

Homilia prima in festo Paschæ.

BENEFICIA Dei nostri cum magna atque mirifica sint, tamen nec noua probantur esse nec subita: sed ab initio sæculi & prædicta sunt oraculis, & præfigurata mysteriis. Sacram enim Domini passionem ab ipsis mundi coalescentis exordiis veteri Testamenti responsa cecinerunt, & ideò Christum Dominum prædicatum atque annunciatum suis aperte ex ipsorum libris ac voluminibus asserimus. Validis absque dubio nititur priuilegiis, qui causam de aduersariis asserit instrumentis. Speciosa victoria est contrariam partem chartulis suis, velut propriis laqueis irretire, & testimoniorum suorum vocibus confutare, & æmulum telis suis euincere, vt pugnatoris tui argumenta tuis probentur vtilitatibus militare. Itaque in Domini nostri persona dum ex Adæ primi hominis costa, mater cunctorum viuentium Eua producitur, ex huius sacro latere ac salutari vulnere Ecclesia omnium fidelium parens reparanda monstratur. In eius typo Abel iustus occiditur, & innocens, fraterna tanquam Iudaica impietate mactatur. Hic idem Dominus in nouissima mundi senescentis ætate, per figuram beati Abrahæ longæui patris offertur, quo tempore dum nouo sacrificio in vnici sui iugulum prius parricida consurgit, ex improuiso aries oculis eius apparuit, sicut loquitur sermo diuinus. Et vidit Abraham arietem inter vepres hærentem cornibus. Inter vepres inquit. Requiramus quæ ista sit nouitas. Inter vepres, id est, in multitudine circumstantium peccatorum: hærentem cornibus, id est, ad crucis cornua clauorum confixione pendentem, sicut in alio loco legimus, cornua in manibus eius sunt. Hoc ideo, quia venerandas manus patibuli brachia susceperunt. Inter spinas autem deputatus est, quando spineo serto innocentiæ & iustitiæ auctor illusus est. Sed altius introspicere debemus, quidnam sit quod Isaac à patre altaribus admouetur ac subito aries pro eo non mutat, sed duplicata oblatione supponitur. Gemina hic adoranda substantia redemptoris ostenditur. Dei enim vnigenitus offertur, & virginis primogenitus immolatur. Hoc quoque dominicæ passionis præfigurabant insignia, quod legimus beatum Heliseum sepulchro conditum, ingesto à latrunculis cadauere intra tumulum suum corpus extincti, tactu sacri corporis suscitasse. Quis hic alius præfiguratur, nisi noster Iesus Christus qui resurrectionem de morte largitur, & vitam sepultus operatur? In latrone reum mundum: in Prophetæ virtutibus Christum Dominum recognosce. Adhuc celeberrimè per Scripturas sanctas, etiam in Ionæ Prophetæ laboribus & ærumnis, Christi passio & resurrectio præsignatur. Hic Ionas, quod fidei vestræ non arbitramur incognitum, typum Domini gessisse perscribitur. Ipse enim Dominus dicit. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: Ita erit filius hominis in corde terræ tribus diebus

Genes. 2. Genes. 4. Genes. 22. Abac. 3. Præfiguratio dominicæ Passionis. 4. Reg. 15. Matth. 12.

Ion. 2. diebus & tribus noctibus. Hic, inquam, Ionas ad prædicandam Niniuitis iræ cœlestis offensam domino iubente dirigitur, sed præscius tristem prophetiam populi conuersione vacuandam, nauem profugus quæ Tarsim petebat, ingreditur. Sed nautis turbatis exorta tempestate sorte fluctibus datur, & faucibus ceti piscis demersus excipitur; sed pisce illæsum eructante depositum, tertia die terris refunditur. Ibidem. Ionas iram Domini prædicaturus ad magnam Niniuitarum destinatur vrbem, dicturus, quadraginta dies & Niniue subuertetur, & Christus ad mundi mittitur ciuitatem, vt diem salutis & præfinitum iudicij tempus annunciet. Ionas nauim expetit, Christus Ecclesiam: Ionas fluctibus agitatur, Christus mundi turbinibus exercetur. Nisi Ionas pessundetur naufragæ nauis periculum non sedatur, sic & non liberatur Ecclesia, nisi Christi morte saluetur. Nautæ dimissuri Ionam, tamen ve- Ionæ 1. rentur & dicunt. Domine ne des super nos sanguinem innocentem. Nónne vobis videtur nautarum imprecatio Pilati esse confessio, qui tradit Christum, & tamen lauat manus suas & dicit. Mundus Matth. 27. ego sum à sanguine iusti huius? Quam congrue personam gentilium fides gentium prædicat. Dicit Ion. 4. itaque Ionas in oratione sua. Tolle igitur Domine animam meam, quia melior est mihi mors quam vita. Dicat hoc veriùs Dominus noster Iesus Christus, quia melior est mihi mors quam vita, id est, viuens vnam Iudæorum gentem saluare non potui, moriar vt vniuersus mundus vna morte saluetur. Ionam cetus piscis excepit immersum, sed non contigit deuoratum, & quem malitia hominum perdidit, bestia esuriens custodiuit. Plenis visceribus famem patitur, & in prædam quam absorbuit nihil sibi licere miratur. Quis est iste qui intra auidos rictus assumi potest, consumi non potest? Cibus est, corruptio non est. Traditur perditionis profundo, & seruatur ipsius mortis obsequio. Quis est iste qui vastissimos sinus periculorum tutus ingreditur, & sub altitudine immensa conclusus atque mortifera vitali aëre pascitur, & demissus in alienam rerum naturam in vitæ exilium cum vita peregrinatur, & mortis superstes annunciat venturam mundi salutem? Puto quod hic Dominus noster Iesus Christus quem sæua mors inexplebilis bellua in escam suam rapuit, & prædam suam captiua contemnit. Contremuit inquam. Nam si nouerat crucifixum, tamen quem non meminerat reum, non poterat tenere damnatum: quia culpam non facit pœna; sed causa. Quasi solitum cibum perditum in mundi origine hominem deuorauit, sed magnam esse cibi ipsius dignitatem præfocata cognouit. At- Ion. 2. que ideo diuinus sermo commemorat. Et præcepit Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam. Præcepit ergo bestiæ, præcepit morti semper esurienti, præcepit abyssis & inferno, vt mundo restituant Saluatorem. Euomuit autem, hoc debemus accipere quod ex imis visceribus mortis victrix vita remeauerit, atque eam ex imis præcordiis inferni perditio exulcerata reddiderit. Videmus itaque in Prophetæ afflictionibus apertissimè præfiguratam, & mortem pariter & resurrectionem. Quapropter quod impletum cernis in seruo, credere non cunctetis in Domino. Quæ cum ita sint, perspice, ô homo, quantum valeas, & perpende quantum debeas. Perspice quantum valeas, vt tandem vilis esse tibi desinas, vt vel pro hoc erubescendis subiacere vitiis digneris? dum generositatem tuam de creatoris ac reparatoris dignitate metiris. Habet causas quibus se ipse confundat, cur indignis dominis victo corde subdatur, cui gloria æterna promittitur. Ac sic gemino priuilegio, qui dudum diuinæ imaginis participatione videbaris honoratus, efficeris etiam commercij nobilitate pretiosus. Vnde quàm fortis esse possis contra hostem tuum interroga statum tuum, quod tibi Dominus ad bellandum in membris tuis mundi principem ac spiritales nequitias superandas, liberam contulit facultatem, ac sic impossibile non putes, vt transferri obtineas angelicas beatitudines, cùm in hoc sæculo angelicas deuiceris potestates. Non ergo te degenerem ac despectum faciat vita, quem vel factura probatur illustrem protulisse vel gratia, sed cursum fideles Christi ad superna fiducialiter extollant. Nam qui se cœlestis pretio vident redemptos, ad cœlestia non dubitent præparatos.

De eadem solennitate. Homilia secunda.

NOn immeritò fratres, hodierna die Psalmus Psal. 117. hic legitur, in quo propheta exultandum præcipit, & lætandum. Omnes enim creaturas ad huius diei festiuitatem Dauid sanctus inuitat. Nam in hac die per resurrectionem Christi aperitur tartarus, per Neophytos Ecclesiæ innouatur terra, cœlum per Spiritum sanctum reseratur. Apertus enim tartarus reddit mortuos, innouata terra germinat resurgentes, cœlum reseratum suscipit ascendentes. Denique ascendit latro in paradisum, sanctorum corpora ingrediuntur in sanctam ciuitatem, ad viuos mortui reuertuntur, & profectu quodam in resurrectione Christi ad altiora cuncta elementa se tollunt. Tartarus quos habet, reddit ad superos, terra quos sepelit, mittit ad cœlum, cœlum quos suscipit repræsentat ad Dominum. Et vna eadémque operatione saluatoris passio eleuat de imis, suscitat de terrenis, collocat in excelsis. Resurrectio enim Christi defunctis est vita, peccatoribus venia, sanctis est gloria. Omnem ergo creaturam ad festiuitatem resurrectionis Christi, Dauid sanctus inuitat. Ait enim exultandum in hac die quam fecit Dominus & lætandum. Sed dicit aliquis: Si in die gratulandum est, iis vtique gratulandum est quos dies ipsa complectitur. Cœlum autem & tartarus extra huius mundi diem sunt constituta. Quomodo igitur possunt ea elementa ad festiuitatem huius diei vocari, cuius diei ambitu non tenentur? Sed hic dies quem fecit Dominus, penetrat omnia, vniuersa continet, cœlum & terram tartarúmque complectitur. Lux enim Christus non parietibus obstruitur, non elementis diuiditur, non tenebris obscuratur. Lux inquam Christi, dies est sine nocte, dies sine fine, vbique splendet, vbique radiat, vbique non deficit. Quod autem iste dies Christus sit, Aposto- Rom. 13. lus dicit. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Præcessit, inquit, nox, non sequitur, vt intelligas superueniente Christi lumine, & diaboli tenebras effugari, & peccatorum obscura non subsequi, & iugi splendore præteritas caligines depelli, surrepentia delicta prohiberi. Nam quia hic dies Christus, cœlum, terram, tartarúmque collustret, scriptura testatur. Quòd enim super terram fulgeat, dicit Ioan. 1. Ioannes, Erat lux vera, quæ illuminat omnem homi- Esai. 9. nem venientem in hunc mundum. Quod in inferno luceat, ait propheta. Qui sedebant in regione vm- Psalm. 88. bræ mortis, lux orta est illis. Quod in cœlis iste permaneat, refert Dauid dicens. Ponam in sæculum sæculi semen eius, & sedem eius sicut dies cœli. Quis autem est dies cœli nisi Christus Dominus, de quo dicitur per Prophetam: Dies diei eructat Psalm. 18. verbum

verbum? Ipse est enim dies filius, cui præter dies diuinitatis suæ eructat arcanum. Ipse inquam est dies

Eccl. 24.

qui ait per Salomonem. Ego feci vt oriretur in cœlo lumen indeficiens. Sicut ergo diem cœli nox omnino non sequitur, ita & Christi iustitiam peccatorum tenebræ non sequuntur. Semper enim dies cœli splendet, lucet, & fulget, neque aliqua potest obscuritate concludi; ita & lumen Christi semper micat, radiat, coruscat, nec aliqua potest delictorum

Ioan. 1.

caligine comprehendi. Vnde ait Euāgelista Ioannes. Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eā non comprehenderunt.

In resurrectione Christi omnia elementa gloriantur.

In resurrectione ergo Christi elementa omnia gloriātur. Nam & solem ipsum arbitror esse in hac die solito clariorem. Necesse est enim vt sol in eius resurrectione gaudeat, in cuius passione condoluit: & cuius mortem lugubri quadam caligine prosecutus est, eiusdem vitam nitidioris lucis splēdore suscipiat, & tanquam bonus minister, sicut tunc obscuratus est ad exequias sepulturæ, modo coruscet in resurrectionis obsequium. In passione enim Christi caliginum se nocte circumdedit, & Iudæorum facinus mundo teste congemuit. Indicium enim quoddam doloris in sole est, tanto sceleri officium luminis denegasse, & vltione quadam Iudæorum oculis tenebras infudisse: vt quorum mentem cæcitas inuaserat, eorum oculos cæcitas occuparet, nec luceret eis mundi lumen, à quibus fuerat lumen salutis extinctum. Damnatio igitur quædam ingeritur Pharisæis, vt tenebras in die iudicij peccatoribus repromissas iam apud superos patiantur. Apud superos ergo crucifixo immorantur tenebræ. Quid mirum si apud superos sunt tenebræ, cum lux descendit ad inferos:

Adhortatio.

Igitur, fratres, omnes in hac die sancta exultare debemus, nullus se à communi lætitia peccatorum conscientia subtrahat; nullus à publicis votis delictorum sarcina

Luc. 23.

reuocetur. Quamuis enim peccator in hac die de indulgentia non debet desperare, est enim prærogatiua non parua. Si enim latro paradisum meruit, cur non mereatur veniam Christianus? Et si illi Dominus cum crucifigitur miseretur, multo magis huic miserebitur cum resurgit. Et si passionis humilitas tantum præstitit confitenti, resurrectionis gloria quantum tribuit deprecanti? Largior enim ad præstandum solet esse, (sicut ipsi scitis) læta victoria, quàm addicta captiuitas.

De eadem solennitate. Homilia tertia.

EXultandum nobis est, fratres, in hac die quam fecit Dominus continuata lætitia, & in eius festiuitate iugi gloria gratulandum. Nec quia nox solennitati interuenit, gaudia nostra præscidit, nec quia obscuritas distinxit tempora vespertina: resur-

Hebr. 13.

rectionis lux vota æterna deleuit. Nobis enim heri & hodie dies vnus, dies ipse est? quia sicut de Saluatore B. Apostolus, Iesus Christus heri & hodie ipse est. Ergo si Iesus Christus heri & hodie ipse est: ipse atque idem nobis semper est dies: quia in ipso viuimus, in ipso mouemur, in ipso non morimur:

Act. 17.

Non morimur inquam: quia sicut lucē Christi nulla peccati incessit obscuritas: ita & viuentes nulla tēporis absumit vetustas. Lætemur ergo in Christi resurrectionis die. Communis enim omnium communis est nostra lætitia. Communis plane: quia omnes illo resurgente surreximus. Omnium enim renixit saluti, qui pro omnium peccatis addictus est passioni. Resurrexit igitur Saluator à mortuis. Noua res & mira: sed habet hæc assertio veritatem. Nam vt taceam Prophetarum oracula: Angelorum ministeria: aperta sepulchri penetralia: ipsum Dominum post resurrectionem cum discipulis loquentem, conuersantem, edentem: Thomam quoque

Ioan. 20.

clauorum vulnera etiam digito contrectantem: vt hæc omnia prætermittam, tamen fidem nostram confirmat impietas Iudæorum. Nam sufficit ad credulitatem nobis eorum nimium cauta crudelitas. Quo enim diligentius custodierunt tumulum, eo constat illum manifestius surrexisse. Quo plures apposuere custodes, eo plures testium reliquere. Nam hoc procurauit diuina prouidentia, vt resurrectioni dominicæ non solum Angeli, non solum discipuli, sed & testimonium perhiberent (quod est amplius) inimici. Libentius ergo accipimus quod eum diligētius obseruauerunt. Credimus enim sub tot custodibus potuisse illum prodire citiùs quàm perire, & de tumulo iure Domini progredi quàm discipulorum fraude subduci. Tanta enim sollicitudine sepulchrum obstruxit impietas, vt id non præualeret manus humana destruere: nisi sola virtus resurrectionis aperiret. Denique dicit sanctus Euā-

Matth 28.

gelista descendente Angelo, magno terram tremore fuisse commotam, vt fundamenta tumuli mouerentur, & percussos pauore custodes, qui venerant custodire mortuum, esse factos vt mortuos. Vt mortuos inquam. Dignum planè iudicium, si cum iustus resurgit, peccator emoritur: cum reuiuiscit innocens, eius interficitur inimicus. Nam ideo nec progredientem Dominum cernere potuerunt, quia criminosas mentes terra oppresserat, dum sustinere fulgorem resurrectionis rutilæ non valebant. Maiore ergo sollicitudine Pharisæi Dominum custodierunt mortuum quàm viuum sunt persecuti. Siquidem causa illos maior vrgebat. Intelligebant enim facilius fuisse eū apud superos despici, quàm redeuntem ab inferis posse contemni: & quod tunc prædicans facile potuerit occidi, nunc autem resurgens iam non possit occidi: dicente Apostolo.

Rom. 6.

Resurgens autem iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur. Custodiebant ergo eum sollicitè in sepulchro: præsertim quia se die tertia dixerat surrecturum. Custodiebant autem sollicitè in sepulchro, quia necesse illis erat eum iam non doctorem timere, sed iudicem. Iudicem inquam non sui tantum, sed & crudelis sententiæ suæ qua filios posterósque suos sceleribus addixerunt, dicentes:

Matth. 27.

Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Crudelis sub tali sententia impietas Iudæorum, quæ facinore suo non solū præsentes liberos damnat, sed etiam non natos occidit.

Ingens Iudæorum impietas in posteros.

Quantos enim hac voce ad conscientiam facinoris vocant, quos scientia criminis non tenebat? Crudelis inquam impietas quod posteros antè in reatū vocat, quàm producit in lucem, vt prius futuris contingeret peccare quàm viuere. Cruenti planè genitores, qui antè parricidæ facti sunt quàm parentes: & antè eos socios suis sceleribus assumpserunt quos verum sanguinis participes

Psal. 117.

possent habere, nescirent. Non igitur mirandū est, si in Saluatorem tam crudeles fuerunt: qui extiterunt in suos posteros tam crudeles. Non immerito in hac die sanctus Dauid sine exceptione exultandū præcepit & lætandum: in qua die totius mundi gaudia celebrantur. Omnibus enim lætandū est, quia omnibus prodest. Cunctis exultandum est, quia cunctis est salutare: & ideo non adulatoria est adhibenda, nec fucata lætitia. Quisque enim in Christi resurrectione lætatur, lætetur potius quia in Christo ipse surrexit. In illo enim nostra portio, nostra conditio, & mortem pertulit, & reuixit. Et licet nobis adhuc resolutio corpusculi maneat, cepimus tunc in Christo æterna vita iam viuere. Vnde quamuis fragilitatem nostram acceleret immaturæ mortis occasio, in

Saluatore tunc didicimus prius resurgere quã perire. Ante enim futurus homo resurrexit in Christo, quàm vitam sortiretur in sæculo. Non enim tantum illi Dominus generationis resurrectionis præstitit gratiam, in cuius generationis tempore resurrexit, sed etiam secuturis postea populis hoc prouidit, vt prius essemus de resurrectione securi, quã de morte solliciti:& antè cum Deo viueremus in cœlis, quàm cum hominibus conuersaretur in terris. In Saluatore enim omnes resurreximus, omnes reuiximus, omnes ad cœlestia transmigrauimus. Est enim in illo Christi homine vniuscuiusque nostrũ carnis & sanguinis portio. Vbi ergo portio mea regnat, regnare me credo: vbi dominatur sanguis meus, me sentio dominari: vbi glorificatur caro mea, me gloriosum esse cognosco. Quamuis enim peccator, de hac tamen cõmunione gratiæ non diffidat, quia & si peccata nos prohibent, substãtia nos requirit:& si delicta propria nos excludunt, naturæ communio non repellit. Nam propter bonitatẽ diuinitatis, peculiarem nobis Saluator debet affectũ, scilicet, quia sicut Deus noster in ipso est, ita & sãguis noster in illo est. Misericordiam igitur mihi debet præstare diuinitas: necessitudinem exhibere debet affinitas. Neque enim tam immitis est Dominus vt obliuiscatur hominis, & non meminerit illius quem ipse gestat, vt quẽ causa mei susceperit, non eius causa quẽ susceperit, me requirat. Non inquam tam immitis est Dominus, vt non diligat carnem suam, membra sua, viscera sua, ait sanctus Apostolus. Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam sicut Christus Ecclesiam. Nihil ergo de venia desperemus, fratres: nihil de odio timeamus. Habemus prærogatiuam sanguinis nostri. In Christo enim caro nostra nos diligit. Sumus enim membra eius & caro, sicut dicit idem beatus Apostolus: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Sacramentum hoc magnũ est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Exultemus ergo, fratres, sicut ait scriptura, in hac die Domini exultemus planè, quia cùm votis Domini gratulamur, magis nostra vota curamus. Quid tantum dicit Propheta? Hæc est dies quam fecit Dominus. Bonus plane dies qui lucẽ intulit vniuersis: verùm non huius sæculi lucem, sed resurrectionis æternæ. Lux enim ista non caliginẽ noctis detulit, sed mortis tenebras amputauit. Bonus inquam dies:& melior hic quam ille in quo primum mundus enituit. Ille enim hominibus ad laborem creatus est: hic factus est ad quietem. Ille mortem metuit: hic formidinẽ mortis euasit. Ille bonis malisque communis est: hic proprius est iustorum. Illius diei lux tenebris sepelitur: huius diei splendor etiam sepulturas illuminat. Ad postremum, illius diei lucem mortui non vident: huius diei lumen etiam defunctis emicuit, sicut ait propheta: Qui sedebant in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Lætemur ergo in hac die, quæ & viuos circumfulget, & mortuos viuificat & venturos illuminat, sicut ait beatus Euangelista: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Ephes. 5. Genes. 2. Ephes. 5. Psal. 117. Esai. 9. Ioan. 1.

In eadem solennitate, Homilia quarta.

Magnum, fratres, & mirabile donum concessit nobis Deus, hunc Paschæ salutarem diem, in quo resurgens Dominus, resurrectionem præstitit vniuersis, & de imis ad altiora conscendens, nos quoque ad superiora de inferioribus in suo corpore subleuauit. Sumus enim secundum Apostolum omnes Christiani, corpus Christi & membra. Resurgente igitur Christo, omnia necessariò cum eo sua viscera surrexerũt. Dũ enim ille ab inferis transit ad superos, nos de morte transire fecit ad vitam. Pascha enim Hebraicè transitus dicitur, vel profectus, scilicet, quia per hoc mysteriũ de peioribus ad meliora transitur. Bonus transitus est transire de peccatis ad iustitiam: de vitiis ad virtutes: ad infantiam de senectute. Infantiã autem dixerim, nõ ætatis, sed simplicitatis. Habent enim & merita ætates suas. In occiduis enim prius cõstituti eramus senio peccatorum, resurgente Christo renouati sumus innocentia paruulorum. Habet & Christiana simplicitas infantiam suam. Sicut enim infans nescit irasci, fraudare nõ nouit, referire nõ audet, ita & Christianitatis infantia lædentibus non irascitur, spoliantibus non resistit, cædentibus non repugnat. Denique sicut iussit Dominus, etiam orat pro inimicis, auferentibus tunicam relinquit & palliũ, verberantibus maxillam præbet & alteram, nisi quod in hoc melior est Christi infantia quàm naturæ. Illa enim peccare nescit, ista contemnit. Illa per infirmitatem innoxia est, ista est innocens per virtutem. Atque ideo laudi magis adscribendum est, non tam male facere non posse quàm nolle. Ergo sicut diximus ætates quædam sunt meritorum. Nam & senectus morum inuenitur in pueris, & innocentia infantum reperitur in senibus. Denique quod in iunioribus senectus quædã sit honestatis, dicit Propheta: Senectus enim venerabilis non diuturna, nec numero annorum computata. Cani sunt enim sensus hominis. Ad Apostolos autem iam seniores & maiores natu dicit Dominus: nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut puer iste, non intrabitis in regnũ cœlorũ. Reuocat igitur eos ad originis suæ fontẽ, & retrorsum ad infantiam redire compellit, scilicet vt qui corpore fragili senuerãt, innocentiæ moribus renascantur, sicut ait Saluator. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei. Dicitur ergo Apostolis: Nisi conuersi fueritis:& efficiamini sicut puer iste. Non dicit, sicut pueri isti, sed sicut puer iste. Vnum eligit, vnum proponit. Videamus igitur qui ille tantus sit, qui discipulis proponitur imitandus. Non hunc arbitror esse de plebe, non de publico, non de multitudine cæterorũ, præcipue qui per Apostolos vniuerso mundo tribuit sanctitatis exemplum. Non, inquam, hunc de publico esse arbitror, sed de cœlo. Ipse est enim de cœlo puer, de quo dicit Esaias Propheta: Puer natus est nobis, filius datus est nobis. Ipse planè puer est, qui sicut innocẽs cum malediceretur, non remaledixit; cum percuteretur non repercussit: quin potius in ipsa passione pro suis orauit inimicis dicens: Pater dimitte eis, nesciunt enim quid faciunt. Ita simplicitatem quam infantibus natura tribuit. Dominus misericordiæ bonitate cumulabat. Iste ergo puer est, qui imitandus paruulis proponitur & sequendus. Nam ipse dicit, Tolle crucem tuam, & sequere me.

1. Cor. 12. Pascha. Infantum simplicitas. Matth. 5. Matth. 5. Sap. 4. Matth. 18. Ioan. 3. Esa. 9. 1. Petr. 2. Luc. 23. Matth. 16.

De eadem solennitate, Homilia quinta.

Retinet sanctitas vestra, fratres, me hoc nuperrime prædicasse, quod homo in iuniorem ætatem per iustitiam reformetur, & quamuis fessus senio, rursus in puerum innocentiæ moribus renascatur, ita vt interueniente mysterio ex vetulis iterum videamus infantes. Innouatio enim quædam est, desinere quod eras, assumere quod antè non fueras. Innouatio inquã est, vnde & Neophyti nuncupantur, quod nouitate quadam maculas vetustatis abiecerint, gratiam simplicitatis assumpserint, dicente Apostolo: Deponentes veterem hominem cũ actibus

Neophyti vnde vocitentur. Coloss. 3. Psal. 102.

bus suis, induite nouum, qui secundum Deum creatus est. Vnde & Dauid sanctus ait: Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua. Intelligens per gratiã baptismi occidua vitæ nostræ posse reuiuiscere, & iuuentute quadam renouari posse id quod in nobis fuerat delictorum vetustate collapsum. Vt autem intelligas, quia de gratia baptismatis propheta loquitur, innouationem ipsam aquilæ comparauit, quæ auis assidua commutatione habitus sui longam ducere fertur ætatem, & vetustis iam fatiscentibus plumis, noua pennarum successione iuuenescere, ita vt depositis antiquitatis exuuiis, rediuiua indumentorum natiuitate se vestiat. Vnde intelligimus quod senectutem aquilæ non sentiunt membra, sed plumæ. De nouo ergo se vestitit, & pullum ãtibus pennis vetusta mater iterum renouatur in pullum. Pullis enim tunc comparanda est, quando radiantibus plumis necesse est illi rursũ meditari rudem volatũ, & alarũ olim exercitata remigia, tanquam nouella volucris, intra nidum pigra compescere, quamuis illi sit volandi notitia de consuetudine; deest tamen illi de pennarum raritate fiducia. De baptismatis igitur gratia hoc spiritus psalmographus prophetauit, nam vtique Neophyti nostri nuper baptizati, tanquam aquilæ depositis vetustatis exuuiis, noua sanctitatis indumenta sũpserũt, & fatiscentibus antiquis maculis, sicut plumis leuibus, rediuiua gratia immortalitatis ornantur, ita vt in his tenectutis occidua peccata senuerint, vita nõ senuerit. Tanquam aquila in pullum, sic illi in infantiam renouati. Est eis sæculi de conuersatione notitia, sed adest illis iustitiæ de reparatione securitas. Quid igitur sanctus Dauid dicat, adhuc diligẽtius videamus. Non enim ait: renouabitur sicut aquilarum, sed sicut aquilæ iuuentus tua. Vnius ergo aquilæ renouandam in nobis asserit iuuentutem, quam vnam & solam aquilam recte Christum Dominum dixerim, cuius iuuentus renouata est tunc, cũ à mortuis resurrexit. Depositis enim corruptelæ corporalis exuuiis, rediuiua carnis assumptione refloruit, sicut ipse ait per prophetam. Et refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor illi. Refloruit, inquit, caro mea. Videte quo verbo vsus est, non ait, floruit, sed refloruit. Non enim refloreicit, nisi quod ante floruerit. Floruit autem caro Domini, cum primum de Mariæ virginis illibata vulua processit. Sicut ait Esaias dicens. Exibit virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Refloruit autem cum succiso per Iudæos corporis flore rediuiua de sepulchro resurrectionis gloria germinauit, & in floris modum odorem pariter & nitorem cunctis hominibus immortalitatis afflauit odorem, bonorum operum suauitatem, circumferens nitorem, incorruptelam perpetuæ diuinitatis ostendens.

Psal. 102.

Aquilæ habitus.

Psalm. 15.

Esai. 11.

In Litaniis & de ieiuniis Niniuitarum. Homilia.

Ionæ 3.

Legimus in Prophetis cum Niniue ciuitati subuersio diuinitus immineret, & iuxta sententiam Dei, destruendi illam tempus ingrueret, consistentes in ea aliud non habuisse præsidium, nisi vt abiectis crapulosis epulis, ieiunia continuata susciperent, & diuitiarum ambitione seposita, humilitate se paupertatis induerẽt, scilicet, vt exinde remedium perciperent, vnde iis perditio cõtingebat, hoc est, vt iram diuinitatis quam luxuriando prouocauerant, abstinendo lenirent, & offensam quam in eos superbia contraxerat, humilitas mitigaret. Dicitur enim in illa tribulatione ipse rex deposita imperiali purpura, regali ambitione submota, membra sua cilicio præcinxisse, atque in sacco se diebus ac noctibus volutasse. Sapiens ergo rex qui sciret quemadmodũ aduersa sibi superare deberet. Hostes enim virtute superabat, Deum autem humilitate vincebat. Sapiens planè rex, qui intelligeret, quibus armis vteretur pro temporis qualitate. Cum enim insidiantur illi homines, apprehendit arma bellica; cùm irascitur ei Deus, corripit arma iustitiæ. Sapiens inquam rex, qui pro salute ciuium peccatorem se magis confitetur esse quàm regẽ. Obliuiscitur enim se regem esse, vbi Deum regem omniũ pertimescit, nec potentiæ suæ meminit, vbi potentiam diuinitatis agnoscit. Obliuiscitur ergo se regem esse dum proiicit purpuram, dum diadema deponit, cilicio autem vestitur & sacco, * ieiuniis perseuerat, orationibus immoratur. Mira res, dũ se regem hominũ esse non meminit, rex incipit esse iustitiæ. Religiosus igitur princeps non perdidit imperiũ, sed mutauit. Principatum enim ante militaris disciplinæ tenuit, nunc cœlestium disciplinarum obtinet principatum. Non, inquam, perdidit imperium, quia siue ferro, siue iustitia pro ciuium salute primus inuigilat. Primus planè inuigilat, quia vt tota ciuitas ieiunaret, famem sibi rex primus indixit, & solus omniũ causa prior cœpit esurire quàm miles. Necesse enim erat vt qui potentior cunctis fuerat, deuotior fieret vniuersis. Exemplo igitur suo præparat religioni exercitum, non armis, sed sola deuotione munitum, iubet omnem sexum, omnem ætatem à diurnis epulis abstinere. Additur religioso exercitui numerus cum in tali deuotione etiam infantia militare compellitur. Pietas enim esse creditur in tali causa, paruulis quoque cibi substantiam denegare. Non enim sufficiebat ad placandum Deum peccantium satisfactio, nisi seniorum quoque peccata, paruulorum innocentia deploraret, & fletibus alienis delicta sua iuuentus ablueret. Ista autẽ fratres, omnia in commonitionem nostri facta esse nemo qui nesciat, quotiescumque tribulationibus perurgemur, ad hæc præsidia concurramus, vt puta aduersarius imminet, inimicus in promptu est, ieiunemus, & vincamus. Solent quidam homines quotiescumque necessitatem aliquam nimis patiuntur, ad proximas gentes auxilij causa destinare legatos. Nos quod est melius, legationem ad Deum per ieiunia destinemus, ab ipso imploremus auxilia, ad ipsum nos corde & orationibus conferamus. Auxiliũ enim illi non aliundè rogando petiuerunt, sed de illis ieiunando visceribus exegerunt. Cur ergo petat ab altero, qui intra se potest inuenire quod quærit? Quanto enim Deo viciniores fuerimus, tanto aduersarij nostri à nobis longius repellemur. Oportet igitur proximos nos fieri Deo, quoniam dicit Propheta. Ecce qui longant se a te, peribunt. Quod si à Deo qui longè sunt, peribunt, vtique qui sunt proximi saluabuntur. Aliter ergo proximi Deo esse non possumus, nisi ad eum ieiuniis, orationibus & eleemosynis propinquemus. Deus enim ipse misericors ieiunus & sanctus est, atque adeo qui vult proximus Deo esse, debet imitari hoc esse quod Deus est. Tota igitur in tribulatione, Niniuitarum ciuitas ieiunauit. Bene dixi tota. Non solum enim senes, iuuenes & infantes, sed etiam pecudes legimus ieiunasse. Mira res, ieiunat pro ciuitatis peccato, quem peccati conditio non constringit. Vnde & nos, fratres, temporum angustias sustinentes, omnes pariter ieiunare debemus, & misericordiam Dei cunctorum abstinentia deplorare. Nam quale sit hoc Christianum pro salute sua non facere, quod pecudes pro hominum salute fecerunt,

Aliâs ieiunus.

Religiosi principis exemplum.

Psalm. 72.

Proximi quomodo efficiamur Deo.

Ieiunij præconium.

runt,nisi quod stolidior pecude est,qui indicto pro se a Sacerdote ieiunio non ieiunat. Nonne enim pecus est, qui non intelligit quid illi immineat, quid incumbat? Et pecus quidem videns declinat foueam,cauet præcipitia,tu autem non vis ieiunando periculum declinare quod cernis? Desperationis enim genus est, tunc te manducare cum abstinere debeas, tunc gaudere cum debeas deplorare.
1. Cor. 15. Esai. 22. De hac desperatione Apostolus dicit, quod à nobis auertat Deus. Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Ieiunemus ergo fratres, sine intermissione, vt hostes nostros orationibus & abstinentia superare possimus.

In solennitate sanctæ Pentecostes. Homilia prima.

NOsse credo vos,fratres,quæ sit ratio quod venerabilem hanc Pentecostes diem non minore lætitia celebremus,quàm sanctum Pascha, curauimus:& quod eadem deuotione huius solennitatis obseruantiam decurrimus, sicut illius obsequia festiuitatis impleuimus.Tunc enim sicut modò fecimus,ieiunauimus sabbata,vigilias celebrauimus, orationibus pernoctantes institimus; vnde necesse est similis obseruantia similem lætitiam subsequatur. Et lætitia planè consimilis,tunc enim ab inferis resurgentem suscepimus saluatorem, modò autem Spiritum sanctum expectamus de cœlis: tunc anxij vel solliciti Christi prædicabamus aduentum, modò trepidi vel ieiuni paracleti desideramus aduentum.In omnibus enim Deus saluti prouidit humanæ. Tunc enim nobis ad resurgendum tartara Saluator aperuit, modò nobis ad regnandum paracletus cœlestia reserauit. Et quibusdam quasi profectum gradibus, tunc de morte ad vitam didicimus remeare, modò autem de terris ad cœlos meditamur ascendere. Hæc autem omnia operatur in nobis Christus Dominus;qui priusquam rediret
Ioan. 14. ad cœlos,promisit discipulis suis dicens: Cum autem ascendero,rogabo patrem meum,& mittet vobis alium paracletum,qui vobiscum sit in æternum, spiritum veritatis. Vnde credendum est ad patrem peruenisse Christum, cum videmus ad Apostolos descendisse paracletum. Credendum inquam est, sicut ait de Saluatore Dauid in Dei dextera considere, quia cernimus Spiritum S. sicut promisit Dominus in discipulis exultare. Ait ergo propheta
Psal.109. Psalmorum:Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Secundum consuetudinem nostram illi consessus offertur, qui aliquo opere perfecto victor adueniens honoris gratia promeretur,vt sedeat. Ita ergo & homo Iesus Christus passione sua diabolum superans,resurrectione sua inferna reserans, tanquam perfecto opere ad cœlos victor adueniens audit à Deo patre,sede ad dexteram meam. Nec mirum si vnius sedis offertur filio consessus à patre, qui vnius est substantiæ & naturæ cũ patre. Cur autem ad dexteram filius esse dicatur,moueat aliquem fortasse. Licet enim dignitatis gradus non sit,vbi plenitudo diuinitatis est,tamen ideo ad dexteram sedet filius,non quo præferatur patri, sed ne
Matth.25. inferior esse credatur. Et ideo ad dexteram filius, quia secundum Euangelistam, ad dexteram oues, ad sinistram verò constituentur hœdi. Necesse est ergo partim ouium primus agnus obtineat, & secuturo immaculato gregi locum dux immaculatus anticipet, sicut ait Ioannes in Apocalypsi dicens:
Apoc. 14. Hi sunt qui sequuntur agnum quocunque vadit, qui se cum mulieribus non coinquinauerunt. Refert ergo Propheta Dauid.Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam. Hoc est, Dominus Psal. 102.
pater Domino Deo Christo filio throni sui offert sublimem consessum, & honoris gratia, ad dexteram suam illum æterna sede constituit. Legimus Act.7.
autem in actibus Apostolorum dicente beato Stephano cum lapidaretur à Iudæis.Ecce video cœlos apertos, & stantem Dominum Iesum ad dexteram Dei. Videamus ergo quæ sit ratio quod idem Dominus à Dauid sedens prophetatur, stans verò à Stephano prædicatur.Primò omnium Deus qui incorporalis est & inuisibilis,(est enim spiritus, sicut ait Dominus: Deus autem spiritus est) sedere aut stare quomodo potest:Deinde autem quali subsel- Ioan.4.
lio sedeat Deus, qui infinitus est & immensus, & intra se ipse magis creaturam cunctam contineat. Hæc autem propterea à sanctis viris dicta arbitror esse de Domino,non quo sint contraria sibi,sed vt modò eius omnipotentia, modò misericordia describatur. Nam vtique pro potestate regis sedere dicitur, pro bonitate intercessoris stare suggeritur. Ait enim beatus Apostolus: Quia aduocatum ha- 1.Ioan. 2.
bemus apud patrem Iesum Christum. Iudex ergo est Christus cum residet, aduocatus est cum assurgit.Iudex planè Iudæis,aduocatus Christianis. Hic enim stans apud patrem, Christianorum licet peccantium causas exorat, ibi residet cum patre Pharisæorum persequentium peccata condemnans. Illis indignans vehementer vlciscitur, his interueniens leniter miseretur. Hic stat vt suscipiat Stephani martyris spiritum, ibi residet vt condemnet Iudæ proditoris admissum.

In eadem solennitate. Homilia secunda.

NOn incommodè ante dies complures, sicut retinetis, fratres, prædicatio nostra processit, in qua descripsimus, quod caro Domini rediuiua velut in nitore floris de tumulo germinauerit, quẽ tumulum situm in hortulo Euangelista testatus est,
vnde non incongruè prosecuti sumus.Conueniens Ioan. 19.
enim erat,vt flos pretiosior in hortulo gigneretur, & bonæ frugis commendatum solo semen intra septa domestica tamen virentia salutem omniũ pullularet: Christi enim resurrectio cunctorum est redemptio populorum. Ergo in hortulo Saluator rediuiuum corpus assumit, & inter florentes arbores & cadentia illa carne iam mortua reflorescit, & ita germinat de sepulchro, vt germinantia & nitentia cuncta reperiat.Sic enim post hyemalis rigoris frigidam quodammodo sepulturam pullulare elementa omnia festinarũt,vt resurgente Domino,& ipsa consurgerent.Nam vtique ex resurrectione Christi aër salubrior est:sol candidior,terra fœcundior, ex eo surculus virescit in fruticem, herba crescit in segetem,vinea pubescit in palmitem.Si igitur cum reflorescit Christi caro,omnia floribus vestiuntur,necesse est,vt cum idem fructum affert, etiam vniuer-
sa fructificet,sicut ait idem Dominus,Nisi granum Ioan. 12.
tritici cadens in terram mortuum fuerit,ipsum solum manet; cum autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Refloruit igitur Dominus, cum resurrexit è tumulo,fructificat, cum ascendit ad cœlum. Flos est cum de inferioribus terræ gignitur, fructus est cum altissima sede reconditur. Granum est, sicut ipse ait,cum solus crucem patitur:fructus
est, cum plurima Apostolorum credulitate circundatur. His enim post resurrectionem quadraginta Act. 1.
diebus cum discipulis conuersatus tota illos sapiẽtia maturitatis edocuit, & ad bonam frugem eos omni

omni disciplinarum fœcunditate conuertit. Deinde ascendit ad cœlum, ad patrem scilicet, fructum carnis præferens, in discipulis iustitiæ semina derelinquens. Ascendit ergo ad patrem Dominus. Meminit sanctitas vestra quod aquilæ illi de psalterio, cuius innouatam iuuentutem legimus, comparauerim Saluatorem. Est enim similitudo non praua. Sicut enim aquila humilia deserit, alta petit, cœlorum vicina conscendit, ita & Saluator humilia inferni deseruit, paradisi altiora petiit, cœlorum fastigia penetrauit. Et sicut aquila relictis terrenis sordibus sublime volans purioris aëris salubritate perfruitur, ita & Dominus terrenorum fæcem deserens peccatorum, in sanctis suis volitans purioris vitæ simplicitate lætatur. Per omnia igitur aquilæ comparatio conuenit Saluatori. Sed quid facimus quod aquila prædam frequenter diripit, tollit frequenter alienum? Nec in hoc tamen dissimilis est saluator. Prædam enim quodammodo sustulit, cum hominem quem suscepit, inferni raptum faucibus portauit ad cœlum, & alienæ dominationis, id est, diabolicæ potestatis seruum de captiuitate erutum duxit ad altiora captiuum, sicut scriptum est in Propheta. Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quæ sententia vtique sic intelligitur, eo quod captiuitatem hominis quem sibi diabolus captiuarat, illi eruendo sibi Dominus captiuarit, & ipsam, sicut ait, captiuitatem captam ad cœlorum alta sustulerit. Vtraque igitur captiuitas vno vocabulo nuncupatur, sed non æqualis vtraque est: Diaboli enim captiuitas seruituti subiicit, Christi autem captiuitas restituit libertati. Ascendit, inquit, in altum, captiuam duxit captiuitatem. Quam benè triumphum Domini Propheta describit? Solebat, sicut dicunt, regum triumphantium currus, captiuorum pompa præcedere. Ecce Dominum euntem ad cœlos non præcedit, sed comitatur gloriosa captiuitas, non ante vehiculum ducitur, sed ipsa euehit saluatorem. Quodam enim mysterio dum filius Dei filium hominis sustulit ad cœlum, ipsa captiuitas portatur, & portat. Quod autem ait: Dedit dona hominibus, hoc victoris insigne est. Post triumphum enim victor semper dona largitur, & proprio regno residens seruulorum gaudia muneratur. Sic Christus Dominus victor diabolicum post triumphum residens ad dexteram patris, hodierna die discipulis dona largitus est, non auri talenta, non argenti metalla, sed Spiritus sancti cœlestia munera, vt inter cæteras gratias Apostoli etiam linguis variis loquerentur, hoc est, vt Hebrææ nationis homo Christi gloriam Romanæ facundiæ eloquentia pertonaret, & redemptionem generis humani peregrinæ aures, quia Iudæâ prædicantem linguâ non caperent, propriâ loquelâ cognoscerent. Omnis lingua in prædicatione Christi resoluitur, vt maiestatem eius omnis loquela fateatur, sicut ait sanctus Dauid. Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Ne miremini autem quod ad dexteram patris residere diximus filium. Ad dexteram enim residet, non quia maior patre, sed ne minor patre esse credatur, sicut hæretici blasphemare consueuerunt. Sicut enim diuinitas honorificentiæ gradum nescit, ita Scriptura sancta nouit obuiare blasphemiis.

Psal.102. Psalm.67. Ephes.4. Ibidem. Ibidem. Act.2. Psalm.18.

De eadem solennitate. Homilia tertia.

SCire debet sanctitas vestra, fratres, hanc sanctam Pentecostes diem, qua ratione curemus, vel cur istorum quinquaginta dierum numero sit nobis iugis & continuata festiuitas, ita vt hoc omni tempore, neque ad obseruandum indicemus ieiunia, neque ad exorandum Deum genibus succidamus, sed sicut Dominica solemus facere, erecti & feriati resurrectionem Domini celebremus. Dominica enim nobis ideo venerabilis est, atque solemnis, quia in ea saluator velut sol oriens, discussis infernorum tenebris, luce resurrectionis emicuit, ac propterea ipsa dies ab hominibus sæculi, dies Solis vocatur, quod ortus eam sol iustitiæ Christus illuminet. Instar ergo dominicæ tota quinquaginta dierum curricula celebrantur, & omnes isti dies velut dominici deputantur. Resurrectio enim dominica est. Nam in dominica resurgens saluator reuersus ad homines est, & post resurrectionem tota quinquagesima cum hominibus commoratus est. Æqualis ergo eorum necessarium vt esset festiuitas, quorum æqualis esset & sit quantitas. Sic enim disposuit Dominus, vt sicut eius passione in quadragesimæ ieiuniis contristaremur, ita eius resurrectione in quinquagesimæ feriis lætaremur. Non igitur ieiunamus in quinquagesima, quia in iis diebus nobiscum Dominus commoratur. Non inquam ieiunamus præsente Domino, quia ipse ait. Nunquid possunt filij sponsi ieiunare quamdiu cum illis est sponsus? Cur enim abstineat corpus à cibo, cum anima præsentia Domini saginatur? Non potest enim esse ieiunus, qui reficitur gratia saluatoris. Societas enim Christi quodammodo esca est Christiani. Reficimur ergo in quinquagesima Domino nobiscum conuersante. Cum autem post hos dies ascendit ad cœlum, iterum ieiunamus, sicut ait idem saluator dicens. Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt in illis diebus. Cum enim Christus ascendit ad cœlum, nostris aufertur obtutibus: famem patimur non corporis, sed amoris, & non tam cibi ieiunio quàm desiderio laboramus. Desideria enim quædam nostri sustinent oculi, dum non perspiciunt quem requirunt, sicut ait Propheta: Defecerunt oculi mei dum spero in Deo meo. Defecerunt enim Prophetæ oculi, quia nondum videbat quem sperabat se esse visurum. Sic namque Apostolorum defecerunt oculi, cum euntem ad cœlum Dominum nequeunt intueri, secundum quod ait Lucas dicens: Et videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Stabant enim beati Apostoli toto suspensi corpore, & ascendentem ad cœlum Dominum, quia incessu pedum non poterant, oculis sequebantur, & licet ad deducendum saluatorem visio humana deficeret, fidei tamen deuotio non deficit. Vsque ad nubem enim Christum deducunt, vsque ad cœlos autem cum Christo fidei deuotione comitantur. Vnde ait Apostolus sciens fidem nostram in cœlis esse cum Domino. Nostra autem conuersatio in cœlis est. Nubes ergo ab oculis Apostolorum suscepit saluatorem. Videamus ergo quæ ista nubes sit, quàm splendida, quàm præclara, quæ lucem mundi Christum suscipere meretur. Neque enim poterat obscura esse ac tetra vel tenebrosa, quia scriptum est:

Cur Dominica nobis solennis. Aliter sic legitur: Æqualis ergo eorum mea est festiuitas, quorum æqualis est, & sanctitas. In quinquagesima quare non ieiunamus. Lucæ 5. Ibidem. Psalm.98. Act.1. Philip.3.

Ioan. 1. Et tenebræ eam non comprehenderunt. Tenebræ enim lucem gestare non poterant. Illa enim est nubes quæ ascendentē suscepit Christum, quæ & testimonium Christo etiā in monte perhibuit, de qua ait Euangelista. Vox in nube audita est dicens. Hic est filius meus dilectus ipsum audite. Non igitur nubes suscepit Christum, sed Deus pater recepit filium, & occursu quodam pietatis ascendentem illum gremio molliore complectitur. Nam ideo pater dicitur suscipere filium nubis vmbraculo, vt ostendatur refrigerio quodam fouere eius vulnera passionis. Post crucem enim, post iniurias, post inferos non est maius Christo refrigerium, nisi quod virtute diuinitatis obumbraretur, sicut in natiuitate eius ad Mariam dicitur. Et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Altissimus ergo pater qui nascente Christo obumbrauit in virtute Mariæ, ascendentem eum suscepit in nube. Semper enim Deus quos post iniurias perducit ad requiem, protegit eos nubis vmbraculos sicut filios Israël liberatos de Ægypto nubis columna protexit, & vt post multum laborem eos in terram promissionis induceret, refrigerij fouit vmbraculo, sicut ait Propheta: Expandit nubem ad protegendum eos. Expandit enim nubem, ne siccitate eremi fatigarentur, etiam solis ardore. Lætemur ergo in hac sancta die, sicut in Pascha lætati sumus. Est enim in vtraque die similis eadémque solennitas. In Pascha enim omnes gentes baptizari solent: In Pentecoste autem Apostoli baptizati sunt, sicut ait Dominus discipulis suis ascensurus ad cœlum. Ioannes baptizauit aquâ, vos autem Spiritu sancto baptizabimini, quem accepturi estis non post multos hos dies. Et ideo dicit Lucas: Cùm autem complerentur dies Pentecostes, factus est subitò sonus de cœlo tanquam aduenientis spiritus validi, sedique super singulos eorum.

Matth. 17. Exod. 13. Psal. 104. Act. 1. Act. 2.



HOMILIÆ SANCTI MAXIMI EPISCOPI TAVRINENSIS

Hyemales & Æstiuales de Sanctis.

In Natali Stephani Leuitæ & protomartyris Homilia.



Lectio actuum Apostolorum quæ nobis hodie lecta est, dilectissimi fratres, quum plurimum habeat in ipsa specie admirationis, non minus tamē continet in mysterio dignitatis. Ecce (inquit) beatus Stephanus dicit: Video cœlos apertos, & filiū hominis stantem à dexteris virtutis Dei. Considerate attentius, fratres dilectissimi, cum beatur martyr Dominum nostrum Iesum Christum ad dexteram Dei patris stare vidisset, cur se filium hominis videre testatus est, & non potius filium Dei: cū vtique plus honoris Domino delaturus videretur, si se Dei potius quàm hominis filium videre dixisset. Sed certa ratio postulabat, vt hoc ita & ostenderetur in cœlo, & prædicaretur in mundo. Omne enim Iudæorum scandalum in hoc erat, cur Dominus noster Iesus Christus qui secundum carnem est filius hominis, esse etiam Dei filius diceretur. Ideo ergo pulchrè scriptura diuina filium hominis ad dexterā Dei Patris stare memorauit, vt ad confundendam Iudæorū incredulitatem illi martyri ostenderetur in cœlo, qui à perfidis negabatur in mundo. Et illi testimonium cœlestis veritas daret, cui fidem terrena impietas derogarat. Vnde licet iuxta Psalmum qui lectus est: Pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum eius; si quid tamen distare inter martyres potest, præcipuus videtur esse, qui primus est. Nam quum S. Stephanus ab Apostolis diaconus ordinatus sit, Apostolos ipsos beata ac triumphali morte præcessit; ac sic qui erat inferior ordine, prior factus est passione: & qui erat discipulus gradu, magister cœpit esse martyrio, complens illud quod beatus Propheta in Psalmo dixit. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Retribuere enim primus voluit Stephanus martyr Domino, quod cum omni humano genere accepit à Domino. Mortem enim quam Saluator dignatus est pro omnibus pati, hanc ille primus reddidit Saluatori. Post hæc subiecit Scriptura sacra & ait: Positis genibus clamauit dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Videte, dilectissimi fratres, affectum beati viri: Videte magnam & admirabilem charitatem. In persequutione positus erat: & pro persequutoribus supplicabat: atque in illa lapidum ruina, quando alius obliuisci poterat etiam charissimos suos, ille Domino commendabat inimicos. Quid enim dicebat quum lapidaretur? Domine ne statuas illis hoc peccatum. Plus itaque tunc illorum dolebat peccata: quàm sua vulnera, plus illorum impietatem, quàm suam mortem. Et rectè plus. In illorum quippe iniquitate erant multa quæ plangi; in illius autem morte non erat quod debuisset doleri. Illorum impietatem mors sequebatur æterna, huius autem mortem vita perpetua. Imitemur ergo in aliquo dilectissimi fratres, tanti magistri fidem, tam præclari martyris charitatem. Diligamus nos hoc animo in Ecclesia fratres nostros, quo ille tunc dilexit inimicos suos. Sed quod peius est, aliquoties non solum inimicos non diligimus, sed nec amicis quidem fidem integram custodimus. Sed dicit aliquis: Non possum diligere inimicum meum, quem quotidie velut hostem patior crudelissimum. O quicumque ille es, attendis quid tibi fecerit homo, & non consideras quid tu feceris Deo? Quum enim multum grauiora in Deum peccata commiseris, quare non dimittis homini parum, vt tibi Deus dignetur dimittere multum? Recole quid tibi in Euangelio veritas ipsa promiserit, & quam tibi quodammodo cautionem fecerit, vel quale tecum pactum inierit. Si enim (inquit) dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis peccata vestra. Si autem non dimiseritis, nec pater vester dimittet debita vestra. Videtis, fratres, quia cū Dei gratia

Act. 7. Psal. 115. Act. 6. Stephanus ab Apostolis ordinatus diaconus. Psal. 115. Admirabilis Stephani charitas. Matth. 6.

gratia in potestate nostra positum est qualiter à Domino iudicemur. Si (inquit) dimiseritis, dimittetur vobis. Iam sæpè dixi, fratres, frequentius dicere debeo, nemo se circumueniat, nemo se seducat, qui vel vnum hominē in hoc mundo odio habet, quicquid Deo in operibus bonis obtulerit, totum perdit, quia non mentitur Paulus Apostolus dicens: Si dedero omnes facultates meas in cibos pauperum, & si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Quam rem etiam beatus Ioannes confirmat dicens: Omnis qui non diligit fratrem suum, manet in morte. Et iterum. Qui fratrem suum odit, homicida est. Hoc loco fratrem omnem hominem oportet intelligi, omnes enim in Christo fratres sumus. Nemo itaque sine charitate de virginitate præsumat, nemo de eleemosynis, nemo de orationibus confidat, quia quamdiù inimicitiam in corde tenuerit, neque istis, neque aliis quibuslibet bonis operibus placare sibi Dominum poterit, Sed si vult sibi habere propitium Deum, non dignetur audire concilium bonum. Audiat non me, sed ipsum Dominum suum. Si inquit offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade, prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. At nos pugnas habentes intrinsecus, & dolos in corde versantes, quasi qui bonam conscientiam habemus, præsumimus accedere ad altare, non timentes quod scriptum est: Qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit. Sed dicit aliquis: Grandis labor est inimicos diligere, pro persequutoribus supplicare. Nec nos negamus, fratres. Non paruus quidem labor est in hoc sæculo; sed grande erit præmium in futuro. Per amorem enim hominis inimici efficeris amicus Dei: imò non solum amicus, sed etiam filius, sicut ipse Dominus dicit: Diligite inimicos vestros: benefacite his qui vos oderunt, vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est. Si te aliquis homo diues in hoc sæculo vellet adoptiuum filium facere, quomodo seruires, quas indignitates etiam seruorum eius, quæ seruitia durissima, & aliquoties etiam turpissima sustineres, vt ad caducam & fragilem hæreditatem illius peruenires? Quod ergo alius sustinet propter substantiam terrenam, tu sustine propter vitam æternam. Conuincimur enim certissima ratione, quia propter Deum possumus quidem, sed nolumus iniurias sustinere. Denique si nobis aliqua potens persona iniuriam faciat, si nobis etiam in facie maledicat, nec respondere aliquid asperum, non dicam vicem redde audeamus. Quare? Ne ab illa persona potente adhuc maiora quā pertulimus, patiamur. Quod à nobis extorquet hominis timor, debuerat à nobis exigere Christi amor. Si ergo potens persona sæuit contra nos, tacemus, & nihil dicere ausi sumus. Si verò aut æqualis, aut forte inferior, vel leuem nobis contumeliam fecerit, quasi fera bestia sine vlla patiētia ac sine aliqua Dei contemplatione cōsurgimus, & aut in præsenti nostram iniuriam vindicamus, aut certe ad maiorē vicem reddendam nostrum animum præparamus. Quid est hoc, quod quando potens persona nobis iniuriam intulit, patienter accipimus, quando inferior, nimio furore succendimur? quod ibi timuimus hominem, hîc Deum timere nolumus. Vnde rogo vos, fratres, quantum possumus cum Dei adiutorio cor nostrum ad patientiam præparemus, & in omnibus malis hominibus medicorum vicem agere studeamus: & non ipsos homines, sed illorum malicia in odio habeamus. Pro bonis oremus, vt semper ad meliora conscendant, pro malis vt citò ad emendationem vitæ per pœnitentiæ lamenta confugiant. Quamrem orantibus nobis ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.

Odium fraternum omne opus bonum dissipat.

1.Cor. 13.

1.Ioan. 5.

Ibidem.

Matth. 5.

1.Cor. 11.

Grandis labor, inimicos diligere.

Luc. 6.

Comparatio.

Non homines, sed eorum malitia odio habenda.

In Natali diuæ Agnetis Virginis ac martyris, Homilia.

CVm in toto mundo virgineus flos Mariæ immarcessibiles coronas innectat, & sceptrigeram pudoris aulam immaculato conseruet affectu, eo vsque integritas perseuerauit ad palmam, vt in puellis trophæum sanctitatis arriperet, & per vestigia matris virginis ad cœlestem thalamum perueniret. Hinc est quod annulo fidei Agnes se asserit subarrhatam, & clamat se amore sponsi constrictam. O quam imitabile virginibus, virgo tui amoris tradidisti exemplum? ô quam sanctum pectoribus dandum virgineis tribuisti responsum, contēnendo mundi diuitias, execrando carnis concupicētias, & solam Christi pulchritudinē adamando. Accedite ad puellā puellæ, & discite in annis infantiæ, quales in pectore suo circa amorem Christi flāmas accendit. Dicit se amatori suo seruare fidem, & eius corpus concupiscere solum, qui pro amore hominum mortis non recusauit interitum. Discite virgines Christi amorem in puella feruentem, & omnes mundi diuitias velut stercora recusantem. Ideo enim sanctorum per litteras traduntur exempla, vt vnusquisque pro qualitate sexus, & pro ætate annorum modum sui propositi teneat, & sicut per virginem virgines, ita per coniugem coniuges vincere sæculū pro Christi amore studeant, ac repugnatione animi mundi dulcia recusantes, & eius non recusantes austera, ad delectationes perpetuas & ad gaudia æterna pertingant. Hæc dicentes, non vituperamus coniugum casta commercia, sed virginum perseuerantiam adoramus. Non enim virginitas malis rebus superponenda est, sed est optimis rebus præferenda. Quæ enim mundis mundior, & sanctis est sanctior, non indiget malarum rerum vituperatione laudari. Sequantur itaque sancta coniugia Patriarcharum coniuges in religione positæ, ac diuinis litteris informatæ. Sacram Rebeccam, Rachelem, Annam, Susannam, ac Sephoram imitentur vxores. Christi vero virgines solam virginem matrem luminis subsequantur. Huius pedissequa Agnes beatissima, magnum de se pudicitiæ excitauit exemplum, quum virginitatem prætulit vitæ, omnémque à se amorem terrenum per amorem cœlestem expellens, trophæum crucis Christi arripuit, & tam contra libidines, quam etiam contra simplicia vniuersa, fide potius armata quam ferro fortiter dimicauit & vicit. Despicit denique blandientem & renuit minantem, incendium intendit & videt. Nescit amare aliquid quod transit, & dum nimis virginitatem diligit, nec ludibria, nec flammas, nec supplicia, nec carnifices metuit, postremò nec gladium furentis percussoris expauit. Compellitur virgo ornamenta suscipere corporis, sed tenuit, quoniam iam susceperat mentis. Et quia non de elegantia corporis humani placere studebat, quia timebat de fœditate animæ Domino displicere, dabat intus per fidem suæ menti candorem, pulchritudinem excolebat animæ, & quantum sciebat, vt animam suam pulchram faceret, tantum in corpore erubescebat se esse formosam, tantóque studens displicere carnalibus in carnis aspectu,

Sanctorum exempla imitanda.

Agnes pedissequa virginis matris.

quanto instituit Christo & eius Angelis complacere. Turbatur iuuenis à puella contéptus, & se muneribus complacere posse existimans, aurum, gemmas, congeminans vestes, prædia pretiosa conuectat. Sed quia Christi charitas pecuniarum non habet pretium, virginitas sacratissima in suo gradu, vsque in sanguinis effusionem permansit, quoniã suo illam sanguine subarrauerat Christus. Ad concupiscentem igitur reuertitur census, & inconcussa virginitas Christo semel oblata perdurat. Discite virgines Christi normam puellaris exempli, & oblata sub specie pietatis virorum munuscula tota intentione respuite, & quasi rabidi canis morsus omni cum gaudio recusate. A quo non receperis quo timeas Deum, non accipias quo diligas mundum. Accipe virgo, sed quod amori æterno proficiat. Quotiescunque hominem sequuta fueris, censum sic accipe, vt te sponsam Christi cognoscas. Videt ille intus in mente quid facias, & quàm expetenter eius virgines comiteris, attendit. Videte ergo quomodo Agnes sequitur Mariam per opprobria. Nullum potuit penitus formidare supplicium, cui etiam lupanar turpitudinis, locus orationis efficitur, & vbi ei diabolus corruptionis prẹparauerat ignominiam, illic eam percipere fecit Dominus coronã suæ virginitatis & palmam, hoc est, in suis sedibus hostes vincere, captiuam ductam virginem ad penetralia regis libidinum, ipsum regem à virgine quam captiuarat vinctum, & victum cum virginis triumpho exire. Nam qui tenuerat, tentus est, qui traxerat, tractus est, qui occidere se putabat, occisus est. Denique vt probemus diabolum à virgine ista tunc fuisse victum, illius iuuenis factum ad animum reuocemus, quem contra Agnetis infantiam sic armauerat inimicus, vt nudam faceret trahi per vulgus ad lupanar, sub voce præconis ducis populum ad libidinem inuitantis. Hunc ergo ducem fuisse diaboli nemo qui dubitet, & victo duce populum superatum esse omnibus notum est, superatis autem cum duce suo populis tyrannum teneri captiuum omnibus patet. Constat ergo diabolum superatum, quoties contra virginem arma arripuit. Nam expoliata virgo tegitur crinibus, & nudata ab hominibus malis, vestitur ab Angelis bonis, & damnata in prostibulo turpitudinis, in gremio apparuit castitatis. Efficitur oratorium Angelorum, locus qui perditarum fuerat animarum, & vbi semper naufragauerat castitas, illic est coronata virginitas. Denique populos quos præco ad libidinem inuitauerat, virgo ad castitatem obtinuit; & quos ad eã diabolus inquinator induxit, illa à se mundos eiecit. Omnes namque sigillatim ingressi vnus alterius substinebat ingressum. Quem egressũ dum non crederet mundum, se exhibebat immundum. Sed ingressus ad libidinem ad adorandũ Dominum meritis virginis tenebatur, & exibat inde Dei seruus qui seruus diaboli intus fuerat ingressus, & tot facti sunt Christi cultores, quot diabolus virginis se putauerat inuenisse corruptores. Remansit igitur iuuenis, qui autor huius extiterat probationis, qui se putabat defensorem virginis superare. Hic dum splendori cœlesti non cessit dans honorem, vitam quam habere videbatur, amisit, & mortem quam quærebat inuenit. Ridentibus lachrymæ succedunt, & insultantibus finẽ gaudiorum imponunt. Attendit virgo lugentem iudicem, & quẽ minantem antè contempserat, nunc deprecantẽ exaudit. Illico igitur vt cœpit orare pro mortuo, & à mortuis excitat saluum qui morti fuerat deputatus: & ad gaudium euocat qui fuerat præcipitatus ad luctum. Nam qui incestus fuerat mortuus, exurgit castus: & fit prædicator castimoniæ, qui persequutor extiterat castitatis. Ad hæc sacrilegi conturbantur in templis, & Christum hæc mirabilia facientem contremiscunt. Excitant seditiones ignobilis vulgi, vt ratio quæ suadebat fidem seditionum clamoribus pulsa, locum in mentibus hominum inuenire non posset. Pater vero suscitato filio tristis abscessit, & (vt legitur) turbis furentibus vicarium dereliquit, virgineo itaque corpori præparantur stridentes flammæ, sed corpus quod incendia libidinum superauerat, refrigerium in mediis flammis inuenit. Et quæ ad hoc focos ingressa fuerat vt arderet, cœpit per sanctam virginitatem algere, vt disceret virginitas sibi flammas & incendia peditus dominari non posse. Nec illos periisse æstimes, quos pro nomine Christi consumpsit incendium. Nam quum legis Heliã ignibus raptũ, & tres pueros in mediis flãmis nulla ratione consumptos, aut dum Laurentium in craticula assatum recolis, atque Agnem sicut Theclam flãmarum globos euasisse cognoscis, nullam in his suspiceris varietatem fidei tunc fuisse. Vna etenim fides sanctos Dei in passione exercuit; & diuerso genere gloriarum reddidit vtrosque victores. Nam qui consumptus est martyr exultat, & qui euasit victor exultat. Et Esaias sectus martyrem se fecit; & Daniel leonum rabiem morsúsque contemnens, probatissimum Dei confessorẽ expressit. Quo facto vtrosque Christus diaboli ostendit esse victores. Vnus enim moritur & triumphat, alius euadit & regnat. Veni iam virgo ad thalamum quem quæsisti, & pro amore sponsi gladium percussoris admitte, vt sponsam te virginitas immaculata cõprobet Christi, & martyrem confessio probata consignet. Fœlix cateruа virginum; quibus studium est tuæ sequi confessionis vestigia. Habebunt enim tecum coronam in cœlo, quæ tecum superauerunt inimicum in mundo. Nam sicut tibi vestigia Mariæ prosequẽti participatio æternæ remunerationis apparuit, ita eis te imitãtibus æterna credimus gaudia non neganda. Itaque ô splendida Christo, pulchra Dei filio & omnibus Angelis & Archangelis grata, vi nostri meminisse digneris, quibus possumus precibus exoramus, vt nobis illi tribuat peccatorum indulgentiam, qui tibi tuorum omnium laborum tradidit palmam, qui regnat cum patre & spiritu sancto, quia ipsi est honor, laus gloria & potestas in sæcula sæculorum, Amen.

Norma puellaris exempli.

Passionis descriptio.

4 Reg. 2.
Daniel. 3.

Daniel 6.

Imitatio.

Homilia prima in die Natiuitatis Ioannis Baptistæ.

Solennitatem nobis diuersorum martyrum, fratres charissimi, vitæ præsentis occasus, & suscepta ab eis pro Christi nomine passio consecrauit. Multimoda namque veterum relatione didicimus nonnullos martyrum prostratos gladio, igne alios concrematos, complures bestiarum dilaceratos dentibus, innumeros & iam variis tormentorum cruciatibus affectos, spreta sui corporis morte, Christianæ fidei testimonium reddidisse. Beatus vero Baptista Ioannes, cuius nunc festiuitate lætamur, cœlestia mundo gaudia sterili ab vtero hodie natus inuexit. Et illi quidem indubitata iam gloria regnantem confessi sunt Dei filium, hic autem & nasciturum Dominum prophetalis spiritus illuminatione præuidit, & natũ priuilegio gratiæ singularis ostendit. In tantum autem specialis in eo præfulsit electio, vt ante mereretur annunciare Dominũ, quàm nascendi initium vel linguam, qua enunciare posset, acciperet. Denique Elizabeth illa vetus mulier,

&

& noua mater, quæ ante partum suum de futuri filij lætabatur officio, venienti ad se Beatæ Mariæ
Lucæ 1. in ipso salutationis occursu,ait. Ecce ex quo facta vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Quid hoc est miraculi, fratres? quæ tantorum nouitas gaudiorum, vt habere se in vtero Elizabeth testaretur infantem, qui necdum semetipsum sentiens, dominicum iam sentiret aduentum? Verè hic omnium beatissimus paruulorum, qui intra viscera adhuc materna conclusus,adesse Saluatorem mundi, quia necdum sermone poterat, prophetico gaudio reuelauit. Nullus ignorat, charissimi, omnem paruulum materno ab vtero prodeuntem inter ipsa lucis exordia mœstis concrepare vagitibus, solus Baptista Domini vltra legem nascentium natiuitatem suam lætitiæ exultatione præuenit. Et quam decuit fratres, vt de matre sterili nasceretur, qui fecunditatem virginis reuelabat, quatenus mirabilem partum mirabiliter natus ostenderet. Illud etiã quàm stupendum quamque magnificum,quòd Zacharias sacerdos pater futurus Prophetæ, quia hoc ipsum quod gerebatur Angelo loquenti non credidit, vsum loquentis amisit,donec promissione completa, natus noui hominis præco paternæ linguæ vincula relaxaret. Os enim quod Angelus clauserat, promissus ab Angelo filius reserauit. Nam quum de nuncupatione paruuli cognatorum vicinorúmque hæsitaret arbitrium, proprietatem veri nominis eius quam Angelo dictante didicerat, recepta pristini subito facultate sermonis pater mutus aperuit, vt cuius natiuitatem præceptione cœlesti tacitus expectabat, nati vocabulum loqueretur, & agnosceret anxius senex, per eum se sibi redditum, quem de se non crediderat nasciturum. Nec dubitaret vltra cœlitus illum vel promissum fuisse vel natum, cuius causa & amisisse probabat & recepisse sermonem. Quid hac, fratres, religione gloriosius, quid hac insignius fide, in qua sterilis concipit, virgo parturit, mutus loquitur, & in secreto maternorum viscerum paruuli totius mundi gaudia futura præludunt? Nec enim poterat veteri sub lege ordinem suum mortalis seruare natura, quando per nouam diuinitatis gratiam, nouum saluti omnium mysterium parabatur. Hic ergo est
Esa. 40. Ioannes de quo prophetauit Esaias dicens: Vox clamantis in deserto, parate viam Domino, rectas facite semitas Dei nostri. Vox (inquit) clamantis, quàm bene vox dicitur qui venientem de cœlestibus in carne hominis vnigenitum Dei pleno lætus ore clamabat. Recte vox dicitur, cuius intonante præconio sacramentum redemptionis humanæ, surda dudum cœpit audire mortalitas. Vt enim venerandus Baptista muto patri aperuit linguam, ita aures hominum salutaris gratiæ innouauit auditum. Clamabat autem in deserto, vbi prædicationem eius nec insolens turba perstreperet, nec infidelis rideret auditor, sed hi tantum audire possunt, qui prædicantem verbum salutis, cura tantum diuini cultus expeterent, & aduerte-
Matth. 14. rent eum vera annunciare de Christo, qui per assertionem iustitiæ, vt illicitas Herodis nuptias increparet, nec regem timuisset offendere, nec squalorem carceris declinasset, nec tyrannico gladio refugisset occidi. Audiamus adhuc paululum, fratres, quid ad profectum omnium nostrum saluato-
Esai. 40. ris nuntius prædicabat: Parate (inquit) viam Domino, rectas facite semitas Dei nostri. Vere dignus beatus Ioannes, cuius prophetica esset natiuitas, qui & illis de parentibus quorum esset desperata posteritas, Dei munere nasceretur. Nam tanta auctoritate, tantóque docendi pondere in vocem sanctæ prædicationis erupit, vt & instantem Domini nunciaret aduentum,& in semitas rectas male viuentium dirigeret prauitatem. Quid est enim parare viam Domino, nisi aduentanti de cœlo iudici purgato à vitiis pectore simplicis cordis habitaculum præparare? Quid est,rectas facite semitas Dei, nisi vt tales actuum tuorum tibi munias vias, quas perambulare propitius veniens ad te Dominus delectetur? Ille viam Domino suo parat, qui luxuriantis carnis respuens voluptates, toto mentis suæ spiritu suspensus ad Deum, vigore se castitatis accingit. Optimam parat Domino viam,qui cogitationes suas auaritiæ fluctibus æstuantes, serenæ conscientiæ tranquillitate compescit. Viam Domino parat,qui idolorum vana atque omnium superstitionum figmenta conculcans vnum Dei viui cultum & fidem veritatis inquirit. Quicunque verò voluptuosis sæculi huius languet illecebris, cupiditatibus auaritiæ feruentis insanit,in fraterna odia feralis inuidiæ facibus inardescit, atque ad contumeliam Dei omnipotentis,per anfractus dæmonum semitas erraticus viator incedit, non parat Domino viam, sed inimico miser suo exitiabilem in semetipsum patefacit ingressum. Hi mores & vita huiusmodi ampla itinera,& largissimas vias, barbaris nationibus in exitium communis salutis aperiunt. Hi mores plebem Dei inimicis gentibus iugo miseræ captiuitatis addicunt. Hi mores armatos dissipant populos, & munitas diruunt ciuitates. Et quid plura,charissimi? Quicquid potentiæ, quicquid virium videmus in hostibus, corruptione vitæ nostræ, nostraque infidelitate nutritur. Et inde est quod nihil fusa ad Deum supplicatione proficimus, quia incessabiliter impiis prauisque desideriis inhærens, viam Domino nostro secundum prophetica monita non præparamus. Propter quod reuertentes ad beatissimi præcepta Ioannis, paremus Domino viam, rectas faciamus semitas Dei nostri, quatenus videns in nobis Dominus itinera bonæ voluntatis, ouiculas suas multis iam periculis fessas benignissimus pastor inquirat. Vt sicut de Baptistæ dominici hodie natiuitate gaudemus, ita de Dei nostri reconciliatione lætemur, cui honor & gloria.

Parate viam Domino.

Exhortatio.

Homilia secunda vnde supra.

CVnctorum quidem prophetarum, fratres charissimi,veneranda recordatio est, beatus Ioannes Baptista, cuius hodie genuinus natalis honoratur, in tantum omnium illorum singulari quodam merito supergressus est gloriam,vt Dominum Iesum Saluatorem nostrum non solum esse venturum, sed aduentasse iam & cohabitare hominibus veritate præsentis testimonij reuelaret. Quem quũ inter promiscuas turbas ad baptismum suum properare vidisset, velut digito demonstrans ait. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Quàm innocens est huius vita,vel qua possumus deuotione eius merita compensare,qui agni cœlestis aduẽtum & primus agnouit, & solus ostendit? Quàm mirabile est vniuersis eius præconium? de cuius ore primùm absolutionem suam mundus audiuit. Hic est,charissimi,de quo prophetica annunciatione prædictum est, Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Clamaturus erat enim,sicut & clamauit, vt vociferante salutis præcone, obturatas diu aures mortalium prædicatio cœlestis aperiret. Quis ergo huiusmodi

Ioan. 1.

Esai. 40. Ioan. 1. Ioannes propheta tota admiratione suscipiendus.

iusmodi prophetam non tota admiratione suscipiat, quem tantum recognoscit obtinuisse de Deo, vt ante eius merita laudarentur quam natiuitas formaretur? Hic ergo Zachariæ iustissimo sacerdoti, quum multa esset ætate prouectus & sterilitate senissimæ coniugis successionem votiui germinis desperasset, omnipotentis Dei cura per Angelum promittitur nasciturus. Et bene senissimis parentibus nouus filius datur, qui senescenti labentique mundo vnigenitum Dei ad spem futuræ iuuentutis ostenderet. Quid illud, quantóque est stupore mirandum, quod Zacharias ipse dum præcursorem salutaris Verbi concipiendum senili aluo paulò tardiùs crederet, silentio repentinæ taciturnitatis obmutuit, nec pristinum loquendi recepisset vsum, nisi nomen pueri, quo vocandus esset, clausi oris ei vincula relaxasset? Atque ita factum est, vt os sacerdotale quod trepidatio colligauerat dubitantis, meritum filij nascentis absolueret, & reparata patris lingua infantis gloriam testaretur. Quid autem de continentiæ eius virtute, quid de amore iustitiæ loquar, cui, sicut legitur, inimitabilis victus, & luce ipsa charior veritas fuit? Conuersatus enim in deserto vestimentum habens de pilis cameli, & zonam pelliceam circa lumbos suos, locustas edebat & mel siluestre, vt increpaturus hominum mala, nullam penitus haberet vel in veste, vel in epulis voluptatem. Denique tanta eius mentem diuinæ legis æmulatio possidebat, vt & prauitatem perfidiæ generationis, prophetico vigore corriperet, & auctoritate feruentis in se Spiritus sancti regem intrepidus increparet errantem. Maluitque vir beatissimus sub denunciatione iustitiæ furentis succumbere gladio, quàm reticere veritatem, qui manifestare venerat auctorem. Amen.

(Luc. 1. — Matth. 3. Marc. 1. — Math. 14. Marc. 6.)

Homilia tertia, cuius supra de eodem.

FEstiuitatem præsentis diei, fratres charissimi, venerandi Ioannis Baptistæ genuina natiuitas consecrauit. Qui idcirco in hoc sæculum superna dispensatione directus dictus est, vt non solum ipse prophetali sublimaretur gloria, sed vt & omnium etiam per eum prophetarum præconia firmarentur. Nec immerito illum præcipuo honore nunc veneramur, qui speciali quadam gratia ob hoc redemptorem mundi nouissimus prophetauit, vt ostenderet eum primus. Hic enim solus est prophetarum, qui Dominum nostrum Iesum Christum, quem alij in longa tempora futurũ præscierunt, propriis oculis videre meruit, & annunciare præsentem. Nam sicut sacratissimum Euangelium refert, veniente Domino ad baptismum eius, huiusmodi prorupit in vocem. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Propter hoc nimirum saluator ipse de illo dicebat ad turbas. Quid existis in desertum videre Prophetam? Dico vobis & plus quàm Prophetam. Plus reuera est quã Propheta, quum cæteri omnes venturi adhuc Christi fuere præcones, hic autem probatissimus venit Domini præsentis assertor. Plus quam propheta est, cuius manibus, quod nulli est præstitum prophetarum, baptizandum se Dei filius inclinauit. Plus quàm Propheta est, cuius tanta est prærogatius meritorum, vt vno eodémque momento cœli terræque arbitrũ submersum aquis tingeret in Iordane, spiritum quoque sanctum venientem cerneret in columba, & attestantis vocem patris audiret è cœlo. Hic est ille quem inspirante Deo præscius annuntiat Esaias dicens. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini. Quàm congrue, fratres charissimi, beatus Ioannes prædicatus est Vox, qui cœlestis verbi & præco mittebatur & testis: Hic est ille cuius per Angelum Gabrielem prænunciatur natiuitas, & nomen & meritum. Hic est qui iudicio cœlestis sententiæ cunctis mortalibus antefertur, dicente Domino, non surrexit inter natos mulierũ maior Ioanne Baptista. Quam pulchrè dictum est inter natos mulierum non esse maiorem! quia ille omnimodis maior erat Ioanne, qui de virgine nascebatur. Hic est etiam qui maluit à rege prosterni, quàm regé non increpare peccantem. Quibus pro spectis aduertite, dilectissimi, quantam huic reuerentiam, quantum deuotionis debeamus impendere, qui vt honorabilis sit, à sancto est spiritu prophetatus, promissus ab Angelo, laudatus à Domino, & perpetua sanctæ mortis gloria consecratus. Decebat namque vt mysticam natiuitatem eius mirabilis vita sequeretur, & sanctam perfectamque vitam mors Deo deuota concluderet. Propter quod, fratres, rectissimè toto hodie orbe Christi Ecclesia primordia natiuitatis eius lætissima festiuitate concelebrat, qui æterna mortalibus adesse gaudia, stupenti mundo testis fidelissimus reuelauit.

(Ioan. 1. — Matth. 11. Ioannes plus quam propheta. — Matth. 3. — Ioan. 1. — Esai. 40. — Lucæ 1. — Matth. 11. — Matth. 14. — Magna Ioanni reuerentia exhibenda.)

In Natali beatissimorum Petri ac Pauli Apostolorum.

GLoriosissimos Christianæ fidei principes annuis solennitatibus honorantes, fratres charissimi, ipsum Dominum ac Deum nostrum, qui huius auctor est fidei, debita religione veneramur. Apostoli namque Latino sermone dicuntur missi. Qui ergo honorant missos, manifestum est honorare eos mittentem, quoniam dignitas quæ defertur ministris, illi sine dubio cuius ministri sunt, exhibetur, vt ait ipse Saluator ad discipulos suos. Qui vos audit, me audit, & qui vos recipit, me recipit. Verè beata Apostolorum merita, in quibus se Christus & recipi prædicat & audiri. Beati nihilominus & illi, quorum deuotio delata Apostolis recurrit in Christum. Tenentes itaque fratres, tantæ huius promissionis fidem de suppliciis patrum nostrorũ pro Christi cõfessione susceptis fidelibus gaudiis exultemus, quoniam qui de martyrum morte lætatur, martyres non dubitat cum Christo regnare post mortem. Nos verò Ecclesiarum omnium reuerendissimos patres, Petrum dico & Paulum piissimis studiis honoremus, quibus Christi præstante gratia, factus est hodie de morte natalis, quibus finis vitæ, viuendi initium dedit, quibus vt ait Apostolus Paulus, viuere Christus erat, & mori lucrum. Erat vtique Christus eis viuere, quibus vita non erat sine Christo. Erat eis Christus viuere, quia totum proficiebat Christi Ecclesiis quod viuebant. Erat eis & mori lucrum, qui tali morte vitam sibi mercabantur æternam. Erat eis mori lucrum, quorum corruptioni incorruptio succedebat, & damna præsentium temporum lucra perpetua sequebantur. Sed iam necessarium, charissimi, reor, vt proprias eorũ specialésque virtutes prout ariditas linguæ nostræ ingeniique tenuitas patitur, imò vt misericors Deus annuerit, proloquamur. Hic itaque ille est Petrus, qui confitendo Christum Dominum viui Dei esse filium, validissima inuictaque nobis credendi fundamenta constituit. Nam percontanti Domino quis esse ab hominibus diceretur, respondit: Tu es Christus filius Dei viui, id est, tu Domine

(Apostoli vnde dicti — Luc. 10. Matth. 10. — Petrus & Paulus Ecclesiarum patres. — Philip. 1. — Speciales Petri virtutes. — Matth. 16.)

mine, de carne virginis factus es Christus, qui Dei viui es filius sempiternus. Tu Domine hominibus natus es homo, qui incogitabili maiestate Deus es apud Deum. Tu es Christus qui pro redemptione nostra ad passionem veniens, impassibilis permanes apud patrem. Quis igitur vnquam in tantum hoc incomprehensæ deitatis arcanum humani sensus attollere potuisset obtutum, nisi ab ore Petri salutaris huius fidei veritas radiasset? Quis meritorum eius gloriam quamuis magno æquiparare posset eloquio, à quo nobis admirandæ diuinitatis fides & cœpit & permanet? Quid tanto gloriosius viro, qui fidem secreti inscrutabilis loquendo edidit, viuendo docuit, patiendo firmauit? Vt autem confessionis huius quanta esset magnitudo saluator ostenderet, ait ei? Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis, & tibi dabo claues regni cœlorum. Quis ergo Christum per carnem & in carne natum omnipotentis patris esse filium sentire potuisset, nisi propitius hoc ipse pater per Petrum nobis reuelasset è cœlo? Hæc illi confessio dedit, vt antè claues regni cœlorum acciperet, quàm cœli ianuas introiret. Sed ne qua vos, fratres, de creditis Petro clauibus regni more nostrarum clauium cogitatio terrena permoueat. Claues enim cœli lingua est Petri, quia singulorum merita censendo Apostolus vnicuique regnū cœlorum aut claudit aut aperit. Non est ergo clauis ista mortalis artificis aptata manu, sed data à Christo potestas est iudicandi. Denique ait eis: Quorum remiseritis peccata, remissa erunt, & quorum detinueritis, detenta erunt. Hic est Petrus quem Christi esse confidentissimum subiecta vestigiis eius maria probauerunt. Nam à Domino suo nouos sibi dari in fluctibus gressus, vt fidelis poscit, & vt dilectus emeruit. Qui ob hoc solum trepidasse visus est, vt fragilitas humana cognosceret, quanta esset inter Dominum seruumque distantia, dum aggrauata peccatis caro mergitur, & immaculati nescit planta desidere. Similiter & illud, ne dum super aquas ambulans Petrus pede intrepido peruenisset ad Christum, Domini forte sui virtutibus æquaretur. Sed quid illum tantopere dicimus trepidasse, cum parua trepidatio sua maiorem profecerit ad fidem? Vt enim credidit Petrus imperio Domini sui posse se à fluctibus sustentari, ita nihilominus dum mergitur, credidit ipsius Domini sui se virtute saluandum. Vere beati Petri & dum tripidat mirabilis fides, quam nec pervrgentis periculi potuit turbare formido, clamando enim dum mergitur: Domine libera me, de se diffisus est, non de Domino dubitauit. Ne quis ergo timorem hunc gloriosissimi Petri ducat in vitiū, quoniam timor iste quamuis primam eius turbauerit fidem, confideutiam tamen in eo reparatæ credulitatis ornauit. Hic est Petrus, cui Christus Dominus communionem sui nominis libenter indulsit, vt enim sicut Apostolus Paulus edocuit, petra erat Christus, itaque per Christum Petrus factus est petra dicente ei Domino: tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Nam sicut in deserto dominico sitienti populo aqua fluxit è petra, ita vniuerso mundo perfidiæ ariditate lassato de ore Petri fons salutiferæ confessionis emersit. Hic est Petrus cui Christus ascensurus ad Patrem pascendas ouiculas suas agnosque commendat, vt quos ille pietatis miseratione redemerat, hic fidei suæ virtute seruaret. Et rectè sane ei arbiter occultorum Dei filius pascendas oues suas tuendasque commisit, cui nouerat in nutriendo grege dominico nec studium deesse nec fidem. Hic est Petrus, qui dum ad crucem tanquam crucifixi discipulus duceretur, verso se poscens corpore crucifigi, passionem non renuit, sed æqualitatem crucis dominicæ declinauit, vt ostenderet vniuersis admirandæ se humilitatis virtutem, nouique mysterij disciplinam & inter tormenta seruasse. Quam securus, charissimi, perrexit Petrus ad crucem, qui repulso timore mortis, moriendi ordinem tam acerba in passione quæsiuit. Quid etiam de gloriosissimo referam Paulo, in quo Dominus fidem nominis sui dum ipsam fidem persequeretur, elegit? Qui dum velut acerrimus persequutor Christianā vastat Ecclesiam, inimico adhuc in pectore, amicum sibi cor Christus inuenit. Dumque temporalia capit ad supplicia Christianos, ipse perpetuā captus ad gratiam, factus est subito pastor ex lupo, ex prædone custos, ex hoste defensor. Vnde patuit nec Paulum malignæ mentis proposito plebem dominicā persequutum, nec Christum latuisse quem eligeret in Paulo. Hic est Paulus qui Christi vocibus inclamatus è cœlo, oculis in se Iudaicæ infidelitatis obtusis, vidēdi aciem non perdidit, sed mutauit. Amisit oculos & recepit, vt vno eodemque tempore, & in persequentem cæcitatis vindicta procederet, & vocantis Dei gratia illuminaret electum. Ait illi namque de cœlo Dominus: Saule, Saule, quid me persequeris? Id est, cur me persequeris Saule, quæ mea odium erga me tuum excitauit iniquitas? Nunquid quia illuminaui cæcos, quia sanaui ægrotos, quia fugaui dæmones, quia esurientes populos quinque panibus paui, an quia de tumulis mortuos suscitaui, an forte magis quia fidelibus meis regnum cœleste promisi? Sed si præstare me posse dubitas quæ promitto, aspice si tamen potes vnde te vel qualis appello? Sed quare me persequeris Saule? Aut quid me persequendo proficies? Nunquid aduersus regnantem in cœlo, vllum tua persequutio habebit effectum? Nunquid nocere mihi quicquam poteris? quem non potes intueri? Ego enim sum Iesus Nazarenus quem tu persequeris, qui terras cœlo, crucem regno, mortem perpetuitate mutaui. De quibus omnibus non te debere cunctari, & ereptus tibi nunc, & post paululum redditus suadebit aspectus. At beatissimus Paulus repentina quidem cæcitate coërcitus, intellecta tamen maiestate loquentis è cœlo, continuo fidelis effectus, & à persequutione destitit, & nouos intuendi Christum oculos acquisiuit. Hic est Paulus, qui pro suarum remuneratione virtutem vltra humana merita tertium raptus ad cœlum, cœlestia secreta cognouit, vt Ecclesiarū futurus doctor inter Angelos disceret, quod inter homines prædicaret. Aut quis ei impune vltra non credat, qui de sacramentis dominicis non solum audita loquitur, sed & visa testatur? Quanta hoc, fratres, Dei nostri actū est gratia, vt qui de cœlestibus in Apostolatum vocatus est, Apostolatus eius consecraretur in cœlo? Et post omnia hic est Paulus qui ceruices suas quas aduersum Christi nomen superbus erexerat, perfidorum cædendas gladio humillimus pro Christi honore summisit, nec piguit eum pro illo mori quem sæpe probauerat viuere, & regnare post mortem. Atque ita factum est, vt gloriosissimum Paulum qui in diuersis gentibus pro fide Christi multo certamine dimicando innumera bella peregerat, velut victorem mundi Roma susciperet ad triumphum. Hi ergo sunt beatissimi Petrus & Paulus, qui sacramentum cœlestis regni vno spiritu prædicantes, sub vnius passione diei doctrinam suam pio sanguine & morte fortissima consecrarunt, qui etiam tanquam Ecclesiarum omnium principes facti dispensatione

Marginal notes: Ibidem. | Claues cœli lingua est Petri. | Ioan. 20. | Matth. 14. | Petrus cur trepidauerit. | Ibidem. | 1. Cor. 10. | Matth. 16. | Exod. 17. | Ioan. 21. | Egesibus l. 3. c. 2. de excidio vrbis Hierosolymitanæ. | Speciales Pauli virtutes. | Act. 9. | 2. Cor. 12. | Petrus & Paulus vna die passi.

pensatione cœlesti, Romam petentes, sacratissima sua corpora in illius vrbis arce reconderet, quæ totius orbis obtinuerat principatum, quatenus potentiam virtutis suæ Christus ostendens, vbi mundus caput habebat imperij, ibi regni sui principes collocaret.

Homilia secunda de eodem festo.

APostolici natalis gaudio, fratres charissimi, Petri & Pauli quorum hodie beatissimis passionibus iucundamur, lætior per vniuersum mundum Christi exultat Ecclesia. Quæ licet omnium se sanctorum martyrio certa sit adornari, horum tamen victoria gloriosiùs illustratur, quandoquidem videt de hoc sæculo ipsos fidei patres & magistros martyrum triumphasse. Quid enim insignius Petro, qui in carne positus mensuram carnis egressus, Christum Iesum viui Dei filium verum confitetur, & quod omnium adhuc mortalium pectus latebat, prima Petri lingua nouo est sermone confessa? (Petri præconium. Matth. 16.) Quid, fratres mei, magnificentius Petro, qui tantæ confessionis merito cum corruptibili adhuc esset in corpore, & necdum ipse ascendisset in cœlum, regnum illi cœleste & claudere & aperire permissum est? (Matth. 14.) Quid eius sublimius fide, qui gradiente Domino super aquas humanæ conditionis oblitus vitā sibi in fluctibus dari & poposcit & meruit, tantaque mētis eius confidētia fuit, vt crederet se posse per fidem quod sciebat, homini impossibile per naturam? Nam quia postea mergebatur, vt mihi videtur, necessarium fuit, ne tanti sublimitate miraculi in perniciem forte sui æquata Christo carnis fragilitas superbiret. (Petrus cur mergebatur.) Fuerit certe infirmitatis corporeæ quod paulo post timuit, quis tamen ambigat imitabilis fidei fuisse quod eum descendentem de naui, tremula & inconcussa humanis gressibus maris vnda sustinuit? Sed iam veniamus ad beatissimum Paulum, cuius tanta est nihilominus plenitudo fidei, vt peculiarem quodammodo eum sibi ducem ad illuminanda gentium corda cunctorum præscius saluator eligeret. (Pauli præconium.) Erat enim tam præcipuus in doctrina, animi virtute tam potens, innocentia & integritate tam sanctus, vt vno eodemque tempore, hinc eum sacerdotes ac principes Iudæorum per æmulationem legis antiquæ, data in Christianos persequendi autoritate dirigerent? hinc illum ad Ecclesiæ solatium atque omnium credentium firmamentū Christus vocaret è cœlo. (Act. 9.) Cuius ob hoc sunt à Domino cæcati oculi, vt suscepta gratia veritatis, cœlesti acie & lumine clariore fulgerent, pariterque aduerteret Christiani nominis princeps futurus, Christum quem persequebatur cæcandi illuminandique habere virtutem. Vt autem prætercam cætera, quæ cum vniuerso orbi mirabilem faciunt, vnum illud quod ad omnes eius sufficit laudes, quis valeat æstimare quantæ sit gloriæ, quod cum inter homines ageret, speciali quadam diuinitatis gratia, & paradisus illi penetrabilis & cœlum peruiū fuit? (2. Cor. 10.) Quid ergo, fratres, hoc doctore perfectius, qui in cœlo didicit quod in terris doceret? Quid hoc teste veracius, cui eleuato super cœlos oculis videre & approbare concessum est, quod postmodum promitteret credituris? Hæc sunt igitur Apostolorum Petri & Pauli stupenda merita, per hæc incedentes miracula Apostolatum suum. Domino ac Deo nostro effusione deuoti sanguinis consecrarunt.

Homilia tertia cuius suprà de eadem festiuitate.

BEatissimorum Apostolorum Petri ac Pauli inseparabilem fidem passionemque germanam, omni nos deuotione, fratres, necesse est celebrare, quia & laudabilis eos vita ad gloriosissimū perduxit occasū, & mirificus obitus perpetuam transmisit ad vitam. Et licet in Petro fides emineat, in Paulo doctrina præcellat, & magisterium tamen Pauli fidei plenitudo est, & credulitas Petri doctrinæ est fundamentū. (In Petro fides, in Paulo doctrina præcellit.) Quos tanta cœlestis electionis dignatio visitauit, vt hic fieret de piscatore doctor, ille de persecutore defensor. Sed in hoc omnipotentis Dei attollenda maiestas est, qui inspiratione mirabili, docendi gratiā tribuit imperito, & inimicū fecit amare quod oderat, & fidem quam impugnabat, asserere. Illius piscationem nō abstulit, sed mutauit, huius cæcauit oculos vt purgatiore recepto lumine, clarissimæ mētis acie vltra humanū videre possit aspectū. Quanti igitur meriti apud Deum suū Petrus erat, vt ei post nauiculæ paruæ remigium, totius Ecclesiæ gubernacula traderentur? (Magni meriti apud Deum Petrus & Paulus.) Aut quantū in Apostolatus sui ministerio complacuisse Christo credimus Paulum, cui tantum placere potuit persequutor? Placuit enim quia non iniqui pectoris studio, sed simplicis ignorantiæ incauta deuotione certabat. Denique vt primum sensibus eius spiritus veritatis infusus est, ostendit continuo nō se Christi sæuisse odio, sed amore paternæ legis innocenter errasse, De quo quid ego potissimum dicam, cum fidelissimus ipse sibi sit testis, qui cum nec suas velit iactare laudes, & Christi annuntiare cuperet maiestatem, verecundius quod in se gestum est, confitetur. Vt enim velut de altero quodam, Scio hominem (inquit) in Christo Iesu raptum vsque ad tertium cœlum, raptum in paradisum, & audiuit arcana verba quæ nō licet homini loqui. (1. Cor. 12.) Quid hoc Apostolo magnificentius, cui in medio mortalium constituto & supra cœlos ire datum, & ad terras redire concessum est? Quid hoc beatius viro qui inter secreta paradisi ediscere meruit, quod nec lingua hominis loqui possit, nec quisquam mereretur audire? Et quum tantæ sint sublimitatis illa quæ docuit, vt comprehendere ea mens humanà non possit, quantæ illud putamus esse gloriæ, quod prodere sibi asserit non licere? Quid etiam de Petro referam, cuius tanta à Deo est approbata iustitia, tantaque ei potestas attributa est iudicandi, vt in arbitrio eius poneretur cœleste iudicium? Perspicite ergo & æstimate, quanto nobis sit Petrus Apostolus honore reuerendus, cuius sententiam in terris prolatam sempiterni iudicis æquitas non repellit. Et ideo diligenter intendite quæ sit eius gloriæ magnitudo, cui dum claues regni committuntur æterni, cœlum illi claudere & aperire permissum est. Horum itaque, charissimi, per vniuersum mundum veneranda hodie passio celebratur, horum hodie concursu lætissimo excolit Rama martyrium, & quorum dudum impia persequuta est sanguinem, eorum nunc peculiari deuota patrocinio gloriatur.

Homilia quarta vnde supra.

BEatissimorum Apostolorum passio, fratres, quorum hodie natalem solenniter celebramus, cunctis est honoranda credentibus, quos pro iustitiæ

pietatiſque plenitudine ſaluator mundi humano generi & patres eſſe dedit & iudices. Quantæ autem integritatis quantæve pietatis fuerint, hinc vel maxime prouidendum eſt, quod ille eos ad emendationem corrupti ſæculi & miniſterium ſuæ voluntatis elegit, quem non fallebat electio. (Matth. 4. Vocatio Petri.) Vocauit namque Petrum opibus pauperem, opere piſcatorem, qui à conuerſione populari, & communione vrbium ſegregatus vitam inter fluctus agebat innocuam, & victum de ſimplicitate quærebat. Quem tamen ita dixerim pauperem, vt competens ei ſubſtantia non deeſſet. Quem bene merentem de Deo, copioſi maris diues vnda paſcebat. Electus ergo eſt ad prædicationem ſalutaris verbi, vt mutata vice cæleſtis myſterio ſacramenti, qui captura piſcium alebatur, ſalute hominum paſceretur. (Vocatio Pauli.) Glorioſiſſimum etiam Paulum ad fidem nominis ſui Chriſtus vocauit à cœlo, qui quod perſequi videbatur (Actor. 9.) Eccleſiam, non impietate irreligioſi animi ſæuiebat, ſed ſub nube ignorantiæ, nouam non perſpiciens gratiam, amore antiquæ deuotionis errabat. Ideò denique ab oculis eius veteris vmbræ caligo deterſa eſt, vt verum illud lumen, quod de cœleſtibus coruſcabat, & ſibi acquireret, & omnibus reuelaret. Cæcatus illuminatuſque eſt, non alia diſpenſatione, niſi vt clauſis carnalibus oculis ſpiritualis ei aſpectus ad inſpiciendam Dei gloriam formaretur. Accepit & fideliſſimus Petrus hos oculos, qui Chriſtum Dominum noſtrum in carne poſitum, & diuinitatem ſua ſub ſpecie aſſumpti hominis occultantem, filium eſſe Dei viui ſancti ſpiritus radio illuminatus inſpexit. Ait enim Domino (Matth. 16.) percontanti, quis eſſe ab hominibus putaretur: tu es (inquit) Chriſtus filius Dei viui. Quis non reſponſionis plenitudinem, piſcatorem protuliſſe miretur, quam compendio breuiſſimæ confeſſionis aperuit, & quod de patre habebat Dominus, & quod de humana natiuitate ſuſceperat? Chriſtus enim & filius Dei viui, vtriuſque naturæ indiuiſum continet ſacramentum. Vere ſuſcipiendum cunctis & mirabilem piſcatorem quiddum maris profunda rimatur, ad altiſſimum maieſtatis æternæ peruenit arcanum. (Petrus & Paulus Eccleſiarum columnæ.) Hi itaque ſunt Eccleſiarum columnæ Petrus & Paulus, quos & vita ſanctiſſima venerabilem perduxit ad mortem, & glorioſus occaſus fecit eſſe perpetuos. Quos non ſolum honoramus, vt martyres, ſed & vt magiſtros patreſque martyrum veneramur, qui Eccleſiam Dei & cœleſti prædicationis doctrina, & pij ſanguinis effuſione fundarunt.

Homilia quinta vnde ſupra.

CVm omnes beatiſſimi Apoſtoli parem gratiam apud Dominum ſanctitatis obtineant, neſcio quo tamen pacto Petrus & Paulus videntur præ cæteris peculiari quadam in ſaluatore fidei virtute præcellere. Quod quidem ex ipſius Domini iudicio (Petrus clauem potentiæ at. Paulus ſcientiæ accepit.) poſſumus approbare. Nam petro ſicut bono diſpenſatori clauem regni cœleſtis dedit. Paulo tanquam idoneo doctori magiſteriũ Eccleſiaſticæ inſtitutionis iniunxit, ſcilicet vt quos iſte erudierit ad ſalutẽ, ille ſuſcipiat ad quietem, vt quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborũ, eorum animabus Petrus aperiat regna cœlorum. Clauem enim quodammodo à Chriſto ſcientiæ & Paulus accepit. Clauis enim dicenda eſt, qua ad fidem peccatorũ dura corda reſerantur, mentium ſecreta panduntur, & quicquid intrinſecus clauſum tenetur, in palam rationabili manifeſtatione producitur. Clauis inquam, quæ & conſcientiam ad confeſſionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem myſterij ſalutaris includit. Ambo igitur claues à Domino perceperunt, ſciẽtiæ iſte, ille potẽtiæ. (Coloſ. 2.) Diuitias immortalitatis ille diſpenſat, ſcientiæ theſauros iſte largitur. Sunt enim ſcientiæ theſauri ſicut ſcriptum eſt, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Ergo beati Petrus & Paulus eminent inter vniuerſos Apoſtolos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt. Verum inter ipſos quis cui præponatur incertũ eſt. Puto enim illos æquales eſſe meritis, quia æquales ſunt paſſione, & ſimili eo fidei deuotione vixiſſe, quos ſimul videmus ad martyrij gloriã perueniſſe. Non enim ſine cauſa factũ putemus, quod vna die, vno in loco, vnius tyranni tolerauere ſententiã. (Petrus & paulus vna die, vnoque in loco paſſi.) Vna die paſſi ſunt, vt ad Chriſtum pariter peruenirent. vno in loco ne alteri Roma deeſſet: ſub vno perſequutore, vt æqualis crudelitas vtrumque conſtringeret. Dies ergo pro merito: locus pro gloria: perſequutor decretus eſt pro virtute. Et in quo tandem loco martyrium pertulerunt? In vrbe Roma quæ principatum, & caput obtineat nationum, ſcilicet vt ibi caput ſuperſtitionis erat, illic caput quieſceret ſanctitatis: & vbi gentilium principes habitabant, illic Eccleſiarum principes morerentur. Cuius autem meriti ſint beatiſſimi Petrus & Paulus, hinc poſſumus intelligere, quod cum Dominus Orientis religionem propria illuſtrauerit paſſione, Occidẽtis plagam ne quid minus eſſet vice ſui Apoſtolorum ſanguine illuminare dignatus eſt. Et licet illius paſſio nobis ſufficiat ad ſalutem, tamen etiam horum martyrium nobis contulit ad exemplum. Hodierna igitur die beati Apoſtoli ſanguinẽ profuderunt, ſed videamus cauſam quare iſta perpeſſi ſunt, ſcilicet quod inter cætera mirabilia, etiam magnum illum Simonem orationibus ſuis de aëris vacuo præcipiti ruina proſtrauerunt. (Egeſip. lib. 3. cap. de exci. vrbi Hier.) Cum enim idẽ Simon ſe Chriſtum diceret, & tanquam filium ad patrem aſſereret volando ſe poſſe conſcẽdere, atque elatus ſubito magicis artibus volare cœpiſſet, tunc Petrus fixis genibus præcatus eſt Dominum, & precatione ſancta vicit magicam leuitatem. Prior enim aſcendit ad Dominum oratio quàm volatus, & antè peruenit iuſta petitio quam iniqua præſumptio. Antè Petrus in terris poſitus obtinuit quod petebat, quàm Simon perueniret in cœleſtibus quo tẽdebat. Tunc igitur Petrus velut vinctum illum de ſublimi aëre depoſuit, & quodam præcipitio in ſaxo elidens, eius crura confregit: & hoc in opprebrio facti illius, vt qui paulo ante volare tentauerat, ſubito ambulare non poſſet, & qui pennas aſſumpſerat, plantas amitteret. Sed ne fortè hoc mirũ videatur, quod magus iſte præſente Apoſtolo per aërem aliquandiu volitauerit, hoc patientia Petri fecit. Permiſit enim illum ſublimius aſcendere, vt altius caderet, voluit eum in excelſum leuari ad conſpectum omnium, vt ruentem illum de excelſo oculi omnium peruiderent. Hæc igitur iniquitatis eſt elatio, vt in altum ſe ferat, in ſublime ſe erigat, ſed ſancta oratio omnem humiliat ſuperbiam, vniuerſam deiicit vanitatem.

In Natali diui Laurentij martyris. Homilia prima.

SAnctum eſt, fratres, ac Deo placitum, vt Natalem beati Laurentij præcipua deuotione veneremur, cuius radiantibus flammis, victrix in hunc quoque diem toto orbe Chriſti coruſcat Eccleſia.

Xistus Patriarcha.

Qui cum in sede gloriosissimi patriarchæ diaconatus fungeretur officio, puritate innocentis vitæ, fortissimaque mortis triumpho, Apostolico se consortio copulauit. Nec immerito eum Apostolorum supparem prædicamus, cui & castitas animi leuiticum ministerium dedit, & plenitudo fidei martyrij contulit dignitatem. Quem venerabilis Xistus Romanæ vrbis antistes, cum impietate sæuientis mundi per tormenta superaret & regnis esset cœlestibus iam vicinus, videretque eum paterna de morte tristissimum, ita illum spiritu præscientiæ compellasse narratur. Noli fili mœstus esse post triduum me sequeris. Vnde apparet, charissimi, beatum Laurentium non de sacerdotis sui victoria habuisse tristitiam, sed doluisse, quia non etiam ipse mundũ cum suo pariter sacerdote vincebat. Noli (inquit) fili mœstus esse, post triduum me sequeris, hoc est, noli tristis esse, velut apud sæculum derelictus. Nam nec te fides vitaque tua tali morte priuabit. Nulla te de meo transitũ quo ego gaudeo, perturbet anxietas, quia mox & tu habiturus es de tua passione lætitiam. Vere beati Laurentij gloria singularis, qui tantum de Deo suo consequutus est gratiæ, vt ei martyr de martyrio prophetaret, quem pro suorum prærogatiua meritorum ante victoria lætificauit quàm pugna terreret. Ergo vt comperit ore sacerdotis & martyris se quoque omnimodis assumendum, congregatis inopum turbis Ecclesiasticum censum religiosa liberalitate diuisit. Quam profundum spiritalis viri & quam cœleste consilium, vt & egenis consuleret, & multitudine consumente quæ dederat, inueniri non possit quod raperet persequutor. Illam nimirum sequutus sententiam: dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum. Misericordiæ fuit quod alimoniam pauperibus dedit, iustitiæ autem quod vt vir prudentissimus procurauit, ne sanctorum substantiam auaris manibus sacrilegus occuparet. Iustitia (inquit) eius manet in æternum. Quomodo non hæc ei in æternum manebit iustitia, quod & sancto impleuit opere, & gloriosissimo martyrio consecrauit? Hoc itaque dolore furor gentilis accensus craticulam continuo parat ignitam, super quam cremandum Laurentium per membra discinderet, vt indignationis suæ flammas impiis ignibus vindicaret. Ardet profecto totis visceribus fortissimus martyr, & vritur, sed regnum cœli promissaque Dei fideli mente pertractans refrigerio conscientiæ victricis exultat. Nec pœnali flexus incendio est, cuius in pectore insuperabili sancti Spiritus flamma feruebat. Aut nunquid cedere poterat momentaneæ corporis vstioni, cuius fides æternum gehennæ extinguebat ardorem? Superatis itaque flammarum ministris, omne mundanæ insaniæ refrixit incendium, & ad hoc vsque diabolica profecit intentio, vt & vir fidelis ad Deum suum gloriosus ascenderet, & crudelitas persequentium cum suis ignibus confusa torpesceret.

Xistus vrbis Romanæ Antistes.

Psal. 111.

Homilia secunda de eodem.

Sicut patrum nostrorum, fratres charissimi non incerta relatione didicimus, cum venerabilis Xistus Apostolicæ sedis sacerdotio fungeretur, & sanctissimo Laurentij Archidiaconi ministerio Romana floreret Ecclesia, inuidia ardente diaboli aduersus nomen & fidem Christi flamma durissimæ persequutionis incanduit, atque vt perniciosius dominicum gregem feralis bestiæ rabies insatiata laniaret, nocendi artifex, inimicus priuilegiis prius molitur custodiam pastoris eripere. Et ideo Xistum ante omnes summum Domini sacerdotem furor gentilis aggreditur, vt Ecclesiastica membra tam valido truncata capite, velut munimine præsidij cœlestis amoto, cruentus persequutor inuaderet. Sed magnus ille Xistus, qui commissis sibi à Deo ouibus affuerat pastor in terris, aderat patronus è cœlo. Denique sanctum Laurentium quasi iam pontificis sui solatio destitutum, ad subeunda supplicia manus pagana perquirit, quem mirabilis Xistus aduersus omnia sæuientis mundi mala vaticinio prophetici sermonis armauit. Nam cum idem Laurentius passionẽ paternam, vt piissimus filius inconsolabili mœrore defleret, Xistus præscientia sãcti spiritus edocente futura dignoscens, ait illi: Depone omnem, fili, de mea morte tristitiã. Nec enim diu mea te contristabit absentia, post triduum me sequeris. Quo responso mens deuota percepto, indubitatam suscipiẽs optimo ab antistite Christi martyre veritatẽ, nihil magis præ omnibus curat, quàm vt auaritia persequentis quod de morte sanctorum contristabat Ecclesiam, de præda Ecclesiæ gaudium non haberet. Inuenit vir prudẽtissimus, vnde acrius suum possit torquere tortorem. Omnem igitur Ecclesiæ censum cunctaque sacri vasa ministerij, ne ea sacrilegus macularet aspectus, conuocatis inopum turbis, pia erogatione distribuit, vt futurus martyr in retributione cœlesti pariter & mercede sui sanguinis, & tantæ liberalitatis præmio ditaretur. Non dubitans & in semetipso se fidem Christo suo & Ecclesiasticas opes in pauperibus seruaturum. Propter quod protinus ad tribunal rapitur impiorum, vir simplicitate innocens, virtute fortissimus. Nihil sanè aliud deferens iudicandi, quam vitæ mentis constantiam, & illæsæ conscientiæ puritatem, deuotam Deo offerens animam, & castissimum tradens persequenti corpus ad pœnam, illud Euangelicũ seruans: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animã autem non possunt occidere. Excogitatur itaque in Laurentium ferale tormentum, vt qui metu mortis non mouebatur, acerbitate supplicij frangeretur, sed quem suarum confortabat multitudo virtutum, non poterat vincere magnitudo pœnarum. Paratur ergo craticula igne succensa, quæ triumphalis martyris & animum fatigaret, & corpus exureret. Sed ignara viti turbata persequentium & diabolicis obcæcata tenebris, non videbat quod adustio illa membrorum, fidelis animi esset æterna purgatio, & corpus quod corrumpentibus flammis præsens vita desereret, ad incorruptionem viuendi damnata morte transiret. Vere incomparabile salutaris fidei huius sacramentum, quo per tormenta beatitudo quæritur, & flammis refrigerium præparatur, vt ait Patriarcha Dauid verbis martyrum dicens, transiuimus per ignem & aquam, & induxisti nos in refrigerium. Transibat per ignẽ & aquam beatus Laurentius, cum hinc eum morrifera mundi flamma torreret, hinc cęlestis irrigui vitalis vnda perfunderet. Transibat per ignẽ & aquã, cum vim furentis incendij, diuini fontis clementia temperaret. Ardebat ergo Laurentius, sed vincebat ignis ille, de quo ait saluator. Ignem veni mittere in terram, & quàm volo vt ardeat. O nouum mirandumque certamen vnius eiusdemque viri! & flammis corpus vrebatur, & ardentis fidei calore mens ignita feruebat, sicut loquebatur ad inuicem Euangelici illi viri docentes. Nonne cor nostrum erat ardens in nobis in via? Vbi ergo cor ardet flammam membra non sentiunt, vbi Christi ignis operatur, diaboli necesse est vincatur incendium,

Xistus summus Domini sacerdos.

Matth. 10.

Psalm. 65.

Luc. 12.

Mirandam in Laurentio certamen.

Luc. 24.

dium,& vbi Dei spiritus feruet, frigida fit flamma mortalium. Et hinc est,charissimi,quod triumphum beati Laurentij totus vbique mundus consona hodie deuotione concelebrat, hinc quod insuperabilem fidem eius lætior Roma miratur, quia radiis æterni solis,accensus,ignem sæculi patienter sustinuit,& confidenter euasit.

Homilia tertia de eodem.

Beatissimi Laurentij, fratres charissimi, annua semperque noua festiuitas Ecclesiam Dei iugiter in gaudia lætitiæ spiritualis accendit, admonens vniuersitatem credentium, vt sicut ille, perfectæ deuotionis ardore furentibus non cessit incendiis,ita nos diuersarum tribulationum ignis, & malorum sæcularium flamma à Christi societate non moueat,vt ait ille mysteriorum cœlestium doctor, ac totius virtutis exemplum gloriosissimus
Rom.8. Paulus,quis nos separabit à charitate Christi,tribulatio,an angustia,an persequutio,an fames,an nuditas,an periculum,an gladius? Et verè nullis præsentium persequutionum potest inclinari periculis, qui semel promissa omnipotentis Dei,æterna largissimi redemptoris præmia, fide stabili,& inconcussa mente concepit. Neque enim potest arduum illud præcelsumque bonorum immortalium iter debilis animus & fides clauda conscendere.Ideo & fortissimum martyrem incumbentium tormenta pœnarum, & sæuissimi persequutoris superare flamma non potuit, quia longè ardentius veritatis radiis mens eius accensa feruebat.Vnde nec potuit de infatigabilis eius pectore calorem diuinitus infusum corporeus ille & mortalium ministratus manibus ignis excludere. De hoc validissimo Christi
Esa. 43. milite,illud credendum est dictum,quod ante multa annorum millia prænunciatum est per Prophetam dicentem,Et si transeas per ignem, flamma te non comburet. Ecce enim beatus Laurentius transiuit per ignem,quo non adustus inhorruit,sed illuminatus effulsit, transiuit per ignem momentaneum atque terrenum,sed flammam gehennæ perpetuo exurentis euasit.Quid hoc beatius viro, qui miserantis Dei dispensante gratia arsit,ne arderet, vt ne vreretur,exustus est? Qui si nullis esset ignibus ac suppliciis traditus, fuerat quidem securitas libertatis,sed nulla extiterat gloria dimicantis. Ad hoc enim nos exemplis atque doctrinis in Ecclesia sua Christus erudit, non vt nihil mali patiamur in mundo,sed vt mundum multimoda passione vincamus. Cecidit quondam variis tribulationibus coar-
Psal.38. ctatus ille clarissimus Prophetarum Patriarcha Dauid dicens:Concaluit cor meum intra me,& in meditatione mea exardescet ignis. Quæ sententia etiam venerabili Laurentio conuenire manifestum est,cuius cor tanta in fide Christi magnanimitate concaluit, vt despectis proprij corporis cruciatibus insanissimo tortori suo, triumphatis eius ignibus lætus illuderet. Verè in meditatione eius insuperabilis exarsit ignis, qui odio perfidiæ & amore veritatis accensus appositam sibi extrinsecus flammam aut non sensit,aut vicit. Propter quod, charissimi, exultemus & lætemur in Domino, non dubitantes & persequutorem martyris pro ignibus quos accendit præparata impiis incendia sustinere, & ipsum beatissimum martyrem pro flamma quam pertulerit, apud omnipotentem Deum incorruptæ lucis illuminatione fulgere.

In Natali D. Eusebij Episcopi Vercellensis, cuius solennitas Kalendis Augusti agitur. Homilia prima.

Sanctorum patrum memorias religiosis conuentibus honorantes,fratres charissimi, & propria eorum merita, & munera in eis diuina miramur. Qui idcirco nobis sunt venerabiles, quia præsentis vitæ luce despecta, contemptóque suorũ corporum cruciatu,sæuientem mundum Dei pro amore vicerunt. Sicut beatissimus hic pater noster dum pro assertione indisputabilis deitatis spiritu feruentiore consurgens Arrianis impietatibus obluctatur, & Ecclesias Dei concertantium hæreticorum procellis ac turbinibus perturbatas,serenæ fidei trãquillitate pacauit,& sibi æterna præmia multimoda passione quæsiuit, illius nimirum inconcussa sequens vestigia,ad quem Dominus ait: Tu es Petrus, & super Matth. 16. hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebũt ei.Verè ac merito cunctis posteritatibus honorãdus ille,qui firmissimæ petræ soliditatẽ sequutus inimicos Christi,& cœlestis spiritus auctoritate cõfudit, & infatigatæ patientiæ fortitudine triumphauit.Nec inferni,sicut dictum est, aduersus eum porta præualuit, qui sibi portæ æternalis ingressum regem gloriæ cõfessus aperuit.Aut quomodo ei non pateret porta illa vitalis, qui plenitudine Euangelicæ lectionis edoctus, in patre filióque eius inscrutabile vnicæ maiestatis asseruit sacramentum, edocens & ostendens quæ esset in vno eodémque Dei filio, & susceptæ carnis ratio, & naturalis priuilegium deitatis? Sciebat profecto Ioan. 12. saluatorem dixisse, ego & pater vnum sumus, & Ioan. 14. qui me videt, videt & patrem. Hæc illum confessio & honorabilem terris, & cœlo reddiderit gloriosum. Sed necessarium nunc esse reor,vt occasione beati huius patris nostri, quem in tantam gloriam Catholicarum Ecclesiarum fides indeclinabiliter ab eo seruata prouexit, nos quoque propitio largiente Deo salutaribus doctrinæ dominicæ testimoniis imbuamur. Ait ergo Dominus. Ego & pater vnum sumus.Qui dicit sumus solitarius non Ibid. 10. est,qui dicit vnum sumus, vtique ab eo cum quo vnum est,non potest esse diuisus. Quod mihi nunc hæretice in patre & eius filio diuersitatem conaris astruere, cum filius substantiæ suæ nos edocens veritatem dixerit?Ego & pater vnum sumus: Qui Ibidem. & vnum dicit & sumus,nec separatione se diuidit, nec vnione confundit.Qui vnum cum patre est,nec perpetuitate à patre differt, nec virtute discordat, cumque sit cum patre vnum,de patre tamen natus asseritur,ne vt impius blasphemet Arrius, aut creatura quæcumque filius, aut patri impar esse credatur.Audis ergo, ô homo,Deum de Deo natum,sed in tanto hoc profundo habes quod fide credas,non habes quod discutias argumentis. Audis filium de patre natum,sed ne sexum aliquem possis in diuinitate rimari,ipse filius & verbum dicitur & lumen. Dicitur etiam Dei virtus & Dei sapientia,vt aduer- 1. Cor. 1. tas non quasi per lineamenta genitalium corporaliter creasse patrẽ,sed per ineffabile maiestatis secretum,de virtute prodiisse virtutem,& lumẽ manasse de lumine. Rursus ne verbum ipsum non substantiam veritatis,sed prolatiuum loquẽtis Dei putares esse sermonẽ,dicitur filius, vt in eo illius qui pater est & consonantiam esse disceres & affectum. Iterũ quia lumen dicitur,ne fortè eum velut radium solis,aut splendorem lucernæ, alieno putares lucere fulgore,ait de seipso beatus Euãgelista Ioannes,cui arcanum

arcanum Dei & videre & reuelare concessum est
Ioan. 1. dicens, erat lumen verum. Verum lumen ait, vt scias illum non cuiuscumque creaturalis deficientisque luminis esse fulgorem, sed à vera luce veritatem esse quod lumen est. In tantum autem verum est lumen, vt non solum non egeat illuminari, sed illu-
Ibidem. minandi habeat potestatem. Illuminat enim vt legitur omnem hominem venientem in hunc mun-
Ioan. 14. dum. Ait ergo Christus, vt dictum est, qui me videt, videt & patrem. Qui me, inquit, videt, videt & patrem, quomodo non & duo & vnum sunt, cum alter videatur in altero, & vnum vidisse, sit vtriusque cognitio? Et reuera fratres, sicut videre filium, videre est patrem, ita intellecto patre, intelligitur & filius. Nam qui patrem credit & confitetur æternum, credat necesse est & filium coæternum. Sed iam videamus quis iste sit aspectus in filio, quo pariter videri asseritur & pater. Videt sine dubio in filio patrem, qui credit filium secundum incogitabilem deitatis naturam, ineffabiliter natum esse de patre. Nec posse aliud hunc esse qui natus est, quam est ille qui genuit. Videt in Christum patrem, qui opera Christi non extraneæ possibilitatis, sed paternæ credidit esse virtutis. Videt in filio patrem qui intendit illum sub communione paterni nominis, non ingeniosæ artis industria, sed simplicis po-
Ioan. 2. testate præcepti, aquas in vina vertentem creatura-
Ioan. 6. rum mutare naturas, vbertate etiam benedictionis suæ exesum panem fœcundis esurientium morsibus
Exod. 16. augmentantem. Multiplicando namque escas in ore mandentium, & panes reformando de micis fecit pene non esse mirabile quod manna fluxit è cœlo. Quis non aduertat in Christo paternæ æqualitatis opus, quum videat eum auctoritate dominantis terrere dæmones, fugare languores, oculos dare ho-
Ioan 9. mini, necdum figuratos in homine? Cuius etiam
Matth. 10. vestimenti fimbrias occulto aditu mulier ægrota
Marc. 6. tangendo, velut furtiuam subripuit sanitatem, sed
Luc. 8. tanquam verus Deus, quem nullum humanorum pectorum poterat latere secretum, & egressam de se mox prodidit medicinam, & circumstantibus turbis credentis fœminæ meritum publicauit. Videt in filio maiestatem paternam qui aspicit Christum non impetrantis gratia, sed iubentis imperio, & paternæ voluntatis assensu, aut de lectulis suis mortuos, aut de tumulis suscitantem. Si diuinæ est operationis creasse hominem, eique dedisse vitam, quomodo non diuini est operis salutem reddidisse
Ioan. 14. defuncto? Qui videt (inquit) me, videt & patrem. Quomodo, fratres, in patre filioque eius vnus esse poterat, & indiscretus aspectus, nisi esset ei vna & indiscreta substantia: Christus igitur natura Deus, natura & homo, in vtroque verus, in vtroque perfectus est, quia & humanitatem veraciter sumpsit à matre, & de patre habet naturaliter deitatem. Qui sic videt filium, videt patrem, quia cum Christum eundem Deum confitemur & hominem, necessario passiones homini, Deo mirabilia deputamus, vt intelligatur vnigenitus Dei, nec à paterna maiestate dispar, nec à materna carne dissimilis. Per hanc fidem, charissimi, à patribus nostris
Arrij confutatur perfidia. Arriana est confutata perfidia, qui vtique Arrius beati Ioannis Euangelio contradicens, dum verbum Dei Deum, & apud Deum esse negat, infidelitatis suæ cæcatus obscuritate, nec patrem potuit videre nec filium, dumque factorem omniũ facturam esse contendit, & intemporali Deo temporalia conatur adscribere, præsumptionis suæ furore confusus, vtriusque in Christo naturæ salutare perdidit
Ibidem. sacramentum. At venerandus iste pater qui legerat dixisse Dominum: ego in patre & pater in me est, sciens in hac doctrina personarum esse distinctionem, non naturæ distantiam, patris filiique eius, qui non vnus, sed vnum sunt, indissociabilem tenuit, & edocuit vnitatem! asserens pariter in Christo Domino nostro & passibilem carnem & impassibilem deitatem.

Homilia secunda vnde supra.

AD sancti ac beatissimi istius patris nostri, cuius hodie festa celebramus, laudes addidisse aliquid decerpsisse est: siquidem virtutum eius gratia non sermonibus exponenda est, sed operibus Prou. 10. &
comprobanda. Cum enim dicat scriptura; Gloria pa- 15.
tris est filius sapiens, quantæ huius sunt gloriæ, qui tantorum filiorum sapientia & deuotione lætatur. 1. Cor. 4.
In Christo enim Iesu per Euangelium ipse nos genuit. Quicquid igitur in hac sancta plebe potest esse virtutis & gratiæ, de hoc quasi quodam fonte lucidissimo omnium riuulorum puritas emanauit. Etenim quia castitatis pollebat vigore, quia abstinentiæ gloriabatur angustiis, quia blandimentis erat præditus lenitatis, omnium ciuium in Deum prouocauit affectum, quia Pontificis administratione fulgebat, plures è discipulis reliquit sui sacerdotij successores. Bene & congrue in hac die quam nobis beati patris nostri huius ad paradisum transitus exultabilem reddit, præsentis Psalmi versi- Psal. 111.
culum decantauimus: In memoria æterna erit iustus. Digne enim in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium transiit Angelorum. Dicit sermo Eccl. 11.
diuinus: Ne laudes hominem in vita sua. Tanquam si diceret. Lauda post vitam, magnifica post consummationem. Duplici enim ex causa vtilius est hominum magis memoriæ laudem dare quàm vitæ, vt illo potissimum tempore merita sanctitatis extollas, quando nec laudanti adulatio nocet, nec laudatum tentet elatio. Lauda ergo post periculum, prædica securum, lauda nauigantis fœlicitatem, sed cum peruenit ad portum. Lauda ducis virtutem, sed cum perductus est ad triumphum. Quis autem viuens tuto possit ac sine trepidatione laudari, qui & de præterito meminit se habere quod doleat, & de futuro videt sibi superesse quod timeat? Qui vero in hoc corpusculo positi debeant sibi quicquam vendicare de meritis, quos iterum dæmonum infestatio velut latronum obsidet multitudo, quibus per omnes vias supplantatores inuisi animarum laqueos tendunt, innumerabilium Psal. 105.
mortibus expauescendos? Nauigantibus enim nobis per hoc mare magnum & spatiosum, in quo sunt reptilia quorum non est numerus, animalia pusilla & magna, id est diuersa genera inimicorum, qui secundum nostrarum virium quantitatem compensato nobiscum agone luctantur. In huius mundi itaque pelago valdè nobis pertimescendum est, ne nauem nostram aut procella tempestatis abripiat, aut fluctus absorbeat, aut in æternam prædam pirata crudelis abducat. Aduersus hæc ergo multiformia sæculi mala, castigatis ac castis actibus resistamus. Beati autem patris merita iam in tuto posita securi magnificemus, qui gubernaculũ fidei viriliter tenens, anchoram spei tranquilla iam in statione composuit, & plenam cœlestibus diuitiis, & æternis mercibus nauem optato in littore collocauit. Qui contra omnes aduersarios scutum timoris Dei, tamdiu infatigabiliter tenuit, donec ad victoriam perueniret. Quid enim fuit totius vitæ illius cursus, nisi vnius cum vigili hoste conflictus? Quantis hic cæcis à via veritatis errantibus, & de summa

ſumma iam in profundum rupe pendentibus amiſſum reddidit viſum,& illum quo Chriſtus videretur reparauit intuitum? Quantorum auribus ſurdis & infidelitatis obturatione damnatis, ad percipiendam vocem cœleſtium mandatorum,pretioſum infudit auditum, vt vocanti Deo ad miſericordiam reſponderet per obedientiam? Quantos intrinſecus vulneratos angelici oris arte,& orationum ab infirmitate curauit? Quantos per longam incuriam peccati labe reſolutos, & quadam lepræ contagione perfuſos,caſtigationibus, exhortationibus expiando,Deo in ſe operante mundauit? Quantorum animas viuentes in corpore iam defunctas,& delictorum mole obrutas ac ſepultas,ad emendationē tanquam ad lucem vocando Deo reſuſcitauit, vt Domini ſui admirandus imitator, iam mortuas Deo econtrario mortificet vitali morte peccato? Tunc in alia parte ea quæ aperuerat ſalubritate claudebat,ne eis res aliena concupiſcibilis appareret, ne interiori homini maculam exterior culpa transmitteret, ne ad cor tenebræ per vias lucis intrarent, ne in vnoquoque prophetica illa interminatio conpleretur.Mors(inquit)intrauit per feneſtras veſtras. Heb.9. Miniſteria enim aurium & oculorum feneſtræ eſſe probantur animarum. Quando enim aperimus auditum mala & iniqua loquentibus ac damnabiliter obtrectantibus,& quæ Deo ſunt contraria ſuadentibus,mors intrat per feneſtras noſtras,horror mortiferæ noctis irrumpit, per quas ſol iuſtitiæ intrare debuerat.Quando iſtæ peccati feneſtræ apertæ ſunt ianua ſalutis & vitæ ac portæ paradiſi clauſæ ſunt Has iſte vir beatus feneſtras multis ceris diuini timoris obſtruxit. De quantorum cordibus quos inhoneſta iniquitas & impietas poſſidebat,fugauit luxuriam,deiecit iram,& extinxit inuidiam, & velut de antiqua domo barbaris hoſpitibus perturbatis reuocando illud fidem,caſtitatem,iuſtitiam,miſericordiam,habitatores pacificos intromiſit, per quos in domicilium mentis caput horū bonorum Chriſtus intraret: & appoſitis pœnitentiæ medicamentis velut quatriduanum fœtentem, increpationum fremitu ſuſcitabat, & emendatione ſuſcepta de mediis mortis faucibus erutos, temporaria reſurrectione vitæ reſtituebat. Hæc itaque atque huiuſmodi plura gerens quæ proferre per nos atque expedire vt dignum eſt non poteſt ſermo pauperculus melius vobis ea veſter dicet affectus.Summæ enim alacritatis inſtantia fuit cultor & cuſtos animarum cupiditates reſecans,iras comprimens,malitias extirpans. His etiam magis vir iſte temporibus neceſſarius fuit,quibus tanta iniquitas ſumptis quotidie(deficiente iuſtitia) viribus conualeſcit. Et quidem ille in hac peregrinatione ſolo corpore conſtitutus, cogitatione & auiditate in illa æterna patria conuerſatus eſt, & quaſi bonus ratiocinator velut ad centuplum manum porrigens ſemper de ſiniſtra tranſmiſit ad dexteram,& in cœlo repoſuit ſudores ſuos.Nam & ſi hic opera eius videntur, illuc operum merita tranſierunt.Illius ergo in quantum poſſumus veſtigiis inſiſtamus, quibus per illam nimis arctam viam ad cœli ampla feſtinans, qua eum ſequeremur, oſtendit.

Feneſtræ animarum miniſteria aurium & oculorum ſunt.

Ioan. 11.

In natali diui Cypriani Epiſcopi & martyris. Homilia prima

SAncti Cypriani feſtiuitatem ſicut omnibus notum eſt,hodie celebramus,& natali,ſicut dicunt imminente vindemia,natalem eius martyrij procuramus. Conueniūnt igitur vota noſtra, & mundi. Mundus vindemiarum vbertate lætatur, nos ſanctorum paſſione gaudemus. Quæ quidem paſſio vindemiis comparanda eſt.Sicut enim vuarum expreſſione vinum funditur, ita & ſanctorum martyrio vini vice ſangnis effunditur,niſi quod vna temporales fructus præſtat, paſſio ſempiternos. Rectè ergo martyrium vindemiis comparatur,habet enim & ebrietatem ſuam,habet & calicem ſuum,de quo dicit propheta Dauid:Et calix tuus inebrians quàm præclarus eſt! Et ipſe Dominus in paſſionis ſuæ exitu conſtitutus,ait: Pater ſi poſſibile eſt tranſeat calix iſte à me.Et iterum propheta: Calicem ſalutaris accipiam,& nomen Domini inuocabo Rectè, inquam,calix martyrio comparatur,quia ſicut calix cum bibitur, omnis humor noxius vini calore decoquitur,ita martyrij poculum cum hauritur,omnes peccatoris fæces paſſionis gloria temperantur. Vinum ergo quoddam ſalutare martyrij eſt, quod cordi lætitiam præſtat,calorem fidei,animæ puritatem.Vinum plane eſt ſpirituale, Dei illa vua,quæ pro ſalute omnium pependit in ligno. Sicut enim botrus redditurus vinum prius in vinea quadam naturæ arte ſuſpenditur,ita & Chriſtus editurus vinum ſpirituale martyrij in cruce quadam prouidentia diuinitatis aptatur. Ipſe eſt plane botrus, quem duo exploratores illi,hoc eſt, Ieſu Naue & Caleph filius Iephone in phalanga ad filios Iſraël propriis humeris detulerunt.Quod quidem factum iam tunc præfigurabat aduentum Domini ſaluatoris. Nam botrus in phalanga ſuſpenſus, in cruce Chriſtus appenſus oſtenditur. Duo autem in phalanga portantes vuam, duo populi demonſtrantur,Chriſtianus vtique & Iudæus. Et ſicut mos eſt portantium,vnus præcedens, alter ſubſequens, ita prior Iudæorum deſignatur populus, Chriſtianorum ſecundus.Et ſicut antecedens quod portat non videt, & retrorſum idem ſemper habens quadam dorſi auerſione contemnit, qui autem ſequitur ſemper id oculis perſpicit, ſemper cuſtodit obtutibus, ſemper corporis vicinitate potitur, ita ergo Iudæus Chriſtianus populus.Iudæus enim prior eſt,Chriſtum,in lege portat & neſcit,& retrorſum eum ponens quadam dorſi auerſione contemnit. Vnde ait propheta. Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua. Chriſtianus vero ſequens populus Chriſtum ſemper oculis aſpicit, ſemper cuſtodit obtutibus, & quadam graduum ſuorum vicinitate complectitur,& quanto eum ille populus prauo itinere poſt ſe relinquit, tanto eum iſte directo curſu feſtinat attingere.

Martyrium vindemiæ comparatur.

Pſal. 22. Matth. 26.

Num. 13.

Pſal. 68.

Homilia ſecunda vnde ſupra.

IN martyrio beatiſſimi Cypriani,fratres chariſſimi,vniuerſa nobiſcum Chriſti exultat Eccleſia, quam in omne gaudium & cœleſtis eruditione ſermonis inſtruxit, & munere triumphalis ſanguinis decorauit,Fuit enim in eo,ſicut compertum habemus, & contra errores diaboli ſpiritalis ſapientiæ plenitudo, & aduerſum perſequutiones mundi, Chriſtiani pectoris infatigata conſtantia.Quis non huiuſmodi virum quantis valet præconiis proſequatur,cuius eloquentia inſpirata diuinitus & Eccleſias docuit,& ſæculum confutauit.Vere hic mirabilis, atque omnium vbique ſtudiis celebrandus, quem ſanctitas ſacerdotem,peritia doctorem, fides martyrem conſecrauit. Pretioſa, inquit Dauid, in Pſalm. 115. conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Videte charif

Cyprianus omnium ſtudiis celebrandus.

charissimi, in quantum venerabilis Cyprianus, etiam propheticam supergressus est laudem, cuius in conspectu Domini non solum mors, sed & vita extitit pretiosa. Moriendo namque proprium Christo sanguinem dedit, viuendo nihilominus cohortatione fortissima, innumeros cælo martyres acquisiuit. Quid hoc clarius sacerdote, qui inter hominum tubas gloria cœlestis conuersionis emicuit, atque inter Angelicos cœtus, & sua factus est & aliorum morte conspicuus. Iustissime hic cum patriarcha Dauid cantauit Domino Deo suo dicens:

Psalm. 85. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deo viuo. Exultauit itaque cor eius in Deo viuo, cum morientis ac morituris sæculi vanitate dispecta, totum se diuinis mancipauit obsequiis. Exultauit & caro eius in Deo, quæ de hoc mundo non miseri corruptione languoris, sed piis pro religione suppliciis consecrata migrauit. Hic est ille Euangelicus paterfamilias, proferens de thesauro suo noua

Matth. 13. & vetera, qui veteris nouique testamenti vnum atque idipsum mysterium prædicans Ecclesias Christi locupletissima disputatione ditauit. Incorruptibilis atque indefessus illius est hodie thesaurus, qui pecuniam Domini sui nummulariis fœnerans quotidie in corde fidelium cælestium diuitiarum sanctam conquirit vsuram. Quid igitur, fratres, tantò speciosius viro, cuius hæc est regula & mensura sermonis, vt inter varias hominum causas motúsque

Matth. 25. diuersos, nunc affectione patris, nũc autoritate doctoris cõsoletur humiles, superbos comprimat, negligentes arguat, increpet infideles. Tantóque denique decore sacerdotium vitámque suam vir fidelissimus adornauit, vt doctrinam suam subsequentibus confirmaret, operibus, dominicam illã sententiam tenens, qui docuerit & fecerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Quàm magnus hic quaque præcipuus in regno cœlorum est, quem in omnem gloriam sermo propheticus, vita mirabilis, &

Math. 5. mors Deo deuota sublimat? Nec immeritò, fratres, tanto cum honore nominis eius memoria, per amplissima mundi spatia celebratur, quia per vniuersum orbem ad firmamentum fidei nostræ, & passio eius & doctrina profecit.

In solennitate diui Michaëlis Archangeli, de eo quod scriptum est: Quis maior est in regno cœlorum?

SI diligenter audistis Euangelicam lectionem, intelligere potestis quæ ministris ac sacerdotibus Dei reuerentia debeatur, vel qua ipsos clericos inuicem humilitatis sedulitate se oporteat præuenire. Ait enim Dominus percontantibus discipulis quis

Matth. 18. eorum in regno cœlorũ maior esset futurus, statuto coram omnibus puerulo, quicumque humiliauerit se sicut puer iste, hic maior erit in regno cœlorum. Vnde intelligimus quod humilitate peruenitur ad

Humilitatis vestigia sectanda. regnum, simplicitate penetratur ad cœlum. Quisquis ergo cupit diuinitatis tenere fastigia, humilitatis ima sectetur. Quicunque vult fratrem præuenire regnando, prius illum præueniat obsequendo,

Rom. 12. sicut ait Apostolus: honore inuicem præuenientes vincat eum officiis, vt possit vincere sanctitate. Si enim te non læsit frater, obsequium meretur vt diligas, quod si forsitan læsit magis, obsequium meretur vt vincas. Hæc enim nostræ Christianitatis

Christianitatis summa. summa est, vt amantibus vicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus. Qui ergo fuerit patientior ad iniuriam, potentior constituetur in regno. Non enim ad imperium cœlorum peruenitur superbia, diuitiis, præfectura, sed humilitate, paupertie, lenitate. Arcta enim & angusta est via quæ ducit ad regnum. Quisquis ergo honoribus inflatus fuerit, & Matth. 7.

auri thesauris dilatatus, tanquam onustum & impeditum animal per angustum regni iter transire non poterit. Simul etiam vt se existimat peruenisse, sarcinam eius exigua porta non capiens, repercusso limine retrorsum redire cogetur. Tam enim angusta est diuiti porta cœlestis, quàm est camelo acus foramen exiguum. Vnde ait Dominus, facilius est camelum per foramen acus transire quam diuitem in- Matth. 19.

trare in regnum cœlorum. Sicut enim camelum animal tortuosum atque deforme, exigua cauerna præterire non patitur: ita & diuitem auarum atque mendacem arcta cœli ianua minimè intrare permittit. Nam ideo nudi in sæculo nascimur, nudi & iam accedimus ad lauacrum, vt nudi quoque & expediti ad cœli ianuã properemus. Quàm autem incongruum & absurdum est, vt quem nudum mater genuit, nudum suscipit Ecclesia, diues intrare velit in cœlum? Propterea adolescenti illi diuiti in Euangelio è saluatore dicitur, qui iustus sibi videbatur & sanctus, & omnia mandata legis complesse, si vis perfectus esse, vende omnia tua & de pauperibus. Comparatio. Ibidem.

Vsque adeò enim nuda virtus apta cœlo est, vt quamuis iustus, quamuis sanctus aurum vel diuitias possidẽs, non possit esse perfectus. Talem enim voluit adolescentem illum Dominus ad paradisum redire, qualis Adam fuerat de paradisi sublimitate deiectus. Nudus enim Adam incola paradisi fuit, Genes. 3.

denique post peccatum, nuditatem suam peruidens folio pudenda contexit. Prius enim quàm peccaret honestatis erat calore vestitus, atque ideo nuditatẽ inhonestam non natura instituit, sed delicti reatus inuenit. Nam & sancti Angeli splendidissimo habitu constituti, nunquid tunicis operiuntur & palliis. Sed quum sit in illis natiuitatis suæ nuda substantia, vestiti videntur esse quod sancti sunt. Sic igitur & Adam custodiens honestatis Angelicæ dignitatem, erat quidem nudus mundanis vestibus, sed immortalitatis erat splendore vestitus. Nil prauũ respiciebant eius oculi, non cor eius turpe aliquid cogitabat, erat apud honestas mentes nuditas ipsa vestita: Sicut enim apud nequam homines turpis cogitatio à concupiscentia vestibus non arcetur, ita apud sãctos viros honesta simplicitas, ad concupiscendum nuditate non trahitur. Sed sicut vitiosis ad corruptelam nuda sunt omnia, ita religiosis ad castimoniam operta sunt vniuersa. Quid autem ait Matth. 18.

euangelica lectio? Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credũt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & mergatur in profundum maris. Pusillos hîc non ætate pueros, Pusilli qui.

sed malitia paruulos dicit, sicut Apostolus ait: Malitia paruuli estote, vt sensibus perfecti sitis. Qui sunt 1. Cor. 14.

isti nisi clerici idonei, monachi religiosi, vel laici? Quisquis igitur his irreuerens, aut contumeliosus extiterit, hac belluina pœna plectetur, vt infirmi saxo religato illi ad collũ præcipitetur in mare. Sed videamus cur scandalizantibus Christianos ista pœna decreta sit, aut quid sibi velit ipsa sententia? Puto enim illam aliquod mysterium continere. Quasi vero non sufficeret, & in mare homini demergendo saxum qualecunque non magnum aut enorme, sed molæ asinariæ lapis religetur ad collum, vt cum perituro homine pereat res vsui necessaria. Sed puto hoc magis esse quod in scripturis asini figura populus gentilium nũcupatur, qui clausis oculis circa ignorãtiæ molam erroris sui gyro pertrahitur, & sine vlla cursus directione vestigiis in se sæpe redeũtibus

tibus inuitus vsui laborat alieno. Nonne enim tibi videtur molam asinariam voluere gentilis populus, quam diu in imperitiæ suæ labore versatur? Naturæ quidem vinculis alligatus vt verbum Dei molat, Dominum cœli quærat, sed opertæ mentis cæcitate subfusus multum animi erigere ad Deum, cordis oculos leuare non possit ad cœlum. Sed quoniam mola asinaria saxum esse constat, videamus si & paganorum talis est mola. Talis est planè. Saxea enim mola est paganorum Iupiter Herculésque lapideus, circa quos cæcis oculis frequenti errore circumeunt. Cæcos (inquam) dixerim eorum oculos, qui putant se videre quod non vident. Aspicientes enim saxum, Deum se videre * confidunt. Attamen qui molam voluit, consummandi aliquando finem operis habet, exeundi spem gerit laboris. Cui vero mola asinaria ad collum suspenditur, portat lapidem qui portare debuerat iugum Domini. Asinus ergo ad molam, cæcus ad lapidem, gentilis ad saxum, qui adorat eum quem non videt nec agnoscit, Deus enim non in manufactis habitat, nec in metallo aut saxo cognoscitur. Hic ergo gentilis populus cum persequutionem Christiano intulerit, hac pœna plectitur, vt cum sua sacrilega mola iudicandi sæculi fluctibus demergatur.

Aliàs confingunt.

Actor. 17.

In Natali sanctorum Tauricorum martyrum, Octauij, Aduentitij & Saluatoris.

CVm omnium sanctorum martyrum, fratres, deuotissimè natalem celebrare debemus, tum præcipuè eorum solennitas tota nobis veneratione curanda est, qui in nostris domiciliis proprium sanguinem profuderunt. Nam licet vniuersi sancti vbique sint, & omnibus prosint, specialiter illi tamen pro nobis interueniunt, qui & supplicia pertulere pro nobis. Martyr enim quum patitur, non sibi tantum patitur, sed & ciuibus. Sibi enim patitur ad præmium, ciuibus ad exemplum. Sibi patitur ad requiem, ciuibus ad salutem. Exemplo enim eorum didicimus Christo credere, didicimus contumeliis vitam æternam quærere, mortem didicimus non timere. Videte ergo quid martyribus debeamus, in quo alter ortus est, vt alius saluaretur, alter carnificem pertulit, vt Christum alter agnosceret, alter morti addictus est, vt alius vita potiretur æterna, & ad postremum sanctus occisus est, vt peccator euaderet. Beati igitur martyres nec sibi vixerunt, nec sibi sunt mortui. Exemplum enim nobis relinquerunt, bene viuendo conuersationis, tolerando fortiter passionis: Nam ideo Dominus per totum mundum diuersis in locis pati martyres voluit, vt tanquam idoneis testes præsenti quodam fidei exemplo suæ confessionis vrgerent, vt humana fragilitas, quæ prædicationis dominicæ aditu longiore vix credit, vel præsenti oculorum testimonio martyrio crederet beatorum. Cuncti igitur martyres deuotissime percolendi sunt: sed specialiter ij venerandi sunt à nobis quorum reliquias possidemus. Illi enim non orationibus adiuuant, isti etiam adiuuant passione. Cum his autem nobis familiaritas est. Semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur, hoc est & in corpore nos viuentes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt. Hîc ne peccatorum nos labes assumat, ibi ne inferni horror inuadat. Nam ideo hoc à maioribus prouisum est vt sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, vt dum illis Christus illuminat, à nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum sanctis ergo martyribus quiescentes euadimus inferi tenebras, eorum propriis meritis, attamen consocij sanctitate. Ait enim Dominus Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt ei. Si ergo Apostolo & martyri Petro inferni porta non præualet, quisquis sociatur martyri, tartaro non tenetur. Martyres enim inferni porta non possidet, quoniam eos paradisi regna suscipiunt. Nam videmus eos vtique iam regnare. Cernimus enim ab iis frequenter obsessos immundissimis dæmonibus homines liberari, ita vt cœlesti medicina & captiua anima de diaboli laqueis eruatur, & ipse diabolus vinculis igneis alligatus producatur de sua captiuitate captiuus, vt qui prædam paulo ante ceperat, ipse subdatur in prædam. Hæc & alia potiora mirabilia per sanctos fieri omnibus notum est. Et ideo, fratres, veneremur eos in sæculo, quos defensores habere possumus in futuro. Et sicut eis ossibus parentum nostrorum iungimur, ita & eis fidei imitatione iungamur. In nullo enim ab ipsis separari poterimus, si sociemur illis tam religione quàm corpore.

Martyrum exempla.

Martyres deuotissimè colendi vt defensores.

Matth. 16.

Homilia eiusdem de martyribus.

SVfficere nobis deberent ad profectum salutis nostræ martyrum exempla sanctorum, qui propter adipiscendam cœlestem coronam, omnibus se mandatis dominicis subdiderunt, & ita cunctis deuinxerunt se legibus saluatoris, vt propter anteactam vitam mererentur ad hanc martyrij gloriam peruenire. Non enim illo tempore tantum perfecerunt præceptum Domini, quo confessionis supplicium pertulerunt, sed necesse est illos prius secundum Euangelium vixisse Christi, vt Christi passionibus potirentur. Necesse est enim, vt initia bona fuerint, quorum finis est optimus subsequutus. Et martyres eos non solum fuisse cum passi sunt, sed etiam martyres Christi fuisse cum viuerent. Martyr enim Latinè testis dicitur, ac quotiescumque bonis actibus mandatum Christi facimus, toties Christo testimonium perhibemus. Vnde & crux Domini non illa tantum dicitur, quæ passionis tempore ligni affixione construitur, sed & illa quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptatur. De qua mihi videtur saluator dicere: Qui vult post me venire, tollat crucem suam, & sequatur me. Nunquid enim omnes martyres qui sequuti sunt Dominum crucifixi sunt? Nunquid omnes virgines quæ iuxta Apocalypsim sequuntur Agnum Dei, crucifixæ sunt vt sequantur? Nunquid Paulus Apostolus crucifixus fuerat quum dicit, mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo? Hoc autem dicit vt intelligas crucem non ligni esse patibulum, sed vitæ virtutisque propositum. Tota igitur vita Christiani hominis si secundum Euangelium viuat, crux est atque martyrium. Sed hoc est quod in nobis difficilè reperitur, vt omnes actus nostri secundum Euangelium dirigantur, atque ideo quotiescumque voluptatibus volutamur, crucem saluatoris amittimus. Christus enim est castitas, pax, veritas, mansuetudo. Quomodo ergo potest castitati testimo-

Martyr.

Luc. 9.

Apoc. 14.

Galat. 6.

nium perhibere corruptus? Aut quomodo potest pacem prædicare, cuius animus semper in lite est? Quo pacto etiam veritatem aut mansuetudinem qualiter seruabit inconstans? Quomodo (inquam) possumus ad martyrij gloriam peruenire, quum dicat Dominus, nolite possidere aurum? Nos etiam auri talenta recondimus. Nolite (inquit) possidere aurum. Hoc aurum habentibus dicit. Vnde si habentibus aurum possidere prohibet, non habentium cupiditatem quæ pœna condemnat? Et si qui propria retinent, amittere iubentur, illi qui aliena diripiunt quàm grauiter ferientur? Sunt enim plerique fratres, qui cum humili loco geniti fuerint, & nullas à parentibus diuitias consequuti sint, tanta auaritiæ cupiditate iactantur, vt putent se sine causa natos, nisi aurum quoquo pacto possederint. Existimantes enim, (sicut ait Propheta) vitam hominum compositam ad lucrum, non dubitant vnde videlicet ex malo acquirere, atque ita huiusmodi homines dum lucrum auri quærunt, damnum salutis inueniunt. Requiramus, fratres, quotusquisque est qui hoc non sit imbutus? Pauci admodum sapientes ab hac pestilentia se defendunt. Si negotiatorem cogites, propter auaritiam primus in culpa est. Si malitiam tantum respicias, cupiditas est illi tota causa malitiæ. Si officia singula perscruteris, inuenies homines non honestate adduci ad obsequium, sed præda veluti ad negotium prouocari. Omnes igitur penè lucris ac negotiis student, & cum primo surgunt diluculo, non cogitant nisi vt aliquid vndecumque percipiant. Quod si aut honestas conuicerit, aut retruderit iudicantis auctoritas, cur res alienas diripiant, damnum se fecisse queruntur? Sine causa (inquiunt) militamus, sine causa laboramus, hodie domum referre nihil potui, iniquitas iudicis malè me facere non permisit. Cunctos igitur penè homines agitat auaritia, nullum de his quietum esse permittit. Hi enim qui nihil habent, cupiditate torquentur: illi qui diuitias possident, sollicitudine cruciantur. Nec ipsis enim benè est qui recondito auro incubant, imò ipsis est grauius. Semper enim sunt anxij, mœsti, solliciti, ne hoc seruus auferat, ne fur effodiat, atque ideo retrudentes illud tenebris, ita abscondunt, vt omnium subterfugiat notionem, nihil ex eo proferentes aliquando ad vsum, ne apertio latebrarum fit causa prodendi. Seruant autem illud & non vtuntur. Seruant, inquam. Custodes ergo dixerim istos esse non dominos, & alienum attendere diligenter, non proprium conuenienter expendere. Quid ergo, fratres, putatis habere aurum esse diuitias? Ego dixerim maiores esse diuitias, aurum non habere, pretiosior enim mens eius quæ aurum despicit, quàm quæ aurum requirit. Maiores planè sunt diuitiæ non habere aurum, sed aurum non habentibus eminere. Qui enim propriis abundat bonis, sæculi thesauros non requirit. Bona enim sunt propria, honestas, sobrietas, misericordia, castitas; quæ bona omnia auro magis sunt pretiosa, vt sciatis, quia his ita viliora sunt metalla auri, talenta emi possunt, argenti vasa comparari possunt, honestas sola emi non potest. Honestas enim non emitur, sed acquiritur, quia non constat pretio, sed virtute. Tu igitur qui aurum possides, si placet, bona inuicem conferemus. Tu cum peregrè proficisceris, thesauri tui necessario domi remanent, quibus longè à te positis semper trepidus, semper incertus es, ne quum domum redieris, non habeas quod habebas. Ita dum semper amissionem eorum metuis, apud conscientiam tuam nudus & pauper es. Ego autem quocumque iero, meæ diuitiæ me sequentur, nec separari à me possunt bona, quoniam non terreno specu, sed thesauro pectoris retinentur. Tu quum recedis è sæculo relinquendo, tuas diuitias perdidisti, ego autem cum mihi de hoc mundo migrare contingit, diuitias meas mecũ ad paradisum veho. Tuas diuitias post mortem, exemplo illius purpurati diuitis, ignis & tenebræ subsequentur, meas diuitias exemplo Lazari sinus Abrahæ & beatitudo suscipiet.

Matth. 10.
Sapient. 15.
Taxat auaritiæ sectatores.
Cunctos agitur auaritia.
Bona quæ propria.
Luc. 16.

Finis Homiliarum de Sanctis.

HOMILIÆ

HOMILIÆ SANCTI MAXIMI EPISCOPI TAVRINENSIS DE DIVERSIS.

In traditione Symboli de expositione eiusdem Homilia.

Iudic.20.



CVM apud patres nostros, sicut liber Iudicum refert, quædam Israëliticæ tribus ciuili aduersum se prælio decertarent, nec propter consimilem populi vnius habitum inter bellantes posset esse discretio, tribus illa cuius iustior erat causa pugnandi, quia merito per Dei auxilium victoriam præsumebat, signum sibi certo in sermone constituit: vt quos vna armorum facies confundebat, secretioris verbi distingueret sacramentum. Quod beati Apostoli, vt ego reor, exemplum sequentes Ecclesiæ Dei quam aduersum militiam diabolici furoris armabant, mysterium symboli tradiderunt, vt quia sub vno Christi nomine credentium erat futura diuersitas, signaculum symboli inter fideles perfidósque secerneret, & alienus à fide atque hostis appareret Ecclesiæ, qui aut tanquam baptizatus nescisset, aut tanquam hæreticus corrupisset. Credis, inquit, in Deum Patrem omnipotentem. Credendus sine dubio est Deus pater omnipotens, cuius sic virtus sentitur, vt quantitas eius & qualitas ignoretur. Esse enim illius & posse non discutiendo assequimur, sed credendo. Quem autem credere debeamus, edocet
Ioan. 5. nos redemptoris nostri authoritas dicentis: Qui
Ioan.14. credit in me & in eum qui me misit, habet vitam æternam. Et alibi. Creditis in Deum, & in me credite. Plus est, fratres, quod fidei oculis intuemur, quàm sensus possit videre carnalis. Credis, inquit, in Deum patrem omnipotentem. In Deo natura innascibilis, in patre vnigeniti veritas, in omnipotente plenitudo virtutis ostenditur. Est namque per ingenitam deitatem omnipotens, & per omnipotentiam pater. Nec disquirendum qualiter sit Pater; quia qualiter Deus sit aut omnipotens, non potest comprehendi. Et in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum. Quod Christus est factus qui filius erat, dispensatio est redemptionis humanæ, quod Dominus est, de proprietate naturæ est. Vnicus autem vel vnigenitus annunciatur & creditur, quia vnus ita est genitus, neque habet in natiuitate consortem. Filium audis non vt illum sexu aliquo editum putes, sed vt credas incomprehensibili
Ioan.16. maiestate Deum prodiisse de Deo, vt ait ipse: Ego à patre exiui & veni in hunc mundum. Qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine. Spiritum sanctum audis vt partum illum mirabilem simul & inculpabilem recognoscas. Cœleste est enim quod spiritus agit: inuiolatum quod sanctus operatur. Nam cum vnigenitum Dei fieri hominem redemptionis nostræ necessitas flagitaret; hoc natiuitati suæ priuilegium propriæ diuinitatis inuexit, vt de virgine nasceretur. Qui enim veniebat inueteratam peccatis hominum reuocare naturam, nouam legem noluit habere nascendi. Vnigenitus igitur Dei factus est filius hominis, vt qui creator mundi erat, fieret & redemptor. Qui sub Pontio Pilato crucifixus est & sepultus. Nulla nobis sit de Christi cruce confusio, quia habemus de eius passione victoriam. Sicut enim sempiternus Dei filius non sibi, sed nobis est natus: ita immaculatus Dei agnus non sibi, sed nobis est passus. Quis autem non mirificum aduertat esse mysterium, vbi ipse homo prædicatur qui Deus est, & vbi idem Dominus annunciatur qui asseritur crucifixus? Nec incogitata ei quod peremptus est, aut improuisa res accidit: qui diuinitatis suæ consilio idcirco suscepit hominem, vt pro homine possit occidi. Supplicium autem crucis elegerit, vt sublimiorem victoriam pareret pœna deterior, & qui vniuersitatis bono patiebatur, quasi in conspectu mundi in altum subleuatus occumberet, simul vt qui crucifixum videbant, mirabilia cernerent crucifixi. Nam satis abundéque gloriam patientis ostendunt repentina solis obscuritas, tremor terrarum, saxorum diuisio, resurrectio mortuorum. Illud autem quanti est testimonij, quod etiam pariter crucifixus latro, memoriam sui in cœlesti regno fieri à consorte supplicij precabatur? Hinc est, charissimi, quod illusiones & probra quæ pertulit Christus, crucem mortémque eius non suspiriis ingemiscimus, sed continuis laudibus celebramus. Sepultus est autem, quia consequens erat vt qui mortuus fuerat, acciperet sepulturam. Sepultus est Dominus, vt ad consolationem sepultorum benedictionem corporis eius & terra susciperet. Sepultus est, vt qui verè mortuus cernebatur, verè rediisse à mortuis crederetur. Tertia, inquit, die resurrexit à mortuis. Si credidisti de Christo quod dedecoris est, crede quod gloriæ est. Si credidisti quod mortis est, crede quod vitæ est. Sicut enim in passione mysterium pietatis est, ita in resurrectione operatio potestatis, vt ait ipse: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Quomodo itaque non illi suppetebat vita post mortem, cui mori non fuit conditio, sed potestas? Nec magnum sanè est si dicamus, potuit Christus resurgere; cum impossibile fuerit vt author vitæ non rediret ad vitam? Aut quomodo poterat inferni legibus detineri, qui idcirco est mortuus, vt mors amitteret potestatem? Nihil ergo vltra de eius passionibus

Mirificum mysterium.

Matth.27.

Luc. 23.

Ioan.10.

confunda

confundamur. Nihil de eius morte trepidemus, cui & resurgendi potestas erat & natura viuendi. Cuius autem dementiæ est illum non credere resurrexisse, ad cuius præceptum de tumulo sepultus emersit? Ascendit in cœlum. Decebat, fratres, talis gloria hominem qui de virgine nascebatur: nec impossibile ei fuit cœlum ascendere, cui possibile fuit inferos triumphare. Et necesse erat vt qui ad mortem de regno venerat, post mortem rediret ad regnum. Fuit in hoc, charissimi, salutaris & incomprehensa mentibus humanis inter cœlum terrámque communio: vt sicut terra Dei filium se suscepisse lætata est, ita cœlum filium hominis se accepisse gauderet, vt cātatum est per Prophetam: Lætentur cœli, & exultet terra. Nam sicut manifestum est terram exultare de Deo: ita dubium non est cœlum gaudere de homine. Sedet ad dexteram patris. Quod sedet Christus, victoris munus est, quod ad dexteram patris sedet, diuinitatis est priuilegium, & indiscretæ consortium charitatis. Et benè ad dexteram patris annunciatur sedere, in quo nihil voluntatis suæ diabolus qui totus est sinister inuenit. Inde venturus iudicare viuos & mortuos. Necesse est, fratres, vt hominum genus ille discutiat qui creauit, & ipse iudicet qui redemit: iustúmque est vt omnipotens Dominus mortales suos quos diuinitatis virtute formauit, patris pietate saluauit, iudicis examinatione discernat. Nam quid esse potest æquius apud Deum, quàm vt quorum in sæculo fuit vita diuersa, eorum post hoc sæculum merita distinguantur? Viui autem iudicandi referuntur ac mortui: vt omnium hominum esse apud Deum cura credatur. Et in Spiritum sanctum. Hæc est, charissimi, inoffensa regula veritatis, vt quorum vnum nomen est, non sit eorum diuersa confessio: & qui in cœlo apud se vnum sunt, à nobis non separentur in terris. Nam sicut diuinitati nihil de creaturis æquari potest, ita omnem diuisionem & inæqualitatem natura diuinitatis excludit. Secundum enim Euangelicam veritatem, sicut filius à patre exiuit, ita & Spiritus à patre procedit. Et sicut vnigenitus filius Dei est, ita & Spiritus sanctus Dei est. Et sicut pater cui vult miseretur, & filius cui vult patrem reuelat, ita etiam spiritus & inspirare legitur provt vult, & dona cœlestium gratiarum diuidere, provt vult. Quomodo ergo non vnum esse cum patre filióque credendus est spiritus, cui æquè adiacet posse quod vult? Sanctam Ecclesiam. Verè sancta est Ecclesia confitenda, per quam & sanctificatio est data mortalibus: & crescente credentium numero omnium penè linguis in Dei laudes sanctior mundus exultat. Sancta est Ecclesia, quæ baptismi sacramento peccatorum contagione detersa, terrarum incolas transmittit ad cœlum. Remissionem peccatorum Credenda est præcipuè, fratres, peccatorum remissio: quia hoc vnum est remedium quod hominum genus à sententia perpetuæ mortis absoluit. Idcirco vnigenitus altissimi sumere dignatus est carnem, complexus est crucem, vt te qui crimina tua euadere & peccata non poteras, indulgentiæ faceret innocentem. Ideo immaculatus occisus est agnus vt eius cruore humani generis macula tergeretur. Videte, fratres, profunditatem mysterij, videte altitudinem sacramenti: vbi mors reddidit vitam, & peccantium sordes sanguine sunt innocentis ablutæ. Hæc autem remissio non te ad peccatum nutrit, sed admonet vt peccare iam metuas, qui te intelligis sine venia non potuisse saluari. Bonitas enim Dei indulgentiæ suæ munere nos non armat ad culpam, sed abluit ad gloriam. Carnis resurrectionem. Hic religionis nostræ finis: hæc summa credendi est. Et revera quis credens Deo possit de resurrectione dubitare, cum manifestum sit hanc solā Christo causam fuisse nascendi? Quæ enim alia ratio, quæve vtilitas erat, vt perpetuus carnem dignaretur assumere, nisi vt carnem perpetuitate donaret? Quæ gloria esset Dei filium crucem non refugere, mortem expetere, perpeti sepulturam, nisi vitam mortalibus præstita resurrectione conferret? Posse autē hoc fieri facit diuinitas fidem, cui totum quod vult posse subsistit. Denique vt indubitata resurgendi exempla capiamus, ipse hic mundus amissa receptáque decoris sui specie & occidit & resurgit. Documentum nimirum futuræ resurrectionis accipimus cum commendata sulcis frumenta in stipulam suā redeunt: & renouatis frondibus spoliata gelu nemora reuirescunt: cuncta etiam quæ terra producit, aut semine aut radice multiplicata redduntur. Quæ autem duritia cordis est non credere reformari hominem, cum omnia quæ facta sunt reparentur? Hoc est, charissimi, symbolum, cuius signaculo sicut in primordio dictum est, fideles ab infidelibus secernuntur. Hoc est symbolum, cuius veritas vnumquemque credentem efficit Christianum. Hoc est symbolum quod & viuentes sanctificat, & mortuos reducit ad vitam.

Psalm. 95.

Diabolus totus sinister.

Ioan. 15.

Ioan. 4.

1. Cor. 12.

Sancta Ecclesia confitenda.

Nota altitudinem sacramenti.

De non timendis hostibus carnalibus, & de gratiis post cibum agendis.
Homilia prima.

Frequenter admonui vos fratres, vt dum licet, dum tempus in spatio est, saluti vestræ omnibus modis consuleritis, & in hac vita breui, vitam vobis prouideretis æternam. Sapiens enim quisque intelligit quod hæc vita hominum non ad quietem data sit, sed ad laborem, hoc est, vt hic laboret, & in posterum requiescat, hic autem requies nulla est. Tantis enim malis hæc vita repleta est, vt comparatione eius mors remedio putetur esse, non pœna. Nam ideo breuem illam Deus fecit, vt molestiæ eius, quia prosperitate non poterant, temporis exiguitate finirentur. Denique sanctus Iob dicit: Piraterium est vita hominis super terram, hoc est, siue quod homines in hac vita omnia experiantur mala. Piraterium enim Latinè experimentum dici potest. Sed certè Piraterium, quod in hac vita circa homines diabolus tanquam pirata desæuiat. Piraterium enim habitaculum piratarum est. Tandiu ergo in piraterio sumus, quamdiu in hac carne positi, prædonum spiritualium tentationibus subiacemus, quamuis in hac ipsa vita etiam carnales nobis, qui sunt barbari piratæ non desunt, minus tamen eos timeo, qui etsi auferunt patrimonia, non possunt auferre iustitiam: si aurum tollunt, Christum tollere certè non possunt, si diripiunt argentum, non possunt diripere saluatorem. Quis igitur non festinat habere sibi Christum, quem non possit ab eo nec prædo diripere, nec hostis auferre, nec captiuitas separare? Qui enim habet Christum hominē non veretur inimicū. Quid enim facturus est sapienti? Pecora eius abducet? hoc etiam morbi lues facere consueuit. Armenta diripiet? istud damnum abactores tolerando iam didicit. Ipsum fortassis non illi admouet tædia, sed remouet: hoc enim illi intulit, quod maiore cum molestia febris afferret, præsertim cum dicat Dominus: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Illi igitur spirituales plus metuendi piratæ sunt, qui non solum corpora hominum, sed

Iob. 7.

Piraterium.

Matth. 10.

Piratæ spirituales plus metuendi.

&

& animas spoliare consueuerunt, qui non tam aurum mundi quàm aurum fidei auferre nituntur, qui non tam sæculi substantiam, quàm Christi sapientiam deprædantur. Nam ipsi nobis spirituales hostes hos carnales immittunt, vt probemur in tribulatione positi, quam simus confidentes in Deo, qui de solo ipso remedium postulemus. Sunt enim quidam, qui in tribulatione positi dicant, malis artibus hostes vincere iisdem eos artibus debere superari, desperantes de Deo, à dæmonibus victoriam flagitãtes, miseri homines nesciunt quid faciunt, quid loquantur. Dum enim rebus suis metuunt, obliti sunt religionis ac fidei, qui res quidem suas fortè non perdant, sed quod est amplius, suas animas perdiderunt. Dicit sanctus Iob: Si bona excepimus de manu Domini, quare non mala tolerabimus? hoc est, si bonis superuenientibus iucundamur, quare non & aduersis accidentibus confortemur? Aduersa tolerare sapienti virtutis exercitium, insipienti præuaricationis est occasio. Dixi ergo frequenter, vt in hac vita breui vitam vobis prouideatis æternam, quod doleo cur hoc facere contemnatis. Cum enim ieiunandum dicimus, præter paucos nemo ieiunat: cum eleemosynæ faciendæ, maior auaritia vos constringit. Orare autem & gratias Deo agere quid sit, plerosque de vobis etiam arbitror ignorare, qui surgentes primo diluculo non nisi de prandio cogitent, cùm pranderint, somno se tradant, nunquam diuinitati gratias referentes, quæ illis & prandium ad refectionem & somnum dederit ad quietem. Vtique tu Christiane si es vtilis, meminisse debes cuius panem comedis, & ei laudem dicere. Dic mihi, num si aliquid de tuo cuicumque largiris, expectas vt tibi gratias agat, vt benedicat demum de quo ei humanitas sit tributa? qua si fortè gratias non agit, quemadmodum à te denotatur ingratus? Ita ergo & à nobis expectat qui nos pascit Deus, vt pro præstitis ab eo escis illi gratias referamus, & saturari donis ipsius laudes dicamus. Hæc enim beneficiorum est retributio diuinorum, vt cum refecti fuerimus, bene nos confiteamur acceptos. Cæterum si accipientes diuina munera, taciti & immemores fuerimus, tanquam ingrati & indigni eorum subministratione fraudabimur: vt Deum quem beneficiis non cognouimus, malis ingruentibus requiramus, & aduersis stimulemur ad rogandum, qui prosperis gratias non egimus ad fruendum. Sicut nunc contigit, vt qui in pace pigri fuimus ad laudes referendas, modo in tribulatione trepidi existimus ad pericula deploranda.

Iob. 2.

Beneficiorum retributio reddenda.

Homilia secunda eiusdem vnde supra

SAtis abundéque dixisse me credo superiore dominica ad correptionem eorum, qui diuinis muneribus perfruentes gratias non referunt creatori, & vtentes beneficiis cœlestibus tanquam ingrati & indigni beneficiorum non remunerantur autorem. Ingrati, inquam, qui Deum nec quasi serui metuunt Dominum, nec quasi filij honorificant vt parentem. Dicit per prophetam Deus, Si Dominus sum, vbi timor meus? si pater, vbi amor meus? Hoc est, si seruus es, redde Domino timoris obsequium: si filius, exhibe patri pietatis affectum Tu autem cum gratias non agis, Deum nec diligis, ne vereris: vnde aut contumax seruus, aut superbus es filius. Qui est igitur vtilis Christianus, semper debet patri ac Domino suo laudes dicere, & in

Malac. 1.

eius gloriam omnia procurare, sicut ait beatus Apostolus dicens: Siue mãducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite. Videte quale viri Christiani Apostolus voluit esse conuiuium, vt magis fides Christi, quàm prandij sagina comedatur, & plus reficiat hominem dominici nominis frequens inuocatio quam epularum multiplex & copiosa collatio, meliúsque pascat esurientem religio quàm sagina: Omnia inquit in gloriam Dei facite. Omnes ergo actus nostros Christo vult socio vel teste compleri, hac scilicet ratione, vt bona ipso autore faciamus, mala propter ipsi s contubernium declinemus. Erubescit enim mala facere, qui scit Christum se habere participem: Christus autem in bonis adiutor est, in malis noster est conseruator. Ergo cum diluculo surgimus, debemus priusquam procedamus è cubiculo, gratias agere Saluatori, & ante omnes actus sæculi, actus habere pietatis, qui nos quiescentes, & dormientes in lectulis custodiuit. Quis enim nisi Deus dormientem custodit hominem? qui ita resolutus in somnum, & oblitus sui vigoris humani à se alienus efficitur, vt nesciat quid ipse sit, vbinam demoretur, adesse sibi certè ipse non possit. Necessarius igitur Deus adest dormientibus, quia dormientes sibi adesse non possunt, & à nocturnis insidiis genus hominum ipse custodit, quia id temporis ad custodiendum alter nemo peruiligat: debeo ergo illi gratiam, qui vt ego securus dormiam, ille peruigilat. Ipse enim nos Deus ituros cubitum quodam gremio quietis suscipit, & thesauro pacis recondito seruat, & caliginum quadam tuitione in lucem defendit, vt malitia inimicorum hominum repellatur tenebris, quæ non potest benignitate depelli, & pacem fessis præstet obscuritas quam non præstabat humanitas. Dum enim nescit homo, vbi suum aduersarium persequatur, pacem quam volens præstare noluit, præstat inuitus. Debemus ergo surgentes gratias Christo agere, & omne diei opus insigne facere Saluatoris. Nonne cùm adhuc gentilis esses, solebas signa perquirere, quæ signa quibus rebus essent prospera, magna inquisitione colligere? Iam nunc nolo erres in numero, scito quia in vno signo Christi omnium rerum est tuta prosperitas. Qui in hoc signo seminare cœperit, vitæ fructum consequetur æternæ. Qui in hoc signo iter facere aggreditur, ad cælum vsque perueniet. In hoc igitur nomine omnes actus nostri dirigendi sunt, & ad ipsum toties vitæ nostræ commotio referenda, quia sicut ait Apostolus In ipso viuimus & mouemur & sumus. Sed & cum vespera diem claudit, ipsi debemus per psalterium laudem dicere, & gloriam eius modula suauitate concinere, quo operum nostrorum consummato certamine, veluti victores requiem mereamur, & laboris quædam palma sit soporis obliuio. Hoc autem faciamus fratres, non solum docemur ratione, sed etiam admonemur exemplis. Nonne enim videmus minutissimas aues cum illucescentem diem aurora producit, in quibusdam nidorum cubiculis varia dulcedine personare, & id studiosè agere priusquam procedant, vt creatorem suum, quia loquela non possunt, suauitate demulceant, & quemadmodũ vnaquæque earum, quoniã confessione nequit, modulis prodat obsequiũ: ita vt videatur sibi deuotius gratias agere, quæ dulcius personauit, hoc etiam peracto dici cursu similiter facere? Quid ergo sibi vult ista certis temporibus disposita cantilena & iugis intentio, nisi gratiarum quædam sit immoderata confessio? Pastori enim suo auis innoxia, quia sermone non potest, suauita-

1. Cor. 10.

Ibidem. Christus in bonis adiutor: in malis conseruator est.

Actor. 17.

Comparatio.

te blandirur. Habent enim & aues pastorem suum, sicut ait Dominus: Respicite volatilia cœli, quoniam non nent, neque metunt, & Pater vester qui est in cœlis, pascit illa. At quibus tandem cibis pascuntur aues? vilissimis scilicet & terrenis. Aues ergo propter viles escas gratias agunt, tu pretiosissimis epulis pasceris, & ingratus es. Quis igitur non erubescat sensum hominis habens, sine psalmorum celebritate, diem claudere, cum ipsæ aues ad gratificandum psalterij suauitate persultent, & eius gloriam non versuum dulcedine personare, cuius laudem volucres modulata cantilena pronunciant? Imitare ergo, frater, minutissimas aues, mane, vespere creatori gratias referendo. Et si es deuotior, imitare lusciniam, cui quoniam ad dicendas laudes dies sola non sufficit, nocturna spatia peruigili cantilena decurrit. Et tu igitur laudibus tuis diem vincens operi tuo adde nocturna curricula, & insomnem suscepti laboris industriam psalterij serie consolare. Et quia de his auibus mentionem feci, quæ noctibus vigilant, nolo te imitatorem esse noctuæ, quæ licet per noctem vigilat, per diem tamen pigra vel cæca est, quæ grandibus oculis tenebrarum caligines diligit, splendorem solis horrescit. Mirum enim in modum illuminatur obscuritate, luce cæcatur. Istud animal, hæreticorum figura est atque gentilium, qui tenebras amplectuntur diaboli, lucem saluatoris horrescunt, & grandibus disputationum oculis cernunt vana, non respiciunt sempiterna. De his ait Dominus: Oculos habent & non videbunt: in tenebris ambulant. Sunt enim acuti ad superstitiosa, hebetes ad diuina, qui dum se putant subtilibus euolare sermonibus, tanquam noctuæ viri luminis splendore turbantur.

Matth. 6.

Noctuæ proprietas.

Hæreticorum figura.

Psal. 113.

De auaritia, & de eo quod scriptum:
Erant eis omnia communia,
Homilia prima.

Act. 4.

Legimus in libro qui Apostolorum actibus adscribitur, tantam sub memoratis viris deuotionem plebis fuisse: ita populi Christiani floruisse primitias, vt post acceptam fidem, nemo domum propriam sibi defenderet: & nemo suũ aliquid vendicaret, sed iure fraternitatis essent illis cuncta communia, scilicet vt qui eodem cõsortio religionis tenebantur, eodem consortio fruerentur & vita: hoc est, vt quibus erat vna fides, esset & vna substantia: & quibus erat communis Christus, communis esset & sumptus. Nefas etenim putabãt religiosi viri sibi participẽ non asciscere in substantia, qui particeps esset in gratia. Atque ideo fraternitatis charitate omnibus communiter vtebantur, nisi quod maior est fraternitas Christi quã sãguinis. Sanguinis enim fraternitas similitudinem tantummodo corporis refert, Christi autem fraternitas vnanimitatem cordis animæque demonstrat, sicut scriptum est: Erat autem credentium cor atque anima vna. Vere ergo frater ille est, qui tam corpore quam vnanimitate germanus est. Verus, inquam, est frater, cuius idem spiritus & voluntas in fratre est. Melior igitur est, (sicut dixi) fraternitas Christi quam sanguinis. Sanguinis fraternitas interdum sibi inimica est, Christi autẽ fraternitas sine intermissione pacifica est. Illa inter se communia cum æmulatione diuidit: hæc etiam propria cum gratulatione communicat. Illa in consortio despicit sæpè germanum: hæc assumit frequenter alienum. Tanta enim (sicut dixi) illo tempore Christianæ plebis deuotio fuit, vt nemo domum suam diceret: nemo proprium aliquid vendicaret, sicut ait sanctus Lucas dicens: Et nemo quicquam ex eo quod possidebat, suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Nemo enim, inquam, erat cuiusquam egens inter ipsos. Beata igitur plebs, quæ dum plures in Christo habet diuites, nullum in sæculo habuit indigentem: & quæ dum æternas cogitat diuitias, fratribus temporalem repulit paupertatem. Vendebant enim (sicut ait Scriptura) prædia & domos suas: & pretia venditorum ante pedes Apostolorum ponebant vt erogarent prout cuique opus esset: videte sanctorum virorum fidem quemadmodum propter Christum toto spoliabantur patrimonio, & nihil sibi reliqui faciebant. Non enim verebantur ne esurirent ipsi, dum timebant ne alius esuriret. Hæc igitur sub Apostolis fuit in plebe deuotio: modo quid simile reperimus? Et certe idem Christus in nobis, sed non idem est in nobis animus. Eadem in plebe fides, sed non in plebe est ipsa largitio. Ita alter de alterius inopia non cogitat, vt illud fit quod ait Apostolus: Alius quidem esurit, alius ebrius est. Nam plerique Christiani non solum propria non distribuunt, sed etiam diripiunt aliena: Non solum inquam colligentes pecunias suas ad pedes Apostolorum non deferunt, sed etiam confugientes fratres suos protrahunt à pedibus sacerdotum. Nunc est illud tempus quod describit beatus Apostolus dicens: In nouissimis diebus abundabit iniquitas multorum: & refrigescet charitas. Modo enim abundat auaritiæ iniquitas, quæ ante largitatis bonitate cessabat: & refrigescit fraternitatis charitas, quæ prius Christi amore feruebat. Tanta enim sub Apostolis fraternitatis dilectio fuit, vt tunc in conuentu suo non aduenerit indigentia. Tanta autem modo Christianitatis dissimulatio est, vt in cœtu nostro vix inuenias locupletem. Locupletem autem vix inueniri dico, non tam facultatibus quam operibus. Ait enim Apostolus: Diuites sint in operibus bonis, locupletem enim illum in Ecclesia intelligi volui, qui diues est in Christo. Nam & ibi quod ait sub Apostolis neminem indigentem fuisse, ostendit vtique tanta eos gratia fidei fuisse præditos, vt omnes cœlestium diuitiarum abundauerint largitate. Rarò igitur hoc tempore inuenimus in Christiano populo locupletem, etsi plerique in domibus auro sint diuites, tamen in Ecclesia iustitia sunt mendici. Dum enim circa pauperes non pro eo quod præualent operantur, nec est hoc gratum quod offerunt: nec illud est satiabile quod reseruant. Dicit Dominus ad Cain, cum offerret munera: Si autem rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti. Si & tu Christiane non recte diuidis, qui de tanto auro tuo maiorem partem mammonæ reseruas, quam Domino largiaris. Sic namque Ananias in actibus Apostolorum dum putat se rectè offerre, & non rectè diuidit, pecuniam quam obtulit, perdidit: & quam domi reseruauit, amisit. Pecuniam, inquam, pariter perdidit & salutem. Dum enim ex eo quod promiserat partem subtraxit, sacrilegij simul & fraudis condemnatur; sacrilegij quod Deum in pollicitatione fefellit, fraudis quod de integris muneribus portionem quandam putauerit subtrahendam. Ait enim Apostolus Petrus: Non es mẽtitus hominibus, sed Deo. Si ergo fratres Ananias condemnatur, cum non totum dederit quod de suo ipse promiserat, quid censemus de eo qui

Duplex fraternitas.

Act. 4.

Ibidem.

Ibidem.

1. Cor. 11.

Matth. 24.

1. Tim. 6.

Gen. 4.

Duplici pœna Ananias plectitur.

Act. 5.

qui non vult reddere quod alius repromisit? Videte ergo & vos fratres, quid promiseritis Deo cùm primum gratiam fidei percepistis. Ecce abundant in ciuitate nostra hospites siue peregrini, facite quod polliciti estis, ne dicatur & vobis quod Ananiæ dictum est; Non mentiti estis hominibus, sed Deo. Ibidem.

Homilia secunda vnde supra.

Retinet dilectio vestra, fratres, ante dies cum plebis eius quæ sub beatissimis Apostolis fuit, vnanimitatem largitatemque prædicaremus, vsque ad Ananiæ nos auaritiam peruenisse, qui illo tempore in totius generis purissima vita tanquam ouis morbida solus inuentus est. Tanta enim infectus erat auaritiæ pestilentia, vt sanctus eum Petrus non tam emendare voluerit quàm damnare. Legerat enim: Eiice de concilio pestilentem: & exibit cum eo omnis contentio. Prou. 22. Solus ergo in cœtu sancto pestilens fuit, qui cunctis contemptu pecuniæ, lucrum vitæ requirentibus, ipse tantum lucrum magis pecuniæ mercatus est, quam salutis: & dum pretij sperat compendium, animæ reperit detrimentum. Ab Apostolis igitur Ananias auarus inuentus est: iam nostra excusatur humilitas. Minus enim mirandum est abundare sub nobis hoc vitium, cum sub Apostolis cœperit pullulare: & si illorum authoritas hæc in Anania emendare non potuit: nobis quid imputabitur, si eadem in plerisque fratribus corrigere non valeamus? In Anania enim Petrus auaritiam si potuisset corrigere, non punisset, sed dum illum punit, alios corrigit. Voluit enim vt pœna ad vnum, metus autem ad plurimos perueniret. Exemplum auaris in Anania propositum. Exemplum ergo auaris omnibus in Anania propositum est, vt qui eiusdem criminis reus fuerit, eiusdem supplicij in iudicij die sententia feriatur. Grande igitur malum est auaritia, imo malorum omnium est origo, sicut ait Apostolus: Radix autem omnium malorum est cupiditas, quam quidem appetentes errauerunt à fide. 1 Tim. 6. Auaritia cæca. Vides ergo quia qui pecuniam appetit, fidem perdit: qui aurum redigit, gratiam prodigit. Auaritia enim cæcitas est: errorem religioni inducit. Cæca inquam est auaritia, sed diuersis fraudum oculata ingeniis non videt quæ diuinitatis sunt, sed cogitat quæ cupiditatis sunt. Semper quãuis diues sit, cogitat vnde, vel ex malo acquirere: totã vitam negotium putat compendiorum, etiam omnia supprimens inanis præstationis suæ fœnus imponit. Erubescit vsuræ nomen: & lucrum non erubescit vsuræ. Semper ergo auarus alieno vtitur: alieno se pascit damno: est illi præda, egestas alterius: est illi lætitia, fletus alienus, sicut nuper factum vidimus. Quot amissa deplorant, super quæ inuasa plerique gratulantur? Ecce senex pater captum deflet filium: & tu iam super eum velut seruulum gloriatis? Innocens rusticus perditum ingemiscit iumentum, & tu eo rus tuum excolere disponis: & fructus te putas posse capere gemitibus alienis. Ecce religiosa vidua tota supellectile dispoliatam domum suam dolet: & tu eadem supellectile domũ tuam ornatam esse lætaris. Dic mihi ô Christiane, non compungeris, non constringeris, cum vides in hospitio tuo lachrymas alienas? Exod. 22. Dicit scriptura sãcta ad filios Israël. A bestia captum ne tetigeris, pollutum enim & contaminatum est quicquid fera cruenta contigerit. Et per hoc deterior bestia est, quisquis sumit quod bestia superauit. Dic igitur mihi tu Christiane, cur prædam relictam à prædonibus præsumpsisti? Cui laceratum & contaminatum, sicut ipse putas, tuis ædibus importasti? Cur quod hostilis superauit bestia tu sæuior bestia deuorasti? Aiunt plerique lupos leonum subsequi solere vestigia, & non longe ab eorũ venatibus aberrare, vt scilicet rabiem suam rapina satient aliena: & quod leonum saturitati remanet, id luporum rapacitate consumatur. Luporum natura. Sic isti auaritiæ lupi prædonum vestigia subsecuti sunt, vt quod illorum rapacitati superauerit, horũ crederet feritati. Sed forsitan emisse te dicis, & ideo auaritiæ crimen euadis. Non ita solet constare emptio atque venditio. Bonum est emere, sed in pace, quod propria voluntate venditur, non in deprædatione. Respice contractus originem, venditionis autorem, pretij quantitatem: & intelligis prædæ magis, non venditionis emptorem. Vnde enim barbaro auri gemmarumque monilia? Vnde pellito serica vestimenta? Vnde rogo Romana mancipia sumis? Scimus ea comprouincialium nostrorum esse vel ciuium. Facit ergo vt Christianus & ciuis, qui ideo emit vt reddat.

Homilia prima de Eleemosynis.

Dicit scriptura diuina: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Eccles. 3. Magna planè & cunctis ambienda sententia, quæ hominibus penè iam mortuis & peccatorum suorum incendio arefactis, rediuiuum quoddam beneficium pollicetur, vt interueniente eleemosyna, sicut aqua intermortuis, succus refrigerium arescẽtibus infundatur, hoc est, vt miseri homines qui in mortem peccatis aruerant, ad vitam eleemosynis reuiuiscant: fitque illis misericordia fons salutis quibus auaritia fuerat mortis incendium: vt flammas quas sibi peccando incenderant, largiendo restinguant: atque vtiliore commercio qui pecuniam quondam dederat, vt adulterium perpetraret, nunc pecuniã eroget, vt adulter esse iam desinat: & emat sibi quodammodo innocentiam, qui sibi emerat aliquando peccatum. Dicit enim Dominus ad discipulos suos: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Luc. 11. Quamuis ergo pollutus, quamuis multis criminibus circũsepultus, si eleemosynas feceris, innocens esse cœpisti. Eleemosyna à peccatis liberat. Abstergit enim eleemosyna quod auaritia polluebat: & maculam quam res alienas diripiendo contraxeras, tuas erogando purificas. Vide ergo quæ sit misericordię gratia, quę vna & sola virtus cunctorum est redemptio peccatorum. Videamus namque interpretationem ipsius diuinæ sẽtẽtiæ, vt intelligamus, cui rei eleemosyna comparetur. Ait enim: Sicut aqua extinguit ignẽ, ita eleemosyna extinguit delictum. Eccles. 3. Aqua ergo misericordiæ cõparatur, sed aquam inuenio de fonte procedere: necesse mihi est misericordiæ fontẽ quærere. Inuenio planè fontem misericordiæ, fons de quo dicit propheta: Quoniam apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen. Psalm. 35. Ipse inquam est fons qui in Euangelio à Samaritana muliere, sicut lectũ nuper adiuimus, aquam postulat, sed peccata cõdonat, aquam putei reprobat, sed fontem vitæ perennis indulget. Ait enim. Omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterũ: qui autẽ biberit ex aqua, quam ego dabo illi, non sitiet in æternum. Ioan. 4. Aquam ergo saluator à muliere postulat, & sitire se simulat, vt scientibus æternam gratiam largiatur. Neque enim poterat fons sitire: neque in quo est aqua viua, poterat vndam terrenæ fæcis haurire. Sitiebat ergo Christus? Sitit Christus non potum, sed salutem. Sitiebat, plane non potum hominum, sed salutem sitiebat: non aquam mundi; sed redemptionem generis humani. Mirum igitur in modum

 fons

fons super puteum sedens misericordiæ ibidem fluenta producit:& mulierem sexto iam non viro, sed adultero fornicantem, viui meatus vnda purificat, nouóque admirationis genere mulier quæ ad puteum Samariæ meretrix aduenerat, à Christi fonte casta regreditur,& quæ aquã petere venerat, pudicitiam reportauit. Statim etiam indicante domino, sua peccata recognoscens, confitetur Christum annunciat saluatorem : & relinquens aquæ vasculum ad ciuitatem non fert hydriam, sed refert gratiam. Vacua quidem videtur reuerti onere, sed plena reuertitur sanctitate: Plena inquam redit : quia quæ peccatrix aduenerat, reuertitur prædicatrix. Et quæ hydriæ vasculũ amiserat, Christi plenitudinem reportabat, in nullo ciuitati suæ inferens detrimentum. Etenim si aquam ciuibus non intulit, tamen fontem salutis inuexit. Sanctificata ergo per fidem Prou. 30. Christi mulier domum rediit. De hac igitur dixisse prophetam puto: Eiusmodi est iniqua via mulieris meretricis, quæ cum se abluerit, nihil se dixit fecisse prauum. De hac plane dictum est, quæ posteaquam est fonte abluta saluatoris, delictorum vitia non meminit, virtutem prædicationis assumit : & viua aqua abstergens maculas suas, ad euangelizandum non conscientia peccati retrahitur, sed fidei calore compellitur. Nihil enim se dicit fecisse prauitatis, dum fit nuncia veritatis, & obliuione abnegat impudicitiam, dum deuotione prædicat castitatẽ. Hæc enim virtus Christi & Domini: vt quamuis peccator qui eius vnda se lauerit, denuo in virginem reparatus non meminerit ante quod fecerit: & rediuiua natiuitate infantiæ innocentiam præferat: iuuentutis scelera non agnoscat : sitque virgo fide Christi, qui fuerat adulter corruptione peccati.

Homilia secunda vnde supra.

Retinet vestra dilectio ante dies aliquot cum sermonem ad vos de eleemosynis faceremus, primitus nos originem misericordiarum quærere voluisse: & reperto earum fonte virtutum ostendisse, quod mulieris Samaritanæ sordes melius Christi vnda diluerit quàm Samariæ aqua purgarit: & quod mundius misericordia deterserit peccata quã puteus. Mundius plane misericordia quàm puteus detergit maculas : quia putei aqua tantum corpo- Ioan. 4. ris cutem abluit: misericordiæ autem bonitas, animæ interna purificat. Hoc etiam demonstrasse quod huic euangelicæ mulieri illa prophetica meretrix conueniret, quæ posteaquam viua aqua se lauit, obliuione possessa prauitatis nitori puritatis exultat. Neque enim de meretrice huius mundi Prou. 30. talem sententiam propheta diceret, cuius pollutio non solum aqua non diluitur, sed etiam polluit 1. Cor. 6. ipsa quod tangit, dicente Apostolo : Qui autem se iungit meretrici, vnum corpus est. Quod si vnum corpus tactu suo efficit, & in cohærentem sibi ignominiæ suæ membra transfundit, quomodo potest purificari ipsa cum polluat? Mulier meretrix Ecclesia est de gentibus congregata. Quæ ergo sit ista meretrix: quæ ista Samaritana mulier, cuius adulterij sordes fons Christi deterserit, sollicitius requiramus. Ego hanc mulierem Ecclesiam esse puto de gentibus congregatam, quæ & transactis annis quinque millibus, cum in sexto millesimo anno idolorum fornicationibus subiaceret, omnem ignominiam suam adueniente Christi fonte purgauit: & maculas quas adulterinis sacrilegiis cõtraxerat, fide saluatoris abstersit, ac relinquens sicut inanem hydriam priorem patrium cursum, vniuerso orbi Domini annunciauit aduentum. Hæc inquam illa est meretrix, quæ postea quam lota est, nihil se dicit fecisse prauum. Posteaquam enim Ecclesia baptismi nitore purgata est, diabolicæ impietatis non meminit: religione veritatis exultat: factaque de meretrice virgo non recordatur priorum: sed Eccles. 3. gloriatur in integritate. Ait ergo propheta : Sicut aqua extinguit ignẽ, ita eleemosyna extinguit peccatũ. Sæpè quidẽ videmus hæc fieri, vt aqua effusa flammarum restinguat incendia, sed & è contrario interdum videmus, quod immensi ignium globi aquarum fluenta consumant, & veluti ab aquis accepta esca vehementius rediuiuis ardoribus conualescat, ita vt videatur aqua non extinxisse incendia, sed audisse. Quænam est illa aqua quæ consumit flammas, nec ipsa consumitur à peccatoribus, sed gehennæ consumit incendia? Quæ dum per baptismũ infunditur, & ipsa in hominibus, & tartari restinguit ardorem. Viuit planè in hominibus, sicut Ioan. 4. ait Dominus: Aqua autem, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis, & reliqua. Mirum ergo in modum aqua Christus vna eadémque operatione, & viuificat & extinguit. Viuificat enim animas, de- Baptismi sacramentum. licta restinguit : has lauacri sui refrigerio reparat, illas gurgitis sui vnda consumit. Et quod ad maiorem baptismatis pertinet gratiã, apud superos mysterium celebratur, & apud inferos gehenna restinguitur : hic fluunt aquæ, & illic tepescit incendium hic in fonte homo mergitur, & illic de tartaro liberatur. Sed nec mirum si in baptismi sacramento aperiatur infernum, cum tunc quoque reseretur & cœlum. Aperiuntur enim hæc alimenta, vt ad lauacrum Christi conueniat libertas & gratia. Libertas enim resurrecturis tribuitur, gratia regnaturis. Illi eruuntur de pœna: hi assumuntur in gloria. Illi qui erãt serui peccati, liberi fiũt iustitiæ, hi qui angustiis sæculi tenebantur, paradisi amœna percipiunt. In baptismo ergo Christi aperiũtur cœli: aperiuntur & tartara. Inde vt spiritus sanctus aduenat: illuc vt misericordia saluatoris accedat, deferatur de cœlo vita, mors à tartaro destruatur. Ita igitur eleemosyna extinguit peccata, sicut aqua baptismi gehennæ extinguit incendium. Ergo eleemosyna quodammodo Eleemosyna animarum est lauacrum. animarum aliud est lauacrum, vt si quis fortè post baptismum humana fragilitate deliquerit, supersit ei vt iterum eleemosynis emũdetur, sicut ait Dominus: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis, nisi, quod salua fide dixerim, indulgentior est eleemosyna quam lauacrum. Lauacrum enim semel datur, & semel veniam pollicetur, eleemosynam autem quoties feceris, toties veniam promereris. Hi ergo duo misericordiarum fontes sunt, qui & vitam tribuunt, & peccata condonant. Qui vtrumque custodierit, regni cœlestis honore ditabitur : qui autem maculato fonte viuo ad misericordiæ se fluenta contulerit, & ipse misericordiam consequetur.

De Hospitalitate Homilia.

Aduertit sanctitas vestra, fratres, Euangelicam lectionem : quemadmodum Dominus discipulis suis inter cæteras exequendas virtutes etiam hospitalitatis iura præscripserit. Ait enim. In quãcumque ciuitatem introieritis, interrogate quis in ea dignus est: & ibi manere donec exeatis, & reliqua. Sancta planè & diuina sententia : quæ & discipulis eligendi optionem primitùs detulit, & fa- Matth. 10. cilitatem penitus amputauit. Prouidit enim modum statuendo, ne vir sanctus aut citus esset in iudicando, aut leuis in hospite commutando. Sicut enim vobis permisit arbitriũ ita & voluit nos tenere constan

constantiam. Quam enim reprehensibile est, vt vir qui Euangelium annunciat, & docet errandum nō esse, ipse per diuersos incipiat oberrare: & domum cui pacem dixerat deserere: hospité cui benedictionem intulerat contristare? Magna enim hospitalitatis est gratia, nec facilè violanda: omnibus aperta est, omnibus parata est, & sanctos libenter suscipit, & peccatores tolerat patienter. Sed repetamus sanctam ipsam diuinamque sententiā. Si enim in litera placet, & in mysterio forsitan plus placebit. Ait igitur: vt cùm intramus in ciuitatem, interrogemus quis in ea vel hospes dignus, vel idonea domus sit: & ibi maneamus donec dies perfectionis adueniat. Quæ sententia altiorem nobis tribuit intellectum, Non enim mihi videtur de huius sæculi hospite vel domo iussisse, nec tam diligenter inquirere, sed de illo magis qui nos vsque ad diem exitus nostri possit inoffensos hospites, illæsósque seruare. Nam huius sæculi hospitem citò lædimus, citò offendimus: interdū eis & post triduum displicemus. Fidelis igitur domus & hospes dignus inquiri iussus est. Quæ domus fidelior Ecclesia? Qui hospes dignior Saluatore? Iste peregrinos vt filios suscipit: illa susceptos refouet vt infantes. Iste hospitibus sicut experti sumus pedes lauare gestit: illa mensem parare festinat. Quos enim saluator viua aqua refrigerat, hos reficit cœlestibus cibis Ecclesia. Hūc igitur hospitem Euangelista inquiri iussit: & vsque ad diem exitus nostri cū hoc habitare præcipit, ne aliqua leuitate medio tempore aliorsum forsitan emigremus, hoc est, qui semel in Christum credidimus, non iterum velut transgressores ad idola recurramus, Scriptum est enim: Nemo potest duobus dominis seruire: dum enim vni placere gestit alterum sentit iratum. Christum igitur hospitem deserere non debemus: quemadmodum & Petrus Apostolus cum suis similibus deserentibus aliis Dominum non reliquit. Sed dicamus quod ille ad saluatorem dixit: Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ tu habes, & nos credimus. Ecce executor cœlestium præceptorum, qui quoniam Christi non mutauit hospitium, meruit cum Christo regni cœlestis habere consortium.

Magna hospitalitatis gratia.

Ibidem.

Matth. 6.

Ioan. 6.

De defectu lunæ Homilia.

ET ipsi videtis, fratres, quod mea non cessat humilitas omni circa vos sollicitudine laborare, & ad frugem bonam vos tota festinatione conuertere: sed quantò plus laboro vobiscum, tantò amplius confundor in vobis. Cum enim video tot commonitionibus meis nullum vos habere profectum, labor meus iam non gratulationi est, sed rubori. Dicit beatus Apostolus: Quis plantat vineam & de fructu eius non edit; Quis pascit gregem, & de lacte gregis non percipit? Ecce ego pasco gregē Christi, & gregis fructum extorquere non valeo: pasco gregem Domini, & nulla ex eo religiositatis alimenta percipio. Nulla enim me fidei eius dulcedo lætificat, sed quicquid ex eo profluit, asperum & amarum est. Tunc enim pastor Christiani gregis lacte reficitur, quando bonorum operum eius candore lætatur. Quis enim, fratres, in vobis non grauiter ferat, non tamen de omnibus dico; Sunt enim inter vos quos ad religionis cultum debeatis habere exemplo. Quis inquam nō molestè ferat, sic vos esse vestræ salutis immemores, vt etiam cœlo teste peccetis; Nam cum ante dies plerosque de vestræ auaritiæ cupiditatæ pulsauerim, ipsa die circa vesperum tanta vociferatio populi extitit, vt irreligiositas eius penetraret ad cœlum. Quod cum requirerem quid sibi clamor hic velit, dixerunt mihi quod laboranti lunæ vestra vociferatio subueniret, & defectum eius suis clamoribus adiuuaret. Risi equidem, & miratus sum vanitatem, quod quasi deuoti Christiani Deo ferebatis auxilium. Clamabatis enim, ne tacentibus vobis perderet elementum: tanquam infirmus enim & imbecillus, nisi vestris adiuuaretur vocibus, non posset luminaria defendere quæ creauit. Benè igitur facitis qui diuinitati exhibetis solatiū, vt vobis iuuantibus possit cœlum regere. Sed si vultis hoc plenius facere, cunctis & totis noctibus peruigilare debetis. Nam quoties putatis vobis dormientibus luna vim passa est, & tamen de cœlo non corruit? Aut nūquid semper circa vesperum defectum patitur, non aliquando & circa lucem laborat? Sed apud vos vespertinis tantū horis laborare consueuit, quando maioribus poculis caput mouetur. Tunc igitur apud vos laborat luna, quando laborat & vinum. Tunc inquam apud vos turbatur carminibus globus lunæ, quando calicibus turbantur & oculi. Quomodo igitur ebrius videre potes circa lunam quid agatur in cœlo, qui circa te non vides quid agatur in terra? Hoc est planè quod ait Salomon, dicens: Stultus sicut luna mutatur. Mutaris enim sicut luna: dum stultus & insipiens ad motum eius, qui Christianus fueras, incipis esse sacrilegus. Sacrilegium enim creatori committitur, dum imbecillitas ascribitur creaturæ. Mutaris ergo sicut luna, vt qui paulò ante fidei deuotione fulgebas, postea perfidiæ infirmitate deficias. Mutaris sicut luna dum cerebrum tuū ita exinanitur sapientia sicut lunæ obscuritas, te verò teterrimæ tenebræ mentis inuadunt; atque vtinam ô stulte sicut luna muteris: illa enim citò ad plenitudinem suam redit, tu ad sapientiam nec serò conuerteris. Illa velociter colligit quod amiserat lumen, tu nec tardè fidem recipis quam negasti Grauior ergo tua quàm lunæ mutatio est. Luna defectum luminis patitur, tu salutis. Quàm bene igitur scriptum est de sapiente: Et permanebit cum sole. Permanet enim sapiens cum sole, cum constantia fidei permanet cum saluatore Sed dicet aliquis: Luna igitur non laborat? Laborat planè, negare non possumus: sed laborat cum cæteris creaturis, sicut Apostolus dicit: Quia omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc. Et infra: Quoniam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis: & reliqua, liberabitur inquit, à seruitute. Vides ergo quoniam luna non laborat carminibus, sed laborat obsequiis: non laborat periculis; sed laborat officiis: non laborat vt pereat; sed laborat, vt seruiat. Vanitati enim creatura subiecta est, non sponte mutatur: tu de sensu tuo sponte mutaris. Illa in diminutionem sui conditione deducitur: tu in detrimentum tui voluntate pertraheris. Nolo igitur, frater, ita sis sicut luna cum deficit, sed esto sicut quando est plena atque perfecta. Scriptum est enim de iusto: Sicut luna perfecta in æternum: & testis in cœlo fidelis.

Increpatio.

1. Cor. 9.

Ironia.

Eccl. 27. Stultus vt luna mutatur.

Psal. 71. Sapiens cum sole permanet.

Rom. 8.

Ibidem.

Ibidem.

Psal. 88.

De eo quod scriptum est in Esaia:

Caupones tui miscent aquam vino. Esai. 1.

NOn incommodo ante dies paucos prosecuti sumus functionem hanc sacerdotalem vicem quandam negotij retinere: & quæstum esse nō modicum hoc clericatus officium. Est quæstus planè non modicus, vbi lucrum non pecuniarum, sed acquiritur animarum. Est magna negotiatio, vbi redemptio hominis constat, non annūtiatione pretij, sed

ſed annunciatione præcepti. Præceptũ enim Chriſti talentum quoddam eſt pretioſum, quo ſalus cõparatur, quò vita redimitur: & magna eſt redemptio, cum & pretium datur, & pecunia non videtur. Talentum ergo magnum præceptum eſt Saluatoris, quod commodati vice apud idoneos proficere poteſt: apud negligentes non poteſt deperire. Aliis enim cum multiplici gratia reſtituitur: ab aliis cum pœnarum vſura depoſcitur. Chriſtus enim talentum quod cõmendat, neceſſe, eſt vt requirat: & ſoluenti gratiam referat, non ſoluenti cũ ſubdat iniuriis. Subdit plane iniuriis more mundi: vt debitor qui redhibitione ſubſtantiæ ſatisfacere non poteſt, ſatisfaciat vel corporis vltione. Hoc ergo talentum, fratres, nos prædicatione noſtra veſtris pectoribus commendamus: vt lucrum aliquod ſalutis veſtræ Domino deſignemus. Rationem daturi ſumus qualiter aut prædicatio noſtra proficiat, aut obedientia veſtra fructificet. Nonne enim ſine cauſa euangelium annunciat: Apoſtolus clamat: ſacerdotes loquuntur? in cuiuſcunque aures vox ſancta peruenerit, aut beatus erit deuotione, aut reus de conteſtatione. Loquimur enim beatitudinem credentibus, conteſtamur iudicium criminoſis. Mercimonium igitur eſt adminiſtratio ſacerdotum. Vnde & Propheta dicit ad filios Iſraël: Caupones veſtri miſcent aquam vino. Non enim de iis cauponibus Eſaias ſanctus loquitur, qui publicis miniſteriis ſeruientes meram vini ſpeciem fraudulenta aquæ colluuione permiſcent (nec enim hoc ad beatum virum more iudicis ſæculi pertinere poterat, cùm corruptis tabernarum vaſculis minus ebrioſo potu populus vteretur) ſed de illis vtique cauponibus loquitur qui præſunt Eccleſiis non tabernis: qui ſitientibus populis non concupiſcentiæ calicem porrigunt, ſed virtutis, non ebrietatis miniſtrant poculum, ſed poculum ſaluatoris. Iſtos ergo caupones propheta arguit & obiurgat: queritur eos vino aquę ſpeciem permiſcere. Hoc increpat in eis, cum functionum diuinarum eſſent præſules: ſectatores rerum facti ſunt humanarum, ſicut ipſe ait propheta: Sectamini vnuſquiſque domum ſuam. Quiſque enim ſacerdos relicto pontificatus officio, mundi oblectationibus delectatur: hic aquam vino permiſcet: hoc eſt rebus ſanctis & feruidis inſerit res viles & frigidas. Sed & ſic poſſumus accipere, quod iidem Iudæorum ſacerdotes aquam vino miſcuerint: cum Dominum Saluatorem non ſicut Deum ſuſciperent, ſed ſicut hominem iudicarent: & ſinceræ ac meræ eius diuinitati turbidum quiddam ac ſordidum inferre voluerint, dicentes ad eum. Quia cum ſis homo, facis teipſum Deum. Et iterum: Nos ex proſtitutione non ſumus nati. Dum enim ſe ab adulterio proſtitutionis excuſant, illum in diuinitate natiuitatis ſuæ adulterare nituntur. Sed adhuc diligentiùs videamus quid ſit quod ait: Permiſcent aquam vino. Legimus vinum in Eccleſia ſpecialiter abundare; ſicut in Euangelio dictum eſt: Vinum nouum in vtres nouos eſſe condendum, hoc eſt in nouos homines neophytos Spiritus ſancti gratiam conferendam. Si igitur pretioſa & ſpiritualis vini gratia abundat in Eccleſia, aqua vilis & fœtida niſi in Synagoga eſt referenda. Fœtida enim ſynagogæ aqua eſt, quæ baptiſmate ſuo peccata non diluit, ſed acquirit, quæ hominem non purificat proprio lauacro, ſed polluit. Denique ſicut in vini viribus Eccleſia honoratur: ita & cum aquæ vtre ſynagoga proiicitur. Nam illa Agar quæ typum ſynagogæ geſtabat, de qua ad Abrãham dicitur: Eiice ancillam & filium eius vtique cum eiiceretur, non cum vini, ſed cum vtre aquæ de tabernaculis effugatur. Certe domus Abrahæ erat diues, locuples, abundans, attamen non vinum, non oleum, non panem accepit, quæ ſunt vitæ alimenta firmiſſima. Et recte vitæ ſynagoga alimenta non accepit, quia vitam quæ eſt Chriſtus ignorat, aqua ſola æger pertrahitur, languidus ſuſtentatur. Conueniens enim erat vt quæ viuentis non merebatur alimoniam, vel ſolatium morientis acciperet. Arguuntur enim ſacerdotes Iudæorum, cur Eccleſiaſtico vino pretioſo aquam ſynagogæ, abiectam iam & reprobatam voluerint permiſcere. Aqua enim in Eccleſia miſceri non ſolet, ſed mutari: ſicut Dominus inuitatus ad nuptias, hydrias plenas aqua non vino miſcuit, ſed mutauit in vinum, ne quid enim in ſancto conuiuio vilitatis Iudaicæ reſideret, maluit naturam vertere quam adulterare ſubſtantiam.

Talentum præceptum eſt Saluatoris.

Eſa. 1.

Caupones Eccleſiæ ſunt rectores.

Ag. 1.

Ioan. 10.

Ioan. 8.

Luc. 5.

Vinum in Eccleſia, aqua in ſynagoga.

Geneſ. 21.

Ioan. 2.

S. PETRI

S. PETRI
CHRYSOLOGI
ARCHIEPISCOPI
RAVENNATIS, VIRI
eruditissimi, atque sanctissimi,
SERMONES.

S PETRI CHRYSOLOGI VITA EX CERTIS AVCTOribus conquiſita & collecta.

PETRVS CHRYSOLOGVS in foro Cornelij quod Imolam vocant, honeſtis parentibus natus, à Diuo Cornelio illius ciuitatis Epiſcopo, non modo ſanctiſſimis moribus, ac diſciplinis optimè inſtitutus, ſed etiam ſacris altaribus oblatus eſt, ac conſecratus: nec in multo poſt, beatiſſimo Sixto III. Pont. Max. à Deo præmonſtratus Eccleſiæ Rauennatis XXII. Archiepiſcopus adlegitur. Hic vir omni genere laudis excellens duobus Conciliis, quorum alterum Rauennæ, Romæ alterum, Cælij Symmachi Pontif. Max. itemque Theodorici Oſtrogotorum Regis iuſſu indictum eſt, interfuit ſubſcripſitque. Ad Calcedonenſem præterea Synodum aduerſus Eutychen hæreticum literas dedit, quæ adhuc extant. At verò quantum aurea quadam ingenij, atque eloquentiæ vbertate præſtiterit, vnde & Chryſologi cognomen conſecutus eſt, ex eius orationibus facillime exiſtimare licet, quæ & verbis, & rebus illuſtribus refertæ, amplius CLXXVI: quas quidem adhuc inuenerim, & legerim, feruntur. Is quum Pontificio munere annos circiter LX. præſtantiſſimè perfunctus eſſet, apud Forocornelienſes IV. Non Decembris exceſſit è vita, anno ferè quingenteſimo poſt natum humanæ gentis ſeruatorem Ieſum Chriſtum. Sepultus eſt iuxta corpus glorioſi martyris Caſſiani: atque vno omnium conſenſu, inter diuos relatus: cui etiam anniuerſarij honores in teſtimonium vitæ piè ſanctéque tranſactæ decreti ſunt.

EXIMII



EXIMII DOCTORIS PETRI CHRYSOLOGI VITA, EX IOANNE TRIthemio religiosissimo viro Abbate Spanhemensi contexta.

PETRVS Archiepiscopus Rauennas vir eruditus, atque sanctissimus, in vita multis coruscans miraculis, in declamandis Homiliis ad populum excellentis ingenij fuit, multósque tam verbo, quàm exemplo ad veritatis tramitem conuertit. Multa scripsit pro ædificatione fidelium: de quibus feruntur.


Sermones & Homiliæ plures.
Lib. I. Ad Eutychen, qui incipit, Tristis legi tristes literas.
Scripsit etiam Epistolas alias.

Claruit sub Martiano Augusto, Anno ab orbe redempto, CCCCL.

AD LECTOREM.

Vm intelligeremus (HVMANISSIME LECTOR) doctas Diui Petri Chrysologi conciones non parum Christianis Ecclesiasticis subseruire posse, si omnia in eum ordinem congesta essent, quo sunt Ecclesiastico ritu in templis explicanda: voluimus diligentiæ nostræ nonnihil adhibere, vt tuum redimeremus laborem. Hunc itaque indicem tibi confecimus omnium Euangeliorum & Epistolarum, quæ in Chrysologo enarrata inuenies.

Dominica



INDEX

Locorum Sacræ Scripturæ.

117 Hæc

EX NOVO TESTAMENTO.

10 Gaudete,



S. PETRI



S. PETRI CHRYSOLOGI ARCHIEPISCOPI RAVENNATIS de duobus filiis, Prodigo & Frugi.

SERMO PRIMVS.

HODIE nobis Dominus patrem cum filiis duobus vocauit, & produxit in medium: vt immensum suæ pietatis indicium, sæuam Iudaicæ gentis inuidiam, reditum supplicem populi Christiani, pulchram panderet per figuram. *Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis patri: Pater da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et diuisit, inquit, illis substantiam.* (Luc. 15.) Quantum pius pater, tantum hæres impatiens: qui patris fatigatur ad vitam, qui patris, quia tempus audire non potest, nititur auferre substantiam: hic ipsam prærogatiuam filij meruit non habere, qui ea quæ patris erant, noluit possidere cum patre. Sed quæramus quæ res filium rapuit hos ad ausus, ad petitionem tantam fiducia quæ leuarit. Quæ res illa scilicet, qua cœlestem patrem sciebat nullo claudendum fine, concludendum tempore nullo, nulla mortis potestate soluendum. Et ideo cupit viuendi libertate gaudere, qui ditari noluerat facultatibus decedentis. Denique illam fuisse huius petitionis offensam genitoris largitas comprobauit. *Et diuisit*, inquit, *illis substantiam.* Petente vno, ambobus totam substantiam mox diuisit, vt scirent filij, quod ante tenebat pater, non fuisse auaritiæ, sed amoris: prouidentia, non inuidentia, non dedisse. Tenebat pater seruare substantiam filiis, non negare, & manere ea pignoribus cupiens, non perire. Beati filij quorum tota est in patris charitate substantia. Beati quibus manet tota in obsequio patris, in patris cultura possessio. Cæterum facultates vnitatem scindunt, fraternitatem separant, cognationem spargunt, parentum perdunt & violant charitatem, sicut ex sequentibus elucescit. *Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et diuisit inquit, illis substantiam. Et non post multos hos dies, congregatis omnibus adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè. Et posteaquam consumpsisset omnia, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere, & abiit, & adhæsit vni ciuium regionis illius, & misit illum in villam suam, vt pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Ecce quid facit cupiditas ad censum præceps. Ecce quemadmodum sine patre census nudauit filium, non ditauit: census filium tulit è gremio patris, eiecit de domo, exemit patria, spoliauit fama, exuit castitate. Quod vitæ, quod morum, quod pietatis, quod libertatis, quod est gloriæ, nil reliquit. Ciuem denique in peregrinum, filium in mercenarium, in egenum locupletum, liberum mutauit in seruum, iunxit porcis à patre piissimo quem seiunxit, vt seruiret cœnoso pecori, qui pietati sanctæ parere contempsit. *Congregatis*, inquit, *omnibus adolescentior.* Adolescentior iste plane non ætate, sed censu: qui congregauit bona patris, & abiit longè plus mente, quàm loco: vt dato, non accepto pretio miserè se venderet seruituti. Sic mercator ad talem contractum peruenit, qui parentum debitum nescit soluere qui vicem nescit redhibere generanti. Est penes patrem dulcis conditio, libera seruitus, absoluta custodia, timor lætus, blanda vltio, paupertas diues, secura possessio. Namque ad patrem labor respicit, fructus redundat in filios. *Dissipauit*, inquit, *substantiam suam.* Quæ composita fuerant, patre moderante, prodigente filio dissipantur: vt vel tarde sapiat patrem custodem, non incubatorem fuisse substantiæ. *Viuendo luxuriose.* Mortalis est ista vita, quia moritur virtutibus, qui vitiis viuit, sepelitur famæ, perit gloriæ, qui manet turpitudini: crescit infamiæ *Et posteaquam consumpsisset omnia, facta est fames valida in regione illa.* Luxuriæ, ventri, gulæ, fames tortor apponitur: vt ibi vltrix pœna sæuiat, vbi pœnalis reatus exarserat. *Facta est fames valida.* Ad talem finem semper voracitas tendit, ad talem peruenit terminum fugienda voluntatis effusio, *Et ipse cœpit egere.* Filium data facit egere substantia, quæ diuitem negata seruabat: vt penes se deficeret habendo, qui penes patrem abundauerat, non habendo. *Et adhæsit vni ciuium regioni illius, & misit illum in villam suam, vt pasceret porcos.* Sic inuenit, qui se negat patri, qui se committit extraneo: vt sentiat se verum iudicem, qui fuit indulgentissimum prouisorem. Affectionis desertor, pietatis refuga, deputatur porcis, porcis addicitur, porcorum traditur seruituti, porcorum pascua lutulenta percurrit, inquieti gregis teritur & maculatur excursu, vt sentiat quàm miserum sit, amarum quam sit, quietis paternæ beatitudinem perdidisse. *Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Quam crudele ministerium, quia neque conuiuit porcis, qui viuit porcis.

porcis. Miser, qui porcorum deficit, & esurit sagina. Miser, qui squallentis cibi cupit, nec impetrat qualitatem. His edocti, instructi talibus, maneamus in domo patris, matris in gremio perduremus, cognatorum constringamur amplexibus, viscera nos paterna constringant, ne nos ad supradicta mala pertrahat adolescentiæ miseranda libertas. Sæpiat nos paterna reuerentia, matris componat affectio, cognatorum custodiamur affectibus. Inter propinquorum lumina non valent delicta versari. Propinquorum quot oculi, tot lucernæ. Dies est aspectus matris, Sol patris rutilat in vultu. Vnde viuenti inter tot virtutum duces, criminum tenebræ propinquare non possunt. Sed mensa patris nos alit virtutis cibo, salutis epulo, deliciis honestatis & gloriæ. Et quia latius nos de hac parabola dicere cogit prolixa series lectionis, quis sit pater in donando facilis, facilior in recipiendo: quis sit frater fratris tristissimus in salute: quis sit adolescentior abscessu insipiens, sapientissimus in regressu: sequenti sermone votis communibus inquiremus.

DE EISDEM.

SERMO II.

LVxuriosum filium, filium patris piissimi, desertorem, quæ perculerint mala in tantum, vt fame rabidum porcorum dederit seruituti: superiore, quo valuimus, sermone perstrinximus. Nunc eius reditum, nunc eius pœnitentiam, meliore iam voto, verbis lætioribus prosequamur. *In se*, inquit, *reuersus dixit: Quanti mercenarij patris mei abundant panibus, &c.* In se reuersus est, in se ante redit, vt rediret ad patrem, qui à se antè recesserat, cum recessit à patre. A se migrat, & ab homine totus trāsit in bestiam, paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus. *Quāti mercenarij patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.* Fames reuocat, quem saturitas exularat: fames illi patrem dedit sapere, cui copia tulerat sentire genitorem. Et si tantum præstitit, vel inuita fames, probate quid voluntarium possit conferre ieiunium. Oneratus venter ad vitia cor deponit, premit mentem, ne supernam valeat sentire pietatem. Corpus, inquit, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Vnde & Dominus: attendite ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate. Vacuandus est ergo venter moderatione ieiunij, vt exoneratus animus possit ad alta pertendere, conscendere ad virtutes, possit ad ipsum pietatis authorem totus aliger peruolare. Hoc Elias probat, qui dominici continuatione ieiunij defæcatus à carnali pondere, mortis victor euolauit ad cœlum. *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Iacebat qui dixit, surgam: intellexit lapsum, sensit ruinam: iacere se turpis luxuriæ respexit in lubrico, & ideo exclamat: *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Qua spe? qua fiducia? qua confidentia. Qua spe? Illa qua pater est. Ego perdidi quod erat filij: ille, quod patris est, non amisit. Apud patrem non intercedit extraneus, intus est in patris pectore ipse qui interuenit, & exorat affectus. Vrgentur patris viscera iterum filium genitura per veniam. Ibo ad patrem reus, sed pater viso filio cooperit mox reatum, dissimulat iudicem, qui magis vult implere genitorem, & sententiam citò vertit in veniam, qui redire cupit filium, non perire. *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam illi: Pater, peccaui in cœlum & coram te.* Confessio patrem pandit, genitorem loquitur plenitudo. *Peccaui in cœlum, & coram te.* Cui peccatur in cœlo, non terrenus pater est, sed & cœlestis, ideo adiecit: Coram te. Cui in cælo, & in terra, ante oculos sunt omnia quæ geruntur. *Peccaui in cœlum, & coram te, & iam non sum dignus vocari filius tuus.* Peregrè profectus est iste, & in regionem longinquam fugit, sed accusatores suos, sed testes suos, diuini patris oculos non refugit. Hoc Dauid clarius aperit, sic dicendo: Quo ibo à spiritu tuo? & à facie tua quò fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in postremo maris. Etenim illuc deducet me manus tua, & tenebit me dextera tua. Videt iste per totum mundum nuda Dei oculis delicta consistere: non cœlum, non terram, non maria, non abyssum, non ipsam noctem, Deo velare posse peccata. Sentit quantum sit sceleris, mali quantum, in ipso Dei peccare conspectu, & ideo clamat: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Vnde & iste adolescentior similiter vociferatur, & clamat: *Peccaui in cœlum, & coram te, & iam non sum dignus vocari filius tuus.* Non dicit: Non sum dignus esse filius tuus, sed non sum dignus vocari filius tuus: quia vocari ad gratiam pertinet esse ad naturam. Audi Apostolum dicentem: Ab eo qui vos vocauit in gratiam suam. Hic ergo adolescentior, quia perdiderat quod erat naturæ, iudicat se quod est gratiæ non mereri. *Fac me sicut vnum de mercenariis tuis.* Ecce, potestatis suæ filius quò deuenit? voluptas luxuriæ, adolescentiæ libertas, ecce filium quò promouit. *Fac me sicut vnum de mercenariis tuis.* Vt locatione annua seruitus innouetur, vt labore iugi conditio conducta deteratur, vt die toto in opere suspiret miseræ verna mercedis, vt sit semper venditor sui, ne vnquam negare suam valeat seruitutem. Et hoc petit, quia qui penes extraneum seruam senserat libertatem, penes patrem credit sibi futuram liberam seruitutem. Iam nunc, fratres, vellem lectionis huius aperire mysterium, si non me reuocaret istius vtilitatis intentio, quia vos video non quasi nostra audire debito cum dolore, sed quasi extranea intellectu transuolare festino. Nostra, nostra & omnibus profutura nobis semper loquitur Christus, & ob corrigendos nos mystica frequentat exempla Dominus, qui pater suorum voluit esse seruorum: qui magis amari voluit, quam timeri: qui panem vitæ se dedit ipsum, qui sanguinem suum in poculum salutis effudit. Præteritis comparationibus præsentes corrigit, & futuros: ne bonum patrem, ne genitorem pium deserentes, ad mundi longinqua, & nimis peregrina tendamus: ibique viuendo luxuriose, sustantiam totam salutis dissipemus, & vitæ omnibusque consumptis famen spei grauissimā perferamus: & sic nos primario regionis illius, hoc est, desperationis authori diabolo iam tradamur: & ille nos mittat in villam suam, hoc est, ad huius sæculi illecebrosas conualles: mittat ad pascendos porcos, eos videlicet qui proni semper in terra viuunt ventri, & æstus carnis in volutabro luti temperant, in cœno premunt, refrigerant in gurgite vitiorum. Quod autē mercenarios suos mittat ad porcos, facit hoc insatiata crudelitas, quæ contenta non est homines criminosos fieri: nisi eos vitiorum duces, criminum faciat & magistros. Cū eos tales fecerit, nō sinit eos ex ipso porcorum cibo, pastúque saturari: vt esurientes vitia plus delinquant, luxuriosos satietas capere non potest: voluptas nescit

Marginal notes (left column): Luc. 15. (beside "reuersus dixit"); Sap. 9. (beside "supernam valeat sentire"); Luc. 12. (beside "Vnde & Dominus"); 3. Reg. 19. (beside "ger peruolare"); 4. Reg. 2. (beside "tinuatione ieiunij"). Right column: Psal. 138. (beside "aperit, sic dicendo"); Psal. 50. (beside "sit sceleris"); Galat. 3. (beside "libertas, ecce filium").

nescit expleri. Vnde nos cum bono patre simus, permaneamus apud genitorem pium: vt & diaboli laqueos possimus euitare, & bonis patris iugiter perfruamur. Profunda post scrutabimur: quia communioni & moribus plus debemus.

DE EISDEM.

SERMO III.

Filij luxuriosi abscessum, regressum, culpam, pœnitētiam percurrimus hactenus sermone geminato: occursum modò patris, bonitatem patris, patris
Luc. 15. ineffabilem misericordiam prosequamur. *Surgens*, inquit, *venit ad patrem suum: cùm autem esset longè vidit illum pater suus, & misericordia motus est, & accurrit, & cecidit super collum eius, & osculatus est illum.* Surgens, venit ad patrem suum. Surrexit iste mentis & corporis de ruina: surrexit de profundo inferni, cœli alta contingens: apud cœlestem patrē filius surgit plus de venia, quam corruit de reatu. *Surgens venit ad patrem suum.* Venit non gressu pedum, sed mentis incessu: longinquus terreni itineris non indiguit: quia compendia vitæ salutaris inuenit. Diuinum patrem nescit viarum cursu quærere: qui fide quærens, mox sibi illum inuenit esse præsentem. *Surgens venit ad patrem: cum autem esset longè.* Quomodo longè est iis, qui venit? quia nondum peruenit. Iste qui venit, venit ad pœnitentiam, sed nondum peruenit ad gratiam: venit ad domum patris, sed nondum peruenit ad gloriam pristini, vel
Psalm. 11. habitus, vel honoris. *Cùm autem esset longè, vidit illū pater suus.* Vidit pater ille, qui in altis habitat, & humilia respicit, & alta à longe agnoscit. *Vidit illū pater suus.* Pater vidit illum, vt & ille patrem posset attendere: patris visus illustrauit filij venientis aspectum, vt tota fugaretur obscuritas, quæ circunfusa fuerat de reatu. Non sunt tales tenebræ noctis, quales illæ sunt, quæ de confusione veniunt pecca-
Psal. 20. Psal. 37. torum. Audi Prophetam dicentem: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui videre. Et alibi: iniquitates meæ grauatę sūt super me. Et post: Et lumen oculorum meorum non est mecum. Nox sepelit hesternum lumen, peccata sensum, animum membra confundunt. Nisi ergo cœlestis pater, redeuntis filij radiasset in vultu: & totam confusionis caliginem respectus sui lumine sustulisset, nūquam diuini vultus vidisset iste filius claritatem. *Vidit eum de longè, & misericordia motus est.* Mouetur misericordia, qui loco non potest dimoueri, accurrit, non progressu corporis, sed pietatis affectu. *Cecidit super collum eius.* Non lapsus viscerum, sed compassionis. *Cecidit super collum eius.* Vt erigeret
Matth. 11. sic iacentem. *Cecidit super collum eius.* Vt amoris onere, onus tolleret peccatorum. Venite ad me, inquit, omnes qui laboratis, & onerati estis. Tollite onus meum super vos, quia leue est. Videtis, quia filius iuuatur istius patris onere, non grauatur. *Cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Sic pater iudicat, sic emendat, sic peccanti filio dat oscula, non flagella. Delicta non videt vis amoris. & ideo pater peccata filij redemit osculo, clausit amplexu: ne nudaret pater filij crimina, pater filium ne fœdaret. Pater sic curat filij vulnera, ne filio cicatri-
Psalm. 31. cem, næuum filio ne relinquat. Beati, inquit, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Si adolescentis huius factum displicet, horret abscessus: nos à tale patre nullatenus discedamus. Aspectus patris fugat crimina: expellit noxam: cunctam nequitiam & tentamenta propellit. Certè si abscessimus; si substantiam patris totam luxuriose dispersimus nos viuendo: si quicquid vsquam commisimus facinoris, & delicti, si ad impietatis præruptum totum, totam venimus ad ruinam, surgamus aliquando, & ad talem patrem, tali inuitati redeamus exemplo. *Cum autem videret eum, misericordia motus est, & accurrit, & cecidit super collum eius, & osculatus est illum.* Rogo quis hic desperationis locus? Quæ hic excusationis occasio: hic simulatio quæ timoris? Nisi fortè timetur occursus: terret osculum: turbat amplexus, & capere ad vindictam, non recipere ad veniam pater creditur, cùm filium trahit manibus, claudit gremio, ligat lacertis. Sed hanc cogitationem debellatricem vitæ salutis inimicam expugnant nimis, nimis auferunt quæ sequuntur. *Dicit autem pater ad seruos suos, cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annullum aureum in manu eius & calceamenta in pedibus eius, & adducite vitulū saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur, quia hic filius meus mortuus fuerat, & reuixit: perierat & inuentus est.* His auditis adhùc moramur? adhuc non redimus ad patrem? *Cito proferte stolam primam, & induite illum:* Sustulit filij crimina, qui non sustulit nuditatem: hinc est quod à seruis antè vestiri voluit filium, quàm videri: vt soli patri nota esset nuditas: quia pater solus videre filij non poterat nuditatem. *Citò proferte stolam primam.* Pater hic, qui in secundis esse non passus est peccatorem, plus de venia, quam de iustitia gaudium vult habere. *Citò proferte stolam primam.* Non dixit, vnde venis? vbi fuisti? vbi sunt quæ tulisti; quare tantam gloriam tanta turpitudine commutasti? sed: *Citò proferte stolam primam, & induite illum.* Videtis, quia delicta non videt vis amoris. Tardam misericordiam pater nescit. Delicta qui discutit, prodit. *Et date annulum in manu eius.* Paterna pietas contenta non est innocentiam reparare solam, nisi pristinum restituat honorem. *Et date calceamenta in pedibus eius.* Quam pauper rediit, qui ditatus abscesserat, & de tota substātia calceamenta in pedibus nō reportat. *Date calceamēta in pedibus eius.* Ne vel in pede remaneret deformitas nuditatis: certè vt calceatus anterioris vitæ rediret ad cursum. *Et adducite vitulum saginatum.* Communis vitulus non sufficit, nisi fuerit pinguis, nisi fuerit saginatus: vitulus pinguis testatur paternæ pinguedinem charitatis. *Et adducite vitulum saginatum, & occidite, & mānducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est.* Historiam loquimur adhuc, iam cogitamus arcanum nudare mysterium. Mortuus filius viculi suscitatur ex morte, & vnus vitulus totius familiæ funditur in saginam, Sed differendum est, vt senioris dolorem vetustum, vetustiorem fratris inuidiam prosequamur.

DE EISDEM.

SERMO IV.

De iunioris filij reditu & salute gaudentes, senioris flebiliter pandimus, & dolemus inuidiam, qui summum fragilitatis bonum extremo zeli malo perdidit, & liuoris. *Erat*, inquit, *filius eius senior in agro, & cùm veniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniam & choros, & vocauit vnū de seruis, & interrogauit, quæ hæc essent. Isque respondit, frater tuus venit, occidit pater tuus vitulum saginatum, quæ saluum illum recipit. Indignatus est autem*

autem & nolebat introire. Erat, inquit, *filius eius senior in agro.* Erat in agro terror percolens, se desertans, duritiam soluit cespitis, perdurat affectum, sentes eradicat & gramina, stimulos inuidiæ non euellit. Sic in segete cupiditatis fructum zeli colligit, & liuoris. *Et cum veniret,* inquit, *& appropinquaret domui, audiuit symphoniam & charos.* Inuidum fugat symphonia pietatis, chorus charitatis excludit, & quem venire ad fratrem, & appropinquare domui vocat ratio naturæ, hunc peruenire zelus non sinit, liuor non patitur introire. Inuidia malum vetustum, prima labes, antiquum virus, sæculorum venenum, causa funeris. Hæc in principio ipsum Angelum eiecit, & deiecit de cœlo. Hæc de paradiso hominem principem nostræ generationis exclusit. Ipsa hunc seniorem fratrem paterna seclusit è domo. Hæc Abrahæ progeniem, populum sanctitatis ad auctoris suæ cædem, ad mortem sui Saluatoris armauit Inuidia intestinus hostis, non carnis quatit muros, non elidit septa membrorum, sed in ipsam cordis arietat arcem: & antequam viscera sentiant ipsam dominam corporis animam prædo capit, & adducit inclusam. Si ergo volumus cœlestem mereri gloriam, si Paradisi beatitudinem possidere, si æterni patris inhabitare domum, si volumus rei cœlestis parricidij non teneri peruigili fide, luce spiritus terra inuidiæ pellamus, & excludamus insidias, inuidiam totis armorum cœlestium viribus comprimamus: quia sicut nos Deo iungit charitas, à Deo inuidia sic seiungit. *Pater ergo illius egressus cœpit rigare ipsum.* Cor patris anxium variis arctatur motibus filiorum, & in et diuersos pignorum casus genitoris pietas stupefacta discurrit; quia videt fratrem fratris reditu mox fugari, & salute alterius sibi alterum mox perire, ac mœrorem longum breui gaudio pensatum inuidiæ liuore turbari. O zeli tumor, duos non capit domus ampla germanos. Et quid mirum fratres? Fecit inuidia fecit, vt mundi tota duobus esset angusta fratribus latitudo, namque ipsa Cain iunioris
Genes. 4.
erexit in mortem, vt esse solum zeli liuor faceret, quem primum fecerat lex naturæ. *At ille respondens dixit patri suo, Pater, ecce tot annis seruio tibi.* Sic sapit qui patris audet iudicare pietatem. *Ecce tot annis seruio tibi.* En patri filius nascendi beneficia qua seruitute compensat. *Nunquam mandatum tuũ præteriui.* Hoc tibi non tua innocentia, sed patris venia dedit, quia multa charitate delicta filij maluit tegere quam nudare. *Et nunquam mihi dedisti hœdum, vt cum amicis meis epularer.* Fratri inuidus animus gratus esse non potest patri: & paternæ largitatis memor non est, qui est fraternæ immemor charitatis. Hœdum sibi datum negat, qui substãtiæ partem totam tempore diuisionis accepit. Tunc enim cum frater iunior dari sibi substantię peteret portionem, pater ambobus totum fratribus mox diuisit; Euangelista dicente, *& diuisit illis substantiam.* Sed inuidus simulat semper, mentitur inuidus semper. *Et nunquam mihi dedisti hœdum, vt cũ amicis meis epularer.* Amicos paternos suos esse non computat: hos non amicos, sed extraneos credit, à quibus vidit in patris gratiam se amari. *Sed postea quam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti vitulum saginatum.* Hic rediisse fratrem dolet, non dolet periisse substantiam, nec damni causa queritur, sed liuoris: qui fratrem redeuntem de suo decorare debuit, non debuit de perdito sic fœdare. In filio est substantia patris tota: & ideo nil pater perdidit, filium cum recepit. Frater credidit damnum, qui rediisse conspicit cohæredem. Et quando inuidus non auarus, quando quicquid habet, alter se computat perdidisse? *At ipse dixit illi, fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt: epulari autem, & gaudere oportebat: quia frater tuus hic mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est.* O quid facit vis amoris: quamuis malo filio non esse nescit, non esse non potest pater: videt filium degenerasse animo: videt paternæ pietatis, paterni generis nil habere, & tamen nuncupat filium: suadet affectum: ad gratiam, vel spem reuocat largitatis, dicendo: *Tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.* Hoc est dicere: Patere filium rediisse patri, permitte patri filium suscepisse: nec ille aliud quam patrem quæsiuit, qui veniens non filij, sed loco mercenarij voluit collocari, dicens: *Pater peccaui in cœlum, & coram te: & iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenariis tuis.* Sint tibi omnia, illi sufficit pater: & ne quid tibi de præsentibus, de veteribus existimes imminutum: illi noua, & futura perquiram. Certè si consilium patris sequeris, & præceptum, participa præsentia cum fratre: vt cum ipso tibi communia sint futura. Gaude ergo, & inuentum gaude: vt ille te gaudeat non periisse. Sed iam sermonem historicum concludamus: vt postea quæ sunt mystica, quæ profunda, Christo reuelante pandamus.

DE EISDEM.

SERMO V.

Callidi debitoris est & inuerecundi, sæpe pacta non soluere: & patientissimum creditorem longa & artifici cauillatione protelare. De abscessu, de reditu luxuriosi filij quintus est hic sermo nobis, qui hostoricum sensum, sicut promisimus, ad mysticam & singularem deitatis intelligentiam conabitur attollere. Vos orate: vt quia in tanto credito sum minus per me idoneus debitor, per Deum vobis idoneus solutor existam. *Homo* Luc. 15.
quidam habuit, inquit, *duos filios.* Posteaquã Christus nostræ carnis suscepit oues, & Deus induit exuuias humanas: veraciter se Deus hominem vocat: Dominus patrem verè se duorum nuncupat filiorum: quia humanitati permixta deitas: deitati consociata pietas, miscuit hominem & Deum, quæ dominum vniuit in patrem. Hic ergo homo, Pater hic duos filios habuit conditoris Pontificio, non necessitate generantis, duos filios, quos non emeruit esse, sed iussit: quia Christus sic in oculis nostris fuit homo: vt Deus semper in maiestatis suæ maneret arcano. *Duos filios habuit.* Duos scilicet populos, Iudaicum, Gentilémque: sed Iudaicum seniorem prudentia legis fecit: Gentilem paganitatis stultitia reddit iuniorem. Quia sicut sapientia dat canos: ita quicquid viri est, tollit insipientia. Hunc ergo iuniorem mores præstitere, non ætates: seniorem illum non tempora fecerunt, sed sensus. *Et dixit:* inquit, *adolescentior ex illis patri. Pater da mihi portionẽ substantiæ quæ me contingit.* Cognitorem pectoris non voce petit iste, sed voto: quia à Deo bono, maláve reportat propria voluntas in nobis, denique iste cum patre possessor totius sortis, ad patrem propria voluntate peruenit dicendo, *Da mihi portionem substãtiæ, quæ me contingit.* Et quæ est ista portio? quæ est, habitus, Sermo, Scientia, Ratio, Iudicium, quæ hominem præ cæteris animantibus in terrena habitatione contingunt, hæc est, iuxta Apostolum, lex naturæ. Et ideo diuisit illis substantiam, dando iuniori

quinque ista quæ diximus beneficia naturæ: seniori quinque legis libros diuinitus inscribendo: per quæ substantia impar merito, numero par esset, humanum teneret ista ordinem, diuino illa subsisteret instituto: vtraque tamen lex filios vtrosque ad notitiam patris perduceret, ad reuerentiam sui seruaret authoris, *Et non post multos dies*, inquit, *congregatis adolescentior omnibus, peregrè profectus est in regionem longinquam: & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.* Diximus iuniorē non tempora fecisse, sed mores, & ideo dixit: *Non post multos dies.* Quia cum principio ipso mundi festinauit gentilitas ad idolorum patriam: ad longinquam diaboli regionem animo est peregrinata, non loco: & per clementiam vanis est peruagata cogitationibus, nec non est corporeis motibus iactata per terras: namque coram patre sine patre erat: & cum in se esset, non erat secum. Hinc est quòd luxuriosus per desideriū sæcularis eloquentiæ, per scholarum lupanaria, per triuia sectarū, dissipauit Dei patris dementi disputatione substantiā. Et cum consumpsisset cóiecturis quicquid erat sermonis, scientiæ, rationis, iudicij, egestatē summam, famem magnam cognoscendæ veritatis miserrimus sustinebat, qui philosophia quærendæ diuinitatis indixit laborem: veritatis inueniendæ fructum contulit nullum. Hinc est quòd adhærebat primario regionis illius, à quo mittebatur in istud sæculum, hoc est, in vnam multarum superstitionum villam: vt pasceret porcos, id est, dæmones qui dicunt Domino: Si eiicis nos, mitte nos in porcos. Vt pasceret dæmones thure, victimis, sanguine, falsarum responsionū mercedem pro tali labore relaturus. Occidebatur pecus: vt quod viuus nil scierat, diuinaret occisum: & loqueretur ex fibris mortuum, quod nunquam fuerat ore prolocutum. Verùm cùm nil dininum, nil salutare profuturum, nil gentilis inueniret in talibus: desperans de Deo, de prouidentia, de iudicio, de futuris, ab schola ab ventris se deponebat ingluuium, cupiens saturari de siliquis, quas porci manducabant. Hoc norunt Epicurei: qui cum Platonicas & Aristotelicas percurrerent scholas, nullámque illic aut diuinitatis, aut scientiæ inuenirent disciplinam, Epicuro se tradunt vltimo, desperationis & voluptatis auctori. Et manducant siliquias, hoc est, voluptatibus corporis malè dulcibus inhiant, & pascunt dæmones, qui semper corporum vitiis saginantur & sordibus: quia sicut Domino qui se iungit, vnus spiritus est: ita qui se iungit diabolo, est dæmon vnus. Sed hic iunior quamuis cuperet, non tamen saturabat de siliquis istis ventrem suum. Quare? quia nemo illi dabat, diabolus quidem volebat per famem scientiæ, per voluptatum difficultatem, Gentilem reddere auditorem ad illicita perquirenda, ad perpetranda delicta: sed Deus pater ideò permisit venire Gentilem, vt erroris occasio salutis fieret argumentum: namque diabolum sic reliquit, vt perderet: & gentilem sustinere passus est famem, vt rediret. Redit autem ad patrem, & clamat, *Pater peccaui in cælum, & coram te.* Rediisse iuniorem ad domum patris, & clamare Deum patrem vox Ecclesiæ quotidiana testatur: quæ dicit, *Pater noster qui es in cælis Peccaui in cælum & coram te* Peccauit in cælum, dum in cœlo Solem, Lunam, Sydera deos esse blasphemat: & hæc eadem profanat adorando. *Et iam non sum dignus vocari filius tuus fac me sicut vnum de mercenariis tuis.* Hoc est dicere, quia non mereor iam filij gloriam, vel veniæ consequar pro mercenario labore mercedem. Et cui honor sobolis perit, saltem vitalis maneat in quotidiano pane substantia. Sed pater occurrit, & occurrit longè. Cùm adhuc impij essemus, Christus pro nobis mortuus est. Occurrit pater, occurrit in filio cum per ipsum de cœlo descendit, & peruenit ad terras. Pater, inquit, qui me misit, mecum est. *Cecidit super collum eius.* Cecidit, cum per Christum diuinitas tota nostra decumbit, & incumbit in carne. *Et osculatus est eum.* Quando? quando misericordia & veritas obuiauerunt sibi: iustitia & pax osculatæ sunt se. *Dedit stolam primam.* Illam quam Adam perdidit, immortalitatis gloriam sempiternam. *Posuit annulum in manu eius.* Annulum honoris, titulum libertatis, insigne pignus spiritus, signaculum fidei, arrham cœlestium nuptiarum: audi Apostolum, desponsaui vos vni viro virginem castam exhibere Christo. *Et calceamenta in pedibus eius.* Vt essent calceati pedes in prædicatione Euangelij, vt essent beati pedes euangelizantium pacē. *Et occidit ei vitulum saginatum.* Illud de quo Dauid cantabat, Et placebit Deo super vitulum nouellum cornua producentem, & vngulas. Occiditur patre vitulus sic iubente: quia Christus Deus Dei filius occidi, sine patris voluntate non poterat: audi Apostolum, Qui proprio filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum, Hic est vitulus, qui in epulum nostrum quotidie ac iugiter immolatur. Sed frater senior, sed senior filius veniens ex agro, populus legalis, messis quidem multa, operarij autem pauci: aut in domo patris symphoniam, audit choros, introire non vult. Hoc quotidie oculis nostris intuemur. Nam venit Iudæus ad domum patris, id est, ad Ecclesiam, stat foris per inuidiam, audit Dauidicam citharam personare, audit ex concentu Prophetico symphoniam, ex populorum vario concentu choros audit, & introire nō vult per inuidiam stans foris. Dum gentilem fratrem pristinis iudicat & horret ex moribus, ipse paternis bonis se eximit, ipse se paternis excludit gaudiis. Quod autem dixit: *Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dedisti mihi hædum.* Tacendum potius, quàm loquendum esse iam duximus, quia Iudæus loquitur; & non facientis verba sunt, sed tumentis. Pater egreditur, & dicit filio, *Fili, tu semper mecum es.* Quomodo? per Abel, per Henoch, per Sem, per Noë, per Abraham, per Isaac, per Iacob, per Mosem, per omnes sanctos, per quos Iudaica generatio in Euangelio lecta deriuatur, cum dicit: Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob. Et omnia mea tua sunt. Quemadmodum? quia tibi lex, tibi prophetia tibi templum, tibi sacerdotium, tibi sacrificia, tibi regnum, tibi munera, tibi (quod est super omnia) natus est Christus. Sed quia tu per inuidian perdere vis fratrem, paternas epulas, patri gaudia dignus es non habere. Angusto sermone res latissimas, non vt voluimus, aperire potuimus: sed scientię vestræ, intellectui vestro lata sunt, quæ in sermone nostro videntur angusta. Non sit hæc ingrata, simplex & inculta collatio, quæ nos res mysticas & excelsas non narrare, non declarare, sed aperire compulit, & explanare.

Matth. 8. — Cor. 9. — Matth. 6. — Matth. 6. — Ioan. 8. — Psalm. 84. — 2. Cor. 11. — Ephes. 6. — Rom. 10. — psal. 68. — Rom. 8. — Luc. 10. — Matth. 1.

IN PSALMVM XCIX.

SERMO VI.

QVoniam redeunte filio iuniore familia tota choros egit, cœlestem cecinit symphoniam, conuenit & nos hodie Psalmum sumere, dare

dare tympanum, ponere organum, citharam tangere, & ad tantum Dei Patris gaudium melodiā Dauidicā personare. *Iubilate Deo*, inquit, *omnis terra*. Quid est, quod intelligentia huius exultationis inquirit? Quid est, quod post tanta deitatis terribilia, tam mirifica præcepta terra nunc vocatur, & inuitatur ad iubilū; *Iubilate*, inquit, *Deo omnis terra*: Quid est, quod posteaquam terribilis Deus mitissimi pastoris elegit officium, personam pastoris induit: vt vagos populos, palantes plebes, dispersas longè latéque gentes, velut errantes oues in vnum pastor misericors congregaret, immo vt nationes feras, prædam mortis, carnis cibum, potum sanguinis, bestiarū furorem, sitientes, ad vsum lactis, ad cibum graminis, ad omnium totam duceret & redderet lenitatem, terræ omni pastoralem mandat, & imperat disciplinam, dicendo, *Omnis terra iubilate Deo*. Sicut militem tuba terribilis producit ad bellum, sic oues ad pascua dulcedo iubilationis inuitat. Bellandi ergo fremitum pastorali lenitate mitigare conuenit, vt gentes tam mitis gratia saluaret, quas diu peremerat feritas naturalis. Quod autem pastoralis bonus esset reditus, dum ad terras veniret Christus, clamauit ipse hodie, Ego sum pastor bonus, Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis. Hinc est quòd adiutores, quòd socios ad curam totius orbis ipse magister inquirit, dicendo, *Iubilate Deo omnis terra*. Hinc est
Ioan. 11. quod oues suas Petro vice sua, vt pasceret ad cœlum remeaturus commendat. Petre, inquit, amas me? pasce oues meas. Et vt tenuia redditus primordia non cogeret potestate, sed pietate portaret, repetit. Petre amas me? pasce agnos meos. Commendat oues, ouium commendat germina, quia fœcunditatem gregis sui pastor præscius nouerat iam futurā. Petre amas me? pasce agnos meos. Istis agnis collega pastoris Petri Paulus, piè pastu plena lactis vbera porrigebat, dicendo: Lac vobis potum dedi, non escam. Sensit hoc Rex beatus: & ideo pro balatu clamat, Dominus pascit me, & nihil mihi deerit; in loco viridi ibi me collocauit: su- 1. Cor. 3. Psalm. 22.
Ioan. 10. per aquam refectionis educauit me. Post iuges ergo bellorum gemitus, post tristem sanguinis vitam, euangelicæ pacis ad pascua iam redeunti, versiculus sequens lætitiam annunciat seruituti. Erat homo peccati seruus, erat captiuus mortis, erat mancipium dæmonum, erat idolorum vernula, erat vitiorum verbero, erat criminum compeditus. Sic malis dominis talibus, tantisque exhibebat homo malam & miseram seruitutem. Quando homo non sub peccato tristis? Quando non sub morte lugens? Quando non sub dæmonibus pallens? Quando non sub idolis tremens? Quando non sub vitiis suspectus? Quando non sub criminibus desperatus? Et ideo homo dabat extrema suspiria: quando tales, tam crudeles dominos sustinebat. Propheta ergo videns nos à talibus liberatos, & reuocatos ad obsequium creatoris, ad patris gratiam, ad vnius boni domini liberam seruitutem, meritò exclamat: *Seruite Domino in lætitia: intrate*, inquit, *in conspectu eius in exultatione*, Intrate, non loco, sed corde. *Intrate in conspectu eius in exultatione*. Quia quos eiecerat reatus, quos expulerat conscientia, gratia reducit, intromittit innocentia. *Intrate in conspectu eius in exultatione*. Qui ingreditur in conspectu eius exultatione, est à reatu liber, est de præmio persecurus. Tamen quid est quod hortatur? quod suadere nititur hîc Propheta? *Intrate in conspectu eius in exultatione*. Quis in conspectu Dei liber? diuinis in oculis quis mentitur? Quis exultans ante terrorem maiestatis supernæ? Archangeli tremūt, pauent Angeli, potestates metuunt, in faciē cœli proruunt seniores: elementa fugiunt, soluuntur saxa, mōtes defluunt, terra tremit, & homo terræ quàm intrepidus intrabit? & adhuc consistit exultans: vnde est quod Propheta hoc nos debere facere sic præsumit? vnde est? Ex eo quod sequitur. *Scitote*, inquit, *quod Dominus ipse est Deus*. Quia Dominus ille Deus est, qui fuit in carne nostra pusillus: hinc est quod ille Dominus Deus est, qui fuit in cunabulis nostris capax, dulcis in gremio, mitis in habitu, in nostro cōtubernio blandus. Et ideo, *Intrate in conspectu eius in exultatione*. Quia totum pauorem diuinitatis, totum metum iudicis in habitum nostrum dedit, prouidenti locauit aspectu, vt ingressus non pœnas iudicis metuat, sed parentis præsumat amplexum. Et quomodo non exultet, qui genitorem reperit, quē timuerat cognitorem? *Intrate in conspectu eius in exultatione: scitote quòd Dominus ipse est Deus. Ipse fecit nos, & non ipsi nos*. Inanis est patris, matrisque labor, nisi in germine affuerit opus, & auctoritas conditoris. Manus tuæ, inquit, fecerunt me, & plasmauerunt me. Et alibi: Tu formasti me, & posuisti super me manū tuam. Ergo quòd nascimur, quòd Psal. 118.
sumus, non debemus ipsi nobis: quia totum debemus auctori. *Nos autem populi eius, & oues pascuæ eius*. Probatum est in prouerbiis sæpissimè: quia cœlitus venerit pastor, qui errantes oues, & lethali gramine sauciatas, superno iubilo vitalia reuocaret ad pascua. *Intrate*, inquit, *portas eius in cōfessione*. Sola est confessio, quæ nos fidei facit introire per ianuā. *Atria eius in hymnis: confitemini illi: laudate nomen eius*. Diximus, quòd nobis esset iam positus intra domum patris, assumenda cœlestium canticorum spiritualis symphonia, vt sit nobis in ingressu confessio, sint in atriis hymni, sit laus in penetralibus, vbi tota deitatis inhabitat plenitudo. *Confitemini illi: laudate nomen eius. Confitemini illi, quia Deus est. Laudate nomen eius*. Per quod saluati sumus: & in quo cœlestis, terrestris, infernaque genu flectit, & diligit Dominum Deum creatura. *Quia suauis est Dominus*. Vnde? quia *In æternum misericordia eius*. Verè suauis est, per quam solam totius mundi amarissimam dignatus est auferre sententiam. Ecce Ioan. 1.
Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. *Et vsque in sæculum sæculi veritas eius*. Deus enim salua veritate miseretur: qui sic dat peccatis veniam, vt iustitiam in ipsa miseratione, rationéque custodiat, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

IN ILLVD MATTHÆI, CVM ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, &c. Et de hypocrisi.

SERMO VII.

VBi Deus Dominum mutauit in patrem, voluit charitate magis quam potestate regnare, & amari maluit, quàm timeri: paterno monuit affectu, ne quid nobis de labore iustissimo deperiret. Euangelista sic ait: *Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, vt videātur ab hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam*. Hypocrisis subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis. Aduersa omnia nituntur viribus suis, armis suis pugnant, impugnant palam: vnde & cauentur tam facile, quam videntur. Hypocrisis secura simulat, fallit prospera, curiosa mentitur,

mentitur, & crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum: ieiuniũ ieiunio perimit, oratione orationem euacuat, misericordiam miseratione prosternit. Hypocrisis cognata febris frigido poculo propinat ardorem. Quod corporibus est hydrops, hypocrisis animabus: hoc est, hydrops bibendo sitit, hypocrisis inebriata sitit. *Exterminant enim facies suas, vt videantur hominibus ieiunantes.* Hypocrisis dum cupit captiuare oculos, oculis fit ipsa captiua. *Exterminant enim facies suas.* Et si facies exterminatur, ornamentum corporis quod manebit? Vere sicut Dominus dixit: Si lumen quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt? Hypocrita, sit licet tibi facies inculta, neglecta cutis, tristis vultus, exterminatus aspectus, nec ab hominibus inuenisti laudem: & apud Deum fructum ieiunij perdidisti. Hypocrita, elaborasti ieiuniis: vt labor tibi ieiunij non prodesset. Hypocrita abstinentiæ fluctus intrasti, continentiæ conscendisti vndas, enatasti ieiunij pelagus, & in ipso portu ieiunij naufragasti: quia non comparasti lucrum, sed mercatus es vanitatem, qui de Dei credito humanum negotiũ perfecisti. Hinc est quod Deo redditurus es rationem, qui ab hominibus percepisti miseræ fraudis vsuram. Fratres, fugiendum est virus, pestilentia cauenda, quæ de remediis creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, generat de propitiatione discrimen. Hypocrisim qui fugerit, vincit: qui incurrerit, cadit. Fugiamus hypocrisim, fugiamus fratres: sit nostrũ de simplicitate ieiunium, de innocentia sit sanctum, de puritate purum, de synceritate syncerum, sit hominibus occultum, ignotum diabolo, Deo notũ. Thesaurum qui non abscondit, prodit: virtutes proditæ non manebunt. Virtutes sicut proditores suos deserunt: sic suos instant custodire custodes. Ergo ieiunium quod contra vitia prima virtus est nobis, in arce pectoris collocetur; quia illo in interioribus præsidente, vitia nos quatere in exterioribus non valebunt. Hoc Christus, vt Christianus habere possis, hortatur cum dicit: *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua: ne videaris hominibus ieiunans: sed patri tuo qui est in abscondito & pater tuus qui vidit in abscondito, reddet tibi.* Cum dicit, vnge caput tuum, & faciem tuam laua: non vt coma capitis illecebroso redundet vnguento, serius magister iniũgit: neque faciem nitescere solito vult lauacro: sed habitu prandentis vult celari ieiunium Christiano, quia Christianum vendicare non vult artifici mœrore ieiunium. Sed ad cœpta redeamus. *Vnge caput tuum, & faciem tuam laua: ne videaris ab hominibus ieiunans, sed patri tuo, qui est in abscõdito.* Sic non voluptuosos indulget aspectus, sed vultus qui simulantur, excludit: facies mœrore deiecta inuitat famem, non ieiunium voluntarium profitetur. Si vult, quare tristis? Si non vult, ieiunus quare? Meritò tali pœna viuit, qui sibi facit de virtute vitium, mendacium de veritate, de mercede stipendium, de remissione peccatum. Agricola si non impresserit cultrum: si sulcum non defoderit: si non exciderit sentes: si gramina non euulserit: si in toto semina non locarit: sibi mentitur non terræ: nec terræ facit damnum, sed sibi non facit fructum: & ita se vacuat, ita decipit, impugnat ita, qui terræ manu fallaci mentitur. Quid faciet? quid habebit? quid inueniet? qui Deo, esuriente carne, hypocrisi luxuriante, mentitur? quia agricolæ fecimus mentionem, sciat ille sustinere se laborem incassum, se nihil habiturum, qui præmens ieiunij aratrum, & abscindens gulæ gramina, atque eradicans luxuriæ sentes, misericordiæ semina nulla iactauerit. Hoc Dominus aperire voluit, qui de ieiunio docẽs, mox ista subiecit, *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur: & vbi fures effodiũt, & furãtur. Sed thesaurizate vobis thesauros in cœlo: vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur.* Quid tam paternũ? quid sic veniens de amore; quod tam prouidum de charitate consilium; nihil tibi perire vult, qui tua in thesauris cœlestibus vult reponi. Quàm securus dormit, qui Deum suorum meruit habere custodem, quàm nescit curas, quàm deponit angores, quàm non est anxius, quàm seruorum caret fastu, qui sua patri seruanda committit. Quomodo paterna seruat affectio, timor non potest sic seruare seruilis: pater cum dat sua filiis, non minuit commendata filiorum. Quid sit pater, nescit: nescit se filiũ, qui non credit patri. Tineam non excludunt claustra, sed claudunt, & generant, non repellunt: rubiginem nutriunt seruata, non vitant: quia quod de re nascitur, non vitatur. Vbi est necessitas, fures deesse non possunt. Qui ergo inter tineas, rubiginem, fures, sua ponit: exponit quæ sua sunt, non reponit. Sicut de vestimento tinea, rubigo de metallo, de necessitate fures nascuntur: ita de diuitiis auaritia, cupiditas de quæstu, de habendo habendi ardor acquiritur. Qui ergo vult auaritiam vincere, diuitias proroget, non reponat. Præmittamus fratres thesauros nostros in cœlum, sint vectores pauperes, qui possunt sinu suo quæ nostra sunt ad superna portare. Nemo de fraude dubitet baiulorum, tuta est ista transuectio, per quam nostra ad Deum Deo fideiussore portantur, cui est omnis honor, & gloria, virtus & imperium, & gratiarum actio in omnia sæcula sæculorum, Amen.

DE IEIVNIO ET ELEEMOSYNA.
SERMO VIII.

GVbernator prudẽs à littore cùm nauim soluit, cùm mare transiturus intrat fluctus, domus, patriæ, coniugis, pignorum curas deponit, & ita totus mente, corpore, sensu, nauticis laboribus occupatur, vt & fluctuum possit superare discrimina, & stationem lucrosi portus periculi victor intrare. Sic nos fratres ingressi iter abstinentiæ, ieiunij pelagus, quadragesimæ viam, nauim corporis nostri soluamus à littore mundano: secularis patriæ renuntiemus curis, in crucis arbore tota mentis vela tendamus virtutum funibus, sapientiæ remis, gubernaculis disciplinæ, nauigij nostri muniamus incessum, & subducti terris speculemur cœlum: vt ducatu signorum cœlestium inter liquidos calles latentis viæ inoffensum tramitem tenere possimus: ac si gubernante Christo, flãte Spiritu sancto, euictis voluptatum spumis, superatis vitiorum fluctibus, decursis criminum procellis, transuectis scopulis peccatorum, atque omnium delictorum naufragiis euitatis, Paschæ portum, lucrum vitæ, gaudia resurrectionis intremus. Verùm quia per campos nudos, per falsos vortices, per incertas solitudines, acturi sumus viam, nobis tota est escæ & potus portanda substantia; imponamus abundantem misericordiam nostræ sitarchiæ profuturam. Fratres, esurit ieiunium, ieiunium sitit, quod non pietatis cibo pascitur, quod potu misericordiæ non rigatur. Alget ieiunium, ieiunium deficit, quod non eleemosynæ vellus tegit, quod non miserationis operit vestimentum. Fratres quod est terris Ver, hoc misericordiam scimus esse ieiunio. Sicut verni flatus tota faciunt germina florere camporum: ita misericordia tota ieiunij semina

pro lucit in florem, in cœlestem messem totam ieiunij facit fructificare virtutem. Quod oleum lucernæ est, hoc ieiunio pietas, sicut lucernæ lumen olei pinguendo succendit, & moderato pastu facit illud ad totius noctis solatium perlucere: sic pietas facit splendere ieiunium, & ad totam radiare continentiæ claritatem. Quod diei sol est, hoc eleemosyna noscitur esse ieiunio. Sicut iubat solis clariorem perficit diem, & totam nubium dispersit obscuritatem: sic eleemosyna ieiunij sanctificat sanctitatem, totamque cupiditatis mortem lumine pietatis excludit. Ac ne multis immorer, quod est anima corpori, ieiunio largitas hoc habetur. Sicut enim mortificatur corpus à corpore, anima cum recedit: ita mors est ieiunij largitatis abscessus. Est quidem ieiunium vitiorum mors, vita virtutum. Est ieiunium pax corporis, membrorum decus, ornamentū vitæ. est ieiunium robur mentium, vigor animarum. Est ieiunium castitatis murus, pudicitiæ propugnaculū, ciuitas sanctitatis. Est ieiunium schola meritorum, magisterij magist ium, disciplinarū disciplina. Est ieiunium Ecclesiasticæ viæ viaticum salutare. Est ieiunium in victus Christianæ militiæ principatus. Sed in his virtutibus ieiunium tunc viget, tunc vincit, tunc triumphat, cum duce misericordia pugnat. Misericordia & pietas ieiunij sunt alæ, per quas tollitur, & portatur ad cœlum, sine quibus iacet, & volutatur in terra. Ieiunium sine misericordia simulacrum famis est, imago nulla est sanctitatis, sine pietate ieiunium occasio est auaritiæ: non est propositum parcitatis: quia parcitas ista quantū siccatur in corpore, tantum tumescit in sacculo. Ieiunium sine misericordia non est veritas, sed figura: vbi autem misericordia, ibi & veritas: Probante Propheta, cùm dicit: Misericordia & veritas obuiauerunt sibi. Ieiunium sine misericordia non est virtus, sed hypo-
Matth. 5. crisis, dicente Domino: Vos autem cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, extermināt enim facies suas, vt videantur ab hominibus ieiunantes. Qui non ieiunat pauperi, Deo fingit: qui ieiunans prandium suum non erogat, sed deponit, cupiditati probatur ieiunare, non Christo. Ieiunantes ergo, fratres, prandiū nostrum reponamus in manu pauperis, vt seruet nobis manus pauperis, quod venter nobis fuerat perditurus. Manus pauperis, Abrahæ sinus est: vbi quicquid pauper acceperit, mox reponit. Thesaurus cœli est manus pauperis, quod suscipit, ne in terra pereat, reponit in cœlum. Thesaurizare, inquit, vobis thesauros in cœlo. Manus pauperis est gazophylaciū Christi: quia quicquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo homo pauperi terram, vt accipias cœlum. Da nummum, vt accipias regnum. Da micam, vt accipias totum. Da pauperi, vt des tibi; quia quicquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter.
Oseæ 6. Clamat Deus, Misericordiam volo. Qui quod vult Deus, Deo negat, à Deo sibi quod desiderat, vult negari, Misericordiam volo. Homo petit Deus, sed tibi, non sibi. Misericordiam volo. Humanam misericordiam petit, vt largiatur diuinam. Est in cœlis misericordia, ad quam per terrenas misericordias
Psalm. 35. peruenitur. Domine, inquit, in cœlo misericordia tua. Dicturus causam in iudicio Dei, patronam tibi misericordiam, per quā liberari possis, assume. Qui de patrocinio misericordiæ certus est, de venia sit securus, de absolutione non dubitet. Misericordia non solum causam præuenit, anticipat cognitorem, sed etiam sententiam reuocat, absoluit addictos.
Ioan. 3. Quod Niniuitæ probant, quos iam sententiæ subiectos, pœnæ traditos ad victimam stantes, morti deditos, misericordia sic rapuit, sic tenuit, sic præuenit: vt maluerit Deus deduci sententiam, ne misericordiæ quid negaret. Stabat quidem & tunc pro causa ieiunium, aspergebat cineres, sternebat ciliciū, dabat gemitus, fundebat lachrymas: & quod nō poterat excusare verbis luctibus temperabat, sed nō valuit mutare sententiam, nisi perorans misericordia subuenisset. Misericordia & paccatores liberat,
& restituit sanctos, quia nisi affuisset misericordia, 2. Reg. 11.
etiam Dauid cùm adulterat, amiserat prophetiā: & Matth. 16.
Petrus cum negat, Apostolici ordinis perdiderat principatum: & Paulus cùm blasphemat, remanserat Tit. 1.
persecutor: fatetur hoc Paulus cùm dicit: Qui primus blasphemus fui, & persecutor, & iniuriosus: sed Matth. 5.
misericordiam consecutus sum: Fratres per misericordias pauperum misericordiam paremus, vt possimus esse de pœna liberi, de salute securi. Beati, inquit, misericordes: quia ipsi misericordiam consequentur. Gratis misericordiam sperat ibi, qui hic Matth. 5.
non fecerit misericordiam. Qui facit misericordiam, currit ad præmium: qui non facit misericordiam, decurrit ad pœnam.

IN ILLVD MATTHÆI, Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, &c. Et de eleemosyna.

SERMO IX.

Agit nobiscum Deus, agit in hoc sæculo, ne quid nobis pereat in futuro: sicut ex ipso lucet
principio lectionis. *Attendite*, inquit, *ne iustitiam* Matth. 6.
vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cœlis est. Et quomodo quod fiat ab hominibus, coram hominibus non fit? Parentis iustitiæ latet sensus, publici operis quod secretum? Qui potest celare radios solis, iustitiæ poterit occultare fulgorem. Iustitia lux rerum conciliis non velatur obscuris. Iustitia cum sibi facto claret, omnes illustrat exemplo. Et quid est quòd eam Dominus coram hominibus fieri non vult, per quam sta-
tum capiūt res humanæ? Et vbi est illud? Sic luceat Matth. 5.
lux vestra corā hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Quomodo iustitiā vult celare, cuius opera vult sic elucere? Fratres hîc præceptio cœlestis vult iactantiam tollere, auferre pompam, vanitatem demere, summouere inanem gloriam: sic iustitiam vult celare. Iustitia, quæ per se sibi abundat ad gloriam, spectaculum populi, vulgi laudes, fauores hominū, mundi gloriam non requirit: à Deo genita cœlum spectat, in oculis agit diuinis, supernis virtutibus mixta sēper à Deo solo, vt glorificetur, expectat. Sed hæc est iustitia, quæ ex Deo est: illa verò iustitia quæ est hypocrisis, iustitia non est, mentitur oculis, fallit aspectū, videntibus illudit, decipit audientes, seducit turbas, trahit populos, famam vendit, emit clamorē, fit sæculo, Deo non fit, mercedē rapit præsentem, præmium non quærit in futuro, cæcat oculos, cæca ipsa non videns vult videri, propter quam cæcitatem Christus præsenti sic inchoat in præcepto: *Attendite*, hoc est, ne gestiatis attendi, *Ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.* Quare? *Ne videamini ab eis.* Et si visi fueritis: quid? *Mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cœlis est.* Fratres, hic Dominus nō iudicat, sed exponit, pādit cogitationum dolos, secreta mentium nudat, iniuste iustitiam tractantibus modum iustitię retributionis indicit. Iustitia, quæ se humanis oculis locat, diuini patris

patris non poteſt expectare mercedem:voluit videri,& viſa eſt:voluit hominibus placere,& placuit, habet mercedem quam voluit:præmium quod habere noluit,non habebit.Qua verò de cauſa ſint hęc præmiſſa,ex ſequentibus audiamus. *Cùm facis eleemoſynam,noli tuba canere ante te : ſicut hypocritæ faciunt.* Bene tuba,quia talis eleemoſyna hoſtilis eſt,nõ ciuilis,nõ miſericordiæ dedita,ſed clamori: ſeditionis vernula,non alumna pietatis:oſtentationis nundinatio,non commercium charitatis. Eleemoſynam quiſquis oſtentat inſultat. *Tu*,inquit,*cùm facis eleemoſynã, noli tuba canere ante te:ſicut hypocritæ faciũt in Sinagogis & in vicis,vt glorificẽtur ab hominibus. Amen dico vobis receperũt mercedẽ ſuã.* Audiſtis quemadmodũ notat eleemoſynã in conuentu,in plateis,in triuiis, non impensã ad leuamen pauperum,ſed hominum propoſitam ad fauorem,vt probentur miſericordiam vendere,non donare. Fugienda eſt hypocriſis, fugienda fratres quæ captiua gloriæ verecundiam pauperũ non reuelat,ſed fatigat:quæ de gemitu inopis pompã ſuæ gloriationis inquirit,quæ ſuã laudem dilatat pauperis ex dolore,quæ de miſeria potentis famam ſuæ oſtentationis expandit. Sed dicit aliquis. Ergo in conuentu in plateis in triuiis, neganda eſt miſericordia ? non præbendus eſt victus?Plane,& in omni loco,& in omni tempore facienda eſt miſericordia, præbendus eſt victus, nuditas eſt tegenda:ſed ſic quomodo docuit miſericordiæ author,vt miſericordia non terræ ſit nota, ſed cœlo:non hominibus inſinuata,ſed Deo.In plateis,in triuiis ſuũ pietas habet ſecretum:è contra platea,triuiũ eſt,cùm in ſecreto facit hypocrita nil ſecretum. Fratres, Deus monendo ſic vota culpat, non loca ; ſenſum, non opera; ſtudium,non datorem : arguit largitatem ad ſuam famam,non ad pauperis famam: iudicat non vbi facias, quando facias, ſed qualiter facias quia Deus de cordibus,non de manibus facta metitur,& de ſenſu,non de locis operum colligit qualitatem. Miſericordiam coram ſe ſolum vult fieri,qui ſolius eſt miſericordiæ,& remunerator,& teſtis,& qui di-
Matth. 25. cit:Eſuriui,& dediſtis mihi manducare.Vult in paupere ſibi dari:& qui vult ſibi dari,vult quod datum eſt ſe debere,& qui vult se debere quod datum eſt, vult largientibus nil perire, Deus parua poſcit,maxima redditurus. Vnde homo ſi in paupere Deo fœneras,teſtes homines non requiras:fides arbitros non requirit.De accipientis fide diſputat, qui ſine mediatoribus nil dat:qui credita diffamat,vrit verecundia debitorem. Ergo homo daturus Deo,da ſecreto:vt quod dederis, non ſit oneris,ſed honoris. Ob hoc ad te venit tuus ditator in paupere,vt eum non dubites accepta reddere, qui tibi gratis dedit habere quod dares.Quam verò in paupere ſit verecunda paupertas,quod largitatis tuæ quærat ſecre-
Matth. 2. tum,aperit ipſe, cũ dicit:*Te autem faciente eleemoſynam,neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.* Putas quam vult neſcire alterum,qui te ipſum qui facis,vult aliqua qui parte neſcire? *Neſciat ſiniſtra tua quid facias dextera tua.* Sicut sũt nobis in dextera parte virtutes,ita nobis pars vitiorũ in ſiniſtra. Ergo vt opus eſt dexteræ,quod facit tacitus dator, quod facit dator garrulus hypocriſis eſt ſiniſtræ Hypocriſis,dolus,ſimulatio,fraus,mendaciũ,elatio, tumor,iactantia,inſiſtunt nobis, & imminẽt à ſiniſtris.Quoties ergo nobis cum bonitate,pietate,cum miſericordia cauſa eſt,neſciat hoc ſiniſtra.Siniſtra eſt, quæ nobis animarum prælia ſemper indicit.& ne virtutes in effectũ veniant,elaborat.Ne ſit pietas,impietas agit:ne eleemoſyna vendicet,cupiditas pugnat, furti auaritia,ne miſericordia conualeſcat ne innocentia,puritas,ſimplicitas,ſanctitas regnet, hypocriſis ſola confligit,quam Chriſtus à nobis tali prædicatione ſecludit: *Te autem faciente eleemoſynam,neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.* Fratres,in hoc ſæculo fugiamus,quæ à ſiniſtris ſunt ſi in futurum à dextris deſideramus aſtare,& audire: venite benedicti patris mei,percipite regnum,quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Homo, da in terra pauperi, quæ tibi manere vis in cœlo.Homo, commilita hìc pauperi, ſi vis ibi regnare cum ipſo Domino noſtro Ieſu Chriſto,qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum,Amen.

IN PSALMVM XXVIII.

SERMO X.

OMnes qui arduas operum ſubleuant,& ſolantur anguſtias,probant ad ſolatium laboris datam nobis naturaliter cantilenam Hinc naturæ cantu ſuperant marina diſcrimina,hinc immenſa pondera ad ducunt leuamine canticorum,hinc viantes colles arduos facit tranſcendere vox ſonora, hinc præliatores ipſos præcedens cantus ſubire concitat amara bellorum.Ac ne multis,omne quod duri eſt operis,quod laboris,dulcis vincit & efficit cãtilena. Sic nos fratres Quadrageſimæ ieiunio cantica diuina iungamus,vt abſtinentiæ pondus cœleſtis temperet, & ſubleuet ſymphonia, prouocante nos ad hæc Dauide beato, qui dum fiſtula pecus charum mulcet,& oblectat in paſcuis,cãtu dura didicit ſuperare bellorum:cantu meruit ductare populos ad ſalutẽ,cantu valuit vocare gentes,reducere Iudæos, fugare dæmones,Dei filios ad ſuperni patris obſequium conuocat, ſicut bene inuitans eius cecinit melodia. *Afferte Domino*,inquit, *filij Dei.* Putáſne cœleſtes taliter, apellat iſte virtutes ? aut homines Dei aptat in filios ? & terrenam carnem cœleſtem ſubleuat ad naturam? *Afferte Domino filij Dei* Homines fratres , homines nuncupat hìc Propheta , quos Dei filios alibi ſic decantat.Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes.Audiuimus fratres quos non tulit diuina dignatio, paternitas extulit nos ſuperna,credamus nos Dei filios:reſpondeamus generi , viuamus cœlo,patrem ſimilitudine referamus, neperdamus vitiis,quod ſumus per gratiam cõſecuti. *Afferte Domino filij Dei.* Videtis,quia cœleſtis pater ſentit amorem donis,datis effectum,probat muneribus charitatem.Et reuera fratres, filium ſe neſcit,viſceribus caret,naturam negat,ingratus eſt patri,qui authorẽ vitæ ſuæ non obſequiis placat,non deuincit cultu,muneribus nõ honorat. *Afferte Domino filij Dei.* Videamus quid ſit illud,quod nos tãto patri hic Propheta cõmonet,& hortatur afferre. *Afferte Domino filij Dei,afferte Domino filios arietum.* Hoc eſt totum quod expetit , quod requirit , ouium fœtus,vile terreni peccoris germen , ſtratos per viam partus,ſemina effuſa per campos , diuino patri, vt diuina ſoboles offerat,admonetur,aut forte Iudaicas victimas ſacrificia cruenta,balantes ſub Pſalm. 49. cultris hoſtias,creator omniũ nunc requirit Deus? Et vbi eſt illud quod dixit?Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos:quoniã meæ ſunt omnes feræ ſyluarum,iumenta in montibus,& boues.Cognoui omnia volatilia cœli, & ſpecies agri mecum eſt.Si eſurio,non dicam tibi : meus eſt enim orbis terræ,& plenitudo eius. Et ſi iſta repulit,quos arietum filios ſibi depoſcit afferri? Ad Abraham loquitur:Accipe filium tuum dilectũ, Gen. 22. & offeres mihi in holocauſtũ. Aries Abraham ma-

turus ad innocentiam, grandæuus ad fidem, perfectus ad hostiam, paratus ad holocaustum, afferebat filium suum, filium arietis: imò se immolabat in filio: sanctificabat mentem suam: lætificabat fidem suam: vt esset idem victima & Pontifex: Sacerdos & sacrificium: patris erat passio, ibi tota, vbi filius immolabatur, ignauus filius sistebatur: nescius filius aptabatur vinctus, vt tolleret de passione martyriũ: præmium de pœna patris, de conflictu patris raperet coronam. Denique patris suspensa est dextera, patris gladius est remotus: quia non quærebatur mors filij, sed patris charitas probatur: nec expetebatur sanguis filij, vbi tota victima in patris dilectione constabat, scriptura dicente: Nunc scio, quia
Gen. 22. diligis Deum: quia non pepercisti vnigenito filio tuo propter me. Abraham diximus arietem, vt Isaac arietis filium probaremus ac si liceret, quos arietum filios propheta vult Domino nos afferre. *Afferte Domino filios arietum.* Filios Patrum, Patriarcharũ, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Christianus modo vt afferat, admonetur: quando grex dominicus fidei laxatur in pastum: quando agnos suos cœlestis pastor ad ouile dominicum vult deferri: ne dispersi per inculta gentium, luporum deuorentur incursibus. Sed quid admoneat vox diuina, planius iam loquamur. *Afferte Domino filios arietum.* Afferte Domino baptizandos, afferte quos fides concipiat, non caro: afferte quos Dei gratia generet, non mundana natura: afferte quos agnos præstet innocentia, non habeat pecoris hebetudo: afferte, afferte, quos spontè venire aut necessitas vetat; aut ætas impedit, aut ignorantia retardat, aut tenent vitia, aut dilecta remorantur, aut spectatio decipit, aut fallit confusione paupertas, adducite volentes, & attrahite volentes, facite vobis de aliena necessitate mercedem: seruum catechumenum si habet dominus, adducat, vt habeat tam fidelem filium pater offerat, non retardet: vt cui præsentem vitam præstitit, conferat & futuram. Vir coniugem deducat ad fidem, ne quod vnum est in carne, spiritu sit diuisum. Amicus amicum attrahat ad salutẽ, vt de gratia diuina humanam comprobet charitatem. Peregrinum ciuis, possessor hospitem Dei ducat ad mẽsam: vt sine suo sumptu de diuinis copiis sit humanus. Attrahite nolentes: nemo dicat non vult:
Gen 22. quia & Abrahã, vt offerret filiũ, colligauit: & Loth
Gen. 19. Angeli vt subtraherent flammis, extractũ manibus sustulerunt, & Petrum Dominus vt iret ad martyrium quo nolebat: auxilij sui virtute præcinxit di-
Ioan. 6. cens: Præcinget te alius, & deducet quò tu non vis. Et pater cœlestis non solùm volentes suscipit, sed attrahit & nolentes, dicente filio. Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, attraxerit illum: Quomodo se Christianum credit, qui non Christo annosa & vetera ducit? Aut quomodo domum suam iudicat ouile Dei, vbi non pascuale germen Dei pecus dat balatum? Obsecro & obtestor, fratres charissimi, per Dominum nostrum: vt in hoc vigiletis omnes, quatenus his diebus nullus à Dei gratia, nullus à generatione diuina relinquatur extorris, quatenus quod aliis Deus est per suam gratiam collaturus, vestrum crescat, & redundet in gaudium
Prou. 17. Homines sumus sub incerto viuentes: & nescimus quid pariat superuentura dies. Agamus ergo, dilectissimi, ne serui, ne filij, ne coniuges ne parentes præuenti morte, & præsenti vita careant, & non perueniant ad futuram.

DE IEIVNIO ET TENTATIONIBUS CHRISTI.

SERMO XI.

QVod curiositas humana, quod veterum labor quod sapientia mũdana, quærens, & diu quærens, non potuit inuenire, hoc scire & nescire facile præstitit lex diuina. Vnde malum, culpa vnde, vitiorum vis vnde, vnde criminum furor, vnde corporũ bella, vnde conflictus animæ, vnde vitæ tempestas tanta, vnde mortis naufrugium tam crudele nesciret homo, nisi Dei lex diabolum prodidisset? Diabolus mali autbor, nequitiæ origo, rerum hostis, secundi hominis semper inimicus, ille laqueos tendit, lapsus parat, foueas fodit, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, cogitationes suggerit, immittit iras dat virtutes odio, vitia dat amoris, errores serit, discordias nutrit, pacem turbat, affectus dissipat, conscindit vnitatem, sapit malum satis, bonum nil, violat diuina, humana tentat. Hinc vsque ad Christum tetendisse tentator temerarius sic refertur. *Et cum* Matth. 6.
ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit: & accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Audientes ista in Deum non vadant, non criminentur naturam, non contumelientur authori, non accusent carnem, de anima non quærantur, non improperent tempora, astris non imputent, infamare desinant innocentiam creaturæ, malum sentiant accidens, non creatum, & creatorem boni Deum, diabolum inuentorem mali, ac sic ascribat diabolo mala, bona Deo, declinent mala, faciant bona, habituri in bonis adiutorem Deum, qui dat posse quod iubet, & quæ præcipit, facit ipse quia sicut diabolus impellit ad mala, sic Deus deducit ad bona. Nemo ergo quasi concreatis sibi vitiis obsequatur, & quod est criminis, esse putet naturæ, sed sumat cum Christo arma ieiunij criminum propellat impetus, prosternat castra vitiorum, & de ipso authore mali sumat Christo dimicante victoriam, diabolo victo vitia nil valebũt: quia extincto tyrãno solutæ acies sunt tyranni. Audi Apostolum dicentem. Non est Ephes.
nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus spiritualia nequitię in cœlestibus, *Tũc* inquit, *Iesus ductus est in desertum à spiritu.* Non à diabolo, vt esset diuinus cursus, non humanus incursus, vt esset spiritus præsciẽtiæ, inscitia non esset humana: & esset potestas Dei, potestas non esset inimici. Diabolus semper primordia boni pulsat, tentat rudimenta virtutum, sancta in ipso ortu festinat extinguere, sciens quòd ea subuertere fundata non possit. Hoc non ignorans Christus diabolo se quærenti patienter indulsit, vt inimicus laqueo suo ipse teneretur: & caperetur inde, vnde capere se putabat, sicque à Christo victus, cederet Christianis. *Et cùm ieiunasset*, inquit, *quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Videtis, fratres quia quod quadragesimam ieiunamus, non est humana inuentio, authoritas est diuina, & est mysticum, non præsumptũ: nec est de terreno vsu, sed de cœlestibus est secretis. Quadragesima quatuor decades, quadratam fidei continet disciplinã, quia semper est quadrata perfectio. Quaternarius numerus & denarius quæ in cœlo, & in terra teneant sacramẽta, quia aperire modo nõ vocat, explicemus Domini cœpta ieiunia: *Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Homo, Deus in te ieiunat, in te esurit: imò ieiunat tibi, tibi esurit, qui sibi sicut nescit manducare, sic nõ potest esurire. Ergo cũ propter te

ieiunat

ieiunat Christus, te esurit. *Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.* Hoc non est infirmitatis signum, sed est insigne virtutis: quia cum dicit, postea esurit. Quadraginta diebus & quadraginta noctibus, probat in illo esuriem sentire: & vincere, est laboris humani: diuinæ virtutis est esuriem non habere. Ergo Christus non ieiunio lacessit, non esurit fame, sed esuriuit Christus, vt tentandi materiam diabolus inueniret, quia ad ieiunium non audebat accedere, quia sic ieiunantem, Deum non hominem sentiebat. Tunc sensit hominem, tunc mortalem credidit, tunc eum putauit posse tentari, quando eum esurire callidus explorator inspexit. *Et accedens tētator dixit,* Accessit tentantis dolo, non obsequentis affectu. Accessit peius impudens quam recessit, sed esurienti quid obtulerit, audiamus. *Dic vt lapides isti panes fiant* Lapides esurienti offert, humanitas talis est semper inimici: sic pascit mortis author, sic inuitus vitæ. *Dic vt lapides isti panes fiant.* Diabole, fallit te prouisio tua. Potest famem vertere in saturitatem, qui potest in panem lapides immutare. Quid illi consilium tuum, cuius sufficit virtus? *Dic vt lapides isti panes fiant.* Diabole, & non prodidisti, & tuum Dominū nō pauisti. *Dic vt lapides isti panes fiant.* Miser malus vis esse, sed non potes: cupis tentare, sed nescis: esurienti tenera offerre, non dura debuisti: famem non asperis palpare, sed blandis; inediam non horridis vrgere debueras, sed gulosis. Istis non modò Dei filium, sed hominis filium tu laqueare non posses. Ad præsentiam Christi deperire tibi artes tuas tentator intellige. *Dic vt lapides isti panes fiant.* Potest de lapidibus panes facere, qui aquas conuertit in vinum. Sed signa fidei sunt præstanda, non dolis: credenti danda sunt, non sunt danda tentanti & facienda sunt ad petentis salutem, non ad facientis iniuriam. Diabole, tibi vt quid signa, cum nil subuenit ad salutem? cui totum restat ad pœnam? cui & signa proficiunt ad ruinam? Sed accipe responsum vt te intelligas, & subiiciaris authori. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Audi patris verbum verba salutis nostræ esurire, non panem: & agere vt homo semper viuat cœlesti verbo, terreno pane non semper: ac si Deo viuat, vt sui nescius sit laboris: quia verè illa vita est, quæ sudorem nescit, dolores non habet, non habet finem.

DE EISDEM.
SERMO XII.

QVoniam ieiunij vernum, & tempus bellorum spiritualium cernimus aduenisse: sicut Christi milites, deposito corporis, animæque torpore virtutum procedamus ad campum: vt membra quæ sunt nobis hiemali otio mollita, exercitio cœlestiū roborentur armorum: dedimus corpori annum: demus animæ dies: impendimus nobis tempora: tempus deputemus authori: viuamus Deo paululū, qui sæculo viximus totum: seponamus domesticas curas Ecclesiæ maneamus in castris, vigilemus in acie Christi, somnum cubilium non quæramus, iungamur fortibus, ab amplexibus separemur mollibus, amor nos teneat triumphorum paruulorum non auocent blandimenta, auribus nostris insonet vox diuina, familiaris strepitus nostium non confundat auditum, cibus parcus de cœlesti sumatur annona, terreni luxus copiæ non quærantur, in poculis sobrietatis mensura seruetur, vires ebrietas non eneruet. De stipendiis quicquid exuberat, commilito pauper assumat: pestilens offusio nil perdat, in conflictu habebis auxilium, esurientem saucium quem cibabis. Sic muniti fratres, instituti sic, indicamus bella peccatis: statuamus criminibus pugnā, conflictū vitiis nunciemus, securi de victoria: quia nec arma cœlestia hostes poterunt superare terreni, nec diuino regi aduersa poterunt contraire mundana: nec in procinctu fidei constitutos præuenire poterit inimica subuersio, neque cautos vigilantes sobrios diabolus perturbare suis superuentionibus præualebit: certè neque nos taliter armatos publico conflictu prouocare audebit: dolis appetere nō præsumet. Animus in cœlesti specula perseueret: diaboli fraudulentas & occultas deprimat, & declinet insidias. Est quidem diabolus per se nequam: fit tamen nequior prouocatus. Audi Apostolum dicentem: Diabolus sicut leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Ieiunantibus nobis diabolus esurit, qui nostris semper saturatur ex culpis. Ille cibum nostrum deducit in crapulam: potum nostrum in ebrietatem diffundit: vt mentem faciat amentem, carnem luteam reddat, corpus animi domicilium, animæ vas, murum spiritus, virtutum scholam, Dei templum, in scenam criminum, in vitiorum pompā voluptatum redigat in theatrum. Capit ille satietatem, voluptatem percipit, expletur epulis quando nos luxus soluit, liquido stimulat prōpa rapit, impellit ambitio, vrget ira, furor implet, succendit inuidia, cupiditas inflammat, curæ sollicitant, lites vexant, lucra capiunt, vsuræ vinciunt, chirographa ligant, premunt sacculi, elidit aurum. Quando moriuntur virtutes, viuunt vitia, voluptas effluit, honestas perit, misericordia deficit, abundat auaritia, regnat confusio, succumbit ordo, prosternitur disciplina. Ista militant aduersum militem Christi: istæ sunt satanæ cohortes, istæ diaboli legiones, ista sunt quæ modum sepulchris obsederunt, debellauerunt populos, vastarunt gentes, orbem totum duxere captiuum. Ista sunt quibus nullus per se potuit obuiare mortalis: & ideo ad vincenda ista Deus venit ipse: cœli rex ipse descendit: ipse victor singularis aduenit, ieiunium quadragesimæ statuēs in procincta: vt quaterna decade ieiunij quadraturam mundi totam muro inexpugnabili communiret. Ieiunium, fratres, scimus esse Dei arcē, Christi castra, murum spiritus vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis trophæum. Hoc Adam seruauit in paradiso: quem inde detraxit gula. Hoc in arca custodiuit Noë, mundum ebrietas cum demersit. Per hoc Loth Sodomiticum restinxit incendium: qui per ebrietatē incesti est adustus incendio. Hoc Mosen diuini feruoris fecit lumine perlucere, quando comessatio & ebrietas Israeliticum populum simulacrorum tenebrauit erroribus. Hoc Eliam [illegible]uexit ad cœlum: quando Achab impium ebrietas ad inferna deiecit. Hoc Ioannem in natis mulierum fecit esse maiorē, quando temulentia Herodem principem imperio mulierum reddidit homicidam. Quadragesimæ ieiunium, fratres, vetustas diaboli prodidit, & patefecit insidias. Diabolus namque qui manducantem contempserat, Christum bibentem velut hominem computarat: vbi ieiunantem vidit, suspicatur Deū, Dei filium confitetur. *Si filius Dei es,* inquit, *dic vt lapides isti panes fiant.* Sic dicēdo diabolus hominē vult monstrare, non Deum; non cibum parare vult, sed vult amputare ieiunium. *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Post ieiunium, panem non diuina virtus, sed infirmatas humana disquirit, nec sic lacessit fame Deus, vt ad prouidendum sibi cibū, quod est suæ potestatis, addicat. Ex sequentibus ita-

1.Petr.5.
Gen. 3.
Gen. 7.
Exod. 2.
4.Reg. 2.
Matth. 6.
Matth.4.

quę diabolus apetit quid conetur. *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Satis hominem probare vult, qui non ascensum prouidit, sed ruinam: humana conditio ad ascensum difficilis, facilis inuenitur ad lapsũ. *Si filius Dei es, mitte te deorsum:* Erras diabole: nec tentare nostri: cadere non potest Deus. *Tunc ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si procidẽs adoraueris me.* O ausus diaboli, Deo dicit, adora me: sed sensit mox virtutibus Deum, pœnis iudicẽ, supplicẽ præmiis, quem quærebat: nam Christi nomine, nomine ieiunantis cœpit ab obsessis corporibus effugari, & dare tremens illi gloriam, cui superbus callidè irrogarat iniurias: ieiuniis vicit, vt nobis vincendi vires
Matth. 17. vincendi formam taliter largiretur. Hoc ait, genus, non eiicitur, nisi in ieiunio & oratione. Ieiunemus ergo fratres, si volumus imitari Christum, si volumus fraudulentas diaboli superare versutias.

DE EISDEM.

SERMO XIII.

ECce tempus quo miles procedit ad campum, recurrit ad Dei ieiunia Christianus. Ecce tempus quo carnis otia, quo mentis ignauia, quo ventris cura, & tota est familiaris obsequij deponenda torpedo. Ecce tempus quo in armorum cœlestium meditatione, animæ & corporis exercendæ sunt vires. Ecce tempus quo residente Christo, astantibus Angelis, nostra luctamini exercenda est fortitudo. Nunc est tempus quo gula cum ieiunio, abstinentia cum crapula, cum luxuria castitas, cum perfidia fides, pietas cum impietate, patientia cum furore, cupiditas cum libertate, misericordia cum auaritia, humilitas cum superbia, sanctitas cum reatu, Christo remunerante confligit. Si quis ergo spectante Deo, cœlesti resonante iam turba, angelico insistente occursu, cubiculi irretitur illecebris, eneruatus mollitie plumarum, resolutus in totum iugalibus blandimenti, ad exercitium virtutis venire neglexerit: perdit luctaminis prẹmium, virtutis gloriam, certaminis palmam, iustitiæ coronam, desertoris etiam crimine multabitur in futurum. Hodie fratres Christus rex noster commilitones suos de Euangelico allocutus est tribunali, indixit hostibus bella, promisit præmia pugnaturis, retulit bellorum causas inimicorum dolor prodidit, & conatus: vbi, & quando, & quomodo confligendum sit nobis triumphali constitutione signauit. Et quamuis solus possit obtinere victoriam, propter nos tamen, & nostram formidinem, adesse tota iussit præsidia de supernis. Qui ergò ista noluit audire, qui statuta regis nostri talia, & tanta scire contempsit, iudicate, si non ipse se exuit nostræ militiæ sacramentis, & cœlesti contubernio reddidit, & fecit extorrem. At vos, fratres, qui sequi vultis in hoc quadragesimæ ieiunio, ieiunij dominici formam, pugnaturos vos, sicut prædiximus, contra vitiorum turmas, contra acies criminum, contra informes concupiscentiarũ formas, contra dæmonũ totas aërias, totas diffusas & innumeras legiones, triumphaturos vos ex ipsis quæ dominicum ieiunium subsequuntur, tentationibus approbate. Vbi enim Dominus, quadragesimæ ieiuniũ indefesso illo virtutis suæ aggressus est documento, mox diabolus occurrit pugnaturus dolis: quia ieiunanti viribus obsistere non valebat. Quantum enim crapulationi dicitis dominatur, & ebriis, orantes timet tantum, tantum refugit ille ie-
Matth. 17. iunos, dicente Domino: Non eiicitur nisi in ieiunio, & oratione. Sed qua fraude diabolus tentare ausus sit, audiamus: *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Matth. 4. Audistis quid de ieiuniis ipse sentiat, & iudicet inimicus. *Si filius Dei es.* Videtis, quia iam non hominem, sed Dei filium credit, quem liberũ à ventris conspexerat seruitute. Sensit, sensit diabolus ieiunium cunctis virtutibus anteferri. Ioannem viderat vrbium delicias squalentis eremi habitatione mutasse, mollitiem carnis vestis aspirate calcasse, agresti cibo mundi totam frænasse luxuriam. Et quod solum deitatis insigne est, hominibus dimisisse peccata. Et tamen non ei dixit: *Si filius Dei es.* At vbi Dominum vidit iugiter ieiunantem, proclamat. *Si filius Dei es.* Errat diabolus, qui contra Dominum astutiæ suæ nequitias, & argumenta iaculatur. *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiãt.* Quid est quod ieiunãte Christo deitatis signa tota in sola panis promissione perquirit? Et quem Dei filium continua ieiunij significatione præsentit, esse Dei filium de prouisione panis, de cura ventris desiderat approbare? *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Quare non dixit: Si filius Dei es, dic vt homines, aut Angeli, aut aliquid aliud fiant, sed dic vt lapides isti panes fiant? Signum panis petit, qui signum ieiunij pertimescit. Signum panis petit, vt ieiunij tremendum sibi refugiat signum. Panẽ malus ingerit consolator, vt virtutem mutet, vt propositum violet ieiunantis. Sed videamus quid respõderit de pane, panis qui de cœlo descendit. *Non in solo pane* Deut. 8. *viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Quam verè viuit in verbo Dei, Dei verbum. Quam verè panis non indiget pane. Quam diuine lapides conuertit in homines, qui de lapidibus Abrahæ filios ad iudicium suæ maiestatis exsuscitat. Et Matth. 3. quia impudens inimicus nescit semel vinci, ad multiplicem vincentis triumphũ. *Statuit Dominũ super pinnaculũ templi, & ait: Si filius Dei es, mitte te deorsum.* O signum, mitte te deorsum: conuenientius dixerit, si filius Dei es, ascende ad cœlum: cum sit hominis vtique ad ima cadere, Dei sit ad superna conscendere. *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Sic suis suadet, sic suis prouidit semper: sic suos eleuat, vt de alto præcipitet validius in ruinam. *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Consiliis suis se diabolus prodit. *Mitte te deorsum.* Lapsus quærit, præcipitia imperat, & tali consilio per Africam martyres facit, sine clamore, dicendo, si vis martyr esse mitte te deorsum, vt eos impellat de alto ad mortem non de humili tollat, & eleuet ad coronam. Et sicut se diabolus consiliis suis prodit, ita responsione sua Dominus se reuelat, dum ait: *Non tentabis dominum* Deut. 6. *Deum tuum.* Se vtique Dominum, se vtique Deum intelligi voluit, hæc dicendo qui non de pinna tẽpli tantum se dedit ad terram, sed è cœlis ad inferos vsque iactauit, vt non cadentium forma, sed esset resurrectio mortuorũ. Aduertite fratres, si possit sæuus inimicus, quamuis sæpè victus, homini credere, qui audit & sentit Dominum Deum, & tamen adhuc tentare non desinit. *Posuit eum super montem excelsum, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & ait illi, hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me.* Hæc dicit, non quod possit dare, sed fallere: nec promissa conferre, sed ipsa auferre, promissionibus quæ habentur. *Hæc omnia tibi dabo.* Offert quæ Dei sunt Deo, authori quę authoris sũt, repromittit: suadet vt adoret ab omnibus adorãdus, & cæcatus ausibus suis ante iudiciũ iudici quemadmodum simplices deciperet, confitetur: cui Dominus non tam testimonio legis, quam diuinitatis suæ respondet imperio, *Dominum Deum tuum adora-* Deut. 6. *bis.* Tu Dominum Deum illum, cui genu flectunt Philipp. 2. omnia

omnia non solum cœlestia & terrestria, sed etiam inferna. Adorabis ergo tu in inferno stridens & eiulans eum, quem ad te adorandum modò temerarius deseitor inuitas. Itaque diabolus toties, & taliter repercussus à Domino circa nos seruos eius modò toto furore discurrit: & sic Christus milites suos, ita ille suos alloquitur, & armat ministros. Dicit ergo diabolus, tempus nos modo grauiter ieiunij obseruatione debellat, per gulam, per crapulam, per ebrietates, per luxuriam, homines attentare non possumus: armate lites, seminate discordias, excitate odia, concitate iras, inspirate mendacia, extorqueto periuria, suggerite blasphemias, vaniloquia diffundite, infundite dolos, conflate auaritiam, lucra turpia prouidete, vt quod venter modò ad luxuriam non dependit, vel sacculus claudat, & reponat ad pœnam. Cauete ante omnia ne misericordia, ne eleemosyna, ne humanitas præteritos labores nostros deleat, præsentes auferat, tollat futuros. Sed nos fratres, & nostri regis agnoscentes monita, & quæ diabolus suis mandauerit audientes, ieiunia nostra sine lite, sine clamore, sine ira, sine dolo, sine simulatione cum tota misericordia, charitate, pietate, peragamus: vt Dominus Christus, qui spretis pecorum cruentis victimis, spiritus contriti & contribulati cordis sacrificium requisiuit, cum silentio pacis ieiunij nostri hostias placatus & propitiatus assumat.

IN PSALMVM XL

SERMO XIV.

PRæliorum peritis militaris tuba personat disciplinam, imperitis tantum terrificum dat clamorem: vt magistra bellorum dat suis vires, hostibus dat pauorem. Qui sine tuba dimicat miles non est: fertur furore, non prælio: virtute non agit, sed periculo: quærit perire, non vincere. Hoc diximus, vt Christi miles intelligat, cœlestis quare promissa sit cantilena. Constituti in campo sæculi pugnam cum diabolo, cum vitiis sustinemus. Quoties ergo nobis intonat propheticus clangor, toties nos in pace cautos, & in acie fortes, & in prælio reddit inuictos. Namque hodie beatus Psalmista ad intelligentiam nos supernam conuocat per clamorem. *Beatus qui intelligit super egenũ & pauperem.* Et quæ est intelligentia, vbi est professa paupertas? Vis est intelligentiæ, si rimetur viscera, si deprehendat occulta, si tecta nudet. Verùm subiecta oculis, exposita in publico, ingesta rebus, non est intelligere, sed videre. Nuditate algidus, tabidus fame, siti aridus, lassitudine tremens, defectu luridus, quod egenus sit intelligere quis labor? Et si labor intelligentiæ nullus est, vnde est intelligentiæ fructus? Oremus fratres, vt ipse nobis intelligere intelligenda concedat, qui se intelligi in paupere, sic demonstrat: quod ipse qui cœlum tegit, sit nudus in paupere, quod in esuriente esuriat saturitas rerum, quod sitiat in sitiente fons fontium, intelligere quomodo non magnum est? quomodo non beatum intelligere, quòd ei sit ampla paupertas, cui angustum est cœlum? qui ditat mundum, quod egeat in egente? quod frustum panis, aquæ calicem dator omnium quærat? quod se Deus amore pauperis sic deponat, vt non adsit pauperi, sed ipse sit pauper? hoc cui videre dederit Deus, ipse videt. Sed quo modo aut in se transfuderit pauperem, aut se in pauperem fuderit, dicat ipse iam nobis: Esuriui, inquit, & dedistis mihi manducare. Matth. 25. Non dixit, esuriuit pauper, & dedistis illi manducare: sed esuriui ego, & dedistis manducare mihi. Si datum clamat quod pauper acceperit, se manducare dicit quod comederit pauper: quod bibit pauper, sibi testatur infusum. O quid agit amor pauperis, gloriatur in cœlo Deus: vnde pauper erubescit in terra, & hoc reputat in honorem sibi, quod pauperi computatur iniuria. Dixisse suffecerat, dedistis mihi potum, sed præmittit, esuriui, sitiui: quia paruus fuisset amor pauperis, quod pauperem suscepisset, nisi & passiones pauperis suscepisset: & certè verus amor non nisi passionibus probatur: Verus amor est fecisse suas angustiatis angustias: nimis est quod sapit Deo pauperis cibus, qui totius creaturæ bona non esurit, signatum se in esca pauperis prophetizat in regno cœli coram omnibus Angelis in conuentu resurgentium. Quòd Abel passus sit, quòd seruauit mundum Noë, quod Abraham fidem suscepit, quod Moyses legem tulit, quòd Petrus crucem resupinus ascendit, Deus tacet, & hoc clamat solùm quod comedit pauper. Gen. 4. Gen. 6. Genes. 15. Exod. 20. In cœlo prima est esurientis annona, prima stipendia pauperis tractantur in cœlo, erogatio pauperis prima diuinis scribitur in diurnis. Beatus cuius nomen toties Deo legitur, quoties ratio pauperis recitatur in cœlo. Sed istius beatitudinis audiamus & fructum: *In die mala liberabit eum Dominus.* Qui se nouit per mala sæculi vitam ducere, eleemosynæ semper secum auxilium ducat, ad præsidium sibi turmas pauperum vocet, in pastu pauperum largus prorogator exuberet, pauperum frequenter domum, non trepidet erogando, deficere nescit qui porrigit manum parcus acceptor: exhauriri thesaurus is non potest, de quo sufficit nummus. *In die mala liberabit eum Dominus.* In die mala illi Deus liberator assistet, qui à malis pauperem liberarit. In angustiis illum Deus clamantem audiet, qui pauperem cum clamaret, audiuit: Non videbit diem malum, qui dies bonos habere pauperem fecit. Videbit diem malum, qui diem iudicij sine aduocatione paupertatis intrauerit. Sine causa accusant peccata, quem pauper excusat. Excusari non potest, quem fames pauperis accusarit, *Dominus*, ait, *conseruet eum & viuificet eum.* Non dixit, conseruat & viuificat: sed dixit, conseruet & viuificet. Dixit, non vt denunciantis vox sit ista, sed rogantis. Qui audiuit rogantem egenum, ecce audit orbe toto pro se Ecclesiam sic rogantem. *Dominus cõseruet eum, & viuificet eum.* Conseruet, ne rapiatur ad pœnam: viuificet, vt resurgat à mortuis, & recipiat vitam. *Et non tradat eum in manus inimici eius.* Cuius inimici? nempe diaboli, ipse est inimicitiarum princeps: despicit inimicos, qui ipsum inimicitiarum calcarit authorem. *Dominus autem adiuuet eum super lectũ doloris eius* Exequitur Propheta omnes ærumnas fragilitatis humanæ. *Dominus autem adiuuet eum super lectũ doloris eius.* Quis est lectus doloris nostri, nisi corpus nostrum? in quo anima iacet, & iacet dolens, & dolet, quæ cœlum repetere cupiens premitur corporis terra. *Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.* Istum non versat in stratum, sed in strato versat infirmus. Caro ergo est, quæ versatur & versat. Ipsa est ergo qui in aduersis voluitur, in prosperis versat. Dominus ergo versat stratum nostrum, quando nobis aduersa vertit in prospera: & quia in lecto doloris, hoc est, in lecto corporis animus voluebatur ægrotus, ipse qui voluebatur, proclamat. *Ego dixi Domine miserere mei, sana animã meam, quia peccaui tibi.* Quia per consensũ carnis sentit animi se contraxisse langorẽ, vt anima sanetur, implorat: &

& misericordiam petit fidens, quia in paup rem misericor iam f cit. B atus qui fœnerando pauperi i p um sibi iudicem præstitit debitorem.

DE CENTVRIONE.

SERMO XV.

Aydituri estis hodie fratres, quemadmodum cohortis Romanæ Cẽturio dux factus est militiæ Christianæ, & meritò, quia ante cœpit, docere quàm credere. *Venit*, inquit, *Iesus Capharnaum, & accessit ad eum Centurio rogans, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Iesus, Ego veniam & curabo eum: & respondens Centurio, ait, Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus: nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, vade, & vadit, & alij, veni, & venit: & seruo meo, fac hoc: & facit.* Videtis Centurionem antequam discipulatus subiret officium, locum magisterij fuisse sortitum. Præbet enim petendi formam, dat normam credendi, fidei pandit causas, virtutum commendat exempla, qui nõdum Christianæ scholæ ingressus est disciplinam: *Accessit ad eum Centurio rogans eum.* Hoc est sapere, non rogare. *Puer meus iacet in domo.* Causas pueri quasi magister agit: verè Centurio, qui stipendia terrena centenarium cœli mutauit in fructum, & seruitutem militiæ sæcularis in diuinam sustulit dignitatem. *Domine puer meus iacet in domo.* Qui vocat Dominum, fatetur suam fideliter seruitutem. Et quomodo hic Centurio, qui sic agnoscit Dominum, puerum suum ausus est profiteri, quasi nesciens serui peculiũ ad Dominum pertinere? Aut ignorat communia, qui docet tam secreta, tam profunda? *Puer meus.* Meum dico, quia iacet: si tuus esset Domine, non
Psalm. 133. iaceret. Probat hoc Propheta, cum dicit: Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini, qui statis in domo Domini. Qui statis, non iacetis: ait, stant serui tui, hominum serui iacent. Puer meus qui iacet, vt tuus sit, surgat: meus, qui paralyticus: vt tuus sit, iam sanetur. Meus, quia malè torquetur: vt tuus sit, iam non sit in pœna Domine, tuos seruos non decet malis subiacere: iniuria est tua, tuorum pœna seruorum: tuos seruos possidere non debet vis malorum: serui tui etsi patiuntur mala, non patiuntur ad pœnam, sed subeunt ad coronas. Aduersa illis non sunt necessitatum causæ, sed sunt causa victoriæ. Serui hominum sunt, qui mala patiuntur inuiti: quia illis in desperatione sui domini nequeunt subuenire. Tu autem Domine, cui virtutes seruiunt, curationes parent, obtemperant sanitates, quomodo computabis seruum tuum, quem seruum tantorum conspicis esse morborum? Nota est circa malos bonitas tua: pietatem tuam etiam impij confitentur: clamant exteri misericordiam tuam. Hunc tuum dicerem, quem iacentem tua benignitas non requirit? *Iacet in domo, & malè torquetur.* Hinc est quod offerre eum, & offerre tibi, pœnæ non finit magnitudo: ne familiaris infirmitas publicè & dolori sit, & pudori. Mouit Centurio iudicem talia, & tanta dum perorat: & sic monuit, vt ad seruum suum cœli Dominum ipsum ire vellet, perficeret. *Ego* inquit Christus, *veniam & curabo illum.* Fratres non Centurio ad pietatem pietatis traxit auctorem: neque ad hoc ille ire compulit Christum, ad quod venerat Christus: sed Centurio magis sic sentire, sapere sic docetur, quare ad seruum in seruo venerit Christus: quare ad hominem in homine venerit Deus: vtique vt leuaret iacentes, elisos erigeret, solueret compeditos, & eos quos iam nemo nec afferre, nec offerre potera, ipse operis sui vector clementissimus baiularet. Sed iam quid responderit Centurio, audiamus. *Domine*, inquit, *non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Dedit debitum de humilitate responsum, & ipsum esse Dominum singulari pauore signauit, deducere dum veretur ad animæ suæ domum, ad secretum cordis sui, ad tectum suæ conscientiæ, ad penetrale mentis, in quo familia cogitationum incondita & confusa versatur: nec patitur aulam pectoris humani sine vitiorum strepitu in sinceritatis silentio permanere. Magistro ergo timore respondit: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Hinc est quòd Petrus vbi Christum rerum cognouit auctorem, exclamauit dicens: Exi à me Domine quia Luc. 5.
peccator sum. Sic eum Petrus exire à se rogat, quomodo Centurio eum ad se supplic t non venire: agit vterque ne indignitas hospitij in hospitis manet iniuriam. *Non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Hoc bene dictum esset, antequam Deus hospitium nostræ carnis intraret: at nunc quid sic Centurio t ctum suum Christum vetat intrare, quem totum videt intra tectum sui corporis iam manere? Fratres Centurio iam videbat in Christo corporis sui formam, sed passiones in illo sui corporis non videbat. Natus est in carne Christus, sed natus est de Spiritu sancto: accepit hospitium carnis, sed in aula Virginis, vt & veritas esset corporis humani, & de pollutione humani corporis nil haberet. Benè ergo Centurio tectum suum indignum indicat Christo: quia sub singulari tecto manebat nostri corporis Christus: iuxta illud Prophetæ, Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto, *Sed dic tantum verbo, & sanabitur puer meus.* Centurio iste cùm sine lege esset, nihil sine lege egit, dicit: *Dic tantum verbo.* Quia dictum erat, dixit, & facta sunt: Psal. 101.
Et si omnia perfecta sunt dictu, quomodo dictu so- Psal. 148.
lo vnius infirmitas non curetur? *Dic tantum verbo*, & sine verbo quid dicitur? Sed iste postulat verbum non de loquendi vsu, sed de virtute faciendi: verbum de quo dictum est: Misit verbum suum, & sa- Psal. 106.
nauit eos. *Dic verbo tantum.* Quia iste credidit in verbo omnes manere virtutes. Verbum tuum Domine sanitas est: verbum tuum vita est, verbum tuũ vbi accesserit, inde confestim fugit dolor, infirmitas mox recedit, verbum in quo Petrus cùm laxaret re- Luc. 5.
tia, piscium multitudinem cepit, sine quo & ignorantiæ noctem pertulit, & nullum fructum peruigil piscator inuenit. Domine, inquit, laborantes per totam noctem nihil cepimus, sed in verbo tuo laxabo retia. Et quasi non sufficeret quod de verbo egerat, verbo prẽstari posse quod postulat, rebus astruit, commendat exemplo. *Nam & ego homo sum sub potestate positus habens sub me milites, & dico huic, vade, & vadit: & alij, veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit. Nam & ego homo sum.* Hoc est dicere, tu Deus. *Sub potestate positus.* Hoc est, tu ipsa potestatum, potestas. *Habens sub me milites.* Hoc est, tu virtutes. *Et dico huic, vade, & vadit.* Hoc est, dic infirmitati, vade, & vadit. *Alij veni, & venit*, Hoc est, dic sanitati, veni, & venit. *Et seruo meo, fac hoc, & facit.* Ille puer meus erit & tuus seruus, cum receperit sanitatem. Audiat: quid audiat? Sanus Ioan. 5.
factus es, iam noli peccare: faciat iustitiam, vt liberetur à paralysi omnium peccatorum, & possit psallere cum Propheta: Conuertere anima mea in re- Psal. 22.
quiem tuam, quia Dominus benefecit tibi, quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu. Placebo Domino in

regione

regione viuorum. Fratres imitetur Centurionem, qui ad centesimum fructum desiderat peruenire. Ne ergo leuiter Centurionis huius prudentiam transeamus, hodie de ipso dicta sufficiant: quia mysterium permagnũ est, quo Iudæus geritur in figuram.

DE DVOBVS DÆMONIACIS, SERMO XI.

CHristus quod trãsfretat maria, quod loca circuit, non est res humani desiderij, sed causa est salutis humanæ. Ambulat Christus, non vt videret loca, sed vt homines qui variis casibus perierant, inueniret. Qui loca fecerat, quid noui videret in locis? Aut illi quid aberat qui vbique erat? vt homo videbatur in locis, sed vbique videbat, vt Deus: videbat vtique, & desperatos videbat, quibus ibat diuina remedia largiturus: ibat ad eorum curam, quibus humana iam defecerat cura: sicut hodierna probatum est lectione. *Cum venisset*, inquit, *Iesus trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam.* Lubet scisse, & vidisse Dominum, quid mali, quid periculi illis haberetur in locis: & ideo illuc esse, vt sic desperatis, afflictis sic miseris subueniret. *Occurrerunt ei duo dæmonia habentes, de monumentis exeuntes.* In monumentis sedem fecerant mortis authores. Attendite quæ sæuitia, quis furor, quæ rabies dæmonum erga humanum genus: quamuis breue tempus hominum ferre non possunt: contenti non sunt mori homines, sed viuos homines gestiunt sepelire: se sepulchris mandant, vt homines redigant in sepulchra: pascuntur cadaueribus, putredine saginantur: deliciantur fœtore, quibus tota voluptas est homines interire. Sed sentiamus quid machinantur fraudibus, quid moliantur malis, quorum crudelitas modũ non habet in aperto. Quid faciunt isti quando diuitias ostentant, vt auaritiam serant? vt inserant superbiam, pompam proponunt? singularitatem venditant, vt quod est communionis, excludant? vt iram nutriant, causas colorant? vt pietatem volent, affectibus dant querelas? philosophiam fingunt, vt faciant nihil scire homines plus quærẽdo? deos multos figurant vt Deus, qui vnus & verus est, nesciatur? *Occurrerunt ei duo, dæmonia habentes.* Quando ad duos homines dæmonia multa, ad vnum legionem totam significãt conuenisse: hoc ideo facit, vt doceat cauendos esse dæmones, non timendos, simúlque monstrat, quam sit potentia Christi singularis quod nomine solo Christi fugatur omnis dæmonũ multitudo. *Occurrerunt ei duo dæmonia habentes.* Exhibiti non volẽtes venerunt imperantis iussu, non suo ausu, attracti sunt inuiti, non sua sponte currentes: denique ad præsentiam Christi homines exeunt de monumentis, & versa vice captiuos faciunt, à quibus fuerant captiuati: sistunt pœnis, quorũ cruciatibus torquebantur: aptant ad sententiam, à quibus addicti fuerant iam sepulchris. *Occurrerunt ei duo dæmonia habentes sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam.* Videtis, quia dæmones venientibus ad Christum præcluserant viam: transitum denegarãt. Etenim dæmonum ista cura, ne ad Deum homines possint reditum inuenire. Non enim aliter possunt homines possidere, nisi eos ab auctoris sui societate subducant. *Ita vt nemo posset transire per viam illã.* Hinc est quòd Christus factus est via. *Ita vt nemo posset transire per viam illam.* Illam, non istam. Ego sum inquit, via. Vt ad viam per viam, ad Deum per Deum venientibus obsistere vis dæmonum non valeret: ad Deum nisi per Deum potest perueniri. Sed iam quid dæmones clamauerint, audiamus. *Quid nobis & tibi fili Dei?* Hoc est dicere: vitæ auctor quid tibi cum mortuis? habitator cœli quid tibi cum sepulchris? Odor paradisi quid tibi cum fœtore. Quos de cœlo deiecisti, quos de paradiso exclusisti, quibus nunc tollis vrbes, regiones habitabiles negas, permitte inhabitare nos vel sepulchra: & si nos persecutione tanta digni sumus, tu tanta non es dignus iniuria. *Quid nobis & tibi?* Quid? quod iudici, & reo: quod vindici, & pœnali: quod Regi, & desertori. *Quid nobis & tibi fili Dei?* Hoc dicunt possessori fures, hoc domino prædones, tenent spolia, prædam gestant: & quid sibi cum eo sit qui sua reposcit, interrogant. *Quid nobis & tibi fili Dei?* Quid? vt reddatis homines, mundum restituatis auctori: & veniente creatore sciatis vobis in creaturis amplius nil licere. *Quid nobis & tibi fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos?* Quid nobis & tibi? Et vobis cum hominibus quid? *Quid nobis & tibi fili Dei?* Agnoscunt, agnoscunt Deum, iudicem confitentur, clamant iudicium se debere, & de tempore præscribunt. *Quid nobis & tibi fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos?* Auctori temporum tempus opponunt. *Venisti ante tempus torquere nos?* De tempore sic quæruntur, quasi ipsum cum tempore fecerint, vt viuos condiderint in sepulchris: *Venisti ante tempus torquere nos?* tempus abscindit, præuenis mortem, sepelit viuos crudelitas immatura: & de tempore quæritur quasi ante tempus habere debuerit: & non vt exorta est mox puniri: de tempore causatur nequitia sæculi indurata. Malis patientia breuis est, bonis tarda vltio: quod læsis longum est, angustum est ad lædentes. *Erat*, inquit, *non longè ab eis grex porcorum multorum pascens. Dæmones autem rogabant eum dicentes, Si eiicis nos mitte nos in gregem porcorum.* Digna petit indigna seruitus. *Mitte nos in gregem porcorum.* De monumentis mitti se precatur in porcos nequitia: quia fœtores amittere nescit, sed mutare. *Mitte nos in gregem porcorum.* Cœnum petunt ruentes cœlo: post æthereas habitationes ambiunt volutabra porcorum. *Mitte nos in gregem porcorum.* Grex in gregem mittitur, vt producatur dæmonũ multitudo: vt appareat hoc duos portasse homines, quod numerositas no valuit sufferre porcorum. *Ait illis, Ite, at illi exeũtes abierunt in porcos: & ecce impetu abiit totus grex per praceps in mare, & mortui sunt in aquis.* Traditur vile pecus non pro voluntate dæmonum, sed vt tali facto innotescat, quomodo in homines sæuiunt, quomodo quærunt mortes hominum, qui sic porcos vt perderent, quæsierunt. Dæmones omne quod est, agitur, mouetur, viuit, ardent perdere, non habere. Ne quis ergo talis fieri homo præsumat, humano generi inimicitia vetus, fixa ira, malitia destinata est. Dæmones nisi vincti non cedunt, lædere non valent nisi iussi. Traditur ergo vile pecus, vt luceat dæmonibus in homines nil licere, quibus in porcos iussum est vt liceret. Nos ergo aut vitiis nostris facimus, vt illi accipiant potestatem nocendi, aut virtutibus subiecta nobis dæmonum colla Christo triumphante calcemus.

Ioan. 14.

DE DÆMONIACO. SERMO XVII.

VEnisse Dominum trans fretum in regionem Gerasenorum, & exeunti ei de naui statim occurrisse Marc. 5.

occurrisse hominem de monumentis habentē spiritum immundum, catenis & compedibus vinctum. Euangelico hodie sermone cognouimus, qui domiciliū haberet in monumentis. Auctor mortis, mortis incubat mansiones: & humanæ necis auidus, quos crudelitate sua occidere non potest, viuos gestit feraliter funerare: sæuit, furit interitus nostri auarus exactor: cui pœna est quod homo nascitur: quod tardius moritur, cruciatur: hominis hanc ipsam breuissimam vitam amandate horrida nititur per sepulchra: confusus hostis, & ad vtrumque peruersus ingerit sepulchris viuos, mortuis apponit cibos, mera fundit, vt & viuos enecet, & mortuos inquietet. Catenis & compedibus vinctus tenebatur homo: vinctus alieno crimine, & habitatoris scelere habitaculum innocens torquebatur. Diaboli culpa hominis redundabat ad pœnam: & prædæ miseriis prædo saginabatur inclusus: nec facientem, sed patientem miserabilis exponit inuidia. Huic morbo cupiens Dominus subuenire, transfretat mare: hoc est, fluctuantis mundi terminos corporis nostri nauigio transmittit, ad littora peruenit salutis nostræ repleta naufragiis, & regionem cæcis ignorantiæ tenebris infusam lucis suæ splendore perfundit, callidi hostis deprehensurus insidias: ipsumque principem nequitiæ spiritualis cum suis legionibus regia potestate fugaturus, vt tandem reddat liberos, quos diu tenuit potestas inimica captiuos. *Videns*, inquit, *Iesum à longè, cucurrit, & adorauit eum, & clamans voce magna, dixit: Quid mihi & tibi Iesu fili Dei summi? Adiuro te per Deum, ne me torqueas.* Ad nutum Christi conuersus est ordo pœnarum; ante latrocinante diabolo homo vexabatur innocuus: nunc homo currit, sed diabolus incurrit: inclinatur caro, sed immundus
Matth. 4. iacet, & prosternitur spiritus. *Cucurrit, & adorauit eum.* Quid est diabole, quem trina tentatione prouocabas ad lapsum, quem promissione regni vt te adoraret subdolus ambiebas, nunc tremens & miserandus prolaberis, & adoras? Ecce qui honores omnes regni promittebat & gloriæ, habitare fœtidis corruptione cadauerum reperitur in tumulis. Sic, sic iste decipit cum promittit: vt ad inferna secum pertrahat, cum de supernis se consolantes fallax promisso illudit. *Quid mihi & tibi fili Dei summi?* Nam & modo vt adulator, non vt deuotus & obsequens hic adorat, euadere cupiens pœnam, prædam perdere pertimescens. Credit infelix vt eum, quem tentatione vincere, quem muneribus nequiuit inflectere, possit adulatione pulsare: sed ille consueuit vinctos absoluere, reuocare captiuos, nec acquisitos, sed conditos à se sibi restituere terminos, hostem libera virtute percellere, nec factione pellaci inimicum suorum requirere possessorem. *Et clamans voce magna, dixit: Quid mihi & tibi Iesu fili Dei summi? adiuro te per Deum, ne me torqueas.* Quid agit? quid patitur fragilitas humana talibus & tantis subiecta miseriis? Ecce diabolus patrona voce hominis hominem petiturus inclamat: & tota membra hominis hosti suo suam militant in ruinam. *Quid mihi & tibi Iesu fili Dei summi?* Quid mihi & tibi? quod puniendo, & iudici: quod regi & desertori, quod inuasori & Domino. *Quid mihi & tibi Iesu fili Dei summi?* Si agnoscis filium, vtique non nescis hæredem? si hæredem nosti, hæreditatem rapere cur præsumis? *Adiuro te per Deum, ne me torqueas.* Timet tergiuersator, & simulat: fatetur filium, sed ne Deus intelligatur, solita arte contendit: adiurat Deum per Deum, vt alterum videri ipsum faciat, vt astantium decipiat & fallat auditum. *Interrogabat eum Iesus, quod tibi nomen est?* Interrogat, non ignorat, sed implet iudicem: seruat ordinem cognitoris, nomen interrogat, vt de conditione discutiat, iudicet de reatu, addicat de crimine, Deum se esse data sententia perdemonstret. *Respondit legio, quia multi sumus.* Christi interrogatio nostram ignorantiam sic depellit: nobis aperit quod latebat: ad vnum legio. Euidens est desidia militis, si deserat aciem, si gressum retrahat, si confligere pertimescat, vbi vnum numeroso hoste fortiorem peruidet esse captiuum. Ad præsentiam regis isti quid sunt, qui vt vnum, & nec dum tyronem caperent, toto cohortis suæ agmine conuenerunt? vbi essent, si vexillum ibi iam crucis, si Christi signa vidissent? Age Christiane, incede securus, manus tanta, & tam multa quæ sic metuit inermem, procul fugiet, si videat, si sentiat, si cognoscat armatum. *Deprecabuntur eum spiritus dicentes, mitte nos in porcos.* Vide vbi satanas sedem desiderat collocare, de sepulchris in porcos semel infectus putredine, habitacula fœtida & immunda perquirit: sordibus delectatur, & cœno, qui vtique semper fœtore criminum, & squallore pascitur vitiorum. Sed sic est odor eius tartareus & crudelis, vt eum nec porcorum natura sufficeret sustinere: denique demergi in mare, & fluctibus maluit deperire, quam eius immunditiam pati, & putredinem tolerare, aut quid possunt præsumere dæmones, qui nec porcos quidem contingere præualent, nisi eos potestas diuina permiserit? Miser est, qui relicto iudice, frustra carnificis requirit fauorem: qui nec vexare, nec parcere, nec minuere potest tormenta, nec addere: sed facit totum addictus ipse verbero ad ius, & arbitrium iudicantis.

DE SOCRV PETRI.

SERMO XVIII.

HOdierna lectione didicit attentus auditor, quare cœli Dominus, restaurator vniuersorum, terrenas & seruiles intrauerit mansiones. Sed nihil mirum, si ad omnia dignanter accessit, qui clementer venerat omnibus subuenire. *Cùm venisset,* inquit, *Iesus in domum Petri, vidit socrum eius iacentem & febrientem.* Videtis quæ res ad domum Matth. 8.
Petri inuitauerit Christum: vtique non discumbendi voluptas, sed iacentis infirmitas: non prandendi necessitas, sed salutis occasio, diuinæ virtutis opus, non humani pompa conuiuij. In domo Petri non vina, sed lachrymæ fundebantur: turbabat ibi familiam non cura conuiuij, sed cura languentis: febris ibi, non edacitas æstuabat. Vnde illuc Christus non epulas percepturus, sed vitam redditurus intrauit, Deus quærit homines, non humana, cælestia dare cupit, non concupiscit inuenire terrena. Christus ergo recepturus nos, non nostra quæsiturus aduenit. *Cùm venisset,* inquit, *in domum Petri, vidit socrum eius iacentem, & febrientem.* Ingressus in domum Petri Christus ad quod venerat, vidit, non aspexit qualitatem domus, non occurrentium turbas, non salutantium pompam, non familiç concursum: certè non ipsum præparationis ornatum, sed inspexit gemitum languentis: febrientis attendit incendium, vidit periculum desperatæ: & statim manus ad opus suæ deitatis extendit: nec ante ad humana discubuit Christus, quam mulier quæ iacebat, consurgeret ad diuina. *Tenuit,* inquit, *manum eius, & dimisit eam febris.* Videtis, quomodo dimittit febris, quem tenuerit Christus, vbi non

stat

ſtat infirmitas, vbi auctor ſalutis aſſiſtit: acceſſus illuc mortis nullus eſt, vbi viuificatoris ingreſſus eſt. *Tenuit*, inquit, *manum eius.* Quæ neceſſitas tangendi erat, vbi inerat ius iubendi? Sed Christus tenuit manum mulieris ad vitam, quia Adam de manu mulieris acceperat mortem. *Tenuit manum eius.* Vt quod manus præſumentis amiſerat, manus repararet auctoris. *Tenuit manum eius.* Vt acciperet indulgentiam manus, quæ carpſerat de morte ſententiam. *Et ſurrexit*, inquit, *& miniſtrabit ei.* Et Chriſtus mulieris indigebat obſequio, & mulieris prouectæ ætatis, ſenectutis ſummæ filiis aggrauatæ, ſic in domo Petri non erat vernula, non miniſter, non familiaris, non propinquus, certe non vxori quæ matris obſequium præueniret; & ad ſummam Petrus ipſe cauſas ſuæ verecundiæ non videbat, vt hoc anus, hoc ſocrus faceret magiſtro, diſcipulus quod debebat; Fratres Chriſtus ab illa humanum non exigebat obſequium, cui miniſterium diuinitatis impenderat: ſed miniſtrare illam ad indicium redditæ ſanitatis admiſit. Chriſtus ſic fugat morbos, vt vires priſtinas mox reducat: vbi curat ars, ibi infirmitatis reſidet laſſitudo: vbi ſanat virtus, ibi languor veſtigium non relinquit. Sed in hac lectione quid ſpiritualis intelligentiæ lateat ſi ſcire volumus, verborum floſculos non quæramus: qui maturitatis fructum quærit, deſpicit amœna camporum, violæ, roſæ, lilia, narciſſus, grati flores, ſed gratior panis. Quod eſt odor naribus, hoc eſt auribus ſermonis ornatus, quod dat panis vitæ, hoc ſcientia dat ſaluti. Seponenda eſt ergo eloquentiæ voluptas, quando ſcientiæ depoſcitur fortitudo. *Cùm veniſſet*, inquit,
Matth. 8. *Ieſus in domum Petri.* Ad domum Petri venit Chriſtus, vt domus Petri veniret ad Chriſtum, tunc ad domum Petri venit Chriſtus, quando habitacula noſtræ carnis intrauit. *Cùm veniſſet Ieſus in*
Matth. 2. *domum Petri.* Quæ eſt domus Petri? illa de qua dicit Dominus. Et tu Bethlehem domus Iuda, non es minima in principibus Iuda, ex te enim exiet dux, qui reget populum meum Iſraël. Vnde &
Rom. 8. Apoſtolus: Ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt Deus benedictus in ſæcula. *Cùm veniſſet in domum Petri, vidit ſocrum eius iacentem, & febricitantem.* Vidit ſynagogam iacentem in perfidiæ ſuæ tenebris, decumbentem ſub ſuorum ſarcina peccatorum: vitiis ad phreneſim vſque febrientem: & ideo tenuit manum eius; quia non tantum verbo, ſed & manibus Iudaicæ gentis operatur ſalutem:
Pſal. 75. audi Prophetam, Deus autem Rex noſter ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ. *Tenuit manum eius.* Vt antè Prophetarum ſanguine manus eius mundaretur, quàm miniſtrationis eccleſiaſticæ ſumeret ſacramentum. *Et ſurrexit & miniſtrauit ei.* Hinc eſt quod erecta eſt quæ iacebat, & miniſtrat Chriſto, dum ſanctificat manus ſuas modò in operibus bonis, quas antè malis operibus polluebat. *Veſpere*, inquit, *facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & eiiciebat ſpiritus verbo.* Hoc humanitùs quomodo intelligi poteſt, vt contempto die, veſpere multos & male ſancios ſalutis auidi ad ſalutis remedia baiularent? Sed veſpere eſt, cùm finitur dies ſæculi: mundus à luce temporum cùm declinat. Sero lucis redditor venit, vt nobis gentibus, qui in nocte venimus ſæculorum, diem redderet ſempiternam. *Veſpere autem facto, obtulerunt ei multos, dæmonia habentes.* Veſpere, hoc eſt, nouiſſimo tempore nos gentes offert Deo Apoſtolorum pia & ſolennis deuotio: & pelluntur à nobis dæmones, qui nobis idolorum cultus imperabant:
Pſal. 95. audi Prophetam: Omnes dij gentium dæmonia. Ignorantes enim vnum Deum innumeris diis ſeruiebamus ſacrilega & ſordidiſſima ſeruitute. *Et eiiciebat ſpiritus verbo.* Quia ad nos Chriſtus carne Rom. 10.
non venit, venit verbo: vbi ergo venit fides ex auditu, auditus per verbum, nos fecit liberos dæmoniaca ſeruitute: dæmones reddidit ex impia dominatione captiuos. Hinc eſt quòd dæmones ſub manibus noſtris torquentur imperantibus nobis, qui nos ſubiiciebant lignis, lapidibus adiiciebant, & vacuas quotidie figuras inani timore vexabant. Modo eſt fratres, ne nos infidelitas ad eorum reuocet ſeruitutem: non laqueemur auguriis, non diuinatione fallamur, non capiamur ſortibus, non à manibus inducamur, non ſeducamur mortibus, non peſtibus anhelantibus captiuemur, ſed nos, noſtróſque actus commendemus Domino: committamus patri, credamus Deo, quia tempus hominum ſicut Deus agit: & ideò ſicut pater actus dirigit filiorum, & vt Dominus curam familiæ non relinquit.

DE SCRIBA CVI CRISTVS ſequi ſe non permiſit.

SERMO XIX.

Hodie Euangeliſta ſic cœpit, *Videns*, inquit, *Ieſus turbas multas circa ſe, iuſſit ire trans fretum.* Quoties circa Dominum ſe indocilis turba diffundit, & iactatur in conſcientiæ procella, quietem deſerit, petit fluctus, portum deſerit, naufragia intrat, ad excelſa contendens mergitur in profundum, tunc Chriſtus hoc mare talibus turbatum turbis transfretari iubet. *Videns*, inquit, *Ieſus turbas multas circa ſe, iuſſit ire trans fretum.* Non vt fugeret homines qui hominum venerat ad ſalutem, ſed inſipientibus inducias dat credendi: errantes vt reuertantur, expectat, patientiam præbet, & veniam, qui non vult proferre ſententiam: ſuſtinet contumaces qui vult non perdere, ſed ſaluare quod fecit. *Accedens*, inquit, *vnus ex Scribis, ait illi, Magiſter ſequar te quocunque ieris*, Decipit, non accedit, qui promittit Dominum incautè ſequi. Sed ad omnia poſſe quis promittit? Dixiſſet cautius, ſequar te quocunque iuſſeris: humanius certe, quocunque volueris. *Sequar te quocunque ieris.* Sic dicit qui inter ſe & Dominum quid interſit, ignorat: ſic dicit qui Chriſtum Deum non intelligit, ſed magiſtrum. *Sequar te quocunque ieris.* Petrus per mare ſequitur, ſed ſubmergitur: ad paſſionem ſequitur, ſed negat. Et ſi Petrus ſic deficit, ſic ſuccumbit ad pauca, iſte quis eſt qui ſe ad omnia ſequi Dominum ſic promittit? *Sequar te quocunque ieris.* Sic dicit iſte, quaſi poſſet cum Chriſto ſubire conflictum, ignominiam crucis adire per gloriam, intrare mortis arcem, mortem mortificare, per mortem penetrare ignotos tartari ſinus, dirumpere inferni vincula, ſæculis iam duratas animas oblitas ad lucem propriè reuocare per corpora, concutere terram, ſaxa ſcindere, ſepulchra reſerare, educere ſepultos ab inferis, teſtes ſuæ reſurrectionis afferre. Adhuc adiiciat iſte ire quocunque vadit Chriſtus, ſuperſedeat humeris Angelorum, conſcendat cœlos, conſideat patri, apicem teneat omnium cœleſtiū dignitatum, ad iſta Chriſtum, ad hæc Dominum, ſcriba ſtultus, ſuperbus vernula ſequi ſe Dominum cur promittit? Sed accipit à Chriſto tam dignum pro tanta præſumptione reſponſum. *Vulpes foueas habent, & aues cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.*

Quid est hoc? Vulpes viribus infirma, calliditate potens, inuentrix doli, fraudis artifex, simulationis magistra, simplicitatis vacua plena strophis, auium domesticarum prædo, tectis familiaribus inimica: meritò hanc Christus in typum format Herodis principis Iudæorum, qui pristinæ libertatis oblitus, sub Romana potestate consistens, dominabatur arte, calliditate regnabat, imperabat fraude, præsidebat dolis, simula ione pollebat: & quia ab exteris gentibus non valebat referre prædam: familiarem plebem, vernaculos populos, velut aues domesticas deuorabat. Probat hoc Christus quando
Luc. 13. Herodi mandat. Ite, dicite vulpi illi. Verè vulpi,
1. Cor. 2. qui regnum dolis rapit, quod nec nascendo meruit, nec viuendo. Hic ergo Herodes in cordibus Scribarum vsque ad necem Christi foueas sibi suorum scelerum collocauit: nec reliquit locum vbi Christus caput suum quod Deus est, reclinaret. *Vulpes foueas habent, & aues cœli nidos.* Aues hic quoque appellat dæmones in aëre volitantes, qui & ipsi in pectoribus Scribarum malitiæ suæ nidos fecerunt: vbi tota nequitiæ suæ germina procrearent. Hinc est quod vbi se diabolus Iudæ animo immiscuit, mox & concepit doli fructum, & crimen peperit proditoris. Videtis, quia Scribam Christus non repulit volentem, sed fingentem prodidit, & horruit præsumentem. Aut quare Christus, aut quare pietatis auctor largitor salutis, istum venire volentem prohiberet, qui mox alium discipulum ire cupientem retinuit, ne abiret? *Alius*, inquit, *discipulus ait, Domine, permitte mihi primum ire, & sepelire patrē meum. Iesus autem ait illi, sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Nūquid sic Christus negat vltimū pietatis obsequium? vetat extremum munus parentibus quod debetur? Non pietatis obsequium negat, sed diuinā præponit humanis affectibus seruitutem, audite quid discipulus dixerit *Permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum.* Hoc ei non primum esse debuit, sed secundum: terrenus pater cœlesti postponendus est patri. *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Hoc est dicere, me sequere ad contumeliam passionis, vt mecum possis ad resurrectionis gloriā peruenire. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Fidei filius ad domum perfidiæ cur rediset? Salutis proles perditum cum perditis cur defleret? Resurrectionis pignus ad sepulchra genitoris quid curaret. *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Quomodo mortui sepeliūt mortuos suos.
Ioan. 14. Fratres, ipse dixit. Ego sum vita. Quod est anima corpori, hoc est animæ Christus, sine anima corpus non viuit, non viuit anima sine Christo: recedente anima mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis horror, & omnia visu detestanda succedunt: discedente Deo, confestim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conscientiæ vermis, vanitatum cinis, infidelitatis horror, & fit in corporis sepulchro viuo funus animæ iam sepultum. Accedebat ad causam, quod cadauer perfidiæ perfidis agebatur obsequiis & impietatis ministerio pietas curabatur. *Ingressus*, inquit, *Iesus domum principis, vidit symphoniam.*
Matth. 9. Nunquid tales piaculum de pietate non faciunt, qui ad luctum musicam, ad funera suorum extranea lamenta conducunt? vbi vero planctus non est, ibi est empta & mercenaria cantilena. Mortuum non artifex fistula, sed simplex plangit affectio. Christus ergo discipulum suum non deesse voluit exequiis paternis, sed prophanis luctibus noluit interesse.

DE SEDATA MARIS tempestate.

SERMO XX.

Ecclesiasticæ lectiones sic diuino dispensantur arcano, vt & peritis scientiam conferant altiorem: & principibus salutaris intelligentiæ gratiam largiantur. Ascendente, inquit, in nauiculam Christo, fecisse motum magnum refertur ausa tempestas. *Ascendente, inquit, eo in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius, & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus; ipse autem dormiebat.* Mare quod pedibus Christi tumentia terga submisit, strauit in planta vertices suos, motus frænauit, astrinxit fluctus: & per liquentem viam saxa soliditate seruiunt, modò quid est quod vsque ad periculum sui sæuit, contendit auctoris? quid ipse Christus futurorum præscius, præsentium sic videbatur ignarus, vt instantem procellam, tempestatis horam, tempus periculi non caueret: vigilantes omnes tunc solus teneretur in somno, quando imminebat sibi, suisque tam grande discrimen? Fratres, gubernatoris peritiam non probat temperies serena, sed procellosa tempestas: blandiente aura, nauim regit vltimus nauta, in confusione ventorum, primi quæritur ars magistri. Hinc est quod discipuli posteaquam viderunt sibi industriam nauticorum deperiisse, in se maria sæuire, se fluctus petere, aduersum se ventorum turbines conuenire: ad ipsum gubernatorem rerum, vectorem mundi, elementorum magistrum trepidi confugerunt, petentes, vt sedaret fluctus, periculum submoueret, salutem redderet desperatis. Denique vbi iussione sola repressit mare, recussit ventos, tulit turbines, dedit quietem, nauigantes ipsum esse omnium sentiunt, credunt, fatentur auctorem. Sed iam quod intus est proferamus. Vbi Christus Ecclesiæ suæ nauim mare sæculi transfretaturus ascendit, Gentium flabra, Iudæorum turbines, persecutorum procellæ, vulgi nubes, dæmonum nebulæ sic ruerunt, vt totius mundi fieret vna tempestas: Regum spumabant vndæ, feruebant vndæ, feruebant potestatum fluctus, sonabat rabies traditorum, populorum gurgites rotabantur, perfidiæ notabantur scopuli, mugiebant littora Christiana, lapsorum naufragia vexabantur, & erat totius mūdi vnum discrimen, vnumque naufragium. *Tunc discipuli accedunt ad Dominum, & suscitauerunt eū, dicentes: Domine salua nos perimus: & dixit eis Iesus, quid timidi estis modicæ fidei?* Suscitatus ergo à discipulis Christus, mare, hoc est, mundū, corripit: tranquillat orbem, reges mitigat, potestates placat sedat fluctus, componit populos, Romanos efficit Christianos, ipsosque executores verbi Christianæ fidei reddidit, qui fuerant persecutores nominis Christiani. Hanc tranquillitatem seruant principes Christiani, Ecclesia tenet, habet Christianitas, gētilitas admiratur. *Tunc, inquit, surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Porro homines illi mirati sunt dicentes, qualis est hic, quia & venti & mare obediunt ei.* Discipuli sunt hi, qui accedunt ad dominum, qui suscitant eum, qui saluare se humili supplicatione deposcunt: homines verò dicuntur, qui elementa Christo taliter obedisse mirantur. Verè homines sunt, & sæculi homines, qui mirantur ad obedientiam Christi mundum sic esse conuersum, qui templorum vertices velut vndarum tumores stupent sic esse deiectos,

Matth. 8.
Ioan. 6.

qui

qui idolorum spumas, dæmonum vident turbines sic fuisse: quos attonitos reddit Christiani nominis toto orbe profunda & diffusa tranquillitas. Et verè fratres, dormiente in morte Christo, in Ecclesia magna est exorta tempestas: resurgente à mortuis Christo, Ecclesiæ reddita est, sicut scriptum est; tranquillitas magna. Modo nos dormientem in nobis Christum toto præcordiorum gemitu, fidei voce, Christianis lachrymis, ploratu alto, apostolicis clamoribus excitemus, & dicamus: *Domine salua nos perimus.* Et quia lectio aptè tempori conuenit, & sicut scriptum est: Aquilo durus ventus, nomine autem dexter vocatur: qui nobis gente sic feras, sic amaras aduectat: hic ergo Aquilo ventus durus per dextrum, per Africam, per per Austrũ, per Eurum diffundit se Christi turbine, maria confundit, delet aëra, montes deiicit, sorbet vrbes, prouincias mergit, totius orbis stratum cogit vnum esse naufragium. Hinc est quod nauicula Christi nunc tollitur ad cœlum, nunc in trepidationum ima descendit, nunc Christi regitur viribus, nunc formidine iactatur: nunc operitur fluctibus passionum, nunc confessionum remigiis enatat. Sed nos fratres iterum atque iterum clamemus. *Domine salua nos perimus.* Et reuera fratres, si essemus vnum, & humanum corpus, si eos qui pereunt nostra esse viscera crederemus, afflictione ieiunij, precum gemitu, effusione fletuum, iugiter clamaremus: *Domine, salua nos, perimus.* Et studeremus nobis in nostris fratribus subuenire: nec furente gladio sanguinis nostri mare videremus in terris, nec tanta corporum, sed nec animarum iam naufragia sentiremus, atque humili voce precaremur. *Domine, salua nos perimus.* Nec tamen vlla compassio, pietas vlla, vllus pauor, quicumque pudor nos, vel compunctio exsuscitat ad dolorem Dei. Dei est quod vrgemur malis, quod verberamur semper, quod gentes valent, quod ruit grando, quod rubigo insicit, quod impietas potest, quod dominantur morbi, quod sæuit mors, quod tremit terra: nos tamen nec tremimus, nec timemus, nec declinamus à malis, nec appetimus bona. Auaritia furit, anhelat pompa, iniquitas placet, aliena delectant, sed nostra pereunt: Dei flagella veniunt, sed nostræ prouocant culpæ. Si Deus iustus, vtique nostri misericors. Fratres reuertamur ad dominum, vt reuertatur ad nos Deus: renunciemus malis, vt respondeant bona: seruiamus Deo bono, vt non malis gentibus, & potestatibus iniquis seruiamus, Christo Domino, ac gubernatore nos auxiliante, honor cuius & maiestas sine fine permanet in sæcula sæculorum, Amen.

Prou. 27. Iuxta LXX.

DE EADEM.
SERMO XXI.

QVoties Christus nostra dormit in naui, & ignauiæ nostræ somno soporatur in corpore, irruit procella tota confusione ventorum, sæuiunt minaces vndæ, & dum spumosis fluctibus sæpius eleuantur & decidunt, amara nauigantibus gignũt expectatione naufragia: sicut præsens Euangelistæ lectio declarauit, dicens: *Et ait illis Iesus illa die, cùm sero esset factum, transeamus contra, & dimittẽtes turbam, assumunt eum, ita, vt erat in naui. Et ait illis Iesus illa die.* Qua die? illa nempe qua iuxta Isaiam, consurgit confringere terram: illa die, qua tota mundanæ lucis claritas vesperascit: illa, qua imminente tentationum nocte crebrescunt imagines fugiendæ vanitatum. *Cum serò esset factum.* Serò tunc est, cùm tempus extremum & hora nouissima sensibus humanis confusiones rerum nunciant, quæ procedunt. *Transeamus contra.* De terrenis ad cœlestia: de præsentibus ad futura. Et bene contra, quia diuina semper contraria sunt humanis: dum ista subiectos attrahunt ad fragilitatem, ad virtutem illa qui sequuntur attollunt. *Et dimittentes turbam.* Dimittunt turbam, qui popularem auram & vulgum deserunt incerto semper iudicio peruagantem: neque addicti rumoribus humanis à virtutis itinere retardantur, sed de bono conscientiæ stabiles, & securi laudum, & derogationum mendaces fluctus Christo comitante pertranseunt. *Et assumunt eum,* inquit, *ita vt erat in naui.* Quid hoc? Aliter est Christus in cœlo, aliter habetur Christus in naui, aliter in maiestate patris, aliter in hominis humilitate sentitur, aliter coæternus patri, aliter ætatum nostrarum gradibus cernitur temporalis, aliter nostro dormit in corpore, aliter in sui vigilat spiritus sanctitate. *Assumunt eum, ita, vt erat,* inquit, *in naui.* Laus fidei est, ita Christum recipere vt est, & habetur iu naui, hoc est in Ecclesia: vbi natus, vbi adoleuit, vbi passus, vbi crucifixus, vbi sepultus, vbi ascendisse in cœlum, patris ad dexteram consedisse, vnde viuorum & mortuorum iudicem esse venturum singularis salutis est confiteri: qui taliter in naui nostra Christum confessus assumpserit, etsi tunditur fluctuum scandalis, non tamen periculis mergitur, & operitur vndarum. *Et facta est,* inquit, *procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt adimpleretur nauis.* Et facta est procella magna: non ausa est explorare domini dormientis virtutem, sed discipulorum pulsare fidem, timorem prodere, vt auctori suo quantum seruitutis deberet, ostenderet: *Et erat,* inquit, *in puppi dormiens.* Ad dormientem confugiunt vigilantes: & credunt obsistere sæuientibus elementis eum, cui somnum dominari sua compassione conspiciunt: contemplantur irruisse taliter humanæ necessitatis soporem, vt nec fragore maris, nec clamore fluctuum, ne extremo imminente naufragio potuerit suscitari. Et vbi est illud: Ecce non dormitabit, neque obdormiet, qui custodit Israël? Per se non dormit, neque sibi dormitat maiestas expers lassitudinis, quietis ignara: sed totum per me mihi agit, qui quoties speciẽ sui actus, sui vultus immutat, toties nostrarum varietates arguit, & culpas animarum: audi Propheram dicentem, Palpebræ eius interrogant filios hominum. Videte quemadmodum Dei oculi clauduntur, ne videant eos, vt vindicent, qui delinquunt: Auerte inquit faciem tuam à peccatis meis: & iterum patent, vt currentes incitent, lassescentes erigant, respiciant supplicantes. Hic ergo Domini somnus explorat discipulorum fidem, dubitationem prodit, & modicæ eos crudelitatis aperit esse, qui non modo in se tantum, sed in ipsum authorem credunt posse elementa consurgere. *Fluctus,* inquit, *mittebat in nauim.* Quia dominicam nauem, quantum extrinsecus quatiunt, & infundunt vnde gentium moles: tantum intrinsecus tumidi hæreticorum irruunt & desæuiunt fluctus. Hanc tempestatem beatus Paulus se pertulisse declarat, cùm dicit: Foris pugnæ, intus timores. *Ita vt adimpleretur nauis.* Meritò spumosis fluctibus Euangelista refert fuisse nauem repletam: cùm tot penè hæreses Ecclesia patiatur, quot diuinæ legis legimus esse quæstiones. *Et erat, ait, ipse in puppi dormiens super ceruicale, & excitãt eum, & dicunt ei, Magister, non ad te pertinet; quia perimus? & exurgens, comminatus est vẽto, & dixit mari: tace & obmutesce, & cessauit ventus, & facta* est

Marc. 4. Isai. 2. Isai. 24. Psalm. 12. Psalm. 10. Psal. 50. 2. Cor. 7.

eſt tranquillitas magna. Et ait illis, quid timidi eſtis? necdum habetis fidem? Dum factum pandit lectio; tempus commendat exemplo. Siquidem magna & ſatis grauis imminet procelloſa tempeſtas, dum ſe vndique furens, ac pernicioſus ingerit turbo ventorum: maria mugiunt: ipſæ quoque inſulæ funditus ſubruuntur, & triſti ſonitu littora vniuerſa feriuntur. Sed quia, vt diximus, Chriſtus noſtra dormit in naui, accedamus ad eum magis fide, quàm corpore: & pulſemus eum plus opere miſericordiæ, quam deſperantium tactu: ſuſcitemus non inſolenti ſtrepitu, ſed clamore ſpiritualium canticorum: non murmuratione improba, ſed ſupplicationa peruigili: demus Deo aliquid temporis vitæ noſtræ, ne totam diem infœlix iſta vanitas & ſolicitudo miſeranda conſumat: ne noctem totam pernicioſus ſomnus & inanis ſopor expendat, ſed itidem pars diei & noctis ipſi temporum deputetur authori. Vigila homo, vigila, habes exemplum, vt quod tibi gallus impendit hoſpiti, tu tuo exhibeas creatori, præſertim cum tibi ille inſonat profuturus, cum te ad opus ſuſcitat, cum diem nunciat iam vicinum: quantò magis hymnis cœleſtibus te Deum
Eſai. 26. de ſuperna ſede tuam ſuſcitare conuenit in ſalu-
Iuxta LXX. tem, audi Prophetam dicentem: De nocte ſpiritus
Pſal. 76. meus vigilat ad te, Deus. Et Pſalmiſta: Manibus meis nocte coram eo, & non ſum deceptus. Dei verò tria tempora idem Pſalmiſta Deo admonet depu-
Pſal. 54. tanda, dicens: Veſpere & mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam. Per quæ
Daniel. 6. tria tempora dum Daniel Deo ſedulus ſupplicaret, impetrauit non ſolum præſcientiam futurorum, ſed & captiuæ diu gentis ſuæ meruit libertatem. Dicamus ergo quod Propheta: Exurge, quare ob-
Pſalm. 43. dormis, Domine? Exurge, & ne repellas vſque in finem. Dicamus cum Apoſtolis: *Magiſter non ad te pertinet, quia perimus?* Et verè magiſter, quia non ſolum factor eſt omnium elementorum, ſed etiam moderator & rector eſt; qui cùm nos audierit, cùm fuerit euigilare dignatus, planabuntur vndæ, & tumidi fluctus ſternentur, & colles: venti diffugient, peribit procella, & tempeſtas iſta quæ imminet, & magna tempeſtas in tranquillitatem maximam commutabitur.

DE TERRENORVM CVRA deſpicienda, deque ſeruo vigili.

SERMO XXII.

PRæmia ſtatuuntur his ſemper quibus certamina dura proponuntur, ac pro magnitudine certaminis, præmij proponitur magnitudo. Hinc eſt quod diſcipulis ſuis Chriſtus regnum ponit in præmio, vt in certamine non cedant periculis, non timori: pericula deſpicit, qui tendit ad regnum: victoriæ cupidus neſcit timere. *Nolite timere*, inquit, *puſillus grex: quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum.* Grex puſillus mundo, magnus Deo: puſillus, quia glorioſos vocat eos, quos inſtituit ad ouium innocentiam & manſuetudinem Chriſtianã; puſillus grex eſt, qui non de magno minuitur, ſed creſcit de puſillo: puſillus grex naſcentis Eccleſiæ ſic deſignat infantiam, quam venire ad regni ſui infulas incrementis cœleſtibus mox promittit. *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum.* Adiecit quid faciendum ſit regnaturis. *Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam: facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt: theſaurum non deficientem in cœlo.* Vendite quæ poſſidetis: non poteſt dominari omnibus, niſi is qui propriis non tenetur: deiectæ mentis eſt, qui familiaris rei meminit cum vocatur ad regnum: iacens animus plebeius nummulum theſauris regalibus anteponit: pauper ſenſus paruis incubans, perdit magna: & inhians temporalibus, deſerit ſempiterna. *Vendite*, inquit, *quæ poſſidetis, & date eleemoſynam, facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt: theſaurum non deficientem in cœlo.* Homo tali monitu Chriſtus te ditare voluit, non nudare: manere tibi tua voluit, non perire: perpetuari, non vacuari ſacculos imperauit: iuſſit te transferre, non perdere. *Theſaurum non deficientem in cœlo: quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit.* Plus conſilio patris agit, quam iure dominantis: inter inſidias latronum & tinearum morſus, quare tua recondas, obiurgat: peruigiles noctes, dies anxios, ſolicita tempora, ne tibi ipſe facias, commoneris. Auri cuſtos, ſeruator argenti, ſecuritatem non habet: neſcit quietem: & cui deeſt ſecuritas, quies perit:
pœna diues eſt ille, non ſenſu. *Theſaurum non defi-* Ioan. 14.
cientem in cœlo. Hoc eſt dicere, vbi ego ſum, ibi ponite: date mihi: ergo ſeruo. Homo dat patri, credo Deo: quia & hæredi pater, & Deus homini creditum non negabit: tenere tua non poteſt, quia ſua dedit. An humanis indiget, qui diuina largitur? an eſt noſtrorum cupidus, qui nos ſuorum fecit hæredes? certè quibus regnum contulit, quid negabit? O homo ſi ſic permanſurus es, quæ tua ſunt hic repone: ſi illuc iturus es, hic quæ tua ſunt cur derelinquis? Qui relinquenda ſeruat, alienorum cuſtos eſt, non ſuorum. Si in hac vita, qua peregrini ſumus, viuimus, & modicum temporalem eſſe pauperem dolet, triſtem, inhonorum eſſe: quale eſt in perpetua patria inter æternos ciues, de contemptu dolorem, de ignobilitate pœnam, de nuditate opprobrium ſuſtinere: & nunc addici pœnis, quando alij promouentur ad regnum? quando pauper ducitur ad conſeſſum Dei, & diues trahitur ad conſortium punitorum? Heu quàm lamentandæ vices, quando deſperati pene homines poſſidebunt ſpem diuinam; & humanis boni præditi bonis cœleſtibus fraudabuntur. Et hoc facit theſaurus, qui cor hominis, aut per eleemoſynam leuat ad cœlum, aut per auaritiam demergit in terram. Et ideo dixit: *Vbi enim theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit.* Homo mitte, & præmitte theſaurum tuum in cœlos, ne cœleſtem animam demergas in terram. Aurum de profundo terræ, anima ab excelſis cœli. Melius proinde eſt ad ſedem animæ deferri aurũ, quam in ſepulchro auri anima demergatur. Exutos ergo totis diuitiarum curis, & iam per omnia expeditos militare ſibi in ſæculo iubet, quos regnare donauit in cœlo. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum quando veniat à nuptiis.* Sint lumbi veſtri præcincti: ibi præcingenda eſt virtus, vbi voluntas eſt comprimenda. Neſcit vincere vitia corporis, virtutis cingulum qui deponit Chriſti ergo caſtitatis baltheo, quod eſt inſigne militiæ Chriſtianæ, fluxam carnis detruncemus ignauiam: & regis noſtri expectatione peruigiles, inſomnam ſomnum ſæculi neſciamus.
Non dormiunt, inquit, niſi cùm male fecerint. *Et* Prou. 4.
lucernæ ardentes in manibus veſtris. Beati, in quorum manibus bonorum operum lucent lucer-
næ. Sic enim luceat lux veſtra coram homini- Matth. 5.
bus, vt videant bona veſtra opera, & magnificent patrem veſtrum qui eſt in cœlis. Et vt lucerna ante oculos, opus bonum in mentibus ſic refulget. Non portanti tantum lucerna lucet, ſed multis,

&

& opus bonum dum facto in vno lucet, multos illustrat exemplo. Lucerna repellit noctium obscura, opus bonum malitiæ fugat tenebras. Accendamus lucernam bonis operibus in manibus nostris, si volumus coram Domino & hominibus nos lucere. *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando veniat à nuptiis.* Quia semper nuptiis amicæ sunt faces: luminum testimonio celebrarur castitas nuptiarum. Sicut enim fugit lucem, illicita qui præsumit, sic multiplici coruscat in lumine, licita qui requirit. *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando veniat à nuptiis.* Homines sunt, qui more debitæ seruitutis indefessis excubiis aduentum sui domini præstolantur: qui verò sic ventri seruiunt, vt diuinam nesciant seruitutem: & de carnis voluptate soliciti solicitudinem occursus dominici perdiderunt, homines non vocandi sunt, sed iumenta. *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando veniat à nuptiis.* Ex quo ad desponsandum suam Ecclesiam Christus aduenit, thalamus ornatur sponsæ: & ornatur auro fidei, argento sapientiæ, virtutum gemmis, sanctitatis velis verecundiæ rosis, liliis castitatis, pudoris violis: & ad alta cœli pudicitiæ templum, fastigium virginitatis attollitur: nec desunt Psalmorum citharæ, prophetica organa, Apostolorum voces, totæque symphoniæ cœlestium nuptiarum. Satis seruus somni est qui tali & tanto clamore non ad cœlestis regis nuptias suscitatur. *Et vos similes hominibus expectantibus dominũ suum quando veniat à nuptiis: vt cum venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei.* Veniens pulsat, corda bene conscius aperit, malè conscius claudit: iusta mens patescit ad præmium: iniusta, quia non metuit, se præcludit. Vigilemus ergo dilectissimi, vt beatitudinem, quæ sequitur, consequamur. *Beati serui illi quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes.* Sufficiant beatitudinis hæc promissa, sed quia Christus ipsius beatitudinis eloquitur charitatem, differamus hodie, vt plenius audiamus, quid suis filiis promiserit talis pater.

DE TERRENORVM CVRA despicienda.

SERMO XXIII.

AVdistis hodie, quemadmodum Dominus pastorali iubilo clangorem tubæ cœlestis adiunxit, vt diu inclinatas ouium mentes ad diuina tolleret, cœleste protinus promoueret ad regnum. Luc. 12. *Nolite*, inquit, *timere pusillus grex, quoniam complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Acquisiuit humilitas, superbia quod amisit: & grex pusillus ac mitis, totas & varias edomuit propria mansuetudine feritates, pusillus grex vicit ac fregit tot genera bestiarum, quot diuersitates subdidit iugo Christi nationum. Grex pusillus ac mitis diu contentus occidi, diu deuorari passus est, donec gentilis sæuitia sanguine satiata, vel carnibus, Euangelici pabuli suauitatem, & diuini fontis fluenta degustans, totum contagium sæculi euitaret, & pastum: atque in hominem rediret ex bestia, qui ex homine fuerat dilapsus in bestiam. Hoc sensisse ante Prophetas, hoc Apostolos impleße, hoc pertulisse martyres constat: attestante illo qui dicit: Propter Psal. 43. te mortificamur tota die: æstimati sumus vt oues occisionis. Vt verò iste grex noui ordinis aggrederetur preliũ, vbi viuit ille, qui fuerit occisus: qui occubuerit, vincit: inuenit animam, qui amittit: imitatus est suum regem, illam ouem: illum secutus est agnum, qui sicut ouis ad occisionem ductus est: & Esa. 53. sicut agnus coram tondente se, non aperuit os suũ: tacet, qui volens patitur: clamat, qui laniatur inuitus. Nec potest de morte conqueri, qui mortem dignatus, non coactus assumit. Potestatis insigne est, cum pro multis volens quis moritur: nolens cùm moritur, est necessitatis extremæ: quia venit de contemptu mortis alterum, alterum de conditione naturæ. Christus ergo sicut ouis, & volens & tacens tõdetur: vt tegat illam, quam Adam primus intulit nuditatem: veluti agnus occiditur, vt peccatũ totius mundi immolatus absoluat: ponit pro ouibus animam suam, vt impleat & pietatem pastoris & curã. Tibi ergo rex, tibi sacerdos, tibi pastor, tibi sacrificium, tibi ouis, tibi agnus, tibi totum factus est, qui fecerat totum. Et qui sibi nunquam, tibi toties immutatur, propter te varias mõstratur in formas, qui manet vnica suæ maiestatis in forma. Et quid pluradat se tibi Deus homo, vt ferre potes, quia vt est, tu non potes sustinere. Sed audiamus iam quid pusillo gregi talis promiserit pastor. *Nolite*, inquit, *timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* O bonitas effusa! O inaudita pietas! O ineffabilis affectio, in societate census pastor oues assumit, atque ad consortiũ dominationis seruos dominus asciscit: ad participatum regni rex gregem populi totius admittit: sic, sic dat, cui deficere census, cui regnum minui, vacuari potestas non potest largiendo. Prouidentur autem cœpit Dominus, dicendo, *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Promissionem regni sine timore seruilis status audire non sufficit, quia qui libertate vix dignus est, capere non valet infulas principatus. Dominus ergo seruorum mentes tali voce confirmat, ne eos repentinus promissi regni prosternat auditus. Regnum velle seruum crimen est, adire periculum, temeritas non timere. Sed hoc ad Christum quantum est? aut quam mirum, quod dat seruis regnum, quod sibi seruos facit in dominatione consortes, qui seruorum pedes lauat, vt extrema seruis seruiat seruitute? Veniant huc veniant, qui discutiunt potestatem eius, & tunc de eius æquitate contendant, cum potuerint tantam capere, loqui, æstimare pietatem nec iam calumnientur, si se in nostro corpore patre minorem dicat qui non dicto, sed & facto, cum pedes lauat seruorum, se subdidit, & subiecit pedibus seruulorum. Homo iam tibi parce, quia vt tibi parcas, tuos Deus lauit, tuos tenuit, tuos amplexatus est pedes. Sed ad cœpta redeamus: *Nolite timere, pusillus grex quia cumplacuit patri vestro dare vobis regnum.* Ecce qui dat, dare loquitur patrem: nunquid largitatem suam denegat, sic dicendo? Absit, non potestatem minuit, sed pandit affectum, sic dicendo. Non distantiam facit, sed patris, suámque volũtatem monstrat, firmat vnitatem. Quod autem dixit, complacuit: & non dixit, placuit, munus edocet Trinitatis: quia quod erga nos filio placuit, hoc cõplacuit Trinitati. *Nolite timere pusillus grex, quia cõplacuit patri vestro dare vobis regnum* Post tantam ergo Dominus largitatẽ, post suam gratiam tibi copiosius collatã, abiecta & vili pecunia seruitutis iubet abiicere regnaturum. *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam.* Plebeiũ cultum regia non admittit potestas, angustus honor non nisi diademate confertur, & purpura. Abiicire ergo debet habitum, seruitutis, qui se regem credit diuinitus consecratum. Hinc est quod rex supernus illũ, qui cum indigna veste maiestatis Matth. 22. eius ausus est intrare conuiuium, ligari, præcipitari,

detrudi in tenebras iussit exteriores: quia deformitas inuitati ad inuitantis redundat iniuriam. Peculia quoque pristinæ libertatis iá diuitiis, iam regiis ditatus opibus qui reseruat; captiuus miseria se nescit esse felicem. Est consuetudinis, est animi felicis, vt adscitus ad regnum, quod fuit proprium, quod priuatum, mox parentibus, mox propinquis, ciuibus indigentibus liberaliter prorogare: ne sit mendicus animo, qui censu functus, & honore. Tali ergo prouidentia dominus, consilio tali, vilia & caduca iubet vt vendamus, vt largiamur, vt donemus, qui in cœlesti regno omnia quæ in cœlo, & quæ in terra sunt, volumus possidere. Sed si vis seruare tuorum pretia prædiorum, & sæculorum fortè condita te delectant, fac tibi sacculos quales ille præcèpit, qui iam cupiditatis tuæ custos est & prouisor. Denique, vt vidit, quod duriter dixit, Vendite quæ possidetis: mox adiecit, *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt: thesaurum non deficientem in cœlis.* Iterum contristatus es: quia quod habes, in cœlis cogeris collocare. Rogo, crede Deo tuo, qui seruo credis: magis Deo, quam homini commenda. Sed si times, ne quid inde præsumat, ne quid dispergat pietas largitoris, signa fidei annulo sacculos tuos: vt tali custode dormias tu securus: quia vbi ille est, ibi locus nullus est furi. Non poterit tibi tuam pecuniam denegare, qui tibi omnia sua contulit, qui te regni sui & honore ditauit, & gloria.

DE SERVO VIGILI.

SERMO XXIV.

SEmper & ad omnia vigilias esse salutares nullus ignorat: quia re vera plus vigilare, plus viuere est. Nam quid tam mortis simile, quam dormientis aspectus? quid tam vita plenum, quam forma vigilantis? Indulgendum somno est, vt corpus reparet, non resoluat: & vires reuocet, non eneruet. Semper ergo ad omnia vigilas esse salutares nullus ignorat. Quæ ars quod opus, quod tempus, quæ potestas, quod officium, non vitæ lucra lucubratione perquirit? Hinc est quo rex in procinctu peruigil callidi hostis præcauet, & euitat insidias: tunc in castris miles superuenientes nocturnos impetus cauta pernoctatione perpellit. Sic nauta vigilando diffusi itineris incertas vias intrat, & calles transit inuios, & vestigio furtiuo ad lucrosi portus votiuam peruenit mansionem. Hinc pastor adiungit noctet diebus, & totum sibi tempus denegat dormiendi: ne qua lupis suffragante somno, grassandi in gregem præbeatur occasio, Sic viator solers per auras noctis æstus solis præuenit: actumque diem prouidentius deputat mansioni. Hoc
Psalm. 87. Propheta sciens non die solo sed de nocte tota clamabat ad Dominum: Domine Deus salutis meæ in die clamaui, & nocte coram te. Quid plura?
Luc. 6. Ipse Dominus pernoctat in oratione Dei? vt ante nos oratione liberet, quam redimat passione. Et si pro seruis dominus vigilat: meritò pro seipsis ser-
Luc. 12. uos vigilare sic iubet. *Pracincti*, inquit, *sint lumbi vestri, & lucerna ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus dominũ suum, quãdo veniat à nuptiis. Sint lumbi vestri pracincti.* Nouus ordo vigiliarum nouus habitus imperatur. *Sint lumbi vestri pracincti, & lucerna ardentes in manibus vestris.* Nil de vestitu, nil de calceamentis, nil de ipsius occursus apparatu serui vigiles admonentur: sed tota in præcingendis lumbis mandatur cura, tota in constringendis lumbis statuitur vis præcepti, addito lucernarum solatio tantum, sine quo nec noctis aperitur obscuritas, nec venientis diei clarescit aspectus. *Sint lumbi vestri pracincti, & lucerna ardentes in manibus vestris.* Cingulum quidem est propriè indicium seruitutis: quod & discursus expeditos reddat, faciat obsequentes. Sed dixisse suffecerat, estote præcincti: cur lumbos potissimum nominat? cur tanta iubentis reuerentia lumborum facit magnopere mentionem. Quæris quare? quia in lumbis est tota corporis causa, ex lumbis tota carnis negotia suscitantur, in lumbis tota est humani lapsus, humanæ fragilitatis occasio. Inde venit quod virtutis ignaros reddit, efficit segniores. Hinc est ergo quod principaliter dominus lumbos nostros astringi iubet balteo castitatis: totum carnis nostræ pendulum, fluidum, resolutum, constringi mandat continua zona virtutis: vt carne succincta ad domini occursum liber, velox, expeditus nostræ mentis reddatur incessus, Hæc tamen audiens homo scire debes, quia non retardat ab occursu Dei caro: quia ipsius occursus, officij ipsius est inseparabilis comes, si tu eius componas sarcinas, si reueles onera eius, si pendula, & sinuosa inuolucra eius tu prouidus viator astringas. Quid plura? Erit tibi salubre contubernium, si tu eius deses & resolutus non fueris institutor: quemadmodum autem debeas æquare sarcinas eius, eius pondera iniusta moderari, Apostolus edocet, sic dicendo: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est idolorum seruitus. Constringenda est ergo caro continentiæ cingulo, ne effusa vitiis, ac toto peccatorum grauata pondere, supernis & cœlestibus insistere non possit incessibus. Coloss. 3.
Bene ergo dominus adiecit: *Et lucerna ardentes in manibus vestris.* Quia semper ad innocentiæ testimonium lucernæ nocturno portantur in tempore: & sicut vitiis amicæ semper sunt tenebræ, ita lucernæ semper inimicæ criminibus: sociæ semper boni operis sunt lucernæ. Sed in manibus sanctorum ipsa bona opera sunt lucernæ, dicente Domino: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, & magnificent patrem vestrum qui in cœlis est. Et vere portant lucernas suas verè fomentis operum, verè misericordiæ vnguento inflammant lampades suas, quæ cum loco, proposito, studio, latitant: opere, virtute coruscant ac splendent toto orbe terrarum. Et quia expectationis suæ Dominus satis tristes, satis anxios nouerat mores: ne quis superaretur tædio, ne quis lassesceret tarditate, ne quis longæ expectationis fatigatione succumberet, perseuerantibus beatitudinem cœlestem cœleste promittit obsequium. *Beati, inquit, serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes.* Et ne ipsius beatitudinis qualitas haberetur incerta, mox adiecit: *Amen dico vobis, quia pracinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit eis.* Præcinget se Deus, & faciet seruos discumbere, & ministrabit eis. En mutatio inaudita rerũ, en terribilis correptio dominationis, en pauenda conuersio seruitutis: quia parumper seruus assistit in domini sui expectatione succinctus: & sustinendi fidem breui fatigatione portauit: cui vt talionem redderet, dissimulat se in ipsa diuinitate diuinitas. *Pracinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit eis* Discumbẽti homini Deus astat, & astat in cœlestibus: epulanti seruo seruit Dominus, & seruit accinctus: pueris suis Matth. 5.

mini

ministris suis ministerium facit Christus & facit: in patris iam gloria constitutus. Homo calumniaris: est adhuc quod detulerit patri, qui tibi in terra lauando pedes, extremum repræsentauit obsequium, & repromittit in cœlestibus nouissimam seruitutem? Crede hæretice, & tu illi stude reddere talionem. Ille tibi in cœlestibus parat conuiuium se ministro, & tu illi in terra non desinis, continuas ingerere, & generare blasphemias: faciet & ille trãsitus suos, quia transiens ministrabit illis: de dominatione ad fidelium suorum pia transiet & migrabit obsequia: ad te misericordi patre seuerissimum trãsibit in iudicem. *Et transiens ministrabit illis.* Confitentibus, expectantibus ministrabit epulas, ministrabit & tibi, sed dignam de tua negatione sententiam. *Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi.* Si in secunda & tertia vigilia venerit: vigilias mundus plures, tres tantum vigilias nouit expectatio Trinitatis: quare tamen à secunda cœpit, & tacuit primam? Quid prima iam vigilia in ortu dominicæ natiuitatis excesserat. Probant hoc pastores, qui dũ supra gregem suum vigilant, gregis ipsum pastorem in præsepio inuenire, videre, tenere merentur & authorem, sed quæ sit secunda & tertia vigilia requiramus. Sicut vtique prima vigilia est sui ortus in carne, ita secunda est vigilia, qua nostra redit & resuscitatur in carne. Denique vt ad resurgentem veniat, annuus excitatur, & euigilat mundus. Tertia vigilia est illa, qua expectatio tota nouissimo venientis finitur aduentu: vt sicut ille resurrexit nobis, ita nos illi iam perpetuam resurgamus ad vitã.

DE TERRENORVM CVRA despicienda.

SERMO XXV.

HOdie Dominus Euangelici gregis pusilla & tenera primordia quam blanda exhortatione
Luc. 12. sit consolatus, audistis. *Nolite timere*, inquit, *pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Aufert spes anxias, dubios tollit euentus, omnémque propellit, & excludit timorem, quando in exordio ipso regnum nascentibus pollicetur. *Quoniam complacuit patri vestro dare vobis regnũ.* Quis de victu, quis de vestitu, quis de plebeio censu, & vetnalis cespitis vilitate suspirat, de regno certus, de dominatione securus? Satis sibi inuidet, qui eleuatus ad summa, ipse se ad humilia deiicit, ad egena deponit. Sed scire conuenit, pater iste qui est: vel qualis est, vel quod regnum suis filiis repromittit. Quis sit iste pater, quotidie te confitẽte
Matth. 6. cognoscis, cum clamas: *Pater noster qui es in cœlis.* Qualis autem sit, ipsa operum magnitudine peruidisti: ex nihilo fecit cælum, terram solidauit ex liquido, montes statuit ad stateram, maria intra legitimos terminos sola præcepti authoritate conclusit. Verum si regni, quod promittit pusillis, desideras nosse qualitatem, ipse aperit, sic dicendo: Sinite paruulos vernire ad me, talium est enim regnum
Matth. 19. cælorum. Esse in cœlo mirum est: in cœlo viuere, est maiestatis. Iam regnare in cœlo quanti sit, sensus desinit æstimare mortalis: & tamen homo quod æstimare non potes, percepisti, Apostolo
1. Cor. 2. sic dicente: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Et quod te mereri dubitas, habere te, & possidere iam cogeris confiteri. Quid ergo cum terra illi qui possidet cælum? Quid illi cum humanis, qui adeptus est iam diuina? nisi fortè placent gemitus, eliguntur labores, amantur pericula, pessima mors delectat, & illata mala bonis sũt gratiora collatis. Sed videamus quod dat pater tantus consilium regnaturis: *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam.* Si victuros vos, si regnaturos, si vos iam diuites esse creditis in supernis, vbi futuri, quo migraturi, vbi regnaturi estis: vos illa quæ vestra sunt, iam præcedant: apes miseras misericordia computate: quæ humana sunt in diuina conuertite. Et ne cui forsitan deesset euectio ad portanda illa quæ dimittitis, angariatus est pauper: ferunt pauperes onera nostra, & volentes ferunt: quia tali non deprimuntur pondere, sed leuantur. *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynã: facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientẽ in cœlis, vbi fur non appropiat: neque tinea corrumpit. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt.* Videtis, quia pater iste ditare vult filios, non nudare. *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt.* Nouo modo, imò cœlesti modo, qui hunc audit, vendendo comparat, recondit erogando, dum admittit, acquirit. Quam cupit pecuniam perdurare, perpetuare sacculos diuitiarum, condita permanere, qui dicit, *facite vobis sacculos, qui non veterascunt.* Esse docet auaritiam, qui cœperat suadere contemptum. *Facite vobis sacculos qui non veterascunt.* Et qui thesaurizantes temporaliter arguebat, ad totum cupiditatis fomitem iubet sacculos sine fine perquiri. Christe, quo te pertrahit amor tuorum? vt auarum lucrifacias, facis eum quod desiderat, non quod oportet audire: sacculos imperas: æternos thesauros, qui non deficiant, vis parari, vt auarus dum consueta percurrit ad lucra, aut virtutem capiat, aut à virtute capiatur. Verè pater es, qui cum tuis quibuscunque paruulis sic agis. Namque & nos interdum nostris paruulis petentibus noxia, ingerimus salutaria sub specie noxiorum: fallentes insipientiam, non decipientes affectum. Dixisti: *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesauros nõ deficientes in cœlo.* Sacculus cur paratur? quid ibi claustra, vbi ipsa custos est innocentia? ibi quid signaculum, vbi fraudis suspicio non habetur? Si & in cœlo sacculis opus est, cura non amittitur, sed mutatur. Domine, tu vidisti, quia in thesauris tota fides, tota spes in sæculis sit auaris: & ideo imputribiles in cœlo sacculos vis parari, vt qui te non sequitur ad cœlum, sequatur saltem sacculos suos. Auare, fac tibi sacculos, & fac iubente: Deo quia votis tuis annuit diuina maiestas. Sed fac tibi sacculos erogando, quia quicquid pauper acceperit, pater cœlestis suscipit. Et vbi recondit? in cœlo. Et ne fortè perdidisse te doleas vel vsuram, centuplum in cœlesti fæuore recipies, quicquid in cœlo paupere transmiseris perferente. Vsura mundi centum ad vnum, Deus vnum accipit ad centum: & tamen homines cum Deo nolunt habere contractum, Sunt forsitan de cautione soliciti? Quare? Nonne homo homini exiguæ chartulæ obligatione constringitur? Deus tot, & tantis vluminibus cauet, & debitor non tenetur? Sed dicis, esto quod debeat, quod exigente restituet? se ipso, quia non potest ille mentiri: idem ipse est & executor & debitor. Non erit in reddendo durus, qui profusus est in largiendo. Crede homo Deo quod tibi Deus dedit: maiora reddere vult, cùm vult debere largitor.

DE FIDELI DISPENSATORE.

SERMO XXVI.

QVod hodie dominus interroganti Petro respondisse legitur, per figuram ad Apostolos ipsos, ad doctores tantum, & ad eos qui Ecclesiis præsident, dictum, multorum persensit auditus. Luc. 12. Interrogat Petrus, *Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes? Cui respondit dominus: Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram? Beatus seruus ille, quē cū venerit dominus, ita inuenerit facientem: vere dico vobis, quod super omnia quæ possidet, constituet eum. Quod si dicat seruus ille in corde suo: moram facit dominus meus venire, & cœperit percutere pueros, & ancillas, & edere & bibere, & inebriari, veniet dominus serui illius in die, qua non sperat, & hora qua nescit, & diuidet eum, partemque eius cū infidelibus ponet.* Ecclesiæ quidem præsules ista quam primum similitudo constringit, sed hominem nullum, mortalem nullum prorsus eximit hæc figura, quæ dum loquitur ad dispensatorem, omnibus vno interrogante, respondit: Si est quisquam, qui à Deo nil acceperit, discussionem dispensationis, dispensatoris officiū non timebit. Homo si hoc ipsum quod das, accepisti, accepisse te quod habes, quomodo tu negabis? De cœlestibus conditis, de horreis diuinis rationem reddet, præstabit causas Ecclesiæ prorogator. Luc. 12. Sap. 6. Et quanto maius suscipit creditum, tantò maius se debitum non dubitat redditurum, dicente Domino: Cui plus est creditum, plus exigitur ab eo. Et alibi: Potentes potenter tormenta patientur. Quantò altius ascenderit homo lapsus, tantò altius cadet. Quid altius cœlo? Ve cœlo cadit, in cœlestibus qui delinquit: desperatus incurrit, qui in ipsis dominantis oculis offendit: & excusatione caret, qui facinus ipso iudice teste committit. Aut quam defensionem sperat, quem testimonium cognitoris accusat? Sic diabolus cùm esset Angelus, & in cœlo, & coram Deo semper charissimus versaretur, & fulgens, dum Dei tentat aures, dum in Dei superbit aspectu, lapsus ad terram, ad tartara deiectus, in diabolum mutatur ex Angelo: & qui erat minister veniæ, factus est dux pœnarum. Hinc est quod Apostolus nostri ordinis hominem commonet, ne incidat in superbiam & laqueum diaboli. Dispensator ergo diuini verbi, & cœlestis doctrinæ prorogatur, qui ante dominum stat iugiter, versatur inter altaria semper, neque à Dei oculis recedit vnquam, qui peccatorum causas, dolores populi suscipit, offert, ingerit preces, accipit, refert, restituit impetrata, ex homine totus in Angelum substitutus, non potest nisi in ipsa Dei facie inter sanctorum sancta peccare: vt inde sibi sumat crimen, vnde aliis veniam consueuerat reportare. Leuis 10. Denique Nadab & Abiud sacerdotes filij Aaron sacerdotis, dum contaminare externo igne altaria præsumunt, ipsius altaris consumuntur incendio: vt sumerent de sacrificio pœnam, qui fecerant de propitiatione peccatum, quod peccatum illis suscitarat ebrietas: nam vini odor odorem fugarat incensi, & ebrietas ignis flammam prouocarat altaris: vnde quia alienati vino alienum portauerant ignem, mox diuino igne referuntur extincti. Ebrietas in alio crimen est, in sacerdote sacrilegium: quia alter animam suam necat vino, sacerdos spiritum sanctitatis extinguit, dicente Apostolo: Spiritum nolite extinguere. 1.Tes.6. Meritò inter cætera, quæ in dispensatore malo arguit hodiernus sermo, vini condemnat insaniam, dicendo: *Quod si dicat seruus ille, morā facit dominus meus venire: & cœperit percutere pueros, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari.* Propriè dixit, edere & bibere, & inebriari, & percutere. Ebrietas cædis mater, parens litium, furoris genitrix, petulantiæ deformiter est magistra: hanc qui habet, se non habet: hanc qui habet, homo non est: hanc qui habet, non peccatum facit, sed est ipse peccatum. Ebrietas est dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, inuitatus hostis, illecebra honestatis, & pudoris iniuria: hanc nullus nouerit Christianus, ne auditu quidem sacerdos attingat ne qui est forma virtutum, vitiorum inde fiat, & inueniatur exemplum. Verum quia ad nos, & ad Ecclesiasticos viros satis dictum est, quemadmodum cunctos teneat responsio saluatoris, quod non sit, qui à Dei dispensatione inueniatur extraneus, perquiramus Apostoli dictum: Non est potestas nisi à Deo. Si à Deo potestas omnis, à Deo rex etiam dispensationis regiæ adeptus est dignitatem. Sic dux, sic Rom. 13. miles, sic prouinciarum rectores, sic vrbium, rationem reddituri sunt omnes isti, si in vllo creditæ potestatis excessere mensuram: si Rex iustitiam custodiuit, si æquitatem renuit, si potestatem moderatus est, si misericordiam non omisit, si tenuit sic ponderis sui libram, vt in neutram partem potestatis suæ trutina perpensa declinaret, si omnium curam gessit, si ciuium procurauit quietem, si sic temperauit censum: vt neque militi sufficientia deesset, neque tributarius lassaretur. Et dux præstabit Deo causas, si sequentibus se præbuit virtutis exemplum, si in excubiis priuigil, si in decursibus indefessus, si pacem omnium proprio labore perquisiuit. Rationem reddet & miles, si paruit imperatis, si concessit neminem, si accepta stipendia iustissima labore pensauit. Iudex quoque iudicij sui supernum iudicem sustinebit. Et tu qui Dominus es domus tuæ, dispensatorem positum plusquam dominum volo credas: vt exhibeas coniugi simplicem charitatem, doctrinamque ei quam didiceris in Ecclesia prudenter infundas: cui Apostolus in Ecclesia tacere præcepit, & domi discere te docente, dicens: Mulieres in Ecclesiis taceant: si quid autē volunt discere, domi viros suos interrogent. 1.Cor.14. Filiis impendas affectum sobrium, sollicitam curam, eósque fideliter in domini enutrias disciplina. Seruis victum, & vestitum debitum reddas, remittas culpas, minas temperes, imperes disciplinam, & habeas eos fratres progenie cœlesti, quos subditos mundana possides seruitute. Vos quoque serui debetis domino fidem in ipsa quam geritis seruitute. quia qui pio & puro corde carnali domino debitum non reddet obsequium, Deo antè qui corda videt, quàm homini tenetur obnoxius: qui te parem fecit per gratiam, quæ conditio ferat disparem vilitate seruili. De diuite quid dicam? qui quantò plus habet, tantò amplius debet.

Desunt nonnulla. Denique simul reddit, simul tradit alteri: quæ si noluerit reddere, singulis committat per partes. Et tu pauper commissam tibi dispensationem non paruam paupertatis existimes si patienter feras, si ingratus non sis, si sis vel in ipsa necessitate sobrius & frugalis, si danti agas gratias, non danti non ingeras blasphemans iniurias: si tantum quæras, quantum dat misericordia, non quantum cupiditas importuna compellit. Certè & tu pauper qui libenter petis, da etiam tu libenter petentibus. Sed fortè dicis, non habeo

sis

fit dandi animus,& facultas non deerit largiendi : pene aduenienti sellam tuam, pone mensam tuam, candelabrum, lucernam : certe ex eo quod accepisti,
3.Reg.17. grataanter appone. Sic Elias, sic Elisæus dum de-
4.Reg. 4. clinant ad viduarum vacuas & inopes mansiones, copiose quod viduis deerat, suppleuerunt. Adiecit autem dominus ad confirmationem similitudinis huius dicendo: *Ille autem seruus, qui cognouit voluntatem domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Ille quidem qui per conscientiam peccat, meritò grauius soluit conscientiæ pœnas: sed & iste per ignorantiæ culpas, plagas ignorantiæ non vitabit: Deum sicut contemnere non licet, sic non licet ignorare.

DE SCANDALO TOLLENDO.

SERMO XXVII.

IN procinctu belli semper vigiliæ sunt militum distributæ: vt insidiis nil liceat, nil pateat dolis. Perniciosissimus nimis est repentinus hostis, nam aut inscios præuenit, aut incautos præoccupat, aut opprimit dormiêtes. Hinc est quod Christus rex noster ante sæcula per totã sæculi noctem milites suos præ mandatis vigiliarũ vicibus commonuit contra diaboli, id est, veteris hostis subtilissimum dolum, contra latentes impetus vitiorum, contra criminum insidias irruentes, contra scandala quæ nobis variis oriuntur ex causis, contra tentamenta præsentis vitæ, contra vrentes acies sæcularium pressurarum,
Matth.26 taliter admonendo. Vigilate & orate, ne intretis in
Lucæ 12. tentationẽ. Et statuens qualiter vigilaretur, adiecit. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi, quos, cùm venerit, inuenerit vigilantes. Et plane beati, quia qui vigilant & anticipant dolos hostium, de domini sui gloriabuntur aduentu. Hodie tamen dominus ipsas nostrorum ducum contra scandala
Luc. 17. exsuscitauit, & armauit excubias, dicendo ad discipulos. *Impossibile est, vt non veniant scandala.* Hoc est, impossibile est, vt non veniant hostes. Et primum, fratres, scire nos conuenit scandala hæc quid sint. Scandalorum genera sunt diuersa, & prima sunt illa, quæ diaboli fraus parturit. Secunda sunt, quæ generat calliditas humana. Tertia sunt, quæ parit ipsa nobis suspicax & incauta natura. Et à
Genes.3. diabolo sunt illa quæ fallunt specie, quæ prætendunt bona, cùm mala inferant, sicut illud ad Adam,
Matth. 16. cùm nobis humana abstulit, dum diuina promittit, Et illud quod per Petrum. Non tibi hoc erit domine, triumphum crucis vacuare contendit, cùm feruere se nimio amore mentitur. Nam cum dominus loqueretur passionis suæ gloriam, respondit per Petrum, Non tibi hoc erit domine: venenum quam dulce serpentis: ante facit militem regis sui negare victoriam, seruus ipse dominũ regis sui negaret: vnde dominus seruũ post se mittit, scandalum remittit auctori: dicendo ad Petrum, Vade post me: & diabolo, Satanas scandalum mihi es. Et verè post dominum vadit Petrus, quia vt eum sequeretur ad cœlum, crucem resupinus ascendit. Sed & illud est scandalum tale quod fecit Iudæis. Nam lapidem firmandis vestigiis latum, in totam sulcauit, & exasperauit offensam: & totius fundamenti petram ver-
Esai. 8. tit in scandalum, vt esset miseris ad ruinam. Ecce
Esa.28. pono, inquit, in Sion lapidem offensionis, & petram
Psal. 140. scandali. Hinc est quod Psalmista anxia supplicatione deposcit: Custodi me à laqueo quem statuerunt mihi: & à scandalis operantium iniquitatem. Et quia transilierat offensam, scandalum vicerat, Psal. 60.
taliter gloriatur. In petra exaltasti me, & deduxisti me, quia factus es spes mea. Diximus primum genus scandali: dicamus & secundum, quod de humana calliditate diximus euenire. Scandalum populo Israëlitico Balaam diuinator obiecit, quan- Num 31.
do bellatoribus non cumferratis viris, sed cum Apoc.2.
puellis toto lenocinio fucatis occurrit: vt arma verteret in luxum, triumphum mutaret in infamiã, & in reatum reatus deuocaret vltores: & ad summam prophanaret totam de turpitudine sanctitatem. Hinc est quod eum Moyses tali notauit sen- 3.Reg. 12.
tentia, cùm puniret. Et Balaam, inquit, diuinum occidite: quia hic misit scandalum ante filios Israël. Scandalum molitus est Ieroboam, qui ex auro vaccas populo in Deos figmento miserabili collocauit, ne Deum viuum, ne verum templum, ne diuinam legem, ne legitimos reges, ne patrios ritus quæreret: sic populus mancipatus errori scan- 1.Cor.2.
dalum facit iuxta Apostolum: cum quis idolis immolata quasi nihil nocitura manducat, & insensatos lapides, & ligneos Deos, qui neque sanctificare, neque pollere quid possunt, tali facto æstimat debere contemni. Sed quod ille fidei arbitratur exemplum, fit ignorantibus erroris occasio: quia non ad contemptum, sed ad cultum prouocat nescientes, & conuiuium religionis rideri facit inscíis, quos sciens studio derisionis absumit. Vnde 1.Cor. 8.
bene Apostolus concludit, & aperit Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est. Tertium genus est scandali, quod nobis nostris generatur & sensibus, cùm fallimur oculis, cùm decipimur auditu, capimur odore & sapore vitiamur. Vnde Eua vetiti & lethalis cibi Genes. 3.
sic gustu est sauciata, sic visu. Et vidit, inquit, mulier quod bonum est lignum ad manducandum, & quod gratum oculis ad videndum, & speciosum est ad intuendum. Bene ergo dominus adiecit scandalizare sensus ipsos, dicendo: *Si scandalizauerit te oculus tuus, aut manus tua, abscinde, & proiice abs te: melius est tibi sine oculo, & manu venire ad vitam, quàm toto corpore ingredi in gehennam.* Et quamuis dominus lapsus, & vitia iusserit Marc. 9.
sic nos secare, non membra: tamen si hoc Eua mater humani generis sic fecisset; melius sine oculo & manu in vitam venisset, quam totam posteritatem suam lamentabilem misisset in mortem. Cauere ergo oportet nos, fratres, ne scandalum faciamus aliisne vel ipsi alio faciente patiamur. Scandalum est quod offendit sensus, quod mentem turbat, quod confundit intelligentiæ puritatem. Scandalum est, quod diabolum fecit ex Angelo, quod ex Apostolo reddidit proditorem: quod inuexit peccatum, mundo, quòd hominem deduxit ad mortem: audi dominum dicentem, *Væ mundo à scandalis.* Scandalum sanctos tentat, fatigat incautos, Matth. 18.
incautos deiicit, confundit omnia, conturbat omnes, & licèt in præsenti loco dominus de scandalo suæ passionis loquatur, & Iudam denotet, per quem venit ipsum scandalum scandalorum, tamen ne quis in hoc deueniret, admonuit, dicendo. *Impossibile est, vt non veniant scandala: væ tamen illi per quem veniunt. Bonum est illi, si lapis molaris appendatur collo eius, & proiiciatur in mare, quam scandalizet vnum de pusillis istis.* Quare non lapis, sed lapis molaris, quia lapis molaris, dum triticum terit, dum farinam fundit, à polline furfurem dum secernit, panem piè laborantibus subministrat. Bene ergo illi, qui eligit minister scã- Luc. 17.
dali

dali magis esse, quàm paucis, ad collum lapis alligatur molaris: vt hoc illum ad mortem trahat, quod illum trahere debuisset ad vitam: quia sensus ad vitam datos, mortis conuertit in scandalum, suadendo aliud videre, aliud audire, aliud sentire, aliud sapere, quàm erat in Christo, quam erat in scientia salutari. Hinc angularem lapidem, hinc adiutorij lapidem, hinc lapidem sine manibus abscissum, quod est Christus: sic pusillorum circuit & traxit ad scandalum; vt non panem vitæ: sed panem lachrymarum conficeret, & doloris: sicut Propheta testatur, dicens: Qui manducatis panem doloris. Bene ergo illi, sicut alibi dixit: Vt mola asinaria alligetur collo eius: & inde sumat pœnam, vnde sumpsit & sensum, & exæquetur iumentis insipientibus, qui noluit hominibus superna sapientibus comparari.

Esai. 28. 1. Reg. 7. Daniel. 2. Psalm. 126. Marc. 18.

DE MATTHÆO ET CHRISTO CVM publicanis manducante.

SERMO XXVIII.

QVòd si virtutibus cognata paupertas, terrena & cœlestis comprobat disciplina, Athleta ad luctamen nudus accedit, confligit cum fluctibus nauta nudus, miles in acie non nisi expeditus assistit: qui tendit ad philosophiam, totum quod in rebus est, antè contemnit. Est ergo virtutibus cognata paupertas: & si paupertas virtutum parens, virtutum socia sic habetur, sapere conuenit: quare Christus ad virtutis officium pauperes sic elegit. Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes, germanitas combinata, imò congeminata paupertas, in Apostolorum principes eliguntur, pauperes sensu, loco humiles, viles arte, obscuri vita, labore communes, addicti vigiliis, fluctibus mancipati, negati honoribus, iniuriis dati, præsidio retis, solo piscium captu victum, vestitúmque conquirentes. Sed in istis quantum vilis mundanus videbatur aspectus, pretiosas tantum animas Dei intuitus tunc videbat. Erant sensu pauperes, sed innocentia locupletes: loco humiles, sed sanctitate sublimes: viles arte, sed simplicitate pretiosi: obscuri vita, sed vitæ merito perlucentes: labore communes, sed proposito singulares: addicti vigiliis, sed ad cœlestes victorias iam vocati: fluctibus mancipati, sed fluctibus non demersi: negati honoribus, ditati magis, honoribus non negati: iniuriis dati, sed iniuriis non relicti: captores piscium, sed piscatores hominum iam decreti. Venite, inquit, & faciam vos fieri piscatores hominũ, vt vitalis escæ iactu, vt hamo cœlestis verbi, de mortis gurgite animas ad lucem tollerent sempiternam: Captores piscium fiunt hominum piscatores: de labore transeunt ad laborem, quia labor nescit lassescere meliorata. Omnia quæ de vsu veniunt, non fatigant. Virtus exercitio perseuerat. Hinc est quod Apostolos suos Christus humanis laboribus exercere voluit, vt eos indefessos redderet in diuinis: voluit eis Deus manere fortitudinem, de exercitio præstare virtutem: & quia fructus prouenit ex labore, voluit eos labores non perdere, sed mutare: ipse antè illis vsum laboris indulsit, qui postea eis tolerantiam dedit virtutis. Hinc est quod regna, gentes, carceres, vincula, tormenta, mortes, sæuientes homines terris omnibus sic vicerunt. Diximus quod in Apostolis amica virtutum, Deo chara sit electa paupertas. Matthæum de telonio diuitem, de vsuris locupletem, lucris seculi onustum, quod in Apostolatum Christus elegerit; quid dicemus? Hodie Matthæus de seipso sic cœpit. *Et cùm transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine: & ait illi, sequere me.* Matthæus publicanus generat nobis non paruam suis quæstibus quæstionem: & magnum nobis negotium sua negotiatione proponit. Sed dicit aliquis. Quam quæstionem? Quod negotium? Deus suscipit pauperes, sed diuites non repellit. Habentes suscipit, & ad se attrahit non habentes. Abraham diues, diues Iob, Dauid diues. Et quid Abraham beatius? Quid fortius Iob? Quid Dauid sanctius? Nam & Abraham post terrenos mœrores pias animas, & reuolantes ad cœlum in gremium suæ consolationis includit. Et Iob in ipsis diuitiarum machinis diabolum & ipse vicit, & nobis vincendi eum reliquit exemplum. Abraham sic possedit diuitias, vt eas sæpè & oblatas contemneret & calcaret indultas: & sic diligeret possidere diuitias, non à diuitiis possideri: habere eas ad largitatis materiam, non ad cupiditatis incendium. Sed ad hæc respondetur, fuerunt sanctis innocentes diuitiæ, vtpotè à Deo datæ, non turpiter acquisitæ: concessæ ad vsum vitæ, non ad mortis vsuram. Matthæum verò publicanum diuitiæ sic cupiditatis publicabant magistrum, fornace auaritiæ sic coquebant, sic alligabant vinculis cautionum, sacculorum ponderibus sic premebant, vt leuari ad innocentiam, ad iustitiam surgere, ad virtutem progredi non valeret. Vnde & sedere eius erat iam subsidere, non sedere. Hunc ergo talem ad sua cur vocauerit Christus, cur elegerit ad diuina, nisi quæratur altius, facit altissimam quæstionem, & non tantum quæstionem, sed & scandalum: sicut illo tempore circunstantium patefecit intentio. Quomodo enim infirmitas non laboraret humana, quando videbat apud Christum pecuniam sic valere, vt daret fraudulento fidem, veniali gratiam, cupiditatis magistro officium largitatis, doctori fœnoris magisterium sanctitatis, publicano sæculi cœleste secretum? Vrebat videntes, quòd vsura, quæ vastat terram, tollebatur ad cœlum, & hunc quam detestantur homines, Deitas aduocabat. Sic autem sensisse tunc videntes aperit Matthæus ipse, qui dicturus vera de se, non potuit hæc tacere. *Cùm autem Iesus discumberet in domo, ecce veniebant multi Publicani & peccatores, & discumbebant cum eo & discipuli eius. Pharisæi autem videntes, dicebant discipulis eius. Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magister vester?* Et hoc dicebãt Pharisæi, vt esset magnum malum, quod & malis poterit displicere: & si erat nefas publicanos Christi participes, vel in cibo esse diuinis sociare quid erat publicanum? Fratres, in quæstione hac ingenium laboraret interpretis, si non ipse Dominus, cui sit ipsa quæstio, totum quod est quæstionis auferret. Repetamus ergo ordinem lectionis: Christus quare ad Matthæum venerit, audiamus: *Cùm transiret*, inquit, *Iesus.* Non dixit, cum staret ibi: transiuit, & pertransiuit inde Iesus, ne Matthæus remaneret ibi: transiuit inde Iesus, ne Matthæus ibi taliter permaneret. *Vidit hominem.* Non dixit, vidit Matthæum: quia in Matthæo hominem liberarat, hoc est, homines quos pecunia possidebat, seruire Deo nequeunt, pecuniæ seruientes. Non potestis, inquit, Deo seruire & mammonæ. *Veni, sequere me.* Non dixit, affer ad me, quia Matthæum, non Matthæi sacculos requirebat. *Veni, sequere me.* Hoc est, depone pondera, disrumpe vincula, solue laqueos. *Me sequere.* Quære te, perde vsuram, vt te valeas inuenire.

Matth. 4. Matth. 9. Luc. 18. Genes. 14. Matth. 6.

inuenire. Sed iam Pharisæis quid responderit, audiamus: *Non est opus*, inquit, *sanis medicus, sed malè habentibus.* Ecce quare ad Matthæum venerat Christus, vt auaritiæ curaret vulnera, vt saniem sanaret vsuræ. *Euntes*, inquit, *discite quid est, misericordiam volo, & non sacrificium.* Misericordiam voluit, vt Matthæus, quod tulerat per miseriam, in misericordias prorogaret: & inde redimeret pœnam, vnde comparauerat culpam. *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Sic dicens, non repulit iustos, sed iniustos, qui se iustos mentiebantur, exclusit. Christus ergo quod ad peccatores venit, peccata delere voluit, non peccatoribus voluit commanere. Quod est dare vitam mortuo, hoc largitatem tribuere est auaro. Itaque Christus quod Matthæum vocat, non est illa pecuniæ ratio, sed est ratio tota virtutis. Denique Matthæus mox factus est terræ pauper, vt diues haberetur in cœlo.

DE EISDEM.

SERMO XXIX.

CVm Matthæum publicanum Dominus ad apostolatus fastigium euocat & extollit, dat manum lapsis, spem restituit desperatis, reddidit vitæ,
Marc. 2. quos sibi iam mors detinebat addictos. *Cum prateriret*, inquit, *Iesus, vidit Leui Alphei sedentem ad telonium.* Sedebat vtique, quia stare non poterat pondere cupiditatis oppressus, & ipsa totus conscientia fraudis incuruus. Aurum natura graue, grauius fit auaritia nimis. Hinc est quod plus habentem deprimit, quam ferentem: & vehementius aggrauat corda, quam corpora. Nascitur in terra profunda, sectatur ipsa montium fundamenta, pèrque ima venarum cæcis discurrit anfractibus, & dum suam semper reptat ad naturam, cœlestes animos ad inferna deponit, obscurat sensus semper, alta mentium semper in terrena demergit. Aurum erogare bonum, reponere malum, contemnere validum, fugare persecurum: quod sicut vincere virtutis est, ita fœlicitatis est euasisse. Auri furor ardentius humano feruet in pectore, quàm caminus totus ignescit incendiis: & acrius homines dissoluit in terra, quam soluitur in calore flammarum. Crudelitatis dominus, sæuus hostis, amando lædit, nudat vitando, ipsum etiam captiuat aspectum, fidem frangit, violat affectum, vulnerat charitatem, turbat quietem, adimit innocentiam, docet furtum, suadet fraudet, imperat latrocinium. Et quid plura;
1. Tit. 6. Hoc est, quod Apostolus dixit, Radix omnium malorum est auaritia. Est commutatio sanè vna, si homo prudens illud antè mittat ad cœlum, quam mittatur ab illo, vt stultus, in tartarum. Mittat per manum pauperis, quia quicquid propter Deum pauperi dederit, ad cœlum sine dilatione transmittit. Meritò Matthæum dominus talibus vinculis absolui cupiens præpeditum suscitat, dicendo,
Matth. 19. *Sequere me.* Hoc est, me sequere de supernis ad superna tendentem, & non aurum de inferis ad inferna mergentem. Vbi fuerit thesaurus tuus, illic & cor tuum erit. Aurum Patriarcharum stirpem, progeniem sanctam, tantam germanitatis singularem coronam adeò corrupit, & totius red-
Genes. 1. 3. didit pietatis extorrem, vt Ioseph Ægyptiis, fratrem barbaris, innocentem noxiis, ingenuitatem traderent seruituti. Sic siccauit mentes, sic corda depressit: sic quod in eis fuerat humani sensus, ferinam in rabiem commutauit: vt non offensam Dei, non sancti patris dolorem, non proprij sanguinis sensum meminisse permiserit. Intuere quid auro grauius, quòd cùm mores hominum perdit, perdit & naturam. Aurum Iudaicum populum sic suo captiuauit aspectu, vicit illecebris, specie perdecepit, vt hoc esse Deum crederent, & Deum verum, Deum tot beneficiis cognitum denegarent: sic conuertit homines in iumenta, vt vituli caput, caput suum crederent, & omnium rerum capiti caput pecudis anteferrent. Attendite quàm Exod. 31.
sit pernicies ista fugienda, quæ cum mores hominum, honestatem, vitamquè perdiderit, ipsum quoque Deum voluit homini & contendit auferre.
Hoc est, quod Iudam fecit esse proditorem, vt ho- Matth. 26.
minem cogeret Deum negare, vendere germanum sui sanguinis, distrahere conditorem, & ipsum sanguinem taxare pretio, quem sponte Dominus erat nostrum largiturus in pretium. Sed ne multa super hoc generent exempla fastidium, transeamus ad reliqua. *Sequere me, & surgens secutus est eum.* Sæpè legitur & in hoste vtilis virtus, sæpè in aduersario comprobatur. Matthæus non subtrahitur operi, sed mutatur: & telonium suscipit magis, quam relinquit: vt mensura Deo non homini peritura conquirat, vt non trigesimum in quadragesimum, quinquagesimumque nummum tristis redigat supputator: sed trigesimum in sexagesimum, & centesimum gaudij fructum lætus recondat diuinis com- Marc. 4.
modis profuturum. *Et surgens secutus est eum.* Generosus animus, qui sic ea quæ magna putarat, facile, & quasi nulla contempsit: apparet illum per ignorantiam lucra ante præsentia côquisisse, à quibus vt se sensit, & vidit liberum, sic raptus est ad diuina. *Et factum est, dum accumberet in domo illius, multi publicani & peccatores discumbebant cum Iesu & discipulis eius.* Discũbebat Iesu plus in Matthæi mente, quam sigmate: & epulabatur non cibis, sed reditu peccatoris, vt reuocaret conuiuio, collegio, humanitatis affectu, dulcissima sui confabulatione discumbentes, quos sciebat posse iudicis agnita potestate dissolui: percelli terrore maiestatis suæ, de nuda mox præsentia posse prosterni, velatus humano corpore, qui homini voluit subuenire. Occultauit dominum, qui seruis dignatus est fiduciam non negare: maiestatem texit, qui fragilem studuit parentis amore complecti. Sed offenduntur Iudæi dicentes: *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit magister vester?* Miraris Iudæe, cur misceatur conuiuio peccatorum, qui propter peccatores & nasci voluit, & non recusauit occidi: oblatas, cur peccatorum vinum bibat, qui pro peccatoribus suum sanguinem fudit. Et si vis nosse amplius, suscepit ipse peccatum, ne perderet peccatores, in se sententiam suam iudex retorsit, vt amasse se peccatores proderet magis soluendo debitum, quam donando. Sed talibus ipsum dominum respondisse sufficiat. *Non necesse habent sani medico, sed malè habentes: non enim veni vocare iustos, sed peccatores.* Et quis non erat ægrotus, ipsa genere humani sic ægrotante natura? Ad omnes ergo venit, qui omnes malè habentes, vt curaret inuenit, sed planè mori meruit, qui medicum contempsit ne se accusaret, vel confiteretur ægrotum: sed dicti sui dominus aperit mox figuram, dicendo: *Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.* Non hic dominus iustos respuit, sed superbos: & eos notat, qui cum non sint, esse se iactant iustos. Et vbi erant iusti? Cùm iuxta Prophetam: Non Psal. 13.
erat qui faceret bonum, non erat vsque ad vnum.

Vt

Vt intelligant ægritudinem, medicum, vt curentur, admittant, confiteantur se peccatores: vt modo Christus parens, & conuiuia largiatur veniam: ne post iudex ferat in contumaces debitam sine fine sententiam.

DE EISDEM.

SERMO XXX.

HOdierna Euangelica lectio Matthæum publicanum sic in Apostolum commutauit, vt qui erat fraudator pecuniæ, fieret gratiæ distributor: & de impietatis schola ad pietatis magisterium perueniret, fieretque doctor misericordiæ, qui auaritiæ fuerat institutor. *Dum transiret Iesus, vidit hominē sedentem in telonio, Matthæum nomine.* Cū transiret inde Iesus, bene transiret inde: transibat Iudæam, vt veniret ad gentes: præteribat synagogam, vt Ecclesia permaneret: prætergrediebatur carnis patriam, vt deitatis suæ remearet ad sedem. In Christo fratres transitoria est carnis iniuria, in quo diuinitatis honor est empiternus. *Dum trāsiret inde, vidit hominem.* Vidit plus diuinis oculis, quam humanis. *Vidit hominem.* Vt peccata hominis non videret. Vidit opus suum, vt despiceret opera peccatorum. Vidit illum Deus, vt ille videret Deum. Vidit illum Christus, vt ille pecuniæ latebras amplius non videret. Vidit illum Christus sedentem, quia pressus cupiditatis pondere, surgere non valebat. Fratres, deterius sedebat in telonio publicanus iste, quàm paralyticus: de quo antè diximus, iacebat in lecto. Quia ille carnis patiebatur paralysim, iste mentes: in illo fuerat compago turbata membrorum, in isto totus ordo fuerat sensuum dissipatus: ille iacebat captus carne, sedebat corpore & animo iste captiuus: ille doloribus succumbebat inuitus, iste vitiis voluntarius seruiebat: iste sibi innocens auaritiæ videbatur in crimine, ille se cognoscebat inter vulnera peccatorum: iste lucrorum cumulabat peccata, ille dolorum gemitibus peccata delebat. Merito igitur paralytico dicitur, confide fili, dimittuntur tibi peccata tua, quia compensarat delicta doloribus: publicano autem dicitur. *Veni, sequere me.* Hoc est, vt sequendo me repares, quod consequendo pecuniam perdidisti. Sed dicit aliquis: Quare publicanus, qui maior videtur in crimine, maior habetur in munere? Nam mox Apostolatus certa præditus dignitate, non solum ipse accepit, sed aliis indulgentiam tribuit peccatorum: totum orbem splendore Euangelicæ prædicationis irradiat, & paralyticus sola dignus venia lux habetur. Vis nosse quare plus consecutus sit publicanus? Quia iuxta Apostolum, vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia. Simul vt publicanus gentilis populi typum teneat, paralyticus Iudaici populi sit figura, qui hodieque malæ valetudinis tenetur in lecto, vt nisi portatus fuerit fide gentium, oblatus Christo miseratione sanctorum, per Christum à populi crudelitate saluatus, ad domum fidei, ad domum patriæ non potest peruenire. *Et discumbente eo in domo, ecce veniebant*, inquit, *multi publicani & peccatores, & discumbebant cum eo & discipulis eius. Videntes autē Pharisæi dicebant discipulis eius, quare cum publicanis & peccatoribus magister vester manducat?* Arguitur Deus, quare inclinat se homini, quare coniacet peccatori, quare esurit pœnitentiam, quare sitit reditum peccatorum, quare acceptat misericordiæ fercula, quare sumit poculum pietatis. Fratres, venit ad prandium Christus, venit ad conuiuium vita, vt faceret secum viuere morituros: iacuit resurrectio, vt de sepulchris surgerent qui iacebant: decubuit indulgentia, vt peccatores leuaret ad veniam: venit ad humanitatem diuinitas, vt ad diuinitatem veniret humanitas: venit iudex ad reorum prandium, vt humanitas præueniret reatus sententiam: venit ad languentes medicus, vt reficeret conuescendo defessos, inclinauit pastor bonus humeros suos, vt ouem perditam salutares reportaret ad caulas. Sed hoc Pharisæus detestatur & arguit, qui prādium dominicum putat non virtutis esse, sed ventris: non spiritus, sed carnis: non diuinæ bonitatis, sed voluptatis humanæ: terreni luxus, non gratiæ cœlestis: sic, sic se videt, qui Deum non videt. Quis arguit medicum iacentibus coniacentem, nisi humanæ salutis inimicus? quis pastorem subnixum lasso pecori reprehendit, nisi qui lucrosi gregis amorem nescit, quis iudicem de pietate iudicat, nisi ille, qui fuerit desperatus? quis communionem Dei, nisi sacrilegus spernit? indulgentiam quis, nisi crudelis horrescit? *Quare magister vester cum publicanis & peccatoribus manducat?* Et quis est peccator, nisi qui se peccatorem negat? Magis ipse peccator est: &, vt verius dicam, ipse iam peccatum est, qui se iam non intelligit peccatorem: Et quis iniustus, nisi qui se iudicat iustum: Legisti Pharisæe, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Quamdiu sumus in mortali corpore, & fragilitas dominatur in nobis: etsi actu peccata vincimus, vincere peccata cogitationum non possumus, & iniustitias fugere: qui si corpore possumus euitare, & si conscientiam malam deuincere valemus, culpas negligentiæ, ignorantiæ peccata quemadmodum possumus abolere? Pharisæe confitere peccatum, vt Christi venire possis ad mensam: vt sit tibi panis Christus, & panis ipse frangatur in tuorum veniam peccatorum: vt fiat tibi poculum Christus, qui in tuorum delictorum remissionem funditur. Pharisæe prande cum peccatoribus, vt possis prādere cum Christo agnosce te peccatorem, vt tecum prandeat Christus: intra cum peccatoribus conuiuium domini tui, vt possis non esse peccator: intra domum misericordiæ cum Christi venia, ne cum tua iustitia extra domum misericordiæ puniaris exclusus: agnosce Christum, audi Christum, audi dominum tuum, audi cœlestem medicum calumnias tuas peremptoriè confutantem, *Non est opus sanis medicus, sed malè habentibus.* Si vis curam, agnosce languorem. Non veni vocare iustos, sed peccatores. Si cupis misericordiam, confitere peccatum. *Euntes*, inquit, *discite, quid est, misericordiam volo, & non sacrificiū.* Christus misericordiam vult, & non sacrificium: aut quod sacrificium quæret, qui vt te quæreret, sacrificium factus est ipse? *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Non repulit iustos, sed quia sine Christo innocens non habetur in terris. *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Sic dicendo, non repulit iustos, sed quia omnes reperit peccatores: audi Psalmistam, Dominus de cœlo prospexit super filios hominum: vt videat si est intelligens aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Fratres simus, simus peccatores confessione nostra, vt Christi venia non simus peccatores.

Matth. 9. Matth. 9. Rom. 6. Psalm. 42. Osee. 6. Psal. 13.

DE

DE PHARISÆORVM ET Discipulorum Ioannis ieiunio.

SERMO XXXI.

Bonitas virtutum mater, malitia origo vitiorũ, virtutes comitatur gloria, inhæret vitiis cognata confusio: sicut vitia teguntur dolis, ita illustrantur libertate virtutes. Hinc est quod Christus virtutum lux agebat liberè, loquebatur purè, præstabat vt Deus, patiebatur vt parens, vt dominus arguebat: Iudæi verò viperinum germen, genitricis more, ge itoris occisio, dum perimunt Christum, synagogæ matris vterum diruperunt. Verè sicut
Matth. 3. scriptum est: Progenies viperarum summittebant capita, adulabantur lingua, vulnera dabant dolis, blasphemiis venena fundebant: & quasi non sufficeret ad odium contemptus, despectus ad iniuriam, sic Christum persequebantur insidiis, tenta-
Lucæ. 20 bant dolis, interrogatione pulsabant, appetebant contumeliis, & tota cupidi simulatione vallabant, obiiciebant curandos sabbatho: vt si non curasset, fieret de impossibilitate contemptus: de lege maneret calumnia si curasset. Interrogabant, in qua potestate faceret sua iussione virtutes, vt si dixisset, deitatis, inuidiam commouerent: si
Matth. 12. tacuisset, artis magicæ crimen inferrent. Dicebant enim: In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia: sicut hodie lectum est, apud discipulos in magistrum notam de publicanorum conuiuio componebant: apud magistrum discipulos ieiunij nescios, gulæ deditos accusabant: sed discipulis de magistro, magistro de discipulis odiorum causas, discordiæ semina liuore iactabant. *Accesserunt*, inquit, *discipuli Ioannis, dicentes: Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant?* Et cum discipulis Ioannis, quæ societas Pharisæis? nisi qua iunxerat inuidia: quos disiunxerat disciplina. Hic iam sua perdit iura zelus: iunxit disiungere consuetus. Iudæi postponi Moysen Domino non ferebant: discipuli Ioannis Christum nolebant Ioanni vllatenus anteferri: sic in Christum fremebant vtrique liuore communi. *Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant?* Quare? quia penes vos est de lege, non de voluntate ieiunium: ieiunium non ieiunantem respicit, sed lubentem. Et quis vobis ieiunij fructus est, qui ieiunium ieiunatis inuitum? Ieiuniũ est singulare sanctitatis aratrum, colit corda, eradicat crimina, euellit delicta, vitia subruit, charitatem serit, copiam nutrit, patat innocentiæ messem. Discipuli ergo Christi in tota sanctitatis segete constituti, & virtutum manipulos colligentes, habentes panem iam noui fructus, inueterata non possunt ieiunia ieiunare: quæ iactantur verbis, pallore proponuntur, venditantur defectu, placent humanis oculis, non diuinis. *Quare uos & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? Respondit Dominus, Nunquid possunt filij sponsi ieiunare, quandiu cum*
Ioan. 3. *illis est sponsus?* Quid est hoc? Interrogatus Ioannes sponsum esse sic testatus est Christum. Qui habet sponsum sponsus est: amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Conuenienter ergo discipulis Ioannis magistri sui voce respondit, vt vel illi crederent, & non cogerẽt tempora sponsi læta tristis intrare ieiunij: quia qui quærit sponsam, ieiunia seponit: relinquit austera, totum se dat gaudiis, epulis indulget, totus blandus, totus amabilis, totus festinus incedit: & facit totum quod sponsæ tenera requirit affectio. Christus ergo qui tunc Ecclesiam desponsabat, indulgebat se mensis: conuiuantibus se non negabat: humanum, comes blandum se pia charitate reddebat: donec diuinis humana coniungeret, & faceret de terrena societate cœleste consortium. Adiecit Dominus dicens: *Nemo immittit commissuram panni rudis in vestimentũ vetus, tollit enim plenitudinem eius à vestimento, & peior scissura fit.* Antiquæ legis supellectilem dicit Iudicis studiis attritam: corruptis sensibus, sectis scissam, impuris actibus obsoletam. Pannum rudem Euangelij nuncupat indumentum. Sed audi pannum non scissuræ partem, sed principium texturæ. Tunc enim primum regalis indumenti tela de Christi vellere texebatur, de vellere quod dabat agnus: Agnus Dei qui tollit Ioan. 1. peccata mundi: Texebatur autem regium vestimentum, quod in purpureum fulgorem cruor tingeret passionis. Meritò ergo Christus hunc pannum rudem Iudaicæ vetustati prohibebat immitti: ne peior scissura fieret, si Iudaicam vetustatem nouitas scinderet Christiana Et geminat exemplum, dicens: *Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpunt vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt: sed vinum nouum mittunt in vtres nouos, & ambo conseruantur.* Vtres veteres Iudæos vocat: nouos vtres nuncupat Christianos: quia sicut vtres pellium ab omni squallore purgantur, & pigmentis liniuntur odoratis, vt saporem vini possint inuiolabilem custodire, ita ieiuniis corpora humana ab omni carnalium delictorum squallore purgãtur, & fiunt vtres diuinis torcularibus apti: vt de prelo crucis accipiant vinum nouum, & incorruptam nouitatem conseruent. Sed hoc sicut accipiunt Christiani, ita Iudæi nisi Christiani fuerint, non habebunt: qui corrupti vitiis, & inueterati malis, vinum nouum, quod ad Euangelij verbum, sic acceperint, & rumpuntur, & fundunt. Agnoscendum est ergo, quia Christus per exempla hæc non discipulos suos noluit ieiunare, sed noluit ieiunium verum fraudulento miscere ieiunio.

DE EO QVI HABEBAT manum aridam.

SERMO XXXII.

Omnia signorum Christi opera stupenda virtutum, non humanis usu, neque casu, sed diuina procuratione credẽda sunt euenisse: sicut hodie nobis Euangelicum demonstrauit eloquium. *Et intrauit*, inquit, *Iesus in synagogã, & erat ibi homo habẽs* Marc. 3. *manum aridam.* Christus quidem ingreditur synagogam, sed Iudæus nec recipit intrantem, nec agnoscit præsentem, nec operantem cæcatus intelligit. Cernite quàm nihil sit præsentia corporalis, vbi fuerit mentis miseranda separatio, sicut contra nihil officit absentia corporalis, vbi corda fuerint sociata per fidem. *Et erat ibi homo, habens manum aridam.* In hoc homine omnium hominum imago figuratur: in hoc geritur cura cunctorum: in hoc vniuersorum sanitas diu expectata reparatur. Aruerat enim manus hominis magis stupore fidei, quàm siccitate neruorum, & plus culpa conscientiæ, quàm debilitate carnali. Antiqua nimis ista erat, & quæ in ipso mundi principio contigerat ægritudo, nec arte hominis aut beneficio poterat hæc curari, quæ ita Dei fuerat indignatione contracta, tetigerat vetita, inconcessa præsumpserat, cum se ad arborem sciendi bonum, malúmque

Gen. 3. porrexerat, anthori indigebat, nō qui malagma imponeret, ſed qui poſſet illatam relaxare ſententiam: & ignoſcendo reſoluere, quod religauerat indignando. In hoc homine noſtræ tantum geritur vmbra ſanitatis: perfecta autem ſalus nobis reſeruatur in Chriſto, quia tunc ariditas noſtræ manus miſeranda diſſoluitur, cum cruore perfunditur dominicę paſſionis: cùm in illo vitali ligno crucis extenditur: cum carpit fructuoſam de dolore virtutem: cum totam arborem ſalutis amplectitur: cum clauis domini corpus affigitur, quo nunquam ad arborem concupiſcentiæ, & aridæ redeat voluntatis. *Obſeruabant*, inquit, *Phariſæi ſi ſabbathis curaret, vt accuſarent eum.* Ad infamiam iudicis, & nequitiam cognitoris, quæritur de cura crimen; de pietate accuſatio, reatus de virtute, de ſalute ſupplicium. Sed mirum non eſt: ſemper offendunt bona malos, pia impios, ſancta prophanos: aut quando non laſciuus diſciplinam, virtutem vitioſus, innocentiam criminoſus accuſat? Obſeruabant ſolliciti ſacerdotes ſabbathis, non ſi peccaret, ſed ſi curaret, vt accuſarent eum. Amatores criminum inuigilant, inſidiantur in accuſatione virtutum: quaſi contra ſalutem, non pro ſalute ſabbathum ſit prouiſum. Si ſabbathis curaret, obſeruant: tali legis interprete, non dico laborat nimis, ſed funditus expirat ægrotus. Sabbathum non impiè curam denegauit infirmis, ſed tota pietate aliquoties quietem præſtitit feſſis nimio labore mortalibus. *Et ait homini habenti manum aridam: ſurge in medium.* Profeſſor debilitatis propriæ: ſupernæ pietatis exactor: teſtis diuinæ virtutis: Iudaicæ incredulitatis aſſertor, *Surge in medium.* Vt quos non compungit virtus tanta ſignorum, quos non opera tantæ ſalutis inclinant, vel debilitatis tantæ miſeratio conſtringat, & mitiget. *Tunc dicit eis, licet ſabbathis bene facere, an male, animam ſaluam facere, an perdere?* Hoc dicendo, bonitatem commendat operis ſui: & illorum malitiæ conceptæ conſcientiam accuſat: quia cum ille hominem ſaluum facere corpore, animoque geſtiret, illi eum accuſandi ſtudio perdere moliuntur: qui & patiebantur eum ſabbathis curare: inſidiantes animo vtrum curaret, vt cum curaſſet, ſenſus ſui malignitate damnarentur: & eſſent tali patientia, quàm ipſa malitia nequiores: & plus furentes dolo, quàm tali iudicio dementes. *At illi tacebant: & circumſpiciens eos cum ira, contriſtatus ſuper cæcitate cordis eorum.* Circumſpiciens dixit, non conſpiciens, ideſt, non tantum faciem vt homo intuens, ſed vt Deus corpora, corda, mentes, ſenſus, præterita, præſentia, futura contemplatus. *Circumſpiciens eos cū ira, contriſtatus.* Iraſcitur vt dominus contriſtatur vt parens, dolet vt homo, intuetur vt Deus. *Dixit homini: extende manum tuam: & extendit: & reſtituta eſt manus illius.* Extende manum tuam: iuſſione ſoluitur, quæ fuerat iuſſione coniuncta. *Extende manum tuam.* Agnouit pœna iudicem, opus Deum, indulgentia prodidit conditorem. Orate fratres, vt ſola ſynagoga tali debilitate ſuſcetur: nec ſit in Eccleſia cuius manum arefaciat cupiditas, contrahat auaritia, rapina debilitet, tenacitas ægrotam conſtringat: ſed ſi acciderit id ipſum, audiat dominum, & citò eam in opere pietatis extendat, relaxet, & in miſericordia, in eleemoſynis porrigat. Sanari neſcit, qui neſcit pauperi fœnerati. *Tunc egreſſi Phariſæi ſtatim cum Herodianis cōſilium faciebant, quomodo eum perderent.* Semper Iudæus Herodianis iungitur, vt inuadat Chriſtianos, *Ieſus* inquit, *cum diſcipulis ſeceſſit ad mare.* Vt comparatione fluctuum prauiorem Iudæorum probaret & demonſtraret errorem. Sed quia Ieſus deſeruiente nauicula, id eſt Eccleſia, ſequeſtratur à confuſione turbarum, & Chriſtiani populi gubernator reſidet indefeſſus vario genere medendi, & imperauit ventis & mari, vt tandem tranquillitatis obedientia conquieſcant, iuxta Prophetam: Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipſorum, vt ſub iugo pietatis manentis, diuinæ gloriæ mereamur eſſe participes. Marc. 4. Pſal. 2.

DE FILIA ARCHISYNAGOGI, déque muliere ſanguinis profluuio laborante.

SERMO XXXIII.

AVdituri eſtis hodie, fratres, & ſancto Euangeliſta Marco referente mecū pariter cognituri, qualiter ante Chriſtū ſynagogæ prolabitur, & proruit principatus, & eū duplici modo Deū & Dominum confitetur, cum adoret pro legis imperio ſic dicentis: Dominum Deum tuum adorabis, & redditorem vitæ indicat, cum ſalutem filiæ morientis implorat. *Venit*, ait, *ad eum quidā archiſynagogus, nomine Iairus: & videns eum, procidit ante pedes eius, & deprecabatur eum multum, dicens, Filia mea in extremis eſt, veni, impone manum tuam ſuper eam, vt ſalua ſit, & viuet.* Antequam ſermo Euangelici ſēſus aperiat ſacramentum, liber in hoc loco paululū parentum prodere paſſiones, quas ſumunt & proferunt de affectibus, & amore filiorum. Circumſtante familia inter tenera & blanda obſequia propinquorum, molli filia decumbit in lectulo: pater pronus ſicca iacet & verſatur in terra: illa deficit corpore, hic mente & animo contabeſcit: Illa ſecreta lāguoris ſui ſuſtinet paſſiones, hic fœdus & lugubris totus, toto fertur & iactatur in populo: illa moritur ad quietem, hic viuit ad pœnam. Et certè omiſimus anxia parentum vota, cùm gignunt periculoſos ordines, ſobolem cum producunt, cùm nutriunt, mœſtos labores, & iuges pœnas, cùm fuerunt ægrotantes, peior eſt mortis dies pignora cum procedunt. Heu me cur tanta filij neſciunt? cur iſta non ſentiunt? cur vicem parentibus reddere non deſudant? & tamen parentum pietas perſeuerat: quia quicquid filiis parentes impenderint, repenſabit parentibus parens omnium, Deus. Sed ad propoſita redeamus, *Venit autem quidam Archiſynagogus, nomine Iairus, & videns eum procidit ante pedes eius, & deprecabatur eum multum, dicens. Filia mea in extremis eſt: veni, & impone manum tuam ſuper eam, vt ſalua ſit.* Quod ſupplicatione flebili, extrema filiæ ſic lamentatur: quod remedium languoris ſic poſtulat, deſperatum ſatis probat & demonſtrat affectū, vnde eſt quod curæ ordinem ſic depoſcit. *Veni, impone manum tuam ſuper eam.* Ægrotus non quemadmodum curetur, imperat, ſed tantum, vt curetur, implorat. Sed cum eſſet Archiſynagogus, legis notitiam hic habebat: & cum verbo cætera, hominem manu Dei legerat eſſe figuratum: credidit ergo Deo, quia eadem manu, qua creatam ſenſerat filiam, recreari, & reduci poſſe ad vitam. Cognouimus quid ſit, *Veni, & impone manum tuam ſuper eam.* Vt qui ſponte poſuit ad creandum, ad reparandum iterum exoratus imponat. Hoc eſt, quod Propheta fatetur, cum decantat in Pſalmis: Tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam. Quia qui poſuit cùm formaret ex nihilo, impoſuit iterum, vt reformaret ex perdito. Denique idem Pſalmiſta, vt manus huius ſalutare ſenſit, & adeptus eſt largitatem, repetitam prorupit in

Deut. 6. Marc. 5. Pſalm. 138.

in vocem. Dextera, inquit, Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltauit me: dextera Domini fecit virtutem. Et vt meruisse se quod Archisynagogus proposcerat, demonstraret, adiecit: Non moriar, sed viuam, ille cùm peteret, dixerat: Veni, impone manum tuam, vt salua sit, & viuat: hic iam consecutus exaltat. Non moriar, sed viuam. Dextera Domini Christus est, sicut Prophetico docemur eloquio. Et verè fecit virtutem, diabolum dum debel-
Leuit. 12. lat: dũ allegato forti, sicut ipse dixit, vasa fortis diripit: dum infernum destruit: dum ipsam mortificat mortem. Et verè exaltauit nos, quos de profundo extulit, eleuauit ad cœlum. Sed iam ad mulierem sermo transeat: quæ occulto vulneri, & verecundo languori remedium sic quæsiuit, vt & suum pudorem tegeret, & curantis reuerentiam custodiret. *Et abiit, cũ illo, & sequebatur, inquit, eum turba multa & comprimebant eum: & ecce mulier, quæ erat in profluuio sanguinis annis 12. & fuerat multa perpessa à cõpluribus medicis, & erogauerat omnia sua, nec profecerat quicquam, sed deterius habebat, cùm audisset de Iesu, venit in turba retro, & tetigit vestimẽtũ eius dicens: Si vel vestimentum eius tetigero, salua ero. Et cõfestim siccatus est fons sanguinis eius, & sensit corpore quod curata est à plaga.* Non tamẽ duo maria confunduntur fluctibus suis quantum mulieris huius animus incipiti cogitationum cumulo iactabatur. Post certamina desperata medicorum, post medicamina sumptuosa, post inanem & antiquissimam curam, vbi ars & peritia defecerat iam curantium, vbi languentis omnis iam consumpta fuerat substantia ipsi authori reuerendum vulnus non casu, sed diuinitus occurrit: vt quod humana arte tot annis curari non potuit, sola fide & humilitate cura-
Matth. 12. retur. Mulier stabat eminus quam natura pudore perfuderat: quam per hoc immundam iudaica lex notarat, dicens: Immunda erit, & sanctum non continget: contingere metuens, ne Iudaicum furorem, ne legis posset subire sententiam. Dicere non est ausa, ne circumstantium confunderet, oneraret auditum: ne fieret populorum fabula, quæ tot annis
Id est, cauea Iudæorum. stadium & σκάμμα fuerat passionum. Siquidem & amplius ferre, & sustinere dolor diuturnus, & continuus non sinebat: & deliberandi tempus Christi prætereuntis celeritas amputabat: & econtra nouerat, quod tacenti, quod occultanti morbum suum sanitas non daretur. Inter hæc bella cogitationum, solam salutis viam mulier, curam vt furaretur, inuenit: vt raperet tacita, quod petere non valebat, & pro sua verecundia, & pro reuerentia præstaturi: vt quæ non merebatur, corpore, corde perueniret ad medicum: fide Deum, manu tantum tangeret vestimentum: sciens hanc fraudem non solum veniam sed & remedium præstaturam: quam non voluntas sed necessitas verecunda generauit: præsertim cùm & furantis lucrum quæreret: & ei cui auferebatur, nullum gigneret detrimentum. Pium latrocinium quòd ministra fide, fide attrahẽte committitur. Ecce vbi virtus est quæsita contrariis, vbi fraus fide conniuente quod nitebatur, obtinuit Mulier inter cõprimentes, vt nesciretur accedit, & præsumpsit furari se posse curam fide sola: vt habitu lateret, & corpore, retro accedit: & ad videndum se iudicabat indignam. Curauit fides intra ictum temporis, quod 12. annis ars humana curare non potuit. Post hoc exemplum suo vitio longa trahit in languoribus tempora, sua negligentia diu laborat, qui sola fide nescit curari, sed aromatum dispendiis onerari. Tetigit vestimentum mulier, & curata est, & ab antiquo est absoluta languore. Miseri, qui quotidie corpus domini tractamus & sumimus, & à nostris vulneribus non curamur. Non Christus infirmantibus sed fides deest, nam multò magis modo in nobis manentes poterit vulneratos curare, qui latentem mulierem præteriens sic curauit. Sufficit hodie fratres furta fidei, & domini prætereuntis narrasse virtutem, cur autem dominus veluti ignorans quærit, quam virtutis suæ opere scit curatam, quia nunc longum est, sequenti sermone narrabimus.

DE EISDEM.

SERMO XXXIV.

OMnes Euãgelicæ lectiones, fratres charissimi, magna nobis & præsentis, & futuræ vitæ cõmoda largiuntur. Sed hodierna lectio & totũ quod est spei, contulit, & quicquid est desperationis, exclusit. Est nobis dura, & deflenda conditio, peccare nos cogit fragilitas innata, & confiteri prohibet cõfusio cognata peccati, malum enim facere pudor nõ est, & pudor est confiteri: timemus dicere, quod cõmittere non timemus. Sed hodie mulier cum quæreret medicinam tacita vulneri verecundo, inuenit silentium, per quod possit peccator ad veniam peruenire. Prima est fœlicitas in peccatorum turpidinẽ non venisse, sed fœlicitas est secunda peccatorum veniã peccatis latentibus inuenisse. Hoc propheta senserat, qui dicebat Beati, quorũ remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. *Ecce, inquit, Euangelista mulier, quæ sanguinis fluxũ patiebatur ab annis duodecim, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius.* Confugit mulier ad fidem subitam, cui longa defecerat cura, quæ confundabatur medicinam petere, furari voluit sanitatem, nesciri se ab eo voluit, à quo se credit posse saluari. Vt aër ventorum turbine, sic cogitationum procellis mulier turbatur, confligebat cum fide causa, cum timore, spes necessitas cum pudore, timoris frigus extinguebat crudelitatis ardorem, obscurabat lucem fidei, vis amoris, spei confidentiam necessitas verecunda frangebat, sic mulier magni maris instar confusis æstibus iactabatur, quærebat quomodo faceret ocultum de publico, de turba secretum, agebat vt sibi & rediret sanitas, & verecundia non periret, curabat ne cura sua ad curantis redundaret iniuriam, prouidebat vt redderetur sibi salus salua reuerentia saluatoris. Tali ergo sensu mulier merito de sumitate fimbriæ peruenit totam ad deitatis summam. *Accessit*, inquit, *retrò*. Sed, vbi retro? *Et tetigit fimbriã vestimenti eius Accessit retro* Sed vbi? Retro nil erat, ibi faciem quam declinabat, inuenit. Erat in Christo corpus multiplex, sed erat deitas simplex, erat totus oculus, qui post se supplicem sic videbat. *Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius.* O quid ista mulier vidit habitare in interioribus Christi, quæ in Christi fimbria diuinitatis totam vidit inhabitare virtutem. O quàm docuit mulier quantum sit corpus Christi, quæ in Christi fimbria totum esse monstrauit. Audiant Christiani, qui quotidie corpus Christi attingunt, quantam de ipso corpore sumere possunt medicinam, quando mulier totam rapuit de sola Christi fimbria sanitatem. Sed quod nobis fluendum est, mulier de vulnere medicinam tulit, nobis medicina ipsa retorqueretur in vulnus. Hinc est quod Apostolus tangentes indignè corpus Christi taliter admonet, & deplorat, Qui enim tangit indignè corpus Christi, iudicium sibi sumit. Et quod

Psal. 31.
Matth. 9.

in se temeritas infirmitatem capiat, vnde fides accipere debebat sanitatem, rursus intulit: Propterea inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Item dormientes mortuos dicit, quos luget in viuo corpore iam sepultos. Petrus & Paulus principes fidei Christianæ notitiam nominis Christi toto orbe diffuderunt: mulier accedendi ad Christum prima tradidit disciplinam: mulier prima dedit formam, quomodo peccator tacita confessione deleat sine confusione peccatum: quomodo delinquens soli Deo cognitus de reatu nudare apud homines verecunda conscientiæ non cogatur: quomodo homo possit venia iudicium præuenire: *At Iesus*, inquit, *conuersus, & videns eam*, inquit: *Confide filia, fides tua te saluam fecit.* At Iesus conuersus non motu corporis, sed diuinitatis aspectu: Christus conuersus est ad mulierem, vt mulier conuerteretur ad Christum: vt ab ipso curam sumeret, vnde sumpserat vitam, & sciret sibi præsentis vulneris causam fuisse perpetuæ rem salutis. *Conuersus & videns eam.* Vidit eam diuinis oculis: non humanis: vidit vt saluti redderet, non vt agnosceret quam sciebat: vidit eam, donatur bonis, malis caret, quem viderit Deus. Hoc vniuersitas sentit ex vsu de fœlicibus sic dicendo: Vidit illum Deus. Vidit ergo istam Deus, quam curando reddidit sic felicem. Et quid plura? Christus mulieris docuit exemplo, quam fides sola totam proficiat ad salutem. Sed de Synagogæ principe iam loquamur: qui dum Christum ducit ad filiam suã, viam dedit qua mulier perueniret ad Christum. Sic cœpit hodiernæ principium lectionis. *Ecce princeps vnus accedens adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuã super eam, & viuet.* Futurorum præscium Christum non latebat, quod prædictæ mulieris eueniret occursus: per quam Iudæorum princeps disceret, Deum non mouendum locis: non itinere ducendum: non trahendum præsentia corporali, sed credendum quàm sit Deus vbique præsens, vbique totus, vbique semper: Et quam totum possit iussu facere, non labore: virtutes mittere, non deferre: mortem non manu, sed imperio effugare: vitam non arte reddere, sed præcepto. *Filia mea modò defuncta est, sed veni.* Hoc est dicere: Adhuc vitæ manet color, adhuc animæ vestigia videntur, adhuc est in via spiritus, adhuc dominus domus habet filiam, adhuc mortuam tartarus nescit, ergo vt euntem possis animam retinere, festina. Stultus putauit Christum non posse suscitare mortuam, nisi teneret. Hinc est, quòd Christus vbi peruenit ad domum, & vidit puellam, quasi perditam fleri, vt infideles animos promoueret ad fidem, dormire eam dicit, non defunctam, vt crederent facilius de morte posse surgere, quam de somno. *Non est*, inquit, *mortua puella, sed dormit.* Et verè apud Deum mors somnus est: quia velocius Deus mortuum ad vitam suscitat, quam de somno dormiens ab homine suscitetur, & antè Deus frigentibus morte membris viuificãtem refundit calorem, quàm homo sepultis somno corporibus vigorem possit infundere, audi Apostolum: In momento, in ictu oculi, mortui resurgent.
1.Cor.5. Beatus Apostolus quia velocitatem resurrectionis non potuit referre verbis, aptauit exemplis. Aut quomodo ibi celeritatem sermonis perstringeret, vbi ipsam celeritatem prænenit vis diuina? Aut quomodo apparet ibi tempus, vbi æterna sine tempore res donatur? Sicut temporalitatem tempus attulit, sic exclusit æternitas tempus.

DE MVLIERE PROFLVVIO sanguinis obnoxia.

SERMO XXXV.

Quid sit Christum tangere, hodie docuit mulier, in profluuio sanguinis constituta: quæ cum tangit fimbriam Christi, tum diuini pectoris pulsat arcanum: & furto fidei summam rapuit de fimbriæ summitate virtutem. Fœlix fraus, quæ & lucrum salutis contulit, & damna sustulit mox pudoris: probat hoc Euangelicæ lectionis auditus. Matth. 9. *Ecce* inquit, *mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur 12. annis, accedens retro, tetigit fimbriam vestimẽti eius, dicens intra se: Si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero.* In arduis languoribus dat crebro consilium vis doloris: in desperatis causis est sæpè magistra necessitas: inuenit ipsa sibi passio medicinam Hinc est, quòd mulier verecundo vulneri qualiter subueniret, inuenit, vt fidei insinuaret silentio, quod insinuare publico clamore non poterat: vt secreta spiritus via cœlestem perueniret ad medicum, ad quem peruenire manifesto carnis itinere nõ valebat. Dabat auda iam multam pietas curantis, sed fiduciam pudendi languoris necessitas auferebat: cogebat ad Christum doloris accedere magnitudo, sed audire Christum fœditas vlceris non sinebat. Sic anceps mulier, & fidei trepidante consilio, maluit de fide iudicari, quàm de fœdo vulnere sic perire. *Accessit retrò, & tetigit fimbriã vestimenti eius.* Sciens quod Deum nec tactus polluit, nec offendit visus, nec odor exasperat, nec auditus sauciat, nec inquinat humana cogitatio. Nam si sol tangit stercora, non tamen stercoribus inquinatur: quantò magis creator solis tangit omnia & tamen non potest vllis contactibus inquinari? Et si medicus cum saniem vulnerum tractat, cùm curat verecunda membrorum, non iniuriam computat, sed honorem: quantò magis Deus non arbitratur iniuriam, dum vulnera nostra curando respicit, tangit ad remedium, visitat ad salutem? Dei conspectum offendunt peccatorum vulnera, non dolorum: morbi criminum, non corporum passiones: vitiorum sanies, non viscerum fluxus: quia homo habetur voluntarius in delictis, in languoribus tenetur inuitus. Hinc est quod peccator pœnam recipit, ægrotus recipit curam. Mulier ergo non voluntatis conscia, sed doloris, nec confusa crimine, sed confusa languore, accessit retro, vt turbæ declinaret oculos, non Christi vitaret aspectum: à populis nesciri voluit, non à Christo: gestiuit non Deum latere, sed homines: quia non nisi à solo Deo potuit latens videri, audiri tacens, celata curari. *Accessit & tetigit fimbriam vestimenti eius.* Quia in Christo nil postremum credidit, nil iudicauit extremum: quia nec minoratur Deus in homine: nec virtus attentatur in fimbria: nec cœlestis natura membrorum variatur officiis. Hinc est, quòd mulier per dorsum peruenit ad faciem: per vestimentum penetrauit interna, & per fimbriam capitis tetigit summitatem, nec hoc sine mysterio: audi Prophetam dicentem, Sicut vnguentũ quod descendit in oram vestimenti eius. Videtis fratres in fimbriam vestimenti huius totam plenitudinem diuini chrismatis, totam diuini capitis transisse virtutem. Scienter ergo mulier sacram Christi fimbriam gestiuit attingere, vt de occulto mysterio vulneris posset sumere medicinam. Fratres, magna hæc mulier, & nimiũ permiranda, Ioan.19
quæ scientia Doctores legis vicit, sacramento omnes Iudæos superauit, fide præcessit Apostolum; nã

Iudæa

Psal. 132. Iudæa cum Scribis & doctoribus suis Deum totum despexit in corpore: Thomas Apostolus vt Christum Deum crederet, immisit manus, iniecit digitos, patefecit vulnera: & vt Christum crederet, iterum pati compulit Christum. Sed hæc mulier quam personam teneat, cuius typum præferat, cuius præsentet imaginem, spirituali intelligentia perquiramus. Quæ est ista quam sic genuinus sanguis, naturalis debilitas, originalis morbus, ad causas mortis, ad lethale, vulnus, ad fœdi languoris adduxit angustias; & quam sic sordidauit vitiis, fœdauit criminibus, secretis vulneribus sauciauit, vt eam ars curare, non solum videre oculus, non solum honestas pateretur, non præualeret lex ipsa mundare, imò quam lex ipsa iusserat arceri templo, prohiberi sacris, sanctis omnibus abstinere: & quam sic dixerat immundam, vt quicquid tetigisset, haberetur immundum. Ista est fratres, ista est, ista est Ecclesia: quæ primi hominis vulnerata peccato, tota fluebat sanguine, tota originaliter decurrebat in mortem.

HOC LOCO DIVVS PETRVS obmutuit, cuius silentij ratio abundè redditur, serm. 86.

De Hæmorrhoissa, & filia Archisynagogi.

SERMO XXXVI.

VErecundi debitoris est mox promissa dissoluere: nec creditoris animum, aut deludere moris aut longa expectatione suspendere. Cum Archisynagogi, vel Hæmorrhoissæ mulieris connexa sibi & producta narratio à consueta sermonis nostri breuitate discederet, maluimus dimidiare tractatum: ne non recrearetur tantum, quantum vester operaretur auditus. Domino Archisynagogus occurrit, & totus prolabitur in terram, causam refert, insinuat dolorem, mouet præstantis affectum: imperat, vt properet, & accedat ad curam: econtra mulieri dominus non quæsitus occurrit, præteriens occasionem salutis ingessit: tacens causam tacentis agnouit, occultum vulnus etiam celantis aspexit. Inter dominum & mulierem furtiuæ salutis agitur tam grande commercium: & dum publica petitione viam facit rogatus, fidei cogitatio diuinum penetrat, & peruenit ad secretum. Felix mulier, quæ in tanta multitudine est sola cum Christo: vt sola sit conscia & salutis redditæ, & virtutis excelsæ. Beata quæ talem reperit accessum, cui nullus possit obsistere. Beata quæ tali via ad suum proripuit & irrepsit authorem, quæ antequam de vulnere suo confunderetur ab homine, careret ipsius vulneris fœditate: sciens sibi apud homines, & per homines interclusum totius adi. ũ sanitatis: qui horrere magis, quam curare vulnera consueuerunt. Deus abstérgit vulnera humana, non despicit: neque horret languores hominum, sed depellit: nec detestatur immunditias humanis corporis, sed emendat: quia craturæ suæ ad tactum nescit Deus, Deus non potest sordidari. Sed Euangelista generat quæstionem cùm dicit: *Et statim Iesus in semetipso cum cognouisset virtutẽ, quæ exierat de eo, conuersus ad turbam, aiebat: Quis tetigit vestimenta mea?* Dum interrogat, velut ignorantiam profiteatur: exiisse virtutem de se sentit, ad quam exierat, nescit, quod præstiterat, nouit, qui præstiterit, ignorat? de persona dubitat, qui certus est de salute collata? Verum non ignorantis errore, sed maiestate dominus hic

Matth. 5.

scientis, & præscientis interrogat: nec quod occultum sibi esset, requirit: sed & ipsum sibi bene esse cognitum, sic demonstrat: dum taliter quærendo cunctis ignorantibus, solus aperit quod latebat. Inter pellatricem tacitam & suggerẽtem cogitationibus solis, ac post tergum virtutis suæ consiliis adhærentem, non vt discussor nescius, sed vt præscius inquisitor producit in medium, suisque facit astare conspectibus, vt quæ sibi portarat salutem, omnibus reportaret: & quæ virtutem probarat, agnosceret: maiestatem: nec rediret, vt putabat, incognita, quæ plenam sibi dederat notionem. Dum erubescit vulnus, dum in tali cura ipsum veretur vt Deum fidei suæ mulier non parua nobila iust nebat: & mentis suæ lumine confusionum nebulis ipsa caligabat. Vox ergo inquirentis Domini, velut flatus salutaris fugauit nubes, dispersit nebulas, illustrauit fidem: & illam, quæ noctis latebat in tenebris, ipso sole reddidit clariorem, Aut minor est ista sole, quæ toto orbe radiat, quæ toto Ecclesiæ fulget & resplendet in cœtu: sic redisset inuisa, date veniam, elu erat medicum, non probarat, & sibi quod consecuta fuerat, ascribere potuit, non sanati: quæ se curam rapuisse de fimbr a curantis crediderat, non de sensu, aut quid illius esse credi erat, cuius in se virtutem senserat, voto tamen indicabat extraneum? Quæ vtique, etsi ante curam verecundiæ fuerat quod latebat, humilitatis quod se iudicabat indignam cur post curam non sponte, vt ageret gratias, vt honorem redderet, vt gloriam tãti operis referret, occurrit? sed posteaquam vidit Dominum in inquisitione persistere, & discipulis excusantibus & compressionem turbæ opponentibus, non posse conspicit se latere, postquam illam timor & tremor conscientiæ cœpit arguere, venit in medium: vt quem occultè senserat medicum, palam profiteretur, & adoraret vt Deum: & tam præsentibus, quàm futuris fieret, de tanto suo languore medicina, dicente Euangelista *Mulier autẽ timens, ac tremens sciens quod factũ esset in se, venit & procidens ante pedes eius, dixit ei omnẽ veritatem* Verum, quia historica relatio ad altiorem semper intelligentiam sublimanda, & figuris præsentibus futura sunt noscenda mysteria. Archisynagogus, vel eius filia, siue mulier in fluxu sanguinis constituta, quid sub harum specie personarum teneant sacramenti allegorico nunc sermone pandendum est: Archisynagogi filia, ad quam venit Christus, vadit, & properat, & humano gradu iter facit, qui diuinitus loco non potest promoueri, sine dubio synagoga est, dicente Domino: non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël. Sed dum ad illam Christus tendit, Ecclesia in cunctis gentibus posita, amisso naturæ bono, perdebat & profundebat sanguinem generis humani: cuius languorum peritia humana dum curare nititur, ipsum cumulabat: nam censura fragilitatis humanæ, ac mundanæ districtio disciplinæ, & populorum semper sanguinem fudit: & tamen nec hostes abolere, nec ciuium bella compescere, nec criminum potuit dementiam perdelere. Hæc ergo talibus confossa curis, vbi quicquid suæ fuerat & erat substantiæ vidit esse consumptum, id est, animum, mentem, sensum, ingenium laborem, industriam, rationem quæ vtique rectoribus ad profectum velut medicantibus commodamus, vbi Christi prætereuntis sensit præsentiam, retro accessit: quia videre eum sanguine polluta non merebatur: accedit retro, hoc est, fidei sequitur auditum: & extrema Christi velut ipsam tãgit fimbriam: dum non honoratur in patribus, non sanctificatur in lege, non se iactitat in Prophetis, non Matth. 15.

dominico ipso honoratur in corpore: dum ab illo generationis Christi ordine habetur extranea. Post tergum, hoc est nouissimo tempore Christum sequitur, & sancitur occulto fidei sacramento, & verè tetigit vestimentum, quod in sepulchro reperit, per quod resurgentis domini credidit & prædicauit insignia. Sed dum circa hanc Christus suis virtutibus occupatur, in Archisynagogi filia deficit, & moritur synagoga: vt & ipsa ad vitam per fidem redeat, quæ per legem mortua fuerat & pricrat per naturam. *Inter hæc veniunt de domo Archisynagogi, & dicunt: Noli vexare magistrum, mortua est puella.* Hodiéque Iudæi nolunt vexari Christum, quem cupiunt non venire, & mortem pronunciant, qui spem resurrectionis infideliter perdiderunt, sed & illud huic assertioni nostræ quam cóuenit, quod Archisynagogi filia duodecim annos egisse refertur in vita, & hæc duodecim annos perseuerasse memoratur in vulnere, cum vtriusque nouissimo, & expleto tempore salus redderetur, & vita: nam iste numerus tempus humanæ vitæ concludit: qui vt annum faciat duodecimum, distinguitur & numeratur in mensibus: vnde & Propheta sub annum Domini acceptum Christum indicat aduenisse, & Apostolus temporis plenitudine Christum venisse approbat dicens: Postquam venit temporis plenitudo, misit Deus filium suum. Orate fratres, vt sicut sibi & legi, vt Christo viueret, defuncta est synagoga: ita & nos peccatis moriamur & carni, vt viuere possimus in Christo.

Esai. 61. Iuxta LXX.

Gal. 4.

DE IONÆ PROPHETÆ SIGNO, SERMO XXXVII.

FRatres, sanctorum gesta casibus non sunt depntanda, sed signis: & quæ vitia putantur illorum, mysteriis sunt applicanda, non lapidibus: sicut hodie dominica signauit, & patefacit instructio dicēs: *Turbis autem concurrentibus cœpit dicere Iesus, Generatio hæc nequam est, signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ: sicut enim Ionas signum fuit Niniuitis: ita erit & filius hominis generationi isti.* Ecce Prophetæ fuga ipsius Domini vertitur in figuram, & quod celebratur ferale naufragium, hoc sacramentum Dominicæ resurrectionis existit. Nam quemadmodum Ionas typum per omnia tenuerit, & impleuerit saluatoris, historiæ, quæ de ipso scripta est, textus ostendit. Fugit, inquit, Ionas à facie Dei. Nonne Dominus, vt hominis faciem præferret, & formam, faciem, formámque propriæ deitatis aufugit? Apostolo sic dicente: Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Formam suscepit serui Dominus, vt lateret mundum: vt diabolum præueniret, in hominem suffugit ipsum. Et bene typus Christi ipsius Ionæ seruatur in verbis, non dixit: fugio Deum, sed à facie Dei ego fugio: Deus qui vbique est, quo seipsum fugiat non est, sed Christus non vt loco, sed sicut specie faciem deitatis aufugeret, totum nostræ seruitutis confugit ad vultum: Descendit, inquit, Ionas in Ioppen, vt fugeret in Tharsis, audi descensorem: Nemo, inquit, ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit. Descendit Dominus de cœlo ad terram, descendit deitas ad humana, descendit ad nostram superna dominatio seruitutem, & tamen qui descenderat ad nauem, nauem nauigaturus ascendit: sic Christus, qui in hunc mundum descendit, virtutibus & mirabilibus Ecclesiæ suæ conscendit in nauem. Quid sibi vult autem confusa ventis procella, nisi diabolum qui cor Iudæ penetrans, reges gentes, populos, militiam iudices, marinos eleuauit, & inflauit in fluctus, vt ascendentes & cadentes vndæ auctorem suum sæculi peterent ad quietem? audi vndas sæculi, audi Prophetam dicentem: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Et quia sors Ionam proditura non defuit, implet super Christum Dauidicam prophetiam, quæ dicit: Et super vestimentum meum miserunt sortem. Quod autem Ionas auctor suæ demersionis existit: cùm dicit. Tolite me, & mittite in mare, voluntariam Domini indicat passionem. nam quare sibi illi sustinent hæc iuberi, qui sibi in periculo tali sponte poterant subuenire? Quando enim multorum salus petit vnius mortem, mors in intereuntis arbitrio collocatur: quem & moriturū retardare potest ad mortem voluntas, & periclitantis mora periculum præuenire: sic vbi totum Domini geritur vt figuram, expectatur morientis auctoritas, vt mori non sit necessitas, sed potestas: audi Dominum dicentem, Potestatem habeo ponendi animam meā: & potestatem habeo iterum sumendi eam: nemo tollit eam à me. Quomodo? quia Christus etsi emisit spiritum, non amisit, quia qui omnium in sua manu recipit, & tenet animas, ipse animam suam quemadmodum possit perdere non videtur, audi Prophetam dicentem: Anima mea in manibus tuis semper. Et alibi: In manus tuas commendo spiritum meum, Sed quid plura? Currit, occurrit, addest bellua de profundo totum dominicæ resurrectionis impletura & proditura, imo conceptura & paritura mysterium: adest bellua, adest imago horrida & crudelis inferni: quæ dum fertur auidis faucibus in Prophetam, vigorem sui sensit & degustauit auctoris: incurrit namque ieiunium deuorando, sed domicilium cordis sui tremens ad superni hospitis aptat & præparat mansionē: vt ipsa quæ fuerat tota causa discriminis, ipsa fieret necessariæ nauigationis inaudita vectura, vectorem suum seruans, & post triduum referens ad superna: & hoc daret gentibus quod abstulerat à Iudæis, quibus signum quærentibus, solum dandum Dominus esse signum hoc decernit: per quod scirent gloriam, quam in Christo sperauerant, totam esse gentibus conferendam, *Generatio*, inquit, *hæc, nequam est, signum quærit, & signum non dabitur illi, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim Ionas signum fuit Niniuitis, ita erit & filius hominis generationi isti.* Quia Iudaica perfidia fluctuante inferni Christus demersus est in profundum: & triduano cursu tota tartari occulta percurrens, & Iudaicæ crudelitatis, & maiestatis suæ, ac peremptæ mortis dedit indicium cum resurgeret: meritò ergo surgent Niniuitæ in iudicio: & condemnabunt illam generationē, quia illi vnius Prophetæ naufragi, aduenæ, ignoti, præconio corriguntur: isti post virtutes tantas, mirabilia tanta, cum toto resurrectionis corusco, ad fidem non veniunt, ad pœnitentiam non mouentur; ipsū namque resurrectionis signum non credunt, sed gestiunt infamare: dum prætio militum claudunt oculos, corda corrumpunt, quod scierant, quod viderant vt tacerent: redimentes mendacium vt tollerent veritatem, facinus suum in Christi retorsere discipulos, cum dicunt: Dicite, quia discipuli illius nocte venerunt, & furati sunt. Erras Iudæe: hoc discipuli non tulerant, sed magister: & ipse se furatus est,

Luc. 11.

Ionæ 1.

Philip. 2.

Ionæ 3.

Psal. 2.

Psal. 21.

Ioan. 10.

Psal. 18.

Psal. 30.

est,qui videbatur occisus. Sed miror quod Iudæus Christum requirit quem inter duos latrones feraliter collocarat: committit malè, custodit impiè, iniquius quærit.Iudæe,Christus perire non potest, sed tu eum tibi tuo scelere perdidisti. Veniet, veniet in iudicium regina austri,& eo ipso, qui furatus putabatur,iudice te condemnabit:quia illa venit ab extremo terræ audire sapientiam Salomonis, & tu ad venientem sapientiam Dei infœlicissimus occidisti. Niniuitæ credituratum gentium, regina austri Ecclesiæ tunc promissa est in figuram. Beati sumus fratres, quia quod præcessit in typo, quod promissum est in figura,nos specie, veritate veneramur,cernimus & habemus.

DE INIVRIA ÆQVO ANIMO tolerandæ.

SERMO XXXVIII.

QVanta sit cælestis Philosophiæ magnitudo. quāta virtus militiæ Christianæ hodie docuit
Matth.5. Dominus,sic dicendo:*Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam,præbe illi & alteram.* Hoc, putat arduum, qui præmia patientiæ quanta sint nescit. Putásne potest ille vulneribus inuenire victoriam, qui nec ictu palmæ acquirere vult coronam?Potest iste morte inquirere gloriam, cui pro honore diuino humana grauis videtur iniuria?Homo nónne prædeptis talibus infantiæ tuæ rudiméta compenuntur? Palmæ paruulorum sunt verbera,non virorum. Hinc est quod leuibus mandatis pueritia Christi animatur:vt ad grauia tota iam robore Euangelica inuentus accedat: vt hoc laboribus, pœnis, morte se gaudeat obtinere, quod per infantiam paruis iniuriis acquirere non valebat.Vt autem dura non esse quæ præcepta sunt,approben-
Exod.21. tur mādatorum series ipsa replicetur.*Audistis quia dictum est antiquis,Oculum pro oculo,& dentem pro dente:Ego autem dico vobis,non resistere malo:sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam præbe illi & alteram:qui vult tecum in iudicio contendere,& tunicam tuam tollere,remitte illi & pallium:Ei qui te angariauerit mille passus, vade cum*
Deut.12. *illo & alia duo.* Audistis quia dictum est antiquis. Quibus antiquis? vtique Iudæis, quos antiquos plus militia fecerat,quam vetustas,quos furor vindictæ cupidos sic tenebat:vt pro oculo caput, pro dente animam postularent.Hinc est quod eos lex ad vindictæ vicissitudinem refrænabat,vt qui veniam culpæ sapere non valebant, vel modum saperent vltionis: & tantum vindictæ exigerent, quantum læsionis intulerat, vis furentis. Sed hoc antiquis, nobis auté per gratiam innouatis diuina quid imperet bonitas,audiamus.*Ego autem dico vobis.* Quibus?vtique Christianis.*Non resistere malo.*Sic cum dicit, vult nos vitia non repensare vitiis, sed superare virtutibus:& in ipsis scintillis adhuc extinguere iram, quæ si peruenerit ad totum furoris incendium, sine sanguine non sedatur. Ira vincitur lenitat; mansuetudine extinguitur furor, malitia bonitate palpatur, crudelitas pietate prosternitur, impatientia patientia punitur, centen tio superatur iniuriis,superbiam humilitas sternit.Ergo fratres, qui vult vitia vincere,pietatis arma teneat,non furoris. Et quamuis possit lucere sapienti, quid sit quod instituuntur iniuriis primordia Christiana: tamen quia non intelligunt quidem esse hoc virtutis,esse hoc bonitatis culmen, pietatis esse hoc fastigium,hoc esse diuinæ Philosophiæ non humanæ,non resistere malo,sed vincere in bono malum, maledicenti benedicere,percutienti, iterum percutiendi licentiam non negare, tollenti tunicam dimittere pallium,& rapienti prædam facere largitatem: angarianti mille passus addere suam ad alia duo millia seruitutem: vt vincat necessitatem voluntas,impietatem pietas:& hoc sit patientis virtus, quod imperat vis cogentis, ergo quamuis ista doceant, quare miles Christi ad virtutem roboretur iniuriis:tamen vt plus pateat,qua ex causa sint præcepta,altius requiramus Fratres,vbi se peccatorum morbus,vitiorum scelus,impietatis phrenesis mentibus infudit humanis, & quicquid erat scientiæ, sensus,& rationis extinxit, furore vesano fecit per orbem diffusas gentes Deum fugere, sequi dæmones,creaturas colere,contemnere creatorem, desiderare vitia,horrere virtutes,agi gladiis,vulneribus ruere, viuos morbis deperire:vnde sanari aliter homines non valebant, nisi cœlestis medici armati pietate tota, & patientia niterentur:qui sic laborātium phrenesi paterentur iniurias, maledicta portarent,sustinerent verbera vulneribus scinderentur: donec eos ad sobrietatem sensus, ad synceritatem spiritus, ad mentium reducerent sanitatem: ac sic Deum quærere, fugere dæmones,languores sentire, sapere sanitatem,abiicere vitia,capere virtutes,declinare vulnera:horrere sanguinem, recusare mortem, vitam desiderare perficerent. Et si vultis vt quod dicimus,plenius innotescat,carnalium medicorū loqnamur exempla. Nonne quoties miserum hominem choleræ inflammauerit incendium, & dominante febre vrsanum reddiderit ægrotantem, turbatur sensus,mens deperit,feritas accedit,recedit humanitas,& ne multis,moriente homine furor viuit?Hinc est quod frendit dentibus parentes laniati scindit proximos,cædit pugno, morsu agit, atque, afficit obsequentes:tunc medicus, ad virtutis laudem, ad artis gloriam,ad famæ cumulum armatur patientia:tolerantiā sumit,iniurias despicit,morsus substinet,fert labores,& non leues pœnas patitur,vt à pœna liberet laborātem,fouet oleo,insistit curis, erogat medicinam,certus quod mercedem honoris, obsequiis repenset ægrotus dum receperit sanitatem.Rogo, quæ maior phrenesis, quæ grauior vis furoris,quæ par dementia,sancti hominis percutere maxillam? mansueti fratris faciem verberare? placidi vultus gratiam tristi liuore perfundere?nudare hominem solo, quo tegitur vestimento, & ob vilem prædam nil Deo,nil homini, nil naturæ relinquere,nil pudori?angariare hominem suis actibus occupatum? & alienam pœnam suum solatium computare? Ergo, fratres, si talia perpetrantes grauissima phrenesi laborare cognouimus,obediamus Christo, furentium fratrum morsus, verbera,onera,tota pietatis virtute portemus,vt & fratres nostros liberemus à pœna, & nos æternum patientiæ præmium consequamur:nec dedignetur seruus hoc accipere à conseruis, quod Dominus à seruis,& pro seruis dignanter accepit, palmis faciem non negauit,tollenti tunicam & pallium dimisit & corpus,angariantem se ad laborem,gratus ac libens est secutus ad mortem.Ergo fratres,si dignum Dominus pati duxit, pati seruum quomodo videtur indignum? Erramus,erramus fratres: qui non facit quod iussit Dominus, gratis speret Dominus quod promisit.

DE PERSEVERANTIA orationis.

SERMO XXXIX.

PEr se semper sibi diuina sufficiunt, sed ob hoc hominibus humanis frequenter insinuantur exemplis, quia cœlestis prouidentia non quid ipsa dicere, sed quid auditor capere possit, attendit. Sic fons per tenues venarum primitus erumpit meatus, atque angustis sensim serpit in riuulis, donec digno successu in totam se fluuiorum latitudinem prorumpat, & valenter effundat. Et vt vobis de nobis loquar: nato paruulo mox coæuum præparat succum natura, escam commutat in potum, & stupentes adhuc fauces, torpentesque internorum meatus, ad vsum solidioris cibi longa lactis infusione componit, sic nos Dominus ad capienda diuina vernaculis erigit & informat exemplis, dicendo,

Luc. 11. *Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illũ media nocte: & dicit illi, Amice, commoda mihi tres panes: quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illũ: & ille de intus respondeat, noli mihi molestus esse, quia iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili: non possum surgere & dare tibi: dico vobis, si non dabit illi surgens, quia amicus eius est: propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.* O quam dare vult, qui se inquietari taliter, taliter patitur suscitari. O quam necessitatis esse suæ, quod suæ potestatis est, vult videri. O quam pulsanti iste gestiuit occurrere, qui sic secreti sui cubile ipsam collocauit ad ianuam. O quam negare noluit, qui sibi etiam neganti qualiter extorquere, ostendit. O

Ioan. 10. quam non ad ianuam tantum Dominus, sed ipsa ianua Dominus fuit, Ego sum, inquit ianua. Qui dormientibus seruus pulsantis necessitatem solus & primus audiuit. O quam pius, quam misericors, qui quod mandatis docet, probat & informat exemplis. Cum facis, inquit, eleemosynam, noli tuba canere. Et iterum. Nesciat sinistra tua quid faciat dex-

Matth. 6. tera tua. *Quis vestrum habebit amicum; & ibit ad illum media nocte?* Parum est quod facienti misericordiam nox velabatur, quod largitatem dantis, petentis ob egebat improbitas, nisi ad cumulum pietatis velãdæ adscriberetur & somnus. Indicit in hac humanitate geminam necessitatis speciem, petentis & dormientis: vt illum petere hospes, dare compellat hunc somnus, vtpote qui propterea se daturũ ei dicat in tempore, quod non occurrere amico, sed recurrere videatur ad somnum, & vt ei magis dormire liceat, quam dare libeat sic petenti. Quid plura? ecce pulsanti illi plus somnus quam somnus extitit suffragator. Nec otium reor esse quod horam petendi sic aperit, sic designat, dicendo, *Quis vestrũ habet amicum, & ibit ad illum media nocte?* Quasi non & prima & secunda, & tertia hora noctis, cùm se sopor blandus dormientibus primum fundit in corpora, & visceribus diurno labore fessis dulcis, ac totus illabitur molesta, & aspera fit inquietantis improbitas. Sed hoc tempus est, quod deuotũ & iuge pernoctantis demonstrat iudicium, hoc tempus est, quo inter præteritos & futuros labores ardens animus, sed ad diuina, nil indulget corpori, nil quieti: sed antequam finiat transacti diei opera inchoat & anticipat iam futuri. Ista satis hora est efficax im-

Psalm. 118. petrandi: hoc sciens Propheta, ipsum tempus suæ supplicationis asserit extitisse? cantando: Media

Matth. 15. nocte surgebam ad confitendum tibi. In hac hora vigilantibus semper sponsus ille cœlestis occurrit qui dicit Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit. Non potuit non impetrare quod voluit: qui vt reciperet hospitem, hospitem reficeret, totam sibi requiem denegauit. Aut quomodo sic petenti, sic pulsanti, non responderet ille, qui se in hospite suscipi confitetur, cum dicit: Hospes fui, & suscepistis me. Æstimo hoc dixisse pulsantem, aut forte taliter conuenisse, feci quod iussisti, redde quod promisisti, tibi credidit dicenti Nolite solliciti esse in crastinum: Vnde hesterno hospiti quod apponerem non reliquit: si tibi ego sic habenti molestus sum, quanto mihi ille exstitit molestior non habenti? Et tamen ego illi excusare non potui, quia tibi obedire contendi. Plus hic iubentis, quam non habentis verecundia nunc laborat. Hospes in domo est, & tu dormis, imò tu dormis, qui non dormis. Ego suscepi hospitem, nisi dederis panem, panem hospiti tu negasti. Meritò sic pulsanti, petenti taliter, quotquot necessarios habuit Euangelicus iste fœnerator largitus est panes, quid faciunt qui se non in cubiculi, sed ipso collocant in sepulchro? qui se non somno, sed morti tradunt? quod gallus non commonet, lucifer non suscitat, sol ipse non reuocat & producit ad lucem? Isti & tempus supplicandi, & hospitis mercedem, & ipsa diei opera perdiderunt. Contristamur fratres, quando nos diluculo stamus ante dominum, & nobiscum nostros filios non videmus. Ille noctis medio sic pulsauit, in cuius domo hospes venerat, rogo, tu quare non vel diluculo vigilas, cui est hospes in domo? quod ille gratiæ, tu tribue vel pigritiæ: quod ille humanitati, tu necessitati saltem, plùs somni, quam tui amator impende: certè vt possis vigilare ad vitam, qui dormis ad mortem: quæ sequuntur, ausculta: *Et ego dico*, inquit, *petite, & dabitur vobis: quærite & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.* Sed dicis, esto quod petere possim, pulsare quomodo potero cœleste secretum? quemadmodum? iterando preces, & expectando iudicium largitoris, mora dantis patientissimè sustinendo, quia quicumque cùm semel pulsauerit, indignatur mox si non fuerit auditus, iste non est petitor supplex sed est imperiosus exactor: audi Prophetam dicentem: Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum. Et si iterum distulerit tu futurum, tu Dominum tuum patienter expecta. Vbi autem quid querere debeas, vis nosse, sunt diuitiæ in sinu pauperis, & regnum cœlorum intra te est: Intra vos est regnum cœlorum, dicit Dominus: Quis sit autem amicus qui dormit, & quis est amicus qui de via venit, & qui sunt pueri qui dormiunt, & quis est iste qui pulsat, & cur sub certo numero tres tantum postulat panes, cum petiero, quæsiero, pulsauero, & peruigil inquietator accipere meruero, vobis amicis mei Domini non negabo. Sed dicitis mihi, ecce amicus Domini tui venit ad te: iste dare, non accipere consueuit: hanc denique sitarchiam de viatici sui copia pastor auidus expleuit: vt de nostræ paupertatis vilissima præparatione gustaret, nec passus est intempesta nocte me sibi aliunde petere hospitum locupletissimus quod habebat. Nec mirum fratres, semper dare vult diues ad pauperem cum declinat. Iste illius Euangelici amici semper manet in ianua: in istius cubili ille cum pueris suis largiter Euangelicus perseuerat: in cuius corde Pater & filius, & Spiritus sanctus faciunt semper & collocant mansionem. Quid plura? Pater est ab ipso petere, in ipso quærere, per ipsum pulsare me credidi,

&

Ibidem. Matth. 6. Luc. 17.

& ideo me vobis daturum non incautus promissor asserui.

DE BONO PASTORE.

SERMO XL.

VBi vernalis auræ tempus annuos ouium cœperit partus aperire, vbi per campos, prata, vias cœperit fœcundi gregis germina copiosa dispergere pastor bonus seponit, & cantus, & discursu anxio teneros quærit, legit, colligit fœtus, atque eos collo, humeris, vlnis, lætus victor imponit, vt saluos omnes perferat, & totas perducat ad causas. Sic nos fratres, vbi quadragesima arridente verno Ecclesiasticum gregem videmus fundere vberes partus, tractatus nostri cantus & consueti sermonis epulas seponentes, totam curam in colligendo & comportando cœlesti germine anxij grauissimo labore dependimus. Sed quia agnos redditos gregi, & totos intra Christi videmus esse iam septa, diuinos lætissimi reuocamur ad cantus, dominici vobis cibi exultatione tota vitalis copias apponentes, vt quos socios senserimus in labore, participes in gaudiis habere possimus. Et quia præfatio hæc nostra pastoris boni fecit, & intulit mentionem: de ipso qui solus bonus, solus pastor, solus pastorum pastor est, tota sermonis nostri & tractatus repleatur & habeatur intentio. *Pastor*, inquit, *bonus, animam suam ponit pro ouibus suis*. Fortem faciat vis amoris, quia
Ioan. 10.
nil durum, nil amarum, nil graue, nil lethale, computat amor verus. Quod ferrum? quæ vulnera? quæ pœna? quæ mortes amorem præualent separare perfectum? Amor impenetrabilis est lorica, respuit iacula, gladios excutit, periculis insultat, mortem ridet, si amor est, vincit omnia. Sed quæramus, vtrum sit ouibus commoda mors ista pastoris, quæ destituit oues, quæ lupis tradit inerme pecus, quæ sic charum gregem ferinis morsibus derelinquit, direptioni dat, & exponit morti, sicut ipsius pastoris Christi probatur ex morte. Ex quo namque posuit ipse animam suam pro ouibus suis, séque Iudaico furore permisit occidi, oues eius gentilium velut prædonum diripiuntur incursu, mactandæ in carceribus velut latronum clauduntur antris, à persequutoribus quasi sæuientibus lupis sine cessatione laniantur, ab hæreticis quasi ab extraneis canibus rabido dente capiuntur. Hoc Apostolorum peremptus probat chorus: hoc martyrum toto orbe diffusus clamat sanguis: hoc Christianorum membra data bestiis, consumpta ignibus, demersa fluminibus, patenter demonstrant: quod vtique totum sicut mors intulit, ita vita potuit prohibere pastoris. Ideo pro te pastor amorem morte probat, quia cum videat ouibus imminere discrimen, cùm gregē defensare non possit, mauult mori antequam mali de suis ouibus quid videat. Sed quid faciamus, quia vita mori non poterat nisi voluisset? datori animæ animam quis tollere potuisset nolenti? dicente ipso, *Potestatem habeo ponendi animā meam, & potestatem habeo iterum sumendi eā, nemo tollit eā à me.* Ergo mori voluit, qui se, cum mori non posset, permisit occidi. Quæremus ergo huius quæ vis, quæ ratio sit amoris, quæ huius causa mortis, quæ huius sit vtilitas passionis. Est planè vis certa, vera ratio, causa lucens, vtilitas tanti sanguinis peraperta namque pastoris vna ex morte virtus emicuit singularis, pastor pro ouibus morti quæ ouibus imminebat, occurrit, vt auctorē mortis diabolum, nouo ordine captus caperet, victus vinceret, puniret occisus, & ouibus moriendo viam vincendæ mortis aperiret. Nam & diabolus, dum in hominem tendit, prosiliuit in Deum: dum in reum sæuit, incurrit in iudicem: inuenit supplicium, dum ingerit pœnam: ipse accipit, dum dat sententiam: & viuens mortalium pastu mors moritur, dum deuorat vitam: absorbens eos mors, absorbetur innocentiæ dum deglutit auctorem, & perit mors ipsa quæ perdebat omnes, dum omnium perimere vult salutem. Ergo tali forma præcessit oues pastor, pastor ab ouibus non recessit: nec illas dedit lupis, sed tradidit lupos illis, quibus donauit suos elidere sic prædones, vt occisæ viuerent, laniatæ resurgerent, sanguine suo tinctæ fulgerent regali purpura, niueo vellere perlucerent: sic bonus pastor pro ouibus cum posuit animam, non amisit, & oues taliter tenuit, non reliquit, nec destituit oues taliter sed inuitauit: quas per mortales campos, per iter mortis, vitalia vocauit & perduxit ad pascua. Sed dicit aliquis, quando hæc erunt? Ecce interim oues, id est, Apostoli, Prophetæ, Martyres, & Confessores iacent sepulti: discerpti toto sparguntur in orbe, inuoluti sanguine, terris clauduntur sepulchris. Et quis dubitat quòd resurgant, viuant, regnent occisi martyres, quando Christus illis resurrexit, viuit, & regnat occisus? Audi vocem pastoris huius: *Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me.* Necesse est, vt quæ sunt ad mortem secutæ, sequantur ad vitam, quæ ad contumeliam comitatæ sunt, comitentur ad honorem: & sint participes gloriæ, quæ passionis participes extiterunt. Vbi sum, inquit, ego, ibi erit & minister meus. Vbi? vtique super cœlos, vbi Christus est Ioan. 12.
ad dexteram Dei sedens. Homo non te turbet fides, spes te longior non fatiget: quia certa tibi res est, quæ in ipso tibi rerum seruatur auctore. Mortui, inquit, estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: cum autem apparuerit Christus Coloss. 3.
vita vestra, tunc & vos cum illo apparebitis in gloria. Laborans messor quod in semine non videt, videbit in messe, & quod in sulco deflet, gaudebit in fructu.

DE IEIVNIO, ET ELEEMOSYNA.

SERMO XLI.

BElla gentium legimus superasse quamplurimos, quos tamen pugnas carnis legimus non vicisse, & audiuimus eos dedisse delictis pectora, qui dorsa hostibus nō dederunt. Proh dolor, victores gentium vitiorum fuisse captiuos: nationum dominos turpi seruisse criminibus seruitute: stetisse inter sæuientes gladios, & inter eneruata lenocinia corruisse, regnis fuisse terrori, ludibrio fuisse peccatis: aduersas acies contriuisse ieiunos, & crapulatos suarum castra dissoluisse virtutum, iacuisse effuso vino, qui iacere effuso sanguine nescierunt. Vnde est hoc? vnde? quia hoc non est ratio, sed languor: non vita, sed febris: phrenesis, non natura. Nam quoties ciborum cruditas vitalia deiicit, infirmat stomachum, corrumpit sanguinem, vitiat humores, succendit choleram, extremum febris gignit incendium, toties æger mentem perdit, amittit sensum, fertur desideriis, contrariis, vrgetur, salutaria respuit, quærit noxia, fugit curam: tunc medici studio parant abstinentiæ remedio subuenire vt sanetur: vt sanet abstinentia, quod voracitas sauciarat. Et si pro temporali curā ægri medicis obediunt, seruat arduam parcitatem: quare pro sempiterna salute sit durum

Christo

Christo moderatis obedire ieiuniis? corpus gubernare mensura? mentem regere parcitate? sensum sobrietate frænare? Sicut tetræ nubes caligant cœlum, sic obscurant animas intemperata conuiuia: sicut ventorum turbines elementa confundunt, sic fercula congesta stomachum conturbant: vt nauem fluctus, corpus ebrietas sic demergit, hominem dat in profundum, lucra vitæ aufert, mortis facit subire naufragium. Est ergo febris,
Rom. 7. est febris quam beatus Apostolus anhelare in humanis visceribus sic deplorat. Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum: si non bonum, vtique malum, quod malum? Fragilitas certè, quæ dum serpit in carne, in venis æstuat, intrat ossa, conditur in medullis, feruet in sanguine, in vitiorum phrenesim sic erumpit. Fragilitas febris naturæ, languorum mater, genitrix passionum: fragilitas est, quæ nobis ius necessitatis imponit: & vbi necessitas, non voluntas, vbi extat de conditione captiuitas, iudiciū de potestate non constat. Fragilitas est per quam vadit homo, non quo inuitat voluntas, sed quo necessitas ducit: audi Apostolum dicentem.
Rom. 7. Non quòd volo hoc ago. Fragilitas dum paras homini necessaria, facit illum ad non necessaria peruenire: dū parat cibum perducit ad crapulam: ebrietatem suadet, dum potum ministrat: offert somnum, vt inertiam tradat: cura ventris onerat, vt salutis auferat curam: dat carni totū, vt animæ nil relinquat: facit corpus passionum pompam: facit vt sit homo sua mors, vita vitiorum. Vnde si se homo taliter sentit ægrotum, medico se cœlesti tradat, securè eius monitis acquiescat, à cibis se temperet, mensuram seruet in potu, vt possit sic fragilitatis superare languorem, fragilitatem fugere passionum, febrim ac phrenesim vitare vitiorum. Abstinentia est hominis prima medicina, sed ad plenam curam misericordiæ requirit expensas. Abstinentia extinguit febrem, sed arefacta membra longæ febris incendio, nisi largo infundantur vnguento, nisi blandissimis rigentur fomentis, nisi iuuentur medicinæ sumptu, ad integram sanitatem redire non possunt: sic ieiunium quamuis excludat vitiorum morbos, carnis amputet passiones, criminum causas propellat: tamen sine misericordiæ vnguento, sine pietatis rino, sine eleemosynæ sumptu, perfectam salutem mentibus non reponit. Ieiunium sanat vulnera peccatorum, sed cicatrices vulnerum sine misericordia
Luc. 11. non emundat. Audi Dominum dicentem: Date eleemosynam, & ecce sunt vobis omnia munda. Ieiunium singulari cultu euellit vitia, eradicat crimina: ad fructus bonos agrum parat & mentis & corporis: sed nisi misericordiæ fecerit fundamenta, senium est studium ieiunantis. Ieiunium est sanctitatis hostia, sacrificium castitatis, sed sine misericordiæ incenso ad diuinum non potest conspectum in odorem suauitatis ascendere. Quod anima est corpori, hoc misericordiam constat esse ieiunio: quando ieiunium ex misericordia viuit, tunc viuificat ieiunantem. Ieiunium virtutum nauis portat quæstum vitæ: lucrum salutis aduectat. Sed qui intrat carnis pelagus, scindit vitiorum fluctus, inter scopulos criminum transit, præterit littora passionum: nisi cito portum pietatis intrauerit, exercere virtutes non potest, lucrum non potest habere virtutum. Qui se stare nouit in huius vitæ lubrico, qui se intelligit carnis viā transire per lapsum, qui se sentit incursionibus ignorantiæ, negligentiæ casibus subiacere: sic ieiunium teneat, vt misericordiam non relinquat. Ieiunium nobis aperit cœlum, ieiunium nos intromittit ad Deum, sed nisi tunc affuerit nobis misericordia nostrarū patrona causarum, qui de innocentia constare non possumus, securi de venia non erimus, dicente Domino, Iudicium sine misericordia illi, qui non fecerit miseri- Iacob. 2.
cordiam, dies gratus, sed gratior est serenus, erit ergo ieiunium nostrum illo clarius, si nobis quadragesimæ dies splendor misericordiæ dat serenos. Clamat Deus, misericordiam volo. Homo da Deo Oseæ 6.
quod vult, si vis tibi dari à Deo quod vis. Misericordiam volo, Dei vox est, Deus à nobis misericor- Psal. 28.
diam petit, & si dederimus, quid dicturus est? Illud quod hodie lectum est. Esuriui, & dedistis mihi mādu care: sitiui, & dedistis mihi potum. Et quid? Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Qui dederit esurienti panem, dabit sibi regnum, negabit sibi fontem vitæ, sitienti aquæ calicem qui negarit. Amore pauperis Deus suum regnum vendit, & vt emere illud omnis homo possit, fragmentum panis ponit in pretium, quia vult habere omnes, qui tantum petit pretij, quantum hominem scit habere. Deus regnum suum fragmento panis vendit, quis excusare poterit non ementem, quem tanta vtilitas venditionis accusat? Fratres prandium nostrum sit pauperis cœna, vt mensa Christi nostrum paretur in prandium: promittente ipso, cum dixit, Manducabitis in mensa mea in regno Lucæ 22.
meo. Fratres, sint deliciæ pauperum nostra ieiunia, vt temporale ieiunium nostrum in æternas possit nobis delicias immutari. Homo dando pauperi das tibi, quia quod pauperi non dederis, habebit alter. Tu solum quod pauperi dederis, hoc habebis.

DE EISDEM.

SERMO XLII.

IEiunij bona, fratres, prout potuimus superiori sermone perstrinximus, & quod esset oratio cognata ieiunio, patefecimus ipsa conclusione sermonis. Sed quia ieiunium sine misericordia deficit, ieiunium sine pietate ieiunat, sine miseratione infirmatur oratio, oratio sine largitate lassescit, reficiamus nostrum misericordiæ exhibitione ieiunium, orationem nostram pietatis erigamus auditu. adhibeamus ieiunio misericordiam patronam, quia fames est auaritiæ ieiunium sine misericordia, cupiditatis pœna est, sine pietate ieiunium, vltio, non deuotio est, non Deo ieiunare, sed sacculo, atterere se abstinentia, & hydropi cupiditatis inflari, exonerare ventrem cibis, & mentem pecuniæ pondere prægrauare. Ipsum se redigit in sacculum, qui pecuniam nescit prorogare, sed claudere: iste alienorum custos, non dominus est suorum, quia parat aliis, negat sibi, cum misericors eroget, quod auarus oppressit. Est ager cultus sine semine, sine miseratione ieiunans. Ager cultus caret sentibus, vitat gramina, euadit totum quod est negligentiæ, quod est squalloris, sed sicut sine semine fit sterilis, ipso cultu fructum non dat, dat laborem, & ad bonam frugem non valet peruenire, ieiunans ita excolit animam, purgat sensus, cor mundat, abscindit vitia, eradicat crimina, dat menti cultum corpori dat decorem, sed sine misericordia ad fructum vitę non peruenit, ad salutis præmium non vadit. Quod est sine rege aula regia; hoc est, sine largitate ieiunium. Aula regis fulget auro, nitet marmore, picturis splendet, grandescit spatiis, leuatur culmine, amœnatur viretis, ipso terribilis est secreto, sed sine

ſine rege honorem non habet, caret gloria, eſt vacua ſolitudo, eſt clauſa eremus, eſt horrilis ſolitudo, ſic ieiunium lucet innocentiâ, radit caſtitate, fulget actu, pingitur motibus, inceſſu micat, ſanctitatis toto magnificatur ornatu: ſed ſine miſericordia gloriam non habet, mercede caret, palmam non tenet, perdit fiduciam ſupplicandi, impetrandi meritum non capeſcit: atteſtante ſcriptura, quæ dicit: Qui claudit autem ne audiat infirmum, & ipſe clamabit, & non erit qui exaudiat. Quomodo petet miſericordiam, qui negarit; Iudicium, inquit, ſine miſericordia fiet illi, qui non fecerit miſericordiam, miſericordiam qui non dat alteri, tollit ſibi Miſericordia ſibi erit, qui ſpargit pauperi, Diſperſit, inquit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Miſericordiam qui ſeminat inopi, ſibi metit. Qui ſeminant, inquit, in lachrymis, in gaudio metent. Non ſic imber infundit terram, quomodo ieiunium lachrymæ rigant pauperum. Homo in lachrymas pauperum iacta ſeminat ieiunij tui: quia ſiccantur ieiunij virtutes, areſcunt ieiunantium meſſes, quæ pauperum fletibus non fuerint irrigatæ. Cœli pluuia infundit terram, lachrymæ pauperis cœlum rigant: ergo ſitit cœlum, & expectat deploratus pauperum vice roris, quia miſericordia arat cœli campos, ſulcos ducit pietas per ſuperna, illic miſericordia ſeminat, quæ ſuſceperit manus pauperis, ibi metit, ibi ſegetem colligit, qui ſemen ſuum pauperi commiſerit hic ſerendum. Beatus cui ſeminanti ſic æterna horrea perpetem præparantur ad vitam. Hunc ſerentem beatus Apoſtolus perſcribebat, cum diceret: Hoc autem dico: Qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet: vnuſquiſque ſicut propoſuit cordi ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus. Magna ſunt opera Domini, ſed magnitudinem præcellit miſericordiæ magnitudo: nam quum dixiſſet Propheta: Magna opera Domini adiecit alibi: Miſericordiæ eius ſuper omnia opera eius: Miſericordia fratres, implet cœlum: replet terram, Domine, inquit, in cœlo miſericordia tua. Et idem ipſe: Miſericordia Domini plena eſt terra. Et reuera, fratres, periiſſet totum quod Deus fecerat, niſi miſericordia ſubueniſſet, culpa & vltio quicquid in hunc mundum venerat, auferebant: quia & fragilitas ſemper tendebat ad lapſum, & cogebatur ad vindictam ſemper cenſura iudicantis. Sic Angelus deiicitur è cœlo: ſic de paradiſo exulat homo, ſic mundus diluuio deletur, ſic gentes confunduntur linguis, dantur gladio, ſic exuruntur vrbes incendio diuino, ſic ex Ægypto plebs educta in eremo occulebatur, ſic terra hians vorat populum: & ne multis, ſic Iudæam vltor Chriſti ſanguinis Romanus deleuit exercitus. Hæc eſt Chriſti magna, larga, ſola miſericordia, quæ iudicium omne in diem ſeruauit vnum, & homini totum tempus ad pœnitentiæ deputauit inducias, vt quod de vitiis infantia ſuſcipit, rapit adoleſcentia, inuadit iuuentus, corrigat vel ſenectus: & de peccato vel tunc pœniteat, quando ſentit iam ſe non poſſe peccare, & tunc ſaltem reatum deſerat, quando illum reliquerit iam reatus: faciat de neceſſitate virtutem, moriatur innocens, qui totus vixit in crimine, Hinc eſt quod Propheta ad miſericordiam currit totus, quia fiduciam de ſua iuſtitia non habebat, miſerere inquit, Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. Et quare magnam? quia miſericordia tua, inquit, magna eſt ſuper me, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori. Et ſi Deus reddit per miſericordiam, quod per iudicium deperierat, homo tibi quid ſtare quid conſtare ſine miſericordia tu putabas; Probatum eſt ergo tibi non ieiunium ſolum, ſed omnes ſine miſericordia nutare virtutes. Abraham cœleſtis cōuiuij principem humanitas ardens Deo impenſa perficit: nam quia duos cum Deo terrenam ſuſcepit ad menſam orientis & occidentis populū menſam ſuſcepit ad cœleſtem. Venient, inquit, ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cœlorum. Loth, quia hoſpitio ſuſcepit Angelos, iudiciū præuenit. Hinc gehennam vicit in carne: miſericordiam neſcit diuinus ignis exurere. Facit ergo miſericordiam, qui vult gehennæ incendium non timere. Denique veniens Chriſtus antè de miſericordia diſputat, quam iudicet de reatu. Cùm ſederit, inquit, ſuper thronum gloriæ ſuæ, dicet: Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare. Non dixit, occidiſtis, furtum feciſtis: ſed eſuriui ego, & non dediſtis mihi manducare. De crimine non præſtabit cauſas, cui de miſericordia cauſa conſtabit. Quare? quia date eleemoſynam, & ecce ſunt vobis omnia munda. Non iudicabitur de culpa, cui de largitate laus defertur à iudice: vindictam non exigit, humanitatis debitū qui fatetur. Eſuriui, inquit, & non dediſtis mihi manducare. Manducat Deus in cœlo panem, quem perceperit in terra. Quandiu feciſtis vni ex minimis iſtis, mihi feciſtis Da ergo panem, da potum, da veſtimentum, da tectum, ſi Deum debitorem, non iudicem vis habere nihil nobis nocebit in terra, ſi nobis in cœlo miſericordia patrona.

Prouer. 21. Iuxta LXX. Pſalm. 111. Pſal. 115. 2. Cor. 9. Pſal. 120. Pſal. 144. Pſal. 35. Pſal. 32. Eſai. 14. Geneſ. 3. Geneſ. 7. Geneſ. 11. Geneſ. 14. Gen. 19. Exod. 19. Num. 16. Matth. 24. Pſalm. 50. Pſalm. 85. Geneſ. 18. Geneſ. 17. Matth. 25. Luc. 11. Matth. 25.

DE ORATIONE, IEIVNIO & eleemoſyna.

SERMO XLIII.

POpulis populariter eſt loquendum, communio compellenda eſt ſermone communi, omnibus neceſſaria dicenda ſunt more omnū, naturalis lingua chara ſimplicibus, doctis dulcis, docens loquatur omnibus profutura, ergo hodie imperito verbo veniam dent periti. Tria ſunt, tria fratres, per quæ ſtat fides, conſtat deuotio, manet virtus: Oratio, ieiunium. Miſericordia. Quod oratio pulſat, impetrat ieiunium, miſericordia accipit. Oratio, Miſericordia, Ieiunium ſunt hæc tria vnum, dant hæc ſibi inuicé vitam. Eſt namque orationis anima ieiunium. ieiunij vita miſericordia eſt. Hæc nemo ſcindat: neſciunt ſeparari. Horum qui vnum habet, iſta qui ſimul non habet, nihil habet. Ergo qui orat, ieiunet qui ieiunat miſereatur: audiat petentem, qui petens optat audiri: auditum Dei aperit ſibi, qui ſuum ſupplicandi non clauſit auditum. Ieiunium ieiunator intelligat, eſurientem ſentiat qui vult Deum ſentire quod eſurit: miſereatur, qui miſericordiam ſperat: pietatem qui quærit faciat, qui præſtare ſibi vult, præſtet. Improbus petitor eſt, qui quod aliis negat, ſibi poſtulat. Homo eſto tibi miſericordiæ forma, ſic quomodo vis quantum vis, quam cito vis, miſericordiam tibi fieri: tam cito aliis, tantum, taliter ipſe miſerere. Ergo oratio, miſericordia, ieiunium, ſint vnum patrocinium pro nobis ad Deum pro nobis hæc aduocatio ſint vna, vna hæc pro nobis oratio ſit triformis. Hæc ſunt, fratres, hæc ſunt quæ tenent cœli arcem, quæ ſecretum Dei iudicis pulſant, quæ ante tribunal Chriſti cauſas humani generis exequuntur, quæ iniuſtorum

rum petunt indulgentiam:reorum veniam promerentur. Hæc cui in cœlestibus non assistunt, pise non subsistit in terris:hæc cum teneant in cœlestibus principatum, in terris rerum summam moderantur, hæc regunt prospera, hæc aduersa propellunt, vitia extinguunt ista, virtutes ista succendunt, hæc reddunt casta corpora, corda pura, hæc pacem membris, mentibus dant quietem, humanos ista sensus, scholam faciunt disciplinæ, per hæc in templum Dei pectora humana consurgunt, hæc
Exod. 14. hominem præstant Angelum, homini deitatis de-
Exod. 16. ferunt hæc honorem. Hinc est, quòd fit horum
Exod. 13. suffragio Moyses Deus, & ad triumphos suos mi-
Num. 28. litare sibi omnia mandat elementa:iubet mare dis-
Exod. 24. & 25. cedere, durari vndas, profunda siccari, cœlum
4. Reg. 2. pluere, dat frumenta, ventos spargere cogit carnes, noctem splendore solis illustrat, solem nubis temperat velamento, petram percutit: vt de recenti vulnere frigida sitientibus det fluenta, primus dat terris legem cœli, scribit vitæ normam, figit terminos disciplinæ. Per hæc Elias nescit mortem, relinquit terras, cœlos intrat, commoratur Angelis, conuiuit Deo: & terrenus hospes supernas possi-
Marc. 1. det mansiones. Per ista Ioannes fit Angelus in carne, cœlestis in terra, & auditu, visu, tactu, totam solus capit, tenet, complectitur Trinitatem. Et nos fratres, si volumus Moysi gloriæ, Eliæ vitæ, Ioannis virtutibus omnium sanctorum meritis applicari, insistamus orationi, vacemus ieiunio, misericordiæ seruiamus: qui in his vixerit, qui per ista fuerit communitus, iacula peccati, diaboli tela, mundi machinas, vitiorum cuneos, mala carnis, voluptatum laqueos, arma mortis, Christianus armiger, bellator dominicus non timebit: sed nos qui ad incerta consurgimus, qui inter insidias diem ducimus, qui horarum varietates, momentorum motus, verborum lapsus, actuum pericula sustinemus, quid est quod Ecclesiam mane nolumus intrare? quid est quod matutina prece totius diei custodiam nolumus postulare? quid est quod homini astare toto tempore libet, & Deo assistere nec puncto libet? Non est nostrum, fratres, non est nostrum: inimici est ista surreptio, decipere parat quos non patitur orationibus communiri. Quid de aduersis queritur, qui sibi prospera non precatur? Audiamus vocem Dei mo-
Matth. 26. nentem: Orate ne intretis in tentationem. In tentationem vadit, qui ad orationem non vadit. Hoc
Psalm. 94. sciens Propheta, cantabat: Venite adoremus, & procidamus ante Deum: & ploremus coram Domino, qui fecit nos: putasne ante Deum lachrymas fundere dignatur, qui verba non dignatur expromere? Magnificemus, oremus: vel humano timore, si non amore diuino, si non inuitati bonis, vel coacti malis. Mala tempora facit nobis contemptus Dei, temporum cursus non facit. Quod ergo contemptu perdidimus, ieiuniis conquiramus, animas nostras ieiuniis immolemus: quia nihil est quod Deo præstantius offerre possimus probante Propheta: cum dicit, Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor con-
Psalm. 50. tritum & humiliatum Deus non spernit. Homo offer Deo animam tuam, & offer oblationem ieiunij: vt sit pura hostia, sacrificium sanctum viuens victima, quæ & tibi maneat, & data sit Deo. Hoc qui non dederit Deo, excusatus non erit: quia daturus se non potest habere. Sed accepta vt sint ista, misericordia subsequatur: ieiunium non germinat, si de misericordia non rigetur: siccatur ieiunium misericordiæ siccitate, quod imber terris, hoc ieiunio misericordia est. Quamuis cor excolat, carnē mūdet, eradicet vitia, virtutes serat: si misericordiæ fluenta non dederit, fructum non colligit ieiunator. Ieiunator ager tuus misericordia ieiunante ieiunat: ieiunator quod tu in misericordia fuderis, tibi in horreo hoc redundat. Homo ergo ne seruando perdas collige porrogando: homo dando pauperi, da tibi: quia quod tu alteri reliqueris, non habebis.

IN PSALMVM I.

SERMO XLIV.

PERitus medicus, quoties vario languore defessis plenam desiderat conferre medicinam, altas aperit morborum causas, latentes pestilentiæ exponit incursus, pestiferas caueri commonet regiones, quam plurima remediorum genera demonstrat, herbarum vires pandit, medicamentorum loquitur qualitates, obedientia promittit longissimam sanitatem: sic ægros arduas & asperas suadet, & perducit ad curas. Hinc est, quod Propheta sanctus corporis, animæque medicinam cælitus prolaturus, impietatis profundos patefecit recessus, opertos peccatorum nudat morbos, iniquitatis ostentat secretum virus, vitiorum naturas, origines delictorum, radices criminum mirabili ratione depromit. Sic ægras mortalium mentes moderatione pia pro ætate, pro sexu, pro tempore, pro viribus ad salutem perpetem diuina curatione perducit. Psalmos quem hodie cantauimus Psalmorum præfatio est, imò & Psalmorum Psalmus titulorum titulus, est argumentum generans argumenta, est tota causa sequentium canticorum Et sicut clauis aulæ regalis, vbi primam ianuam, patefecit, penetrales reddit intimas ac multiplices mansiones: ita Psalmus iste vbi reserauerit aditus intelligentiæ primos, Psalmorum omniū pandit mysterium, pandit secretum. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum nō stetit & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Beatus vir, sicut dimicaturo cū bestiis, & grauissimorum certaminum discrimina subituro pronuntiantur ante breuia, præmia, coronæ, Propheta beatitudinem sic præmisit, vt prouocaret hominem totam, quam post enumerat, criminum vincere feritatem. *Beatus vir, qui non abiit in concilio impiorū, & in via peccatorū non stetit.* Quod in concilio abire, & in via stare dixit, forsitan videatur absurdum: cum in consilio consistere, & in via abire magis hominū sit in vsu. Peruersa quidem sunt vniuersa peruersis, nec possunt tenere ordinem, quæ per ordinem non aguntur: tamen hic Propheta non de corporis loquitur, sed mentis incessu: neque prohibet pedum lapsus, sed ruinas arcet animarum: *Beatus vir, qui non abiit in concilio impiorum.* Abiit, abiit à se, à Deo impius cū recessit: nec stat in cōsilio impiis cogitationibus qui vagatur. Iste modò fertur ad cœlū, modo refertur ad terras, iactatur per maria, leuatur fluctibus, mergitur in profundo: cúmque sua semper mente volutetur vt ebrius, non se computat, & computat cœlum: qui se scire existimat totum, se nescit, qui si sciret se, numquam cœlum solem, lunam, ligna, lapides adoraret, quæ sunt omnia suæ data & subdita seruituti, sed adorat lapidem, seruit ligno qui Deo viuo, Deo vero seruire contempsit. Et vt ab ipso principio rerum impietatis facta replicemus, impietatis consilium perduxit ad inferna, Angelum de supernis, nuncium cœlestis secreti in diabolum commutauit, hominem de regimine

vitæ ad mortalis habitaculi transmisit exilium, de paradisi deliciis ærumnosos sæculi pepulit ad labores, mulierem de virginitatis gloria gemitus conscios deiecit ad partus, inde est quod antequā gaudeat, non ignorat dolores, & soluit antè de Reatu pœnam, quam sobolis gaudeat de processu. Multiplicans, inquit, multiplicabo tristitias tuas, & gemitus tuos, in tristitia & gemitu paries filios. Qualis finis est, vbi est origo pœnalis? in vita lætitia quem tenebit, qui vitæ sumit exordium de mœrore? Hoc Propheta nouerat qui dicebat. In iniquitatibus conceptus sum: & in delictis peperit me mater mea. Si sic fratres ab vtero in viam proiicimur peccatorū, & delictorum iter totas currimus per ætates, cogitemus infantiæ vanitates, adolescentiæ lapsus, iuuentutis ruinas, senectutis morbos, & tunc nos non viam vitæ, sed peccatorum viam carpere sic videbimus. Hanc viam notat Christus, sic dicendo. Quàm lata & spaciosa via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Delictis lata, diffusa fluctibus, criminibus spaciosa, & verè via est vita præsens, in quam venit, & vadit homo. Generatio, inquit, vadit, & generatio venit, & terrā in æternum stat. Et ideo ante dixit: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit.* Non dixit, non venit: nemo enim in viam non venit peccatorum, in qua nos lex ipsa naturæ perducit, & mortis, sed beatus ille, qui non stat in ea. Stat ille, ille demoratur in ea, qui leuat onera peccatorum, & onustus viator tarde peruenit, & cœlestem clausam sibi inuenit mansionem. Istis ponderibus impeditus flebat Propheta, dicens: Iniquitates meæ superposuerunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Et quia toto vitæ tempore has ferebat, exclamat: Miser factus sum, & incuruatus sum vsque in finem. Peccatorum viam viator ille pertransit, qui mala huius vitæ videt, sed despicit: sentit, sed calcat: patitur, sed vincit: & dum fugit illa, plus currit: vnde illi occurrit cœlestis ianitor, cœlestis illi mansio, sed non claudit. Sed quid est quod peccatorum viæ impietatis consilium sic præmisit: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit?* Quia & si natus homo & mox peccatorū venit in viam, iacet tamen primum: non mox peccati currit in viam, sed vbi cœperit impietatis venena gustare: tunc saporem trahit de pinguedine peccatorum. Impius in Deum tendit, à Deo vadit cum delinquit: peccatores Deus contemnit, qui antè mandauit non debere peccare. Lucem tenebræ fugiunt, tenebræ luce redeunt abscedente: vbi Deus, peccatum nullum: vbi peccatum, non ibi Deus. Et vt scias homo à conspectu Dei hominem viam cursitare peccatorum, audi prophetam: Non est Deus in conspectu eius, polluuntur viæ eius in omni tēpore. Grauius ergo homo tunc in via labitur peccatorum, quando in ea per prærupta impietatis illabitur. *Et in cathedra pestilentiæ non sedit.* Impietatem probat, qui facit, amat, non potest nō docere: hinc est, quod docens impietatem, pestilentiæ residet in cathedra: & sermone mellito virus doctrinæ lethalis audientibus sic diffundit. Pestilentiæ cathedram Philosophiam posui, quæ docuit aut deos multos aut eum, qui est, vel non esse, vel non posse docuit inueniri: qui ipsam creaturam naturæ dedit, vt naturæ negaret auctorem. Cathedram pestilentiæ Pharisæus proposuit: qui traditiones humanas decretis cœlestibus anteponens, vastam lucem fudit populo Iudæorum. In cathedra pestilentiæ hæreticus sedit, qui sub fidei specie scindit, rumpit, distrahit vnitatem. *Beatus ergo vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Et planè beatus, quia ista tria declinando ad Trinitatis beatitudinem meruit peruenire. Meditetur ergo in lege Domini, & meditetur die ac nocte, vt quæ sequuntur mereatur videre in futuro, & audire latius tempore competenti.

Gen. 3. · Psalm. 50. · Matth. 7. · Ecclesf. 1. · Psal. 37. · Psal. 3.

IN PSALMVM VI.

SERMO XLV.

Responsorium, quod hodie Propheta supplicante cantauimus, opportunum tempori, aptum malis præsentibus mecum vestra probat, & cognoscit affectio. *Domine*, inquit, *ne in ira tua arguas me: neque in furore tuo corripias me.* Et Deus tumescit ira? calescit furore? absit fratres. Deus nec subiacet passioni, nec ira accenditur, nec furore turbatur: sed ira Dei est delinquentium pœna: furor Dei est supplicium peccatorum. Fratres. puluere concreti, psalmati luto, calcamur vitiis, subdimur delictis, curis conficimur, arescimus membris, membro dissoluimur, fœtidis horremus sepulchris, & sic inhabiles ad virtutes, ad vitia habiles inuenimur. Propheta ergo memor fragilitatis humanæ, & carnalis substantiæ conscius, quia non confidebat de meritis, ad auxilium misericordiæ conuolauit: vt Dei constaret circa eum de pietate, non de seueritate iudicium. *Domine, ne in ira tua arguas me.* Hoc est dicere, argue me, sed non in ira: corripe me, sed non in furore: argue me, vt parens, non vt iudex: corripe me non vt dominus, sed vt parens: argue me non vt perdas, sed corripias: corripe me, non vt interimas, sed emendes: & hoc quare? quoniam infirmus sum. *Miserere*, inquit, *mei Domine, quoniam infirmus sum.* Quid infirmius homine, quem sensus fallit, ignorantia decipit, circumuenit iudicium, pompa lædit, tempus deserit, mutat ætas, hebetat infantia, iuuentus præcipitat, senectus frangit? Huic ergo Deum irasci in ira, indignari in furore, non est, non est creatoris pij, sed est seuerissimi cognitoris. *Miserere mei Domine, quoniā infirmus sum.* Et quid vis? *Sana me Domine.* Sentit iste status sui vulnera, sentit morsum serpentis antiqui, sentit primi parentis ruinam, agnoscit se ad has infirmitates venisse, nascendo: agnoscit se ad mortem naturaliter peruenisse: & quia mortem remouere non poterat ars humana, diuinam cogitur expetere medicinam: & vt facilius ægritudini suæ impetret curam, ipsius ægritudinis causas aperit, qualitates narrat, magnitudinem pandit, exprimit vim doloris. *Sana me Domine.* Quare? *Quoniam conturbata sunt ossa mea.* Totam structurā corporis ossa portant. & si ossa turbantur, quæ membrorum firmitas? quæ fortitudo neruorum? vbi carnis miseranda substantia. Turbantur ossa, fratres, peccatorum pondere, metu mortis, terrore iudicij: audi ipsum alibi hoc dicentem: Non est, inquit, sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Et post: Anima mea impleta est illusionibus, & non est sanitas in carne mea. Meritò ergo addidit. *Et anima mea turbata est valde.* Inter Dei præcepta & cordis passiones, inter virtutes & vitia, inter aduersa & prospera, inter pœnas & præmia, inter vitā & mortē, stans in acie bella sustinēs, suscipiēs vulnera, raro stans, occūbens sensu, turbatur anima, turbatur valdè: quia

Psalm. 37.

carnis impedita ponderibus, priusquam ad virtutes veniat, vitiorum fit ante captiua. Hæc bella describit Apostolus, cum dicit: Caro concupiscit aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus carnem: vt non quæ vultis, illa faciatis. Galat. 5. Et alibi: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati. Rom. 7. Allegans ergo beatus Propheta has infirmitates, hæc bella, has animorum turbationes, Deum tali voce conuenit: *Et tu Domine vsquequo?* Hoc est, quousque pateris? quousque dissimulas? quousque non subuenis? quousque dissipari opus tuum, deleri imaginem tuam, tuam tibi creaturam perire permittis? Vbi est Christus tuus toties nunciatus per legem, per nos, per Prophetas multifariè repromissus? Veniat, veniat, prius quàm pereunte sæculo in sæculo nil inueniat quod resaluet. Veniat, veniat vt carnem reparet: innouet animam, ipsam naturam in cœlestem commutet substantiam. Veniat, vt peccatum tollat: mortem deleat, destruat infernum, vitam reddat, donet cœlum ne amplius terrena labes possit in nobis inuenire quod perdat. Hoc autem petere Prophetam, sequens sermo demonstrat: *Conuertere Domine.* Homo Deo, reus iudici, addictus sic loquitur cognitori? *Conuertere Domine.* Homo peccat, & Deus conuertitur? Ita fratres, quia iuxta Prophetam: Iste peccata nostra portat, & pro nobis dolet. Esai. 53. Iuxta LXX. Et beatus Ioannes: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ioan. 1. Suscepit peccatum, vt peccatum tolleret, non haberet. *Conuertere Domine.* Vnde? vbi? De Deo in hominem: de domino in seruum: de iudice in patrem: vt pium conuersio te demonstret, quem potestas terribilem comminatur. *Conuertere Domine, libera animam meam.* De inferno, inferiori. *Saluum me fac propter misericordiam tuam.* Non propter meritum meum, quem labor afficit, gemitus sauciat, soluunt lachrymæ, ira turbat, impugnat inimicus Sed hoc vt clareat, ipsa Prophetæ decantetur oratio. *Saluum me fac propter misericordiam tuam.* Quare? *Quia non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi? Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lachrymis meis stratum meum rigabo.* Hoc dicebat sanctus Dauid in regali vertice constitutus: qui sic agebat principatum potestatis humanæ, vt in se sanctitatem Spiritus, Prophetæ gratiam custodiret, & nos in ira tota Dei positi nescimus discere, *Domine ne in furore tuo arguas me.* Terra negat fructus, cœlum temperiem, aër salubritatem: hinc pestilentia vbique diffusa per vrbes, per agros vario membrorum genere consumit genus omne mortalium, & tamen nos non dicimus: *Domine ne in furore tuo arguas nos? neque in furore tuo corripias nos.* Ille post triumphos gemitibus noctes & dies lachrymis occupabat, nos sub hostili gladio subiacentes, nulla tempora Deo damus, nullas vel ad horam lachrymas Deo fundimus: sed iugiter rapinis, fraudibus, periuriis, dolis, detractionibus nosmetipsos tradimus & donamus, vt magis, magisque iram Dei in nos fomentis criminum suscitemus. Venite fratres, venite cum Propheta: Venite adoremus, & procidamus ante eum, & ploremus coram Domino qui fecit nos, venite dicamus, *Domine ne in ira tua arguas nos, neque in furore tuo corripias nos.* Psal. 6. Vt memor misericordiæ suæ iram mutet in misericordiam, reddat perdita, captiua liberet: nósque sibi cum lætitia seruire iam donet, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

IN PSALMVM XCIV.

SERMO XLVI.

Sicut grauiter æstuanti, & longo sitis ardore succenso, fons frigidus, satis lætus, & satis salubris occurrit: ita nobis positis in mœrore, & nimium tribulationum pondere depressis ad gaudia hodie Propheticæ vocis extitit cantilena. *Venite*, inquit, *exultemus Domino.* Venite, quo? vel vnde? ex te homo in te: vbi non locorum mutatio, sed conuersio sensuum aduersa depellit, mœrores fugat, desperationes abiicit, excludit angustias, & intrat domicilium sinceri pectoris, lætitiæ diuinæ æternam præparat mansionem, *Exultemus Domino.* Et vbi est illud: Beati qui lugent, & væ vobis qui ridetis. Matth. 5. Luc. 6. Planè beati qui lugent mundo, & væ qui rident mundo: sed beati qui exultant Domino, qui nesciunt de rapinis, nesciunt de fraudibus, nesciunt lætari de lachrymis proximorũ. *Exultemus Domino.* Ille exultat Domino, qui verbo, actu, opere, non sibi, sed suo exultat authori. *Exultemus Domino.* Ille exultat Domino, cui sola & tota lætitia semper est Deus. *Iubilemus*, inquit, *Deo salutari nostro.* Non est ouiũ vox ista pastoris est: qui dulci iubilo, & varia modulatione: aut gregem producit ad pascua, aut sub nemore vmbroso fessum pecus retinet ad quietem, aut alta collium salubrioris graminis hortatur cupiditate conscendere, aut ad deuexa vallium sensim tota necessitate descendere. Sed beatæ sunt oues illæ, quæ sui vocem admittunt pastoris, attrahunt, nutriunt, congregant, & verè pastori suo iubilant: quæ germina sui gregis Domino multiplicare moliũtur. *Præueniamus faciẽ eius in confessione.* Et quis preuenit peccatorum cognitorem? scrutatorem cordium? cogitationum conscium? futurorũ præscium? præsentem semper, & vbique? sed præueniendus est non sensuum vicinitate, sed ingenij sagacitate: non velocitate pedum, sed prouido confessionis obsequio: siquidem non dixit, præueniamus eum tantum, sed *præueniamus faciem eius in confessione.* Hoc est, cùm spes misericordiæ est, cum tempus est veniæ, cùm pœnitentiæ locus est, confiteamur patri, ne iudicem sentiamus: prodamus quæ fecimus pietati, ne seueritati cogamur exoluere quæ tacemus: dicamus indulgentiæ tempore delicta nostra, ne si tacemus, ad excipiendam sententiam defleamus. Et quid plura, fratres? non iudicem, sed iudicium nos hortatur Propheta clementissimus præuenire. *Et in Psalmis*, inquit, *iubilemus ei.* Ne indicta pectori nostro irrationabilis iubilatio crederetur. *In Psalmis iubilemus.* Vt mysticis distinguerentur, in Psalmis diuinum resonet sacramentum: & quod ad prouectum salutis animos promoueat audientium. *Quoniam Deus*, inquit, *magnus Dominus.* Hic dominici corporis aperit sacramentum: quia Deus etiam in nostro corpore magnus Dominus. *Et rex magnus super omnes Deos.* Iuxta illud: Quis similis erit Deo inter filios Dei? Psalm. 88. quia omnes supernæ virtutes, cùm regant cæteros, ipsæ tamen reguntur à Christo. *Quia in manu eius sunt omnes fines terræ.* Quia quę in manu Dei sunt, sine Deo nequeunt obtineri: si dilatare fines, si prorogare terminos, si desideramus amissa reuocare Deum ergo fidei viribus deprecemur: per cuius offensam nobis ista depereunt: & ipsius propitiatione redeunt ampliata, qui dat sicut vult, tollit, & cùm vult: si reddere non potest, omnipotens non habetur: multa facit ad suæ maiestatis iudicium, ad nostræ emendationis & correctionis exemplum. Vacant aliena præsidia, si nostri

nostri regis non subuenerint adiutoria. *Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud.* Ne putetis quæsitū, inuentum, & non à Deo conditum. *Ipsius est mare, & ipse fecit illud: & aridam manus eius formauerūt.* Vbi sunt qui Deum de materia, & maxime de aqua mundum figurasse confingunt? Deus noster in cœlo & in terra, non vt inuentor, sed vt conditor materiæ, ex nihilo cuncta perfecit. *Venite*, inquit, *adoremus.* Quæ sequuntur, fratres, ignorantibus veluti immemorem Prophetam exultationis suæ fuisse, demonstrant, dum prouocatus ad gaudia; mox euocat ad ploratus. *Venite*, inquit, *adoremus, & procidamus ante eum, & ploremus coram Domino qui fecit nos.* Dixerat. Venite exultemus: verum hic Propheta secum fletus suorum nos desiderat fundere gaudiorum: quia semper lachrymæ sicut dolore magno, ita producuntur & gaudio: quæ vtique interni pectoris exponunt, & testantur affectum. Qui ergo lapidibus prosternebamur, & lignis vero tandem Deo cognito, vult nos adorare, procidere & repensare lachrymis, atque continuo deuotionis obsequio, quod diu, & longo tempore negleximus. Plorat ergo, dum de præteritis pœnitet, gaudet de præsentibus, æstuat & metuit de futuris. Perfectæ autem lætitiæ fletus fuisse ex sequentibus sic demonstrat. *Venite, adoremus, & procidamus ante eum, & ploremus coram Domino qui fecit nos.* Et quasi interrogaretur, quare? red lit causas, aperit rationes. *Quia ipse est Deus noster, & nos populus pascuæ eius, & oues manus eius.* Ex hoc vtique quantum deuotus est ille qui gaudet, tantum certe qui contristatur ingratus. Sed iam quæ admonet, audiamus intentius. *Hodie si vocē eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in irritatione secundū diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me patres vestri: probauerunt & viderunt opera mea. Quadraginta annis proximus fui generationi illi, & dixi, semper hi errant corde, Ipsi verò non cognouerūt vias meas, quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Cum dicit hodie, te conuenit, ad te loquitur, quicumque homo es auditor, ne audita voce eius, contemptus reatū, contumaciæ crimen incurras: quem non præcepta, quem non correxit exemplum. Nam ob hoc Iudaicam duritiam longo sermone narrauit, vt te Christianæ faceret cautiorem, cui non quadraginta annis tantum conuersatur, & cohabitat Deus, sed toto vitæ tempore paret, & militat ad salutem.

DE PARABOLIS INVENTÆ margaritæ, & sagenæ missæ in mare.

SERMO XLVII.

CHristus Deus noster, quod cœlum, terram, & mare, & in eis magnas, multas, varias condiderit creaturas, miranda potentiæ suæ documenta monstrauit, quod verò humana suscipit, agit hominem, intrat tempora, transit ætates, docet verbo, virtute curat, similitudines loquitur proponit exēpla, affectus nostri in se pondus aperit: inesse sibi dilectionis humanæ pandit ineffabilem charitatem. Hinc est, quòd cœlestia terrenis commendat exemplis: de præsentibus sapere dat futura: inuisibilia visibilibus insimulat argumentis, probant hoc similitudines, quas nobis hodie Euangelicus clamat
Matth. 13. auditus. *Simile est regnum cœlorū homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inuenta autem vna pretiosa margarita, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Neminem qui hoc audit nomen negotiatoris offendat: hic negotiatorem loquitur qui dat misericordiam, non qui dat fœnoris semper vsuram: prouidentem ornamenta virtutum, non irritamenta vitiorum, grauitatem morum, non lapidum pondera perferentem, honestatis, non luxus monilia portantem, gestantem non voluptatis pompam, sed insignia disciplinæ. Iste ergo negotiator has cordis & corporis margaritas proponit, non humano commercio, sed diuino exercens: non ad præsens commodum, sed vt futurum mereatur non ad terrenam gloriam, sed cœlestem: quatenus cœlorum regnum possit virtutum præmio comparare, & innumeris bonis vnam redimere perpetuæ vitæ margaritam. Adiecit autem similitudinem Dominus dicens: *Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti: quàm cùm impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare.* Similitudo hæc proditur in apostolatum piscatores elegerit Christus, & captores piscium fecerit hominum piscatores, vt diuini iudicij typus arte piscatoria monstraretur. Pisces congregat captura confusos; sed in vasa discretio dat electos: sic vocatio Christiana iustos, & iniustos, malos, bonósque congregat, sed bonos, malósque electio diuina discernit. *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare.* Ad huius sæculi mare tumens pompa, elatum vertice, vndosum sectis, insitia fluctuās, clamosum litibus, fremens ira, sæuum perfidia, peccatis naufragum, impietate demersum, misit piscatores suos Christus, hoc est Petrum, Andream, Iacobum, Ioannem, probatos arte, cum dicit: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Matth. 4.
Misit ergo piscatores suos retia portantes præceptis legalibus, & Euangelicis innodata monitis, circumcincta virtutum donis, & gratia dilatata, Euangelico sinu congregantia sine fine capturam. Hoc tempus modo, hoc agitur fratres: per gentes, per populos Christi retia nunc trahuntur & ducunt, confusas toto orbe creaturas sin discretione personas. Sed quia sæculi vicinus est finis, & ad iudicij littus capturæ nostræ retia iam propinquant, pisces, hoc est homines, qui profundo sæculi discursu feriato ac libero vagabantur, siccitate littoris, hoc est, finis propinquitate turbati, tota se rerum dispensatione collidunt: videntes impias gentes triumphis succedentibus ampliari, angustiari captiuos toto orbe populos Christianos: impios prosperis gaudere successibus, pios malorum continuata successione calcari: subdi dominos seruituti, dominari dominis seruos: rebelles filios in parentes, senes iuuenibus esse contemptui: omnémque naturæ statum, vitæ ordinem deperisse. Sed hæc cum ita sint, fortes non turbant: imò infirmos turbant, fortes turbare non possunt, quia sumunt vires de similitudine, fortitudinem de figura. Eiecti de profundo pisces parum quidem in littore sui confusione voluuntur, sed citata discretio, dum malos abiicit, eligit bonos: facit bonos, non turbat, breuis ista, & cito transitura confusio. Ita discretio superna quæ dat malos pœnis, bonos rapit ad honorem, impios deducit ad tartarum, pios transmittit ad regnum, patres senes, iustos, electos omnes de contumelia exigua perpetua gloria consolatur: probat hoc autem comparatio ipsa, cùm dicitur: *In consummatione sæculi exibunt Angeli Dei, & segregabunt malos de medio iust. ū.* In consummatione sæculi, qui consummationem sæculi credit, qui de sæculi minoratione causatur, qui confidit mansura succedere, habere quid

quærit transitura? Fratres mundus de fine principium sumit: fine innouatur, non deficit creatura: sæculum desinit non creatori, sed crimini: neque iustis, sed peccatoribus finiuntur elementa. *In consummatione sæculi exibunt Angeli* P[er] iustis, nec quisquam dubitet sanctis Angelos esse perituros; quibus obsequium suum promittit & Christus; Christi vox est: Præcingam me, & ministrabo vobis. *Exibunt Angeli Dei, & segregabunt malos è medio iustorum.* Portate iusti, portate, imò inducias iusti date, breuis ista mixtura longa separatione pensabitur. *Separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis.* Ecce qui eiiciunt vicinos, qui expellunt hospites, qualem sibi eligunt mansionem: ecce qui sibi his delicias pauperis fame, pœnis præparant alienis, ibi ignem sibi quantũ de exigua voluptate succendunt, *Ibi erit fletus & stridor dentium.* Quam malè stridet ibi, qui hic malè ridet: & qui nunc malis pauperum gaudet, de bonis pauperum tunc lugebit, quia potuit cum paupere gaudere, sed noluit: vos autem fideles gaudete in Domino semper.

Luc. 12.

IN ILLVD MATTHÆI, Venit Iesus in patriam suam, &c. Et de inuidia.

SERMO XLVIII.

EVangelista hodie Iudæorum circa Christum proditurus inuidiam, sic cepit: *Venit,* inquit, *Iesus in patriam suam, & docebat eos in synagogis eorum, ita vt mirarentur, & dicerent: Vnde huic sapiẽtia & virtus? Nónne hic est fabri filius? Nónne mater eius dicitur Maria? & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas: & sorores eius nónne omnes apud nos sunt? vnde ergo huic omnia ista?* Non sic nubes cœlum, nox diem, solem caligo, quemodo mentem cæcat, & tenebrat inuidia. Liuor hoc Iudaicus probat, qui Christi sapientiam miratur, virtutes stupet, attollit opera, dicta suscipit, & tamen ne in ipso videatur diuinitas, deitas sentiatur, carnalium parentum nomina commonet, & diuulgat. *Venit,* inquit, *Iesus in patriam suam.* Nemo miretur, si conditor rerum, cœlorum Dominus, Deus omniũ, patriam, locùmque sortitur, quando se claudit vtero: metitur cunis, vberibus occupat, arctat gremio, dat in vlnas: & vt angustias tollat humanas, humanis se dedit, atque aptauit angustiis. Homo ad te Deus se per ista deponit, te per ista sequitur, per istas te perquirit angustias, vt quem formauit opere, reformet exemplo: quem iudicio repulit, reducat affectu, & in se seruet, quem præter se conspicit deperisse. *Venit,* inquit, *Iesus in patriam suam, & docebat eos in synagogis eorum.* Non in templo suo, sed in synagogis eorum: synagogæ non poterant eius esse, in quibus se turbæ perfidiæ, non fidei congregabant: in quibus conueniebat inuidiæ populus, nõ amoris: in quibus considebat consilium malignãtium, non bonæ consilium disciplinæ. *Docebat in synagogis eorum, ita vt mirarentur.* Mirabantur indignatione, non gratia: stupebant liuore, non laude: furebant, quia quod sapere non poterant superba subsellia, stans humilitas perducebat. *Ita vt mirarentur, & dicerent: Vnde huic hæc sapientia?* Sic dicit qui Deum, ex quo est sapientia, ex quo virtus, ignorat: sic dicit qui Christum nescit esse Dei sapientiam, Dei esse virtutem. Vnde sit sapientia, Salomon probat: qui cum regni apicem paruulus suscepisset, vt creatum sibi populum regeret virtute, non fastu: sapientia, non tumore: corde, non vertice, à Deo sapiẽtiam voluit, poposcit, accepit. *Vnde huic hæc sapientia, & virtus.* Virtutem quæ dat oculos, quos natura non dedit, quæ auditum reddit debilitate conclusum, quæ in mutis sui soluit vincula sermonis, quæ & claudos reducit ad cursum, quæ animas apud inferos iam deuinctas propria redire cogit ad corpora, à Deo esse, nisi salutis inuidus non negaret: at Iudæi sciebant Christi opera diuinæ virtutis esse, non esse possibilitatis humanæ, sed liuoris nubilum, malitiæ fumus, visum spectantium caligabant, ne lumen Christi, ne tempus Euangelij peruiderent dicendo: *Nónne hic est fabri filius?* Dicebãt, hic est fabri filius, sed cuius fabri filius non dicebãt: dicebant fabri filius, vt arte vili artificis lateret authoris: & deitatis nomen, fabrile non en absconderet. Christus erat fabri filius, sed illius, qui mundi fabricam fecit non malleo, sed præcepto: qui elementorum membra non ingenio, sed iussione compegit: qui massam sæculi authoritate, non carbone conflauit: qui solem non terreno igne, sed superno calore succendit: qui lunam, tenebras, noctem formauit, & tempora: qui stellas variata luce distinxit: qui cuncta fecit ex nihilo, & fecit ô homo tibi, vt opificẽ operis æstimatione pensares. Sed tu Iudæe huius fabri filium noras, cui pro tantis beneficiis repensare vicem deberes in filiũ, hinc est, quòd non accipis futura, quia de præsentibus existis ingratus. *Nónne hic est fabri filius? Nónne mater eius dicitur Maria?* Iterũ Iudæe matris, nomẽ clamas, occultas patris: patrem dicis, nomen non dicis fabrum dicis, opus non dicis. Iudæe decipimus te ista, non decipiunt credituros. *Nónne mater eius dicitur Maria? & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simõ & Iudas, & sorores eius, nónne omnes apud nos sunt:* Si mater, si fratres, si sorores apud vos sunt, pater vbi est? vobiscum non est quia Deus odit fictos, inuidos deserit, declinat ingratos, sibi non finit crudeles & impios commorari *Et fratres eius & sorores eius, nónne omnes apud nos sunt?* Callide fratres ingeris, ostẽtas sorores, vt numeroso partu sanctæ matris virginitas lateat, obscuretur integritas, & sentiatur de filio totum quod humanum est, nihil diuinum. Iudæe quot dicis, fratres & sorores Christi, Cleophæ sororis Mariæ filij sunt, non Mariæ; & fratrum & sororum filios, fratres nuncupat & diuina lex, & humana cognatio. Ergo Christi fratres fecit non matris virginitas, quæ permansit virgo post partum, sed materteræ eius fecit propinquitatis asserti[o]. Beata Maria, si alios filios habuisset, à Christo mater in ipso crucis tempore, in articulo ipso mortis non discipulo traderetur, non commendaretur extraneo. Inuidia de cœlo abiecit Angelum, de Paradiso exclusit hominem. Ipsa primum contaminauit terras germano sanguine: Ipsa germanos compulit venũdare germanũ: Ipsa Moysen fugauit, Aaron in fratris excitauit iniuriam, Mariam maculauit liuore germani; ac ne multis, quod pauet mens, quod visus tremit, quod auditus non capit, ipsum Christi attendit & peruenit ad sanguinem. Inuidia omnibus malis peior; quos cœperit, liberari nequeunt; quos vulnerauerit, ad curam non veniunt, non redeunt ad salutem. Inuidia delictorum venenum, criminum virus, peccatorum mater origo vitiorum; hanc qui non viderit, bona videt: hanc qui nescierit, mala nescit; hanc qui fugerit, viuit. Inuidia vitari fuga potest, non potest superari conflictu. Sed iam quid Dominus responderit, audiamus: *Nõ est Propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua.* Christus quidem venit in patriam suã & in

Esai. 14.
Genes. 3.
Genes. 4.
Genes. 37.
Exod. 2.
Num. 12.

in domum suam quia scriptum est: In sua venit, & sui eum non receperunt, Verùm dicendo: *Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua & domo sua.* docet quia inter suos posse, mors sus est, adustio est inter ciues eminere proximos proximorũ vrit gloriam: propinquo propinqui honorem debeant, computant seruitutem. *Et non fecit* inquit, *ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.* Non ibi virtus, vbi incredulitas non meretur. Et si mercedem cùm sanat, non exigit Christus: indignatur tamen dum pro honore sibi fertur iniuria, qui est super omnia Deus benedictus & gloriosus in sæcula sæculorum. Amen.

DE EISDEM SECVNDVM Marcum.

SERMO XLIX.

QVoties humana Dominum sanctus Euangelista sustinuisse, aut egisse commemorat, toties carnalium sensus tota velut fluctuum commotione conturbat: imbecilles namque mentes nesciunt dominici corporis audire, discernere & dispensare mysteria: sicut hodierna lectio monstrat, quæ dicit:
Matth. 6. *Egressus inde Iesus, abiit in patriam suam.* Egreditur vnde, quò ingreditur: qui nullo continetur, nullo concluditur loco? ad quam patriam vadit, orbem qui fecit & possidet vniuersum? dicente
Psal. 88. Propheta: Tui sunt cœli, & tua est terra: orbem terrarum, & plenitudinem eius tu fundasti. Verùm non sibi per se, sed per te tibi egreditur & ingreditur Christus, donec te intromittat expulsum, exulem reuocet, reducat, & reportet eiectum. *Abiit ergo Iesus in patriam suam.* Non vt suam sibi, sed vt tuam tibi quam Adam perdiderat, patriam redonaret. *Abiit in patriam suam.* Si natus quomodo non homo? si homo quomodo non ciuis? si ciuis, esse illi patriam quis miretur? Sed hic humanitatis modus non diuinitatis ordo est quem fatetur: quia qui est, & qui erat ante sæcula Deus noster, parens noster, nouissima voluit esse per sæcula, vt quos potestate fecerat, pietate saluaret, & compatiendo reciperet, quos extorres arguendo fecerat & iubendo Quicquid enim per hominem susceptum legimus egisse, aut pertulisse Christum, non ad diuinitatis audiamus iniuriam, sed profecisse hominis ad gloriã. *Et sequebantur*, inquit, *illũ discipulis eius.* Meritò discipuli Christum redeuntem suam sequuntur ad patriã: quos iam in superni ordinis albo descriptos cœlestis patriæ ciues & municipes lectio tanta, tantæ gratiæ perfecerat plenitudo: dicente Domino, Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.
Luc. 10. *Et facto sabbatho, cœpit in synagoga docere, & multi audientes mirabãtur in doctrina eius, dicentes: Vnde huic hæc omnia, & quæ est sapientia, quæ data est illi? & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur?* Infelix Iudaicæ mentis, detestanda nequitia ad discutiendum semper promptior, quàm credendum diuinis virtutibus non ad fidem, sed ad calumniam sollicitè commouetur, vel quia meruit audire sapientiam tantam: sed vnde sit malitiosè curiosa, vel querula, in bonis suspicax, ad noxia satis facilis, doctrinam despicit, quam miretur: quæ probat præcepta, contemnit: ad Deum cunctatur, ad idola perproclinis, in diuinis astuta, ligno, lapidibus tota resoluta, Prophetię rebellis, contraria veritati, auguriis, mendaciisque perdita. Rogo, cui cautum quod cæcus videt? cui sollicitum quod mortuus surgit? cui dubiũ quod loquitur mutus? certè quis nesciat esse Deum, cuius sola curatur omnis debilitas iussione? Moyses signa fecerat multa. Elias maxima monstrauerat documenta virtutum, nec dissimilia opera fecerat Elisæus: cur nemo personam discutit? cur nemo status commouet quæstionem? cur nemo vnde essent, quive essent, vnde ista, & per quẽ facerent curiositate sic requisiuit ingratus? Sed iudicatur hic solus, qui solus iudicare noluit ne puniret: improba seueritate discutitur, qui vt largiretur veniam, nil quæsiuit: & cum solus innocens inuenerit omnes reos, ad iudicium pietatis immensæ suscipere maluit, quam rogare sententiam: vt vitam mortalibus olim perditam redderet, & repararet otiosos. Verè sicut dixit Apostolus Magnum pietatis est sacramẽtum, quod Christi nostri manifestatur in carne. Extendit tamen adhuc curiositatem suam carnalis ista æmulatio, cui semper est inimica cogitatio: nec patitur Christum 1. Tim. 3.
virtutibus, & sapientia Deum credi, sed proximorum, parentum, fratrum, affinium documento, hominem tantum asserit, gestit: optat, intelligit, dicendo: *Nonne iste est fabri filius & Mariæ? frater Iacobi & Ioseph, & Simonis & Iudæ? nonne & sorores eius hic nobiscum sunt?* Caiphas prophano prophe- Ioan. 11.
tatore: Et cùm sacerdos esset, falsitatis suæ sensum vicit officio veritatis sententiam non suo, sed adducti probat imperio. Balaam maledico benedicit ore, Num. 23. & 24.
& conductus ad nequitiam tota loquatur mysteria veritatis: & sicut in spinis rosa, hoc est, in frutice horrenti miri odoris flosculi germinantur: ita sensus aliquoties pessimorum ad bona diuinitatis impulsu aguntur, inuiti, vt non sit meriti, sed mystrerij, quod loquũtur: quod tunc malitiæ Iudaicę videmus euenisse, quæ in contumeliam dominicæ generationis, cùm per artem Ioseph prosapiæ Christi exaggerat veritatem, veri genitoris confitetur & loquitur qualitatem, dicendo: *Iste est fabri filius.* Bene personam tacuit, vt proderet ex arte genitorem, dicendo non Ioseph, sed fabri filius. Et quis talis faber, qualis est iste, qui ex nihilo tantum, talem fabricatus est mundum? & quis faber talis, qui totius bonæ artis solus auctor, solus largitor exigit? Dic ergo Iudæe fabri filium: vt Dei filium fatearis inuitus, dic Mariæ, vt verum hominem, sed virginis filiũ confitearis impulsus: dic fratres, vt tantam dignationem tui prædices, & profetas creatoris. Et licet ipse genitricis sanctæ per hoc virtutes moliaris abscondere: tamen Euangelistæ veritas non Ioseph & Mariæ, sed Cleophæ sororis eius filios, quos tu fratres appellas, probat & asserit extitisse: vsus enim temporis etiam præsentis, germanorum & germanarum filios, fratres noscitur nuncupasse. Nunquam enim contra pietatis ordinem matrem dominus extero, hoc est Ioanni commendasset ex cruce, si alios ipsa præter illum filios suscepisset: sed virgini virginem tradit, vt inter tales cura sola sacramenti, sola societas religionis haberetur: nec mundanæ sollicitudini discipulus tantus iste seruiret, sed prædicaturus virginitatis partum, domi haberet, vnde hoc dubitantibus approbaret: at Iacobus vnius fœminæ & matris habere non potuit curam: qui inter primordia, & in illo Iudaico tunc furore Hierosolymitanam singulariter rexit Ecclesiam: bene addidit Dominus: *Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua.* Ecce qualiter carnales sapiunt ciues: ecce qualiter mundani parentes sentiunt & honerant. Beatus qui cùm patrem meruerit habere Deum, præter cœlestem patriam nil requirit.

DE PARALYTICO, SERMO I.

Diuis Hieronymo ac Ioanni Chrysostomo falso ascriptus.

CHristũ in humanis actibus diuina gessisse mysteria,& in rebus visibilis inuisibilia exercuisse negotia,lectio hodierna monstrauit. Matth. 9. *Ascendit*, inquit,*in nauiculam, & transfretauit, & venit in ciuitatem suam.* Exod. 14. Nónne ipse est qui fugatis fluctibus maris profunda nudauit:vt Israëliticus popu- Matth. 11. lus inter stupentes vndas sicco vestigio velut montium concaua pertransiret? Nónne hic est,qui Petri pedibus marianos vertices inclinauit, vt inter liquidum humanis gressibus solidum præberet obsequium? Et quid est quod sibi maris sic denegat seruitutem,vt breuissimi lacus transitum sub mercede nautica transfretaret? *Ascendit*,inquit,*in nauiculam, & transfretauit.* Et quid mirum fratres? Christus venit suscipere infirmitates nostras,& suas nobis conferre virtutes.humana quærere, præstare diuina,accipere iniurias, reddere dignatus: ferre cædia, referre sanitates, quia medicus qui non fert infirmitates,curare nescit: & qui non fuerit cum infirmo infirmatus,infirmo non potest conferre sanitatem. Christus ergo, si in suis mansisset virtutibus, commune cum hominibus nil haberet: & nisi implesset carnis ordinem, carnis in illo esset otiosa susceptio.Sustinuit ergo has necessitates, vt homo verus humanis necessitatibus probaretur. *Ascendit*.inquit, *in nauiculam*. Christus Ecclesiæ suæ nauem sæculi fluctus semper mitigaturus ascẽdit, vt credentes in se ad cœlestem patriam tranquilla nauigatione perducat,& municipes ciuitatis suæ faciat, quos humanitatis suæ fecit esse consortes.Non ergo Christus indiget naui,sed nauis indiget Christo: quia sine cœlesti gubernatore nauis Ecclesiæ per mundanum pelagus tali,& tanto discrimine ad cœlestem portum non valet peruenire. Hæc diximus, fratres, quantum ad intelligentiam pertinet spiritualem: verùm nunc ipsius historiæ ordinem prosequamur. *Ascendit*, inquit, *in nauiculam,& transfretauit,& venit in ciuitatem suam.* Creator rerum, orbis Dominus, posteaquam se propter nos nostra angustauit in carne,cœpit habere humanam patriam, cœpit ciuitatis Iudaicæ esse ciuis, parentes habere cœpit parentum omnium ipse parens, vt inuitaret amor, attraheret charitas, vinceret affectio,suaderet humanitas,quos fugerat dominatio, metus disperserat,fecerat ius potestatis extorres. *Venit in ciuitatem suam,& ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto,& respiciens*, inquit, *Iesus fidem illorum, dixit paralytico. Confide, fili,dimittuntur ibi peccata tua.* Audit veniam, & tacet paralyticus,nec vllam respondet gratiã, quia plus corporis, quam animæ tendebat ad curam: & temporales ærumnas resoluti corporis sic deflebat, vt æternas pœnas resolutionis animæ non defleret: gratiorem sibi præsentem vitam iudicans, quam futuram.Meritò Christus operantium fidem respicit, & vecordiam respicit sic iacentis, vt fidei alienæ suffragio paralytici anima antè curaretur, quam corpus. *Respiciens*,inquit,*fidem illorum*. Cernitis in hoc loco fratres,Deum non quærere insipientium voluntates, non expectare ignorantium fidem,non infirmorum stulta desideria perscrutari, sed ad alterius fidem subuenire, quod per solam gratiam conferebat,cum quicquid diuinæ volũtatis est,non negaret. Et re vera, fratres, quando medicus languentium aut quærit, aut respicit voluntates,cum semper contraria desideret,& requirat infirmus? hinc est quod nunc ferrum, nunc ignem,nunc amara pocula ingerit, & apponit inuitis,vt curam sani sentiant, quam non poterant sentire ægrotantes.Et si homo iniurias despicit,maledicta contemnit,vt sauciatis morbo sponte vitam conferat & salutem:quantò magis Christus medicus bonitate diuina morbis saucios peccatorum,& phrenesi criminum laborantes, ad salutem etiam inuitos attrahit,& nolentes? O si velimus, fratres, ô si velimus omnem mentis nostræ paralysim,peruidere animam nostram virtutibus destitutam iacere in vitiorum stratis cerneremus: luceret nobis quemadmodũ Christus, & nostras quotidie noxias respicit voluntates, & ad salutaria nos remedia pertrahit,& perurget inuitos. *Fili*,inquit, *remittuntur tibi peccata tua.* Hæc dicens, Deum se volebat intelligi, qui per hominem oculis adhuc latebat humanis: virtutibus enim & signis comparabatur Prophetis,qui per ipsum fecerant, & ipsi virtutes: peccatis autem dare veniam, quia penes hominem non est,& singulare deitatis insigne, Deum illum pectoribus inserebat humanis. Probat hoc Pharisaicus liuor:nam cum dixisset. *Remittuntur tibi peccata tua. Responderunt Pharisæi. Hic blasphemat: qui e im* [illegible] *otest peccata remittere nisi solus Deus*? Pharisæe, qui sciendo nescis, confitendo negas cum testaris, impugnas: si Deus est qui remittit peccata,cur tibi Christus Deus non est, qui vnius indulgentiæ suæ munere totius mundi probatur abstulisse peccata? Ecce,inquit, agnus Dei, Ioan. 1. ecce qui tollit peccata mundi Vt autem possis maiora, cape eius diuinitatis insignia: audi eum pectoris tui penetrasse secretum:aspice eum ad cogitationum tuarum latebras peruenisse:intellige eum cordis tacita nudare consilia. *Et cum vidisset*, inquit, *Iesus cogitationes eorum, dixit: Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid enim est facilius dicere,remittuntur tibi peccata tua an dicere, surge & ambula? Vt autem sciatis,quia filius homini habet potestatem dimittendi peccata: dixit paralytico surge,tolle lectum tuum,& vade in domum tuam:& surrexit & abiit in domum suam.* Scrutator animarum præuenit mentium maligna consilia, & deitatis suæ potentiam operis attestatione monstrauit, dum dissipati corporis membra componit, neruos stringit,iungit ossa,complet viscera,firmat artus,& gressus ad cursum suscitat in viuo cadauere iam sepultos. *Tolle lectum tuum.* Hoc est,porta portantem, omnes muta vices:vt quod est infirmitatis testimonium,sit probatio sanitatis:vt lectus doloris tui sit meæ curationis iudicium, vt receptæ formidinis magnitudinem ponderis afferat magnitudo. *Vade*, inquit,*in domum tuam.* Ne Christiana fide curatus, in viis Iudaicæ perfidiæ iam moreris.

DE DÆMONIACO, SVRDO, & muto.

SERMO LI.

QVia solito plus sese terris æstus infuderat,diu tacui,ne compressio quæ ex disiderio nascitur audiendi,ipsa nobis cynocaumatum genetraret incendium:nunc vbi aërem temperies mitigauit autumni, dominicum, iuuante Domino, reuocamur ad Verbum. Cùm filium suum quidam surdi

&

& muti spiritus furore possessum ingeret domino curandum Dominum præter morem patientiæ suæ Euangelista sic retulit, fuisse commotum vt antè in patris vulnus ipse inueheretur, quàm ad filij moueretur curam. *Respondens*, inquit, *vnus de turba, dixit, Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum: qui vbicumque eum apprehenderit, allidit eum & spumat, & stridet dentibus, & arescit: & dixi discipulis tuis, vt eiicerent eum, & non potuerunt: qui respondens ei dicit. O generatio incredula.* Respondens vnus de turba, quid est quod vno interrogante feriuntur multi? quid est quod conquirente vno, incredulitatis notantur omnes? quid est quod ad vnius vocem tota generatio superba perfidiæ nuncupatur? quid est? quia iste non ad Deum venerat, sed ad magistrum venerat: curam non à virtute exigens, sed ab arte, tarditatem curæ non causæ deputans, sed curandi impossibilitatem discipulorum magistri imperitiæ assignans: Iudaico liuori, inuidiæ Scribarum talem satisfaciens per clamorem; *Et dixi discipulis tuis, vt eiicerent eum, & non potuerunt.* Hoc est dicere: esse diabolum qui Christo non crederet: esse dæmonem, qui parui possit Christi nominis habere virtutem. Discipuli non suo, sed Christi nomine dæmones de obsessis corporibus effugabant. Quod ergo dæmon discipulis imperantibus non cedebat: iste ad infirmitatem Christi nominis, non discipulorum trahebat ad culpam. Videns ergo Dominus Iudæorum sic circumstantes capere cateruas: in filiis patrum perfidiam sic inurit, & in genitoribus germina sic venenosa percellit: *O generatio, incredula, Veniens*, inquit, *Dominus ad discipulos suos, vidit circa illos turbam magnam, & Scribas conquirentis cum illis: & confestim omnis populus videns Iesum stupefactus est, & expauerunt.* Timentes vtique ne quod insultauerant discipulis, veniente magistro hoc perderent: & tanto dæmone fugato ipsa fieret discipulis causa gloriæ, quæ fuerat confusionis occasio. Hinc est quòd dominus vno omnibus interrogante respondit. *O generatio incredula, quamdiu apud vos ero?* Quorum incredulitate neque vnus dæmon captiuo fugatur ex corpore, *Quamdiu apud vos ero?* Et non ad gentes mittam? vbi ad vnius discipuli mei vocem templa corruunt, simulacra fugiunt, cōsumuntur aræ, cadunt idola, cæduntur luci, tota dæmonum potestas antiquis & veternosis sedibus suis gemens & tremens & eiulans effugatur: commutantur in Ecclesias delubra, in altaria vertuntur aræ, pecorum victimæ mortuorum in viuam cordis hostiam transferuntur, auguria, diuinationes, somnia, in solo Dei nutu, in Dei tantum constituuntur arbitriū. *Quamdiu apud vos ero? quamdiu patiar vos?* Patitur patientia, non timore, non necessitate, sed misericordia: expectatione, non metu hos patitur, portat, expectat, qui redire vult impium, non perire. *Afferte illum ad me*, quasi longè positum curare non possit, sed afferte vos incrudulitatis vestræ causam, infidelitatis titulum, perfidiæ documentum. *Afferre illum*, Vt qui saltem docenti Deo noluisti credere, vel dæmone confitente credatis & sentiatis vos ipso diabolo nequiores, cum videritis illum confiteri, tremere sui mox præsentia cognitoris. *Et attulerunt eum, & cum vidisset eum, statim Spiritus conturbauit illum, & elisus in terra voluebatur spumans.* Voluebatur homo, sed diabolus torquebatur: inuasum vexabat cura, sed inuasorem maiestas iudicis arguebat: sistebatur captus, sed puniebatur hostis, diaboli pœna cruciatu humani corporis apparebat. Opus est fratres, opus est Dei lumine, ne in opere Dei oculi sic fallantur humani. *Et interrogauit patrem eius, quantum temporis est, ex quo accidit ei? at ille ait ab infantia.* Requirit passionis tempus auctor temporis, medicus passianis tempus requirit, non vt nescius, sed vt sciens nescientibus prodat: denique interrogatione tali tempus aperit, ætatem pandit, reuoluit infantiam, vt tanti mali causam non tangat sobolem, sed parentem: quia à Deo sibi datum pignus ad diaboli gratiam, dæmonum retulit ad honorem dicente scriptura. Et obtulerunt filios suos & filias suas dæmoniis. Infantia vt in se diabolo locum faceret, quid crimini admiserat? quid reatus? Sed replentur dæmone paruuli quando à parentibus suis offeruntur diabolo, dæmonum ducuntur ad curam. Denique patris fide soluitur, quem patris infidelitas alligarat. Patris vox est. *Si quid potes, adiuua nos misertus nostri.* Hoc est, nos adiuua, miserere nobis, quorum reatus aggrauat innocentem, ad quorum pœnam infantis periculum sic reddundat: Et benè dominus à parentibus fidem repetit, dicens: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Et pater. *Credo Domine adiuua incredulitatem meam.* Pater credit: & sicut diximus, patris liberatur fide, qui patris fuerat infidelitate damnatus. Nam cui genitoris fides profuit, quomodo ei genitoris perfidia potuit non obesse? Quomodo autem sanatus sit, vel quare discipuli, qui multos eiecerant dæmones, hunc nequiuerint effugare, iuuante Domino secuturo sermone pendemus.

Marc. 9.

Psal. 150.

DE EISDEM.

SERMO LII.

Doctoris officium est lecta differere, & mysticis obscurata sensibus lucido astruere & demonstrare sermone, ne minor intelligentia inde perniciem generet auditori, vnde scientiam conferre debuit, & potuit salutarem. Hæc est igitur hodiernæ consonantia lectionis. *Et respondens vnus de turba, dixit: Magister attuli filium meum habentem spiritum surdum & mutum.* Non dixit, attuli filium meum surdum & mutum, sed attuli filium meum habentem spiritum surdum & mutum. Nūquid nequitia spiritalis humanis distinguitur membris, & sensibus angustatur humanis, vt debilitates nostras, nostras perferat passiones: nec videre possit, nisi fenestris oculorum, & foraminibus aurium capere auditum, sermonem linguæ, autoris officio proferre: & per hoc surdi, mutique statum miserabilem sustinere, cum tenuis & aëra natura carnem nesciat, refutet ossa velut aura spirans orbem totum temporis transeat in momento: diuersas species assumat, varias mutetur in formas, corda penetret, illudat animabus inspiret impias & turpissimas cogitationes: nec vnde veniat, aut quo redeat sentiatur: ac si innocuas mentes, velut iaculum volans, lethali vulnere, & tota facilitate trāsuerberet? parum esset si hoc pater solus sua supplicatione dixisset, cum dixit: *Attuli filiū meum habētem spiritum surdum & mutum* Nisi dominus ipse immundum spiritum tali increpatione depulisset. *Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi exi ab eo.* Sed iam quæ ad solutionem quæstionis pertinent, prosequatur. Deus qui dæmones est perpetuo crematurus incendio, qui iā eos, & in præsentia astringit vinculis, angit cruciatibus, vrget pœnis; potest & cum iusserit tota debilitate truncare, atque eo modo quo vident, quo audiunt, quo loquuntur, cæcos redere, surdos & mutos facere ne loquantur,

Marc. 9.

Sed in hoc loco quid diabolus homini fecerit, declaretur: Antiquus refuga, vbi Deum terris reperit aduenisse, obstruxit aures hominum, vinxit linguam, & obseratis humani sensus foribus speluncæ suæ latebram pectus fecit & parauit humanum: æstimans quod illuc auditus verbi, virtus diuini nominis non veniret: simul vt est dolosus, & callidus patrem capere, parentesque tali se credidit decipere figmento, vt desperarent curari posse eum, qui audire nec poterat, nec fari, & vt quod erat diabolici operis, esse crederent debilitatis humanæ, deputarent pignori, ascriberent naturæ quod intulerat hostis inclusus. Denique sicut Matthæus de eodem refert: & alia simulatione istius miseri fefellerat patrem: nā ibi sic supplicat, Domine miserere filij mei, quia lunaticus est & malè torquetur. Aut humanæ naturæ, aut cœlestis elementi dæmon, quod suæ artis fuerat, voluit tunc videri, aptans lunæ cursibus hominis passiones, vexabat corpus lunaribus incrementis: vt esse lunæ crederent, quod erat diabolici criminis & furoris. Sic homines illusit, circumuenit ignaros: infamauit apud desides creaturam quæ lumini tantum condita lædere nescit homines quos continua magis iuuare cigitur seruitute. Verum posteaquam venit occultorum cognitor, inspector validissimus secretorum, cui latentia diaboli non poterant obuiare figmenta, adducitur puer sanandus præceptione diuina: vt quicquid diabolus vinxerat, solueretur à Christo. Egit, egit inimicus vt hoc quod videbatur, esset naturæ. Sed quare discipuli non potuerūt eiicere eum? Quia hic homo gentilis populi producitur in figuram: siquidem gentilis populus, iuxta Apostolum, habebat spiritum aëris huius. Aëris, inquit, spiritus qui non operatur in filiis diffidentiæ. Hic ergo erat surdus & mutus, qui nec audire legem poterat, nec Deum poterat confiteri, sed in igne gehennæ, & per aquas amari semper gurgitis iactabatur: nec poterat à discipulis, vel vllo homine sanari, quia Christus olim auditus fidei, confessio salutis, gentium redemptio dicebatur & vita. Denique vbi imperio Christi fugatus est diabolus, patescunt clausa, vincula soluūtur, sermo redditur, auditus redit, homo reparatur, & solus diabolus deflet diuturna se possessione detrusum. Hinc est quod veniens ex gentibus impositione manus, & exorcismis antè à dæmone purgatur, & aperitionem aurium percipit, vt fidei capere possit auditum, vt possit ad salutem persequente Domino peruenire.

Matth. 17. Ephes. 2.

DE PACE.

SERMO LIII.

Matth. 5.

BEati pacifici, ait Euangelista, charissimi, quia ipsi filij Dei vocabuntur. Meritò Christianæ virtutes vitescunt in eo, qui vnanimitatem Christianæ habet pacis, nec peruenitur ad vocabulum filij Dei, nisi per nomen pacifici. Pax est, charissimi, quæ spoliat hominem seruitute, dat nomen ingenuum, mutat apud Deum cum conditione personam: ex famulo filium, liberum facit ex seruo. Pax fratrum voluntas est Dei, iucunditas Christi, perfectio est sanctitatis, iustitiæ regula, magistra doctrinæ, morum custodia atque in rebus omnibus laudabilis disciplina. Pax suffragium precum est, supplicationum facilis atque impetrabilis via, desideriorum omnium competens plenitudo. Pax dilectionis mater est, concordiæ vinculum, ac puræ mentis iudicium manifestum, quæ sibi exigit de Deo quod velit: quæ quicquid voluerit, petit, quicquid petierit, sumit. Pax præceptis regalibus conseruanda est, ipso Domino Christo dicente: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, hoc est dicere: In pace vos dimisi, in pace vos inueniā: proficiscens voluit dare quod desiderabat rediens in omnibus inuenire. Cœleste mandatum est seruare quod dedit: vna vox est, inueniam quod dimisi. Plantare pacem radicitus est Dei: euellere penitus inimici. Nam sicut amor fraternitatis ex Deo est, ita odium ex diabolo: quapropter damnanda sunt odia, quoniam scriptum est. Qui odit fratrem suum, homicida est. Videtis ergo fratres, dilectissimi quare pax amanda est, & diligenda concordia: ista sunt enim quæ generant & nutriūt charitatem scitis autem secundum Apostolum quia charitas ex Deo est: sine Deo ergo est, qui non habet charitatem. Pax plebis charissimi est gloria sacerdotis & pacis plena lætitia est perfecta charitas filiorum. Sacerdotis est admonere quod decet, plebis est audire quod monet: quicquid non licet, pastoris est prohibere, gregis audire ac velle ne fiat, vtraque si conueniant, salua sunt omnia, nec Deus inuenit in plebe quod puniat, nec sacerdos potest habere quod doleat. Seruemus ergo, fratres, mandata quæ vitæ sunt, teneat se profundæ pacis nexibus colligata fraternitas & salutari vinculo charitatis mutua se dilectione constringat, quæ operit multitudinem peccatorum. Dilectio ergo omnibus desideriis amplectenda est: quæ tot bona potest habere, quot præmia. Custodienda præ omnibus virtutibus pax est, quoniam Deus semper in pace est, Locum non demus inimico, ne in tritici segete valeat seminare zizania, & securo iam rustico, & spe longi laboris eluso, expectatos fructus ipsa messis maturitate perdat, aut vinum vetustate suaue in liquorem perfidiæ demutatum infusa fæcis permixtione conturbet, aut inter dulcia mella felle venena amariora confundat. Procul contentiones, procul lites, procul maledicta mittantur: & quia laqueus est mortis, lingua susurronis & bilinguis parcat vnusquisque animæ suæ, ne in supplicium suum vincula sibi mortis innectat. Amate pacem, & tranquilla sunt omnia, vt & nobis præmia, & vobis gaudia reseruetis, vt Ecclesia Dei in pacis vnitate fundata, perfectam in Christo teneat disciplinam.

Ioan. 14. 1. Ioan. 3. Ioan. 4.

DE ZACCHÆO.

SERMO LIV.

BEatus Euangelista proximè dum diuitis inhumani vitam describit & finē, humanos motuit & mœstificauit affectus: sed hodie Zacchæi diuitis humanitatem, fidémque referendo cœleste nos extulit, & prouexit ad gaudium. *Et ingressus*, inquit, *Iesus, perambulabat Hierico.* Quare perambulabat, non ambulat? Quia quod Moyses ambulauerat, perambulabat Christus: & populum quem Moyses indūxit in via: Iesus ad quietem promissæ mansionis adduxit. *Perambulabat Hierico.* Hiericos ciuitas ipsa est, quam Iesus Naue septeno tubarum clangore subuertit. Sed quia Christus venit saluare quod perierat, ingreditur Hierico, vt quod lex terribili vociferatione deiecerat, Iesus clamore piæ prædicationis attollat. *Iesus*, inquit, *ingressus perambulabat Hierico, & ecce vir nomine Zacchæus, & hic erat Princeps Publicanorū, & ipse diues.* Princeps publicanorū in ciuitate perdita, perditio operis Zacchæus egisse scribitur

Luc. 19. Iosue 6.

ſcribitur principatum: ex loco perſona, officio reatus magnitudo monſtratur, vt ex magnitudine criminis, remittẽtis luceat magnitudo. *Et quærebat Ieſum videre.* Qui Chriſtum videre quærit, cœlũ vnde Chriſtus eſt non terram, de qua aurum eſt, intueatur. Diues ergo, qui ſurſum reſpicit, non portat diuitias, ſed proculcat: nec incuruatur diuitiis ſed leuatur: atque agit diuitias ad largientis obſequium, non ad diuitiarum auaritiæ ſeruitutem: diuitiarum ſeruus, non Dominus eſt auarus: at miſericors tot ſeruos ſe probat haber, quot nummos. *Quærebat Ieſum videre, & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat.* Satis hic animo magnus erat qui puſillus videbatur in corpore: nam mente tangebat cœlos, qui corpore homines non æquabat. Nemo ergo de breuitate corporis, cui addere nil poteſt, curet: ſed vt fide emineat hoc procuret. *Et præcurrens, aſcendit in arborem.* Quibus putas iſte gradibus altiſſimæ arboris peruenit ad ramos? Iſte calcauit terram, ſuperaſcendit auram, tranſcendit auaritiam: & totam diuitiarum ſupergreſſus eſt molem, vt proſiliens in arborem veniæ, miſericordiæ apprehenderet fructum: & de ſpecola confeſſionis, indulgentiæ cerneret largitorem. *Aſcendit in arborem Sycomorum.* Myſterio, non cauſa aſcendit in arborem Sycomorum: vt vnde Adam texerat nuditatem corporis, Zacchæus inde valeret fœditatem auaritiæ. *Aſcendit in arborem Sycomorum, vt videret Ieſum, quia inde erat tranſiturus.* Verè dixit tranſiturus: quia Chriſtus per terrenas vias & humanos labores non manſurus venerat, ſed venerat tranſiturus. *Cum autem Ieſus veniſſet ad locum, ſuſpiciens, vidit eum.* Quaſi ſi illuc nõ vertiſſet oculos, nõ videret, qui Nathanaël cum abſens eſſet, ſub eadem arbore longè vidit: ſed vidit eum, vidit ad veniam: reſpexit ad gratiam, intendit ad vitam, contemplatus eſt ad ſalutem. Deus quem videt non vt ignorans, agnoſcere cupit, ſed vt ſciẽs ad gloriam vult videre. *Vidit eum, & ait ad illum: Zacchæ feſtinans deſcende, quia hodie oportet me in domo tua manere.* Si bene aſcenderat, quare ei dicitur deſcende? Superius dixit, præcurrens, aſcendit arborẽ, præcurrit ſeruus dominum: & ante Zacchæus aſcendit arborem, quam crucem dominator aſcenderet: hinc eſt quod dicitur ei, *Feſtinans deſcende.* Si ſapis, feſtinans deſcende: deſcende ante Dominum de Adamitica arbore, vt poſt crucem dominicæ paſſionis aſcẽdas. Niſi quis tulerit crucem ſuam, & ſecutus me fuerit: non dixit, præceſſerit me. Deſcende ergo vt deponas tantæ fraudis onera, pondera cupiditatis, vſurarum molem, magiſterium publicani, exactionis crudeliſſimæ principatum, expeditus intres pauperis ſcholam, diſcipulatum miſericordiæ, pietatis vſum, patientiæ diſciplinam, ſtudia virtutum ſcientiam diuinitatis, tolerantiã paſſionum, philoſophiam mortis: atque inter vitalis ligni ardua iam perfectus aſcendas. *Deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Cuius domum non intrauerit Chriſtus, ille ad diuinam non perueniet manſionem: & cuius hic ad menſam non ſederit Chriſtus, iste cœleſtem non accumbet ad menſam. *Et feſtinans deſcendit, & ſuſcepit eũ gaudens.* Gaudet, quia ſuſcepit ſuſceptorem ſuum, quia paſtorem ſuum paſcit, quia reus iudicem ſuffragio humanitatis inclinat, quia cibi & potus fœnore debitorem ſuum ſibi facit & acquirit: & ſic fit, vt quæſtum nõ perdat publicanus iſte, ſed mutet. *Et cum viderent,* inquit, *omnes murmurabant dicentes, quod ad hominẽ peccatorem diuertiſſet.* Et quis ſine peccato: Et ſi nemo, ipſe ſibi veniã negat, qui Deum quòd ad peccatores ingreditur, accuſat. Deus quando peccato-

Ioan. 1.

Matth. 10.

rem quærit, non peccata, ſed hominem quærit: vt peccatum quod eſt opus hominis, deſpiciat: vt opus ſuum quod homo eſt, non amittat. Audi Prophetam dicentem: Auerte faciem tuam à peccatis meis: hoc eſt, ab operibus meis; de ſe autem, Opera ma[nuum] tuarum ne deſpicias. Iudex cum vult ignoſce[re], hominem reſpicit, non culpam: pate[r] cũ miſereri vult filio, affectum cogitat, non delictum: ſic in homine Deus ſui memor eſt operis, vt operis obliuiſcatur humani. Tu ergo qui reprehẽdis, qui murmuras, cur ad peccatorem diuerterit Chriſtus, viam ſalutis, exemplũ veniæ, miſericordiæ ſpem: de tali ingreſſu cape, & caue ne hoc tibi ſit blaſphemandi materia, quod tibi occaſio eſt ſalutis. Quo medicus niſi ad ægrum? Nõ eſt opus, inquit, ſanis medicus, ſed malè habentibus, vbi anhelus paſtor, niſi ad ouem perditam? Quando ſe ex hoſtibus immiſcet, niſi cum vult liberare captiuum? Et qui pretioſam perdit margaritam, loca ſqualida non dedignatur intrare & eam inter ſtercora ipſa perquirere nõ abhorret. In quod præceps poſt filium non ſe dat mater? Et arguitur Deus qui creauit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam: quare hominẽ inter peccata charitate cõditoris inquirit? Murmuras homo quare hominem Deus inter peccata quærat: quid facies cum videris eum propter hominẽ ipſas tenebras tartari penetrare? Audi tamen quid ingreſſus ad peccatorem fecerit Chriſtus. *Stans*, inquit Zacchæus, *dixit.* Vides quomodo erectus eſt qui iacebat. Iacemus in vitiis, & iacemus oppreſſi: ſtamus, cũ bonis operibus erigimur ad profectũ. *Stans*, inquit, Zacchæus, *dixit, dimidium bonorum meorum de pauperibus* Iſte poſt mortem ſe credit eſſe victurum, quod dimidiũ bonorum iam futurã tranſmittit ad vitam. Sit licet ille perfectus, qui totum quod habet illuc, vbi victurus eſt, ſemper hinc præmittit: eſt iſte tamen virtutum ſocius: conſors prudentiæ fidei particeps, qui ad Deum, vel dimidium mittit: quia homo quod hic reliquerit, hoc amittit. Et re vera fratres; ſicut ſe iſte ibi credit viuere, qui illuc tranſmittit ſua: ita ille ſe ſibi non credit eſſe victurum, qui ſibi illic quod habere debeat, nil parauit. Nam ſi paupertatem vix ferre poſſumus temporalem, in æternum mendicus fieri quis durabit? Quis militans non ad patriam mittit, quicquid bellico ſudore conquirit, vt adoleſcẽtiæ labores ſenectus delicioſa compenſet? Et Chriſtianus cui militare eſt id quod viuit in ſæculo, quomodo non cogitat, vt pericula terrena potius cœleſtibus conſoletur? Qualiter hæc faciat Chriſtianus, Zacchæus ipſe & verbo docet & monſtrat exemplo. *Dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi cui aliquid fraude abſtuli, reddo quadruplum.* Qui aliena prorogat, plus dando diripit, quàm furando: nec compeſcit inde dolentum gemitus, ſed producit. Audeo dicere, qui de fraude Deo offert, cumulat crimina, non emundat: quia Deus in tali munere exuuias ſuorum pauperum, non miſericordias intuetur. Sine cauſa Deo plorat, contra quem iuſtè cauſa pauperis plorauerit Deo. Dei vox eſt: Si pignus tuleris fratri tuo tunicam, ante ſolis occaſum reddes illi. Sicut furem lucerna prodit, ita ſol eos qui fraudantur, accuſat. Si volumus Deo offerre noſtra, ſi apud Deum quæ noſtra ſunt poſſidere volumus, mereamur & nos audire talia, qualia Zacchæus audiuit. *Hodie domui huic ſalus aduenit, quia & hic filius eſt Abrahæ.* Inhumanus diues cũ eſſet filius Abrahæ, factus eſt gehennæ filius, iſte cum eſſet rapinæ filius dando ſua, aliena reddendo Abrahæ adoptatur in filium. Ne quis tamen putet Zacchæum offerendo dimidium bonorum perfectionis non tenuiſſe, faſtigium

Pſal. 50.
P... 7.
Matth. 9.
Exod. 12.
Gen. 5.

fastigium, qui post omnia sua, & se ipsum sic dedit Domino, vt episcoparus honore fultus à mensa publicani quæstus ad mensam dominici corporis perueniret: & fraudulentas sæculi diuitias derelinquens, in paupertate Christi veras sæculi diuitias inueniret.

IN ILLVD LVCÆ, QVIS ex vobis patrem petit panem, &c. deque patrum in filios charitate.

SERMO LV.

Posteaquam præcepta legis diffusa voluminibus congesta libris, amorem nobis non suffecerunt commendare diuinum datis hominum præcordiis, comparationibus, exemplis inseritur Dei, & insinuatur affectus. *Quis*, inquit, *ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit ill? aut si petierit ouũ, nunquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos cũ sitis m , nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis pater vester cœlestis spiritum bonum dabit petentibus se? Quis ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi?* Charitas dolum non habet: fraudem pietas, affectio non recipit falsitatem. Si pater est, non potest non amare: si amat, nisi quod bonum est, dare nescit: negat patrem, qui de patris suspectus est largitate: ignorat se filium, quem data paterna solicitant: totum quod est pietatis, excludit, qui salutare non credit, quicquid dederit pater: aut quomodo pater poterit filiis dare mala pro bonis, qui mala semper pro filiis paratus est sustinere, qui pro filiis mortem non refugit, pericula non declinat? Ideoque te Deus patrem fecit: ideo à te voluit hominem procreari, qui vtique quod te de terra fecerat, poterat fecisse quamplurimos: sed egit, vt generando scires, quanta esset generantis affectio, & in te amore tui tantum pr bare authoris, quantũ ipse author pignori tuo pignori conaris impendere. Certè non solum in te quid esset generantis affectio, sentire te Deus voluit, sed n feris, & in pecudibus, & auibus, hoc Deus voluit te videre: quæ cum de terra produxerit sola iussi ne, postea laborem sentire compulit generandi: mutare patrias, loca cubilibus apta conquirere, fœtus locorum difficultatibus communire, gemitibus edere, maximis laboribus enutrire, ac se morti, si natos suos capi viderint, non negare. Vnde si non hominis, vel ferarum comparatione, pecudum similitudine, exemplis auium, disce, quanta sit in paterna charitate synceritas. Si ergo Deum credis, & confessus es patrem, quicquid iusserit, quicquid in te elegerit, crede tibi satis esse salutiferum: crede satis esse vitale. Matris data discutere non licet, patris monita retractare non conuenit, sit licet paterni mandati species tristior, res tamen ipsa salutifera & vitalis. Sic Abrahã vbi Deum patrem credidit, mandatorum formas non attendit asperas & acerbas: circuncisionem recipit verecundam: & quæ cœlestis pater iubet, non discutit, sed iudicat gloriosa, parricidium considerat per scelestum: sed quia Deus imperat, totum pietati committit. Hinc Isaac patris super se gladium cum videret, hostiam se esse cum horrere, cum dolere poterat, est gauisus. Hinc Iephte filia patris munus, patris vota, sua morte tota gratulatione persoluit. Quare ergo iam sciens Deum de patris disputat datis, cum paruulus & innocuus quærit à patre, nõ sibi bona & profutura percipit? Sed cur has similitudines Dominus fecerit, perquiramus. *Quis*, inquit, *ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi?* Potuit dicere, nunquid zizania, nunquid loliũ, quod ex vicinitate & similitudine mentitur panem sed generat angustias? Sed Christus venerat filiis, id est Iudæis, quos genuisse tali clamore querebatur. Filios genui, & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me: venerat ergo filiis, venerat panis de cœlo, qui dixit. Ego sum panis qui de cœlo descendi: sed Iudæis est conuersus in lapidem offensionis, & petram scandali, dicente Domino: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scãdali. Quare petram? Quia mordere petram, non panem à patre quærere gest ebant. Circumdederunt me, inquit, canes multi. Denique posteaquã illi ex hominibus in canes prol ãtur esse conuersi, cœlestis illis in petram conuersus est panis, non dantis vitio, sed accipientis nequi ia: qui illos non reficeret, sed necaret, nec in fundamento positus promoueret ad culmen sed eos qui sui patris tendebant ad necem, in profundum daret, & volueret in ruinam. Adiecit aliam similitudinem. *Nunquid pro pisce serpentem dabit illi?* Erat & piscis Christus Iordanis leuatus ex alueo, qui carbonibus impositus passionum, post resurrectionem suis, id est, discipulis, escam præbuit tu c vitalem: sed Iudæis in serpentẽ piscis iste commutat r, dicente Domino: Sicut Moyses exaltauit serpentem in eremo, ita exaltari oportet filium hominis. Iudæus in serpente videbat Christum, quia impius oculus Deum videre non potest non potest videre pietatem. Dixit & tertiam similitudinem. *Nunquid si petierit ouum, porriget illi scorpionem?* Consuetum est, & solenne semper paruulos ouum petere, & parentes ouum pusillis petentibus non negare: sed quia Christus venerat congregare sicut gallina pullos suos, ouum protulit verbi, per quod Ecclesiæ germina sancta nutrirentur: sed quia Iudæus per inuidiam effundere magis, quàm sumere ouum id volebat, reperit ibidem scorpionem: vt i xta Apostolum: Mandatum quod erat illis in vitam, hoc illis esset ad mortem. In commendationem pietatis tria dominus protulit, & demonstrauit exempla, vt tribus testimoniis sicut tribus testibus, & pios ad fidem sui amoris animaret: & confutaret impios, non patris, sed suo vitio charitatis gratiam non cœpisse.

Luc. 11. Gen. 17. Gen. 22. Iudic. 11. Esai. 1. Ioan 6. Rom 9. Esai. 8. Esai. 28. Psal. 21. Ioan. 3. Math. 23. Rom. 7.

DE SYMBOLO APOSTOLORVM.

SERMO LVI.

Solicitaret me acerbi partus subita & confusa tempestas, & immatura germinum me pullulamenta turbarent, nisi crebro disruptis temporum moris, & rudi latrocinio, & fractis viscerum claustris, repentina viuendi lucra quærerent, & raperent nasciturі. Hinc est, quòd homo sæpe mensis decimi despiciens terminum, septimo mense angustas primæ domus, & arctas vteri abiicit & deserit mansiones, vt præliator nouus ante se tempus euicisse gaudeat, quàm dependat ipse suam temporibus seruitutem. Et si hoc humanæ licet naturæ, naturæ cælesti quid obsistere poterit, & diuinæ? Aut quid sanctus Spiritus non potest, si hoc potest caro? Aut quomodo gratia superna non efficit, quod fragilitas obtinet & implet humana? Nonne sic Paulus acerbo dolore viam nostræ vexauit, & viscera genitricis, vt cœlesti turbine, ac tota tempestate Ecclesiæ præueniret tempora parientis, vt subito, & in via nasceretur, qui erat ad fidem viam gentibus præbiturus: meritò se abortiuum nuncupat, &

Act. 9. 1. Cor. 15.

& miratur se fuisse nàtum, qui nouit se nulla conceptus tempora pertulisse. Nampue cum adhuc hostis ipse cæderet extrinsecus sanctæ matris vterum, & in ipso ortu pignora veneranda collideret, repente sanctum mutatur in germen, qui ipsius germinis
Act. 8. fuerat ferocissimus, persecutor. Eunuchus etiã generatur in via: vt quem castrauerat humana temeritas ad hominis seruitutem, & intra regis aulam inuita castitas collocarat, voluntaria castitas, & votiua ad cœlestis aulæ gloriã, ad æterni regis promoueret & transferret obsequium. Beatus iste cui datum est, vt palatij infulas non amitteret, sed mutaret. Hæc dicit ratio filioli, vt vos quos tristes suscepimus ad matris vterum, lætissimos perducamus vno, eodémque momento. Audite fidem: orationem discite. Sed quia impediente tempore nec nos vobis possumus aperire mysteriũ, nec vos nobis potestis solembiter reddere quæ tradũtur, agite vt & nunc symboli simpliciter verba discatis: & Paschali tẽpore quo plenius hæc traduntur, sacramenti ipsius
Matth 11. interiora possitis agnoscere. Accipite quod vultis: quod desideratis, inuadite: quia regnum cœlorum vim patitur: & qui vim faciunt, diripiunt illud: accipite quod vultis: & quod vis potest tollere,
Psal. 99. gratia largiatur. Ingressus vitæ, ianua salutis, introitus fidei, singularis, innocens, & pura confessio perdocetur, dicente Propheta: Intrate portas eius in confessione. Vnde idem Propheta taliter admonitus, Dei in se loquentis aditum motum postulat,
Psal. 117. dicens: Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor domino. Videtis quia non potest confiteri, qui non fuerit ingressus hanc domum salutis, & fidei, in quam sicut intromittit cõfessio: ita negotio de ea, indubitanter excludit. Sed quomodo
Rom. 10. confitendum sit, audiamus. Corde, inquit, Apostolus, creditur ad iustitiam: aure autem confessio fit ad salutem. Et quid crederetur, ostendit. Si credis, inquit, dominum Iesum in corde tuo, & ore confessus fueris, saluus eris. Corde creditur ad iustitiam: ore confessio fit ad salutem: magnum filioli per hoc fidei nostræ videmus esse compendium, quando inter cor & linguam totum salutis humanæ versatur, & geritur sacramentum: Habes homo vnde credere debeas, corde creditur ad iustitiam: habes vnde debeas confiteri, ore confessio fit ad salutem. Et quid dicam? Totum in se habet homo, qui se habet: ipse àutem se habet, qui Deum habet, Deum verò habet qui eum suum credit, & confitetur cuctorem. Signate vos. Fides quæ capitur auditu, corde creditur: ore promitur ad salutem, in secreto mentis est collocanda: & ipsis est nostri pectoris committenda vitalibus, ne dum chartis, & atramento describitur incautè, non reseruetur credulis ad vitam, sed prodatur perfidis ad ruinam. In te homo custodire debes, puod tibi extra te positum poterit deperire.

IN SYMBOLVM APOSTOLORVM.

SERMO LVII.

Beatus Isaias Euangelista non minus, quam Propheta, immunda labia se habere, & in medio populi habentis labia immunda se habitare deplo-
Esa. 6. rat, dicens: O miser ego, quoniam compunctus sum
Iuxta LXX. quia cum sim homo, & immunda labia habeam: in medio quoque populi habentis labia immunda ego habitem, regem dominũ sabaoth vidi oculis meis. Superhumano percellitur hic dolore, quia quod de Deo sentit & videt, loqui non valet, annunciare non potest, non potest confiteri. Quantum caro angusta est, animo suo arcta sunt labia tantum: lingua tantum breuis est suæ mentis interpres. In carne ignis anhelat inclusus, euaporat venas, inflammat viscera, exæstuat in medullis, totaque hominis interna semper incendit, quia quod mentis contemplatur affectu, ore depromere, effundere labiis, lingua distinguere, & in totum non sufficit euaporate sermonem. Hinc est, quod Isaius vbi vidit regem cæli, hoc est Christum, ipsumque esse dominum sabaoth, clara visione cõspexit, sua suique populi labia immunda defleuit: quia sicut illustrat corda, purgat ora, labia emundat Christi confessa diuinitas, ita Christi polluit negata maiestas. Sed quid iste profecerit, Prophetæ gemitus audiamus. Et missus est, inquit, ad me vnus de Seraphim, qui in manu habebat carbonem, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, dicens: Ecce hoc tetigit labia tua, & abstulit iniquitates, & peccata circum purgauit. Non est huius temporis dicere, cur vnus mittitur, & quis sit iste qui mittitur: & quantus est qui carbonem superni ignis sic manu gestat intrepidus, imo sic suo temperat attactu, vt Prophetæ purget labia, non perurat: sed nunc nos etiam toto cordis compungamur affectu: nosque in hac miseria carnis miseros esse fateamur, immunda quoque labia nos habere piis gemitibus defleamus, vt vnus iste de Seraphim legis gratiæ forcipe acceptum de superno altari nobis ignitum fidei deferat sacramẽtum, talique moderamine nostrorum tangat ora labiorum, vt iniquitates auferat, peccata depurget, & hora nostra sic in flammam plenæ confessionis accendat, vt sit ista salutis adustio, non doloris. Petamus etiam vt ad corda vsque nostra perueniat calor iste carbonis, vt de tanta suauitate mysterij, non solum labiis gustum, sed ipsis totam satietatem sensibus, & mẽte capiamus: & sicut Isaias post emundationem labiorum ineffabilem partum Virginis est locutus, dicens: Ecce virgo in vtero acci- Isai. 7.
piet: & pariet filium: sic nos passionis sacramentum, & resurrectionis referamus gloriam. *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* In Deum vos hodie meritò confitemini credidisse. Quando deos, deásque sexu dispares, numero confusos, turba populares, viles genere, fama turpes, impietate maximos, primos scelere, crimine singulares, ipsis etiam sepulchrorum suorum vultibus accusatos, lætamini vos fugisse: quia miseriæ, doloris, & infœlicitatis est, tantos, & tales habuisse seruulos, quãtos vos, & quales dominos hactenus pertulistis: sed ad vnum viuum, verum solum, sed non solitarium Deum vos peruenisse gaudete, dicendo. *Credo in Deum Patrem.* Iam confiteatur filium qui nominat patrem: quia qui vocari pater, pater dici voluit, habere se filium clemẽter ostendit, quem non accepit ex tempore, non genuit in tempore, non suscepit ad tempus. Diuinitas nec initium capit, nec recipit finẽ, nec admittit posterum, quæ non agnoscit occasum. Deus filium non doloribus parturit, sed virtutibus esse manifestat: nec præter se facit quod ex se est, sed generat, dum quod in se est, aperit, & reuelat. De patre processit filius, non recessit, nec successurus patre prodiuit ex patre, sed prodiuit mansurus semper in patre. Audi Ioannem dicentem. Hoc erat in princi- Ioan. 1.
pio. Et alibi. Quod fuit ab initio. Quod erat, vti- 1. Ioan. 1.
que non accessit: quod fuit, apparet vtique non cœ- Isai. 44.
pisse: Ego sum, inquit, primus, & ego nouissimus. Qui primus est, non iste post alterum, qui nouissimus, post se alterũ non relinquit, sed ista cùm dicit, non excludit patrem, sed in se & patre vniuersa conclu

concludit. Sed ea quæ ante sunt, accedamus. *Et in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum.* Sicut reges triumphorum suorum titulis nuncupantur, & subiectarum gentium nominibus conquirunt numerosissima cognomenta: ita Christus bonorũ suorum titulis nuncupatur: à chrismate enim vocatus est Christus, qui diuinitatis vnguentum aridis iam mortalium membris pius medicator infudit, & vt à chrismate Christus, sic Iesus vocatus est à salute, qui ob hoc nos diuino infudit vnguento, vt ægris certam salutem, perditis perpetuã redderet sanitatem. *Et in Christum Iesum filiũ eius vnicum.* Quia etsi sunt multi filij per gratiam, iste vnus, & singularis est per naturam. *Dominum nostrũ* Qui nos de tantorum, tam crudelium, tam turpiũ liberatos seruitio dominorum, vt non ad conditionem pristinam vendicet, sed vt ad perpetuam libertatem manumittat, inquirit. *Qui natus est de Spiritu sancto.* Ita, & taliter tibi nascitur Christus, donec tibi homo nascendi ordinem mutet: vt sit tibi nouus ortus in vita, cui vetustus semper in morte manebat occasus. *Qui natus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine.* Vbi spiritus generat, virgo parturit, totum diuinũ geritur, nil humanum: nec vllus infirmitati locus est, vbi virtus est socia virtuti: soporatus est
Genes. 2. Adam, vt de viro virgo sumeretur: nunc stupuit vir-
Luc. 1. go, vt vir repararetur ex virgine Quid sibi de tanto, de tali partu natura poterit vendicare, vbi dũ videt nouari ordinem suũ, tota sua conspicit iura mutari, venisse suam sobolem, suum sentit & miratur auctorem? Videaur hoc perfidis vtile, magnum est credentibus sacramentũ. *Qui sub Pontio Pilato crucifixus est, & sepultus.* Audis iudicis nomen, vt tempus etiã passionis agnoscas: audis crucifixũ, vt nobis salutem perditam, per quod perierat, reparatam esse agnoscas, & ibi videas pendere credentium vitam, vbi mors pependerat perfidorum: audis sepultum, ne mors putetur illusa. Hoc est diuinæ virtutis insigne, cum mors morte moritur: auctor mortis proprio mucrone truncatur, prædo capitur sua præda: infernus vita dirumpitur deglutita. *Tertia die resurrexit à mortuis.* Tres dies sepulturæ suæ tribus impendit Christus habitationibus profuturos, inferis, terræ, cœlo: instauraturus quæ in cœlo sunt, & quæ sunt reparaturus in terra, & quæ apud inferos redempturus: simul vt Trinitatis gratiam tridui sacramento datam panderet hominibus ad salutem. *Ascendit in cœlos.* Ascendit, non vt se referret in cœlum, qui semper mansit in cœlo, sed vt te perferret, quem taliter vinctum absoluit, & subtraxit inferno. Intellige vnde, vbi homo per Deum sis leuatus, vt esses in cœlestibus stabilis, qui eras lubricus, ac semper mutabundus in terra. *Sedet ad dexteram patris.* Sed suis pater nil habet à sinistris. Confessio nostra non diuini confessus loca, sed virtutis assignat indicia: Deus loca nescit: Diuinitas rescipit nil sinistrum. *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* Esto viuos, mortuos quemadmodũ poterit iudicare? Sed illi viuunt, qui nobis mortui computantur. Ergo resurrecturos eos confitemini ad iudicium, quos infidelitas existimat deperiisse, vt qui mortui fuerint, & qui reperientur viui, pariter suorum reddant actuum, vitæque rationem. *Credo in Spiritum sanctum.* Postquam susceptæ carnis confessus es sacramentum, oportet te deitatem Spiritus confiteri: vt Trinitatis vnitas æqua, patris, filij, sãcti Spiritus per omnia, & in omnibus, virtutis integram fidei in nostra confessione custodiat & teneat veritatem. *Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Quia neque à capite membra, neque sponsa separatur à sponso: sed tum tali coniunctione spiritus fit vnus, fit omnia, & in omnibus Deus. Ergo ipse in Deum credit, qui in Deum sanctam Ecclesiam confitetur. *Et remissionẽ peccatorum.* Ipse sibi donat veniam, qui sibi peccata per Christum remitti posse confidit. *Carnis resurrectionem.* Bene credis, si te per Deum credis resurgere ex morte posse, cui resurgunt semper elementa: sic tempus ex tempore, sic ex nocte dies, sic de sepultura sua semina: nec tu perire poteris, cum illa reuiuiscant: nec difficile est Deo facere de te sene, quod tu facis semper ipse de semine. *Vitam æternam.* Hæc fides, hoc sacramentum non est committendum chartis, non scribendum literis, quia chartæ & literæ magis cauta, quàm gratiam proloquuntur: vbi verò Dei gratia, donatio diuina consistit, ad pactum fides, altitudo cordis sufficit ad secretum: vt hoc salutis symbolum, hoc vitæ pactum, diuinus arbiter nouerit, testis falsus ignoret. Signate vos. Ipse autem dominus Deus noster sensus vestros, corda vestra custodiat: & in his quæ præcepit vobis, ipse vobis fautor assistat.

IN IDEM.

SERMO LVIII.

Qui fidem quærit, rationem non quærit: qui diuinam postulat, seponit humanam: qui Deo genitore nascitur, transcendit naturam: & tempori nil debet, qui temporis meretur auctorem. Ecce pia fidei germina videmus antè nasci vos velle quàm concipi: antè percipere cœli regnum, quàm ventris angustias sustinere: sic tendere ad patris gaudia, vt matris transeatis languores: nec puta-
tis abortiuum, quod maturũ creditis esse per Chri- 1. Cor. 15.
stum. Sic Paulus Apostolus per fidem maturus nascitur, qui se abortiuum clamat esse per tempus. Accipite ergo fidem sola fide: nec quæratis aperiri vobis ipsius fidei rationem, quàm vos ne requireretis intra fidem vestra festinatione clausistis. Ad fidem vos filij hodie fides vestri auctoris inuitat, qui promissionis suæ ante fidem implet, quam fidem vestræ percipiat sponsionis, & hoc restituit
rebus humanis, vt olim verbo promiserat per Pro- Psal. 80.
phetam: Dilata, inquit, os tuum, & adimplebo illud Hoc est, tu dilata in confessione, & ego illud ipsius confessionis replebo sacramento: & mystico sermone ditabo, & replebo illud toto eloquio cœlestis arcani. Et re vera filij quicquid audiétis, quicquid respondentis obedientia profitetur, hoc donantis & docentis Dei rẽdundat ad gratiam. Accepturi ergo symbolum, hoc est pactum vitæ, salutis placitum, & inter vos, & Deum fidei insolubile vinculum pectora parate, non chartam: sensum acuite, non calamum: & audita non atramento, sed spiritu ministrante describite: quia committi non potest caducis & corruptibilibus instrumentis æternum, & cœleste secretum, sed in ipsa arca animæ, in ipsa bibliotheca interni Spiritus est locandum: ne profanus arbiter, ne improbus quod dilaceret discussor, inueniat: & fiat ad contemnentis & ignorantis ruinam, quod confitentis, & credentis donatum est ad salutem: sed dicenti tibi Prophetæ. Dilata os tuum, & adim-
plebo illud: tu respondere possis. In corde meo Psal. 80.
abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. *Credo in* Psal. 118.
Deum Patrem omnipotentem. Qui confessus est patrem, confitetur & filium, quia sine filio pater dici non potest: & quia Deo augeri, Deo addi nil potest: semper fuit filius, quia fuit semper & pater: nescit inchoari filius, quia deficere pater nescit, nec crescit genitus

genitus, vbi genitor non senescit: æterna, & coæterna patris, & filij substantia non gradibus humanis, sed diuinis æstimanda virtutibus. *In Christum Iesum filium eius vnicum Dominum nostrum.* Christum vnctum accipe, non communi oleo, sed sancto quo natus est spiritu. *Qui natus est de Spiritu sancto.* Tali natiuitate consecrata est in Deo humanitas, nõ tali dignatione minorata est in homine deitas. *Qui natus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine.* Virginitas Deum credidit: quia non nisi per Deum ipsa virgo esse potuit, & mater. *Qui sub Pontio Pilato crucifixus est, & sepultus.* Iudicem indicat, vt tempus designet, crucifixum memorat, vt passionis conferat qualitatem: & inde fides argumentum diuinæ virtutis & veræ resurrectionis colligat, vnde impietas materiam contumeliæ, & occasionem præsumpsit erroris. Crucifixus in cruce, in edito corã omnibus inimicis, & tota crudelitate spectãtibus, & tota acerbitate obseruantibus, mortem suscepit. Sepulturam patitur, ne mortem non adiisse, vt vinceret, sed simulasse, vt eluderet, ab impiis iactaretur. *Sepultus, tertia die resurrexit.* Et si in passione nostræ se carnis veram probauit habuisse substantiam, per trium dierum figuram totam Trinitatis resurgit in gloriam. *Ascendit ad cœlos.* Ascendit nos perferens, non se referens, qui nunquam recessit è cœlo. *Sedet ad dexteram patris.* Ordo ibi diuinus est, non humanus: sic à dextris sedet filius, vt pater non sedeat à sinistris: vnica & singularis est diuina confessio, vbi superna virtus recipit nil sinistrum. *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* Desinant homines, desinãt hæretici iudicare iudicẽ suum: sperent veniam, ne incurrant de tali præsumptione sententiam. *Credo in Spiritum sanctum.* Nũc perfecta est tua in Trinitate confessio, quando Spiritum sanctum vnius cum patre, & filio substantiæ fideli voce confessus es. *Et sanctã Ecclesiam.* Quia sit coniuncta Christo est, vt totam diuinitatis transferatur in gloriam. *Et remissionẽ peccatorum.* Acquire tibi tua fide veniam: quia satis ibi inimicus est, qui hoc sibi dari non credit, quod tota benignitate largissimus promittit indultor. *Carnis resurrectionem.* Crede carnis resurrectionem: quia qui hoc
1. Cor. 15. non credit, fidem non habet in prædictis, dicente Apostolo. Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quos iudicabit, quibus regnabit Deus, si vitæ, si iudicio, resurrectio non reddiderit, quos sæculo mors ademit? *Vitam æternam.* Manifestum est, quia vita æterna ipsa morte moriente succedit.

IN IDEM.

SERMO LIX.

Audistis vocem patris, vocem vocãtis audistis. venite filij, venite, venite, quia venit tẽpus fidei, credulitatis dies, cõfessionis hora, venite petitores fidei, afferte syncerum pectus, cor mundum, puram vocẽ, vt quod per nos sermo salutaris insinuat, vos sancto capiatis auditu. Fides ex auditu, auditus ex verbo constat. Placitum fidei pactum gratiæ, salutis symbolum tota simplicitate sẽsus audite, quatenus illud confessionis tempore, & audire possitis, & reddere: quia istud reddere est habere: diuinum munus qui reddiderit, non amittit. Daturus legem Deus, iussit vt populi lauarent vestes, lauarent corpora sua, totósque se ab omni carnis contagione mundarent, quia appropinquare Deo homo non potest fæce corporali, mundano squalore pollutus. Lex illa, quæ gratiæ vmbrã tenuit, & figurã, purificationem merito quærit tantam, tantam merito exigit puritatem Auditoris diuinitatis sacramentum totum, quanta mentis, quanta corporis opus est puritate: Mundemus ergo corda, purificemus corpora, aperiamus oculos, reseremus sensum, animæ ianuas patefaciamus totas; vt symbolũ quod est fidei pactum, audire, capere, tenere, & in ipso cordis nostri secreto semper seruare possimus. *Credo in Deũ Patrem omnipotentem.* Credimus in Deum, si negamus Deos, si renunciamus idolis, si diabolum &
eius Angelos abnegamus. Audi, inquit, Israël dominus Deus tuus vnus est. Et iterum: Non erunt tibi dij alij absque me. Habebit ergo Deum verum, Deuter. 6. Marc. 18. Exod. 20.
vnum Deum, qui Deum alterum non habebit. Credimus in Deum, & eundem confitemur patrem, vt eundem semper habuisse filium nos credamus: habuisse autem filium, non conceptum, non inchoatum, non separatum partu, non auctum tempore, non minoratum gradu, nõ ætatibus immutatum, sed intra æternum genitorem germen permanens in æternum. Ego, inquit, in patre, & pater in Ioan. 14.
me est Audiuimus patrem, credamus filium virtute diuina, ordine non humano: arcano Dei, non ratione mundana: non lege seculi potentia, sed superna. Quod scire licet, discutere non licet: credere conuenit, non conuenit perscrutari, non ob hoc omnipotentem Deum diximus, vt Deo impossibile nil putemus. *Et in Iesum Christum filium eius vnicum, Dominum nostrum.* Ab vnctione Christus, Iesus vocatus est à salute: quia & vnctio, quæ per reges, Prophetas, & sacerdotes olim cucurrerat in figuram, in hunc regem regum, sacerdotẽ sacerdotum, Prophetarum Prophetam, tota se plenitudine spiritus diuinitatis effudit: vt regnum, & sacerdotium, quod per alios præmiserat temporaliter, in auctorem ipsum refunderet & redderet sempiternum. Et Iesus quidem, id est, saluator, recte dicitur salus, quia & dedit rebus esse, & idem pereuntibus dat salutem. *Filium eius vnicum,* In se est vnicus filius, qui quod aliis per suam gratiã donat, ipse sibi vnicam possidet per naturam. *Dominum nostrum.* Sicut supra diximus, Dominus Deus, Deus vnus constat in Christo: quia quicquid est, & deitate, & humanitate Deus vnus est: desiit in Christo substantiarum diuersitas, vbi caro cœpit esse quod spiritus, quod homo Deus, quod nostri corporis & deitatis vna maiestas. *Qui natus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine.* Quid terrenũ nascitur, vbi authore spiritu virgo vocatur in partu? quis non diuinũ credat, quando quæ peperit, nil sensit humanum? Deũ mulier virgineo portabat in templo: hinc est, quod & acquisiuit honorem matris, & virginitatis gloriam non amisit. *Qui sub Pontio Pilato crucifixus est, & sepultus.* Nomen iudicis diximus, vt passionis tempus, vt rei gestæ veritas sic patescat. *Crucifixus est.* Vt quia per lignum mors venerat, rediret vita per lignum. *Et sepultus.* Vt officia tota mortis impleret, vt mors morte moreretur, vt ex illius semine corporis omnis humanorum corporum satio vitalem surgeret, & leuaretur in messem *Tertia die resurrexit à mortuis.* Vt tribus in diebus Trinitatis beneficium panderetur, vt per triduanũ tempus humana trium temporum generatio saluaretur, id est, ante legem, in lege, & in gratia. *Ascendit in cælos.* Ioan. 3.
Non vt petens, sed vt repetens in cœlos. Nemo ascendit in cœlum, inquit, nisi qui de cœlo descendit. *Sedet ad dexteram patris.* Sed patrem non habet ad sinistram. Diuinitatis consessus recipit nil sinistrũ. *Sedet ad dexteram patris.* Vt patris deitate vna. *Sedet ad dexterã.* Ne sit minor gradu, posterior ordine Ioan. 10.
sed patri diuinitate vna, æqua potestate conregnet.

Ego,inquit,& pater vnum ſumus. *Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos.* Si credimus venturum iudicem,innocentes iudici nos præparemus: iudicem negat eſſe, aduenire non credit: iudicandum ſe ſatis iſte diffidit, qui malè viuit. Iudicat viuos, iudicat & mortuos, quos vtique iudicaturus exuſcitat. *Credo in Spiritum ſanctum.* Huc vſque dominicæ natiuitatis,paſſionis,reſurrectionis, aſcenſionis, aduentus myſteriorum confitentes, ad confeſſionem ſancti Spiritus iam venimus: vt ſicut in Patrem, & Filium, in ſanctum Spiritum ſic credatur: vt vnam in Trinitate deitatem,virtutem, gloriam prædicemus. *Et ſanctam Eccleſiam.* Credimus & Eccleſiam,quam Chriſti receptam confirmatam credimus,& confitemur in gloriam. *Remiſſionem peccatorum.* In nouum hominem naſciturus, antiqui reatus, peccati veteris quid habebit? qui præterita ſibi remiſſa nõ credit debita,dubitat percipere ſe futura. *Carnis reſurrectionem.* Crede homo de morte reſurgere te poſſe,quia antequam viueres nil fuiſti: aut quare dubitas quod reſurgas,cũ tibi totum quod in rebus eſt,quotidie ſic reſurgat? Sol occidit, & reſurgit: dies ſepelitur, & redit: menſes,anni, tempora,fructus ſemina, cum tranſeunt ipſa moriuntur, cum redeunt ſua ipſa morte reuiuiſcunt, & vt reſurrecturum te iugi, & vernaculo inſtruaris exemplo,quoties dormis,& vigilas, toties moreris & reſurgis. *Vitam æternam: Amen.* Neceſſe eſt,vt qui reſurgit,viuat in æternum, quia ſi in æternum non viueret,non vitæ reſurgeret,ſed morti. Signate vos. Hoc ſpei pactum, hoc ſalutis placitum,hoc vitæ ſymbolũ, hanc fidei cautionem mens teneat,conſeruet memoria,ne diuinitatis pretioſum munus depreciet charta vilis,ne myſterium lucis atrum tenebret atramentum,ne ſecretum Dei habeat indignus & profanus auditor. Si mihi ſilentium ſemper veſtra charitas ſic præberet,ad omnes tractatus mei ſermonis veſter perueniret auditus, ſed Deus noſter,& mihi fiduciam dicendi,& vobis audiendi deſiderium donare dignetur.

IN IDEM,

SERMO LX.

Matth 15. SI Chananitis mulier clamore ſubito, repentina
Act. 8. fide,iuuante Chriſto,& quod petebat, accepit,
Act. 10. & quod negabatur,extorſit: ſi Æthiops ſpado arca-
Luc. 23. num vitalis lauacri præteriens inuenit in via, ra-
Deut. 32. Iuxta LXX. puit in tranſitu: ſi Cornelius Centurio antequam intraret baptiſma, peruenit ad ſpiritum, ſi latro in ipſo momento mortis Paradiſum inuaſit, & vitam vobis,in articulo temporis quam quæritis,quis negabit; Ex fide ergo accipite fidem, & vt fidei myſterium ſcire poſſitis,acceſſu temporis laborate. Moyſes laturus legem, cœlum vocat & terram: ſacerdos quid inuocabit gratiam prolaturus? Ille dixit, attende ad cœlum, & loquar: & audiat terra verba ex ore meo: ego dicam attende Deus,loquar: & audiat homo verba ex ore meo. Ille dixit, Expectetur ſicut pluuia eloquium meum: & deſcendant ſicut ros verba mea: ego dicam,veniat ſicut ros ſpiritus tuus: & inundet ſicut flumen gratia tua: fiatque nunc cœleſtis: verbi vnde ſaliens in vitã æternam. Ille dixit, quia nomen domini inuocaui, date magnificentiam Deo noſtro,ego dicam,quia fidem inuocaui, date crudelitatem Deo veſtro. Et quia nauigia corporum noſtrorum quadrageſimæ ſunt curata ieiunio, neceſſe eſt, vt placitum fidei ſymbolum cœleſtis commercij iã dicamus,quatenus ſub certa ſpe per tota mundi æquora,per infidos ſæculi fluctus lucra manſura ſæculis conquiramus. Accipite ergo fidem, expectate rem: quia cui fides non præcedit in ſemine,res ei non ſequitur in fructu. Signate vos. Sermo creat auditum, auditus concipit fidem,credulitatẽ parturit fides,confeſſionem credulitas nutrit,cõfeſſio perpetuam dat ſalutem. Hinc eſt quod meo,veſtróque ore occurrit ſic ſibi fides, credulitas ſic amplectitur ſe,ſalus ſe cõfeſſionis oſculo ſic ſalutat. *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Hæc vox totum Trinitatis fatetur & aperit ſacramentũ,Deum dicit,non Deos; quia vnũ Deũ in Trinitate credit Chriſtiana fides, ſcit Patrẽ, ſcit Filium, ſcit Spiritum S. deos neſcit. Diuinitas in perſonis trina eſt,ſed vna eſt in Trinitate diuinitas: perſonis Trinitas diſtincta eſt,nõ eſt diuiſa ſubſtantiis: Deus vnus eſt,ſed Trinitate: Deus ſolus eſt, ſed nõ ſolitarius: diuinitas nec Trinitate diuiditur, nec confunditur vnitate: hæc ſentit fides cum dicit, *Credo in Deum.* Mox addit, *Patrem.* Qui credit patrem eſſe,filium confitetur: qui credit patrem & filium,ætates non ſentiat,gradus non cogitet, non tempora ſuſpicetur,non conceptum quærat,neſciat partum? qui Deum credit,diuina confeſſus eſt,non humana. Sed dicit hæreticus: quomodo pater,ſi non præcedit? quomodo filius,ſi non ſequitur: quomodo non dat initium, qui generat? quomodo quod generatur,principium à generante non ſumit? Hoc ratio docet, hoc natura probat. Erras hæretice, hoc habet humana ratio,nõ habet hoc diuina: hoc accipit natura mundi, deitatis non recipit hoc natura,fragilitas humana concipitur,& concipit: parturitur, & parturit: generatur, & generat: accipit initium,& dat finem: mortem ſuſcipit, & refundit: & reſeruat in ſobole quicquid ſuæ conditionis eſt, & naturæ. Deus verò pater non genuit in tempore, quia tempus ignorat: non dedit initium, qui initium neſcit: non transfudit finem, quia non habet finem: ſed ſic genuit ex ſe filium, vt totum quod in ſe erat,eſſet, & maneret in filio. Honor geniti generantis honor eſt: perfectio geniti generantis forma eſt: minoratio geniti reuelat ad generantis iniuriam. Sed hæc audiens, hæretice, non dicas, quomodo iſta ſint,dixiſti Deum: credidiſti patrem: omnipotentem confeſſus es: ſi dubitas,mentitus es: credo ſi dicis, quomodo non credis,ſi diſcutis? ſi putas impoſſibile, omnipotentiam quam confeſſus es,ſuſtuliſti: ſed nos qui patrem, & filium, & Spiritum ſanctum vnius maieſtatis & gloriæ confitemur, fidem dominici corporis iam loquamur. *Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum. Dominum noſtrum.* Poſteaquam Dei filius ſicut pluuia in vellus toto diuinitatis vnguento noſtram ſe fudit in carnem, ab vnguento nuncupatus eſt Chriſtus: & huius nominis extitit ſolus auctor, qui ſic Deo ſuperfuſus eſt, & infuſus, vt homo, Deúſque, eſſet vnus Deus. Hoc ergo vnguenti nomen effudit in nos, qui à Chriſto dicimur Chriſtiani: & impletum eſt illud quod cantatur in Canticis Canticorum. Vnguentum effuſum eſt nomen tuum. *Et in Chriſtum Ieſum filium eius.* Cant. 2. Illud ſacramenti nomen eſt,hoc triumphi, nam ſicut à Deo vnctus nomen ſortitur ex vnguine, ita cum ſalutem perditam mundo reddidit, à ſaluando nomen ſaluatoris aſſumit. Sæpè iam diximus, quod Ieſus Hebraica lingua dicitur, Saluator dicitur hoc Latina. *Et in Chriſtum Ieſum filium eius.* Cuius? vtique Dei patris: cùm dicis in Ieſum filium eius,confiteris Ieſum,qui natus eſt de Maria Dei eſſe filium. Caue ergo ne amplius ſentias in Chriſto quod homo fuit, ſed ſemper quod Deus

2.Cor.3. Deus sit confitere. Apostolo sic dicente: Et si nouimus Christum secundum carnem, sed iam nunc non nouimus. *Vnicum Dominum nostrum.* Hoc conuenit ad vtrumque: quia & vnicus patris est, & vnicus Dominus noster est: alij filij, alij Domini esse per gratiam perceperunt: solus Christus esse
Matth. 1. filius, esse dominus habet, & possidet per naturam. *Qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine.* Si iuxta Euangelistam quod in ea natū est, de Spiritu sancto est, quia Deus spiritus est, hæreticus iam Deum natum virginea confiteatur ex carne: neque amplius cœleste mysterium, virginitatis partum, trahat ad conceptum mundi, ad terrenæ fragilita-
Ioan. 4. tis iniuriam. *Qui sub Pontio Pilato crucifixus est & sepultus.* Nomen iudicis audis vt tempus passionis agnoscas: audi crucifixum, vt ex mortis ignominia magnitudinem sentias charitatis: mortémque quæ per lignum venit, mortificatam scias esse per lignum: & credas maiora tibi esse reddita per crucis arborem, quam perdidisse te per Paradisi arborem suspirabas: sepultum dicis, vt veram carnem Christi, mortémque non perfunctoriam probet confessio sepulturæ, mortem suscepisse & vicisse, intrasse inferos & rediisse, venisse in iura tartari, & tartari iura soluisse, non est fragilitas, sed potestas. Confiteris *die tertia resurrexisse*, vt intelligas: resurrectionem Christi totius Trinitatis fuisse victoriā. Dicis *ascendisse in cœlos*, vt cœli dominum credas, vt vnde venerat, rediisse fatearis, quia superato diabolo, calcata morte, liberato mundo, super cœlos triumphat Christus, qui victus putabatur in terris. Clamas, *Sedet ad dexteram patris.* Vt quia patris & filij vna est deitas, par potestas, in cœlesti consessu nulla sit sinistræ sessionis iniuria. *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* Quia veniente Christo resurgent mortui, sistentur viui, vt pariter causas reddat de suorum ratione factorum. Et quia
Ioan. 4. dominici corporis iam diximus sacramentum, ad confitendum deitatem spiritus perueniamus. *Credimus in Spiritum sanctum.* Quem Deum nobis inclamat vox diuina: cùm dicit, Quia Deus spiritus
Isai. 32. est. *Credimus in Sanctum Spiritum.* Quem Propheta cooperatorem patris & filij esse decantat. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Totus Deus, totaque Dei virtus est, qui creator cœlestium probatur esse virtutum. *Credimus sanctam Ecclesiam.* Quam sic in se suscepit Christus, vt eam diuinitatis suæ faceret esse consortem. *Credimus remissionem peccatorum.* Quia qui per Christum, & Ecclesiam in nouum hominē fuerit natus, veteris delicti nil habebit. *Credimus carnis resurrectionem.* Vt credamus passionis, mortis, resurrectionis Christi hanc fuisse causā, vt nos resurgeremus ex mortuis. Resurget caro, resurget vt ipsi sumus, vt agnitio maneat personarum, vt & martyr de persecutoris pœna lætitiam sumat, & persecutor sumat de martyris honore supplicium. *Credimus vitam æternam.* Quia post resurrectionem nec bonorum finis est, nec malorum. Signate vos. Fidem quam credimus & docemus, non atramento, sed spiritu, committamus pectori, non chartæ demus memoriæ, non libro, ne diuinum munus violent res humanæ, ne cœleste secretum arbiter profanus assumat: ne quod est credentibus ad vitam, existat perfidis ad ruinam. Sol lippientibus oculis non lucem tribuit, sed tenebras: vinum vires febrientium non reparat, sed eneruat: sine medico vitæ poculum fit lethale, sic perfidis perni-
Rom. 10. ciosum est sine fide fidei sacramentum. Sicut dicit Apostolus, capiatur fides ex auditu: auditus autem capiatur ex verbo, & vitæ placitum, pactum fidei, lex salutis non hæreat morituris, sed viuis sensibus affigatur.

IN IDEM.

SERMO LXI.

NIsi me solaretur beati Pauli subita & inopinata conuersio, vix crederem tam facilè vos Act. 9. de terrena labe in cœlestem posse gloriam commutari. Illum namque de persecutore mox Aposto- Act. 8. lum præstitit repentina confessio, & Ecclesia dedit insignem magistrum, quem furentem Christiani nominis inuenerat vastatorem. Nec minus animat me illius spadonis exemplum, quem fides antè rapuit ad gratiam, quàm currus ad Indiam, domumque reuocaret. Accedit illud etiam latronis mira- Luc. 23. bile documentum, qui nunc rapuit paradisum, quando latrocinij sui pœnas est appensus, vt solueret. Vnde nos filioli, quia sic tempus vestræ regenerationis aptastis, vt neque nos possimus dicere quod necesse est, neque vos possitis quod oportet audire, fidem fidei committens, tradimus breuiter, quod latiùs commendare non possumus. Nam quemadmodum exponentibus nobis potestis cognoscere symboli sacramentum, qui ipsum symbolum memoria capere vix valetis? Hoc monemus solum, ne quis committat literis, quod est cordi mandaturus vt credat: Apostolo sic monente. Cor- Rom. 10. de creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Audituri formam fidei, credulitatis normam, confessionis ordinem, parate simul corporis & cordis auditum. Sicut fons ore angusto manans magnis fluuiorum laticibus ampliatur, sic fides symboli breuiato sermone credulitatis latissimos dat meatus. Et sicut radix altè fixa in excelsum germen se protendit, fides sic radicata pectoris in profundo in excelsum credulitatis cacumen attollitur. Ergo de cordibus vestris expurgate perfidiæ cœnum, vt pura per vos fidei fluenta percurrant: incredulitatis fruteta in vobis radicitus amputate, vt excrescant ad alta credulitatis vestræ robusta plantaria. Et quia, auctore Apostolo, corde Rom. 10. creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem, in confessionis vocem modò date quòd iam corde creditis. *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Qui credit in Deum, Deum discutere non præsumat, Deus quòd sit, sufficit scire: qui requirit vnde sit, quantus sit Deus, Deus quid sit, hic nescit: solum importunum tenebrat aspectum, ad Deum, inconcessus cæcatur accessus: Deum qui vult videre, visionis eius discat tenere mensuram: Deum suum qui vult scire, nesciat gentium deos: qui deos dicit, contradicit Deo. Seruire vni libertas est, captiuitas multis. Quem Deum confessus es, crede patrem: vt credens patrem, esse filium discas, dicens filium, genitum cognoscas esse de patre, cognoscens de patre genitum, quomodo sit genitus non requiras: quia dixisti, *Credo in Deum patrem omnipotentem.* Omnipotens potest omnia, & si omnia potest quod in se, ex se, & semper secum habeat filium quis negabit? Generatio Dei initium non habet, nescit finem, non admittit excessum: quando in genitore genitus permanete persistit; dicente ipso Domino. Ego in patre, & pater in me est. Ego & Ioan. 13. pater vnum sumus. Confessus es patrem, confessus Ioan. 10. es filium, confessus es diuinitatis arcanum, confitere incarnationis dominicæ sacramentū. *Et in Christum Iesum filium eius.* Christus à superno vocatur vnguento? est enim tota plenitudine diuinitatis infusus;

fusus: Iesus nomen est à salute, quod nomen omne quod in cœlo, quod in inferno est, tremens, genuflexum, summisso vertice confitetur. *Et in Christum Iesum filium eius vnicum Dominum nostrũ.* Vt
Philip. 2.
patris & filij, est nobis vna Deitas, ita dominatio vna sit nobis. *Qui natus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine.* Spiritus & virgo copula terrena nõ est, cœleste sed est secretum: hinc est, quod nascitur est diuinum. Ergo quod natus est confitendum est, quomodo natus est, tacendum est: quia quod secretum est, sciri non potest: quod clausum est, nescit aperiri: quod singulare est, non refertur exẽplo. *Qui sub Pontio Pilato crucifixus est, & sepultus.* Iudicis nomen audis, ne tempus ignores: Crucifixũ audis, vt tibi mortis qualitas innotescat: & intelligas quid impenderit tibi, qui propter te pœnam tãtæ mortis excepit. Audis sepultum, vt scias mortem non fuisse perfunctoriam, sed veracem. Mori nolle est timoris humani, diuinæ virtutis est surrexisse de morte, hic ergo non offendat mortis auditus, vbi resurrectionis gloria abscondit mortis iniuriam. *Tertia die resurrexit.* Quia hominis est quod moritur: Trinitatis est quod resurgit. *Ascendit ad cœlos.* Hominẽ ferens illò vbi semper mansit. *Sedet ad dexteram patris.* Ad dexteram sedet, quia habet deitas nil sinistrũ. *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* Iudicabit viuos & mortuos, quia resurgent ad iudiciũ, qui non putantur esse post mortẽ, quos gentilitas existimat periisse cum sæculo. *Credo in spiritum sanctum.* Vt in patre & filio & Spiritu S. vnam credas & intelligas esse deitatem. *Credo sanctam Ecclesiam.* Vt confitearis Ecclesiam Christi sponsam in perpetua Christi societate mansuram. *Credo remissionẽ peccatorum. Carnis resurrectionem.* Qui remissionẽ peccatorum, qui carnis resurrectionem non credit, aufert veniam sibi, ipse sibi subtrahit vitam. Quod audistis, & credidistis, non confessi estis, cor habeat, memoria teneat, charta nesciat, scriptor ignoret, ne sacramentum fidei diuulgetur in publicum, ne ad infidelem fidei deriuetur arcanum, Deus qui vobis sacramentum fidei & audire dedit, & credere, ipsos vos æternam peruenire faciat ad salutem.

IN IDEM,

SERMO LXII.

NVtritor pius nisi totus fuerit redactus in paruulũ, nunquam paruulum, perfectum perducit in virum: denique tunc vocem tenuat, verba ponit, agit nutibus, sensus seponit, infirmat viscera, abiicit vires, membra dissoluit, gressum tardat, gestit non ambulare, sed repere: ridere simulat, timere fingit, flere mentitur, quia est in illo mendacium pietas, desipuisse prudentia est, est infirmitas virtus. Hoc
1. Thess. 2.
reor beatum Paulum fecisse, cùm dicit: Factus sum paruulus in medio vestri, tanquam si nutrix foueat filios suos. Sed fortè aliquis stupeat, cum videat nutriculum ista facientem: non irridet si est parens, si pater est non miratur: hoc stultitiam dicere nõ potest, qui scit amare. Vnde vos iam patres, iã fortes, iam prudentes deprecor, vt me patiamini paruulis Domini mei dependere debitæ nutritionis obsequia: & blandimentis hodie magis congrua, quàm peritiæ verba depromere: non quadrare, sed liquare sermones: & eos adhuc teneris faucibus in modum
1. Cor. 3.
lactis effundere: docente Apostolo. Lac vobis potum dedi, non escam, mutare voces, amare varios affectus, & quid plura? mente corde, corpore, imbecillis paruulorum mentibus occupari. Sed iam vos Ecclesiæ pia germina prophetico sermone compello. Venite filij, audite me: imò per me, & per meam vocem, iussa veri genitoris audite, quia vos meo ore Deus vocat, Venite filij, quo venite? & ad quid? Timorem Domini, inquit, Psal. 33.
docebo vos. Et quis veniat ad timorem? ille qui vult vitam, ille qui cũpit videre dies bonos, ille qui vult bonum facere, fugere malum, ille qui post carnis & spiritus conflictum quietem diuinæ pacis desiderat obtinere. Venite filij, audite me: timorem Domini, inquit, docebo vos. Quis est homo qui vult vitam? & cupit dies videre bonos? prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Sicut autem vitiant crimina conscientiam, sic dolus labia polluit, linguam maledicta contaminant: ac si Deo confiteri non potest labiis inquinatus & lingua. Et quia corde Rom. 10.
creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem, sanctificate corda, mundate labia, iustificate linguam, vt vox fidei baiula de puro pectore toto sanctitatis procedat exemplo. Signate vos, placidum vel pactum, quod lucri spes venientis continet; vel futuri symbolum nuncupari contractu etiam docemur humano: quod tamen symbolum inter duos firmat semper geminata conscriptio, & in stipulatione cautum reddit humana cautela, ne cui surrepat, ne quem decipiat perfidia contractibus semper inimica: sed hoc inter homines, inter quos fraus, aut à quo facta est, aut cui facta est semper lædit, inter Deum verò & homines symbolum fidei sola fide firmatur: non litteræ, sed spiritui creditur: & mandatur cordi, non chartæ: quia diuinum creditum humana indiget cautione. Deus facere fraudem nescit, pati non potest: quia non excluditur tempore, non ætate vincitur, occultatione non fallitur, videt abscondita, furata tenet, negata possidet. Deo salua est ratio sua semper: quia ille quod credidit, vbi pereat non est: ac si homini, non Deo, neganti perit, non perit fœneranti. Sed dicis, qui falli non potest, quid est quod exigit placitum? quid symbolum quærit? Quærit ille propter te: non propter se: non quia ille dubitat, sed vt tu credas: quærit symbolum, quia qui ad tuam sortem venit, ad tuum non dedignatur venire contractum, quærit symbolum, quia qui cum totum semper ipse commodat, vult deberi: quærit symbolum, quia te modo non ad rem reuocat, sed ad fidem, & per placitum præsens futurum pertrahit, & inuitat ad lucrum. Hoc Apostolus commemorat, cum dicit: Ex fide in fidem. Et Rom. 1.
alibi. Iustus ex fide viuit. Nemo ergo immemor Hebr. 10.
symboli sit, nemo initi cum Deo placiti sit oblitus: nemo cùm fidem modo susceperit, rem requirat, cum ad spem venerit, quare non mox separata percipiat, conquiratur. Audi Apostolum dicentem: Spe Rom. 8.
salui facti sumus: spes autem quæ videtur, non est spes: quod enim videt quis: quid sperat? si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus. Spes ad futura tendit, fides ad promissa transmittit: cũ res venerint, aduenerint, & promissa, spes desinit, fides cessat. Dulcis est Epistola, sed vsque dum veniat ipse qui misit, necessarium chirographum, sed vsque ad debiti redditionem; grati flores, sed vsque dum veniatur ad poma, sed præsentia epistolam delet, rumpit solutio cautionem: flores consumuntur à pomis: & ideo te superni patris filium, hæredem Dei, cohæredem Christi, participem regni cœlestis, confessorem diuini iudicis, cœli incolam, Paradisi possessorem, modo designatum de fide noueris: modo spe non re noueris te promotum. Et ideo suscipite fidem, tenere spem,

dicite

dicite symbolum: vt ad rem, & ad illa valeatis bona, quæ prædiximus peruenire, Signate vos. Hodie homo repræsentata est Deo anima tua. *Credo in Deum.* Quæ diu antè dicebat Deum, sed nesciebat vocabat Deum, sed ignorabat: ignorabat vtique quem taliter per lapides & ligna requirebat: dicat ergo modo, dicat: *Credo in Deum Patrem omnipotẽtem.* Quæ diu cum videret lapides, qui crederet, non videbat: sed est verè Deus, qui te præstitit non videndo videre, quem videndo dij gentium fecerant non videre. Audi dicentem Dominum: In iudicium venit in hunc mundum, vt qui non vident, videant: & videntes cæci fiant. *Credo in Deum patrem.* Inest Deo pietas, est in Deo semper affectio, paternitas permanet apud illum: semper ergo filium fuisse credas, ne patrẽ semper non fuisse blasphemes. Sed dicis, si genuit, quomodo semper habuit? quomodo genuit? Qui interrogas, fidem denegas, quam fateris, credo dixisti: si credis, vnde venit, quomodo? quomodo sermo dubitantis est, non credentis. Credo, dixisti, in Deum patrem omnipotentem: si est quod non potest, omnipotens non est: sed tu illum genuisse ex aliquo filium putas, quem totum fecisse confiteris ex nihilo: ex aliquo vtique, si ex tempore: quod si pater tempus non capit, filius initium nescit. Sed quam miserum, vt tu illum facias temporalem, qui te præstitit sempiternum. Non ergo conceptione temporum, non passione viscerum, sed pater filium generat nobis dum reuelat. *Et in Christum Iesum filium eius vnicum Dominum nostrum.* Attende homo, qua reuerentia tibi fides insinuatur & traditur: audi patrem, vt sentias, intelligas, credas, non discutias filium: & quia est confitearis: non vnde, & quando, & quomodo sit, temerarius perscrutator inquiras. Hinc est quod tibi cœlestis sermo, vt annuntiet patrem, mox te ad Christum, ad Iesum, ad filium, ad vnicum Dominum nostrum tota mente transmittit, vt cum videris eius quæ sunt humana te nec assequi posse, nec æstimare, nec capere, non audeas eius quæ sunt diuina cõtingere. *Quia natus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine.* Age homo, si tamen homo, progredere corde tuo, consurge mente tua, dilatare sensibus tuis, arripe ingenij tui acumina, excita scientiæ tuæ vires: quicquid in te rationis est, exuscita, examina, discute, perscrutare: & tunc stupenti mundo solus aperi quid est, quod Spiritus generat, Virgo concipit, Virgo parit, permanet Virgo post partũ: quemadmodum fit Verbũ caro, Deus homo, homo transfertur in Deum: quemadmodum cunabula capiunt, quem non capit cœlum: quemadmodum portatur humeris, orbem qui sustinet totum: quare ipse qui fecit omnia, instituit vniuersa, cuncta moderatur, de te nasci, à te regi voluit, instituit nutriri, vt te parente viueret, cuius ante despexerat seruitutem: & si hoc potueris de reposito diuinitatis attingere, & proferre de deitatis arcano: tunc interius accede, ascende altius, licentius intuere, & tunc patris tẽpora, initia filij, explorator nouus singularis inuentor, proditor diuinitatis expone: esto maior Isaia, qui dixit: Sicut ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum: in humilitate iudicium eius ablatum est, generationem eius quis enarrabit? Cuius? huius generationem, qui sicut ouis ad occisionem ductus est. Si Christi humana generatio extitit, si diuina: & si vt generatur: narrari non potest, quæ te homo vnda, qui te fluctus, ad istud naufragium pertulerunt? qui te Spiritus per aëra volitare impulit ad ruinã; Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vna deitas, vna virtus, vna sempiternitas, maiestas vna, quicquid autem filius minoratur, accipit, nescit, mei est corporis, non substantiæ suæ. Aut miraris homo, quia patrem vocat in cœlo matrem habere dignatur in terra? *Qui sub Pontio Pilato crucifixus est & sepultus.* Quare homo, qui in se æqualis est patri, hoc solum quod in te minor esse voluit accusas? quem audis sedente Pilato astare, cognoscente Pilato iudicari: quare hoc solũ accipis addici accusantibus criminosis reo pronunciante damnari? Sed ille de carne tua nasci voluit, tuis voluit vberibus occupari, iacere in tuo pectore, tuis voluit humeris baiulari, qui semper à te amari voluit, non timeri. Require quid in lege mandauerit primum, & quid in gratia quæsierit, tunc videbis. Interrogatus Dominus, sicut Euangelista dixit: quod esset mandatum in lege primum, ait: Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: hinc est quod ad cor tuum venit, & ad mentem tuam, quia animo, corde, corpore à te ab initio diligi perquisiuit. *Qui sub Pontio Pilato crucifixus est & sepultus.* Hucvsque Iudæus, sequitur hæreticus: expectet ad priora illorum, nullus accedat, qui Christi pascuntur & saginantur iniuriis: sed vos filioli audite, vt post passionem mortis, sepulturæ mœrorem resurrectionis gaudiis effugetis. *Tertia die resurrexit.* Vt esset nostri corporis resurrectio, virtus, gratia, beneficium Trinitatis. *Ascendit in cœlos.* Per me, qui per se nunquam defuit cœlo *Sedet ad dexteram Patris.* Diuinæ virtutis ordine, non honoris humani. Diximus, sic filius à dexteris sedet, vt nunquam pater sedeat à sinistris. *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* Et quid debet iudici mors? hinc est quod resurgit, vt debeat. *Credo in Spiritum sanctum.* Hunc in quẽ credit negat: qui spiritum sanctum negat. *In sanctam Ecclesiam.* Quia Ecclesia in Christo, & in Ecclesia Christus est: qui ergo Ecclesiam fatetur, in Ecclesiam se confessus est credidisse. *Remissionem peccatorum.* Da tibi homo veniam tu credendo, qui ad omnia peccata dilapsus es desperando. *Carnis resurrectionem.* Hoc est totum fidei documentum: si carnem, quæ corrupta est, quæ putrefacta est, quæ periit, per Deum resurgere, repaginari, redire posse credas, quem posse omnia quando omnipotentem confessus es, tunc iurasti. *Vitam æternam.* Benè addidit vitam æternam, vt se resurrecturum crederet, qui resurget per ipsum qui cum Deo patre & spiritu sancto viuit & regnat, nunc & semper & per immortalia sæcula sæculorum, Amen.

Ioan. 9.

Matth. 22.

DE LAZARO A MORTVIS suscitato.

SERMO LXIII.

POst Apostolicam legionem cupientibus nobis ad Euangelica redire virtutes, mox Lazarus ab inferis reuersus occurrit apportans vincendæ mortis formam, deferens resurrectionis exemplum. Si ergo placet, priusquam ingrediamur pelagus lectionis, priusquam aggrediamur quæstionum fluctus, antequam facti talis altitudinem penetremus, resurrectionis tantum contemplemur aspectum: quia hoc signum videmus esse signorum, virtutum cernimus esse virtutem, mirabilium esse mirificentiam peruidemus. Suscitauerat Dominus filiã Iairi principis synagogæ, sed adhuc funere calente, sed adhuc mediante morte, corpore adhuc præsente, adhuc inter homines homine morante, adhuc viante Spiritu, adhuc anima claustra tartari nesciente, ac Matth. 6.

ac ne multis, sic mortuæ vitam reddidit, vt ius maneret inferni. Suscitauit & vnicum matris: sed sic vt Luc. 7. retineret pheretrum, vt anticiparet sepulchrum, vt corruptionem suspenderet, & præueniret fœtorem, vt ante mortuo vitam redderet, quam tota mortuus iura mortis intraret: circa Lazarum vero quod geritur, totum singulare est: cuius mors, cuius resurrectio commune nil habet cum prædictis: quem circa & vis tota mortis impleta est, & forma resurrectionis plena resplendet: audeo, & dico totum rapuisse resurrectionis dominicæ sacramentnm, triduanus ab inferis Lazarus si rediisset: nam Christus rediit triduanus vt dominus, Lazarus reuocatur quatriduanus vt seruus. Sed ad probanda quæ diximus, iam prælibemus aliqua lectionis. Ioan. 11. *Miserunt*, inquit, *sorores eius ad Dominum, dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.* Sic dicentes affectum pulsant: interpellant amorem, conueniunt charitatem necessitudinem necessitudine gestiunt submonere: sed Christus cui plus est mortem vincere, quã remouere languorem: cuius amare illud est, non vt dilectum alienet, sed ab inferis vt reducat: dilecto non languoris medicinam, sed resurrectionis gloriam mox parauit: denique, *Vt audiuit infirmari Lazarum*, sicut dicit Euangelista *mansit in eodem loco duobus diebus*. Videtis quemadmodum dat locũ morti, licet etiam dat sepulchro corruptioni posse permittit: negat nil putredini, nil fœtori: atque vt tartarus rapiat, trahat, habeat, admittit: atque agit vt humana spes tota pereat, & tota vis mundanæ desperationis accedat: quatenus quod facturus est, diuinum sit, non humanum. Tantum autem in loco spectatione mortis residet, vt & mortuum ipse nunciet: & tunc ad Lazarum denunciet se venire. Ait enim, *Lazarus mortuus est: & gaudeo*. Hoc est amasse: gaudebat Christus, quia mœror mortis vertẽdus mox erat resurrectionis in gaudiũ. *Et gaudeo propter vos*. Quare porpter vos; quia in morte & resurrectione Laxari, figura tota mortis & resurrectionis dominicæ pingebatur: & quod erat secuturum mox in domino, iam præcedebat in seruo. Dicebat semel, & iterum discipulis suis: Ecce ascendimus Hierosolymã, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & Scribis: & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad deludendum & flegellandum, & ad crucifigendum: & ista dicens, idebat eos fieri satis dubios, satis tristes, satis consolationis extorres: & nouerat eos ita opprimendos esse ipso pondere passionis, vt nihil in eis ex vita, nihil in eis ex fide, nihil in eis remanere posset ex luce: sed tota penè perfidiæ nocte fuscandos. Et ideo mortem Lazari vsque ad quatriduanum tẽpus porendit, vsque ad fœtorem præualere permittit, vt discipuli dubium non haberent, posse dominum post triduum adhuc recentem surgere, cum seruum vidissent post quatriduanum surgere iam fœtentem, & crederent illum facilè posse sibi vitam reddere, qui alium taliter reuocarat ad vitam. Hinc est quod dicit: *Gaudeo propter vos, vt credatis*. Necesse ergo erat, vt & mors Lazari cum Lazaro, & discipulorum fides consurgeret cum sepulto. *Quoniam non eram ibi*. Et erat locus vbi non erat Christus? & quomodo non erat ibi, vnde mortuum Lazarum discipulis nunciabat? Fratres, erat ibi Christus Deus, sed ibi non erat homo Christus: erat ibi Christus Deus cùm moreretur Lazarus, sed tunc ad mortuum venturus erat Christus, quando erat mortem Christus dominus subiturus: dicebat itaque, *Quoniam non eram ibi*. Hoc est in morte, in sepulchro, in inferno, vbi per me, & meam mortem potestas tota mortis est subruenda. *Martha*, inquit, *vt audiuit, quia Iesus venit, occurrit illi*, dicens, *domine, si hic fuisses, frater meus non fuisset mortuus*. Mulier & Deum confiteris & dicis, si hic fuisses? Deum nec absentant loca, nec tempora repræsentant. Non moreretur Lazarus, si dominus fuisset ibi, qui erat ibi, sed si in Paradiso tu mulier non fuisses: mulier tu quæsisti lachrymas, tu inuenisti gemitus: tu mortem gulæ pretio comparasti, & accusas absentiam Dei, quando causam mortis fuisse tuam præsentiã non recusas; Mors quando à te prouisa est tunc lamentandi materia fuit: nunc verò facta est virtutis occasio: quia tunc ad pœnam peccantis data est, nunc permissa est resuscitantis ad gloriam: tunc tartarus inuenit hominem, nunc admittit. Sed iã quære per fidem mulier, quod per perfidiam perdidisti. *Domine, si fuisses hic, frater meus nõ fuisset mortuus: sed & nunc scio, quia quæcunque petieris à Deo dabit tibi Deus*. Hæc mulier non credit, sed credere conatur, cuius credulitatem incredulitas confundit. *Quæcunque petieris à Deo, dabit tibi Deus*. Deus ex se dat, non à se petit. Quid affers moras mulier, supplicandi, cum iam præstaturus assistat: Mulier, iudex ipse est, quem tu desideras aduocatum: in hoc dantis potestas est, non necessitas est rogantis. *Scio*, inquit, *quia quæcunque petieris à Deo dabit tibi Deus*. 2. Cor. 18. Mulier hoc credere, non est credere: hoc scire, nescire est. Probauit hoc Apostolus, quia homo quando se putat aliquid scire, tunc nescit. Sed iam quid Dominus responderit, audiamus. *Resurget frater tuus*. Et mulier: *Scio, quia resurget in resurrectione in nouissimo die*. Martha iterum scis quod nescis: scis, quia in nouissimo die possit resurgere frater tuus: sed quod & hic possit, nescis, aut forte Deus, qui tunc potest suscitare omnes, vnum modò mortuum non potest suscitare? Potest, potest Deus suscitare ad temporale signum mortuum vnum, qui tũc omnes mortuos ad vitam perpetem suscitabit. *Scio, quia quæcunque petieris à Deo, dabit tibi Deus, & scio, quia resurget in resurrectione in nouissimo die*. Martha, ante est resurrectio, quam tã longè mittis. *Ego sum*, inquit, *resurrectio*. Et quid est, ego sum resurrectio? & non ego resuscito? quid est? quia suscepit hominem, suscepit mortem, vt qui resuscitat iubendo vnum, resurgendo in se resuscitet omnes: & quibus Adam puteus mortis extitit, his vitæ fons Christus existat, & impleatur illud Apostoli, Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. 1. Cor. 15. *Ego sum*, inquit, *resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet, & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternũ: credis hoc?* Et Mulier, *Vtique Domine, ego credidi, & credo, quia tu es Christus filius Dei viui qui in hunc mundum venisti*. Qui ad Lazarum venerat, quid sic occupatur in Martha? quid? vt ante ista in fide surgeret, quam ille resuscitaretur in carne. Sic facit qui & viuis & mortuis consultus aduenit, nec pertimescit faciendi moras, penes quem facti & effectus permanet & potestas. Fratres, patiemini hodie differri verbum, si desideratis audire latius quæ sequuntur.

DE EODEM.

SERMO LXIV.

Singula scripturæ verba si libris singulis mandarentur, nec sic mysteria, quæ in ipsis sunt audiẽtibus perlucerent, & quid faciet subitus & breuis sermo, qui in modum fulguris priusquam illustret oculos, iam refugit, nec dat lucem videntibus sed pauiorem? Orate ergo vti, quia in sæculi obscurita-

tẽ

Matth.2. te versamur, & in carne positi noctis tempus agimus non diei, lucernam nobis verbi sui Christus accendat, qua præuia mysterij cœlestis ingrediamur obscura, & gradulento perueniamus ad scientiæ diuinæ quantam possumus claritatem, sicut illi Magi, qui mentis suæ oculos metientes, non audēt splendori solis, aut diuinæ se committere claritati, sed Ioan.11. nocte tenerum stellæ lumen tenerioribus oculis assumentes, ad cubile Christi tenerrimum peruenerunt. Sed iam sicut promisimus, Euangelicæ lectionis quod superest, exequamur. *Martha*, inquit, *vt audiuit, quia Iesus venit, occurrit illi.* Sic seruus non fuit, non proximus, non amicus certè qui aderat consolator, vt mulier sola medias per turbas, per castrum totum, extra ciuitatem, & luctus tempore, venienti occurreret saluatori. Fratres, in his personis non causæ currunt, sed sacramenta signantur. Mulier currit pro morte quæ cucurrit ad mortem, festinat ad veniam, quæ festinauit ad culpam, ad redemptorem pium peruenit, se ductor pessimus quam præuenit, resurrectionem quærit, quæ quæsiuit ruinam, & ipsa quæ mortem viro attulit, vt vitam viro referat, hæc anhelat. Hinc est quòd in loco Christus restitit, expectauit Christus, quòd non intrauit turbas, quòd non contendit ad domum, quòd non ad sepulchrum diuertit, quòd non ad Lazarum propter quem venerat, festinauit; sed mulierem sustinet, mulierem remoratur, mulierem primam suscepit, quam primam suasor infecit, à muliere perfidiam fugat, ad mulierem reuocat fidem: vt quæ fuit perditionis obsequiū, salutis eadem sit ministra: & sit tandem per Deum viuentium mater, quæ per diabolum diu mater extitit mortuorum. Et quia mulier fuerat mali caput, causam mortis agit, vt ante crimen diluat, quàm veniam largiatur, antè causam tollat, quàm sententiam soluat, & cauet ne vir mulierem, per quam semel deceptus est, participem refugeret ad vitam: ac ne multis perisset mulier, si antè ad virum Christus Dominus peruenisset Hinc est fraties, quod per mulierem nascitur Christus, hinc est quòd virū mulier semper ventris sui suscitat de sepulchro, vt doloribus reuocet, quem depulit blandimentis, vt flendo reparet, quem perdidit manducando Denique vbi Martha confessa est Christo, & quicquid suæ culpæ non in persona mulieris pia confessione deleuit, mittitur ad Mariam, quia sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari. Veniat Maria, veniat materni nominis baiula, vt videat homo Christum virginalis vteri habitasse secretum, quatenus prodeant ab inferis mortui, mortui exeant de sepulchris. *Iesus*, inquit, *videns Mariam plorantem, & Iudæos qui cū ea venerant plorantes, fremuit Spiritu, & turbauit seipsum, & dixit. Vbi posuistis illum? Responderunt, Domine, veni & vide, & lacrimatus est Iesus* Plorat Maria, plorant Iudæi, plorat & Christus: putasne simili compassione? Esto, quòd Maria soror fleret: quia nec fratrem retinere potuit, nec morti potuit obuiare: quæ licet esset de resurrectione secura, destitutione tamen solatij præsentis, mora absentiæ tam longæ, tristitia diutinæ separationis non potuit non deflere, simul quia tam crux, tam funera, tam crudelissima imago mortis, quamuis fidelem mentem non potuit nō tangere, non mouere: flebāt Iudæi & conditionis suæ memores, & futuræ vitæ desperatione possessi. Mors cū satis viuentibus sit amara, satis turbat ipso exitu, plus cōturbat exemplo: mortuum quoties quis viderit, toties se morti eiulat destinatum. Sic de morte non potest non dolere mortalis. Quid horum Christus? & si nihil horum, quare flebat? certè ipse qui dixerat, Lazarus mortuus est, & gaudeo? de quo gaudet mortuo, ipsum cum resuscitat, tunc lamentatur: qui cùm amittit, non flet, cùm recipit, tunc deplorat, tunc fundit mortales lacrymas, vitæ spiritum cum refundit. Fratres habet hoc natura corporis humani, vt producat lachrymas vis gaudij, vis mœroris. Quoties enim viscera, aut lætitiæ, aut tristitiæ nimio arctantur impulsu, oculi in lachrymas mox erumpunt. Hinc est quod Christus nō dolores mortis, sed illius lætitiæ recordatione lachrymauit: qui voce sua, voce vna, omnes est mortuos perpetuam suscitaturus ad vitā. Fremit spiritu, & tota se viscerum commotione conturbat, quia adhuc solum Lazarum, & non iam omnes mortuos suscitabat. Quis Luc.16. ergo ex humana infirmitate existimet hic fleuisse Christum, cum cœlestis pater luxuriosum filium non quandiu abiit, sed quando recipit, tunc deplorat? Christus recipiens fleuit Lazarum, non amittens, denique non quando plorantes videt, tunc plorat Christus, sed quando interrogat, & in respōdentibus videt fidei nil manere, dixerat: *Vbi posuistis eum? At illi responderunt, Domine, veni & vide.* Putauerunt eum nescire, vbi positus esset in terra: qui sciebat vbi illum tartara dira retinerent. Ille sic interrogans exigebat fidem, scientiam porrigebat, vt astantes scirent, quòd mors, quòd sepulchrum, quód corruptio, quòd putredo, quòd fœtor, non ex conditione Dei, sed ex delicto hominis hominibus accessisset. Nam cum dicit, vbi posuistis eum, mulieres increpat, mulieres arguit, hoc est, quem ego posui in Paradiso, in regione vitæ, ecce vos vbi posuistis eum. Sed & Iudæi ad ignorantiam requirentis respondebant. *Domine, veni & vide.* Quid? illum iubere mori? quid iubere illum inferis crederent, qui crebebant eum quod erat in oculis non videre? qui de lachrymis eius taliter disputabant? *Qui potuit aperire cæci oculos, quomodo facere non potuit, vt & hic non moreretur?* Potuit facere vt non moreretur, sed mori permisit is, qui mortuū ad suam gloriā voluit suscitare: permisit ad inferna descendere, vt appareret Deus ab inferis hominē cum reducit. Sed Iudæi parebūt corda vestra obstructiora inferis, viscera vestra duriora mortuis oculi vestri tetriores sepulchris, cùm vox quæ patefecit tartara, vestra non patefecit arcana, cum iussio quæ exuscitat mortuum, mentes vestras non suscitat, cùm lex quæ illustrat sepulchrum, vestram non illuminet cæcitatem. Sed ista sufficiant, vt cum Christo resurgentis Lazari gloriam patentius videre possimus.

DE EODEM.

SERMO LXV.

QVoniam mortem Lazari, Mariæ fletus, lachrymas Marthæ, Iudæorū planctus iam perstrinximus sermone geminato, nunc exoneremus animos, abiiciamus curas, exoccupemus sensus, vt resurrectionis tantæ gaudia totis mentibus & capere & audire possimus. Euangelista venisse ad monumētum sic prædicat saluatorem. *Iesus*, inquit, *rursus fremens in semetipso, venit ad monumentum: erat* Ioan.11. *autē spelunca, & lapis superpositus erat ei. Iesus fremens venit ad monumentum.* Fremit Christus, vt caro reuiuiscat: fremit vita, vt mors fugiat: fremit Deus, vt resurgat homo: fremit indulgentia, ne sententia contradicat: fremit Christus debellans mortem, quia non potest non fremere, qui singularem rapit de hoste victoriam: quod autem dixit, *Rursus fremens.*

fremens. Fremit rurſum,vt geminata reſurrectionis
demonſtret inſignia:quia voce Chriſti ſicut mortui
corpore de ſepulchris ſuſcitantur ad vitam,perfidia
mortui ad vitam fidei ſic reſurgunt.*Erat*,inquit,*ſpe-
lunca.* Dixiſſe ſuffecerat,veniſſe ad monumentum :
quid eſt quod tantopere ſpeluncam Euangeliſta
commemorat?Spelunca planè , vbi hominem dia-
boli latrocinium collocauit : ſpelunca , vbi virum
fraus condidit mulieris : ſpelunca, vbi Dei plaſma
mortis rapacitas includebat. *Et lapis ſuperpoſitus
erat ei.* Duræ mortis ianua durior duriſſimo lapide
claudebatur:ſed plorans quid proficit ad ſepulchrũ
quando ſic duros & congeſtos obices non penetrat
vox plorantis?Chriſtiani ploremus Deo pro pecca-
tis noſtris,& mortuis non audientibus cum genti-
bus non ploremus.*Ait Ieſus,tollite lapidem.* Inter
diuinas virtutes humanum Chriſtus requirit auxi-
lium?non ſufficit amouere lapidem , qui mortem
ſufficit effugare ? ſepulchri clauſtra reſerare non
valet , qui portas tartari præualet aperire?Dixerat
per prophetam : Auferam cor lapideum de carne
eorum,& dabo eis cor carneum:præcepit ergo , vt
Iudæi ex ſe cor lapideum tollant,euoluant perfidiæ
ſaxum,ſilicem duræ incredulitatis excludant, qua-
tenus animæ per infidelitatem mortuæ de ſepul-
chro pectoris proſilirent:& non tantum ſurrexiſſe
Lazarum , quantum ſe Lazaro non conſurrexiſſe
gauderent. *Tollite lapidem.* Tollite miſeræ huma-
nitatis obſequium,vt diuinitatis beatæ opera nunc
clareſcant. *Tollite lapidem.* Quem poſuiſtis vos, vt
hominem quem ego poſui nunc reponam.*Reſpon-
dit Martha,Domine,iam fœtet.* Mulier & quod fœ-
tet cuius eſt?*Iam fœtet.* Modò ad te pertinet, quod
à te venit , ad ſepulchrum non ſentires fœtorem
ſi in paradiſo ſuaſorem noluiſſes audire.*Iam fœtet.*
Quod perditori fætet,non fœtet creatori.*Iam fœtet.*
Quod horret alieni operi euerſor,amator ſui ope-
ris non abhorret.Sed dicendo ſic,teſtaris mortem,
quam tu mulier intuliſti:fœtorem clama, vt plena
mors audientibus innoteſcat,quatenus quod reſur-
get Lazarus,redeuntis ſit Spiritus,non latentis:di-
Matth. 9. uinæ virtutis ſit,non ſit artis humanæ:neque Iudæi,
qui nos dicunt in principe dæmoniorum eiicere
dæmones,iterum dicant nos non imperio Dei,ſed
humano præſidio mortuos ſuſcitare.*Iam fœtet,qua-
triduanus eſt.* Dicit & tempus,vt ſciant,quia auctor
eſt temporum,cui tempora nulla præſcribunt. *Iam
fœtet,quatriduanus eſt.* Dicendo, ſic exaggerat deſ-
perationẽ,vt qui adſunt videant:quia Deus eſt,qui
ſic vitam mortuis,deſperatis ſalutem , fœtentibus
dat vigorem.*Eleuati*,inquit, *oculi* , *ſurſum.* Eleuat
oculos ſurſum , vt nobis formam ſupplicandi tri-
buat,non ſibi viam præparet impetrandi : namque
ſurſum reſpicit, qui ſemper eſt ſurſum cum patre,
Ioan.14. ſemper pater in ipſo eſt,& ipſe eſt ſemper in patre.
Ego,inquit,in patre,& pater in me eſt.*Pater*,inquit
gratias tibi ago : quia audiſti me. De præſtito agit
gratias,& quod pater audierit,hoc dicitur,quòd fi-
lius petierit,hoc tacetur.Fratres,inter patrẽ,& filiũ,
audiendi eſt affectio, non eſt neceſſitas:ſupplicandi
charitas aſſenſus eſt, non eſt auſteritas iuſſionis:ibi
amore geruntur omnia , vbi non indigetur obſe-
quio:ſicut ex ſequentibus eluceſcit.*Pater gratias
ago tibi,quia audiſti me,ego autem ſciebam,quia ſẽ-
per me audis.* Vacat inuocandi cura,vbi fiducia certa
eſt audiendi.Aut quid ibi facit petendi labor, vbi
præſtandi eſt cauſa communis?Nemo ergo ſic filiũ
minoret precibus,ne patrẽ circa ſalutem hominũ
ſic minoret.Quare autem ſic loquatur filius , ipſe
aperit,ſic dicendo.*Pater gratias ago tibi,quia audi-
ſti me:ego autem ſciebam,quia ſemper me audis:ſed
propter populum dixi, qui circumſtat.* Videris quia
loquendo tali,ſuũ,patriſque affectum tollit,prodit ,
pandit gloriam:loquitur vnitatem.Dixerat,Omnia Ioan.17.
quæ habet pater,mea ſunt , & ſi ſua ſunt omnia ,
quomodo petit?Qui de ſuo petit quod petit , non
neceſſitatis eſt,ſed amoris. *Pater gratias ago tibi ,
quia audiſti me:ego autem ſciebam, quia ſemper me
audis :ſed propter populum dixi, qui circumſtat : vt
credant,quia tu me miſiſti.* Miſſum ſe dixit,vt populi
ſciãt de cœlo veniſſe Chriſtũ,non receſſiſſe de cœ-
lo.Sic ergo mittitur,ſic & quod habet,accipit,quo-
modo vnde venerat non receſſiſſet:ſic ergo & filius
quod habet,accipit,& pater quod dederit,nõ amit-
tit.Fratres, & quod auditur, & quod mittitur , &
quod venit,& quod accipit , & quod naſcitur , &
quod patitur:& quod moritur,& quod reſurgit,nõ
eſt hoc diuinitatis,ſuæ infirmitatis hoc noſtræ eſt ,
noſtræ eſt hoc naturæ:quod tamẽ totũ cauſa noſtri
tulit in noſtro corpore,non propter ſe in ſua pertulit
maieſtate.Sed ad propoſita redamus.Quid eſt quod
dicit,*Pater gratias ago tibi,quia audiſti me ?* Quid
eſt?Vbi Chriſtus cœpit inferi pulſare fores, portas
tartari ſubmouere,ianuas aperire mortis, gehennæ
ſoluere legem vetuſtam,deturbare antiquiſſimũ ius
pœnarum,repoſcere Lazari animam,ab inferis vi-
tam reditus innouare,occurrit ei tartari tota furens
poteſtas,præferens edictũ ſuperni principis excelſi
regis portans decretum , geſtans latam tot ſæculis
Deo loquente ſententiam,& videns hominem, ſci-
tabatur,quis iſte eſſet:quid audiret,quid ſibi vellet,
cur ſolus,aut ſine tremore tremendos mortis laceſ-
ſat & inceſſat acceſſus. Cui dicenti quis eſſet reſ-
ponderunt Prophetica voce miniſtri reſurrectionis Pſalm.23.
Angeli.Ipſe eſt rex gloriæ,ipſæ eſt fortis & potens
in prælio. Sed refert tartarus:Ego regem gloriæ in
cœleſtibus ſcio omnibus poteſtatibus cœlis præſi-
dere, cuius nutum tota ſufferre non poteſt creatu-
ra:hunc autem video de terrenis vnum, concretum
limo , corpore mortali ſeptum , & in ipſo habitu
hominis,hominibus viliorum, & ad ſummam cito
dandum ſepulchro,ſubdendum meæ protinus eſſe
ditioni Sed perſiſtentibus Angelis,& repetentibus:
Ipſe eſt Dominus virtutum,ipſe eſt rex gloriæ,ipſe
cœli præſul,ipſe creator mundi,ipſe ſaluator ſæcu-
li,ipſe redemptor omnium,& de qua furis tu, lator
ipſe ſententiæ , ipſe tuum calcaturus caput , ipſe
tuum contriturus imperium:ipſe te ſuo iudicio per
diturus,qui reos iuſſus capere,attrahis innocentes,
ſanctos diripis,ipſi Dei filio comminaris.Redde er-
go vnum,priuſquam multos cogaris exoluere.Sed
tartarus adhuc iſta non credens,per conſuetos nun-
cios recurrit ad cœlum,hæc inuidioſa interpellatio-
ne deploraturus.Ergo Domine,& ſi extremus crea-
turæ tuæ,& ſi triſti ſeruitio mãcipatus præcepta tua
inuiolabili lege ſeruo,peruigilo ne quis ſententiæ
tuæ vetuſtum ius nouus temerator immutet:ſed ap-
paruit homo qui dicitur Chriſtus, tuum ſe filium
iactans,ſacerdotes tuos notat, ſcribat tuos arguit ,
ſabbatha tua violat, legem tuam ſoluit, & animas
exemptas carne, & pœnæ iam , meæque cuſtodiæ
deputatas,ad corpora,in quibus ſceleratè vixerant,
redire compellit : & tantis quotidie procedit auſi-
bus,vt Lazarum iam carcere noſtro clauſum, iam
lege noſtra vinctum , iam in iure noſtro manen-
tem , effractis clauſtris inferi conetur eruere : aut
cito ſubueni, aut ſi patefecerit ſemel ianuas , om-
nes quot ſæculis ſeruauimus , nunc amittis. Ad
hæc filius de ſinu patris reſpondit , Pater iuſtum
eſt, vt carcer non innocentes teneat ſed nocentes:
pœna non iuſtos cruciet, ſed iniuſtos. Quamdiu
ſed vnius homini culpa , propter Adæ ſolius no-
xam

xam, patriarchas, Prophetas, Martyres, Confessores, Virgines, Viduas, in castitate coniugij permanentes, omnes ætates vtrumque sexum, certè paruulos nescientes bonum vel malum, hic carnifex ad se trahere crudeli infestatione non cessat? Pater, ego moriar, vt non moriantur omnes: Pater ego Adæ debitum soluam, vt per me tibi viuant, qui per Adam moriuntur inferno. Pater, propter sententiam tuam ego meum sanguinem fundam: tantum est vt ad te tua redeat creatura: pretium chari tibi sanguinis mei redemptio sit omnium mortuorum. Ad hæc totius Trinitatis consensus, & Lazarum præcipit exire & tartarus ad reddendos omnes mortuos Christo iussus est obedire: hinc est quod filius clamat, *Pater gratias tibi*
Hebr. 4. *ago, quia audisti me.* Testatur Apostolus, quod Christus aduocatus noster sit apud patrem, denique quando sedet, coniudicat patri, quando stat, officio fungitur aduocati. Tunc Christus peracta aduocatione voce magna: *Lazare veni foras.* Tunc tartarus ligatis manibus & pedibus, Lazarum retulit ad superna: timens, & tremens, ne dum soluit, ne dum moras facit, ne dum tardius refert vnum, omnes cogeretur afferre: sic factus est viuorum relator, qui raptor esse consueuerat mortuorum. Nam quare Christus vincula inferni dirupit, mortis ligamenta dissoluit, nisi vt nobis monstraret inferni tremendam seruitutem? Nam si de
Iuda. Moysi corpore diabolus angelo contradixit, quo modo non tartarus Christo de vita, & de resurrectione Lazari contradiceret? Orate fratres, vt qui gustum resurrectionis Lazaro propinante suscepimus, redeunte Christo vniuersalis resurrectionis voces mereamur audire.

DE DIVITE ET LAZARO.

SERMO LXVI.

Duas hodie à duobus Euangelistis editas, ita recitare fecimus lectiones, vt sermoni nostro, vester intellectus occurreret, paterent abdita Lazari resurgentis, occasio cur alterius nos Lazari compulerit facere mentionem, ex sequentibus audietis: modò inhumani diuitis, & Lazari pauperis, stupendas vices, pauendas successiones, conditiones admodum lamentanas in medium porducere & afferre gestimus: quia diues qui partidipem pauperem in bonis præsentibus audire contempsit, in futuris malis compatientem pauperem non meruit inuenire: nec ardens aquæ refrigerium percipit æstuanti
Luc. 16. pauperi fame panis refrigerium qui negauit. *Cùm esset*, inquit, *in tormensis, eleuauit oculos suos, & vidit Abraham de longè, & Lazarum in sinu.* Gratis respicit modò Lazarum sursum, qui ante deorsum Lazarum videre despexit. De talibus dixit Pro-
Psal. 16. pheta: Oculos suos statuerunt declinare in terram. *Cùm esset in tormentis.* Pungit pœna, quem nô pœnitudo compunxit, & vexat tormenta, quem Lazari vulnera non mouerunt: nec gratis aculeos percipit pœnarum, qui in purpura volutabatur ingratus. *Vidit Abraham de longè.* Longè illi erat Abraham, qui non fuerat proximus pauper. Vidit Abraham diuitiarum consortem, sed inhumanitatis exortem, & Abraham diues, sed plus humanitate quàm sensu, tu diues inhumanitate tua maior tuis diuitiis extitisti, Abraham sibi peregrinus, ciuis hospitum fuit, tu palatia possidens, tectum pauperi non dedisti, Abraham dum seruos suscipit, dominum sic recepit, & cunctis hominibus ponens panes, ipsum dominum suam suscepit ad mensam, tu dum singulari pauperi negas micas, stillam refrigerij perdidisti. *Et ipse clamans, dixit.* Sic clamat ibi, qui hic clamantes contempsit audire, ibi cassa vox est, istic inanis est clamor. Audi Prophetam dicentem: In Psal. 6.
inferno autẽ quis confitebitur tibi? In inferno quis misericordiæ locus? in tormentis quæ spes veniæ, & in hora sententiæ, tempus indulgẽtiæ quis requirit? *Pater Abraham miserere mei.* Crudelis fili, quam misericordiam petis, quam tibi negando pauperi tu negasti? *Et mitte Lazarum.* Miser fili, si Lazarus ad tuam mensam venisset, tu ad istum discubitum non venisses. *Vt intingat extremũ digiti sui in aquã.* Qui claudit manum pauperi, extremi stipem digiti sic deposcit, & sitit aquæ guttam, qui vini lacus, ne guttam daret, inclusit. *Vt intingat extremum digiti sui.* Qui diuitias suas non miserando pauperi dedit, sibi misericordiam sic minorat. *Et refrigeret linguã meã, quia crucior in hac flamma.* Quasi reliquũ corporis ab incendio haberet immune: sed lingua plus ardet, quæ misericordia vt fieret, iubere neglexit: in lingua maius sentit incendium, quæ maledixit pauperi, misericordiam contradixit: lingua in tormentis prima est, quæ derogando pauperi, pauperis blasphemauit authorem. Sed audiamus iam quid responderit Abraham. *Fili*, inquit, *recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.* Nemo putet audiendo ista, quia diues pro bonis receperit bona, quando hinc magis reus est, quod cũ à Deo pro malis receperit bona, bona pro bonis Deo reddere contempsit. Nam de diuitiis tantis nec victum dedit pauperi, nec sacrificium Deo minima oblatione dependit. At pauper diues vulnere, censu nudus, exutus corpore vestitus pœnis, animam quam solam non tenebant vulnera, Deo in hostiam iugiter offerebat. Hinc est, quod recipit pro doloribus requiem, pro opprobrio gloriam, pro contumeliis honorem, pro despectu gratiam, pro pœnis immortalitatem, pro vulneribus præmia, pro siti refrigerij fontem, pro fame cœlestis mensæ delicias sempiternas, & quem diuitis angulus non cœpit, sinus diuinæ consolationis includit. Tu diues fulgens quondam purpura, nunc tegere fimo, pro coccino vestire flammis: pro molli discubitu sustine tormẽtorum dura, pro lautis ferculis epulare pœnas, copias inopia compensa, ebrietates siti digere, pro odoribus aspergere fœtore: & cui astiterũt voluptatis obsequia, astent tibi ministeria nunc pœnarum, qui ista tibi despiciendo pauperẽ taliter tu mutasti. Adiecit autem Abraham, dicens: *In his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt qui volunt hinc transire ad vos, non possunt, neque inde huc transmeare.* Dicendo sic, tam iustos, quàm iniustos ante aduentum domini apud inferos fuisse declarat, & discretos locis tantum, non regionibus aperit fuisse diuisos. Postquam verò dominus resurgens à mortuis, aperuit infernum patefecit cœlos, Paradisi claustra reserauit, dedit sanctis Paradisi intrare requiem, ad cœli gloriam peruenire. Ista quia sic credit, intelligit, quid mortalibus veniens donauerit Christus. Insipienter ergo diues putat apud inferos mutari loca, quando hic agendo homo bene vel malè ibi sibi terminum aut pœnæ, aut quietis indicit. Stultus in vita diues, stultior inuenitur in pœna: & qui bonorum suorum nesciuit tempus, nec malorum suorum tempus miserandus agnoscit. *Rogo te pater.* Modò rogas, modò tibi tempus patiendi est, non rogandi, *Rogo te pater.* Quid? *Vt mittas Lazarum in domum patris mei.* Ante quam bene iacuit Lazarus: ad illam ianuam, in

in qua fame ſua inhumanitatis tuæ titulos fixit, vbi poſtes tuos ſuis visceribus laureauit, vbi ſanie ſua pinxit micas tuas. Patere ego ſtare vices, iam depone dolos, licet quia tu Lazarum non potes videre: ſcitur quia plus te felicitas Lazari, quam gehennæ

Exod. 7. torquet incendiũ. *Reſpondit Abrahã, habent Moyſen*

Exod. 14. *& Prophetas, audiant illos.* Hoc eſt, ſi Moyſen qui

Exod. 17. regna Ægypti elementis ſecum militantibus triuit,

Exod. 13. qui ſiccauit mare, qui durauit fluctus, qui lapides in

Num. 16. fluenta conuertit, qui ſolem texit nube, qui noctem luce radiauit, qui cœlum fecit pluere carnes, rorare panes, non ſolum non audierũt, ſed & occidere ſunt moliti, iſti Lazarum dignabuntur audire, quem tot vulnera ſepiunt, quot Moyſen cinxere virtutes? patere & me ſentire quot genui, & tu patere quæ feciſti. *Non pater Abraham.* Verè non pater, quia nõ erat Abrahæ filius, ſed gehennæ. *Non pater Abraham, ſed ſi quis ierit à mortuis ad eos, pœnitentiam agent.* Hoc diues de corde omnium dicit, hoc de deſideriis cunctorum petit, hoc de votis omnium loquitur mundanorũ, omnes enim ſuſurrare conſueuimus. O ſi quis veniret à mortuis, & quod ibi a itur, hic referret, omnes crederent ei. Certè vt dubitãter diceret, quis inde venit, vnde nemo venit? Poſt mortem quòd ſit aliquis, quis probabit? Omnes audita loquimur, omnes inſinuata ſentimus: nã quid veri fides habeat, merſum eſt in profundũ, ſed perfidiæ, non ignorantiæ eſſe quòd ſic loquimur, cùm ita credimus, hodie beati Ioannis Euãgeliſtæ lectio ſecuta monſtrauit: Nam ſicut diues petit, Deus pro Lazaro, Lazarum miſit. Sed quid miſſus, quid deſideratus, quid reſurgens profecerit, patienter audite.

Ioan. 12. *Cogitauerunt*, inquit, *principes ſacerdotum, vt Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Ieſum* Quaſi ad hoc deſideratus aduenerit, vt iteratæ mortis pericula ſuſtineret. Nolunt, nolunt referre viſa, qui volunt audita non credi. Scimus, ſcimus & vitam parari bonis, & malis tormenta præparari, ſed dum vitiis capti virtutum tempus nolumus aduenire, fingimus neſcire quod ſcimus, & poſt mortem quid ſit, nolumus ab inferis venire qui dicat, cum de cœlo Chriſtus veniẽs, & ab inferis ipſe rediẽs, & quid bonos in cœlo maneat, & quid malos expectet in inferno, & verbo docuerit, & firmauerit exẽplo, ſed fortè ideò nec iſta credimus, nec Chriſtũ volumus aduenire, quia mũdum tranſire nolumus, imò non quia mundum trãſire nolumus, ſed quia dolemus vitia præterire. Chriſtus venit non vitam fugare: ſed mortem: mortem fugare, non vitam: mundum reuocare, non tollere: vitia perdere, non ſuam diſperdere creaturam. Sed orate fratres, vt veniens nos inueniat tales, quales regni ſui cupit & præcipit eſſe conſortes.

IN ORATIONEM DOMINICAM.

SERMO LXVII.

ACcepiſtis auditum fidei, fratres chariſſimi, formam dominicæ orationis audite: Chriſtus breuiter orare docuit, qui cito vult poſtulata præſtare. Aut quid petentibus ſe non dabit, qui ſe ipſum non petentibus dedit? Aut in reſpondendo quam facit moram, qui in dictandis precibus vota ſupplicum ſic præuenit? Hodie quod audituri eſtis, ſtupent Angeli, miratur cœlum, pauet terra, caro non fert, auditus non capit, non attingit mens, tota ſuſtinere non poteſt creatura, ego dicere non audeo, tacere non poſſum: Deus det, vt & vos audire poſſitis, & ego dicere. Quid eſt magis tremendum, quod ſe dedit terris Deus, aut quod vos dat cœlo? quòd ſocietatem carnis intrat ipſe, aut quòd vos facit conſortium diuinitatis intrare? quòd mortem ſumit ipſe, aut quòd vos reſumit ex morte? quòd ipſe in veſtram naſcitur ſeruitutem, aut quòd vos ſibi gignit in liberos? quòd ſuſcipit paupertatem veſtram, aut quòd vos ſibi facit hæredes, ſui vnici cohæredes? Eſt vtique terribilius, quòd terra transfertur in cœlum: homo deitate mutatur: ſeruitutis ſors dominationis iura ſortitur. Sed hoc quamuis metuendum ſit, tamen quia cauſa non docentem reſpicit, ſed iubentem, accedamus filioli quò vocat charitas, trahit amor, inuitat affectio: Deum patrem viſcera ſentiant, vox perſonet, loquatur lingua, Spiritus clamet, & totum quod eſt in nobis, reſpondeat gratiæ, non timori: quia qui iudicem mutauit in patrem, amari voluit, Marc. 6. non timeri. *Pater noſter qui eſt in cœlis.* Hoc cùm dicis, non ſic habeas, quaſi non ſit in terris: non ſic accipias, quaſi ſit loco clauſus, qui claudit omnia: ſed intellige eſſe tibi genus è cœlo, cuius pater habetur in cœlo, & age vt viuendo ſanctè, ſancto reſpondeas patri. Dei filium ille ſe probat, qui vitiis non obſcuratur humanis, qui diuinis virtutibus eluceſcit. *Sanctificetur nomen tuum.* Cuius genus ſumus, eius cenſemur & nomine: rogamus ergo, vt nomen eius quod in ſe, & per ſe ſanctum eſt, ſanctificetur in nobis: nomen enim Dei, aut honoratur ex noſtro actu, aut ex noſtris actibus Rom. 2. blaſphematur. Audi Apoſtolum dicentem: Nomen Dei per vos blaſphematur in gentibus. *Veniat regnum tuum.* Et quando non regnauit Deus? Petimus ergo, vt qui ſibi regnauit ſemper, modò regnet in nobis, vt & nos in illo regnare poſſimus. Regnauit diabolus, regnauit peccatum, regnauit mors, & fuit diu captiua mortalitas: petimus ergo, vt regnante Deo, pereat diabolus, deficiat peccatum, moriatur mors, captiuitas captiuetur, vt nos liberi perpetuam regnemus in vitam. *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra.* Hoc eſt regnum Dei, quando & in cœlo, & in terra Dei voluntas eſt ſola, quando in omnibus hominibus Deus meus eſt, Deus viuit, Deus agit, Deus regnat, Deus eſt totum, vt iuxta illud Apoſtoli: Sit Deus omnia in 1. Cor. 15. omnibus vobis. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Qui patrem ſe nobis dedit, qui ſibi nos adoptauit in filios, qui rerũ nos fecit hæredes, qui nos nomine ſublimauit, qui nos ſuo & honore donauit, & regno, ipſe nos vt panem quotidianum poſtulemus, addixit. In regno Dei, inter munera diuina, quid quærit paupertas humana? tam bonus, tam pius, tam largus pater panem filiis non niſi poſtulatus indulget? Et vbi eſt illud? Nolite ſolliciti Matth. 6. eſſe quid manducetis, aut quid bibatis, aut quid veſtiamini. Hoc petere iubet, quod prohibet cogitare, quatenus cœleſtis pater cœleſtem panem, cœleſtes filij ut poſtulemus, hortatur, ipſe dixit: Ego ſum panis, qui de cœlo deſcendi. Ipſe eſt Ioan. 6. panis, qui ſatus in virgine, fermentatus in carne, in paſſione confectus, in fornace coctus ſepulchri, in Eccleſiis conditus, illatus altaribus, cœleſtem cibum quotidie fidelibus ſubminiſtrat. *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Homo ſine peccato eſſe non potes, & vis ſemper dimitti tibi totum, dimitte ſemper: quantũ vis dimitti tibi, dimitte tantum, quoties vis dimitti tibi, toties tu dimitte: imò quia vis totum dimitti tibi, totum dimitte: homo intellige, quia remittendo aliis, tu tibi veniam dediſti. *Et ne nos inducas in tentationem.* Quia in ſæculo eſt ipſa vita ten- Iob. 6. tatio.

ratio. Tentatio, inquit ille, est vita hominis. Rogemus ergo, vt nos arbitrio nostro non relinquat, sed in omni actu paterna nos pietate constringat. & in vitæ tramite cœlesti moderatione confirmet. *Sed libera nos à malo.* A quo malo? à diabolo quippe, ex quo est omne malum. Rogamus liberari nos à malo, quia malo, qui non caruerit, frui non potest bono. Si adhuc non nati, si adhuc in vtero constituti, panem petunt, expetunt regnum, quare fit quæstio, quòd semper Dei filius, in Dei patris mansit arcano? Si Ecclesiá generat, ratio non est, est cœleste mysterium, quod in patre Dei, Dei filius fuerit, quomodo humana ratiocinatione tractetur, non est, nō est humano modo diuinitas æstimanda: audisti Deum, nil terrenum cogites, nil humanum: audisti patrem Christi, hoc per substantiam crede: audisti patrem tuum, hoc crede per gratiam: ille vt esset filius, habuit semper, te esse filium dedit modò Sic ergo te filium scito, vt seruum te esse non nescias: sic audi ad Christi similitudinem te reductum: vt semper te Christo cognoscas esse subiectum.

IN EANDEM.

SERMO LXVIII.

Conditio mortalis, terrena compago, limosa substantia, vitæ ac mortis substantia, vitæ ac mortis incerta, labore attrita, consumpta pœnis, putredini ac pulueri subiecta natura capere non valet, æstimare non sufficit, fugare non audet, credere pertimescit, quod hodie cogitur confiteri tantam donorum Dei gratiam, promissorum magnitudinem, munerum largitatem, fragilitas humana vnde promereri valeat, non potest inuenire. Hoc reor non ambiguum Abacuc Prophetam mentis intuitu præuidisse: dum se tanto pauore concussum, huius auditus taliter exagitatum tremore, dicit: Domi-
Abac. 3. Iuxta LXX ne, audiui auditum tuum, & timui. Consideraui opera tua, & expaui. Auditum timuit, non quia tūc Propheta tantus audierit Dominum, sed quia tunc seruus Dominum suum sibi conuersum reperit, & audiuit in patrem: non quia mundi huius fabricam elementis ita sibi dissonis cōsonantem contemplatus expauit, sed quia pietatis erga se tantæ considerans tunc operanda admirationis tremore concussus est, & pauore. Consideraui, inquit, opera tua, & expaui. Adoptatum se tunc stupuit in filium, quando perdiderat ipsius fiduciam seruitutis. Denique vt sciatis huius orationis, quam vobis hodie diuinitas insinuat, & infundit affectum, Propheta tunc audet cœlitus percepti huius muneris quodammodo pauore solutus. Quid iterum dixerit peruidete. Custodiui, inquit, & expauit venter meus à voce orationis labiorum meorum. Posteaquam diuini muneris senserat largitatem, custodiuit se, ne se hostem, ne inimicum, ne latronem se iterum sicut in Paradiso sustineret, fit vigilantior, fit solicitior sui custos, qui se post tantæ rei iacturam cœlestem thesaurum in vasis fictilibus custodiuit. Et expauit vēter meus. Ventrem cordis interna nominat hic Propheta: qui sicut venter cibis, cor sic sensibus pascitur & repletur. Et expauit venter meus à voce orationis labiorum meorum. Si intellectus cordis infuderat ori vocem, labiis dederat verba, cur vota sua, cur desideria sua, cur ex hoc quod est exoratu-
Galat. 4. rus, expauit? Quia non suggestione sui cordis, sed diuini Spiritus loquebatur affatu. Audi Paulum dicentem, Misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra clamantem: Abba pater. Quod auditum cum ad interna transmitteret, tantum se meruisse mirabatur: & interna tota hominis pauebant. Meritò adiecit: Et intrauit tremor in ossa mea, quia ipsa Prophetæ viscera vexabantur. Et subtus me, inquit, commota est virtus mea. Quid est subtus me? quatenus ipse, idémque homo sursum per gratiam iam leuatus iacebat subtus pristinam per naturam: nec virtutem cœlestem virtus poterat sustinere terrena. Iam fumauit mons Sina, cum daturus legem Deus Exod. 19.
descendit in montem. Quid caro faceret, cum descendit Deus in carnem, carni gratiam collaturus. Venit pater, quia homo Deum, seruus dominum non ferebat. Et quia fidelis est in verbis suis, qui dixit: Aperi os tuum, & implebo illud. Aperite nunc ora vestra, vt ipse ea tali prece, tali repleat & clamore, *Pater noster qui es in cœlis.* Vbi sunt, qui de Psalm. 8.
Dei promissione diffidunt? Ecce quam citò fidei est Matth. 6.
remunerare confessio: mox vt Deum vnici filij cōfessus es patrem, tu ipse ex Dei patris adoptatus in filium, vt esses cæli hæres, qui Paradisi exul habebaris, & terræ: & ideo nunc vocas. *Pater noster qui es in cœlis.* Quia fuit tibi quondam pater, qui te resoluit in limum, qui te ad claustra duxit, & pertraxit inferni: terram nesciat, amorem carnis ignoret, patrem pulueris non requirat, nihil in se vitij licere permittat, qui Deum patrem cœlestem repetit ad naturam. Et qui se Dei filium credit actu, vita, moribus, honestate tanto generi respondeat, ne iterum ad terrena descendens, ad ipsam tanti genitoris tēdat iniuriam. *Sanctificetur nomen tuum.* Si nomen Christi cæcis visum, cursum claudis, defessis vario languore sanitatem, mortuis dat vitam, téque homo ipsum, totámque sanctificat creaturam, quemadmodum tu ipsius nominis oras, & expostulas sanctitatem? Quia à Christo vocatus es Christianus, & ideo supplicas, vt prærogatiua tanti nominis meritis in te subsequentibus roboretur. *Adueniat regnum tuum.* Deuotionem mandat, exigit desideria, vota perquirit ipse, qui aduentum suum in sua continet potestate. Fidelis est ille miles, qui regis sui præsentiam sitit, exoptat regnum, expetit & concupiscit triumphos, sed hic petis, vt tibi, & in te adueniat regnaturus, in quo diabolus arcem, mors imperium, diu infernus gessit, & tenuit potestatem. Oremus ergo charissimi, vt Christus semper suo regnet in milite, vt miles semper suo triumphet in rege. *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra.* Beatus dies ille, qui terrenorum iungit, sociat, exæquat cœlestibus voluntates, vt inter dispares substantias, vna atque eadem sit voluntas. Hæc est fida pax, inconcussa concordia, gratia perseuerans, quando per vnius domini ordinem, familia natura diuersa, voluntate fit vna: eadem reperitur & sensu. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Post cœleste regnum panem quis postulet temporalem? Sed quotidianum, & in diem vult nos in sacramento sui corporis panis viaticum postulare, vt per hoc ad perpetuum diem, & ipsam Christi perueniamus ad mensam, vt vnde hic gustum sumpsimus, inde ibi plenitudinem, totasque satietates capiamus. *Et dimitte nobis debita nostra: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Qui sic petit, & debita non relaxat, iste se etiam per quod orat, accusat: qui sibi tantum donari postulat, remittit tantū quantum ipse remittit, & donat, ad placitum Deum, Deum taliter inuitat ad pactum. Quisque quantum ipse præstiterit alteri, tantum sibi exigat & ipse præstari. Dimittenda sunt autem fratres debita, non pecuniæ solùm, sed omnium causarum, culparum, criminum quicquid homo incurrere, poteris, in his tibi cùm incurrerit alter, ignosce.

ignoſce. Vides, peccatis ſuis petit veniam, qui peccanti libenter ignoſcit. *Et ne nos inducat in tentationem.* Hoc petere miles multis modis cogitur fratres, ne fragilitas plus auſa, & de ſe tumore præſumens, nec virium ſuarum modum colligens, in conflictu malè cauta ſuccumbat: Deinde offenſus Deus tradat tentationibus, quos relinquit. *Sed libera nos à malo.* Satis de ſe humiliter ſentit, nec ſaluari per ſe præſumit, qui vt malo per Deum liberetur, implorat. Signate vos. Intelligite quanta filioli, quanta perfectorum, quanta fortium gloria ſit, & poteſtas, quando tanta virtus in ipſo conceptu: tanta maieſtas aperitur in partu. Nondum natus patrem vocat, ſanctitatem poſtulat, regnum petit, dat iura terris, terrenas cœleſtibus exæquat voluntates, & laboribus profuturis exigit iam deuotus annonam. *Parē noſtrum*, inquit, *quotidianum da nobis hodie.* Beati eſtis, qui cœpiſtis ante pugnam vincere, ante triumphare, quam viuere: ante ad patris promptuaria, quàm matris ad gremium peruenire: ante paſtum gregis, quam ſuccum lactis inuadere: toto antè victoriarum ſonare iubilo, quàm vagitu reſpondere
1. Cor. 1. cunarum. Verè, vt dixit Apoſtolus, infirmum Dei fortius eſt hominibus. Aut quis poterit tanti conceptus referre ſacramentum? vbi virgo mater parit orbe quotidie, nec relinquit poſteros ad laborem, ſed æternam germina præmittit ad gloriam.

IN EANDEM.

SERMO LXIX.

PVtaſne mortale pectus dominicæ charitatis erga nos magnitudinem capiat? Putaſne terreni corporis pondere mens depreſſa erga nos diuinum intelligat ac ſentiat affectum? Nam quicquid cœli micat, radiat, & ſplendet ornatus, quicquid terra fragrat in floribus, ſapit in fructibus, in animātibus gaudet, noſtro amore factum, noſtræ addictum eſt ſeruituti. Sed quamuis magna, parua tamen ſunt ad ſupernæ in nos dilectionis iudicium. Nobis principatus cœlorum, nobis æthereæ poteſtates, nobis ſupernæ dominationes, nobis Angelorum officia excubiis militant indefeſſis. Sed iſta adhuc aſſerendæ in nos diuinæ neceſſitudinis parua ſunt, & minora, tantúmque infima, quantum creatore ſuo minor eſt creatura. Deus vultu incontemplabilis, viſu imperſpicabilis, nullo ſenſu æſtimabilis, inacceſſus mente, ne ipſo quidem ad plenum notus auditu quoties, qualiter, quam variè, quam diuersè, ſe humanis aptauit obtutibus; quam ſe communioni, quam ſe familiaritati præſtitit, & cōceſſit humanæ?
Geneſ. 6. Cum Noë conſilij ſui facit eſſe participem, & expiando mundo diluuium præmonet imminere, & totum ſæculum ipſo cuſtode paruo arcæ deſignat in
Geneſ. 18. ſemine. Cum ad Abraham velut hoſpes aduentat, inuitatus tota dignatione ſuccedit, oblata non reſpuit, appoſita velut eſuriens & laſſus aſſumit, &
Geneſ. 21. diuina collatione velut egens ſuſcipit, & acceptat humana. Hinc eſt, quod emortua mox ſenis membra reuiuiſcunt, ſterilis vetulæ iam viſcera ſuſcitantur extincta, & natura in viuo cadauere perſepulta proditura ſuum reſurgit auctorem, & generat plurimos tranſacto iam tempore per vnum quem crediderat
Exod. 3. conditorem. Ad Moyſen ignens Deus glomeratur
Exod. 8. in rubo, deinde confert facienda cum ſeruo, exer-
Exod. 14. cetur variis in Ægypto virtutibus, & patefit ad nutum famuli: irrogat flagella, vel tollit: & in mari quantus ſit, quantúmve homini dederit, vltricis vndæ demonſtrant obſequia: cum ſiccato gurgite cedit vnda piis: & liquore durato murum præſtat, munimen exhibet liberandis: ac tota naturæ ſuæ virtute de hoſte ſæuiſſimo triumphatura decurrit. Miro contubernio Iſraëliticis Deus conuerſatur in Deut. 15.
caſtris: numeroſas gentes nunc ferit fulmine, nunc Ioſue 10.
tangit grandine, nunc ſolo rubarum clangore pro- Ioſue 6.
ſternit: vt ſine conflictu, ſine vulnere Deus ducat victrices acies, quas præcedit: affluit deſideriis, votis annuit ſingulorum, mox ad interrogata reſpondit, occulta prodidit, prædixit futura, quæſita patefecit, regnum contulit, donauit opes, temperauit pluuias, fœcundas præſtitit terras, coniugia ipſa filiorum copia & honore decorauit. Sed adhuc parū eſſe credidit, ſi affectum ſuum erga nos præſtando proſpera tantum, & non etiam aduerſa ſuſtinendo monſtraret. Poſt omnia, mundum ſuum pauper ingreditur: iacet in cunabulis vt homo: vagitu ſuo implorat, inquirit, exigit quam tibi præſtitit ipſe pietatem. Parens omnium vſus eſt te parente; ſubiectus tibi extitit, cui omnis ſubiacet altitudo: timuit, quem timenda metuunt: fugit, ad quem cuncta confugiunt: cœlorum arbiter eſt hoſpes in domibus peccatorum: paſcitur qui paſcit omnes: &
quid plura? παντοκράτωρ tenetur ſæculorum, ſiſtitur Id eſt, omnipotens.
terræ fundator, iudicatur humanæ largitor veniæ, diſcutitur cordis ſcrutator, punitur vitæ dator & redditor: cunctorum reſurrectio ſepelitur, vt tarda mens hominis, & intelligentia ſatis pigra, vel morte in ſe Dei probaret affectum, quæ prædictis & innumeris Dei beneficiis, Dei erga ſe non intellexerat, non ſenſerat charitatem. Qui ergo eſſe fecit dedit viuere, docuit & orare: quia totum voluit præſtare qui ſua ſibi prece voluit ſupplicari. *Pater noſter qui es in cœlis.* Ecce homo tua te voce Chri- Matth. 6.
ſtus hodie, vt ſibi faceret cohæredem Dei patris adoptat, in filium, dum ait: *Pater noſter.* Quod ſuæ dignationis eſt, tuæ eſſe voluit poteſtatis, iuxta illud. Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſta- Ioan. 1.
tem filios Dei fieri, & tamen iubet dicere, vt dignatio donantis ſit, non temeritas præſumentis. *Qui es in cœlis.* Non quòd non ſit in terris, ſed te qui cœleſtem patrem iam vocas, ad cœleſtem vult tendere, & repetere iam naturam, vt generi tanto vita noſtra reſpondeat, ne terreni mores degenerent, quos cœleſtis donauit & contulit iam naturam. *Sanctificetur nomen tuum.* Non quod tua prece ſit ſanctificandum, quod te ſanctificat nomen, ſed quia Chriſti nomine vocatus eſt Chriſtianus, petendum tibi eſt, vt actu tuo nomen hoc ſanctificetur, & honoretur in te. Quia ſicut virtutum fama nominis tantum reſpondet ad gloriam, ita male conuerſantis infamia ad eiuſdem nominis rédundat iniuriam: dicente Apoſtolo: nomen Dei per vos blaſphematur in gentibus. Et reuera filij, tunc Rom. 2.
gentilis nomini derogat Chriſtiano, quando aliter quam profitetur? & dicitur viuere, viderit Chriſtianum. *Veniat regnum tuum.* Non vt Deo veniat regnum habenti ſemper, ſed poſtulas vt tibi veniat non habenti: & percipias illud quod tibi affectu ſuo Dominus pollicetur, cum dicit: Venite benedi- Matth. 25.
cti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi. Venite benedicti, non dixit, veniamus: percipite, non dixit, percipiamus. Nemo miretur, quem patrem vocat, qui nondum natus eſt: nam ſi Ioannes exultat; & Iacob Luc. 1.
colluctatur in vtero, prudens æſtimet quid poſſit Geneſ. 25.
natura diuina, ſi tantùm poteſt per Deum humana conceptio.

IN EANDEM.

SERMO LXX.

OMnia quæ diuinitus dicta, factáque referuntur, sunt miraculo, sunt stupori, sunt pauenda mortalibus, ipsis etiam cœlestibus sunt tremenda: sed nihil tam stupet cœlum, pauet terra, expauescit vniuersa creatura, quàm quod vos estis hodie nobis dicentibus audituri. Seruus dominum patrem vocare audet, iudicem suum reus nuncupat genitorem, conditio terrena sua se voce adoptat in filium: qui terrena perdidit, æstimat se diuinitatis hæredem. Sed audemus, quia præsumptio dicentis non est, vbi authoritas est iubentis: ipse enim nos hodie dicere sic voluit, qui non docuit sic orare. Et quid mirum, si homines Dei consecrauit in filios, quando se hominis dedit & aptauit in filium? Carnis nunc naturam transtulit in diuinam, deitatem quando humanam detulit ad naturam: tunc hominem sibi in cœlestibus præstitit cohæredem, quãdo se participem reddidit terrenorum. Aut homini negare quid amoris potuit, quid muneris, qui totum quod erat hominis, etiam peccatum suscepit, & mortem? Aut quomodo hominem in suis prosperis socium non habebit, qui in aduersis hominis se fecit esse consortem? Homo redi ad Deum sic amatus à Deo, & ad illius gloriam da totum te qui se totum propter te ad suam deduxit iniuriam, & voca patrem fidens, quem tanto amore tuum probas, sentis, intelligis esse genitorem. *Pater noster.* Quod nondum natus patrem vocat, nemo miretur: Deo
Ecclef.3. nata sunt nascitura, futura facta sunt Deo. Quæ fu-
Luc.1. Genef.23. tura sunt, inquit, iam fuerunt. Hinc est quod in vtero suum Ioannes sentit auctorem: & extat nuncius matri, qui erat suæ nescius vitæ. Hinc est quod Iacob ante legitur bellare, quam nasci: ante triumphare, quam viuere. Hinc est quod iam sunt Deo, qui sibi adhuc non sunt, qui electi sunt ante constitutionem mundi. *Qui es in cœlis.* Non quod ille non sit in terra, sed vt tu per hoc germen esse noueris te cœlestem: & si te Dei filium esse fateris, viue quasi Dei filius, vt actu, vita, virtutibus tanto possis respondere genitori. *Sanctificetur nomen tuum.* Quia à Christo vocatus es, Christianus, petis, vt prærogatiua tanti nominis sanctificetur in te: quia nomen Dei quod per se, & sibi sanctum est, aut sanctifica-
Luc.17. tur in nobis nostro actu, aut nostro actu blasphematur in gentibus. *Veniat regnum tuum.* Ipse dicit: Regum Dei intra vos est: si intra nos est, veniat vt quid oramus? Est in fide, & in spe, est in expectatione, sed vt in re veniat, iam precamur. Veniat autem nobis,
Matth.23. non ille qui semper conregnat patri suo, semper regnat in patre, sed veniat nobis. Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Dicimus, *Veniat regnum tuum.* Vt sic Deus regnet in nobis, quatenus in no-
Rom.5. bis desinat mors regnare, desinat regnare peccatum.
Rom.6. Regnauit, inquit, mors ab Adam vsque ad Moysen: Et alibi, Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.* Nunc in terra multa fiunt pro diaboli voluntate, pro sæculi nequitia, pro desiderio carnis: in cœlo verò fit nihil præter Domini voluntatem: petimus ergo, vt interempto diabolo, vt nouo sæculo, vt mutato corpore, vt destructo mortis imperio, vt abolita dominatione peccati, in cœlo, & in terra, in Deo & hominibus, vna Dei sit, eadémque voluntas. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Post regnum cœleste, terrenum panem petere non iubemur: prohibente ipso, cum dicit: Nolite solliciti Matth.6.
esse animæ vestræ quid manducetis, aut quid biba- Ioan.6.
tis. Sed quia ipse est panis qui de cœlo descendit, petimus & precamur, vt ipsum panem quo quotidie, id est, iugiter sumus in æternitate victuri, hodie, id est, præsenti in vita, de conuiuio altaris sancti ad virtutem corporis, mentisque capiamus. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Sic dicendo homo indulgentiæ modum, mensuramque veniæ tu tibi dedisti, qui à domino tantum tibi petis dimitti, quantum dimiseris ipse conseruo. Dimitte ergo delinquenti in te totum, si vis ipse de tuis nihil domino habere delictis: in altero dimitte tibi, si vis ipse vindicem vitare sententiam. *Et ne nos inducas in tẽtationem.* Deus, sicut scri- Iacob.1.
ptum est, neminem tentat, sed tentare dicitur, cum contumaciter euntes ad tentationum laqueos derelinquit. Sic Adam tentatoris incurrit insidias, dum Genef.1.
sui præcepta deserit conditoris. Vnde autem & à quo tentaretur homo, prodit sic dicendo. *Sed libera nos à malo.* Hoc est, à diabolo, qui totius mali & auctor est, & origo: diabolus natura cœlestis fuit: nunc est nequitia spiritualis, ætate maior sæculo, nocendi vsu tritus, lædendi arte peritissimus: vnde non iam malus, sed malum dicitur, à quo est omne quod malum est. Hinc est, quòd propriis viribus liberari homo non potest, carnalibus vinculis illigatus. Petendum nobis est ergo, vt Deus nos à diabolo liberet, qui Christum terris vt diabolum vinceret, commodauit. Clamet homo, clamet ad Deum: clamet, libera nos à malo, vt à tanto malo solo Christo vincente liberemur. *Pater noster qui es cœlis.* Orandi thema, materiam petendi, supplicandi normam paucissimis in verbis ipse tibi qui tibi est exorandus indulsit: vt ex hoc tu petendi sumas sensum, intellectum postulandi capias, mensuram colligas impetrandi, & breuissimo magisterio orandi latissimam capias disciplinam, simul qui ad amoris indicium Rex ipse officio functus est aduocati, vt preces quibus responsurus erat, ipse dictaret. Cunctatio ablata est impetrandi omnis, imò fiducia collata est tota promerendi, quando ipsum se legit in precibus qui rogatur. Metus locum non habet, vbi à patre filius pietate interprete desiderat quæ sancta sunt, impetrare.

IN EANDEM.

SERMO LXXI.

FRatres charissimi, qui vos donauit credere, ipse vos docuit & orare: & totam petendi formam paucis aptauit in verbis: quia cum patrem postulat, multa prece filius non laborat: sicut enim petere cogit necessitas genitum, ita viget charitas dare genitorẽ. Pater ergo qui sponte præstat, non tam vt petatur, quàm quid petatur, ostendit: vt filius petẽdo iusta placeat, qui potest stulta postulãs displicere. Audite patrem, & vos filios esse iam credite, vt quæ petieritis, incunctanter impetrare possitis. Quid valeat fides, credulitas quid possit, quanti sit confessio, hodie mõstratur in vobis. Ecce Trinitatis trina cõfessio, in cœlestẽ sobolem de terrena vos sustulit seruitute: ecce fides quæ Deum locuta est patrem, patrem vobis Deum hodie conquisiuit.: ecce vox quæ confessa est Deum filium, vos Dei adoptauit in filios: ecce credulitas quæ Deum Spiritum proclamauit, de carnis substantia mortali in vitalem Spiritus substantiam vos mutauit. Quis pietatis tantæ

dignus inuenietur aſſertor? Deus pater homines dignatur hæredes. Deus filius non dedignatur ſeruulos cohæredes, Deus Spiritus carnem conſortem diuinitatis aſſumit, fit cælum poſſeſſio terrenorum, & inferis addicti iuriſdictione ſuſcipiuntur in ſupernis: Apoſtolo probante, cùm dicit: An neſcitis, quia
1.Cor.6. Angelos iudicabimus? Vocate ergo Deum patrem, voſque etſi nondum natos, iam tamen deſignatos, filios eſſe iam credite, & date operam, quatenus ſit vobis cœleſtis vita, ſint vobis diuini mores, & forma deitatis tota veſtra præferatur in forma, quia cœleſtis pater reſpondentes generi filios muneribus ditat diuinis: degenerantes ad pœnalem reuocat ſeruitutem. *Pater noſter qui es in cœlis.* Succumberet conſcientia ſeruilis, terrena conditio ſolueretur, niſi nos ad hunc clamorem ipſius patris auctoritas, ipſius filij ſpiritus excitaret. Miſit, ait, Deus Spiritum filij ſui in corda noſtra clamantem, Abba pater. Laceſſit mens, caro noſtra deficit ad diuina, niſi Deus quæ fieri iubet, impleat ipſe qui iubet. Quando auſa mortalitas Deum vocare patrem niſi modò, quando ſuperna virtute hominis animantur interna? *Pater noſter qui es in cœlis.* Homo quid commune cum terris tibi, qui confiteris tibi genus eſſe de cœlis? Ergo cœleſtem vitam monſtra in habitatione terrena: quia ſi quid in te geſſerit terrena cogitatio, cœlo maculam, cœleſti generi iniuriam intuliſti. *Sanctificetur nomen tuum.* Nos petimus, vt ſanctificet nomen ſuum Deus, quod ſanctitate ſua totam ſoluat, & ſanctificat creaturam. Fratres, hoc nomen eſt, quod ſupernæ poteſtates pauent, quod tremenda ſuſcipimnt ſeruitute: hoc nomen eſt, quod mundo perdito dat ſalutem: ſed petimus, vt nomen Dei actu noſtro ſanctificetur in nobis: nobis enim bene agentibus benedicitur nomen Dei: nobis malè agentibus blaſ-
Rom.2. phematur. Audi Apoſtolum dicentem: Nomen Dei per vos blaſphematur in gentibus. Petimus ergo, petimus vt quantum nomen Dei ſanctum eſt, tantum nos eius mereamur in noſtris mentibus ſanctitatem. *Veniat regnum tuum.* Quaſi non ſemper fuerit, ac ſit regnum Chriſti, vt veniat nunc ro-
Luc.17. gamus. Et vbi eſt illud? Regnum Dei intra vos eſt. Intra nos eſt fide, ſed vt reueniat, ſupplicamus. Fratres, quandiu diabolus vario nequitiarum genere multimoda arte fallendi rerum aciem turbat, ſenſus hominum, moréſque confundit, ſæuit idolis, ſacrilegiis furit, fallit auguriis, diuinatione mentitur, ſignis decipit, illudit aſtris, ſpectaculis occupat, obſidet vitiis, peccatis vulnerat, criminibus ſauciat, deſperatione proſternit, Chriſti regnum prolongat & abſentat à nobis. Petimus ergo vt veniat tempus, quo mali tanti auctore pereunte, mundus totus, creatura tota, totam ſolius Chriſti regnet & triumphet ad gloriam, & fiat quod ſequitur, vt ſicut in cœlo, ita & in terra vna domini ſit voluntas. Sit terra cœlum, vita Deus, tempus æternitas, patria requies, cenſus innocentia, honor immortalitas, cura caſtitas, Deus totum. Addidit, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Poſt paternitatem Dei, poſt diuini nominis ſanctitatem, poſt cœli regnum, quotidianum panem iubemur expoſcere. Chriſtus obliuioni non ſubiacet. Chriſtus mandatis ſuis contraria non demandat: ipſe
Matth.6. Ioan.6. dixit: Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis, aut quid bibatis. Sed quia ipſe eſt panis qui de cœlo deſcendit, qui legis & gratiæ mola aptatus eſt in farinam, qui crucis confectus eſt paſſione, qui magnæ pietatis fermentatus eſt ſacramento, qui conſperſionis leuis leuamentum ſuſtulit de ſepulchro, qui vt diuinitatis ſuæ calore coqueretur, ipſe clibanum decoxit inferni, qui ad cœleſtem cibum quotidianus Eccleſiæ defertur ad menſam, qui in remiſſionem frangitur peccatorum, qui edentes ſe perpetuam paſcit, & enutrit ad vitam: hunc panem quotidie nobis dari petimus, donec illo die perpetuo perfruamur. *Et dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Homo penes te eſt poteſtas veniæ, in te eſt indulgentiæ ius: tu tibi remiſſionis auctor es conſtitutus. Gratis petis veniam, qui tibi in alio indulgere contemnis. Homo tu tibi miſericordiæ factus es ipſe menſura: quantum quæris miſericordiæ, fac tantum. *Et ne nos inducas in tentationem.* Tentatio eſt fratres, ſpecies fallens, quæ proſpera in aduerſis, aduerſa occultat in proſperis, humanamque ignorantiam doloſos educit in lapſus: petimus ergo ne peccatis impellentibus in tentationum foueas incidamus. Inducere autem Deus dicitur currentes ad crimina cùm relinquit. *Sed libera nos à malo.* Hîc mali malum deſignat auctorem, hoc eſt, diabolum. Petimus ergo vt munere hoc vno malis omnibus cum mali careamus auctore. *Pater noſter qui es in cœlis.* Nemo cùm ſe filium clamat, manere ſe miretur in habitu ſeruitutis: ad diuinum germen hodie deſignatus es, non promotus, ſpem, non rem te noueris conſecutum. Audi Apoſtolum. Spe Rom.8.
ſalui facti ſumus: ſpes autem que videtur, non eſt ſpes; quod enim videt quis, quid ſperat? ſi autem quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamuss. Hodie adoptionis eſt dies, hodie promiſſionis tempus eſt: audi, crede, expecta, crede creditori tuo, qui tibi credidit debitori; expecta parumper vt veniat, qui te diu ſuſtinuit vt venires: da illi inducias de promiſſo, qui tibi quicquid erat debiti, iam donauit. Aut quare tu fatigaris ſpe Dei, cum genus omne hominum ſubſiſtat ſpe, fide viuat? Agricola nunquam ſereret anhelus, ſi fructum laboris ſui de tempore non ſperaret: viator laborem prolixi itineris non ſubiret, niſi ſe ad deſtinata crederet peruenire: nauta mare non intraret incertus, ſi ſe lucris ſequentibus compenſaturum viarum diſcrimina non ſperaret: miles tota iuuentutis tempora non ageret in periculis, ſi ſenectutis honores copioſiſſimos non ſperaret: filius paternæ dominationis tempora non ſubiret, ſi ſe ſubſtantiæ paternæ non ſperaret hæredem. Et tu ſi te iam filium Dei credis, iuxta Prophetam, expecta Pſalm 26.
Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & expecta, vt hæreditatem Dei de expectationis fide, & de virtute patientiæ conſequaris. Audi Apoſto- Ioan.3.
lum: Filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus: ſcimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus. Et iterum: Vita veſtra abſcondita eſt cum Coloſſ.3.
Chriſto in Deo: cùm autem apparuerit Chriſtus vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Fratres beati ſunt filij Dei, quia & hæreditatem rerum omnium poſſidebunt, & de exceſſu patris luctus temporum non videbunt.

IN EANDEM,

SERMO LXXII.

QVod ego modò cum magno tremore dicturus ſum, quod vos eſtis nunc terribiliter audituri, imò terribiliter vocaturi, ſtupent Angeli, pauеſcunt virtutes, ſupernum cœlum non capit, Sol non videt, terra non ſuſtinet, tota non aſſequitur creatura. Quid ad hæc mortale pectus? Quid ad hæc

hæc mens hominis imbecilla? Quid ad hæc humani sensus angustia? Quid ad hæc humanæ vocis aura; Quid ad istud humana lingua citò tacitura?
1.Cor.2. Hoc Paulus inuisibiliter cùm vidisset, prodidit non prodendo, dicens: Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit
Isa 53. Deus diligentibus se. Hoc Isaias cum suo mox cepisset auditu, hoc ad hominum peruenire posse dubitat vel fidem, dicens: Domine quis credidit auditui nostro?
Hier.4. Hoc Hieremias cum diuino concepisset auditu, partus supernorum sensuum non sustinebat, clamans. Ventrem meum, ventrem meum doleo, & sensus cordis mei perturbati sunt.
Abac.3. Hoc Abacuc diuini spiritus perorabat afflatu, cùm dicit: Custodiui, & expauit venter meus à voce orationis labiorum meorum: & intrauit tremor in ossa mea, & subtus me commota est virtus mea. Eleuatus virtute Dei sensit suam sub se succubuisse virtutem. Longum est super hoc sacramentum pauoris prosequi, & dinumerare sanctorum: tempus non finit diu me in hoc timore demorari, cœlestis partus impetus non potest tardare nascentium. Dico ergo, & vos in vtero adhuc penetrali voce compello, prouida exhortatione præmoneo: vt antequam videatis matrem, vocetis & patrem, antè blandimenta matris, patris tendatis & festinetis ad regnum: ante patris præueniatis ad panem, quàm matris ad vbera pendeatis. Nec in vos quicquam sibi, aut matris necessitas, aut ætatis tempora vindicent: sed in vobis totum diuino patri, totum cœlesti respondeat
Matth.6. & occurrat auctori. *Pater noster qui es in cœlis.* Hoc est quod pauebam dicere, hoc est quod trepidabam proferre, hoc est quod neque cœlestium, neque terrestrium quemquam finebat seruitutis propriè conditio suspicari: cœli & terræ, carnis & Dei repentè tantum posse prouenire commercium, vt Deus in hominem, homo in Deum, Dominus in seruum, seruus verteretur in filium: fieretque diuinitatis & humanitatis ineffabili modo vna & sempiterna cognatio. Et quidem deitatis erga nos dignatio tāta est, vt scire nequeat quod potissimum mirari debeat creatura: vtrum quod se Deus ad nostram deposuit seruitutem, an quod nos ad suæ diuinitatis rapuit dignitatem. Hinc est homo quod te diuinitus adhortatur, qui tanto nunc tuo amore flammatur: quod adhuc in vtero voce tua te Deus adoptat in filium: quod te non fieri solum liberum vult ille, sed nasci: quod ipsam propter te manumittit naturam: ne quem næuum, ne quam maculam imponat ortus pristinæ seruitutis. O vos beatos, quibus dominari datum est, antequam nasci: antè regnare, quam viuere: ante ad Dei patris gloriam peruenire, quàm prosapiam propriæ vilitatis agnoscere. Ecclesia fœlix mater, quæ vos tales respicit, quæ cum virgo permaneat, genuisse tales & tantos vos taliter se miratur. Olim partus iste præ-
Genes.25. cedentibus designabatur exemplis. Hinc est quod
Genes.38. Iacob in vtero matris cum fratre luctatur, præripit & triumphos. Hinc est quod in vtero Thamar gemini de primatus honore præliantur, retardant partus: nec antè lucem cupiunt videre, quam vincere.
Luc.1. Hinc est quod Ioannes exultat ante, & ante suo occurrit auctori, genitricis ex vtero quam procedat: Et si humana pignora sic ante Deo militant, quàm nascantur parentibus, quam viuant sæculo: quid mirum si Ecclesiæ diuina germina, si Deo sua soboles in vtero adhuc quod sit superni germinis iam fatetur? *Pater noster qui es in cœlis.* Stupor insurgit, Christus de Dei patris pectore matrem vocat, & fatetur in terra: & homo de matris vtero patrem vocat, & cōfitetur in cœlis. *Pater noster qui es in cœlis:* Quò te homo repentè prouexit gratia? quò te rapuit cœlestis natura? vt in carne & in terra positus adhuc, & carnem iam nescias, & terram, dicendo: *Pater noster qui es in cœlis.* Qui ergo se tanti patris filium confitetur, & credit, respondeat vita generi, moribus patri, & mente, atque actu afferat, quod cœlestem consecutus est per naturam. *Sanctificetur nomen tuum.* Cuius vtique genus esse cœpimus, eius vtique censemur & nomine: & ideo petimus, vt in nobis illius nominis sanctificatio perseueret, honor & prærogatiua nominis, quod sublimauit sic tanti genitoris celsitudo. *Adueniat regnum tuum.* Non illi petimus, cui nunquam defuit regnum: imo qui est ipse regnum, totamque in se regni continet potestatem: sed qui nos vult ad promissam regni gloriam peruenire, monet nos expetere omnibus hoc votis: in hoc vult nos totis mentibus inhiare. Quantum namque est temerarius, qui discutit de genere: ignarus est tantum, qui non gaudet, æstuat, anhelat, cum promissum intendit & pertendit ad regnum. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra.* Sicut in cœlo, sic & in terra: tunc iam totum cœlum est, tunc agit Dei mens vna omnes, tunc in Christo omnes, & in omnibus Christus, quando omnes solius Dei sapiunt, & faciunt voluntates: tunc omnes vnum, imò vnus omnes, quando Dei spiritus in omnibus viuit vnus. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Sicut in Psalmo: Benedictus Dominus de die Psalm.97. quotidie, ita hic: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quotidianum iugem dicimus: iugis panis Ioan.6. ille est, qui de cœlo descendit: Ego sum panis, qui de cœlo descendi. Perfectio ergo beatitudinis est hodie, hoc est, in præsenti, illius panis iam cibo viuere, cuius perpetuitate, quod est quotidie, saginabimur in futurum: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* De supplicantis pectore veniæ fons emanat, & ad veniam refluet quicquid pietatis exuberat, & effundit in alterum, quando indulget sibi tantum, quantum alteri condonauerit. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Satis potest homo misericors, qui cum Deo de pietate confligit, cum tantum sibi dari, quantum dederit, quantum donauerit, tantum desiderat & donari. Homo sit semper in pectore tuo venia, si vis crimina non timere. *Et ne nos inducas in tētationē.* Hæc interpretatione non indigent, quia tentatio diaboli præuia & amara est ministra eius: quandiu verò hoc fragili continemur in corpore, necessariò precamur, vt in nos nec tentationi pateat aditus, nec diabolo tribuatur accessus. *Sed libera nos à malo.* Ipse autem Dominus Deus noster liberet nos à malo, & perducat ad omne bonum, qui viuit & regnat Deus modò & semper, & per infinita sæcula sæculorum, Amen.

DE PASCHALI SOLENNITATE.

SERMO LXXIII.

Hodierna festiuitas, fratres charissimi, nobis 2.Cor.5. vetera non connectit, nec carnes agni seruat in crastinum: sed dum præterita præsentibus solenni deuotione participat, & Pascha nostrum Pascha redeunte coniungit, nouæ regenerationis ablactat infantiam, quia iuxta Apostolum: Vetera transierunt: & ecce facta sunt omnia noua: Annus Domini perficitur temporibus, non senescit, qui tandiu suo recurrit in circulo, quandiu nos ad diem retributionis adducat. Paschalis hodierna solennitas à

lacte, quos ante genuit, nunc repellit, vt solidioris cibi pastu, perfectum Christi roborentur in virum. Fecisse Abraham epulum magnum, totiúsque domus suæ lætitiam suscitasse ablactato Isaac historia diuina referente cognouimus. Et si senectutis soboles, si sterilis vnicus, choris tripudiantibus, cithara & tympano, & toto psalterij resonante concentu, vniuersæ familiæ corda traxit, & commouit in gaudium, quanto magis nos in hymnis spiritualibus conuenit exultare, vel canticis, quando virginei germinis ablactatur vniuersa fœcunditas? Anna quoque Saræ consterilis, quæ lachrymis orationum suarum tandiu madefecit ariditatem sui corporis & naturæ, quandiu fuerat longo vitæ tempore nega-
1.Reg.1. ta posteritas, Samuëlem diuino munere susceptum, ablactatum mox diuinum refundit in munus, & lætitiam suam sacrificiorum victimis ad plenitudinem liberationis accumulat: multò magis nos oportet laudis immolare sacrificium, vota soluere, suauitatis incensum adolere, & tota holocaustorum pinguedine Deo patri victimas immolare, quando virgo mater enutrita & ablactata tot numero pignora, quot stellas cœli, patri toto orbe repræsentat, vt
Psalm.40. impleatur illud Propheticum: Benedices coronam anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate. Nemo ergo otiosum credat istud festiuitatis nostræ salutare mysterium, nec existimet pannum nouum veteri nos assuere vestimento, vbi nihil Iudaicæ vetustatis nouitati coniungimus Chri-
1.Cor.5. stianæ: scientes, Apostolo dicente, nouam totam in Christo nobis emetsisse creaturam, sed agnitionem diuinam supernæ virtutis euehimus ad profectum, vt dum simul nuper nati quid facere debeant, imbuuntur: & ante geniti quantam Dei gratiam de perfectione sua debeant, instruuntur, appendantur collo ij, qui modò nati sunt: & pietate tota sub Ecclesiæ matris vberibus occupentur, trahant teneris faucibus innocentiæ pastum, in opere sancto brachia meditentur extendere, nitantur in cursu fidei tremula firmare vestigia. Nunquid sic relinquendi sunt iam nutriti, vt non patris cura, patris manu, patris regantur arbitrio, & ita matris consilio, matris fide muniantur, vt non humana solum, sed etiam
Genes.17. diuina prudentia percipiant, & præripiant salutaria? Sic Iacob suo nimis timidus, matris consilio satis ausus, patris vt præriperet benedictionem, plus mysticus, quã dolosus incessit: nam primogenitum se mentitus non est, quia ille primus est, quem cœlestis gratia generat, non natura mortalis: ille nos sub hircorum pellibus figurabat, qui vt moriamur peccato, hortatu matris Ecclesiæ mortificati corporis induimur vestimento, & odore agri continuis confessionum fructibus & vbertate redolemus, donec cæcitati Israëliticæ salutariter illudentes, paternam benedictionem toto fidei præripiamus ar-
Rom.1. cano: dicente Apostolo, Cæcitas in parte in Israël facta est, donec plenitudo gentium introiret.

DE RESVRRECTIONE CHRISTI, SERMO LXXIV.

Aliquantulum nos tacere, fratres charissimi, & vigiliarum labor fecit, & coëgit ieiunij lassitudo: & ideo hodie reddimus de dominica resurrectione sermonem: in qua si diuinum est quòd ex virgine nascitur Christus, quantum diuinius est Christus à mortuis quod resurgit? Quod ergo diuinum
Matth.28. est, humano non accipiatur auditu. *Vespera,* inquit, *sabbathi quæ lucescit in prima sabbathi.* Vespera sabbathi, hoc nescit dies sæculi, hoc non habet mundi vsus. Vesper finit, non inchoat diem: tenebrescit vesper, non lucescit, non in auroram vertitur, quia lucis ortum ignorat. Vespera mater noctis parturit diem, mutat ordinem, dum agnoscit auctorem: radiat de nouitate mysterium, anhelat creatori seruire, non tempori. *Vespera,* inquit, *sabbathi quæ lucescit in prima sabbathi venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum.* Sero mulier currit ad veniam, quæ maturè cucurrit ad culpam. Vespere quærit Christum, quæ in matutinis Adam se nouerat perdidisse. *Venit Maria, & altera Maria videre sepulchrum.* Quæ de Paradiso perfidiam sumpserat, festinat fidem sumere de sepulchro: contendit rapere de morte vitam, quæ de vita rapuerat mortem. *Venit Maria.* Hoc nomen matris est Christi, venit ergo mater in nomine, venit mulier, vt fieret mater viuentium, quæ facta fuerat morientium mater: vt Genes.3.
quod scriptum est, impleretur: Hæc est mater omnium viuentium. *Venit Maria, & altera Maria.* Nõ dixit venerunt, sed venit: sub vno nomine venerunt duæ mysterio, non casu. *Venit Maria, & altera Maria.* Venit ipsa, sed altera: altera, sed ipsa, vt mulier mutaretur vita, non nomine: virtute, non sexu: & fieret resurrectionis nuncia, quæ internuncia & lapsus extiterat & ruinę. *Venit Maria videre sepulchrũ.* Vt quam deceperat arboris visus, visus repararet sepulchri: & quam prostrauerat illecebrosus aspectus, aspectus salutaris attolleret. *Ecce,* inquit, *terræ motus factus est magnus: Angelus enim Domini descendit de cœlo.* Tremuit terra, non quia Angelus descendit de cœlo, sed quia ab inferis dominator ascendit. *Ecce terræ motus factus est magnus.* Mouetur chaos, dissiliunt ima terrarum, timet terra, montium tremunt pondera, orbis fundamenta quatiuntur, corripitur tartarus, sistuntur inferna: addicitur mors, quæ in reos tendens, incurrit in iudicem, dominata seruis, exarsit in Dominum, sæuiens in homines, prosiluit in Deum. Merito ergo perit lex tartari, remota sunt inferni iura, potestas mortis ablata est, & in pœnam temeritatis suscitauit mortuos cognitoris iniuria, denique redduntur corpora, redintegratur homo, vita reparatur, & constat de venia iam totum, quia in auctorem vitæ mox est transgressa sententia. *Ecce terræ motus factus est magnus.* Modò terræ motus magnus: O si tũc vel leuis turbo arborem mortiferam deiecisset! O si nebulæ fumus illius mulieris tenebrasset aspectum! O si terræ nubes lethalis pomi speciem caligasset! O si manus tangens inconcessa tremuisset! O si peccati diẽ tenebrasset nox iniusta, & lamenta mundi, & incrementa mortis, & creatoris iniuriam tunc tulisset, sed vitiis semper seruiunt blandimenta, lenocinantur dulcia delictis, virtutibus verò austera & fortia sunt amica. *Angelus enim Domini descendit de cœlo.* Resurgẽte Christo, morte pereunte terrenis redditur cœleste commercium, & mulieri, cui fuerat cum diabolo lethale consilium, cum Angelo colloquium fit vitale. *Angelus enim Domini descẽdit de cœlo, & reuoluit lapidem.* Nõ dixit, voluit, sed reuoluit lapidem qui aduolutus probauit mortem, & reuolutus extitit resurrectionis assertor. Beatus lapis qui Christum & reuelare meruit & velare: Beatus qui non minus corda aperit, quàm sepulchrum: beatus qui dat resurrectionis fidem, fideíque resurrectionem, qui diuinam carnem resurrexisse testatur. Mutatur hic ordo rerum, mortem, non mortuum denotat hic sepulchrum, domus mortis mansio fit vitalis, vteri noua forma mortuum concipit, parit viuum. *Angelus enim Domini descendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidẽ, & sedebat super eum.* Et Angelo quæ causa sedẽdi erat, cui nulla inerat lassitudo? Sed sedebat vt fidei doctor,

ctor, vt resurrectionis magister: sed sedebat super petram vt soliditas sedis daret credentibus firmitatem. Ponebat Angelus super petram fundamenta fidei, super quam Christus erat Ecclesiam fundaturus, qui dixit: Tu es Petus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Erat*, inquit, *aspectus eius sicut fulgur, & vestimenta eius sicut nix.* Ad Angeli gloriam non sufficit fulgor, ad cœlestem naturam quid fecit vestimentum? Sed splendore tali referebat speciem nostræ resurrectionis & forman: quia resurgentes per Christum, Christi mutantur in gloriam. *Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt veluti mortui.* Miseri quos tunc percutit pauor mortis, quando securitas redditur vitæ: sed crudelitatis ministri, perfidiæ executores alienæ, fiduciam sumere quomodo poterant de supernis? Obsidebat sepulchrum, resurrectioni ianuas obstruebant, & ne qua posset intrare vita, mors perire, seruabant: meriò eos Angeli perculit & prostrauit aduentus. Misera, & sibi semper inimica mortalitas dolet se mori: ne resurgere possit, oppugnat: sepulchrum aperire conuenerat, & ad resurgendum quicquid erat facilitatis afferre, vt esset miraculum de facto, de exemplo spes, de reuerso res, credulitas de videndo. Grandis dementia est hoc, hominem nolle credere, quod sibi desiderat euenire. Hoc de his custodibus hodie dixisse sufficiat: quid autem nostra fides habeat, ne hodie longum sit, pòst dicemus, præstanti Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat cum Patre Deus in sæcula seculorum, Amen.

Matth. 16.

Genes.

DE EODEM,

SERMO LXXV.

QVantum à vobis ego, à me tantum peregrinatus est sermo: sed orate fratres, vt sicut me vobis Deus reddidit, ita mihi dignetur reddere, & redonare sermonem. Audistis Euangelistam dicentem: *Vespera*, inquit, *sabbati, quæ lucescit in prima sabbati.* Quid hic intelligit humanus sensus? quid hic humana sapit sapientia? *Vespera quæ lucescit.* Vesper finit, non inchoat diem, noc lucem parturit, sed tenebras: sed hic elementorum author, elementorum vices mutat, vt in resurrectione Domini totum diuinum sentias, nil humanum. Denique resurgente Christo fidelibus lucescit vesper, dies infidelibus tenebrescit: Discipulis nox mutatur in diem, Iudæis dies vertitur & mutatur in noctem. Ab hora, inquit, sexta tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam. Vt ipsa quę tota est meridiana claritas obscuraretur, & illud quod scriptum est, impleretur: Occidet illis sol meridie: occidet illis, id est, Iudæis: nostris autem: Nox sicut dies illuminabitur. Quia vesper, qui in profundam semper caliginem vergit, totam tunc Christi tetendit & erexit in lucem: ac splendore toto tota mortalium pectora ab inferis Christo resurgente compleuit. *Vespera sabbati.* Quia illuminatur per Christum sabbatum, non deletur. Non enim venit soluere legem, sed adimplere. Illuminatur vt in die dominico luceat, clarescat in Ecclesia, quod in synagoga Iudæis obscurantibus fuscabatur. *Venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum.* Præcedunt Apostolos ad ministerium feminæ, quæ sexu viros, ordine discipulos sequuntur: sed non hinc faciunt Apostolos segniores, quæ non fœminarũ formas, sed Ecclesiarum typũ deferunt dominicũ ad sepulchrum, Maria, & Maria, sic altera, vt ipsa: ipsa vt altera, altera ipsa, Maria, Maria Mater Christi: vnum nomen duas geminatur in feminas, quia hic Ecclesia ex duobus populis veniens vnus figuratur ex duobus populis, id est, ex

Matth. 28.

Luc. 23.

Amos 8.
Psalm. 138.

Matth. 3.

Gentibus & Iudæis, quia primi nouissimi, & nouissimi pri mi. Venit Maria ad sepulchrum, venit ad resurrectionis vterum, venit ad vitæ partum, vt iterum Christus ex sepulchro nasceretur fidei qui carnis fuerat generatus ex ventre, & eum quem clausa virginitas vitam protulerat ad præsentem, clausum sepulchrum ad vitam redderet sempiternam. Diuinitatis insigne est clausam virginem reliquisse post partum: de sepulchro clauso exisse cum corpore est diuinitatis insigne. Maria & Maria venerunt, vt viderent sepulchrum: vides quia venerunt, non vt Dominum cernerent, sed sepulchrum, nec quærebant cum mortuis iam viuentem, quæ Dominum iam resurrexisse credebant. *Angelus enim Domini descendit de cœlo, & ascendens reuoluit lapidem.* Reuoluit lapidem, non vt egredienti Domino præberet aditum, sed vt Domnum mundo iam resurrexisse monstraret: conseruis ad credendum daret fidem, non ad resurgendum Domino præstaret auxilium. *Reuoluit lapidem.* Reuoluitur ad fidem, qui ad perfidiam fuerat aduolutus. *Reuoluit lapidem*: vt idem esset vitæ titulus, qui acceperat mortis tenere custodem. Orate fratres, vt nunc descendat Angelus, & totam duritiem nostri cordis euoluat: aperiat sensuum claustra nostrorum, resurrexisse Christum nostris etiam testetur ex mentibus: quia sicut illud cor cœlum est, in quo viuit & regnat Christus: ita illud pectus sepulchrum: in quo Christus adhuc habetur mortuus & sepultus, & Christi mors sicut fuisse, ita pertransisse credatur: Christus homo passus, mortuus & sepultus fuit: est, & viuit, regnat, manet, permanet Deus. Audi Apostolum dicentem. Et si nouimus Christum secundum carnem, sed iam nunc non nouimus. Et Quod mortuus est peccato, semel mortuus est; quod autem viuit, viuit Deo: hoc est, viuit Deus. *Et accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum.* Sedebat ad docendam resurrectionem, non ad lassitudinem subleuandam. Cœlestis natura ignorat lassitudinem, nescit laborem, sed factus est lapis vas Angelicæ sessionis, doctrinæ cœlestis cathedra, schola vitæ, quia Iudæis ad mortis ianuam, ad cineris seruitium, ad triste silentium fuerat constitutus. *Erat*, inquit, *aspectus eius sicut fulgur, vestimenta autem eius sicut nix.* Vultus claritas à vestium candore separatur, & facies fulguri, niui vestis Angeli comparatur, quia fulgur de cœlo, nix de terra. Audi Prophetam dicentem: Laudate Dominum de terra, ignis, grando, nix. In facie ergo Angeli claritas cœlestis seruatur naturæ: in veste verò figuratur gratia comunionis humanæ, & temperatur species Angeli colloquentis, vt carnales oculi, & vestium ferant placidam claritatem, & ex fulgore vultus nuncium sui tremerent, & reuererentur auctoris. *Præ timore autem eius exterriti sunt custodes*: Quare territi, quia custodiebant crudelitatis studio, non pietatis obsequio. Ruit, destruitur, stare non potest, quem conscientia destituit, impellit reatus. Hinc est quod Angelus percellit impios, pios alloquitur & solatur. *Nolite timere vos.* Hoc est, illi timeant: quærentes non timeant, timeant persequentes, *Nolite timere vos, scio enim quod Iesum qui crucifixus est, quæritis, non est hic.* Hoc est, ego veni vt instruerẽ vos, non vt illum eximerem, qui & rerum factor est, vt sui est suscitator. *Non est hic, surrexit enim sicut dixit.* Vides quia venit Angelus, vt factis assereret seruus, quæ Dominus prædixerat verbis: & doceret moriendi & viuendi penes illum potestatem fuisse, quia ante suam mortem prædixerat resurrectionem: nam vtique qui scire potuit, potuit & cauere; sed quia vincere potuit, declinare contempsit, quia resurgentis gloria sepeliuit morientis iniuriam. De sequentibus, fratres, se-

Matth. 20.

2. Cor. 5.
Rom. 6.

quenti sermone tractabimus, quia protrahere nos & dilatare sermonem adhuc recens itineris prohibuit lassitudo.

DE EADEM, DEQVE SECVNDA *Christi manifestatione facta mulieribus à monumento regredientibus.*

SERMO LXXVI.

SVperiori sermone Mariam, & alteram Mariam Ecclesiæ ex duobus populis venientis figuram diximus habuisse: hoc ex sequentibus hodie cupimus approbare, si modo nobis vester benignus præbeatur auditus. Matth.28. *Respondens*, inquit, *Angelus dixit: Nolite timere vos, scio enim quia Iesum, qui crucifixus est, quæritis: non est hic, surrexit enim sicut dixit. Venite, videte locum vbi positus erat Dominus.* Angelus prædicat nomen, crucem dicit, loquitur passionem, fatetur mortem, sed resurrectionem mox, mox Dominum confitetur. Et si Angelus post tanta supplicia, post sepulchrum agnoscit Dominum, suam loquitur seruitutem, & iniuriam passionis totam transisse sentit resurrectionis in gloriam: cur homo aut minoratum Deum in carne iudicat, aut in passione existimat eius defecisse virtutem, aut consumptam dominationem credit seruitute digna? Dicit crucifixum, ostendit locum vbi positus erat Dominus, ne alter & non ipse idem resurrexisse crederetur ex mortuis. Et si Dominus eadem redit in carne, vulnera reportat, ipsa clauorum foramina resumit, & ipsa fecit testimonia sui corporis, suæ resurrectionis indicia, quæ suæ fuerant contumelia passionis: quare homo se in alia putat, aut in sua non putat carne rediturum, aut carnem seruus fortè dedignatur suam, cùm nostram Dominus non mutarit? Acquiesce homo ipsum te futurum esse in carne tua, ne tu ipse non sis, si in carne resurrexeris aliena. Adiecit Angelus, dicens: *Et citò euntes dicite discipulis, quia resurrexit, & præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis.* Angelus hic non feminas, sed Ecclesiam duabus feminis mittit, vnam mittit, vt eam mittendo sic longè, latéque diffundat: Angelus hic sponsam mittit ad sponsum: denique euntibus illis occurrit Dominus, & salutat eas, dicens: *Auete.* Occurrit, & non potestare terret, sed præuenit charitatis ardore: non authoritate turbat, sed salutat lege sponsi: non dominantis iure onerat, sed honorat dilectione consortis, salutat: *Auete.* Luc.10. Dixerat discipulis suis ipse, Neminem salutaueritis in via: & quid est quod hic in via tam festinus salutat? occurrit, non expectat cognosci, intelligi non requirit, non vt interrogetur admittit, sed in salutationem vadit totus, vadit feruens, & suum soluit ipse salutatione mandatum? Coloss.1. Fecit, fecit, quia totum vincit, & exsuperat vis amoris: simul, quia Christus in Ecclesia se salutat, quam suam fecit esse, & sic viscera sua suum sic recepit in corpus dicente Apostolo: Et ipse est caput corporis Ecclesiæ. Luc.24. In istis verò fœminis Ecclesiæ figuram manere plenam res ipsa ostendit euidenter, quia discipulos suos Christus de resurrectione nutantes arguit, trepidantes firmat, ostensione lateris, clauorum cauernis, sumptione cibi, vix reuocat ad fidem. Vnde & meritò in fide paruulos sic pueros appellat, dicendo: Pueri, nunquid habetis pulmentarium? Ioan.21. ipsámque alibi Mariam flentem quasi de mortuo, Ioan.20. mulierem vocat: atque tangendi se licentiam negat, istas autem sic perfectas inuenit, sic credentes, sic non de sexu trepidantes, sed mysterio currentes, sic Dominum toto fidei ardore requirentes, vt habendum se tradat ei salutatione tali, dicens: *Auete.* Angelus dixerat: Scio enim, quia Iesum crucifixum quæritis: & requirentibus Christus, auete, respondit: alibi autem Mariæ nec tangendi datur facultas, hic non Ioan.20. solum tangendi, sed & tenendi copia tota conceditur. *Illi autem*, inquit, *accesserunt, & tenuerunt pedes eius.* Istæ tenent pedes Christi, quæ in Ecclesia typum Euangelicę prædicationis tenent, & merentur ex cursu, ac si fide tangunt sui vestigia saluatoris: vt ad totius deitatis pertingant gloriam, perueniant ad honorem, illa autem meritò audit. Noli me tangere, quæ in terris defler Dominum, & sic in sepulchro quærit mortuum, vt eum in cœlis nesciat regnare cum patre. Ioan.20. Noli me tangere, id est, obsequi tactu carnis, quem fidei tactu deberes attingere: nec quasi hominem tantum tangere tu præsumas in terra, quem Deum nondum sapis in cœlestibus adorare: feminea cura desinat, muliebris solicitudo desistat, virilis credulitas tuam conscendat in mentem, ascensum meum cordis tui capiat latitudo, vt in cœlestibus æterna tactus mei beatitudine perfruaris, iuxta illud Prophetæ: Beatus vir, Psalm.83. cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde eius disposuit. In terra non tangit Christum, qui fide in cœlo non conscendit ad Christum. Quod ergo eadem Maria nunc in fidei vertice constituta, nunc in Ecclesiæ sublimata fastigio, & tangit Christum, & tenet toto sanctitatis affectu, nunc imbicillitate carnis, & feminea infirmitate deiecta dubitat, & tactum sui non meretur authoris, non facit quæstionem: siquidem illud de figura est, hoc de sexu: illud est de diuina gratia, hoc de humana natura: quia nos idem ipsi cùm diuina scimus, Dei munus est: cùm humana sapimus, Matth.16. cæcamus ex nobis. Sic beatus Petrus Christum, Dei filium confitetur, patre reuelante cognoscit: cum negar Christum, carnis sentit & patitur cæcitatem. Inter hæc Iudæi crimina, aut malè emunt sua, aut distrahunt peius aliena, dum peccata taxant pretio, dum pecunia pensant & compensant delicta, dum in sceleribus suis fundunt, quod toto scelere congregauerunt. Sic Iudam comparant traditorem Domini sui, & pretio redemptoris mundi sanguinem pensant: sic aperti sepulchri fidelem claudunt sacculo, vt negando resurrectionis crimen nummis criminum mercarentur. *Pecuniam*, inquit, *copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quia discipuli eius venerunt nocte, & furati sunt eum, nobis dormientibus, & si hoc Præses audierit, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus. At illi accepta pecunia fecerunt sicut erant edocti: & diffamatum est verbum istud apud Iudæos vsque in hodiernum diem.* Apud Iudæos, nunquid apud Cristianos? Iudæe quod tu in Iudæa obscurabas auro, fide toto claruit & eluxit in mundo: discipuli receperunt, non furati sunt Christum: tu perfidiam comparasti, sed non furatus es veritatem: Iudæe resurrexit Christus, tu pecuniam perdidisti: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Marc.27. Iudæe, Christus viuit: tu, & te, & tuos posteros occidisti.

DE RESVRRECTIONE CHRISTI.

SERMO LXXVII.

PLenum satis & perfectæ deuotionis indicium, quod tempore passionis tota creatori suo compatitur creatura. Quæ caro terra tremente non tremuit, quæ mens non torpuit, quod ingenium non defecit, cùm Sol ante tempus occidit, lux refugit? Denique fratres, & nostra occubuere tunc viscera,

sensus

sensus est commortuus: sermo noster suo est consepultus authori, vt eius totam nunc suscitaretur ad gloriam. Ista extitit silentij mei causa: ista debiti mei deuota dilatio fuit. Nec mirum, fratres, si prouidè sermo meus toto affectionis obsequio ad inferos etiam suum secutus est lagitorem, qui sine ipso vobis talibus, ac tantis creditoribus quod redderem non habebam: quod si cupidus aliquis, & auidus exactor de solutionis tarditate conqueritur, calumniam temporis nobis desistat inferre, quia diues Dominus meus multiplicem fœnoris ipsius auget & repensat vsuram. Absoluat ergo nos iam Euangelicæ larga lectionis humanitas, quos officij necessitas hoc tantum deduxit, & addixit ad debitum. *Vespera*, inquit, *sabbathi, quæ lucescit in prima sabbathi.* In Domino resurgente non humanæ solum conuersum est ius naturæ, sed etiam ipse creaturæ ordo insigniter est mutatus. *Vespera sabbathi quæ lucescit.* Ecce, Domino resurgente, non tenebrescit vespera, sed lucescit, & fit lucis exordium, quod principiũ noctis esse consueuerat. *Vespera sabbathi, quæ lucescit in prima sabbathi.* Sicut mortalitas in immortalitatem, corruptio in incorruptionem, caro in Deum: ita tenebræ transferuntur in lucem, vt se nox ipsa taliter non periisse gaudeat: sed esse mutatam, quæ obscuritate magis, quàm tempore sic defecit, quæ interualla, quæ vicem suæ felicius perdidit seruitutis? vt in perpetuæ lucis proflueret & erumperet libertatem dicente Propheta: Et nox illuminatio mea in delitiis meis. *Vespera quæ lucescit in prima sabbathi.* Sabbatum secundarium se lætatur effectum, quod iussione legis torpebat in otio, & per diei dominici primatum in diuinæ virtutis opera mirabiliter excitatur, quòd Iudaicæ obseruationis inertia à virtute salutari reddebat extraneum, dicente Domino: non licet sabbatis ægris curam, afflictis opem, cæcis visum, vitam mortuis condonare? & interpretando taliter à Deo diem sabbathi sanctæ legis studiis deputatum, miseræ tantum ventris addixerat seruituti. *Vespera sabbathi quæ lucescit in prima sabbathi, venit Maria Magdalena, & altera Maria.* Vna venit nomine quæ nunc alia legitur in diuersa persona. *Venit Maria & altera Maria.* Quo & vnam in duabus nominis vnitas figuraret: & mutatam fœminam diuersitas panderet personarum: venit enim, non venerunt, & cum dicit alia, in vtraque eandem mystico designat affatu, vt aliam venisse ante fidem, aliam post fidem redituram esse monstraret. Venit mulier, sed redit Maria: venit quæ intulit mortem, redit quæ genuit vitam: venit Adam quæ deduxit ad inferos, redit quæ ab inferis Christum recepit. *Venit Maria & alia maria.* Quare? *Videre sepulchrum*, & non Christum quærere: tantum videre sepulchrum, reatus sui titulum, facinoris sui triste documentum, suæ cum diabolo præsumptionis, sui quæstus ferale commercium, vt inde recuperaret fidem, vnde perpetuum suæ præuaricationis sustinebat opprobrium. *Et ecce terræ motus factus est magnus.* Si sic terra tremuit cum suorum Dominus resurgit ad veniam, quemadmodum contremiscet, cùm noxiorum consurget ad pœnam? dicente Propheta: Terra tremuit, & quieuit, cùm resurgeret in iudicium Deus. Et quæ conserui, hoc est, Angeli, præsentiam sustinere non valuit, quemadmodum Deum iudicem sustinebit? Ecce iisdem lineis quibus perierat salus humana, reparatur. Prima ad perfidiam mulier, prima procuratur ad fidem: prima currit ad interemptorem mortis, quæ prima cucurrerat ad mortis authorem: prima audit ab Angelo, quæ prima cum diabolo fuerat collocuta. *Angelus Domini descendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum.* Non vt conferret resurrectionem tali operatione, sed vt proderet, dicente Domino: Potestatem habeo ponendi animam meam: & potestatem habeo iterum sumendi eam. Nobis clausa aperit, nobis occulta reserat, nec authorem suum, qui iam non erat in sepulchro, educit ad lucem, sed conuersor suos qui positi erant in dubitationis obscuro, ad fidem resurrectionis adducit, ipso attestante cum dicit: *Non est hic, surrexit. Reuoluit lapidem, & sedebat super eum.* Quare non voluit, sed reuoluit? Vt quem perfidia Pharisæorum ad offensam voluerat, & scandalum, Angelus ad fidem reuolueret, & salutem, dicente Propheta: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali. Reuoluitur ergo lapis, vt euolueret mortem, qui vitam clauserat aduolutus, dicente scriptura: Videbitis vitam vestram pendentem coram oculis vestris, & non credetis. *Et sedebat super eum.* Non lassitudinem recreans, sed sacri & vitalis sepulchri se esse præsidem sic demonstrans, & destructam esse mortem cœlestis minister officij, tali sessionis suæ declarabat indicio: & esse Deum qui passus est, Deum qui intra nostri corporis est receptus angustias, Deum quem habitu superno sic residens testabatur assertor: & quid plura, fratres? sedet, quia ab illo tam venerabili sepulchro nunquam Angelus recedit. *Præ timore autem eius exterriti sunt custodes: & facti sunt sicut mortui.* Quos prosternit terror noxios, ad conscios mox recurrit. Sic, sic innocui cum resurgent, terror, & mors iniustos, & impios possidebit. *Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimenta eius sicut nix.* Quid facit vestis vbi nulla est nuditas? quid indumentum vbi tegendi necessitas non habetur? Sed Angelus fratres nostrum habitum, nostram formam, nostram similitudinem in resurrectione taliter præfigurat, vbi homo ipsa corporis sui claritate restituitur, dicente Domino. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. *Respondens autem Angelus dicit mulieribus, Nolite timere vos, scio enim quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis.* Adhuc crucifixum & mortuum requirebant, quarum fidem sæua Passionis procella turbauerat, & tentationis eas ita pondus incuruauerat, vt cœli Dominum adhuc quærerent in sepulchro, *Non est hic.* Secundum id quod in loco exriti: hic est autem, per hoc quod vbique est, & loci capacitate non clauditur. *Venite, videte locum, vbi positus erat Dominus.* Mulieres vocat Angelus ad videndum, vt sacri corporis locus mundaret oculos, quos diabolo claudente vetitæ arboris maculatat aspectus. Ingrediuntur sepulchrum, vt consepultæ Domino totam fidei resurgerent in salutem: Si complantati sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. *Eunte dicite discipulis eius.* Reuertere ad virum mulier iam sanata, & suade fidem, quæ perfidiam suasisti: refer homini dominicæ resurrectionis indicium, cui ante tentationis & ruinæ consilium detulisti.

Marginal notes: Ioan.10. Ioan.10. Matth.28. Psalm. Psal.138. Matth. Luc.6. Marc. Psalm.57. Ioan.10. Esai.28.& 8.Rom.6. Deut.28. Matth.13. Rom.6.

DE SEPTIMA CHRISTI MANIfestatione facta discipulis ad mare Tiberiadis.

SERMO LXXVIII.

POst illam terris inexpertem, tremendam cælis, inauditam sæculis, inferis non ferendam tempestatem dominicæ passionis, venit ad mare Dominus, & discipulos suos nocturnis in tenebris reperit fluctuantes: fugiente enim Sole quid de splendore lunari? quid de stellis ad noctis potuit solatium remanere? Erat enim vna terra, & confusa caligo, quæ non solum visum corporis, sed ipsum mentis cæcabat obtutum: nec sinebat littus fidei, portum salutis petere, vel repetere nauigantes. *Mane*, inquit Euangelista, *iam* Ioan.28.

facto, stetit Iesus in littore, non tamen cognouerunt discipuli, quia Iesus est. Creatoris iniuriam tota fugerat creatura: necem Domini sui mundus euitare contendit: sciens ad totam domum vindictam pertendere, in qua fuerit seruorum scelere dominator occisus. Hinc est, quod suis se deserentibus fundamentis, terra tremuit: Sol ne videret, aufugit: dies ne interesset, abscessit: petræ, quia non valebant discedere per naturam, nouum scinduntur per vulnus: facinus tantum sono, quia voce non poterant, accusantes: infernus vbi ad se penetrare ipsum Iudicem vidit, victus, & eiulans, quos tenebat, amisit: hinc est quod redditæ corporibus suis animæ ad surrecturos mortuos, quos mundus putauerat deperiisse, viuentibus nunciarunt. Ergo taliter cùm mundi compago tota confuso ordine fluctuaret, & ad primordiales tenebras, atque antiquum chaos crederet se authoris sui morte deuolutam, subito resurrectionis suæ lumina Dominus diem reducit, & orbem totum pristinum reformat in corpus, vt quem sibi taliter viderat esse compassum, suam secum suscitaret ad gloriam, dicente Euangelista. *Mane iam facto.* Id est, transacta nocte dominicæ passionis. *Stetit Iesus in littore.* Vt in antiquum terminum reuocaret vniuersa, firmaret dubia, iactata compesceret, turbata componeret, & statione sua ipsa fundamenta orbis, quæ sic commota fuerant, stabiliret, quo mox mundus ad sui recurreret authoris obsequium, qui ad sui diffugerat authoris iniuriam. *Mane iam facto, stetit Iesus in litore.* Vt Ecclesiam præcipuè, in qua discipuli amaris tunc fluctibus iactabantur, ad fidem fidei sui reduceret stationem: denique quia eos fidei virtute repererat destitutos, & à virili robore inuenerat perdeiectos, arguit tales, pueros nuncupando, cum dicit: *Pueri, nunquid pulmentarium habetis?* Ibi enim erat Petrus qui negauerat: Thomas, qui dubitauerat: Ioannes, qui fugerat: non ergo vt fortissimos milites, sed pueros compellat, vt timidos: & quos idoneos nec dum deprehendit ad prælium, vt teneros inuitat ad mensam, dicendo: *Pueri nunquid habetis pulmentarium?* Vt humanitas ad gratiam, panis ad fiduciam, pulmentum reuocaret ad fidem: corpus enim resurrexisse non crederent, nisi cum toto hominis ordine cernerent manducantem. Hinc est quòd petit escas saturitas tota rerum, panis ipse manducat, quia non ille cibum, sed suorum semper esurit charitatem. *Pueri, nunquid habetis pulmentarium? responderunt ei, non.* Et quid habebant, qui Christum iam secum positum non habebant, qui coram stantem Dominum suis adhuc oculis non videbant? *Non enim cognouerunt discipuli, quod Iesus est, Dicit eis, mittite in dexteram partem nauis rete, & inuenietis.* Reuocat ad dexteram, quos turbo passionis egerat, & redegerat ad sinistram. *Miserunt, inquit, & non poterant illud trahere à multitudine piscium.* Miserant in dexteram, miserant in virilem partem, sed vt pueri adhuc trahere non valebant, senserunt tamen ex ipso pondere, senserunt pisces venisse ad iubentis imperium, non humanæ artis incurrisse capturam. *Discipulus autem ille, qui diligebatur ab Iesu, ait, Dominus est.* Primus qui diligitur videt, quia semper amoris oculus acutiùs intuetur, & semper viuacius qui diligitur, sentit. *Petrus vt audiuit.* Quæ res illam Petri sic tardauerat mentem, vt ab alio audiret Dominum, qui cæteris consueuerat nunciare? Vbi est illud ipsius singulare? Tu es Christus filius Dei viui: vbi est? In domo aufugerat Caiphæ Principis Iudæorum: tardius suum Dominum videbat, qui vocem facilè ancillæ susurrantis audiuit. *Vt audiuit, inquit, quia Dominus est, tunica se præcinxit: erat enim nudus.* Mirum, fratres, cùm comprehenderetur Dominus, Ioanues abiecit sindonem, & Petrus inuentus est nudus, quia Ioannem texit fuga, Petrum negatio sic nudauit. Mirum, fratres, & verè mirum, quia in naui nudatus est, in mare se demergit indutus, quia innocentia nunquam nuda est, & reatus semper refugit ad velamen, denique sicut Adam, ita & nunc Petrus post culpam suam gestit tegere nuditatem, qui fuerant ambo vtique ante culpam sancta nuditate vestiti: *Tunica se præcinxit, & misit se in mare.* Vt mare dilueret, quod negotio taliter sordidauerat. *Misit se in mare.* Vt esset primus in reditu, qui acceperat in ordine principatum. *Et tunica se præcinxit.* Qui præcingendus erat martyrij passione, dicente Domino: Alius te præcinget, & ducet quò tu non vis. *Alij autem discipuli nauigio venerunt: non enim longè erant à terra, sed quasi cubitis ducentis, trahentes rete piscium.* Alij nauigio perueniunt & capturam piscium trahunt, vt Ecclesiam sæculi iactatam procellis, & eos quos Euangelico reti ad supernam lucem rapiunt, & eleuant de profundo, ad Dominum secum fideli labore perducant. *Non,* inquit, *longè erant à terra.* Non erant longe à terra viuentium, quos præsentium finis proximos esse fecerat iam futuris. *Sed quasi cubitis ducentis.* Ex Iudæis & Gentibus centenarium numerum duplicat, qui duorum vitam, salutémque iungit populorum. Reliquam partem lectionis sequenti sermone, Domino iuuante tractabimus.

Matth. 29. Ioan. 20. Marc. 14. Matth. 16. & 26. Marc. 14. Gen. 3. Ioan. 21.

DE RESVRRECTIONE CHRISTI.

SERMO LXXIX.

Luc. 24.

QVoniam Matthæi & Marci super dominicam resurrectionis iam cucurrimus lectiones, modò quid hinc intonuerit Lucas beatissimus, exquiramus. *Vna, inquit, sabbathi valde diluculo venerunt ad monumentum mulieres, portantes quæ parauerant aromata.* Sæpè diximus quæ circa resurrectionem Christi gesta sunt gesta esse resurrectionis nostræ in formam: hinc est quod Euangelistæ sermone plus mystico, quàm nouo factorum Christi seriem proloquuntur: *Vna,* inquit, *sabbathi.* Bene vna, quia resurrectionis dies alteram nescit, æternæ mater noctis tempus ignorat, perpetuò illucescit, resurgentium lux mori non potest, lux quæ noctem delet, nescit extingui. *Venerunt,* inquit, *ad monumentum portantes quæ parauerant: & inuenerunt lapidem reuolutum à monumento: & intrantes non inuenerunt corpus Domini Iesu.* Quid est, quòd quæ antè de monumento fugerant, nunc audaces redeunt ad sepulchrum, intrepidæ pauidum redeunt ad funus, sepulchri tristitiam confidenter inuadunt, & non inuenientes Dominum, constanter quærunt, constantius immorantur, nec illud pauescunt, quod monumento nox addita, dum tenebras generat, addit timorem? Fratres, mulier mali causa, peccati author, via mortis, sepulchri titulus, inferni ianua, lamenti necessitas tota, ob hoc nascuntur lachrymis, mancipantur mœroribus, gemitibus addicuntur, & in lamentis tantum fortes sunt, quantum viribus inueniuntur infirmæ, & quantum imparatæ sunt ad labores, tantum ad lachrymas sunt paratæ: hinc est quòd lachrymis arma vincunt, regna fletibus inclinant, lamentis totam fortitudinem virorum frangunt. Non est ergo mirum, si ad lachrynas, ad funus, ad sepulchrum, ad obsequium dominici corporis fœminę ardentiores Apostolis hic videntur, vbi mulier prima currit ad lachrimas, quæ prima cucurrit ad lapsum: præcedit ad sepulchrum,

chrum,quæ præcessit ad mortem, sit resurrectionis nuncia,quæ fuit mortis interpres, & quæ viro porrexerat interitus tanti nuncium, viri ipsa porrigit magnæ salutis auditum,vt compenset fidei nuncio, quod perfidiæ ademit auditu. Nõ est hic præposterus ordo,sed mysticus, non postponuntur Apostoli fœminis,sed ad maiora seruãtur, fœminæ obsequiũ Christi suscipiũt, Apostoli Christi suspiciũt passiones:illæ portant aromata,isti flagella:illæ intrant sepulchrum,isti carcerem:illæ ad obsequiũ festinant, isti peruolant ad catenas:infundunt illæ oleum,isti sanguinem fundunt: mortem stupent illæ,suscipiũt hi mortes:& quid multa?resident illæ domi,ad acies isti tendunt, vt deuoti milites probent aduersis fidem,virtutẽ laboribus,iniuriis patientiam,periculis mortem,vulneribus tolerantiam, deuotionẽ pœnis, viscerum laceratione constantiã: mulieres ergo ferunt pro christo lachrymas, Apostoli diabolo superato,& victis hostibus,Christo & victoriã referunt, & triumphum. Verum quod Apostoli resurrexisse Dominum mulieribus nunciantibus,aut non credidisse,aut deliramentum iudicasse referuntur,grauiter nemo arguat,altè dubitat,qui altius credit:decipi nõ potest,qui nõ est facilis auditui,ignauus nimis est,qui post exẽplum inuenitur incautus,rudis miles ad aciẽ concurrit, qui causam belli nescit,vim bellatoris ignorat:peritia est,non est segnities,cùm sẽsim miles veteranus incedit. Sic Adam nouus citò cecidit,dum citò credidit,& dum facilè dat aures ad mulieris auditũ, se,suósque posteros pessimo addixit inimico : at veteranus Petrus fœminã nõ facilè audit,fœminis nũciantibus credit tardè,& vt veteranus deliberat,ne vt puer incurrat:deniq; vbi duo ex discipulis, qui post resurrectionem Christũ meruerunt itineris habere collegam, reuersi, nunciabant Dominum se vidisse, Apostoli quod audiunt, non delirium iudicant, sed virile, dant aures, ora figunt,aperiũt oculos,corda pandunt,& quæ dicũtur sic commendant sensibus, vt post cunctationis æstus sitienter bibant auditũ fidei de flumine,quod collegarum lingua fundebat.Sicut ardorem sitis frigida pocula restringunt & refrigerant, ita mentis auditus lætior fit post mœrotem. Fratres,quis causas capere dominicæ natiuitatis potest? Dominicæ resurrectionis negotium existimare quis meretur?Ista cogitare,capere,existimare,nisi qui ab ipso Deo acceperit,non valebit : quòd creator rerum fœmineo creatur partu, quod mundi Dominus in seruitute videtur humana,quòd pastor omniũ pastu indiget, reis quod addicitur, qui absoluit vniuersos, quod punitur vita sęculi,quod mortuorũ moritur suscitator,quod claudẽs omnia,sepulchro clauditur,quod supernotũ Dominus apud inferos inuenitur:qui ergo ista capere potest,Apostolorũ cunctationes,trepidationes,timores, fugas, latebras profundè iudicans non miratur. Ergo, fratres,quod Apostoli dubitant, quod ista tam tardè tanta crudelitate suscipiunt, non miremur nos, qui hucusque non credimus, sed oremus, vt de his tantum sentire mereamur, quantum dederit ille, qui diuina hominem sentire largitur. Quod remansit de serie lectionis, Deo iuuante,proximo sermone perscrutabimur.

Luc.24.

DE CHRISTI RESVRRECTIONE, & secunda manifestatione facta mulieribus à monumento regredientibus.

SERMO LXXX.

Sermone proximo, quia primã partem perstrinximus lectionis,hodie quæ sunt in sequentibus audiamus. *Respondens*,inquit, *Angelus dixit mulieribus,nolite timere vos,scio enim,quia Iesum,qui crucifixus est,quæritis,nõ est hic:surrexit enim sicut dixit, venite,videte locũ vbi positus erat Dominus.* Putasne Petri,Ioannis, discipulorum omnium absentia culpatur, castigatur ignauia, quod resurgenti Christo mulieres primæ solę peruigiles ardenter occurrant, ipsa etiam virilis portio sic notatur, vt ad resurrectionis gloriam muliebris præcurrat infirmitas? Absit fratres,est illud causa,non casus:mysterium,non euentus : ordo,non culpa : nam mulier hic virum sequitur, non præcedit, vbi vir resurgit in Christo. Sentias ergo Petrum non mulieribus cessisse, sed Christo:non ancillæ,sed Domino:sacramento, non somno : ordini, non timori : denique iam vir erat in Christo,quãdo ad mulieres Angelus venit, vt quantum præcellit Deus Angelum, tantùm vir mulierem præcederet in honore. *Nolite timere vos.* Quia bonos amor possidet, malos pauor : & impios timor terret, pios solatur affectio. *Nolite timere vos.* Hoc est dicere, timeat Iudæus, qui tradidit : Pilatus, qui addixit, qui illusit : miles, qui crucifixit : impietas, crudelitas, amara pocula quæ propinauit : sæuitia, quæ obsedit sepultum : perfidia quæ emit mendacium, fidem quæ vendidit: inhumanitas,quæ Dominum suum resurrexisse dolet,non dolet occidisse: vos autem gaudere conuenit, non timere: quia resurrexit quem quærebatis mortuum, viuit quem lugebatis occisum. *Scio enim, quia Iesum, qui crucifixus est, quæritis.* Hoc est, quid quæritis viuentem cum mortuis? vitam quid quæritis in sepulchro?Ite potius ad occursum viuentis:& iam nolite concurrere ad morientis obsequium. *Scio quia Iesum,qui crucifixus est,quæritis: non est hic.* Sic dixit Angelus,qui aperuit ob hoc sepulchrum,non vt inde exiret Christus, qui ibi iam non erat, sed vt ibi Christum iam non esse monstraret. *Surrexit sicut dixit.* Gemina virtus est,& redire à mortuis, & futura præscire. *Venite,videte locum,vbi positus erat Dominus.* Venite mulieres. venite, videte vbi Adam posuistis vos : vbi sepelistis hominem:vbi virum vestro consilio contrusistis,per quod fecistis pro seruis ipsis Dominum sic iacere: & intelligite erga vos tantam magnitudinem veniæ,quanta fuit Domino iniuriæ magnitudo. *Venite,videte locum,vbi positus erat Dominus.* Virtus angelica esse Dominum qui crucifixus est,confitetur: & infirmitas humana discutit, vtrum sit Dominus qui resurgit. Christus sic humanas suscepit passiones, vt totum quod diuinitatis est, non amittat. *Et euntes citò,dicite discipulis eius,quia resurrexit:& ecce præcedet vos in Galilæam,ibi eum videbitis.* Neque hic mulieribus Apostoli postponuntur, sed mulier absoluitur à reatu, dum portat vitæ, portat resurrectionis auditum, quæ auditum mortis portauerat,& ruinæ. *Et exeuntes*,inquit, *citò de monumento cum timore & gaudio magno.* Mulieres intrant sepulchrum, vt fierẽt sepulturæ participes, sociæ passionis,exeũt de sepulchro,vt ante fide surgerẽt,quàm resurgerent carne. *Exeuntes cum timore & gaudio magno.* Et vbi est, nolite timere. Quia timor non ablatus est,sed mutatus: timor abscesserat de reatu, sed de seruitio manebat:malus timor culpæ, bonus reuerentiæ timor : Adam datum perdiderant, ne perderent ipsum redditum, pertimescebant *Cum timore, & gaudio magno.* Scripũ est Seruite Domino cum timore:& exultate ei cum tremore. *Cum timore,& gaudio magno.* Quia timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi. In sanctitate ergo manet,qui Dei permanet in timore. *Currebãt nuntiare discipulis eius, & ecce occurrit ei Iesus, dicens,*

Matth.28.

dicens, auete. Fideliter currẽtibus occurrit Christus, vt quod fide crediderant, agnoscerent visu, & firmaret præsentia, quas adhuc trepidas habebat auditus. *Occurrit eis Iesus, dicẽs auete.* Occurrit vt Dominus, salutat vt parẽs: affectu animat, seruat timore: salutat, vt per amorẽ seruiant, non fugiant per timorẽ. *At illæ accesserunt, & tenuerunt pedes eius.* Haberi se voluit, qui passus est se teneri. *Accesserunt & tenuerunt pedes eius.* Vt sciret in capite Christi virũ esse, se esse in pedibus Christi: & datum sibi virum sequi, præire per Christum. *Dicit eis, nolite timere.* Quod dixerat Angelus, dicit & Dominus: vt quas firmauerat Angelus, Christus redderet firmiores. *Sed ite, dicite fratribus meis, vt eant in Galilæã, ibi me videbunt.* Resurgens à mortuis Christus resumpsit hominem, non reliquit: vocat ergo fratres, quos corporis sui fecit esse germanos: vocat fratres, quos patris sui adoptauit in filios: vocat fratres, quos benignus hæres sibi præstitit cohæredes. Sed resurgente Christo impietas qualiter resurgat audite. *Ecce venerũt quidã de custodibus in ciuitatẽ: & nuntiauerunt principibus sacerdotũ omnia quæ facta fuerunt. At illi congregati cum senioribus concilio accepto, pecuniã copiosã dederunt militibus, dicentes, dicite, quia venerũt nocte discipuli eius: & furati sũt eũ dormiẽtibus nobis.* Qui dant pecuniam, non perdenda comparant, sed seruanda: Iudæi vendẽte Iuda emerunt, vt perderẽt Christum: nunc pecuniam copiosam, vt se, legem, templum, patriam perderent, effuderunt: Viri sanguinum, & dolosi, statuunt pretium falsitatis, perfidiæ conficiunt instrumentum, commercio crudeli fraudem fidei, veritatis latrocininium nundinantur: corrumpunt milites, vt furtum vocẽt, quod erat resurrectionis arcanũ *Venerunt discipuli eius nocte, & furati sunt eum.* Non contenti interfecisse magistrũ, quomodo discipulos possent perdere, moliuntur: discipulorum crimen esse faciunt virtutẽ magistri. *Venerunt nocte discipuli eius, & furati sunt eũ.* Planè amiserunt milites, perdiderunt Iudæi, sed discipuli magistrum suũ, non furto, sed fide: virtute, non fraude: sanctitate, nõ crimine: viuum non mortuum sustulerunt: hinc est, quòd in Galilæam vt eum possint videre, mittũtur, quia Deus in loco perfidiæ non videtur. Quod autẽ dixit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Quid ipse in se sibi dederit, hoc
1.Cor.5. declarat, probante Apostolo, cùm dicit: Deus erat in Christo mũdum reconcilians sibi. Filius Dei virginis filio, Deus homini, diuinitas carni cõtulit, quod semper cũ patre possedit, & spiritu. Et ideò ait: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Fily, & Spiritus S.* Vt omnes gentes potestas vna, eadémque recrearet ad salutẽ, quas crearat ad vitam. *Et ecce,* inquit, *ego vobiscũ sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Est semper nobiscum, qui cum patre est semper: & veniet nobis per hoc quod assũpsit ex nobis. Et quid plura fratres? Quod nascitur, quod patitur, quod resurgit, quod accipit, non est, non est necessitatis suæ, nostræ est hoc salutis.

DE QVINTA CHRISTI MANIfestatione facta discipulis, cùm Thomas abesset,

SERMO LXXXI.

DVm rebellis Iudæa creatorem suum debellare contendit, & in authoris sui necem leuat impias manus, terris abstulit pacem, concordiam rerum soluit, elementorum sic fœdus rupit, vt mundum totum ad chaos reuocaret antiquum: denique diem fugat, noctem inuadit, lucem tenebris, cœlum rebus aufert, facit tremere terram, miscet mortuos viuis, inferos, superosque confundit, & dissipato ordine in creatoris iniuriam pacificum nihil penitus, amicũ penitus nil relinquit. Hinc est, quod reuersus ab inferis Christus, vt rebus pacem reddat, exclamat, *Pax vobis. Dum hæc loquuntur,* inquit, *discipuli,* Luc.24.
Iesus stetit in medio eorũ, & dicit eis, Pax vobis, Benè addidit vobis, quia iam terra steterat, dies redierat, Sol recurrerat, & ordinem suum compago mundi redditum iam tenebat. Discipulis autem manebat adhuc bellum: & collidebat eos acriter fidei, perfidiæque conflictus: non sic terram, sicut discipulorum corda turbo concusserat passionis: & ideò animos eorum credulitatis & incredulitatis acies pertinaci dimicatione vastabat: insistebãt mentibus eorum cogitationum cateruæ, & excursibus desperationis ac spei, robusta licet pectora rumpebantur. Inter miracula innumerosa signorum Christi, & multimoda passionis eius genera, inter deitatis insignia, & imbecilla carnis, inter mortis damna, & dona vitæ, discipulorum sensus, mentésque ferebãtur: nunc spiritus eorũ tollebatur ad cœlum, nunc eorum animæ collidebantur in terram, & in intimis eorum tali procella sæuiente, portum quietis nullũ, nullam stationem pacis poterant inuenire. Hoc videns scrutator pectorum Christus, qui iubet vẽtis, procellis imperat, & solo nutu tempestates trãquillitate commutat, mox eos sua pace confirmat, dicẽs, *Pax vobis, ego sum, nolite timere.* Ego sum crucifixus ille, mortuus, sepultus. *Ego sum.* Per me Deus, per vos homo. *Ego sum.* Nõ spiritus in figura carnis, sed ipsa veritas in carne. *Ego sum.* Ego ex mortuis sum viuus: ex inferis sum supernus. *Ego sum.* Quẽ mors fugit, inferna tremuerũt: tartarus Deũ confessus est cum pauescit. *Nolite timere.* Petre, quod negaueris, Matth.26.
quod fugeris tu Ioannes, quod deseruistis omnes, Marc.18.
quod infidelibus de me totis cogitationibus iudicastis, quod adhuc non creditis, me vidẽtes. *Nolite timere, ego sum.* Qui vos per gratiã vocaui, elegi per veniam, pietate sustinui, charitate portaui, & modò vos sola bonitate suscipio: quia culpas videre nescit pater cúm filium recipit, suos affectio cùm resumit. *Conturbati,* inquit, *& conterriti existimabãt se spiritũ uidere.* Quare? quia clausis ostiis intrauerat Dominus. Discipuli ergo consternati mœroris somno, dabãt Christo nõ quod potest diuina virtus, sed quod natura accipit humana. *Putabant se spiritum videre.* Ioan.28.
Namque spiritus hominis in vtero septa transit, penetrat muros, vt clauso corpore intrat corpus inclusum: sic anima quando dat vitæ finem, à corporis dulci contubernio cum recedit, domorum claustris, mundanis obstaculis non tenetur: substantia cœlestis terrenis ergastulis nescit includi, iuxta illud: Spiritus nescit vnde veniat, aut quò vadat. Discipuli Ioan.4.
ergo post resurrectionem clausis ostiis Domino ingresso reportasse eum soliditatem corporis non credebant, in imaginẽ carnis solam rediisse animam suspicantes, vt dormiẽtibus solent corporeæ imagines apparere. *Existimabant se,* inquit, *spiritũ videre.* Ergo, sicut diximus, in discipulis non sedabãtur cogitationum bella, non sedabãtur, sed magis magisque cogitationum bella crescebant: & tumultus mentiũ ipsis etiam visionibus augebatur: & vnde resurrectionis asserebatur fides, inde totius cunctationis scrupulus nascebatur. Quod venerat, erat res: quod clausis ostiis intrauerat, fides non erat: non erat fides, sed virtus erat: humanum non erat, sed homo erat: vt esset verum corpus in deitatis potentia, non inanis carnis species in resurrectionis iniuriam. Ergo ad comprimendos ex hoc nascentes conflictus cogitationum, respondit Christus, *Quid turbati*

turbati estis? & cogitationes ascendunt in corda vestra? Benè ascendunt, non descendunt: quia depressæ carnis pódere cogitationes humanæ ad altũ Dei mysteriũ conãtur ascendere, & conatibus in ipsis franguntur, ruunt, deponuntur ad terrã, nisi ille iuuerit, qui donat homini cogitare diuina. *Quid turbati estis? & cogitationes ascẽdunt in corda vestra? Videte manus meas & pedes.* Videte, hoc est dicere, vigilate: quare? quia non est somniũ quod videtis. *Videte manus meas & pedes.* Quia grauatis oculis caput adhuc respicere non potestis, videte carnis vulnera, quia Dei opera non videtis: considerate inimicorum titulos, quia Dei adhuc nõ considerastis insignia, palpate, vt vel manus fidem faciat, quia videns oculus sic cæcatus: oculus non videt, videat tactus: digiti vestri intrent vestigia clauorum, manus vestræ alta vulneris exquirant, aperite manuũ foramina, sulcate latus, renouate vulnera, quia negare non possum discipulis ad fidẽ, quod inimicis in pœnam sæuientibus non negaui: palpate, palpate, & vsque ad ossa inquisitores ardui peruenite: vt vel ossa carnis astruant veritatem, me esse ipsum, vel vulnera seruata testentur. Rogo quare me resurrexisse non creditis, qui innumeros mortuos sub vestris oculis suscitaui? Nisi fortè virtus quæ aliis affuit, mihi defuit, iuxta illam vocem quæ mihi pendenti insultauit in cruce dicens: Alios saluos fecit, seipsum saluum facere non potest: si rex Israël est, descendat de cruce, & credemus ei. Et quid est maius, excussis clauis descendere de cruce, aut ab inferis calcata morte conscendere? Ecce & meipsum saluum feci, & ruptis inferni vinculis ad superna conscendi: & tamen neque apud vos fidem meæ deitatis inueni. Aut fortè triduana mors abnegat fidem credendi. Nonne quatriduanum Lazarum iam fœtentem vobis coram vocauit ab inferis vox mea? mea iussio reuocauit ad vitã? Et si seruus quatriduanus surgit, cur triduanus Dominus non resurgit? *Adhuc autem illis non credentibus præ gaudio & mirantibus.* Votiua gaudia, & cùm data fuerint, vix creduntur: optata cùm perueniant, dant stuporem: hinc est quod Apostoli resurrectionem Christi celeriorem quàm sperauerant, admirantur: & quod credunt tardius, non est perfidiæ, sed amoris; scrutantes enim taliter fidem non abnegant, sed requirunt: & dum intendunt altius, verum esse quod intuentur, exoptant. Fratres, discipulos ad ista tardos, stupidos ad tanta; non perfidiæ timor, sed causæ præstitit magnitudo, visa non videre, nescire scita, credita non credere, non incredulitas facit, sed miraculũ singulare. Fratres, ad virtutes natura est nimis infans, quæ nisi per Deũ creuerit, capere matura non potest, non valet perfecta sentire. Deus ergo quod per nos non possumus, ipse nos capere per se, & sentire concedat.

Matth.26.

Ioan.11.

DE CHRISTI RESVRRECTIONE, & quarta manifestatione facta duobus euntibus in castellum.

SERMO LXXXII.

Marc.19.

QVoniam Matthæus sanctus iam nobis quæ de resurrectione Domini cognouerat, salutariter indicauit, hodie quid etiam beatus referat Marcus, audiamus. *Et cùm transisset*, inquit, *sabbatũ, Maria Magdalena, & Maria Iacobi & Salome, emerũt aromata, vt veniẽtes vngerẽt Iesum.* Mulieres hoc loco fœminea deuotione discurrunt, quæ non vt viuenti fidem, sed vt mortuo vnguenta deferunt ad sepulchrum, & sepulto parãt mœroris obsequia, non resurgenti diuinorum gaudia triumphorum. Mortem Christus, vt mors moreretur accepit: Christus dum occiditur, illud quod omnes occidebat, occidit: sepulchrum Christus infernum patefacturus intrauit: Soluta ergo lege tartari, & inferni carcere destructo, & ipso mortis imperio perempto, iam Christus non est vngendus vt mortuus, sed adorandus vt victor. Mulieres pernoctant, vigilant, insomnes agunt, obscura penetrant erumpentis auroræ: vnde etiam lucem dubiam non minus cordis videntur sustinere, quàm corporis. *Et valdè manè*, inquit, *vna sabbatorum, veniunt ad monumentum orto iam sole.* Si valdè manè quomodo orto iam Sole? Sic nescit Euangelista quid dicat? Euangelista quid dicat scit, sed quid audiat, qui non didicerit, nescit: non est erroris ista relatio, veritatis est: nec lapsũ patitur sermonis humani, sed rei gestæ cœlitus aperit veritatem, dixerat: Ab hora sexta, vsque ad horam nonam tenebræ factæ sunt: ergo Sol qui præter horam vt Domino compateretur, abscesserat, claritate, cùm resurgeret Dominus, ante tempus occurrit: & qui vt suo commoreretur auctori, ipsam meridianam suam mortificauerat claritatem, vt consurgeret auctori suo, euictis tenebris antelucanis erupit *Valde mane.* Quia nunc sol vt mane faceret, manicauit: & qui ante noctem fugerat, nunc ipse noctẽ præuenit fugaturus, vt reddat luci nox horas, quas terror dominicæ passionis inuaserat. *Dicebãt*, inquit, *ad inuicem, Quis reuoluet nobis lapidẽ ab ostio monumẽti?* Ab ostio monumenti, an cordis? à sepulchro, an ab oculis? Mulieres, obseratum est pectus, oculi sunt clausi: & ideò patefacti sepulchri gloriam non videtis, oleum non corpori dominico, sed lucernæ cordis vestri, si videre desideratis, infundite, vt luce fidei pateat, quod clauditur incredulitatis obscuro. *Et respicientes*, inquit, *viderunt lapidem reuolutũ: erat quippe magnus valdè.* Planè magnus, & magnus valdè, & plus iam magnus merito, quàm forma, qui creatoris mundi corpus & claudere, & operire sufficit. *Et introeuntes monumentum viderunt iuuenem sedentem à dextris, coopertum stola candida.* Introierunt sepulchrum, vt consepultæ Christo, Christo consurgerent de sepulchro: & impleretur illud Apostoli, Consepulti estis ei in baptismo, in quo & resurrexistis. Vident iuuenem, vt cernerent nostræ resurrectionis ætatem: vident iuuenem, quia nescit resurrectio senectutem; neq; ætates recipit æterna perfectio. Homo vbi nescit nasci, mori nescit: & vbi nasci, moriq; nescit, ibi ætatum nec admittit detrimentum, nec indiget incrementis. Vident iuuenem sedẽtem à dextris, quia resurrectio recipit nil sinistrum. Vias, inquit, quæ à dextris sunt, nouit Dominus. Et, Tunc statuet iustos ad dexterã suam. Orate fratres, vt & nos moriamur vitiis, sepeliamur temporalibus pompis, vt æternitati resurgamus in Christo, & à dextris positi mereamur audire, Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. *Coopertũ stola cãdida.* Stola ista nõ ex mortali vellere, sed ex virtute vitali, splendẽs cœlesti lumine, non colore terreno; & clara creatoris munere non arte fullonis, dicente Propheta: Amictus lumen sicut vestimentũ, & de iustis. Tunc iusti fulgebunt sicut Sol. Terreni terrenis velati sunt vestimentis: & ideò sicut nouitate splendent, ita vetustate sordescũt: cœlestes verò amictu cœlestis luminis ambiuntur, & à terreno squalore suspensi, nec fœdantur vetustate vnquã, nec vllis sordibus obscurãtur, sed vestes quas semel dederit resurrectio, perpetuo lumine vestiuntur. *At illæ exeuntes de monumẽto, fugerunt: inuaserat enim illas tremor & pauor.* Angelus sedet in monumento, de monumento fugiunt mulieres: quia ille

Matth.15.

Coloss.2.

Prou.2. Iuxta LXX.

Matth.25.

Psal.103. Matth.13.

de cœlesti substantia confidit, turbantur istæ de cõditione terrena. Sepulchrum qui mori non potest, timere nescit: mulieres autem & de facto tremunt, & sepulchrum sicut mortales adhuc mortaliter expauescunt: hinc est quod nemini quicquã dicũt. *Et nemini quicquam dixerunt.* Quia mulieribus audire, non loqui datum est: discere datum est, non docere,
1.Cor.4. dicente Aposto: Mulieres in Ecclesia taceãt. Denique eadem Maria posteà & vadit, & nunciat, sed iam non fœminã, sed Ecclesiam gestans, vt ibi sicut fœmina taceat, hic vt Ecclesia enũciet & loquatur. *Post hæc*, inquit, *duobus ex his ambulantibus ostensus est.* Quare non tribus, quare non quatuor, sed duobus? Quia duobus populis, id est, Gẽtibus & Iudæis resurrectionis fides hîc prædicãda mõstratur: vnde sicut diximus, probatur in duabus fœminis, aut in discipulis duobus Ecclesiã vnã figurari. *Ostẽsus est in alia effigie.* Nemo putet Christum sua resurrectione sui vultus effigiẽ commutasse, vt qui in vulnere erat ipse, alter esset in vultu: sed mutatur effigies, dum efficitur ex mortali immortalis, & ex corruptibili incorruptibilis: vt hoc sit mutasse substantiam, non mutasse personam, & acquisiuisse vultus gloriam, non vultus notitiam perdidisse. Et ne festiuus sermo aut fugiat, aut transuolet quæstiones, quod sequitur proximo sermone, Domino reuelãte, innotescamus.

DE NONA CHRISTI MANIFEstatione, facta recumbentibus vndecim discipulis.

SERMO LXXXIII.

Hodie beatus Euangelista sic retulit Apostolos in ipso crucis tempore mensis deditos, inhiantes epulis, conuiuiis occupatos, Dominicæ passionis oblitos. *Recumbentibus*, inquit, *illis vndecim apparuit Dominus.* Recũbentibus, vbi? ad sepulchrũ Domini, mox ad mensam serui? Hæc est seruorum fides? hæc discipulorum charitas? hic Petri ardor? hæc est Ioannis de ipso Christi pectore assumpta dilectio? hæc est tanto tempore, tantis donis, virtutibus tantis affectio conquisita, vt ipso articulo passionis, calente adhuc morte, recenti adhuc funere, exultantibus inimicis, insultante Iudæa tota,
Deuter.34. discipuli toto thori cultu, totaque discumbentium voluptate pranderent? Moysi mortuo assistunt Angeli, agit sepulchri curam Deus ipse: Iudaica castra sistuntur, dissimulatur iter, horrida eremi statio duratur, inducitur tringinta dierum planctus, & longo lamentationis obsequio seruile funus honoratur, & Christus verus vnus Dominus, creator rerum, redemptor omnium, post illam tragicam passionem, post mortem, & mortem crucis, triduanas à discipulis lachrymas non meretur? Terra tremit, turbatur tartarus, scinduntur saxa, monumenta dissiliunt, Sol fugit, dies sepelitur, fit nox totum, & soli discipuli alto stigmate, choro vno, toto otio, deliciis securi epulantur: & hos fratres reuersus ab inferis ipse sic magister inuenit. *Recumbentibus ergo illis vndecim, apparuit Dominus, & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* Ad hæc Petre fidelis. Petre deuotissime quid dicemus? *Recumbentibus illis.* Nunquid prandentibus? Fratres, hoc non erat discumbere, sed iacẽre: nec conuiuij erat chorus ille, doloris erat ille conuentus: ibi panis non erat gaudij, sed mœroris: ibi crucis felle, non vini
Ioan.20. dulcedine pocula miscebantur: *Erant*, inquit, *clausi propter metum Iudæorum.* Si metuẽtes, si clausi, certè non prandentes; & si non prandentes, non erat domus illa, sed carcer: illud sigma non erat, sed sepulchrum: tunc tota ad discipulos pœna dominicæ transierat passionis, & non solùm lateribus eorũ, sed & cordibus doloris lancea tota figebatur: tunc tristitiæ clauis affixæ manus eorum, pedésque tenebãtur: tunc illis acetum, tunc fel, amaritudo Iudaïca propinabat, tunc illis Sol occidit, dies fugit: tunc illorum mentes, animasque nox profundissima possidebat: tunc illos in perfidiæ scopulos, in naufragiũ fidei, cognitionum tentatio sæuissima collidebat: tunc desperatio, quæ est inter omnia mala peior, & in aduersis venit semper extrema, funereis illos sternebat sepulchris: vnde sicut diximus, non discumbentes, non epulantes eos Dominus, sed iacentes inuenit, sed sepultos: & ideò exprobrat incredulitatem eorum, quia tantùm crediderãt desperationi, vt resurrectioni prædictæ à Domino nil crederent, à seruis non crederent nunciatæ: atque in se nihil fidei relinquerent & salutis, sed sæculo mortui, sepulti mundo, vnam domum illam, vnum sibi esse omnes crederent iã sepulchrum. Hinc est quòd eos Dominus videns exemisse se mundo, ad mundum reuocat, remittit in mundum, dicens: *Ite in mundum vniuersum, prædicate Euangelium vniuersæ creaturæ.* Venite in mundum, vt qui putatis vos in vno omnes domicilio iam iacere, subiacere vobis omnem mundum repentè videatis. *Venite in mundum vniuersum, prædicate Euangelium vniuersæ creaturæ.* Hoc est dicere, estote vos spes omnibus, qui vobisipsis desperationis causa fuistis: & incredulitas vestra quanta sit, tunc probate, cùm videritis auditui vestro mundum credere, qui credere vestro visui non potuistis: & cordis vestri quanta sit duritia tunc scitote, cùm senseritis, non viso me, orbe toto gentes ferocissimas me fateri, quem positum vestris in oculis vos negastis. Videbitis in terra diuisos, clausos insulis, pẽdentes rupibus, solitudine remotos, Magorum sciolos, Græcorum querulos, Romanorum peritos, fidem fide sola quærere, quam manu, digito, sulcatis meis vulneribus vos quęsiuistis. Sed quia meæ passionis, meæ mortis, meæ resurrectionis vos mitto testes, altiùs vos ista perscrutatos esse concedo, dummodo cunctatio vestra fiat eis, qui vobis credituri sunt, firmamentum. *Qui crediderit*, inquit, *& batizatus fuerit, saluus erit.* Fratres, quod est anima corpori, hoc est baptismati fides: hinc est quòd qui generatur ex fonte, ex fide viuit: Iustus, inquit, ex fide viuet. Moritur ergo omnis, quicunque fuerit sine fide. *Qui crediderit.* Quia Tri- Rom.1.
nitas Deus vnus est, quia in Patre & Filio & Spiritu sancto vna est tota æqualitate maiestas, quia deitas Trinitate diuisa est, non est vnitate confusa, sed deitate vna est, est trina personis: quia Deus Trinitatis nomen est, quia Pater & Filius non censendi sunt ordine, sed æstimandi sunt charitate: quò Spiritus sanctus non est habendus inferior, plus, minúsve, non vt exterior habendus est plus, minusve, quia nescit exteriora diuinitas: quia Christus sicut homo factus est, vt quod Deus est permaneret: sic & mortuus, vt mortuos totis sæculis sua resuscitaret ex morte: quòd non sibi resurrexit ille, sed nobis: quòd nos cœlo intulit, dum se sustulit cœlo: quòd sedet ad authoritatem Iudicis, non ad requiem fatigati: quòd veniet non loco, qui vbique est ad mouendum: neque vt mundum suum teneat, qui totum possidet mundum, sed vt mundus iam semper visionem sui mereatur authoris. Credat homo etiam peccatorum remissionem, quia cœlestis regio cùm sit latissima, non capit peccatorem: neque de suorũ desperet homo magnitudine peccatorum, quia si est quod Deus donare non potest, omnipotens

non

non est. Credat & carnis resurrectionem, vt sit homo ipse, vt accipiat ipse qui peccat, pœnā: ipse præmium, qui laborat. Credat æternam vitam, ne locum habeat mors secunda. Quod autem de humanis corporibus dæmones, id est, hostes effugantur antiqui, quòd ex vno ore varius effunditur sermo linguarum; quòd tacti per Christum, nesciunt sua venena serpentes, quòd venenata pocula bibentes non valent nocere per Christum, quod morbis corporum fugātur Christū prædicantis ad tactum, est, fratres, summum credulitatis indicum. *Signa*, inquit, *credentes hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si quid mortiferum biberint, non nocebit eis, super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Homo ergo esto tibi per fidem medicus, negatis extraneis medicis tuo dispendio subiacere, & carè quòd gratis possides, comparare. Orate fratres, vt & in præsenti medicinam semper fidei sentiamus, & in expectatione Christi positi in aduentu eius securi de nostra conscientia gloriemur.

DE QVINTA CHRISTI MANIfestatione facta discipulis, cùm abesset Thomas, déque sexta cùm adesset.

SERMO LXXXIV.

Diebus quadraginta, quibus post resurrectionem suam Dominus diuerso modo refertur, & creditur suis apparuisse discipulis, haud immerito sermone ipsis lectionibus, ipsis deseruit & nititur sacramentis, vt Dominicæ passionis mœrorem multiplici resurrectionis indicio perfectum vestræ charitatis conuertat in gaudium: & qui ante per virtutem suam nostro resurrexit in corpore, nunc etiam per fidem nostris resurgat in cordibus. *Et cum esset sero die illa vna sabatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum: venit Iesus, & stetit in medio eorum.* Ioan. 20. Cùm esset sero, erat plus mœrore, quàm tempore; sero est mœroris & tristitiæ nubilo mentibus obscuratis. *Sero erat.* Quia etsi crepusculum dederat aliquod resurrectionis indicium, necdum tamen eis Dominus refulserat plena sui luminis claritate. *Et cùm fores essent clusæ, vbi erāt discipuli congregati propter metum Iudæorum.* Psal. 34. Magnitudo terroris & facinoris tanto turbine discipulorum domum simul & corda concluserat: & ita totum luminis abdicarat ingressum, vt magis, magisque mœrore sensibus occupatis cæca noctis augeretur offusio. Nullæ noctis tenebræ caligini mœroris & formidinis comparantur: quia nullo possunt aut consolationis, aut consilij lumine temperari. Audi Prophetam: Timor & tremor venerunt super me, & operuerunt me tenebræ. *Et cùm fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Iesus, & stetit in medio eorum.* Rogo cur dubitatur clausi corporis arcanum, & obseratum tota integritate domicilium virginale absolutam diuinitatem potuisse penetrare, quæ post resurrectionem corporis nostri crassata mysterio, foribus ingreditur & egreditur clausis: talique indicio se totius creaturæ demonstrat auctorem, cui non obsistit, cui deseruit ad omnia creatura? Sed si conceptum, partumque virginitas excusare suo nescit creatori, si ingressum, egressumque clausa ianua creatori suo non potest denegare, quomodo lapis monumenti quamuis magnus, quamuis Iudaica malitia signatus, resurgenti poterat obsistere saluatori? Sed sicut virginitas & ianua claustris suis fidem faciunt deitatis; ita reuolutus lapis fidem resurrectionis affirmat, qui nullum resolutus Domino suo præparauit egressum, sed nocte fidei præstat, & admittit ingressum. *Venit Iesus, & stetit in medio eorum: & dicit eis, pax vobis.* Discipulorum corda fidei & dubitationis, desperationis & spei; defectus & magnanimitatis; continui conflictus prælia sustinebant: talium ergo cogitationum bella inspector præuidens, secretorum pacem primitus se videntibus reddit, vt qui taliter ablatus materiam reliquerat confligendi, redditus oculis eorum causam totam certaminis amputaret. *Gauisi sunt*, inquit, *discipuli, viso Domino.* Gauisi sunt, quantum post tenebras gratior lux est, serenitas post tempestatis obscura, tantum est acceptius gaudium post mœrorem. *Dicit eis iterum, pax vobis.* Quid repetitæ pacis largitas ista manifestat, nisi quia quietem, quam sensibus indixerat singulorum, vult inter eos etiam repetitæ pacis donatione seruari, quos vtique non modica habit os esse nouerat in posterum de sua cunctatione certamina: dum vnus se in fide perstitisse iactaret, dubitasse alter mœreret. Vt ergo & arrogantis iactantiam, tumorémque resecaret, & eius qui infirmatus fuerat, sanaret, & excluderet passiones, causæ non discipulis quicquid acciderat pius moderator ascribens, imperio pacis suæ bella nascitura compressit, ne alter alteri impropera ret quod ipse, cui totum debebatur, donauerat in futuro. Petrus negat, Ioannes fugit. Thomas dubitat: cuncti relinquunt: qui Matth. 26. Marc. 14. Ioan. 20. bus nisi pacem suam Christus dedisset: & Petrus qui primus cæterorum omnium, putaretur inferior, & sequens indebitè forsitan tolleretur aduersus primum. *Sicuti misit me pater, sic & ego mitto vos.* Missi sermo non minorat filium, sed declarat: quia non mittentis potestatem hic, sed missi voluit intelligi charitatem: cùm dicit, *Sicut misit me pater.* Non dominus, sed pater. Sic & ego mitto vos. Non authoritate adhuc iubentis, sed toto diligentis affectu: mitto vos ad tolerantiam famis, ad onera vinculorum, ad squalorem carceris, ad perferenda omnia genera pœnarum ad subleu: dum cunctis execrabile mortis iugum quæ omnia charitas vtique humanis mentibus imperat, non potestas. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Dedit potestatem remittendi peccata; qui insufflatione sua infudit ipsum cordibus eorum, & largitus est remissionem. *Hæc cùm dixisset, insufflauit eis, dicens: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Vbi sunt qui per homines hominibus remitti peccata non posse præscribunt? qui semel diabolica impulsione collapsos opprimunt, ne se erigant? qui languoribus curam, vulneribus crudeli spiritu subtrahunt, negántque medicinam? qui peccatoribus remitendi & redeundi desperatione impia resultant? Remittit Petrus peccata, & toto cum gaudio suscipit pœnitentes, atque omnibus sacerdotibus hanc à Deo concessam amplectitur potestatem, qui post negationem nisi pœnitentiam repetisset, Apostolatus gloriam & vitam pariter perdidisset. Et si Petrus per penitentiam rediit, Matth. 26. quis sine pœnitentia subsistit? *Thomas autem cùm audiisset à condiscipulis suis, quòd vidissent Dominum, respondit: Nisi videro fixuram clauorum, & misero manum meam in latus eius, non credam.* Cur Thomas vestigia fidei sic requirit? cur tam piè patienté, tam durè discutit resurgentem? cur ea vulnera, quæ manus infixit impia, deuota dexterá sic resulcat? cur latus quod impij militis lancea patefecit, refodere manus nititur obsequentis? cur dolores persecutorum furoribus irrogatos, famulantis curiositas renouat in mitis? cur tormentis dominum, cur pœnis Deum, cur cœlestem medicum probaturus de vulnere discipulus

sic requirit? Cecidit potestas diaboli, patefactus est carcer inferni, disrupta sunt vincula mortuorum, moriente Domino sunt euulsa monumenta, & resurgente Domino tota mortis est mutata conditio, ab ipso Domini sacratissimo sepulchro lapis reuolutus est, linteamina resoluta sunt, & resurgentis ad gloriam mors fugit, vita rediit, caro amplius casum nescitura, surrexit: & cur tibi soli, Thoma, sola vulnera præsentari ad indicium fidei nimis callidus explorator expostulas? quid si ista cum aliis abolita fuissent, quod periculum fidei tuæ curiositas ista peperisset? Nulla pietatis monumenta, nulla dominicæ resurrectionis inueniri æstimas potuisse documenta, nisi manibus tuis sulcates Iudaica credulitate exarata sic viscera? Quæsiuit fratres, pietas ista, exegit ista deuotio, vt resurrexisse Dominus nec ipsa in posterum dubitaret impietas; sed Thomas non solum cordis sui, sed omnium hominum curabat incertum: & prædicaturus hæc in gentibus, quemadmodum tantæ fidei astrueret sacramentum executor strenuus perquirebat. Certe prophetia magis, quam cunctatio fuit. Nam cur talia peteret, nisi à Domino ad indicium resurrectioois suæ seruata sola vulnera prophetali spiritu cognouisset? Denique sponte præstitit cæteris, quod iste tardius implorat. *Venit*, inquir, *Iesus, & stetit in medio, & ostendit ei manns & latus.* Nam qui ingressus fuerat clausis ostiis, & merito à discipulis spiritus esse putabatur, non aliter ipsum se, nisi ipsa corporis passione, ipsis vulnerum notis, taliter dubitantibus, poterat approbare. *Denique venit & dicit Thomæ: Infer digitũ tuum huc & vide manus mas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Vt effundant toto orbe, iterum te aperiente, hæc vulnera fidem, quæ aquam in lauacrum, sanguinem in omnium pretium iam fuderunt. *Respondit Thomas & dixit: Dominus meus, & Deus meus.* Veniant & audiant hæretici: & sicut dixit Dominus, non sint increduli, sed fideles: Ecce non solum corpus humanum, sed per pœnalis corporis passiones, Deum & Dominũ esse Christum, Thoma vociferante, manifestat. Et vere Deus est qui viuit, & morte resurgit ex vulnere: qui talia & tanta cum susceperit, viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen

---

IN ILLVD IOANNIS, IAM DIE festo mediante.

SERMO LXXXV.

ETsi aliqua videntur occulta sui profunditate mysterij, nulla tamen est Ecclesiastici cultus infructuosa solennitas, diuina festiuitas non pro nostris est voluntatibus consecranda, sed pro suis est percolenda virtutibus: Christianus animus quæ sunt traditione Patrum, & ipsis roborata temporibus, nescit in desperationẽ deducere, sed venerari ea toto desiderat deuotionis eloquio. *Iam die festo*, ait, *mediante, ascendit Dominus in templum.* Quod templum? Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Ascendit hodie Dominus nostri pectoris in templum, quia tam clementer nostri corporis descendit in formam: quod autem ascensus Dei fit in humani cordis excelso, beatus Prophera asserit, cum decantar, Beatus vir cuius est auxilium abs te Domine, ascensus tui in corde eius. *Iam die festo mediante, ascendit Domius in templum.* Merito die festo mediante ascendit Dominus in templum, quia nobis erat perfectum diem festum præstiturus è cœlo: quidquid sublime, quicquid ad cœlum tendens in cordibus habebatur humanis, vsque ad infernum Dominicæ pondus incuruauerat passionis. Id namque est, quod Christus quadraginta diebus residet & remoratur in terris: &, si dici fas est, patris occursum differt, patris suspendit amplexum, donec totum se releuet, & reformet suæ ascensionis in gloriam. In cuius ergo templo hic non ascenderit Christus, cœlum non ascendet ille cum Christo. *Ascendit in templum, & docebat, & mirabantur Iudæi, dicentes. Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* bene mirantur Christum, quod non didicerit scire, quando ipsi probantur, quæ didicerint & doceant, legis præcepta nescire, dicente Domino: Tu es doctor in Israël, & hæc ignoras? Mirantur Iudæi iam rebelles, nolunt credere: mirari norunt, detrectant sapere, nescire possunt. *Mirabantur Iudæi, dicentes. Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* Quod Virgo peperit, derogas non miraris: quod Deus nostro sentitur & operatur in corpore, abrogas, non fateris: quod cæcus videt, surdus audit, claudus currit, surgit mortuus, & tota Christus arcana Dei loquitur, non miraris? hoc solum quod sciat cum non didicerit, hoc miraris? Hic est ipse qui non didicit literas, sed donauit: hic est qui sensum condidit, per quem literæ finguntur: Peritus legis, auctor omnium cur literas non didicerit, admiratur? Deus vtique adest origo cunctorum, qui facit esse quod non fuit: cum non didicerit, docet.

Deesse videntur non pauca.

DE ANNVNCIATIONE ET conceptione sancti Ioannis Baptistæ.

SERMO LXXXVI.

MVndanus semo, vt humano profertur ex sensu, humanis seruit & obsecundat ingeniis: Diuinus verò sermo in potestate dantis est, non dicentis. Audistis quemadmodum Zacharias ille summi sacerdorij splendor dum exorat, obmutuit: tacuit pater vocis. Ego, inquit, vox clamantis in deserto, genitor clamoris obmutuit: & egressus silentium retulit, qui responsa relaturus intrauerat. Videtis ergo quia silentium meum, quod antea contristauit vos, venit de antiquo pontificali vsu, non de nouitatis incursu. Ille vbi sensit linguæ suæ vincula sui ianuam clausisse sermonis, imperauit nutu, ne quis causas taciturnitatis inquireret, quia cœleste mysterium non didicerat, qui didicerat scire: sed hoc ad tempus, quia sacerdotis differtur sermo, non aufertur: reconditur, non negatur: mysterio suspenditur, non fugatur: denique Zacharias ipse quod tacet, non est pœna, sed signum: non est terrena debilitas, sed cœleste secretum: Deus qui loqui dat, tacere facit, & imperat silentium, qui inserit verbum: dominatur diuinus sermo, non seruit, quia Deus verbum: & ideo non cum iubetur, loquitur, sed cum iubet: non cum exigitur, sed cum donat: non cùm cogitur, sed cùm venit. Vnde fratres: & cùm venit, audite, & cùm non venit, sustinete, & cum se donat, accipite, & cum se negat, orate: quia hoc Doctor accipit, quod meretur auditor. Ergo tam nobis, quam mihi præteritus suspensus est sermo, vt profluuium mulieris, & verecundi vulneris causam, & illius pudorem sic nostra verecundia celaret, vt quod illa tacuit, etiam nostro silentio clauderetur: sed cœptum reuertamur ad verbum. Hierosolymitanus fons abundat, cum impellit Angelus: non cum sitit auditor: sic sacerdotis sermo exuberat quando dat Deus, non cum perorat sacerdos. Hinc est quod Zacharias ipse

Marginalia: 1. Cor. 3. — Psal. 85. — Act. 2. — Ioan 3. — Matth. 9. — Ioan. 5.

ipse qui prophetias loquebatur populis, tacet sibi, vt nos ingrati Deo nó simus: si nos semel tacere voluit, quibus semper inoffensum largitus est verbum. Illi non dedignantur à filio verbum recipere, cui dederat lucem: & vos filij orate nobis vocem, vt possitis audire sermonem: Reparate gaudium meũ, vt assuetam possitis lætitiam possidere, & implere illud Apost. Quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me? Veniat ergo, veniat in medium beatus Zacharias, qui nos tacens pio consolatur exemplo, & silentio suo nos de nostro non sinit tristes esse silentio. Veniat, veniat præcursor verbi, sacerdotij speculum, sanctitatis exemplum, Euangelistarum Princeps, clausula Prophetarũ. *Fuit*, inquit, *in diebus Herodis Regis Iudææ Sacerdos quidã nomine Zacharias.* Dum dicitur sub quo Rege quis Sacerdos sit, temperantur mala: adest semper in mœrore solatium, nec consolator deest, cui imminet persecutor. *Fuit in diebus Herodis Regis Iudææ sacerdos quidam nomine Zacharias.* Vsque ad Herodem Iudaicæ Genti sacerdotalis sanctitas, senum grauitas, patrum pietas, præsidebat: ius erat lex diuina, ambitio nil ibi, nil temeritas, præsumptio nil valebat: quiã gerebatur totum diuino ordine, non humano: sed Herodes veniens ex Gente aliena inuasit regnum, voluit sacerdotium, confudit ordinem, mutauit mores, spreuit senes, infecit iuuenes, tribus miscuit, deleuit stemmata, corrupit genus, tulit quicquid erat & diuinæ & humanæ funditus disciplinæ. Sed hoc quid ad Zachariam sanctum? Ne quid ergo tale & in ipso Zacharia crederetur admissum: Euangelista cogitur sic referre. *Fuit in diebus Herodis Regis Iudææ, sacerdos quidã nomine Zacharias, de vice Abia.* Quia vsq; ad ipsum ab atauis, auis, patribus, transfusum genus mansit sacerdotij: tempus legis: sacrificij omnis seruata est disciplina, eo quod impietatem Regis, iniquitatem temporis, ambitionis rabiem, temeritatis furorem, sacerdotis & meritum superauit & vita. Sed quid sequatur, audiamus. *Factum est vt incensum poneret, ingressus in templum Domini, & omnis multitudo populi orabat foris in hora incensi.* In hora incensi fratres, iam Sol Iudaico occumbebat in templo, vt in Ecclesia matutinus exurgeret, & Iudaicæ doctrinæ instabat vesper: quia Euangelij imminebat aurora: legis obscurabatur dies, vt totus reluceret in gratia. Hinc est quod Zacharias in hora incensi, hoc est, in extremo tempore legalium cæremoniarum prophetali Spiritu incensum infert: offert preces, desideria ingerit, vota commendat, tempus admonet, promissa reperit, exigit Christum. *Et omnis multitudo orabat foris.* Vt ergo populus, qui stabat foris, intromitteretur, exorat: quia quos lex adducit ad ianuam, gratia intromittit in templum. *Apparuit*, inquit, *ei Angelus Domini, stans à dextris altaris incensi, & videns Zacharias, turbatus est & pauor cecidit super eum.* Ergo non est mirum si turbatur sacerdos, si stupet doctor, si pauescit antistes, si tacet minima, cum videt maxima: si deserit verba, cum signa conspicit. Et ne solus Zacharias timuisse videatur, audi alium Prophetam dicentem, Domine, audiui auditum tuum, & timui; considerani opera tua, & expaui. Qui cum Deo loquitur, expauescit? vnde loquatur Angelus ignorat? & quid tenemus? Vnde sacerdos taceat, iã dicamus. *Et respondens ei Angelus dixit: Ego sum Gabriel, qui asto ante conspectum Dei, & missus sũ ad te hæc loqui, & hæc tibi euãgelizare: & ecce eris tacẽs, nec poteris loqui.* Quæ tacentis culpa, si imperat silentium vis iubenti? Ergo & nos tantilli qui tacuimus, quod tacuimus habetote non obliuionis fuisse, sed temporis: diuini negotij, non rationis humanæ. Ergo tristes non simus, quia donante Deo, silentium momenti continuato sermone pensabitur, & modicum quid tristitiæ nostræ magnum vertetur in gaudium. Gratias ago Deo meo, qui mihi in amoris lucrum vertit, damnum sermonis: nam quanta sit in me charitas vestra, pallor prodidit: testatus est clamor, ostẽderunt lachrymæ, oratio effusa monstrauit.

(Margin notes, left column: 2.Cor.2. — Luc.1. — Abac.3.)

DE EISDEM.

SERMO LXXXVII.

SIcut nimio dolore, & infirmitate longa luminibus obscuratis, nisi sensim refusa fuerit, fit inimica lux: certè cùm solis sit condita lux oculis. solis sit oculis lux amica, per quos vtique reliquo corpori vel traditur, vel negatur: ita diurno perfidiæ morbo contenebratis mentibus, nisi paulatim fuerit fidei claritas restituta, subito ipso fidei splẽdore magis perfidiæ crassescit caligo, longo vsu aut producitur, aut obtunditur semper natura. Hinc est quod Dominus tetro infidelitatis nubilo cordibus iam cæcatis, vt irradiaret partus virginei sacramentum, desperatæ & annosæ sterilitatis antè præmisit conceptum; vt qui videbat post senectutem longam arida membra reuiuiscere, & transacto curriculo iam vitæ veteranæ in primam reflorescere pubertatem, atque ipsam naturam in occiduam ætatẽ ad nascentis serui insignia suscitari, pudicitiæ florem, pudoris titulum, castitatis insigne, virginitati claustra manere post partum, crederet posse auctore ipso ex vtero procedente seruari. Et vt præfationi nostræ ac similitudini, quam de oculis sumpsimus vetusto languore defessis: ipsa, de qua loquimur modo, adsit, & stipuletur auctoritas, ac probet oculos hominum nocti malè assuetos, obscuratos, promotos sensim, reuocatos ad lucem: in Ioanne Dominus accendit sui luminis, & præmisit lucernam, vt degustato lumine in se iã diuini Solis iubar ipsũ præferrent, ipsam deitatis caperent claritatem. Iuxta illud quod dictum est de Ioanne, Ille erat lucerna ardens & lucens: vt ille densas noctis placido lumine aperiret tenebras ipse noctis nescium diem iam desiderantibus ad lucem perpetem redonaret. Hinc est quod & Magos adhuc noctis incolas, & totis obstupescentes oculis, tenuiter micãs stella assuefacit ad lucem, & gradatim pertrahit ad ipsum fontem luminis & dierum. Et re vera fratres, congruit, quia totius anni metas temporum quadriga percurrit, ac nobis Domini nostri natalitia festa reuocat, gaudia iam reducit. Nunc de Ioannis ortu, & partu sterilis iam loquamur, vt compendio credulitatis isto, ad illud vbi partus est sine partu, vbi creatur author ipse procreãtis, vbi nascitur ipsa origo generantis, inter hyemales, ac nubibus & nebulis dubias luces, lucerna præuia, stella duce peruenire possimus. *Fuit*, inquit, *Eũagelista, sacerdos quidã nomine Zacharias, & vxor eius Elizabeth: & non erat illis filius, eo quòd esset Elizabeth sterilis: & processissent ambo in diebus suis*, Sterilitas senectute exaggeratur extrema: & ab spe generãdi totũ subducitur quicquid est corporis & naturæ: & ne vel cogitatio sobolis vlla remaneret, ad id peruentũ est temporis & ætatis, quo transacto calore vitali mortale frigus sterilis iam viscera possidebat: vt genitor ipse cognosceret inde iam per hominem non posse nasci hominem, vnde abscesserant res humanæ. Sic, sic fratres, duris hominum præcordiis credulitas asseritur, & inseritur fides: & tunc totum diuinum creditur, cum fuerit nil humanum. *Sorte exiit vt incensum*

(Margin notes, right column: Ioan.5. — Matth.3. — Luc.1.)

cenſum poneret Zacharias ingreſſus in templum Domini. Bene dixit,ingreſſus in tẽplum, non ingreſſus templum, quia ipſe erat Dei familiarius templum, portans in ſui pectoris puritate tota legis arcana: & apponens non tam thuris, quam puræ ſupplicationis incenſum. Gratius namque Deus in ſuo, quam in hominis opere requieſcit: & non tam libenter odoratur Arabicæ arboris guttam, quam ſynceri cordis & pectoris ſanctitatem. *Apparuit ei Angelus Domini*,inquit,*ſtans à dextris altaris incenſi.* Dicere ſuffecerat, apparuit ei Angelus, quid magnopere à dextris altaris? Vt eſſe in ſanctis Angelis auditor intelligas nil ſiniſtrum, dicente ſcriptura. Vias quæ à dextris ſunt, nouit dominus. *Apparuit ei Angelus.* Cum iam defecerat totus homo, vt antè Ioannes naſceretur ex ſterili, quam Chriſtus naſceretur ex Virgine,dictum eſt de Ioanne: Ecce ego mitto Angelum meum. Felix, quæ vt in Deũ creſceret, in ſenibus ſic defecit natura: felix,quæ ſterilitatis damna virginea fœcunditate mutauit: fœlix,quæ vno concepit in partu, quicquid in toto orbe confundete deplorabat: felix,quæ facta eſt vitalium germinans mater,quæ eret antè origo miſeranda mortalium,ad dolores pariens cum dolore, ad gemitus edens cum gemitu, ad pericula producens hominem cũ periculo generantis, & in ipſo ortu occaſum nuncians per lamenta & lachrymas: ſemper deuorans partus ſuos, ſciẽs ſe tantis mœroribus generare morituros. Paſcebatur ergo ſterilitate magis natura,ne ipſa fœcunditate grauius deſæuiret, fletus potius editura, quam pignora: quæ vtique lachrymis,mœrore, gemitu, tanto tempore ſuũ quærebat & interpellabat authorem: intelligens hoc ſibi accidiſſe per culpam non eſſe ab authore piiſſimo inſtitutum cum crearetur.Hinc eſt quòd Dominus conditor ipſe naturæ viam virginei conceptus, virginei partus, inuiſibili veſtigio & ignoto calle pertranſit, & iter humani ortus diuino greſſu ambulat, non humano,vt naſcẽdo ipſam naturam à ſeruitute mortis, cui taliter addicta fuerat,primitus liberaret: & fonte purgato ſupernam riuulis redderet puritatem. Meritò Ioannes in vtero exultat, qui originis ſuæ libertatem ante noſſe, quam eſſe meruit, ante meruit ſentire, quam viuere. In hora incenſi per Angelum aperitur ſterilitas,conceptus iubetur, promittitur partus, & inter ſacraria natiuitas ſacra procuratur: hinc eſt, quod adhuc in vtero cum membrorum compage pene concepta in Ioanne eſt prophetia?ante nutu Dei loquitur, quam perueniat ad vocis officium. Verum ne dum profunda & mira latiſſimæ lectionis breuiato cupimus ſermone concludere, quæ maximè dicenda ſunt tranſeam:proximè,ſi Deo placuerit,de ſequentibus diſſeremus.

Prou.4. Iuxta LXX. Matth.11.

IN EISDEM,

SERMO LXXXVIII.

SEmper debere anxium eſt, fratres, ſemper triſte fœnoris vinculis alligari: ſed me, quem vobis mea ſæpe facit promiſſio debitorem, ſatis ſibi de talis debiti natura & obligatione blanditur,qui dat, non accipit,qui promittit: & qui dando debet,ſibi magis ipſum facit obnoxium creditorem: atque vbi qui credidit debet, & qui debet credidit,ibi neceſſitudinis non neceſſitatis probatur eſſe contractus: & in tali fœnore animæ non oneris, ſed honoris prædulcis currit vſura. Poſteaquam Zachariæ ſacerdoti apparuiſſe Angelũ Domini euangelicus ſermo deſcripſit,adiecit dicens: *Et turbatus eſt Zacharias videns,& timor irruit ſuper eum.* Si de iudicis poteſtate ſollicitus eſt, qui ſemper de apparitotis turbatur & contremiſcit aduentu: & mandati meritum de perſona venientis æſtimat & metitur: & quamuis bene concitus pauet, donec cauſas venientis agnoſcat & intelligat qualitatem: quid faciet,quo pauore trepidabit, cum poteſtatem ſupernam ſenſerit hominis imbecilla natura, cum reſpexerit homo Angelum, & diuinæ ſedis miniſtrum viderit? Caro nunquam de ſua conſciẽtia eſt ſecura; ſicut Zacharias ipſe, de quo loquimur,nunc comprobauit, qui in ipſo tempore placationis offendit: qui dum credit, dubitat, dicente Angelo,qui non credidiſti verbis meis:dum poſtulata promeretur, incurrit, condemnatur,munera ipſa cum ſuſcipit: qui vocem, cum vocem percipit, tunc amittit. Hinc eſt quod Angelus antequam mandata pandat,dona tradat, referat impetrata, metum diſcutit, fugat timorem, confortat animos ancipiti cogitatione turbatos,vt mens quæ migrauerat à ſe nimio pauoris exceſſu, in ſemetipſam reuerſa beneficiorum tantam ſentiret & caperet largitatem, dicens: *Ne timeas Zacharia,quoniã exaudita eſt deprecatio tua; & vxor tua Elizabeth pariet tibi filiũ, & vocabis nomen eius Ioannem.* Putaſne ſacerdos tãtus ſic eſt populi,ſic vniuerſitatis oblitus,vt de conceptu veteranæ coniugis, de partu deſperatæ ſterilis rogaret, vt ſibi ſoli legatus omnium tunc adeſſet, vt aduocatus omnium pro ſe ſingulariter oraret, vt tantum Pontificatus officium intra domeſticas arctaret curas, inter familiares clauderet & occuparet anguſtias, & incenſum totius plebis in ſolum deſiderium proprij pignoris addiceret veteranus antiſtes, ac tali deſiderio grandæuus, & ipſum tempus iam reſpiciens, ad partum ſuccenderetur intempeſtiuum? Abſit, fratres,abſit, vt hoc de ſancto Zacharia fidelis anima ſuſpicetur: Et quidem Angelus in hoc fuiſſe refert totius ſupplicationis effectum, dicens: *Exaudita eſt deprecatio tua,& vxor tua Elizabeth pariet tibi filium.* Si Angelus ad petita reſpondit,ſacerdos pro ſolo pignore ſupplicauit,ſi pro omnibus egit ſupplicatio ſacerdotis, cur Angelus de ſolo pignore retulit impetrata? Quid tenemus,quid diu ſuſpendimus animos auditorum? quam non ſibi ſoli,ſed omnibus affuerit iſte venerãdus antiſtes, quam reſponderit Angelus vniuerſis, quam Deus proſpexerit in vno iſto germine ſacerdotis, quem genitoribus vtique, & ipſi hoc delegerat naturæ,vt eum daret vniuerſitati, largiretur ſæculis, populis condonaret, & fieret ſacramẽti filius inter ſacraria delatus, inter ſacramenta conceſſus, eſſet antiſtes de veneranda generatus antiſtite, eſſet Angelus ore angeli ſancta delatus in viſcera,eſſet vox Chriſti. Ego vox clamantis in deſerto,eſſet vox Chriſti ad Chriſtum ſua reſeruatus ad tempora, eſſet præco, Iudicis præſentiam clamaturus: eſſet pœnitentia populos Chriſti vocaturus ad veniam: quam ſacerdos ergo iſte iã ſui neſcius, iam ſibi mortuus, extraneus coniugi, ſoboli iã negatus egerit omnibus, omnibus impetrarit, mox Angelo referente diſcamus. *Et multi*, inquit,*in natiuitate eius gaudebunt.* Non eſt vnigenitus,qui eſt cunctorũ creatus ad gaudium. *Erit enim magnus coram Domino.* Qui coram Deo magnus eſt, quantus ſit penes homines quis probabit? *Et vinum & ſiceram non bibet.* Qui natus eſt ſancto de corpore ſacerdotis, & ſumma ſenectute, ab omnibus vitiis defæcato, atque exempto iuuentutis, incendiis, vinum neſcit, ignorat ſicerã, quæ pariunt luxus ebrietatis & vitia: & tota diſſipant morum decora,ornamenta virtutum. *Et vinum & ſiceram non bibet, ſed Spiritu S. replebitur adhuc in vtero matris ſuæ.* Iuxta illud Apoſtoli: Fratres, nolite inebriari vino,in quo eſt

Luc.1. Ioan.1. Epheſ.5.

est luxuria, sed repleamini Spiritu sancto. *Et Spiritu sancto replebitur adhuc in vtero matris suæ.* Beatus Ioannes, qui ante Dei spiritu meruit intonare, quam hominis vagiret in fletu: beatus, qui ante diuina possidere meruit, quam sortiretur humana: beatus, qui ante meruit cœlum scire, quam terram: beatus, qui antequam videret præsentia, futura meruit nunciare: beatus, qui ante Deum capere potuit, quàm suo ipse caperetur à corpore: beatus, & singulariter est beatus, qui ante quam saperet quærere, meritum conquisiuit: beatus, qui non peruenit ad gratiam per laborem, sed & ad labores ipsius gratiæ dignatione descendit. *Et multos*, inquit, *filiorũ conuertet.* Ad quem? Dicat Angelus, vt quia blasphemat, & negat hæreticus, cõtimescat: dicat Angelus, vt audiat fidelis, & gaudeat: credat hæreticus & recurrat. *Conuertet.* Ad
Baruc.3. quem; *Ad Dominum Deum*, inquit, *ipsorum.* Quis est hic Deus? De quo Propheta dicit, Hic est Deus noster, & non est alius absque eo qui inuenit omnem viam disciplinæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Quando dedit? Tunc vtique quando legalibus in tabulis totius vitæ regulam, totam disciplinæ descripsit & normam. Attentus esto auditor, vt quis est hic Deus noster, absque quo alius non est. Quis est? Post hæc in terris visus est: & cum hominibus conuersatus est. Quis est alius visus in terra nisi Christus, qui nostra est conuersatus in carne? Et quis est alius conuersatus cum ho-
Ioan.4. minibus, nisi ille qui cum hominibus humano est commoratus in corpore? Et si hic est Deus noster, & non alius absque eo, hæretice, cum hunc non habueris, quem habebis? Non est alius, inquit, absque eo: & hunc non dicis, ergo vbi est pater? Propheta dicit. Non est alius absque eo: & vbi est? In filio vtique, quia præter filium non est pater. Ego in patre, dicit, & pater in me est. Vnde & Propheta non dixit, non est alius, sed non est alius absque eo: hoc est dicere, est: sed in ipso est. Sed dicis, & si in ipso est, quomodo est alius? Hæretice, sic est alius persona, vt sit ipse substantia: sic est ipse substantia, vt nulla sit confusio Trinitatis: sic est vnitas Trinitatis, vt nulla sit in deitate distantia: sic in se est, & sine se tota Trinitas non est, vt insit in patre, & filio, &
Id est, eos, qui animarum demigrationem asserunt. Spiritu sancto, personalitas diffinita, non separata diuinitas. *Et ipse præcedet ante illum.* Ante quem? Ante Christum, qui est Deus ipsorum, Deus noster, Deus omnium, Deus absque quo alius non est. *In virtute Eliæ.* Nemo cum audit, μετεμψύχωσις, imputet: hic spiritum dicit illum, quem per diuinam gratiam meruit, non quem carnis est consecutus ad vitam: & virtutem dicit illam, quam de supernis habuit: non illam, quam propter corporis adeptus est firmitatem. Ioannes ergo Eliæ venit in spiritu, & in eius virtute graditur, qui totum victu, vestitu, honore, castitate, abstinentia, & omnibus Eliam virtutibus repræsentat, & Christum. *Præparet Domino plebem perfectam*, Quam in vobis Deus, Dominus noster præparare & confirmare dignetur in gloriam nominis sui.

DE EISDEM.

SERMO LXXXIX.

Genes.1. Iuxta LXX. Omnia quæ à Deo creata sunt, nobis bona sunt, & bona valde, dicente scriptura: Et vidit Deus omnia quæcunque fecit, & ecce valde bona. Ergo omnia quæ à Deo creata sunt, bona sunt, & valdè bona: sed inter vitia, virtutésque media sic habentur, vt ex ipsis, & periti doctrinæ materiam sumant, & erroris causam inueniant imperiti. Sapientes namque creatorem creaturæ contẽplatione cognoscunt: stulti verò dum creaturas ipsas Deos existimant, sapere nequeunt creatorem. Hinc est quod Solem, Lunam, Stellas, aurum, lapides, ligna, Deos sibi fecerunt Gentiles, quæ Christiani addicta suæ sapiunt seruituti. Nec mirum sic esse mediam creaturam, quando ipse creator omnium Christus est fidelibus Luc.2. in salutẽ, infidelibus in ruinam, Euangelista dicente, Hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum. Apostoli etiam aliis habentur in mortem, aliis 2.Cor.2. habentur in vitam, Paulo probante, cùm dicit: Quibusdam sumus odor mortis in mortem, quibusdam autem odor vitæ in vitam. Ergo & Euangelicæ lectiones fiunt bonis intelligentiæ salutaris, malis verò erroris occasio. Antehac Euangelista beatissimus, cum referret Ioannem Baptistam Herodis astrictum vinculis, adulteriis Herodiadis extinctum, truncatum in præmium saltatricis, sensimus aliquos fuisse *Infra sermone* permotos, cur Deus sacrilegæ sanctum, adulteræ vir- CXCVI. ginem, Angelũ addixerit saltatrici. Fratres, virtutes Ioannis, Herodis crimina abundanter alio sermone tractabimus: nunc eloquamur quæ vinculorum causa, carceris quæ necessitas, quæ mortis vtilitas fuerit in Ioanne, Ioannes non potuit mori communi sorte, qui natus est priuilegio singulari: cũ Christus Deus nasceretur in carne, Ioannes Angelus est generatus in terris, vt ita officia terrena officiis se cælestibus miscerent, sicut humanis se diuina miscebant, & in terra Deo Angelus, Domino ordo cœlestis obsequij non deesset. Sed audiamus ordinem nascentis Ioannis, vt causas mortis eius inuenire possimus. *Fuit*, inquit, *in diebus Herodis Regis Iudææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia: & vxor eius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth. Erant autem ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.* Oratores magni & excellẽtes ingenio, quoties illustrium virorũ parant narrare virtutes, auos, atauósque commemorant, vt ad honorem præsentium accedat dignitas antiquorum, & laus patrum filiorum redundet ad gloriam. Maior est innata gloria, quàm quæsita: præcedit quod venit ab origine, quod sequitur ex labore: gloriam beatius est habere, quam quærere: hinc est quod Euangelista vt extollat Ioannis gloriã, Zachariæ patris, Elizabeth matris genus dicit, auos memorat, scribit merita, loquitur titulos, gradus digerit, vitam pendit, dilatat insignia, prædicat sanctitatem. *Fuit*, inquit, *in diebus Herodis Regis Iudææ.* Tempus memorat Regis nefandi, qui sacrum sacerdoti violauit mœrorem: confundit ordinem, statutum soluit, abstulit institutum. Et hoc accedit ad meritum Zachariæ: quia cum in omnes pene Herodes ausum suæ temeritatis extenderit, ausus sit nihil in isto: virtutibus sit huius oppressus, vt sacerdotis immaculata successio ad gloriam germinis seruaretur. Et vxor eius de filiabus *Aaron.* Aaron primus Pontifex in lege fuit sacerdotij origo, propterea merito prætermissis omnibus eius filia dicitur, cuius in se memoria prætulit sanctitatem, quam tanti generis pia custos gloriosissime transfundit in filium. Sed huius matris laudes Euangelista describit. *Erant*, inquit, *ambo iusti ante Deum.* Est noua felicitas, est coniugium singulare, quando manet in duobus mẽs vna, vna sanctitas in duobus, constabat mente, quod distabat in sexu: in minoribus erat vnum quod geminabat aspectus: & virtutibus reddebat pares, impares dederat quos natura. *Erant*, inquit, *iusti ambo ante Deum.* Placere iudiciis humanis, coram hominibus esse iustum, est virtutis humanæ, maximi est & laboris: ante Deum qui scrutatur corda, cogitationes

tationes discutit, videt mentium motus, esse iustum humani laboris non est, muneris est diuini. Si magnus est qui non peccat in carne, quantus est qui corde non peccat? Ioannes ergo supra carnem est natus de istis, qui ante Deum nec corde, nec corpore peccauerunt. Adiecit Euangelista, dicens: *Incedētes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela.* Incedentes, incedit qui nō stat in triuiis peccatorum: qui peregrinum se hoc sentit in seculo, qui asperas virtutum intrat intrepidus mansiones: qui montes iustificationum, mandatorum colles indefessus viator ascendit, vt præsentia parentis Dei patriæ cœlestis beatitudine perfruatur. *Incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus.* Hi in omnibus, in quibus nemo vel pauci. In omnibus mandatis & iustificationibus. Quis fumi nescius cupiditatū transit incendia? quis vitæ lubricū nunquam lapsus euadit? per vitiorum gurgites quis impollutus incedit? carnis negotia, vitæ causas, actus mūdi quis peragit, & non erit in querela, cùm nasci ipsum plenum sit & lachrymis & quærelis? Namque parturiens quæritur ex dolore, & natus in lachrymas quæritur ex natura: sed in Zacharia & Elizabet reatus occidit, periit querela, omnis est amputata causatio, quia in illis parabatur, vnde tota sanctitas nasceretur: sed hoc ex ipsa iā lectione luceat. *Et non erat eis*, inquit, *filius, eo quod esset Elizabeth sterilis.* Sterilitas ista non erat maledicta, sed mystica, in qua partus non ablatus est, sed dilatus: neque erat pignori clausa, sed tempori: colebatur tempore, virtute serebatur, maturabatur ætate, senectute crescebat, vt in filio singulari tota fœcunditas pensaretur, quando in vno nascebatur numerositas cōgesta virtutum. Beata sterilitas quę vnum seruabatur ad partum, & expectabat Ioannem, cui quia prima omnia debebantur, primogeniti dignitas non periret. *Et ambo processerant in diebus suis.* Processerant, non decesserant: vixit in sanctis ætas, non defecit, sed processit. Aut quis illis deficit, quibus accedunt semper incrementa virtutum? Ergo in Zacharia & Elizabeth stupet sexus, frigescit caro, membra sopiuntur, tempus præterit, ætas transit, adolescit totum quicquid est & humani ordinis, & negotij coniugalis, vt diuino munere, non partu ex hominibus Angelus nasceretur. Promiseramus de ortu Ioannis causas mortis eius expromere, sed quia nos hodie longiùs sermo protraxit, & ad probationem rei satis nobis necessaria sunt quę sequuntur, quę modo dicta sunt ortus eius deputentur ad gloriam, nosque ingrati non simus vobis, qui defferimus debitum, non negamus: nam debitoribus dilatio crescit ad gratiam creditoris. Expectate ergo quod promittit debitor, & expectate securi, quia promissa negari nequeunt, quando sterili tam largiter negata soluuntur.

DE EISDEM.

SERMO XC.

Erigi nos sanctorum lapsibus, sanctorum trepidatione fundari, cunctatio nos hodie Zachariæ docuit sacerdotis, qui cum non credit Dei promissa, sed discutit, & opera diuina non fide percipit, sed humana ratione disquirit, infidelitatis culpam longa silentij condemnatione persoluit: audierat ab Angelo: *Exaudita est deprecatio tua: & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium. Qui tunc respondit: Vnde hoc sciam.*
Luc. 1. *Ego enim sum senex & vxor mea processit in diebus suis.* Nonne quantum senectute longa spem posteritatis amiserat, tantum longo vitæ vsu fuerat edoctus, quod Deus impossibile nil haberet? Legerat tanti temporis sacerdos, sciebat veteranus Pontifex lege naturam, non authorem naturæ posse constringi: & tempus homini posse, suo non posse præscribere conditori: mouerat de Abrahæ & Saræ emor- Genes. 21.
tuis extrema senectute corporibus, & à patris, matrisque nomine famosissima sterilitate summotis, Isaac ad totam fœcunditatem Israëlitici germinis erupisse, cui non obfuit tantum defuisse naturam, quantum nasci profuit authoris beneficio, non naturæ: didicerat Rebeccæ & Annæ effœtis diu, diu Genes. 25.
naturæ suffragio destitutis dedisse Deum quod steri- 2. Reg. 1.
litas abnegauerat: edoctus ergo tantis, quid est quod dicit? *Vnde hoc sciam? Ego enim senex sum: & vxor mea processit in diebus suis.* Fratres, satis ad Deum trepida, satis ad diuinas virtutes hominis est imbecilla natura: nec talem se in causa inuenit, qualem se æstimat ante causam: & satis se ignorat antequam se rebus probet, & experiatur exemplis: petit cœlum, petit alta, scrutatur superna, mouet cœlum, pulsat cœlum: sed cum cœlum mouerit, cœli pondera non poterit sustinere: ambit fidei subire verticem, ardet cœlum sua penetrare virtute: sed æthereas in vias vbi incedere humanis gressibus inchoat, & cum suam deorsum respicit ad naturam, non tantum fidit de præteritis, quantum trepidat de Matth. 14.
ruina. Sic B. Petrus cum per æquora diuinos imitatur incessus, & nouus viator molle iter duris gressibus calcat, antè de lapsu supplicat, quàm gaudeat de donato. Sic nunc Zacharias, qui cum diu fleret diabolum posse regnare, mortem culpa hominis vnius, nasci homines ad labores, ad gemitus, ad pericula, optare licet ærumnosa, moritura, nec posse pignora promereri: stare inter acies criminum, obsideri vitiorum cateruis, infirmitatum quati, & quassari semper impulsu: videre eminus vexilla virtutum, spem legis, gratiæ libertatem, nec tamen illuc quemquam propriis posse viribus peruenire, velle bona & non facere, crimina odisse, nec vincere, debere iam misereri Deum: debere iam taliter subuenire captiuis. Pontifex ergo iste cum Dei aures continua & tali querela, tali lamentatione pulsaret, Deus sic pia, ac iusta poscenti, ex germine ipsius responsionis suæ sumpsit, & instituit miserabile documētum, quo crederet posse Deum dare vitam mortuis, salutem reddere desperatis, si senectuti mortuæ sobolem, si sterilitati dedisset filium desperatæ, sicut Euangelicus aperit sermo, cū dicit: *Exaudita est deprecatio tua, & vxor tua Elizabeth pariet tibi filiū.* Redēptionis huius nuncium, huius salutis præuium, qui Deum non sicut tu voce audiat, non gemitibus flectat, non ad impetrandum nostra ille sicut tu suffragia requirat, sed ipse in nostro ordine constitutus, & Angelico honore fultus, Deum satis ab omnibus desideratum, nec illi vnquam cognitum, etiam ipsis Angelis inuisum, manu teneat, amplectatur gremio, & iam cōspicuum, mūdo vlnis felicibus tradat? palmis beatissimis assignet humanis oculis peruidendum, Deum cognitum faciat vniuersis, perducat dominum ad consortia seruulorum, misceat reis iudicium, censorem in se testetur noxiorum suscepisse personam, ac si probet condemnationis humanæ sententiam cessaturam, quando ipse agitur, ipse currit per veniam, qui reos erat daturus ad pœnam. Vt luceat hoc mysterium pietatis immensæ Zacharia tuus filius suum dominum pœnitentiæ demergit in baptisma, in remissionem diluit peccatorum, quia voluit fons dilui, cognitor suscipere veniam, Iudex ipse suam subire sententiam, ne damnaret reos, ne vindictam proferret in noxios, ascendit crucem, degustat mortem, sepulturam patitur, intrat infernum, qui puniri voluit, ne puniret, qui amari magis voluit quàm timeri.

meri. Quod vbi Zacharias, fratres, audiuit tantum se meruisse suis precibus sacramentum, rei ipsius consideratione territus, sacramenti ipsius æstimatione turbatus, nec se mereri tantum credit, & Deum dubitauit ad hæc talia, & tanta descendere: hinc est quod dicit, *Vnde hoc sciam? Ego enim senex sum, & vxor mea processit in diebus suis.* Hoc est dicere, quomodo me habere filium ratio non permittit humana, nasci & mori Deum maiestas non finit sempiterna. Cui Angelus venerabiliter non credendi pœnam signi tantum dedit, non perfidiæ, cautelæ est tardè de Deo humilia credere, de Deo tardius contumeliosa sentire: adecit Angelus, dicens: *Ego sum Gabriel.* Vt ex nomine tanto, & ex merito ministri tanti, Pontifex promissionis fidem pensaret, & crederet qualitatem. *Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te.* Dum dicit nomen, designat meritum: cum se refert astare, se missum refert: seruitutem fatetur, ne prærogatiua nominis debitum celaret obsequium. *Ego*
Psalm.146. *sum*, inquit, *Gabriel, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi nunciare.* Verè magnus Dominus, & sapientiæ eius non est numerus: infirmantem curat de vulnere, nutantem de vltione confirmat, de supplicio fidei perficit argumentum, dicendo, *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui.* Vt ex te & in te credendi regulam consequaris, & vernaculo exemplo Deum posse credas facere quod promittit: nam cum vult tuæ vocis organum claudit: & cum vult tui aperire oris officium, profectò potest: & cum vult fœcundam ex sterili facere, ex fœcunda sterilem cum promittit, potest: cum vult largiri partus officia, obsequia naturæ cum vult, præualet denegare. Egit ergo Angelus, vt tali documento Pontifex eruditus non dicat amplius, vnde hoc sciam? Qui totius creaturæ indicio potuit approbare, quod Deus, qui cœlum, terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, ex nihilo legerat substitisse, credere debuit, quod potuit ex aliquo facere, quod vult, & desperato reddere, quod promittit: & qui totum fecit ex eo quod non erat, ex eo quod est quicquid vult facere, non laborat. *Et erat plebs expectans Zachariam, & mirabantur, tardaret in templo. Egressus autē Zacharias quod non poterat loqui ad illos: & cognouerunt*, inquit, *quod visionem vidisset in templo. Ille autē erat innuens illis, & permansit mutus.* Egreditur Pontifex gestans in ore sterilitatis indicium, portans in pectore conceptionis figuram, vt cùm mater pareret filium, daret filius vocem, tunc verbi pater ederet sacramentum, & antè natus daret patri veniam, quàm dilueret crimina vetusta populorum:
Psal.115. & quia qui non credidit, tacuit: merito Propheta, quia credidit, gloriatur, dicendo: Credidi, propter quod locutus sum. Fratres, dat verbum fides, negat infidelitas verbum. Si nos ergo fratres, sicut dixi, sanctorum lapsus erigit, firmat trepidatio beatorum, nihil vnquam Deo esse impossibile iudicemus, neque inquiramus quemadmodum facturus sit quod promittit, cuius voluisse, fecisse est, cuius dedisse, est promisisse.

DE EISDEM,

SERMO XCI.

AVrum de terra legere qui nouerunt, vbi diuitem senserint venam, ibi quicquid arti est, quicquid laboris impendunt: & nos, quia in sancto Zacharia cœlestem nouimus latere thesaurum, in ipso totum quod sermonis est nostri, quod vestri auditus est, occupemus: quatenus commune lucrum sit, quod fuerit communi labore quæsitum. *Fuit*, inquit, *in diebus Herodis Regis Iudaæ sacerdos quidam nomine Zacharias, ex vice Abia.* Hoc iā diximus. *Et* Luc.1.
vxor eius de filiabus Aaron. Sic cœpit Euangelista, vt in coniuge sacerdoris seruata sacerdotalis stemmatis generositas mōstraretur. *Erāt*, inquit, *ambo iusti ante Deū.* Ambo iusti, quia in ambobus erat vna iustitia. *Ambo iusti*, quia constabat inter eos non de diligentia, sed de sanctitate cōiugium. *Ambo iusti.* Quia sexu dispares, pares meritis habebantur. *Ambo iusti.* Quia vt erat in duobus vna caro, sic erat in duobus vnus spiritus. Imitentur coniuges, vt quos coniungit af- Psal.142.
fectio, iungat & virtus: *Erant*, inquit, *iusti ambo ante Deum.* Ambo iusti ante Deum. Et vbi est illud, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens? Ante homines fortè quis putetur iustus, quia homines, vt culpas corporum norunt, sic vitia mentis ignorant: ante Deum verò, cui pectoris claustra patent, quem cogitationum secreta non latent, quis innocens habetur, & iustus? Est ne homo qui corde non peccet, non cogitatione delinquat, non offendat dubitatione, non lapsum trepidationis incurrat? Moyses du- Num.20.
bitat, Aaron deuiat, Petrus negat, & quis iustus? Et Exod.32.
quomodo ambo iusti ante Deum? *Ante Deum*, sed Matth.26.
semper *Ambo iusti apud Deum.* Non labore, sed Rom.3.
gratia. Audi Apostolum, Iustificati gratis per gra- Ephes.2.
tiam ipsius. Et iterum: Non ex vobis, Dei donum 1.Cor.4.
est: non ex operibus, ne quis glorietur. Et iterum Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis. Euangelista ergo sic refert, non quid non habuerit, sed quid acceperit: non quid quæsitum sit, sed quid donatum. *Erant*, inquit, *ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Dei sine querela.* Incedentes dixit, vt eos ostenderet cucurrisse virtutibus, non stetisse: & ambulasse in via iustitiæ non sedisse: nec remansisse in itinere mandatorum, sed ad mandatorum plenitudinem peruenisse. *Incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Dei sine querela.* Beati, fratres, quos percutit, non vulnerat crimen: sed beatiores isti, quos tetigit nec querela. *Sine querela.* Si pueritia, si adolescentia, si iuuentus sine querela est, qualis horum senectus? Si tale initium, qualis finis? Ascendisse iustificationum vertices, colles mandatorum, nec in aliquo titubasse, est gratiæ singularis, est vnicę feli- Matth.13.
citatis insigne. *Et non erat*, inquit, *illis filius, eò quod esset Elizabeth sterilis.* Non dixit, nō erāt illis filij, sed non erat illis filius, quia singularis futurus erat, qui erat de talibus nasciturus. Audi Dominum dicentem, non surrexit maior in natis mulierum Ioanne Baptista. *Eo quòd esset Elizabeth sterilis.* Sterilis corpore, sed fœcunda virtutibus: tarda soboli, sed non tarda Deo, non genimini clausa, sed tempori, non negata pignori, sed seruata mysterio, *Et ambo*, inquit, *processerāt in diebus suis.* Processerant: sic describitur sacramentum senectutis, quæ nondum decidit meritis, non ætate deficit, sed procedit: nec sentit detrimenta corporis, quæ sumit augmenta virtutis. Fratres, Elizabeth sanctæ partus non ablatus est, sed dilatus, donec transiret tempus carnis, passio corporis, coniugij necessitas, voluptatis causa, cupiditatis sensus, & totum quod humanum confudit, grauat, onerat conscientiam. Mundabatur enim longo tempore sacrificij domus, sanctitatis hospitiū, meatus metatoris Christi, Angeli domicilium, aula Spiritus sancti, Dei templum. Nescitis, inquit Aposto- 1.Cor.3.
lus, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Denique vbi tota corporis sedata querela est, & in totum facti sunt sine querela, mox sterilitas fugit,

fugit, reuiuiscit senectus, fides concipit, parit castitas, nascitur maior homine, par Angelis, tuba cæli, præco Christi, arcanum patris, filij nuncius, signifer superni Regis, peccatorum venia, Iudæorum correctio, vocatio Gentium, & vt propriè dicam, legis & gratiæ fibula, quæ diploidem summi sacerdotis sancto patri iungebat in pectore. Euangelista ergo virtutes patris, matrisque describit, vt ex generatorum tantis meritis dignitas germinis nosceretur & probaretur maior homine, qui in ortu suo excedebat legem natuitatis humanæ. Sed si processurus est, iã nascatur Ioannnes, quia instat natiuitas Christi: surgat nouus Lucifer, quia iubar iam veri Solis erumpit: det vocem præco, quia ad est iudex: clamet tuba, quia venit Rex: & quia processurus est Deus, Angelus iam præcedat. Verum quia quod supra homines est, homo referre non sufficit, virtutes na scẽtis Angeli Angelus iam loquatur. *Dixit Angelus ad Zachariã, ne timeas Zacharia: exaudita est deprecatio tua, ecce Elizabeth vxor tua pariet tibi filiũ: & vocabis nomen eius Ioannem: & erit tibi gaudiũ & exultatio: & multi in natiuitate eius gaudebũt: erit enim magnus coram Domino, & vinũ & siceram non bibet: & Spiritu sãcto replebitur adhuc ex vtero matris suæ, & multos filiorũ Israël cõuertet ad Dominum Deũ ipsorũ, & ipse præcedet ante illũ in spiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudẽtiã iustorum, parare Domino plebẽ perfectam.* Vacat humanus sermo, silet prædicatio tractatoris, quando angelico præconio Ioannis profertur gloria, virtus insonat, laus collaudatur: nec est quod illi adiiciat homo, cui Deus contulit totum, *Spiritu sancto*, inquit, *replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Videtis quemadmodum Ioannes antè peruenit ad cœlum quàm tangeret terrã: antè accepit diuinum Spiritum, quàm haberet humanum: antè suscepit diuina munera, quàm corporis membra: ante cœpit viuere Deo, quam sibi: imò ante vixit ille Deo, quàm
Gal. 2. Deus viueret illi: iuxta illud Apostoli: Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus. Sexto mense suæ matris exultat in vtero, & in vterum Virginis venisse nunciat Christum. Feruens nuncius, qui ante gestiuit nunciare quã viuere: impatiens dux, quiantequam perueniret ad corpus, peruenit ad regem: ante rapuit arma, quam membra: ante aciem petiit, quã lucem: & vt vinceret mundum, vicit ante naturã: ipse sine visceribus viscera matris exsuscitat: & quia tardabat corpus, solo spiritu implet euangelizantis officium. Quid dicã? Ioannes antequã Christum præcederet, se præcessit, Patris, matris, filij corda vnus, atque idem implet Spiritus sanctus: vt vno sanctitatis organo resonet natiuitatis dominicæ cãtilena. Nec mirum, fratres, semper ortus regios honorat festiuitas, dulcis gratificat simphonia. Et nos, fratres, natiuitatem Christi glorificemus cãticis, honoremus muneribus: quia mentitur fidei, si quod facit Magus, non facit Christianus.

DE EISDEM.

SERMO XCII.

SEnsim nos sermo Euangelicus ad altiora promouet, ad superna extollit. Nec mirum fratres, si
4. Reg. 2. Eliam currus æthereus euexit ad cœlum, cùm quotidie ista Euangeliorum quadriga hominum genus cœli perferat & transmittat ad regnum. Ecce iam nos ipsa, fratres, de partu sterilis ad virginis partum, & à Ioannis ortu, ad ortum nostri fecit proximos Saluatoris. Sed quod superest adhuc de Zacharia Pontifice patientius audiamus, vt ad cunabula nostri regis regali itinere peruenire possimus, qui ob hoc cœlestis quadrigæ fidam conscendimus sessionem, vt sollicitas & arduas compendiorum semitas vitaremus. Sic enim lectũ est: *Et factũ est, vt impleti sunt dies officij eius, abiit in domum suam.* Ita vni tẽplo astabat tribus tota, parebant millia sacerdotum, propter quod ipsa obseruatio Põtificalis officij erat diuisa per plurimos, dispensata per tempora, distributa per vices, ne aut ordinẽ Sacerdotij multitudo confusa turbaret: aut alter legendo iugiter alteri debitum negaret officium. *Post hæc autem concipit Elizabeth vxor eius.* Erat illis coniugij facultas, erat illis licentia donata generandi, quibus inerat adhuc legis adolescentia, instabat adhuc religionis infantia. Lex, fratres, illicita prohibuit, licita nõ negauit: intra donum tenuit, supra donum conferre nil potuit: naturam rexit, supra naturam hominem non erexit. Lex fidei ianua, gratiæ nuncia, Euangelij prȩuia, pȩdagogus religionis infantiæ, remisit in sacerdotio legalis coniugij castitatem, vt in Pontificatu gratiæ venturam perpetuæ virtutis gloriam nunciaret. Secundum hanc ergo indulgentiam Elizabeth annositate iam mortua, sanctum reuiuiscit in partum: & arida, atque exarata rugis membra medullis vitalibus in viscera fœcunda viridantur: ipsum quoque tempus, ipsum quod desierat, reuocatus ad corpus: & vetustate nimia domus vteri dilapsa, in faciem nouam repente reparatur: stupet ordo, deficit consuetudo, miratur ipsa natura, & ex apparatu mãsionis, hospitis meritum, dignitásque innotescit. Verum Ioannes in generali habitaculo satis se miratus est esse peregrinum, qui se exclusum tempore, abdicatum natura, receptum se in eo authoris beneficio didicit, non parẽtis. *Et celabat se mensibus quinque, dicens, quia sic mihi fecit Dominus.* Bene totũ fecisse Dominũ confitetur, quæ sibi collatum per hominem nil videbat. Et occultabat se mensibus quinque: quia etsi erat diuini muneris, sui tamen tẽporis non erat quod habebat. *Celabat se mensibus quinque.* Erubescit anus fœta, verecũdatur vetula primi partus, & puerperã senectus abscõdit extrema, ne sterilitatis opprobrium risus fœcũdȩ senectutis augeret. Quod autẽ risui subiacet senilis & veterana conceptio, persimilis huius sterilitatis & ȩtatis Sara probat, quæ sibi cùm reddi partũ, donari filium, cui iam vita prope deerat Domino promittente cognosceret, & ipsa de suo partu risit: & quod risui posset esse omnibus prægnãs, & onerata canities, ipsius germinis testatur ex nomine, dicente scriptura: Et vocauit nomen filij sui Isaac. Quod interpretari risum docuit, adiiciens, Risum mihi fecit Dominus. Hinc est quòd Elizabeth sacrum vult celare mysterium, dicendo. *Quia sic mihi fecit Dominus.* Vt modo conceptus fatiget verecundia, quamdiu negati partus ærumna afflixit: pater tacet ex pœna, ex verecundia mater celat. O quanta silentio vox nascitur! O quanta taciturnitate tuba sæculis inclamatura generatur! O quod secretum diuini iudicis dat præconẽ. *Quia sic mihi fecit Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meũ inter homines.* Honor cõiugij, matrimonij dignitas est procreatio dulcium liberorum: satis enim graue est, & satis triste, & virginitatis carere præmio, & filiorum solatia non habere, sustinere onera matrimonij, & ad fructum matrimonij nõ venire. Hinc est, quod gaudet à se ablatum sterilitatis opprobrium, dicens: *Quia sic mihi fecit Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobriũ meum inter homines.* Quia hoc apud homines miserum computatur: apud Deum verò reatus nullus est, vbi parentis culpa nulla est, sed iudicium denegantis:

Genes. 18. Genes. 21.

negātis: Certè si hoc affert aliqua corporalis infirmitas, necessitas in causa est, non voluntas. Sed iam nūc omnis ignaua carnis intelligētia sit remota, tota corporei sensus abiiciatur infirmitas: & quæcunque est ingenij humani omnis excludatur intentio, fidei pateāt oculi, cordis reserentur aures, mētis currat & incurrat recessus: vt peruenire ad mysterium Virginei conceptus, ad sacramentū partus Virginei penetrare possimus: adiuuante Domino Iesu Christo, qui ex ea genitus, nūc in cœlestia regna cū Deo Patre, & Spiritu sancto viuit per infinita sæcula sæculorū. Amen.

DE EA, QVÆ VNXIT Dominum vnguento.

SERMO XCIII.

AD prandium, & ad Pharisæi prandium venisse Christum solicitus forsitan miretur auditor. Pharisæi domum Christus intrauit, non accepturus Iudaicos cibos, sed diuinam misericordiam largiturus: neque accubuit pocula saporata melle floribus odorata sumpturus, sed pœnitētis lachrymas ex ipsis oculorum fontibus potaturus: Deus delinquētium gemitus esurit, sitit lachrymas peccatorum. *Rogabat*, inquit, *Dominum quidam Pharisæus, vt manducaret cum illo: & ingressus domum Pharisæi discubuit: & ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod accumberet Dominus in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti, & stans retro secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vngebat vnguento.* Videtis quia ad Pharisæi mensam venit Christus, non vt carnalibus repleretur escis, sed vt in carne negotium cæleste monstraret: neque vt probaret posita humanitus ante se, sed post se gesta diuinitus approbaret. Christum namque semper agnoscimus per humanos actus diuinas exercuisse virtutes: dum noua, & præter vsus mortalium cuncta esse, quæ ab eo etiam corporaliter gesta sunt, comprobantur. Pharisæus ad manducandum vocat Christum: quid ibi quærit mulier non vocata? Claustra domus non prorumpit extraneus, conuiuij secretum non præsumit non inuitatus intrare, cibos paratos relaxandis mētibus post laborem perturbare non audet arbiter luxuriosus: & quid est quod hæc mulier ignota, imò malè nota, onusta luctibus, plena lachrymis, clamosa planctu, nescio ianitore, nullo conscio, ipso ignorāte pastore, domus aditus percurrit omnes, transit totas ministeriorum cateruas, ipsum conuiuij peruolat ad secretum, & facit domum lætitiæ, domum lamentationis & planctus? Fratres, non rogata venit illa, sed iussa: intrauit exhibita, non præsumens, ipse sic fecit eam sisti sibi, qui illam cælesti sententia iussit absolui. Denique dū Pharisæus veste clarus, primus in sigmate, in ipsis oculis Christi timēs, epulis homini non Deo placiturus, festiuus infunditur, venit mulier, & venit retro: quia reus animus post tergum stat ad veniam: quia per culpam nouit se vultus fiduciam perdidisse: venit satisfactura Deo, non homini placitura cùm venit: venit pietatis illa, non voluptatis exhibitura conuiuium: denique & pœnitentiæ ponit mensam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lachrynis temperat in mensura, & ad delicias deitatis totus totam pulsat cordis sui, & corporis symphoniam, organi planctus dat clamorem, citharam per suspiria longa modulatur, gemitus aptat in fistulam: & dum pectus ipsam conscientiam arguens sæpè percutit, facit placitura Deo cymbala personare: dumque taliter apportat diuinis oculis cibos, totas misericordiæ copias sic reportant. *Ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix.* Exaggerat Euangelista mulieris facinus, vt accumlet indulgentiam largitoris. *in ciuitate peccatrix.* Ciuitate peccauerat, quia fama sua famam totius tetigerat ciuitatis: sicque iam non peccatrix solum, sed ipsius ciuitatis facta fuerat ipsa peccatū, Hoc cognouit, quod nisi ab illo solo ciuitatis peccatū non posset auferri, qui solus mūdi venerat abolere peccatum. *Et vt cognouit, quia accumberet Dominus in domo Pharisæi.* Non ad stamtem, non ad sedentem audet venire peccatrix: Deus cùm stat, corripit: cùm sedet, iudicat, prostratis coniacet, cùm decumbit. *Vt cognouit quod accūberet Dominus in domo Pharisæi.* Inclinem ad miserandum supernam didicit maiestatem: & ideo credidit, quod esset ad veniam sibi promptus, qui Pharisæi venerat tam promptus ad mēsam. *Attulit alabastrum vnguēti.* Portauit oleum, quia medicinam lethali vulneri à superno Medico perquirebat. *Stans retro secus pedes eius.* Ad pedes tendit semper, etiam veniam qui requirit. Et bene stans, quia iā cadere non potest, quia ad pedes Christi meruit peruenire. *Stans retro secus pedes eius.* Vt Psal. 142.
Christi vestigiis innixa percurreret per viam vitæ, quæ per viam cucurrerat mortis. *Lachrymis rigabat pedes eius.* En mutatur ordo rerum, pluuiam terræ cœlum dat semper: ecce nunc rigat terra cœlum: imò super cœlos, & vsque ad ipsum Dominum imber humanarū prosilit lachrymarum: vt iuxta Psalmistam & de aquis fletuum cantetur illud, Et aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini. *Lachrymis rigabat pedes eius.* O quāta vis in lachrymis peccatorum! rigant cœlum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam diuina promulgatione sententiam. *Et capillis capitis sui tergebat.* Dominicos pedes lauat lachrymis, crinibus tergit, vacat ab excusatione paupertas, inhumanitas veniam non habebit: quia in totum sibi natura sufficit ad obsequium creatoris. *Et capillis capitis sui tergebat.* In peccatricis caput purgandis criminibus refluebat vnda, vt sua fronte mulier in nouum baptisma suorum dilueret illuuiē peccatorum. *Et capillis capitis sui tergebat.* Vt iuxta Psalmistam, Psal. 67.
Verticem capilli, ex quo ambulauerat in delictis suis, in sanctitatem tali verteret seruitute. *Et osculabatur pedes eius.* Præcesserant interuenientes lachrymæ, vt oscula deuota sequerentur, quia lachrymæ satisfactionis sunt documentum: oscula sunt reconciliationis indicia. *Et vngebat vnguento.* Mu- Matth. 26.
lierem super caput Domini fudisse oleum: alio Euangelista referente, cognouimus: non est ergo quod facit hæc mulier mollis & carnalis obsequij, sed plenæ humanitatis est sacramentum: quia in capite Christi Deus est, in pedibus euangelizantium pacem. Orate, fratres, vt & nos in vnguine Domini commereamur aliquatenus computari, & vngamur vnguento quod pedibus funditur Saluatoris: quia sicut oblatio est, cum offertur vnguentum: ita Chrisma perfectum est, de dominicis vestigiis cum redundat. Cuius autem mulier ista typum præferat, vel quam magnum præfiguret arcanum, donante Deo, tunc dicemus, quando ea quæ sunt in sequentibus exponentur.

IN EODEM.

SERMO XCII.

QVoniam sermone Proximo partem primam hodiernæ percurrimus lectionis, admirati pariter sumus, quo feruore, qua fide, quali ausu, quanta obsequij nouitate, peccatrix mulier ipsius vestigia contigerit

contigerit Saluatoris: modo quid Pharisæus tacens dixerit, quid Christus, cui loquuntur tacita, responderit, audiamus. *Videns*, inquit, *Pharisæus qui vocauerat eum, ait intra se dicens: Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ, & qualis est mulier quæ tangit eum.* Pharisæe, quod conspicis, non est ignorantia, sed potestas: est diuini iudicij, non erroris humani. Pharisæe, erras, nescire magis potuit si fuisset Propheta: quia prophetia nō est humani arbitrij, muneris est diuini: vnde Propheta scit, non quantū vult, sed quantū dederit ille, qui tribuit prophetiā. *Hic si esset Propheta, sciret vtique, quæ & qualis est mulier quæ tāgit eum.* Mulieris malæ tactus vrit male conscium: parem polluit, suspectum notat, hominem malæ voluntatis infamat: cæterum peccatrix fit bona, fit sancta, fit innocens, cùm tetigerit veniæ largitorem. Stercora contingunt, sed non inquinant Solem: medicū cùm tangit vulnera, putredo non polluit: Iudicem quamuis tangat reus non potest maculare cum supplicat: sic peccator cùm Dominum tangit, non Dominum sordidat: sed ipse & peccato caret omni, & rapit subito sanctitatem. Probat hoc mulier in profluuio sanguinis constituta, quæ vt tangit fimbriam Domini, non fimbriam polluit, sed ipsa mox inquinamēto vetustæ caruit passionis. *Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum* Pharisæus Christum Prophetam crederet, si exposita oculis, nota populis si videret. Quid putas crediturus erit, cùm mox eum mentis suæ arbitrum, cordis sui iudicem, testem conscientiæ suæ, cogitationum suarum didicerit cognitorem? Putasne, vel tunc fatebitur Deum, quem modò post virtutes tantas iudicat nec Magistrū? *Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ, & qualis est mulier quæ tangit eum.* Mulier habebat vulnus, sciebat illud, & ideò taliter tāti vulneris Medicum perquirebat: Pharisæus perfidiæ morbo saucius, superbiæ flamma febriens, per phrenesim se nesciebat insanū. Hinc est quod Christus illuc primum curam vertit, vbi ignota sæuiebat infirmitas: vt cœlestis Medicus vno medicamine duos curaret ægrotos. *Videns Pharisæus qui vocauerat eū, ait intra se, dicens.* Cui, quia intra se cogitauerat Pharisæus, Christus publica voce respondit: & dum Pharisæi cordis patefecit arcanū, ipsum fuisse totius prophetiæ demonstrat auctorem. *Respondens*, inquit, *Iesus ait: Simon, habeo tibi aliquid dicere.* Tibi, cui opus est medicina, & nescis quærere medicinam: tibi, qui Deum Magistrum vocas, & Dei deseris disciplinam: ignoras quoniam Magistro magnam facit iniuriam, qui se discipulum fatetur eius, cuius non sequitur institutum? Nam sicut discipuli probitas laus est magistri, ita magistri vituperatio discipulus nesciens disciplinam. *Simon, habeo tibi aliquid dicere. Respondit, Magister, dic.* Iterum, Magister dic, & non Deus dic. Iam iam Deum senties, quem vocas Magistrum. *Duo*, inquit, *debitores erant quidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque: quis ergo amplius diligit? Respondens Simon dixit: Æstimo quod is cui plus donauit. Et Dominus, recte iudicasti.* Audistis quemadmodum cœlestis creditor totum debitum charitate compensat, & ad incrementum totius fœnoris amoris solius exigit, & requirit vsuram. Plectendus debitor, qui dilectione sola suam negligit redimere cautionem. Vis scire homo, quid Deo debeas? Quod factus es, Dei crediditum est: quod es rationis capax, Dei fœnus est: quod discretionem mali, bonive possides, accepisti: & quod viuendi normam acceperis per chirographum legis stipulanti Deo spopondisse te non potes diffiteri. Sed dum te per vitia carnis in lutum instar suis demergis, & quadrupedum more viuens qua præditus es ratione priuaris, & in gurgite criminum boni, malive perdita discretione confundis, & diuinæ legis substantiā dissipas, mundana voluntate captiuus, factus es gloriosi fœnoris debitor luctuosus, cui deficientibus virtutum lucris criminum multiplicatur vsura. Sed licet in hac re cecideris, licet fueris in ista deuolutus, vide ne desperes: homo remansit tibi vnde piissimo satisfacias creditori. Absolui vis? Ama, charitas cooperiet multitudinem peccatorum. Negationis crimine quid peius? & tamen Petrus amore solo valuit hoc delere, probante Domino, cum dicit: Petre amas me? Inter omnia Dei præcepta amor obtinet principatum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Ama ergo homo Deum, & ama totus: vt possis omnia sine labore vincere peccata. Teneræ militiæ delicati conflictus est, amore solo de cunctis criminibus reportare victoriam, sicut ex sequentibus elucescit. *Conuersus*, inquit, *ad mulierem, dixit Simoni.* Quid est quod conuersus ad mulierem, Simoni loquitur Christus? Quia cum pœnitentem respicit, arguit oblatrantem. *Dixit Simoni, vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis capitis sui tersit: osculū mihi non dedisti: hæc autē ex quo intrauit, nō cessauit osculari pedes meos: oleo caput meū non vnxisti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos. Propterea dico tibi dimittūtur illi peccata multa, quoniam dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Probatum est, quia dilectio delet & abluit vniuersa peccata. Quid est autem quod dixit: *Cui minus dimittitur, minus diligit?* Ergo ad peccandum satis est vt maior charitas comparetur? Absit. Charitas de præteritis subuenit, non liberat de futuris: charitas nescit peccare cum diligit: charitas non est charitas, si delinquit: charitas Dei custos est sanctitatis Fratres, si nos esse peccatores nouimus, & esse nolumus peccatores pedibus Christi, demus lachrymas, spargamus capillos, figamus oscula, pietatis oleū tota deuotione fundamus: vt dicatur nobis: dimittūtur vobis peccata multa, quia dilexistis multum. Imitemur hāc mulierē, quam conspicimus non solū caruisse peccatis, sed ad totum sanctitatis verticem peruenisse. Quæ sit autem hæc mulier, quia hodiernus sermo charitatis nos distulit, sicut iam promisimus, insequentibus Deo auctore pandemus.

1. Ioan. 4. — Ioan 12. — Marc. 12.

IN EANDEM.

SERMO XCV.

Omnia quæ à Christo corporaliter gesta referuntur, sic sūbnixa sunt historica veritate, vt plena semper sacramentis cœlestibus approbentur. Et quia quod erat in facie lectionis iam perstrinximus sermone repetito: orate vt sicut promisimus, interna eius, Spiritu sancto reuelante, pandamus. Inhonora est dictio quæ Dei facta humana tantum expositione depromit. *Rogauit*, inquit, *Dominum quidam Pharisæus, vt māducaret cum illo.* Pharisæus, fratres, Catholicus dicitur Iudæorum: nam & resurrectionem credit, & à Sadducæo resurrectionem negante dissentit: hinc est quod rogat Christum, id est, resurrectionis auctorem, vt manducet cum illo: quia qui conuiuit Christo, mori nescit, vtique viuit semper. *Rogabat Dominū, vt māducaret cum illo.* Rogas Pharisæe, vt māduces cum illo, crede, esto Christianus, & manducas ex illo. Ego sum, inquit, panis qui de cœlo descendi. Semper Deus maiora tribuit, quam

Luc. 7. — Ioan. 6.

quam rogatur: nam se manducandum dedit, qui rogabatur vt manducandi secum fiduciam largiretur, & tamen si hoc dedit, vt illud quod postulatus est, non negaret: Nonne promittit hoc & sponte discipulis suis? Vos qui perseuerastis mecum, manducabitis & bibetis in mensa mea in regno meo. Christiane, qui se tibi hic manducandum dedit, quid suum tibi denegare poterit in futurum? Et qui tantum tibi viaticum parauit ad victum, quid in illa tibi mansione perpetua non parauit? Manducabitis in mensa mea in regno meo. Audisti Dei conuiuium, solicitus non sis de qualitate conuiuij. Qui peruenire regis meretur ad mensam, manducabit quicquid regni dominatio possidet & potestas: sic qui ad conuiuium venerit creatoris, habebit in deliciis suis quicquid continetur in creatura. Sed ad cœpta redeamus. *Et ingressus domum Pharisæi.* Quam domum? Nempe synagogã ingressus accubuit. In synagoga fratres, tunc accubuit, quando accubuit Christus: sed corpus suum Ecclesiæ transmisit ad mensam, vt esset cœlestis caro manducaturis gentibus ad salutem. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quemadmodum autem manducetur caro Christi, quomodo bibatur & sanguis eius, norunt illi, qui sunt sacramentis cœlestibus instituti. *Ecce*, inquit, *mulier quæ erat in ciuitate peccatrix.* Quæ mulier? Ecclesia sine dubio. *In ciuitate peccatrix.* Ciuitate qua? Illa de qua dixerat Propheta: Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis Sion? Et alibi: Vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate, & iniquitas & labor in medio eius iniustitia, & non defecit de plateis eius vsura & dolus. In ciuitate ergo perfidiæ septa muris, superbiæ turribus communita, distincta iniquitatum plateis, obserata contradictionum portis, depicta doli fucis, indurata silicibus vsurarum, negotiorum doloribus aggrauata, infamata lupanaribus, id est, idolorum templis, mulier hæc, id est Ecclesia, grauissimum trahebat reatum ex tanta præcedentium colluuie peccatorum. Sed vbi audiuit venisse Christum ad domum Pharisæi, id est, ad synagogam, ibi, hoc est, ad Iudaicum Pascha, passionis suæ mysteria tradidisse, aperuisse sui corporis & sanguinis sacramentum, manifestasse nostræ redemptionis arcanum, scribas velut pessimos despiciens genitores. (Væ vobis legisperitis, qui tulistis clauem scientiæ) irruptis contradictionum foribus, contempto ipso chori Pharisaici principatu, ardens, anhelans, æstuans ad totum legalis conuiuij penetrale peruenit: ibique reperit Christum inter amoris epulas & dulcia pocula traditum, Iudaicam occubuisse per fraudem: iuxta illud Prophetæ: Quoniam si inimicus exprobrasset mihi, supportassem vtique: & si is qui oderat me, super me mala locutus fuisset, abscondissem me vtique ab eo: tu vero homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui mecum dulces capiebas cibos, in domo Domini ambulauimus cum consensu. *Vt cognouit accubuisse Dominum in domo Pharisæi.* Id est, in synagoga omni dolo, tota fraude addictum, passum, crucifixum & sepultum: tamen à feruore fidei tanta ista non retardatur iniuria, sed portat vnguentum, portat Christiani chrismatis oleum: & quia Christi faciem videre non meruit corporalem, stat retro non loco, sed tempore; inhæret eius vestigiis, vt sequatur: & iam desiderij plus, quam conscientiæ lachrymas fundit: vt quem abeuntem videre non meruit, mereatur videre redeuntem. Lacrymas ergo ad pedes Domini profluo amore perfundit, dum pedes euangelizantium regnum eius bonorum operum manibus tenet, lauat lachrymis charitatis, confessionis labiis osculatur: & totum misericordiæ profundit vnguentum, donec conuersus ad eam: quid est conuersus: hoc est, reuersus, dicat Simoni, dicat Pharisæis, dicat negantibus, dicat populo Iudæorum. Intraui domum vestram, aquam pedibus meis non dedistis. Et hæc quando dicet? Quando venerit in maiestate patris sui, & segregabit iustos ab iniustis, quasi pastor qui segregat oues ab hœdis: & dicet, Esuriui, & non dedistis mihi cibum: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes fui, & non suscepistis me. Hoc est dicere, aquam pedibus meis non dedistis: hæc autem, dum meorum pedes lauat, pedes vngit, pedes osculatur, fecit seruis, quod vos Domino non fecistis: fecit pedibus, quod capiti vos negastis: impendit minimis, quod vos vestro denegastis auctori. Tunc dicet ad Ecclesiam: Dimittuntur tibi peccata multa, quia dilexisti multum. Quia tunc erit remissio peccatorum, quando tolletur materia tota peccandi, quando corruptio induet incorruptionem, quando mortalitas immortalitatem consequetur: quando peccati caro, caro totius efficietur sanctitatis: quando terrena seruitus cœlesti dominatione mutabitur: quando militia humana diuinum promouebitur ad regnum. Orate fratres, vt & nos in parte Ecclesiæ constituti, ad ea quæ numerauimus, peruenire mereamur: auctore ipso Christo, cui est honor & gloria vnà cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Lucæ 22. Ioan. 6. Esai. 1. Psal. 54. Luc. 11. Psal 54. Matth. 25.

DE PARABOLA ZIZANIORVM.

SERMO XCVI.

SI dicta, vel facta Christi passim carnalibus sensibus subiicerentur, torpesceret animus meus, vacaret, dormiret ingenium, cor tabesceret, extingueretur quicquid humani vigoris est & caloris. *Proposuit*, inquit, *illis parabolam.* Sicut in lapide friget ignis, latet ignis in ferro: ipse tamen ignis ferri ac lapidis collisione flammatur, sic obscurũ verbum verbi ac sensus collatione resplendet. Certè si mystica non essent inter infidelem, fidelémque, inter impium atque pium, discretio non maneret: & esset deuotus, sicut contumax: iners, sicut qui laborat: peruigil, vt ille qui dormit: nunc verò cum petit anima, mens pulsat, quærit sensus, sperat pietas, fides exigit, meretur intentio, apparet & sudantis fructus, & pœna desidis, & iustitia largitoris simul, quia plus accepta sapiunt, quàm possessa: inuenta magis, quàm subiecta delectant. Hinc est quod doctrinam suam Christus parabolis velat, tegit figuris, sacramentis operit, reddit obscuram mysteriis. *Proposuit*, inquit, *illis parabolam.* Illis, hoc est, non suis, sed extraneis, inimicis vtique, non amicis: spectantibus ad calumniam, non audientibus ad salutem. *Ideo in parabolis*, inquit, *loquor eis, quia videntes, non vident: & audientes, non audiunt, neque intelligunt.* Quare? Quia qui calumniatur præterita, videre præsentia non meretur: neque dignus est agnoscere gratiam, qui legem ne cognosceretur, abscondit. Væ vobis, inquit, legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ: ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis. *Proposuit*, inquit, *illis parabolam, dicens: Simile est regnum cœlorum homini.* Et quid offendit Christus, si in similitudinem hominũ factus est, vt pereunti humano generi subueniret? Scandalizat Dominus, si vt manumittat seruos, inueniatur in habitu seruitutis? quando quicquid est maiestatis futuræ, quicquid aduentus & regni, ecce homini comparatur. *Simile est*, inquit, *regnum cœlorum homini, qui seminauit bonũ semen in agro suo, cũ autẽ dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio*

Matth. 13. Luc. 11.

medio tritici, & abiit. Audistis quemadmodum sator mundi rerum principia bona seuit, nec vllum malum ab originis procedit auctore: ab inimico superseminatum est malum, malum non est à rerum parente procreatum. Et vidit Deus, inquit, omnia quæcunque fecit, & ecce bonum valde. Bona, & valdè bona: nam quem Deus faciens vocauit mundum, inficiens reddidit inimicus immundum: & hominem quem Deus in paradiso deliciarum collocauit ad vitam, inimicus in hac laboris vita d traxit ad mortem: & affectum quem carni Deus inseruit per naturam, inimicus in patricidium per inuidiam commutauit. Cain probat hoc qui primus germano sanguine terram tinxit: & in exitium fraternum mortis dignus extitit dedicator. Sic ex discordia nata mors semper humanam scindit, & separat charitatem. Et quia longum est ire per singula, vel paucis aperire compellimur, inimicus qualiter bonis mala, virtutibus vitia, vitalibus mortalia nostram semper superseuerit ad ruinam. Nónne ex vno homine Deus omnem repleuit terram, & semine ex vno pius sator totum genus hominum tantam multiplicauit ad messem. Sed inimicus mox homines in vnum redegit omnes: & superseminando mala quod bene satum fuerat, deleuit diluuio, non rigauit. Sic legem diuinis & veracibus satam præceptis, humanis & mendacibus fucauit inuentis: vt de sacerdote fieret persecutor, & de doctore deprauator existeret, de defensore legis redderetur inimicus. Sic creaturas ad agnitionem conditas creatoris, vt nesciretur Deus, deos esse mentitus est. Hinc sapientes sæculi fecit stultos, speculatores mundi docuit nihil videre: professores scientiæ fecit scientiam non habere: inquisitores rerum omnium dimisit ignaros. Sic Euangelicam segetem suam cœlesti semine hæretica zizania superseminando confudit inimicus: vt manipulos fidei gehennæ fasciculos faceret, ne triticum fieret cœlestium horreorum. Et quid plura? Posteàqnam est ipse in dæmonem conuersus ex Angelo, ne qua creatura in suo statu consisteret, arte, dolis, machinis, fraude contendit. Sed iam præsentis parabolæ verba pandamus. *Simile est regnum cœlorum homini.* Cui? vtique Christo, *Qui seminauit bonum semen.* Quia in ipso rerum semine nescit malum conditio creatoris. *In agro suo.* Hoc est, in mundo: dicente ipso Domino, Ager hic mundus est. *Cùm autem dormirent homines.* Id est, sancti Patres, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, in sopore mortis temporaliter dormientes, quia sanctorum mors somnus est: peccatorum vero mors est, quia in inferno pœnæ viuunt, vitæ pereunt peccatores. *Veniens inimicus eius.* Id est diabolus. *Superseminauit zizania.* Superseminauit, non seminauit. Præcedunt creatoris bona, mala diaboli pòst sequuntur: vt malum quod est ex diabolo, sit accidens, non natura. *Superseminauit zizania in medio tritici.* Quia diabolus hæreses inter fideles: inter sanctos, peccatum: inter pacificos, lites: inter simplices, dolos: inter innocentes, nequitiam gratis ferere consueuit: non vt acquirat zizania, sed vt triticum perdat: nec vt reos capiat, sed vt adimat innocentes. Hostis plus ducem, quam militem petit: nec obsidet mortuos, sed impugnat viuentes, sic diabolus non peccatores quærit capere, quos possidet subiugatos, sed vt iustos capiat, sic laborat. *Superseminauit zizania in medio tritici, & abiit.* Quia diabolus impellit quidem viribus ad ruinam, sed posteaquam prostrauerit, derelinquit: diabolus non quærit hominem, sed hominis interitum quærit. Fratres, ille malis nobis gaudet, turpet ruinis nostris, nostris vulneribus conualescit, nostrum sanguinem sitit, nostra saturatur ex carne, nostris viuit ex mortibus. Diabolus hominem non vult habere, sed perdere. Quare? Quia ad cœlum, vnde ille cecidit, non vult, non fert, non patitur hominem peruenire. Et quia nos sermo trahit longius hodie, reliqua differamus, vt & communem releuemus laborem, & quæ dicenda sunt, plenius exequamur, Deus autem noster & mihi dicendi gratiam, & vobis audiendi desiderium donare dignetur.

Genes. 1.

Genes 4.

IN EODEM, SERMO XCVII.

Quia festiuus antehac sermo, vt communem temperaret laborem, ad totum parabolæ prætereuntis non valuit peruenire secretum, nunc reliqua, domino reuelante, pandamus. *Proposuit,* inquit, *illis parabolam, dicens: Simile est regnum cœlorum homini qui seminauit bonum semen in agro suo: cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abiit.* Cum autem dormirent homines, insidiator in noctibus latitat: in diebus vigilantes fugit, appetit dormientes, fortis conflictum petit, prouocat palam spectantibus omnibus, & coram populis vult habere victoriam. Maximæ infirmitatis indicium est dormientibus irruisse. *Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius.* Malus nunquam non stultus. Quid hic egit inimicus? Esto, quod dormierint serui, nunquid & dominus dormiebat? Esto, quod oculos seruorum sopor clauserit post laborem: nunquid & dominantis oculos vlla vicerat lassitudo? Inimice lucis refuga, vigilasti, laborasti, sed non latuisti: nam dormientibus seruis dominus ipse te videt: desertor cœli præuenisti: fecisti, sed non profecisti. Deo perire non potest, quod ipse custodit: fraudis auctor in dominum non committis, sed in seruos, dum facis vt negligentiæ illorum quod tuæ fraudis est, ascribatur. Ille, ille te videt, qui totius & fraudis testis est & laboris. Manent ergo laboris sui fructus benefacientem, manent & nequitiæ suæ pœnæ fraudantem, illi triticum ad horreum cœleste portabunt, tu mihi zizaniorum tuorum portabis fasciculos ad gehennam. *Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania.* Vt quid? Vt periret dominica messis, & hoc ad lucrum quid pertinebat inimici? nisi quod inuidiæ spiritus hominum damnum suum computat lucrum: & quod perierit hominibus, hoc se æstimat acquisiuisse. Sed diabolus hoc ideo, vt diximus, tenebris celantibus est molitus, vt adulteratæ messis noxa redundaret ad seruos, & hinc pœnam sumerent, vnde sperauerant palmam. Denique vigilantes serui præ timore, ista cur euenerint, expauescunt: hoc metuentes, ne zizaniorum germina ad illorum redirent offensam, quorum conscientia præter iactum boni seminis nil habebat. Hinc est quod auditum sui domini præuenerunt, ne securi de innocentia, reatum de silentio sustinerent: cum vocatur innocens ad reatum, dum purgari æstuat, vrget & stimulat cognitorem. *Cum autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc,* inquit, *apparuerunt & zizania.* Quod latet in herba, manifestatur in spica: & quod cælatur in gramine, aperitur in fructu, sic quos credentes putamus pares, fide dispares inuenimus, sic iudicij prodit messis, quod Ecclesiæ germen occultat. Iuxta illud dictum dominicum: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Flores multi, multitudinem fructuum pollicentur, sed examinati ventorum flabris ad fructum paucissimi perseuerant; sic credentes in Christo multi Ecclesiæ videntur in pace, vbi autem persecutionis procella perflauerit, pauci martyrij reperiuntur in fructu.

Matth. 13

Matth 7.

Sed

Sed Euphemia sancta plus soluit in fructu, quam promisit in flore, quæ manente virginitatis flore, copiosum martyrij peruenit ad fructum. *Accesserunt*, inquit, *serui patrisfamilias, dicentes ei.* Accesserunt fratres, mente, non corpore: non loco, sed fide: dixerunt non clamore vocis, sed cordis tacito cum dolore. *Domine, nónne bonum semen seminasti in agro tuo?* Seminasti, non seminauimus: nos quod per te facimus, tibi semper nostro assignamus auctori, & tu in iis, quæ nobis facienda præcipis, ipse operator assistis. Ergo si nos operis tui facis esse pro tua dignatione consortes, non nobis solis quod zizania nascuntur, ascribas. Domine, aut tecum nos munit innocentia, aut nobiscum te reatus attingit, nos nostro operi non potuimus inuidere, magnis sudoribus offensam non potuimus non parare: tu quod vis, vnde vis, quando vis habes, nos præter tuam gratiam nil habemus per quam stamus, viuimus, mouemur & sumus: & sine qua iacemus, deficimus & perimus. Ergo nos hæc nobis sic laborauimus, vt perirent? Sed quis hoc fecerit, qui solus non dormis nobis dormientibus tu vidisti: & si tu vidisti iuste Iudex, factum quis scit? ille qui vigilat, non ille qui dormit, ergo tu prode eum, vt nos quos sic anxios conspicis, facias sic securos. *Ait Dominus, inimicus homo hoc fecit.* Inimicus homo hoc fecit: & tu quare hoc cum videres Domine permisisti: Quare? Quia timere fraudes non potest, cui nil potest deperire: & quia plus est mystica discernere, quam prohibere mysterium: maius est reparare perdita, quam illæsa reseruare, simul quia oportet zizania esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant. *Serui autem dixerunt ei. Vis imus, & colligimus zizania?* Sic deuoti serui indefessum promittunt laborem: nec patiuntur dominicæ messis videre, vel temporaliter fœditatem, sed Dominus quem tempora non fatigant, & quando vult potest abolere suæ messis iniuriam, vetat dicendo, *Non.* Et quare prohibuerit mox reuelat. *Ne fortè colligentes Zizania, erad cetis simul cum eis & triticū.* Sic imperiti erant cultores, sic operis nescij, sic discretionis scientiam non habentes, vt euellentes zizania eradicarent & triticum? Vbi sunt Prophetæ per Dei spiritum prophetantes? Vbi Petrus cui pater reuelat? Vbi Paulus in quo operatur & loquitur Christus? Vbi omnes sancti, plane sancti, sed serui, tantum scientes, quantum singulis scientiarum largitor indulsit? Sed dicis, hic occultum nil erat, nil erat ibi occultum, quando aliud videbatur in specie, aliud habebatur in flore: & quod hodie erat zizania, cras triticum vertebatur: sic hodie habetur hæreticus, qui crastina fit fidelis, & qui ad præsens peccator cernitur, ad futurum iustus assistit. Hinc est etiam quod auctor vtraque referebat ad messem, id est, vsque ad iudicium diuinæ patientiæ suæ, & nostræ pœnitentiæ tempus, vt qui se de malo commutarit ad bonum, dominicum deputetur in triticum cœlestibus horreis aggregandus, qui se de fideli fecerit infidelem, gehennæ deputetur incendio. Et quid plura? Si zizaniis non Dei patientia subueniret, nec Matthæum de publicano Euangelistam, nec Paulum de persecutore Apostolum Ecclesia possideret. Denique Ananias eradicare triticum tunc quærebat, quãdo ad Saulum missus, de Paulo talia querebatur, Domine, quanta mala fecit sanctis tuis: hoc est, eradica zizania, quid ad lupum ouis? quid ad contumacem deuotus? quid ad persecutorem talis prædicator missus? Sed cum Ananias videret Saulum, Paulum dominus tunc videbat: cum Ananias persecutorem diceret, tunc Dominus prædicatorem sciebat: & cum ille eum zizania iudicaret inferni, Christus eum vas electionis, triticum in cœlesti horreo iam ponebat. Vade, inquit, quia vas electionis est mihi.

Desiit fortasse quippiam.

Act.17. | Psal.120. | 1.Cor.1. | Matth. 10. | Gal.1. | 1.Cor. 13. | Act.9.

DE PARABOLA GRANI SINAPIS, SERMO XCVIII.

Avdistis hodie fratres, quemadmodum grano sinapis tota regni cœlestis comparata est magnitudo. Et quid est quod potestatem tantam, sic parua, sic minima, imo minimorum minima similitudo cõcludit? Sic enim ait Dominus, *Cui est simile regnum Dei, & cui simile est, æstimabo illud?* Cum dicit, cui est simile, quasi quærentis indicat & producit affectum. Et ille solus verbum, scientiæ fons, dicendi flumen, qui omnium corda rigat, sensus aperit, ingenium dilatat, in inuenienda similitudine nunc laborat? Sed quid inuenerit audiamus. *Simile est*, inquit, *regnum cælorum grano sinapis.* Quærés in cœlo & in terra, nil inuenit nisi granum sinapis, in quo potentiam totam supernæ dominationis includat: & illud regnum singularitate potens, æternitate felix, diuinitate fulgens, diffusum toto cœlo, tota terra dilatatũ in grani sinapis coarctat, & concludit angustias. *Simile est regnum cælorum grano sinapis.* Spes ista est credentium tota? Expectatio ista est fidelium summa? Ista est felicitas virginum longis continentiæ laboribus comparata? Ista est gloria martyrum totius effusione sanguinis cõquisita? Hoc est, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit? Hoc est, quod ineffabili sacramento diligentibus Deum promittit Apostolus esse præparatum. Fratres, non facilè dominicis moueamur in dictis: nam si infirmum Dei fortius est hominibus, & stultum Dei sapientius est hominibus: hoc minimum Dei tota magnitudine mundi magnificentius inuenitur, si modò hoc granũ sinapis nos sic nostris seminemus in mentibus, vt intelligentiæ magnam nobis in arborem crescat: & sẽsus altitudine tota leuetur ad cœlum, ac totos scientiarum diffundatur in ramos: atque ita ora nostra ferũetia viuido fructu sui saporis succendat, & ita igne seminis sui toto nobis ardeat & flammetur in pectore: atque nostræ ignoranriæ totum nobis auferat sua degustatione fastidium. *Simile est regnum cælorũ grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & creuit, & factũ est in arborem magnam, & volucres cœli requieuerunt in ramis eius.* Grani sinapis, sicut dicit, instar est regnum Dei, quod de supernis affertur verbo, suscipitur auditu, fide seritur, credulitate radicatur, spe crescit, confessione diffunditur, virtute tenditur, & dilatatur in ramos, ad quos vocat aues cœli, id est, spirituales sẽsus, atque in ipsis eas quieta suscipit mansione. Veniat hæreticus, veniat quia redeuntibus Ecclesiæ semper patescit ingressus: veniat, audiat, & pietati Dominicæ iam desinat oblatrare. Si cœlestis regni maiestas omnis ad grani sinapis similitudinem venit, quid queritur, quòd Deus ad hominem, Dominus serui descendit in formam? Sic enim venit hæretice, vt tibi totum per fidem cresceret, cui iam totum deferat per naturam. *Simile est regnum cœlorum grano sinapis.* Sed sinapis reuertamur ad granum; sic tota regni summa manet, & cõsistit in regno cœlorum. Christus est regnum cœlorum, qui velut granum sinapis in hortũ virginei corporis missus, orbe toto crucis in arborem creuit, ac tantum dedit fructus sui saporem, cum teritur passione, vt quid est vitale suo saporaret, & condiret attactu. Nam sicut in integritate grani sinapis virtus habetur occulta, apparet verò virtus eius vehementissimè, si teratur; ita Christus corpore teri voluit,

Luc.13. | 1.Cor.2. | 1.Cor.1.

qui suam noluit latere virtutem. Et nos, fratres, teramus istud granum sinapis, vt eius vim in hac similitudine sentiamus. Christus Rex, quia tota ipse est origo regnandi: Christus regnum, quia ipse est regni sui tota maiestas: Christus homo, quia totus homo reparatur in Christo: Christus granum sinapis, vnde magnitudo tota Dei tota hominis exiguitate minoratur. Et quid plura? Omnia ipse factus est, vt in se repararet omnes. Christus homo accepit granum siapis, hoc est, regnum Dei accepit homo Christus, quod habuit semper Deus Christus: misit in hortum suum sponsam: Huius horti sæpè meminit in Canticis Canticorum, dicendo: Hortus clausus: hortus est Euangelij vomere orbe tota diffusa cultura, clausus stimulis disciplinæ, ab omni pessimo gramine Apostolico labore purgatus, fidelium plantariis, liliis virginum, rosis martyrum, confessorum viriditate amœnus, fragrans floribus sempiternis. Hoc itaque granum sinapis in hortum suum misit Christus, id est promissione regni sui, quod radicatũ est in Patriarchis, natum est in Prophetis, creuit in Apostolis, in Ecclesia fecit arborem magnam, multiplices dedit in dominationibus ramos, quos enu-
1. Cor. 12. merat Apostolus, dicendo: Alij datus est sermo sapientiæ, alij verbum scientiæ, alij cura sanitatum, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio Spirituum, alij genera linguarum. Audistis, fratres, istud granum sinapis in arborem quam prorupit, audistis quas fundauit radices, audistis quales, quantósque se iam diffuderit, & secauerit in ramos, in quibus cœli non aëris aues, in pennis sapientiæ & prudentiæ volatu, fidei securitate requiescât. Et tu audi, si vis terrenas bestias non timere, si vis euitare aues rapaces, voraces vultures, hoc est, aues aëreas, quæ sunt omnes nequitiæ spirituales, eleuare à terra, terrena de-
Psal. 67. sere, sume alas colũbæ propheticæ deargẽtatas, sume pennas diuini solis fulgore radiatas, euola in specie auri, vt in tantis, & talibus ramis iam nullis laqueis attentanda requiescas semper, & de volatu tali valida, & de tanta mansione secura. De similitudine, sequenti verba Domino docente declarabimus.

DE PARABOLA FERMENTI,

SERMO XCIX.

Bene cucurrit hodiernæ series lectionis, vt Euangelica mulier mater nostra acciperet à Domino
Luc. 13. fermentum, per quod nobis hodie hoc templũ tantam sanctitatis exigeretur & surgeret in massam. Sic enim cœpit Dominus: *Cui simile æstimabo regnum Dei? Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina mensuris tribus, donec fermentatum est totum.* Bonus Dominus, amator suorũ Christus, regni sui similitudines iterat, variat cõparationes, quas nõ de occulto sumit, non captat de cœlestibus, sed profert de quotidiano vsu, de communi conuersatione
Psal. 48. proponit, vt ad omne genus hominũ perueniat, quod est hominibus profuturũ, iuxta illud Prophetæ: Audite hęc omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbẽ, quique terrigenæ, & filij hominum, simul diues & pauper. Si quid de diuinitatis occulto: si quid de secreto regali, si quid de penetralibus diuitum afferret in medium, hoc nesciret pauper, non caperet mediocritas, notum simplicitas non haberet, nunc verò loquitur nota diuiti, vsitata pauperi, omnibus vitæ ipsius necessitate vernacula, quia homo in Dei vocatione quæritur, non discernitur in eius vocatione persona. Sed lectam similitudinem replicemus. *Cui simile*, inquit, *æstimabo regnum Dei?* Sic dicendo appendit animos auditorum, & attonitos reddit stupore toto, quid regno Dei, quid imperio diuino valeat comparari: atque illis mente per multa & magna peruagantibus, cœli Dominus in hospitio pauperis, in manu panicoctariæ mulieris regni sui inuenit, & format exemplum, dicendo: *Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina mensuris tribus, donec fermentatum est totum.* Antè regnum suum grano sinapis comparabat, nunc illud efficit simile fermento. Antè sinapis granum memorat accepisse virum, mulierem nunc asserit accepisse fermentum: dicit antà exiguum semen virum seuisse in magnæ arboris incrementũ, mulierem modò fermentum breue ad profectum totius massæ abscondisse manifestat. Verè, sicut dixit Apostolus Paulus: 1. Cor. 11
Neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino. Ad vnum regnum diuersum sexum varia similitudo perducit: neque virum separat à muliere vocatio Christiana, quos Deus coniungit, natura sociat, & mira similitudine similes reddit habitus, forma componit, & facit Deus, vt sit homo vnus, duo: duo, vnus: alter ipse, homo in copula coniugali, ne sit aut singularitas destituta, aut confusa coniunctio: Sed quare has similitudines regni sui Dominus per virũ producit & fœminam? Quare maiestatem tantam tam vilibus, tam disparibus format exemplis? Fratres, pretiosum latet in hac vilitate mysterium, dicente Apostolo: Mysterium hoc magnum est, ego Ephes. 5.
autem dico in Christo, & in Ecclesia. Comparationibus istis humani generis negotium geritur principale: per virum & mulierem mundi causa sæculis tractata finitur. Adam primus homo, mulier prima Gen. 3.
Eua ab arbore scientiæ boni & mali, ad Euangelici sinapis arborem deducuntur, vt oculos quos illecebrosa arbor aperiendo clauserat, sinapis arbor grani sui collyrio & acritudine ipsa dum claudit, aperiret, vt ora quæ venenosæ arboris gustus infecerat, salutaris arbor flammeo gustus sui sapore sanaret, & ista arbor igneo pastu suo conscientiam toto conuersationis suæ ardore succenderet, quam frigidam illa toto iam rigore perfecerat. Neque hic iam vel agit, vel confunditur nuditas, vbi hominem totum tegit venia fidei, facit calere vestitus: sed hoc per granum sinapis quod acceperat vir cõferatur fœminæ. Quid verò per fermentũ, quod accepit mulier, conferatur homini, solicitius perscrutemur. *Simile est*, inquit, *regnum Dei fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina mensuris tribus.* Res de vsu geritur: vir in agro sinapis arborem serit, domi mulier fermentum procurat, & panes præparat alimoniæ: quia virum foris expectat labor, intus mulierem domestica cura constringit. Hinc est quòd Sara sterilis, & anus ex Gen. 18.
ista præparatione fermenti, & ex tribus mensuris, tres subcinericios panes dominicæ hospitati offert, mystico & apponit obsequio, vt sterilitas mũdi tota senectute conclusa, in mensuris tribus, hoc est, in æqualitate Patris, & Filij, & Spiritus sancti, fermentum fidei collocaret, & Domino suo tres panes poneret confessione Trinitatis: atque pro munere hoc totã Christiani germinis fœcundaretur ad prolem. Sed ad proposita redeamus. Mulier accepit à Deo fermentum fidei, quæ acceperat à diabolo perfidiæ fermentum: abscondit in mensuris tribus, hoc est, in tribus hominũ temporibus, quod est ab Adam vsque ad Noë, à Noë vsque ad Moysen, à Moyse vsque ad Christũ: vt mulier quæ corruperat fermento mortis in Adam totam massam generis humani, fermento resurrectionis totam carnis nostræ massam redintegraret in Christo: vt mulier quæ confecerat panem gemitus & sudoris, panem vitæ coqueret, & salutis:

& salutis: & esset omnium viuentium mater vera per Christum, quæ erat in Adam mater omnium mortuorum. Ob hoc namque Christus nasci voluit, vt sicut per Euam venit ad omnes mors, ita per Mariam rediret omnibus vita. Quæ Maria huius fermenti implet typum, similitudinem præfert, consignat figuram, dum de supernis suscipit fermentum verbi: & humanam carnem in aluo Virginis, imò in alueo Virginis cœlestem totam conspersit in massam. Sed quid allegorici sensus in hac similitudine maneat, iam prodamus: Mulier quæ accepit fermentum, Ecclesia est: fermentum quod accepit, cœlestis doctrinæ est sacramentum: mensuræ tres in quibus perhibetur abscondisse fermentum, Lex, Prophetæ, Euangelia, vbi diuinus sensus mystico absconditur & celatur in verbo, vt fidelem non lateat, lateat infidelem. Quod autem dixit: *Donec fermentatum est totum*, illud est quod Apostolus dicit: Ex parte scimus & ex parte prophetamus: cùm autem venerit quod perfectum est, cessabunt quæ ex parte sunt. In conspersione scientia nunc diuina est, aspergit sensus, leuat corda, incrementat ingenia, & doctrinarum mare ad sapientiæ cœlestis dilatat, suscitat, diffundit augmentnm, fermentatur totum quando adueniente Christo. — 1.Cor.15.

Deest finis.

DE SYROPHOENISSA, SIVE Chananæa,

SERMO C.

Hodie beatus Marcus cum Syrophœnissæ mulieris commendat prudentiam, fidem refert, credulitatis extollit ardorem, solicitis auditoribus non paruam generat quæstionem, dicendo: *Et inde surgens Dominus abiit in partes Tyri & Sydonis, & ingressus domum, neminem scire voluit, & non potuit latere.* Voluit, & nō potuit: velle, & non posse, non est diuinæ maiestatis, est infirmitatis humanæ. Scriptum est enim: Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibns abyssis. Et Apostolus: Voluntati eius quis resistit? Succumbit necessitati, quæ non libera & absoluta voluntas. Leprosus dicit ad Dominum. Si vis, potes me mundare: & Euangelista dicit. Voluit & non potuit. Quid ait beatus Marcus? Nunquid extollenda ita est mulieris fides, vt inclinetur Domini possibilitas, & voluntas? Aut est tanta sagacitas fidei vt nolente Deo diuinum valeat inuestigare secretum? Tale mihi videtur & illud esse, cùm Dominus Hemorrhoissæ fidem in suæ virtutis vult procedere ac probare documento, interrogando: Quis me tetigit? Cui discipuli: Turbæ te comprimunt, & dicis, quis me tetigit? Discipulis videbatur, quòd omnes tangerent Dominum solo corpore comprimentes: & tali carnali incessu omnes similiter iungerentur: similiter ille, qui aliter senserat, & aliter inquirebat, peruenisse mulierem ad maiestatem suam, ad suam penetrasse virtutem, mente, non corpore, non communi tactu, sed fide, ista sciebat. Vnde clamat non homo, sed Deus: non caro, sed spiritus. Quis me tetigit? vt non proderet virtus operis, quem tunc humanitas occultabat. Sed quid sit voluit, & quid sit non potuit, euidentius inquiramus. Promissionis suæ memor Christus Israëlitici populi primum venerat ad salutem, vt quod Abrahæ promiserat, & semini eius Dauid, eiúsque posteris, fidele redderet persolutum: sed quia indignos se sua perfidia præstiterunt, obtinuit, rapuit, traxit fides gentium, quod infidelitas spreuit & perdidit Iudæorum. Audi ipsum dicentem: Non summissus nisi ad oues perditas domus Israël: sed oues luporum cogitatione iam rabidæ, & ipsis bestiis propria feritate sæuiores, laniare & violare suum semper voluere pastorem: atque ideo velle suum Christus implere non poterat, non impossibilitate sua, sed nequitia perditorum, & quod aliis detulerat, aliis conferre cogebatur, dicente ipso: Regnum cœlorum vim patitur, & qui vim faciunt, diripiunt illud. Vim fecit fides gentium, vt raperet hæreditatem patris: ipsam hæreditatem totam diriperet filiorum, sicut euidentius præsenti lectione monstratur. *Mulier enim statim vt audiuit de eo, cuius habebat filia spiritum immundum, intrauit, & procidit ante pedes eius; erat autē gentilis Syrophœnissa genere: & rogabat eum, vt dæmonium eiiceret de filia eius, qui dixit illi, sine prius satiari filios: non enim est bonum tollere panem filiorum, & mittere canibus.* Non dixit, non est bonum mittere canibus, sed non est bonum tollere filiis, & mittere canibus: quia dare panē canibus, etsi humanitatis non est, humanæ tamen est rationis. Canis dormientibus dominis nocte & custos & peruigil prouidit extraneum tuba furem, occurrit latroni, vt curam reuelet, & solicitudinem seruulorum, verumtamen quomodo tulit panem filiis, quibus toties & taliter obtulit, tribuit, ingessit? Sed illi oblatum conculcare ad scelus, non ad vitam sumere sunt conati: & tamen comminutum & conculcatum à filiis, canis tota fide, toto desiderio lambere festinauit. Hinc est quod sic respondit: *Vtique domine: nam & catelli sub mensa comedunt de micis puerorum.* Merito quæ se canem confessa est, in hominem commutatur: & iustè conuertuntur in canes, qui se filios esse noluerunt: merito adoptatur in filiam, leuatur, honoratur ad mensam, quæ se sub mensa laudabili & prouida humilitate deiecit: iustè toto nunc epulatur micas ex pane, quæ suis meritis se intellexit, & confessa est vix mereri. Et quid plura? Hinc est, quod propter iustitiam suam dominus, nec Iudæis dare potuit, nec gentibus denegare.

Matth.7. Psal.134. Rom.9. Matth.8. Marc.5. Genes.12. Psal.131. Marc.15. Matth.11.

Deest aliquid.

IN ILLVD LVCÆ, NOLITE timere eos qui occidunt corpus, &c. déque morte contemnenda.

SERMO CI.

Avdistis fratres quemadmodum milites suos Christus regia exhortatione compellat, vt despectu mortis interfectores corporis non paueseant: denique eos in amicorum iura transcribit, qui studio triumphi, qui amore libertatis, sanguinem cum gaudio, & sine trepidatione fuderint, sic enim ait: *Vobis autem dico amicis meis, ne terreamini ab his qui occidūt corpus, & post hæc nō habent amplius quid faciant: Ostendam autem vobis quem timeatis, timete eum qui postquam occiderit, habet potestatē mittere in gehēnam.* Vobis autem dico amicis meis, ne terreamini: quia libertatem probat virtus, metus indicat seruitutem: nam liber ad gloriam, seruus natus est ad timorem: meritò ergo ad Dei amicitias sublimatur, qui propter Deum humanas despicit mortes, nescit timores. Si amicos morum facit imitatio, morum similitudo coniungit, conuenienter eos amicos vocat Christus, quos imitatione sua mundi iacula, & ipsam mortis formidinem conspicit, & præuidet calcaturos. *Vobis autem dico.* Id est, non omnibus, sed amicis. *Vobis autem dico.* Quos mors absoluit ista, non finit. *Vobis dico.* Quos corporis resolutio promouet ad melius, non transducit ad pœnam. *Vobis dico.* Quibus — Luc.12.

bus morte vita inchoatur, non finitur. *Vobis dico.* Quorum mors pretiosa sit non sui qualitate, sed causa: dum vitæ magis lucra inuenit, quam vitæ perdat vsuram. Sed audiamus, quid dicat amicis suis: *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus.* Audiant qui de bono mortis veterum vetusta volumina detriuerunt, nihil tamen inde capere virtutis, aut consolationis aliquid inuenire valuerunt. Quia etsi totis eloquentiæ viribus ad tolerantiam mortis armarunt animos, siccarunt lachrymas, suspiria sustulerunt, negauerunt gemitus, incluserunt dolores: nihil tamen aut de spe certa, aut de perpetua vita, aut de vera suis lectoribus salute conquisierunt. Quis homini, quis sapienti dicat? Mori naturæ est: necesse est deperire. Nobis vixerunt veteres, viuimus nos futuris: nemo sibi, quod non potest tolli, velle virtutis est: suscipe voluntarius, ad quod vrgeris inuitus: mors antequam veniat non est, cùm autem venerit, venisse nescitur. Nec ergo amisisse te doleas, quod cum amiseris, non dolebis. Sed hæc talia cùm dixerint, dicunt totum de sententia, non de vita. Quia vnde, & quando, & quomodo tibi, & per quem mors venerit, nescierunt: nobis autem author vitæ prodidit mortis authorem: Deus namque vitam fecit, diabolus machinatus est in vitam, diuino eloquio sic prodente, Deus mortem non fecit, inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Sed dicis, quare Deus opere diaboli opus suum passus est de-
Sap.1.& 2. perire? O homo, si interrogata scire velles, vacares paululum, dares animum, aperires aures, vt negotium principale arbiter ipse totum curiosus agnosceres: sed tu occupatus aliis semper, tibi nunquam, quare nescias rerum causas, negotia tota sæculorum, iudiciorum profundum, & impenetrabile secretum deses & otiosus accusas. Nónne vt apices litterarum, vt elementa cognosceres, addictus magistro, scholis affixus, totus patiens laboris & pœnæ, nec domum noueras, nec parentes? Quàm vtile tibi est ad quod tibi magister addicitur, ingeritur schola, & tibi pœnis tuis, labore suo doctor supplicat, vt ista velis scire, vt talia & tanta digneris audire. Probant hoc Apostoli, & maximè Paulus, qui vapulando docuit, non cædendo, vt eximius magister quot sunt homini mores, tot ferret & exciperet passiones. Et nos ea in puncto temporis rerum principia, causas sæculi dicamus, quia iubemur: & quomodo nos iubemur? & tu audis non quomodo debes: & nos ista seruitus, necessitas talis excusat: te libertas tanta, voluntas talis indubitanter accusat: quod dicimus, officij nostri est: quod minus dicimus, est fastidij tui. Quæris homo, cur non mortem Deus mox cum ipso extinxit authore, & lethale virus sua prouidentia tunc non prouidit, ne ad totius orbis, & præcipue ad suæ imaginis perniciem perueniret? Cœlum quod tu vides homo firmatum aëre toto, portat aquas multas, nec portatur ab aliquo ipsum, quia sola illud appendit iussio, sola sustinet vi præcepti, diuino eloquio sic prodente. Qui extendit cœlum sicut pellem: qui tingit
Psal. 101. in aquis superiora eius. Terra quæ tanto calcatur pondere, atque onere montium, ac mole solidatur,
Psal. 133. supernatat liquido fundamento, dicente Propheta:
Psal. 148. Qui fundauit terram super aquas, vt quod stat, mandati sit, non naturæ. Ipse, inquit, dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt, vt quod stat, sit diuini operis, non rationis humanæ. Mare quod tanto commotionis suæ vertice fertur, & eleuatur ad nubes, frænant tenues arenæ, vt videamus potestatem non pulueri cedere, sed præcepto. Omnia quæ in eis sunt, mouentur ac viuunt solo iussu facta, iterum sola iussione soluenda confirmat Prophera, cùm dicit: Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli: ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes sicut vestimentum veterascent, & velut opertorium mutabis eos, & mutabuntur. Quomodo? Vt tempori vetustas, non creatori pereat creatura. Sed tu iam nos quicunque quæris, euagatus es, dicis: quia cùm tu quæris, quare Deus mortem in destructionem sui plasmatis permiserit permanere, nos cœlum, terram, mare ex nihilo facta, & soluenda iterum ex nihilo longo sermone descripsimus, tibi magis ac magis disquirendi materiam conquisiuimus. Dicis: Ego quæsiui cur homo pereat, tu & ipsa elementa peritura firmasti, vt de generalitate pereundi solatium, non quietem de ratione, fessis mortalium sensibus prouideres, quasi non doloris sit perire cœlum, solui terram, & totam rerum faciem iure mortalitatis aboleri. Dicis, rogo quid pulchrius cœlo? quid splendidius sole? quid ornatius stellis? quid luna gratius? quid salubrius terra? quid vtilius mari? aut quæ in istis vetustas? quæ sicut nata vel facta sunt, perseuerant, quod vtique gratius esset ista stare, quàm perdere. Homo, forsitan esset iucundius, sed non vtilius: nam istis stantibus tu nutasti: istis lucentibus cæcatus es, ne videres: cœli claritas stupefecit sensus tuos, oculos tuos sol splendore cæcauit: nam decore deceptus horum, horum opificem tu negasti, istos rectores mundi, istos confessus es Deos, quos tuæ Deus verus subiecerat seruituti: necesse est ergo solui cuncta, nouari omnia, vt vel tunc facta credas, cum videris esse reparata. Nec nos æstimes euagatos, quos in argumentum tuæ intelligentiæ totam percurrisse conspicis creaturam. Homo quando te author tuus fecit ex puluere, non vidisti: nam si te vidisses factum, nunquam te moriturum sic defleuisses, vidisti te perfectum, vidisti te viuentem, vidisti te decorum, authori tuo te similem iam vidisti: vnde esses, qualis esses, quia nec nascentem, nec morientem videras, nesciebas? Hinc est, quod naturæ dedisti totum, tibi te, Deo nihil, propterea Deus per naturam redegit te, permisit de nihilo in puluerem reuocari, vt quid fueris sic videas, & resurrecturus agas gratias, qui factus, qui creatus ingratissimus extitisti. Non timeamus ergo fratres, sicut dixit dominus, eos qui occidunt corpus, quia istam vitam non perimunt, sed destruunt, dum de temporali faciunt sempiternam. Quid plura fratres? Permisit tunc mori, qui poterat suscitare, qui viuificare sufficit, permisit occidi: cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

DE CENTVRIONE,

SERMO CII.

CHristus in corpore nostro manens, quòd omnes non suscitauit mortuos, omnes non sanauit ægrotos, credamus hoc non potestati defuisse, sed tempori. Tunc orbem totum toto virtutis suæ fulgore radiasset, & sustulisset tempus fidei: & nihil secundi aduentus sui reseruasset ad gloriam. Nec verò sic virtutum suarum temperauit insignia, vt & diuinitatis suæ manifestaret indicium, & credendi documentum plenissimum largiretur, & excusationem callidæ infidelitatis auferret, sicut hodie Centurio, cuius Euangelista Lucas meminit, fide sua, Luc.7.
prouidentiaque monstrauit. *Centurionis*, ait, *cuiusdam seruus malè habens moriebatur, qui illi erat pretiosus.* Centurio hic Romanus erat: sed plus erat hic ipse fructu cétesimo Christianus. Et Deo magis militabat iste, quàm sæculo: & in humano bello fortis,

fortior

fortior in diuino pacis custodia permanebat. *Cuius seruus malè habens moriebatur, qui illi preciosus erat.* Seruus erat, qui pretio taxabatur. Quæramus ergo, quis est seruus, qui illi erat pretiosus. Si dominabitur anima, corpus seruit: & homini nil corpore preciosius. Hic seruus Centurionis istius pretiosius infirmabatur ad mortem: ergo Centurio rogabat vt Christus solus mortali corpori largiendo vitam perpetem subuenirer. *Cùm audisset*, inquit, *de Iesu, misit ad eum seniores Iudæorum.* Gentilis Iudæos ad Christum mittit, & in lege positis, qui sine lege erat, legis demonstrat authorem. Nemo ergo miretur si Gétilis hoc est Chistianus, aut vocat, aut ducit, aut perducit ad Christum. *Misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eum vt veniret, & salutaret seruum eius. At illi cum venisset ad Iesum, rogabant eum sollicite dicentes. Dignus est vt hoc illi præstes: diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse ædificauit nobis.* Iudæi rogãt pro Gentili, qui pro se non rogant: & agunt satis pro salute alieni serui, qui pro salute suorum nihil agunt filiorum, aiunt: *Dignus est vt hoc illi præstes.* Si dignus est qui audit, credit, mittit ad Christum: ad Christum qui venit, videt, & non credit, quàm probatur indignus? *Diligit enim gentem nostram.* Ille diligit gentem vestram, quam sic Christo supplicem facit: sed vos audistis eam, quam sic Christo redditis contumacem. Aut quomodo Christianus non diligit gentem vestram, qui dum Christum fatetur ex gente vestra, quicquid gentis vestræ est cœlestem tollit & extollit ad gloriam. *Diligit enim gentem nostram, & synagogã ipse ædificauit nobis.* Audistis quia semper diruta est synagoga, & iacet iugiter in cæmentis, nec cœlestem surgit in fabricam, nisi eam in Ecclesiæ culmen Christianus fabricator instruxerit. *Iesus*, inquit, *ibat cum illis.* Sed illi non ibant cum Iesu, cum quo mente non ibant: nec cum illo erant, qui seiuncti corde, corpore videbantur adiuncti. *Et cum iam non longè esset.* A quo? à gentili. Quantum Iudæi se seiungebant à Christo, Christus tamen gentibus iungebatur. *Et cum longè iam non esset, misit ad eum Centurio amicos.* Qui ante miserat Iudæos, nunc amicos mittit: vt Iudæos sic dicendo iudicet inimi-
Rom.11. cos: probante hoc Apostolo cum dicit: Inimici propter vos. Iudæi dum credidisse gentes inuident, quicquid erat & legis & gratiæ perdiderunt: *Misit*
Ioan.15. *ad eum amicos.* Audi ad Apostolos Dominum dicentem: iam non dicam vos seruos, sed amicos. Sicut fides seruos promouet in amicos, ita perfidia filios in pœnalem redigit seruitutem. *Misit ad eum amicos, dicens, Domine, noli vexari.* Quare? *Quia non sum dignus vt intres sub tectum meum.* Videtis quia Christus ducebat magis Iudæos quam adduceretur à Iudæis, vt audirent esse penes Centurionem diuinitatis reuerentiam, penes Gentilem legis cultum, penes militem stipendium gratiæ, penes Romanum fidei doctrinam, in frigore pagano Christianum calorem, in terreno pectore cæleste secretum, & notitiam tuam dominationis supernæ in tota sæculi seruitute. *Domine, noli te vexare.* Hoc est dicere, Deus quid te vexas humano in corpore? quid te conficis labore terreno? & viæ longitudine te fatigas? quid peregrinaris locis, qui es vbique totus; atque intra te totam tenes & possides creaturam. *Domine noli te vexare, non sum dignus vt intres sub tectum meum.* Fratres, quod est tectum quod hominem aut dignum facit, aut reddit indignum: quo diuinum inuitet, aut repellat accessum: Fratres hoc tectum corpus est, quod tegit animam, quod operit sensum spiritus, quod cordis domicilium velat, quod libertatem mentis à cœlesti visione secludit. Sub hoc ergo tecto Centurio indignum ducit intrare Christum, hoc est in corpus humanum diuinam succedere maiestatem. *Non sum dignus vt intres sub tectum meum.* Sed Deus qui hoc humanum est, cum vult facit esse diuinum; & quod nostræ carnis est, cum dignatur, suum commutat in spiritum, nec habitare carnem, nec tectum nostri corporis dedignatur intrare. *Propter quod*, inquit, *& meipsum indignum arbitratus sum venire ad te.* Hoc est vtrumque deuoti, quia & ad se Deum venire indignum ducit, & se accedere ad eum scit esse non dignum. Quis intrat ad Iudicem non vocatus? quis non iussus ingreditur ad Regem? quanto magis ad Deum non venit quis non vocatus? Quos vocauit, inquit, eos & iustificauit. Centurio ergo non refugit aduentum Domini, Christi præsentiam Rom.8.
non recusat, sed agit, vt vocantis sit gratia, non sit temeritas præsumentis. Nam Deus quid possit, humano suggerit & informat exemplo, dicendo, *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, vade, & vadit: & alij veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit.* Hoc est, si ego, qui sum sub potestate constitutus, imperio verbi solo facio mihi parêre subiectos: quomodo tu qui nulli subiaces, & cuius omnia subiacent potestati, verbo non potes iubente curare? sanitatem mittere? mandare virtutes? Aut verbo reficere non potes, quod verbo fecisti? Dixit, inquit, & facta sunt: mandauit & Psal.148.
creata sunt. Aut aliquid ex aliquo reparare non sufficias, cuncta ex nihilo qui parasti? *Dic ergo verbo & sanabitur puer meus.* Impleuit illud, quod Propheta de Deo cecinit: Misit verbum suum, & sanauit Psal.103
eos, & eripuit eos de corruptela eorum. Fratres, Centurio iste dicendo: *Non sum dignus, vt intres sub tectũ meum*, Christiani populi gerit figuram, qui Christi præsentiam corporalem se iudicat non mereri: sed solo verbo, nuncio, auditu, fide tantum, totas Domini audit, credit, respicit in sua sanitate virtutes. Nam quod dicit: *Dico huic, vade, & vadit: & alij, veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit*: Iudæorum repulsam, vocationem gentium, Christiani populi obedientiam sic demonstrat. *Dico huic*: Hoc est Iudæo, qui non credidit. *Vade, & vadit: & alij.* Hoc est, Gentili, quia credidit. *Veni, & venit: & seruo meo.* Hoc est: Christiano, *Fac hoc, & facit.* Oremus fratres, vt mereamur Christiani non nomine tantum esse, sed fide: & vt quæ iubentur, non audiamus tantum, sed faciamus audita. Quia sicut deuoti serui est fecisse iussa, ita iussa contumacis non fecisse. *Dic ergo verbo, & sanabitur puer meus. Quo audito*, inquit, *Iesus miratus est.* Creator mirabilium miratur: aurium conditor quasi qui non audita nesciat, sic stupet audita: sed dum Gentilem sic credidisse miratur, incredulitatem corripit Iudæorum: denique, *Sequentibus se turbis dicit.* In morte manentes arguens sic Iudæos. *Amen dico vobis, nec in Israël tantam fidem inueni.* Verum est fratres: fides sola viuit, & viuet in gentibus: signa & virtutes lassant, & nihil proficiunt in Iudæis.

DE FILIO VIDVÆ EXCITATO à mortuis, déque corporum resurrectione.

SERMO CIII.

HOdie beatus Euangelista, quia viduæ matris Luc.7.
vnicum iam funeris vinculis illigatum, lamenrabili impositum iam feretro, prosequentibus turbis euntem iam carceris ad sepulchrum, per Christum vitæ redditum nunciauit, omnium concussit Esa.26.
corda, mouit mentes, stupefecit auditum. Sed hoc Iuxta LXX
Gentes mirentur, Iudæi stupeant, mundus pauescat:

Ioan 5. 1. Cor. 15. nos autem, qui omnes à sæculis mortuos ad vnam vocem Christi sepulchris excitandos credimus, cur miramur? Exurgent, inquit Isaias, mortui, & resurgent qui in monumentis sunt. Et Dominus. Veniet hora quando mortui audient vocem filij Dei: & qui audierint, viuent. Ad hæc Apostolus: In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti. Quæ est ista tuba, quæ inferis infert bellum, sepulchri resoluit moles, intonat mortuis vitam, resurgentibus in lucem perpetem dat triumphum? Quæ est? Illa quam superius Dominus dixit: Mortui audient vocem filij Dei. Tuba non quæ arctato spiritu per concauum cornu ligni, vel æris tristem bellantibus dat mugitum: sed quæ de corde patris, ore filij, vitalem simul & inferis & superis dat clamorem. Et in nouissima tuba: tuba quæ in principio mundum vocauit ex nihilo, ipsa in nouissimo mundum reuocabit ex perdito: & quæ initio hominem suscitauit ex limo, ipsa in fine hominem resuscitabit ex puluere. Fratres, sic credimus, quia tuba diuinæ vocis chaos diuisit, collegit orbem, mundauit elementa, distinxit mundum, suspendit cœlum, fundauit terram, mare vicit, mersit infernos, dedit ordinum vices, iussit rerum continuam seruitutem, ac ne vacuus horreret orbis, aptauit habitatores, habitacula sic discreuit, in cœlo posuit Angelos solo spiritu viuentes, in terra constituit vitas varias terrenorum: in aëre dedit animas aligeras peruolare, in aquis tam pusilla quam magna fecit, vt viueret animantium multitudo, ac miro modo sic ex disiunctis partibus iunxit compagem mundi, vt nec commixtio discreta confunderet, nec discretio rerum scinderet vnitatem. Hinc est, quod diei ac noctis copula sic diuisa est, vt ex quiete labor, requies ex labore constaret. Hic Sol & Luna vicissim mundi circumeunt metas, vt Sol geminata luce amplificet claritatem diei: & Luna lumine suppari ex toto cæca noctis tempora non relinquat. Hinc stellæ suo cursu varios mutant ortus, vt noctibus & signent tempora, & viantibus dent ducatum. Hinc tempora eundo veniunt, esse incipiunt dum desistunt. Hinc semina nascuntur, crescunt, adolescunt, iuuenescunt, senescunt, decidunt, moriuntur, & iterum vitalibus sepulta sulcis, resoluta putredine, salutari ex morte in vitam suam redeunt: de corruptione propria suscitantur in forma. Et si hoc fratres Dei vox, tubi Christi, per dies, per menses, per tempora, per annos, vocat, reuocat, ducit, reducit, præcipit esse, faciat non esse, dat morti, vitæ reddit, quare quod in omnibus semper facit, semel facere non possit in nobis? Aut in nobis solis virtus diuina lassescit, propter quos solos totum quod prædictum est, Dei est operata maiestas? Homo, si tibi omnia sua ex morte reuiuiscunt, cur tu Deo tuo non reuiuiscas ex morte, aut in te solo Dei creatura depetit, propter quem subsistit, agitur, mutatur, innouatur tota quotidie creatura? Fratres hæc dico non signorum Christi cupiens exinanire virtutes, sed hortor, vt vnius resurgentis exemplo ad vitam resurrectionis omnium concitemur & credamus quod crux nostri corporis fit aratrum, fides, semen, sulcus, sepulchrum, resolutio, germen, expectatio, tempus, vt cum Ver Dominici aduentus arriserit, corpotum nostrorum matura tunc viriditas vitalem resurgat in messem, nescituram iam finem, nescituram caniciem, non passuram falces, nec flagella sensuram. Quia depositis in morte vestutatis paleis nouum gloriosi corporis consurgit in fructum. Si ad vnius viduæ lacrymas temporales sic motus est Christus, vt occurreret in via, vt ex oculis stillantia dolorum fluenta restingueret, vt recurreret mortem, reduceret hominem, resuscitaret corpus, vitam reduceret, planctum verteret in gaudium, & exequias lugubres in festiuitatem natalitiam commutaret, & feretro datum, matri viuum redderet ex morte, quid modo faciet quando inardescet viribus suis ad Ecclesiæ suæ lachrymas diuturnas, ad sponsæ suæ sanguineos sudores? Nam per supplicantem Ecclesiam lachrymas fundit iuges, per martyres sacrum sanguinem sudat, donec vnicum suum, hoc est populum Christianum, quem tot ad mortem ferunt tempora, occurrens Christus de mortali feretro perpetuæ vitæ reddat in supernæ matris gaudium sempiternum. Verum quia nascentis Christi venit tempus, & miraculum cœleste iam radiat paritura virginitas, atque ortum diuini Regis nobis non stella iam nunciat, sed ipse Solis ascensus, adoraturi occurramus omnes, & muneribus sacris Deum, Regemque virgineo processisse fateamur ex templo: offeramus munera, quia nascenti Regi semper publica paratur oblatio: offeramus munera, quia indeuotus satis est vacuus adorator. Matth. 2. Hoc probat Magnus, quod onustus auro, succensus thure, sacratus myrrha, Christi cunabulis inclinatur. Quale est, si quod fecit Magnus, non faciat Christianus? Quale est, si ad gaudium nascentis Christi fleat pauper, captiuus gemat, hospes lamentetur; eiulet peregrinus? Festa cœlestia Iudæus decimis semper honorauit, Christianus quid de se sentit, si vel centesimis non honorat? Fratres, ne quis me hoc dicere existimet declamantis studio, non dolentis affectu. Doleo, certè doleo, quando lego Christi cunabula Magos rigasse auro: & video altare corporis Christi Christianos vacuum reliquisse: & in tempore hoc præsertim, quando se pauperem fames vastat: quando se fundit turba lamentabilis captiuorum. Non habeo, nemo dicat, quando Deus ex eo quod habes, non ex eo quod non habes, quærit: quando duo æra viduæ in acceptum dignanter ascribit. Deuoti simus creatori, vt nobis deuota sit creatura. Proximorum nostrorum sustentemus angustias, vt à nostris liberemur angustiis. Repleamus altare Dei, vt nostra horrea repleat fructuum plenitudo. Certè si non damus: quia non accipimus, non queramur. Ipse autem Deus noster donet vobis tam præsentia, quam futura bona, per dominum nostrum Iesum Christum, cui est omnis honor & perpetua gloria, vnà cum Spiritu sancto, nunc & semper, & per omnia sæcula sæculorum. Amen.

DE DIVITE, CVIVS AGER ferax.

SERMO CIV.

QVoties diues iste venit in medium, quem tot sæculis, orbe toto, die omni clamor diuinæ vocis accusat, toties diuitiarum fallax fugatur illecebra, totiens cupiditatum furens flamma restinguitur, auaritiæ toties rabies vesana mitigatur. Sic Luc. 12. namque hodie cœpit Dominus Iesus: *Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit: & cogitabat intra se dicens: Quid faciam? quod non habeo, quo congregem fructus meos? Et dixit, hoc faciam, destruã horrea mea, & maiora faciã: & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi bona mea: & dicã animæ meæ: Anima, habes bona multa posita in annos multos, requiesce: manduca, bibe, epulare. Dixit autẽ illi Deus. Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti cuius erunt?* Miserum, quem vbertas sterilem, abundantia anxium, inhumanum copia, diuitiæ fecere mendicum. Humanus ager inhumanum Dominum sustinebat:

bat: & quod terra fundebat largiter, concludebat & congregabat anguste: vt esset alienorum custos, qui esse suorum noluit prorogator, ingratus Deo, sibi nequam, hostis pauperum, diuitum nota, carcer naturæ. *Hominis cuiusdã diuitis vberes fructus ager attulit, & cogitabat intra se.* Quasi possit extra se quispiam cogitare, sed intra se iste cogitabat, qui in corde suo impietatis consilio recepto nil pietatis sibi, misericordiæ nil reliquit. *Cogitabat intra se dicens.* Digno consiliario se vsus, qui mali animi non poterat habere solatium, non poterat habere collegã. *Et cogitabat intra se dicens:* Mens impia cum pietate certabat, & patiebatur intestinum bellum, qui misericordiæ pacem perdiderat, & quietem. *Et cogitabat intra se, dicens: Quid faciam?* Interrogantis vox est: & quem putas interrogabat iste? Erat in illo alter, quia ad eius penetralia iam diabolus possessor insederat: & qui intrauerat in cor Iudæ, mentis eius tenebat arcanum, *Quid faciam? quod non habeo?* Audistis quomodo non habet diues? Ecce clamat, *Non habeo.* Verum est, quia non habet semper, qui quærit semper: & non habet vbi congreget, qui vt congreget sic requirit. Sed audiamus quid ei responderit consiliarius internus. *Destruam horrea mea.* Euidenter apparuit qui latebat: quia à destructione incipit semper inimicus: Agit, agit, vt quæ habes destruas, & quæ concupieris non reformes. Miser diues ignarus de præsentibus, disputas stultissimè de futuris. *Desunt nonnulla.* Præsens vbi est sedes animæ transtulisses: at nunc catenæ horreorum tuorum strinxerunt fauces pauperum: vinxerunt hospitum colla, esurientium viscera contriuerunt: vnde pauperum te præcedunt gemitus, & sequuntur, accusant te hospitum luridi vultus: te turba impetit plangens petentium: vt addictus à superno Iudice satietatem pœnarum capias, qui horreorum tuorum seras negando cæteris, tibimet conclusisti. Cogitabat intra

Psal. 93. se diues, merito illi taliter respondit, qui scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. *Stulte, hac nocte repetunt animam tuam à te: quæ autem parasti, cuius erunt:* Bene stulte, quia ibi totum de carne fuerat, nil de corde: Bene stulte, quia migraturæ mox animæ condita satis longa præparabat. *Hac nocte à te repetunt animam tuam.* Conuenienter hac nocte, quia fugiens misericordiæ lucem, auaritiæ tenebris se manciparat, dicendo: *Manduca, bibe, epulare.* Quod autem bibentes filij noctis sint, non diei, Apostolus

1. Thes. 5. sic declarat: Et qui inebriantur, nocte ebrij sunt: per obscura fertur, assumitur per tenebras qui vitæ subsidium suorum mandauit & condidit horreorum. *Repetunt animam tuam à te.* Quare non dixit, qui dederat, repetit, sed repetunt? Quia sanctorum Deus repetit animas, & reducit: tartarei ministri repetunt & pertrahunt animas impiorum. *Et cogitabat intra se dicens: Quid faciam? quod non habeo, quo congregem fructus meos? Et dixit, hoc faciam, destruam horrea mea & maiora faciam, illuc congregabo omnia quæ nata sũt mihi bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos multos, manduca, bibe, epulare. Dixit autẽ illi Deus, Stulte, hac nocte repetũt animam tuam, quæ autem parasti cuius erunt?* Vnde iste diues sic præuentus est, vt magis cogitata perderet, quam parata: & impletum est illud Prophetæ,

Psalm. 145. Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Cogitauit iste quid post se relinqueret, non quid præmitteret ante se: vnde iuxta Apostolum: Euanuerunt in

Rom. 1. cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: æstimantes se esse sapientes, stulti facti sunt. Cui dicitur, stulte, & excitatus de somno præsentis vitæ in illa perpetuitate nihil inuenit in manibus suis: sicut dixit Psalmista: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Vigila ergo diues in opere bono, in malo dormi: vt non sit manus tua pauperi vacua, vt tibi plena sit semper. Quia diues quantum largiter profundit, tantum largiter redundat in rebus. Esto ergo diues in misericordia, si semper esse vis diues, & tunc erunt horrea tua maiora, tunc plena si non fuerint largitate vacua, cupiditate inclusa. Psalm. 75.

DE MVLIERE QVÆ HABEBAT spiritum infirmitatis.

SERMO CV.

HOdie cura Christi, & diuinæ virtutis dedit mirabile documentum, & diabolicæ fraudis nudauit astutiam, & absoluit mulierem longo & obscuro vulnere sauciatam, sicut ait Euangelista: *Erat Iesus docens in synagoga sabbathis, & mulier quæ habebat spiritũ infirmitatis annis decẽ & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat sursũ respicere. Quam cũ vidisset Iesus, vocauit illã, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum.* Habebat spiritum infirmitatis, & erat inclinata: patebat vulnus: sed auctor vulneris non patebat: languorem videbãt cuncti, sed languoris materiam non videbant: erat in aperto pœna, sed in ipsa pœna carnifex latebat inclusus: corpus aspiciebatur incuruum, sed non aspiciebatur incurui corporis pondus: in medio ciuium portabat mulier hostem suum, sed hostem ciues vt propellerent, non videbant. Ars nequissimi spiritus, corporis necessitas credebatur: vt prædo callidus teneret captiuam dolo, quam tenere viribus non valebat. Diabolus nihil esset, si essent solicitiores homines & cautiores. Aut quid in homine vnquam præualuit ille virtute, nisi arte, mendacio, insidijs, fraude, dolo, nequitia, vitiorum ministerio, furore criminum? Ille voluntates hominum semper explorat, & bonas quidem voluntates refugit, malis autem voluntatibus obsecundat, vt sit minister scelerum, criminum leno, parasitus ipse vitiorum. Et quia potestate non potest, dominatur turpissimis mentibus, turpissima seruitute. Sic mendacio decepit Euam, sic cupiditate laqueauit Iudam, sic Iudæos cæcauit inuidia, sic Gentes idolorum caligauit errore, sic confudit populos pompa rerum, sic paruulos vanitate ne sana saperent, occupauit. Denique quid circa præsentem mulierem molitus sit audiamus. *Et ecce, inquit, mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decẽ & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.* Videtis quia hæc mulier depressa nequissimi spiritus onere suspirabat, qui semper oneribus peccatorum deprimit homines, & inclinat ad terram, ne cœlum videant, ne aspera sapiant, ne Deum aspectent, ne ad libertatem suam per suum reuertantur authorem; sed inclinato capite, defixis oculis, prono vultu, captiui sub iugo semper hostis teneantur antiqui. Sic premebatur Publicanus ille qui oculos suos ad cœlum tollere non valebat, sed percutiebat peccati conscium pectus, & quia negandi locus non erat, locum misericordiæ perquirebat, dicendo, Deus propitius esto mihi peccatori. Hoc sustinens Propheta beatissimus sic canebat, Iniquitates meæ superposuerunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Et vt sui operis aperiret auctoré, alibi sic profatur, Verticem capilli perambulantium in delictis suis: quia qui non resistunt delictis, sed perambulant in eis, eorum diabolus & equitat, & percurrit in verticem: vt qui ad

Luc. 13.

Genes. 3.
Marc. 14.
Marc. 15.

Luc. 18.

Psal. 37.

Psalm 67.

mala suo vadunt studio, ad peiora diaboli ducantur
1.Cor. 12. impulsu: Apostolo dicente, Tanquam euntes ducebamini. Sed quid in hac historia spiritualis intelligentię maneat, perscrutemur. *Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis, annis decem & octo erat inclinata, nec omnino poterat sursũ respicere.* Quæ est ista, cuius infirmitatis etiam tempora describuntur; Quæ est ista, cui ferre de terra, sed inclinare, aut languor calidus sic studebat? Quæ est? Hæc quæ modo est sanctorum genitrix Ecclesia sancta filiorum, quã, sicut dicit Apostolus, spiritus aëris huius, spiritus
Ephes. 6. diffidentiæ, spiritus erroris, spiritali vexabat incommodo, atque ita ponderibus diuersis pronam dabat & deponebat ad terram, vt ad cœlum nunquã subleuaretur aspectu. Sed quid est, quod hæc quæ Ecclesiæ typum portat, in synagoga sic reperitur incurua? Quid est? Quia dum fugit gentium sacrilegia, & declinat sarcinas idolorũ, grauiora incurrit, & portauit pondera synagogæ, probante Domino, cum di-
Luc. 11. cit: Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui alligatis onera grauia, & imponitis super humeros hominum: Ipsi
Matth. 13. autem nec vel minimo digito ea vultis mouere.
Act. 15. Vnde & beatus Petrus: nunc ergo quid tentatis Deum, inquit, imponere iugum super ceruices discipulorũ, quod neque nos, neque patres nostri por-
Matth. 11. tare potuimus? Hinc est quod Christus ab his oneribus homines cupiens alleuiare, clamat: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: tollite iugum meum super vos, quia suaue est. Cum dicit omnes, & Iudæos vtique vocat, & Gentes. Sed quare per decem & octo annos mulieris huius trahitur ægritudo? Quia nisi decalogus legis ogdoadis venisset ad gratiam, nunquam sancta Ecclesia, nunquã mulier hæc ad plenitudinem temporis, ad diem salutis, ad tempus acceptum, ad sui saluatoris præsentiam peruenisset. Hanc autem mulierem gessisse Ecclesiæ sic figurã ipsius qualitas curationis assignat. *Vocauit*, inquit, *ad se illam, & imposuit illi manus.* Sic curare sẽper Ecclesiã satis nouit, qui fieri Christianus meruit, & quotidie fieri cõspicit Christianos. Namque vt incuruus peccatis erigatur Gentilis ad cœlum, prius è Gentili per impositionem manuum, nequam spiritus effugetur. Nam qui solo verbo fugarat dæmones, & infirmitates omnes sola sanauerat iussione: quare super hãc mulierem suas imponit manus? Quare circa istam curandi ordinem nouat, nisi quia iam tunc in vna sanat omnes: imò quia non ante suscipit Ecclesiã, nisi eam per impositionem manuum suarum purget à diabolo, & faciat Christianam: & amplius faciendorum Christianorũ curam præsentis curæ formet & instituat sacramento? Sed Archisynagogus indignatur, quare Christus sabbatho curet, hodiéque Iudæus in Ecclesiæ cura zeli furore torquetur: dum cœlestes sensus intelligentia terrena præuoluit, ac putat sabbathum iumentis, non hominibus consecratum, qui periclitanti boui, vel asino sabbatho festiuus occurrit, hominique moriẽti sabbatho, pietatis quicquam, miserationis quicquam non indulget. Et hoc facit excors, vt in pectore violet sabbathum: & in homines ipsam violet sanctitatem, ac sic Deo Dei lege præscribit: & obseruando sabbathum, Deo sabbathũ sic refundit, quod Deus Iudæo pro labore terreno, &
Psal. 77. opere carnis clementer indulsit. Et conuersi sunt in arcum peruersum, qui in Dominum legis, legis præcepta rectissima sic torquent. Iudæe, qui te ab humanis, vt vel vno die, vel sabbatho, saluti tuæ curatione cessares. *Deest quippiam.* Et tu Christiane, diem Domino dominicum serua, si vis illum videre Domini diem, si vis quicquid est dominicum per Dominum possidere.

DE FICV QVÆ FRVCTVM non protulit.

SERMO CVI.

SIcut peritus magister ad audiendum rudes, ad intelligendũ tardos, discipulorum sensus vario genere doctrinæ pulsat, suscitat, accendit ingenium: ita Dominus similitudinibus variis, diuersis cõparationibus, populorum pigros, tardosque animos ad Euãgelicum conuocat & inuitat auditum: nãque hodie sic cœpit: *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit: dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce tres anni sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: succide eam, vt quid terram occupat? At ille respondẽs, ait illi, Domine, dimitte illam etiam hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, & si quidem fecerit fructum: sin autem, in futuro succides illam. Arborẽ fici habebat quidam plantatam in vinea sua.* Rogo quid tam planum, quid tam lucidum, quid tam commune, quid rusticis sit vernaculum, quid proprium sit peritis, quàm propositæ similitudinis forma? Quæ de generali vsu veniens omnes & verbo instruit & conuertit exemplo. Infructuosa arbor intricat cespitem, necat spatia, exhaurit terræ vires, cultorem conficit damno, afficit tædio possidentem: ac sic excidere istam lucrum est, est istam commodum non habere. Sic homo vtique, qui naturæ donum, munus animæ, rationis beneficium, excellentiam sensus, iudicium mentis, artis industriam, culturæ bonum, per steriles atque inopes actus reuertit, occupat, mergit, auctori fructum, cultori gratiam negat, sicut arbor è terra, sic iste è vita meretur excidi. Et sicut infœcunda arbor si fuerit in vinea, dum fundit mortiferam subiectis viribus vmbram, inimica non sibi soli, sed etiam palmitibus sit fœcundis: ita homo deses, ignauus, si præsit populis, non sibi soli sit noxius, sed multis: dum sequentes se suo vitio & perdit exemplo. Sed hanc similitudinem quare Dominus dixerit, audiamus: Arbor ficus, brumali tempore transacto, dum grossos producit in florem, & simulat suum suis floribus fructum, decipit incautos, illudit ignaros. Namque mox proiicit grossos, pigrum proficit & prorumpit in germen: & fit posterior cæteris fructu, quæ videbatur cæteras anteisse. Meritò ergo à Domino synagoga arbori fici comparatur, quæ calefacta tempore legali temporaliter Ecclesiastici fructus floruit in figura. Patriarcharum namque radice solidata, sacerdotali exaltata culmine, Propheticis dilatata ramis, Iudaicæ obseruationis repleta grossis florebat, tunc spe sola fructum datura per Christum, imò ipsum Christum datura post fructum, dicente Psal- Psal. 131.
mista: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Vnde sancti scientes hæc, spem fructus ex flore capiebant, & solabantur præsentia de futuris: videntes iam iamque succedere æterna mortalibus, perpetua caducis, Legi gratiam, Synagogæ Ecclesiam, cælestia terrenis, humanis diuina, omnibus Christũ: quem quia venturum longa patientia sustinebant, venisse fideli gaudio sunt gauisi. Ex istis erat Simeon ille, cui promissum erat, vt non videret mortem, donec videret Christum Domini, quem in vlnas habẽs, talem prorupit in vocem: Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Luc. 2.
Ignari verò dum fiduciam gerunt in lege tota, neque sunt de Christi expectatione solliciti, neque suscipere Christum, neque agnoscere meruerunt:

& ita sunt legalibus decepti flosculis, sicut nescios grossis suis decipit ficus. Hinc est quod Dominus aduentus sui tempora scire cupientes mittit ad ficum, dicens: Videte ficulneam, & omnes arbores cum producunt iam fructum: scitis quia prope est æstas, ita vos cum videritis hæc fieri, scitote, quia propè est regnum Dei. Videris quia sicut non signat præsentia, sed indicat sic futura. Sed iam per ordinem propositum prosequamur exemplum. *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua.* Synagoga est arbor ficus, possessor arboris Christus, vinea in qua refertur plantata arbor ista, Israëliticus est populus: Isaia Propheta sic dicente: Vinea Domini sabaoth domus Israël est. *Venit*, inquit, *quærens fructum in illa & non inuenit.* Venit Christus, & in synagoga fructum fidei reperit nullum: quia tota dolis erat inumbrata perfidiæ. Ad ficulneam venit Christus, ad quam legitur Adam nudus fugisse post culpam, dicente Geneseos libro: Et cognouerunt quia nudi sunt: & consuerunt folia fici, & fecerunt sibi succinctoria. Venit ergo ad ficum Christus, vt inueniret Adam, vt nudum tegeret pro suo corporis indumento: cuius ficus non valebat, sed stimulabat pudorem: cuius ficus ista, id est synagoga, circumcisionibus suis nudabat partem verecundi corporis, non tegebat. *Venit*, inquit, *quærens fructum, & non inuenit. Dixit autē ad cultorē vineæ. Ecce anni tres sūt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio, succide eā.* Cultor vineæ, qui infructuosam ficum iubetur excidere, est præsul synagogæ angelus, qui sterilitatem, quia non potest excusare, inducias impetrat supplicando. Sed illud prætereundum non est quod dixit: *Ecce anni tres sunt.* Tres anni tria sunt tempora, per quæ Christus ad synagogam fructum quæsiturus aduenit, id est, per Legem, per Prophetas, per ipsam sui præsentiam corporalem, vt infructuosa ficus, quæ iam diuinitati fructus, velut non necessarios denegabat, vel homini, vel esurienti, vel manducaturo Christo cibos necessarios non negaret. Sed nunc quid cultor vineæ responderit, audiamus. *Domine dimitte illam & hoc anno.* Cultor vineæ concedi adhuc Euangelici temporis præcatur annum, de quo Isaias dicit: Prædicate annum Domini acceptum, & diem retributionis. Vt quid? *Vsque dum fodiam circa illam.* Vult eam Apostolico vomere perfodere, quia legalis cultri non valuit sentire culturam. *Et mittam stercora.* Tantæ radici necessaria, quæ pro tanta pinguedine cespitis sancti tota cœlesti imbre non meruit esse fœcunda. Ficus sterilis, synagoga misera miseratione gentium stercora, vt vilissimis adiuta fomentis redeat ad fructum, quæ tanto & pretioso vbere decessit ad fructum, quæ si post hæc in eadem sterilitate permanserit, iam non cultoris falce, sed ipsius dominantis securi desperata, & inutilis succidetur. Et ideo non dixit in futuro; succidam eam, sed succides eam: iuxta illud Ioannis: Iam securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Quia post Euangelici cultum temporis infructuosas arbores securis iudicij succidet, & nouissimum suscipiet, & cremabit incendium.

Luc. 21.

Esai. 5.

Gen. 3.

Esai. 61.

IN DIVVM PETRVM Episcopum,

SEMRO CVII.

Licet fandi sterilitas silentium mihi indicere videatur, loqui tamen vehementia cogit, & sanctitas imperantis. Præstantius est enim imperitum prodere eloquium quam officiosum negare sermonem. Quis ergo tanti viri adhortationem recuset, cui à cœlo contigit, & Apostoli vocabulum, & summi priuilegium sacerdotis? Neque enim absque diuino iudicio fuisse credendum est, quod prima illa viuendi rudis infantia tanti nominis adepta est dignitatem? Quem tunc adfuisse, nisi Deum ipsum putamus, cum nescij parentes de futuris meritis iudicarent? Petrum enim vocari in aliis appellatio nominis est, in hoc prærogatiua virtutis. Vere beatus Petrus immobile fundamentum salutis talem se exhibet in sacerdotio, quales videri volunt qui sacerdotium concupiscunt. Quemadmodum igitur sanctitatis regulam disciplinis monastetialibus imbutus exercet? Pallent ora ieiuniis, macies corpus attenuat, eleemosyna pro delictis supplicat, lachrymæ peccata baptizant. Sed ne fortè hoc deuoti populi turba miraretur, solet Petrus flere, cum in eum Christus intendit. Nec quisquam in Apostolo imbrem irrigui luctus accuset. Iucundæ sunt lachrymæ, quæ gaudium immortalitatis emerunt. Ipse est ergo custos fidei, petra Ecclesiæ, ianitorque cœlorum. Ipse est Apostolicus piscator electus, qui ad se turbas errorum fluctibus mersas hamo sanctitatis inuitat, & doctrinæ suæ reti concludit ad fidem hominum multitudinem copiosam. Est etiam ipse beatissimus, & apostolicus auceps, qui animas iuuenum per aëra volantes calamo diuini sermonis attingit Iure igitur venerabilis Dei sacerdos olim Apostoli nactus vocabulum, nunc adeptus & meritum, serit in populis præcepta iustitiæ, & manifesta luce reserat sacrorum voluminum mysticas quæstiones: tantumque est in cœlestibus magisterium disciplinis, vt qui conuertitur, sibi absolutionem debeat: qui non corrigitur, sibi reatum. Omnis vndique ad eum ex diuersis regionum partibus visendi studio turba concurrit. Quicunque inuias solitudines, aut latentes eremi latebras incolebant, mirabilem Petrum magis veniunt videre quam sæculum. Datum est illis aliquando dicere, difficilius quidem, sed gloriosius, mundo præsenti luctari, & aduersus instructas delinquentes turbas aciem quandam disponere sanctitatis. Quanta enim in mundo positis post certamen palma est, si in solitudine constitutis sine luctamine coronæ debentur? Vnde fratres, quoniam beatissimus Petrus omnia quæ sunt diuinæ virtutis, prædicationis vos suæ doctrina instruit, pariter & exemplis edocet, deprecemur Dominum Deum nostrum, vt æuo longissimo doctrinæ cœlestis vos sermone lætificet.

Matth. 16.

Marc. 16.
Luc. 5.

IN VERBA APOSTOLI, Obsecro vos per misericordiam Dei, &c.

SERMO CVIII.

Mira pietas, quæ vt precetur, vt largiatur, exorat. Hodie namque beatus Apostolus non humana petens, sed diuina conferens, sic precatur. *Obsecro*, inquit, *vos per misericordiam Dei.* Medicus austera remedia cùm recipere persuadet ægrotos, agit precibus, non compellit imperio; sciens infirmitatis, non voluntatis esse quod salutaria respuit, quoties profutura repellit infirmus. Et filium pater non potestate, sed amore ad rigorem pertrahit disciplinæ, non ignorans quàm sit aspera immaturis sensibus disciplina. Et si corporalis infirmitas ad curam precib. sic mouetur, si puerilis animus vix ad prudentiam ducitur blandimentis, quid mirum si Apostolus, qui semper est & medicus, & pater, humanas mentes morbis carnalib. sauciatas, vt ad remedia diuina subrigat,

Rom. 12.

subrigat, sic precatur: *Obsecro*, inquit, *vos per misericordiã Dei.* Nouũ genus obsecrationis inducit. Quare non per virtutem, quare non per maiestatem, non per gloriã Dei: sed per misericordiam Dei. Quia per
1. Tim. 1. ipsam solam, & Paulus crimen persecutoris euasit, & Apostolatus tanti indeptus est dignitatem, sicut ipse fatetur, dicens: Quia prius fui blasphemus, & persecutor, & iniuriosus, sed misericordiam Dei consecutus sum. Et iterum. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quia Christus in hunc mundum venit peccatores saluos facere, quorum primus ego sum, sed misericordiam sum consecutus, ad exemplum omnium, qui credituri sunt illi in vitam æternam. *Obsecro*, inquit, *vos per misericordiam Dei.* Rogat Paulus, imo per Paulum rogat Deus: quia plus amari vult, quàm timeri. Rogat Deus quia non tam Dominus esse vult, quã pater. Rogat Deus per mise-
Esaiæ 68. ricordiam, ne vindicet per rigorem. Audi rogantem Dominum: Tota die, inquit, expandi manus meas. Nonne qui expandit manus ipso habitu rogat? Expandi manus meas: ad quem? Ad populum. Et ad quem populum? Non tantum non credentem, sed contradicentem. Expandi manus meas. Distendit membra, dilatat viscera, pectus porrigit, offert sinũ, gremium pandit, vt patrem se tantæ obsecrationis demonstret affectu. Audi & aliter rogantem Deum: Populе meus quid feci tibi, aut quid contristaui te?
Mich. 6. Nonne dicit? si diuinitas ignota est, vel caro sit nota. Videte, videte in me corpus vestrum, membra vestra, vestra viscera, ossa vestra, vestrũ sanguinem. Et si quod Dei est, timetis, quare vel quod vestrum est non amatis? Si Dominum fugitis, quare non recurritis ad parẽtem? Sed fortè vos passionis meæ, quam fecistis, magnitudo confundit. Nolite. Crux hæc, non meus, sed mortis est aculeus. Claui isti non mihi infigunt dolorem, sed vestram mihi infigunt altius charitatem: vulnera hæc non educunt gemitus meos, sed magis vos meis visceribus introducunt. Extensio corporis mei vos dilatat in gremium, non meam crescit in pœnam. Sanguis meus nõ mihi deperit, sed vestrum prorogatur in precium. Venite ergo, redite, & vel sic probate patrem, quem videtis pro malis bona, pro iniuriis amorem, pro vulneribus tantis tantam reddere charitatem. Sed iam quid obsecret Apostolus audiamus. *Obsecro*, inquit, *vos, vt exhibeatis corpora vestra.* Apostolus rogando sic omnes homines ad sacerdotale fastigium prouexit: *Vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam.* O inauditum Christiani pontificatus officium, quando homo sibi ipse est, & hostia, & sacerdos: quando homo non extrinsecus, quod Deo est immolaturus, inquirit: quando homo secum, & in se, & quod pro se est, Deo sacrificaturus apportat: quando & eadem manet hostia, idem permanet & sacerdos: quando hostia mactatur & viuit, sacerdos nescit occidere qui litabit. Mirum sacrificium, vbi corpus sine corpore, sine sanguine sanguis offertur. *Obsecro*, inquit, *vos per misericordiã Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam.* Fratres, hoc sacrificiũ Christi descendit ex forma, qua corpus suum pro vita sæculi vitaliter immolauit: & vere corpus suum fecit hostiam viuam, quia viuit occisus. In tali ergo victima mors expenditur, hostia permanet, viuit hostia, mors punitur. Hinc martyres morte nascuntur, fine inchoãt, occisione viuunt, & in cælis lucent, qui in terris putabantur extincti. *Obsecro*, inquit, *vos fratres, per mi-*
Psalm. 39. *sericordiã Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiã viuam, sanctam.* Hoc est illud quod Propheta cecinit, Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi. Esto homo, esto & da sacrificium: & sacerdos, non amittas quod tibi diuina dedit, & concessit auctoritas, induere sanctitatis stolam, præcingere balteum castitatis, sit in velamento capitis tui Christus: Crux in frontis tui munimine perseueret: pectori tuo appone diuinæ scientiæ sacramentum, in odorem thymiama semper orationis accende, arripe gladium Spiritus, altare cor tuum pone: & sic corpus tuum admoue Dei securus ad victimam. Deus fidem, non mortem quærit: votum, non sanguinem sitit: placatur voluntate, non nece. Hoc probat Deus ad hostiam Abrahæ sancti filium cùm poposcit. Nam quid aliud Abraham Genes. 22. quam corpus suum immolabat in filio? Quid aliud Deus quàm fidem requirebat in patre, qui filium sicut offerri iussit, sic non permisit occidi? Tali ergo homo confirmatus exemplo, offer corpus tuum, & non solum macta, sed etiam seca per omnia virtutum membra. Quia toties tibi vitiorum artes moriuntur, quoties à te Deo viscera fuerint immolata virtutum. Offer fidem, vt perfidia sit punita: immola ieiunium, vt voracitas cesset: sacrifica castitatem, vt moriatur libido: impone pietatem, vt deponatur impietas: inuita misericordiam, vt auaritia deleatur, & vt consumatur stultitia, semper sanctitatem conuenit immolare: sic fiet corpus tuum tua hostia, si nullo peccati iaculo fuerit sauciata. Viuit corpus tuum homo, viuit quoties à te Deo virtutum vita vitiorum mortibus immolatur. Non potest mori, qui vitali gladio meretur occidi. Ipse autem Deus noster, qui est via, veritas & vita, & à morte nos liberet, & perducat ad vitam.

DE EISDEM,

SERMO CIX.

QVoniam præcedens sermo tantum primordia cogit Apostolicæ lectionis, nunc de his, quæ sequuntur, quod Dominus inspirat, audiamus, sic enim cœpit: *Obsecro*, inquit, *vos per misericordiam* Rom. 12. *Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiã viuam.* Nunquid Apostolus sic dicendo, sola corpora digna diuinis hostiis probat? & animas velut reprobas aut tacet, aut præterit, aut relinquit? Nonne anima de cœlo est, corpus è terra? hoc regitur, regit illa? illa dominatur, hoc seruit? hoc viuit, viuificat illa? illa manet, hoc deficit? hoc ætates patitur, illa nescit, & ad extremũ mors, quæ tantum dominatur in corpus, nec anima præsente contingit? Et quid est quod tacetur anima, & solùm corpus ad Dei hostiam sic vocatur? Fratres, hic Apostolus honorat corpus, non minorat animam. Nam corpus quod capiunt peccata, quod delicta vinciunt, quod deprimunt crimina, quod vitia corrumpant, quod deiiciunt passiones: hoc Apostolus cupit dissoluere, liberare studet, laborat attollere, expirare contendit, vt corpus ad originem animæ conscendat, non anima descendat corporis ad naturam: & corpus animam comitetur ad cœlum, non anima corpus sequatur ad terram. Audi scripturam dicentem, anima qualibus, & quantis corporis aggrauetur. Corpus quod cor- Sap. 9. rumpitur, aggrauat animam: & deprimit terrena cogitatio sensum multa cogitantem. Ergo non deponi animam, sed corpus Apostolus vult leuari: & animam, & corpus, id est, hominem totum, ad hostiam sanctam, ad placitum Deo sacrificium vult venire. Quod autem & anima sit Dei sacrificium, Psalmista declarat, dicens, Sacrificium Deo spiritus cõ- Psal. 50. tribulatus, *Vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuã.*

sanctam,

sanctam placentem Deo. Quia non homo ex eo quod viuit, placet, sed ex eo placet quod bene viuit: nec ex eo fit homo hostia, si se Deo offerat, sed si sanctè offerat Deo. Quantum enim immaculata victima placat Deum, tantum Deum victima, si maculata fuerit, exacerbat. Audi dicentem Deum. Non offeras mihi claudum, non luscum, non mortis contagione pollutum, sed maturum sine macula. Hinc est quod Apostolus viuam Deo petit hostiam. Ergo fratres, si nos ipsius propitiationis incensum.

Genes. 4. *Desunt nonnulla.* Probat hoc Caïn, qui cum Deo parua, à quo totum perceperat ingratus Pontifex sic diuisit, vt quod erat pessimum, hoc adoleret altari: quod erat optimum in suam reseruaret offensam, denique cum sua suo male comparritur auctore, se suosque posteros, & ab vita, & ab humano genere perdiuisit. Ergo Abel sequamur ad præmium, non Caïn comitemur ad pœnam. Abel agnum portans ad Dei sacrificium sicut agnus assumitur: Caïn gestans sibi stipulam, fomentum sibi per quod exureretur, inuenit. *Vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, placentem Deo, rationabile obsequium vestrum.* Quantum placat obsequium quod ratione subnixum est, tantum quod rationem non habet, exacerbat. Rationabile obsequium, quod non præsumptione turbatur, non temeritate confunditur, non violatur illicitis, non simulatione fucatur. Ad obsequium Regis militaris statio contremiscit, humana dominatio exigit sollicitam seruitutem, ad arbitrium iubentis timor obedientis inuigilat: quia & cauta deuotio præmium iustæ remunerationis acquirit, & temeritatis pœnam præsumptrix seruitus non euadit. Quis non vocatus ad aulæ regalis se proripit seruitutem? Quis sine titulo militem se ausus est profiteri? Quis sine dignitatis infulis nomine dignitatis inuadit? Et si hæc penes homines sollicita, cautaque sunt, si ratione constanti, si conualescunt ordine, si tremore seruantur: quanto penes Deum magis cauta est deuotio, magis tremenda seruitus, magis sollicitus cultus, vt diuinum ratione præ est obsequium? *Rationale*, inquit, *obsequium vestrum.* Obsequium ratione calens, feruor est: furor est, quod ratione non frænatur. Hinc Iudaicus populus Deum dum sibi præter rationem quærit, Deum qui cum

1. Reg. 15. ratione seruiebat, amisit. Hinc filij Aaron dum rationis sunt immemores, dum præsumunt terrenos ignes diuinis ignibus admouere, flammam sacrificij salutaris in pœnale sibi incendium commutarunt. Hinc Saül tremens regali vertice, dum putat sibi, & de sacerdotio quid licere, regnum quod acceperat, altaris temerator amisit. Hinc Iudæus dum legem sine legis ratione excolit, legis interemit auctorem. Hinc Gentilis dum decorum populis, & decorum monstris nescius rationis obsequitur, ad Dei, qui vnus & verus est, peruenire non meruit seruitutem. Hinc Arrius patri se putat obsequi filium blasphemando: & dum filio dat initium, patri finem miserandus imponit. Hinc Photinus dum coæternum patri filium negat, pater vt pater non semper fuerit elaborat. Hinc omnes hæreses dum feruntur ad diuinitatis iniuriam, dum Trinitatem mentiuntur vocabulis, blasphemiis obsequuntur. Nos autem, fratres, & corpora nostra aptemus in viuam Dei hostiam, & obsequium nostrum rationabile procuremus, vt sit fides vera, pura conscientia, mens sobria, spes firma, cor mundum, caro casta, sanctus sensus, pius animus, tuta ratio, casta charitas, larga misericordia, vita sancta, verecundus habitus, & ad omne Christi obsequium humilitas nostrum semper comitetur incessum.

IN VERBA EIVSDEM, Non est autem scriptum propter Abraham tantum, &c.

SERMO CX.

Beatus Apostolus primis, & nouissimis, id est, Iudæis & Græcis, fidei vexillum vnicum semper singularem erigit ad salutem: quod quisquis habere non meruerit & tenere, cœlestium possidere non poterit gloriam triumphorum. Solum est fratres quod contra perfidiam dimicantibus aciem dirigit, Regem indicat, connectit socios, impiumque hostem sola sui visione terrificat. Sic enim hodie cœpit. *Non est autem scriptum propter Abraham tantum, quod reputatum est illi ad iustitiam, sed & propter nos credentes in eum, qui suscitauit Iesum Dominum nostrum à mortuis.* Videtis fratres, quia dum priores futura, dum præterita credunt posteri, sic vno itinere fidei vtrique perueniunt ad salutem: dum illi venturum Christum, nos iam venisse profitemur, illi vsque ad mortem more hominis descensurum mirantur & credunt, nos esse mortuum, & resurrexisse gloriamur. Et quid plura, fratres? Ideo salus hæc tam antecedentium, quam sequentium oculis est negata, vt tota esset in fide. Quod autem dixit, *Qui suscitauit Iesum Dominum nostrum à mortuis.* Ne quis ab alio credat, ipse sui factor, & resuscitator est corporis, qui dixit, Potestatem habeo ponendi animam, & potestatem habeo iterum sumendi eam, neque enim ab alio resurrectio suscitari, neque ab alio viuificari vita potuit: nec eadem negare sibi, quod erat omnibus collatura. Quia nec fons sitit, nec panis esurit, nec Sol indiget luce, nec requies ipsa lassescit. *Qui traditus est*, inquit, *propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Traditus propter delicta: non vt ea quæ non poterat mori, vita puniretur, sed vt delicta quæ non à vita exulauerant, sola delerentur. *Et resurrexit propter iustificationem nostram.* Manente condemnatione iustificari non potest condemnatus: nos ergo quos primi culpa sic parentis addixerat, vt mors obnoxios sibi iure retineret; Christus cœlestis & verus parens soluta mortis condemnatione per mortem propriam resurrectionem iustificat: vt non reus pereat, sed reatus: ipsaque pœna, id est mors, quæ reos fuerat iussa percellere, meriro deficiat: & suæ amittat infulas potestatis. Cur innocentem, cur ipsum iudicem crudelis & impia est causa contingere? & ideo addidit. *Iustificati igitur ex fide pacem habeamus ad Deum.* Hoc est dicere, desinat, desinat mater dissensionum, hostis quietis, pacis inimica contentio, non extollatur Iudæus per legem, Gentilis non superbiat per naturam, Philosophus ab opinionibus suis spumosis & inanib. detumescat: nemo de meritis, nemo de operib. glorietur: quia vitam quam præuaricatio prima sustulerat, & elongauerat à nobis furiosa contentio, restituit, & reddidit pax diuina. *Pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrũ Iesũ Christum.* Terra non rebellet in cœlos, caro non insurgat in spiritum: sed supernæ pacis humilis perpetem iungatur ad gloriam. *Per quem accessum habemus.* Quia nobis ipse factus est via. *Fide in gratiam istam* dux viæ istius fides est fratres. *In qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Stamus certe fide, non corpore: & in spe, non in re iã percepta gloriamur: *Non solũ autem, sed & gloriamur in tribulationib. sciẽtes quod tribulatio patientiã operatur, patientia autẽ probationẽ: probatio autem spẽ, spes verò non confũdit.* Ecce quib. ætatib. iustus perfectum roborabatur in virũ in tribulatione, patientia, probatione, spe. Tribulatio fratres, velut prima iusti viri cõcutit & conturbat infantiam: sed cum inuenerit ista patien

Rom. 4.
Ioan. 10.
Rom. 5.

patientem, ad maiora adolescentem iam bonæ indolis tunc erudit. *Tribulatio patientiam operatur.* Patientia est fratres, quæ Christi iuuenem aptum probat esse virtutibus. *Spes vero non confundit.* Spes est quæ virum perficit, & ad mensuram Christi plenitudinis indefessa perducit. Perfectæ virtutis est, quod in re non teneas, spei robore possidere. *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et vt diffusæ in nos diuinæ charitatis ostenderet qualitatem, adiecit: *Vt quid enim Christus cum adhuc infirmi essemus secundum tempus pro impiis mortuus est. Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autẽ charitatem suam Deus in nobis, quia adhuc cum peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Si Christus genus hominũ sic dilexit, vt daret pro impiis, & peccatoribus mortem suam: iustis eum quid credimus largiturum, quam vitam suam, regnum suum, gloriam suam? Ex te suscepit mortem, quam impiis impenderet super terram: reseruat tibi quod in se, & per se semper possidet & possidet in cœlo. Dicamus ergo
Psal. 115. cum Propheta: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam. Hoc est, & ego moriar pro illo. Et quid simile? Ille sponte pro impio & peccatore: ego vix pro iusto & bono: ego vix quia me ad mortem non tam voluntas, quam necessitas ducit. Audi ipsum dicentem ad Pe-
Ioan. 21. trum: Cum autem senueris, præcinget te alius, & ducet quò tu non vis. In aduersis fratres, necessitas voluntati non potest comparari, acquiescere necessitatis est, velle virtutis. Volenti mors ipsa subiecta est, quia semper dominata est mors nolenti. Et tamen fratres, quia diuinæ charitatis nil simile potest homo redhibere, det quod potest: quia secundum quod habet, acceptus est. Deficiat ad gloriam, moriatur ad vitam, pereat ad salutem. Gloriemur fratres, de noua istius commutatione commercij: quia mors quæ erat inter homines reparatio tota pietatis, per Christum diuinæ commendatio est facta charitatis.

IN VERBA EIVSDEM, Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, &c.

SERMO CXI.

PRæsens fratres, Apostoli lectio cum dicit, per vnum hominem mundum totum suscepisse sententiam, non ad perorandum nos, sed ad flendum re-
Rom. 5. nouato & intimo dolore compellit. Si enim eximij vates singularis populi vnius verbis, ac solius nonnunquam hominis diu lamentauere discrimen, quæ mens non totis tenebris obscuretur, quos sensus non tota hebetudo confundat, quos oculos non redigat in fontes, & fluenta lachrymarum, quando vnius lapsus extitit ruina cunctorum, & vnius culpa defluxit omnium ad pœnam, ac parentis vitium vniuerso generi exitium ferale præparauit, dicente Apostolo: *Propterea sicut per vnum hominem in hunc mundum peccatum intrauit, & per peccatum mors.* Miserum me, ipse qui erat causa bonorum omnium ianua factus est hic malorum. *Peccatum in hunc mundum intrauit.* In hunc mundum, miraris eum posteris obfuisse, qui facinore suo damnauerit mundum. Sed dicis, quomodo intrauit, per quem intrauit, quomodo? Per culpam. Per quem? Per hominem. Et quid peccatum? natura, an substantia? Nec natura est, nec substantia, sed accidens: & aduersa est hæc potestas; quæ videtur in opere, sentitur in pœna, impugnat animam, vulnerat mentem, ipsam violat, confunditque naturam. Et quid plura fratres, Hoc est peccatum naturæ, quod est fumus oculis? quod febris corpori, quod dulcissimis fontibus amara salsedo. Vtique purus & lucidus est oculus per naturam, sed per fumi conturbatur & obscuratur iniuriam. At corpus membrorum partibus, & sensibus suis per hoc quod est à Deo conditum viget: sed vbi vis febrium cœperit, & procella dominari, totum efficitur imbecillum: tunc amaritudo oris, tunc oculorum caligo, tunc gressuum mutabunda vestigia, tunc inimica aura, tunc chari graues, tunc ipsa obsequia videntur ociosa. Et fontes quantum grati sunt per suam dulcedinem & naturam, tantum efficiuntur ingrati, cum aliquod vitium ex accessione susceperint. Sed ad cœpta redeamus. *Sicut per vnum hominem in hunc mundum peccatum intrauit & per peccatum mors.* Ecce fratres ianua, per hominem peccatum, & per peccatum intrasse videmur in mortem. Peccatum, ô crudelis fera, & non vno capite in hominum genus sæuire contenta: quam feram vel trino ore tota humani stirpis germina tam preciosa deuorantem, trino ore fratres, peccatum capit, mors deuorat, deglutit infernus. Ex quo sicut diximus, fonte lachrymarum talis nobis plane deflendus est parens, qui nos tantarum miseriarum reliquit hæredes, qui non solum collata bona perdidit, sed omnes pastores suos tam feris creditoribus obnoxios sic reliquit? O dura hæreditas ac crudelis! O miseri! quibus nec adipisci libuit, nec renunciare licuit nos hæredes. Audi quod sequitur. *Et ita in omnes homines mors transiuit.* Sed ne iniustum fortè videatur, cur per vnum in omnes, quia omnes per vnum, per eum te detestaris esse damnatum, per quem te editum esse gloriaris in lucem. Sed dicis, si generi debeo, quod natus sum, nunquid & crimini, vt ante me reum faciat natura, quam culpa? Huic quæstioni tuæ mox qui sequitur Apostoli sermo respondit dicendo: *In quo omnes peccauerunt*: Si in illo omnes peccauerunt, merito per illum omnes suscepere supplicium. *Sicut per vnum hominem in hunc mundum peccatum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiuit, in quo omnes peccauerunt.* Siue in homine, siue in peccato, per illum, & in illo omnes peccauerunt. Non ergo peccatum versum est in naturam, sed dum peccatum mortem ingerit, pœnam sibi debitam exigit per naturam. Deus naturam ita fecerat, vt homines crearet ad vitam quæ tamen dum morti nolens generat, illa se peccato fatetur obnoxiam cuius pœnæ deseruit in vita. Nam quis ista sentiat fratres, quod extingui velit natura partus suos, & germina sua tam chara velit necari? Sed dum ingemiscit & condolet amissam suspirat, & desiderat recipere libertatem. Sed per quem receperit, Ioannes primus signãter ostendit, qui viso Christo proclamat & vociferatur, dicẽs. Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum Ioan. 1.
mundi, peccatũ mundi, hoc est fratres, quod per vnũ hominem Apostolus intrasse testatur. Gaudete ergo fratres, quia peccatũ quod nos graui pondere deprimebat ad tartarũ, à Christo sublatum est, & in tartara iã demersũ: & nos quos morti culpa primi parentis addixerat, secundi & diuini parentis gratia à pœna reuocauit ad vitam. Saluari ergo sine Christo homo non poterat, quia totius mũdi peccatum ante ipsius permanebat aduentum. Sed tu quod per Christũ iustificaris, amplecteris: & quod per Adam damnatus es, tu refutas: & alterius tibi pœnã obfuisse conquereris, qui tibi cõspicis alterius subuenisse iustitiam. Nunquid non in semine tota arbor? Vitium ergo seminis, vitium est totius arboris. Si sibi ipsa per se natura

natura subuenire potuisset, nunquam eam ad reparandum in se author ipse suscepisset. Ad vitam eam creatam credis, qui adhuc eam per authorem dubitas esse reparatam? *Vsque ad legem enim*, inquit, *peccatum erat in mundo.* Vsque ad legem cum audis, vsque ad finem legis, hoc est, vsque ad aduentum Domini nostri Iesu Christi accipe. *Quia peccatum non imputabatur, ait, cum lex non esset.* Et quando lex non fuit, quæ cum ipso homine cœpit? si lex non fuisset, Adam præuaricator vtique non fuisset; sicut idem aperit Apostolus, dum dicit, *Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen.* Vtrique legem acceperant: sed Adam mox præuaricatus est, vt accepit: Moyses præuaricatoribus promulgauit acceptam, dicente Apostolo, Lex præuaricationum causa posita est. Galat.3. Regnauit ergo mors per legem, quia grauius præuaricatores, quam peccatores, & non tantum parentis vitio, sed suo iam lapsos facinore, sæua deuorauit. *Sed regnauit*, inquit, *mors, ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ.* Quia non tantum magnos, sed deuorabat & paruulos: & non tantum noxios, sed & deuastabat innoxios, innoxios dico à culpa propria, non parentis. Et hinc grauius erat lamentanda conditio, quia eius parentis soluebat pœnam, cuius vix vitam degustarat infantulus: & luebat peccatum mundi qui mundum cognitum nō habebat. Acquiescamus ergo fratres, quod per vnum, & vnius delicto mors regnauit, si omnes per vnum absolui desideramus, & esse per Christum: quia qui viuit, Christo debet, non sibi: & Adam quod moritur, id debebit.

IN VERBA EIVSDEM, SI ENIM vnius delicto mors regnauit, per vnum, &c.

SEMRO CXII.

SI quis poculum aquæ frigidæ sitienti porrigit viatori, aliquantulum quidem animum recreat æstuantis, & humanitati plane succurrit, non tamen penitus sitim extinguit: ita & magnum diuinæ scientiæ desiderantibus nosse secretum, noster sermo non sufficit, qui ad præsens festinationi deseruit, & tempori. Nam si ad humana perdiscenda tota hominis breuis est vita: quod tempus sufficere credimus ad intelligentiam posse diuinam? Date ergo veniam fratres, si intra punctum temporis, & horæ vnius vix momentum obscura lucidare, clausa reserare, firmare dubia, profunda contingere, tot sæculorum ineffabile sacramentum per omnem modum aperire non possum, & eloqui, si vel cautè æmulis, securè filiis, credentibus confidenter, constanter incredulis non valemus. Verum quia hodie Apostolicus sermo claro se lumine sensibus audientium totus infudit, nec quicquam Catholicis mentibus reliquit ambiguum, cum dicit: *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum*, Rom.5. Declamandi studium seponentes, tota simplicitate ipsis Apostolicis eloquiis innitemur: vt verum scire cupientibus nulla sermone nostro generetur obscuritas: *Si enim vnius delicto, vt dicit, mors regnauit per vnum.* Quare mortem ab vno, & primo homine esse posteris acquisitam insinuare & approbare Euangelica laborat authoritas? Et quamuis sufficiat illa sententia, quæ dicit, Sap.1. Deus mortem non fecit: quare eam tam trucem, tam crudelem, tam immitem nonnulli à Deo velint esse conditam, scire non possum. Nemo sine piaculo æstimat tam pium, tam bonum Deum mortem creare potuisse: cuius vniuersus mundus dolore continuo, gemitu, lachrymis accusat, & detestatur authorem.

Si mors etiam penes homines est criminum pœna, quo ausu concreta homini, & pœna ante creditur innocenti à Deo insita esse, quam vita? Sed audiamus Apostolum: *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multo magis abundantiam gratiæ & donationis, & iustitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum Christum Dominum nostrum.* Ecce vnum, & vnum; Adam, & Christus. Per illum peccatum regnauit in mortem: per istum gratia regnauit in vitam. Denique duo hæc principia vitæ, & mortis, absolutionis & pœnæ, desideratæ libertatis, & damnationis extremæ, is qui sequitur sermo Apostoli aperit, & declarat: *Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: ita & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* Per vnum, & vnum aut mors regnat, aut vita conceditur. Quid hic ergo addere sermo possit interpretis? quibus adiunges silentium, omnis æmulorum succumbit intentio. *Per vnius delictum in omnes homines in condemnationem vitæ, & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* Sicut fonti fluuius, sic fructus semini: ita origini deseruit aut addicta aut erepta posteritas: sicut ex his quæ adiecit Apostolus plenius approbatur. *Sicut enim vnius hominis inobedientia peccatores constituti sunt multi, ita vnius obedientia iusti constituentur multi.* Sit homo peccator, vt sit Deus iustus, quia reatus redundat ad iudicem, si pœna percellit innoxium. Et ideo dixit: *Sicut per vnius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* Vt scirent se eius culpæ fuisse participes, cuius pœnæ socios se esse persentiunt. Sed iam quid Rom.5. lex profuerit attestante Apostolo, audiant legis amatores. *Lex autem*, inquit, *subintrauit, vt abundaret delictum.* Ecce vt Apostolus dicit. Non imminutionem delictorum lex fecit esse, sed copiam: non per se fratres, sed per eum, qui legem per imbecillitatem ferre non poterat. Non magnitudo lucis hebetat oculos, quæ solis à Deo creata est oculis, sed oculorum infirmitas lucis totam sustinere non potest, & ferre claritatem: ita & lex fratres, quæ per se satis iusta erat, & satis sancta, dum ab homine fragili seueram exigit disciplinam, magis magisque onerauit, & prodidit delinquentem. Et hoc quare fratres? Vt per gratiam & veniam conditoris rediret ad vitam, qui per tumorem, & ignorantiam, cum male innocentia gloriaretur, in debitum parentis deducebatur, & pœnam. Morbus igitur latebat occultus, per quem omnium secreta medullarum, & venarum meatus in ipsorum vitalium tendebant exitium, & quandam συγκρισιν, in omnibus enerrabant internis. Id est, idem iudicium, hoc est, omnia interiora similiter sunt effecta. Venit lex quæ & vulnus proderet, & tandem vetusto languori supernum aduenire medicum nunciaret. Venit lex quæ mandatorum fomentis in cutem produceret, quod in altum lethaliter sæuiebat. Venit lex vt in gladio præceptorum velut apostema longi temporis aperiret, & collectam diu saniem salutaris subinde siccaret effusio. Nec tamen per se, fratres, aut vulnus claudere, aut ægrotanti perfectam addere valebat ipsa sanitatem. Quod vbi vidit ægrotus, & tandem statum suum miserandus agnouit, cœpit tendere festinus ad Medicum: vt quod per legem proditum, & per ipsam diu fuerat ampliatum, tanti Medici peritia curaretur, & gratia. Ampliatum vulnus dicimus, fratres, quia post incisionem putredo, fœtor, horror, vexatio, ipsi vulneri abscissione generatur: & fit per curam deterior miserandi facies ipsa languoris, quam fuerat ignoranti periculum cum lateret. Venit ergo Matth.8. Psal.110. Medicus: & iam fesso curis, & curationum vexationibus perdefesso solius verbi authoritate subuenit. Sicut Centurio ille confitetur, cum dicit: Dic verbo, & sana

& ſanabitur puer meus. Vt impleretur illud Propheticum. Miſit Verbum ſuum, & ſanauit eos. Et ideo ſequitur: *Vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit & gratia.* Ac ſi diceret, vbi dilatatum eſt vulnus, ſupereffuſa eſt ſanitas. Nemo ergo ingratus ſit legi, quia quem ægrotantem & iacentem inuenerat, leuauit, fouit, & vt ſaluti traderet, ipſum vſque ad Medicum ſalubri exultatione perduxit, vt ſicut dixit Apoſtolus: *Quemadmodum regnauit peccatum in mortem, ita gratia regnet in vitam æternam: per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Gratia in vitam, peccatum regnat in mortem. Recta fides non mortem, non interitum hominis, authori Deo deputat, ſed ſalutem. Mors ſic hominis, ſic peccati, vt vita creata, & reddita ſolum credatur eſſe per Chriſtum.

IN VERBA EIVSDEM, Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato, vt gratia abundet, &c.

SERMO CXIII.

BEatus Apoſtolus quando interrogat, quando manifeſta perquirit, eos videlicet obiurgat & increpat, qui eloquia diuina ſua interpretatione corrumpunt: & inde concipiunt ſuffragia crimi-
Rom. 6. num, vnde aſſumere debuerant documenta virtutum. Sic enim hodie cœpit: *Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato, vt gratia abundet?* Superius dixerat fratres: Vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit & gratia: & ideo ita exorſus eſt: ac pro illo diuino & ſingulari magiſterio, imperitis ſe velut interrogatione participat: & quæ ſunt prudentiæ cœleſtis plena eruditione reſpondeat. Si enim ibi abundauit peccatum, ſuperabundauit & gratia: *Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato, vt gratia abundet?* Si prona eſt delinquentibus pietas, ſi gratia copioſa peccantibus, ſi iniuſtis amica largitas eſt diuina, certe ſi futura bona malis præſentibus acquiruntur, quid nobis virtutum iter arduum, quid durus obtinendæ iuſtitiæ labor, quid inter malos iugis ſeruandæ innocentiæ cruciatus? Augeantur humana facinora, vt bonitas cœleſtis exuberet: faciamus mala vt dixit, vt veniant bona, permaneamus in peccato, vt gratia abundet. Ad hæc fratres, idem qui interrogat Apoſtolus, ipſe
Rom. 3. reſpondit: *Abſit. Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?* Cum dicit abſit, taliter intelligentiam inſipientium execratus eſt, & ſenſum: ſiquidem medicus non vulneri, ſed curæ proficit, & ſaluti: nec putredini, nec morbis, ſed ſoli congaudet ille ſanitati: ita & Deus, qui pro magnitudine vulneris adhibuit magnitudinem, vigoremque medicinæ: & nec peccato, ſed homini largitus eſt gratiam, nec ad multiplicanda, ſed ad delenda delicta imbrem ſuæ pietatis effudit. Nemo ſic de ægritudine gratuletur, vt velit in vulnere permanere. Ingratus medico inimicus eſt curæ, qui ſemper curari æſtuat, nec vnquam deſiderat hic ſanari, & ita Dei gratiam ſuis cupit exuberare peccatis, vt ſibi cupiat peccata cumulari: Miſer qui tali voto reus eſſe contendit per veniam. Fugienda, fratres, dementia iſta eſt, fugienda; quæ etiam poſt curam captiua tenetur amore morborum: recidiua enim lethalis eſt ſæpius ægritudo. Quod autem dixit: *Qui enim mortui ſumus peccato* Præſentis temporis loquitur hic figuram, quia mortuos non dixit eſſe peccato, non nobis iam in toto mortuum dixit eſſe peccatum, quia etſi peccatum ipſum actu operibus ſanctis & fidelibus eſt defunctum, viuit tamen, & adhuc in noſtram deſæuit mortem; tunc autem peccatum ipſum morietur in nobis, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, & factus fuerit ſermo qui ſcriptus eſt: vbi eſt mors aculeus tuus? vbi eſt inferne victoria tua? Aculeus autem mortis peccatum eſt: viuit autem peccato, qui eius, ſicut in conſequentibus dicit, concupiſcentiis famulatur: & ſtimulis miſerandus inſeruit, qui obſecundat vitiis, qui criminibus infelici, & continua captiuitate ſuccumbit: qui quod delicti eſt, eſſe autumat hoc naturæ: & morbo, qui eſt accidens, vtitur velut opere & beneficio conditoris. Et ideo ad arguendam talium ignorantiam addit, dicens: *An neſcitis, quia quicunque in Chriſto Ieſu baptizati ſumus, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus illi per baptiſmum in mortem.* Audiant fideles & intelligant, quemadmodum triduana Domini ſepultura trina demerſione figuratur in baptiſmo: & reſurrexiſſe cum Chriſto, & ſi necdum corpore, vitæ iam nouitate congaudeant: ſitque totus homo virtutum domicilium, qui receptaculum fuerat ante vitiorum. *Vt ſicut dixit quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Chriſtus quicquid ſuarum virtutum eſt refert ad gloriam patris: & homo cuius ſuum nihil eſt, ſibi vendicare, quod per Chriſtum reſurrexit elaborat: Quod autem dixit: *In nouitate vitæ ambulemus.* Quæ ſuperius diximus, illa confirmat, vt ſi necdum hoc corpore, vita tamen iam totus immutatus incedat: intelligat ſe, & dominetur elementis, qui elementis hactenus per ignorantiam ſeruiebat: largiatur ſua per gloriam, qui prius turpiter furabatur aliena: & qui carnis exercebat illicita, contemnat etiam licentias corporales: & qui innocentiam hactenus impiè moliebatur extinguere, pro innocentia glorioſius ipſe moriatur. Et quid plura? Si ex vetere homine iam nouus effectus eſt vitiorum gurgitem in fontem commutet ipſe virtutum. Vſque ad finem autem lectionis hoc ingerit beatus Apoſtolus, hoc demonſtrat: illum poſſe cum Chriſto viuere, illum regnare cum Chriſto, qui reſurgentis Chriſti innocentiam ſequitur, imitatur vitam, implere nititur ſanctitatem, quam dicit: *Vt deſtruatur corpus peccati.* Deſtruatur fratres, actu, non ſubſtantia, opere, non figura: quia peccato, non Deo vult hominem perire, qui ait: *Exiſtimate vos mortuos eſſe peccato: viuere autem Deo.* Et ſupernæ libertati, fratres, reſtituere hominem tota pietate contendit, qui dicit: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore.* Et iterum: *Peccatum vobis non dominetur.* Non dixit, non veniat ad vos: non dixit, non prouocet, non titillet: ſed non regnet, non dominetur, confligat ad vincentis gloriam, dimicet & decidat ad triumphum victoris: & tandem ſe doleat impia peccati dominatio à ſeruis quondam ſuis tota ſecuritate calcari: & crudelis tyrannus ingemiſcat ſubiectum ſe ſuorum pedibus captiuorum: & ad eorum triumphum, de quibus diu triumphauerat ſe veteranus hoſtis perueniſſe deploret.

IN

IN VERBA EIVSDEM, Peccauimus, quia non sumus sub lege, sed sub gratia, & cætera.

SERMO CXIV.

SIcut peregrinanti reditus ad propria dulcis semper & charus est, & vernaculæ domus vestibula sunt gratiosa post tempus: ita mihi post interualla sermones ad Apostolicarum seriem lectionum suauior est recursus. Siquidem à proposito dicendi ordine, & continuo tramite loquendi discedere nos sæpè necessitas religiosa compellit: quia sic doctrinæ ordo moderandus, vt nullo modo aliud impediatur ex alio. * Vnde quid hodie beatus Apostolus dixerit, audiamus: Quid ergo ait? *Peccauimus quia non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit.* Hæc interrogatio, fratres, eorum arguit imperitiam, qui legis consuetudine captiuati gratiæ beneficio nesciunt sentire virtutes: & quos præceptorum legalium series prodidit contumaces, eos sola munerum commoda, & festiuitatum pompa obseruationibus vanis fecit & reddidit obstinatos. Et cum legem tempus excluserit, quid cultor legis à lege faciet abdicatus? Iudæe quid habes quod non perdidisti? Si autem perdidisti: quid gloriaris quasi non perdideris? Vbi est templum, vbi est Sacerdos, vbi sacrificium, vbi incensum: vbi purificationes tuæ, vbi solennitatum tuarum non omittenda deuotio? Sed vt sis Iudæus, merito circumcideris, quia bonis omnibus abscissus es supradictis. Scriptum est enim: Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis. Si maledictus est, qui in vno offenderit, quoties maledictus est, qui nihil ex omnibus probabitur effecisse? *Peccauimus, ait, quia non sumus sub lege, sed sub gratia?* Ac si diceret fratres: Peccauimus, quia in cura non permansimus iam sanati? Peccauimus, quia ignem, ferrum, medicamenta reliquimus iam curati? Infœlix æger, qui post curam non vult curare tormentum. Et quid plura fratres? Nunquam curat, qui infirmantis quærit & expectat arbitrium? Nam cum ex humore frigido semper ignis succendatur in corpore, & rigor nimius dum membra vexat & concutit, acrius ipse efficit & gignit incendium: ita ægrotus ad augendam flammam quæ suis semper æstuat, & anhelat in venis, dari sibi aquam frigidam impatienter expectat, nesciens quod tunc calor calore restinguitur, frigore nutritur incendium. Lex ergo dum hominis semper expectat, & sustinet voluntatem, nec tamen homo peccati sarcina præpeditus sufficere legalibus præualet obedire mandatis: cultorem suum lex non absoluit à peccati vinculo, sed crimine præuaricationis obligat: Et ideo addidit, dicens? *Nescitis quod cui exhibuistis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obedistis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad vitam.* Quid est fratres, quod cum de lege loqueremur, hominem prodidit seruum fuisse peccati? *Siue peccati, ait, ad mortem, siue obeditionis ad vitam.* Quia superius dixerat, peccatum vobis non dominetur: non enim estis sub lege, sed sub gratia. Qui ergo sub lege sunt peccati, deprimuntur, & incuruantur imperio: nec poterunt miseri de peccati turpissima seruitute nisi gratia manumittente liberari. *Gratias autem ago Deo dixit, quai fuistis serui peccati.* Sic gratias agit, quasi qui congaudeat hominem seruum fuisse peccati? Absit. Gratias agit, non quia ante serui fuimus domini tam crudelis, sed quia ei iam non sumus subiugati, sicut ex sequentibus id ipsum manifestat expressius dicens: *Obaudistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis: liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ.* Obaudiuimus fratres, beneficio vocantis, non nostro; quia captiui sic tenebamur arbitrio. *Obaudistis autem ex corde in eam formam doctrinæ.* In quam? In Euangelij nempe: vbi nouo libertatis genere non est omissa seruitus, sed mutata: quia melior est deuota famulatio, quam vaga & præsumpta libertas. *Serui facti estis iustitiæ.* Hæc seruitus fratres, non obligat, sed absoluit: non onerat, sed honorat, abstergit seruitutis maculam, non inurit. Quid hic rogo, non diuinum est, vbi seruitus pellitur seruitute, vbi fugatur conditione conditio, vbi mors morte moritur, vbi perditio perditione sanatur, & vt propriè ac breuiter dicatur, vbi tota aduersitas ipsius aduersitatis mucrone prosternitur? Quod autem dixit. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Magnitudinem pietatis ostendit, cùm Euangelicam doctrinam ad tam humilia & penè verecunda deponit exempla, vt sanctitati tantum, quantum immunditiæ, quantum iniquitati, iustitiæ tantum imponat & imperet seruituti. Absurda fratres, atque indecens videtur comparatio, quæ tantum gloriæ, quantum turpitudini hominem cupit esse subiectum, sed vtinam vel tantum Deo, quantum mundo, quando tantum cœlo, quantum terræ, quando tantum virtuti, quantum vitiis fragilitas humana famulatur? Totus homo miser sic carni deditur, sic rebus præsentibus occupatur, vt nihil in se, quod futuræ vitæ, quod diuinis bonis deseruiat, derelinquat. Illecebræ temporalis vim beatus Apostolus vno sermone humanis conscientiis conuenienter aptauit, conuenienter expressit, vt tanta vitali pondere iustitiæ voluntate, pudicitiæ ac munditiæ humana membra seruiant, quanta vehementia, dementiaque turpitudini, vitiisque dederunt. Parua aut fortè nulla exigit, qui cupit deuicta proprietate concedere: & admittit excusationem qui possibilia sibi, & vsitata præcipit, vt repensari debere pro maximis. Da ergo homo Deo tantum, quantum carni vitiisque tribuisti. Et quid est, quod ante vitiis, non Deo debeas teipsum, quod à te Deus tuo, tantum vtique amore requirit? Sequitur: *Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ: nunc autem liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ.* Ante serui peccati: nunc serui iustitiæ. Per Apostolum ecce succedit seruitus seruituti, contumax tu nunc tempus tuæ libertatis ostende: peccatum te antè mentiebatur liberum, quem tenebat miserandè captiuum: nunc gratia te vocat seruum, quem vt verè faceret esse liberum, Dei ipsius adoptauit in filium. Impleta est ergo Christi sententia, qua dicit: Qui vult esse dominus, sit seruus: Beata est hæc seruitus, quæ dominationem generat sempiternam. Illa enim libertas fructum, pœnæ & confusionem nobis intulit non ferendam, sicut dicit: *Quem enim fructum habuistis tunc in his quæ nunc erubescitis? nam finis illorum mors est.* Ecce qualiter manumittit, ecce quali præmio honorat illam diabolus seruitutem: vt mors simul & vitam finiat, & inchoet pœnam, & qui Christo seruiunt fratres, illusa morte cum stipendiis sanctitatis, perpetuam transferuntur ad vitam; finis enim Christi non suscipit finem: quia non interficit hominem finis iste, sed perficit.

Rom. 6.

Matth. 20.

IN VERBA EIVSDEM, An ignoratis fratres, scientibus enim legem loquor, & cætera.

SERMO CXV.

POsteaquam Dauidicam citharam spiritualis intelligentiæ plectro, & modulatione tangentes, animos vestros & corda permulsimus: intonantis quoque Euangelij ad suscitandos sensus vestros principia metuenda præbuimus: ad Apostolicum magisterium mox credidimus esse remeandum, vt tripartitus ordo sermonis Ecclesiasticæ doctrinæ salutiferam teneat & præbeat disciplinam. Nam & cantilena à continuo labore relaxat animos, & Euangelica authoritas mentes reparat & exuscitat ad laborem, & Apostolicus vigor tramite recto remoueri, & nostros non sinit sensus euagari. Hanc beati Rom.7. Apostoli per ordinem sequi hodie reperimus lectionem. *An ignoratis fratres*, inquit, *scientibus enim legem loquor, quia lex dominatur homini, quanto tempore viuit.* Et inducit similitudinem. *Nam quæ sub viro est mulier, viuente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri, igitur viuēte viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri.* Videtis, fratres beati Apostoli magnum cœlestis magisterij documentum: quemadmodum legis tempora legalibus testimonis asserit præteriisse, totamque eius prærogatiuam miro coniugij exinaniuit exemplo. Et meritò lex carnali coniugio comparatur, quæ non obtinuit cum synagoga spirituale consortium. Nam cum accepisset eam ad obseruantiam disciplinæ, ad sancti germinis fœcunditatem, ad augmentum pudoris, ad custodiam castitatis, ad superni thalami sacrum, reuerendumque secretum, ad mysticam thoti cœlestis vnitatem, reperit in ea totius meretricationis illuuiem. Occurrit enim tanto viro, id est legi, non compta moribus, non monilibus ornata virtutum, non incessu grauis, non verè illo flammeo virginalis verecundiæ operta velamento: sed lasciua oculis, soluta gressibus, præuenta illecebris, & tota dolis & simulationibus perfucata. Quam cum vir tantus visam iusta indignatione despiceret, & eam procul à sua societate propelleret, atque toto execraretur iudicio grauitatis: illa nec despecta erubuit, nec contempta se correxit, nec resipuit sic repulsa, sed tota præceps ad idolorum lupanaria conuolauit, & maluit subire fornicationis infamiam, atque adulterij crimen incurrere, quàm malè placiti habitus turpitudinem non habere. Vnde & merito eam beatus Propheta deplorat, dicens: Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis Esai.1. Sion? Cuius adulteria quoque Ezechiel sanctus toto penè volumine præscribit. Hinc est fratres, quod Ioan.8. cum in Euangelio à Scribis & Doctoribus legis apud dominum ista accusaretur adultera, auertit faciem suam dominus, & declinauit in terram: ne crimen cerneret quod puniret: & maluit, fratres, in puluere scribere veniam quam dare in carne sententiam. Hanc Apostolus adulteram ad Christi nititur reuocare consortium, nec patitur pristini lapsus timore tardari, quæ viuente viro merito extitit adultera, quia fuit cum alio viro, nunc verò non deserit legem, quæ ad legis recurrit auctorem: sed moritur legi legalibus addicta sententiis, vt viuat gratiæ, & resurgat per veniam, quæ fuerat interempta, & mortificata per legem. Denique cùm eam à maritali iure defuncto viro asserat absolutam, ipsam potius, non virum, in sequentibus defunctam esse testatur, quia lex non homini, sed homo moritur legi, nec mandatum præterit, sed mandato deficit ille qui labitur à mandato. Audi quod sequitur: *Itaque fratres mei, & vos mortificati estis legi.* Nunquid dixit, mortua est vobis lex? *Et vos mortificati estis legi.* Et bene addit, *Per corpus Christi.* Quia lex reum astringit, arctat obnoxium, punit & interficit criminosum. Qui ergo per corpus Christi ab omni crimine exemptus est & eruditus, feliciter moritur legi, vt innocentiæ viuat & gratiæ: *Vt sitis*, inquit, *alterius, qui ex mortuis resurrexit.* Alterius Alter ipse effectus est cùm nostram corruptionem in incorruptionem mutauit, & mortalitatem immortalitatis transuexit ad gloriam. *Vt fructificemus*, ait, *Deo.* Consortes cœlestis naturæ per Christum, non terræ, sed Deo: non morti, sed vitæ, & Deo fructum asserit deferri, non carni. *Cum enim essemus*, Rom.8. inquit, *in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operàbantur in membris nostris, vt fructificaremus morti.* Cum dicit: Cum essemus, præteritum Matth.6. tempus indicat: dum in sola carne positi imo magis expositi, quæ carnis sunt tantum sapere, facere, velle cogebamur, iuxta illud Apostoli. Qui in carne sunt, placere Deo non possunt. *Dum enim essemus*, inquit, *in carne passiones peccatorum, quæ per legem erant.* Dicam sicut dictum est à Domino: Si lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ? Si per legem passiones peccatorum membris dominantur humanis, quid ipsæ per se faciunt passiones quæ nascenti mox homini infeliciter & pœnaliter obsecundant? Cum taliter nascentem, generatum taliter angores deprimunt, vrgent pericula, afficiunt pœnæ, passiones sunt, fratres, per quas infirmatur infantia, pueritia trahitur, adolescentia insanit, iuuentus & senectus multis luctibus cumulantur: ipsæ sunt quæ totam hominis vitam inimico conturbante comitantur ad lapsum, quas lex dum prohiberet, admonuit: dum discuteret, ampliauit: dum accusaret, reddidit chariores: & quæ per ignorantiam latebant, fecit esse per scientiam notiores. Et sicut per falcem spinæ magis dum succiduntur, accrescunt: ita dum resecantur per legem, pullulant passiones: quia intrinsecus velut in radice carnis fixæ solidantur. Lex intrinsecus culturam fidei habet satis iustam, nec proficit, vnde ad frugem mortis ipsum cespitem humanæ carnis sua excitatione perducit. *Passiones*, inquit, *peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificaremus morti.* Instrumentum quod ad vitam erat, ad frugem mortis sibi in nobis vendicant passiones. Sauciati ergo taliter per Christi gratiam à lege mortis absoluimur, & Spiritum sanctum percipimus intrinsecus debellatorem, victorémque vitiorum, vt passiones forinsecus exclusæ pulsent, tentent, prouocent, sed concidant ad nostrorum gloriam triumphorum. Nobis, nobis cupit vincere, qui cum dominaretur nobis dignatus est militare, sicut dixi.* Ergo seruiamus in nouitate Spiritus à carnis seruitute iam liberi, quia vera dominatio est famulatus dominicæ sanctitatis, nam & vetus homo, & vetus litera totam corrupit & perdidit disciplinam.

IN VERBA EIVSDEM, Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit, & cætera.

SEMRO CXVI.

QVoties diuerso genere, sed voce consona mystica resonat cantilena, mira dulcedine pascit

&

& delectat auditum: ita cum vario modo, sed vno Spiritu, eodemque sensu diuina & cœlestis doctrina depromitur, libentius & cum suauitate maxima Euangelicæ scientiæ pandit & aperit sacramentum. Et ideo post Propheticam melodiam, & virtutum
Rom.7. Christi stupenda miracula, ad Apostolicarum redeamus ordinem lectionum. Talis ergo hodiernæ extitit continentia lectionis. *Quid ergo dicemus? lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui, nisi per legem: nam concupiscentiam non sciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Audistis fratres, quo morbo sine Christo laborauerit humana conditio, quàm captiua sine gratia fuerit humana fragilitas, quæ lege, quæ mandatis non prohibebatur, sed armabatur ad crimina: quæ ob hoc audiebat, ob hoc cognoscebat, non vt vinceret peccata, sed faceret. *Peccatum non cognoui, nisi per legem.* Vitia non nosse felicitatis est, nosse periculi, vicisse virtutis est. Rex nobilis & fortis, hostibus suis longius occurrit: & ita præuenit ingruentium dolos, vt deiici nequeat fides militum, ciuium nequeat conturbari constantia: sic modo generosus animus per Christi gratiam corporis sui transgreditur miserandas angustias, & ita totus delicta præuenit, proculcat vitia, & crimina tota internecione prosternit, vt nequeant fucis sensus fallere, dolis ingenium deprauare, tumultuantibus misero imbecilla corda dissoluere ardore, sanguinibus fumantes occasiones incendere, vario passionum genere membra naturaliter infirma vexare. Quod ignis aridæ segeti, hoc vitia corpori sunt humano, quæ sola securius separatione vincuntur, necantur ignorantia, & nescita fœliciter euanescunt. Nam si ad mentem & sensus peruenerint, si cōtigerint animos, si semel membra penetrauerint, inextinguibile gignitur & exalatur incendium: & nisi vnda cœlestis corda rigauerit, mentes infuderit, membra madefecerit, totum quod est roboris humani, subditur & redigitur in fauillam. *Lex,* inquit, *peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui, nisi per legem.* Ac si diceret: Aurum auaritia non est, sed auaritiam non cognoui, nisi per aurum. Vinum ebrietas non est, sed ebrietatem non cognoui, nisi per vinum. Pulchritudo corporis non est concupiscentia, sed formæ decus ad concupiscentiam me rapuit & perduxit ad lapsum. Sic ergo ipsa per se mala non sunt, quæ à Deo ad vtilitatem, ad salutem, ad gratiam sunt creata, sed per ea delinquendi datur occasio. Ergo auaritia aurum accusat, ebrius vinum, lasciuus aut lepidus, formæ vult esse quod contigit ad ruinam. Ita & lex quæ à Deo data fuerat ad salutem, quæ erat per se cœlestis & sancta, facta est per hominem miseri hominis ad ruinam: sicut ex sequentibus probat Apostolus, qui dicit: *Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum.* Quod ergo bonum erat non intulit mortem, sed peccatum, quod principaliter intulerat mortem, quod fragilem, quod imbecillem, quod humanam naturam pronam fecerat ad lapsus & vitia. Quod latebat, & hostiliter humano grassabatur in corpore, lex reprehendit, lex prodidit, dum admonet hominem de innocentia, de sanctitate, de iustitia, de virtute, de fide: dum arguit de vitiis, de delictis, de criminibus. Sed homo audire quidem cœpit virtutes, cœpit velle, sed non attigit: cœpit detestari, sed sequi vitia: odisse delicta, sed facere: horrere crimina, sed implere: vnde tarde se seruum captiuum, se malæ rabiei sensit addictum: & cœpit clamare: *Infœlix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius.* Cui respondetur, *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Quo audito cœpit libertatem quærere per auctorem, salutem per veniam, vitam per solam sperare gratiam. Nam diu ignorauerat vnde esset difficilis innocentia, vnde laboriosa iustitia, anxia sanctitas, virtus ardua, fides tota periculis plena, vnde sic tantas copias haberent delicta, vnde crimina dum succidantur, increscunt: virtutes deficiunt, dum coluntur. Lex aperuit, docuit, lex tota luce monstrauit crimina per peccatum, virtutes per Deum in humanis sensibus, in humana mente dominari: nec posse antè superari delicta, quàm delictorum fuerit auctor extinctus, quod est peccatum, quod Christus abstulit: attestante Ioanne, cum dicit: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. *Sine* Ioan.1. *lege enim,* inquit, *peccatum mortuum erat, ego autem viuebam sine lege aliquando, sed cum venisset mādatū, peccatum reuixit: & ego mortuus sum, & inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem: nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, & per illud occidit.* Peccatum mortuum erat, non quia non erat, sed quia ignorabatur, & propriè dictum est, *Peccatum reuixit.* Quia erat sepultum in ignorantia nostra, non mandatum, sed peccatum per mandatum reuixit dum facit præuaricari qui fuerat antè peccator? dum reum perficit etiam contumacem, desertorem exuscitat, & rebellem. Vnde merito homo iam tunc se exclamat mortuum, quando se vnde & quare, & per quem moreretur, agnouit. Peccatum fratres, quam crudelis tyrannus sit, iam videmus. *Per mandatum seduxit me, & per illud occidit.* Quia argumentum salutis tetendit in laqueum, quia curam fecit esse languorum: quia instrumentum sanitatis exitiale mutauit in vulnus: quia vitam ipsam in gladium lethalem conuertit. *Per mandatum seduxit me, & per illud occidit.* Vt qui sibi iam quòd esset occisus, quid prouideret iam mortuus: nam quis poterat subuenire occiso, nisi Christus, qui vitam reparauit occisus? qui talionem morti reddidit per mortem, mortem peremit: atque eam prodidit contumacem, quæ incubare iussa pœnis reorum, attentare ausa est ipsum iudicem, inuadere ipsum innocentiæ præsumpsit authorem: vnde merito mors, mors tua est, & in me non ego viuo, sed viuit, agit, regnát, imperat Christus.

IN VERBA EIVSDEM, Factus est primus homo Adam in animam viuentem, &c.

SERMO CXVII.

DVos homines beatus Apostolus hodie retulit humano generi dedisse principium, Adam videlicet, & Christum, duos homines pares corpore, sed merito dispares, compage membrorum tota veritate persimiles, sed ipso sui principio tota dissimiles veritate. *Factus est*, inquit, *primus homo Adam in animam viuentem: nouissimus Adam in Spiritum viuificantem.* 1. Cor. 15. Ille primus ab isto nouissimo factus est, à quo est animam consecutus, vt viueret, hic est ipso se figuratus auctore, qui vitam non expectaret ab altero, sed ipse vitam solus omnibus largiretur: ille vilissimo plasmatur ex limo, ex vtero precioso Virginis hic procedit: in illo terra mutatur in carnem, in isto caro promouetur in Deū. Et quid plura? Hic est Adam, qui suam tunc in illo cum fingeret imaginem collocauit. Hinc est quod eius & personam suscepit & nomen recepit, ne sibi quod ad suam imaginem fecerat, deperiret. Primus Adam, nouissimus Adam: ille primus habet initium,

tium: hic nouissimus non habet finem. Quia hic nouissimus verè ipse est primus, ipso dicente: Ego primus, & ego nouissimus. Ego sum primus, & sine initio. Ego nouissimus, vtique sine fine. *Sed non prius*, inquit, *quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale.* Priùs vtique terra quam fructus: sed non tam pretiosa terra, quam fructus: illa gemitus exigit & labores, hic substantiam largitur & vitam. Merito Propheta de tali fructu gloriatur, dicens: Terra nostra dedit fructum suum. Quem fructum, suum? Illum nempe de quo alibi dicit: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. *Primus homo*, ait, *de terra terrenus: secundus homo, de cœlo cœlestis.* Vbi sunt qui conceptum Virginis, & partum, mulierum partibus existimant exæquandum: cum illud de terra sit, hoc de cœlo? hoc diuinæ virtutis sit, illud infirmitatis humanæ? illud sit in corpore passionis, hoc totum sit in tranquilitate diuini spiritus; humani corporis in quiete? Sanguis siluit, caro stupuit, soporata sunt membra, & aula Virginis tota est in cœlesti commoratione suspensa, donec auctor carnis carnis sumeret indumentum: & fieret homo cœlestis, qui non solum terram redderet homini, sed homini donaret cœlum. Virgo concipit, Virgo parturit, Virgo permanet. Ergo virtutis est caro conscia, non doloris, quæ magis pariendo integritatis augmenta suscipit, damna pudoris ignorat, testis potius sui partus existit, quæ nullas partus pertulit passiones, & Sacramentis cœlestibus interfuisse se noua miratur mater, quæ nascentis ordinem intelligit humanæ consuetudinis nil habere. Si Deum sic nasci magus fatetur munere, fatetur dum adorat, aduertite quid sentire, quid credere debeat Christianus. Sed quod sequitur audiamus. *Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœlestis, tales & cœlestes.* Quemadmodum non nati taliter, tales poterunt inueniri, non manendo, quod nati sunt, & quod renati sunt permanendo. Hinc est fratres, quod virgineum fontis vterum cœlesti spiritus arcana luminis sui admixtione fœcundat, vt quos origo limosæ stirpis profuderat sub misera conditione terrenos, cœlestes pariat, & ad similitudinem sui perducat auctoris. Ergo iam renati, iam reformati ad nostri imaginem creatoris, quod præcipit Apostolus, impleamus. *Igitur sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* Fuerit necessitas quod de terra concreti cœlestia aspirare nequiuimus: quod de concupiscentia nati concupiscentiam non valuimus euitare: quod illecebris dominantibus acquisiti, coacti sumus illecebrarum turpitudinem sustinere: quod sæculi huius habitaculo recepti, captiui fuimus malis: ad instar nostri domini, sicut diximus, iam renati, quos vtique concepit virgo, viuificauit spiritus, portauit pudor, genuit integritas, nutriuit innocentia, edocuit sanctitas, virtus exercuit, Deus adoptauit in filios, imaginem totam tota similitudine nostri portemus auctoris: non maiestate qua solus est, sed innocentia, simplicitate, mansuetudine, patientia, humilitate, misericordia, concordia, qua dignatus est nobis fieri & esse communis. Cesset vitiorum pruritus pestifer, dilectorum lethalia blandimenta vincantur, execrandus furor criminum comprimatur & origo, discutiatur à sensibus caligo tota pōpæ sæcularis, abiiciatur à mentibus mundanæ cupiditatis illusio, appetatur paupertas Christi, quæ diuitias in cœlestibus possidet sempiternas, tota sanctitas animæ custodiatur & corporis, vt non magnitudine, sed actu imago creatoris nostri portetur & clarescat in nobis. Affirmat quod diximus Apostolus, cum dicit: *Hoc autem dico fratres, quia caro & sāguis regnum Dei possidere non possunt.* Ecce quomodo carnis resurrectio prædicatur, quia ibi caro possidebitur à spiritu, non caro spiritum possidebit, sicut ex sequentibus elucescit. *Neque corruptio incorruptionem possidebit.* Vides quia non caro deperit, sed corruptio: non homo, sed culpa: non persona, sed crimen: vt homo in Deo, & coram Deo viuens, finem se delictorum tandem gaudeat consecutum. De resurrectione proprius sermo proferendus est fratres, quia transcursim in ipso verbi fine non conuenit dici de eo, quod nos ad æterna tempora perpetuam transmittat ad vitam.

Esai. 48.
Psal. 84.
Psal. 131.

IN VERBA EIVSDEM, Notum autem vobis facio fratres, Euangelium, &c. de morte.

SERMO CXVIII.

QVoniam tota spes fidei Christianæ in resurrectione constituta est mortuorum, ne quisquam de ea ausus sit dubitare beati Pauli asserentis eam auctoritate, rebus, exemplis, latissimam recitare vobis fecimus hodie lectionem, ad quam sermo noster quod adiicere possit, non potuit inuenire. Sed quia nostri officij vestra charitas semper exigit famulatum, repetere hæc eadem, inculcare vehementius hæc ipsa resurrectionis ipsius ardore gestimus. Fratres semper de resurrectione libet dicere, iugiter de resurrectione delectat audire, quia mori nunquam libet, viuere semper delectat. Resonet ergo in ore nostro resurrectio semper, semper resurrectio ad nostræ mentis transmittatur auditum: vt mors, quæ nostros semper obsidet sensus, cum terrore suo, cum lamentis suis à nostris sensibus effugetur. Quia sic agricola fructus vberes, & exsatiatas epulas cantat, vt imminentem vomeris laborem non sentiat & sudorem. Sic nauta portus modulatur & lucra, ne vndarum ruinas, ne maris discrimina pertimescat. Sic miles, ne vulnera metuat, vt gladios non pertimescat, prædas personat & triumphos. Vnde resurrectionem mente, ore, oculis, spectet, cantet, cogitet Christianus, vt totam mortis possit despicere & calcare formidinem. Mors est fratres, desperationis domina, incredulitatis mater, germana corruptionis, inferni parens, diaboli coniunx, omnium malorum Regina, quæ omne genus hominum tali ordine inexplebili impugnat: vt primum susurratricem suam desperationem præmittit talia suadentem. Homo, cur tua perdis tempora? Ecce domina mors tua venit animam tuam in nihilum redigens, carnem tuam putredine, ossa tua vestutate consumens: vt te qui non fuisti antequam nascereris, faciat non esse post mortem. Redde ergo debita ante mortem, moriturus cito tibi ætatibus tuis: da lusibus infantiam, da deliciis adolescentiam, da voluptatibus iuuentutem, da senectutem mihi, ne sine causa de spe cogites desperatus. Post istam mittit incredulitatem suam filiam sic minantem. Quasi non moriturus, quasi euasurus mortem, sic de vita disponis. Homo, te decipit fides, tu fidei credis, quæ vt tollat præsentia, futura promittit, & vt auferat quæ sunt ante mortem, nescio quæ inuisibilia pollicetur esse post mortē. Quis inde venit, aut quis sapiens credit tot sæculis promissa nec reddita? O si manduces & bibas, manduca & bibe, cras enim morieris. Tertiam germanam Esai. 33.
nequitiæ suæ corruptionem tali dirigit cum furore, vt aspectus hominum inuadat, attrahat, occupet per sepulchra extremos ostendens carceres, suos iacere ibi demonstrat immobiliter vinculatos: & vt homines

mines sensus hominis horrore toto, toto pauore conturbat, effundit putredinem, eructat saniem, spargit fœtores: atque ad vnum corpus hominis innumeros carnifices ob se vermes dedisse proclamat. Quare non desperationi, quare non incredulitati crederent Christiani? Hæc sunt mortis bella, his ducibus, his consiliis, tali conflictu captiuat, vastat, interficit omnes quos natura præsentem perducit ad vitam, ducit Reges, trahit populos, gentes impellit; non diuitiis redimi, non flecti precibus, non lachrymis molliri, non viribus vnquam potuit ista superari. Errauere fratres, qui de bono mortis scribere sunt conati. Et quid mirum? tunc se mundi sapientes magnos æstimant & præclaros, si id quod est summum malum, hoc esse summum bonum simplicibus persuaserint: merito scriptura de istis dicit. Væ qui dicunt bonum malum, & malum bonum. Væ qui ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras. Et re vera quem non illi fallerent, quem non cæcare potuerunt, qui viuere malum, mori bonum, incautis credere perfecerunt? Sed hæc fratres, veritas submouet, lux fugat, impugnat fides, Apostolus notat, Christus delet, qui dum bonum vitæ reddit, malum mortis prodit, dānat, excludit. Sicut enim cœpit Apostolus: *Notum autem vobis facio fratres, Euangelium, quod prædicaui vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini: qua ratione prædicaui vobis, tenere debetis, nisi sine causa credidistis. Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum scripturas.* Dei largitas victurum, non moriturum ditat. Aut quid bonum accipit, si non erit ipse qui accipit. *In quo & statis.* Stat vtique qui semper viuit, quia moriturus semper iacet. *In quo & saluamini.* Si quis moritur, perit: saluatur vero ille qui semper viuit. *Qua ratione prædicaui vobis, tenere debetis, nisi sine causa credidistis.* Non solum fratres, sine causa credidit, sed & sine causa vixit, qui se ad hoc solum natum credidit vt periret. Homo quid tibi oritur quod non occidat? quid tibi quod occiderit, non resurgit? Dies mane oritur, & iterum resurgit in mane: sero sepelitur in nocte, & iterum resurgit in mane. Sol quotidie nascitur, quotidie moritur: resurgit ipse quotidie: tempora dum transeunt, pereunt: dum redeunt, reuiuiscunt. Vnde homo si Deo non credis, si non acquiescis legi, si non consentis auditui, vel oculis tuis crede, vel elementis resurrectionem tuam tibi iugiter prædicantibus acquiesce. Certè si ista longè sunt inferiora, quæ in tuis manibus sunt, & de morte tuo opere suscitantur, te posse Dei opere doceant suscitari. Vade ad semen, Apostolo te docente: tolle triticum aridum sine sensu, sine motu, duc sulcum, fodi terram, fac sepulchrum, sepeli triticum, inspice quemadmodum morte deperit, humore turgescit, putredine corrumpitur, & cum peruenerit ad totum quicquid desperatio, quicquid incredulitas, quicquid corruptela tibi superius ingerebat: tunc subito reuiuiscit in germine, in herba pubescit, iuuenescit in caule, maturescit in fruge, & ad illam totam ipsam, quam tu periisse deflebas, speciem resurgit & formam: vt te homo triticum non tam doceat manducare, quam sapere: non tam cogat laborare, quam credere. Reliqua nos taceamus, quia & vnde, & quando, & quomodo, & per quem mors venerit, beatus Apostolus plano & satis lucido ac diuino declarat eloquio. Homo accipe fidem, quia gratis datur: crede resurrectionem, quia qui promittit illam, pretium non requirit.

Esaiæ 5.
1.Cor. 13.
1.Cor. 13.

IN VERBA EIVSDEM, Nescitis quod hi in stadio currunt, & cætera.

SEMRO CXIX.

Beatus Apostolus Paulus non solum per doctrinam legis, sed sæculi huius exemplo ad coronam nos gloriæ cœlestis hortatur. Si enim inter cætera ait, vt audiuit dilectio vestra. *Nescitis* inquit, *quod hi qui in stadio currunt; omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium.* Et addidit: *Sic*, inquit, *currite, vt comprehendatis.* Secundum terrenum exemplum, multi quidem, vt ait Apostolus, in stadio currunt, sed vnus accipit coronam, id est, ille qui melius currit, ita & in studio vitæ præsentis multi quidem currunt, sed vnus accipit coronam. Currūt Iudæi per legem; currunt Philosophi per inanem sapientiam, currunt & hæretici per falsam annunciationem, currunt Catholici per veram fidei prædicationem: sed de his omnibus vnus coronam accipit, id est, populus Catholicus, qui recepto fidei cursu tendit ad Christum vt ad palmam immortalitatis coronamque perueniat. Quapropter & Iudæi, & Philosophi, & hæretici in vacuum currunt, quia non rectæ in fidei tramite gradiuntur. Quid enim prodest Iudæis currere per obseruationem legis, qui Christum Dominum legis ignorant? Currunt & Philosophi per inanem sapientiam sæculi, sed superfluus & vacuus cursus ipsorum est qui veram Christi sapientiam nesciunt. Vera enim sapientia Dei Christus est, quæ non ornatur verbis, nec luculenta oratione, sed fide cordis agnoscitur. Currunt & hæretici per veneratam fidei suæ assertionem, currunt per ieiunia, currunt per eleemosynam, sed peruenire ad coronam nequeunt, quia non currunt: falsa enim fides eorum veræ fidei gratiam accipere non meretur. Manifestat hoc Apostolus alio loco, cum dicit. Et si distribuero omnem substantiam meam pauperibus, & si tradidero corpus meum igni vt ardeat, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Non enim habet charitatem Christi, qui Christo non fideliter credit. Et ideo bene addidit Apostolus, dicendo, *Sic currite, vt comprehendatis.* Currere ergo debemus fideli cursu in fide Christi, in mandatis Dei, in operibus iustitiæ, vt ad coronam æternæ vitæ peruenire possimus. Denique quemadmodum nobis currendum est, idem Apostolus consequenter ostendit, dicendo: *Omnis*, inquit, *qui in agone contendit, ab omnibus continens est: & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptibilem.* Vide quibus nos Apostolus exemplis ad coronam promissæ immortalitatis inuitat. In agone isto terreno qui vincere volunt, abstinent se à cibis quibusdam, à potu nimio: abstinent ab omni immunditia, sub tanta castitate, vt etiam propria coniugia non requirant: nec aliter se vincere posse sperant, nisi corpus suum castum, pudicumque seruauerint: Et post tantum laborem quid aliud quam paruam, & corruptibilem, & vilem quidem coronam accipiunt? Si ergo pro corruptibili corona tantus labor à quibusdam suscipitur, quanto magis nos omnem laborem sustinere debemus, quibus præmium cœleste, & æternæ gloriæ corona promittitur? Est ergo nobis agonizandum non leui certamine: certamus enim contra spiritualia nequitiæ, contra diabolum & angelos eius: certamus contra iniustitiam, contra impietatem, contra malitiam, contra impudicitiam, contra diuersas illecebras pecatorum. Et si certantes vincimus, tot coronas accipimus, quot vitio-

1. Cor. 13.
1.Cor. 9.

rum victores fuerimus. Magnus itaque agon iste est, in quo spectaculum domino exhibemus: spectamur enim certantes domino: spectamur ab Angelis eius, in terra vincimus,sed præmium virtutis in cœlestibus accipimus. Denique sancti martyres in agone certaminis positi, non solum vitia peccatorum, sed ipsam mortem vicerunt, & præmia immortalitatis susceperunt. In hoc agone primo Dominus & Saluator noster, & certauit & vicit, vt nobis exemplum certaminis & victoriæ demonstraret. Hæc ergo vobiscum tractantes semen boni certaminis iniicimus in cordibus vestris,tanquam sulcata inuenientes pectora vestra aratro iustitiæ. Colite igitur verbum quod sparsimus in vobis, vt possit geminare quod satum est. Deus autem visitatione sua, rore suæ vos pietatis infundat: & det incremmentum seminibus nostris, quo possitis in collectis manipulis meritorum ad fructum centesimum peruenire.

IN VERBA EIVSDEM, Nolite figurari huic sæculo, &c.

SERMO CXX.

CHristus Apostolus sal esse hodie patefecit, dicendo: Vos estis sal terræ. Ne quis ergo impa-
Matth.5. tienter ferat, si beati Pauli verba, vt grana diuini salis terimus: quatenus altiùs saporati sensus intelligentiam condire possimus. Grana enim salis integra saliunt, quatenus in medullis ipsa subtilius attenuata descendant:sic sermo Apostoli communiter lectus præbet simplicem sensum, profundam scientiam præstat, lectione sedula iteratur ad illa, quæ ante perscrutati sumus. Hodie dicit beatus Aposto-
Rom.12. lus.*Nolite configurari huic sæculo,&c.*Putasne beatus Paulus Apostolus dicendo sic, elementorum figuris ne configuremur obsistit? néve simus vt Persarum Reges, qui subiecta nunc pedibus suis sphæra, vt polum se calcare vices mentiuntur: nunc radiato capite ne sint homines,solis resident in figura:nunc impositis sibi carnibus, quasi viros se esse doleant, effœminantur in Lunam: nunc varias velut siderum sumunt formas, vt hominis perdant figuram, & nihil supernæ claritatis acquirant. Sed ista licet de sæculi vanitate descendant, & à sapientibus tam fugienda sint quam ridenda:tamen Apostolus cum dicit:*Nolite configurari huic sæculo.*Sæculi vitam corrigit,arguit mores,iudicat institutum,castigat voluntates,luxuriam condemnat, & totam vanitatum sæcularium pompam propellit,effugat,excludit à mentibus Christianis.Sed hoc modo strictim commonet, quod est in principio huius epistolæ latius executus: vbi figuram sæculi in vitiis sic figurat. Repletos, inquit,omni iniquitate,malitia,fornicatione, auaritia, nequitia,plenos inuidia,homicidiis,contentione,dolo, malignitate, susurratores, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, erectos, superbos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, sine misericordia, qui cum iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt,digni sunt morte: non solùm quia faciunt illa,sed & consentiunt facientibus. Fratres, audistis formam sæculi, didicistis speciem, vidistis figuram: si tamen formam & non informe monstrum, vbi confusione criminum tota rerum facies est deleta:vbi peccatorum connubio tota mundi figura est dissoluta, vbi delictorum morbis imago ipsa ablata est conditoris, vbi homo in vitiis est sepultus, vbi corrupti corporis scatent scelera, vbi homo hominis est sepulchrum, vbi in homine non homo cernitur, sed cadauer. Apostolus ergo huic formæ nos prohibet esse conformes, & configurari nos huic vetat figuræ: huic similitudini consimiles non esse permittit, sed formam Dei reformat, ad similitudinem reuocat Christi, & totam reducit ad imaginem conditoris,dicens:*Sed reformamini in nouitate sensus vestri.* Hoc est, sitis per Christum sensibus innouati, abiecta sæculi huius figura: & tota inueteratæ imaginis deformitate proiecta, formam vestram in formam vestri reducite Saluatoris: vt nouitas sensuum vestrorum in vestris actibus elucescat, & cœlestis homo cœlesti habitu iam gradiatur in terra. Qualiter autem componat formam noui hominis,iam patescat.*Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem habent actum: sic multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alterius membra. Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes.* Agit,agit vt corpus quod collocat in cœlesti actu,in superna vita,in moribus sanctitatis,membrorum consensu, & copulatione consistat: neque pes oculi ministerium, neque oculus pedis officium peruerso tumore confundat: sed vt sanctitatis membra donis contenta sint largitoris, & credant suum esse membra omnia, quod vnum fecerit membrum, qui minorari nescit membrum vnum, quod totum honoratur in corpus. Hinc est quod Apostol. actus membris,membra actibus sic depingit.*Siue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortatione,qui tribuit in simplicitate,qui praeest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate. Charitas sine simulatione, odientes malum, adhærentes bono, inuicem honore præuenientes,inuicem benigni,solicitudine non pigri, spiritu feruentes, Domino seruientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes,orationi instantes, memoriis sanctorum communicantes,hospitalitatem sectantes: benedicite,& nolite maledicere, gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus,prouidentes bona,non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, nulli malum pro malo reddentes: sic fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes:non vindicantes vosmetipsos,sed date locum iræ. Si esurierit inimicus tuus,ciba illum: si sitit,potum da illi; noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Superius fratres,Apostolus patefecit membra vitiorum: reuelauit modo nobis membra virtutum,vt cœleste corpus tantis solidatum membris, neruis talibus roboratum possit facile mundi bella prosternere, diaboli superare conflictus. Et ita viuens, vt Apostolus docuit non prosternit modum? non proterit carnem? non diabolum vincit?non æquatur Angelis?non maior est cœlo? Plane maior cœlo, quia cœlum non mouetur sponte, non voluntate agit, non iudicio facit quicquam, sed sola necessitate seruit semper, quia semel iussum est seruire: impollutum se non viribus, non labore custodit: vnde cum non sit obnoxium pœnæ, sic tamen nec consistit ad præmium: at homo ex terrena vilitate concretus, dum terrenam labem vincit, dum sanguinis stimulos frangit, dum carnis exuperat passiones, transcendit cœlum, ad ipsam deitatis peruolat sedem: & sic fit maior cœlo, meritis supergreditur Angelos, non natura. Probat hoc Apostolus Paulus, qui dum satis terram vincit, & intrauit cœlum, & transiuit alium, & vsque ad tertium meruit peruenire. Et iuste, nam primus conscendere debet cœlos, qui sic & verbo & exemplo homines penetrare docuit cœlos.Erit, erit maior cœlo, qui vixerit sicut docuit Paulus,erit clarior Sole, qui sic virtutum radiis toto orbe splendet,vt fuscari se nulla vitiorum nocte permittat.Erit, erit iste lucidior Luna, qui tenebras has

has non tenuato lumine temperat, sed totam sæculi noctem plenitudo meritorum fulgore depellit: nec sicut Luna quotidiaua lucis detrimenta persentit, sed iugi factorum lampade in superni luminis claritate persistit: nec iste sicut illa menstruo interpolatur obscuro, sed in claritate Dei continua permanebit. Et si magna est illa quod mitigat noctem, quanto hic maior cuius vita recipit nil de nocte. De stellis taceo, quia quot cœlum stellis, tot sancti virtutibus elucescunt: dicente Domino: Vos estis lux mundi. Lucete sicut luminaria in mundo. Ad summum, Cœlum, Sol, Luna, Stellæ (Deo dicente) transibunt: iustus autem in claritate Dei continua permanebit. Velim fratres, de singulo Apostoli verbo proferre singulas dictiones, sed quia & frequentata lectio fastidium generat audienti, & nos diutius non possumus Euangelicas tacere virtutes: gratum sit charitati vestræ quod compendioso sermone præsentem clausimus lectionem: Deus autem noster, & quæ diximus, & quæ tacuimus, ipse sanctis vestris sensibus insinuare dignetur.

Matt. 5.
Phil. 2.
Matt. 24.

DE DIVITE ET LAZARO,

SERMO CXXI.

Audistis fratres, hodie & paupertatis finem, & diuitiarum, qualis sit exitus cognouistis: dicente Domino: *Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & bysso, quotidie epulabatur splendidè: & erat quidam mendicus nomine Lazarus, vlceribus plenus, qui iacebat ad ianuam eius, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant & lingebant vlcera eius. Factum est autem,* inquit, *vt moreretur pauper, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Diues autem mortuus est, sepultus in inferno.* En fratres, quam rerum lamentanda mutatio: pauperem portant Angeli: diuitem deglutit infernus. En fratres, mors pauperis totam vitam diuitis vicit: & elatio sola pauperis totam diuitis pompam transcendit, & gloriam. Quare sic sepultura decipit oculos? quare sic exequiarum pompa mentitur? in obsequium diuitis migrat hic tota ciuitas cum funus effertur: pauper vadit solus: pauperem duorum portat miseratio baiulorum: nec quatuor vt mortuo, sed duo sub vno vecte, quasi proiiciendo oneri portitores addicuntur inuiti. Meritò ei vox angelica officia, merito diuina deputantur obsequia, cui tam crudeliter negata sunt ipsa humanitatis extrema. Funus diuitis antecedit lugubris turba seruorum: feretrum pauperis præcedit Angelorum psallentium multitudo. In marmoreo tumulo & aurata veste iacet diuitis corpus inclusum: pauperis caro naturali quiescit in limo: & materiali situ vermium morsus nescit: præuenit putredines & fœtores. Sed requiramus fratres, quæ diuitis culpa, quod crimen, quod scelus eum suppliciis addixit inferni: & ante iudicium damnationis eius, elogium tot sæculis fecit, ipso iudice referente, cantari, dicente Domino: *Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè: & erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam diuitis, & cupiebat saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis.* Nunquid per se tantū diuitiæ criminosæ sunt? aut solæ, & per se penes Deum damnandæ sunt vestes? & tantum per se puniendæ sunt epulæ, vt non solum careant præmio bonorum, sed omniū malorum ferant & mereantur exitium? Aut ita per

Leu. 10.

se probata est, & sanctificata mendicitas, vlcera tam sacrata, vt Angelorum manibus Abrahæ sancti rapiantur ad gremium? Et mirum fratres, quod Abraham quondam diues nunc diuitem spernit: dicente scriptura: Erat autem Abraham diues valde: & eum quem habuit in bonis præsentibus parem, nunc reprobat & patitur esse pœnalem: præsertim cum neque pauperis huius bona, neque mala diuitis istius prodiderit sermo diuinus. Cur ergo nunc Abraham ambit pauperem, diuitem refugit & refutat? Aut quemadmodum hunc Abraham innocentem habuere diuitiæ, hunc fecere diuitiæ criminosum? Illum promouere ad omnium requiem beatorum, hunc in omnium malorum barathrum deputarunt? Verum ne propositus sermo vestrum diu fatiget animum, suspendat auditum, accelerandа nobis est huius solutio quæstionis. Abraham fratres, non sibi, sed pauperi diues fuit, & opes non habere, sed prorogare gestiuit magis magisque in sinu pauperis, quam in horreis recondere suas studuit facultates, sicut toto vitæ eius ordine perdocetur. Nam peregrinus ipse iugiter laborauit, sicque ne peregrinus peregrinum se esse sentiret, sub tentorio manens ipse, sine tecto aduenam manere non passus est: & hospitem hospes semper ipse suscepit, extorris patria, domicilij nescius, ipse & Dominus omnium fuit, & patria, sciens, se non incubatorem, sed dispensatorem diuinæ positum largitatis, vt vindicaret oppressos, absolueret captiuos, eriperet iam iamque morituros, ipsum se morti nouus bellator addicit, apud quem pietas in alterum vita sua charior fuit. Abraham suscepto hospiti astitit, non assedit: & fuit iste non conuiua hospitis, sed minister. Abraham viso peregrino, Dominum se esse nesciuit, ipse allator prandij, ad coquinam satis delicatam sollicitus addixit vxorem: & qui se, suaque omnia famulis suis credit ac committit, committere vix audet hospitem coniugi quam probatæ. Et quid plura fratres? Huius denique humanitas sic sancta sanctis est semper manibus præparata, vt inuitaret apud illum ipsum Deum, & compelleret hospitari. Ille ad Abraham, ille ad requiem pauperum, ille ad hospitum receptaculum venit, qui se in hospite & paupere receptum fatebitur in futuro, cum dicet: Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes fui, & suscepistis me. *Factum est autem, vt moreretur pauper, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Non immerito fratres, sua tunc omnes sanctos suscipit in requie, in ipsa cœlesti beatitudine fungitur dispensatoris officio: quia dum semper hic suscepit peregrinos & pauperes, ipsum cum Angelis suscipere Deum, ipsum sub tentorio suo videre hospitem meruit, quem semper habuit largitorem. Et reuera fratres, parum se beatum credidit, si in ipsa superna gloria ab hospitalitatis pio cessaret officio. Et solis donis frueretur diuinis, qui hic humana bona crudelem se credidit quicquam si negaret Abraham. Fratres, venientibus longè semper occurrit, prætereuntes etiam prece vocat: nolentes magna cum supplicatione suam compellit ad mensam: prima, & saginata de gregibus hospitibus semper apponit: suis, & coniugis suæ manibus factos calentes semper offert panes, quos frigidos & hesternos esse vtique iugis humanitas non sinebat. At iste alter diues, imò diuitiarum captiuus, seruus opum, & ipsis censibus compeditus, tantum pompæ immobile sepulchrum, in quo pietatis totus vtique & visus defecerat, & auditus, non iam personam, non pauperem, sed ipsam misericordiam despicit

Gen. 13.
Gen. 18.
Gen. 14.
Matth. 25.

spicit ad ianuam suam Lazaro sic iacente. Purpura, bysso, delicatis vestibus, epulis blandis ferrea viscera crudelis anima nutriebat: quem Deus humanæ salutis auidus inquisitor emollire cupiens, non tam Lazarum, quam ipsum pietatis conflatorium eius proiecit ad ianuam: conflatorium dixi, propter ferrea viscera. Impiis ergo oculis mendicus Lazarus ingeritur, admouetur, & vt diues date possit, magis magisque diuitis census cumulatur: sed diues adamante durior, quicquid Deus pauperis propter alimoniam diuitis conferebat ad censum, ille aut effundebat turpiter, aut crudeliter reponebat. Item Deus vt non taceret, vt clamaret, vt admoneret diuitem, vt panem se quærere tantum ieiunus pauper ostendat, vt vel ad minima largienda abundantis impellat animum, augetur pauperi fames. *Cupiebat*, inquit, *de micis saturari, quæ cadebant de mensa diuitis.* At diues variis crapulatus ferculis indigeriem suam ructabat ad cœlum, ne vocem pauperis humi & taliter iacentis, audiret. Itemque Deus, quia obduratis auribus vnius oris nil erat vox clamantis, ad apetiendum cor diuitis totum corpus pauperis vulneribus aperit, vt in admonendo diuite tot essent pauperis ora, quot vulnera, soluuntur viscera, vlcera producuntur, hiatus vulnerum dilatantur, sanies effunditur, & tota pauperis caro componitur in cœnam pietatis: vt quem vox esurientis non mouerat, vel suspiria, vel dolores, gemitus, & tota ærumnarum congeries commoueret, sed diues superbo oculo & insatiabili corde, hæc omnia & audire, & videre, & sentire contemnit. Quærit adhuc Deus quemadmodum diues à sua obstinatione soluatur. Soluit pauperi manus à suis artubus, vti nec abiegeret canes diuitis, quos vulneribus suis diuitis erat pasturus in vulnus: & nouo modo frattes, humanitatis ordo mutatur: fit humana mendicitas, vt cupiditas prodatur inhumana. Diues pauperem nec cadentibus de mensa micis pascit: & Lazarus pauper, quia aliud non habebat, etiam de carnibus suis canibus humanus extitit. Miser diues, si panem non dedisti, quare vel canes abigere noluisti? Sed mitiores te canes tui, imo tu sæuior canibus tuis: nam te sæuiente illi parcunt, qui non ad morsum dentes, sed linguas ad obsequium sic producunt, vt in modum spongiæ non vexent vulnera, sed detergant. Diues in canibus tuis famem pietas vicit: in te impietatem saturitas non eiicit. Nam quod canes hoc studio faciant curantium, vsus ipse qui semper est in oculis, probat. Nam canes lambendo semper curant vulnera sua: canes curant pauperem magisterio naturæ, & homo hominem negligit, ipsa grauiter accusante natura. Verum est, verum est, quod diues cum nec micas dare potest, semper auarus eget. Differendus est sermo fratres, quia & dicendi tempus absumpsimus: & lectionis loca, quæ nobis tractanda sunt, maximè subsequuntur.

DE EISDEM,

SERMO CXXII.

Deberet fratres, sermo noster hodie sancti Andreæ in quantum sufficit, referre virtutes: sed quia de diuite illo, & Lazaro Euangelico paupere, quod superest nos diximus reddituros, & B. Andreæ Apostolatus, & Martyrij sui prærogatiua sufficit, & abundat ad gloriam. Si placet, nos quæ promisimus, quæ debemus, ipso Domino reddente, soluamus. Scientes namque quod & dicenti & audienti semper generet lassitudo fastidium, superiore tractatu maximam partem propositæ distulimus lectionis: vt reparatis animorum viribus salutaris verbi sequentia toto vigore & debito caperemus auditu. Post illa enim quæ diximus, hæc sequuntur. *Et eleuans oculos cum esset in tormentis, Abraham vidit à longè, & Lazarum in sinu eius.* Et eleuans oculos suos: serò diues sursum leuat oculos suos, quos semper depressit in terram. Diues, quos oculos leuas, ipsi sunt accusatores tui: quos oculos leuas, ipsi non placant iudicem, sed inflammant: non reportant veniam, sed reatum: & exigunt pœnarum cumulum, non solamen. Quò oculos leuas? quid clamas adhuc diues? quò respicis diues? Ibi est Lazarus, ibi est impietatis tuæ proditor, testis criminis, crudelitatis assertor. *Et clamauit*, inquit, *pater Abraham miserere mei* Modo cognoscis patrem, & modo tibi patrem se esse nescit, quem in Lazaro patrem sic spreuisti: modo tibi iustus occurrit, qui tunc, vt tibi pius esset, diu Lazarum passus est cruciari. Infelix quem sic ipsa origo arguit, quem sic ipse lucis author addicit: infelix cui in iudicio pro magnitudine criminis non misereri genitor, non pater ignoscere, non affectio potuit subuenire. Quid clamas adhuc diues? Adhuc diues, sed crimine, non censu, non substantia, sed reatu. Quid clamas? quid postulas? Hoc loco iam non geritur postulatio, sed controuersia, vbi è diuerso consistit ipse qui passus est, sed agentium diuersus est locus: hic agit de proximo, ille de longè: hic de sinu suggerit, clamat ille de tartaro: exorat ille de requie, queritur hic de pœna. Sed quid dicis diues? *Pater Abraham miserere mei.* Benè diceres, si Lazarus in sinu residens ipsum pectus iudicis non teneret: benè diceres, si Lazarus iustissimi cognitoris tota non possideret arcana. Gratis rogat iudicem, quem sic innocens confessor accusat: & frustra sibi credit iudicem posse subuenire, quando, ore iudicis pronunciat ipse tanta qui pertulit, *Miserere mei, & mitte Lazarum*: Adhuc tu in Lazarum sis crudelis? *Lazarum mitte.* Quò! Ad infernum de gremio, de solio sublimi ad profundissimum chaos, ad tormentorum stridorem de sancta quiete, de tanto silentio beatorum. *Et mitte Lazarum.* Vt video, quod agit diues, non est nouelli doloris, sed liuoris antiqui: & cœlo magis inceditur, quàm gehenna. Est graue illis malum, est illis incendium non ferendum, quos aliquando habuere contemptui, videre felices. Adhuc diuitem malitia non deserit, quem iam possidet pœna: qui non se ad Lazarum duci postulat, sed ad se Lazarum vult deduci. Ad cruciatus tui stratum diues pius Abraham Lazarum mittere non potest, quem tu ad mensam tuam non es dignatus admittere. Iam vobis versæ sunt vices: vides eius gloriam, cuius supplicium sic spreuisti: videt ille cruciatus tuos, qui te tunc tua mirabatur in gloria. Sed videamus fratres, quare sibi mitti Lazarum sic deplorat, *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aqua, & refrigeret linguam meam.* Erras diues, hæc flamma non tam linguæ, quàm mentis est: non tam linguæ, quàm cordis est: & adhuc iste conscientiæ calor est; non illud extremum quod te manet & expactat incendium. Nam si te iam nouissimi iudicij totus ignis ambiret, & illius desperatæ damnationis sententia iam teneret, nunquam lauares oculos, nunquam patrem alloqui, nunquam pro te rogare, nunquam præsumeres interuenire pro fratribus. Certè si te iam possidet totus ignis inferni, si te gehennæ flamma complectitur, quare solius linguæ æstibus desideras subue

Luc. 16.

ſubueniri? Niſi quia cum pectus tuum anhelat flamma ſui criminis & reatus, magis lingua vritur, ardet, æſtuat, quæ inſultauit pauperi, quæ miſericordiam denegauit, hæc præcedit ad iudicium: hæc antea deguſtat, & patitur cruciatus, hæc de toto corpore prima ſentit ardorem, quæ cum prima hic varios deliciarum cibos, & odorata deguſtaret pocula, mandare pietatem noluit: fieri miſericordiam non præcepit, ſed & ipſa cum alij facerent, derogabat. Ipſe eſt qui induebatur purpura & byſſo. Quid eſt diues? ab æſtu byſſus non defendit? purpura non reſiſtit inferno? Remanſerunt iſta, deſeruerunt iſta, & ipſe nunc nudus ſudas, æſtuas, qui aliquando inſultabas æſtibus artificioſa nuditate veſtitus. *Et mitte Lazarum vt intingat extremum digiti ſui in aqua, & refrigeret linguam meam.* Quid eſt diues? vbi ſunt torrentes torcularium tuorum? vbi ſunt horrea ad famem pauperis non minus cupiditatibus dilatata, quam copiis? vbi ſunt vina ad inopiam pauperis annoſitatibus, & ipſa temporũ obliuione ſeruata, vbi ſunt effuſiones, lapſus, flumina miniſteriorum tuorum? Iſta omnia tibi periere, non crimini, qui ſitis extremi digiti guttam, quam ſi vel ſolam dediſſes pauperi, non ſitires. Immiſericordem te gutta, & mica reddidit inhumanum, in quibus totus pauperis & victus conſiſtit & vita. Velim ſcire diues ſi vel ipſe tibi in pœna poſitus ignoſcis: quia ad hæc mala non veniſſes, ſi de tantis horreis micam, guttam de tantis torcularibus tunc dediſſes. Parum eſt quod caro eget, quod natura exigit, quod ſufficit vitæ? auaritia cauſa eſt, quod homo magna & multa recondit non ſibi, ſed aliis, ad ſuum planè præſentem, vel poſterum cruciatum. Sed dicis diues, Ego etſi vinum negaui, aquam peto, quam communem cunctis animantibus autor ipſe omnium præſtitit & natura. Puto diues, quod & aquam pauperi tu negaſti: cui ne ingrederetur ianuam tuam, ne ad tuum puteum perueniret, canes quamplurimos obieciſti. Quid eſt autem quod dicis? *Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti in aqua.* Et non deferat aquam? ergo iuxta te eſt aqua: & ſi iuxta eſt, quare de proximo non ſumis? quare? quia vinctæ ſunt manus tuæ merito diues, quia ſolutis debilitate Lazari manibus ſubuenire tempſiſti. Debet homo, debet
Iob 29. Iuxta LXX. debilibus ſua membra partiri: quæ cum Iob non daret, ſed redderet, ſic dicebat. Ego fui oculus cæcorum, pes autem claudorum: ego eram pater inualidorum. Homo ſi non habes nummum, da pauperi manum, quia maiorem miſericordiam facit, qui ad menſam ſuam manu pauperem debilem ducit. Ipſum ſe pauperi dedit, qui ſe aptauit in obſequium pauperis, aptauit in pauperis ſeruitutem. Iterum fratres, præſentis verbi plenitudinem differamus, vt tertia auditione quam ſententiam ab Abraham beatiſſimo pertulerit diues, proſequamur.

DE EISDEM,

SERMO CXXIII.

INuerecundi debitoris eſt, aut differre credita, aut promiſſa denegare: honeſti ſine mora, & mox vtraque diſſoluere. Promiſimus vt omne quod reſtat de illo diuite redderemus, qui cum in Lazarum viſus ſit immitis, in ſe magis ſæuus extitit, & crudelis. Hactenus quid diues ad Abraham locutus fuerit, & ſanctus Euangeliſta, & noſter ſermo, in quantum potuit, declarauit, dictum eſt,
Luc.16. *Et eleuans oculos ſuos cum eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & clamans, dixit, Pater Abraham miſerere mei: & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aqua, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma, Cui nunc reſpondit Abraham, Fili recepiſti bona in vita tua.* O mira pietas, adhuc vocat filium, quem degeneraſſe propria crudelitate ſic reſpicit. O ſingularis bonitas, adhuc vocat filium, quem vidit inferni vernulam, pœnarum ſobolem, extremum mancipium iam gehennæ. Sed vocat filium, vt magis, magiſque filij probetur impietas: quando cum tali etiam paterni ſermonis pietas perſeuerat. Tu vocas patrem, ego voco filium: vt te grauiter doleas perdidiſſe, quod natus es. Adhuc voco filium, vt amarius doleas perdidiſſe te quod tibi gratia dederat, & natura: quia non habuiſſe, doloris non eſt tanti, quãti habita mœroris eſt perdidiſſe: voco filium, vt intelligas iudicij eſſe, quod pateris, non furoris: voco filium, vt in me mea patientia, & in te tua maneat pœna. Sed iſte fratres intelligit ſe non eſſe filium, qui fatetur, & penſat de ſuo merito, quod tam pij patris perdidit de natura. Qui tunc vtique reſpondiſſet generi, ſi pius, ſi hoſpitalis, ſi miſericors, in pauperem ſi fuiſſet humanus. Qui genitoris opera non facit, negat genus, Domino ſic docente: Si filij Abrahæ eſſetis, opera Abrahæ faceretis. Ille fi- Ioan.8.
dem generis probat, cui tantus paterni operis aſſertor aſſiſtit. Sed quid dicit Abraham? *Fili, recepiſti bona in vita tua.* Si tantum diuitis huius iſtud eſt crimen, quia recepit bona, quãtum reus qui inuadit indebita? Si tantum criminoſus qui ſua claudit, qui non largitur accepta, quam pœnalis eſt qui & ſuis incubat, & aliena peruadit? Fratres demus noſtra, ſi tamen noſtra, demus tamen quæ putamus noſtra, vitemus aliena, declinemus extranea, certè ſi cui aliquid tulimus, tota celeritate reddamus: ne hic relinquentes omnia, illic cenſu pauperes, crimine diuites, ad iſtum diuitem perducamur. Diſcat tamen diues quia recepit bona, non accepit: Videtis fratres, quia Abrahæ ſancti verbo iſtius diuitis animus proditur, ſenſus arguitur, intellectus punitur, qui non ſibi data, ſed reddita credit quæcumque domino largiente poſſedit. Intelligite quo ſenſu inceſſerit, quo corde ambulauerit, qui Deum ſibi credidit debitorem, & dominum ſuum malè diues vſuris ſuis addixit obnoxium, ignorans quia dominus, etſi pauper inceſſit in terra, diues tamen aſcendit in cœlum? & dedit ille, non accepit in fœnore, qui dedit vni quinque talenta, alij duo, alij vnum: vnde & promittit ſe exacturum, non redditurum vſuram, cum dicit ad ſeruum: Serue nequam & piger, dediſſes pecuniam meam, & ego veniſſem, Marc.18.
& exegiſſem eam vtique cum vſuris. Hinc autem plus impius diues iſte, quia non in alium pius extitit: qui etſi recepit bona, non pro bonis mala, ſed pro malis bona recepit indignus. Sed tranſeamus ad Lazarum, & quæramus quid eſt quod dicit. *Et Lazarus ſimiliter recepit mala.* Et id ſufficiat ad meritum, abundet ad gloriam, ſi non fecit bona, ſed recepit mala: planè beatus eſt, fratres, qui ſe à Deo accipere bona, mala recipere, fideliter credit. Beatus qui Deo ſemper reddit debita: certè ſi non poteſt, vel dimitti ſibi debita tota humilitate depoſcat, ipſo Domino ſic docente, dicite: Dimitte nobis debita Matth.6.
noſtra Beatus qui Deo debita, & cum non intelligit ſe contraxiſſe, perſoluit, altius Propheta inſtituente, Pſalm. 68.
cum dicit: Quæ non rapui tunc exoluebam. Beatus qui ſe apud Deum ſemper vt excuſet, accuſat, ſcriptura taliter admonente: Iuſtus in pri- Prou.18. Iuxta LXX.
mordio ſermonis ſui accuſator exiſtit. Et ſi iuſtus quare ſe iuſtus accuſat: quia non iuſtificabi- Pſal.142.
tur in conſpectu tuo omnis viuens. Homo coram homine

Luc.1. homine de iustitia, de innocentia, de merito forsitan glorietur: coram Deo qui se de innocentia iactat, de sua iustitia gloriatur, homo non est. Hinc est, quod ille Pharisæus cum non orat, sed iustitias suas computat, imputat, ructat iniustus, & Publicano deterior abscedit. Sed accedamus ad reliqua. *Nunc autem hic consolatur*, ait, *tu vero cruciaris.* Videtis fratres, intelligitis fratres, quia iustos ex his quæ dicta sunt, etsi discretio locorum, vna tamen, & inferni adhuc regio continebat: atque eos etsi chaos iam magni, nondum tamen cœlestis habitatio separabat: & si diuidebat illos hiatus tristis, nondum tamen deputata superius Angelis altitudo. Flammea romphæa (sicut Legislator refert) Paradisi voluebatur in ianua, ne illuc homini pateret accessus, æreis ianuis, & ferreis vectibus portæ inferi obseratæ claudebantur, ne animabus, quæ illuc iactatæ fuerant de supernis, vllus pateret egressus. Nam & chirographum paterni debiti, quod morti singulos adiiciebat, stylo culpæ, & reatus ipsius atramento tenebatur ascriptum, & ad sobolis noxam multa temporum currebat vsura: nec erat idoneus qui Paradisum introiret, flammam extingueret diuinitus institutam, aut aperiret ianuas inferni cœlitus obseratas, aut solueret chirographum, quod in arca legali Dei præcepto tenebatur inclusum. Hinc est, quod ipse Dominus primi hominis, id est, contumacis serui, exaltator aduenit: ipse Dominus qui obserauit Paradisum, qui clausit infernum, ad terras & infernos tota potestate descendit, vt accensa extingueret, clausa protinus aperiret, protoplasti facinus aboleret. Hinc est, quod arietem suæ crucis portat aggressurus infernum, vt conterat & confringat ipsas tartari ianuas ære munitas, & ferro. De latere fundit aquam, vt Paradisi viam temperet, ignem ex parte sanctorum extinguat inferni, totum chirographum debiti diluat, & soluat antiquum: & patiendo hoc remittat ipse, quod ipse intulit imperando. Agnoscite fratres, lætamini fratres, post triumphum Christi sanctorum custodiam dissolutam, & in sanctos vltra inferni nil deberi: quando Christus, vt iustos, non iniustos absolueret, ad inferos vsque penetrauit. Intelligamus fratres quantum Christus profuerit, imo quam sine Christo in nullo fuerit salus, cum præter istam corporum solutionem, sanctorum quoque animæ apud inferos tenebantur astrictæ. Beatus ergo Lazarus, qui totum Deo debuit, vt crimini nil deberet. Beatus qui hîc recepit tot mala, vt ibi bona omnia possideret. Et adiecit Abraham, dicens: *Neque hinc ad vos transire, neque huc transmeare quis potest.* Terret fratres, terret nimis huius vocis auditus, quæ ostendit post mortem, & semel apud inferos pœnali custodiæ deputatos ad sanctorum quietem non posse transferri, nisi Christi gratia iam redempti, ab hac desperatione sanctæ Ecclesiæ intercessione soluantur: vt quod sententia negat, Ecclesia mereatur, præstet gratia. Hic tamen diues rogat adhuc, & dicit, *Pater Abraham.* Adhuc vocat patrem, qui meritis suis & patrem & patriam sic amisit. *Pater Abraham.* Hic miser & in pœna mentitur. *Pater Abraham, mitte eum in domũ patris mei.* Si verè hunc patrem vocat, cuius domum patris alterius tunc requirit? nisi fortè eum se in absentia habere patrem credit, quem in præsenti se taliter conspicit perdidisse, & sic sibi credit eius patris domum eius gratia custodiri, cuius ibi negari sibi sinum videt, videt requiem pernegari. *Pater Abraham, mitte eum.* Quem? Nempe Lazarum. Vbi? *In domum patris mei.* Modo, & tardè, diues Lazarum ad domum patris sui non misericors, sed miserandus inuitat, quem toto tempore substantiæ miseratione suis incumbentem ianuis non recepit: & sub specie pietatis ad pristina vulnera, ad præteritos gemitus Lazarum vult redire, quem prima petitione ad suos deuocare non potuit cruciatus. Ante dixit: *Mitte ad me.* Modo dicit: *Mitte ad fratres meos.* Dolet, agit infelix, ne videat felicem, quem aliquando putauerat infelicem. *Mitte ad fratres meos.* Vbi? *In domum patris mei.* Vt quid? *Habeo enim* inquit, *quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Cui pius qui sibi sic impius? Impudẽter præsumit aliis impetrare pœnitẽtiam, qui sibi tam crudeliter ad veniam nil prouidit. *Mitte Lazarum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres.* Et putas quod quinque fratribus tuis sufficit Lazarus, qui tibi tanto tempore, tot vulneribus suis, toto clamans corpore nil profecit? Merito ei respondit Abraham: *Habent Moysen & Prophetas, audiant illos.* Sine Lazarum tantos requiescerẽ post labores, & tu defle tuas quas tuo merito sustines pœnas. Deus autem fratribus tuis, & omnibus, non pro tuo consilio, sed pro suo munere olim prospexit ad salutem, dedit per Moysen legem, Prophetiam largitus est per Eliam: audiant ergo illos, ne tuos sentiant cruciatus. *Respondit diues: Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis resurrexit, credent ei.* Cui respondit Abraham: *Si Moysi & Eliæ non credunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent ei:* Nihil tam verum fratres: qui de cœlo loquenti per legem, de cœlo venienti Christo credere noluit, iam non merebitur credere ab inferis reuerrenti. Ipse Christus fratres, Deus & Dominus noster ad Moysen est locutus de cœlo, ipse in terra terreno est locutus in corpore, ipse cum terreno corpore ab inferis est reuersus: & tamen referenti quæ bona in cœlis, quæ sint apud inferos mala, fratres diuitis illius, qui Iudaicis intelliguntur in populis, credere tota obstinatione noluerũt. Verum fratres, quia nos, quis sit diues, aut quis Lazarus pauper, & qui sint quinque diuitis fratres, dicere nunc tempus excludit: nec quid in hac historia spiritualis intelligentiæ lateat, aperire permittit: edocti per Christum quid apud ipsum iustos maneat, quid apud inferos expectet iniustos, agamus, curramus verbo, opere, misericordia, vt & superna bona apprehendere, & mala perterriti vitare & declinare possimus.

Gen.3. (margin)

DE EISDEM,

SERMO CXXIV.

Quoties nobis à Deo diues ingeritur purpuratus, quoties vulneratus pauper apponitur, toties nobis misericordiæ σκάμμα panditur, toties nobis stadium pietatis aperitur: vt de spectaculo cœlesti possimus attendere, quam breui quãtumuis pauper ad palmam, diues peruenit ad ruinam. *Homo,* inquit, *erat diues, & induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide, & erat quidã mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis.* Induebatur diues purpura, pauper liuore: diues bysso, pauper squallore: auro diues, pauper fœtore: diues plumeo decumbebat in tegmate, iacebat durissima pauper in terra: diues ructabat epulas, saniem pauper anhelabat, fundebat vina diues, pauper lachrymas: exsatiatus diues proiiciebat panes, micas pauper esuriens non habebat: pascebat oblatrantes pauperem diues ferculis suis, pauper vulneribus suis satura

Idest, cauea ludorum. Luc.10.

ſaturabat diuitis canes. Ac ne plurimis, ad diuitem bona omnia, ad pauperem mala omnia perlegimus prouenisse, neque tamen pauperem* fregerunt aduerſa, aut diuiti omnia ſecunda profuerunt, imo pauperem prouexit ad Philoſophiam paupertas, ad virtutem dolor, contemptus ad patientiam, neceſſitas ad voluptatem, fames ad ieiunium, ſitis ad tolerantiam, ad vitam mors, ad præmium pœna, ad cœlum terra, egeſtas ad regnum, & diuitem ſic extulit purpura ad ſuperbiam, byſſus ad luxum, ad inhumanitatem copia, abundantia ad impietatem, vnguenta ad marcorem, ad cæcitatem ſplendor, ſublimitas ad ruinam. Ergo neque proſpera ignauos erigunt, neque fortes aduerſa proſternunt, quia neque diuitiæ, neque paupertates, ſed animus aut ducit gratos ad præmium, aut ad pœnam deducit ingratos. Ianuæ diuitis pauper apponit vlceribus plenus, ac fit hoc non humano caſu, iudicio fit diuino, vt diuitis & pauperis conflictus eſſet in terra, ſpectaculum maneret in cœlo. Diues totus indutus diuitiarum ſtabat armis: & contra pauper iacebat ipſa veſtitus in carne: niſi forte lorica erat illi vnum totius corporis vulnus. Diues morabatur in ſeruorum choris, pauper exutus cute dolorum ſtimulis angebatur. Iaciebat impietatis tela diues, clypeum miſerationis Lazarus opponebat; crudelitatem ſuam diues pauperis vibrabat in vulnus, fruſtrabatur diuitis ſontem animam, totus corpore deſerente migrauit, & calcata carne in ſpiritum totus armiger ſupernus aſcendit, ne vbi poſſit ferre, diuitis crudelitas inueniret. Ob hoc enim egerat Deus, vt diues pauperis, pauper diuitis in oculis ſemper eſſent, quatenus viciſſim ſibi ambo curam de vario languore præſtarent. Ægrotabat pauper corpore, mente diues. Hinc eſt, quod differebatur cura pauperis, vt diues ſumeret de vulnere medicinam, de gemitu compunctionem, de lacrymis pœnitentiam, de patientia exemplum, de fame miſericordiam, de ſiti ſenſum. Ad ſummam, cœleſte de terrena compaſſione conſortium, certe vt tantis diues bonis fultus Deo gratus eſſet, quando gratus Deo pauper in malis omnibus, vidente diuite, permanebat. Meritò ergo portabatur ab Angelis, qui iacebat: qui lugebat, Abrahæ conſolabatur in gremio: & viuit Deo ſemper, qui ſe ſibi viuere nec ſciuit in mundo. *Factum eſt*, inquit, *vt moreretur pauper, & portaretur ab Angelis in ſinu Abrahæ. Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt in inferno.* Miſer accepit ante animæ, quàm corporis ſepulturam: nec antè quieti corporis, quam pœnali traditus eſt ſepulchro: vt viuat pœnæ ſemper, cum ſit ſemel mortuus vitæ. *Et ſepultus eſt in inferno: & vidit Abraham de longe, & Lazarum in ſinu eius.* Immutatio quanta rerum! quo deſcendit diues? quo pauper aſcendit? Reſpicit ibi ſurſum, quem deſpexerat hic deorſum, & videt eum de inferno in ſinu Abrahæ, quem iacentem ſe coram ſuperbo de ſigmate non videbat. *Pater Abraham, miſerere mei.* Stultè petit à patre miſericordiam, quam negauerat fratri. *Miſerere mei.* Quid illi cum miſericordia, cui iam totum in pœnam? Aut quæ illi ſupplicatio apud patrem poterit ſubuenire, cui in ſinu patris reſidet accuſator? Pectus patris Lazarus tenet, & totam ſancti cordis pulſat æquitatem, quatenus ſe filij patrem boni, mali iudicem ſeruet. *Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aqua: & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Mitte Lazarum: vt ipſe qui cruciatus mei cauſa eſt, iam refrigerij miniſter extremum digiti ſui ſolamen modò ipſe porrigat, cui ego iacenti manus meæ totius ſolatium tunc negaui. *Et mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aqua, & refrigeret linguã meam.* Sitit itaque guttam, qui vini lacus cum pauper ſitiret, effudit: & ſtilla digiti extremi credit gehennæ flammas extinguere, qui menſuris per totam diem ebrietatis non extinxit incendia. Sed hanc ſibi guttam ad refrigerium dari petit, ad ardorem pauperis quam negarat. Iſta gutta eſt diues, quæ te facit crudelem, iſta gutta eſt quæ os Lazari à te negata ſiccauit: quia ad refrigerium pauperis & gutta ſufficit, & mica. *Cupiens*, inquit, *ſaturari de micis quæ cadebant de menſa.* Spargebatur panis, fundebatur vinum, & quod ad extremam vitam pauperis negabatur, hoc totam diuini peribat ad pompam. *Et mitte Lazarum vt intingat extremum digiti ſui in aqua, & refrigeret linguam meam.* Lingua in capite, caput mali, ipſa derogat egeno, inſultat pauperi, pietatem latrat, miſericordiam carpit: & merito prima eſt in gehenna, in cruciatu præuia, dux pœnarum, quia ipſa interdixit miſericordiam, cui datum fuerat vt iuberet. Et quamuis ſeries lectionis & me compellat dicere, & vos inuitet audire, qui ſit purpuratus diues, qui ſit Lazarus pauper, qui ſint quinque fratres diuitis, quomodo ante diem iudicij diues cruciatus ſentiat gehennæ, ſed dolor reuocat ad dicendum. Et ſi eſt ſub terra tartari carcer, ſi eſt καύσις ardens, ſi eſt inferus ſine fine crucians, ſi eſt apparitor iſte, qui nos ad iſta rapiat poſt ſæculi labores, quid ſtupemus? vbi ſumus? quis eſt iſte qui nos eludit ſomnus? quæ eſt iſta quæ nos tenet obliuio lethalis? quare non omnibus contemptis euadendi à malis talibus nobis ſola ſit cura, ne viuentes mundo, ne aliis currentes, ad tantas, tales, tam crudeles ſubitò rapiamur pœnas? Et ſi eſt aſcendendi poſſibilitas ad ſuperna, ſi eſt facultas viuendi in cœleſtibus, ſi eſt Abrahæ ſinus bonis omnibus ad requiem præparatus: ſi eſt Lazarus in ſinu patris tanti, imo quia dubium non eſt, vbi & loca, & perſonæ, & nomina deſcribuntur: quare in cœlum mutamus terram? quare non caducis emimus æterna? quare non perituris manentia comparamus? vt & ſupplicia deuitemus inferni: & hæc quæ audire deſideramus anguſte, late videre, habere & tenere poſſimus.

Id eſt, combuſtio.

DE VILLICO INIQVO, SERMO CXXV.

OMnium quidem ciborum ſal ſalubre eſt condimentum, ſi menſura non deſit: alioqui ſine modo & ipſum petit, & quod ſalierit, perdit; amara enim nimietas, quod poterat condire menſura. Sic qui in nobis eſt ſenſus, ſi teneat modum, dat ſaporem, intellectum parit, prudentiam generat, cor dilatat, auget ingenium, maturat dicenda, audienda componit, fitque ſibi dulcis, fit deguſtantibus tota dulcedinis plenitudo: & plane erit ille melleus ſenſus, qui ore profert nil amarum. Hoc præmiſimus, vt ſit nobis in Euangelicis ſenſibus noſtri ſenſus conſtringenda menſura: quatenus vitalem cibum, diuinum paſtum, cœleſtem ſaporem non violet, ſed cautiſſima nobis ſobrietate cuſtodiat, iuxta illud Apoſtoli: Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. Rom. 12. Luc. 16. Sed iam quid dominus dixerit, audiamus: *Homo quidam erat diues.* Et quis erat homo iſte, niſi Chriſtus? Quis diues, niſi ipſe qui in paupertate noſtra totas creaturæ diuitias poſſidebat? *Homo quidam erat diues* Hoc Iudæis ſæpius inculcabat, vt intelligerent quod ineſſet locuples deitas, cui erat humana paupertas. *Erat diues.* Erat in maieſtate ſua diues, qui oculis Iudæorum erat pauper. Et quomodo diues non erat, cui miniſtrabant angeli? virtutes parebant? elementa ſeruiebant? & quæ non

erant, fiebant iuſſa, vocata veniebant. *Homo quidam erat diues, & habebat villicum.* Qui niſi hominem cui ad colendum mundum tota fuerat commiſſa poſſeſſio: *Homo quidam erat diues, & habebat villicum, & hic diffamatus eſt apud illum.* Quaſi non præſcierit, quaſi non præuiderit, cui occulta nota ſunt, cuius oculis etiam illa nuda ſunt quæ teguntur. *Et hic diffamatus eſt apud illum.* Ergo ille famæ credidit? fama nunciante cognouit? Abſit: Sed quia illa quæ nouerat, quæ pietate velabat, quærere tunc cœ-
Gen.4. pit quando accuſabat terra. Vox ſanguinis fratris tui clamat de terra: clamabat terra, clamabat cœlũ, dolebant Angeli, quando iam tota ſæculi fama loque-
Luc.16. batur. *Et hic diffamatus eſt apud illũ quod diſſipaſſet ſubſtantiam eius.* Filius iunior ante iſtius hominis lectus eſt ſubſtantiam diſſipaſſe, nunc ipſius bona villicus diſſipaſſe perhibetur. Sicut idem Deus & homo Chriſtus, idem paterfamilias, & pater: ſic hunc eundem eſſe & villicum conſtat, & filium: eſt hic cauſarum diuerſitas, eſt mutatio nominum: non eſt veritas perſonarum. *Et diffamatus eſt apud illum, quod diſſipaſſet bona ipſius, & vocauit eum.* Vocauit per Euangelium. *Et ait illi.* Et quid per Euangelium non agit? Per quod mores arguit, occulta nudat, conſcientiam pandit, commiſſa caſtigat, dinumerat mala, & in his perſiſtenti minatur pœnam, quamuis conuerſo veniam repromittit. *Et vocauit eum, & ait illi: Quid hîc audio de te?* Cognita velut audita imputat: quia in reum non vult accelerare ſententiam: & conuictum penes ſe, velut accuſatum conuenit, qui iudicium geſtit venia ſic præire. *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare.* Tam piis tam ſeuera cur iungit? cur ante à villicatione ſubmouet, quàm rationem agnoſcat? *Redde rationem, iam enim non poteris villicare.* Rationem modo inſtar hominis expetit: modo ſicut Deus inſtantia denunciat, & futura. *Redde rationem: iam enim non poteris villicare.* Rationem petit, non vt exigat, ſed relaxet: petit, vt petatur: petit hic, ne petat ibi: petit in ſæculo, ne petat in iudicio: petit cito, ne pœnarum tempus, tempus ſatisfactionis excludat. *Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare.* Quare? Quia venit finis vitæ, tempus mortis, iam te apparitio ſuperna conſtringit, iam iudicium vocat. Feſtina ergo, ne ſatisfactionis tempus perdas: qui tempus operis perdidiſti. *Redde rationem.* Hoc eſt dicere, compone rationem, compone tua, ne reddas mea: compones autem, ſi iam deſines diſſipare: priora debita ſuſcepi ego, cum te ſuſcepi: ſolui ego cum te abſolui: ego cognitor pro te cognitori audiendus aſtiti: iudicium intraui iudex, rei mei reus factus ſum, à pœnalibus ſuſcepi pœnas, à damnatis ſententiam non refugi, mortis præſtitor mortem excepi, penetraui inferos deſtructor inferni, vt te per iſta non modo ſubducerem tuæ pœnæ, ſed & meæ conſortem facerem dignitatis. Age ergo, vt te quem tempus tuæ villicationis excluſit, perpetuitas meæ donationis includat. Sed villicus quid reſpondit, iam perſcrutemur. *Ait*, inquit, *intra ſe quid faciam?* Quid faciam modo, ſemper homo bona facere tunc cupit, quando mors faciendi tempus ademit. *Ait*, inquit, *intra ſe.* Quærit, inquit, intra ſe conſilium, qui foris vnde ſibi iam ſuccurreret, non habebat. *Ait intra ſe.* Pungit cor ſuum, ſtimulat mentem ſuam, & omnia vexat interna, vt à ſe pœnitentiam, quam pro ſe dare poſſit, extorqueat. *Fodere non valeo.* Non vires iſti, ſed tempora defecerant ad laborem. *Fodere non valeo: mendicare erubeſco.* Confuſionem futuri iudicij pertimeſcit, in quo iam non pœnitendi tempus eſt, ſed pœnarum, & vbi reus plus de conſcientia, quam de gehennæ erubeſcit incendio. *Mendicare erubeſco.* Et quis non erubeſcit in cœleſtibus mendicare? Miſer quem temporalitas habuit diuitem, mendicũ ſempiternitas poſſidebit: & habebit hunc mundum tartarus, quem locupletem ſuſcipere cœlum potuit, & tenere. Præſens figura tendit ad populum, ſed bonum nobis, bonum nimis, ſi ad nos illa aptemus ſinguli, ſi ad nos iſta referamus, qui in terra nos debemus ſentire villicos, dominos nõ putare: prorogationis temporariæ miniſterium ſuſcepiſſe, non inueniſſe ius perpetuum poſſidendi: cauere ne ad patremfamilias fama verſæ ſubſtantiæ nos præcedat, iuxta illud Apoſtoli: Quorumdam Timot.5.
peccata manifeſta ſunt, præcedentia ad iudicium: quoſdam autem & ſubſequuntur. Non peruenit ad ſtatutum terminum vitæ, qui villicationis amittit tempus: quem ſonarit credita diſſipaſſe. Hinc, hinc eſt immaturus exitus, hinc eſt ante diem mors, hinc eſt vocatio amara, hinc eſt ſeipſa acerbior redhibi- Pſalm.54.
tio, ſicut Propheta lamentatur, clamãs: Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. Sed vtinam quando nos de vocatione commonet ægritudo, quando febris à villicatione inclementer excludit, quando vis doloris ad reddendam villicationem properare compellit, præſentis villici factum, ſenſumque ſequeremur, conuerteremur ad animæ conſilium, ad compunctionem cordis, ad mentis pœnitentiam, ad miſericordiæ ſuffragium, ad pietatis patrocinium, ad confeſſionis aduocationem, certè peteremus dominicorum chirographa debitorum, & ſi non tota, vel media, ſicut iſte villicus ad noſtram veniam ſolueremus: vt qui bona credita diſſipando iniquitatis vocamur villici, in nouiſſimis pia fraude ipſius laudem iudicis conſequamur. *Et laudauit*, inquit, *villicum iniquitatis.* Et quia Euangelici factum villici non paruam generat quæſtionem, qui reus de multis vnam legitur placuiſſe per fraudem: quare placuerit ſic, vel quis ſit iſte ſequenti per Deum pleniùs ſermone pandemus.

DE EODEM.

SERMO CXXVI.

QVam ſit commodum, quam lucroſum debitorum nodos ſoluere, cautionum vincla laxare, præſentis villici nos edocet & informat exemplum: qui dum chirographorum cumulos pio moderatur aſſenſu, non modo euaſit certiſſimas diſcuſſionis anguſtias, ſed etiam diſcuſſoris laudem, & menſuram ſæculis conquiſiuit. Et nos fratres, quod de præſenti lectione vobis fecit promiſſio me debere, auditu piiſſimo temperare; ne me, vóſque ſimul oneret ſeuera diſcuſſio, quos intelligentia poterit benignè releuare. Vnde quæ ſuperſunt lectionis iam ſequamur: & conſilium villicus quod inuenerit audiamus. *Ait*, inquit, *intra ſe: Quid faciam, quia dominus* Luc.16.
meus aufert à me villicationem? fodere non valeo, mẽdicare erubeſco: ſcio quid faciam. Conuocatis itaque ſingulis debitoribus domini ſui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Cẽtũ cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuã & ſede cito, ſcribe quinquaginta. Deinde dixit alij: Tu vero quantũ debes? Qui ait: Centum coros tritici. Et ait illi, Accipe litteras tuas & ſcribe octoginta. Et laudauit dominus villicũ iniquitatis, quod prudẽter feciſſet. Vel nũc liquet Euãgelicis lectionibus, obſcuratas myſteriis diuinis, ſupernis velatas ſenſibus contineri quãplurimas quæſtiones: nec facile humano intellectui ſubiacere, quod ore Chriſti de cœleſtibus profertur arcanis. *Et laudauit*, inquit,

inquit, *dominus villicum iniquitatis, quod prudenter fecisset.* Rogo quid hoc loco mundanus capit animus? quid hic communis capit & recipit auditus? vbi inter villicum & dominicos debitores versutæ fraudis laudatur inuentio: vbi debitoris honestas tollitur, aufertur pudor, violatur innocentia, verecundia tota sepelitur: vbi villicus reddendæ rationis tempore plus ardet in fraude, quàm tempore villicationis anhelauit in luxu: in articulo discussionis ipsum dominicum plus in dispendium sæuit, quam diebus suæ fudit & disperdidit actionis: & qui ante substantiam vacuauerat dissipando, vacuando chirographa, quod remanserat plus euertit: nec curat vnde possit sarcire quod deerat, sed quod remansit quemadmodum minorare possit excogitat. *Dicebat debitori, Quantum debes domino meo?* Non dicebat, quantum debes mihi. Conueniebat conscientiam, tentabatur debitoris animum, sic dicendo. Et quid est quod sine respectu domini debitor ad tantam fraudem villico conspirauerat? *Quantum debes domino meo? Dicit ille. Centum cados olei. Accipe cautionem tuam, & scribe quinquaginta.* Ad tantam fraudem villicus conspirabat & agebat, vt totam fidem perderet, dum mediat cautionem. *Quantum debes domino meo?* Sciebant ambo, quia præsens erat vbique, & semper supernus creditor: nec poterat fraude præueniri, sed neque in oculis dominicis desinit, semel cœperit qui furari. Esto tamen sit humani moris, vt debitor quærat compendia fraudulenta, villicus sibi consulat: sic furando Dominus iterum quare probat fraudem? furta collaudat? prædicat falsitatem? Quod est nequitia, prudentiam dicit: & hoc pium iudicat, quod multis pessimum falsitatis præstat exemplum? Sapiat ita carnalibus sensibus, spiritualibus quod est diuini luminis iam lucescat. Iterata est parabola per villicum, quæ fuerat iuniorem prælibata per filium. Villicus iniquitatis à mammona iniquo gentium populus nuncupatur. Facite vobis, inquit, amicos de mammona iniquitatis, qui relicto creatore totum se mammonæ tradiderat seruituti. Quisquis est ab huius mammonæ captiuitate liber, & pecuniæ iam crudeli pondere non grauatur, consistat in specula cœlesti, & inde despectet mammonam mundo, & mundanis tyrannico furore dominantem. Imperat gentibus, iubet regnis, bella mundat, comparat bellatores, sanguinem vendit, agit mortes, prodit patrias, vrbes destruit, subdit populos, arces vrget, vexat ciues, foro præsidet, ius delet, fas, nefásque confundit, & ad mortes vsque tendendo, fidem tentat, violat veritatem, famam carpit, honestatem dissipat, soluit affectus, innocentiam tollit, pietatem sepelit, necessitudinem scindit, amicitiam subruit. Et quid plura. Hoc est in mammona, dominus iniquitatis, qui iniquè humanis & corporibus dominatur & mentibus. Huius ergo mammonæ villicus, hoc est gentilis populus dissipatæ taliter substantiæ reus à Domino per Euangelium conuenitur, vt reddat rationem villicationis suæ, id est, naturalis boni. Cui tunc dicitur, *Iam non poteris villicare.* Quando ei finis sæculi nunciatur. Credit denique iuxta Apostolum figuram præterire mundi, transire tempora villicationis humanæ: & intra se, in se reuersus, quid facere deberet, interrogat. *Ait, inquit, intra se: Quid faciam?* Ingemuit cor, doluit mens, respondit fides, credulitas dedit consilium salutare, vt villicus ad verum dominum iam rediret: & erogando mammonam sæuum dominum suæ victor subderet seruituti, vt fieret salutis occasio, quod perditionis extiterat instrumentum. Pergit ergo villicus gentilis quondam iam Christianus, ad primum debitorem domini sui. Quũ Iudæum interrogat debitorem; quid quantumque interrogat, quasi nesciat modum debiti portitor cautionis: nouerat iam per Euangelium, sed interrogando confessionem taliter requirebat, denique & qualitatem & quantitatem debiti confitetur, dicens: *Centum cados olei.* Quare non argenti, vel auri pondus, quare non centum decem, aut nonaginta; sed centum? Vt & de debito, & de numero cœleste luceat sacramentum. Debebat Iudæus oleum, quod chirographo legis ad vngendos Reges, Prophetas, & Sacerdotes, Christiani chrismatis acceperat in figuram, donec ad ipsum Regum, & Prophetarum, & Sacerdotum principem perueniret, cui tota reddenda & infundenda erat centenaria chrismatis plenitudo. Sed quia contra cautionis fidem debitor, ne debitum redderet, occidit impius creditorem; regalis ipsa cautio peruenit ad gentes, hoc est lex: vt Iudæus conuictus per gentilem, quia debitum conuertit in crimen, pœnitentiæ soluat vsuram. Vides ergo quia villicus non fraudem; sed pœnitentiam suadet: sollicitat ad acquirendam misericordiam, nõ impellit ad falsum, cum dicit: *Accipe cautionem tuam: sede cito, & scribe quinquaginta.* Quinquagesimum numerum ad misericordiam pertinere Dauid pandit, cum Psalmum quinquagesimum cantat, clamans: Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Quinquagesimus numerus patefecit misericordiam, dum quadragesimum annum, qui est iubileus, lex debitorum omnium, omnium contractuum delere, & soluere ligamenta perscribit. Villicus ergo agit iste, vt per misericordiam Christi idoneus sit Iudæus, qui per cautionem legis, in solubilibus confusus debitis tenebatur. Debet Iudæus oleum, qui iuxta Apostolum, feracis in se oliuæ pinguedinem incredulitatis sterilitate siccauerat. Vnde & Euangelicæ fidei calore iam tota redit in ramos, Christiano totam reuiuiscit in gratiam. *Deinde alij dicebat: Tu verò quantum debes? Qui ait, centum coros tritici.* Posteaquam granum tritici, quod est Christus, satum est in terra nostræ carnis, & ad vbertatem supernam per dominicam fœcundatum est sepulturam, factum est, vt homo centesimum fructum suo iam debeat authori: Nisi, inquit, granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Videns ergo villicus satis prouidet, cum dicit: *Accipe cautionem tuam, & scribe octoginta.* Quia sicut quinquagesimus misericordiam confert, ita octogesimus totam fidem præfigurat & gratiam. Hic est numerus, in quo decalogum legis esse, & ogdoadem gratiæ satis ignarus legis, satis studiosus Euangelij lector intelligit. Itaque villicus cum dicit, scribe octoginta, id agit, vt per gratiam soluat, quod reddere non poterat per naturam. Bene ergo iste villicus meruit laudem domini sui, qui in chirographis non fraudem molitus est, sed salutem: quod autem dixit, *Prudentiores sunt filij sæculi in generatione sua, quàm filij lucis.* Ita intelligendum est, quia qui erant filij sæculi quondam, id est, gentiles, nunc electi sunt Dei, & qui erant filij Dei, hoc est Iudæi, nunc in filiis sæculi sunt relicti, *in generatione sua.* Qua renati sunt, non qua nati sunt. Scribantur hæc, inquit, in generatione altera. Altera hæc est generatio quærentium dominum. Deus autem scientiæ & illuminationis illuminet corda vestra, & totam scientiæ suæ plenitudinem in vestræ mentis infundat arcanum.

* * *

Leu 10. 1.Cor.7. Psal.50. Leu.25. Rom.11. Ioan.12. Psal 101. Psal.23.

DE DECOLLATIONE S. IOANNIS Baptistæ.

SERMO CXXVII.

Qui falso D.Chrysostomi titulo editus est.

HOdie nobis Ioannis virtus, Herodis seueritas dum refertur, concussa sunt viscera, corda tremuerunt, caligauit visus, intellectus hebuit, aufugit auditus. Aut quid constat in sensibus humanis, quando perdidit virtutum magnitudinem criminum magnitudo. *Herodes*, inquit, *tenuit Ioannem, & alligauit eum, & posuit in carcere.* Ioannes virtutum schola, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma iustitiæ, virginitatis speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina, Ioannes maior homine, par Angelis, legis summa, Euangelij sanctio, Apostolorum vox, silentium Prophetarum, lucerna mundi, præco iudicis, præcursor Christi, metator Domini, Dei testis, totius medius Trinitatis: datur incestui, traditur adulteræ, addicitur saltatrici. Merito ergo concussa sunt viscera, corda tremuerunt. At Herodes ipse est qui prophanauit templum, Sacerdotium sustulit, confudit ordinem, temerauit regnum, corrupit quicquid erat religionis: quod vitæ, quod legis, quod morum, quod fidei, quod disciplinæ, perdidit & confudit Herodes sicarius in ciues, in nobiles latro, populator in socios, in domesticos prædo, interemptor plebis, occisor filiorum, homicida in extraneos, in proprios parricida, inebrians cruore terram, in siti sanguinis permanebat. Hinc est quod Ioannis sanguinem pium ingenti poculo crudelitatis absorbuit, sed ipsa lectio iam loquatur. *Herodes*, inquit, *tenuit Ioannem, & alligauit eum.* Qui vincula soluerat peccatorum, peccatoris vinculis alligatur, vt vincta venia locum veniæ non relinquat. *Alligauit eum, & posuit in carcere.* Herodes, tu adulterium facis, & in carcerem vadit Ioannes? Sic iudicas sedens in loco iudicis reus, in loco vindicis innocentiæ persecutor? Rogo vbi rerum facies? vbi fama? vbi pudor? vbi existimatio publici cognitoris? certe vbi Deus? vbi homo? vbi fas? vbi lex? vbi ipsius iura naturæ? Simul omnia sunt Herodes te agente, te iudicante, te iubente confusa. *Tenuit*, inquit, *Ioannem, & alligauit eum, & posuit in carcere.* Herodes, te causa petit, te arguunt vincula, te carcer accusat, te diuulgat producta in publicum Ioannis iniuria: causam custodiæ qui requirit, inuenit in te quod puniat, & in Ioanne quod doleat. Ioannes orbi notus, fama virtutis cognitus, celebratissimus sanctitate, dum trahit ad se suæ inquisitores iniuriæ, facit vt tuus cunctis innotescat incestus: agit vt te habeat confusio publica, quem corrigere non potuit secreta correctio. Herodem Ioannes monitis, non accusatione pulsabat: corrigere voluit, non perire: sed Herodes facibus libidinis ardens perire maluit, quam redire: & vxorem fratris illicitè possidere. Captiuis criminum, innocentiæ inimicis, odiosa fit semper libertas, virtus contraria vitiosis, sacrilegis exosa sanctitas, inimica castitatis impudicis, corruptis integritas pœna, luxuriosis aduersa frugalitas, crudelibus misericordia, pietas impiis, iniustis iustitia nō ferenda: probat hoc Euangelista cum dicit, *dicebat enim illi Ioannes, non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui.* Ecce vnde Ioannes offendit, ecce vnde Herodes furit: malos qui monet, offendit: incurrit odium qui arguit criminosos. Dicebat Ioannes quod erat legis, quod iustitiæ, quod salutis: certe quod erat non odij, sed amoris: ecce qualem consecutus est ab impio pro pietate mercedem. *Volens*, inquit, *occidere eum, timuit populum.* Facile deuiat à iustitia, qui in causis non Deum, sed hominem pertimescit. Hic timor peccandi facultatem differre potest, auferre non potest voluntatem: vnde etiam quod suspenderit à crimine auditores, reddit ad crimen, & æstuat animo, quousque perficiat, quod cogitat malum. Solus est Dei timor, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam seruat, perpetem tribuit facultatem. Sed audiamus ipsam Ioannis beatissimi passionem. *Die*, inquit, *natalis Herodis saltauit Herodiadis filia in medio triclinio, & placuit Herodi: vnde iureiurando pollicitus est dare ei quodcumque postulasset ab eo. At illa præmonita à matre sua, da mihi*, inquit, *hic in disco caput Ioannis Baptistæ.* Hæc est mulieris antiqua malitia, quæ Adam eiecit de Paradisi deliciis: hæc cœlestes homines fecit esse terrenos: hæc humanum genus misit in infernum, hæc vitam abstulit mundo propter vnius arboris pomum: hoc malum quod homines ducit ad mortem: hoc malum fugit Elias Propheta: & cuius lingua clauis facta est cœli, tanquam reus, fugit à facie mulieris: hæc inuenit verum laborem & pressuram, quæ nunc occidit Ioannem Baptistam, deiicit pueritiam, perdit iuuentutem, illicit & inquietat emortuam senectutem. *Præmonita à matre sua, da mihi*, inquit, *in disco caput Ioannis Baptistæ.* De matris pectore dans rugitum noua bellua, contempta corporis præda, caput ipsum truncatura peruadit. *Et contristatus est Rex, propter iusiurandum tamen, & propter discumbentes iussit dari, misitque decollari Ioannem, & allatum est caput eius in disco, & datum est puellæ, & puella dedit matri suæ.* Audistis fratres, quanta sit nata de voluptate crudelitas, de libidine impietas. *Et allatum est caput eius in disco.* In arenam vertitur domus, mensa migrat in caueam: fiunt de pransoribus spectatores, furore mutatur conuiuium: fit cibus cædes, vinum transit in sanguinem, finis apponitur natali, in ortu exhibetur occasus, conuiuium in homicidium commutatur, organa tragœdiam personant sæcularem, intrat bestia, non puella: quærit amputare, non saltare: discurrit fera, non fœmina; spargit iubas per ceruicem, non capillos: membra dilatat anfractibus, sæuitiæ crescit augmentis, fit grandis crudelitate, non corpore, & singularis fera vsque dum capiat prædam, fremit ore, dentibus frendit, fertum non suscipit, sed producit. Verùm ne quis existimet declamare nos velle de talibus, nos non declamare volumus, sed clamare, vt festiuitatum gaudia sint cauta vestrarum, nataliúmque vestrorum solennitas teneat in exultatione mensuram, epulis nostris intersit Christus, in facie prandeatur auctoris, honestate conuiuij natura ipsa, quæ vos producit, honoretur, lætitia mensæ vestræ pertingat ad pauperes, familia vestra innocentiæ tripudiet disciplina, luxus absistat, fugetur effusio, saltatricum pestis, lenocinia cantorum, voluptatum fomenta, ventris onera, naufragia mentium, cum Herodiadis conuiuiis abscindantur, vt præsens gaudium vestrum ad lætitiam perueniat sempiternam. Hodie fratres sermonem tulimus, non in Herodem tantum, sed etiam in Herodiadem: quia satis auditor intelligit, quanta fœlicitas martyris, quando miseriam persecutoris audierit: scire tamen nos conuenit, quia & Ioannes de morte sua natus est, & de natali suo mortuus est Herodes.

Matth. 14. Genes. 3. 1. Reg. 19.

IN SANCTVM APOLLINAREM Episcopum & Martyrem.

SERMO CXXVIII.

BEatus Apollinaris primo Sacerdotio solus hanc Ecclesiam Rauennatensem vernaculo atque inclyto Martyrij honore decorauit. Merito Apollinaris, quia iuxta mandatum Dei sui hic perdidit animam suam, vt eam inueniret in vitam sempiternam. Beatus qui ita cursum consummauit, fidem seruauit, vt vere primus à credentibus suo reperiretur in loco. Nec eum quisquam confessoris vocabulo minorem credat esse, quam martyrem, quem Dei nutu quotidianum, & multiplicem reuersum conspicit ad agonem. Audi Paulum dicentem: Quotidie morior. Semel mori parum est eum, qui potest regi suo gloriosam sæpe de hostibus referre victoriam. Non
1.Cor. 15. tam mors quam fides & deuotio Martyrem facit, & sicut virtutis est in acie, in conflictu, pro rei amore succumbere, ita perfectæ virtutis est diu agere & consummare certamina. Non ideo persecutus est Martyrem, quia non intulit mortem, sed probauit Martyrem, quia non reliquit fidem, iniecit tela quæ potuit, & omnia armorum suorum genera callidus exegit inimicus: nec tamen fortissimi ductoris mouere mentem potuit aut temerare constantiam. Summum est fratres, pro domino præsentem vitam, si necesse sit, contemnere, sed gloriosum est etiam cum vita mundum suo temnere & conculcare cum Principe. Festinabat Christus ad Martyrem. Martyr suum festinabat ad regem. Bene diximus festinabat, iuxta
Psalm. 18. illud Prophetæ: Exurge in occursum mihi, & vide. Sed vt propugnatorem suum sibi Ecclesia sancta retineret, Christo vehementer occurrit, vt vincenti iustitiæ reseruaret coronam, & sibi belli tempore præliatoris sui præsentiam condonaret. Fundebat sæpè confessor sanguinem suum, suisque vulneribus fide mentis suæ testabatur auctorem. Cælum suspiciens carnem despiciebat & terram. Vicit tamen, tenuit, & à suo desiderio retardari Martyrem tenera adhuc Ecclesiæ impetrauit infantia. Infantiam dico fratres, quæ totum semper obtinet, quæ plus lachrymis, quam virium ratione contendit. Neque enim tantum vultus & sudor fortium, quantum possunt lachrymæ paruulorum: quia ibi corpora, hic corda franguntur: ibi mentis iudicia vix mouentur, hic tota pietas inclinata descendit. Et quid plura fratres? Egit, egit Ecclesia sancta mater, vt nusquam à suo separaretur antistite. Ecce venit, ecce vt bonus pastor suo medius assistit in grege, nec vnquam separatur Spiritu, qui corpore præcessit ad tempus, præcessit dico habitu: cæterum ipsa inter nos corporis sui habitatione quiescit. Extinctus est diabolus, persecutor occubuit: ecce regnat & viuit, qui pro rege suo desiderauit occidi, qui viuit & regnat cum patre in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæculorum sæcula.

IN SANCTVM CYPRIANVM Episcopum & Martyrem.

SERMO CXXIX.

QVoniam hodie Deo in natali sancti Cypriani Martyris conuenimus, in quo miro certamine de diabolo triumphauit: & quia nobis virtutum suarum gloriosum reliquit exemplum: ideo exultare nos conuenit & lætari. Natalem ergo sanctorum cum auditis charissimi, nolite putare illum dici, quo nascuntur in terram de carne, sed de terra in cœlum, de labore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias, non fluxas, sed fortes & stabiles & æternas, de mundanis risibus ad coronam ad gloriam. Tales natales digne martyrum celebrantur. Cum ergo huiusmodi festiuitas agitur, noli æstimare charissime, quod in solis prandiis & profusioribus epulis natales martyrum celebrentur: sed imitandum tibi proponitur, quod in memoria martyris celebras. Aspice ergo charissime, alacritatem populi circumstantis. In hac enim die aliquando turba astitit impiorum, cum sanctus Cyprianus iussu tyranni feriretur, turbæ erant malorum expectantium chori, nunc multitudo fidelium ad collætandum deuota confluxit: tunc turba sæuientium, nunc exultantium: tunc desperatorum, nunc sperantium. Idcirco ergo natales martyrum annua lætitia celebrantur, vt quod semel actum est, per omne æuum in memoria maneat deuotorum. Gesta res est charissime, ne te diceres ignorare: celebrantur annua, ne dicas, oblitus sum. Ad hæc ergo imitanda vos animate charissimi, hanc magnanimitatis gratiam concupiscite, hoc petite dari vobis, quod ille meruit adipisci. Omnes enim cœlestia cupientes terrenorum bonorum laqueis irretiri non possunt, quia conuersationem suam in cœlestibus statuerunt. Sicut Phil. 3.
ait sanctus Apostolus: Nostra autem conuersatio in cœlis. Dirigatur ergo cordis nostri desiderium ad habitationem cœlestem, vbi quum dispersus fuerit pauperibus thesaurus vester, illic erit & cor vestrum. Thesaurus autem bonorum omnium Christus est, qui vos cum Patre & Filio & Spiritu sancto donis cœlestibus, & nunc, & in æternum cumulare & replere dignetur.

IN CONSECRATIONE EPISCOPI,

SERMO CXXX.

SIcut magnæ promissionis longa expectatio accendit animum, mentem fatigat, ita sensus omnes, & interna ipse viscera suscitat optatus promissionis effectus. Hinc est quod hodie, sicut dixit Isaias, Ecclesia mater sancta festiua, tota gaudens & compta processit, induit se tunicam iucunditatis suæ, & sicut sponsa imposuit sibi mitram, ac vario se composuit & decorauit ornatu: vt cœlum stellis fulget, & luminibus, & terra vernat floribus suis: & vt hortus producit germina sua, ita producit lætitia in conspectu omniũ filiorum suorum. Quia iuxta pollicitationem Dauid: Hodie pro patre natus est ei fi- Psalm. 44.
lius, qui eam non pondere inclinet, non auctoritate deterreat, non commotione sollicitet, non asperitate conturbet, sed fideli sustentet obsequio: cura peruigili faciat persecuram, sollicito labore necessaria procuret, familiam blanda institutione componat, hospitibus occurrat, parentibus seruiat, regibus obtemperet, potestatibus collaboret, det senibus reuerentiam, pueris gratiam, fratribus amorem, paruulis impendat affectum, liberam per Christum cunctis exhibeat seruitutem. Dauid dixit, Audi filia, & vide. Psalm. 44
Ego dicam, Audi mater, & vide, pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Sunt prudentia senes, grauitate patres, charitate filij, virtute iuuenes, dulcedine soboles, innocentia infantes, malitia paruuli, quæ mundi sunt nescientes: totam regni Dei præsentiam possi- Matth 19
dentes: attestante Domino, cum dicit: Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum. Tales generat perpetuæ virginitatis copula, tales ge-

nerat cœlestis vitæ coniunctio, sexus nescia, conceptus conscia, gnara partus, corruptionis ignara, pudore integra, integritate clausa, casta pignoribus, fœcunditate diffusa. Hæc tam pia mater dum vnius germinis sui hodie natalia festa celebrat, sinus aperit, extendit amplexus, emittit vocem, diuinis cantat in canticis, vt omnes aduocet, omnes capiat, omnes ad congaudendum sibi gremio charitatis includat. Adest ipsa etiam mater Christiani perennis, & fidelis imperij, quam dum fide, opere misericordiæ, sanctitate in honorẽ trinitatis beatam sectatur, & imitatur Ecclesiam procreare, amplecti, possidere augustam meruit Trinitatem. Sic remunerat Trinitas in sui amore & ardore feruentes, ista meruit vt daret sibi honorem, gauderet quod sibi fecit ei de gratia religionem consimilem. Ista meruit vt genitricis dignitas per genitricem redundaret in posteros. Orate fratres, vt Christiani principes, quia pia deuotione dignantur nostris occurrere gaudiis, nostris solemnitatibus interesse, ipsosque quoque pari gratia omnium sacerdotum longo in tempore obsecratio deuota commendet.

IN ILLVD IOANNIS, SI QVIS sermonem meum seruauerit, &c.

SERMO CXXXI.

SÆpe diximus, quod Deus corporeis oculis non videtur, quod diuinitas non clauditur mente carnali, quod humana ratio rerum non capit conditorem, sed Deum sola fides attingit, credulitas sentit tota, nec quantus est, sed quia est, hominis quantuscumque est, intuetur aspectus. Denique Moyses qui de seruo in amicum, de homine promouetur in Deum, Dei faciem quærit, sed non inuenit: petit, sed non accipit: & vt posteriora tantum Dei videat, admonetur: quatenus homo Deum quærat sequi, non præcedere: neque ante Deum quæ sint quærere præsumat, sed quæ per Deum sint omnia adorator agnoscat: Crebro Deus hominibus formam hominis demonstrat, & magnitudinem suam tantam breuem nostri operis colligit in figuram, vt præsentiam diuinam possit infirmus noster oculus intueri, angustus noster recipere possit aspectus. Sic ad Abraham Deus venit in hominis forma, succedit hospitis in figura, & lassi viatoris in mortẽ accepit pedibus suis
Gen. 18. aquam: sed & inuitatus ad mensam vituli, & panis appositione saturatur: & ita se totus humano credit & committit obsequio, vt ipso tactu, visu, verum hominem videatur explere, & hoc eo tempore quo verus Deus sterilitati extremæ senis desperatæ patefactis visceribus in partũ sobolem largiturus aduenit.
Gen. 32. Sic Iacob vianti conuiator occurrit, & ita se humano collegio socium præbet, vt prouocanti homini Deus totus in luctum inferatur, & tunc videatur neruis aut lacertis vincere, quando victor cœlestia dat dona, munera dat diuina. Sic Isaias Deum regali
Isa. 63. habitu sedere conspexit, vt agnosceret nisi à Deo rege regantur reges, ipsos cum sint homines, nihil regere posse rectores. Sic Daniel Deum patrem, cri-
Dan. 7. ne niueo, senectute reuerenda, antiquitate terribilem, septum Angelis, ignitum sede, ad iudicandum residere conspexit: sic ipsum filium Dei in hominis filio venientem cum cœli nubibus intuetur, vt ignotum antè tantis perfidis Christum, fidelibus notum semper fuisse cognoscat. Si toties Deus ab hominibus in figura hominis videtur: quid est quod Iudæus modo hominem videns Christum sic exasperatur? nisi forte figura, honor, veritas, putatur iniuria. Retulit Euangelista hodie Christum dixisse: Ioan. 10.
Si quis sermonem meum seruauerit, non videbit mortẽ in æternum. Ad quod verbum responderunt Iudæi: *Nunc cognouimus quia dæmonium habes: Abrahã pater noster mortuus est & Prophetæ, & tu dicis: Si quis sermonem meũ seruauerit, non gustabit mortẽ in æternum. Nunquid tu maior es patre nostro Abrahã? Quẽ teipsum facis?* Omnes perfidia qualitèr excepit? O qualiter oculos claudit liuor, quantum iudicium cordis nequitia præiudicata confundit! ô quam durè amputat obstinatio rationem! sensus humanus peruersus audire non potest, quod semel statuit odisse, malis bonitas exosa, iustitia iniustis inimica. Hinc est quòd homines mendaces cognoscere nequeunt veritatem, vindex animus inuenire verum non potest inter nuncia falsitatum. Quod vult, non quod est, audit semper, qui decreuit errare. Dixerat Christus: *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.* Iudæus non discutit audita, interpretari sibi dicta non quærit: quod ipse impossibile existimat, exigit vt ille astruat qui promittit, sed mox de conceptu mentis blasphemiam parturit, serit iniurias, maledicta diffundit, & auctoritatem dicentis ita contumeliis vacuare nititur, vt & æterna dare posse mortalibus non credatur, qui sic humanis videtur subiacere; *Nunc scimus quoniã dæmonium habes.* Dæmon mali auctor mala promittit, non bona: occidere, non viuificare consueuit: nec vult æternos esse homines, quos nec temporales esse permittit. Ergo non est dæmon, sed Deus est Christus qui redonat quam donauerat vitam: & verbo suo æternos facit homines, quos diabolus persuasione sua fecerat temporales. *Abraham,* inquit, *mortuus est & Prophetæ, & tu dicis: Si quis sermonem meum seruauerit, mortẽ non videbit in æternum.* Audiat fidelis, vt fide reuelante cognoscat quod infidelis nescit audire, quod videre non potest, qui semel incredulitatis demersit obscuro: dixit Christus: *Mortem non videbit.* Obstinatio tua Iudæe, merito dicere falsitatem quærit. Abraham & Prophetæ verbum audientes tenaciter seruauerunt, sed tamen mortui sunt, sed non in æternum. Ergo cum dicit: *Mortem non videbit.* Et addidit: *In æternum.* Resurrectionem promittit, non temporaliter negat esse morituros. Iudæe, quos mors in præsenti sæculo faciebat non esse, hos resurrectio perpetuos reficit in futurum, Audi apertius Ioan. 11. & 5.
hoc dicentem? Omnis qui crediderit, non morietur in æternum, sed transibit de morte ad vitam. Quomodo non moritur? Qui à morte transit ad vitam: moritur ergo, moritur omnis qui nascitur de conditione mortali, sed viuit, & in æternum viuit omnis qui renascitur de generatione vitali. Sed dico, qui potuit auferre mortem, quare hominem voluit transire per mortem? gratior enim Medicus, qui anticipat morbos, quam qui morbis ingerit seram, & nõ sine dolore medicinam. Iudæe fecisset & hoc Medicus Christus, si medico ægrotus non fuisset ingratus. Ille & vitam dedit, & homini mortem venire prædixit: sed ille qui aduersa non senserat, prospera seruare nesciuit. Bona quam sint bona scire, nisi malorum cognitione non possumus. Ergo magnificabitur Christus, qui & antè inhabitam vitam dedit, & perditam modò reddidit: & homo plus gnarus vitæ, erit sibi cautior, erit plus gratus auctori. *Nunquid maior es,* inquit, *patre nostro Abrahã?* Plane maior & tanto maior, quantum seruo Dominus, quantum Deus homine, quantum factura factor, quantum viuificans mortuo, quantum suscitando suscitatus. *Respondit, Abraham exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est.* Ille vt ostenderet viuere Abraham,

Abraham dixit, illum vidisse diem suum, id est, diem quo mundo natus est Christus. Dierum conditor non tenetur die, temporis auctor tempus nescit: sed Christus propter hominem homo natus, & diem suscepit & tempus. *Abraham exultauit, vt videret diem meum.* Si Moyses & Elias in monte occurrunt, vt promissum conspicerent Christum: quomodo nec Abraham occurrit ad partum Virginis, vt promissam benedictionem in gentibus, id est, in semine suo, patientissimus expectator intenderet? *Amen amē dico*, inquit, *vobis, quia ante Abraham ego sum.* Si omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, & hic est cui pater dixit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: quomodo Abraham non vidit? Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, Angelus & Deus, vt diuersa est substantia, sic imago. Ergo non nisi ad filium loquitur pater, cum dicit: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, quibus est imago eadem, eadémque substantia. *Tulerunt lapides, vt mitterent in illum.* Et ædificantes turrim, vt altius caderet, ipsi sibi lapides prouiderent, & isti lapides non vt Deum occiderent: sed se vnde occiderent, miserabiles attulerunt. *Iesus abscondit se.* Non timens, sed ignoscens. Deus peccatorem cum fugit, parcit: Deus rebellem non vult perdere, cum declinat.

Gen. 1.

DE VNITATE FIDELIVM,

SERMO CXXXII.

SI perfecta omnia, si robusta, si nullius indiga gigneret & proferret natura, profecto abolleretur pietas, ingenium deficeret, ars periret: aurum obscuraretur in terra, gemma occultaretur in lapide: vtraque tamen inuenit, purgat, distinguit, elimat opifex disciplina: & ars eadem vsque ad murenulæ preciosæ speciem, gratiámque perducit: & quod terra naturæ largo de fonte producit, aut asperatur sensibus, aut agresti luxuria dominante syluescit, nisi illud ad cultum suum solers agricolæ reuocet industria: & ne longius euagemur, vno & vernaculo ea in quibus nitimur, afferamus exemplo. In cunabulis iam natus homo in homine est, sed latet: est corpus, & non est: membra videntur, & non sunt, viuunt quæ non vigent sensu, inclinatur pietas, desudat industria, ars laborat: & vt plenius dicam, quot membra hominis, tot magisteria, vt hominem perficiant, elaborant. Et quid plura? cuncta quæ natura generat, vel producit, pietas nutrit, industria excolit, ars decorat. Et quid mirum fratres, si Deus, qui pati propter hominem voluit, vt hominis honoraret industriam, in rebus præsentibus infirmari voluit & naturam? Hinc est quod sensus in littera latet, occultatur diuinum in humano sermone mysterium: vt quæ credentibus adhuc futura iam patent, perfidis & non credentibus obscurentur, ac sic infidelium pœna, fidelium redundet ad gloriam. Non enim parui est cruciatus visa non cernere, audita nescire, salutifera velut noxia declinare, virtutes quasi vitia sic cauere, dicente ipso Domino: In parabolis loquor, vt videntes non videant, & audientes non audiant. Et ad fideles: Vobis autem datum est nosse mysterium Dei. Nulli ergo fratres, simplicitate sua aut communis aut vilis sermo Euangelicus habeatur, præsertim cum ipsa præmia Euangelicæ lectionis nihil bene petentibus, & pie cupientibus prædixerat denegandum, dicendo. *Quia si duo ex vobis conuenerint super terrā, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à patre meo.* Audistis quantum possit & præualeat sanctæ petitionis assensus: non dixit illud aut illud, sed totum se promittit, quicquid vnitas postulationis concupierit præstaturum, cum dicit: *De omni re quamcumque petierint, fiet illis.* Salua tamen ea cautela, & reuerentia, vt à Deo, quæ Deo digna sunt, postulentur: qui enim mala à Deo postulat, Deum mali iudicat, & sentit authorem: & qui vilia & indigna precatur, præstantis potestatem & potentiam degener petitor ignorat. Non ergo impia, sed pia: non terrena, sed cœlestia: non illecebris, sed virtuti congrua: non digna odiis, sed apta concordiæ, à tali semper exoranda sunt largitore. Vbi sunt qui præsumunt Ecclesiæ conuentum posse contemni, & solitarias preces venerandæ congregationi autumant anteferri: si duobus, vel tribus simul positis medium se futurum, & omnia se promittit quæ postulatus fuerit præstaturum? Qui nil negat tam paucis, quid in conciliis, & congregatione sanctorum poscentibus denegabit? Sic credens Propheta hoc adeptum se gloriatur, cum dicit: Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in consilio iustorum & congregatione. Toto corde confitetur, qui totum sibi in consilio sanctorum, quod poposcerit, audet esse præstandum. Sed nonnulli sub specie fidei contemptus sui excusare nituntur ignauiam, vt neglecto venerandi cœtus & congregationis ardore, illud se tempus orationi deputasse confingant, quod domesticis dederint & impenderint curis, & dum propriis desideriis mancipantur, diuina contemnunt, & despiciunt instituta. Isti sunt qui corpus Christi dissipant, membra dispergunt: nec ad decorem suum patiuntur formam dominici habitus peruenire: quem Propheta cum vidisset in spiritu, sic canebat: Speciosus forma præ filiis hominum. Habent quidem singula membra proprium sui munus officij, quod tamen tunc implere poterunt, si connexa sibi & compaginata perfecti corporis perueniant ad decorem. Hoc ergo interest inter congregationis plenitudinem gloriosam, & sperationis præsumptam de ignorantia, aut negligentia vanitatem, quod in salute & honore integri corporis species est vnitas membrorum: & in separatione viscerum est fœda, lethalis & horrenda pernicies. Homo, quid aliud te docuit in tuo corpore, aut sic diuisa coniunctio, aut tam coniuncta diuisio, nisi vt ex multis vnus, & vnus in multis viueres? Est membrorum commercio salutaris preciosus oculus, sed si perseuerat in corpore, alioqui vbi corpori defuerit, sibi non aderit: debent illi membra omnia suæ lucis obsequium: sed & ipse oculus sentit corpori se debere quod lux est, qui vtique cum omnibus membris ministratum membrorum prouideat, euulsus à corpore nec sibi videt. Quisquis ille est qui se putat esse aliquid, tali institutus exemplo maneat in Ecclesia, vt sit aliquid: alioqui vbi defuerit illi, sibi esse mox desinit. Quod qui plenius nosse desiderat, Apostoli de corpore Christi loquentis perlegat instituta: quia nos illa percurrere sermonis breuitas amica non patitur. Lex est data non vni, sed omnibus: Christus non pro vno, nec ad vnum, sed ad omnes, & pro omnibus venit, vt redintegraret omnes in vnum solum bonum, solum iucundum, Propheta futuri præscius, sic proclamat: Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum. Quia Deo non singularitas est accepta, sed vnitas. Spiritus sanctus Apostolis in vnum congregatis vbertate tota sui fontis illabitur: cuius vt simul discipuli operirentur aduentum, dominica sunt præceptione commoniti. Fratres, admittit diuina munera, perdit gratiæ largitatem, charitatis fraudatur bonis, vnitatis illum bene-

Marc. 4.
Luc. 8.
Matth. 13.
Matth. 8.
Marc. 18.
Psal. 110.
Psalm. 44.
1. Cor. 12.
Psal. 132.
Actor. 2.
Act. 1.

dictio non manebit, qui de se malefidus, & ex defectu suo stulte sibi sufficiens, sic præter Ecclesiam vitam quærit, quam in ipsa tantum esse Propheta testatur, dicendo: Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum: quia illic mandauit dominus benedictionem, & vitam vsque in sæculum. Psal. 132.

IN SANCTVM ANDREAM Apostolum.

SERMO CXXXIII.

Beatus Andreas meritò natus hodie creditur, quando non ad præsentem vitam materno est effusus ex vtero, sed conceptu fidei, martyrij partu, cœlestem noscitur generatus ad gloriam. Quando non eum materna cunabula suscepere vagientem, sed superna triumphantem secreta receperunt: quando non infirmum lactis pastum genitricis trahit ex pectore, sed pro rege suo deuotissimus miles virtutis sanguinem fudit. Viuit, quia mortem cœlestis militiæ bellator occidit. Sequitur hic moriendo domino æstuans & anhelans ac toto virtutis gradu dominicis incumbit hærere vestigiis, ne eum cursus faciat disparem fratri, quem natura similem, vocatio socium, parem gratia ipsa perfecerat. Ad vnam vocem domini sicut ille patrem, patriam, censum reliquit laboribus, opprobriis, itineribus, contumeliis, vigiliis, Christi indefesse germani societate donauit: solum est quod tempore dominicæ passionis fugit, sed neque hoc impar, quia fugit: negare autem si aliqua putatur culpa, non est grauius fugere, quam negare: sed tacenda sunt alia: æquauit fratres venia, quos sic discreuerat culpa. Et secutus, vt deuotio perprobauit, quos metus improbauerat antecedens. Nam crucem quam refugerant, postea coniunctis viribus ardenter inuadunt, vt vnde reatum sumpserant, inde conscenderent cœlum, inde præmium sumerent, & coronam. Petrus namque crucem, arborem conscendit Andreas: vt qui Christo compati gestiebant, in semetipsis figuram, formámque ipsius exprimerent passionis: & redempti ligno consummarentur ad palmam: Sic Andreas noster, etsi cedit ordini, præmio tamen non cedit, & labori.

IN SANCTAM FELICITATEM Martyrem,

SERMO CXXXIV.

Quoniam varios martyrum, multiplicésque triũphos, quos persecutoris crudelitas toties illusa cumulauit, tempus nos dinumerare non patitur, ad illam tota nostri sermonis confugit oratio, quæ meruit filios tot habere, quot dies mundus accepit. Vere mater luminum, fons dierum, quæ septenario corusco germinis sui toto orbe splendet. Beata, quæ non solum pro lege patitur, sed ipsius legis heptalismum meruit mater sancta generare: heptalismum fratres, qui non vnius & temporalis tabernaculi illustraret arcanum, sed Ecclesiam sempiternam sacro
Exod. 25. illuminaret incenso. Felix, quæ meruit portare tot virtutum pignora, quot illa arca præceptorum volumina sacrata gestauit: & vt illa verbo, ita hæc doceret exemplo. Iam tunc eos fratres, martyres genuit, quando eos partus sui septenario numero consecrauit, & mystico. Huc, huc sanctus Paulus veniat, qui adhuc parturit, donec Christus formetur in homine. Ecce mulier iterum, atque iterum parturit, donec in virtutem mutetur infirmitas, caro Gal. 4.
transcendat in spiritum, terra transferatur in cœlum. Ardebat, anhelabat, vt eos vno die sacros martyres pareret, quos vix paruulos per annorum curricula generabat. Ecce mulier, ecce mater, quam vita filiorum fecit anxiam, mors securam. Beata cui in futura gloria tot astant candelabra, quot germina. Beata, quæ tot præmisit ad regnum: beatior, quæ suum in sæculo nil amisit. Discurrebat lætior inter confessa cadauera, quam inter cunabula chara filiorum, quia internis oculis tot cernebat brauia, quot vulnera: quot tormenta, tot præmia: quot victimas, tot coronas. Et quid plura fratres? Non est, non est vera mater, quæ nescit filios sic amare.

SERMO CXXXV.

IN SANCTVM LAVRENTIVM.

Hodiernus dies baptismi martyris Laurentij corona illustratur, cuius egregij martyris merita nulla pars Romani orbis ignorat. Passus est in ipso capite gentium, id est in ipsa vrbe Romana Ibi enim diaconus ministrauit: & in ipso iuuentutis suæ flore decorem iuuentutis suæ sanguine purpurauit. Passio eius insignis est, multúmque mirabilis: hanc breuiter, Domino adiuuante, narrabo. Illo tunc Archidiacono beatus Sixtus erat Episcopus, cuius triũphus martyrij ante triduum fuit. Cum ergo sanctus Laurentius Episcopum suum Sixtum pergentem ad martyrium sequeretur, fide fultus, tristis affectu, non quia ille patiebatur, sed quia ab illo ipse deserebatur respexit venerabilis senex venerabilem iuuenem, & ait illi: Noli esse tristis fili, post triduum me sequeris. Tunc ille ebibita prophetia, iam corde paratissimus, ex spiritu ebrius, certum sperauit futurum, quod prædixerat ille qui nouerat. Deinde apprehensus est adductus: & quoniam erat Archidiaconus, apud illum esse vtique credebantur opes Ecclesiæ, quas desiderabat persecutor, non tam auarus, quam furiosus. Oderat quem occidebat: sed amabat apud eum quod ille contemnebat. Erat autem sanctus Laurentius pauper opibus, diues moribus: non se negauit Ecclesiæ habere diuitias, sed vt eas ostenderet, tridui dilationem petiit, deinde mandauit congregari agmina pauperum. Tunc deinde ipso die coronæ suæ præsentatus examini, tanquam demonstraturus quod ille quærebat, demonstrauit quod habebat. Tunc ait persecutor: Vbi sunt Ecclesiæ facultates? At ille manum extendens in pauperes: Hæ sunt, inquit, Ecclesiæ facultates. Verum dixit, sed amarum. Quid autem mirum, si veritas anxit odium? Irrisum se dolens crudelis tyrannus & auarus inimicus, qui fortè mitiorem pœnam cogitauerat, ferro interficere venerabilem iuuenem, parari flammas præcepit. Plus ardebat, quam vrebat: vrebat in carne, ardebat in corde. Supplicium eius tanto erat grauius quanto interius. Tunc oblata est torrenda, & vt verius dicam, assanda martyrio nobilis illa Laurentij craticula: astrictus est ferro, sed ille craticulam supplicij, lectum quietis putabat: supplicium dixi, secundum animum punientis: non secundum conscientiam patientis. Nullum est enim supplicium damnati, vbi non est pœna peccati. Itaque beatissimus martyr ostendens quam quiete iaceret in illo ignito ferro, ait circumstantibus: Iam me versate, & si vna pars

pars cocta est, vorate Miramur patientia m, donum Dei miremur. Ibi fides non solum non arsit, sed & consolabatur ardentem. Quare fides consolabatur ardentem? Quia fidelem tenebat promittentem. Vt fides non deficeret, vt spes non auerteretur, vt charitas inter pœnas igneas corporales plus accenderetur.
Phil.1. Dei dona erant. Fratres mei, nemo arroget potentiæ suæ quod non dat nisi Deus. Merito Apostolus alloquens martyres, vt in epistola eius hodie cum legeretur audistis: Vobis, inquit, donarum est pro Christo, non solum vt credatis in eum, sed etiam vt patiamini pro eo. Ergo Martyrum merita vult. Dei dona laudemus, amemus, oremus, subinferamus voluntatem nostram. Voluntas enim sequitur, non præuenit. Sed tamen non deest charitas, si non desit voluntas: ipsa enim ardens voluntas vocatur charitas. Quis est qui timeat volens? quis est qui amet nolens? ferueat oratio, & festum Martyris celebretur: sed vt non sit inanis qui celebrat, imitemur.

IN ADELPHVM EPISCOPVM,

SERMO CXXXVI.

Habet hoc Adelphi antistitis sanctus animus, & plena pietate dignatio, vt diues pauperis intret hospitium, pauperis se ponat ad mensam, & humilibus se faciat esse communem, quem diuitiæ, potestas, honor fecit & reddidit singularem. Inter maximas enim virtutes numeranda est ista voluntas, quæ contempto obsequij sui fastu, despecta magnificæ domus reuerentia, calcato etiam suæ fastigio potestatis, & abiecta opum suarum interna conscientia, vnde tumor maximus humanis semper dominatur in mentibus, ad vilissimas inopis se inclinauit angustias, vt suo pauperem contubernio sublimaret. Beatus planè iste animus, & ab omni morbo arrogantię remotus, qui ad hoc pauperis diuersorium primus intrauit, vt antè humanitatis debitor, quàm largitor existeret. Imitari Deum euidenter iste gestiuit, qui ante humana in corpore suscepit obsequia, quàm beneficia homini diuina concederet, quod Pontificem Dei summi præsentem Adelphum fecisse conspicimus: qui cum sit verbo diues, scientia copiosus, magnus ingenio, loco primus, egeni sensus, & mediocris eloquij nostri audientiam concupiuit: illius
1.Reg.17. Prophetæ instar, qui illius viduæ victum esuriuit extremum, & paruulorum eius sua fame vexauit angustias, nouum deferens sua petitione ministerium, vt petendo tribueret, esuriendo saturaret, & exhauriendo deficientibus horreum diuina largitate cumularet. Et nos filioli, quod habuimus, dedisse non pœnitet: quia etsi nos factum conturbauit, ad tempus releuat, & solatur exemplum. Citò ad verbum huius Dei hominis exiguitas ingenij nostri, vt viduę illius pastu, cœlesti proficiet incremento, ac deinceps à reposito cordis nostri non vitæ substantia deficiet, sed ipsa inopia abolebitur, & defectus. Fœlix vena, quæ suo ditatur irriguo, & fluenta putei sui tota acquirit, atque attrahit libertate. Ecce venit, & sublimes vestros animos cœlestis imber infudit: totóque impetu superni fluminis, quæ in vobis est ciuitatē Dei suo rigauit illapsu, vt terra nostra diuino rore madida centesimum vsque fœcundetur ad fructum. Aperite sensus, corda dilatate, & gremium vestræ mentis extendite: vt quicquid de cœlestibus iste thesauris vobis largiter effuderit, & æternam gloriam, & censum perpetem possidere possitis.

DE PRÆDICATIONE SANCTI Ioannis Baptistæ.

SERMO CXXXVII.

Posteaquam legis vomere, & iugi cultu exinanita ludaici cespitis est vbertas, beatus Ioānes gentium conuolans ad desertum, sentes criminum spiritus igne succendens, infructuosas arbores excidens vltionis securi, complanans asperos superbiæ colles, humilitatis conualles erigens exæquando, & planitiem terræ totam (gramine perdito) aptans nutricib. submittens irrigua Iordanis, ac sic Euangelico semini noualia diffusa præparat, fœcunda componit. *Factum est*, inquit, *verbum Domini super Ioannē Zachariæ filium in deserto.* Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Super Ioannem. Quare non ad Ioannem, sed super Ioannem? Quia quod de sursum est, super omnes est. *Factū est Verbum Domini super Ioānem.* Quia Ioannes vox est, Deus verbum. *Factum est Verbum Domini super Ioannem*, Deus super Ioannē, super seruum Dominus, super vocem verbum. Sed dicis mihi: Quid, quod vox præcedit verbum? Præcedit, sed non præcellit: antecedit ad sequentis obsequium, non ad propriæ potestatis iudicium. Vox nō est ipsa iudex, sed est nuncia iudicantis: verbum iudicat, vox prætonat, iubentem potestas respicit, non clamantem. Sed hoc fateatur, testetur, asserat vox ipsa, præco ipse, qui clamat: Qui post me venit, inquit, fortior me est. Quare? quia in me terror est, in illo est sententia. *Venit in omnē regionem Iordanis.* Venit ad Iordanem, quia Iudaïcas sordes non poterat hydria iam lauare, sed flumen. Sicut scriptum est: Erant, inquit, hydrię lapideæ secundum purificationē Iudæorum. *Venit ad Iordanem.* Vt pœnitētes portaret aqua, non vino. *Venit in omnem regionē Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorū.* Erat penes Ioannem venia, sed non sine pœnitentia; erat remissio, sed luctibus comparata: erat cura vulneris cum dolore, erat baptisma quod culpam tolleret, conscientiam non* deleret. Et quid plura? Per baptisma Ioannis purificabatur homo ad pœnitentiā, non promouebatur ad gratiā. At verò Christi baptisma sic regenerat, sic immutat, sic hominem reddit ex vetere nouum, vt præterita nesciat, non recordetur antiqua, qui de terreno cœlestis iam cælestia possidet, & diuina. Hinc est, quod redeunti post luxuriam filio pater immortalitatis reddit stolam primam, annulum libertatis imponit, occidit vitulum saginatum, aquas pœnitentiæ, gratiæ conuertit in vinum, vt conuiuium gratiæ iam pocula mera satiarent, quatenus conscientiæ dolores, pœnitentiæ gemitus, peccatorum lamenta, sobria dominici calicis aboleret ebrietas, dicente Propheta: Et calix tuus inebrians, quàm præclarus est. Quantum enim terrena ebrietas est deformis, tātum præclara & decora ebrietas cœlestis. *Dicebat ergo ad turbas, quæ exibant, vt ab illo baptizarentur: Progenies viperarū quis ostendit vobis fugere ab ira vētura? Facite ergo dignos fructus pœnitētiæ: & ne cœperitis dicere, patrē habemus Abraham, dico enim vobis, quod potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Iā enim securis ad radices arborū posita est. Omnis arbor non faciēs fructum bonum excidetur, & in ignē mittetur.* Progenies viperarum. Exemplo corripit, comparatione notat, figura prodit, vt iam non mores solum, sed ipsam naturam possit venenosi germinis immutare. *Progenies viperarum.* Quia quos Deus creauerat homines, fecerat filios Abrahæ; malitia peperit, & conuertit

Marginal notes (right column): Luc 3. Ioan.1. — Matth.3. Ioan.2. — * Aliás offenderet. — Luc.15. — Psalm.22.

uerrit in viperas: & quos conditos cœlestis dulcedine pietatis infuderat, hos impietas amara fecit lethales vomitus, serpentinum virus effundere: & infando crudelitatis hospitio de morte patris concipi, matris demorte generari. *Progenies viperarum.* Soboles ingrata naturæ, cuius ortus est genitoris exitium, cuius vita est mors parentis. *Progenies viperarum.* Vipera conceptus sui tempore intra os suum receptum caput coniugis refertur abscindere, vt per cruenta oscula non fœtum concipiat illa, sed crimen: ac sic carnifices sceleris sui pariat filios: vindictæ ordine, non naturæ. Nam genimina patris concepta de cæde, sanguinis antequam lactis exigunt nutrimentum, & vltionem petunt; matris namque vterum viperæ dicuntur exscindere, & scelestum conceptus sui domicilium adhuc immaturis visceribus, maturo furore confringere: vt hoc sit illis viuere, matrem suam, matrem quæ illos tales genuit, non videre. Compulsi latius comparationis quam sanctus Ioannes fecerat, typum descripsimus, & figuram, vt non maledicti, sed veritatis sit, quod ab illo Iudæi taliter nuncupantur. *Progenies viperarum.* Synagogam fratres, eiúsque filios tales fuisse demonstrat, ad quam Christus affectu coniugis cum venisset, dicente Ioanne: Qui sponsam habet, sponsus est: inter amplexus & oscula cruenta Iudæ, Christi caput est expetitum, & ore petitum, cum dicitur: Crucifige, crucifige. Vnde pignora sanguine concepta, tanto mox ad matris armantur interitum, vt dirupto synagogæ vtero, ad vocem Ioannis concurrerent, regenerarentur ad Dei progeniem. *Progenies viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira?* Quæ est ista ira ventura? Illa quæ non habet finem, quæ hominem non absoluit morte, sed colligat: nec iam veniæ spem habere permittit, quam semel tartari deputarit ad pœnam. Admoniti taliter, cognoscunt, & genus, & crimen, & ideo responderunt, dicentes: *Quid faciemus, vt saluemur? Qui respondens ait illis.* Quod dicturus est fratres, timeo dicere, ne quot auditores hodie video contemptores, ille tot faciat contumaces. Quid faciam? Dicere timeo, tacere non possum: aliud me prohibet pietas, ad aliud impellit vtilitas: Pietas, quæ non auditur, ne dum contemnit, incurrat: vtilitas, ne qui facturus sit non audiat, & per hoc doctor offendat. Dico fratres, vt & nudus se vestiat, & ego me exuam. *Qui habet*, inquit, *duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.* Putásne satis petit, qui è duabus tunicis vnam petit? Non satis petit: quia non petit gemmam, sed tunicam: non aurum, sed panem. Et si qui de duabus tunicis non dederit vnam, reus est: qualis est vnam de plurimis qui negarit? qui ad hoc vestes suas carcerat, & panem claudit, vt pauper fame pereat, frigore consumatur? Ille vestes sepelit, non reponit: non credit diligentiæ, sed sepulchris: qui quod negat pauperi, dat tineis: & ipse vestibus suis corporis vorator est, dicente Domino: Vermis eorum non morietur, quia Christum concussit pauperis fames, dolor hominis Dei prosiluit ad viscera, captiui gemitus ad Christi penetrauit interna, inopis contemptus ad creatoris sui redundauit iniuriam, profitente ipso, cum dicit: Esuriui, & non dedistis mihi manducare, nudus fui, & non vestistis me. *Venerunt & Publicani dicentes: Quid faciemus?* Audiant Publicani: *Nihil amplius quàm constitutum est vobis petatis.* Prodidit quæ res reum faciat publicanum, ne amplius petatis. Qui plus petit, fraudis exactor est, non tributi: cogitet quàm Deo reus est, qui defessum & depressum publicat: magis ac magis sua fraude deprimit, fatigat: & ad debita vix sufficienti superimponit, & auget indebita: *Venerunt & milites dicentes:* Audiant & milites quid etiam militibus interrogantibus responderit hic magister: *Et nos quid faciemus: Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniemini: contenti estote stipendiis vestris.* Verus miles est, qui non concutit, sed defendit: qui calumniam non ingerit, sed repellit: qui currit ad regis stipendia, non cuius currit ad prædam. Beatus Ioannes sic diuina docuit, vt non turbaret humana: instituit rempublicam, non dimouit: probauit à Deo ordinata esse quæ docuit, posse facere, & seruare iustitiam. Quid sit autem inter baptisma Ioannis, & Christi baptisma, quia latius explanandum est, nunc tacemus.

Ioan.3. — Esa.66. — Matth.24.

DE PACE,

SERMO CXXXVIII.

MElius quidem fuerat, fratres charissimi, si pater ac magister noster communis imperitiam nostram latere permitteret, nec publicare penuriam quæ in nobis hactenus velamento propriæ verecundiæ tegitur. Melius fuerat, vt qui tam copiosè abundat in spiritualibus doctrinæ diuitiis, de nauicula pauperis nequaquam tenuis verbi vectigal exigeret. Quis enim aut egenus diuitibus, aut peregrinus ciuibus, aut agrestis, & ignarus studiosis conferat? Tamen quoniam iussis parêre cogimur, eadem nos humilitatis ratio, quæ excusare videtur, ad dicendum cogit: cogit ad obediendum. Quid igitur est, ô religiosa plebs Domini, quod vobis quamuis pauperes, quamuis ineruditissimi, attamen decenter offerimus? Pacem sine dubio, quam Dominus noster Iesus Christus ingredientes nos offerre omni domui iubet: vnde & nos in principio salutationis nostræ pacem vobis à Domino exorauimus: quæ & habenda semper est, & semper oranda, non illa infida, & instabilis huius mundi pax, quæ vel pro commodis quæritur, vel pro timore seruatur: sed pax Christi, quæ secundum sententiam Apostoli Pauli superat omnem mentem, & credentium corda custodit. Pax, quæ charitatis fœcundis nutritur vberibus. Pax alumna fidei, calumna iustitiæ. Pax futuræ spei pignus idoneum. Pax, quæ præsentes sociat, absentes inuitat. Pax, quæ terrena cœlestibus, & diuinis humana conciliat: sic enim dicit Apostolus? Quod Dominus noster Iesus Christus pacificauit per sanguinem suum non solum quæ in terris sunt, sed quæ in cœlis. Hæc ergo vobis charissimi, pro viribus pauperis viatici peregrinus viator exposuit, expectans magis vna vobiscum apud mensam potentis magistri affluentibus, & copiosis dapibus saginari. Deus autem pacis, qui cœlestibus terrena coniunxit, concedat nobis eandem sapere in alterutrum, & plena vnanimitate gaudere, per Christum Dominum nostrum, per quem est Deo Patri omnipotenti gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Leu.10. — Phil.4. — Col.1.

DE REMITTENDO FRATRI delicto.

SERMO CXXXIX.

SIcut in terra latet aurum, ita diuinus sensus verbis celatur humanis: & ideo quoties dominica nobis eloquia panduntur, mens euigilet, animus intendat, vt intellectus possit scientiæ cœlestis intrare secretum. Quare Dominus hodie sic cœperit

rit, audiamus, *Attendite*, inquit, *vobis*. Quid sibi ista
Luc.17. nouitas elocutionis? Quo ista tendit admonitio præter vsum? *Attendite*, inquit, *vobis*. Ille attendit sibi, qui non alienis actibus importunus, impudens, curiosus intendit. *Attendite*, inquit, *vobis*. Vagus oculus, lasciuus intuitus, improbus aspectus suas non respicit ad ruinas: alienos currit, & decurrit ad lapsus: sua cæcus ad crimina, ad aliena errata perlucet: maiorum suorum nescius, alienorum est accusator & testis: suum tepidus ad reatum, ad alterius, & innocentis flammatur, & excandescit examen. Et ne
Matth.7. multis, sicut dixit Dominus: Oculus in se trabem non videns, videt in alio festucam. Nonne oculus
Gen.3. præuaricationis est autor? Et vidit, inquit mulier, quod bonum esset lignum ad manducandum, & quod gratum oculis ad videndum. Mortis ianua, inuidiæ fax, liuoris caminus, toto cupiditatis incendio velocius pet aliena percurrit, quam currit ignis arida, & terrena per gramina. Dei est quod oculus in orbem sic apertus arctatur angustissimus in pupillam, quatenus moderatè visum videat, non inuideat: præuideat, non proripiat: prospiciat, non despiciat: oculus sit animæ fenestra, speculum sit mentis, sit lumen corporis, membrorum dux sit, non introitus vitiorũ. Sed ad præfata redeamus. *Attendite*, inquit, *vobis*. Vobis, non dixit tibi, quia quicquid alij attenderit homo, attendit sibi, & quantum videbit ipse alteri, videbit alter ipsi: sicut ex sequentibus elucescit. *Si peccauerit*, inquit, *in te frater tuus, increpa illum, & si pœnitentiam egerit, dimitte illi*. Age homo, mandante Deo dimitte, dimitte peccata: esto misericors ad delicta: in te commissorum tu remissor esto peccatorũ, tu modò ne perdas in te diuinæ infulas potestatis: quicquid in alio tu non remiseris, tibi in alio tu negabis. *Si peccauerit in te frater tuus*, inquit, *increpa illum*. Increpa vt iudex, vt frater remitte: quia iuncta libertati charitas, charitati mixta libertas, & terrorem comprimit, & suscitat fratrem: fratrem frater est in febre cum lædit: est in fide proximo cum delinquit: est sui nescius, est humanitatis extraneus: huic qui per compassionem non subuenit, hunc qui per patientiam non curat, non per veniam sanat, sanus non est, ægrotat, infirmatur, viscera non habet & ab humano sensu monstratur alienus. Furit frater, adscribe ægritudini, tu illum iuua vt frater: adscribe tu quod sic geritur febri, & fratri non poteris imputare commissum: dabisque tu prudenter infirmitati culpam, fratri veniam, vt illius sanitas ad tuam gloriam recurrat, illius venia tuum redundet ad præmium. *Si peccauerit*, inquit, *in te frater tuus, increpa illum: si pœnitentiam egerit, dimitte illi*. Nemo ista audiens cẽsuram sibi remittentis assumat, & imponat fratri delinquenti vana præsumptione personam, ac sic durũ putet remittere delicta. Se peccatorem, peccaturum se homo cogitet: & tunc incipit amare veniam, non amare vindictam. Audis tu quia remittere debeas, & quia tibi remitti debeat, non audis. Peccabis & tu illi cras, qui tibi hodie peccauit: & erit tibi iudex, qui tibi erat reus antè, & reddet tibi veniam, si dedisti, si non dedisti, aut negabit veniam: aut si dederit, imputabit amplius, quam donabit. Remitte peccanti, remitte pœnitenti, vt cum tu peccaueris, repensetur in venia, non donetur. Bona semper venia, sed tunc dulcissima cum debetur. Vicit pœnam, iudicem præuenit, euasit iudicium, qui remittẽdo ante sibi veniã, quàm delinqueret, iam prouidit. *Et si septies*, inquit, *in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens: pœnitet me, dimittes illi*. Quare veniam lege constringit, angustat numero, fide concludit, quam sic pulsat per misericordiam, per gratiam sic relaxat: Si septies, si octies, vincit numerus gratiam? bonitati calculus obsistit? & addicit vna culpa pœnæ, quem commissa septem veniæ iam dederunt? Absit. Nam sicut felix ille qui septies remisit, ita felicior est iste septuagies septies qui remisit. Petrus mandati immemor huius interrogat Dominum, dicens: Si peccauerit in me frater meus, quoties remittam illi? Matth. 18. Septies. Respondit Dominus: Non solum septies, sed septuagies septies. Præscriptus ergo numerus non angustat veniam, sed dilatat, & quod præcepto finit, sine fine relinquit arbitrio, vt si quantum iusserit remiseris, tantum sit obedientiæ, sit præmij. Verum septimus numerus, qui numerus videtur paruus, inuenitur amplissimus Sacramento: nam septimus numerus per dies gradiens Sabbatum facit, quod benedixit Dominus, & deputauit ad requiem tam sui operis, quam laboris humani. Septimus numerus per ogdoadas currens, sic septem septemplicat septimanas, vt Pentecosten nobis impletam mysterij solennitate concludat, totúmque Sancti Spiritus imbrem in Ecclesiasticam segetem cœlesti sonitu tunc effundat. Septimus numerus cum per menses properat, septimi mensis festa consecrat tota nobis ieiunij sanctitate. Septimus numerus cum vadit per annos, septimanas facit: facit annum, qui requiem dat terræ, nexus omnes fraternæ obligationis absoluit. Septimus numerus annorum cum circuit septimanas, annum quinquagesimum, qui Iubileus vocatur, ad plenitudinem totam veniæ, & remissionis adducit, vt tollatur seruitus, redeat libertas, vt cautionum documenta, & monumenta rumpantur, resurgat debitor, debitum sit sepultum, redeat vt ager pauperis, vt pereat diuitis totus de cupiditate contractus. Et si septimus numerus septemplicatus per dies per menses per annos, totum contulit remissionis, & veniæ; septemplicatus septuagies septies septimus numerus quid afferre possit, Christianus æstimet, & aduertat auditor. Tunc vere cessabit crediti contractus & debiti, tunc vere abolebitur tota conditio seruitutis, tunc illa, illa veniet sine fine libertas, tunc æternus ager victurus semper remeabit. Veniet, veniet remissio tunc vera, quando abolebitur etiam necessitas ipsa peccandi: quando pereunte immunditia verè mundus iam vocabitur mundus: quando redeunte vita mors non erit: quando regnante Christo diabolus iam peribit. Orate fratres, & vt nobis Dominus augeat fidem, quatenus hæc bona credere, & videre, & tenere possimus.

DE ANNVNCIATIONE *sanctæ Mariæ Virginis.*

SERMO CXL.

SAtis modo sit oculorum nostrorum pura acies, vt possit in diuini ortus intendere claritatem; nam si nascentis iubar Solis oculorum nostrorum vix suffert sanitas tota, vel puritas; quanta interni visus est præparanda syncetitas, vt splendorem sui ferre possit orientis, & radiantis authoris. *In sexto autem mẽse missus est*, inquit, *Angelus Gabriel in ciuitatẽ Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph*. Luc. 1. Locum, tempus, personã sanctus Euangelista designat, vt relationis veritas manifestis ipsarum rerum comprobetur indiciis. *Missus est*, inquit, *Angelus ad virginem desponsatam* Ad Virginem Deus aligerũ portitorem mittit: nam dat arrham, dotem suscipit, qui fert gratiam: fidẽ refert, & tradit munera virtutis, qui mox virginei consensus resoluit sponsionem. Peruolat ad sponsam festinus interpres, vt à Dei sponsa humanæ desponsatio

sationis arceat,& suspendat affectum, neque auferat ab Ioseph Virginem, sed reddat Christo, cui est in vtero pignorata cum fieret. Christus ergo suam sponsam recipit, non præripit alienam: nec separationem facit quando suam sibi totam iungit in vno corpore creaturam. Sed quid egerit Angelus, audiamus: *ingressus ad eam, dicit: Aue gratia plena, Dominus tecum.* In hac voce oblatio est, oblatio muneris, non simplex salutationis officium. *Aue*, hoc est, accipe gratiam. Ne trepides, ne sis solicita de natura. *Gratia plena.* Quia in aliis gratia, in te tota gratiæ pariter veniet plenitudo. *Dominus tecum.* Quid est in te Dominus? Quia ad te non visitandi studio venit, sed in te nouo nascendi illabitur sacramento. Adiecit congruè. *Benedicta tu in mulieribus.* Quia in quibus Eua maledicta puniebat viscera, tunc in illis gaudet, honoratur, suscipitur Maria benedicta. Et facta est vere nunc mater viuentium per gratiam, quæ mater extitit morientium per naturam. *Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius.* Quid est quod personam videt & de sermone turbatur? Quia venerat Angelus blandus in specie, fortis in bello, mitis in habitu, in sermone terribilis: humana proferens, diuina repromittens. Vnde & Virginem, quam leuiter visus solicitauerat, nimium turbauit auditus: & quam missi præsentia parum mouerat, concussit toto pondere mittentis authoritas. Et quid plura? Mox sensit in se supernum suscipi Iudicem, vbi ante iam cœlestem vidit, & contemplata est metatorem. Quamuis enim blando motu, affectu pio, Virginem sibi Deus in matrem, seruam sibi verteret Dominus in parentem, turbata sunt tamen viscera, mens refugit, ipsa est tremefacta conditio, cum Deus, quem tota creatura non capit, totum se intra pectus recepit, & condidit humanum. *Et cogitabat*, ait, *Virgo, quæ esset ista salutatio.* Aduertat vestra charitas, vt diximus, consensisse Virginem salutationi, non verborum, sed rerum, & vocem fuisse non communis obsequij, sed supernæ vim totam fuisse virtutis. Cogitat ergo Virgo, quia cito respondere est facilitatis humanæ, cogitare verò ponderis est maximi, & iudicij permaturi. Quantus sit Deus satis ignorat ille, qui huius Virginis mentem non stupet, animum non miratur, pauet cœlum, tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit, & vna puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, vt pacem terris, cœlis gloriã, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cœlestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium, pro ipsa dominus exigat pensione, pro ipsius vteri mercede conquirat, & impleat
Psal.126. illud Prophetæ: Ecce hæreditas Domini, filij merces fructus ventris. Sed iam se concludat sermo, vt de partu Virginis, donante Deo, & indulgente tempore, gratius proloquamur.

DE INCARNATIONE CHRISTI.

SERMO CXLI.

QVantum secretum cubiculi sit regalis, quali reuerentia quo tremore locus habeatur, vbi ipsa Principis requiescit potestas, quàm nulli extraneo, immundo nemini, nulli infideli pateat illuc, & permittatur accessus, quam munda, quam casta, quam fidelia ibidem præstolentur obsequia, imperialis aulæ manifestis docetur insignibus. Quis ad ipsas palatij fores vilis, quis propinquat indignus? Certè ad thalamum sponsi, nisi satis proximus, nisi satis intimus, nisi bonæ conscientiæ, nisi laudabilis famæ, nisi probabilis vitæ nullus admittitur. Intra thalamum verò ipsum virginem Deus capit solam: suscipitur sola virginitas illibata. Vnde, o homo, his admonitus exemplis æstima quis sis, quantus sis, qualis sis, & tunc demum cogita, vtrum possis dominicæ Natiuitatis penetrare secretum, vtrum merearis ad illius pectoris cubiculum peruenire, vbi tota superni Regis, tota diuinitatis requiescit maiestas, vtrum debeas humanis oculis, corporeis sensibus conceptum Virginis temerarius discussor attendere: vtrum possis ipsas Dei manus operantes sanctum sibi corporis templum intra aluum genitricis audax, curiosus arbiter intueri: conspectibus tuis absconditum sæculis nudare mysterium, reuelare tibi ipsis Angelis inuisibile Sacramentum: & ita cœlesti fabricæ præsidere, vt deprehendas liquido tu quomodo Deus penetrale clausæ carnis intrauerit: quemadmodum sacri corporis in illo venerabili vtero præter Virginis conscientiam lineamenta pinxerit: quomodo præter concipientis sensum mansura sæculis ossa solidauerit: qualiter præter hominis ordinem, hominis veram produxerit formam: quemadmodum præter carnis sollicitudinem totam carnis assumpserit veritatem: qua ratione præter naturam nostræ carnis integram susceperit qualitatem: & si ad hæc tibi liber non perpatuerit accessus, iam Deus ex carne nunc assumere non potuit, quod in principio assumpsit ex imo? Imo quia totum Deo est possibile, & tibi ne ad minima quidem operum Dei possibile est peruenire, conceptum Virginis noli discurrere, sed crede: Deum voluisse nasci piè sentias, quia facis iniuriam si requiris: magnum Dominicæ Natiuitatis Sacramentum fide percipe, quia ne minima quidem operum Dei assequi poteris sine fide, dicente scriptura: Omnia opera eius in fide. Psal.32. Sed tu hic totum vis de ratione constare, vbi totum consistit ex fide; quod tamen non sine ratione subsistit, sed ratione Dei, non tua homo. Quid tam rationabile, nisi vt Deus quicquid voluerit, possit? Qui quod vult non potest, Deus non est. Quæ ergo mandat Deus, exequitur Angelus, implet Spiritus, efficit virtus, Virgo credit, natura suscipit, cœli narrant, annunciat firmamentum, ostendunt stellæ, magi prædicunt, pastores adorant, pecora cognoscunt, attestante Propheta: Cognouit Esa.1. bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Tu homo, si non mox cum Angelis, agnosce vel tardissime cum iumentis: ne dum moraris, ipsis iumentis, quibus antè comparatus fueras, postponaris. Ecce iumenta adulantur caudis, blandiuntur auribus, linguis lambent, & motu, quo possunt authorem suum fatentur contra naturam in tuam venisse naturam: & tu cum Iudæis discutis, carpis, qui excluserunt à diuersoriis suis Dominum suum, quem iumenta suis in præsepibus susceperunt. Vnde si tandem vel Angelis es pium præstiturus auditum, quæ ab Angelo dicenda sunt, si non fœliciter, vel dignanter admitte: quod nos hodie differre, & sequenti referre sermone sancti fratres, satis vobis necessarius sermo compellit.

DE ANNVNCIATIONE sanctæ Mariæ Virginis.

SERMO CXLII.

AVdistis hodie fratres charissimi Angelum cum muliere de hominis reparatione tractantem. Audistis agi, vt homo cursibus eisdem, quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit, agit cum

cum Maria Angelus de salute, quia cum Eua Angelus egerat de ruina. Audistis Angelum de carnis nostræ limo templum diuinæ maiestatis arte ineffabili construentem. Audistis in terris Deum, in cœlis hominem Sacramento incomprehensibili collocari. Audistis inaudita ratione in vno corpore Deum, hominémque misceri. Audistis fragilem nostræ carnis naturam ad portandam totam deitatis gloriam
Psalm. 71. Angelica exhortatione roborari. Denique ne tanto ponderi cœlestis fabricæ in Maria subtilis nostri corporis arena succumberet, & in virgine totius generis humani portatura fructum virga tenuis frangeretur, fugatura metum vox Angeli mox præcessit, dicens: *Ne timeas Maria.* Ante causam dignitas virginis annunciatur ex nomine: nam Maria Hebræo sermone Latinè domina nuncupatur: vocat ergo Angelus dominam, vt dominatoris genitricem trepidatio deserat seruitutis, quam nasci, & vocari dominam ipsa sui germinis fecit, & impetrauit auctoritas. *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam.* Verum est, quia qui inuenit gratiam, nescit timere. *Inuenisti gratiam* Apud quem? *Apud Deum.* Beata quæ inter homines audire sola meruit præ omnibus, *Inuenisti gratiam.* Quantam? quantam superius dixerat, Plenam. Et verè plenam, quæ largo imbre totam funderet & infunderet creaturam. *Inuenisti enim gratiam apud Deum.* Hæc cum dicit, & ipse Angelus miratur, aut fœminam tantum, aut omnes homines vitam meruisse per fœminam, stupet Angelus totum Deum venire intra virginalis vteri angustias, cui tota simul angusta est creatura. Hinc est quod remoratur Angelus, hinc est quod Virginem vocat de merito, de gratia compellat, vix causam prodit audienti, sane vt sensum promoueat, vix longa trepidatione componit. Æstimate, fratres, qua reuerentia, quo tremore nos tanto interesse deceat, & conueniat Sacramento, quando ipse Angelus non sine metu discurrit audientis. *Ecce concipies in vtero.* Bene concipies quod caro nescit, conditio non habet, non admittit natura. *Ecce concipies in vtero.* Quis ante ad fructum peruenit, quàm terræ laborem sentiat, & sudorem? Quis ante poma carpit, quam plantæ suam tribuat, & impendat industriam? Quis præter viam ad vllam peruenit mansionem? Quis præter naturam naturæ suscipit incrementum? Beata ergo, & verè beata Maria, quæ præter generandi curas, præter materni doloris fastidia, tantam germinis peruenit ad gloriam. Beata quæ diuinum pignus sic suo suscepit & seruauit in pectore, vt illud tota corporis externa nesciret. Beata, quæ quod de supernis Angelo referente susceperat, sic menti suæ soli commisit, & credidit. Intra domum Virginis negotium cœleste sic geritur, vt manentibus claustris ipsa domus septa nō sentiant. *Concipies, & paries filium.* Qui egreditur & ingreditur, & introitus sui, & exitus nulla vestigia relinquit, diuinus habitator est, non humanus: & qui conceptu suo virginem seruat, & ortu suo relinquit virginem, non terrenus homo est, sed cœlestis Nostræ ergo carnis ordo secedat, hic sibi natura nostra nil vindicet, vbi ad diuinam progeniem cœlestis ordo diuinam instituitur in naturam. Conceptus, & partus sermo audientis animum non fatiget, nec leuiter sensum moueat Christiani, vbi ad cœlestē progeniem virtutis Dei diuina peraguntur insignia. *Concipies, & paries filium.* Nō dixit tibi, dixit tuum. Quare? Quia sanctum vocabitur filius Dei. Virgo te gratia matrem præstitit, non natura: genitricem te dici pietas voluit, quam non sinebat integritas: in tuo conceptu, in tuo partu creuit pudor, aucta est castitas, integritas roborata est, est solidata virginitas, omnes perseuerauere virtutes. Virgo si tibi salua sūt omnia, quid dedisti? Si Virgo, quomodo mater? Si sponsa, genitrix quomodo? Ille quo tibi aucta sunt omnia, nil minuit. Virgo. Virgo concipitur ex te auctor tuus, tua ex te oritur origo, in tuo germine est genitor tuus, in tua carne est Deus tuus, & ipse lucem mundi per te cepit, qui lucem mundo dedit. Monita ergo per Angelum Virgo, ne præsumas hunc vocare filium tuum, sed mox vt genueris, inuoca Saluatorem: quia virginitas non sibi parit filium, sed parit pignus auctoris, & integritas suum gestat Dominum, non alumnum, dicente Angelo: *Et vocabis nomen eius Iesum.* Quod Saluator Latino vocabulo nuncupatur. *Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo? fiet istud.* Ecce Maria interrogata, & si qui interrogat, dubitat, cur solus Zacharias velut querulus percunctator incurrit? Quia pectorum cognitor non verba, sed corda peruidit: non quid dixerint, sed quid senserint, iud cauit, erat enim interrogantium causa dissimilis, species perdiuisa: hæc contra naturam credidit, ille dubitat pro natura: hæc integræ rei ordinem quærit, ille quæ Deus iubet fieri, non posse præscribit: ille impellentibus exemplis non accedit ad fidem: hæc sine exemplo percurrit ad fidem: hæc miratur de partu Virginis, ille de conceptu disputat coniugali. Merito ergo hæc loquitur, hæc Deum suo cognoscit & confitetur in corpore: ille tacet, donec Ioannem quem negabat, conuictus proprio redderet ex corpore. *Quomodo fiet istud?* Quare? *Quia virum non cognosco.* Mulier, quem virum quæris? quem tu in Paradiso perdidisti? Redde virum mulier, redde depositum Dei: redde ex te quem perdidisti per te; prætermitte naturæ ordinem, recognosce ordinem creatoris. Ille ex te assumet, & faciet virum qui in principio te fecit, & assumpsit ex viro: ne quæras virum, cesset opus hominis, quia ad reparationem hominis sufficit ars diuina. Hinc est quod Deus ipse ad te venit, quia te pœnituit ad hominem peruenisse. Nec Ioan. 3.
iam caro ad carnem. *Sed Spiritus sanctus superueniet* Ioan. 4.
in te. Quia quod de carne natum est, caro est: & quod de Spiritu, Spiritus est: qui ergo de Spiritu nascitur, sine controuersia Deus est, quia Spiritus est Deus. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Obumbrat Dei virtus, ne portatura, Deum fragilitas humana succumbat. *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Æstus nostri corporis nescit, quam diuinæ protegit vmbra virtutis: nec secretum
mundanæ habitationis inquirit quæ se septam su- Isa. 6.
perni splendoris circumspicit velamento. *Propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Nemo hic communiter accipiat sanctum, sed illa singularitate, qua clamatur in cœlestibus: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Mittitur autem Maria ad Elizabeth, Virgo ad sterilem, infans ad anum, vt certamine pio sumant ambæ, percipiant pariter, altera de nouitate fidem, altera de necessitate virtutem. His auditis, respondit Maria: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Quæ vocatur ab Angelo domina, ipsa se cognoscit & cōfitetur ancillam. Quia deuotus animus infulis beneficiorum crescit ad obsequium: augetur ad gratiam, non ad arrogantiam prosilit, non ad superbiam pertumescit. *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Quæ credit verbo, meritò concipit verbum. In principio Ioan. 1.
erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, & ad totam rem peruenit quæ secretum fidei consentit auditu. Quantum peccat hæreticus, qui post causam non credit, cùm tantum hanc credidisse conspicit ante causam.

Kk DE

DE EADEM.

SERMO CXLIII.

Debetur quidem vobis natalitius ſermo, ſed ineffabile Natiuitatis Dominicæ Sacramentum credere magis conuenit, quam referre. Virgo peperit. Quod natura non habet, & vſus neſcit, ignorat ratio, mens non capit, pauet cœlum, ſtupet terra, creatura miratur, quomodo ſermo narrabit humanus? Denique Euangeliſta conceptum Virginis, Virginis partum ſicut humano ſermone pandit, ita diuino claudit arcano: & hoc facit, vt homo quod credere iuſſus eſt, diſcutere non præſumat. Quis attingit arcanum Dei? partum virginis? rerum cauſas? ſæculorum negotium? commercium diuinitatis & carnis? hominem Deumque vnum Deum? Euangeliſta ſic ait. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomẽ erat Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro cui nomen erat Ioſeph, & nomen Virginis Maria.* Miſſus eſt Angelus à Deo, vbi mediator eſt Angelus, humana ceſſet opinio: vbi cœleſtis eſt nuncius, interpretatio terrena pellatur. Curioſitas humana torpeſcat, vbi ſupernus habetur interpres. *Miſſus eſt Angelus à Deo.* Qui audit attentius, quia à Deo miſſus ſit, deitatis refugit perſcrutari ſecretum. Quod per Angelum Deus mandat, ille meretur ſcire, qui timet ſcire. Audi Dominum dicentem: ſuper quem reſpiciam, niſi ſuper humilem, & manſuetum, & trementem verba mea? Humilem & manſuetum, quantum manſuetus eſt ille qui iuſſis obtemperat: immanſuetus tantum eſt ille qui iuſſa diſcutit. *Miſſus eſt Angelus ad Virginem.* Quia ſemper eſt Angelis cognata virginitas. In carne præter carnem viuere non terrena vita eſt, ſed cœleſtis. Et ſi vultis ſcire, angelicam gloriam acquirere maius eſt, quam habere: eſſe Angelum fœlicitatis eſt, virginem eſſe virtutis: virginitas enim hoc obtinet viribus, quod habet Angelus ex natura. Angelus ergo, & Virgo diuinum agunt officium, non humanum. *Ingreſſus*, inquit, *Angelus ad eam, dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres.* Aue gratia plena, Dominus tecum. Videtis quibus eſt Virgo oppignorata muneribus. *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Aue, hoc eſt accipe. Quid? Virtutes munerum, non pudoris. *Aue gratia plena.* Hæc eſt gratia, quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus diſciplinam. Hanc gratiam detulit Angelus, accepit virgo ſalutem ſæculis reddititura. *Aue gratia plena.* Quia ſingulis gratia ſe eſt largita per partes: Mariæ verò ſimul ſe totam dedit gratiæ plenitudo. Omnes, inquit Euangeliſta, de plenitudine eius accepimus. Vnde, & Dauid dicit: Deſcendit ſicut pluuia in vellus. Vellus cum ſit de corpore, neſcit corporis paſſiones: ſic virginitas cum ſit in carne, vitia carnis ignorat: cœleſtis ergo imber virgineum in vellus placido ſe fudit illapſu, & tota diuinitatis vnda bibulo ſe noſtræ carnis celauit in vellere, donec per patibulum crucis expreſſum terris omnibus in pluuiam ſalutis effunderet. Et ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Et vitalibus partita ſtillicidiis tempora fidei rigarent germine, non necarent. *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Miſſus eſt Angelus à Deo, & quid dicit? Dominus tecum. Ergo erat cum virgine, qui ad Virginem miſerat. Præceſſit nuncium ſuum Deus, ſed à Deo non receſſit: teneri locis non poteſt, qui omnibus habetur in locis: & totus vbique eſt, ſine quo nihil eſt totum. *Benedicta tu inter mulieres.* Vere benedicta Virgo, quæ & virginitatis poſſidet decus, matris & pertulit dignitatem. Vere benedicta, quæ & ſuperni conceptus meruit gratiam, & ſuſtulit integritatis coronam. Verè benedicta, quæ & diuini germinis ſuſcepit gloriam, & Regina totius exitit caſtitatis. Verè benedicta, quæ fuit maior cœlo, fortior terra, orbe latior: nam Deum quem mundus non capit, ſola cepit. Portauit eum, qui portat orbem, genuit genitorem ſuum, nutriuit omnium viuentium nutritorem. Sed videamus quid ait Euangeliſta. *Maria*, inquit, *vt vidit Angelum, turbata eſt in ſermone eius.* Turbata eſt caro, concuſſa ſunt viſcera, mens tremuit, tota cordis obſtupuit altitudo: quia in ingreſſu Angeli virgo ſenſit diuinitatis ingreſſum. Turbatur humani corporis templum, & carnalis domicilij mouebantur anguſtiæ, cum ſe in virgineo pectore tota Dei conderet magnitudo. Sed ſi placet, priuſquam fidei Chriſtianæ penetremus arcanum, loquamur ad eos qui partum virginis, qui magnum pietatis ſacramentum, qui reparationem ſalutis humanæ referunt ad diuinitatis iniuriam. Venit ad virginem Deus, hoc eſt, ad opus ſuum opifex, creator ad creaturam ſuam. Quando ad opificis honorem operis reſtauratio non redundat? Quando honor non deputatur ad gloriam, ſi factor facturam ſuam reparet? Ne amittat quis opus ſuum, nónne cum veteraſcit, reuocat? & cum cadit, erigit? & cum deſtruitur, in melius non reformat? ergo quod in partu virginis agitur, non eſt creatoris iniuria, ſed ſalus eſt creaturæ. Si Deus fecit hominem, quis arguit, cur refecit? & quod ex limo formaſſe dignum creditur, quare ex carne reformaſſe iudicatur indignum? Quid precioſius, caro aut limus? Ergo reparationis noſtræ quanto precioſior materia, tanto maior eſt gloria. Aut quando Deus non in vtero plaſmator eſt hominis? Audi Iob: Manus tuæ fecerunt & finxerunt me. Et poſt: Vt caſeum coagulaſti me: oſſibus & neruis inſeruiſti me, vitam, & miſericordiam dediſti mihi. Et Dauid: Tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam. Et ad Hieremiam Deus: Priuſquam eſſes in vtero, noui te, & in vulua ſanctificaui te. Si ergo parentis in aluo Iob lineamenta depinxit, ſi matris in vtero Dauid membra compegit, ſi Hieremiam genitricis ſanctificauit in vulua, ſi Ioannem ſterilis in vtero repleuit Spiritu ſancto: quid mirum modo, ſi virginis habitauit in vtero, qui mulierem hominis ſumpſit ex latere? Ipſe hominem mulieris reſumpſit ex vtero, qui virginem viri formauit ex corpore: ac perinde homo quæ tibi videntur noua, Deo habentur antiqua. Sed dicis: Quæ naſcendi neceſſitas Deo, cui ſuppetit faciendi poteſtas: Quæ? Vt ipſam naturam naſcendo reficeret, quam fecerat operando: quia quæ facta fuerat vt generaret ad vitam, ipſa generabat ad mortem. Per peccatum primi hominis natura lethale vulnus accepit, & cœpit eſſe origo mortis, quæ erat initium vitæ. Hoc eſt ergo negotium natiuitatis, quod naſci compulit Chriſtum vt naturæ curam natiuitas daret auctori, & naturæ curatio eſſet viuificatio filiorum.

Luc. 1. Iſa. 66. Iuxta LXX. Ioan. 1. Pſalm. 71. Pſalm. 78. Ioan. 1. Iob. 10. Pſal. 137. Hier. 1.

DE EADEM,

SERMO CXLIV.

De Natiuitate Chriſti nos comperendinare ſermonem altitudo rei facit, & cogit myſterij magnitudo. Virgo peperit, quis loquetur? Verbum caro factum eſt, quis narrabit? Si verbum Dei infantiæ dat vagitum: homo imperfectus quomodo clamabit in verbo? Quantam ſtella magis nocte dedit

quæren

quærentibus lucem tantam doctoris sermo ortus dominici præbet audientibus claritatem: vt Christum inuenisse gaudeant, discurrere non præsumant, honorent muneribus infantiam, non minorent. Sed orate fratres, vt qui nostro sensim creuit in corpore paulatim nostro crescere dignetur in verbo. Euangelista hodie Angelum retulit sic locutum. *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum.* Ne timeas Maria, quare? Quia inuenisti gratiam. Timet non qui inuenit, sed qui perdit. Inuenit, inuenit hæc concipiendo superni germinis gratiam, quæ pariendo non perdidit virginitatis insignia. *Ne timeas Maria.* Quid timet, quæ securitatem rerum concipit, parit gaudia sæculorum? Timor non est, vbi diuinum est negotium, non humanum: vbi virtutis conscientia est, non pudoris. Quid timet, quæ suscepit eum, quem timent omnia quæ timentur? Quid timet,
Ioan. 1.
cui iudex causæ est assertor, integritas testis innocentiæ? *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum.* Quod erat in principio apud Deum, Verbum Deus intra se virgo reperit, & factum est magnum Deitatis templum, quæ erat pusillum humanitatis hospitium, & quem non capiebat pusillitas humani corporis, cepit virginalis vteri magnitudo. *Ecce,* inquit, *concipies in vtero.* Propter reuerentiam dixisse sufficerat, concipies: quod exaggerat, in vtero, quid est? vt conceptus esset veritas, non figura: vt partus esset proprietas, non imago: vt sicut de Deo vero Deus natus est, sic de vero conceptu veritas humani corporis nasceretur. In ortu Christi fratres, humani corporis iniuria sublata est, non natura: nec est creatura deleta, sed culpa damnata. Est ergo hæresis quæ Christum aërium corpus assumpsisse mentitur: nec habuisse carnem, sed hominem stimulasse confingit. *Concipies,* inquit, *in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Quod Hebraicè Iesus, Græcè σωτὴρ, hoc dicitur Latinè Saluator. Meritò ergo virgini salua sunt omnia, quæ omnium genuit saluatorem. *Et vocabis nomen eius Iesum.* Quia in hoc nomine deitatis tota adoratur Maiestas: omnes qui commorantur in cœlis, vniuersi qui habitant terram, cuncti qui in profundo tenentur inferni, huic
Phil. 1.
prosternuntur nomini, hoc adorant. Audi Apostolum dicentem: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum. Hoc nomen, quod dedit cæcis visum, auditum surdis, claudis cursum, sermonē mutis, vitam mortuis, totámque diaboli potestatem de obsessis corporibus virtus huius nominis effugauit. Et si nomen tantum est, quanta potestas? Sed quis est iste, qui vocatur hoc nomine Iam dicat Angelus. *Et filius Altissimi vocabitur.* Videtis, quia quod concipit Virgo, nō terrenū germen est, sed cœleste. Virgo peperit, sed Deus suscepit filium. Ergo qui de hac natiuitate humano modo disputat, ad omnem tendit tanti genitoris iniuriam. *Et dabit,* inquit, *ei Dominus sedem Dauid patris sui.* Hinc hæreticus generat perfidiæ suę nebulas: hinc sibi fingit erroris materiam. Ecce, inquit, non ego dico, sed Angelus, dabit illi Dominus Deus, nunquid non maior est qui dat, quam qui accipit? & qui accipit, antequam acciperet, non habebat? Sed nos ista fratres, audiamus, non vt perfidi, sed vt fideles: & sit nobis argumentum fidei, quod illi est erroris occasio. *Dabit illi Dominus Deus.*
Ioan. 1.
Quid dat, aut cui dat? vtique Deus homini dat, diuinitas carni. *Dabit illi Dominus Deus.* Quis Deus? vtique Verbum, quod erat in prin-
1. Cor. 5.
cipio semper Deus. Cui dat? quod caro factum est, & habitauit in nobis. Audi Apostolum dicentem, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Sibi vtique, non alij: Hinc ergo Deus, qui in Christo erat, regnum sibi dabat in Christo: & conferebat suscepto corpori, quod semper sua diuinitate possederat, sicut ex ipso Angeli probatur eloquio. *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris sui.* Vides quia quando accipit, Dauid filius dicitur: quando dat Dei filius nuncupatur, ipse dixit: Omnia quæ habet pater, mea
Ioan. 18.
sunt. Et quæ necessitas accipiendi, vbi est habendi potestas? Ait, omnia quæ habet pater, mea sunt. Quis accipit quæ sua sunt? Aut in gratia dantis est, si accipientis est, quod donatur? Fatemur quia accepit, sed iste qui natus est, qui suscepit carnem, qui suscepit infantiam, qui cunabula pertulit, qui suscepit ætates, qui laborem sustinuit, qui famem sensit, qui sitim passus est, qui tota iniuriarum genera non refugit, qui ascendit crucem, qui subit mortem, qui intrauit sepulchrum: hæretice, huic quod accepit, ascribe. Aut putas quod honorem à Deo dedignatur accipere, qui ab hominibus tantas accepit iniurias? Aut existimas quod conferri sibi regnum à patre fastidit, qui ab inimicis pœnas mortemque suscepit. Hæretice, quod est iniuriæ, quod infantiæ, quod ætatis, quod temporis, quod dati, quod accepti, quod minorationis, quod mortis, si intellexeris, non esse diuinitatis, sed corporis, tu nullam filio irrogabis iniuriam, nullā tu facies in Trinitate distantiam. Sed reuertamur ad nos, & quæ sunt nostra, iam loquamur. *Dabit illi,* inquit, *Dominus Deus sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Qui in cœlo semper consedit patri, nunc sedem Dauid accepit in terra: qui regnabit sibi semper, modo nobis in domo Iacob regnum sortitus est æternum. Gaudeamus fratres, quia qui sibi regnauit, regnaturus est nobis: gaudeamus, quia venit regnaturus in terra, vt nos cum illo regnare possimus in cœlo. Audi Apostolum: Si compatimur,
Timoth. 2.
& conregnabimus. Nobis natus est, nobis vtique regnum venit donaturus: ipso promittente, cum dicit: Venite benedicti patris mei, percipite regnum,
Matt. 25.
quod vobis paratus est ab origine mundi. Vobis, dixit, non mihi. Veniet, vt sit nobiscum semper, vt nostris sit semper in oculis, qui nunc tantum nostris habetur in cordibus: veniet, vt quibus est gloria de regno, sit de familiaritate fiducia. *Et regni eius non erit finis.* Qui eius aduentum credis, gaude, quia regnum sine fine promisit: vbi est sine successore militia, vbi sunt perpetuæ dignitates. Sed quid est quod permansura non ambiunt, qui ambiunt transitura? Quid est? Quid est quod caducos honores auro comparant, & nolunt gratis accipere sempiternos? Fratres, hic parantur officia, hic decernuntur loca, hic honores designantur, hic qui non de Euangelij fide acceperit codicillos, ibi æternarū infulas non habebit dignitatū. Ergo si delectat militia, si volumus semper militare, arripiamus arma Christi, vigilemus, sobrij simus, vincamus diabolum, prosternamus vitia, vt possimus accipere præmia pariter & coronas ab illo Domino nostro Iesu Christo, qui cum Deo patre regnat nunc & semper, & per omnia sæcula sæculorum. Amen.

DE GENERATIONE CHRISTI,

SERMO CXLV.

AVdituri estis hodie fratres, quemadmodum nobis beatus Euangelista generationis Christi
Matth. 1.
retulit sacramentum. *Christi,* inquit, *generatio sic erat: Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequā conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto: Ioseph autem vir eius cum esset iustus & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Et quomodo iustus, qui conceptum sponsæ duxit non discutere,

ſuſpecti non exquirit cauſam pudoris, coniugij famam non vindicat,ſed requirit? *Voluit occultè dimittere eam.* Hoc pio magis videtur conuenire quàm iuſto,ſed humano iudicio, non diuino. Penes Deum neque pietas ſine iuſtitia eſt, neque ſine pietate iuſtitia: cœleſti ſenſu ſine bonitate æquitas,ſine æquitate bonitas non habetur. Virtutes ſi ſeparatæ fuerint dilabuntur, æquitas ſine bonitate ſæuitia eſt, & iuſtitia ſine pietate crudelitas. Ioſeph ergo merito iuſtus, quia pius: & pius,quia iuſtus. Denique dum pietatem cogitat, crudelitate caruit: dum cauſam temperat, iudicium cuſtodiuit: dum vindictam differt, crimen euaſit: dum refugit accuſatorem, fugit ſententiam. Æſtuabat animus ſanctus negotij nouitate perculſus, ſtabat ſponſa prægnans, ſed virgo: ſtabat plena pignore, ſed non vacua pudore: ſtabat de conceptu ſolicita,ſed de integritate ſecura: ſtabat veſtita materno munere, ſed non honore virginitatis excluſa. Sponſus quid faceret ad iſta? Accuſaret de crimine? Sed erat ipſe innocentiæ teſtis. Culpam diceret? ſed erat ipſe cuſtos pudoris. Vrgeret adulterium? Sed erat ipſe virginitatis aſſertor. Quid faceret ad iſta? Cogitat dimittere,quia non poterat,vel foris prodere, vel intus quod euenerat, continere. Cogitat dimittere, & dicit Deo totum, quia quod homini diceret, non habebat. Et nos fratres,quoties res turbat, fallit ſpecies, facit color negotij interna neſcire, declinemus iudicium, ſubtrahamus vindictam,ſententiam fugiamus,dicamus Deo totum, ne dum facile innocentum forte geſtimus in pœnam, ipſi nobis noxiam ſententiam proferamus, dicente
Matth.7. Domino: In quo iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis. Certè ſi nos tacuerimus, clamabit Deus: reſpondebit Angelus, qui Ioſeph, ne innocentiam desereret,ſic præuenit. *Ioſeph*, inquit, *fili Dauid,noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in*
Pſal.131. *ea natum eſt,de Spiritu ſancto eſt. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Ioſeph fili Dauid. Videtis fratres, in perſona genus vocari, videtis in vno totam proſapiam nuncupari, videtis in Ioſeph ſeriem Dauidici ſtemmatis iam citari. *Ioſeph, fili Dauid.* Triceſima octaua generatione natus quomodo Dauid filius dicitur, niſi quia generis aperitur arcanum, fides promiſſionis impletur, ſuperna conceptio cœleſtis partus virginea iam ſignatur in carne? *Ioſeph fili Dauid.* Tali voce ad Dauid pro-
Pſal.105. lata fuerat promiſſio Dei patris. Iurauit Dominus Dauid veritatem, non fruſtrabitur eum, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Quod factum quidem tali gloriatur in cantico. Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. De fructu ventris tui, bene fructus ventris tui, bene de vtero: quia cœleſtis hoſpes, ſupernus habitator, ſic in vteri deſcendit hoſpitium, vt corporis clauſtra neſciret: ſic de habitaculo ventris exiit, vt virginalis ianua non pateret, & impleret illud quod can-
Cant.4. tatur in Cantico Canticorum: Hortus clauſus ſoror mea ſponſa: hortus clauſus, fons ſignatus. *Ioſeph fili Dauid,noli timere.* Sponſæ cauſa ſponſus ne timeat, admonetur: & verè pius animus dum compatitur, plus paueſcit. *Ioſeph fili Dauid, noli timere.* Ne quid de conſcientia ſecurus ſis, de ſacramenti cognitione ſuccumbas. *Ioſeph fili Dauid, noli timere.* Quam vides, virtus eſt iſta, non crimen: hic non humanus lapſus eſt, ſed eſt diuinus illapſus: hic præmium eſt, non reatus: hic incrementum cœli eſt,non corporis detrimentum: hic non eſt proditio perſonæ,iudicis eſt ſecretum: hic palma cognitoris eſt, non ſupplicij pœna: hic hominis furtum non eſt,theſaurus eſt Dei: hic non eſt mortis cauſa, ſed vitæ.Et ideo noli timere, quia quæ vitam parturit,non meretur occidi. *Ioſeph fili Dauid, noli timere Mariam coniugem tuam accipere.* Sponſam vocare coniugem, legis eſt hoc diuinæ: ſicut ergo manente virginitate mater eſt, ita coniux dicitur pudore permanente. *Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam:quod enim in ea natum eſt,de Spiritu ſancto eſt.* Veniant, audiant qui requirunt, quis ſit quem Maria genuit. *Quod in ea natum eſt,de Spiritu ſancto eſt.* Veniant,audiant,qui Græco turbine Latinam nubilare niſi ſunt puritatem ἀνθρωποτόκον, χριστοτόκον, θεοτόκον, vt tollerent blaſphemantes. *Id eſt hominem parientem, Chriſtiparam, Deiparam.*
Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Et quod de Spiritu ſancto natum eſt, ſpiritus eſt, quia Deus ſpiritus eſt. Quid ergo requiris, quis eſt qui de Spiritu ſancto natus eſt, cum tibi quia Deus eſt, Deus Ioan.3.
ipſe reſpondeat? cum te Ioannes increpet, qui dicit: & 4.
In principio erat verbum,& verbum erat apud Deum Ioan.1.
& Deus erat verbum & verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius. Ioannes vidit gloriam, reſpicit infidelis iniuriam: *Quod in ea natum eſt,de Spiritu ſancto eſt.* Et vidimus gloriam eius:cuius?eius qui natus eſt de Spiritu ſancto,eius qui verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, *Quod in ea natum eſt,de Spiritu ſancto eſt.* Virgo concepit, ſed de ſpiritu: virgo parturiit, ſed eum Iſa 7.
quem prædixit Iſaias. Ecce virgo in vtero accipiet, Matth.1.
& pariet filium,& vocabunt nomen eius Emmanuel, quod interpretatur,nobiſcum Deus. Nobiſcum Deus, cum illis homo. Et maledictus homo, qui ſpem po- Hier.17.
nit in homine. Audiant qui requirunt, quis eſt qui natus eſt de Maria: *Paries filium*, inquit, *Angelus, & vocabis nomen eius Ieſum.* Quare Ieſum? Apoſtolus Phil.3.
dicit:Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium,terreſtrium,& infernorum: & tu quis ſit Ieſus doloſus cognitor nunc requiris? Omnis iam lingua confitetur,quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei patris,& tu adhuc inquiris, quis eſt Ieſus? *Paries filium,& vocabis nomen eius Ieſum,ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum.* Non alterius ſaluum faciet. Vnde? *A peccatis eorum.* Eſſe Deum, qui peccata donat, ſi Chriſtianis non credis,crede infideliſſime vel Iudæis dicentibus:Cum ſis homo,facis teipſum Deum. Quis Ioan.10.
poteſt peccata dimittere, niſi ſolus Deus? Illi eum Marc.8.
negabant Deum, qui eum peccata dimittere non credebant: tu ab eo peccata dimitti credis,& Deum dubitas confiteri? Verbum caro factum eſt,vt hominis caro promoueretur in gloriam Dei,non vt Deus in carnis verteretur iniuriam, ſicut dicit Apoſtolus: 1.Cor.6.
qui ſe iungit Domino, vnus ſpiritus eſt. Et quomodo non quando ſe iungit Deus homini, vnus eſt Deus? Humanæ leges intra triginta annos litigioſas omnes interimunt quæſtiones, & Chriſtus circa quingentos annos natiuitatis ſuæ cauſas præſtat: ortus ſui lites patitur: ſtatus ſui ſuſtinet quæſtiones? Hæretice, deſine iudicare iudicem tuum, & adora in cœlis Deum, quem Deum Magus adorauit in terris. Matth.2.

DE EADEM,

SERMO CXLVI.

QVoties tranſcurſis anni metis dies dominicæ natiuitatis aduentat, & virginei partus fulgor toto orbe diffunditur flammeo coruſco, voluntatis, non pauoris eſt quod tacemus. Quæ mens in ipſo ortu diuini regis obiicere ſe præſumat? Solis radij cum erumpunt, viſus hebetatur humanus, radiante Deo quomodo non totus animorum ſauciatur aſpectus

ctus? Reparatis ergo sensibus noui luminis post stuporem, tempus est quod iam nobis per carnem ipsius diuinitatis visu generationis Christi contemplamur arcana. *Christi*, inquit Euangelista, *generatio sic erat*. Fratres, si volumus intelligere quæ dicuntur, diuina verba modis non pensemus humanis: seponendus est humanus sensus, vbi totum quod dicitur est diuinum. Sic Christus quod nascitur non est consuetudo, sed signum: non est natura, sed virtus: non ordo est, sed potestas, & cœleste miraculum, ratio non humana. Hic mundana scientia quid capiet? hic carnis intelligentia quid requiret? *Christi* inquit, *generatio sic erat*. Non dixit sic facta est, sed sic erat: quia Christi generatio erat apud patrem, quando generabatur ex matre. Quod erat, semper erat: quod factum est, hoc reddebatur: erat Deus, reddebatur homo: ex vtero nos suscepit ille qui nos plasmauerat ex luto. *Cum desponsata esset mater eius Maria*. Suffecerat dixisse, cum desponsata esset Maria. Quid sibi vult sponsa mater? si mater, non sponsa: si sponsa, non adhuc mater. *Cum desponsata esset Maria mater eius*. Virginitate sponsa, fœcunditate mater: mater viri nescia, partus conscia. Aut quomodo non ante conceptum mater, quæ post partum virgo mater? Aut genitrix quando non, quæ sæculorum generauit authorem? principium dedit rebus? natura virgo mater, semper nouerca corruptio. Est ergo muneris virginalis, vt regeneret per Deum virgo, quod per Deum virgo generauit: Deus & integritas est cœleste consortium, virginitas iuncta Christo copula est perfecta virtutis. Quod Virgo cõcipit, est honor Spiritus, non onus est carnis: quod parturit Virgo, secretum est Dei, non est ministerium coniugale: quod nascitur Christus, diuinæ maiestatis est, nõ est imbecillitatis humanæ, est gloria deitatis tota, vbi nulla carnis sentitur iniuria. *Cum esset despõsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu-sancto*. Quid est quod ad sponsam, & non ad liberam cœlestis innocentiæ destinatur arcanum? Quid est quod sic zelo sponsi sponsæ periculum cõparatur? Quid est quod virtus tanta putatur crimen, salus certa discrimen? Quid est quod inter innocentes taliter laborat pudor, verecundia succumbit, fatigatur castitas, sauciatur fides, extat accusatio, vrget causa, facultas tota excusatione aufertur? Quis excusat sponsam, quam conceptus accusat? Aut quid proficiet defensor externus, quãdo facti testis internus assistit? Quid tenemus fratres? Non apices, non literæ, nõ syllabæ, non verbum, non nomina, non personæ in Euangelio, diuinis vacua sunt figuris. Sponsa quæritur, vt iam tunc Ecclesia Christi sponsa signetur: iuxta il-
Osee 2. lud Oseæ Prophetæ: Sponsabo te mihi in iustitia &
Ioan. 1. iudicio, & in misericordia & miserationibus, & de-
2. Cor. 11. sponsabo te mihi in fide. Hinc Ioannes ait: Qui habet sponsam, sponsus est. Et Beatus Paulus: Sponsaui vos vni viro, virginem castam exhibere Christo. Vere sponsa, quæ virginali partu nouam Christi regignit infantiam. Procurator Ioseph sponsus, vt iste in illo Ioseph Christi figuram impleat passionis: Ioseph prophetalibus somnis incurrit zelum, Christus propheticis visionibus suscepit inuidiã: Ioseph missus in lacum mortis, viuus emergit à lacu, Christus mortis sepulchro datus, viuus remeat à sepulchro. Ioseph venundatus est, pretio taxatus est Christus. Ioseph transducitur in Ægyptum, ad Ægyptum fugatur Christus. Ioseph esurientibus populis panem copiose subministrat, Christus cœli panem manentes orbe toto exsaturat nationes. Sic lucet, cur Ioseph iste cœlestis sponsi typum prætulerit, portauerit imaginem, ambulauerit in figuram. Maria mater vocatur, & quãdo non Maria mater? Con-
gregationes, inquit, aquarum appellauit maria. Non- Gen. 1.
ne hæc exeuntem populum de Ægypto concepit vno vtero, vt emergeret cœlestis in nouam creatu-
ram renata progenies? Iuxta illud Apostoli: Patres 1. Cor. 11.
nostri omnes sub nube fuerũt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari. Et vt semper Maria humanæ præuia sit salutis, populum quem vnda generatrix emisit in lucem, ipsa iure præcessit in Cantico. Maria, inquit,
soror Aaron sumens tympanum in manu sua, dixit: Exod. 15.
Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est. Nomen hoc prophetiæ germanum est, hoc renascẽtibus salutare, hoc virginitatis insigne, hoc pudicitiæ decus, hoc indicium castitatis, hoc Dei sacrificiũ hoc hospitalitatis virtus, hoc collegium sanctitatis: merito ergo matris Christi nomen est hoc maternũ. Diximus quare mater sponsa, quare Ioseph sponsus, quare Mariæ maternum nomen, vt totum circa ortum Christi fuisse mysticum pãderemus: nunc quare sonsa quæsita sit ad partum Christi, aliis prodamus ex causis. Prædixerat Isaias & Virginem parere
Deum cœli, Regem terræ, orbis Dominum, repara- Isa. 7.
torem mundi, mortificatorem mortis, redditorem vitæ; perpetuitatis authorem, hoc quam esset mundanis triste, terribile regibus, pauendum Iudæis, ipse dominicæ natiuitatis probauit euentus. Namque vbi natum Christum nunciantibus Magis audiuit
Iudæa, Herodes didicit, mox perdere Iudæi, Herodes Matth. 2.
occidere molitus est Christum, & dum successorem sibi timent, omnium perdere conati sunt saluatorem: denique quia ipsum inuenire nequierunt, delent patriam: lac miscent sanguini, coæuos eius parricidali furore collidunt, laniant innocentiæ socios, quia culpæ participes inuenire non poterant, quos punirent. Et si iam nato Christo hæc faciunt, concepto Christo tãta feritas quid fecisset? Hinc est quod prouidetur sponsus, prouidetur maritalis species, vt celet miraculum, vt tegat signum, vt velet Virginis partum, vt crimini non det locum, vt furentis insidias sic eludat. Christus quamuis morti deditus in vtero si fuisset extinctus, mox præceps quod nostræ saluti venerat, abstulisset. Et quia locus iste multa nobis conferre poterit si dicatur, prælibasse nos hodie fratres dominicum sufficiat Sacramentum.

DE INCARNATIONIS Sacramento.

SERMO CXLVII.

Dominum Christũ fratres, quæ res fecerit terreni corporis inire cõmercium, intrare humanæ carnis angustias, habitare virginalis vteri mansionem, quia antehac audire cœpimus, hodie plenius audiamus. Vos mihi vita, vos mihi salus, vos mihi gloria: & ideo nõ patior nescire vos, quod Deus mihi dederit scire. Deum sciuit Euangelista cum di-
cit, Deum nemo vidit vnquam. Ergo Deum quem Ioan. 1.
sciebat, agnoscebat, sentiebat: quia videre non poterat creatura, ferebatur seruitute dura, triste exhibebat obsequium pro inuisibili maiestate, obsederat pauor omnia, timor soluerat vniuersa, cuncta concusserat terror, in cœlo diuinus splendor prostrauerat Angelos, in terra tonitrua, & fulmina corda mortaliũ quassabant. Sic minus pauor amorẽ dominantis exclusit, Angelos fugauit ad terras, homines traxit ad idola, mundũ vanis erroribus occupauit: fecit omnes creatorẽ fugere, colere creaturas. Amare non

potest, qui satis timet: hinc est, quod mundus perire
Gen. 4. maluit, quam timere: pauore mors ipsa leuior. Denique Cain vbi parricidali cœpit terrore vexari, mortem petit, requiem credit, si periret. Et quid dicam
3. Reg. 19. Cain? Elias ille vbi sensit toto se timore aspergi, repetebat quam fugerat mortem, melius existimans morti succumbere, quàm timori. Petrus quoque do-
Luc 5. minicæ virtutis timore turbatus, Christum vt à se discederet, supplicabat. Discede, inquit, à me, quia homo peccator sum. Hoc dicebat, quia quicquid erat amoris & fidei, pondus pauoris extinxerat, sic timor nisi amore fuerit temperatus, quamuis deuotam seruitutem, efficit contumacem. Videns ergo Deus mundum labefactari timore, continuo agit, vt cum amore reuocet, inuitet gratia, charitate teneat, & constringat affectu. Hinc est, quod inueteratam
7. malis terram abluit vlciscente diluuio: & Noë noui sæculi vocat parentem, blando sermone compellat, dat familiarem fiduciam, piè de præsentibus instruit, consolatur per gratiam de futuris, & iam non iussis, sed participato labore vna in arca claudit totius sæculi partum, vt societatis amor timorem seruitutis auferret, & seruaretur amore communi, quod fuerat
Gen. 12. communi labore saluatum. Hinc est quod Abraham vocat de gentibus, auget nomine, patrem fidei facit, comitatur in via, inter cæteros seruat, ditat rebus, honorat triumphis, promissis oppignerat, eripit iniuriis, hospitalitati blanditur, mirificat germine desperato, vt tot repletus bonis, tanta diuinæ illectus dulcedine charitatis, Deum diligere disceret, non timere: amando colere, non pauendo. Hinc est, quod
Gen. 28. Iacob fugientem solatur in somnis, redeuntem pro certamine prouocat, luctatoris constringit amplexu, vt amaret patrem certaminis, non timeret. Hinc est,
Exod. 3. quod Moysen patria voce vocat, paterna alloquitur charitate, vt sit plebis suæ liberator, inuitat. Et quid plura? Deum facit: dedit eum in Deum Pharaonis: Deum facit, munit signis, armat virtutibus, iussis bella expugnat, militem ipso verbo vincere tribuit, præceptis triumphare concedit, atque per omnes virtutum coronas ad amicitiam suam promouet, cœlestis regni præstat esse participem, & vt ipse sit legislator indulget, totum tamen vt amaret, accepit: denique tantum esset Dei amore succensus, vt ipse ardenter diligeret, & alios vt diligerent, sic moneret: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde
Exod 20. tuo, ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Quicquid est cordis, quicquid mentis, quicquid virtutis humanæ, ita Dei amore voluit possideri, vt hominis mundanus non haberet quod violaret affectus. Sed per hæc quæ memorauimus, vbi humana corda flamma diuinæ charitatis accendit, & humanis sensibus amoris Dei tota se fundit ebrietas, saucia mente cœperunt Deum carnalibus velle oculis intueri. Deum quem mundus non capit, angustus quomodo capere poterat humanus aspectus? Quid erit, quid debeat, quid possit, non respicit ius amoris. Amor ignorat iudicium, ratione caret, mundum nescit. Amor non accipit de impossibilitate solatium, non recipit de difficultate remedium. Amor nisi ad desiderata peruaserit, necat amantem: & ideo vadit quo ducitur, non quo debeat. Amor parit desiderium, gliscit ardore, ardor ad inconcessa pertendit. Et quid plura? Amor quod amat non videre: hinc est quod omnes sancti omnia quæ meruerant, parua duxerunt, si dominum non viderent. Et reuera fratres, quomodo pro beneficiis reddet obsequium, si beneficiorum non videat largitorem? Aut quomodo credit à Deo se amati, cuius nō meretur aspectum? Hinc est quod amor qui cupit videre Deum, etsi non habet iudicium, habet tamen studium pietatis. Hinc est quod Moyses audet dicere: Si inueni gratiam coram te, ostende mihi faciem tuam. Hinc est quod alius dicit: Ostende faciem tuam. Denique & ipsi Gentiles Psalm. 79.
ob hoc simulachra finxerunt, vt in ipsis erroribus oculis cernerent quod colebant. Sciens ergo Deus visendi se desiderio cruciari, lassarique mortales, vnde se visibilem faceret, hoc elegit, quod esset, & terrenis magnum, & non minimum supernis. Nam quod in terra à Deo sibi simile factum est, in cœlo poterat honorificum non haberi? Faciamus, inquit, Gen. 1.
hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Perfecta deuotio hoc debet imagini, quod debet & Regi. Si de cœlo sumpsisset Angelum, nihilominus inuisibilis haberetur, si de terra minus homine, & diuinitatis esset iniuria, & deiecisset hominem, non leuasset. Nemo ergo charissimi Dei credat iniuriam, si Deus ad homines per hominem venit & assumpsit ex nobis, vt videretur à nobis, qui viuit, & regnat Deus nunc, & per omnia sæcula sæculorum.

DE EODEM,

SERMO CXLVIII.

Hodie fratres, hesternum debemus redhibere sermonem: hodie dominicæ natiuitatis lætitiam debemus iterare: quando concipit Virgo, Virgo parit, manet Virgo: non est consuetudo, sed signum: non est ratio, sed virtus: auctor est, non natura: non est commune, sed solum: diuinum est, non humanum. Cesset ergo inanis Philosophiæ labor: nasci Christum non fuit necessitas, sed potestas: fuit honor, iniuria non fuit: sacramentum pietatis fuit, deitatis non fuit detrimentum: fuit reparatio salutis humanæ, imminutio substantiæ non fuit hoc diuinæ. Qui non nascendo ex intacto limo fecit hominem, nascendo ipse hominem de corpore fecit intacto: manus quæ in nostrum plasma lutum dignanter assumpsit, ad reparationem nostram dignanter assumpsit & carnem. Ergo quod creator in creatura sua, quod Deus inuenitur in carne, creaturæ honor est, non est creatoris iniuria. Sed hoc contumeliam credit, qui credit lutum pretiosius esse quam carnem. Fortasse pœnitet de luti iniuria in honorem carnis, in hominis gloriam se mutarum? Homo quare tibi tam vilis es, qui tam pretiosus es Deo? Quare sic honoratus à Deo teipsum taliter inhonoras? Quare quæris, vnde factus sis, & ad quid factus sis, non requiris? Nonne tota ista quam vides tibi facta est mundi domus? Tibi infusa lux circunfusas remouet tenebras, tibi est temperata nox, tibi dimensus est dies, tibi cœlum solis, lunæ, stellarum vario fulgore radiatum est: tibi terra floribus, nemoribus, fructibus est depicta: tibi creata est in aëre, in campis, in aqua speciosa, continens mirabilis animantium multitudo, ne gaudium noui sæculi tristis solitudo confunderet. Hinc est, quod fecit te esse de terra, vt esses tu Dominus terrenorum, & esses ipsius in ipsius substantiæ communione communis, nec tamen te terrenum terrestribus sic æquauit, vt non etiam cœlestibus animatum te cœlitus exæquaret, & vt esset tibi cum Deo ratio communis, corpus commune cum iumentis, dedit tibi animam de cœlo, dedit tibi corpus de terra, vt in te nexa cœli, terræque concordia seruaretur. Adhuc tamen quid adiiciat ad honorem tuum Gen. 1.
tuus creator excogitat: in te imaginem suam ponit, vt terris inuisibilem conditorem visibilis imago præsentem poneret: & in terrenis dedit tibi vices suas, vt non fraudaretur domini vicario mundi tam

larga

larga possessio. Et si ista sunt, quare modo putatur iniuria, quando Deus quod per se fecit in te, in se clementer excepit, & in homine se verè videri voluit, in quo ante imaginariè voluit se videri, deditque, vt proprietas esset ipse, qui ante vt similitudo esset acceperat? concepit Virgo, virgo peperit: non te conceptus turbet, partus te non confundat auditus, quando virginitas quicquid humani pudoris excusat. Aut quæ ibi verecundiæ læsio, vbi init Deitas cum amica sibi semper integritate consortium, vbi est interpres Angelus, fides pronuba, desponsatio castitas, donatio virtus, iudex conscientia, causa Deus, conceptus integritas, virginitas partus, virgo mater? Nemo ergo iudicet humano modo quod diuino geritur sacramento, nemo mysterium cœleste discutiat ratione terrena, nemo ex vsu tractet nouitatis arcanum, nemo quod singulare est, metiatur exemplo, nemo contumeliam de pietate componat, nemo periculum subeat de salute. Certè qui scire desiderat altiora, recurrat ad legem, per legem legis scientiam quærat, auctoris factum auctoritate cognoscat. Auctoris lex refert, quod Deus hominem propriam creauit ad vitam, quod homini terram iussit proferre fructus spontanea seruitute, quod bestias, pecudes, armenta humanæ iussit potestati subiacere, non arti, vt homo laboris nescius, doloris ignarus, beatus delicias possideret. Sed omnia hæc ne haberet homo, Angelus, qui inter primos habebatur, inuidit, maluitque in diabolum commutari, ne hominem plenum gloria sic videret. Denique hoc liuore succensus aggreditur dolis fœminam, virginémque vt vetitum degustaret pomum inducit: inducta Virgo inducit virginem, mox maritum, deiecit vitæ statum, mortis cibum, peccati pabulum dum ministrat, & ipsa fit totius materia ruinæ, quæ facta fuerat ad solatium singulare. Hinc peccatum primum, hinc gemitus, hinc amara nostræ conditio seruitutis. Namque homo ante dominus omnium in omnium defectus est seruitutem: & timet omnes qui timebatur ab omnibus: & vix arte valet, qui potestate regnabat. Hinc est fratres, hinc est, quod Christi talis est ordo nascentis: ad virginem diabolus venerat, venit Angelus ad Mariam: vt quod malus deiecerat Angelus, bonus Angelus alleuaret. Perfidiam suasit ille, hic fidem: suasori credidit illa, ista credit authori. Nascitur Christus, vt nascendo corruptam redintegret naturam: infantiam suscepit ille, patitur nutrimenta, percurrit ætates, vt vnam perfectam, manentem, quam ipse fecerat, instauret ætatem: portat hominem, ne iam cedere homo possit: quem terrenum fecerat, fecit esse cœlestem: animatum humano Spiritu, Spiritum viuificat in diuinum, & sic eum totum tollit in Deum, vt in eo quod peccati, quod mortis, quod laboris, quod doloris, quod terræ est, nil relinquat: præstante domino nostro Iesu Christo, qui cum patre viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, nunc & semper, & per immortalia sæcula sæculorum, Amen.

***

Gen. 1.

Gen. 3.

DE NATIVITATE CHRISTI,

SERMO CXLIX.

Quem quidam Sancti Seueriani Episcopi putant, sed falsò.

IN aduentu domini & saluatoris nostri, atque in præsentia eius corporali Angeli ducentes choros cœlestes euangelizabant pastoribus, dicentes: *Annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Luc. 2.
Ab ipsis ergo sanctis Angelis etiam nos mutuati vocem, annunciamus vobis gaudium magnum. Hodie enim Ecclesia in pace est, & hæretici in ira: hodie Ecclesiæ nauis in portu est, & hæreticorum furor iactatur in fluctibus: hodie, fratres, pastores Ecclesiæ in securitate, & hæretici in perturbatione sunt: hodie oues domini in tuto, & lupi insaniunt: hodie vinea domini in abundantia, & operarij iniquitatis in indigentia: hodie populus Christi charissimi exaltatus est, & inimici veritatis humiliati sunt: hodie dilectissimi Christi in lætitia, & diabolus in luctu: hodie Angeli in exultatione, & dæmones in confusione. Et quid plura dicere? Hodie Christus qui est Rex pacis, cum sua pace procedens fugauit omne dissidium, dissensiones depulit, discordiam perturbauit, & sicut cœlum splendore Solis, ita Ecclesiam fulgore pacis illuminat, *Quia natus est vobis hodie,* ait, *Saluator mundi.* O quàm desiderabile nomen pacis quam religionis Christianæ stabile fundamentum, & altaris dominici cœlestis ornatus. Et quid dignum possumus de pace proloqui? Pax nomen est ipsius Christi, sicut Apostolus dicit: Quia Christus est pax nostra, qui fecit vtraque vnum: quæ non sententiis, neque fide, sed inuidia diaboli dissidebant. Verum sicut procedente Rege, & plateæ mundantur, & omnis ciuitas diuersis floribus & ornatibus coronatur, vt nihil sit, quod minus dignum vultui regis appareat: ita & nunc procedente Christo Rege pacis, omne quod triste est auferatur à medio: & illucescente veritate, fugetur mendaciũ, fugiat discordia, resplendeat concordia. Et sicut frequenter fieri videmus, vbi regnum, vel fratrũ tabulæ depinguntur, vt inter vtrosque vnanimitatis declarentur insignia, artifex pictor fœmineo habitu post tergum vtriusque concordiam statuit, quæ brachiis suis vtrumque cõplectens indicet, quod hi qui videntur corporibus separati, sententiis & voluntate conueniant: ita nunc pax Domini media assistens, & vtrumque nostrum gremio palpante connectens, discreta corpora in vnum conuenire animũ vlnis iungentibus docet, in quo sine dubio completur sermo Propheticus, qui ait: Et erit consilium pacificum inter vtrosque. Et hesterno quidem pater noster communis Euangelico pacis sermone præfatus est, hodie vero nos verba pacis expromimus: ipse nos hesternos resupinis manibus in verbo pacis excepit, & nos hodie dilatato pectore, vlnisque patentibus ad eum cum muneribus pacis occurrimus. Iam bella destructa sunt. Omnia pulchritudo pacis obtinuit, nunc in luctu est diabolus, & in lamentatione omnis dæmonum turma, nunc in cœlestibus lætitia, & in Angelis exultatio, quibus specialius familiaris est pax: hanc enim etiam cœlestes admirantur virtutes, apud quas fons eius habetur perennis: ex quo etiam terreni guttis quibusdam exinde distillantibus irrorantur. Et ideo etiamsi in terris pax laudatur à sanctis, laudis eius splendor redundat in cœlum: laudant etiam cœlestes Angeli, & dicũt: *Gloria in altissimis Deo: & in terra pax homini-*

Phil. 2.

Zach. 6.

bus bonæ voluntatis. Videtis fratres quomodo cœleſtes omnes, terreſtres inuicem ſibi munera pacis mittunt, cœleſtes Angeli pacem terris annunciant, ſancti in terris Chriſtum, qui eſt pax noſtra, collaudant in cœleſtibus poſitum, & myſticis choris conclamāt. *Hoſiah anna in excelſis.* Dicamus ergo & nos cum Angelis: Gloria in altiſſimis Deo, qui humiliauit diabolum, & exaltauit Chriſtum ſuum. Gloria in altiſſimis Deo, qui diſcordiam fugauit, & pacem ſtatuit. Videte fratres, vocem angelicam exultantem. Gloria in excelſis Deo, & in terra pax. Dico enim vobis artem diaboli, cuius neque vos ignoratis aſtutias. Vidit Satanas firmitatem fidei, ſtabilitatemque: vidit eam pietate dogmatum ſeptam: vidit eam operū bonorum fructibus abundantem: & ideo pro omnibus ad inſaniam venit, & rabie furoris exarſit, vt inſcinderet concordiam, vt conuelleret charitatem, vt diſrumperet pacem, ſed pax ſit ſemper nobiſcum.

DE FVGA CHRISTI IN ÆGYPTVM, SERMO CL.

SI conceptum Virginis, Virginis partum ſermo non aperit, ſenſus non recipit, non capit mens humana, Deum fugiſſe vt hominem quis loquatur: Matt. 2. *Apparuit*, inquit, *Angelus Domini in ſomnis Ioſeph, dicens: Accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Si pietatis eſſe diximus, quod natus eſt Chriſtus, Chriſtus quod fgiſſe legitur, quid dicemus? Fortè ſicut natum diximus, vt reparet naturam: dicamus, vt fugaces reuocaret, aufugit. Et reuera ſi vt reuocet errantem ouem, in montibus ipſe errat, quomodo ipſe non fugit fugientes populos vt reducat? *Accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Quid eſt quod ſic cœleſtis cauſa triſtatur, vt humanus ſe confundat auditus, laſſetur animus, laboret intelligentia, ſenſus hebeetur, fides nutet, ſpes titubet, credulitas ipſa ſuccumbat? *Accipe puerum & matrem eius, &* Matt. 18. *fuge in Ægyptum.* Perſequente homine, Deus fugit: ſæuiente terra, cœlum trepidat: volitante pulvere, pauore turbantur Angeli, & pauor patris filio fugiente monſtratur. *Accipe puerum & matrem eius,* 1. Reg 21. & 22. *& fuge in Ægyptum.* Dauid perſequente Saül, ad 1. Reg. 17. Iudæam confugit, recepit vicinia: domus vnius viduæ Eliæ ſufficit ad latebras, Chriſto fugiente locus deeſt, prouincia deficit, non ſubuenit patria. Dum migrat, non vicinæ gentes, non finitimæ ſufficiunt regiones: ſed Ægypti triſtem locum, extorrem habitu, lingua, moribus barbarum procuratur exilium. *Accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Si rerum refugium fugit, auxilium lateſcit omnium, ſi formidat fortitudo cunctorum, ſi ſe vniuerſorum defenſio non defenſat, quare humana notatur fuga, Matt. 26. Marc. 14. arguitur trepidatio, formido culpatur? Quare vocatur in crimen Petrus qui negat, Ioannes qui expaueſcit, & fugit: diſcipuli omnes, quia deſerunt per pauorem? Et iſta fratres, eſto facta ſint, quare litteris mandantur, quare referuntur in libris, quare recitantur ſæculis, quare quotidianis lectionibus innoteſcunt, quare omnes panduntur in gentes, nunquid vt diuinum timorem lingua, locus ætas, tempus, vniuerſa cognoſcant? Sicut enim cùm virtutes leguntur animos erigunt ad profectum: ita deponunt animos cum recitantur infirma. Quid ſibi vult ergo Euangeliſta, quod hæc ſcribit ad memoriam ſempiternam? Deuoti militis eſt regis ſui tacere fugam, referre conſtantiam, virtutes loqui, timores ſilere, aperire fortia, infirma reticere, aduerſa delere, prædicare victorias, quo & hoſtium frangere auſus poſſit, & ſociorum excitare virtutem. Euangeliſta igitur referendo talia, videtur excitaſſe hæreticorum latratus, & defenſionem fidelibus ſuſtuliſſe. *Tolle, ait, puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Mandatur fuga, non profectio, imponitur neceſſitas, non voluntas, inducit Angelus latentem peregrinationem, non liberum commeatum, vt vita quæ eſt per ſe moleſta, ſemper eſſet moleſtior per timorem. Ergo ob quam cauſam hæc nobis ſcripta ſint, iam tempus eſt, vt quæramus. *Tolle puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Bellicoſus quod in bello fugit artis eſt, non timoris, Deus quando fugit hominem, Sacramenti eſt, non pauoris: potens quando ſe ſeducit infirmo, in ſequentem non pauet, ſed fortis producit, vult nemo in aperto vincere, qui publicam referre cupit ex hoſte victoriam: occultum ſe non patitur inire conflictum, qui mandare ſuum ſæculis vult triumphum. Secreta victoria, virtuſque latens exemplum poſteris non relinquunt. Hinc eſt, quod Chriſtus fugit, vt cedat tempori, non Herodi: neque enim mortem fugit, qui venerat de hoſte reportare victoriam: neque humanas inſidias expaueſcit, qui totas venerat diabolicæ fraudis aperire verſutias: neque tunc timuit, quando infans, & ſecundum hominem timere neſciuit: & ſecundum Deum potuit non timere. Chriſtus fratres, ſi mactatus in illo grege lactentium tunc fuiſſet, mors ei caſus fuerat, non voluntas, non virtus fuerat, ſed infirmitas, neceſſitas fuerat, non poteſtas, & innocentiæ fuiſſet præmium, maieſtatis gloria non fuiſſet. Certe vbi eſſet, quod à Deo dictum eſt: Non coques agnum in lacte Exod 23. & 34. matris ſuæ? *Futurum eſt*, inquit, *vt Herodes quærat puerum.* Herodes quærebat: ſed quærebat diabolus per Herodem, qui videbat ſibi Magos quos habebat in erroribus ſuis principes aufugiſſe. Chriſtus ſi vinctus pannis, ſi ſub matris vberibus occupatus, ſi tacens lingua, ſi latens opere, ſi greſſu nullus, diaboli ſigniferos, hoc eſt Magos, in duces fideliſſimos commutauit, perfectæ ætatis Chriſtus quid poſſet facere diabolus iam videbat: & ideo mouebat Iudæos, inſtigabat Herodem, vt Chriſti ſuſpectam ſibi præueniret infantiam, vt futura virtutis eius anticiparet inſignia, vt peremptorium ſibi, nobis victorioſiſſimum vexillum crucis callidus machinator auferret. Sentiebat diabolus, ſentiebat, quod Chriſtus doctrinis, virtutibus, vitam mox reparet, & mundum totum, qui adhuc vagiens, ipſum quod erat mundani Eſa. 8. verticis occuparet, iuxta illud Prophetæ: Priuſquam ſciat puer vocare patrem aut matrem, accipiet & virtutem Damaſci, & ſpolia Samariæ. Et vt ipſis probantibus Iudæis, cum dicunt: Videtis Ioan. 12. quia nihil proficimus, ecce mundus totus poſt ipſum vadit: Chriſtus ſe in carne venturum, aſcenſurum per ætatum gradus, annunciaturum gloriam cœleſtis regni, prædicaturum fidei doctrinam, & imperio verbi ſolo fugaturum dæmones, daturum cæcis viſum, claudis curſum, mutis verbum, auditum ſurdis, peccatoribus remiſſionem, mortuis vitam, per legem promiſerat, & per Prophetas. Vnde hæc Chriſtus impleturus vir, infans mortem diſtulit, non fugit. Denique fugam eius non de periculi metu, ſed de Prophetiæ veniſſe myſterio Euangeliſta aſſerit, ſic dicendo: *Accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Et poſt: *Vt impleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocaui filium meum.* Chriſtus ergo fugit, Oſeæ 11. vt ſtatet legis veritas, Prophetiæ fides, Pſalmiſtæ teſtimonium, dicente ipſo Domino: Neceſſe erat Luc. 24. impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſis, &

Prophetis, & psalmis de me, Christus fugit nobis, non sibi: Christus fugit, vt dispensata temporibus sacramenta seruaret: Christus fugit, vt futuris virtutibus, & perfidis materiam tolleret excusandi: &
Matth. 14. credituris fidei fiduciam largiretur, quia in persecutione melius est fugere, quam negare. Denique Petrus quia fugere noluit, abnegauit: Ioannes ne abnegaret, aufugit.

DE EADEM,

SERMO CLI.

HOdierna lectio mouit corda, concussit viscera, stupere fecit auditum. *Ecce*, inquit, *Angelus*
Matth. 22. *Domini apparuit Ioseph in somnis, dicens: surge, accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Cui nascenti virginitas non resistit, non obuiat ratio, contradicit natura: potestas quæ, quæ vis, quod discrimen præualeret, vt compelleretur ad fugam. *Accipe puerū & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Reuerentius diceret, vade in Ægyptum, vt esset profectio, non fuga, voluntas, non necessitas; iudicium, non metus: humanum saltem, si non diuinum? at nunc mandatur fuga, mandatur cœlitus, mandatur per Angelum, vt videatur cœlum timor ante tenuisse, quam terram. *Accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* In Ægyptum fuge à tuis ad extraneos, ad sacrilegos à sanctis, à templo tuo ad dæmonum fana: ad idolorum patriam è regione sanctorum. Sic Iudææ non sufficit latitudo, sic angustatur sæculi diffusa possessio, non capit secretum templi, Sacerdotum turba non suscipit, non abscondit numerositas inuestigabilis cognatorum, vt ad deitatis latebras profana Ægyptus conducatur, sic res vrget, sic non vacat intueri verecundiam virginis, laborem matris, sexus pudorem, periculum in Ioseph, longinquitatis fatigationem, exitium totius domus, & quod his durius, Iudæos peregrinaturos in Gentibus, quibus nec ipsa est communio, imo est profundum legis transgressione naufragium. O quam durum est peregrinatio etiam inter ciues, si autésque! sapit quid sit sua domus, qui sentit alienam, & vbi est illud,
Psalm 89. Domine refugium factus es nobis? Et, Deus noster
Psal 45. refugium & virtus? si refugium fugit, si timet virtus, si præsidum migrat, quæ vita, quæ spes, quæ securitas, quod munimen? Eliæ contra insidias Liberi
3. Reg. 17. Regis, vidua vna sufficit: Christo contra Herodis captiui minas Iudæa tota non sufficit. Elias missos
4. Reg. 1. ad se cœlesti igne consumit, Christus sola fuga fit saluus? Hucusque fugæ Christi querimonias exaggerasse sufficiat. Fratres, quod fugit Christus, fuit mysterij, non timoris: fuit liberatio, non periculum creatoris, diuinæ virtutis fuit, non fuit fragilitatis humanæ: non fugit propter authoris mortem, sed fugit propter sæculi vitam. Nam qui mori venerat quare fugeret mortem? Christus totam causam nostræ salutis occiderat, si se paruulum permisisset occidi. Christus venerat, vt quos præceptis docuerat firmaret exemplis: & ipse faceret quæ facienda mandauerat: & visu probaret possibilia, quæ impossibilia videbantur auditu. Venerat vt mundo notitiam suæ deitatis infunderet, & humani generis ignorantiā auferret. Venerat vt pigra mortaliū corda ad fidē virtutibus excitaret. Venerat diabolū publico superare conflictu, vt ab omnibus & diuino vinceretur iussu, & humano prosterneretur exemplo. Venerat præsentiæ suæ promissa persoluere, vt quibus scire se dederat, concederet se videre. Venerat, vt veniret Iudæus de contemptu legis. Venerat introducere ad fidem gentes, Venerat eligere Apostolos Doctores orbis, eósque cælestibus implere doctrinis, munire virtutibus, armare signis, vt signis edomarent feros, sanarent virtutibus infirmos, doctrinis dociles edocerent: & ad summum, venerat mortem perdere moriendo, penetrando inferna dissoluere, resurgendo sepulchra reserare, ascendendo ad cœlos cœlestibus donare terrenos. Omnia hæc vtique periissent nobis, si Christus cum esset in cunabulis, non fugisset. Sed auditor dicas, cum posset aliter, quare tantis, quare talibus submisit iniuriis? Quare? Primum, quia neque sine homine poterat saluari homo: neque sine humanis iniurii. iniuriæ humanæ poterant amputari: causam suam facit qui alterius vult cauere, qui non compatitur, amputare non potest passiones. Christus nos in se suscepit, vt se daret nobis: pertulit passiones nostras, vt nostras tolleret passiones. Hinc est, quod Christus fugit, vt nostras fugas in persecutionibus temperaret: Martyr comprehensus debet tenere constantiam, non comprehensus debet fugere persequentem: vt & persecutori indulgeat resipiscendi tempus, & sibi tempus non auferat supplicandi, dicente Domino: Si vos persecuti fuerint Matth. 20.
in hac ciuitate, fugite in aliam. Persecutorem qui prouocat, facit: corrigit qui declinat. Fugere debemus, ergo prouocare non debemus, si saluari persecutores nostros volumus, pro quibus præceptum est nos orare. Orate, inquit, pro persequentibus vos. Matth. 15.
Orandum est, fugiendum est, vt & ille qui per ignorantiam furit, sanetur, & ille qui patitur, de patientia palmam subeat, non subeat de temeritate discrimen. Fratres, si Paulum martyres non fugissent, Paulum non fecissent. Hoc faciendum docuit Christus: hoc nobis reliquit exemplum, vt fugiente Domino, fugere indignum non putet seruus. Et alia est causa quod fugit Christus, quod infans tempus suæ distulit passionis, quod crucem supra trigesimum annum vitæ corporalis ascendit: vt qui ad vitam perfectum hominem fecerat, perfectam repararet in vitam: & qualem terris dederat, talem redderet cœlo. Et quod ad Ægyptum fugit, aliam procedit ad causam. Fugit ad Ægyptum, vt perfidiam Iudæorum per fidem gentium castigaret: nam Dominum suum quem Iudæa fugauerat, Ægyptus obsequenter accepit: vt Ecclesiam Synagogæ, Iudæis Gentes anteponendas in fide suam panderet per figuram,

---

DE INFANTIVM NECE,

SERMO CLII.

Qui non recte tamen Sancti Seueriani titulo circumfertur.

ZElus quo tendat, quo prosiliat liuor, inuidia quo feratur, Herodiana hodie patefecit immanitas: quæ dum temporalis regni æmulatur angustias, æterni regis ortum molitur extinguere, sicut
ait Euangelista: *Tūc Herodes videns, quia illusus esset à magis, iratus est valde: & mittēs, occidit omnes pueros qui erant in Bethlelem, & in omnibus finibus eius.* Matth 2.
Videns quia illusus esset à Magis: dolet impietas se illusam, dilatam se crudelitas furit, fremit dolositas se deceptam, & in se fraus reuersa colliditur. Herodes stridet cadens ipse in laqueum quem tetendit, hinc iniquitatem quam condiderat, euaginat: de fide perfidiæ sumit arma: terreno quærit furore, quem natum cælitus non credit: ad sinus matrum militum cogit castra, inter vbera arcem pietatis oppugnat, in teneris vberibus ferrum durat,

durat, lac fundit antequam ſanguinem, dat ante mortem ſentire, quam vitam, tenebras ingerit intrantibus lucem. Sic ait magiſter mali, miniſter doli, itæ artifex, inuentor ſceleris, impietatis auctor, pietatis prædo, inimicus innocentiæ, hoſtis naturæ, malus omnibus, ſuis peior, peſſimus ſibi: quem Chriſtus non vt euaderet, ſed ne videret, aufugit. In altum tendens, cadit ab alto: cœlum pulſans, intrat profundum: in ſe vadit, qui vadit in Deum: ſe occidit, qui vitam conatur occidere: quia capi non poteſt perditione ſalus, occiſione vita, æternitas fine. O ambitio quam cæca ſemper! O quam ſemper præſumptio peſſima! O quam perdit conceſſa, qui inconceſſa captat! Herodes obſidens terrenum regnum, impugnat cœleſte, terrenis inhians, irruit in diuina: ipſamque pietatem tota impietate ſectatur. Audierat natum Regem, quæſierat, vbi, quando, vnde & ad quid: at qualiter debuerat, non quæſiuit: quia apud illum peccandi amor, amor innocentiæ non manebat. Deſtinatus ad ſcelus, ad piaculum promptus, paratus ad crimen, cauſas innocentiæ non requirit, ius abrogat, confundit fas, nefaſque: cui nequitia eſt ſodalis, cui odioſa eſt æquitas, iniquitas ſemper eſt amica, qui cædibus viuit, qui ſe munit ſanguine, qui crudelitatem ſectatur, cui de timore ſtat totum, de amore nil conſtat. Herodes tunc cæcus ſic Chriſtum gladiis quærit, inueſtigat cruore, crudelitate rimatur, ſucceſſorem timens, inceſſit in authorem: peremit innocentes, volens innocentiam deperire. Rector populi, morum cuſtos, diſciplinæ cenſor, iuſtitiæ indagator, æquitatis defenſor, ſtatuator innocentiæ, ampliator populi, innocentis cauſam facit innocentium crimen, munus nati natorum vertit in pœnam; authoris ortum orientem mandat in occaſum; negotium ſaluandis, ſaluandorum iubet eſſe diſcrimen. Iudex audientes vocat, interrogat loquentes, negantes arguit, vrget reos, percellit noxios, conſcios corripit, addicit complices, ſententiæ dat detectos. Infantes quid? Quorum lingua tacuit, oculi nil viderunt, nil audierunt aures, manus nil fecerunt, & quibus actus nullus eſt, vnde culpa? Sumpſerunt mortem, qui viuere neſcierunt, non tempus affuit, non excuſauit ætas, ſilentium non defendit, quibus apud Herodem ſolum quod nati ſunt, hoc fuit crimen, & reuera, quomodo non redderent naturæ creditum, à quibus cauſa exigebatur authoris? Infœlix homo, qui ſibi ad accuſationem parauit omnia: ad excuſandum ſpatium non reliquit, ſed totum parauit ad pœnam. Qui excuſabit quem pulſat innocentia, infantia impetit, lac vt ſanguis accuſat? Hoc contra Herodem. At Chriſtus futurorum præſcius, conſcius ſecretorum, cogitationum iudex, mentium perſcrutator, quare deſeruit quos ſciebat quærendos eſſe propter ſe, & propter ſe nouerat occidendos? Natus Rex, & Rex cœleſtis quare neglexit milites innocentiæ ſuæ, coætaneum ſibi quare contempſit exercitium, quare cunabulis ſuis deputatas excubias ſic reliquit, vt regem ſolum quæſiturus hoſtis totum graſſaretur in militem? Fratres, Chriſtus non deſpexit ſuos milites, ſed prouexit, quibus dedit ante triumphare, quam viuere: quos fecit capere ſine concertatione victoriam, quos donauit coronis antequam membris, quos voluit virtutibus vitia præterire, ante cœlum poſſidere, quam terram, nec ante humanis inſerere quàm diuinis. Præmiſit ergo Chriſtus ſuos milites, non amiſit: recepit ſuas acies, non reliquit. Beati, quos martyrio natos vidimus eſſe, non ſæculo. Beati qui labores in requiem, in refrigerium dolores, mœtores in gaudium commutarunt. Viuunt, viuunt, qui vere viuunt, qui pro Chriſto merentur occidi. Beati ventres qui portauerunt tales, beata vbera quæ ſe talibus infuderunt: beatæ lachrymæ quæ pro talibus fuſæ flentibus gratiam baptiſmatis contulerunt. Nam diuerſo modo, dono vno, in lacrymis ſuis matres, & ſui filij ſuo ſanguine baptizantur. In martyrio filiorum paſſæ ſunt matres, nam gladius filiorum pertranſiens membra ad matrum corda peruenit, & neceſſe eſt, vt ſint præmij conſortes, quæ fuerunt ſociæ paſſionis. Arridebat paruulus occiſori, gladio adiocabatur infantulus, nutricis loco attendebat lactans percuſſoris horrorem, neſcia lucis ætas moritura gaudebat: infans filius omnem hominem non hoſtem reſpicit, ſed parentem. Matres tulerunt quicquid & angoris extitit, & doloris, & ideo non martyrij gaudio, martyrij lachrymas ipſæ fuderunt. Hoc loco attendat auditor, attendat vt intelligat martyrium non conſtare per meritum, ſed venire per gratiam. In paruulis quæ voluntas, quod arbitrium, vbi captiua fuit & ipſa natura? De martyrio ergo debemus totum Deo, nil nobis, vincere diabolum, corpus tradere, contemnere viſcera, tormenta expendere, laſſare tortorem, capere de iniuriis gloriam, de morte vitam, non eſt virtutis humanæ, muneris eſt diuini. Ad martyrium qui ſua virtute currit per Chriſtum, non peruenit ad coronam, ſed ipſe nos cœleſte perducat ad pabulum, qui noſtro dignatus eſt iacere in ſtabulo Ieſus Chriſtus Nazarenus Dominus noſter, qui viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

DE EADEM.

SERMO CLIII.

FRatres, humani ſenſus non eſt virginei partus aperire myſterium: quod natura non habet, authoris eſt, non naturæ, eſt opus ſuperni Spiritus quod ſentire non poteſt caro: vbi non eſt humanitatis indicium, ibi deitatis eſt ſignum, dicente Propheta: Ipſe Dominus Deus dabit vobis ſignum. Ecce virgo in vtero accipiet. Vbi nil eſt terreni vſus eſt ibi cœleſtis ordinis totum, quod de mundo non eſt, mundano intellectui non poteſt ſubiacere. Conceptus qui Virginem ſeruat, partus Virginem qui relinquit, diuinum eſt quod generat, non humanum: Deus graditur, vbi veſtigium nullatenus humani tranſitus inuenitur, conſuetudo deficit, miracula cum geruntur; conſuetudines non reſpiciunt ſigna, ſingularitas non admittit exemplum, ſicut hodierna pandit lectio, quæ diuina narrat prælia paruulorum. Contra regi cohors ſua magis præmori quam commori tota geſtit: Chriſto dicati milites cœperũt ante militare, quàm viuere, ante pugnare, quam ludere: fundere ante ſanguinem, quam lactis vbera perpotare: ardentes animæ moras corporis non tulerunt, à gremio ad furentes hoſtium cuneos peruolãtes anticipant virtutibus blandimenta, vulneribus oſcula, vnguenta ferro, vt cœlum poſſint ante inhabitare, quam terram: præmia Spiritus ante portare quam carnem, ante referre triumphos Deo, quam perferre hominum nutrimenta. Verè, verè fratres, iſti ſunt gratiæ martyres, confitentur tacentes, neſcientes pugnant, vincunt inſcij, moriuntur inconſcij, ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes. Ergo ſicut virginitas corruptionis neſcia contulit honorem matri, ſic infantia paſſionis ignara martyrij palmas rapuit, & coronas. Sed quid dicemus quod Rex ipſe qui ſtare debuit, fugit ſolus, & fugit

monente

monente patre? Fugere istud est amoris intimi, non timoris ignaui. Si stetisset Christus, haberet eos synagoga filios, hos Ecclesia martyres non haberet.

IN SANCTVM STEPHANVM, protomartyrem.

SERMO CLIV.

SIcut dominum prædiorum limitibus affixi tituli proloquuntur, ita nomina ipsa sæpe sanctorum merita indicant, testantur insignia. Ita Abraham, quod fide crediderit, dominus adiectione monstrauit: quando ex Abram Abraham diuinitus nun-
Gen 17. cupatur, vt dilatandus genere, nomine ante dilataretur, dicente Domino: Et non vocabitur amplius nomen tuum Abram, sed Abraham erit nomen tuum, quia patrem multarum gentium posui te. Sic coniux sancta eius cum de sterili fit fœcunda, ex Sarai vocitata est Sarach, vt & ipsa ante crescat nomine, quam crescat pignore, & quia promittente Domino risum credidit, si vetula conciperet, exarata etiam rugis, si pareret desperata iam fœcunditas, si sterilitas iam penes senectutis extrema prægnans fieret, risum mox quod genuit, nuncupauit: & hoc aptauit in nomine, quod sensu passa est cum rideret, &
Gen. 21. vocauit nomen eius Isaac, quod interpretatur risus.
Gen 25. Sic Iacob, qui in vtero cœpit ante luctari, quam viuere: ante viribus superare, quam membris: etiam inter viscera materna ipse supplantatoris est vocabulum consecutus, eo quod antequam nasceretur, noscitur diuinitus reprobatum supplantasse germanum. Et quia longum est ire per singula: sicut Petrus à petra nomen adeptus est, quia primus meruit Ecclesiam fidei firmitate fundare: ita Stephanus vocatus est à corona, quia primus meruit pro Christi nomine subire conflictum, primus meruit sanguine militum Christi martyrium dedicare. Petrus Apostolici sui chori vetustum teneat principatum, aperiat intrantibus regnum cœlorum, reos potestate vinciat, pœnitentes clementer absoluat: Stephanus est martyrum primus, Stephanus purpuratum ducit exercitum, qui pro Domini sui adhuc calente sanguine, sanguinem suum auidus bellator effudit. Et quia cruore proprio tinctam sibi ipse purpuram conquisiuit, merito à rege suo consecutus est post coronam, qui iam cum nasceretur nomen sortitus est à corona, vere quem præsciuit, & prædestinauit, ipsum nunc martyrij primum vocauit ad gloriam.

DE KALENDIS IANVARIIS, quæ varia gentium superstitione polluebantur.

SERMO CLV.

VBi nostram Christus pie natus est ad salutem, mox diabolus diuinæ bonitati numerosa genuit, & perniciosa portenta, vt ridiculum de religione componeret, in sacrilegium verteret sanctitatem, de honore Dei Deo pararet iniuriam. Hinc est fratres, hinc est quod hodie gentiles deos suos fœditatibus exquisitis, excogitato decore, & ipsa turpitudine turpiores deos suos videndos trahunt, distrahunt, pertrahunt, quos faciunt non videndos. Quæ vanitas, qualis dementia, quanta cæcitas, fateri deos, & eos ludibriis infœlicibus infamare? Irrisores sunt, cultores non sunt, qui deos quos venerantur, illudunt: iniuriis afficiunt, non honorant, qui deos à quibus se formatos existimant, sic defor-
mant, confundunt, non glorificant, qui eos de Rom. 1.
ipsa confusione componunt. Vere, sicut ait Apostolus, quia non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt: quando eis quibus humana abrogant, dant diuina, quando eos iudicant dignos cœlo, quando ipsos faciunt terra ipsa non dignos, vere dati sunt in reprobum sensum, & non est hoc iudicij diuini, est hoc sapientiæ Dei, vt ipsi sint iniuriatum Dei vindices, qui iniuriæ probantur auctores. Quæ ira, quæ vltio, si in Deum de idolis exequeretur offensam, vt eos quod vetustas aris, incenso, victimis, gemmis, aureos deos esse mentita est, posteritas turpi cultu homines fuisse turpissimos indicaret, & eorum vitam, mores, actus, ipsis eorum signaret in vultibus, ac doceret tales fugiendos esse potius quam colendos? Defleamus, fratres, & eos qui talia sunt secuti, & non euasisse talia cœlitus gaudeamus. Quorum formant adulteria in simulachris, quorum fornicationes imaginibus mandant, quorum titulant incæsta picturis, quorum crudelitates commendant libris, quorum parricidia tradunt sæculis, quorum impietates personant tragœdiis, quorum obscœna ludunt, hos qua dementia deos crederent, nisi quia criminum desiderio, amore scelerum possidentur, criminum deos exoptant habere criminosos? Qui peccare cupit, peccatorem colit & veneratur. Hinc est quod Veneri adulter inseruit, hinc est se Marti crudelis addicit. Hæc diximus, fratres, vt proderemus causam: quare facientes hodie quæ talia sustinemus, faciant Gentiles deos suos, & faciant tales qui videntibus & horrori sint & pudori: faciant vt eos aliquando & ipsi qui faciunt, horreant & relinquant, & Christiani glorientur à talibus se liberatos esse per Christum: si modo non eorum ex spectaculis polluantur, si eorum non inquinent thura tactu, si huiusmodi fugiant de assensione discrimen: quia factis semper est æqualis as-
sensus, Apostolo probante, cum dicit: Non solum qui Rom. 1.
faciunt ea, sed etiam qui consentiũt facientibus. Et si tãta est de assensione damnatio, quis satis lugeat eos, qui simulachra faciunt semetipsos. Nonne isti amiserunt imaginem Dei, similitudinem perdiderunt Christi, exuti sunt indumentum, qui se simulachrorum formis sacrilegis formauerunt? Sed dicit aliquis, non sunt hæc sacrilegiorum studia, vota sunt hæc iocorum: & hoc esse nouitatis lætitiam, non vetustatis errorem, esse hoc anni principium, non gentilitatis offensam. Erras homo, non sunt hæc ludrica, sunt crimina. Quis de impietate ludit, de sacrilegio quis iocatur, piaculum quis dicit risum? Satis se decipit, qui sic sentit: tyrannus, & tyranni habitum, qui præsumit. Qui se Deum facit, Deo vero contradictor existit: imaginem Dei portare noluit, qui idoli voluerit portare personam: qui iocari voluerit cum diabolo non poterit gaudere cum Christo. Nemo cum serpente securus ludit, nemo cum diabolo iocatur impune. Si qua sunt ergo viscera pietatis in nobis, si qua est in nobis contemplatio humanitatis, si qua nos habet fraternæ salutis affectio, abstrahamus eos qui sic ad perditionem currunt: rapiuntur ad mortem, trahuntur ad tartara, festini sunt in gehennam. Abstrahat ergo pater filium, seruum dominus, parens parentem, ciuem ciuis, homo hominem, Christianos omnes qui se bestiis compararunt, exæquarunt iumentis, aptauerunt pecudibus, dæmonibus formauerunt. Et ille qui liberat, inuenit præmium: qui negligit, acquirit offensam. Beatus qui suæ vitæ custos est, & prouisor est salutis alienæ.

DE

DE EPIPHANIA ET MAGIS SERMO CLVI.

QVoties salutaribus succis contra lethales morbos antidotum temperiat peritia præcauta medicorum, si præter artem, præter medicinam, præter tempus accipere præsumat ægrotus, fit periculi causa quod prouisum est ad salutem, sic Dei verbum si præter magisterium, præter doctrinam, præter dogma fidei, scire temerarius præsumat auditor: quod est vitæ materia, fit perditionis occasio. Curandum est fratres, ne per audiendi imperitiam, quod ad profectum nobis diuinitus scriptum est, ad animarum veniat detrimentum. Putasne Chaldæos syderum scrutatores, errantes per astra magos, cœli negotia in tenebris noctiū perquirentes, nascendi, moriendi causas stellarum cursibus ascribentes, bona, maláve hominum de arbitrio lunarium firmantes, Euangelista hodie ortum Christi abscōditum sæculis stella duce docuit inuenisse? Absit. Sic sentit mundus, sic gentiles intelligunt, sic fallit species lectionis: cæterum sermo Euangelicus non humana loquitur, sed diuina: non vsitata, sed noua: non arte fallentia, sed veritate subnixa: non oculis alludentia, sed cordibus infixa: non coniecturis nutantia, sed auctoritate firmata à Deo veniētia, non à fato, non collecta numeris, sed virtutibus acquisita. *Cum natus esset Iesus*, inquit, *in Bethlehē Iudæ, in diebus Herodis Regis: Ecce magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes: Vbi est qui natus est Rex Iudæorū. Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Cum nascitur Iesus, oritur origo rerū, generatur largitor generis, nascitur auctor naturæ, vt repararet naturam, genus redderet, originem recrearet. Adam primus homo, pater generis, origo generationis, naturæ bonum, libertatem generis, & germinis vitam sic perdidit dum deliquit, vt malum naturæ, seruitutem generis, germinis mortem successio lamentanda portare. Hinc est quod Christus nascēdo naturam reddidit, tulit moriendo mortem, vitam reuocat dum resurgit: & qui homini animam dederat de cælo, inde hominem fecit & carne constare, ne terrena labes cœlestem sensum rursum carnis demergat in lapsum, dicente Apostolo: Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cælo cœlestis: qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœlestis, tales & cœlestes: Et Ioannes Euangelista: Omnis qui ex Deo natus est, non peccat, sed generatio Dei seruat illum. Hinc est ergo quod nascitur Christus, vt iacentes in terreno germine cœlestem tolleret ad naturam. *Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iudæ.* Bethlehem fratres, Hebraicè domus panis vocatur. His ergo vocabulis Iudæ signatur domus, genus vocatur, vt promissionis fides, vt prophetiæ veritas impleatur, dicente Iacob: Iuda te laudabunt fratres tui, manus tuæ supra dorsum inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. Et post: Non deficiet Princeps ex Iuda, nec Dux ex femoribus eius, donec veniat cui reposita sunt, & ipse expectatio gentium. Vnde & Dauid, Iuda Rex meus. *Cum natus esset Iesus in Bethelehē Iudæ in diebus Herodis Regis.* Quid est quod tempore Regis nefandi Deus descendit ad terras, miscetur diuinitas carni, fit terreno corpori cœleste commercium? Quid est, & quando non verus Rex expulsurus tyrannum, vindicaturus patriam, instauraturus orbem, libertatem redditurus aduentat? Herodes refuga gentis Iudaicæ inuasit regnum, libertatem sustulit, prophanauit sancta, confudit ordinem: quicquid disciplinæ, quicquid cultus est, aboleuit: merito ergo genti sanctæ quia humana desunt, diuina succurrunt, & adest Deus ipse, cui homo non erat qui adesset. Sic iterum Christus veniet, vt Antichristum subruat, liberetur orbis, Paradisi patria reddatur, mundi perpetuetur libertas, sæculi seruitus tota tollatur. *Ecce magi ab Oriente venerunt.* Ab Oriente ad Orientem veniunt magi, vt susciperet venientes, ipse qui iusserat vt venirent: quando enim Deum magus, nisi Deo iubente perquireret, quando regem cœli nisi reuelante Deo Astrologus inuenisset, quando vnum Deum sine Deo Chaldæus adoraret in terra, qui in cœlo diis totidem, quot syderibus seruiebat? Plus cœleste de magis, quam de stella signum est: quod Iudæi Regem, quod legis authorem magus scit, nescit Iudæus, Chaldæa defert, non defert Iudæa: Hierosolyma auersatur & refugit, Syria sequitur & adorat. *Ecce magi ab Oriente venerunt, dicentes: vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus stellam eius.* Et quid tamen est quod videtur? Verè sicut dixit Apostolus, cum esset diues, pauper factus est, cum esset in deitate sua diues, nostra fit pauper in carne: & habere cœpit stellam vnam, totam qui fecit, habet & continet creaturam. *Vidimus stellam eius.* Aliquando videt magus: qui habet stellam, non habetur à stella: nec ipse agitur cursu stellæ, sed ipse stellæ agit cursum: cuius per cœlum sic cursum dirigit, sic moderatur incessum, sic viam temperat, vt magorum seruiat, & mittatur ad gressum: nam ambulante mago, stella ambulat, sedente mago, stat stella: mago dormiente, excubat stella: sic sentit magus, vt quibus viandi par conditio est, par sit necessitas seruiendi: & stellam iam non Deum credit, sed iudicat esse conseruam, quam cernit taliter suis obsequiis mancipatam. *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Dicendo vbi est, qui natus est Rex Iudæorum, non interrogant, sed insultant, quando scientes interrogant, nescientes non ignorant, sed negligentes arguunt, increpant desides, malos produnt, contumaces verberant, seruum domino non occurrisse causantur. Nam quid ab hominibus quærunt, qui per Deum nouerant quod quærebant? Vt quid illis ad hoc humanæ demonstrationis officium, quibus ad hoc cœli sydera seruiebant? Quo illis lucerna templi, quibus cœli sydus mirabile perlucebat. *Vbi est qui natus est Rex Iudæorū?* Hoc est dicere: Cur Rex Iudæorum in præsepe iacet, & non decumbit in templo? Cur non fulget in purpura, sed squallet in pannis? Cur latet in specu, & manifestus in sanctuario non habetur? Receperunt iumenta in præsepe, quem in domo sua recipere vos spreuistis. Agnouit, sicut scriptum est, bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: tu autem Israël tuum dominum nō quæsisti. *Vidimus stellā eius.* Apparuit stella non volens, sed iussa: non cœli nutu, sed diuinitatis impulsu: non lege syderum, sed nouitate signorum: non cœli climate, sed virtute nascentis: non ab arte, sed à Deo: non astrologi scientia, sed præscientia conditoris: non Arithmetica ratione, sed sanctione diuina: superna procuratione non curiositate Chaldæa, non arte magica, sed Iudaïca prophetia. Sic vbi vidit magus humanas periisse curas, suas defecisse artes, mundanæ sapientiæ exinanitos labores, omnium sudores obriguisse sectarum, totius Philosophiæ thesauros esse vacuatos, fugisse paganam noctem, opinionum nebulas concidisse, ipsas dæmonum detulisse vmbras, stellam non

Marginalia: Matth. 2. — Colos. 15. — Ioan. 3. — Genes. 49. Iuxta LXX. — Psalm. 59. — 1. Cor. 8. — Esai. 1.

non vt cometam in circunfuso crine occultare quod nunciat, obscurare quod lucet, sic dicit: Fas est, vt & te nouo radio, signifero lumine, splendore certo radiare videam illic natum regem, præter mundi regem, præter carnis ordinem, præter humanam monstres naturam. Sic deposito errore, sequitur, currit, peruenit, inuenit, gaudet, procidit, adorat: quia non per stellam, non per artem, sed per Deum, Deum se inuenisse, humana miratur in carne. Ergo fratres, lectione præsenti non est firmatus error magicus, sed solutus. Sed sufficiant ista hodie, vt per Deum quæ sunt in sequentibus clare elucescant.

DE EISDEM,

SERMO CLVII.

Dominicæ festiuitates causas suas suis vocabulis eloquuntur: nam sicut nascendo Christus diem dedit natalem, resurgendo resurrectionis diem dedit, sic lumine signorum diem suæ illuminationis ostendit. Qui enim nascendo ante humano corpore se velauit, postea operando ipse se cœlesti reuelauit arcano: post Deus ipse apparuit trino modo, qui homo in partu paruit singularis. Merito ergo solemnitas præsens Epiphaniæ vocabulo nuncupatur, in qua illuxit deitas, quæ nostra nobis obscurabatur in carne. Ista est fratres, ista est festiuitas: quæ concepta tempore diuerso peperit tria deitatis insignia. Per Epiphaniam magi Christum Dominum muneribus mysticis confitentur, & cultores siderum, noctis incolæ, auctorem lucis densis inueniunt in tenebris: vt sit hoc auctoris gratia, non sit hoc industria sic quærentis: non sit stellæ, sed Dei sit creatoris donum, non sit beneficium creaturæ, non sit humanæ artis, muneris sit diuini. *Ecce magi*, inquit, *ab Oriente venerunt, dicentes: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum: Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Vidimus stellam eius. Et quid non eius? Stella eius est, non ille stellæ. *Stellam eius.* Quæ accepit esse, sed non dedit. Stellam cuius ortum tenebat auctor, non quæ ortum tenebat auctoris. *Stellam eius.* Venientem non à genesi, sed à genitore: mandato, non fato: non à computatore, sed ab auctore: quæ non daret ortum, sed quæ sustineret occasum. Stellam non legiferam, sed signiferam: ferentem non dierum ordinem, sed noctium lumen. Stella hæc ministra viæ, non vitæ: comes magorum, non cognata Christi: non dominantis domina, sed ancillula seruorum. Sed dicit aliquis? Quare magi? Quare per stellam, si cum stellis, cum origine nulla causa est, nulla ratio cum natura? Quare magi? Quare stella? Vt per Christum ipsa materia erroris sic fieret salutis occasio: quemadmodum aër Christum mortis causa, causa facta est vitæ. Hostem proprio mucrone turbare singulare est insigne virtutis. Apud magos in culpa erat ignorantia, non voluntas: & erat in crimine non studium, sed error. Quærere Deum, & nescire quærere, necessitas magis est, quam reatus. Fuit ergo pium, vt & Deus inuenire se quærentibus daret, & culpam deputaret errori. Denique Paulus iudicio tali de persecutore factus est prædicator: quia per zelum legis impugnabat legem, & in Deum Dei amore peccabat. Hinc est quod fides currit ad Paulum, perfidia ad ignorantiam recurrit. Sed adhuc dicit auditor. Esto quod stella, non nutu proprio, sed Dei iussu ostenderet viam quærentibus Magis: vnde tanta munerum scientia mysticorum, vnde donorum Sacramenta tanta? Non Chaldæa arte, sed de prisca sanctorum traditione maiorum, erant isti de genere Noë, de filiis Abrahæ, qui Christum nasci per Deum didicerant, non per artem, eúmque hominem, Deum Regem, moriturum alto cognouerant Sacramento. Hinc est quod apta patrum fidei munera portauerunt: vt aurum Regi, incensum Deo, morituro myrrham scienter offerent, talique munere & pietati satisfacerent, & honori. Sed de magis ista sufficiant. Per Epiphaniam Christus in nuptiis aquas saporauit in vinum, vt Christum nuptiis interfuisse virtutis fuerit, non voluptatis, non fuerit humanitatis, sed potestatis: signi fuerit causa, non ventris: ebrietatis non fuerit apparatus, fuerit deitatis ostensio. Denique vbi aqua mutauit naturam, mox patefecit auctorem, & elementorum creator mutatione reuelatus est creaturæ. Felices nuptiæ, felices illæ quibus Christus est præsens, non luxu, sed virtutibus consecrantur. Quid ibi non transiuit in gratiam, vbi aqua transiuit in vinum? Per Epiphaniam Christus Iordanis alueum baptisma nostrum consecratus intrauit, vt quos nascendo in terra susceperat, hos renascendo releuaret in cœlum: in se haberet liberos, quos præter se viderat esse captiuos: faceret vitales ipse, quos culpa fecerat esse mortales: perpetuos redderet, quos mors dederat temporales: & quos diabolus exules fecerat terrenorum, hos ipse in cœlestibus sibi faceret esse consortes. Hinc est fratres, quod Spiritus Sanctus tunc toto se fudit illapsu, quando pater de cœlestibus clamat. Hic est filius meus dilectus: vt quibus in creandis nobis operatio fuerat vna cum filio, vna fieret de nostra reparatione dignatio, sicque Christus diuerso tempore vno eodémque die magorum munere, atque mutatione, atque patris voce Deus trino testimonio nosceretur, fierétque de trina ostensione Christi Epiphaniæ vna & sacrata solemnitas.

Matth. 2. — Ioan. 2. — Matth. 3. — Matth. 3.

DE EISDEM.

SERMO CLVIII.

Sæpe quærimus, quare sic mundum Christus intrat, vt ventris experiatur angustias, partus patiatur iniuriam, sustineat vincla pannorum, cunabula toleret imbecilla, lachrymis vberum nutrimenta disquirat, ætatum gradus, necessitatésque persentiat. Et qualiter venire debuit, qui voluit apportare gratiam, timorem pellere, quærere charitatem? Natura docet omnes quid valeat, quid mereatur infantia. Infantia quam barbariem non vincit, quam non feritatem mitigat, quam crudelitatem non comprimit; quem non compescit furorem, quam non potestatem deponit, quem non intelligit rigorem, quam duritiam non resoluit, quid non amoris expostulat, quid non affectionis extorquet, quam non imponit gratiam, quam non imperrat charitatem? Hoc ita esse sciunt patres: matres sentiunt: probant omnes: viscera humana testantur. Sic ergo nasci voluit, qui amari voluit, non timeri: & tamen apud malitiam humanam sic blanda, sic pia, sic chara, audire quid proficit infantia. *Audiës*, inquit, *Herodes Rex turbatus est omnis Hierosolyma cum ipso, & congregans omnes Principes Sacerdotum, & scribas populi, sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur.* Si Hierosolyma, si Rex, si Scribæ, si Principes Sacerdotū ad Christi sic turbātur infantiam, quid isti facerent Christus perfectum mox in hominem si venisset, si fultus diuitiis, & multitudine, si cum suspectis, si cum extraneis? Quid nil dant tempori, nil ætati, nil pauperi, nil parenti, sed vt audiunt natum, parant nascenti

Matth. 2.

 mortem,

mortem, innocenti dolos, ſcelus pio, nudo gladios, ſoli milites, vagienti necem, pœna parenti: & vt vis miſceatur ſanguini, crudelitas acerba cunabulis bella inducit, vbera telis vrget, clypeos illidit gremiis, quatenus humanam, diuinamque ſobolem ante ſepulchrum faciat intrare quam mundum. Eſto quod Herodes Rex amore regni, ſucceſſoris timore coactus ſit talia moliri: quare Hieroſolyma, quare Principes, quare Scribæ? Quare? quia naſci non vult prophanus Deum, ſeruus Dominum, iudicem reus, rebellis principem, perfidus cognitorem. Hieroſolyma varia ſe contaminatione perfuderat, ſacerdotes prophanauerant ſancta, & peccata vendentes, in quæſtum veniam, pietatémque conuerterant. Scribæ doctrinam cœleſtem, ſcientiam ſalutarem, vitale magiſterium in ſuum ſenſum, in perfidiæ lapſum, in lethale vaniloquium commutarant. Hinc eſt quod Chriſtum nolunt naſci, viuere timent, quia nouerant ſe mox ignominiæ dandos, trahendos opprobriis, eiiciendos templo, priuandos Sacerdotio, oblationum munere vacuandos. Semel enim cupiditate flammati, capti pompa, vitiis ſauciati, vanitate ebrij, madefacti luxu, quia de correctione nil cogitare poterant, de venia nil ſperabant. Bonus villicus, quando copioſum fructum continuo labore conquirit, venire Dominum ſuum ad lucrum ſuum cupit, ſuum concupiſcit ad gaudium: diligens operarius quando opus ſuſcepti laboris impleuerit, vt mercedem percipiat, patremfamilias deſiderat aduenire: deuotus miles poſt conflictum, poſt victoriam, præſentiam regis optat, vt præmiis ſudores & vulnera remuneratione compenſet, ſic ad palmam ſuam cupit venire Chriſtum, qui bella mundi indefeſſa virtute proſternit: ſic Chriſtum venire non vult, qui ſuperatus illecebris ſæculi, de pœna trepidat, de venia nil præſumit. Fratres, faciamus bona, declinemus à malis: fugiamus vitia, virtutes ſequamur: diſſimulemus præſentia, futura cogitemus, noſtrum petamus ad regnum, noſtram veniamus ad palmam, optemus ad gloriam, tendamus votis omnibus ad coronam. Sed ad illa ſermo quæ ſunt in ſequentibus iam recurrat. *Tunc Herodes*, inquit, *clam vocatis magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ quæ apparuit eis, & mittens in Bethleem, dixit: Ite & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum.* Occultè vocat magos, quia palam nil audet ſimulata mens, conſcientia doloſa. Occulte vocat magos, quia fur amat noctem, latro in occulto tendit inſidias. Diligenter inquirit tempus ſtellæ, ſed cum timet regnum, ſignum cœli non timet, temporis non pertimeſcit auctorem. Quid turbaris Herodes? Quid es tantum de ſucceſſore ſollicitus? Cui ſidera militant, terreno imperio non tenetur. *Ite, & interrogate diligenter de puero, & cùm veneritis, renunciate mihi.* Herodes magos adorare iuſſum eſt, non deferre: teſtari venit ille, non prodere; videre illi datum eſt, tibi non datum eſt inuenire. *Ite, & interrogate.* Quaſi magos ſemel interrogare non ſufficit, interrogantibus pie datum eſt ſine pietate reſponſum, ſalutis nuncius male audientibus conuerſus eſt in ruinam. Contumax ſeruus audit natum Dominum, ſed Domino naſcenti parat laqueos, non honorem: mortem præparat, vt careat ſeruitute. Sed quia nec finiri Deus, nec perire ſalus, nec vita poterat interire, permanet in honore Dominus, ſeruus remanſit in crimine, & ad pœnam trahitur, qui ad obſequium venire contempſit, capitur ad ſententiam, qui ad gratiam noluit peruenire. *Ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis, renunciate mihi.* Conuenienter dixit, renunciate mihi, quia ſemper diabolo renunciat, qui peruenire feſtinat ad Chriſtum, Chriſtianus futurus à ſacerdote cum audit, renuncias diabolo, reſpondet, renuncio. Proprie ergo Herodes à magis ſibi renunciare debere dicit, qui ſe diaboli ſciebat tenere locum, ſatanæ nouerat implere perſonam. *Vt & ego veniens adorem eum.* Vult mentiri, ſed non poteſt: veniet, vt ad tormenta curuetur, ad ſupplicia iaciatur, ſternatur ad pœnam, qui adorare finxerat, vt ſæuiret. Sed magi vbi Iudaicæ perfidiæ nubila tranſierunt, & in Chriſtianæ fidei ſereno reuident, quam viderant ſtellam, ipſa præuia, ipſa duce, ad ortus dominici locum ſacratiſſimum peruenerunt. *Et apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, Aurum, Thus, & Myrrham.* Aurum Regi, Thus Deo, mortuo Myrrham, dominicæ deuotioni offerunt ſcientiæ theſauros maximos in poſterum credituris, ſic ad ſua per innocentiæ viam redeunt, qui iter Herodianæ fraudis calcauerunt in ruinam.

DE EISDEM,

SERMO CLXI.

ANte hos dies, id eſt, diem octauum Calendarum huius, quo creſcere dies cœpit, quia dies verus illuxit, in carne natum Dominum Chriſtum Ieſum in Euangelio ſcriptum facile recolunt, qui legerunt, vel qui aurem legentibus præbuerunt. Iſraëlitici paſtores ſuper gregem ſuum vigilantes Angelis nunciantibus cognouerunt: hodie in eadem carne manifeſtatum gentiles magi curioſa ſectantes ſignis indicantibus inuenerunt: illis ortum dominicæ natiuitatis annuncians locuta eſt vox ſpiritualium miniſtrorum, iſtis ſtella tanquam linguæ cœlorum. Dicunt illi ad quos ſæpius Prophetæ miſſi fuerant: Tranſeamus vſque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum eſt ad nos: dicunt iſti quibus nullus vnquam locutus fuerat Prophetarum, & ſciſſcitantes interrogant: *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Accedunt ergo illi de proximo, hi veniunt de loginquo, vtrique tamen ad vnum, eumdémque fidei locum, quia deuotione conueniunt, ibique Regem Chriſtum appoſitum ante duo Prophetica illa iumenta, duorum videlicet populorum, typum, figuramque geſtantia intuentur, admirantur, agnoſcunt. Agnouit enim bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. Agnouit enim bos Iudæus iugo legis excuſſo, agnouit & aſinus paganus ſtultitiæ feritate depoſita: ille deferens ſuperfluum obſeruationis laborem, hic relinquens vagum ſuperſtitionis errorem. Vterque agnouit, quia vterque ad vnum præſepe Domini epulaturus acceſſit, epulaturus non fœnum mortis, ſed cibum ſalutis. Edite, edite pia animalia æternæ vitæ cibaria: & perpetuæ retributionis eſcam auidis quantum poteſtis faucibus occupare, non diuidentes in fruſta, ſed integrum, ſolidúmque ſumentes. Non poteſt enim edi Chriſtus, & diuidi: integer à credentibus ſumitur, integer in ore cordi recipitur. Verbum enim caro factum eſt, & habitauit in nobis: habitauit, ex quo vterum Virginis dignanter impleuit. *Obtulerunt illi, vt ſcriptum eſt, Aurum, Thus, & Myrrham.* Nos fidei Thus longinquæ regionis, nos proximæ confeſſionis Myrrham boni odoris, nos ſuaueolentia dona charitatis: tria namque iſta offerimus, quando Chriſtum, & Regem, & Dominum, & hominem confitemur: ſed in Spiritu

Luc. 1. Matth. 2. Iſa. 1. Ioan. 1.

ritu & veritate adoremus Christum, si ei munera fidei & confessionis obtulimus: & nos sicut illi Magi qui sunt fidei nostræ duces, credulitatisque principes, commoniti in somnis, id est, in hac vita, quæ somno est similis, illuso Herode Rege, id est, diabolo huius mundi Principe, per aliam viam, id est, per alteram vitam, ad illam nostram patriam reuertamur, de qua per Adam eiecti infeliciter sumus, per Christum verò misericorditer nunc reducti.

DE EISDEM.

SERMO CLX.

QVamuis in ipso dominicæ incarnationis sacramento affuerint clara semper diuinitatis insignia: Deum tamen venisse in humanum corpus multis modis aperit, & reuelat hodierna solennitas, ne perdat per ignorantiam semper obscuritatibus inuoluta mortalitas, quod tantum tenere meruit, & possidere per gratiam. Nam qui vobis nasci voluit, à nobis noluit ignorari: & ideo sic aperit, ne magnum pietatis Sacramentum magni fieret erroris occasio. Hodie Magus quem fulgentem quærebat in stellis, in cunis reperit vagientem. Hodie Magus clarum miratur in pannis, quem diu in astris patiebatur obscurum. Hodie Magus quid vbi videat profundo stupore peruoluit: in terra cœlum, in cœlo terram: in Deo hominem, in homine Deum, & vniuerso sæculo non capacem concludi corpore perpusillo. Vnde Magus, quia scrutari valet, capere non potest, mox adorat: videt enim non sic lucere in cœlo stellas, lunam, solem, qualiter illuxisse carnem contemplatur in terris: videt in vno, eodemque corpore diuinitatis & humanitatis conuenisse commercium. Hinc dum credit Deum, sentit Regem, intelligit humani generis amore moriturum: & pauida cogitatione pertractat, quemadmodum possit mori Deus, qualiter possit vitæ restitutor occidi. Ac sic Magus cessat arte quærere, quod arte non potest inuenire: & quia se in cœlo diu cum astris errantibus videt errasse, gaudet in terra se ad Deum ducatu vnici sideris peruenisse: & deprehendit Magus cuncta quæ videntur in cœlo, humanis clara oculis, profundis esse obscurata mysteriis. Iamque videre credere se, & non discutere, mysticis muneribus confitetur, Thure Deum, Auro Regem, Myrrha esse moriturum. Thure Deum, Auro Regem, vt eum diuiti placaret obsequio, quem curioso & importuno incesserat, & offenderat instituto: atque implet illud, quod multi de spadone
Psal. 67. ex Æthiopia suspicantur: Æthiopia præueniet manus eius Deo. Videt Christum Magus Iudæum præueniens manibus suis, quia quando Christum Iudæus Herodi scelere prodebat, tunc Magus Deum Christum muneribus fatebatur. Hinc est quod gentilis qui erat nouissimus, factus est primus: quia tunc ex Magorum fide est gentium credulitas dedicata, & Iudæorum est notata crudelitas. Hodie Christus Iordanis alueum mundi peccatum lauaturus
Ioan. 1. intrauit: ad hoc eum venisse Ioannes ipse testatur. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hodie seruus Dominum, homo Deum, Ioannes
Psalm. 28. Matth. 3. Christum tenet: tenet accepturus veniam, non daturus. Hodie sicut ait Propheta: Vox Domini super aquas. Quæ vox? Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Hodie vox Dei super aquas, quia pater Deus vt probaret generis fidem, ipse sui testis filij, ipse assertor assistit. Hic est filius meus dilectus, quia alterum qui testimonium diceret, non habebat arcanum patris, arbitrum non habebat, testem generatio nescit diuina, diuinitas externam non recipit notionem: ipso filio dicente: Nemo Matth. 11.
nouit filium, nisi pater; neque patrem quis nouit, nisi filius. Hodie Spiritus sanctus supernatat aquis in specie columbæ, vt sicut illa columba Noë nunciauerat diluuium discessisse mundi: ita ista indice Gen. 6.
nosceretur perpetuum mundi cessasse naufragium, neque sicut illa veteris oliuæ surculum portaret, sed totam in caput parentis noui chrismatis pinguedinem fundit, vt impleat illud quod Propheta prædixit: Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Hodie Dominus super Psal. 44.
aquas. Bene super aquas, & non subtus aquas: quia Christus baptismati suo non seruit, sed imperat Sacramentis. Hodie Deus maiestate intonuit, & si pater de cœlo intonat, si filius Iordanis insistit fluenti, si Spiritus sanctus corporaliter apparet de supernis: quid est quod Iordanis qui fugit ad præsentiam legalis arcæ, ad totius Trinitatis præsentiam non refugit? Quid est? Quia pietati obsequitur: Iosuæ 3.
incipit non esse timori. Hic Trinitas exercet gratiam, totam secum loquitur charitatem: ibi elementa corripit, vt seruulos instituat ad timorem. Inter hæc tamen talia, & tanta intrepidus stat Ioannes, quia timere non potest, qui totus ad Dei amorem natus Angelico testimonio comprobatur. Hodie Ioan. 3.
Christus initium dat signorum cœlestium, dum conuertit aquas in vinum: vt quem pater voce filium iam probarat, ipse se Deum virtutibus approbaret: qui elementa commutat & naturam fecit ipse: qui contra naturam facere non laborat, aquam transfert in vinum, vt diuinitatis in vigore naturæ nostræ proficiat hebetudo. Nam qui panes quinque Matth. 14.
fragmento profluo & furtiuo incremento, ad quinque millia hominum tetendit & dilatauit saginam, potuit augmentis succrescentibus ad nuptiarum festa vini ampliare & perpetuare mensuras. Sed aqua in sanguinis erat conuertenda mysterium, vt mera pocula de vase corporis sui Christus bibentibus propinaret, vt impleret illud Prophetæ. Et calix tuus Psalm. 22.
inebrians quàm præclarus est! Tribus autem modis hodie Christi deitas est probata, Magorum munere, patris testimonio, aquæ mutatione in vinum: quia tribus stare omne verbum scripturæ firmanit auctoritas, dicendo: In ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Sed quia festiuitas ipsa ad mensam nos Domini, & calicis istius lætitiam commonet iam venire, res amplas breui sermone sufficit conclusisse, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui Matth. 18.
viuit & regnat nunc & semper, & per omnia sæcula sæculorum, Amen.

DE PARABOLA SERVI AB agro, deque hominis erga Deum gratitudine.

SERMO CLXI.

AVdistis, fratres, quemadmodum famulatum diuinum dominus exigit humanæ seruitutis exemplo, dicendo: *Quis vestrum habens seruum arantem, aut pascentem, qui regresso ab agro dicat: statim transi, recumbe, & non dicit ei, para quod cœnem, & præcingere, & ministra mihi donec manducem & bibam, & post hæc tu manducabis & bibes?* Lucæ 17.

Numquid gratiam habet seruo illi, quia fecit quæ sibi imperauit? Non puto. Sic & vos, inquit, *cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Sic & vos. Quid simile? Imo longè dissimile. Tantum debet homo Deo, quantum debet homini homo? Absit. Nam est alter ordo, diuersa causa, dissimilis fides. Deus hominem fecit esse, nasci iussit, dedit viuere, concessit sapere, donauit & tempora, distribuit ætates, concessit ad gloriam, aperuit ad honorem, præfecit: animantibus, & toti terræ dominium definita lege & ætate præscripsit: & cum talia tantaque homini Dei beneficia deperiissent, secunda reparauit tanto maior, quanto diuina, præstantiora tanto, quanto cœlestia. Nam cœli post habitatorem dedit, quem dederat ante incolam terrenorum, vt aduersum nullum illi, nullus incursus, nullúsque terrenis irrepere bonis amplius in hominem non valeret, seruarétque conditio iam certa, quem perdiderat incerta libertas: & esset homo liber omnium sola domini seruitute, cui conditionem qua factus est debet, debet originem quod redemptus est, quod emptus est, debet vtique serui-
1.Cor.7. tutem, dicente Apostolo: Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum. Et Propheta vt conditionem, vt
Psal.115. originem fateretur: Ego seruus tuus, inquit, & filius ancillæ tuæ. Deo ista, homini quid tali debet homo? Et tamen quærit Deus vel tantum, quia reddere homo Deo nil vult, cui debet totum. Sed repetamus lectionem, & oculis nostris similitudinem proponamus ipsam, & quod diximus tunc lucebit, quia nullam Deo, homini totam dependimus seruitutem. *Quis vestrum habens seruum arantem, aut pascentem, cui regresso ab agro dicat, statim transi, recumbe: & non dicit ei, para quod cœnem, & præcingere, & ministra mihi, donec manducem, & bibam, & post hæc tu manducabis & bibes?* Quam familiaris, quam vernacula, quam de quotidiano vsu veniens, quam communis est ista doctrina. Si dominus est, qui audit, agnoscit talia se exigere à seruo: si seruus, exhibere se domino ista cognoscit. Seruus namque post vigilias antelucanas, post totius diei varios & duros labores, post trepidantes, & anxios concursus, & parat domino suo cœnam, & cinctus quod parauerat, subministrat: non est elatus quia fecit, sed cum deuotione singula faciens contremiscit, & apponit domino cibos multiplices, arte tota totius saporis conditos: ipse autem semicoctam, nec salitam forsitan cœnulam gustaturus, porrigens crebra pocula, varios calices, vina mutat, ad longissimi conuiuij fabulas longiores stat fixus, stat moueri nescius, stat cui lacessere non licet seruituti. Et cum dominus iam partem noctis insomnem deducit, peragit inquietem, seruus colligit, curat, accurat, ponit, componit, reponit: & sic in rebus necessariis immoratur, vt nihil cibi, aut parum noctis ad escam reseruet & soporem. Post hæc omnia nisi peruigilet in crastinum, & dominum præuenerit dormientem, fessus, indefessus manicabit ad verbera, ad præsentem pœnam nihil hesterno ei subuenit de labore, quia quicquid dominus indebite, iracunde, libens, nolens, oblitus, cogitans, sciens, nesciens circa seruum fecerit, iudicium, iustitia, lex est: imperantis ira subdito ius est, & ad libitum domini vocem non habet conditio seruitutis. Si ergo & seruus sentit quid debeat homini aliter seruiendo, & dominando; dominus qualem seruitutem domino dominorum debeat, docetur, & intelligit se magistrum. Hoc im-
1.Cor.4. plebat Paulus, qui seruitutis suæ titulos sic scribebat. Vsque ad hanc horam esurimus, & sitimus,
1.Cor.9. & nudi sumus, & colaphis cædimur. Et alibi: Liuidum facio corpus meum: & seruituti subiicio. Præbebat vindictam bonus seruus, qui se vsque ad liuorem sic agens iugiter verberabat: nec laxabat fræna corpori, ne per indulgentiam caro laxata alterius incurreret seruitutem. Sed homo quod à seruo exigis, impende ei qui te dominum fecit. Tu qui semper dormis, & à seruo exigis vigilias indefessas, aliquando vigila tuo domino pro te sine cessatione vigilanti: assiste tuo domino vel momento vno ieiunanti, cui manducanti tuus seruus semper assistit: remitte seruo innocenti, cui peccanti blanditur dominus tuus: da interim veniam, cui tuus dominus semper ignoscit. Certe si quicquam boni feceris, crede te dominanti soluisse debitum, non beneficium præstitisse. *Cum feceritis*, inquit, *omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Quando per se homo vtilis ad diuina, qui sic sibi est invtilis ad humana? Cogitet homo cordis mala, carnis vitia, voluptatum fluctus, desideriorum procellas, irarum scrupulos, naufragia criminum, & tunc quidem in se est vtile, dabit Deo, sibi quicquid inutile est, deputabit. Sed ad apposita redeamus: vt quare dominus discipulos suos admonuerit, iam patescat. Apostolos suos Christus vt mitteret ad populos vario dolore languentes, dedit illis virtutem spiritus, potestatem supernam dedit, dedit gratiam sanitatum, vnde perambulantes illi reddebant visum cæcis, claudis cursum, surdis auditum, & ne per singula vos morer, cunctis malè habentibus dabant salutem, vnde redeuntes gloriabantur, dicentes, Domine, etiam in nomine tuo dæmonia subiecta sunt nobis. Quos Dominus temperat, dicens: Nolite gaudere, quia dæmonia subiecta sunt vobis, gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Ergo ne per elationem perderent quod conquisierant per laborem, & deputarent sibi quod diuinitus fuerant consecuti, ad humilitatem quæ mater est doctrinæ, tali reuocat exemplo. *Quis vestrum habens seruum arantem, aut pascentem, qui regresso ab agro dicat ei, statim transi, & recumbe, & non dicit ei, para quod cœnem, & præcingere, & ministra mihi donec manducem & bibam: & post hæc tu manducabis & bibes?* Post exactos labores, & magna & multa documenta virtutum, Apostoli satis sibi vtiles videbantur, sed versati in luto carnis, & limo corporis huius, & quod essent innutiles, nesciebant, sed deprehenduntur, cum Iu- Matth.26.
das tradit, Petrus negat, Ioannes fugit, relinquunt Matth.14.
omnes, vt solus in quo erat, & ex quo erat, tota vtilitas appareret. Quod autem dixit. *Et postea tu manducabis.* Monet discipulos, vt post ascensionem suam statim copulari se domino in illa beatitudine superna gestirent. Nam denique hic relicturos approbat: & præcingit ad tolerantiam passionis, & ministerij sui perficit ad laborem. Nam tunc tanto tempore ministrarunt Apostoli discumbenti, quanto tempore inter peccatorum coquinas, & gentium focos, cœnam Domini super mensas Ecclesiæ in memoriam perpetem præpararunt.

Hanc cœnam qui fidelis est, nouit: qui nescit, & scire desiderat, fit fidelis.

***

DE

DE EO QVI VOLEBAT diuidere hæreditatem.

SERMO CLXII.

AVdistis fratres, hodie quid à domino hæres donorum petierit mundanorum. *Magister*, inquit, *dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* Præceps cupiditas, & incauta, mundanæ litis arbitrum credidit ipsum sæculi cognitorem, & eum fieri voluit diuisionis authorem, qui ad restituendam venerat humani generis vnitatem. *Magister dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* Hinc non magister quæstus est, sed amoris. *Dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* Cum dicit, dic fratri meo, præmisit quod charitatem moneat, quod interpellet naturam, quod pulset affectum. *Dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* Non potest dicere fratri, diuide, qui per Prophetam docuit: Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum. Psal. 132. *Dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* Quæ maior hæreditas, quæ melior hæreditas quam diuinæ vinculum charitatis? Quia hæreditas aliquando perit, charitas nunquam, dicente Apostolo: charitas nunquam excidit. 1. Cor. 13. Sed dicit aliquis: ergo charitas nunquam perit, nunquam violatur? Plane nunquam, quia charitas si est, permanet: si non permanet, non est. Sicut sterilis arbor, quæ vernali tempore cum tota candescit in flore, fructum non dat illa, sed fallit: ita ista charitas quæ putatur, & non est, occasionum concussa fluctibus euanescit: ac sic lædit sollicitos, & decipit incautos. Sed ad cœpta redeamus. *Magister: dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* Hæreditas mundana ante posteris infert iurgia, quam confert censum: antequam diuidat facultates, scindit hæredes: antequam debitas tradat singulis portiones, successores ipsos desecat, & mittit in partes. Proinde non est hæreditas ista, sed pugna, & hæc nouerca filiorum est, non facultas. Ille ditat filios, qui relinquit filiis plenissimam charitatem. At tu quisquis ille es, qui dominum tali petitione compellas, Dominum prouocas, Dominum producis ad litem, cum quo tibi Apostolus hæreditatem docet, & ostendit esse communem. Rom. 8. Hæredes, inquit, Dei sumus, cohæredes autem Christi. Hic tibi sic hæres est, hic est tibi frater, qui nascendi sorte, conditione crescendi, viuendi ordine, moriendi exitu, per omnia tibi voluit similis inueniri. Nam cum esset & solus Dei hæres, & filius vnicus per naturam, te participem sibi, te cohæredem sibi voluit, & fecit esse per gratiam, qui eras miser, & subiectus vltimæ seruituti. Habebis itaque, & collata poteris fœliciter possidere, si manseris in aula patris, si fueris in diuina hæreditate communis. Dari non potest, diuidi non potest sors diuina, quia cœlestia & qui dederit, non amittit, & qui acceperit sibi, sibi singulariter non recondit. Vnde homo quid hunc ad diuisionem vocas, quid hunc ad discussionem miserandus inuitas, quid ab eo partem petis, qui tibi quæsiuit, & contulit totum? Vel expertus cessa: & iam pœniteat talia te petiisse. Nam partem substantiæ principalis accepisti: & acceptam peregrinus, vagus, luxuriosus cum luxuriosis helluo perdidisti. Lucæ 15. Hinc Paradisi exul, hinc hæreditatis exors, hinc extorris à vita. Homo dicit tibi Christus, quod à me & per me consecutus es, sine me non poteris possidere, quia sine me qualis fueris, iam vidisti: hoc sciens pro te patrem ingrate omnium sic poposci. Pater quos dedisti mihi, volo, vt vbi ego sum, & illi sint mecum. Ioan. 7. 17. Et quia nec hoc tibi sufficere poterat ad tutelam; nam cum mecum esses in Paradiso, & extra me, tu periisti, adieci, dicens: Pater, sicut tu in me, & ego in te, ita & isti in nobis vnum sint. Ego vt patris bona habeam, processi de patre, à patre penitus non recessi: & ideo tantum te in nobis habere volo, quantum nos ipsi sumus, & manemus in nobis. Desine ergo vel superna diuidere, vel de terrenis me audiente litigare, ne quem tenes, & habes hodie largitorem pium, seuerissimum sentias postmodùm cognitorem. Sed iam quid respondit Dominus audiamus: *Homo*, inquit, *quis me constituit iudicem, diuisorem super vos?* Quis me constituit iudicem? & vbi est illud quod tu dixisti Domine, Pater neminem iudicat, sed omne iudicium dedit filio? Ioan. 5. *Aut diuisorem super vos?* Et quis diuidet iustos ab iniustis, sicut segregat pastor oues ab hœdis? Matth. 25. Si tibi iudicium debetur hominis, & per te est totius sæculi celebranda diuisio, quomodo dicis, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos? Est quidem penes Christum, & fuit, atque erit omne iudicium, sed tunc non iudicaturus venerat, sed iudicandus; nec addicturus reos, sed à reis innocens addicendus. In homine agebat Deum: in seruo Dominum, vt esset vernula temporis, qui erat & factor & cognitor sæculorum. Meritò ergo respondit: *Quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* Et quis eum constitueret iudicem, qui constituit & restituit vniuersa? Christus ad litigatoris arbitrium arbiter esse non poterat, qui totius iudicij summa est & potestas, illi iurgator non inuitatus à patre taliter tu petisti, hæc dicit, sed inuisus astitit, vt ad iudicantis illi fas non sit resilire sententiam. Et quia correcturus venerat, non damnaturus reum, præcepto remouet fomitem iurgiorum, dicendo: *Videte, cauete ab auaritia.* Hoc est dicere, abiiciatur auaritia, & non erit in hæreditate contentio. Auaritia, fratres, parentes negat, germanos diuidit, separat socios, amicitiam soluit, excludit affectum: hanc qui intra se habuerit, erit nullius, suus non erit. Auaritia, fratres, sicut dicit Apostolus, radix est omnium malorum: 1. Tim. 6. quæ cum radicari cœperit in corde, sic morum dissipat ornamenta, sicut arbor noxia feralibus radicibus nexa soluit, & dissipat monumenta maiorum.

DE TERRENORVM CVRA despicienda.

SERMO CLXIII.

BEati quorum corda hodiernus dominici sermonis penetrauit auditus. Beati quorum mentem promouit ad fidem tanta, & talis promissio Saluatoris. Beati qui credulitate cœlestium mandatorum duris absoluti sunt præsentium curis. Tali namque hodie discipulos suos, imo omnes auditores suos Dominus voce compellat. Luc. 12. *Noliti soliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro quo vestiamini. Anima plus est quam esca, & corpus plus est quam vestimentum.* Quis sic ita inuidus bonis suis, quis sic deliciis suis inimicus, vt spontanea, & cœlitus præparata despiciat, & concupiscat mundanis laboribus & doloribus conquisita? Degener nimis animus, mens tota seruilis est, quæ coquorum afflatus, squallores coquinæ, hesterno horrore fœtentia perquirat obsonia, cui iugiter regius deseruit, atque adiacet apparatus. Noli ergo

homo inania prouidendo gemere, noli laborare caduca præparando, quia prandij tui ſemper, & vbique Deus præparator aſſiſtit. Quis Rex deuotis militibus debitam non procurat annonam? Quis dominus fidelibus ſeruis iuſta cibaria non miniſtrat? Quis pater non dat panem filiis? Si ergo nobis Deus, & Rex, & Dominus, & Pater eſt, quid negabit? Stipendiis ſuis militans derogat miles Regi: ſuis ſumptibus viuens dominum ſeruus accuſat: pro ſe ſollicitus filius culpat ſuperſtitem patrem. Noli ergo homo exponere Deum pro te taliter cogitando, qui & iuſtitia regnantis, & dominantis ſtudio, & generantis affectu, in ſe totam tui recepit ſollicitudinem, refudit & curam dicendo: *Nolite ſolliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis.* Sed te forte mellitus imber, & ſingularis cibus Iudaici faſtidij deterret exemplo: nec carnem credis humorum varietate concretam per ſolum manna ſua voluntate compleri: dicis, Deus corpus ſicut ex diuerſis voluit conſtare membris, ita variatis dapibus voluit & iuſſit enutriri. Superfluus eſt, ô homo, iſte qui te exagitat, timor: nam creatoris ad prandium tota concurrit & aduolat creatura. Vnde ſi te legalis cibi ſingularitas & parcitas terret, inuitet & prouocet Euangelij conuiuij cœleſtis effuſio: quæ in vno ferculo manducaturo Petro totius apponit genera creaturæ. (Act. 10.) Nam quicquid Noë vector noui ſæculi, ſæculi ſeruauit ad ſemen, quicquid in aëre volitat & fertur, quicquid gignitur & viuit in terra, quicquid in aquis eſt, & mouetur, hoc vno Petri cœlitus mactatur, & exhibetur ad cœnam. Si ergo vis homo accipere & omnia manducare, deſpice vilia tibi prouidere cellaria. Et nos quidem magnis exemplis tibi ſuperna cogitanti carnalia non defutura probare contendimus: Deum autem pro ſuæ maieſtatis inſignibus de ſuis dubitantem promiſſis ad vilia & extrema remittit exempla, vt te tali examinatione redarguat, quem tanta mutatione non traxit. *Conſiderate*, inquit, *coruos, quia non ſeminant, neque metunt: quibus non eſt cellarium, neque horreum, & Deus paſcit illos: quanto magis vos pluris eſtis illis?* Dubium merito infidelem ad auem mittit amicam belli, furoris ſociam, inſatiatam ſanguine, & in ipſos mortuos ferro grauius ſæuientem. Namque ceſſante gladio carnifex improbiſſimus exanime graſſatur in corpus, laniat, diſſipat, ſpargit, ne quid funeris inuentum quieti miſericors ſepultura commendet. Itaque Dominus exemplo tali exaggerat dubitantis inſaniam, qui putat Deum hoc piis filiis denegaturum, quod impiis auibus ſubminiſtrat: & exiſtimat relinquentibus propter ſe patriam, domum, parentes, filios, coniuges, victus ſubſidia non daturum, qui naſcenti indulſit creſcere, terminauit corporis incrementum. O miſerum, ô tota infœlicitate digniſſimum, cui cum detur regnum, ſuſpirat panem: cùm perpetuitate donetur, deflet potum: cùm immortalitatis gloria induatur, plangit corporis veſtimentum. Genuinæ infœlicitatis conſcius fieri non credit ſe fœlicem: & terreno enutritus in puluere cœli incolam dubitat ſe futurum. Conuenienter ergo Dominus quæ ſequuntur, adiecit. *Quis autem veſtrum cogitando poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum?* Humanarum mentium cogitationes intimus ſcrutator exponit: nam omnis homo dum ſui corporis pulchritudinem concupiſcit, procerum ſe eſſe exoptat: ſed cogitare homo hoc poteſt, hoc per ſe homo obtinere non poteſt: ad id credendo peruenit, ad quod peruenire non poteſt cogitando. Hinc eſt quod Dominus humani conſcius deſiderij hominem Chriſti tetendit in formam: vt in menſuram Chriſti ſpecioſitate tota decorus eſſet, qui in breuitate ſua erat ipſo erubeſcente deformis, vnde bene ſubiunxit. *Si ergo neque quod minimum eſt poteſtis, de cæteris quid ſolliciti eſtis?* Hoc eſt quid cogitatione homo maiora præſumis, qui per fidem minora deſperas? Quid veſtimento minus, quid maius corporis incremento? Crede ergo tibi à Deo veſtitum corporis poſſe præſtari, à quo tibi fides corporis incrementa repromittit. Verùm, quia Deus ſic humanum diligit genus, vt ipſos quos dominantis iure corripit, mox paterno ſoletur, & mulceat blandimento, quos comparatione fœdiſſimæ auis exaſperaſſe videbatur, ad floris odorati & ſpecioſi nimium hos reducit exemplum. *Conſiderate*, inquit, *lilia quomodo creſcunt: non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria ſua veſtiebatur ſicut vnum ex iſtis.* O quantum ſe ſuperna pietas hominis amore deponit: Nam qui poterat præcepta ſua ſola authoritate firmare, toto inſinuat, & aſtruit labore doctoris, & qui ſufficiebat in ſola fide repromiſſionis ſuæ terminum collocare, auditores ad fidem promiſſi ſuaſoris perducit exemplo, dubios lilij comparatione confirmat, lilium Salomonis ſublimat exemplo: quia ipſo Domino teſtante, inter omnes mundi reges Salomon ſingulari gloria, ornatu vnico ſpecioſus effulſit: & omnes terræ flores lilium vincit, & præcellit in gratia: tantumque diſtat ab vniuerſo germine lilium, quantum Regem ſpecie, gloria cunctis conſtat excellere. Nec à nobis latius lilij deſcribenda eſt pulchritudo, cuius prærogatiuam dominica teſtatio reddidit ſingularem: iteranda ſunt ſane illa, quæ ad robur fidei noſtræ geminato Dominus commentauit exemplo: quia Chriſtianus de vita, de regno, de immortalitate certus, de paſtus, & veſtitus non debet neceſſitate pulſari, cum videat Deum hodie nato, & perituro in craſtinum germini tantam veſtitus gloriam contuliſſe: ſed ſicut ariditati iſta, ſicut clibani deputantur incendio, ita mortis, ita gehennæ ignibus deſtinantur, qui præſentia ſibi à Deo præſtari dubitant, cum futura ſibi iam ſentiant contributa. *Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis, & nolite in ſublimia tolli: hoc enim omnia gentes mundi quærunt: Pater autem veſter ſcit, quoniam his indigetis. Veruntamen quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis.* Cum ſe patrem noſtrum dicit, noſtri ſibi piam curam comprobat non deeſſe: cum nos regnum cœleſte iubet quærere, ſubiicienda monſtrat omnia, nobis quicquid cœleſtis exigit apparatus, indicat affuturum.

IN ILLVD LVCÆ, IGNEM veni mittere in terram, & cætera.

SERMO CLXIV.

SIcut febrientibus amarus eſt ſemper ſalutaris cibus, ita & ſæpe dominicus ſermo contrarius imperitis, vtriſque tamen aliter, aut ex corporis, aut ex mentis infirmitate contingit. Hodie Dominus exaſperaſſe nonnullorum videtur auditum, dicendo: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur?* Et infra: *Putatis, quia pacem veni mittere in terram? Non, dico vobis, ſed ſeparationem.* (Luc. 12.) Et vbi eſt illud: Ecce agnus Dei? Vbi illud: Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe mutus, ſic non aperuit os ſuum? Sed & illud: Dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus venit tibi manſuetus? Et quid eſt quod agnus iſte tam dure (Ioan. 1. Eſaiæ 53. Matth. 21.)

dure in prædicatione percutit. Quid ſic arietat in verbo, qui in paſſione tanta patientia tacet, in morte tota humilitate ſuccumbit. Et reuera, fratres, mundum ſuum Chriſtus per omnia mitis & manſuetus intrauit, dum naſcitur noſtro dulcis in germine, dum cunis blande blandior ipſe fouetur: dum paruulus in gremio ſe fundit, & reſoluit humano: dum parentis in collo ſtringitur, & ſtringit toto charitatis amplexu: & vt enutriat toto dum nutritur affectu, per omnes ſenſim currit & adoleſcit ætates: pauper agit ſemper, ſolitarius ſemper incedit: quia pauper communis eſt ſemper: pauper omnibus ſolitarius ſemper. Et quid eſt quod tantum verbis ſparſit ignem, quod tanta & talia inflammat, & dilatat incendia, dicendo: *Ignem veni mittere in terram?* Quid eſt, Ager quoties longa incuria ſylueſcit, & toto luxuriæ agreſtis ſordeſcit horrore, peritiſſimi cultoris vtique ſemper aperitur, & purgatur incendio, ac ſtudio benigno cultor ignis apponitur, vt exuſtis ſentibus reueletur prima facies campi, præſtetur agricolæ libertas, fiat facilis via vomeri, ſit germinis ferax ſterilis diu terra, & longa, ac mœſta otia læto lætiſſima iam repenſet in fructu. Ergo vbi Iudaicus ceſpes continuo aratro legis iugi cultu effectus ad inopiam, non reſpondit germini, non labori, ſed pro tritico lolium reddidit, protulit pro vitibus ſpinas, Chriſtus ad ſata gentium diuini cultus conuertit induſtriam: ac diu oppreſſa dumis nationum cupiens noualia purgare, ignem mittit primum maximus magiſter in terram, & quicquid naturalis ſqualefecerat luxus, quicquid areſecerat brumalis rigor, artifici depurgat & conſumit incendio: quatenus ſola longo exhauſta ieiunio ipſo ſuo cinere ſaginata pingueſcerent, & poſt diuturnam duritiem tenera redderentur & mollia, ac ſic Euangelico apta cultro ſemini redderentur commoda, & felici ſulco iam redderent trigeſimum, ſexageſimum, ac centeſimum fructum, ſed hic ipſe cultus non eſt nouus agricolæ veteri & cœleſti, nam legem pandere, gratiam ſerere, ignis ſemper opere
Exod. 3. conſueuit. Daturus legem, ignem præmiſit in rubo: ſed diuinum rubus portauit, non concepit incendium, iam tunc aculeis malitiæ plenum, & ingratum culturæ legis populum præfigurans; & nunc in arua gentium cum deſtinaret Apoſtolos, ſic eos igneo imbre perfudit, & ignis conſedit ſuper eos, vt poſſent humecta ſiccare, ſicca infundere, decoquere cruda, frigida calefacere, accendere extincta, comburere noxia: & in opere diuerſo vno, atque eodem igne ad cœleſtem copiam totam percolere deſerta
Pſal. 18. terrarum, dicente Propheta: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed ad illud iam quod ſequitur tranſeamus. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur? Sed baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec perſiciatur?* Vrget aqua ignem: cogitanda eſt talis, tam diuiſa coniunctio. Vrget vnda flammam: multiplicat flamma vndam. Quæ eſt talis, tam concors iſta diſcordia? Geritur hic, ſicut diximus, agricolæ diuini ſpecies: plena namque omnia calore germinant, humore nutriuntur. Vnde rerum parens Deus ignis, & aquæ commercio nos germinat, nos enutrit, quorum tanto ardet, calet, exæſtuat, anhelat affectu. *Baptiſmo habeo baptizari,* Chriſtus ſuo baptizatur in ſanguine, quicquid ex noſtra carne ſuſcepit, diluatur, renouetur, & totam ſuæ diuinæ maieſtatis redigatur in formam. Baptizatur Chriſtus ſuæ baptiſmate paſſionis, qui totius peccatum mundi lauit; quod non niſi ab eo qui mundum fecerat, poterat aboleri. *Putatis*, ait, *quia pacem veni mittere in terram? Non dico vobis, ſed ſeparationem.* Quare? Quia coniunctio cœleſtis eſt in iſta ſeparatione terrena. Nemo poteſt connecti terræ, & iungi cœlo. Grata ergo & chara ſit iſta terrena ſeparatio, quæ nos ſic à terrenis ſeparat, vt inſerat nos diuinis. *Erunt*, inquit, *ex hoc quinque in domo vna diuiſi, tres in duo, & duo in tres: diuidetur pater in filium, & filius in patrem: mater in filiam, & filia in matrem: ſocrus in nurum ſuam, & nurus in ſocrum ſuam.* Cum quinque dixerit ex vna domo diuidendos numero, nomina ſex diuiduntur, pater, filius, mater filia, ſocrus, nurus: ſed quia eſt ipſa ſocrus quæ mater eſt, certum eſt, quinque tantum perſonas in his hominibus inueniri. Diuiduntur autem tres in duo, dum in ſponſo ſponſa coniuncta, ſocrus quæ tertia eſt, diuiſa remanebit in domo. Ergo iſta in qua Eccleſia coniungitur Chriſto, ſynagoga, quæ mater eſt, & ſocrus, permanet ſuo iam marito perdiuiſa. Duo ergo in tres ita diuiduntur, dum de iſto Chriſti & Eccleſiæ conſortio altera hæres ſcinditur, & diuiditur ſynagoga, vt Chriſtus & Eccleſia diuiſi ab hæreticis vno maneant & iungantur in Spiritu. Diuiditur & pater in filium, & filius in patrem, dum Iudaicus populus, qui per carnalem Chriſti generationem paternum ſortitus eſt nomen, à Chriſto filio per inuidiam ſeparatur, pater liuidus in odium vertit affectum, cui filij gloria iugis eſt pœna, eſt continuus cruciatus, dicente Apoſtolo: Quorum patres, ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem: qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Diuiditur & mater in filiam, eſt namque ſynagoga mater, ex qua per Petrum & cæteros Apoſtolos naſcitur Eccleſia filia, quæ vbi diuini Regis Chriſti meruit habere conſortium, matrem & æmulam pertulit, & nouercam. Et quæ filiæ mater talis, qualis nuri ſocrus? Hæc namque ſynagoga mater vbi Eccleſiam nurum vidit ex gentibus aduenifſe, occidit ſceleſta filium, nurus conſortium ne videret, occidit Chriſtum, ſi vel ſic amorem nurus furibunda valeret extinguere, ſed ex morte totum reſurrexit in Eccleſiæ coniugium Chriſtus, vt probaret charitatem non ſeparari morte, ſed creſcere. Arguit eos autem Dominus, qui faciem cæli, ortus nubium, ſtellarum curſus, plagas orbis ſtudent nimia curioſitate perquirere, & tempus ſalutis ſuæ nullis ſtudiis, nullis indiciis nituntur agnoſcere. *Hypocritæ*, ait, *faciem cœli, & terræ noſtis probare: & quomodo tempus iſtud non probatis?* Oculus effuſus perdit lumen, quia tota hominis intra pupillam viſio continetur: ne ergo ſtudeas videre multa, vt videas temetipſum, ne præſumas excelſa contueri, nec longinqua ambias conſpicere, quia anguſtus oculus non capit multa, non penetrat excelſa, longinqua non perſpicit, atque ita videt nil, qui videre exiſtimat totum.

Agnoſce ergo diem ſalutis, tempus acceptum per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum, ſi vis à te.

* * *

Deeſt finis

DE CONSECRATIONE *ſancti Proiecti Epiſcopi Forocorneelienſis.*

SERMO CLXV.

OMnibus quidem Eccleſiis venerationem debere me profiteor, & fideliſſimam ſeruitutem: ſed Cornelienſi Eccleſiæ inſeruire peculiarius ipſius nominis amore compellor. Cornelius namque memoriæ beatiſſimæ vita clarus, cunctis virtutum titulis vbique fulgens, operum magnitudine notus vniuerſis, pater mihi fuit: ipſe me per Euangelium genuit, ipſe pius piiſſime nutriuit, ipſe ſanctus ſancta instituit ſeruitute, ipſe Pontifex ſacris obtulit & conſecrauit altaribus: & ideo mihi clarum, colendum, mirabile Cornelij nomen. Amor ergo cognominis me compellit Cornelienſis Eccleſiæ deſideriis deſideranter occurrere, & Proiectum venerabilem virum amabilius Pontificem conſecrare: Proiectum dixi, ſed non abiectum: iuxta illud. Pſalm. 21. In te proiectus ſum ex vtero: de ventre matris meæ Deus meus es tu. Et vere iſte Proiectus ex vtero humanæ matris, matris diuinæ in vtero iugiter manſit: qui domus ſuæ neſcius, domus Dei eſſe perſtitit habitator: qualiter autem fratres, cunabulis ab ipſis gradus Eccleſiaſticæ militiæ conſcenderit, & officia, quia dicere mihi longum eſt, Ioan. 1. ſicut dicit dominus, ætatem habet: ipſe pro ſe loquatur, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui viuit & regnat cum Spiritu ſancto in ſæcula ſeculorum, Amen.

DE QVADRAGESIMALI *Ieiunio.*

SERMO CLXVI.

HAbet quidem ſimplicitas innocentiæ ſuæ gratiam, habet fidei ſuæ fructum, ſcientiæ præmium habere non poteſt, palmam habere non poteſt virtutum. Aliud eſt otio & ſecuritati ſuæ viuere, aliud eſt pro omnibus ferre vigilias & labores. Simplicitas ciuem bonum facit, non facit militem fortem: hinc eſt, quod ille cenſum ſoluit, hic ſtipendia percipit, & honores. Ciuis aut cedit, aut ſuccumbit aduerſis: aduerſa miles ſuſtinet & propellit: ille pugnare non didicit, hic non timere: ille cauet ſemper, hic vincit. Hæc diximus, vt quæ ſit diſtantia, monſtraremus inter eum qui Chriſtianæ fidei ſimpliciter accipit & ſequitur Sacramentum, & inter eum qui ſtudet ipſius fidei, & apprehendere ſcienter, & noſce myſterium. Ecce Quadrageſimæ ieiunium quod deuotione ſolemni die craſtino ſuſcipit vniuerſalis Eccleſia: multi putant abſtinentiæ tantum ſtudio, vel nobis traditum, vel pro nobis Dominum peregiſſe, nec altioris intelligentiæ continere myſterium, ſed ſolummodo caſtigandis corporibus, reſecandis vitiis, temperandis mentibus hoc prouiſum. Porro quadragenarius iſte numerus tam ſacratus eſſe à ſæculis, tam miſticus reperitur, vt ſemper in efficiendis rebus diuinis, & maximis Dei negotiis explicandis adhibitus, lege inuiolabili præſcribatur. Quod vt luceat ad purum, copioſiſſimis percurramus exemplis. Cum mundus intra generis humani primordia perdeſſenda nefando vitiorum ſquallore ſordeſceret, & totus criminum fœteret horrore, ac pene ipſo iniquitatis ſuæ fumo fuſcare cœli tantam contenderet claritatem, quadraginta diebus ac noctibus expiaturus terram cæleſtis imber effunditur, Gen. 7. vt quia perire ſibi mundus, quod factus fuerat, iam debebat, gauderet tali baptiſmate ſe renatum: ſciretque quod eſt non ſe naturæ, ſed authoris ſui gratiæ iam debere, ipſamque noſtri baptiſmatis formam terra noſtri corporis origo prælibaret, vt quæ ante natos homines producebat ad mortem, hos ad vitam produceret iam renatos. Attendite, fratres quantus ſit quadragenarius numerus iſte, qui & tunc cœlum terris aperuit abluendis: & nunc fonte baptiſmatis orbem totum pandit gentibus innouandis. Merito nos quadraginta diebus per ieiunium currimus, vt perueniamus ad fontem baptiſmatis & ſalutis. Quadraginta annis populum Iudæorum panificus in eremo pauit imber: nec ſolito Exod. 16. miniſtratu incrementa germinis produxit è terra: ſed ipſe terris potius fluxit frumenta, totúmque ſeruitutis humanæ ademit laborem, qui blando rore eſurientibus cœleſtem præbuit & euexit annonam. Quadraginta diebus terram repromiſſionis exploratio miſſa diuinitus circuiuit: vt hic ſacratus numerus promiſſas Iſraeliticum populum Num. 13. euocaret ad terras: qui nos quadragenarius ieiuniorum curſibus euocat, & perducit ad cœlum. Namque & noſtri corporis terram quadraginta diebus explorat nunc, & circuit cœleſtis inſpectio: vt expugnatis & expulſis vitiorum ſentibus, regionem noſtri cordis poſſideat turba virtutum. Et quia nihil omittendum eſt, Moyſes ipſe dierum quadraginta ieiunio ita humano defæcatus eſt, & exinanitus Exod. 24. à corpore, vt totus diuinitatis mutaretur in gloriam: & adhuc noſtri corporis obſcuro toto fulgeret lumine deitatis: neque intueri eum mortalium viſus poſſet, qui ſubſtantia Dei diu paſtus tota mortalis cibi oblitus fuerat adiumenta: vnde didicit coram Deo, & cum Deo commorantibus vitæ ſubſidia non deeſſe. Et reuera fratres, neſcit laſſari, mori non poteſt, cui panis, cui vita Deus eſt. Merito hic talis legem ſancire meruit, qui totum quicquid in homine lex vrgere poterat, permanſit. Præſtiterat hoc Moyſi iuge fortaſſe ieiunium: ſed nondum reddiderat talem, ſi defuiſſet quadragenarius numerus hic ſacratus. Ieiunium Eliam leuauit ad 4. Reg. 2. cœlum, & purificato ſic corpori ignei currus addixit obſequium: vt oſtenderet gehenna, quæ exurit reos, innocuis quam deſeruit: ſed vt ad hoc perueniat & Elias quadragenarij numeri ante viam myſticam præcurrit. Ezechiel eximius Prophetarum 3. Reg. 9. quadraginta diebus iacens latere vno, ſcientibus Ezech. 4. legem loquor, captiuitatem futuram dum præfigurat, abſoluit: quia ſacratus numerus iſte ſuſcipit iniquitates vt deleat iniquitates, vt abſoluat ingreditur Matth. 4. vincula, patitur vt relaxet. Hinc eſt ergo quod dominus author à ſæculis in hoc numero abſconditi ſacramenti intrat ipſum numerum dierum quadraginta ieiunij, vt quod adumbrauerit in famulis, ipſa per ſe iam veritate facta & cœpta perficeret, firmaret tenera, inchoata suppleret, & quæ præceptis inſtituerat, roboraret exemplo: non enim ſuffecerat hoc tantum tanti numeri ſacramentum imperaſſe verbis, niſi commendaſſet & facto. Et tamen fratres, à tempore diluuij ſacramenti huius contendimus aperire myſterium, non auſi anteriora contingere, ſuperiora rimari, loqui tacita, tam diu certè repoſita proferre: præſertim cum mihi temerarium, & vobis non neceſſarium videam, cauſarum tales, tantaſque origines perſcrutari. Veræ deuotionis eſt, fideliſſimæ ſeruitutis eſt, quid fieri velit, non quare velit, dominator inquirere. Si ergo quadraginta dierum ſimplex,

purum, æquale tantis testimoniis, sub tanti numero sacramenti traditum nobis à domino ieiunium producetur: vnde ista varietas, vnde nouitas ista, vnde hebdomadæ nunc resolutæ, nunc rigidæ, nunc indulgentes nimium, nunc seueræ? Vnde intemperati ieiunij vsus iste, qui aut afficiat sine venia, aut remittat ad crapulam? Hoc est, separatim calida, separatim frigida, separatim salis, separatim cibi sui vsibus deputare, & totum vitæ negligere conditorem? Certe qui corporis cibos condiunt, sapienter discant animæ pabulum temperare, ne aut plus salitum, aut penitus insulsum salutaris cibi generet lethale fastidium. Ieiunium sit æquale, & vt est nobis traditum, seruetur ad corporis & animæ disciplinam. Certe qui ieiunare non potest, non præsumat inducere nouitatem, sed fateatur esse fragilitatis propriæ quod relaxat: & redimat eleemosynis, quod non potest supplere ieiuniis: quia illius gemitus dominus non requirit, qui pro se gemitus pauperum sic redemit.

Matth.3.

DE DIVO IOANNE BAPTISTA prædicante, deque pœnitentia agenda.

SERMO CLXVII.

OPportune nobis Ioannes beatissimus ieiunij tempore pœnitentiæ doctor aduenit, doctor dicto, factoque magister verus, quod verbo asserit, demonstrat exemplo, magisterium stat de scientia, sed magisterij authoritas constat ex vita, docenda faciens obedientem perficit auditorem. Docere factis sola est norma doctrinæ, doctrina in dictis scientia est, in factis virtus. Scientia ergo illa vere est, quæ fuerit mixta virtuti: illa, illa diuina est, non humana, Euangelista probante, cum dicit: Quæ cœpit Iesus facere & docere. Præceptor cum docenda facit, & auditu instruit, & informat exemplo. *In diebus*, inquit, *illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ, & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.* Pœnitentiam agite, quare non magis gaudere? gaudere magis quia succedunt humanis diuina, cœlestia terrenis, temporalibus sempiterna, malis bona, secura anxiis, ærumnis beata, mensura perituris. *Pœnitentiam agite.* Pœniteat, plane pœniteat qui diuinis prætulit humana, qui seruire voluit mundo, & dominationem mundi cum mundi domino non habere. Pœniteat qui maluit perire cum diabolo, quam regnare cum Christo. Pœniteat qui virtutum libertatem fugiens, captiuus voluit esse vitiorum. Pœniteat, & satis pœniteat, qui ne vitam teneret, manus tradidit morti. *Appropinquauit enim regnum cœlorum.* Regnum cœlorum, est præmium iustorum, iudicium peccatorum, impiis pœna. Beatus ergo Ioannes, qui pœnitentia iudicium voluit præueniri, peccatores non iudicium voluit habere, sed præmium: impios voluit regnum intrare, non pœnam. Et tunc Ioannes vicinum cecinit regnum cœlorum, quando adhuc puer nudus ætatum conquirebat augmenta. Modo cœlorum regnum quàm proximum iam scimus, quando mundus senectute fessus extrema vacuatur viribus, membra deponit, amittit sensus, doloribus vrgetur, curam respuit, vitæ moritur, viuit morbis, defectum clamat, testatur finem. Nos ergo duriores Iudæis, qui fugientem sequimur mundum, qui futurorum temporum obliuiscimur, præsentibus inhiamus, qui in ipso positi iam iudicio non timemus, qui venienti iam domino non occurrimus, qui volumus manere mortem, resurrectionem nolumus mortuorum, qui seruire volum s, nolumus regnare, vt tantum, regnum nostro d mino differamus. Vbi est illud: Cum orabitis, dicite: Veniat regnum tuum. Maiori ergo pœnitentia opus est nobis, & pro modo vulneris modus adhibendus est medicinæ. Pœniteamus fratres, pœniteamus cito, quia nobis spatium temporis iam negatur: iam nobis ipsa hora concluditur, iudicij præsentia iam nobis satisfactionis locum excludit. Currat pœnitentia, sententia ne præcurrat, quia ominus quod non venit adhuc, quod adhuc expectat, quod moras facit, nos sibi redire desiderat, non perire, quos p etate tali semper est allocutus: Nolo mortem p ccatoris, sed vt reuertatur impius à via sua, vt viuat. Pœnitentes ergo reuertamur fratres, & ne de arcto temporis pertimescamus: quia aucto emporis nescit arctari: probat hoc Euangelicus latro, qui in cruce & in hora mortis rapuit veniam, inuasit vitam, effregit Paradisum, penetrauit ad regnum. Et nos fratres, qui de voluntate meritum non quæsiuimus, acquiramus vel de necessitate virtutem, ne iudicemur, iudices nostri simus: pœnitentiam debemus nobis, vt possimus nobis auferre sententiam. Prima est fœlicitas perpetua innocentiæ securitate gaudere, inuiolatam seruare mentis & corporis sanctitatem, nulla immunda mundi inquinamenta sentire, reatus conscientiam non habere, vulnera nescire peccati, gratiam semper possidere virtutum, semper sub spe viuere cœlestium præmiorum, sed si quo forte nostra mens iaculo fuerit confixa peccati, si caro tumescat ex crimine, si vitiorum sanie fragilitas humana corrumpatur: tunc ægris illa, quæ non sanis, pœnitentiæ medicina succurrat, ferrum compunctionis accedat, apponatur adustio tunc doloris, adhibeantur suspiriorum tunc fomenta, tumentis conscientiæ feruor euaporet, tunc reatus vlcera lachrymis abluantur, immunditiam corporis cilicia tunc detergant. Ferat, ferat amaram pœnitentiæ curam, qui seruare debitam noluit sanitatem. Cui vita sua chara est, dura nulla est cura: medicus non sit ingratus, qui per dolorem reuocat ad salutem. Qui innocentiæ creditum seruat, pœnitentiæ non soluit vsuram, dominus hoc aperit dicendo: Non est opus sanis medicus, sed male habentibus. Et qui male haberent patefacit, iterum dicens: Non veni vocare iustos, sed peccatores. Reuocat per pœnitentiam Ioannes, Christus per gratiam vocat: hinc est quod Ioannes vestitu, victu, loco, totus pœnitentia formatus incedit. *Venit*, inquit, *Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ, & dicens: Pœnitentiam agite.* Per deserta Iudææ pœnitentiam clamat Ioannes, quæ legis cultum, Prophetarum laborem, fœcunditatem Patrum, frugem Dei sua sterilitate perdebat: vnde ad pœnitentiam merito vocantur disciplinarum deserta, non hominum, non locorum: vocat clamor, vbi non assistit auditor. *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum.* Posuit, de caprarum, sed cilicio opus non erat: sed accepit tortuosissimi pilos animantis, nihil habentis recti, nihil gratiæ, nihil decoris: quem natura dedit labori duro, addixit magno ponderi, extremæ tradidit seruituti, tali pœnitentiæ magister indui debuit vestimento, vt qui à recti detorserant disciplina, & deformes se totos formis reddiderant peccatorum, magnis pœnitentiæ sarcinis subderentur, adiicerentur duris satisfactionis angoribus, suspiria compunctionis laboriosa portarent, vt directi & attenuati in modum acus per angustum pœnitentiæ foramen ampla remissionis intrarent: & impleretur dominicum dictum,

Matth.2.
Act.1.
Luc.19.
Ezech.33.
Luc.23.
Matth.9.

dictum: Camelum per foramen acus posse transire. *Esca autem eius erat locusta, & mel silvestre.* Locusta castigandis peccatoribus attributa merito pœnitentiæ figuratur in passum, vt de peccati loco exiliens in pœnitentiæ locum, ad cœlum possit pennis veniæ peruolare. Hoc Propheta senserat, Psal. 181. qui dicebat: Sicut vmbra cum declinat sublatus sum, & excussus sum sicut locustæ, genua mea infirmata sunt præ ieiunio, & caro mea immutata est propter misericordiam. Audis quemadmodum de peccato in pœnitentiam excussus est vt locusta, & curuauit genua vt pœnitentiæ pondera baiularet: & adiicitur mellis cibus, vt amara pœnitentiæ dulcis misericordia temperaret.

DE PARABOLA CENTVM ouium.

SERMO CLXVIII.

SIcut profunda maris ingredi, & liquentis viæ calles inuios transmeare artifex viator inuenit, ita de Dei dictis aliquid audire, & ad diuini sensus penetrare secretum dedit & docuit lex diuina. Hinc est quod ratem nostræ mentis carnis à littore soluentes in pelagus Euangelici sermonis intramus, credentes quod flante Spiritu sancto cœlestis intelligētiæ perueniamus ad portum. Dominus noster hodie spem peccatorum promouit ad veniam, & superborum murmur piissimo compressit exemplo, *Erant*, inquit, Luc. 15. *appropinquantes domino publicani & peccatores, vt audirent illum: & murmurabant Pharisæi & Scribæ dicentes, quia hic peccatores recipit, & manducat cū illis.* Non minus inuidi, quam superbi malitiam de dominica bonitate capiebant: de pietate Dei impij reddebantur, fiebant de Christi miseratione crudeles, sumebant de cælesti curatione languorem, & pœnitentium veniam vertebant iudicis in reatum. *Peccatores recipit, & manducat cum illis.* Sic videt inuidus, sic superbus sentit: auarus sic sapit, intelligit sic malignus. *Peccatores recipit.* Non dicunt, suscipit. Quid amiserat, quid recipit? Donat culpas, iram vertit in gaudium, dolorem mutat in gratiam, quicumque inuenit quod amisit. *Peccatores recipit.* Recipit peccatores Deus, sed Deus peccatores esse non sinit, quos recipit: peccator Deum non violat appropinquans, Deus peccatorem sanctificat cum propinquat. Pharisæe, Christus peccata non recipit cum recipit peccatorem: quia Deus non criminis, sed hominis est receptor. Vnde Pharisæus non quales venerant, sed quales redibant videre debuit peccatores. Certe Paulum quem persecutorem miserant, prædicatorem videant mox rediisse. Sed iam Deus gaudium suum de reditu peccatoris comparatione qua, qua similitudine insinuet, audiamus. *Et ait ad illos parabolam: Quis ex vobis homo qui habet centum oues, & si perdiderit ex eis vnam, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? Et cum inuenerit eam, imponit super humeros suos gaudens, & veniens domum conuocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat. Ita dico vobis gaudium erit in cœlis super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis qui non indigent pœnitentia.* Semper quidem cum perdita reperimus, nouum capimus cumulum gaudiorum, & est iucunditas nobis inuenisse perdita, quàm non perdidisse seruata. Sed hæc parabola plus diuinæ pietatis, quam consuetudinis humanæ loquitur, & exprimit veritatem. Magna relinquere, amare minora, Dei potestatis est, non est cupiditatis humanæ, quia Deus, & quæ non sunt, facit esse: & perdita sic sequitur, vt teneat quæ reliquit: & amissa sic inuenit, vt quæ seruata sunt, non amittat. Ergo non terrenus pastor iste est, sed cælestis: & parabola hæc tota non figurata est laboribus humanis, sed diuinis est obumbrata mysteriis: sicut ex ipso numero mox lucescit, cum dixit: *Quis ex vobis homo qui habet centum oues, & si perdiderit ex eis vnam.* Quare non quinquaginta, quare non ducentas, sed centum; quare non quatuor: quare non quinque, sed vnam? Vt ostenderet non ex damno fuisse, sed ex numero plus doloris. Namque amissio vnius totum dissipauerat centenarium numerum, & totum de dextera redegerat ad sinistram, vt dispendio vnius & sinistra clauderet omnes, & dextera nil haberet. Nonagesimus & nonus numerus in sinistra latet clausus, constrictus hæret, tenetur oppressus: qui tamen vbi vnus perceperit & senserit augmentum, mox dexteræ transit ad palmam, mox centenarij numeri peruenit ad coronam, & si non habuisse centenarium numerum doloris est, cuius doloris est perdidisse? Videtis quia per vnius ouis amissionem pastor iste totum gregem cecidisse de dextera, & totum in sinistram doluerat recidisse, & ideo relictis nonaginta nouem, vnam sequitur, vnam quærit, vt inueniret in vna omnes, redintegraret omnes in vna. Sed iam cœlestis parabolæ pandamus secretum. Homo habens oues centum Christus est. Pastor bonus, pastor pius, qui in vna oue, hoc est in Adam, posuerat totum gregem generis humani: hanc inter amœna Paradisi, hanc in regione vitalis pascuæ collocarat: sed illa vocem pastoris oblita, dum lupinis vlulatibus creuit, & caulas perdidit salutares, & tota lethalibus sauciata vulneribus. Hanc ergo Christus veniens quærere in mundum, in vtero virgineæ regionis inuenit. Venit suæ natiuitatis in carne, & in crucem leuans humeris suæ imposuit passionis, & gaudens toto resurrectionis gaudio per ascensum ad cœlestem tulit & pertulit mansionem. *Et vocauit amicos & vicinos*, hoc est Angelos, *dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat.* Congratulantur & congaudent Christo Angeli super ouis Dominicæ reditu, nec indignantur in toto sibi præsidere solio maiestatis, quia de cœlestibus inuidia cum diabolo fuerat iam fugata, nec poterat per agnum qui peccatum mundi tulerat in superna, amplius inuidiæ penetrare peccatum. Fratres, ille nos quæsiuit in terra, nos illum quæramus in cœlis: ille nos portauit suæ diuinitatis ad gloriam, nos illum sanctitate tota nostro portemus in corpore. Glorificate, inquit Apostolus, & portate Deum in corpore vestro. Ille Deum in corpore suo portat, qui nullum 1. Cor. 6. portat in suæ carnis operatione peccatum.

DE PARABOLA DRACHMÆ perditæ,

SERMO CLXIX.

PEr omnes Euangelicas lectiones latere mysticos sensus & cœlestis intelligentiæ manere secreta, norunt soli quicunque diuini spiritus gratiā percepere. Ecce posteaquam pastor supernus perditam centenarij gregis ouem perquisiuit, inuenit: & Angelorum lætitiam totam cœleste iam retulit ad ouile: mulier Euangelica producitur in figuram, quæ lumine accenso de decem drachmis vnam drachmam perditam sic requirit, vt inuenta hac de lucro suo, de suo gaudio causam pariat cœlestium gaudiorum, sic enim dicit? *Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnā, non accendit*

Luc.15. *accendit lucerna, & euertit domum, & quærit diligenter, donec inueniat? Et cum inuenerit, conuocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* Putasne mulier ista, communis est, aut habuisse eam decem drachmas humano putatur excessu, aut vnum casu creditur perdidisse mundano, aut simpliciter contigit, quod eam nocturno requirit in tempore, aut lucernam de nostri vsus more succendit, aut consuetum, quod eam perdidit & inuenerit intra domum, aut familiare, quod amicas ad lætitiam conuocat & vicinas, quas perdẽs conuocasse non legitur ad mœrorem? Nouum damni genus, & quod drachmam non oblatam patefaciat, sed dilapsam, & quod eam domesticis absconditam tenebris, & non defossam dolis loquatur extraneis. Videtis quàm singulare sit totum, quam morem transeat & supergrediatur humanum, quam diuinum spiret, & redoleat sensum: quam attollat ad cœlum mentis intellectũ, quam collocet in supernis, quam cogitat superni cordis accendere lucernam, & instar Euangelicæ mulieris per dominicæ lectionis obscura drachmam quærere scientiæ salutaris. Antequam Christus ad ouem veniret errantem, & miserandis discursibus attritam misericordibus humeris subleuaret ad cœlum, & onustus pecore pio inaccessas lupis perueniret ad caulas: mulier habens decem drachmas tenebras diutinas sustinebat, & non solum drachmam perditam deflebat vnam, sed ipsas nouem drachmas sibi residuas non videbat. Nox ei erat iugis, erat ei profunda & perseuerans caligo, cui lucerna sine diuino igne ad noctis solatium non lucebat: sed postea quam supernus ignis, ignis Spiritus sancti flammeo se super Apostolos imbre diffudit, & non minus frigida, quam tetra mortalium corda toto ignis sui calore succendit, mulier, id est, Ecclesia, accendit lucernam suam, id est, internum
Ephes.1. illum sui cordis obtutum: hoc est, illuminatos, vt inquit Apostolus, oculos cordis vestri. Accendit ergo lucernam suam, & illam Iudaicam domum ignorantiæ cæcam tenebris euertit Apostolicum post laborem, donec iam de decem drachmis, hoc est decalogo legis drachmam perditam reperiret in Christo. Christus est plenum deitatis numisma, Christus est drachma nostræ redemptionis & pretij, Christus est qui & erat in legis decalogo & latebat: Christus est quem habebat & synagoga, & tenebris impugnantibus non videbat. Decem drachmas, decem legis diximus verba, ex quibus verbum perdiderat & Synagoga vnum. Quod vnum? Illud
Ioan.5. quod in Ecclesia primus, quia lucerna ardens erat Ioannes inuenit, dicente domino: ille erat lucerna
Ioan.1. ardens; dicente Euangelista: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat, verbum. Hoc fuisse in decalogo iam patescat. Audi, inquit, Israël, dominus Deus tuus, Deus vnus
Marc.12. est. Hoc synagoga dum non videt in filio, amittit in patre: dum non credit in Christo, Christum lethaliter crucifigit: cui merito per decalogum con-
Exod.20. sequenter dicitur: Non occides. Siquidem dum Iudæus ipsam mandatorum seriem capite detruncat, ante Christi quam legis extitit homicida: vnde & totum corpus retorsit in Christum: Non occides, non mœchaberis, damnata est synagoga, quæ iuncta diis gentium repulit Christum, qui seposita po-
Matth.28. testate dominantis, coniugis ad eam descendit af-
Matth.26. fectu. Non furtum facies. Furata est dominicam resurrectionem, quæ pretium militibus dedit, vt resurrectionis infoderet & occuleret veritatem. Non falsum testimonium dices. Hæc est quæ conquisiuit falsos testes, vt impleret illud: Exurgentes te- Psalm.34.
stes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me. Et reuera aliter tradere non poterat veritatis auctorem, quia semper sola impugnat falsitas veritatem. Sic ruit, sic per gradus cadit, qui de scalis labitur & corruit præceptorum. Nam si dominum Deum credidisset vnum, ad hoc ruinarum barathrum non venisset. Sed nos lucernam matris Ecclesiæ iam sequamur, & ambulantes in lumine dominici vultus Christi perueniamus ad drachmam, atque amicas & vicinas, id est, Ecclesias gentium conuocemus, ne matrem nostram drachmam suam nesciant inuenisse, & dicamus cum Propheta: Paraui lucernam Psal.131.
Christo meo. Et quid lucerna profuerit audiamus: Ecce audiuimus eam in Ephrata, inuenimus eam in campis syluæ. Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius. Ecce quod per distensos campos, & nemora diffusa quærebamus domino, hoc matris inueniamus ad lucernam. Super hoc lætetur & cœlum, quia in vno peccatore pœnitentiam agente totius Christiani populi claruit pœnitudo, & tota deitatis forma Christi nostram refulsit in drachmam.

DE EO QVOD CHRISTVS MISIT Apostolos curatum varios morbos,

SERMO CLXX.

Beatus Marcus hodie cum Galilæa dominum retulit circumisse castella, ineffabilem circa nos prodidit eius pietatem. *Et circuibat*, inquit, Matt.6.
Iesus castella in circuitu, docens. Audistis quemadmodum circuit, quemadmodum te, & propter te vbique pietas indefessa perquirit. Et ille qui capit ipse omnia, nec ab vlla capitur ipse creatura, intrat, & tuo angustatur in corpore, tuis in habitaculis se coarctat. Et ille cuius maiestatem vox fidelium quotidiana testatur clamans: Pleni sunt cœli & terra gloria tua: tuis propter te circuit, apparet, videtur, & tenetur in locis. Quo se mouet immobilis plenitudo, quo accedit, vel vnde recedit, quo sunt plena omnia? Et tamen vadit, redit, descendit, ascendit, & totum te & propter te homo Deus pa- Exod.3.
titur, quia te nimis diligit, nimis amat. Habitus suscipit, formas variat, commutat officia: & nunc igneus tibi resplendet in rubo, vt perfidia te frigidum fidei calore succendat: nunc elucescit cœlesti flammeus in columna, vt remotis ignorantiæ tuæ tenebris, per solitudines mundi huius viam possit Exod.13.
scientiæ percurrere salutaris: nunc idem tibi nubis vertitur in columnam, vt ardentes tuorum temperet æstus animorum: nunc te vt aquila protegit pennis sapientiæ, & cœlestem prouocat ad volatum: dicente Moyse: Sicut aquila protegit nidum Deut.32.
suum, & super pullos suos confidit, extendens alas Iuxta
suas accepit eos, suscepit eos super scapulas suas: LXX.
dominus solus ducebat eos, & non erat cum eis Matt.23.
Deus alienus. Nunc sicut gallina educit, ducit, vocat, recipit, protegit, portat, fouet, ambit, amplectitur: & sui volatus oblita, suæ temporaliter immemor libertatis, tuis in penetralibus, tuo versatur in puluere, vt te vernaculis, familiaribus, domesticis alat, erudiat, instituat nutrimentis: nunc vt pastor bonus altissimis errantem solus requirit in montibus, solus inuenit, solus suis humeris imponit, & ne amplius in terrena pascua luporum mor- Luc.15.
sibus peruadaris, cœlestes euehit & perducit ad caulas. Sic, sicut diximus, habitus suscipit, formas variat, & vt te mutet melius, ipse sua toties mutat

& commutat officia. Et quia diu circuierat, vt diriperet & deuoraret inimicus, nunc neceſſario circuit vt te vindicet, vt eripiat Chriſtus, dicente ſcriptura:
1.Pet.5. Aduerſarius veſter ſicut leo rugiens circuit quærens quem deuoret. *Et conuocauit*, inquit, *duodecim*. Poſt diuturna tempora tertiæ noctis, auroræ ſuæ deſiderato ſplendore æternus dies Chriſtus noſter reluxit in lucem, qui duodecim ſuas horas in Apoſtolis ſuis duodecim ſignanter aptaret. Hunc diem beatus Pſalmiſta prophetali vidit ſpiritu, cum cane-
Pſal.117. bat? Hæc eſt dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Vnde & Apoſtolus, lucis ac diei
1.Teſ.5. filios appellat credentes: Vos filij lucis eſtis & diei *Et conuocauit duodecim*. Duodenarius numerus iſte per quaternarium tripartitam nobis monſtrat & format quadrigam: per quam trinitas tota toto orbe Apoſtolicis vehitur & fertur excurſibus, vt diabolum mitis bellator expugnet, vt mundi ſuperbiam manſuetus victor inclinet, vt diſcordias gentium pacificus auferat præliator, vt deſtructo inferno, hoc eſt, peccati fouea, diuturno carcere animarum humani generis captiuitatem liberam triumphi ſui perducat ad gloriam. Hunc trinitatis currum beatus Pſalmiſta vidit prophetali ſpiri-
Pſal.67. tu cum dicebat: Aſcendiſti in altum, captiuam duxiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus.
Matth.11. Hunc currum ſibi, ſuo Patri & Spiritui ſancto, dominus cum diceret, præparat: Tollite iugum meum ſuper vos, quia iugum meum ſuaue eſt, & onus
Gen.40. meum leue eſt. Neſcit laſſeſcere baiulus miſeri-
Exod.15. cordiæ, pietatis euector. Duodecim Patriarchas,
Ioſuæ 4. duodecim diſtinctos in tribubus, duodecim fontes eremi, duodecim lapides eleuatos ex alueo in figuram formamque Apoſtolici numeri fuiſſe deſcriptos ſcrutatori legis relinquamus altius ad probandum: quia nobis cur binos ad prædicandum diſcipulos miſerit, propoſitæ lectionis ſeries cona-
Matth.14. tur aperire. *Et cœpit eos mittere binos & binos*. Binos mittebat, ne deſtituta ſingularitas aut negaret, vt Petrus; aut fugeret, vt Ioannes. Citò cadit fragilitas humana, quæ de ſe ſuperbe confiſa ſocios deſpicit, non vult habere collegam, dicente ſcri-
Eccleſ.4. ptura: Et væ vni cum ceciderit, & non eſt ſecundus qui erigat eum. Quantum autem alter alterius roboretur auxilio, eadem ſcriptura teſtatur, cum di-
Prou.18. cit: Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas munita. *Et cœpit eos mittere binos & binos*. Nec mirum fratres, ſi Trinitas quæ ex duodenario numero tripartitam conſcendit quadrigam, nunc aſcendit & bigam, vt duobus nunc iis duorum vocatio monſtretur & clareat populorum, dicente Apoſtolo? Num-
Rom.8. quid Iudæorum Deus tantum? Nonne & gentium?
Iſa.21. imo & gentiũ, vt impleatur Iſaiæ vaticinium, qui ſe aſcenſorem bigæ vidiſſe teſtatur, vnde mox cecidiſſe Babylonem clamat, & omnia ſculptilia. Quis dubitat fratres, per has bigas Chriſtum ſalutares inequitaſſe diſcurſus, cum videat Apoſtolica prædicatione caruiſſe templa, idola deperiiſſe, ceſſaſſe pecudum mugitus & victimas, ipſas aras cum thuris ſic fumo iam tota euanuiſſe per ſæcula? Has bigas
Abac.3. Abacuc viderat, cum clamaret? Qui aſcendis ſuper equos tuos, & equitatus tuus ſanitas. *Et dedit*, inquit, *eis poteſtatem ſpirituum immundorum*. Hoc eſt diuinæ virtutis inſigne: hoc trophæum ſingularis triumphi, vt prædæ ſuæ prædo ipſe, ipſis captiuis ſuis ipſe captiuus, vinctis quondam ſuis vinctus ipſe diabolus nunc tradatur: quatenus eorum ſubiiciatur imperio, quorum ante fuerat magnificus: ſeruitute merito dolet, gemit merito, merito ſtridet, qui ſe videt hominum ſententia, hominum poteſtate percelli, qui ſe Deum hominibus longa diu fuerat perſuaſione mentitus. *Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum, non peram, non panem, non in zonis æs*. Homo cum operarios inuitat ad opera, non neceſſaria victus ſolum, ſed etiam largo fundit epulas apparatu, vt conuiuium humanitatis effuſæ, pondus operis ſuperet & laborem. Deum quantum credit inhumanum, qui ad opera eius inuitatus, pera, pane, pretio onuſtus incedit, & anxius, vt aut laſſus, aut tardior ad opus operarius infidelis occurrat, aut occurrere fortaſſis non potuit, præmia promitti ille copioſa: tot chirographis, tot teſtibus largam ſpondet ille mercedem: tu eum neque panem, neque veſtimentum impio ſpiritu æſtimas præbiturum? Teipſum cum non eſſes, dedit eſſe: & quicquid homo habes, dedit ipſe, & cum tibi ac tuis voluptatibus viueres, victus neceſſaria non negauit: hunc ſuis virtutibus, ſuis operibus ſeruienti non panem, non veſtimentum æſtimas largiturum? Hoc ipſum quod in pera, quod in zona portas, quis dedit tibi? Quid illi de ſuo inſultaturus occurris? Nouit quia diues es. Ceſſa homo operibus tuis: ſufficit tibi diuina paupertas, depone ſarcinas diuitiarum tuarum, onuſtus non potes per anguſtam viam ad opus dominicæ meſſis peruenire, veni expeditus, veni liber ad opera, antequam nudus & expoliatus, infidelis omnibus operarius rapiaris ad Pſal.48.
pœnam, quia ſicut ſcriptum eſt: Morientem diuitiæ non ſequuntur. Sit tibi pera conſcientia tua, ſit Ioan.6.
tibi panis vita tua: vt ſit verus panis Chriſtus in vita, qui dixit: Ego ſum panis. Sit tibi in pretium merces tua, quia ille præmium exigit ſecurus à Chriſto, qui vt ſequeretur Chriſtum, nudus deſpexit reſpuens fideliter quod habebat.

DE DISCIPVLIS ILLOTIS Manibus prandentibus.

SERMO CLXXI.

SIcut fulgura cum ſaxa, montes, arbores, ipſa domorum culmina terribili colliſione diſſoluunt, ſenſus hominum, menteſque corripiunt: ita dominus quoties in Phariſæos intonat, ſuos timore ſalutari corrigit & emendat: ſicut hodie Euangelicus ſermo perdocuit, Phariſæos & Scribas vituperaſſe aliquos diſcipulorum Domini eo quod non lotis manibus manducarent. Nemo cum hæc audit exiſtimet diſcipulos domini ſub ſpecie contemptus incultis & lutulentis manibus edere: nec menſæ domini, nec conuiuij communis ſeruare & colere honeſtatem: quando iſtud neque natura patitur, neque hoſpitalitatis admittit affectio. Quis aquam manibus non offerat mox ad venientis obſequium, quis ad offerentis triſtitiam mox recuſet, præſertim cum dominus ipſe arguat Simonem inuitatus ad menſam? Pedibus meis, inquit, aquam non dediſti? Vult itaque fieri, quod ſic exigere perdocetur. Sed Phariſæi non diligentiam corporis in diſcipulis domini, ſed ſuperſtitionis ſuæ baptiſmata perquirebant, neſcientes vnum baptiſma, quod Dominus non lauandis ſolum, ſed innouandis animabus & corporibus inueniſſet: quod non corpus ad cultum vitæ, ſed conſcien- Pſal.50.
tiam dilueret ad ſalutem. Hoc Propheta precabatur, cum diceret: Amplius laua me ab iniuſtitia mea. Id eſt, quouſque me legaliter lauas, & me non lauas: laua me per gratiam ſemel quem lauacra legis innumera non lauerunt. Sed hoc aperiat Marc.7.
nobis ipſe qui ſequitur, Euangelicus ſermo. *Phariſæi, inquit, & omnes Iudæi niſi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem ſeniorum, & cum*

de

de foro veniunt nisi baptizati fuerint, non manducant, seruantes baptisma calicum & vrceorum ac æramentorum & lectorum. Pharisæe, quî te mundum credis, cum tua omnia tuo sint polluta conuiuio? In foro tu de innocentis sanguine disputasti, de rapienda substantia pauperis perquisisti, perscrutatus es qualiter libertatem addiceres seruituti, & cùm interiora tua tanto sint confecta crimine, quemadmodum te exterior lauare & mundare sufficiat aqua? Corda & corpora nostra mundare hæc poterit, cum fuerit & ipsa Spiritus sancti purificata commercio, vt visibili ministerio inuisibile purificationis nostræ perficiat sacramentum. Sed tu Iudæe calices, vrceos, æramenta baptizas, quæ motu, sensuque carentia per naturam, vt reatum nesciunt, ita non sentiunt: hæc honoras, & te, per quem contaminata sunt omnia, non emundas: tuis vsibus, tuis obsequiis hæc mancipata purificas, & te diuinis officiis, diuinis mysteriis non purificas mancipatum. Sed nos fratres, non quid Iudæis, sed quid discipulis suis dominus responderit audiamus: *Dicebat autem, quod quæ de homine exeunt, illa contaminant hominem. Ab intus enim de corde hominum procedunt cogitationes malæ, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, auaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitia, oculus malus, blasphemiæ, superbia, stultitia: omnia hæc mala ab intus procedunt, & contaminant hominem.* Quæ spatia terrarū, quæ magnitudo vrbium, quæ latitudo regionum tantos hostes ferre, tot inimicos capere, tantas sustinerre prævalet nationes, quot vitia, quot delicta, quot crimina rapiunt humanos sensus, hominum corda patiuntur? Ad vnam ouem genera tota, tota feritas bestiarum, quæ magis eo sæuiunt, quo se explere nequeunt, satiari non possunt vnius captione voraci dente prædones: qui plus hinc æstuant & tabescunt, quod capere nequeunt & vorare, quod ad vnam columbam tot milui, tot aquilæ, vultures tot voraces, tantarum currat congeries auium sordidarum. Hanc numerositatem, hanc multitudinem senserat Propheta cum caneret: Circundederunt me mala, quorum non est numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non docuit, vt viderem. *Ab intus de corde hominum procedunt.* Tolerabilis est hostis cum muros arietat extrinsecus, cum foris positus cedit aliquando conflictu: cui verò est intus inimicus, cuius aduersarius in ipsis penetralibus iam desæuit, iste se intelligit, & sentit oppressum: iste se & captiuum perdit, & deplorat: iste suus expugnator esse non potest, suus esse non potest liberator: alienum requirit auxilium: quærit alterum defensorem. *Ab intus exeunt de corde.* Nouus est hic ordo bellandi: de homine contra hominem gentes exeunt bellaturæ: non contentæ in occulto vincere, prosternere in abdito, quasi quæ famam quærant hominis de ruina. Iudæi qui foris sunt, se & sua forinsecus lauent: nos fratres, ab istis vitiorum sordibus emundemur intrinsecus: has nequitiarum gentes in nostris mentibus Christo repugnante vincamus: has delictorum bestias de nostris cordibus terrore dominici nominis effugemus: has criminum rabies, & voracissimas aues à nostris sensibus crucis hasta fortiter propellamus, vt ciuitatis nostræ splendor, templi nostri sanctitas, domus nostræ integer & singularis ornatus, ad habitandum semper in nobis nostrum prouocet, & inuitet auctorem. Illuc vitia redire nequeunt, vbi Christus cum suis virtutibus commoratur.

Psalm. 39.

DE INVIDIA ET HYPOCRISI.

SERMO CLXXII.

Audistis hodie fratres, quemadmodum dum seclusit alios, seipsum ianitor inuidiosus exclusit. *Væ vobis,* inquit, *legis peritis, quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis.* Audistis ergo quemadmodum secludit alios, seipsum ianitor inuidiosus exclusit. Acceperat claues Pharisæus non vt clauderet, sed vt intrare desiderantibus aperiret: sed ne intraret alter, ipse permanere foris maluit per liuorem. Omnia quidem vitia ad suorum semper intendunt & prosiliunt læsionem, sed suos semper amplius inuidia consumit: inuidia suorum carnifex semper extitit, extendit sensus, torquet animos, discruciat mentes, corda corrumpit. Et quid plura? Hanc qui receperit, sua sustinet sine fine supplicia, quia in se domesticum semper diligit habere tortorem. Quis ibi malorum finis, vbi altius bonum pœna est, vbi cruciatus est aliena fœlicitas, malum multiplex, quot sunt prosperitates hominum, tot tormenta sunt inuidorum. Cum aliis vitiis animus poterit confligere Christianus, inuidiam quisquis antequam sentiat, non fugerit, non euadit. Hæc peritis legis legem suasit non aperire, sed claudere, salutaris præcepti non commodare doctrinam, sed negare: obseratæ scientiæ fontem, & vitalis fluenti originis suæ secreto diuitias obstruere. Iste velociter fugiendus est morbus: quia quos contigerit, non patitur iam sanati. Inuidia cœlum tentat: ibi enim diabolum fecit ex Angelo: vrit terras, quæ vtique Paradisi nobis amœna flammeo custode seclusit. Reges vrget, quia hæc Herodem in coæuos Christi sic compulit desæuire, vt ante lac quàm sanguis teneris funderetur ex membris. Charitatem violat: nam hæc Cain reddidit fratricidam, & innocuam adhuc terram noui sanguinis cruore perfudit. Vastat populos: namque Iudæos, si dici fas est, si capit sermo, facit esse deicidas: deicidas diximus, non quo peruenit, sed quo facinus hoc tetendit: In Christo enim Iudæi non hominem tantum, sed Deum filium Dei conati sunt opprimere, necare virtutes, cum dicunt: Hic est hæres, venite, occidamus eum, & nostra erit hæreditas eius. Sed quid valet diabolus ad Deum. Inuidia quid valet ad dominicam charitatem? Inuidit diabolus terram, sed donauit cœlum Deus: claues scientiæ Legisperitus sustulit, sed claues cœlestis regni per Petrum largitus est Christus: ac sic inuidia suis commodis est nuda, & homo ditatus est ipsa necessitate damnorum. Bene ergo in sequentibus dominus adiecit, dicens: *Attendite vobis à fermento Pharisæorum:* quia in fermento non est moles magnitudinis, sed tumoris, & conspersio tali specie inflata est, non ditata, quantum enim efferbuerit feruentius, tantum fratris massa turgebit, & totam formam leuitatis implet, & tumoris: congruè ergo à Domino dictum est: *Attendite vobis à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Quid est hypocrisis, nisi species arte composita, quæ aliud in re agit, aliud promit in vultum? Hæc penes Pharisæos per scientiam tumescebat, Apostolo sic dicente: Scientia inflat. Illos namque scientia inflabat ad superbiam, non instruebat ad vitam: & corrumpebat ad malitiam, non ad prudentiam promouebat. Erat in eorum facie hypocrisis, erat in eorum mente inuidiæ hydrops, erat in pectore siticulosus fons: erat ardens vnda, quæ suis magis inflammabatur fluentis, vt bibentis

Luc. 11.

Matth. 2.

Genes. 4.

Matth. 13.

Matth. 16.

Luc. 12.

1 Cor. 8.

non extingueret sitim, sed augeret incendium. Sic sic hypocrisi ministrante sui semper inuidia propinat: ab hoc nos morbo subtrahit Apostolus, cum nos non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis sanctum Pascha domini celebrare compellit. Veritas nescit tumorem, simplicitas hypocrisim prorsus ignorat. In azymis synceritatis & veritatis. Hæc sunt cordis azyma: hæc cœlesti dulcedine confecta, hæc gratiæ saporata pinguedine: hæc sancti Spiritus igne decocta, hæc nos manducantes agnum Dei, agnum qui tollit peccatum mundi, ad nostrum Pascha solemniter immolamus: quibus Christus ad lætitiam totam, totam est natus & immutatus ad gloriam.

1.Cor.3.

DE SANCTO IOANNE Baptista, & Herode.

SERMO CLXXIII.

Ioan.10.

PAstor bonus peruigiles noctes, dies anxios ducit, ne quid callidus latro, ne quid luporum feritas astuta perniciosum charo gregi, ne quid noxium moliatur. Pastor bonus, sicut dominus dixit, animam suam ponit pro ouibus suis. Sed & oues bonæ pastoris sui audiunt attentis auribus vocem, pastoris sui semper sequuntur arbitrium, pastoris sui totam faciunt voluntatem, ascendunt colles, petunt ardua, mutant sæpe regiones: ac sic apta pascuis, irrigua fluentis, vmbrosa accommoda, secreta quietis loca penetrant reperiunt amœnitates, & deliciis perfruuntur. Et vos filioli dominici gregis portio copiosa, niueo & diuino vestita iam vellere, molli fœtu, cœlesti germine perfœcunda, si per nostræ vocis aditum ad loca sæpe salutaria, ad salutaria pascua peruenistis, si per nostri sermonis fluenta animi vestri æstus, vestræ sitis temperastis ardorem, si sub doctrinæ nostræ tegmine aliquanta commoditate recubastis, quæ ordinamus, attendite; quæ dicimus, audite; quæ facimus, approbate: nec pro voluntate vestra, sed pro dispositione nostra prædicationis nostræ percipite rationem, & siue cum dicimus de gradu isto, siue cum de sacerdotali sede pro temporis ratione tractamus, vt oues bonæ, vt chari greges, dilecta pignora, sine fastu impigræ, ac toto fidei cursu conuenite, concurrite, nec vos locorum mutatio tam propinqua, & spatia sic arcta, aut reddant desides, aut faciant murmurantes, quia nec ouis ad caulas peruenit, si pro suo libito peruagetur, nec scientiam discipulus poterit obtinere, si doceri pro sua voluntate contenderit: ægrotus quoque nunquam poterit recipere sanitatem, si pro suo fuerit curatus arbitrio. Sed quia nobis hodie contra lupum furentem sermo est, arrepto pastorali baculo transeamus ad Euangelicam lectionem. *Audiuit*, inquit, *Herodes Rex, manifestum enim factum erat nomen Iesu, & dicebat: quia Ioannes Baptista resurrexit à mortuis, propterea virtutes operantur in illo.* Stultus de mortuo piè credit quem feraliter persecutus est viuum: Ioannes resurrexit, & tamen confitetur ignorans, quia in Christo pro Christo resurgit occisus. Herodes quid egit gladius tuus, crudelitas tua quid profecit, quò processit impietas tua, si vt ipse dicis, rediit ad virtutes, resurrexit ad opera diuina, qui furore tuo perturbatur extinctus? Ioannes resurrexit sicut fateris ipse: non hic persona, sed infirmitas periit: non hic Ioannes, sed mors magis tali morte succubuit: illa est pœna: carnifex habetur irrisus: ipsa est cognitoris miseri decepta sententia, qui interemptum non perdidit, sed promouit, *Ioannes resurrexit à mortuis, propterea virtutes operantur in illo.* Et si hostis legis, per legem tamen ille resurrectionem promissam didicerat mortuorum. Et si resurrecturum Ioannem nouerat, cur insanus occidis? Si ad totius diuinæ virtutis culmen, ad totum quidquid est potestatis insigne, tali morte sciebat eleuandum: cur se tantæ mortis esse fecit auctorem? Semper febrit impietas: à phrenesi semper crudelitas obtinetur: carere dementia furor nescit: in se namque sæuit, quoties in alterum tendit: se punit, dum percellit insontem? sibi lethalis est totus cùm erga iustum crudelis existit. Ecce Ioannes, vt ipse dicis, iam viuit in Christo: ad tuam pœnam redit, qui venit ad omnium cœlesti munere medicinam. *Alij autem dicebant, quia Elias est: alij verò dicebant, quia Propheta est, aut quasi vnus ex Prophetis. Quo audito, Herodes ait: Ipse est Ioannes, quem ego decollaui, hic resurrexit à mortuis.* Maleuolo quidem, & veraci sensu testis ipse criminis sui, assertor sceleris sui, sui facinoris accusator existit. *Ioannes quem ego decollaui, ipse est, hic resurrexit à mortuis.* Verum dicit: nam sicut in Christo sui resurgunt, ita in suis ipse patitur Christus: & sicut honor capitis ad membra pertendit, ita membrorum pœna ad dolorem capitis, ad capitis redundat iniuriam. *Ioannes, quem ego decollaui, ipse est.* Iste Rex sapiens, egregius iudex, censor morum, disciplinæ custos, vindex innocentiæ, criminum pœna, quod decolláuerit Ioannem dicit, quare decollauerit tacet: ne potestatem regiam tanti facti confunderet turpitudo, sed Euangelista prodit, vt interfectoris dedecus interfecti producat ad gloriam. *Nam ipse Herodes*, inquit, *misit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam vxorem, dicebat enim Ioannes Herodi: Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Herodias quæ vxor esset duorum fratrum, sceleris amore contendit, vt affectione violaret affectum, & sociaretur Herodi Herodias, ne essent vel nomine dissimiles, qui erant scelere, moribus, vitaque consimiles: & iungerentur vocabulo, quos criminum iunxerat turpitudo: hæc ergo Herodias insidiabatur Ioanni: Herodes adulteræ non vincebat animum, nefas tamen adulteræ differebat. Illa, ne esset arguens, arguentis tendebat ad mortem, ille vt placeret incestæ, captiuus ipse iustum tantum tenuit, vinxit inclusum, quia in innocentem reus facile non poterat dictare sententiam. *Cum accidisset*, inquit, *opportunus dies, Herodes natalis sui cœnam fecit principibus, tribunis & primis Galilææ, cumque intrasset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi, simulque recumbentibus, Rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi. Et iurauit illi: quicquid petieris, dabo tibi, etiamsi dimidium regni mei.* Ingratus, inhumanus rex, qui virtuti tantæ, tam glorioso labori, tam memorabili facto, non totum regnum suum, sed dimidium dedit. Et quare sibi vel pro parte seruauit, quid post tantam domus suæ gloriam, post tale castitatis exemplum esse vicerit, viuere non debebat? Illa ergo criminis filia, non naturæ, non tam ad matrem, quàm ad ipsam sentinam sui sceleris mox currit: vt quæ fluida tota, tota ierat resoluta, sæua, & truculenta reuolaret, vt de ipsis actibus loquar, vt tragœdiam nefandam caneret, quæ impleuerat turpissimè comœdiam. *At illa egressa dixit matri suæ: quid petam? Illa vero dixit, caput Ioannis Baptistæ. Et ingressa statim cum festinatione ad Regem petiuit dicens: Volo, vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ. Et cõtristatus est Rex propter iusiurandum, & propter simul recũbentes, noluit eã contristare, & statim Rex misso spiculatore, iussit afferri caput eius. Ille autem*

Marc.6.

abiit,

abit, & decollauit eum in carcere, & attulit caput eius in disco, & dedit illud puellæ, & puella dedit illud matri suæ. Sic iudicat mens oppressa crapulis, soluta vino, & toto quodammodo ebrietas demersa naufragio: *Volo, vt protinus des mihi in disco caput Ioannis.* Serpentis germen caput hominis petit, cui suum caput sententia principali sciebat addictum, dicente Deo: Ipse seruabit caput tuum, & tu illius obseruabis calcaneum. In longum nos trahit prolixitas le- Gen.3.
ctionis, & satis in altum promouit loci ipsius immensa profunditas. Differamus hodie quæ sequuntur, ne dum sermo festinat ad finem, quæ sunt prolixè dicenda transmittat. Id in clausula nostri commendamus eloquij, quod sine causa cucurrerit serpens; nam tota germina serpentis antiqui iste Ioannes noster interemit, & effusione sui sanguinis extinxit occisus.

DE DECOLLATIONE SANCTI Ioannis Baptistæ,

SERMO CLXXIV.

Herodianæ cœnæ cruentas epulas, coniugium hic ferale, tunc terra, tunc cœlum, hodie mecum vester horruit & expauit auditus. *Herodes,* inquit, *natalis sui cœnam fecit.* Bene cœnam, quia non luci, sed tenebris addictus est hic natalis, in quo noctis filius natus est, non diei. *Natalis sui,* inquit, *cœnam fecit principibus, tribunis, & primis Galilææ.* Quid egit incauta & cæca semper impietas? Omnes euocat potestates, vt non tam multos conuiuij sui socios, quàm innumeros criminis sibi testes assumat, & tot habeat facinoris sui arbitros, quot habuit præsides disciplinæ. *Cumque intrasset filia ipsius Herodiadis, & saltasset,* inquit, *& placuisset Herodi:* Respondit suo turpis generi, dum Patri complacet turpiori: de adulterio nãque non nisi turpis debuit procreari: quæ fractis gressibus, corpore dissoluto, disiuncta compage membrorum, fluentibus ex arte visceribus, tota patri fieret deformitate formosior. Et reuera suam credidit tunc Herodes cum talem vidit: nam putasset alienam, si pudicam vel aliquantulum peruidisset. Serpens tunc latebat in fœmina, quæ receptans gressibus flexuosis lethale toto corpore virus effudit: vt discumbentium mentes furor, venenum corpora sauciaret: homines verterentur in bestias, nec vino iam tales, sed sanguine potarentur: nec pane rabidi, sed carnibus vescerentur humanis. Tales vtique, tales reddidit, quibus adhuc fumante sanguine caput intulit tunc
Psal.76. Ioannis, vt illud Psalmistæ canticum probaretur: Dederunt carnes sanctorum tuorum bestiis terræ: effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam. Ecce quid pariunt totis noctibus protracta conuiuia, ecce quid generat quod cum mensura emitur, & sine mensura bibitur vinum: ecce quo præcipitatur caro, cum ad luxuriæ facinus voluptatis inflammatur incendiis. Rogo quid tantis cuneis arctatur? Sufficit infelix caro sibi suis casibus ad ruinam, attestante Propheta cum dicit: Vt quid irruitis in
Psal.61. hominem, interficitis vniuersi vos tanquam parieti inclinato, & maceriæ impulsæ? Iacebat in Herode caro oppressa crapulis, ebrietate captiua, quæ titillante luxuria, & non tam ludente, quàm illudente lasciuia, promitteret quicquid turpitudo peteret se daturam. *Pete à me quod vis,* inquit, *& dabo tibi: & iurauit illi.* Iurat miser, dum quicquid honestatis est & virtutis, abiurat. *Pete à me quod vis.* Quid peteret luxuria, ni castitatis interitum, pudicitiæ necem, mortem sibi semper contrariæ sanctitatis? *Volo, vt des mihi in disco caput Ioannis.* Si caput 1.Cor.11.
viri est, iuxta Apostolum Christus iam tunc nouello ore antiquissimus serpens Christi Domini tendebat ad mortē. *Volo, vt des mihi in disco caput Ioannis.* Iam tunc auidus draco in seruili capite Domini degustabat sitiens passionem. *Volo vt des mihi in disco.* Cur in disco, cur pretiose gestas, quem viliter oc- Psalm.115.
cidis? nisi quia, Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius? Hoc ipsum quod vis non agis, quomodo ipsa vis: quia agit te superna ratio aliter quàm vis: in illo quidem tunc ferali antro, non aula Regis, rabies tunc fera pastum suum credidit, cum caput martyris vidit: totum suum sensit, cùm liquorem sacri sanguinis sitiens, aspexit: ferculum crudelitatis suæ toto ore, totis faucibus contendit, & conatur absorbere. Sed Ioannes venit in sublimi positus, vt lucerna super candelabrum, tenebras vt fugaret, dicente Domino: Ille erat lucerna ardens & lucens. Ioan.5.
Venit Ioannes, vt iudex in tribunali, resplēdens, vt qui arguit adulterium, exponeret & damnaret homicidam: & qui piè viuens incestum vocarat ad pœnitentiam, reseruauerat ad veniam, homicidium etiam damnaret occisus. Quam quæso meretur veniam, qui in morte Ioannis ipsam pœnitentiam tam crudeliter interemit? Gratis cucurristi Herodes, Herodias, nomine non affectione sociata, sed crimine: qui vocem intercipi posse stultissimè credidi- Ioan.1.
stis: Ego sum, inquit, vox clamantis in deserto. Vox accipi non potest, sed magis clamat angustiis corporis absoluta. Sic vox Abel in suo iam effusa sanguine magis sonat, magis penetrat, magis pertendit ad cœlum. Sic nunc Ioannes toto orbe clamat, totis sæculis facinus vestrum cunctis refert, & ostē- Gen.4.
tat in gentibus. Ecce Ioannes Christi capite gloriatur, qui capite putabatur addictus. Ecce eo die quo tu finisti tuum, ille sibi natalem cœli conquisiuit: quia quando tuus ortus mersit in finem, tunc illius ortus est in natalem. Iustus enim tunc inchoat viuere, cum pro Christo meretur occidi, transfertur ista morte vita martyris, non aufertur: morte magis claruit, qui ob hoc mortuus est, vt viueret in æternum. Ecce tu iaces in morte: Ioannes viuit occisus. Tu fucatam murice purpuram perdidisti; Ioannes cruore suo fulgenti purpura semper gloriatur indutus. Tui conuiuæ nunc participes efficiuntur in pœnis, Ioannes cœlesti mensa cum choris nascitur Angelorum. Ille audit cœlestem iugiter symphoniam, tu audis inferni semper gemitum & stridorem. Ille meretricis tuæ, saltatricis tuæ addictus in pretium, nunc regno, nunc præmiis cœlestibus honoratur: tu mercedem sententiæ Gen.39.
tuæ cum tua filia in tartaro percepisti. Vestimentum Ioseph, cum adulteram fugeret, dereliquit: Ioannes ne videret adulteram, ipsum proiecit & corpus. Ioseph ne adulterium faceret, libens carcerem suscepit: Ioannes, vt argueret adulterium, eremum carcere commutauit. Ioseph somnia dum reuelat, euasit ex morte: Ioannes, vt Dei filium reuelaret, suscepit & mortem. Ioseph dum panem præparat temporalem, ex auro torquem meruit, & honorem: Ioannes, vt ostenderet cœlestem credentibus panem, maryrij torquem meruit ex cruore. Meritò in natis mulierum cunctis maior est hic Ioannes, qui non solum adulteras arguit, sed & licita mulierum consortia virginitatis amore calcauit. Et si Ioannes tantus, Ioannes talis, tanta eremo separatus à fœminis, fœminarum pericula non euasit; quis est qui inter fœminas viuens eum rursum se sine labore maximo, maxima sine cautione confidit, nisi is qui sancto alitur Spiritu? Qui

cum genitore, natoque vna cuncta disponit sæcula per æui omnia spatia.

DE MARCELLINO EPISCOPO Vicohauentino, & Sancta Mariæ Virginis partu.

SERMO CLXXV.

OMnium quidem rerum primordia sunt dura, sed duriora sunt omnibus primordia generantis. Sancta Ecclesia Rauennas vt primum pareret, viam fecit, angores pertulit, sensit dolores. Et hoc egit fratres, vt ordinem partus diuini toto veritatis tramite custodiret: nam posteaquam primogenitum totius creaturæ virgo mater vt pareret, viam totius patriæ percurrit, sic virgineus partus, sic primitiuorum est dedicata natiuitas. Et necessario, fratres, via generatur in via. Ego sum, inquit, via: vt omnis aditus excluderetur erroris, & viator tandem cœlum peteret, qui terreni itineris incassum diu sudores pertulerat & labores: *Et factum est diebus illis*, inquit Euangelista: *Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt profiteretur vniuersus orbis. Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam ad ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. Et factum est in diebus illis, impleti sunt dies vt pareret: & peperit filium suum primogenitum.* Libet hic aliquid de dolore dicere. Edicto Cæsaris, & pagani Dominus obtemperaturus occurrit, & decreto Beati Petri, decreto Principis Christiani, seruus adhuc aliquis irreuerenter obsistit? Verum, quia neque prospera aduersis, neque gaudiis miscenda sunt tristia, his omissis hodierni germinis lætitiam proloquamur. Habeat modo natus, qui primùm natus est primogeniti reuerentiam, teneat & honorem: Marcellinus hodie vernaculi partus totum rapuit & conquisiuit affectum. Circumstant filij, adsunt propinqui, cognatio tota concurrit, familia exultat omnis, & ipsa penetralia domus tripudiant & lætantur: quia videre oculis, suscipere manibus, hodie primum sanctæ genitricis partum, sobolemque meruerunt. Ipsa quoque genitrix sponsa mater & virgo, in ipso sponsi sui thalamo, in ipso coniunctionis suæ cubiculo genuisse noua gratulatione miratur. Sed neminem turbet, nullum moueat, quod in thalamo ipso sponsa ipsa cernitur pepetisse: talis non est de crimine, sed de virginitate conceptus: quando in tali germine cœlestis partus est, non humanus: nec vllus hic est sinistræ suspicionis locus, vbi ipse sponsus sponsæ suæ testis habetur, & custos. Quicunque sollicitus es de facto, esto de exemplo maximo persecurus: & præcedentis trepidatio ad tuam cautelam proficiat, & munimen. Ioseph ille maritus solo nomine, conscientia sponsus, prægnantem sponsam fluctuans & anxius intuetur: quia neque accusare innocentem, neque prægnantem poterat excusare: tacere tutum non erat, erat loqui periculum. Admittit, non prodit crimina accusator insontis. Erat ipse testimonium castitatis, erat custos pudoris: aliud nouerat, aliud intuebatur: confundebat Virginis fides, actus & vita: in biuio mens iusta & sanctus animus, ancipiti cogitatione torquetur: sentit, sed tantum non potest penetrare sacramentum: quia nec accusare poterat, & defensare penes homines non valebat. Merito mox occurrit Angelus: merito responsum subuenit mox diuinum, cui humano deficiente consilio iustitia non defecit. Et quid dicit? *Ioseph fili Dauid, noli timere.* Qui nihil fecerat, quid timebat? Timebat, quia etsi nullus in facto reatus erat, erat in causa maximus pauor. Sanctus animus quicquid non assequitur, expauescit. Caue ergo homo de partu nostræ matris taliter disputare, cùm Angelum respondisse sufficiat: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in illa natum est, de Spiritu sancto est.* Fœliciter parturit, quæ virginitatis coronam magis, magisque patiendo conquisiuit, & gloriam. Hic vero qui nobis hodie natus est, semper retia tetendit in mare. Nemo ergo miretur, si piscatorem Petrus gestiuit habere collegam. Orate ergo fratres, vt piscari mereatur homines, qui hactenus pisces capere hominum laborauit ad vitam.

Ioan 11. / Lucæ 2.

DE CÆCO.

SERMO CLXXVI.

DEus quoties desperatas humanorum curat corporum passiones, deitatis suæ toties potentiam pandit: sed in vna eademque infirmitate, quando ordinem suæ curationis immutat, causas propter quas hoc faciat, facit nos altiùs perscrutari. Nam iuxta viam sedenti cæco, visum sola restituit iussione: alij à natiuitate cæco nato, non lumini, sed tenebris, & cui natura visum inuiderat, atque ipsa quæ parat, & aperit oculos, oculos clauserat, & negarat. Christus imponit lutum: & collyrio materiali fingit, facit, procurat oculos, non recurat: vt creante, non medicante manu inde homini suppleret lumina, vnde hominem fecerat totum. Iste verò cæcus, cuius nobis Euangelista Marcus retulit curam, sic nouo sanatur modo, vt omnes compellat exquirere, cur contumax cæcitas moram facere sic præsumit authori: cuius nutu, visu, iussu infirmitates pereunt, redeunt sanitates, vita oritur, mors finitur: stant omnia, cuncta dilabuntur. *Venit*, inquit, *Iesus Bethsaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum, vt eum tangeret, & apprehensa manu cæci, eduxit eum foras extra vicum.* Quasi eum curare non potuerit in loco: aut beneficio loci indiguerit, vniuersis qui contulit visum. Hæc est Bethsaida, cuius perfidiam Dominus exprobrat, dicens: Væ tibi Corozaim: væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone virtutes factæ fuissent quæ in te factæ sunt, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Ergo apprehensa manu eius de domo infidelitatis educit, leuat eum de perfidiæ sessione, vt ante fidem quàm oculos daret, ante menti, quàm corpori redderet sanitatem, ante præberet humani ducatus obsequium, quàm diuinæ virtutis operaretur insigne. Illi rogabant vt vel tangeret eum: sed Christus, qui horrere nescit pauperem, pauperem scit amare, totam dedit pauperi manum, & debilitati Deus publicam præbuit seruitutem, vt homo non horreat hominem, & videns non videntem videat: & duce manu cæcum lucis faciat nescire orbitatem: ne dicat homo, non habet manus mea quod det pauperi, det ipsam manum pauperi, & plus erit manum pauperi dedisse, quam nummum: iter præbuisse pauperi, quam pauperi panis dedisse fragmentum. *Et educit eum foras extra vicum, & expuit in oculos eius.* Dominico sputo vacuas oculorum replet lacunas, diuino ore luciferam dat saliuam, vt sancti roris gutta baptizaret oculos peccatoris, aperiat venia, quos clauserat culpa. Nemo ergo dubitet diuino imbre tota arefacta mortalia membra posse reuiuiscere: cum videat parua dominici sputi gutta arentes cæcitate oculos subito sic suscitatos in lucem. Exurgent, inquit Isaias, mortui, & resurgent qui

Ioan. 9. / Marc. 8. / Matth. 11.

qui in monumentis sunt, & lætabuntur qui sunt
Esai.26. in terra. Quomodo? Ros enim qui abs te est, sanitas est illis: quod est pluuia semini, hoc resurrecturis dominicus imber. *Et imposuit illi manus.* In faciendo, in reparando, in componendo hominem dominicæ manus curatrices hominibus semper ad
Psal.108. sunt. Manus tuæ, inquit, fecerunt me, & plasmauerunt me. *Et interrogauit eum, si aliquid videret.* Interrogat vt homo, operatur vt Deus. Qui videt abdita terrarum, qui cordis intuetur occulta, cui omnia sunt nuda, quæ sunt tecta omnibus in opere suo, in oculis suis videre quærit, laborat scire, alio referente cognoscit? Absit: sed interrogat vt præsentes scirent, futuri cognoscerent, cæcitatis huius non esse simplicem, sed mysticam curam. Denique non lumen, sed auroram quamdam, lucemque erumpentem datam sibi adhuc qui curabatur, Domino interrogante, respondit: *Video*, inquit, *homines vt arbores ambulantes.* Imperfectis oculis grandescunt formæ, turbantur species, res falluntur ipsæ: quia non iam visionem capiunt, sed adhuc vmbram sustinent visionis. Et quare tamen sicut arbores, non
Psalm. 39 vt columnæ, aut aliud quid; neque stantes, sed ambulantes? Quia post curam Christi viderat, quod homines velut arbores transirent in hoc sæculo, non manerent: temporalem plantationem germinis humani esse in hac vita mox videt quem curauerit Christus. Iteranda est ergo cura Christi, vt perfecti oculi futura, certa, manentia videant, & æterna. *Iterum*, inquit, *posuit manus super oculos eius, & cœpit videre: & restitutus est, ita vt clare videret omnia, & misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam, & si in vicum introieris, nemini dixeris.* Aperiatur iam spiritualis intelligentia, vt qui sit iste cæcus cognoscamus, & quare non sponte venit, sed ab aliis adducitur, & ducitur manu Christi, & educitur extra vicum, & alibi recipit visum, qui diu apud suos longam sui pertulerat orbitatem: & expuit in oculos eius, & iteratur diuinæ manus impositio, & cui vere extra domum datur, quid viderit, quomodo viderit, per quem viderit, sed dicere non donatur. Fratres, cæcus iste est Iudæus, qui in synagoga, hoc est, in perfidiæ domo, & in vico, hoc est, in conuentu malignantium, ignorantiæ cæcitate tenebatur, & sedebat oppressus. Hinc est quod non veniebat ad Christum, sed venit ad eum Christus, & apprehendit manum eius, vt dono vocantis, non beneficio legis, non proprio curatum se gloriaretur arbitrio. Educit eum foras, vt in Ecclesia lucem fidei videat per libertatem gratiæ, qui sub legis velamine nil videbat. Imponit ei primum manum, vt videat transire vmbram legis: vt Sacerdotes, Scribas, Pharisæos, & figuram totam Iudaicæ obseruantiæ videat velut arbores præterire: quæ vt nascuntur, virescunt, florescunt, fructificant in tempore: sic cum tempore senescunt, pereunt, euanescunt. Iterum imponit ei manum, vt resurgens non iam caduca videt, sed æterna; & videat quicquid est diuini luminis, honoris, & gloriæ: sicut ille Act.9. magnus ex ipsis Paulus, qui extra vicum, & in via Iudæus cecidit vt resurgeret Christianus, & cæcatus est in lege vt videret in gratia, sicut ab ipso perhibetur. Nunc videmus in speculo & in ænigmate: 1.Cor.15. tunc autem videbimus facie ad faciem. Tunc quando quod sepultum est in morte, surget in vita, & quicquid satum est in contumelia, surget in gloria.

Deuotissimi sanctissimique viri Petri Chrysologi sermones finiunt; Deo Optimo Maximoque auxiliante.



DILECTISSIMO, ET MERITO honorabili filio Eutycheti Presbytero, Petrus Episcopus.

TRISTIS legi tristes literas tuas; & scripta mœsta mœrore debito percurri: quia sicut nos pax Ecclesiarum, sacerdotum concordia, tranquillitas plebis, gaudere facit gaudio cœlesti; ita nos affligit, & deiicit fraterna dissensio; præsertim cùm talibus oriatur ex causis. Triginta annis humanæ leges humanas adimunt quæstiones: & Christi generatio quæ diuina lege scribitur inenarrabilis, post tot sæcula, disputatione temeraria ventilatur. Quid Origenes principiorum scrutator incurrerit, quomodo Nestorius lapsus sit, disputans de naturis, non latet prudentiam tuam. Magi Christum in cunabilis, Deum mysticis muneribus confitentur; & sacerdotes, quis sit, qui virginali partu, de Spiritu sancto natus est, dolenda interrogatione disquirunt? Cùm vagitum IESVS daret in cunis, Gloria in excelsis Deo, cœlestis clamabat exercitus: & modo quando in nomine IESV, omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, originis eius quæstio commouetur? Nos, frater, cum Apostolo dicimus: Etsi nouimus Iesum secundùm carnem; sed nunc iam non nouimus: nec possumus iniuriosè replicare, qui iubemur honorem dare, & timorem reddere; & expectare, non discutere, quem Iudicem confitemur.

Hæc breuiter respondi, frater, literis tuis; plura rescripturus si ad me frater & Coepiscopus noster Flauianus aliqua de hac causa scripta misisset. Si enim tibi displicet, quoniam scripsisti electum iudicium; nos quomodo de his iudicare poterimus, quos neque vidimus propter absentiam; & quid intellexerunt, eorum taciturnitate nescimus? Iustus mediator non est, qui sic vnam partem audit, vt nihil alteri parti reseruet. In omnibus autem hortamur te frater honorabilis; vt his quæ à Beatissimo Papa Romanæ ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas: quoniam B. Petrus, qui in propria sede & viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis & fidei, extra consensum Romanæ ciuitatis Episcopi, causas audire non possumus. Incolumem tuam dilectionem Dominus tempore longissimo conseruare dignetur, charissime & honoratissime fili.

SANCTI
FVLGENTII,
RVSPENSIS
EPISCOPI,
Opera, quæ extant, omnia.



INDEX OPERVM
B. FVLGENTII, ET ALIORVM
Hoc Volumine contentorum.

VITA

VITA
B. FVLGENTII, EPISCOPI RVSPENSIS, A QVODAM eius discipulo conscripta, ad Felicianum Episcopum, S. Fulgentij Successorem.

PROLOGVS.



MNIS noui Testamenti fidelissimus dispensator, in quo loquitur Christus, sancte Pater Feliciane, vt exemplo suo credendum sibi facilè persuadeat, operum bonorum curam maximam gerit, & quicquid aliis faciendum dicit, ipse primitus facit. Sine causa quippe nititur docere sapienter, nisi vixerit innocenter. Duo igitur Ecclesiæ Catholicæ Doctoribus necessaria iudicantur: vita bona, & sana doctrina. Vita enim bona, commendat sapienter docentem: doctrina sana ornat benè viuentem. Vita bona facit amabilem: doctrina sana laudabilem. Vita bona continuò creditur imitanda: doctrina sana nunquam indicatur esse repudianda. Vita bona tollit occasiones detrahentibus: doctrina sana resistit contradicentibus. Propterea mihi diutissimè B. Fulgentij Pontificis, tui scilicet præcessoris (à quo simul nutriti sumus) & nomen & gratiam cogitanti, dum frequenter ante oculos cordis mei magister egregius versaretur, dolebam tanti viri solatio caruisse populos Africanos. Et quamuis ille gaudiis cœlestibus oblectandus ad meliora migrauerit: apud nos tamen modò similem deesse doctorem, sapientiæ eius bene conscius suspirabam. Dabatur sanè flebili recordationi quædam respiratio, quoties dulcissimos Libros eius, aut Epistolas, aut quos dedit populo præsente Sermones, vel ego legebam, vel legentes alios audiebam. Verumtamen illis præclaris opusculis ingenium viri sapientiámque posse agnosci, tacitus considerabam: cuius autem iustitiæ, probitatis, & misericordiæ fuerit, & quomodo laudabiliter vitam suam (quod tu bene nosti) cum familiaribus suis transegerit: sicut docuit veniens, scire plerosque non dubitabam, latere tamen plurimos sentiebam. In posterum verò, ne obliuione longa, conuersationis eius bona nescirentur, semper & vehementius formidabam. Dixi ergo diu cogitans: Ecce fulget B. Fulgentij sana doctrina, quoniam leguntur ab hominibus libri eius. Quasi ipse loquitur, quando codex, eius titulatus nomine, legitur: quî autem fiet, vt similiter nota sit omnibus vita eius bona? Quamdiu viuunt adhuc, qui nouerunt eum, vel à certissimis testibus aliquid de eius virtutibus audierunt, potest illi præsens memoria verum testimonium perhibere. Quid aget ventura progenies? Quid in transmarinis partibus longè constituta fidelium turba? Cùm peruenerint ad notitiam lectionis, in qua idem beatissimus Pontifex absens loquitur, mortuus viuit, admirabuntur profectò sapientiam, vnde cognoscent innocentiam? Sicut ergo clara est eius doctrina, sic clarior fiat etiam vita: loquamur & narremus fratribus nostris quomodo tantus Pontifex vixerit. Nec timendum est, ne minore facundia Sacerdotem, qui per vniuersas orbis Ecclesias magnum nomen obtinuit, ego faciam paruum. Cuiuslibet enim sit meriti oratio, nec augere poterit tanti viri merita, nec minuere: sed proficere tantummodo ad testimonium charitatis, in qua illi semper inhærere desiderant, saluteferis eius monitis ad suscipiendam professionem monachorum conuersi, in illo paruissimo Monasterio quod sibi apud Sardiniam pro Christi nomine relegatus effecerat, vbi iam tu Presbyter habitas, diebus ac noctibus ante eum positus vixi, quando me super mel & fauum dulciora cœlestis eius eloquij flumina frequenter irrigabant: Et nisi sterilitas arentis ingenij præpediret, centensimum fructum gleba nostri pectoris attulisset. Sed indignus ego de tanta plenitudine vix exiguam capere valui portionem. Tuæ tamen paternitatis orationibus, fretus, libelli præsentis laborem suscipere cogitaui: in quo omnia quæ memoriter nobis audientibus ipse referebat, & illa insuper quæ oculis nostris adspeximus, aut iam positi in doctrina illius quemadmodum sint gesta non ignoramus, breuiter explicabo: notam falsitatis incurrere nullatenus timens, cuncta quippe senilem tuam paternitatem minimè latent. Nec tibi nunc aliqua quasi nescienti dicuntur: sed tuo potius testimonio confirmanda simpliciter diriguntur.

Duo Doctoribus Catholicæ Ecclesiæ necessaria: vita bona, & sana doctrina.

B. Fulgentius præcessor Feliciani Episcopi.

CAPVT

CAPVT I.



Genus Fulgentij.

BEATVS igitur & verè Fulgentius, nobili secundum carnem genere procreatus parentes habuit ex numero Carthaginensium Senatorum. Auus denique eius nomine Gordianus, dum Rex Hunericus & † Gensericus memoratam Carthaginem victor inuadens, Senatores plurimos, imò cunctos, amissis omnibus bonis, ad Italiam nauigare compelleret, inter cæteros etiam ipse impositam peregrinationem libenti voluntate suscepit, volens saltem facultatibus perditis, non perdere libertatem. Post cuius obitum, duo ex filiis eius, spe recuperandæ hæreditatis, Africam prouinciam repetentes, manere tamen intra Carthaginem minimè potuerunt, domo propria donata sacerdotibus Arrianis. Sed possessionibus suis ex parte per authoritatem Regiam repetitis † Byzantium perrexerunt. Ibique * Tellepte ciuitate vnus eorum nomine Claudius, ex coniuge nomine Mariana, Christiana scilicet & honesta fœmina, istum, cui tanta gloria debebatur, fœliciter genuit, eumque statim quasi præscia qualis esset futurus, Fulgentium nominauit. Quem religiosa mater moriente celeriter patre Græcis litteris imbuendum primitus tradidit. Et quamdiu totum simul Homerum memoriter reddidisset, Menandri quoque multa percurreret, nihil de Latinis permisit litteris edoceri: volens eum peregrinæ linguæ teneris adhuc annis percipere notionem, quo facilius posset victurus inter Aphros locutionem Græcam, seruatis aspirationibus tanquam ibi nutritus exprimere. Nec fefellit matrem piam † cauta prouisio. Sic enim quoties ei Græcè loqui placebat, post longam † desuetudinem locutionis eius & lectionis, non inconditis sonis verba proferebat, vt quasi quotidie inter Græcos habitare putaretur. Litterarum proinde Græcarum percepta scientia, Latinis litteris (quas magistri ludi docere consueuerunt in domo) edoctus artis etiam Grammaticæ traditur auditorio: magnitudine ingenij cuncta sibi tradita memoriter veraciter retinens. Inde tamen domesticorum negotiorum vrgente necessitate citò sublatus, paternæ domus gubernationem suscepit adolescens, ita se maternis imperiis subdens, vt ibi quoque Christi existeret imitator, de quo sacra Euangelia contestantur; *Et erat subditus illis*, id est, parentibus. Gaudebat venerabilis mater, & præclara indole sapientis filij mœrorem viri amissi consolabatur. Cœperat in illa familia esse, qui amici obsequium beneuolus redderet, inimicos rationabiliter repelleret, seruos mansuetus & seuerus regeret & corrigeret, patrimonium diligens coleret, sublimioribus potestatibus charissimus fieret. Cuius rei gratia, crescente per singulos dies fama eius, repente Procurator ordinatur, hinc initium sumens imperandi, & consulendi, ac gubernandi quamplurimos.

† Geisericus. *Vide lib. 1. B. Victoris de persecutione Vandalorum.*

† Bythyniam. † ad Byzacium. * Lepte. Mariana mater Fulgentij. Fulgentij institutio.

† causæ. † consuetudinem.

Paternam domum gubernat Fulgentius. *Luc. 2.*

Procurator ordinatur.

CAPVT II.

ACcepta tamen hac potestate dum clementer vtitur, neminem lædere pro ingenita sibi * pietate desiderat, atque in exigendis pensionibus crudelitatem iubetur exercere, cœpit sæcularium negotiorum grauis apparere sarcina, & displicere fœlicitas vana: paulatimque laudabili patientia succedente, vitæ spiritalis amor exurgere, desiderium lectionis insuper & orationis indefessum crescere studium. Monasteriorum proinde suauissimos greges frequentius visitans, seruorum Dei mores propositumque discebat. Inter abstinentes, nulla esse gaudia sæculi, sed nulla esse etiam tædia sentiebat. In summa abstinentia viuentes, videbat neminem calumniatorem timere, sed se inuicem diligere. Considerabat etiam multos adolescentes perpetuæ continentiæ deditos, ab omni posse abstinere concubitu. Talibus apud semetipsum cogitationibus fluctuabat, atque in hæc verba prorumpens: Cur obsecro, aiebat, sine spe futurorum bonorum laboramus in sæculo? Quid nobis aliquando præstare poterit mundus? Si gaudere desideramus, licèt sit melius bene flere, quam malè gaudere: quanto melius tamen gaudent quorum sic in Deum tranquilla est conscientia? quos minimè terret exactoris improbi violentia, qui nihil timent nisi peccata, nihil agunt nisi vnde possunt diuina implere mandata. Non fatigantur publicis excursibus, non damna rei familiaris coguntur aut flere miserabiliter, aut timere deformiter. Operantes manibus suis non aduersantur vtilitatibus alienis, viuunt inter sese pacifici, sobrij, mites, humiles, atque concordes. Nulla illis cura libidinis: imò magna & sollicitudo & iugis custodia castitatis. Imitemur tam laudabiles viros, arripiamus hanc benè viuendi constantiam. Sit nobis vtile quod reuelante gratia meruimus meliora cognoscere. Abiiciamus pristinos mores, & mutemus labores. Nitebamur prius inter amicos nobiles apparere nobiliores, nitamur modò inter seruos Dei pauperes effici pauperiores. Si coacti sumus exigere debitores, conemur modò conuertere peccatores. Solet etiam de publicis exactoribus efficere Christus Dominus noster magistros Ecclesiæ: de telonio enim vocatus est Matthæus, vt Apostolus fieret. Neque nos istius exactoris honori personam conuenire credimus nostram? Sed si ille deposito officio exactionis, accepit officium prædicationis: mihi non licebit, post depositam procurationem, pœnitentis assumere lamentationem? Refugium nostrum, Deus est. Nulla de ætatis imbecillitate nascatur excusatio: potens quippe Deus est, qui dat continentiam tantis adolescentibus, quos videmus in Monasteriis viuere, mihi quoque peccatori similem gratiam donare.

* bonitate.

Fœlicitas Monachorum.

Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5.

Deus refugium nostrum.

CAPVT III.

POst hæc verba diutius in suo pectore ruminata, decreuit Spiritu sancto reuelante, sæcularibus omnino renunciare deliciis, & illius vitæ socius fieri quam laudabat: prius tamen cogitans ne subita mutatio mentem simul, corpúsque perturbans, inter ipsa conuersionis initia, grauissimum sibi vel impedimentum, vel scandalum gigneret. Occultè arripuit rata exercere ieiunia, dehinc paululum progrediens, antiquorum sodalium tentabat vitare consortia. Segregatus frequenter à turbis, in possessione propria, nescientibus omnibus parentibus & clientibus, quasi propter actionis laborem tristis sedebat, & ibi orabat, legebat, ieiunabat, epularumque immoderatam copiam minuebat, ad balneas penitus non accedens. Et sub ipsa adhuc professione laica, plenus iam monachus conuersabatur. Stupebant omnes qui nouerant eum, & tam delicati viri mirabilem parcimoniam, causámque mutationis huius interpretabantur ex angustia natam pusillanimitatis. Apud illum verò per singulos dies amor sanctæ professionis, & mortificationis impensior cura crescebat. Aliquando igitur vbi omnia quæ sibi dura videbantur expertus, adiutorio gratiæ spiritalis voluntati suæ sensit suppetere facultatem, B. Augustini exponentis tricesimum-sextum Psalmum disputatione commonitus & compunctus, publicare suum statuit votum: mutare gestiens

Meditatur monasticæ vitæ complexum.

B. Augustini expositionem in Psalm. 36. legens Fulgentius conuertitur.

ſtiens habitum, ne vel amicabiliter ad ſe venientes pati cogeretur, cum quibus diu ſæculariter vixerat. Cogitabat autem vir prudentiſſimus conuerſionem ſui cordis ſibi ſoli vtilem futuram, ſi latere potuiſſet: publicatam verò, multis aliis exemplum bonum dimittendi peccata priſtina præſtituram. Quis enim mediocris aut pauper fieri monachus erubeſceret, dum Fulgentium videret † gemini faſtus arrogantia recedente, duras abſtinentiæ vias patientiæ greſſibus ambulantem?

† genuini.

CAPVT IV.

Ad Fauſtum Epiſcopum ſe confert.

FVit autem tunc temporis Epiſcopus quidam laudabiliter prædicandus, nomine Fauſtus, qui pro fide Catholica non longè à Cathedra ſua iuſſus fuerat relegari. De multis enim ſacerdotibus hoc Hunerici tyranni perſecutoris aſtuta malignitas ordinauerat, vt iuxta patriam propriam peregrinationis incommodum ſuſtinentes, ad negandum Deum facilè flecterentur. In eodem proinde loco vbi relegatus tenebatur, Monaſterium ſibi conſtruxerat, in quo ſpecialiter viuens, apud omnes Chriſtianos honorabilis habebatur. Ad hunc ergo S. Fulgentius, quippe ei notiſſimus, alacriter venit, eíque votum ſui cordis fideliter indicauit. Ille autem ſciens ſæcularem omnino iuuenem, verebatur talia credere pollicenti, dicens ei: Quare fili mentiris, vt ſeruos Dei fallere delecteris? Tunc eris monachus, aut antiquam delitiarum tuarum conſuetudinem ſic repentè mutabis, vt eſcarum vilium negligentior apparatus, & veſtium ſordidarum tuum animum non offendat abiectio? Prius eſt, vt ſis ſaltem laicus minus delitioſus, & tunc forſitan credibile putabo, quòd renunciare ſæculo aut velis, aut valeas. Ad hæc ille iuuenis magis ac magis inflammatus, repellentis manum ſuppliciter oſculatus, ſic oculis in terrã depoſitis precabatur. Potens es, Domine pater, dare volenti facultatem, qui nolenti tribuis voluntatem. Permitte me tantùm tuis inhærere veſtigiis, aperi mihi ianuam monaſterij, præbe ſanctæ ædificationis adiutorium, fac me vnum de diſcipulis tuis: & Deus nouit, quomodo me liberet ab iniquitatibus meis. Hæc audiens beatiſſimus ſenex, grauiſſimum putauit ſupplicantem diutius ſpernere. Tandem flexus ad conſentiendum, mane, inquit, nobiſcum fili ſicut vis, experiamur paucis diebus, vtrum verbis facta concordent. Vtinam ſuperfluus ſit timor meus, & profeſſio tua inueniatur ſtabilis. Poſtquam igitur ſupplici conſenſum præbuit S. Fauſtus Epiſcopus, ſonuit illicò per affines, & notos, Fulgentium monachum factum. Gratulabantur boni, confundebantur mali. Quoſdam faciebat vita eius tranſacta in deliciis, deſperare: quoſdam ſingularis ingenij notiſſima ſcientia † magnum aliquid ſuadebat de profectu eius velociter ſperare. Quidam verò familiares eius, quibus ab infantia chariſſimus amicus & fideliſſimus fuerat, eum imitari cupientes, ipſi quoque ſæculum contempſerunt, & ſe monaſteriorum gregibus mortificata voluntate iunxerunt.

B. Fulgentius fit monachus.

† magni

Imitantur alij exemplum eius.

CAPVT V.

Mater eius propoſito ex cruciatur.

AVdit hoc mater referentibus multis ad conſortia monachorum fugiſſe Fulgentium, totiúſque domus regendæ atque gubernandæ curam penitus dimiſiſſe, nec omnino iam poſſe de tali propoſito reuocari. Turbatur, expaueſcit, & amoris nimij deſiderio concitante, quaſi iam Fulgentius moreretur, quamuis bene moreretur, qui ſic moriebatur, cælum nimiis lamentationibus pulſat, & ſicut ſolent matres in funeribus filiorum, modum neſcit habere lachymarum. Rapitur inconſideratis curſibus ad monaſterium furibunda, contumeliis & conuitiis S. Fauſtum nihil dubitans aggreditur. Redde, inquiens, filium matri, redde dominum ſeruis. Sacerdotes ſemper multa beneficia viduis præſtant, quare nunc domus viduæ per te perit? Cui * patienter reſpondebat Epiſcopus: Si tu mihi filium tuliſſes, ego te mulier deberem quantum dolor imperaret arguere, modò tu mihi iuſtè contumeliam facis, quia ego tibi filium tuli. Quando enim tibi diſplicet, quia ſeruiturus eſt Chriſto, benefacis contumelias inferens Fauſto. Sub his etiam ſermonibus æquanimiter tolerans & affabiliter arridens, videndi ſaltem filium nullam prorſus dat licentiam. Illa ſciens quantum diligeretur à filio, magnis ante ianuam monaſterij clamoribus eiulabat. Et Fulgentij nomen frequentius inclamans, deſolationem ſuam miſerabiliter allegabat. Hæc prima B. Fulgentium tentatio multis † vicibus impulit, dum ſuam genitricem, quam ſemper amauerat, cui maxima deuotione ſeruierat, audiret ſuis auribus flere. Surſum tamen corde poſitus, audiebat, & non audiebat. Nec illius preces aduertere dignum putabat, quia pietatem ſolitam religioſa crudelitate vincebat. Ibi iam futuræ patientiæ in laboribus multis exemplum fideliſſimum præbebat, & ſimilis ebrio per ſpiritalem gratiam factus, vtrum mater eſſet, quodammodo ignorabat. Hic eum B. Fauſtus Epiſcopus ex toto corde conuerſum primitus approbauit, & cum gaudio cæteris fratribus dixit. Facilè poterit hic iuuenis tolerare quemcumque impoſuerimus laborem, qui poteſt maternum iam deſpicere dolorem. Illa mater dum ſe plangere ſæpiùs, nec ad ſe filium prodire cognoſceret, in eodem loco eum iam non eſſe credebat: quia ſi ibi eſſet, non ferre poſſe dolorem matris adhuc virtutis eius neſcia putabat. Sæpe ergo iens, rediens, & Epiſcopo moleſtias, & filio plurimas afferebat inſidias, donec tædio victa propriam reuerteretur ad domum.

* ſapienter.

Matri illum videndi copia negatur.

† viribus.

Conſtantia Fulgentij.

CAPVT VI.

BEatus ergo Fulgentius ſupra * humanum modum laboribus abſtinentiæ ſe cruciabat, ſine vino & oleo manducans & bibens, ſic parcè & tenuiter, vt inediæ magnitudo ſiccatam corporis cotem fatiſcere diuerſis vlceribus cogeret: ac ſuperducta quam dicunt impetigine delicati corporis pulchritudo fœdaretur. Putabant plurimi tunc beatum Fulgentium ſub occaſione ipſius infirmitatis aut receſſurum ſimul à propoſito ſanctitatis, aut reddendum deinceps tepidum, ne vel regulæ communis parcimoniam cuſtodiret. Ille verò contra ſpem omnium, miſericordiæ Dei præuenientis auxilio † gubernatus, ex infirmitate corporis ampliores animi vires capiebat, & tanto abſtinentior, quanto debilior, de ſalute perpetua iugiter cogitabat. Salutem verò corporis arbitrio Domini committebat, hoc pleriſque dicens: Scimus omnes ex epulis vitam ſolere ſeruari, non ſanitatem poſſe conferri. Nam vt ſanetur infirmitas, ſi explenda videtur gulæ cupitas, quare infirmantur etiam illi, qui conuiuiis lautioribus quotidie ſaginantur? Tolerabat ergo infirmitatem patienter, exercebat abſtinentiam ſatis humiliter. Paruum namque putans omne quod faciebat, de die in diem melior fieri geſtiebat. Hoc propoſitum cordis eius miſerator & miſericors Deus adiutorio ſuperni iuuaminis fulciens, velociter ei corporalem reſtituit ſanitatem.

* credibile.

Abſtinentia eius incredibilis.

† gubernante.

Proficiendi deſiderium.

CAPVT

CAPVT VII.

TVnc animus viri sapientis altiori pietate commotus, cùm tota mente mundum sibi crucifigeret, & ipse mundo crucifixus, iter rectum à iuuentute sua, sicut scriptum est, ambularet: portionem substantiæ propriæ, quamuis haberet fratrem iuniorem nomine Claudium, per donationem soli contulit matri, vt à matre postmodum, si bene seruisset, donaretur & fratri, sic salubri consilio superbiam iunioris fratris edomare desiderans, vt qui nolebat esse humilis propter pietatem, disceret propter hæreditatem: mater quoque post discessum dulcissimi filij cuius iam non poterat * obsequio lætificari, eius meruisset beneficio consolari. Quantas tunc ibi vniuersi laudes & gratias Domino retulerunt! cùm viderent beatum Fulgentium sæculari cupiditate calcata, rebus quas distrahere & donare pauperibus non poterat, ne offenderet bonam matrem, renuntiasse penitus, vt Christum inuenire mereretur doctorem. Finita iam erant cuncta, quæ eum in conuersionis primordio videbantur affligere.

Thrèn.3.

* præsentia.

CAPVT VIII.

SEd quia hæc vita nunquam potest sine suis tentationibus præteriri, nascitur rursus talis persecutio fidei, quæ sanctæ memoriæ Faustum Episcopum cogeret per diuersas latebras commigrare, nec in ipso monasterio iugiter fineret requiescere. Tunc beatus Fulgentius timens aut in illo loco solus remanere, aut de loco in locum frequentius transmigrare, consulto prius Episcopo Fausto, vicinum monasterium petiit, vbi paucis, sed simplicibus fratribus Felix nomine Abbas præerat, amicus eius ab adolescentia, cum quo semper etiam laicus familiariter vixerat. Tunc igitur eum Felix Abbas cum gaudio suscipiens, imparémque se eius virtutibus sciens, & nomen & potestatem ei tradidit Abbatis. Ille plenus studio humilitatis, * recusabat priuilegium potestatis. Et post multa certamina pietatis, ex consensu totius congregationis, passus violentiam charitatis, vix consentit esse collega boni consortis. Ita duo viri sanctissimi diligentes æqualiter Deum & proximum, ambo moribus similes, ambo meliores proposito, conuersione æquales, vnus scientia superior, iugum bonum gubernandæ congregationis excipiunt. O quàm fœlix seruorum Dei numerus fuit, quibus cœperat præesse Fulgentius. O quantum fulgebat illud monasterium, cui dispensator permanserat Felix. Dabant sibi mutuis nominibus etiam ipsi non minoris laudis auspicium. Fœlix vocabatur Fulgentius viam Domini currens, & fama crebrescente Fulgentij, capiebat fructum sui culminis Felix. Vnus tamen eorum, beatus videlicet Fulgentius, docendis fratribus peculiariter vacabat, alter in quotidiano ministerio sollicitus laborabat. Superuenientibus fratribus, vnus verbum Dei singulariter prædicabat: alter hospitalitatem diligenter præparabat, & hilariter offerebat. Nihil alter sine consensu alterius faciens, sed sic ambo cæteris erant imperantes, vt sub vnius se regula crederent constitutos. Ita dum timebat Fulgentium offendere Felix, Felicémque Fulgentius, mortificatis voluntatibus propriis, vterque viuebat, & de fratrum quibus consulebant vtilitate laudabiles, & de mutua quam sibi reddebant inuicem subiectione sublimes. Quis istius affectus explicare possit loquendo virtutem? Quos quieta pax adunauerat, nec bella valuerunt feralia separare.

Persecutio fidei Catholicæ.

* excusat. Coabbas Fulgentius.

CAPVT IX.

SEd cùm subitò Barbaricæ gentis prouidentia turbaretur incursu, videntes salutem temporalem fugæ præsidio vindicandam, labores illico perferendæ peregrinationis excipiunt, limatóque consilio procul abscedunt, vbi nulla belli nascentis opinio construendi monasterij præberet integram facultatem. Promouent igitur castra spiritalia duces inclyti cœlestis exercitus, & per ignotas Africæ regiones monachorum suorum caterua comitante pariter gradiuntur, vbique gaudium facientes bonis, inuidiam malis. In territorio denique Siccensi dum cogitant certas sedes statuere, regionis fœcunditate delectati, virorum etiam fidelium † deuotione suscepti, Presbyter quidam sectæ Arrianæ in fundo Gabardilla perfidiam prædicans, cui nomen quidem inter homines Fœlix, sed voluntas aduersus Deum semper infelix: natione Barbarus, moribus sæuus, facultatibus potens, Catholicorum persecutor acerrimus. Hic beati Fulgentij nomen in illis regionibus clarum fieri sentiens, reconciliandos multos quos occultè deceperat, suspicabatur. Nec virum dignum sacerdotio, verè adhuc esse monachum credidit, sed eum sub habitu monachi, Sacerdotis officium implere putat. Et reuera Sacerdotis officium laudabiliter etiam tunc implebat, non tantum aliquos reconciliando, sed omnes quos attingere poterat, ad reconciliationem salutaribus monitis inuitando. Cuius sermo dulcis & rectus, quia dura quoque corda molliebat. Nec immeritò hunc Prebyterum sic timere pro sua perfidia compellebat. Arripit igitur Presbyter, insani furoris stimulis concitatus, seruos Dei crudeliter persequi, & per omnes vias custodibus * deputatis ambulantium simpliciter obsidet itinera. Necessarium quippe fuerat athletas fortissimos voluntariis abstinentiæ laboribus ad omnem tolerantiam præparatos persequentium paululum tradi manibus, vt martyrialis agonis participes effecti, illata discerent supplicia tolerare, probaturi quid profecissent, si flagellis membra omnia dissipantibus à fide vera minimè defecissent. Nescientes ergo cogitationes maligni serpentis, habentésque fiduciam conscientiæ, nihil timentes, ambo simul gradiebantur secum loquentes.

Cogitur fugam capessere.

† fauore. Felix Presbyter Arrianus Fulgentio infestus.

* distributis.

CAPVT X.

ET ecce subito quasi violentia sæuissimæ tempestatis inuadit incautos, diuidit iunctos, ligat diuisos, & feralibus vinculis oneratos perducit ad Presbyterum vinctos. Efficiuntur subitò sine crimine rei, sine belli sorte captiui. Quibus enim fugientibus nihil nocere potuerunt Mauri, pœnas ingerunt Arriani. Tunc antequam tenerentur, Felix Abbas paucos solidos, vnde fratrum sustentabatur inopia, simplicier vbi metus * suaserat proiecit, & custodiendos Dei seruis, ipsi Deo committit. O diuini singularis potentia miraculi. Nemo valuit solidos illos proiectos aspicere, nullus permissus est victum pauperum pauperibus tollere: sed illi soli qui sic probandi fuerant, tenentur, ligantur, ad Presbyterum perducuntur. Quibus ore terribili violentus Presbyter intonat. Cur ex vestris regionibus occultè venistis Christianos Reges euertere? Benè enim miser Christianos Reges esse dicebat, in quibus Christum Regem regum miserabiliter ex sufflauerat, & quos filium patri æqualem negare similis Antichristo docuerat. Illis ad hæc veracissimæ responsionis verba parantibus, inferri præcepit verbera primitus. Igitur Felix Abbas vehementi charitate

*inuaserat.

Sistuntur Arriano Presbytero.

Mira crudelitas Arriani hæretici.

Vehemēs charitas Felicis Abbatis.

ritate commotus, parcite ait fratri Fulgentio, qui non potest tormenta perferre. Nolite istum cædere inter vestras manus forsitan moriturum. Conuertatur in me vestra crudelitas, ego scio quid confitear, in me est omnis causa. Tunc dilectionis admiratione stupefactus, remoueri paulisper beatum Fulgentium iubet, atque illum grauius cædi ministris sæuissimis imperat. Tunc hilari animo Felix Abbas verberibus subditur. Dolorem quippe cum gaudio sustinebat, quia beatum Fulgentium nihil adhuc pati videbat. Ecce qualis fuit beatus Fulgentius circa amicos, vt vsque ad mortem diligi mereretur. Ista quippe charitas beati Felicis, vitæ illius sanctæ magnum perhibet testimonium. Neque enim salutem suam pro illius salute despiceret, nisi sibi ptimitus, & multis vtilem iocundúmque sentiret: imitentur virosque qui placere Deo desiderant. Alios docet beatus Fulgentius sic viuere inter fratres, vt amentur, foueantúrque, vt in summis necessitatibus adiuuandi etiamsi periculum non defuerit, iudicentur. Sumant alij de bono facto Felicis Abbatis exemplum, melioribus fratribus, & in Dei timore plus proficientibus omnem gratiam bonæ voluntatis impendere. Quando enim talis charitas inter fratres fuerit, qualis inter sanctissimos viros fuit, vis totius tentationis superatur, inimicorum verò pertinacia continuò frangitur: quamuis sæuissimus Presbyter etiam tunc de Felicis Abbatis iniuria minimè satiatus, non beato Fulgentio parcendum putauit.

Cæditur Felix.

CAPVT XI.

Verberatur etiam Fulgentius.

Beatus verò Fulgentius, vir omninò delicati corporis, vtpote ex familia natus illustri, violentos impetus fustium repentini doloris acerbitate crescente vix tolerans, sicut ipse nobis postea referebat, cogitauit Presbyteri furentis insaniam vel mollire si posset, vel certè paululum donec recrudesceret auocare, quò faciliùs inter ipsas moras inueniret spatium respirandi, ne continuata pœna omninò intolerabilis fieret. Dico aliquid, si loquendi potestas tribuitur, dum cæderetur, exclamat. Tunc Presbyter putans eum confiteri velle, iubet quiescere cædentes, & sic adhuc ad flagella suspensum loqui præcepit quod volebat. Vbi dum beatus Fulgentius eloquentiæ solitæ sermonibus blandis suæ peregrinationis est narrare aggressus historiam, Presbyterum facit attonitum, diuque nimia verborum suauitate delinitum, penè totius crudelitatis reddit oblitum. Miratur Presbyter beati Fulgentij facundiam, probat sapientiam, magnúmque aliquem virum coniiciens, erubescit inferre violentiam. Sed ne suis proderet suam superatam fuisse sæuitiam, cædite ait iterum fortiter, & multiplicatis flagellis lacerate verbosum. Etiam me puto seducere cogitat, longóque inanis fabulæ circuitu quid conficere moliatur ignoro. Recrudescit iterum manus † vesana tortoris, flagellisque innumeris beatus Fulgentius exaratur. Tandem presbyter de illata cæde confusus, virorum laudabilium merita sentit, nec apud se eos tenere diutius ausus est, sed deformiter decaluatos, ablatis etiam omnibus vestimentis, ex domo sua nudos, inanésque proiecit. Sed nec illa decaluatio viris sanctissimis turpitudinem, nec nuditas attulit confusionem: † quia tolerata propter † amorem religionis iniuria primæ iam confessionis decorauerat ornamento superna gratia fulciendos. Processerunt itaque de domo Presbyteri tanquam de loco gloriosi certaminis, insignis victoriæ laureis coronati. Reuersique per campum vbi fuerant capti, solidos quos

† sæua.

Post crudelia verbera, cum summa ignominia dimittuntur.

† quos.

* odium.

Abbatem Felicem proiecisse diximus, integro numero seruatos inueniunt, & quasi ex diuina manu restitutos hilariter accipiunt, agentesque ineffabiles Deo gratias, qui consolatur humiles in omni tribulatione eorum, reuertuntur ad proximos fratres. Huius autem crudelissimi facti detestabilis opinio cunctam simul modificat regionem, nunciatur etiam Carthagine fama. Inter alios quoque Arrianorum Episcopus dolet mactatum grani cæde beatum Fulgentium. Et quia parentes eius cognitos habebat idem Episcopus, ipsúmque beatum Fulgentium singulariter adhuc laicum dilexerat, aduersus Presbyterum suæ religionis & parochiæ, qui author cædis extiterat, grauiter commouetur, vindicare beatum Fulgentium parans, si querelam de memorato Presbytero deponere voluisset. Sed beatus Fulgentius multis vt hoc faceret suadentibus, non licet, ait, in hoc sæculo vindictam quærere Christiano. Nouit Dominus quomodo seruorum suorum defendat iniurias. Iste Presbyter si grauissimi sceleris inter homines me agente receperit vltionem, patientiæ nos apud Deum perdimus retributionem: maximè quia multos paruulos scādalizare poterit, si Episcopi Arriani iudicium qualiscumque peccator, tamen Catholicus & monachus quæram. Nolens ergo retribuere mala pro malis, & vitam suam necessariam sciens bonis, ne quam forsan hæreticorum violentiam denuò paterentur, ex illa prouincia rursus egrediuntur, & ad vicina prouinciæ suæ loca celeriter regrediuntur, eligentes vicinos potiùs habere Mauros, quàm pati molestissimos Arrianos.

CAPVT XII.

Ivxta ciuitatem proinde quæ † Ididi nuncupatur, fundare monasterium incipiunt: vbi paruo tempore Domino seruientes insistebant operibus charitatis, donec subitò beatus Fulgentius Ægyptiorum Monachorum vitas admirabiles legens, Institutionum simul atque Collationum spiritali meditatione succensus, memoratas terras nauigio petere statuit: duabus videlicet ex causis, vt vel ibi deposito nomine Abbatis, sub regula viueret in humilitate: vel districtioris abstinentiæ legibus subderetur. Et quia desiderium suum impediri poterat publicatum, quærit primitus occasionem proficiscendi Carthaginem: dehinc veniens ad ipsius mœnia ciuitatis, vno tantùm fratre, cui nomen erat Redemptus, socio peregrinationis electo, nauim conscendit Alexandriam petiturus: nullos fortè sumptus tantæ peregrinationi necessarios secum ferens, sed in Deo qui diues est, spem suam firmiter ponens, suauiter canebat cum Dauid: *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit.* Ventis itaque flatu prospero consequentibus, Syracusanum fœliciter contingit portum, Deique summi prouidentia gubernante ductus est ad hanc ciuitatem, vbi tunc Ecclesiam Catholicam beatus Papa Eulalius gubernabat, vir eximiæ sanctitatis, admirabilis hospitalitatis, perfectissimæ charitatis: in cuius corde thesaurus sapientiæ spiritalis absconditus, multos talentorum dominicorum negotiatione ditabat. Virtute enim discretionis super omnia decoratus, monachorum professionem singulariter diligebat: habens etiam ipse monasterium proprium, cui semper adhærebat, quoties ab Ecclesiasticis actibus vacabat. Ad hunc igitur B. Fulgentius veniens, inter alios peregrinos hospitalitatis officio libenter excipitur, neque tamen diu latere permittitur. Mox enim, sicut moris est, in conuiuio sacerdotum, dum de diuinis rebus ortus est sermo, virum singularis

† Ydidi.

Fulgentius meditatur profectionem in Ægyptum

Psalm. 22.

Appellit Syracusas.

S. Eulalius Syracusanus Episcopus.

Monasterium S. Eulalij.

ſcientiæ locutio ſua continuò prodidit. Intellexit Epiſcopus ex ornatu ſermonis, & reſponſionum moderatione, ſub monachico habitu magnum latere doctorem: diſtulit tamen, eundem vel quis eſſet, curve aduenisset, conuiuis præſentibus inter epulas quærere. Poſt prandium verò cum meridianis horis ante veſperam in domo ſua deambularet, Epiſcopus per feneſtram reſpiciens, obuerſantem ſibi ſicut cæteros beatum Fulgentium vidit. Quem continuò peculiariter vocans, De Institutionibus ait, & Collationibus loqui cœperas, cùm pranderemus. Affer, obſecro, mihi codicem ſi portas. Ille ſine mora iuſſis obediens codicem detulit, in quo quid contineretur verbis propriis iuſſus exponit. Admiratur S. Eulalius ſcientiam iuuenis, & tali hoſpite delectatus, cur ex Africa venerit, diligenter inquirit. Ille metuens arrogantiæ notam, ſi deſiderium ſuum fatetetur, incurrere: Parentes, inquit, meos requiro, quos illis in partibus viuere peregrinos audiui. Verè enim parentes ſuos requirebat, quorum ſuauiſſimos mores imitati cupiebat. Intellexit Epiſcopus reſponſum non manifeſtum, totiúſque itineris eius per alterum fratrem qui fuit ſimplex, inueſtigat cauſas. Ibi tunc B. Fulgentius ſalubriter proditus, veritatem ſimpliciter confitetur. Iturum ſe ad vltimam Thebaidæ regionis eremum dicit, vt illic ſicut lectio monebat, mundo mortuus viueret, vbi maior abſtinentium numerus aſſumptioni ſuæ nullum gigneret impedimentum, ſed fortè potius præberet exemplum. Rectè facis, reſpondit Epiſcopus, cupiens meliora ſectari, ſed ſcis quoniam *Deo ſine fide impoſſibile eſt placere.* Terras ad quas pergere concupiſcis, à communione beati Petri perfida diſſenſio ſeparauit. Omnes illi monachi, quorum prædicatur mirabilis abſtinentia, non habebunt tecum Altaris Sacramenta communia. Quid ergo proderit affligere ieiuniis corpus, vbi ſolatiis ſpiritalibus indigebat anima, quæ multò melior eſt corpore? Reuertere fili, ne vitę melioris intuitu periculum rectæ fidei patiaris. Ego etiam quondam iuuenis antequam me Pontificalis honoris gratia præueniret indignum, diu cogitaui ſanctiſſimæ huius profeſſionis in ipſius prouinciæ monaſteriis adimplere propoſitum: ſed hæc cauſa me prohibuit aſſumpta perficere. Conſentit beatus Fulgentius monentis patris conſilio ſalutari, ſuæque intentionis feruore depoſito ſuadetur ibi apud Syracuſam paucis menſibus degere, ſancto Eulalio præbente victum & hoſpitium congruum. Sed quia bonæ mentis indoles nunquam vacat, charitatis opera ſemper exercens, in ipſo paruiſſimi hoſpitij quod acceperat, habitaculo, cœpit hoſpitatem multis ſuperuenientibus exhibere peregrinis, & alterius indigens ſolatio conſolandos ſuſcipere peregrinos. Miratur ſanctus Eulalius affluentem ſancti animi libertatem, magnóque gaudio ſaginatur, dum per manum beati Fulgentij, cui victum quotidianum nihil habenti, miniſtrabat, alimenta miniſtrari non habentibus videret, & ſi fas eſt dicere, comparatione minorum creſcete ſolere maiores, quamuis eſſet ſanctus Eulalius in pauperibus gubernandis omnino perfectus, operea tamen beati Fulgentij conſiderans, de die in diem plus miſeticors efficiebatur & largus.

Heb. 11. Communio Romanæ Eccleſiæ.

Hoſpes hoſpitalitatem exercet.

CAPVT XIII.

Rufinianus Epiſcopus.

PEracto itaque præſentis hyemis tempore, cura vehemens beatum Fulgentium commouet, Epiſcopum quemdam Rufinianum nomine, qui perſecutionis violentiam fugiendo declinans ex Byzaceno Concilio nauigarat, ibíque prouinciæ Siciliæ vicinus in quadam breuiſſima commorabatur inſula vitam monachi laudabiliter gerens, videre indifferenter, vt eius admonitione ſecundò firmatus, quid facere deberet, agnoſceret. Hoc autem volebat, non quia Eulalio Pontifici minus credebat, ſed in rebus dubiis vtiliſſimum ſemper eſſe multorum conſilium ſentiebat. Per multos itaque pedeſtris labores itineris ad illum Siciliæ veniens locum, cui plus propinquior illa inſula fuerat, vbi ſanctus Rufinianus Epiſcopus habitabat, modica nauicula deportatus, ſacerdoti venerabili velociter præſentatur. A quo ſimiliter ne in Ægyptum proficiſci perſeueraret admonitus, redite protinus ad proprium monaſterium, neque tamen Apoſtolorum memoriam prætermittere ſtatuit. Occaſione igitur nauigij fœlicioris inuenta, Romam venit, & authorum ſæcularium conſono ſemper ore laudatam, capútque mundi veraciter appellatam, feſtinus ingreditur ciuitatem. Fuit autem tunc in vrbe maximum gaudium, Theodorici Regis præſentia, Romani Senatus & populi lætificante conuentum. Vnde contigit, vt beatus Fulgentius, cui mundus olim fuerat crucifixus, poſtquam ſacra Martyrum loca venerabiliter circuiuit, omnéſque ſeruos Dei, quorum in breui capere notitiam potuit, humili obſequio ſalutauit: in loco, qui Palma Aurea dicitur, memorato Theodorico Rege concionem faciente: Romanæ curiæ nobilitatem, decus, ordinémque diſtinctis decoratum gradibus adſpectaret, & fauores liberi populi caſtis auribus audiens qualis eſſet huius ſæculi glorioſa pompa cognoſceret. Neque tamen in hoc ſpectaculo aliquid libenter intuetur, neque nugis illis ſæcularibus ſuperflua illectus delectatione conſenſit, ſed inde potius ad illam ſupernam Hieruſalem fœliciter deſiderandam vehementer exarſit: ſalubri diſputatione præſentes ſic admonens. Fratres, quam ſpecioſa poteſt eſſe Hieruſalem cœleſtis, ſi ſic fulget Roma terreſtris? Et ſi in hoc ſæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor & gloria & pax præſtabitur ſanctis contemplantibus veritatem?

Romam petit religionis ergo.

Theodoricus II in Italia Gothorum Rex.

Martyrum ſacra loca inuiſit Fulgentius.

CAPVT XIV.

MVlta his ſimilia beatus Fulgentius illo die ſalubriter diſputauit, & iam toto corde monaſterium ſuum reuiſere cupiens, ad Africam velociter per Sardiniam nauigauit: vix credentibus præ nimio gaudio monachis ſuis beatum Fulgentium rediiſſe. Neſciebat planè ſancta fraternitas, quid primitus ageret, vtrum de abſentia patris quereretur, an potius de præſentia lætatetur. Nullus tamen auſus eſt eum quia diſceſſerat, culpare: ſed cuncti potius ſatagebant pro reditu eius gratias Deo agere. Iunguntur ſeruorum Dei gaudiis etiam laici, lætantur omnes honeſti ac nobiles viri, quòd beatus Fulgentius Africanæ Eccleſiæ doctor prædeſtinatus, non diu defuiſſet tranſmarinis regionibus occupatus. Certatim denique ſinguli properant ampliora præbere ſolatia * charitatis, quibus foueretur animus reuertentis. Offertur denique à quodam, nomine Syluestro, bene Chriſtiano, & prouinciæ † Byzantinæ primario, locus aptus monaſterio fabricando, cuius gleba pinguis ac fertilis, inſtituendis hortis optabili fœcunditate congrueret, & quod plus eligendum videbatur, longè adhuc à furore bellico conſtitutus, quietiſſimæ pacis ſecuritatem pleniſſimam daret, honeſtis plurimis per vicinas poſſeſſiones commanentibus. Quorum frequens oblatio tranſactionem facillimam monachis promittebat, vt regnum Dei quærentibus, nulla cura ſæcularis tranſactionis obſtreperet. Libenter itaque B. Fulgentius hominis religioſi deuotam ſuſcipiens oblationem, ſine mora in loco ſibi conceſſo monaſterium fundat, plurimoſque

* pietatis.

† Byzacenæ.

Conſtruit, fundátque monaſterium.

mósque ad conuersionem piis monitis inuitando monachorum numerum multiplicat, & magnæ congregationis efficitur Pater. Quamuis sanè spiritalia meditari iugiter concupisceret, ampliori tamen sollicitudine discendi compellitur, otium sanctum quærens ex dilectione veritatis, negotia multa suscipiens ex necessitate charitatis. Vnde victus aliquando contemplatione meliorum, lectioni & orationi tantum vacare desiderans, cogitauit diu quomodo sarcinam præsentis oneris abiiceret, & sub aliorum regimine ipse potius constitutus, sub regula viueret, quam viuendi regulam cæteris traderet, secundum præceptum Domini magis vtile iudicans imperantibus obedire, quam obedientibus imperare. Cogitanti verò ea diutiùs, talis subito sententia nascitur. Est in medio vadosi maris † sinu, monasterium Viuecensi littori proximum. Vennesensi autem maxima ex parte contiguum, vbi neque hortos colere, paruissimi scopuli limes finit angustus, neque ligni, vel potabilis aquæ consolatio saltem ministratur exigua: sed rei vtriusque per breuissimas nauiculas quotidie sufficientia præparatur. In hoc monasterio rigidi propositi disciplina antiqua seruatur ab infantia sua: plurimis vsque ad decrepitam senectutem sanctissime ibi viuentibus, sanctæque professionis opera congrua laudabiliter exercentibus. Vbi tunc duo Presbyteri peculiares & meritò mirabiles, & immacultatæ senectutis honore venerabiles, Abbatis officio fungebantur: nunquam de cœnobio recedentes, sed Ecclesiasticæ dignitati multos viros idoneos nutrientes. Ad hoc ergo monasterium clam B. Fulgentius proficiscitur, ibique in congregatione tam maxima nomen deponit Abbatis. Et adunatus multudini monachorum, fulget quidem super cæteros mirabili scientia, eloquentiáque speciali: sed subiicitur omnibus laudabili humilitate atque obedientia singulari. Memor quippe illius Euangelicæ sententiæ, qua Dominus noster dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me*: omnes suas mortificat voluntates, ieiuniis, insuper orationibus, vigiliis, & abstinentiæ vacans, totúmque se cum vitiis & concupiscentiis sæcularibus crucifigens, manibus suis etiam delectabiliter operabatur. Nam & scriptoris arte laudabiliter vtebatur, & palmarum foliis flabellos sæpiissime contexebat. Cui operi etiam cum fuisset Abbas, in suo monasterio vacabat: lectioni autem in cellula frequenter coram fratribus insistebat, apud omnes amabilis, honorabilis, & iocundus.

† situm monasterium Vincensi lit.

Clam aliud petit cœnobium, posito Abbatis nomine.

Ioan. 6.

Exercitia S. Fulgentij.

CAPVT XV.

SEd quanta in eodem monasterio lætitia, tanta in illius discessu exorta est repente tristitia. Gaudebant isti cum suscipiebant, dolebant illi qui amiserant. Nascitur inter eos noua pugna charitatis. Isti nouum socium tenaciter amplectuntur, illi antiquum patrem reddi sibi suppliciter de precabantur. Isti se ornari de præsentia eius, illi de absentia deficere confitentur. Beatus verò Fulgentius magis volens discere quàm docere, consentit hic esse vbi fuit inferior: & trepidat illuc redire, vbi cunctis possit esse superior. Tunc Abbatis Felicis & omnium fratrum quos reliquerat dolor ex necessitate consilium sumens, patrocinio sancti Fausti Episcopi Insulanos monachos pulsat. Ille protinus Episcopali auctoritate suum esse monachum Fulgentium allegat, sibique reddi, & vbi ipse iusserit, venire debere confirmat. Minatur excommunicationem contradicentibus: ipsum verò Fulgentiũ, nisi consentiat, inobedientibus similem pronunciat iudicandum. Quid multa? Deponitur rursus B. Fulgentius ad monasterium proprium, subire præcipitur Abbatis officiũ. Et ne iterum à desiderio spiritali mutabilis fieret, repente eum sacerdos consecrat Presbyterum, vt Abbatis & Presbbyteri decoratus officio, nec monasterium relinquere, nec in alia Ecclesia posset ordinari. Victus igitur, & honoris compedibus vinctus, cœpit iam beatus Fulgentius æquanimiter monasterium suum regere, famáque crescente laudabili, super omnes Africæ prouincias innotescere, in ipso autem † Nuntorum territorio tanquam proprius Episcopus honorari, paratis omnibus, quandocumque facultas ordinandi Episcopum concessisset, beatum Fulgentium primum sacerdotem vocibus & mentibus petere, nec alterum nisi beatum Fulgentium sibi consecrari permittere: desiderium deinde populorum Deus videbat; ipsum quoque beatum Fulgentium non latebat,

Humilitas S. viri.

Cogitur redire ad Abbatis officium. Presbyter consecratur Fulgentius.

† Venterum.

CAPVT XVI.

SEd quia tunc regalis authoritas Episcopos ordinari prohibuerat, nec viduatis plebibus prouidere pastores licebat: securus interdictionis huius tempora transigebat, superfluum iudicans honorem fugæ præsidio recusare, quem nec dare alicui fas erat, nec accipere. Postquam verò sacra turba Pontificum, qui remanserant, communicato inter se consilio definierunt aduersus præceptum Regis in omnibus locis ordinationes celebrare Pontificum, cogitantes aut Regis iracundiam si qua forsitan existeret mitigandam, quò facilius ordinati in suis locis vel plebibus viuerent, aut si persecutionis violentia nasceretur, coronandos etiam fidei confessione quos dignos inueniebant promotione, ministerium verò suum faciliùs impleturos, atque inter ipsas tribulationes propriis plebibus solatia * præbituros. Fit repentè communis assumptio, Presbyteros, Diaconos, & si quos inueniret electio rapere, benedicere, consecrare certatim in locis singulis properantibus, ne in tali studio aliquis aut tardus aut nouissimus inueniretur. Tunc B. Fulgentius eligentium vota velociori præueniens fuga, latebris incertis absconditur; nec quæsitus vllatenus inuenitur. Plebs ipsius loci vbi fuerat monasterium constitutum, differre suam prorsus electionem, donec inueniret beatum Fulgentium, cogitabat. Verumtamen timens ne dum diu beatus Fulgentius quæritur, fama hæc Carthaginem perueniret, atque inde rursus Regalis interdictio nasceretur: ita compellente festinationis necessitate suadentur sibi de suis clericis alterum querere. Sic per multa loca vbi beatus Fulgentius aut prius, aut solus electus est, postquam minimè potuit inueniri, dedit aliis honoris summi licentiam. Repleta iam fuerat prouincia Bizacena nouis sacerdotibus, & penè vix paucarum plebium Cathedræ remanserant destitutæ. Regis quoque commota sæuitia, cunctos iam decreuerat exilio mancipandos, in ipsum primitus ordinatorem, id est, Primatem, nomine Victorem, procedente sententia, qui iam à seruis Regis exeuntibus captus, ad Carthaginem ducebatur. Et omnino succedente maiore tristitia, versa fuit in publicos luctus ordinationis assumptæ lætitia. Tunc occultis nunciis edocentibus transisse tempus faciendæ ordinationis, beatus Fulgentius putans Cathedras quàm maximè proximas Episcopos habere proprios, ipse rursus monasterij sui congregationem gubernare reuertitur, nihil dubitans, neque formidans, sed omnino Pontificalis dignitatis se euasisse sarcinam gaudens.

Interdicto Regio non licet ordinare Episcopos.

* præstituros

Fugit Episcopatum.

CAPVT XVII.

VErumtamen altiori consilio Deus noster prædestinata perficiens, cui dederat docendi salubriter facultatem, doctrinæ salutaris dare iam volebat authoritatem, ne deesset fidei Catholicæ contra Arrianos fidelissimus prædicator. In tempore ergo tribulationis abscondere † voluit vas electionis, per quem implere disposuerat officium prædicationis. Erat adhuc Ruspe nobile oppidum, clarissimis habitatoribus prorsus illustre, cui nullus fuerat Episcopus ordinatus: quia diaconus quidem Felix nomine, qui ambire voluerat honorem Pontificis, repudiatus, in illo loco nec ipse merebatur, nec alterum recipere patiebatur. Frater quippe eius germanus amicus procuratoris, per potentiam sæcularis actionis ministrabat vires ambitionis. Dolor honestorum ciuium mentes vehementer angebat, cur soli remansissent sine patre spirituali, qui videbantur super cæteros excellere nobilitate carnali. Tum repenè fama verax dolentibus nuntiat, beatum Fulgentium, quem tot loca primo sacerdotio iudicauerant dignum, nullatenus tempore ordinationis inuentum, remansisse Presbyterum: gloria maiore vestitum, quòd honoris superioris sic calcauerat appetitum. Illis quibus displicebat superbus ambitor, placet iste laudabilis excusator. Consentitur ab omnibus, istum sibi esse seruatum, propterea minimè tantis plebibus ambientibus ordinatum. Nesciente igitur B. Fulgentio, Victor Primas in itinere petitur à Ruspensibus: & vicinis Episcopis ordinandi Fulgentium licentia datur. Tunc aggregata violentæ multitudinis manu, repentè B. Fulgentius, dolens oculos, in cella propria reperitur. Inuaditur, tenetur, ducitur, & Pontifex esse, non rogatur, sed cogitur. Inde ad Episcopum, qui admonitus fuerat ordinationem celebrare, perductus, ignoti populi constituitur pater: ita vt in illo propheticum illud compleri videretur oraculum: *Populus quem non cognoui, seruiuit mihi.* Nimis autem gratissimus viri sapientis aspectus, & fauores populi suffragantis augebat: & à quocumque tunc videbatur incognitus, humilitate vestium blandus, modestóque incessu venerabilis habebatur. Cum verò loqui quippiam cogente interdum ratione voluisset, in ore eius omnis turba pendebat: ex locutione familiari considerans qualis esset spiritalis magistri futura doctrina. Propter quod ex omnibus possessionibus vbicumque transibat, populus confluxerat ad fauendum Ruspensi Ecclesiæ, quanto serius, tanto meliorem confitentes prouenisse Pontificem. Diaconus porrò videns suæ ambitionis conatus vanissimos defecisse, quod solum remanere deluso poterat, sæuit, & tardus innumeris deuiis congregatis, venienti filio pacis, *scandalum* (sicut sacer loquitur Psal.) *iuxta semitam ponit.* Viam igitur per quam veniebat Dei seruus electus, obsedit ambitor infestus: sed vbique simplicibus subuenit Christus. Nec impediri potest ab homine sacerdotis electio quam non præcedit ambitio. Nescio quam sancti Spiritus admonentis imperio per alteram viam populus qui præcedebat ambulauit, & B. Fulgentium dum adhuc hostis sedet in via, super suam Cathedram collocauit. Celebrata sunt eodem die diuina solemniter Sacramenta: & de manibus B. Fulgentij communicans omnis populus lætus abscessit. Quod postea diaconus audiens, diuinæ voluntati, licèt tardius, cessit. Hunc illico reuertentem B. Fulgentius benignè, affabiliter, clementerque excepit: ita vt eum postea Presbyterum ordinaret. Sed vltionem debitam diuina iustitia demonstrauit omnino velociter. Etenim ipse diaconus iam Presbyter intra annum mortuus, & procurator ei consentientines ad penuriam est redactus. Dederunt enim pœnas temporalis audaciæ, quibus potens est Deus præparare in futuro gratiam cœlestis indulgentiæ. Nos istud propterea vel commemorandum putauimus: vt ostenderemus hinc beato Fulgentio maiorem creuisse circa singulos authoritatem, dum cognoscerent in istis vigilasse diuinam seueritatem.

† noluit.

Felix diaconus ambitiosus.

Cogitur Episcopatum Ruspensem suscipere.

Psalm. 17.

Felix diaconus pulsus sæuit in Fulgentium.

Psal. 139.

Diuina celebrat solemniter sacramenta.

CAPVT XVIII.

SVscepit interim beatus Fulgentius Episcopatum, sine aliqua ambitione, cum maxima deuotione: monente in contradictores diuina vltione. Nec ita factus Episcopus est, vt esse desisteret monachus, sed accepta Pontificis dignitate, professionis præteritæ seruauit integritatem. Seruata verò professionis integritas, plus ornauit Pontificis dignitatem. Nunquam denique pretiosa vestimenta quæsiuit, aut quotidiana ieiunia prætermisit, aut conditos seruiliter cibos, vel inter hospites manducauit, aut discumbendo saltem requiescere & resoluere rigidum propositum voluit: sed vna tantum vilissima tunica, siue per æstatem, siue per hyemem patienter indutus. Orario quidem, sicut omnes Episcopi, nunquam vtebatur: pellicio cingulo tanquam monachus * vtebatur. Sic studio humilitatis ambitionem vestium fugiebat: vt nec ipsa calceaméta suscipiens clericorum, † aut vltimis caligis in tempore hyemis, aut caligulis in tempore æstatis vteretur Intra monasterium sanè interdum soleas accipiebat: frequenter nudis pedibus ambulabat. Casulam pretiosam vel superbi coloris, nec ipse habuit, nec monachos suos habere permisit. Subtus casulam nigello vel lactinio pallio circumdatus incessit. Quando temperies aëris inuitabat, solo pallio intra monasterium est coopertus. Scapulis verò nudis nunquam à nobis visus est: nec deposito saltim cingulo somnum petiuit. Suæ autem † conscientiæ, Deo teste, fiduciam gerens, in qua tunica dormiebat, in ipsa sacrificabat: & tempore Sacrificij, mutanda esse corda potius, quam vestimenta dicebat. Huic beatissimo sacerdoti nullus aliquando extorsit cuiuslibet generis carnes accipere: sed sola simpliciter olera, prisanas, & oua, quamdiu fuit inuenis, sine oleo: postquam verò senuit superfuso oleo manducauit: ideò oleum persuasus accipere, ne caligo præualens oculorum, lectionis impediret officium. A vino autem semper sanus abstinuit. Si quando verò compellente infirmitatis necessitate vino modico vti compulsus est: calicibus plenis aqua, superfundens quippiam mer, nec saporis eius, nec odoris iocunditate fruebatur. Antequam vigiliæ nunciarentur à fratribus, ipse semper corde & corpore vigilans, aut orabat, aut legebat, aut dictabat, aut cuicumque spiritali meditationi solus vacabat: quia per diem filiorum Ecclesiæ necessitatibus occupari iugiter sciebat. Ad agendas cum seruis Dei vigilias interdum descendabat, sed priuatas apud se vigilias, studiis quibus dixi, multò laudabilius exercebat.

Honores non illi mutant mores.

Vestitus eius.

* cingebatur.

† vilissimis.

† continentiæ.

Carnibus perpetuò abstinuit.

CAPVT XIX.

IN nullo autem loco visus est sine monachis habitare: propter quod à ciuibus Ruspensibus hoc primum beneficium ordinatus Episcopus postulauit, vt fabricando monasterio locum congruum darent. Tunc ex pluribus ciuibus obedire festinantibus, optimo sacerdoti, quidam nomine Posthumianus, christianissimus, & inter suos nobilissimus ciuis, agellum proprium fideliter obtulit, non longè ab Ecclesia constitutum: vbi pinnis surgentibus in excel

Nusquam degit sine monachis.

*accepit. excelsum, speciosi nemoris virebat amœnitas. * Excepit beatus Fulgentius libentissime locum, cuius etiam necessaria ligna futuræ fabricæ conspiciebat: protinúsque beatum Abbatem Felicem venire velocius persuasit, cum maxima pene totius congregationis multitudine: nisi quod paucissimos fratres in illo monasterio dereliquit, quibus vnum è fratribus nomine Vitalem, præposuit. Tali verò charitatis lege monasteria vtraque * præcipiens viuere: vt quasi non fuissent locis diuisa, sic fuissent vnanimitate coniuncta: Si quos autem nouos monachos, vel in isto, vel in illo monasterio Christus acquireret, tempus inter se conuersionis, ordinemque seruarent. Et si quando ad se videndos iubentibus duntaxat prioribus venirent: non vt hospites, sed quasi vnius congregationis homines susciperentur. Beati verò Fulgentij Epicopi prouisionibus communiter gubernati, patrem spiritualem simplici venerarentur affectu: sic beato Fulgentio singula disponente, ne suscepta regendorum sarcina clericorum, consolationem perderet monachorum.

*percipiebat vniri.

CAPVT XX.

Protruditur in exilium.

INter ea repente diriguntur ministri regalis furoris, vt detentus etiam ipse cum cæteris, in exilium Sardiniam confessor Christi nobilis truderetur. Abductus ergo velociter, licet doleret Ecclesiam suam nullis adhuc eloquiorum suorum monitis eruditam, remansurámque protinus destitutam: sapienter tamen tristitiam gaudio maiore vincebat, quod tam gloriosæ confessionis esse particeps inchoabat. Comitantibus ergo monachis simul & clericis, magister egregius vtriusque professionis, exit flentibus omnibus laicis, de Cathedra honoris ad locum beati certaminis: paratus fidem Catholicam mente libera, voce forti, coram Regibus & potestatibus confiteri. Suscepit eum Carthago venientem, fructumque notitiæ eius in paucis diebus fideliter gustans, multa obtulit munera, quæ beatus Fulgentius monasterio illi quod fabricari delegauerat, profutura mandauit. Ipse verò nauim crucifixo corde & corpore nudus ascendit: habens secum plurimas diuitias scientiæ singularis, quibus omnes, vbicumque veniebat, indeficiente largitate pascebat. Inter alios sane Episcopos cum quibus exilium commune susceperat, tempore ordinationis erat inferior: sed patientiæ & charitatis virtute non inferior. In rebus enim dubiis, vbi quammaxime consilium petebatur, si quando inter se confessores beatissimi de communi vtilitate tractabant, vltimus quidem sedebat: verumtamen ipsius sententiam Primas vel omnes qui primatem sequebantur, audire & facere cupiebant, quamuis ille nihil per inanem gloriam sibi vindicans, deferret honorem congruum prioribus suis. Si enim cogebatur respondere consulentibus, erat paratus eis semper obedire iubentibus, nec præsumebat extorquere aliquid nolentibus. Post deliberationis autem longissimas moras, quicquid definitio communis inuenerat, eloquenter allegandum sensibus cæterorum, beato Fulgentio dimittebatur. Huic etiam quandocumque transmarinis litteris de fide, vel de diuersis quæstionibus interrogabantur Episcopi, respondere pro omnibus ab omnibus imponebatur. Ita sicut sanctæ memoriæ Aurelius Carthaginensis Ecclesiæ antistes, inter sua priuilegia meruit, vt litteras ex Africano Concilio dandas ipse solus scriberet: sic iste meruerat, vt litteras ex illo Concilio dirigendas solus ipse dictaret. Sexaginta quippe & eo amplius Episcopos tunc catena ligabat exilij, quorum lingua & ingenium

Eius sententiam quanti fecerint Episcopi.

Nomine omnium Episcoporum reddit responsa litteris.

Sexaginta Episcopi exules. *Vti videre licet in libro 5.no.*

beatus Fulgentius Episcopus fuit. Propterea quandocumque rescribebant consulentibus, Episcoporum nomina cunctorum dicebantur in titulo: sed solius beati Fulgentij sermo tenebatur in stylo. Præter istas quoque publici tractatus epistolas, si quis forte ex ipsis absentem plebem suam corrigere vel monere voluisset, ad beatum Fulgenrium accedebat, & per ministerium linguæ eius officium suæ dispensationis implebat. O mirabilem virum, non sibi soli, sed omnibus natum. Sola eum Ruspensis Ecclesia doctorem meruerat: & pars maxima Concilij * Bizantini de ipsius sermone viuebat. Quicumque in qualibet sacerdotum exulantium plebe tentabat inquietus existere, vel Episcopi proprij iussa contemnere, beato Fulgentio dictante sic corripiebatur absens, vt satisfactionis remedium quærens, enauigato mari continuò fieret præsens: & per ipsum B. Fulgentium, cuius eloquentiam senserat excommunicatus, impetraret veniam salubriter humiliatus. Ipse namque B. Fulgentius erat vltor, ipse intercessor: cum collega vltor, pro ministro intercessor. Ab ipso procedebat gladius, vnde superborum ceruix dura cæderetur: & per ipsum rursus beneuolentiæ medicina præbebatur, donec supplicum fratrum pusillanimitas sanaretur. Inter ipsa planè primordia gloriosi exilij, monasterium congregare, paucos secum ducens monachos, minime potuit: sine frarerna tamen congregatione vitam ducere nesciens, Coepiscopos suos, Illustrem scilicet & Ianuarium, habitare secum persuasit volentes. Quibus vnico seruiens charitatis affectu, similitudinem magni cuiusdam monasterij monachis & clericis adunatis sapienter effecit. Erat quippe eis communis mensa, commune cellarium, communis oratio, simul & lectio. Nullus se super alterum * violenter efferebat, neque propriis fratribus amplius aut peculiarius consulebat: nisi quod magis illi monachi qui beatum Fulgentium sequebantur, districtioris abstinentiæ regulam custodientes, nihil omnino proprium possidebant, nec inter alios clericos, clericorum more viuebant. Talis erat beati Fulgentij eruditio, quæ spiritalibus monitis ita subiectorum sibi corda transferret à terrenis voluptatibus ad spiritales cœlestésque delicias, vt boni propositi manente censura, non seducerentur infirmorum fratrum inertia, nolentium imitari quæ quotidie ante oculos eorum gerebantur exempla. Quis illius habitationis dignè explicet laudes? Domus illa tunc * Caralitanæ ciuitatis oraculum fuit, illuc enim veniebat afflictus percipere remedium consolationis, ibi gerebantur inter discordantes pacis & concordiæ pacta fidelia, diuinam volentibus audire lectionem, diligentius ministrabat ibi Dominus plenissimę expositionis ędificationem. Delectabat nobiles viros, si fieri posset quotidie beatum Fulgentium cernere disputantem: libebat indigentiam sustinentes inde petere suppliciter eleemosynam corporalem, vnde doctrinam quoque sumerent spiritualem. Frequenter enim beatus Fulgentius quos multa largiendo de temporali fame liberabat, reunciare sæculo, sapienter admonendo, faciebat. Et quamuis nihil habentes, habendi voluntatem contemnere suadebat, ita cupidus semper acquirendæ ad cœnobia fraternitatis, vt quamuis omnia omnibus nosset esse: monachorum tamen professioni sociare cunctos & optaret & vellet. Hæc fama per dies singulos crescens, Carthaginensis quoque Ecclesiæ populos ad maiora gaudia prouocabat: & certissimis testibus ex illa prouincia venientibus beatum Fulgentium commendabat absentibus.

De incarnatione & gratia, & lib. arbitrio.

Efficacia scriptorum Fulgentij.

* Bizaceni.

Monachi & Clerici simul degunt.

* insolenter.

* Claritanæ.

CAPVT XXI.

Persecutio Regis Trasamundi.

INterea Trasamundi Regis aduersus religionem Catholicam mens implacabilis, & ira terribilis, inter asperas persecutiones subdolásque factiones, quibus æqualem Deo patri negare Christũ Catholicos nunc terroribus cogebat, nunc promissionibus inuitabat: sub intentione plus decipiendæ multitudinis simulare cœpit rationem se simpliciter inquirere Catholicæ religionis, reperiri neminem putans, cuius posset in suis erroribus assertione conuinci. Proponebat denique multarum ineptarum tendicula quæstionum: & quis ei respondere voluisset, aut despiciebat, aut repellebat, imò quasi patienter audiens, satis sibi non posse fieri iactabat. Et reuera, quis enim homini tam obdurato corde valuisset lumen ostendere veritatis? Efficiebat tamen plurimos religiosos audaces fidei suæ constantia, per occasiones à Domino præparatas studiosi Regis conuincere blasphemias. Dicitur tamen requirenti diutius, quis plenissime posset testimoniis euidentibus vindicare veritatem Catholici dogmatis, * inter Episcopos exulatos esse beatum Fulgentium: cui nihil deesset in scientia, plurimum redundaret in gratia, qui sapienter & eloquenter roganti Regi satisfaceret. Protinus Rex probare cupiens sacerdotem, cui generaliter testimonium bonum tota religionis nostræ perhibebat Ecclesia, seruum strenuum celeriter dirigit. A quo sine mora ductus atque perductus, peruenit Carthaginem lætus: vbi tanquam fidelissimus dispensator, erogandi talenta sibi credita reperiens occasionem, cœpit in hospitiolo proprio venientes ad se Catholicos orthodoxos diligenter * erudire: rationem reddens quomodo pater & filius & Spiritus sanctus, manente trium personarum differentia, Deus vnus à fidelibus prædicetur. Tanta autem fuit beato Fulgentio facundi sermonis suauitas, tanta in vultu eius micabat hilaritas, vt certatim fideles vniuersos sancta charitas traheret, vel interrogare doctissimum virum, vel audire, quoties ad interrogata * responderet. Ille verò verbum Dei sine inuidia tabescente communicans, currebat interrogationibus omnium, neminem despiciens, nullum iudicans improbum, paratus etiam ipse, si cui forte Deus per Spiritum sanctum melius reuelasset, audire vel discere, tenere, sequi, approbare: sub officio Doctoris humilitatem discipuli benignus & mitis exercens. Vnde contigit, vt multo doctior & seipso melior fieret: lucra Christo maiora perquirens. Alios enim iam rebaptizatos, errorem suum plangere docebat, & reconciliabat: Alios autem, ne suas animas pro terrenis commodis perderent, admonebat. Et quos iam perditioni proximos sentiebat, ita blandis sermonibus leniebat, vt propter eius beneuolentiam verecundarentur cogitatam implere malitiam, reuersíque velociter agerent pœnitentiam. Confortati alij verbis eius & doctrinæ eius sale conditi, redarguebant Arrianos hæreticos cum omni fiducia. Sic mirabili gratia factum fuit, vt per vnum sacerdotem, cuius sapientiam Rex voluerat experiri, sapientum numerus apud Carthaginem cresceret: & per ministerium persecutionis fides Catholica incrementum potius, quam defectum acciperet.

* Isse inter Episcopos exulantes beatum Fulgentium. Trasamundus accersit Fulgentium.

* docere.

* respondebat.

Fructus doctrinæ S. Fulgentij.

CAPVT XXII.

HÆc omnia Rex per occultos nuncios discens, egregij sacerdotis ingenium, sapientiam, doctrinam, fidem, pietatem, mansuetudinem, continentiam probat; & conuenienter famæ suæ præconiis, talem esse qualis prædicabatur agnoscit. Dicta proinde quædam, veneno perfidiæ plena, legenda ei celeriter dirigit, responsionem sibi flagitans reddi. Suscepit hæc doctissimus Pontifex, & longissimæ narrationis ineptias per obiectionum capitula diuidens, responsiones subiecit breues, probabiles, necessarias, authoritate testimoniorum graues, & totius rationis lumine radiantes. Quas cum multis sapientibus viris diu multumque collatas, & ad populi fidelis notitiam perductas, Regi quoque longa expectatione suspenso tradidit ingerendas. Quas Rex ille barbarus intentissimè perlegens, quia nunquam prædestinatus fuerat ad salutem, laudat sapientiam, miratur eloquentiam, prædicat humilitatem, neque tamen meretur intelligere veritatem. Carthaginensis autem populus triumphi spiritalis interpres, propositiones Regis fuisse conuictas læto murmure confitetur: & Catholicam fidem semper esse victricem, coniunctis B. Fulgentij laudibus gloriatur.

Responsio B. Fulgentij ad decem obiect. Arrianorum.

CAPVT XXIII.

ADhuc tamen Rex virum doctissimum probare desiderans, de aliis eum quæstionibus rursus interrogat: & interrogationem suam semel tantum beato Fulgentio præcepit legi, neque meditandi, neque describendi tribuens facultatem. Timebat enim ne verba eius conuincenda sicut prius sermonibus eius insererentur, totiúsque iudicio ciuitatis victus esse iterum probaretur. Beatus verò Fulgentius semel sibi lecta vix * recolligere præualens, respondere differebat: sed respondere eum Rex magis ac magis imperabat, responsionis arguens moras, & cautelam viri sanctissimi diffidentiam iudicans. Vnde idem Pontifex discretionis virtute subnixus, ne qua forsitan per populum mendacia spargerentur, quibus fingeretur aut non potuisse, aut noluisse beatum Fulgentium regalibus quæstionibus obuiare, tres libellos mirabiles facit: vbi memoratum Regem simpliciter alloquens totius quæstionis seriem quam tenui auditu perceperat, latè reuentilabat, docens animam rationalem Christo Domino in susceptione carnis minime defuisse. Tunc Rex admiratione maxima repletus, nihil est amplius interrogare ausus: nisi quod vnus ex Episcopis eius, Pinta nomine, quasi respondere conatus, tacere potius noluit, quam respondere aliquid potuit. Cui tamen illico beatus Fulgentius, alterius operis, quod aduersus Pintam titulauit, disputatione veridica restitit: & in prima defensione sua victos aduersarios temerè satis ostendit repetisse certamen.

* recolere.

Lib. tres ad Trasamundum Regem.

Liber B. Fulgentij aduersus Pintam Episcopum Arrianum, qui non extat.

CAPVT XXIV.

DE Spiritu sancto interroganti Presbytero Abragilæ per Commonitorium paruissimum testimonia protulit plura, docens eum cum patre & filio vnum Deum simpliciter confitendum. Cuius etiam commonitorij sententias, inter vtrumque illius temporis opus ordinauit oportere describi, legentibus omnibus fidelibus Catholicis & mirantibus, erubescentibus Arrianis & dolore contra ipsum murmurantibus: donec malæ suggestionis occasione reperta, volenti eum Regi intra Carthaginem diutius retinere, diceretur ab impiis & malis hominibus: Sine causa Rex laboras: nihil tua diligentia proficit. In tantum quippe iam doctrina Fulgentij Episcopi præualuit, vt de sacerdotibus tuis reconciliet aliquãtos: proinde nisi cito subueneris, religio nostra deficiet, & quicunque à nobis est baptizatus, homousion, iterum prædicabit publicè reconciliatus, nec si persecutionem volueris concitare, timeri poterit Regalis sæuitia.

Lib. seu Commonitorium eiusdem de Spiritu sancto ad Abragilam Presbyterum.

sæuitiæ Multum quippe confortat, stabiléſque facit omnes Epiſcopos Fulgentij præſentia.

CAPVT XXV.

Iterum relegatur Fulgentius.

SVggerentibus talia Rex quaſi magna neceſſitate conſtrictus, aſſentit: & beatum Fulgentium rurſum ad exilium Sardiniæ reuocare compellit: Intempeſta igitur nocte (ſic enim Rex fieri delegauerat) ad nauim B. Fulgentius populo ignorante perducitur. Sed contrario flatu reſiſtentibus ventis, ſuper littus tantas paſſus eſt moras, vt per dies plurimos omnis penè illuc ciuitas conueniret, & de manu eius valefaciens communicaret. Ibi autem prophetica gratia per Spiritum ſanctum repletus, Iuliatco viro religioſo nimis afflicto, grauitérque pro diſceſſu beati Pontificis ingemiſcenti: Diutius ait, flere noli, cito reuertemur ad vos, Catholicæ Eccleſiæ libertate reparata videbitis nos. Hoc autem quæſo ſecretum ſit apud te, quod nimia charitas indicare compulit me. Sic ſollicitè ſemper beatus Fulgentius iactantiam fugit: nec in donis ſpiritualibus humanam gloriam quæſiuit, teſtimonio conſcientiæ ſuæ contentus, & ſola miſericordia Dei fretus. Vnde etiam † mirabilia facere nunquam delectatus, hanc gratiam dari ſibi nullatenus deſiderauit. Sed ſi quando petebatur pro infirmis & laborantibus, vel neceſſitatem temporalium tribulationum tolerantibus, Dominum deprecari, preces ſuas ſub hac deuotione fundebat: Scis Domine quid animarum noſtrarum ſaluti conueniat. Poſcentibus ergo nobis quod monet neceſſitas, hoc miſericordia tua concedat, vnde ſpiritalis non impediatur vtilitas. Oratio igitur noſtræ humilitatis, ſi expedit tunc exaudiatur: vt voluntas tua feliciter compleatur. Et frequenter quidem Deus omnipotens oranti ſacerdoti ſuo multa conceſſit. Sed ille nihil propriis tribuens meritis, eorum potius fidei pro quibus exaudiebatur omnia deputabat, neque ſibi, ſed illis conceſſum hoc eſſe dicebat.

Prædicit celerem reditum ſuum.

* miracula.

CAPVT XXVI.

SEd ne diu moras longiſſimas faciamus, vnam eius ſententiam de faciendis mirabilibus inſeramus. Mirabilia, aiebat, non conferunt homini iuſtitiam: ſed hominum notitiam. Quiſquis autem hominibus fuerit notus, niſi fuerit iuſtus, ad æterna perueniet ſupplicia condemnatus. Ille verò qui miſericordiæ cæleſtis † opera iuſtificatus, in conſpectu Dei ſolius vixerit iuſtus, etiamſi parum ſit hominibus notus, beata ſanctorum gaudia percipiet coronatus. Vt igitur mirabilis timuit habere laudem de mirabilibus: quamuis ampliora quotidie miracula faceret exhortatione ſanctiſſima multos infideles credere, multos hæreticos reconciliari, multos peſſimis motibus deditos, continentiæ faciens leges excipere, dum per eius ſaluberrima monita ſobrietatem diſcerent ebrioſi, caſtitatem ſectarentur adulteri, diſtribuere omnia pauperibus auari rapacéſque docerentur: & mutato propoſito ſuperbis humilitas, litigioſis pax, inobedientibus obedientia fieret dulcis. Talibus plane mirabilibus beatus Fulgentius piam operam ſemper dedit: quibus ſecum comitantibus, in omni loco & tempore glorioſus, fauenre aliquando ſereni aëris tranquillitate Sardiniam reportatus, exultantium Coëpiſcoporum lætos animos reddidit, ipſámque prouinciam, cui tantorum præſentia ſacerdotum tribuebat ornatum, præſentiæ ſuæ luce fecit ſplendidam: concurrentibus vndique Chriſtianis hominibus, cum gaudio videre athletam Chriſti fortiſſimum, qui certamine ſingulari ſæuientis impetum Regis fregerat, ad diuina caſtra rediiſſe inſignibus lauris adornatum, & antiquis commilitonibus iunctum, tanto amplius ſingulis exhibuiſſe laudabiliter humilitatem, quanto ſciebat ſuam plus enituiſſe virtutem: memor ſine dubio ſcripturæ monentis: *Fili, quanto magnus es, humilia te in omnibus: & coram Deo inuenies gratiam.* Eccleſ. 3.

* ope.

Redit in Sardiniam cunctis lætantibus.

CAPVT XXVII.

NOluit plane tam beatus Fulgentius in priorē domo multis fratribus comitantibus diutius habitare: ſed iuxta Baſilicam ſancti martyris Saturnini, procul à ſtrepitu ciuitatis vacantem reperiens locum, Brumaſio Calaritanæ ciuitatis Antiſtite venerabili prius ſicut decuit poſtulato, nouum propriis ſumptibus monaſterium fabricauit. In quo quadraginta & amplius fratribus congregatis, diſciplinæ cœnobialis ordinem cuſtodiuit illæſum, nemini dans licentiam profeſſionis ſanctæ regulam præterire, ſed principaliter hoc obſeruandum monachis tradens, vt nullus eorum quicquam proptium ſibi vendicaret, ſed eſſent omnibus omnia communia. Dicebat enim frequener, nec debere, nec poſſe monachum iudicari, cui voluntas habere priuatum peculium perſuaſerit. Vt enim monachus lautioribus forſitan cibis vtatur, interdum cogit infirmitas corporis, vt autem cupiat in quamlibet exiguis rebus iuris proprij dominium vindicare, ſuperbæ voluntatis & auaræ cupiditatis euidens teſtimonium eſt. Diſtribuebat plane ipſe cum ſumma diſcretione ſeruis Dei neceſſaria vitæ ſubſidia: ſingulorum vires infirmitatemque conſiderans. Verumtamen quibuſcumque plus cæteris conſulebat, eos humilitatem cuſtodire amplius admonebat: dicens eis, de ſubſtantia communi quiſquis aliquid plus accipit, omnium fit debitor, quorum eſt illa ſubſtantia: porro debitorem ſola iuuat humilitas. Sic efficiebat, ne quis ſcandalum pateretur, quando vni propter infirmitatem plus dare videbatur. Erat quoque ei nimia ſollicitudo præuenire cunctorum monachoum petitiones: antè tribuendo quicquid tribuendum cuilibet vel neceſſitas, vel ratio manifeſta monſtraret. Si quis autem præſumpſiſſet priuſquam acciperet petere, negabat ei continuò, etiamſi mereretur accipere: dicens monachos debere iis quæ acceperint eſſe contentos. Cæterum qui ſibi plus quàm indigeant petunt, deſideriis adhuc carnalibus ſeruiunt, & omnino non perfectè de cœleſtibus cogitant, quamdiu quid ſibi neceſſarium ſit ipſi ſibi quia non poſſunt negotiando, petendo ſaltem prouidere feſtinant. Illos quoque veros eſſe monachos dicebat, qui mortificatis voluntatibus ſuis parati eſſent nihil velle aut nolle; ſed Abbatis tantummodo conſilia vel præcepta ſeruare. Propterea ſine ſuo conſilio nec eum fratrem qui præpoſiti gerebat officium, ſinebat aliquid agere. Laborantes fratres, & opera carnalia indefeſſis viribus exercentes, lectionis autem ſtudium non habentes, minus diligebat: nec honore maximo dignos iudicabat: In quo autem fuit ſcientiæ ſpiritalis affectus, etiamſi virture corporis deſtitutus operari manibus nunquam poſſet, peculiariter habebatur dilectus & gratus. Amabat autem quando coram fratribus diſputabat, ſi quis ei quæſtiones propoſuiſſet acerrimas, in quibus excellentiſſimo laboraret ingenio: licebatque generaliter omnibus fratribus etiam natura ſimplicibus, parumve intelligentibus vnde vellent interrogare:

Nouum conſtruit monaſterium exul Fulgent.

Veri monachi qui ſint.

Quæ scripserit Fulgentius.

nec priusquam satisfactum sibi confiterentur, rationem reddere, victus tædio vel labore, cessabat. Erat enim maxima ei & mirabilis gratia, corripere inquietos corde tranquillo: ita vt tum magis quando putabatur ab aliis vehementer irasci, summa in eo vigeret, regnarétque placiditas: & sine perturbatione perturbatio similis esset: multos male agentes salutari impetu perturbabat. Odiens enim vitia, diligens homines: tam diu seuerus apparebat, quamdiu disciplinæ spiritualis vtilitas exigebat. Aliàs autem circa singulos ita mansuetus fuit, & communis & facilis, vt neminem fratrum puto nomine clamitaret: neque cum typho sæcularis dominationis aliquibus quamuis paruulis imperaret.

Epistolam ad Carthaginens. puto eam esse, quam ad Donatum habemus. Lib. 2. de remissione peccatorum ad Euthymium. Lib. de prædestinatione & gratia. Epistola familiares.

CAPVT XXVIII.

Scripsit eodem tempore Carthaginensibus epistolam sublimi exhortatione perspicuam: vbi penè cunctos dolos & fallacia blandimenta, quibus infelices seducebantur animæ ad mortem grauissima conquestione digessit. Tunc etiam de remissione peccatorum consulenti Euthymio viro religioso duobus libellis sine mora respondit. Testimonia quoque prædestinationis, & gratiæ differentias cupientem nosse, salubriter disputans docuit. Iam familiares epistolas, in quibus tamen spiritalis ædificatio continetur, & ibi apud Sardiniam commanentibus, & in Africa degentibus, & Romanis, præcipuè Senatoribus, viduisque, ac virginibus, quarum fama laudabilis habebatur, frequenter direxit. Ad Probam virginem Christi, de Ieiunio & Oratione duos libellos conscripsit. Ita erat notior omnibus gentibus, * vt duo libri quos Faustus Episcopus Galliarum contra gratiam subdolo sermone composuit, fauens occultè Pelagianis. Sed Catholicus tamen volens videri, Constantinopoli offensi, à plurimis fratribus, ad beatum Fulgentium probandum dirigerentur. Quibus, ne occultum serperet virus, septem libris ipse respondit: plus laborans exponere quàm conuincere, quia dubios sermones eius exponere, hoc erat delirans argumenta conuincere. Magnus plane huius operis labor mercedem debitam cito suscepit. Mox enim vt est dictatio ipsius finita, protinus est longissimæ captiuitatis catena disrupta. Mors enim Trasamundi Regis, & mirabili bonitas Hilderici regnare incipientis, Ecclesiæ Catholicæ per Africam constitutæ libertatem restituens, Carthaginensi plebi proprium donauit Antistitem: cunctisque in locis ordinationes Pontificum fieri, clementissima authoritate mandauit.

Epistola ad Gallam viduam. Epistola ad Theodorum Senatorem. Ad Probam lib. 2. Contra duos libros Fausti Episc scripsit S. Fulgentius septem libros.

* cum.

Hildericus Rex Catholicus.

CAPVT XXIX.

Redeunt exules Episcopi.

Beatus itaque Fulgentius postquam sapienter expugnasset Pelagianos, lætificatos meruit videre Catholicos. Inde secundum quod per eum Spiritus sanctus prædixerat, reuersus est Carthaginem cum omnibus consacerdotibus, vnde solus exierat. Inuenit lætos, quos reliquerat mœstos. Inuenit nimia exultatione feruentes, quos reliquerat persecutionis violentiam sufferentes. Inuenit habentes spiritualem patrem, quos reliquerat dolentes Ecclesiam matrem. Inuenit expectantes se cum gaudio, quos reliquerat gementes in tædio. Tanta autem fuit deuotio Carthaginensium ciuium, beatum Fulgentium reuisere cupientium: sic vniuersus populus expectabat ardenter, quem viderat in conspectu suo pugnasse viriliter: vt aliis Episcopis ante ipsum descendentibus, silens multitudo super litus staret: oculis & mentibus inter omnes Episcopos beatum Fulgentium (quem familiariter nouerat) quærens, & eum à cunctis nauibus expetens. Vbi verò facies eius apparuit, immensus nascitur clamor: altercantibus omnibus quis primo salutaret * agnoscendus, quis caput benedicenti supponeret, quis extremis vel saltem digitis mereretur tangere gradientem, quis videre vel oculis procul stantem. Resonabat enim diuina laus ex omnibus linguis. Ad sancti quippe Agilei basilicam sequens populus & præcedens, confessorum beatorum triumphum nobilem celebrabat. Multitudo autem maxima populi beatum Fulgentium quem plus cæteris honorabat, concurrens alacriter, comprimebat: donec * sancta quorumdam Christianorum prouisio rotam in circuitu faciens æstuanti, liberum præberet iter in medio transeunti. Probare tamen adhuc Dominus cupiens virorum fidelium charitatem: copiosis imbribus ambulantes mirabiliter inundauit. Et quis opera * charitatis enarrare valeat, absque dispendio veritatis? Immensa pluuia neminem terruit, aut obsequium sacerdoti religioso præbere prohibuit: imò potius velut benedictione cœlesti desuper descendente, tantum fides nobilium creuit, vt planetis suis super beatum Fulgentium gratanter expansis, repellerent imbres, & nouum tabernaculi genus artificiosa charitate componerent: imitatores eorum effecti, qui prioribus temporibus Saluatori super pullum asinæ consedenti, & Hierosolymam venienti, *vestimenta sua* (sicut euangelium loquitur) *in via sternebant*. Tale quippe aliquid & isti faciebant: qui propriis indumentis beati Fulgentij nudum caput vnanimiter protegebant. Vix ergo appropinquante vespere, sanctæ memoriæ Bonifacio Episcopo repræsentati, benedixerunt omnes & laudauerunt communiter Deum. Tunc beatus Fulgentius per omnes vicos Carthaginensis ciuitatis vbicumque transibat, manibus & oculis demonstrabatur: laudibusque innumeris prædicabatur. Postquam verò domus omnium diligentium se petitus visitauit, benedixit, & gaudere dignatus cum gaudentibus, qui prius fleuerat cum flentibus, cunctorum desideria satiauit, vale faciens fratribus egressus de Carthagine, per omnes prolixi itineris vias gaudia maiora reperiens, in occursum suum populis vndique tendentibus, cum lucernis & lampadibus & arborum frondibus, reddentibus gratiam ineffabili Deo, qui beatum Fulgentium mirabiliter in conspectu omnium fecerat gratiosum. Per Ecclesias tanquam proprius Episcopus suscipiebatur: & sic de reditu eius omnis * Byzantina prouincia velut plebs vna gaudebat. Quem obsecro gloriæ huius non attolleret magnitudo? Beatum tamen Fulgentium ad † maioris humilitatis studium prouocauit. Veniens namque cum gloria populari, dignitatem Pontificis priuilegio specialis venerationis accumulans, postquam Cathedram sedit, inter monachos adhuc habitare desiderauit. Et ne videretur Abbatis Felicis aduentu suo minuere potestatem imperandi monachis, omnem sibi ademit voluntariè facultatem, non suam, sed alterius volens ipse quoque sequi voluntatem. Et qui adhuc monachus dispensationem susceperat fratrum, iam Episcopus dominari noluit in proprio monasterio: sic sollicitè cauens, ne Felicem contristaret Abbatem: vt exhibens superuenientibus hospitalitatem, si quando vel multiplicati panem, vel aliquid amplius exhiberi necessitas expetisset, Abbatis primo Felicis consilium requisisset. In omni denique Consilio † Byzantino, de rebus maioribus ipse primus consulebatur: in monasterio proprio de rebus minimis Abbatem

† agnoscendum.

† cauta.

† pietatis.

Fulgentius honorificentissimè & suscipitur & deducitur. Matt. 21.

Ardens deuotio populi Catholici.

† Byzacena oblata gloria reddit Fulgentium humiliorem, ô rara virtus!

† maius.

† Byzaceno.

Felicem

Felicem* simpliciter consulebat. Parum fuit beato Fulgentio verbis & operibus hanc humilitatem sequi ac retinere, nisi per scripturam quoque firmaret, nihil se in illo monastetio proprium vindicare, nec pro potestate, sed pro charitate inter monachos habitare. Considerens enim prouidus, ne quod serui Dei simplices præiudicium postea paterentur: obicem contradictionis in hac scriptura successoribus suis apposuit, quia vtilitati monachorum seruientium Deo nihil præposuit. Emit tamen iuxta Ecclesiam domum, cui fabricandæ curam maximam diligenter impendit: ne futuro successori suo deesset hospitium. Clericorum verò si qua defuerunt ministeria reparans, probatos sibi multos ex fratribus monachis ad Ecclesiasticam militiam transtulit. Ibi quoque charitati consulens, vt dum pene omnes clericos ex illo monasterio ordinat, antiquæ familiaritatis monente notitia, nulla lis aliquando inter monachos & clericos ventilaretur. Summam quoque diligentiam præbuit, ne quis clericus ambitiosis vestibus ornaretur: ac negotiis sæcularibus occupatus, ab officio Ecclesiastico diutius vagaretur: iubens omnes non longè ab Ecclesia domos habere, manibus propriis hortum colere, psallendique suauiter aut pronunciandi curam * impendere. Per singulas septimanas omnes clericos ac viduas, & quicumque potuisset ex laicis, quarta & sexta feria statuit ieiunare: quotidianis * ieiuniis, matutinis & vespertinis orationibus adesse præcipiens omnes Aliquantos inquietos verbis, aliquantos verberibus coërcebat, quos culpa manifesta flagellari coëgerat. Ita vitia cunctorum salubri disputatione mordebat, vt nullius interserens nomen omnes cogeret metuere: & latentia quoque peccata salubriter timendo deserere. Veruntamen quomodo inter prosperos clericos minorem posset habere cautelam, qui diuturnas etiam finitimarum plebium rixas, & contentiosa certamina dirimebat? Ipse denique Maximianensis animositatem plebis, ordinatum sibi Episdopum recipere nolentis, salubri admonitione sedauit: debitúmque finem grauissimo scandalo statuens, cuncta inter eos modestè & salubriter pacificans ordinauit. In Concilio quoque * Vinecensi, iudicio sacerdotum omnium qui conuenerant, Episcopo cuidam nomine Quodvultdeus, qui ptiorem se illius existere confirmabat, antepositns & prælatus: ipso die & tempore tacuit, nec authoritatem Concilij excusando minuere voluit. Sed vbi post Concilium dolere sensit Episcopum, timens propter suum honorem generare fratri scandalum, melius iudicans per charitatem se fieri minorem, quàm sine charitate maiorem: Suphetani postea Concilij gloriosum respiciens adesse conuentum, precem supplicem coram omnibus fudit, vt sibi rursum se volente, Quodvultdeus Episcopus præferretur: vt nomine suo posterius recitato, lætus deinceps viueret consacerdotis animo reconciliato. Mirati sunt Episcopi humilitatem talia postulantis, nec contristare voluerunt offerentem Deo sacrificium humilitatis, ad custodiendam spiritus societatem in vinculo charitatis. Vbi sunt nunc illi quibus eminendi super cæteros dominantur affectus, qui se etiam suis prioribus anteponunt, indebita sibi priuilegia vindicantes? Ecce beatus Fulgentius, nec primatum, quem meruit, defendere voluit: quia sine charitate prior esse alicui minime concupiuit. Catholicæ Ecclesiæ singularis magister & doctor, * licet inter varias occupationes hic in Africa parum vacaret, plurimos tamen Ecclesiasticos sermones, quos in populis diceret, scribendos dictabat: & vbicumque sermonem faciebat, omnium animos demulcebat: Nec inanes & vanissimos plausus, sed compunctionem generans cordis. Expectauit enim eum sanctæ memoriæ Bonifacius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis apud Burnos Ecclesiam dedicans, duobus diebus se præsente tractantem: quoniam tantum delectatus est audire verbum Domini de ore eius, vt donec ille sermonem finiret, ipse terram lachrymis irrigaret, gratias agens Deo, cuius gratia semper in Ecclesia Catholica summos excitat præclarósque Doctores. Multa iam reuersus de exilio nouem & decem libris Fabiani mentientis falsa gesta conuincens, de veritate prædestinationis & gratiæ libellos tres confecit, aliáque multa digessit, quæ si quis scire voluerit, in eius monasterio veraciter scripta reperiet.

[Margin notes: † suppliciter. — Monachos ministeriis Ecclesiasticis adhibet. — * maximam gerere. — * vigiliis. — * Vinecensi. — Vide hic insignem eximiamque huius tanti viri humilitatem. — * quamlibet. Plurimas scripsit homilias ac habuit sermones ad populum. — * Adspectauit. — *Libri tres de veritate prædestinationis & gratia, contra Fabianum.*]

CAPVT XXX.

Nobis autem iam tempus est dicere, quomodo post omnia bona opera sua requieuerit, ad cœli regna translatus. Ante annum fermè quàm de isto sæculo raperetur, profunda cordis compunctione permotus, reliquit subitò Ecclesiasticas occupationes. Et de ipso quoque monasterio suo secretò recedens, ad Insulam † Cirtinam paucis comitantibus fratribus nauigauit: vbi in quodam breui scopulo, cui nomen est Chilmi, vbi iam monasterium fabricari mandauerat, lectioni & orationi & ieiuniis vacans, veluti sciret appropinquare sibi nouissimum diem, sic ex toto corde suo pœnitentiam gessit. Et quamuis tota vita eius, ex quo monacxorum professionem conuersus ex toto corde suscepit, pœnitentiæ fuerit tempus: in hac tamen Insula multo amplius ac multo diligentius, inchoanti similis membra sua mortificauit, & in conspectu solius Dei fleuit. Inde iam plurimis de absentia sacerdotis murmurantibus, charitatis necessitate constrictus, iterum descendit ad monasterium suum consueta hominibus religiosis exhibere solatia, laborésque durissimos pro vtilitatibus proximorum longanimiter sustinere. Non multi autem fluxerant dies: & ecce seruum fidelem bonus dominus requirebat. Incidit enim repente in corporalis infirmitatis acerrimas passiones, vbi septuaginta propè diebus ægritudine fatigatus, hoc solum frequenter dicebat: Domine, da mihi modo hic patientiam, postea indulgentiam. Nec ab isto sermone † aliquantulum cessauit: siue dolor affligeret, siue febris incenderet, siue lassitudo dissolueret. Persuadentibus autem medicis vt lauacris balnearibus vteretur: Nunquid balneæ, inquit, facere poterunt, ne homo mortalis expleto vitæ suæ tempore moriatur? Si verò proximam mortem nec aquarum calidarum possunt fomenta repellere: cur mihi obsecro persuadetis, vt rigorem diu seruatæ professionis in fine dissoluam? Sic salutem suam supernæ voluntati fideliter credens, postquam se sensit sine aliqua dubitatione dissoluendum, vocans vniuersos clericos suos præsentibus monachis, alloquutus est eos dicens: Ego, fratres, animarum vestrarum saluti prospiciens, molestus apud vos forsitan & difficilis extiti: & ideo obsecro vos, vt ignoscat mihi quisquis aliquid dolet. Et si forsitan seueritas nostra modum transgressa est debitum: orate ne mihi hoc Dominus imputet ad peccatum. Cúmque talia beato Fulgentio lachrymosis singultibus exprimente, cuncti simul super genua eius caderent, semper bonum, semper affabilem, pro omnium salute, sicut decuit, inuigilasse clamantes

[Margin notes: Sub mortem, vel maximè se dat pœnitentiæ. — † Circinam — Precatio Fulgentij in summis & acerrimis doloribus. — † aliquando. — *Num. 27.*]

mantes: Prouideat ergo vobis, ait, Dominus Deus meus pastorem dignum se. Tunc imperato silentio, paululum requieuit. Et deinde pauperum curam gerens, requisita summa pecuniæ, de qua fidelissimus dispensator quotidie egentibus ministrabat, totum iussit expendi: per seipsum memoriter recolens viduarum, pupillorum, peregrinorum, cunctorúmque illic indigentium nomina, quibus quid singulatim daretur propria deliberatione constituit: hæredes in hoc sæculo non habens, hæreditatem tamen huius beneuolæ sollicitudinis pauperibus dereliquens. Sed nec suos clericos debita benedictione fraudauit: ipsorúmque paupertati misericorditer consulens, ac secretè omnia præordinans, orans iugiter, & intrantes singulos benedicens, vsque ad extremam horam sana mente permansit. Postremo die Kalendarum Ianuariarum post peractam vesperam, beatum spiritum feliciter in manus Domini tradidit, annum sui Episcopatus agens vicesimumquintum, vitæ autem totius sexagesimumquintum, sicut multis ante fratribus morti proximus indicauit. Ipso autem die sanctum corpus eius sepeliri minimè potuit: sed in Oratorio monasterij constitutum, tota nocte illa in Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus vigilare monachos simul & clericos inuitauit. Manè verò postquam multitudo maxima populorum de locis finitimis ad exequias venit, sacerdotum manibus ad Ecclesiam ciuitatis, quæ secunda dicitur, vbi etiam reliquias Apostolorum constituerat, deportatus, sortitus est honorabile monumentum. Primus planè in eadem Basilica Pontifex poni meruit: vbi nullum mortuum, neque sacerdotem, neque laicum sepeliri consuetudo sinebat antiqua. Sed magna vis dilectionis remouebat impedimentum consuetudinis: ambientibus vniuersis ciuibus, & cum summa deuotione quærentibus, vt vbi vir sanctus & Deo amabilis fuerat consecratus, ibi orationibus singulorum semper etiam localiter videretur adiunctus. Probauerunt quippe sæpius, quanta bona illis oratio beati Fulgentij præstiterat, & quanta mala repulerat: sicut postea manifestis indiciis euidenter apparuit, quando non post plurimos dies † accersitionis eius, inimica gens Maurorum Ruspense territorium repente vexauit, rapinis, cædibus, incendiis, multa deuastans, atque intra ipsos Ecclesiæ parietes, quos inuenire potuit iugulans. Quis beati Fulgentij gratiam non miretur? Quamdiu vixit, furorem belli ciuitas illi commissa non sensit. Et cùm tota penè prouincia captiuitatem sustineret horribilem, Ruspa fuit incolumis, propter sacerdotem venerabilem, cuius vita propriis ciuibus murus fuit. Nec hoc interim prætereundum silentio indicaui, quod dum ei successor idoneus quæreretur, discordantibus laicis & clericis, annum prope integrum prolixitas contentionis exegit: & illo die sanctitas tua super Cathedram eius sedit, quo ipse defunctus est. Ornari quippe hoc priuilegio meruit prima solemnitas eius depositionis, vt multo amplius venerabilis fieret per gaudia tuæ ordinationis. Vis autem nosse, quomodo non fortuitis motibus ista prouenerunt, sed illius orationibus demonstrantur esse concessa? Recole visionem fidelissimam beati Pontiani Episcopi Thenitani, quam sic ipse narrauit: Eunti mihi secundum præceptum Datiani primatis, vt Ruspensi Ecclesiæ eligeretur Antistes, idem beatissimus Fulgentius per tempus quietis apparuit: & affabili sicut solebat aspectu salutans amicabiliter, quo, inquit, nunc sanctitas tua velociter ambulat? Cui respondi, vt Episcopus Ruspensi Ecclesiæ eligatur. Ille verò subridens, iam, inquit, ordinatus est. Nònne apparet illius orationibus fuisse perfectum, quo est visitante prædictum? Qui ergo confirmationem nouerat necdum electi vel ordinati, orando scire meruerat. Votis itaque continuis & fideli deuotione semper optamus, vt gloriæ illius factus particeps in æternum, non indignus tanto præcessore, fœliciter viuas, operisque huius de perfectione nobiscum gratias Domino agas: & pro his quæ minus fortè dicta sunt eloquenter, ab omnibus sapientibus lectoribus veniam petas.

Marginalia: Fulgentius mortuus distribuit omnia pauperibus. — Moritur S. Episcopus. — Eius honorificum monumentum. — † decessionis. — Mauri Ruspense territorium populantur.



PROLOGVS

P R O L O G V S

BEATI FVLGENTII EPISCOPI Ruſpenſis, in tres libros ad Monimum.

GRATIAS ago Domino, quod de bono theſauro cordis bona proferre non deſinit: Et lingua Eucharis, quæ in bono hominis abundat, puritatem tui cordis inſinuat. Quæ licet diuinitus conceſſis eloquentiæ fluentis exuberet, non tamen tantum credo ſermonibus exprimi, quantum ſcio cordis tui penetralibus contineri. Diuino etenim igne ſuccenſus, ſic nobis iugiter compateris, vt etiam illas tribulationes, quæ licet acciderint nobis, Domino tamen adiuuante fuerunt ſuperatæ: Tu ſic eas pro nobis penè ſemper pateris, vt quoties eas corde reuolueris, toties eas pati quodammodo compellaris. Ecce quantum boni charitas habet: ecce quantam laudem coram Deo & hominibus poſſidet: vt dum dolet quod accidit illi quem amat, frequentius recordando magis ipſa ſuſtineat. Hoc ergo ſupereſt, vt ipſa charitas facere conſueuit, pro nobis iugiter faciatis. Quid autem eſt aliud, niſi vt illam, in quo nos purè diligitis, ipſum ſemper pro nobis oretis? Semper enim charitas pro his, quos diligit, poſcit: dum etiam illa quæ tuta ſunt, metuit. Metuit autem non eo timore, quem ipſa foras expellit; nam perfecta charitas foras mittit timorem: ſed illo timore, quem non ad timorem, ſed ad amorem habere conſueuit. Timet ergo non timido amore, ſed caſto. Non enim timet formidine criminis, ſed robore puritatis & firmitate veritatis. Exigis à me præterea debitum, quod me celeriter, Domino adiuuante, reſpondeo redditurum. Non enim hoc debitum ſic profiteor quemadmodum de quodam tuus Maro memorat, quod ipſe fatebatur, ſed reddere poſſe negabat. Sed illo me debere fateor, in quo me reddere poſſe non nego, ſed ſpondeo. Ipſe enim mihi donat vnde reddam, qui donauit vt debeam. Niſi enim ab illo acciperemus, non ſolum reddere, ſed nec ipſum debere poſſemus. Quid enim nobis inuicem, niſi charitatem debemus? Quod vtique B. Paulus hæc loquens fidelibus, euidentius oſtendit: Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis. Quis autem fateatur debitum, ſi neget acceptum? In eo igitur, quod nos debere dicimus, profecto nos accepiſſe monſtramus. Dicit quippe B. Apoſtolus: Quid enim habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Nam & alio loco teſtatur: Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Qui ergo nobis dedit, quod reddendo debeamus: ipſe nobis donabit facultatem, qua poſſimus reddere quod debemus. Ille igitur auctor eſt debiti, qui auctor eſt doni. Nam & ſeipſum ſua largitate dignatus eſt facere debitorem, non quia indigens ab aliquo accepit, ſed quoniam abundans largiter tribuit. Seminecem quippe ſuo iumento impoſitum, ſtabularioque curandum tradens, duobus denariis datis, ita ſe debitorem profitetur, vt diceret, ſi quid ſupererogaueris, cùm venero, reddam tibi. Quid eſt autem, ſi quid ſupererogaueris, niſi, ſi quid à me magis acceperis? Nam & ipſe, qui ſupererogabat, in eo quod non acceperat præceptum, ſed dabat ex charitate conſilium, miſericordiam ſe profitebatur itaque conſecutum. Ait enim: De virginibus autem præceptum Domini non habeo, ſed conſilium do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino, vt ſim fidelis. Miſericordiam eſt igitur conſecutus, non ſolum, vt erogandum acciperet, verum etiam vt amplius erogaret. Ecce qualis eſt Dominus noſter, vt donando debeat, & quanto magis donat, tanto magis eum debitorem eſſe non pigeat. In quantum enim gratis largitur, in tantum debitor inuenitur. Nec enim poteſt aliquis debitorem habere, niſi in eo, quod ipſe dignatus fuerit gratuita largitate conferre. Ipſum igitur pro me iugiter poſce, vt mihi largiatur reddendi debiti facultatem, qui donauit, vt in ipſo, charitatis ibi liberam debeam ſeruitutem.

Effectus charitatis in compaſſione amici.

1. Ioan. 4.

Reddere debitum ex ſponſione.

Ad Rom. 14.

Omnia à Deo accipimus.

Rom. 5.

Luc. 10.

Supererogare ex conſilio à miſericordia Dei eſt.

1. Cor. 7.

Vt enim verè tuo cordi, quod cor meum eſt, totam fatear, quoniam, ſicut cordi meo, ita cordi tuo aliquid celare non poſſum, reddendi debiti tarditatem illa mihi ratio procurauit. Quoniam aduerſus cuiuſdam Hæretici vaniloquia reſpondere compulſus ſum. Qui non ſolum meum nomen, ſub Fotiniani erroris nota non dubitauit laceſſere. Quin etiam ſanctorum Auguſtini & Hieronymi dicta, tanquam meæ profeſſioni contraria, in me voluit retorquere. Cuius nomen nunc litteris inſinuare diſtuli, ſed potes ipſe procul dubio recordari; nam ibi te nobiſcum apud Carthaginem poſito, mihi dicta eius adlata ſunt. Et ſi bene recolo, in tuam notitiam peruenerunt. Nihil enim te ibi poſito legere poſſem, quod tibi recenſendum offerre non poſſem. Eoſdem igitur libellos, ſi Dominus voluerit, veſtræ charitati celeriter deſtinabo. Et non dubito, quod meam tarditatem in tuo debito digneris patienter ferre. Quoniam ſcio, quantum delecteris, vel quantum nos ſemper ipſe compellas, vt non, Domino adiuuante, pigeat Hæreticis reſpondere.

Calumnia Hæretici in Fulgentium.

LIBER PRIMVS
B. FVLGENTII AD MONIMVM
DE DVPLICI PRÆDESTINATIONE DEI,
vna bonorum ad gloriam, altera malorum ad pœnam.

CAPVT I.

Excusatio tardioris responsionis.



LITTERÆ tuæ, fili charissime Monime, quantum demonstrant delectabilem tui animi synceritatem, laudabilemque studij spiritalis ardorem: tantum nostræ responsionis, querula benignitate, videntur arguere tarditatem. Tanquam in eo minus quam debeo, te videar diligere, quod inquisitionibus tuis non curauerim celeriter respondere. Sed crede mihi sicut in charitate Christi, personam tuam nequaquam in corde meo contemptam, sed responsionem meam, non voluntate, sed occupationum varietate dilatam. Veruntamen inter ipsas occupationes, quas inuitus tolerare compellor, tantum studio tuo congratulor, quantum tua charitate delector. Eo magis amplectens sanctum auiditatis tuæ propositum, quod sicut vere spiritalis negotiator, interioris hominis lucra consectans, & cœlestium mercium quæstus magis ac magis amplificare desiderans. Primum quod à me flagitas debitum, subinde cumulas fœnore quæstionum: vt scilicet tuorum commodorum militet incrementis, ipsa nostræ necessitas tarditatis. Proinde confido in misericordia Dei mostri, quia si quid mihi huius inquisitionis ac disputationis opere pro meo merito non conceditur, pro tuo mihi desiderio concedetur. Neque enim inquisitionem tuam Deus inuentionis effectu fraudari vllatenus sinet, qui te ad inquirendum spiritualiter inflammauit: dum ipsius fidele promissum, nulla ratione cassetur dicentis: *Petite & accipietis: quærite & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis.* Internus igitur Magister, à quo subsidium doctrinæ cœlestis accipimus, non solum inquirentibus nobis suorum aperit arcana sermonum: sed vt etiam quæramus, ipse gratis inspirat affectum. Quia nec esurire panem illum, *qui de cœlo descendit*, possumus, nisi ab ipso fastidientibus esuries detur, qui se ad satiandos esurientes donare dignatur. Ab ipso etiam nobis est, quòd ad fontem sitientes currimus, qui se nobis tribuit, vt bibamus. Ipse igitur laudandus est in vtriusque muneris gratia: siue cum nos ad se quærendum dormientes exsuscitat, seu cum se inueniendum nobis quærentibus donat. Qui profecto nullatenus inuenitur, nisi ipse nos excitet, vt quæratur.

Luc.11. Deus, vt quæramus inspirat, & à quærentibus inuenitur. Ioan.6.

CAPVT II.

REuoluens igitur scripta tua, tanquam chirographa mea, vt ex his instruerer quot, vel quantum tibi essem debitor quæstionum: duas ad præsens epistolas potui reperire. Vnam continentem sancti Augustini verba, quæ in libro de Perfectione Iustitiæ hominis, de his qui ad meritum prædestinati sunt, inter alia posuisse cognoscitur. Cui alteram statim subiunctam quæstionem videor iuuenisse, hoc est, de sacrificio, quod soli Patri quidam existimant immolari. In altera verò epistola positam inquisitionem inueni. Quid est quod Apostolus duobus denariis quos accepit, supererogare potuerit? Cum ergo has tantummodo duas epistolas inuenirem, tertiæ quoque sum protinus recordatus, quæ mihi à notario non fuit oblata: In qua memini vnam contineri de sancto Spiritu quæstionem: cur scilicet à Patre mittendus ad consecrandum sacrificium Corporis & Sanguinis Domini postuletur. Hæ sunt interim quatuor quæstiones, quarum tres ex duabus epistolis tuis, vnam vero memoria suggerente recolui. Quod si positæ sunt aliæ, quas nobis misisti soluendas, nec in hoc inuenis opere positas aut solutas: quæso vt non ad contemptum vel fastidium redigas, sed obliuioni patienter ignoscas. Præsertim, cum illam de Spiritu sancto, quam ego etiam epistola non inuenta, recolui, silentio præterire nequiui. Sed quia tu cunctarum (si quæ forsitan sunt) sine dubio meministi, non te pigeat, vt te rescribente commemorer. Et spero, quia in quantum Dominus adiuuerit, nostra responsio subsequetur, si præcedentis vestræ orationis adiutorio fulciatur.

Quæst.1.

CAPVT III.

PRimæ igitur quæstionis intelligentiam, in illius nomine quæsiturus, de quo scriptum est, quia *Dominus dat sapientiam, & à facie eius scientia & intellectus*: hoc conuenientius atque commodius arbitratus sum, vt tam verba tua, quàm beati Augustini, quæ in tua epistola posuisti, reuoluerem: vt his relectis, facilius agnoscatur tam intentio quàm solutio quæstionis. Legenti me, inquis, librum de perfectione institiæ hominis, testimonium Prophetæ in ordinem relegens, auditu cauto pedetentim paululum retractaui, vbi ait: *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Et sine aliqua nebula, sine aliqua dubitatione expressit interpres ipse verissimus, genus tale esse hominum, quod non faciat bonum: illud prædestinatum itaque ad interitum. Atque vt tuus sermo præfati sancti viri fulciretur eloquio, eadem verba, quæ à beato Augustino sunt dicta, subnectens. Ait enim, inquis, idem gloriosissimus Augustinus: De illo enim bono dictum id debemus accipere, quod ibi ait: *Deus de cœlo respexit super filios hominum, vt videret, si est intelligens, aut requirens Deum.* Hoc ergo bonum, quod est requirere Deum, erat qui faceret: non erat vsque ad vnum: sed in eo genere hominum, quod prædestinatum est ad interitum. Hic dicta sancti Augustini determinans, & ad me intentionem tuarum dirigens litterarum, dicis, sentire me iam, cur iterum hæc inculces, scilicet quod sæpius reluctanti te mihi, prædestinationem non tantum in bono dici, sed etiam in malo, dum in malo prædesti

Prima quæstio de prædestinatione. Prouer.2.

Psal.13.

Verba Augustini.

Psal.eod.

Verba Monimi de gemina prædestinatione.

prædestinationem te relegisse diceres, ipse docens aiebam ad pœnam debitam, non ad malum faciendum, posse dici aliam prædestinationem. Quod etiam tu, sicut scripsisti, confirmas. Scire te tamen asseris quid & hic respondeam, vt tueat sententiam meam, hoc est, interitum non dici, nisi mortem. Et adiungis, interim legisse te hoc, & asseuerasse etiam prædestinatum populum ad interitum. Deinde admones, vt considerem ipsius loci sermonem: & vt doctor meorum discipulorum, non vt assertor mearum propositionum, faciam vos sequenda cognoscere.

CAPVT IV.

Inuocatio authoris modesta & Theologica.

EGo quidem charissime, quantum Domino gratuitam gratiam largiente, modulum possum propriæ paruitatis agnoscere, sub illo vno Domino atque magistro, in eius schola positus, non fratrum meorum vocari magister aut Doctor affecto, quorum in veritate condiscipulus semper esse desidero. Quapropter hoc ab illo vero domino ac magistro nostro postulare non desino, vt ea me, siue per eloquia scripturarum suarum, seu per sermocinationem fratrum condiscipulorúmque meorum, siue etiam per inspirationis suæ internam, suauioremque doctrinam (vbi sine sonis sermonum, & sine elementis litterarum, eo dulcius, quo secretius, veritas loquitur) ea me docere dignetur, quæ sic proponam, sic asseram, vt in propositionibus atque assertionibus meis, veritati (quæ nec fallit, nec fallitur) semper inhæream, semper obediens consentiénsque reperiar. Quoniam vt veritati obedire atque consentire valeam, ipsa veritas illuminat, ipsa adiuuat, ipsa confirmat. Ab ipsa postulo doceri multò plura quæ nescio, à qua accepi pauca quæ scio. Ipsam rogo, vt præueniente ac subsequente misericordia, quæcumque salubriter scienda nescio, doceat me: in his, quæ vera noui, custodiat me: in quibus, vt homo fallor, corrigat me: in quibus * vetis titubo, confirmet me: & à falsis ac noxiis eripiat me. Vt in cogitationibus ac sermonibus meis, quod salubriter donat, inueniat: & ea faciat de ore meo procedere, quæ sint coram ipsa principaliter grata: & sic fiant fidelibus cunctis accepta.

* vero.

CAPVT V.

Responsio ad primam quæstionem, quomodo sint quidam ad interitum prædestinati.

QVantum igitur, ipsa veritate (quæ verum lumen est) illuminante tenebras meas, in huius quæstionis scrutatione, facultas mihi est hactenus intelligendi concessa, nihil aliud accipiendum existimō in illo sancti Augustini sermone, quo ad interitum quosdam prædestinatos firmat, nisi ad interitum supplicij, non delicti. Neque ad malum, quod iniuste admittunt, sed ad cruciatum, quem iustissime patientur. Nec ad peccatum, quo primæ resurrectionis beneficium, aut non accipiunt, aut amittunt: sed ad tormentum, quod illis propria iniquitas male parit, & æquitas diuina bene retribuit. Nec ad mortem animæ primam, in qua nascuntur paruuli, vel in quam (sicut beatus Iacobus dicit) *concupiscentia sua abstracti & illecti recidunt criminosi*: sed ad mortem secundam, quam necesse est patiantur, retribuente iustissimo iudice, seu qui ante præceptam gratiam baptismi discedunt de sæculo, siue qui in vacuum gratiam Dei recipientes post acceptum baptismum, vsque in finem præsentis vitæ malunt serui esse peccati, nec volunt, dum tempus est acceptabile, & dies salutis, conuerti à via sua mala, vt viuant: *Et ignorantes, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam eos adducat, ipsi secundum duritiam suam, & impœnitens cor, thesaurizant sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.* De illa ergo morte, quam sibi peccatores manibus & verbis accersierunt, & æstimantes eam amicam defluxerunt, dicitur: *Nolite zelare mortem in errorem vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem animarum vestrarum, quoniam Deus mortem non fecit, neque lætatur in perditione viuorum.* Et alio loco de hac morte dicitur: *Inuidiâ autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Imitantur autem eum, qui sunt ex parte illius. Quam mortem, vt ab opere ac prædestinatione Dei agnosceremus alienam, Deus ipse sic loquitur per Prophetam: *Conuertimini, & auertite vos ab omnibus impietatibus vestris, & non erunt vobis in pœnam iniquitatis. Proiicite à vobis omnes iniquitates vestras, quas impiè fecistis aduersus me, & facite vobis cor nouum & spiritum nouum. Et vt quid morimini domus Israël? Quoniam nolo mortem morientis, sed vt auertatur ipse à via sua mala, & viuat anima eius.* Hæc est mors impietatis, quam non fecit Deus, quæ per diabolum introiuit in orbem terrarum. In hac eum imitantur, qui sunt ex parte illius.

Iacob 1.

Rom 2.

Peccatorum mors non est à Deo prædestinata.

Sap. 1.

Sap. 2.

Ezech. 18.

CAPVT VI.

Deus huic morti duplam mortem retribuit.

HVic vni morti, quam peccator sibi per contemptum diuinæ iussionis, iniuste concupiscendo accersiuit, duplam Deus mortem iuste iudicando retribuit. Hoc est, primam in separatione animæ & corporis, secundam in æterna cruciatione animæ & corporis. Ac per hoc primam, qua discedente anima caro sola moritur: secundam vero, quando rediens in carnem anima, in eadem & cum eadem, in qua peccauit, carne torquetur. Vt cum qua communicauit mortem peccati, quod Dei bonitas interdixit homini, cum ipsa communicet mortem supplicij, quod parauit diuina iustitia peccatori. De hac morte Saluator noster dicit: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Magis autem eum timete, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Quod ergo ante gehennam mali pereunt, non est diuini operis, sed humani. Quod autem in gehenna perituri sunt, hoc facit Dei æquitas, cui nulla placet peccantis iniquitas. *Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam.* Et dicit Ioannes: *Quia omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas.* Et Deus per Prophetam dicit: *Quia anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* De filio autem Dei Ioan. dicit: *Scimus quia ille apparuit, vt peccata tolleret, & peccatum in eo non est.* Sicut ergo peccatum in eo non est, ita peccatum ex eo non est. Quod autem ex eo non est, opus eius itaque non est. Quod autem nunquam est in opere eius, nunquam fuit in prædestinatione eius.

Mors animæ in gehenna. Matth. 10.

Psalm. 10.

1. Ioan. 3.

Ezech. 18.

1. Ioan. 3.

Quomodo sunt mali à Deo prædestinati, non ad culpam, sed ad pœnam.

CAPVT VII.

NOn ergo prædestinati sunt mali ad hoc, quod male operantur, à concupiscentia sua abstracti & illecti: sed ad hoc, quod iuste patiuntur inuiti. Prædestinationis enim nomine non aliqua voluntatis humanæ coactitia necessitas exprimitur, sed misericors & iusta futuri operis diuini sempiterna dispositio prædicatur. *Deo autem misericordiam & iudicium cantat Ecclesia*, cuius hoc opus est in homine, vt occulto voluntatis suæ, non tamen iniusto consilio, aut gratuitam misericordiam prærogeт misero, aut debitam iustitiam rependat iniusto. Imo aut misericorditer debitori donet, quod si vellet, iuste posset exigere: aut iuste cum vsuris, quod suum est exigat, & iniquo debitori, quod debetur, iniquitatibus reddat. Ac sic, aut istum prorsus indignum misericordia præueniat, aut illum

Psal. 100.

Deus saluandos præuenit, damnandos inuenit.

 ira

ira dignum inueniat. Ipse enim donat gratis indigno gratiam, qua iustificatus impius illuminetur munere bonæ voluntatis, & facultate bonæ operationis, vt præueniente misericordia bonum velle incipiat, & subsequente misericordia bonum, quod vult, facere valeat. Vtrumque autem prædestinando Deus præparauit in illa incommutabili voluntate, in qua sic futurum effectum hominis renouandi disposuit, vt eius voluntas in opere nono noua esse non possit.

CAPVT VIII.

Donat etiam gratiam digno in retributione mercedis æternæ, vt scilicet, siue cum impium pie iustificat iustus: quia de ipso Apostolus dicit, *Vt sit ipse iustus, & iustificans eum qui ex fide est Iesu*; seu cum iustum iuste glorificat pius: *quia quos iustificauit, illos & glorificauit*; eadem sit operatio gratiæ, quæ meritum hominis bonum, & initiat ad iustitiam, & consummat ad gloriam. Primo inchoans in homine voluntatem bonam: deinde eandem volunratem adiuuans inchoatam, vt eadem voluntas & diuino dono bona sit, & diuino adiutorio malam superare concupiscentiam possit, & Deo perficiente talis postmodùm ipsa voluntas sit, vt malam concupiscentiam habere non possit. Ac sic in præsenti vita gratiæ adiutorio infirmitati non cedat, in futura autem, gratiæ beneficio infirmitatem non habeat. Et nunc recreetur continuo iuuamine medicaminis, tunc vero fruatur æterna plenitudine sanitatis. Hæc autem Deus, sicut in prædestinatione semper habuit, sic per gratiam, sicut prædestinauerat, facit. Prædestinationis itaque ipsius instituatur agnitio, cum dicit scriptura: *Et præparatur voluntas à Domino.* Non autem ob aliud præparata dicitur, nisi quia danda prædicitur. A quo enim præparatur per bonitatem sempiternam, ab ipso datur per indebitam gratiam. Quod ipse Dominus Ezechielis vaticinatione testatur, dicens: *Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum dabo in vobis, & auferetur cor lapideum de carne vestra. & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum dabo in vobis. Et faciam, vt in iustificationibus meis ambuletis: Et iudicia mea obseruetis & faciatis.* Dat ergo Deus cor nouũ, vt in iustificationibus eius ambulemus, quod pertinet ad bonæ voluntatis initium. Dat etiã vt iudicia eius obseruemus & faciamus, quod pertinet ad bonæ operationis effectũ.

Gratia Dei hominis meritum & initiat ad iustitiam, & consummat ad gloriam.

Quomodo præparatur voluntas à Domino.

Ezech. 36.

CAPVT IX.

Vnde cognoscimus Dei esse, & vt bonum facere velimus, & vt bonum facere valeamus. Cui sensui Dauid omnino concordat, gratiam beneuolendi sic ostendens diuinæ largitatis directione donari: *A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet.* Opus quoque bonum non nisi à Deo in nobis, & in Deo à vobis fieri protestatur, dicens: *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.* Et alio loco: *In Deo faciemus virtutem*, id est, opus virtutis. Sic autem hic pro opere virtutis virtutem dixit fieri, sicut Ioannes pro opere iustitiæ iustitiam dixit fieri. Ait enim: *Qui facit iustitiam, iustus est, sicut ille iustus est.* Paulus quoque optat à nobis Dei fieri voluntatem, dicens: *Deus autem pacis qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum, aptet vos in omni bono, vt faciatis voluntatem eius.* Quid est autem facere voluntatem eius, nisi facere opera quæ nobis inspirat, & in nobis operatur voluntas eius? Tale aliquid & in ipsius redemptoris nostri sermonibus inuenimus, dum veritatem fieri dicit, pro opere veritatis. Sic enim loquitur: *Omnis qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur eius opera, quia in Deo sunt facta.* Hoc autem in Deo facimus, quod Deo in nobis faciente datur nobis vt faciamus. Quod euidenter in epistola ad Hebræos ostenditur, vbi cum de Deo dictum esset: *Aptet vos in omni bono, vt faciatis voluntatem eius*, continuo sequitur: *Faciens in vobis quod placeat coram se.* Omne igitur opus, quod à nobis in Deo fit, Deus in nobis facit. *Ex ipso enim, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Ex ipso ergo est, & voluntas bona, & operatio bona. Quod Doctor gentium his verbis affirmat: *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Propterea, sicut Salomon dicit, quia præparatur voluntas à Domino: sic etiam bona opera nostra Paulus à Domino asserit præparata, hoc est, in prædestinatione disposita. Dicit itaque: *Gratiã salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est. Non ex operibus, vt ne quis glorietur; ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ preparauit Deus, vt in illis ambulemus:* Sicut ergo præparata est per prædestinationem voluntas à Domino, qua bonum velimus: sic etiam opera bona præparauit Deus, vt in illis ambulemus.

A Deo est & voluntas, & boni operis facultas. Psalm. 36.

Psalm. 67.

Psalm. 59. In Deo faciemus virtutem, id est, opus virtutis. 1. Ioan. 3. Hebr. 13.

Qui facit veritatem, venit ad lucem. Ioan 3.

Hebr. 13.

Deus omne opus bonum in nobis ipse facit. Rom. 11. Philip. 2.

Ephes. 2.

CAPVT X.

Attendamus etiam vitam æternam, regnúmque cœlorum diuinitus fide fidelibus præparatum. Ipse quippe Christus dicturum se dextris ostendit: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio mundi.* Sed & hoc ipsum opus est gratiæ. Ex gratia enim datur non solum iustificatis vita bona, sed etiam glorificatis vita æterna. Quod Pauli tenemus prædicatione compertum, dicentis: *Stipendium enim peccati mors. Gratia autem Dei, vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.* Cur autem mors stipendium, vita vero æterna gratia dicitur? Nisi quia illa redditur, hæc denotatur. Sed vbi illam Deus reddit, opus malum peccatoris hominis punit, quod nullatenus fecisset homo, nisi discessisset à Deo. Cum vero Deus vitam æternam donat, opus suum quod inchoauit iustificans impium, perficit glorificans iustum. Hæc autem vtraque gratia, id est, & vita bona, & vita æterna, in Christo Iesu Domino nostro est. *De plenitudine quippe eius nos omnes accepimus, & gratiã pro gratia*, scilicet gratiam glorificationis æternæ pro gratia iustificationis indebitæ, vt gratia iustificationis omne meritum malum deleat indebito beneficio: Et meritum bonum iugi confirmet auxilio, cui gratia glorificationis iustæ reddatur in præmio. Gratia autem etiam ipsa ideo non iniustè dicitur, quia non solum donis suis Deus dona sua reddit: sed quia tantum etiam ibi gratia diuinæ retributionis exuberat, vt incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum, quamuis bonæ & ex Deo datæ, humanæ voluntatis atque operationis, excedat. Quamuis enim non solum credendi in Christum lumen, sed eiam pro illo patiendi virtutem à Deo nobis donari B. Paulus Apostolus ostendat, dicens: *Vobis enim donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.* Quod vtrumque pertinet ad gratiam præsentis bonæ vitæ. Illam tamen futuræ vitæ gratiam omnibus præsentis temporis passionibus anteponit, dicens: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Et alio loco: *Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ,* supra

Præparatur à Deo per prædestinationem, non solùm voluntas, sed & opus bonum, & vita æterna. Matth. 25.

De plenitudine nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Ioan. 1. Rom. 6.

Philip. 1.

Rom. 8.

2. Cor. 4.

supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

CAPVT XI.

HAnc gratiam non solùm in præsentis vitæ iustificatione, sed etiam in futuri seculi remuneratione, dicit gratiam permanere, & super nos, hoc est, super omnia bona cuiuslibet hominis merita in Dei bonitate asserit abundare, dicens: *Vt ostendat in seculis superuenientibus abondantes diuitias gratiæ suæ, in bonitate super nos in Christo Iesu.* Gratia est igitur retributio pia, qua Deus in præsenti tempore malis bona retribuit: illis videlicet, quos iustificat impios, vt deputetur fides ad iustitiam. De qua retributione Dauid dicit: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Gratia est & illa iusta retributio, qua bonis suis meliora retribuens, Deus glorificaturus est iustos. Et hoc enim gratiæ opus erit. Quia vt hoc mereantur, ipsa præueniendo, misericorditer incipit: ipsa subsequendo custodit. Ista gratia in scripturis etiam misericordia nominatur. De qua dicit Dauid: *Deus meus, misericordia eius præueniat me.* Et alio loco: *Misericordia tua subsequitur me, per omnes dies vitæ meæ.* Præuenit igitur impium, vt fiat iustus: subsequitur iustum, ne fiat impius; præuenit cæcum, vt lumen quod non inuenit, donet: subsequitur videntem, vt lumen quod contulit, seruet: præuenit elisum, vt surgat, subsequitur eleuatum, ne cadat: præuenit, donans homini bonam voluntatem: subsequitur beneualentem, operando in illo boni operis facultatem. Hoc igitur ista misericordia Dei in homine subsequitur, quod præueniens ipsa largitur. Et ideo non solum errantem iustificando ad viam reuocat, sed etiam bene ambulantem custodit & adiuuat, vt ad donum glorificationis æternæ perducat. Hæc autem omnia, id est, & vocationis nostræ initia, & iustificationis augmenta, & glorificationis præmia, in prædestinatione semper Deus habuit: quia & in vocatione, & in iustificatione, & in glorificatione sanctorum, gratiæ suæ opera futura præsciuit. Ob hoc totum Deo assignat Apostolus dicens: *Nam quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij eius, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Verumtamen cum simul iustificatos & glorificatos audimus, non simul & iustificationis & glorificationis opus præsenti tempori deputemus. Iustificationis enim gratia in præsenti datur, glorificationis autem futura seruatur. Ista est fidei, illa spei. Dicit autem Paulus: *Quia nunc per fidem ambulamus, non per spem.* Quod enim nunc sancti credunt, tunc videbunt. Propter quod Ecclesiæ dicitur: *Audi filia, & vide:* quia fides ex auditu, vnde iustus ex fide viuens, fiducialiter dicit: *Credo videre bona Domini, in terra viuentium.* Iste igitur est in homine ordo diuinæ redemptionis ac remunerationis, vt nunc iustificatus credat, quod tunc glorificatus accipiat. Propter quod Paulus ait: *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim.*

Ephes. 2. Psal. 115. Gratia & præueniendo incipit, & subsequédo custodit opus bonum. Psalm. 58. Psalm. 22. In prædestinatione continetur omnis gratia vocationis, iustificationis, & glorificationis. Rom. 8. 2. Cor. 5. Psalm. 26. Philip. 3.

CAPVT XII.

IN hac ergo iustificatione sancti euntes eunt & flent, mittentes semina sua: in illa verò glorificatione venientes venient in exultatione, portantes manipulos suos. In hanc operarij patrisfamilias in vinea operantur, in illa autem denarij mercede sine dubio potientur. Istam Deus nunc donat, vt initium meriti boni gratis indignus accipiat: illam vero in futurum repositam seruat, qua boni meriti præmium accipere dignus possit, qui boni meriti principium, cum esset indignus, accepit. Dicens igitur Paulus: *Quia quos Deus iustificauit, illos & glorificauit,* non vtrumque præsenti vitæ deputat, sed ea fide quod futurum est, velut factum firmat, qua fide propheta de Deo dicit: *Qui fecit quæ futura sunt.* In illa quippe immobilitate consilij sui, secundum bonum placitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt. In ipso ex æternitate dispositionis suæ, in prædestinatione iam fecit quæcunque effectu operis sui, tempore congruo facienda disposuit. Sicut enim omne creatoris opus sine initio non potuit, nec potest fieri, sic illa sempiterna voluntas eius, nunquam mutabilitati subiacet, quia initium existendi non habet. Quod autem semper sic est, vt esse non cœperit, proculdubio sic est, vt id quod est, non esse non possit. Vera igitur immutabilitas, dignè vera vocatur æternitas, in qua æternitate incommutabilis voluntatis suæ Creator ille iam fecisse dicitur, quod in creatura mutabili, prout opportunè faciendum disposuit, sic ritè dispositum facit. Et ideo quæcumque promisit, iam facta dicimus, quia de faciendis dubitare non debemus. Abraham enim pater noster (sicut ait Apostolus) *in repromissione Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quæcumque promisit, potens est & facere.* Ideo ergo in Dei promissis nulla est falsitas, quia in faciendis nulla omnipotenti est difficultas. Et propterea ibi nunquam deest voluntatis effectus, quia voluntas ipsa non aliud inuenitur esse quàm virtus. Quicquid autem vult, potest, qui quantum vult, tantum potest. Propterea de solo dignè dicitur: *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Et iterum: *Subest enim tibi, cum voles posse.* Ideo diximus tantam sibi esse virtutem voluntatis, quanta est voluntas ipsa virtutis. Quia cui semper subest, cum volet, posse, non aliud est in illo velle quàm posse.

Hic euntes eunt, venientes veniunt. Ad Rom. 8. Deus fecisse dicitur, quod faciendum prædestinauit. Rom. 4. Promissa Dei certa sunt ex omnipotentia.

CAPVT XIII.

QVia ergo Deus nulla necessitate compellitur, vt aliquid nolens promittat: nullius vtique aduersitatis impeditur obstaculo, quo id, quod promisit, aut minus quàm vult, aut tardius, faciat. Proinde potuit, sicut voluit, prædestinare quosdam ad gloriam, quosdam ad pœnam. Sed quos prædestinauit ad gloriam, prædestinauit ad iustitiam. Quos autem prædestinauit ad pœnam, non prædestinauit ad culpam. Posset enim peccatum aliquod ex prædestinatione Dei esse, si posset aliquis hominum iustè peccare. Nullus autem hominum iustè peccat, quamuis eum iustè Deus peccare permittat. Iustè enim deseritur à Deo, qui deserit Deum. Et quia homo deserens Deum, peccat, deserens peccatorem Deus, iustitiam seruat. Quid autem magis iustum, quàm vt ille, qui desiderio peccandi iam peccat, pro eo quòd desiderans peccare, ipse sibi noxius efficitur, semetipsum peccato suo lædere permittat?

In sanctis igitur coronat Deus iustitiam, quam eis gratis ipse tribuit, gratis seruauit, gratisque perfecit. Iniquos autem condemnabit pro impietate vel iniustitia, quam in eis ipse non fecit. In illis enim opera sua glorificat, in istis autem opera non sua condemnat. Hoc itaque prædestinauit Deus, quod erat ipse facturus, aut quod fuerat largiturus. Illud vero nullatenus prædestinauit, quod siue per gratiam, seu per iustitiam facturus ipse

Iusta Dei prædestinatio ad pœnam pro peccatis. Sanctis gratiam, impiis iustitiam Deus exhibet.

Futura Dei ira, condemnatio est ad pœnam.

non fuit. Proinde diligentissimè requirendum videtur, quid in his Deus operetur, quos gratis iustificat. Quid etiam in illis, quos iustè condemnat. Dicit enim eximius gentium Doctor: *Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus Deus, qui infert iram? Secundum hominem dico? absit.* Hic autem iram pro condemnatione posuit, sicut alibi Ioannes Baptista dicit: *Qui incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Hanc iram Pharisæis & Sadducæis cum obiurgatione denunciat dicens: *Genimina viperarum, quis vobis ostendit fugere à futura ira?* Ab hac ira nos Dominus Christus eripuit, quod Paulus veridica prædicatione firmauit, dicens Thessalonicensibus. *Quomodo conuersi estis ad Deum à simulacris, seruire Deo viuo & vero, & expectare filium eius de cœlis, quem suscitauit à mortuis Iesum, qui eripuit nos ab ira ventura.* Hanc iram, id est, punitionem, quæ parata est malis, alio loco interitum vocat dicens: *Cum enim dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habenti, & non effugient.*

CAPVT XIV.

Ardua quæstio, an opera damnandorum sint prædestinata, sicut opera iustorum.

QVæramus itaque, vtrum credendus sit Deus iniquorum opera prædestinare, pro quibus eos condemnet, sicut in sanctis prædestinasse dicitur, quod coronet? Cum vero causam condemnationis iniquorum, & glorificationis sanctorum quætimus, non prædestinatos negamus, vel illos ad pœnam, vel illos ad gloriam. Sed vtrum, sicut creduntur prædestinata diuinitus opera bona, pro quibus glorificabuntur iusti, sic credenda sint prædestinata diuinitus opera mala, pro quibus in æternum punientur iniusti? Dicitur enim in libro Psalmorum: *Iniusti punientur, & semen impiorum peribit, salus autem iustorum à Domino.* De vtriusque & saluator noster dicit: *Tunc illi ibunt in combustionem æternam, Iusti autem in vitam æternam.* In vtrisque ergo, id est, iustis & iniustis, tria quædam consideranda existimo, initium voluntatis, progressum operis, finem retributionis. Vt in his quæcumque iusta & bona videmus, iusto & bono Deo demus, illa autem Deo indigna nouerimus, in quibus nec bonitatem nec iustitiam inuenimus. Et considerata operum qualitate, illa credamus à Deo prædestinata, quæ misericordiæ, vel æquitati diuinæ condigna reperiuntur, & congrua: *Misericors enim & miserator & iustus Dominus.* Ac primo totius bonæ voluntatis initium ab illa sempiterna Trinitate, quæ vnus solus & verus est Deus, & prædestinatum confitemur & datum. Hoc enim homini gratuita iustificatione tribuit præparatum, quod in æterna prædestinatione præparauerat tribuendum. Hanc voluntatis præparationem, superius sanctæ scripturæ testimonio demonstraui, quo dictum est, præparatur voluntas à Domino. Ab ipso ergo voluntas præparatur, qui in nobis & velle & perficere misericorditer operatur. Dixit enim Apostolus: *Deus est enim qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Loquens etiam Deus per prophetam, se ipsum facere confirmat quod fidelibus donat vt faciant, secundum illud oraculum, quod est à nobis supra iam positum, quo dixit: *Et faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis.* Quid est autem, faciam vt faciatis, nisi mei erit operis omne bonum, quod operati fueritis. Ipse ergo facit, vt faciamus, quo in nobis operante, fit omne bonum quod facimus. De quo dicitur ad Hebræos: *Aptet vos in omni bono, faciens in vobis quod placeat coram se.* Demonstrata itaque Dei gratia in bona voluntate & operatione hominis, futuræ quoque retributionis gloriam, quæ donabitur sanctis, quis diuinæ gratiæ non esse contendat? cùm siue credentes, siue operantes, licet nostra sit fides, & nostra sint opera, sicut ipse Dominus dicit: *Secundum fidem tuam fiat tibi.* Et beatus Ioannes prædicat: *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Paulus quoque ita scribit: *Gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo.* Opera quoque nostra Dominus ipse testatur dicens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes vestra bona opera, glorificent patrem vestrum qui in cælis est.* Tamen quia ista cum habemus, non habemus ex nobis nata, sed à Deo donata, sicut Apostolus dicit: *Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Et quia quæcumque nobis facienda donat, sicut habere non possumus, nisi ipse nobis largiatur, sic facere non possumus, nisi ipse nobis quæ largitus est operetur.

Initium bonæ voluntatis prædestinatum à Deo.

Philip. 2.

Deus facit vt faciamus bonum.

1. Ioan. 5.

Ad Ephes. 1.

1. Cor. 2.

CAPVT XV.

Non debemus nobis aliquid boni operis, tanquam nostrum adscribere.

PRopterea nullatenus sinimus, immo salubriter prohibemus, tam in nostra fide, quàm in nostro opere, tanquam nostrum nobis aliquid vendicare. Dicit enim Vas electionis: *Quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Et in sancto Euangelio Præcursoris dominici vox est: *Non potest homo accipere quidquam, nisi datum ei fuerit de cælo.* Iacobus quoque Apostolus protestatur: *Quia omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est descendens à patre luminum.* Quod est autem magis donum perfectum, quàm glorificatio futura sanctorum? Nunc enim diuinorum munerum (vt ita dicam) nondum est perfecta perfectio, vtpote, vbi omnis perfectus perfectionis est indignus. Namque ille, qui dixit: † *Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sentiamus,* idem dicit: *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim.* Fuit ergo perfectus spe futuræ glorificationis, fuit autem imperfectus onere corruptionis & mortalitatis: *Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Fuit perfectus expectatione muneris, fuit imperfectus fatigatione certaminis. Fuit perfectus, quod mente seruiebat legi Dei, fuit imperfectus, quod carne seruiebat legi peccati. Fuit perfectus, *desiderium habens dissolui, & esse cum Christo*, fuit autem imperfectus, quia quamdiu fuit in corpore, peregrinabatur à Domino. Fuit perfectus, plenissimè sciens, quia Deus, quæcumque promisit, potens est, & facere: fuit autem imperfectus, quia Deus in sanctis suis quædam nondum fecit ex omnibus quæ promisit. *Propter quod etiam omnes antiqui iusti,* (sicut idem Apostolus dicit) *testimonio fidei comprobati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius prouidente, ne sine nobis perficerentur.* Sicut ergo præcedentes sancti testimonio fidei comprobati, non sunt sine subsequentium perfectione perfecti: sic subsequentes sancti non possunt sine præcedentibus perfici. Donum itaque perfectum tunc omnibus dabitur, quando sanctis æterna glorificatio tribuetur. Tunc sicut Veritas dicit: *Iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui.* Illius est igitur etiam hoc donum perfectum, à quo est doni totius initium: Quod vtique donum non diceretur, si non etiam hoc ex gratia donaretur.

In hac vita nemo perfectus nisi spe futuræ gloriæ.

† aliàs Quicumque.

Paulus fuit hic & perfectus, & imperfectus.

CAPVT XVI.

Gratis operatur Deus salutem nostram ordinatis actibus.

VNus autem Deus est, qui gratis & vocat prædestinatos, & iustificat vocatos, & glorificat iustificatos. Sicut autem non est aliud iustificare, nisi iustos facere: sic non est aliud glorificare, nisi gloriosos facere. Proinde, quia Deus suos & iustificat & glorificat, sicut gratiæ ipsius opus est, cum facit iustos: sic gratiæ ipsius opus erit, cum faciet gloriosos. Quia sicut nemo potest habere veram iustitiam, nisi fuerit iustificatus: sic nemo potest habere veram gloriam, nisi fuerit glorificatus. Vnde autem sit vera gloria, Saluator noster cum Iudæos increparet ostendit, dicens: *Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis: & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis?* Hunc sensum habens Paulus & veraciter dicens: *Nos autem sensum Christi habemus*, sicut gloriam veram à Deo esse nouerat: ita iustitiam veram ex Deo esse confirmat dicens, *Vt inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est iustitia in fide.* Et quamuis abundent plurima documenta, quibus clareat, non solum bonæ voluntatis, bonæque operationis gratiam, sed etiam ipsam sanctorum glorificationem, diuinitus & inchoari prorsus & perfici: tamen arbitror etiam hæc, quæ à nobis posita sunt, vtcumque sufficere.

Vera gloria à solo Deo est.

Philip. 3.

CAPVT XVII.

Secunda pars primæ quæstionis supra positæ.

ET ideo iam, vt libelli series temperetur, malorum quoque voluntatem, operationem, ac retributionem considerare debemus. Vt agnoscamus, vtrum malos Deus iustus ad hoc prædestinauerit faciendum, quod in eis puniturus est factum. An idcirco iniquos ad supplicium iuste prædestinauerit, quia eorum mala opera, licet futura præsciret, non tamen ipse prædestinauit vt futura essent, quia non ipse fecit vt fierent. Itaque si initium peccati requiritur, nihil aliud, nisi superbia inuenitur. Dicit enim scriptura: *Initium omnis peccati superbia.* Quæ itaque tunc initium sumpsit, cum angelus aduersus Deum elatus, & ipsa elatione prostratus, per concupiscentiam (quæ radix est omnium malorum) volens vsurpare, quod illi datum à Deo non fuit, à Deo discessit, & cecidit, in quo si stetisset, non cecidisset. Sed per concupiscentiam malam, qua concupiuit plus extra se, minus factus est in se. Quam concupiscentiam, licet explere nequiuerit opere, tamen retinuit voluntate. Sic ipse sibi iam factus est pœna, vt supplicium semper esset malo voluntas mala, tanquam cæco ipsa cæcitas sua. Et concupiscentia peccandi tormentum fieret peccatori, & rebellis, ac refuga, qui illam imperturbabilem requiem fugeret, deinceps perturbationi seruiret, atque à bono domino relinqueretur iustè, quem ipse reliquit iniustè. Ita factum est, vt perseuerans inordinatus ex se, ordinaretur in se: & in eo, qui in se ordinem perderet, diuini ordinis ratio non periret. Hoc & in homine corrigit, quem ipse diabolus serpentina calliditate deiecit. A domino quippe bono dissentiens, & seruo malo consentiens, malæ voluntatis effectum plenum adipisci non potuit: quia ipsa malitia voluntatis à Deo non fuit. Hanc enim, si à Deo non discederet, non haberet.

Initium omnis peccati superbia.

Casus & pœna luciferi.

Casus primi hominis.

CAPVT XVIII.

Rationalis creatura beata non potest esse nisi creatorem.

BOnus ergo Deus bonarum est conditor naturarum. *Vidit enim Deus* (sicut scriptum est) *omnia quæ fecit, & ecce bona valde* In quibus omnibus quæ fecit, rationalem creaturam meliorem cæteris fecit. Sic tamen potiori creaturæ magis voluit inesse bonum, vt etiam infimæ creaturæ nullum inesset substantialiter malum. Ac per hoc, superius esse infimo bono melius creatum bonum, cui summum bonum (quod creatum non est, & à quo omne mutabile bonum creatum est) iustè dominaretur. Cuius etiam participatione beatum esset, si summo bono humili dilectione seruiret. Creaturæ quippe rationali alia beatitudo nec potuit, nec potest esse, nec poterit: nisi vt agnoscens, à quo non solum facta, sed etiam à quo rationalis est facta, maiorem dilectionem exhibeat bono creatori quàm sibi. Neque enim ei inesse posset vllatenus ratio, nisi ei posset creatoris inesse dilectio: quia nec est alia, quæ vera sit sapientia vel intelligentia creaturæ rationalis, nisi dilectio creatoris, in qua tanto magis minúsve est dilectio sui, quanto magis minúsve dilectionem suo exhibet creatori. Voluntas porro creaturæ rationalis sine qualicumque amore non potest esse: nec sic potest diligere, vt amorem suum non velit ad aliquid religare, quæ inter summum bonum, à quo creata est, & infimum bonum, cui prælata est, medio quodam loco posita, profectò aut in infimo bono necesse est miserabiliter iaceat, aut in summo bono veraciter fœlicitérque requiescat. Quodam etenim amore rapitur, seu cum obedientia subleuatur, & creatori bono bene subiicitur: siue cum superbia deprimitur, vt creaturæ bonæ malè dominetur. Sicut enim fit elatione humilis, sic fit humilitate sublimis. Dicit enim Dominus & Magister noster: *Omnis qui se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur.* Propter quod item scriptum est; *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Neque vero Deus humiles, quibus dat gratiam, ante datam humiles inuenit: sed dando gratiam, humiles facit. Hoc ipso enim gratiam, Deus per gratiam donat: vt quisquis eam acceperit, humilis fiat. Propter quod ipse Vnigenitus sanctæ humilitatis doctor atque largitor dicit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris.* Hanc requiem perdiderunt, qui humilitate reiecta aduersus vitam suam tumuerunt, & in mortem per superbiam reciderunt. De talibus enim dictum est. *Deiecisti eos, cùm extollerentur.* Talibus autem propterea Deus resistit, quia in eis superbiam ipse non fecit: per quam iniustè malunt in peccatum cadere, & per quam iustè merentur in peccato permanere,

plus diligat quam seipsam.

Voluntas rationalis si se Deo subiicit, sublimatur; si se effert, deprimitur.

Luc 7.

Deus humiles facit.

Deiecisti eos cum extollerentur.

CAPVT XIX.

Interitus non ex Deo, sed ex superbia est.

PRoinde, quia initium malæ voluntatis superbia est, quæ ex Deo non est, perspicuè claret, non ex Deo esse hominibus interitum malæ operationis, sed à iusto iudice retribui malis interitum vltionis. Mala quippe voluntas non pertinet ad optimum creatorem: iusta vero iniusti angeli hominísque damnatio pertinet ad æquissimum cognitorem. Ad voluntatem igitur malam Deus hominem non prædestinauit, quia homini eam daturus ipse non fuit. Quomodo enim Deus hominem, quem ad imaginem suam fecit, prædestinaret ad malam voluntatem, quam ipse non fecit? Itaque peccare in hoc homo cœpit, in quo à Deo discessit. Scriptum est enim: *Quia initium superbiæ apostatare à Deo.* Et alio loco: *Ecce omnes, qui se elongant à te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* Isti ergo, qui se elongant & fornicantur à Deo, vtique peccando pereunt per suam malam voluntatem, quæ non est ex Deo. Perdet autem illos Deus iustè iudicando, quod competit Deo. Non enim eos

Initium superbiæ apostatare à Deo

Deus iudicio perderet, nisi per suas iniquitates ipsi periissent. Scriptum est enim: *Defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.* Defectus ergo à summo bono ad infimum bonum, hoc est peccatoris proprium & voluntarium malum, quo malo seipsum perdit iniustus. Et quia huic malo auctor non est Deus, sed homo peruersus, dignè itaque homini, qui se perdidit peccato, redditur in tormentis æterna perditio: vt pereat quidem, qui perire voluit, non tamen sic pereat, quemadmodum voluit. Qui enim sic peribit, delectatione peccatorum illectus, vt si posset fieri, maneret in opere peccati perpetuus: iustè quidem est in perditione peccati dimissus, quo propria cecidit voluntate. Sed non ibi fuit impune dimittendus, ne Deus fidelis, in quo non est iniquitas, qui est iustus & sanctus, si peccatorem semper in peccato relinqueret impunitum, putaretur illi placere peccatum. Quam sententiam in quibusdam Deus arguit per Malachiam prophetam, qui dicunt: *Omnis qui facit malum, bonus est coram Domino, & ipse in eo placuit, & vbi est Deus iustitiæ.* Iustè igitur est subsequuta seueritas iudicis, vbi præcessit iniquitas peccatoris, quia illius rei Deus vltor est, cuius auctor non est, id est, iniquitatis, quam potest Deus punire, non facere. Scriptum est enim: *Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas.* Et scitis, quia ille apparuit, vt peccata tolleret, & peccatum in eo non est: *Omnis qui in eo manet, non peccat.* Et iterùm: *Deus fidelis, in quo non est iniquitas, iustus & sanctus Dominus.* Iniquitas igitur, quia in Deo non est, vtique ex Deo non est.

Defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam ibidem.

Deus peccati vltor est, non auctor.

Deuter. 32.

CAPVT XX.

Iniquitas ex inordinato amore mundi.

QVæ est autem iniquitas, nisi mala concupiscentia? quam ex Deo non esse Ioannes Apostolus manifestat, dicens: *Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo, quia omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo est.* Hic autem mundi nomine, homines significat mundi istius dilectores: qui non ideo pro dilectione mundi puniendi sunt, quia aliquam substantiam malam diligunt, cum substantia naturaliter nulla sit mala, sed quia dilectionis ordinem non tenentes, dum plus iusto diligunt mundum, minus Deum diligunt, quam diligere debuerunt. Non autem aliquid inordinatum Deus fecit, nec aliquid inordinatum fieri prædestinauit, qui per Apostolum suum imperat, vt omnia honestè & secundum ordinem fiant. Propter quod & in sanctis eloquiis, vt peccatum vitetur, charitas præcipitur. Scriptum est enim: *Ordinauit in me charitatem.* Huic ordini congratulatur Apostolus dicens: *Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum gaudens, & videns ordinem vestrum.* Peccati vero initium si attendatur, puto, quod nihil est aliud, quam ordinatarum rerum inordinata rationalis creaturæ dilectio, quæ sponte perdendo dilectionis ordinem perdidit & salutem. Ad hoc non est à Deo prædestinata rationalis creatura. Neque enim alia est eius prædestinatio, nisi futurorum operum eius æterna præparatio. In qua nullius causa mali poterit inueniri, quia ex voluntate Dei nunquam processit origo peccati.

Peccati initium inordinata dilectio.

CAPVT XXI.

Misericordiam & veritatem diligit Dominus.

MIsericors etenim Dominus & iustus, de quo alio loco scriptum est: *Misericordiam & veritatem diligit Dominus Deus.* In omnibus ergo operibus eius, aut iusta veritas custoditur, aut pia misericordia prærogatur. Porro autem, cum negare non possimus, à Deo bono factum hominem bonum, si dixerimus eum à Deo prædestinatum ad opus aliquod malum, nos Deo misericordi & iusto tale opus (quod absit) adscribimus, vbi nec misericors possit inueniri, nec iustus. Si enim cum à Deo fieret homo, sic erat in præsenti opere Dei bonus, vt prædestinatione eius esset malus, proculdubio Dei opere malus futurus erat, à quo ad peccandum prædestinatus fiebat. Vbi statim illa consequetur absurditas, vt dicatur, quia Deus, de quo propheta dicit: Qui fecit quæ futura sunt, in se habuit (quod absit) iniquitatis originem, si hominem à se factum ipse prædestinauerat peccatorem; prædestinatio enim eius, præparatio est operum eius. Et sicut competit Deo bono, vt causa sit totius operis boni, sic incongruum est, vt imputetur causa cuiuslibet operis mali. Deinde attendamus, quia nulla ratio redditur, quia homo ad peccatum prædestinatus à Deo credatur. Si enim in his, quos Deus & pater Domini nostri Iesu Christi benedixit in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo Iesu, sicut elegit eos in ipso ante mundi constitutionem, vt essent sancti & immaculati in conspectu eius in charitate, qui prædestinauit eos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum. Si ergo in his causa prædestinationis quæratur, non vtique alia, sed sola gratuita Dei misericordia reperitur. Ipse est enim de quo dicit Psalmus: *Misericors & miserator Dominus, longanimis & multa misericordia: non in finem irascetur, neque in æternum indignabitur: non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.* Quia secundùm altitudinem cæli à terra elongauit iniquitates nostras à nobis. Sicut miseretur pater filiis, ita misertus est Dominus timentibus eum. In his omnibus tot ac talibus bonis, quæ Dominus retribuit malis, quid aliud quam indebita misericordia canitur? quidve aliud quàm gratuita pietas prædicatur? Nam & in eo, quod non *secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis*, gratuita manifestatur iustificatio impiorum. Et in eo, quod sicut miseretur pater filiis, ita misertus est Dominus timentibus eum, gratuita claret per eandem fidei iustificationem adoptio filiorum. Neque enim sicut pater filiis, misereretur, nisi nobis gratia pater factus, nos sibi filios facere dignaretur. *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.*

Non prædestinat Deus hominem ad peccandum.

Prædestinatio bonorum est ex gratuita Dei misericordia.

Sicut pater filiis, ita dominus se timentibus est misertus.

CAPVT XXII.

Absit vt dicamus hominem à Deo prædestinari ad perpetranda peccata.

HÆc est in sanctis causa prædestinationis diuinæ, præparatio scilicet iustificationis & adoptionis indebitæ, quam quia non merebatur voluntas hominis mala, non est eius causa, nisi sola Dei voluntas bona. In his autem, qui putantur prædestinati, non ad luenda supplicia, sed ad perpetranda peccata, cum causa prædestinationis quæritur, non inuenio, quid respondere posset, quisquis hanc asserere meditatur. Nunquid enim sicut rectè dicimus, ad hoc prædestinatos sanctos, vt Deo in eis misericorditer operante, ex malis fierent boni, & ex impiis iusti. Quod cum dicimus, ad Dei gloriam dicimus. Nunquid sic rectè dicere poterimus, ad hoc prædestinatos iniquos, vt Deo in eis, etsi non misericorditer, saltem iustè operante, ex bonis fierent mali, aut ex iustis fierent impij. Absit hoc à nobis, atque ab omnibus Christianis, vt causam cuiuslibet peccati quisquam deputare diuinæ audeat æquitati. Cum nec malitiæ, nec impietatis cuiusquam causa esse possit, nisi in eo, qui malus atque impius fuerit. Vt ergo ex malis fiant homines boni, & ex impiis iusti, laudanda est Dei misericordia. Vt

autem

autem ex bonis fiant homines mali, aut ex iustis iniqui, si diuinæ prædestinationis asseritur causa, erit (quod absit) vituperanda iustitia. Quinimo nec iustitia iusta dicetur, si puniendum reum non inuenisse, sed fecisse dicatur. Maior vero erit iniustitia, si lapso Deus retribuit pœnam, quem stantem prædestinasse dicitur ad ruinam.

CAPVT XXIII.

In homine quem Deus rectè fecit, non est prædestinata mala voluntas.

QVæro autem, cur primum hominem, quem (sicut scripum est) fecit Dominus rectum, prædestinare potuerit ad peccandum, id est, ad voluntatem malam, quæ est totius origo peccati, quam vtique aut retribuisse Deum nondum peccanti homini, aut retribuisse credendum est peccatori. Hanc itaque si nondum peccanti homini tribuit, ipse (quod absit) auctor iniquitatis extitit, qui malam voluntatem dedit homini bono, per quam peccans, æterno meretur puniri supplicio. Et vbi est, quia Deus mortem non fecit? Et quia non est iniquitas apud Deum? Et quia iustus Dominus, & iustitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius? Si autem malæ voluntatis initium peccatori homini non tribuit, sed retribuit Deus, vt ab homine credatur cœpisse peccatum, à Deo autem tanquam à iusto iudice redditum malæ voluntatis initium dicatur, quod peccatum homo facere potuit, in quo voluntas mala non fuit? cum nullus fructus iniquitatis exoriri possit, nisi quem radix voluntatis malæ protulerit. De corde enim (sicut veritas ait) exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt quæ coinquinant hominem. Propter quod Deus ipse per Hieremiam sic humanæ malitiam voluntatis obiurgat, vt eam à se alienam esse perdoceat. Dicit enim: *Ego te plantaui vineam fructiferam, quomodo conuersa es in amaritudinem vitis alienæ?* Alienam vtique à se vitem dicit non vitio diuinæ conditionis, sed auersione propriæ voluntatis, quæ iustè culpatur, pro eo quod amaritudinem protulit, quam in ea Deus ipse non fecit. Quoniam ipsam amaritudinem, nec ex Dei prædestinatione, nec ex Dei opere, sed ex malitia suæ voluntatis habuit. Pro qua amaritudine sic eam Deus per supra memoratum Prophetam denuo increpat: Scito quam malum est tibi & amarum reliquisse Dominum Deum tuum, & non esse timorem meum apud te. Cum ergo hoc sit homini malum & amarum reliquisse Dominum, & timorem Dei apud eum non esse; quis ita sit contrarius veritati, vt putet à bono ac suaui Deo (de quo scriptum est:) *Quam bonus Deus Israel rectis corde?* Et quia nemo bonus nisi solus Deus, & de quo Apostolus dicit: Vt ostendat in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos. Et de cuius suauitate canitur: Gustate & videte quam suauis est Dominus. Et de cuius eloquiis denuo prædicatur: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo.* Et rursus: *Iudicia Dei vera, iustificata in semetipsa, desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multum, & dulciora super mel & fauum.* Quis ergo putet à bono ac suaui Deo prædestinatum hominem aut ad malitiam voluntatis, qua bonum Deum relinqueret, aut ad amaritudinem contumaciæ, qua suauem Dominum non timeret? Proinde fidelibus congruit credere & fateri Deum bonum & iustum, præsciisse quidem peccaturos homines, quia nihil eum latere potuit futurorum (neque enim vel futura essent, si in eius præscientia non fuissent) non tamen prædestinasse quemlibet hominem ad peccatum, quia si ad peccatum aliquod hominem Deus prædestinaret, pro peccatis hominem non puniret. Dei enim prædestinatione aut peccatorum præparata est pia remissio, aut peccatorum iusta punitio. Nunquam igitur Deus ad hoc hominem potuit prædestinare, quod ipse dispofuerat & præcepto prohibere, & misericordia diluere, & iustitia punire. Iniquos itaque quos præsciuit Deus hanc vitam in peccato terminaturos, prædestinauit supplicio interminabili puniendos, in quo sicut culpanda non est præscientia humanæ iniquitatis, ita prædestinatio iustissimæ laudanda est vltionis, vt agnosceret non ab eo prædestinatum hominem ad qualecumque peccatum, quem prædestinauit peccati merito puniendum.

Mala hominis voluntas non est Dei plantatio.

Suauis & bonus dominus non creauit amaritudinem voluntatis peruersæ.

Præsciuit quidem Deus homines peccaturos, sed eos ad peccandum non prædestinauit.

CAPVT XXIV.

DEus itaque omnia hominum opera, siue bona, seu mala præsciuit, quia eum latere nihil potuit, sed sola bona prædestinauit, quæ se in filiis gratiæ facturum esse præsciuit: mala vero futura opera illorum, quos non prædestinauit ad regnum, sed ad interitum, præsciuit potentissima deitate, & ordinauit prouida bonitate: & quia præscius fuit, quod eadem mala, non solum ipse facturus non esset, sed nec homo in quantum ei humiliter adhæsisset, in eo nobis insuperabilem potentiam præscientiæ suæ magis ostendit, quia nec in malis prædestinationem iustitiæ suæ vacare permisit. Ostensurus itaque Deus, quid reddendum præsciuerit, & quid donandum, prædestinauit illos ad supplicium, quos à se præsciuit voluntatis malæ vitio discessuros. Et prædestinauit ad regnum, quos ad se præsciuit misericordiæ præuenientis auxilio redituros, & in se; misericordiæ subsequentis auxilio, esse mansuros. In istis misericordiam custodiens, in illis iustitiam tenens: istis quod promisit piè tribuens, illis nihilominus quod prædixit iustè retribuens. Sic autem Deus non omnia promisit quæ prædixit, quamuis prædixerit omnia quæ promisit. Sicut non omnia prædestinauit quæ præsciuit, quamuis omnia prædestinata præsciuerit. Præsciuit enim voluntates hominum bonas & malas, prædestinauit autem non malas, sed solas bonas. Et licet in eius prædestinatione non fuerit, vt malitiam voluntati humanæ dedisset, fuit tamen in eius prædestinatione, quid humanæ voluntatis malitiæ reddidisset. Propter hoc, quia sicut Psalmista testatur, misericors est Dominus & iustus, prædestinauit iustos ad gloriam, iniquos ad pœnam. Iustificandis ergo atque glorificandis prædestinatum misericordiæ suæ opus prædixit pariter & promisit. Iniquis autem prædestinatum iustitiæ suæ opus prædixit tantummodo, non promisit.

Deus igitur prædestinauit bonos misericorditer ad gloriam, malos iustè ad supplicium.

Deus non omnia promisit quæ prædixit, nec omnia prædestinauit quæ præsciuit.

CAPVT XXV.

QVod si quis quærat, cur Deus omnia quidem prædestinata prædixerit, non tamen omnia prædestinata promiserit? Respondemus, promissionem dici non posse, nisi cum aliquid ad hoc prædicitur faciendum, vt possit ei cui promittitur prodesse iam factum. Et promissum semper esse doni, non semper esse iudicij, cum promissi largitas semper lætificet, iudicij vero seueritas aliquando contristet. Quod Propheta metuens huiuscemodi ad Deum orationem effundit: *Ne intres in iudiciũ cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Psal. 142. Sciebat enim cunctos pari retinendos punitionis vinculo, nisi Deus in quibus vellet misericordiam fecisse, superexaltaret iudicio. Iustificatio igitur & glorificatio quæ non est homini ex homine, sed ex Deo, quia multum Sanctis fuerat profutura, ideo prædicta est & promissa. Punitio vero, quæ in æternum fuit impiis obfutura, prædicta est

Verba Esaiæ de futura retributione.

tantummodo, non promissa. Quod etiam diuinis testimoniis facilius ostenditur. In illo quippe Prophetæ loco vtrumque pariter inuenitur expressum, vbi Deus per Esaiam eos qui sibi non seruiunt, his arguit verbis: *Ecce qui seruiunt mihi, manducabunt, vos vero esurietis. Ecce qui seruiunt mihi, bibent, vos vero sitietis. Ecce qui seruiunt mihi, lætabuntur, vos verò confundemini. Ecce qui seruiunt mihi, exultabunt in lætitia, vos autem clamabitis propter dolorem cordis vestri, & à contritione spiritus vlulabitis.* In his omnibus, quæcumque ad iniquorum personam pertinent, prædicta sunt tantummodo, non promissa. Neque enim dicendum est bonitatis largitate promissum, quod intendat iniquitatis merito seueritas inferendum. Si qua vero ad personam seruientium Deo pertinent, & prædicta sunt, & promissa. Tale aliquid est etiam in illo Saluatoris nostri sermone, quo ait: *Tunc illi ibunt in combustionem æternam, iusti autem in vitam æternam.* Prædixit & promisit præmium, quo fruerentur iusti, non autem promisit, sed prædixit supplicium, quo punirentur iniusti. Neque vero, sicut prædestinauit sanctos ad iustitiam accipiendam, sic prædestinauit iniquos ad eandem iustitiam amittendam, quia misericors Dominus & iustus, potuit gratis à prauitate liberare quem voluit, prauitatis autem operator nunquam fuit, quia prauus nunquam aliquis fuit, nisi in quantum à Deo discessit. Nec discessurum Deus prædestinauit, quamuis discessurum cognitio diuina præsciuerit.

Isaiæ 65.

Matth. 25. in fin.

CAPVT XXVI.

Deus de malis impiorum operibus operatur bonum.

DEus itaque licet auctor non sit malarum cogitationum, ordinator tamen est malarum voluntatum, & de malo opere cuiuslibet mali non desinit ipse bonum operari. Nec in ipsis iniustæ voluntatis operibus deserit operum suorum iustum ordinem, quia & hoc in ipso ordine habet, quod malam iustè deserit voluntatem. Quam tamen sic in suis malis operibus à se discedentem deserit, vt ibi permittentis Dei operatio bona non desit, dum & in peccantis voluntate iniusta implet ipse iustitiam, & de malo, quo peccantem iudicat, quibus ipse vult beneficium prærogat. In sanctis igitur perfecturus est Dominus, quod vt essent boni, gratis dedit. Quod autem daturum se præsciuit, in æterna bonitatis dispositione prædestinauit. Ipsa est enim prædestinatio Dei, sempiterna scilicet dispositio futuri operis Dei. Porro autem in iniquis puniturus est, quod vt essent mali, non dedit, nec eos ad iniquitatem aliquam prædestinauit, quia vt iniquè vellent, hoc eis daturus ipse non fuit. Et quia malæ voluntatis perseuerans iniquitas inulta remanere non debuit, tales ad interitum prædestinauit, quia talibus iustæ punitionis supplicium præparauit. Quod vtique manifesto Dominus ipse sermone perdocuit, in eo, quod à se ostendit paratum, non solum regnum, vbi lætentur boni, sed & ignem æternum, vbi crucientur mali. Bonis etenim dicturus est: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi*: malis autem dicturus est, *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Ecce ad quod Dominus iniquos & impios prædestinauit, id est, ad aliquod supplicium iustum, non ad aliquod opus iniustum: ad pœnam, non ad culpam: ad punitionem, non ad transgressionem: ad interitum, quem ira iusti iudicis peccantibus reddit, non ad interitum, quo in se iram Dei peccantium iniquitas prouocauit. Quod beati Apostoli prædicatio manifestat, qui malos, quos in æternum damnaturus est Deus, vasa vocat iræ, non culpæ. Ait enim: *Quod si volens Deus ostendere iram,*

Aliter igitur Deus bonos, aliter malos prædestinauit.

Mali dicuntur vasa iræ, boni vasa misericordiæ.

Rom. 9.

& notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Quæro Monime charissime, vt hunc Apostoli locum diligenter attendas. Notum namque est, iram Dei dici non posse, nisi vbi creditur hominis iniquitas præcessisse. Neque enim Deus aut ignarus esse potuit, aut iniustus, qui posset aut peccantis hominis culpam non agnoscere, aut non peccanti iudicium punitionis inferre. Nam & ipse Beatus Paulus in iniquitate hominis iustitiam Dei prædicat commendari, vt ostendat, non iniustè iram omnipotentis inferri. Ait namque: *Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? numquid iniquus Deus, qui infert iram? (secundum hominem dico) absit, alioquin quomodo iudicabit Deus mundum?* Non itaque frustra talis est ab eo facta inter puniendos glorificandósque discretio, vt illos vocaret vasa iræ, istos autem vasa misericordiæ, nisi vt ostenderet, tam in vasis iræ, quam in vasis misericordiæ iniquitatem propriam præcessisse. Talis est Dominus verus, cui vt gratuita sit misericordia, & ita non sit iniusta: ac per hoc, & illos indignos præueniat bonitate, quos iustificat; & illos dignos inueniat punitione, quos damnat: ac si appareat, & in vasis misericordiæ, non ex ipsis, sed ex Deo esse, quod boni sunt, & in vasis iræ non ex Deo, sed ex ipsis esse quod mali sunt. Posset enim Apostolus quos dixit vasa misericordiæ, potius vasa iustitiæ nuncupare: sed si vasa iustitiæ vocarentur, forsitan ex seipsis habere iustitiam putarentur. Nunc autem cum vasa misericordiæ dicit, procul dubio, quid ipsi fuerint, non tacuit, quia quid eis à Deo collatum sit, euidenter ostendit. Si enim per se ipsos essent iusti, mercedem eis Dominus pro operibus suis redderet, non misericordiam prærogaret: sicut idem Apostolus alio loco dicit: *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Vasa itaque misericordiæ ad indebitam sunt gloriam præparata, quia gratis sunt misericordiam consecuta. De quibus etiam ipse Beatus Apostolus se esse testatur, dicens: *Qui prius fui blasphemus & persecutor & contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Hoc est opus Dei in vasis misericordiæ, vt blasphemis & persecutoribus & contumeliosis, non debitus redderetur interitus, sed misericordiæ donaretur gratuitum munus. Vasis vero iræ nunquam Deus redderet interitum, si non spontaneum inueniretur homo habere peccatum, quin nec Deus peccanti homini iustè inferret iram, si homo ex prædestinatione Dei cecidisset in culpam. Sed quia causam iniquitatis suæ ex propria homo habuit voluntate, propterea B. Paulus sustinuisse asserit Deum in multa patientia vasa iræ, apta in interitum. Hæc igitur ira, ideo talibus vasis interitum reddidit, quia in eis meritum voluntariæ iniquitatis inuenit. Quando autem peccanti seruo iram iustus Dominus intulisset, si seruus ex Domini prædestinatione peccasset? In hoc itaque ista vasa Deus aptauit, in quod prædestinauit, hoc est, in interitum, illum vtique interitum, quem Paulus malis repente superuenturum denunciat, dicens: *Cum enim dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus.* Quod si Deus tales in peccatum prædestinaret, non eos Apostolus vasa iræ mallet nominare, sed culpæ, nec in interitum talia vasa, sed in peccatum dicerentur aptata. Nunc autem ideo vasa iræ dicuntur, vt ostendatur, in talibus ex Dei prædestinatione non hoc esse, quod est malè ab eis admissum, sed quod est talibus bene redditum.

Rom 3.

Cur potius misericordiæ quam iustitiæ vasa bonos vocat Apostolus.

Rom 4.

1. Tim. 1.

1. Thess. 5.

CAPVT

CAPVT XXVII.

Quam iuste Deus deserit malos, & interitum eis reddit.

Bene quippe malis interitus à Deo redditur, quamuis sit malus interitus eis, qui nunc iustè deseruntur, & postmodum iustè torquebuntur. In talibus enim Deus iudicium suum desertione inchoat, cruciatione consummat. Nam & hoc tempore, quo discedentes malos deserit Deus, non operatur in eis, quod ei displicet, sed operatur per eos quod ei placet, postmodum eis redditurus quod ab eius iustitia merentur. Recipient enim non pro eo, quod Deus bene vsus est eorum operibus malis, sed pro eo quod ipsi malè abusi sunt Dei operibus bonis. Tales itaque Deus aptauit in interitum punitionis, quem peccatori iustus iudex prædestinatione iusta decreuit. Non in peccatum quod homo non ex prædestinatione diuina, sed ex voluntate sua, malè concupiscendo cœpit, & malè operando perfecit. Concupiscentia enim concipiens, peperit peccatum, peccatum verò consummatum genuit mortem: Non ergo iniqui prædestinati sunt ad mortem animæ primam, sed prædestinati sunt ad secundam, id est, ad stagnum ignis & sulphuris. De quo Beatus Ioannes dicit: *Et diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnũ ignis, & sulphuris.* Et alio loco: *Et mors & infernus missi sunt in stagnum ignis.* Hæc mors secunda est stagnum ignis. Et qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. Rursus dicit: *Dubiis autem, & infidelibus contaminatis, & homicidis, & impudicis, & veneficis, & idolis seruientibus, & omnibus mendacibus, pars eorum in stagno ardente, & sulphure, quod est mors secunda.* Illam secundam nuncupat mortem quæ sequitur ex sententia iusti iudicis, non illam, quæ præcessit in mala concupiscentia peccatoris. Qua morte Saluator quosdam mortuos asserebat, dicens: *Dimitte mortuos sepelire mortuos.* Et Apostolus de vidua: *Quæ autem in deliciis est viuens, mortua est.* Ad Ephesios quoque sic loquitur: *Et vos, cum essetis mortui delictis, & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis, secundum sæculum mundi huius, secundum principem potestatis aëris huius spiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, in quibus & nos omnes aliquando conuersati sumus, in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum.* Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri; Deus autem, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo. De hac morte, qua homo est mortuus in peccatis, dicit Deus: *Nolo mortem morientis, sed vt reuertatur à via sua mala, & viuat anima eius.* Quomodo autem ad mortem peccati prædestinasse Deus hominem creditur, quam ipse se nolle testatur? Mors ergo ista morientis, via sua mala est. Quæ quia mala, Deo ignota. Scriptum namque est: *Vias enim quæ à dextris sunt, nouit Dominus, peruersæ autem sunt, quæ à sinistris sunt.* Vias ergo, quas Deus fecit, nouit, quas non fecit, perdit, quia eas non nouit. Vnde scriptum est: *Nouit Dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit.* Ille igitur, qui scit omnia antequam fiant, & cuius oculi in omni loco speculantur bonos & malos, cuius etiam vultus super facientes mala, perdet de terra memoriam eorum. Ideo viam malam non nouit, non quia scientiam ipsius aliquid in operibus hominum fugit, sed quia mortem morientis non fecit; qui tamen mortem mortuo iustè retribuit. Prima igitur mors animæ, quam sibi homo intulit, secundæ mortis est causa: & secunda mors, quam Deus homini reddidit, primæ mortis est pœna. Et quia istam sibi homo iniustus iniustè intulit, illam à iusto iudice iustè percepit, vt quia in ista volens semen iniquitatis seminat peccator improuidus: in illa metat fructum punitionis inuitus. Qui enim seminat in carne sua, de carne metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Sed qui seminat in spiritu, & de spiritu metet vitam æternam, à Deo habet donum & messis, & seminis. Quod Paulo teste cognouimus, sic enim ait: *Qui autem dat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Qui vero seminat in carne, & de carne metet corruptionem; ideo non lætabitur in messe, quia non Deum, sed seipsum habuit auctorem in semine. Peccata itaque hominum cuncta quidem Deus in peccatoribus præsciuit futura. Et quia ipse non ea prædestinauit facienda, iustè prædestinauit iudicio punienda. Quod etiam in ipsis dictis sancti Augustini, quæ tuæ inseruisti epistolæ, si consideres, profecto cognosces, qui postquam dixit: Hoc ergo bonum, quod est requirere Deum, non erat qui faceret, non erat vsque ad vnum: sed in eo genere quod prædestinatum est ad interitum, statim secutus adiunxit, dicens: *Super hoc enim respexit Dei præscientia, protulitque sententiam.* Nempe satis euidenter his dictis ostendit, quia Deus peccata hominum præscientia vidit, quibus sententiam prædestinatione dictauit. Quid enim aliud accipere debemus, in hac prolatione sententiæ Dei, nisi paratum supplicium peccatori? Iustè autem est ad punitionem diuina æquitate prædestinatus, qui peccator est diuina cognitione præscitus; vtpote, qui iniquitatem, ad quam à Deo non est prædestinatus, propria esset voluntate facturus. Vt in quo præscientia Dei videbat futurum opus iniustum, huic per prædestinationis sententiam pararet supplicium iustum.

Iniqui prædestinati sunt ad stagnũ ignis & sulphuris.

Prima mors animæ in peccato, secunda in stagno ignis.

Vias impiorum non nouit Dominus, quia eas non fecit.

Prima mors animæ ab homine, secunda à Deo infertur.

Peccata prædestinauit Deus non facienda, sed iustè punienda.

CAPVT XXVIII.

Qvamuis igitur tu ipse, cæterique tui similes studio legendi, vel velocitate intelligendi, ex hoc loco dictorum sancti Augustini, quæ in tua epistola posuisti, facillimè cognoscatis, quid Catholicus habeat intellectus de his, quos ad interitum prædestinatos audimus; tamen ne tardiores quique hunc tantum locum minus sibi putent in hac quæstione sufficere, de aliis quoque sancti Augustini libris quædam inserui, quibus docuit humanæ iniquitatis causam solam esse superbiam, nec ad peccandum homines, sed ad damnationem prædestinatos à Deo, qui vt non adiuuentur à Deo, in ipsis causa est, non in Deo. In libro itaque secundo de Baptismo paruulorum ad Marcellinum scribens, inter alia sic dicit: Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moueatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Vt autem innotescat quod latebat, & suaue fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei est, qua hominum adiuuat voluntates, qua vt non adiuuentur, in ipsis itidem causa est, non in Deo, siue damnandi prædestinati sint propter iniquitatem superbiæ, siue contra ipsam superbiam iudicandi, & erudiendi, si filij sunt misericordiæ. Hic statim sanctus Augustinus testimonium prophetæ subiunxit, dicens: Vnde Hieremias, cum dixisset, *Scio Domine, quoniam non est in homine via eius, nec viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos*, continuè subiunxit: *Corripe* Hier. 10.

me

me Domine, veruntamen in iudicio, & non in furore tuo. Tanquam diceret: Scio ad corruptionem meam pertinere, quod minus abs te adiuuor, vt perfectè dirigantur greſſus mei. Veruntamen hoc ipſum noli ſic mecum agere, tanquam in furore, quo iniquos damnare ſtatuiſti, ſed tanquam in iudicio, quo doces tuos non ſuperbire. Vnde alibi dicitur. *Et iudicia tua adiuuabunt me.* Supradictum itaque Marcellinum tali doctrina ſanctus Auguſtinus informans, ſequitur & dicit: Nullius proinde culpæ humanæ in Deũ referas cauſam, vitiorum namque omnium humanorum cauſa ſuperbia eſt. In iſtis ſancti Auguſtini dictis attende quæſo mi chariſſime. Primum quia quod non homines adiuuentur à Deo in ipſis cauſa eſſe dicitur, non in Deo. Deinde, quia propter iniquitatem ſuperbiæ prædeſtinari dicuntur damnandi, quod pertinet ad iudicium, non deprauandi, quod pertinet ad peccatum. Tertio etiam conſidera, quia nullius culpæ humanæ in Deum referendam admonet cauſam, quia ſi aliqua peccatoris iniquitas à Deo prædeſtinata credatur, ipſius iniquitatis cauſa in prædeſtinatione diuina ponetur. Quod quàm ſit impium, quamque fidei Chriſtianæ contrarium, nullum puto fugere Chriſtianum. Alio quoque eiuſdem libri loco memoratus S. Auguſtinus ſic dicit: Extolli quippe in ſuperbiam propriæ voluntatis eſt hominum, non operis Dei. Neque enim ad hoc eos compellit, aut adiuuat Deus.

Pſal. 118. in fine.

Elegans doctrina ex verbis ſancti Auguſtini.

CAPVT XXIX.

Prædeſtinatio ſine Dei præſcientia eſſe non poteſt, ſed bene è conuerſo.

ET vt manifeſtiore dictorum eius iudicio noſtra fulciatur aſſertio, aliquid nobis ponendum eſt de libro, quem ſcripſit de prædeſtinatione ſanctorum, quo manifeſtius oſtendit, ſine prædeſtinatione præſcientiam Dei eſſe poſſe: prædeſtinationem vero ſine præſcientia eſſe non poſſe: & quia Deus præſciuit etiam quæ ipſe non facit, hoc eſt, peccata. Supra memorato igitur libro, hæc eſt eiuſdem beati Auguſtini ſententia: Prædeſtinatio eſt, quæ ſine præſcientia non poteſt eſſe, poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia. Prædeſtinatione quippe Deus ea præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus, vnde dictum eſt: Fecit quæ futura ſunt. Præſcire etiam potens eſt quæ ipſe non facit, ſicut quæcumque peccata. Quia etſi ſunt quædam quæ ita peccata ſunt, vt pœnæ ſint etiam peccatorum, vnde dictum eſt: *Tradidit illos Deus in reprobam mentem (vt faciant quæ non conueniunt.* Non ibi peccatum Dei eſt, ſed iudicium. Puto in his dictis Beati Auguſtini euidenter oſtenſum, bona opera ſua Deum præſciſſe, & prædeſtinaſſe, hoc eſt, ſiue quæ ad miſericordiam, ſeu quæ ad iuſtitiam pertinent. Mala verò opera, hoc eſt peccatum, præſciſſe tamen, non etiam prædeſtinaſſe, quia ibi non opus Dei eſſe dicitur, ſed iudicium. Ideo in peccato opus Dei non eſt, quia vt peccatum fieret, prædeſtinatum ab eo non eſt. Ideo autem iudicium eſt, quia inultum non relinquitur, quod ſine operante Deo malus operatur.

Ad Rom. 1.

In peccatis non Dei opus eſt, ſed iudicium.

CAPVT XXX.

NOn autem ignoras etiam præterito tempore illi luculentiſſimo ſancti Auguſtini operi, quod ſcripſit de prædeſtinatione ſanctorum, à quibuſdam Gallis obiectum, quod Beatus Auguſtinus in aſſertione prædeſtinationis diuinæ, peccatores, non ſolum prædeſtinatos diceret ad iudicium, ſed etiam ad peccatum, cuius dicta, quia ipſe celeri præuentus eſt obitu, Proſper vir eruditus, & ſanctus recta defendit fide, & copioſo ſermone. Ex quibus Gallorum capitulis, vt non multa nunc ponamus, ne libellum iſtum, quem prolixum facere, diſputandi neceſſitas cogit, prolixiorem voluntas facere videatur, duarum reſponſionum loca duximus inſerenda. Quartadecima quippe obiectio ſic habetur: Quod qui Euangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædeſtinatione non credant. Et quod Deus ita definierit, vt quicumque non credunt, ex ipſius conſtitutione non credant. Huic itaque prauitati quę Beati Auguſtini dictis, non ex veritate, ſed ex liuore obiiciebatur, tali Proſper ſermone reſpondit. Infidelitas non credentium Euangelio, nequaquam ex Dei prædeſtinatione generatur. Bonorum enim Deus auctor eſt, non malorum. Prædeſtinatio igitur Dei ſemper in bono eſt, aut ad retributionem iuſtitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ. *Vniuerſæ enim viæ Domini miſericordia, & veritas.* Proinde infidelitas non credentium, non ad conſtitutionem Dei, ſed ad præſcientiam referenda eſt. Quæ non ideo neceſſitatem non credendi intulit, quia falli de ea quæ futura erat, infidelitate non potuit. Quintadecima etiam obiectio his verbis inſerta eſt, quod idem ſit præſcientia, quod prædeſtinatio. Cui Proſper ſic reſpondit: Qui præſcientiam Dei in nullo ab ipſius prædeſtinatione diſcernit. Quod tribuendum eſt Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur adſcribere. Sed cum bona ad largitorem, cooperatoremque eorum: mala autem ad voluntariam rationalis creaturæ nequitiam referenda ſint: dubium non eſt, ſine vlla temporali differentia Deum & præſciſſe ſimul, & prædeſtinaſſe, quæ ipſo erant auctore facienda, vel quæ malis meritis iuſto erant iudicio retribuenda: præſciſſe autem tantummodo, non etiam prædeſtinaſſe, quæ non ex ipſo erant cauſam operationis habitura. Nos itaque chariſſime, hæc interim pauca de libris ſancti Auguſtini, & de reſponſionibus Proſperi, ob hoc maluimus huic libello inſerere, vt cuncti nouerint, quid debeant de prædeſtinatione ſanctorum, impiorumque ſentire, ſimulque, vt appareat eiuſdem Beati Auguſtini dictis tenorem noſtræ ſententiæ conuenire. Proinde quia ſufficienter (vt arbitror) iniquos non ad peccatum, ſed ad ſupplicium prædeſtinatos oſtendimus, huic volumini iam terminum demus, vt ad aliarum quæſtionum diſputationem attentiùs recenſendam, latoris renouet ſtudium temperies diſtincta librorum.

Reſponſio Proſperi ad 15. obiectionem.

Pſal. 24.

Reſponſio ad 15.

Concluſio de prædeſtinatione.

BEATI

B. FVLGENTII AD MONIMVM Liber Secundus, tres quæstiones complectens, vnam de Sacrificij oblatione, alteram de Spiritus sancti missione, tertiam de supererogatione B. Pauli.

CAPVT I.

Epilogus compendiosus de prædestinatione iustorum & iniquorum.



SATIS, vt arbitror Monime charissime, quæstionem de diuersitate prædestinationis, iustorum scilicet & iniquorum, hoc est eorum quos gratuita misericordia Dei præueniens iustificando conuertit, glorificatura conuersos; & eorum quos iusta Dei seueritas in peccatis derelinquit, punitura damnatos, superior sermo (in quantum Dominus pusillitatem nostram dignatus est adiuuare) & pertractatam continet, & solutam, ita vt plerique, licet in ea soleant non leuiter permoueri, facile possint, & diuinorum librorum testimoniis instrui, & sancti Augustini libris, & Prosperi eruditissimi viri responsionibus informari, quibus agnoscant prædestinationem Dei nihil aliud esse, nisi præparationem operum eius, quæ in æterna sua dispositione, aut misericorditer se facturum præsciuit, aut iustè: & quia in peccatis nec misericordia inuenitur, nec iustitia, ideoque omnem iniquorum malam voluntatem, qua peccant, præscitam, non tamen esse à Deo prædestinatam, cum ipsam voluntatem malam non aliter essent habituri, nisi in eo, quo fuissent à Domino recessuri. Nec Deum prædestinasse discessionem hominis à se, cum causa ipsius discessionis sola voluntaria esset auersio peccatoris. Quæ quia Deum futura non latuit, in æterna præscientia eius præparatam sibi pœnam iustæ retributionis inuenit.

CAPVT II.

Secunda quæstio Monimi de sacrificio corporis & sanguinis Christi.

NVnc itaque ad residuas quæstiones duce Domino, indagandas, nostræ disputationis dirigatur intentio. Dicis à nonnullis te interrogatum de sacrificio Corporis, & Sanguinis Christi, quod plerique soli Patri existimant immolari. Hanc etiam asseris hæreticorum esse quasi palmarem interrogationem. Sed nouum non est, vt hæretici priuati lumine veritatis illis se propositionibus veritatem superaturos arbitrentur, quibus facillimè superantur: gloria namque in confusione ipsorum est, qui terrena sapiunt. Hoc ergo sectantes hæretici, ea sibi quasi palmaria, & inuicta videntur proponere, vnde sibi confusionem non vident imminere. Sed cum à veritate superantur, hoc in illis vtique impletur, vt vnde gloriantur, inde confundantur. Non est igitur mirum, si illi quos malitia sua (sicut scriptum est) excæcatos, veritas ipsa (quæ lux est vera) deseruit, quorumcunque squalentem peruersi cordis obturum, tetri erroris obscuritas circumsepsit, inseparabilem Trinitatem, quam substantiali diuersitate disparem prædicare non dubitant, consequenter honorificentiæ quoque impari officio impie dissipare contendant. Et quoniam in ipsa sapientia peccare conuincuntur, ipsius sapientiæ in eis sermo complerur, vt dum in ipsa peccant, in animas suas peccatum impietatis admittant; sic namque dicit ipsa sapientia: *Qui autem in me peccant, impiè faciunt in animas suas: qui me oderunt, diligunt mortem.* Quomodo enim *Dei filium non audierunt, quem vnigenitum quidem verbis negare non possunt, sed eum à natura Patris, inconsiderata peruersitate discernunt*? Aut quomodo in animas suas impiè non faciunt, qui Dei vnigenitum filium, Deum scilicet verum, nec glorificare cum Patre consentiunt, nec vno eodémque sacrificio pariter honorari permittunt? Quibus cum Dei adiutorio (in quantum series præsentis operis capit) breuiter respondentes, hanc interrogationem præmittimus, vt dicant: Vtrum eam fidem Deus suæ donarit Ecclesiæ, qua Pater noster Abraham Deo credens placuit, & in qua cunctas gentes terræ in suo semine benedicendas accepit? An aliam sibi religionis normam diuinitus profiteantur traditam, vt Patriarcharum, & Prophetarum fidem æstiment abdicandam? Et licet ab hac fide (sicut demonstratura est veritas) omnimodis habeantur extranei; ipsam tamen Ecclesiæ datam dicunt, ipsamque apud se inuiolatam manere contendunt.

Hæretici sua malitia excæcati, Trinitatem, & substantia, & patris veneratione dissipant.

Præmittenda quæstio de fide Abrahæ.

CAPVT III.

Quæstio sacrificij ex Patrum fide determinatur.

DVm ergo inter nos, & illos, sacrificij vertitur quæstio, ad illos nobis recurrendum est Patres, quos Deus velut luminaria in mundo, ad instructionem nostram veræ fidei clarificauit indicio, quorum fidem ita dignatus est à se inspiratam ostendere, vt eorum se Deum inueniatur euidentissimè nominare, dicens: *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob: hoc mihi nomen est sempiternum, & memoriale in generationem, & generationem.* Cum itaque nos dicimus sacrificium non soli Patri, sed simul vnum Patri filioque offerri, illi autem Patri soli existimant immolari, in sacrificio Patriarcharum veræ ac Deo placitæ quæramus immolationis indicium. Ab illo itaque nobis est documentorum series inchoanda, in cuius inuenitur semine futura cunctarum gentium benedictio repromissa, dicente Paulo: *Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius.* Non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno. Et semini tuo, quod est Christus. Et iterum: *Vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret, in Christo Iesu, vt pollicitationē Spiritus accipiamus per fidem.* Sit igitur omnino compertum, illos esse benedictionis diuinæ compotes, & spiritalis gratiæ participes, quos constat fidei Abrahæ in sacrificio reperiri sequaces. In libro Genesis legimus. Visus est Dominus Deus Abrahæ, & dixit ei: *Semini tuo dabo terram istam.* Et ædificauit ibi Abraham altare Domino, qui visus est ei, & recessit inde in montem contra orientem Bethel, & ædificauit ibi altare Domino Deo, & inuocauit in nomine Domini Dei, qui visus est. Eligant nunc Hæretici quod volunt, vt aut patrem fateantur Abrahæ visum, aut certè consentiant ab Abraham filio altare constructum: altare verò non ob aliud ædificari, nisi ad offerendum sacrificium Deo, veteris testamenti lectio frequenter insinuat. Moyses quippe de Noë iusto sic loquitur: *Et ædificauit Noe altare Deo*, & tanquam

Promissiones factæ Abrahæ & semini eius.

Abraham construxit altare non soli patri, sed & filio sacrificaturus.

tanquam interrogaretur, cuius rei gratia vir iustus illud altare construxerit, secutus adiunxit: *Et accepit ab omnibus pecoribus mundi, & ab omnibus volatilibus mundis, & obtulit hostiam super altare Deo.* Claret igitur, sanctum quoque Abraham, amicum Dei fidelem, & gentium fidelium patrem, ob hoc Deo, qui ei visus est ædificasse altare, vt ei posset sacrificium congruæ immolationis offerre. Ne autem, cum in nomine Domini Dei dicitur inuocasse, quisquam existimet alterum Deum in nomine Dei alterius inuocatum, cum non aliud sit inuocasse in nomine Domini Dei quam inuocasse nomen Domini Dei, subsequenter euidenti manifestatione hoc quoque scriptura curauit diuina monstrare, paulo post enim sic dicitur: *Abraham autem erat onustus valde pecoribus, & argento, & auro, & abiit illò, vnde venerat, in desertum vsque Bethel, ad locum vbi fuerat tabernaculum eius prius, in Bethel, & inter Agge, in locum vbi altare fecerat initio, & inuocauerat ibi Abraham nomen Dei.* Cognoscitur itaque, hoc fuisse inuocare in nomine Domini Dei, quod est inuocare nomen Domini Dei. Quocirca dicāt Hæretici, vtrum Patri an Filio Abraham existiment construxisse altare? quia, cui altare construxit, ipsius vtique nomen inuocauit. Ipse autem non nisi Deo, qui ei visus est, altare construxit, quem Hæretici filium dicere consueuerunt: nitentes quippe Patris & Filij diuersam docere substantiam, omnes corporearum rerum conspicabiles formas (quas ad insinuandam se hominibus omnipotentissima deitas, creaturæ totius domina, sicut voluit, & congruere temporibus, locis ac personis nouerat, coaptauit) filio tantummodo existimant deputandas: inde afferentes, inæqualem Patri atque imparem Filium, quod eius natura capax mutabilium potuerit esse formarum. Et tanquam eo naturaliter eius diuinitas visibilis fuerit, quo se ad infirmas hominum mentes visibilibus rebus demonstrare non spreuit. De qua re non est nobis hoc opere disputandum, cum præsentis quæstionis hoc tantum deposcat intentio, vt qui sanctus Abraham illi Deo sacrificasse cognoscitur, quem ei visum fuisse diuina scriptura testatur, aut Patrem visum Abrahæ dicant, aut filio Abraham sacrificasse consentiant. Vtroque enim tanquam bis acuto gladio, nefariæ diuersitatis obtruncatur assertio; quia si Deum Patrem Abrahæ visum dicunt, vt soli sacrificium asserant immolatum: in eo quod visus asseritur, non erit tanquam inuisibilis Pater inuisibili Filio præponendus: si autem Filius visus est, & ei sacrificium sanctus Patriarcha obtulit, non est Patri Filius in aliquo præponendus, neque enim illi Abraham sacrificium offerret, si potiorem illo quemquam alium credidisset. Ac si isti, qui fidem nostram huius impulsu quæstionis existimant quatiendam, vtrobique necesse est mendacium suæ crudelitatis agnoscant. Et vtinam cognoscentes abiiciant, & ad veram fidem (quam inaniter rebelles impugnant,) salubriter humiles, pacatique iam redeant: Abraham enim qui non alteri Deo, sed ei qui sibi visus est, altare construxit, vt secundum id quod sentiunt Hæretici, conuincantur, aut Patrem vidit, aut Filio sacrificauit.

Idem est inuocare in nomine Domini, quod inuocare nomen domini. Gen. 13.

Abraham illi Deo construxit altare, qui ei visus est.

Inuictum contra hæreticos argumentum ex sacrificio & fide Abrahæ.

CAPVT IV.

Isaac quoque Deo, qui ei visus est, construxit altare. Gen. 16.

HVnc Deum qui visus est Abrahæ, cuique Abraham, non vtique ad aliud, quam ad offerendum sacrificium, ædificauit altare; Isaac quoque vidit, & ei paternæ fidei tenax, altare construxit. Scriptum est enim de Isaac (hoc liber Geneseos continet:) *Ascendit autem inde ad puteum iuramenti, & visus est ei Dominus in illa nocte, & dixit ei: Ego sum Deus Abraham patris tui, ne timeas, tecum enim sum, & benedicam te, & multiplicabo semen tuum propter Abraham patrem tuum. Et ædificauit ibi Isaac altare, & inuocauit in nomine domini.* Procul dubio eius Domini, qui ei visus præsentiæ suæ auxilium, & benedictionis donum, & multiplicandi seminis promisit augmentum. Iacob quoque non alteri Deo, sed illi qui visus est ei altare fecisse cognoscitur. Et quod amplius est, non hoc sponte arripuit, sed diuinis obediens præceptis impleuit. Quod his verbis sancta scriptura testatur: *Dixit autem Deus ad Iacob, Surgens ascende in locum Bethel, & inhabita ibi, & fac ibi altare Deo, qui visus est tibi, cum fugeres à facie Esaü fratris tui.* Et subsequenter dicitur: *Venit autem Iacob in Lusa, quæ est in terra Chanaan, quæ est Bethel, ipse & omnis plebs quæ erat cum eo, & ædificauit ibi altare, & vocauit nomen loci illius Domus Dei, ibi enim apparuit ei Deus, cum fugeret à facie fratris sui Esau.* Ecce in ore duorum, & trium testium verbum fidei nostræ consistit: ecce amicorum Dei sacrificio prorsus Ecclesiæ Catholicæ concordat oblatio, quæ sic sacrificat Patri, vt simul omni sacrificet Trinitati: quoniam, & sancti Patriarchæ sacrificium quod Filio iubebantur offerre, sciebant se Patri simul & Filio placitis obsequiis exhibere. Idcirco autem ei diuinitus iubebatur, vt Filio altare construeret, non quia sacrificandum non esset Patri, sed vt quod immolabatur à sanctis, simul Filio immolaretur, & Patri. Neque vt præponendus esset Patri Filius, sed ne putaretur genitori genitus in aliquo postponendus. Proinde licet nulli dubium sit patriarchalis sacrificij testimonio rectitudinem nostræ fidei communiri, cui quamdiu obdurato corde quilibet obnitendum existimat, à fide, consortióque Sanctorum alienus exerrat. Possemus, & de Prophetis testimonia non imparis firmitatis, ac roboris innectere, nisi totius reddendi memores debiti, ad residuarum etiam quæstionum solutionem mallemus quantocius festinare.

Iacob item eidem Deo altare iussus construxit.

Patriarcharum sacrificia nostris congruūt, quæ fiunt toti Trinitati.

CAPVT V.

Aliud testimonium ex prophetis, vt filio quoque offeratur sacrificium.

VEruntamen ne sub nomine abundantiæ quisquam nos penuriam defensionis existimet obcelasse: vnum de prophetis testimonium proferemus, quo possit euidenter ostendi prophetas sanctos diuinitus inspiratos, certo fidelissimóque vaticinio prædixisse. Noui quoque tempore Testamenti spiritales hostias, non Patri tantum, sed etiam Filio à fidelibus offerendas. Prophetæ testimonium de sacrificio, quod nunc in Ecclesia geritur, Sophonias quippe dicit: *Sustine me, dicit Dominus, in diem resurrectionis meæ, in testimonium, quoniam iudicium meum in congregationem gentium erit, vt recipiam reges, & effundam super eos iram furoris mei, quoniam in igne æmulationis meæ consummabitur omnis terra, quia tunc transferam super populos linguam in progenies eius, & inuocent omnes nomen Domini, vt seruiant ei sub iugo vno, à transflumine Æthiopiæ suscipiam obseruantes me, qui dispersi sunt, afferte hostias mihi in illo die.* Quid hac, rogo, vaticinatione lucidius? vel quod hic tenebrosæ obstinationis latibulum, hæretica potest infidelitas reperire, quo possit lumen tantæ manifestationis effugere? *Cum sic in sole tabernaculum suum posuerit Dominus, vt non sit, qui se abscondat à calore eius.* Quoniam si quis se glaciali frigore infidelitatis stupefactus abscondat, sibi propitiationis potest auxilium subtrahere, se autem potest celare vindictæ. Ecce ille, qui se expectandum in die resurrectionis suæ præcipit, ipse sibi hostias ab omnibus gentibus offerendas ostendit, vt agnosceretur sacrificium illud esse acceptabile Deo, quod

Sophon. 3.

Psal. 18.

Obduratio hæreticorum, qui filio non sacrificant.

quod communiter Patri & Filio supplex offert fidelium puraque deuotio. His atque huiusmodi testimoniis Hæretici communiti, vtinam non surdis auribus audiant, sed veritatem fidei, concessa sibi diuinitus illuminatione cognoscant, vt recepto salutari lumine, desinant deinceps in tenebris mortiferæ infidelitatis errare: Qui cùm filio sacrificium non offerunt, & à fide Patriarcharum, ac Prophetarum, miserabili obduratione desciscunt, impiè delinquentes, seipsos à semetipsis damnatos ostendunt: Apostolica quippe omnem hæreticum tali cognoscitur pronunciatione condemnasse sententia. *Quod & hæreticus post primam corruptionem sit omnimodis euitandus, & quod eiusmodi non solum sit subuersus, verùm etiam suo sit iudicio condemnatus.* Si qui verò catholici fideles, huius sacramenti nunc vsque videbantur ignari, deinceps scire debent, omne cuiuslibet honorificentiæ & sacrificij salutaris obsequium, & Patri & Filio & Spiritui sancto, hoc est sanctæ Trinitati, ab Ecclesia Catholica pariter exhiberi. In cuius vtique vno nomine manifestum est, sanctum quoque baptisma celebrari. Neque enim præiudicium Filio, vel sancto Spiritui comparatur, dum ad Patris personam precatio ab offerente dirigitur. Cuius consummatio, dum Filij & Spiritus sancti complectitur nomen, ostendit nullum esse in Trinitate discrimen. Quia dum ad solius Patris personam honoris sermo dirigitur, bene credentis fide tota Trinitas honoratur: & cum ad Patrem litantis destinatur intentio, sacrificij munus omni Trinitati vno eodémque offertur litantis officio. Nos itaque, dum Trinitati, quæ vnus & verus est Deus, vnum sacrificium offerimus, vanis hæreticorum non moueamur obiectis. Cum ad hoc sequendum, ac robustissimè retinendum, & diuinitus promulgatis instruamur oraculis, & præcedentium Sanctorum firmemur exemplis.

Ad Tit. 3. Catholici toti offerunt Trinitati, etiamsi solius patris nomen exprimatur.

CAPVT VI.

Tertia quæstio Non mi, cur in sacrificiis solius Spiritus missio postuletur.

IAm nunc etiam illa nobis est de Spiritus sancti missione quæstio reuoluenda: Cur scilicet, si omni Trinitati sacrificium offertur, ad sacrificandum oblationis nostræ munus, sancti Spiritus tantùm missio postuletur; quasi verò (vt ita dicam) ipse Pater Deus, à quo Spiritus sanctus procedit, sacrificium sibi oblatum sanctificare non possit, aut ipse Filius sanctificare nequeat sacrificium Corporis sui, quod offerimus nos, cum Corpus suum ipse sanctificauerit, quod obtulit, vt redimeret nos; aut ita Spiritus sanctus ad consecrandum Ecclesiæ sacrificium mittendus sit, tanquam Pater, aut Filius sacrificantibus desit. Primo itaque meminisse nos conuenit, in huius vocabulo missionis nec inferiorem accipi debere sanctum Spiritum, nec minorem, quia si minor, itaque inferior; & si inferior, vtique minor. Hoc autem præmonuimus, scientes ab hæriticis quammaximè fidei nostræ frequenter obiectum, ideo Spiritum sanctum minorem credendum Patre & Filio, quia & à Patre missus est, & à Filio. Porro autem si misso mittens potior est credendus, cognoscant in hoc suam conuinci perfidiam, quia sicut à Patre & Filio missus legitur Spiritus sanctus, sic à Patre & Spiritu missus inuenitur & Filius. Quod ipse filius & per Prophetam, multo antequam mitteretur, dixit: & postquam missus est, propria testificatione firmauit: nam veniens in Nazareth, & synagogam ingressus, cum tradito sibi ad legendum libro Esaiæ Prophetæ, illum locum reuolueret, vbi scriptum est: *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me.* Reddito volumine, veritatem prophetiæ illius præsenti testatus est effectu completam, dicens: *Hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris.* Sed & alio eiusdem prophetæ loco à Domino atque ab eius spiritu se missum his verbis ostendit: *Et nunc Dominus misit me, & spiritus eius.* A se quoque sanctum Spiritum mitti discipulis, ante passionem suam hoc modo pronuntiat: *Cum autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Superius autem eundem Spiritum etiam à Patre mitti docuerat: *Paracletus autem,* inquiens, *Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* A Patre ergo & à Spiritu missus est Filius, & à Patre & Filio missus est Spiritus. Veruntamen, nec Filij, nec Spiritus sancti missionem localiter factam quisquam debet Christianus accipere, sed illo missionis nomine, opus intelligamus manifestationis indultæ. Sic enim non localiter missus est Filius, nec localiter mittitur spiritus sanctus, sicut nec ipsius Patris est quoque localis aduentus: Cum tamen Filius dilectoribus suis non tantum suum, sed & Patris promittat aduentum, ait enim: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Sicut ergo Pater & Filius nusquam quidem desunt, & tamen ad quem volunt, veniunt (per gratiam enim veniunt, qui per potentiam nusquam desunt) sic etiam in missione vel aduentu Spiritus sancti nullus localis illius accipiendus est motus, sed nostræ credendus est sanctificationis effectus. Nam si localiter secundum Deitatem missus est Filius, aut localiter mitti putatur Spiritus sanctus: ergo etiam Deus pater loco (quod absit) credetur inclusus. Et vbi est, quod immensitatem suam Deus ipse taliter nobis insinuat, dicens: *Cœlum & terram ego impleo*, filij quoque immensitatem propheticus nobis sermo commendat. De quo sanctus Hieremias sic loquitur: *Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus.* Et quia ipse est virtus & sapientia Dei, de ipso vtique dicitur: *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Apostolica quoque tenemus prædicatione compertum, *quia in Christo condita sunt vniuersa in cœlis, & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* Quid ergo est, quod implere sua præsentia nequeat, in quo Apostolus vniuersa in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia constare pronunciat? Sancti quoque Spiritus immensitatem Scriptura sic loquitur: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum:* Propter quod & Dauid sanctæ Trinitatis vnam substantialiter immensitatem non solum corde credens ad iustitiam, quin etiam ore confitens ad salutem, sic cecinit: *Quo ibo à spiritu tuo, & à facie tua quo fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es, & si descendero in infernum, ades. Et si assumpsero pennas meas ante lucem, & habitauero in nouissimo maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.*

Non ideo Minor est Spiritus sanctus, quod missus est à Patre & Filio, quia & filius missus est.

Luc. 4.

Esa. 48.

Ioan. 15.

Ioan. 14.

Missio Filij & Spiritus sancti non est localiter facta.

Ibidem.

Scriptura docet immensitatem non solum Patris, sed & Filij, & Spiritus sancti.

Hier. 23.

Baruch 23.

Sap. 8.

Coloss. 1.

Sap. 1.

Psal. 138.

CAPVT VII.

Tota Trinitas vbique est.

CVm ergo sicut diximus, tota Trinitas vnitate deitatis suæ naturaliter immensa infinitate permaneat, & sic localiter nusquam sit, vt tamen nusquam desit, atque ita sit vbique tota, vt nec per partes creaturæ totius particulariter diuidi, nec vniuersitate totius possit creaturæ concludi, quotiens

tiens Spiritus sanctus ad consecrandum sacrificium à Patre poscitur. Prima est fidei ratio, primaque cunctis Christianis salubriter retentanda cautela, vt sancti Spiritus nullatenus localis cogitetur aut existimetur aduentus. Fidelibus quippe dicit Apostolus: *Nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis.* Et alio loco: *Orantes omni tempore in spiritum, & in ipso vigilantes.* Et ipse Saluator discipulis suis dicit: *Si diligitis me, mandata mea seruate, & ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum, vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Vnde & Paulus eundem nos Spiritum adoptionis accepisse sic prædicat: *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater.* Fidelibus itaque, qui templum Dei sunt, & in quibus Spiritus Dei inhabitat, immo qui templum sunt Spiritus S. (sicut Apostolus dicit: *Nescitis, quia membra vestra templum est Spiritus S. qui in vobis est, quem habetis à Deo.* Quibus etiam idem Apostolus mandat, vt in ipso orent, atque in ipso vigilent) quomodo Spiritus sanctus, tanquam ante absens mitti creditur? cum nec orare condigne ac vigilare aliquis possit, nisi se illi Spiritus S. infuderit. Quocirca, sicut dicit Apostolus, *Spiritalibus spiritalia comparantes*, & in spiritu, qui vtique naturaliter Deus est, nihil corporale, nihil temporale, nihil mutabile cogitantes, considerare debemus, nomine Spiritus sancti, nonnunquam dona spiritalis gratiæ nuncupari. Nam legimus in libro Regum: *Cum esset Helias diuino munere transferendus, & discipulo, priusquam tolleretur, dedisset fiduciam postulandi quod vellet, ille spiritum, quem Helias acceperat duplicem, sibi postulauit attribui.* Vbi vtique intelligimus Spiritus nomine donum spiritalis gratiæ designari. Neque enim substantia Spiritus sancti potest vel augeri, vel minui, qui sicut est sine initio & sine termino sempiternus, sic est sine augmento detrimentóque perfectus.

1.Cor.3. Ephes.6. Ioan.14. Rom.8. 1.Rom.3.

Nomine Spiritus quandoque spiritalia dona gratiæ significantur.

4.Reg.2.

CAPVT VIII.

Dona Spiritus sancti in nobis augeri, vel minui possunt, non ipse spiritus.

CVius tamen dona, secundum ipsius imperscrutabilem atque irreprehensibilem voluntatem, sicut in hominibus posse augeri credimus, sic in eis posse minui non negamus. *Nam cum dona sint Spiritus S. charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modestia, continentia: Et cum alij detur per Spiritum sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alteri fides in eodem spiritu:* hæc tamen omnia possunt in hominibus & augeri & minui. Vnde est illud, quod ipsi Apostoli augmentum fidei sibi à Domino postulant condonari, dicentes: *Domine auge nobis fidem.* In charitate quoque nos crescere, ipse beatus demonstrat Apostolus, qui ait: *Veritatem autem facientes, in charitate crescamus, in illo per omnia.* Quomodo autem in charitate crescimus, nisi cum per dona gratiæ spiritalis crementum accipimus charitatis? *Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum S. qui datus est nobis.* Hoc sentitur & de cæteris spiritalibus donis, quæ pro vniuscuiusque captu, vel augeri vel minui dicuntur in nobis. Quoniam talium crementa detrimentaque charismatum, secundum id dicuntur, quod quibusdam seu plus, seu minus insunt: non quod in se vel augeri vel minui possunt. Nam & sol tantus est cum videtur ab oculis sanis, quantus cum videtur à sauciis, nec ipse minuitur, cum minus ab oculis turbatis percipitur, nec augetur, cum amplius oculis sanis infunditur. Quia diuersitas illa visionis, non ex diuersitate solis euenit, sed in diuersitate sanitatis infirmitatisque consistit. Et quamuis vnum minus, alterum magis illuminet, ipse tamen vnum atque idem in se lumen habet, quod vnus minus, alter amplius videt. Sic etiam Spiritu sancto, in se sine augmento ac detrimento immutabiliter permanente, duplicem sibi Heliseus Spiritum poposcit, in eo, quod augmentum spiritalis gratiæ postulauit.

Gal.5. 1.Cor. 12 Luc.17. Ephes.4. Rom.5.

Sicut Idem sol plus minusque diuersa illuminat, ita & idẽ Spiritus à diuersis diuersimodè accipitur.

CAPVT IX.

CVm ergo sancti Spiritus ad sanctificandum totius Ecclesiæ sacrificium postulatur aduentus, nihil aliud postulari mihi videtur, nisi vt per gratiam spiritalem in corpore Christi (quod est Ecclesia) charitatis vnitas iugiter indisrupta seruetur. Hæc est enim principale Spiritus S. donum, *sine qua quisquis linguis hominum Angelorumque loquitur, velut æs sonans, aut cymbalum tinniens, sonum dare potest, vitam habere non potest. Etsi habeat omnem prophetiam, & nouerit mysteria omnia & omnem scientiam, etsi habeat omnem fidem, ita vt montes transferat, charitatem autem non habeat, nihil est. Etsi distribuerit in cibos pauperum omnes facultates suas, & tradiderit corpus suum vt ardeat, charitatem autem non habeat, nihil ei prodest. Nam quia legem*, dicit Apostolus, *ordinatam per Angelos in manu mediatoris linguis loquuti sunt Angelorum, qui in ore, quæ legis sunt, docebant, & aduersus legem prauis operibus militabant.* De quibus ipse Saluator dicit: *Quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite; dicunt enim & non faciunt.*

1.Cor.13.

Qui dicuntur loquuti linguis Angelorum? qui legem docent & non faciunt? Matth.23.

Saül quoque prophetiam habuit, & Simon Magus credidit, & baptismi sacramentum accepit, nam & dæmones, dum credunt & contremiscunt, videntur habere fidem, sed nihil eis prodest, quia non habent charitatem. Multi etiam facultates pauperibus erogantes, quia non curauerunt acquirendæ charitatis studium impendere, res quidem suas donauerunt, quod ideo nihil eis profuit, quia seipsos perdiderunt, non acquirendo charitatem, quam acquirere debuerunt. His igitur demonstratur indiciis ibi esse Spiritum sanctum, vbi est finis præcepti, hoc est, *Charitas de puro corde, & conscientia bona, & fide non ficta.* Vbi autem cum fide charitas non est, quæcunque dona Spiritus sancti esse posse, ipsum vero Spiritum sanctum esse non posse; ac per hoc, nihil prodesse illorum donorum largitatem, vbi sic aliquod donum Spiritus habetur, vt ipse Spiritus non habeatur. Proinde tales, etsi videntur quorumlibet paternorum donorum participes, non tamen sunt hæreditatis paternæ consortes, quoniam *Spiritus sanctus est pignus hæreditatis nostræ. Et in hoc nos Deus & pater Domini nostri Iesu Christi benedixit in omni benedictione spiritali, in cœlestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu ipsius in charitate.*

Vbi charitas, ibi Spiritus sanctus. 1.Tim.1.

Ephes.1.

CAPVT X.

DVm itaque Ecclesia Spiritum sanctum sibi cælitus postulat mitti, donum sibi charitatis & vnanimitatis postulat à Deo conferri. Quando autem congruentius quam ad consecrandum sacrificium corporis Christi, sancta Ecclesia (quæ corpus est Christi) Spiritus sancti deposcat aduentum? quæ ipsum caput suum secundum carnem de Spiritu sancto nouerit natum. Sic enim angelico Maria informatur eloquio: *Spiritus sanctus superueniet*

Rectè igitur in sacrificio poscit Ecclesia aduentum Spiritus sancti.

Luc. 1. *ueniet in te,& virtus altissimi obumbrabit tibi.Ideoque quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei.* Euãgelista quoque Matthæus eodem Spiritu sancto repletus affirmatur,*quia cum desponsata esset mater eius Maria Ioseph, priusquam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Et ad Ioseph sic memorat Angelum in somnis dixisse:*Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Quid vero est illius Incarnationis Dominicæ mysterio factum, nisi vt diuisa vnirentur, & discordantia pacarentur? Testis enim Paulus de Christo; *Quia ipse est pax nostra,qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ, soluens inimicitias in carne sua: legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem interficiens inimicitias in semetipso: & veniens euãgelizauit pacem, his qui longè, & pacem his qui prope, quia in ipso habemus ambo accessum in vno spiritu ad patrem.* Hoc ergo factum est charitate diuina, vt ex ipso spiritu corpus illius capitis esset renatum, de quo ipsum caput est natum. Et ob hoc necessarium nobis est, vt sicut ex Spiritu sancto natus est Christus,quando Deus vnigenitus in vtero virginis vnitus, homini suo tanquam sponsus processit de thalamo suo: Sic Ecclesia dono Spiritus sancti adhæreat Christo, tanquam mulier viro suo, & tanquam corpus capiti suo.Dicit enim Apostolus: *Quia Christus caput est Ecclesiæ,ipse saluator corporis.* Et iterũ: *Quia membra sumus corporis eius,de carne eius & ossibus eius, propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam,& adhærebit vxori suæ,& erunt duo in carne vna.* Quod exponens adiecit; *sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Hoc testimonium veteris Testamenti, cùm Dominus aduersus Pharisæorum tentamenta proferret, secutus adiunxit: *Igitur iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus iunxit, homo non separet.* Vt ergo in illo sancto conuiuio, quod factum est in thalamo vteri virginalis iam non essent duo, sed vna caro, spiritali gratia factum est. Hoc etiam vt indisruptum iugiter teneatur, spiritalis gratia operatur,quia vt capiti suo inhæreat hæc vnitas corporis,& sciens, quia *omnes qui se elongant ab ipso,peribunt? & quia perdet omnes qui fornicantur ab eo:* possit ipsa castè ac suauiter dicere:*Mihi autem adhærere Deo bonum est.*Et rursus: *Adhæsit anima mea post te. Illa charitas Dei facit, quæ diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Per hunc Spiritum sanctum tanta est vnitas Christi & Ecclesiæ. Et cùm electionis vas dicat: *Quia Christus caput est corporis Ecclesiæ*, ipsum tamen corpus Christi dubitet Christum veraciter appellare.Denique sic ait ad Corinthios scribens:*Sicut enim corpus vnum est,& membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum est corpus, ita & Christus.* Et vt ostenderet, quia hoc corpus quod sic est Christi, vt Christus sit, cum multa membra habeat,non nisi gratia sancti Spiritus vnum permaneat atque consistat, sequitur statim, dicens: *Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi: & omnes vnum spiritum potauimus.* Ipsa ergo gratia spiritualis per vnitatem pacis & charitatem, corpus Christi per dies singulos ædificare non desinit, quæ in vtero Mariæ virginis donum sapientiæ,quod est caput huius corporis fabricauit. Vnde nos quoque in ipso ædificari,Beatus Apostolus in his verbis ostendit: *Ergo iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino: In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei,in spiritu.* Hanc ædificationem, qua in spiritu ædificamur, alio loco non ad aliud fieri testatur Apostolus, nisi ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Vbi vnitatem eiusdem ædificationis spiritalis, quæ in charitate constat,insinuans ait:*Donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei,in virũ perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi,vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris.Veritatem autem facientes in charitatem crescamus in illo per omnia qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactũ, & connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Ephes. 4.

Matth. 1.

Christi incarnatione nobis pax & vnitas cũ Deo est.

Ephes. 2.

Per Spiritum sanctũ & Christus natus est,& Ecclesia renata.

Ephes. 5.

Et erunt duo in carne vna, Christus & Ecclesia.

Matth. 19.

Per Spiritum sanctũ vnitas est Christi & Ecclesiæ.

Psal. 72.

Psal. 62.

Rom. 5.

Coloss. 1.

1. Cor. 12.

Per Spiritum sanctũ nos ædificamur in Christo templum sanctum in Domino.

Ephes. 2.

CAPVT XI.

HÆc itaque spiritualis ædificatio corporis Christi, quæ fit in charitate (cum scilicet secundum Beati Petri sermonem, *lapides viui ædificantur in domum spiritalem, in sacerdotium sanctum offerentes spiritales hostias,acceptabiles Deo per Iesum Christum.*) Hæc inquam ædificatio spiritalis nunquam opportunius petitur, quam cum ab ipso Christi corpore (quod est Ecclesia) in sacramentum panis & calicis ipsum Christi corpus & sanguis offertur:*Calix enim quem bibimus, communicatio sanguinis Christi est, & panis quem frangimus, participatio corporis Domini est: quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnesque de vno pane participamus.* Et propterea petimus, vt scilicet ea gratia, qua factum est, vt Ecclesia Christi corpus fieret, eadem gratia fiat, vt omnia membra charitatis manente compage, in vnitate corporis perseuerent. Hoc autem dignè petimus illius in nobis dono spiritus fieri, qui est vnus spiritus & patris & filij: quia sancta naturalis vnitas, & æqualitas, & charitas Trinitatis, quæ vnus solus & verus est Deus, vnanimitate sanctificat, quos adoptat. In illa quippe vna substantia Trinitatis, vnitas est in origine, æqualitas in prole, in charitate autem vnitatis,æqualitatisque communio, nulla est diuisio illius vnitatis, nulla diuersitas illius æqualitatis, nullum fastidium illius charitatis: ibi enim nihil discrepat, quia æqualitas chara & vna, vnitas æqualis & chara, & charitas æqualis atque vna, naturaliter & incommutabiliter perseuerat. Quia ex ipsa (si dicendum est) communione Spiritus sancti, charitas vna demonstratur Patris & filij, quam communionem beatus Apostolus tali sermone commendat. *Gratia Domini Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis.* Et alio loco: *Si quod solatium charitatis, si qua communicatio Spiritus.* Propter hoc dicitur,*quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Spiritus quippe sanctus, qui vnus est patris & filij, hoc operatur in his quibus gratiam tribuit adoptionis diuinæ, quod operatus est etiam in illis, qui in libro Actuum Apostolorum inueniuntur eundem Spiritum accepisse. De quibus dicitur: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna:* vnum enim cor & animam fecerat multitudinis credentium in Deo, qui Patris & Filij vnus est Spiritus, & cum patre ac Filio vnus est Deus. Vnde & Apostolus hanc spiritualem vnitatem in

1. Petr. 2.

Hæc ædificatio spiritalis rectissimè petitur quando panis & calix consecratur.

1. Cor. 10.

Sanctificatio tamẽ nostra à tota fit Trinitate.

2 Cor. vlt.

Philip. 2.

Rom. 5.

Act. 4.

vinculo pacis sollicitè dicit esse seruandum, sic Ephesios monēs: *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia, supportantes inuicem in charitate, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, vnum corpus & vnus spiritus.* Hunc spiritum discedendo amittunt, si qui aut perfidia deprauati, aut superbia inflati, ab vnitate corporis Ecclesiæ segregantur. Quos Iudas Apostolus sine hoc spiritu euidenter ostendit, dicens: *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.* Hi enim qui animales sunt, ideo spiritum non habent. Propter quod Paulus Apostolus dicit: *Animalis homo non percipit quæ sunt spiritus Dei.* Tales itaque faciles sunt ad diuisionem, quia spiritum non habent, in quo vno membra Christi charam seruant spiritaliter vnitatem. Vnde manifestum est, apud omnes Hæreticos Spiritus sancti gratiam non esse, nec eorum sacrificia quamdiu hæretici sunt, posse Deo placere: neque spiritalis gratiæ sanctificationem sacrificiis eorum tribui, qui offerunt ab Ecclesiastici corporis vnitate disiuncti: solius enim Ecclesiæ Deus delectatur sacrificiis, quæ sacrificia Deo facit vnitas spiritalis, vbi & fidei veritas nullam credit in Trinitate indistantiam, & pacis tenacitas fraternam seruat in charitate concordiam.

Ephes. 4.

Qui ab vnitate Ecclesiæ recedunt, Spiritum sanctum amittunt.

CAPVT XII.

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum. Augustinus lib. 1. de Baptismo, c. 16.

NE quis autem nos putet, dum Ecclesia in sacrificij prece Spiritus sancti deposcit aduentum, incongruè sancti Spiritus vocabulo charitatem intelligere, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, commodum duximus paternis definitionem nostram præmunire sententiis. Sanctus enim Augustinus in libris de Baptismo cùm quæstionem de Hæreticorum receptione sine baptismatis iteratione versaret, in tertio eiusdem operis libro, inter alia sic dicit: Spiritus autem sanctus, quod in sola Catholica Ecclesia, per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi maiores nostri voluerunt, quod Apostolus ait: *Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Ipsa est enim charitas, quam non habent, qui ab Ecclesiæ Catholicæ communione præcisi sunt. Attende quæso, beatissimum Augustinum in sanctis scripturis diuinitus eruditum, quomodo vno in loco non solum sancti Apostoli Pauli, sed etiam sancti Iudæ Apostoli sensum, in sancti Spiritus nomine mirabiliter aperuit. Ait enim superius: Spiritus autem sanctus, qui in sola catholica per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi maiores nostri voluerunt, quod Apostolus ait: *Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Subsequenter autem etiam, quod Iudas Apostolus in epistola sua posuit, remoto dubitationis ambiguo, sanctus Augustinus exposuit. Iudas enim Apostolus dicit: *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.* Et beatus Augustinus de charitate Dei, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, dicit: ipsa est enim charitas, quam non habent, qui ab Ecclesiæ Catholicæ communione præcisi sunt. An quisquam dicturus est, aliud esse Spiritum sanctum per manus impositionem redeuntibus hæreticis dari, quod spiritali sacrificio diuinitus tribui? Hoc autem qui sentit, aut dicit, profecto nondum intelligit, qualiter semetipsos exhibeant hostiam viuam, sanctam, Deo placentem, si qui schismaticorum & hæreticorum, mortiferum relinquentes errorem, ad Catholicæ veritatis redeunt vnitatem, vbi offerentes sacrificium Deo spiritum contribulatum, ipsi sunt hostia viua, sancta, placens Deo. Quia per contritionem humiliati cordis in vnitatem membrorum redeunt illius sacerdotis, qui dilexit nos, sicut dicit Apostolus: *Et obtulit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis.* Vt autem redeant & spiritale sacrificium fiant, charitas Dei facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Solius itaque Catholicæ veritatis & communionis sacrificium Deus libenter accipit: quia dum charitatem suam per Spiritum sanctum diffusam in ea custodit, ipsam Ecclesiam sibi gratum sacrificium facit, quæ ipsam semper poscit gratiam spiritalis charitatis accipere, per quam se poscit hostiam viuam, sanctam, Deo placentem iugiter exhibere.

Rom 5.

Qui ad vnitatem Ecclesiæ redeunt, exhibent se hostiam viuam, Deo placentem.

Ephes. 5.

CAPVT XIII.

Quarta quæstio Monimi de supererogatione Pauli Apostoli.

SCribis præterea de illo Apostoli loco, vbi ait: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Quod consilium in epistola, quam ad te nuper scripsi, ad illud pertinere memoraui, quod duobus denariis à Domino acceptis, fidelis stabularius supererogauit. Cuius loci sensum, licet non ita à sancto Augustino positum asseras, alios tamen illustres viros taliter hoc posuisse confirmas. Est quidem verum: quia S. Augustinus hoc dixit ab Apostolo supererogatum, quod cum secundum præceptum posset, si vellet de Euangelio viuere, maluit tamen non solum sibi, sed & his qui cum illo erant, propriis manibus laborare; sicut Ephesiis veraciter dixit: *Ipsi scitis, quomodo ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.* Et omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos. Nam & Thessalonicensibus scribens: *Memores enim estis fratres, laborem nostrum & fatigationem, nocte & die operantes, ne quem vestrum grauaremus*: nam & ad Corinthios *hanc dicit mercedem suam, vt Euangelium prædicans, sine sumptu ponat Euangelium, vt non abutatur potestate sua in Euangelio.* Cum ergo hoc sanctus Augustinus competenter & congruè posuisset, non tamen incompetens videri aut incongruum debet, quod sanctus Ambrosius beati Pauli supererogationem vel in sermonibus atque epistolis eius, vel in nimio labore mentis & corporis collocauit. Sanctus autem Optatus Mileuitanus, in Sexto aduersus Parmenianum libro, consilium de Virginibus Paulum supererogasse testatur his verbis: Virginitas enim voluntatis res est, non necessitatis. Denique stabularius ille Apostolus Paulus, cui confossus peccatorum vulneribus populus commendatus est, duos denarios quod erogasset, acceperat, duo scilicet testamenta. Hæc per doctrinam, quasi sumptus impendit. Docuit quomodo coniugales Christiani debeant viuere, de quo cum quæreretur, quid de virginibus præciperet, respondit, sibi de virginibus nihil esse mandatum. Confessus est, se duo testamenta, hoc est duos denarios erogasse. Explicati erant quodammodo sumptus, sed qui saucium commendauerat, promiserat se redditurum quicquid in cura amplius erogasset post impensos duos denarios. Non præcepta, sed consilium erogat Paulus ad virginitatem. Nec impedimento est volentibus, nec nolentes impellit aut cogit.

Act. 20. 1. Thess. 2. 1. Thess. 3.

1. Cor. 9.

Expositio beati Ambrosij. Lib. 7. in 4. Luc.

Expositio B. Optati ante medium libri sexti.

CAPVT XIV.

Ecce vnus locus Apostoli à tribus sanctis tripliciter est expositus.

CVm itaque hic beati Apostoli locus tripertito sit modo à tribus, quos nominauimus, viris sanctis

sanctis expositus: quisquis vnum modum ex his tribus posuerit, à veritate vtique non dissentit, neque enim necesse est, vt quod multipliciter intelligitur, in omnibus scriptis multipliciter inseratur. Nam & ipsi sancti, quorum ministerio Deus scripturarum suarum dignatus est aperire secreta, dixerunt pleraque non vno modo tantum, sed multipliciter, sine offensione duntaxat veræ fidei non indecenter intelligi. Sicut ipse beatus Augustinus in mysterio arcæ Noë fecisse cognoscitur aduersus Faustum: namque Manichæo asserente, in libris veteris testamenti, nihil de Christi in carne vera futuro aduentu propheticè contineri, ostendens idem beatissimus Augustinus nostram veterem scripturam propheticis de Christo significationibus plenam, & ob hoc diuinitus inspiratam, sic inter cætera illud exponit: Quod memoratam arcam bicameratam & tricameratam Deus imperat construendam, vt in libro de ciuitate Dei quintodecimo, duobus aliis modis eiusdem loci mysticam explanationem, non doctis humanæ sapientiæ verbis, sed verè (sicut Apostolus dicit) in doctrina spiritus, non minus dulciter quam mirabiliter explicaret. Quod vt facilius agnoscatur, vtriusque operis, sicut ab eo posita sunt, verba subnectam. Igitur aduersus Faustum posuit hæc: Quod inferiora Arcæ bicamerata, & tricamerata construuntur, sicut ex omnibus gentibus vel bipertitam multitudinem congregat Ecclesia propter circumcisionem, & præputium, vel tripartitam propter tres filios Noë, quorum progenie repletus est orbis. In quintodecimo autem libro de ciuitate Dei, memoratæ Arcæ pro loci opportunitate aggressus exponere Sacramentum, post aliqua, in hoc quod dicitur bicameratam, & tricameratam Arcam Noë debere construi, illius expositionis, quæ in libris aduersus Faustum Manichæum continetur, indidit mentionem, hæc subsequenter adiiciens: Et fieri quidem potest, vt & nobis quispiam, & alius alio exponat hæc aptius. Dum tamen ea quæ dicuntur ad hanc, de qua loquimur, Dei ciuitatem in hoc sæculo maligno, tanquam in diluuio peregrinantem, omnia referantur, si ab eius sensu, qui ista conscripsit, non vult longè aberrare, qui exponit, exempli gratiâ: Velut si quispiam, quod hic scriptum est inferiora bicamerata, & tricamerata facies eam, non quod ego in illo opere dixi, velit intelligi, quia ex omnibus gentibus Ecclesia congregatur, bicameratam dictam, propter duo genera hominum, Circuncisionem scilicet, & præputium, quos Apostolus alio modo dicit, *Iudæos, & Græcos*. Tricameratam verò, eo quod omnes gentes de tribus filiis Noë, post diluuium reparatæ sunt. Sed aliud dicat aliquis, quod à fidei regula non sit alienum. Nam quoniam non solùm in inferioribus mansiones habere Arcam voluit, verum etiam in superioribus, & hæc dixit bicamerata, & in superioribus superiorum, & hæc appellauit tricamerata, vt ab imo sursum versus tertia consurgeret habitatio. Possunt hîc intelligi & tria illa, quæ commendat Apostolus. *Fides, Spes, & Charitas.* Possunt etiam multò conuenientius tres illæ vbertates Euangelicæ, tricena, sexagena, centena, vt in infimo habitet pudicitia coniugalis, supra vidualis, atque hac superior virginalis, & si quid aliud secundum fidem ciuitatis huius intelligi & dici potest. Hoc etiam de cæteris, quæ hic exponenda sunt, dixerim, quia etsi non vno differuntur modo, ad vnam tamen Catholicæ fidei concordiam reuocanda sunt.

Quin etiam idem locus ab vno doctore diuersimodè reperitur expositus.

Varia Augustini expositio de arca Noë.

Galat. 3.

1. Cor. 13.

Rursus idem beatus Augustinus in libro primo de Trinitate, asserit vtile esse, plures libros à pluribus fieri diuerso stilo, non diuersa fide, etiam de quæstionibus eisdem, vt ad plurimos res ipsa perueniat, ad alios sic, ad alios autem sic. Si ergo illa, quæ de Arca Noë beatus Augustinus vno loco duobus posuit modis, a duobus hominibus singula assumpta singulis ponantur in locis: nonne vterque digne tenax pronunciabitur veritatis? si tamen sic vterque vnum horum suis inditum dictis videatur astruere, vt illud, quod aliter in suis dictis æquè veritati congruum ponit, magis pacatus approbet, quam contentiosus impugnet.

Cap. 3. Vtile est diuersos circa vnum sensus allegare, sed non diuersa fide.

CAPVT XV.

Quocirca charissime, licet ille sensus, qui à me positus est, forsitan in sancti Augustini dictis non inueniatur: in sancti Optati tamen libris (sicut ipse mecum nosti) apertissimè positus inuenitur. Nec tuam prudentiam latet eorum, quæ à sanctis Patribus, qui fidei Catholicæ rectam in doctrina sancti Spiritus regulam defenderunt, diuersis modis, vel in expositionibus, vel in defensionibus suis inueniuntur posita, quicquid à nobis ponatur, ita nos illius loci adstruere veritati congruum sensum, vt aliis patrum sententiis æque veritati congruis non denegemus assensum. Neque enim à veritate receditur, ac si in hac supererogatione Apostoli, siue quod sanctus Ambrosius, seu quod sanctus Augustinus, siue quod sanctus Optatus senserunt, à nobis quoque salua veritate fidei sentiatur. Quoniam si dignè creditur, duobus denariis acceptis, aliquid supererogasse Paulum, in eo quod proprij laboris sumptu Euangelium prædicans, stipendium sibi debitum à fidelibus non exigit, dignè etiam supererogasse aliquid creditur in eo, quod de Virginibus præceptum Domini non habuit, sed concilium dedit. Vtrumque sine dubio illo habens largiente, à quo nisi accepisset, supererogare non posset.

Responsio ad quæstionem Monimi de supererogatione Pauli.

BEATI FVLGENTII
AD MONIMVM LIBER TERTIVS.

De vera expositione illius dicti Euangelici, *Et Verbum erat apud Deum.*

CAPVT I.

Laus charitatis.



QVOTIENS, dilectissime Monime, à Christi famulis virtus consideratur ac perpenditur charitatis, non minus inuenitur mirabilis quàm suauis. Quis enim eam non miretur? aut quis non admodum delectetur? cuius sarcina cum portatur, non fatigatione animum debilitat, sed alacritate confortat. Ipsa enim cum onerat, subleuat, & miro modo quem onerat, non permittit comprimi; quem subleuat, non finit extolli. Hæc me tibi præteritum debitum, cum Domini adiutorio, persoluentem, rursus efficit debitorem. Iam enim de quatuor quæstionibus, quas mihi miseras pertractandas, illo adiuuante, qui sapientiam præstat paruulis, duos libros absoluetam, cupiens tibi reddere quod debebam. Sic repente cuiusdam assertionis Arrianæ meas aures perstrinxit opinio, quæ tanto magis inutilis est adinuentione genita, quanto magis reperitur ab omni intellectu, non solum diuinarum scripturarum, sed etiam ipsius humanitatis externa. Comperi quippe quandam eos de initio Euangelij secundum Ioannem, insolitam nunc serere quæstionem, vt illud quod dictum est, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*, ita intelligendum, atque exponendum putent, vt id ipsum verbum apud Patrem esse, non in Patre esse, sed extra patrem esse accipiendum existiment: ita vt quidam eorum (quantum auditu comperi) dum de his duabus præpositionibus, hoc est, *in*, & *apud*, inter eos orietur quodam die conflictus, accepto cuiusdam Birro, & manibus retento, interrogasse an in illo esset cum apud illum esset Birrus ille, quem ipse retineret. Atque * hunc suam quasi sententiam firmaturus, hac sermonem suum definitione clausisse, cùm aliquid in nobis esse dicitur, intra nos intelligendum, dum verò apud nos esse dicitur, extra nos accipiendum. Et quia Birrus ille, quem ipse retinebat, sic apud illum esset, vt in illo non esset. Ac per hoc, ex eo quod apud illum esset, non tamen in illo esset, extra illum, non intra illum esset: eodem modo Verbum quoque Dei (quod Deus est) credendum quidem apud patrem esse, non in Patre esse: Et ob hoc nec vnius esse cum patre substantiæ: Quoniam quicquid sic apud aliquem est, vt in illo non sit, profectò sic apud illum est, vt vnius cum eo substantiæ esse non possit. Hæc est eorum ratiocinatio, rationi contraria. Hæc legalis disputatio, legi Dei intolerabiliter inimica.

Argumentum tertij libri contra Arrianos, super illo dicto, *Et Verbum erat apud Deum.*

Arriani putant aliud esse, *Apud Deum*, quam *in Deo.* Ioan. 1.

* hinc.

CAPVT II.

HInc donante Christo aliquid scribere, meus excitatus est animus, ne virulentis sermonibus paruulorum perturbetur auditus, pertinet enim ad nostræ seruitutis officium, aduersus nascentem pestilentiam cuiuslibet opinionis mortiferæ salubria diuinorum eloquiorum remedia præparare. Itaque cum sanctus Apostolus sollicitè fideles præmoneat, dicens: *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Isti è contrario, non solum præterito tempore philosophiæ mundialis sectantes errorem secundum elementa mundi, de Deo existimauerunt disputandum. Sed ita sunt totius nunc religionis obliti, vt cum de Deo disputant, nec ipsa elementa mundi istius corporalis attendunt, ac sic, dum oculos intelligentiæ etiam contra ea, quæ videntur, pertinaciter claudunt, nunquam inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciunt. Quid enim potest absurdius dici, quam vt cum de Deo quis disputat, non nisi de crassioribus tantum corporibus documenta disputationis adsumat? Magnum enim quiddam sibi ille visus est inuenire, cum accepto Birro, & manibus retento interrogasset, vtrum sicut apud illum esset, ita in illo esset. Exinde docere volens, ad modum Birri apud hominem, sic esse Filium apud Patrem, vt quia Birrus apud hominem esse possit, in homine autem esse non possit: ita Filius sit quidem apud Patrem, sed non sit in Patre. Rogo si de corporibus istis contrectabilibus aliquid in exemplum disputans delectabatur assumere, licet illi aduersus veritatem disputandi, elementa quæ à veritate facta sunt, non possent vllatenus suffragari: tamen vt tolerabile aliquid dicere videretur, vt de cæteris taceam; cur Birrum, quem manibus tenebat, ostendit, & non saltem flatum, quem naribus carpebat, attendit? Quia si Birrus ille posset dici apud illum esse, & non in illo esse, flatus iste tamen, quem ex aëre carpimus, cum eum spirando percipimus, & apud nos est, & in nobis est: & quidquid eius respirando reddimus, cum reddiderimus, nec apud nos, nec in nobis habemus. An fortè dicturus est, aëris istius alimentum, cum spirando accipimus, in nobis tamen esse, non etiam apud nos esse? Dicat ergo, quando apud nos possit esse, an cum eum reddimus, & eum in nobis non habemus? Sed hoc puto, quia nec de Birro illo dicere audebit, si tamen eum illi, à quo acceperat, reddidit. Videt enim quia eum tunc apud se habuit, eum accepit; postquam autem reddidit, apud se habere iam destitit. Sicut enim acceptione factum est, vt quod non habuit, apud se haberet: ita redditione factum est, vt quod apud se habuit, non haberet. Proinde si Birrum dixit, non in se esse, sed apud se esse, hunc tamen flatum, quem de circumfuso aëre vicissim sumimus, & reddimus, mihi videtur quia non dicet, non esse apud hominem, cum est in homine; quia tunc eum homo apud se, & in se habet, cum eum accepit spirando. Cum vero respirando reddit, sic eum apud se non habet, sicut nec in se habet.

Coloss. 2.

Absurdum est de Deo secundum corporalia disputare.

Aptius fuisset exemplum de flatu narium, quam Birro in manibus.

Frustra

CAPVT III.

Falsum est igitur, Verbum quod apud Deum est, extra Deum esse, non in Deo. Ioan.1.

FRustra igitur in illa disputatione, de hoc, quod dictum est: *Verbum erat apud Deum*, asserere voluit, quod in aliquo est, semper interius; quod apud aliquem est, esse semper exterius, cum flatus receptus in corpus, sic in homine sit, vt apud hominem sit. Et rursus è corpore redditus, ita non sit apud hominem, quemadmodum non est in homine. Minus enim attendit in hoc, quod absurdo nitebatur asserere documento, quàm grauior eum subsequenter absurditas teneret innexum. Etenim cum dicitur: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Si exterius est omne quod Apud Deum est, & interius est omne quod in Deo est; quid illi disputatori peritissimo restat, nisi vt nos potiores Filio Dei esse contendat? Dicit quippe Apostolus de Deo: *Quia in ipso viuimus, & mouemur, & sumus.* Et alio loco: *Vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipso.* Nunc iam quisquis ille est, qui sub Christiano nomine non metuit aduersus Christum tam temere disputare, cum addit, *verbum esse apud Deum, & nos esse in Deo?* Si audet, dicat, verbum esse exterius, & non interius. Quod si dicendum existimat, ipse de suis dictis iudicium ferat; neque enim in tali sermone iudex quærendus est alius, quando ipse, qui hoc dixit, à seipso sit profecto culpandus. Quid iterum respondebit aduersus illam eiusdem Beati Pauli sententiam, qua dicit de Deo: *Quoniã ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula, amen?* Ecce omnia Paulus ex Deo, & per Deum, & in Deo esse testatur, *Verbum verò apud Deum esse*, Ioannis Euangelistæ prædicatione dignoscitur: si autem secundum Arrianorum sensum, omne quod in Deo est, interius est, & omne quod apud Deum est, exterius est, quoniam Arrianis *Verbum quod apud Deum*, non in Deo esse creditur. Hoc reliquum est, vt omnibus quæ in Deo sunt, illud quod apud Deum est, inferius prædicetur: hoc autem recepto (quia de verbo scriptum est: *Omnia per ipsum facta sunt*) ipsa erit secundum Arrianos rectitudo fidei, vt præponenda sit factura factori. Quis iam non cernit, in quod præcipitium improuidi homines cadunt? qui veræ fidei resistentes, perfidiam defensare contendunt. Quid enim aliud talibus verbis agitur, nisi vt huius defensione sententiæ, conditionis suæ ac redemptionis oblita, semetipsam filio Dei, non solum æquare, sed & præferre audeat creatura? Miror autem quomodo non considerant, à quibus illud asseritur, quàm deterior ex eo fructus nefãdæ blasphemiæ nascatur. Aiunt enim: Quod in Deo est, interius esse credendum; quod autem apud Deum est, exterius æstimandum. Quocirca illud quod apud Deum est, & exterius est, non est credendum vnius cum Deo naturæ: consequens est, vt illud quod in Deo est, & interius est, vnius credatur cum Deo substantiæ. Ad hanc igitur conclusionem ratiocinatio ista perducitur. Vt sicut verbum pro eo quod apud Deum est, ab eius natura separatur: ita creatura, pro eo quod est in Deo, vnius credatur naturæ cum Deo. Vnde conuincuntur illa sentire, quibus nos & filio audeant præferre, & Patri conentur æquare. Sic totum confundunt, qui à veritate dissentiunt. Ex quibus sententiis error infidelis asseritur. Ecce quibus adinuentionibus fidei veritas impugnatur.

Act.17.

Summa absurditas nos esse interius Deo, Verbum autem exterius. 1.Cor.8.

Alia absurditas, vt factura proponatur factori.

Maior item absurditas sequitur, vt creatura vnius sit naturæ cum creatore.

CAPVT IV.

SEd quibuslibet arietibus Ecclesiam sanctam hæretici quatere nitantur, certi sumus de Domino Deo nostro, quoniam ciuitatem suprà montem constiutam subuertere non valebunt. Imo seipsos prorsus subuertunt, & exterminant, qui Deum verum Dei vnicum Filium, contumeliosis assertionibus exacerbant. Nec ab iniuria temperant etiam Patris, dum ingratificentiam reddunt gratiæ Saluatoris. Quapropter congruum videtur, vt ex aliis scripturarum locis verbi huius intelligentia requiratur, vt appareat, vtrum quidquid apud aliquem esse dicitur, debeamus secundum illorum sententiam semper exterius æstimare. In libro sapientiæ legimus dictum de quibusdam: *Dixerunt apud se cogitantes non rectè.* Huius loci ab Arrianis exigimus rationem, vtrum qui apud se cogitat, intra se, an extra se cogitet? cum hominis cogitatio non solum extra corpus hominis non sit, sed nec corporis actio sit. Enimvero quia idipsum, quod cogitatio dicitur, non solum non extra hominem, sed nec in ipso corpore hominis inuenitur: quis non videat, cogitationem solius esse animæ, cui per rationalem virtutem diuinitus datum est cogitare? In homine quippe cogitando dominatur animus, operando autem seruitium exhibet corpus. Ibi est enim homini apta cogitatio, vbi inserta boni malique discretio. Interior igitur homo cogitationis officium gerit, qui etiam intelligendi virtutem ad imaginem Deus creatus accepit. Cùm ergo apud se homo cogitat, non extra se, sed intra se cogitat, qui non extra se cogitaret, etiamsi ad exteriorem hominem cogitatio pertineret. Quantò magis intra se cogitat, quandoquidem non exterior homo, sed interior cogitat. Qui tamen secundum scripturæ testimonium apud se cogitare dicitur, quo vtique non exterioris, sed interioris hominis officio reperitur. Ait enim scriptura, sicut supra iam positum est? *Dixerunt apud se cogitantes non rectè.* Quid est autem, apud se dicere, nisi in corde suo dicere. Propter quod alibi dicitur: *Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini.*

Dixerunt apud se cogitantes non rectè.

Sap.2.

Hoc est ergo apud se dicere, quod est intra se dicere. Vnde & Pharisæus ille, qui Dominum poposcerat ad vescendum, cum ingressa mulier peccatrix, lachrymis rigaret, & capillis pedes tergeret saluatoris, quia intra se cogitabat, intra se vtique dicebat, quod cogitando dicebat. Ait enim Euangelista: *Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se dicens.* Quid est enim ait intra se, nisi cogitauit intra se? Verumtamen scriptura docente cognoscimus, quia qui cogitat intra se, cogitat apud se. Ideo vtique dicit: *Dixerunt apud se cogitantes non rectè.* Attamen ne hoc, quod dictum est aqud se, non præcedenti sermoni, sed subsequenti velint Arriani coniungere, vt non dicatur, dixerunt apud se, sed dicatur, dixerunt, & postmodùm inferatur, apud se cogitantes. Audiant etiam hinc diuinarum testimonia scripturarum, & cognoscant officium cogitationis humanæ, non ad exteriorem, sed ad interiorem hominem pertinere. Euangelista dicit, quia cùm Domino paralyticus offerretur, videns Dominus fidem illorum, qui eum per tegulas submiserant, dixit, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, & ecce quidam de scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quos dixit Euangelista intra se dixisse, ipsos Dominus dicit, in cordibus mala cogitasse. Quid est autem mala in cordibus cogitare, nisi cogitare apud se non rectè? Quomodolibet ergo huius loci sensum Arriani distinguant, ibi necesse est, confusionem suæ prauitatis inueniant. Et vtinam sic de errore confundantur, vt ad veritatem conuer

Psal.4. Apud se dicere, est idem quod intra se dicere. Luc.7.

Similiter idem est dicere intra se, & cogitare apud se.

Matth.9. Marc.3. Luc.5.

conuertuntur. Si enim dixerint, sic istum scripturæ versiculum diuidendum, quo scriptum est, dixerunt apud se, cogitantes non rectè, vt ipsum apud se, præcedenti sermoni iungentes, sic distinguant, Dixerunt apud se, vt postea inferant, cogitantes non rectè: Dauidico statim conuincuntur eloquio, non aliud esse, apud se dicere, nisi in corde dicere. Ait enim: *Quæ dicitis in cordibus vestris.* Quod si aliter distinguere voluerint, vt ipsum apud se, non præcedenti sermoni, sed subsequenti coniungant, vt præmittentes dixerunt, interiecto silentio, postmodum inferant illud quod dictum est, apud se cogitantes non rectè, etiam hinc increpationem Saluatoris audiant, & cordis esse cogitationes agnoscant, ait enim *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Alio quoque loco idem Dominus docet: *Quia de corde exeunt cogitationes malæ.* Et denuò dicit: *Quia bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona: & malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala.* Iamne cognoscunt in quanto errore versentur, qui verbum apud Deum, non interius, sed exterius asserere moliuntur.

Psalm.4. Idem denique est, apud se cogitare in corde suo. Luc.5. Matth.15. Matth.12.

CAPVT V.

Rursus in eodem libro scriptum de sapientia legimus: *Immortalitas enim est in memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines.* Quomodo autem apud homines nota est, si non intra homines, sed extra homines est? Cum nisi in animam hominis intrauerit, nota homini esse non possit. De ipsa quippe sic dicitur, & permanens in se omnia innouat, & per nationes in animas sanctas se transfert. Et vt non aliud agnoscatur, in animas se transferre, quàm in animas intrare, rursus de illa textus scripturæ sanctæ sic memorat hæc: Populum iustum, & semen sine querela liberauit à nationibus, quæ illum comprimebant, intrauit in animam serui Domini, & stetit contra Reges horrendos in portentis, & signis. Hunc introitum suum, quo in animas intrant, etiam in Apocalypsi Ioannis insinuat, dicens: *Ecce esto ad ianuam, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, introibo ad eum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Hoc introitu Pater & Filius ad dilectorem suum veniunt & mansionem apud eum faciunt: sicut ipse filius loquitur: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Quod si venientes Pater, & filius ad eum, apud quem mansionem faciunt, non interius, sed exterius sunt, dicatur nobis, vbi ad eum veniant, & mansionem apud eum faciant. Interim quod interius in suis fidelibus inhabitet Christus Paulo prædicante cognouimus, qui ait: *In interiore homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* An forsitan dicturi sunt, aliter in interiore homine nostro habitare Christum per fidem, & aliter eum cum Patre venientem apud dilectorem suum facere mansionem, vt Christus interim solus in interiore homine nostro inhabitare possit, Pater autem exterius remanens, apud quem mansionem facit, non solum ipse exterius manere nequeat, sed etiam filium communione aduentus sui, ne in interiore homine habitare possit, impediat; Spiritum quoque sanctum sic filius Dei promisit fidelibus suis, vt apud eos maneat, & in ipsis sit. Dicit enim *Si diligitis me, mandata mea seruate, & ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non vidit eum, nec scit eum, vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Ecce apud quos manet, in eis est Spiritus sanctus. Dicatur, quæ hîc potest esse diuersitas in eo quod apud eos manet, & in eis est? Etenim in vno loco vtraque præpositio ponitur, & Spiritui sancto vtriusque rei possibilitas assignatur, vt apud quos manet, in eis sit. Itane vero Spiritus sanctus sic apud fideles manet, vt in ipsis fidelibus esse possit? Verbum autem Deus si apud Deum est, vt in Deo esse non possit? Quid dicam his, qui de scripturis sic disputare desiderant, vt intelligentiæ spiritalis viam nullatenus quærant, & auertentes oculos à vero lumine, iugiter in tenebris delectentur errare? Hoc idem quippe esse apud Deum, quod est esse in Deo, sancta scriptura aliis quoque locis ostendit. Dicit enim Moyses: *Deus fidelis, in quo non est iniquitas, iustus & sanctus Dominus.* Dauid etiam canit; *Quoniam iustus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo.* Paulus autem Apostolus, apud Deum non esse iniquitatem dicit. Sic enim ait: *Nunquid iniquitas apud Deum? absit.* Eligant in hoc loco, quod voluerint Arriani; & vt suam sapientiam euidenter ostendant, de legalibus, & propheticis atque Apostolicis dictis iudicium ferant. Moyses dicit; *Deus fidelis, in quo non est iniquitas.* Dauid quoque dicit: *Iustus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo.* Paulus verò dixit: *Nunquid iniquitas apud Deum? absit.* Aut igitur fateantur Apostolicum sensum legali propheticoque sensui conuenire, aut dicant Apostolum paulum à legali, & prophetica intelligentia discrepare. Paulus equidem Apostolus eundem se spiritum fidei habere dicit, quem Dauid beatus habuit, quem etiam Moyses sanctus accepit, sicut ipse testatur, dicens: *Habentes autem eundem Spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi propter quod locutus sum; & nos credimus propter quod loquimur.* Quomodo autem vnum spiritum fidei habuerunt, si de fideli Deo diuersa senserunt? Magna est autem sentiendi diuersitas, si diuersum est, quod dicit Paulus: *Non esse iniquitatem apud Deum*, ab eo quod Moyses & Dauid dicunt: *Non esse inquitatem in Deo.* Et si dicente Paulo, eundem se habere spiritum fidei, quem & Prophetæ habuerunt, in eorum fide diuersus est sensus, mendax (quod absit) Apostolus pronuntietur, qui in se Christum loqui testatur? *An experimentum*, inquiens, *quæritis eius qui in me loquitur Christi?* Sed quoniam verè Christus in Paulo loquutus est, Paulus vtique mendax non est. Et quia cùm eumdem spiritum fidei se habere dicit, non mentitur; vterque sensus consonans inuenitur: vt quod Moyses & Dauid dixerunt iniquitatem in Deo non esse; hoc sit quod etiam Paulus dicit: *Iniquitatem apud Deum non esse.* Quod si eis forsitan videtur, vt ex aduerso aliud dicant: hoc eis reliquum est, vt aut Prophetis, aut Apostolo contradicant.

Apud Deum nota est, & apud homines memoria eius. Sap.4.

Introibo ad eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Apoc.3. Ioan.14.

Ephes.3.

Ioan.14.

Sic verbum & apud Deum, & in Deo erat.

Sic idem esse in Deo, & apud Deū, non est iniquitas. Deut.32. Psal.91. Rom 9.

Vnus & idem spiritus in Moyse, Dauid, & Paulo. 2.Cor.4.

1.Cor.13.

CAPVT VI.

Et licet tot tantisque testimoniis confutata hæreticorum sententia cognoscatur nulla veritate subnixa: Respondeant tamen, quid de illo Apostoli Iacobi loco sentiunt, vbi dicit: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Apud quem autem transmutatio non est, profectò mutabilitas non est: & apud quem mutabilitas non est, immutabilitas est. Hæc igitur immutabilitas, quæ apud Deum est, dicant, vtrum exterius, an interius est? si enim interius est, ecce hoc est, in Deo esse, quod apud Deum esse. Desinant igitur peruersa sentire, & festinent Catholicæ rectitudini consentire. Si autem

Apud quem non est transmutatio. Iacob.1.

autem hæc immutabilitas, quæ apud Deum est, non interius esse, sed exterius creditur, profectò in Deo esse non creditur. Et si in Deo immutabilitas esse non creditur, consequenter Deus ipse mutabilis prædicatur. Et ne hoc vel in filio assignare audeant, audiant in eodem loco patrem luminum nominatum. Proinde cum audimus, quia apud Deum non est transmutatio, hoc sentiamus secundum Catholicæ fidei veritatem, quia nulla est in Deo mutatio. Et cum dicitur, verbum erat apud Deum, non aliud sentiamus, quam verbum erat in Deo, & cùm sapientia in Prouerbiis dicit: *Eram apud illum componens*, non aliud sentiamus, quam eram in illo componens. Et cum Deo dicitur: *Apud te est fons vitæ*, non aliud intelligamus, quam in te est fons vitæ. Et cum Ioannes dicit: *Annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, & palam facta est nobis*: non aliud intelligamus, quam vitam æternam quæ erat in patre: verè enim apud Deum est Deus verbum, quia in Deo est Deus verbum. Et verè apud Deum sapientem est sapientia, quia in sapiente Deo est sapientia. Et verè apud Deum viuum est vita, quia in Deo viuo est Deus vita. Et verè apud Deum verum est Deus veritas, quia in Deo vero est Deus veritas. Et verè apud Deum fortem est Deus virtus, quia in Deo forti est Deus virtus. Sed quid mirum, si hoc est Filio esse apud Patrem, quod est illi esse in patre, quia scilicet naturaliter natus de patre, permanet semper in patre: cum etiam de hominibus legamus (quantum ad substantiam attinet, qua naturaliter homines sunt) non aliud esse, cum dicitur aliquid apud illos esse quam in illis esse. Vnde testimonia manifestissima proferemus. In libro Esaiæ continetur Ezechiæ regis oratio, quam post adiectos sibi ad vitam annos quindecim ad Deum effudit, vbi inter cætera sic dicit: *Spiritus meus apud me factus est, sicut lanifica proximans demere telam.* Quid autem hic aliud intelligitur: Spiritus meus apud me, nisi spiritus meus in me? An & hic dicetur, spiritum hominis apud hominem esse, in homine autem non esse? Cum euidenter Apostolus dicat: *Quis enim scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?* Sed & illud, quod supra posuimus scriptum: *Dixerunt apud se cogitantes non rectè*, quid est aliud, quàm, dixerunt intra se. Rursus in libro Sapientiæ dicitur: *Hæc cogitans apud me, & commemorans in corde meo, quoniam immortalitas est in cogitatione sapientiæ.* Quod apud se cogitat, hoc in corde suo commemorat, quo vtrunque dum dicit, illam vtique cogitationem, & illam commemorationem, non exterius, sed interius sibi inesse monstrauit. Dicitur etiam in Prouerbiis: *Fili, non te comprehendat cogitatio mala, quæ derelinquit doctrinam adolescentiæ, & testamenti diuini oblita est. Posuit enim apud mortem domum suam, & apud inferos cum terrigenis axes suos.* Si ergo cogitatio mala, quæ apud mortem posuit domum suam, extra mortem, non in morte profectò viuit. Et si apud inferos posita non est, inferno superest, vt illa, quæ nec in morte est, nec in inferno, vitam habere dicatur in cœlo. Ideo enim Deo dicitur: *Quia eripuisti animam meam de morte*, quia animæ per fidem vitam donauit, dicens: *Iustus autem meus ex fide viuit.* Et rursus idcirco ipsi dicitur: *Eripuisti animam meam ex inferno inferiori*, quia idcirco animæ ab inferno gratia Dei eripiuntur, vt in cœlis conuersentur. Vnde dicit Apostolus: *Nostra autem conuersatio in cœlis est.* Porro anima, quæ per cogitationem malam apud mortem fuit, quomodo de morte liberata est, si in morte non fuit? & quomodo ex inferno erepta est si apud inferos constituta, in inferno non fuit? Cum vtique si in morte non esset, mortua non fuisset. Per malam autem voluntatem, hoc est, per peccatum, quis nesciat animam mori? cum Deus dicat: *anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Certum est igitur, animam malè cogitantem, cum apud mortem est, in morte esse, & cum apud inferos est, in inferno esse. Quid quod etiam Saluator dicit: *quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum?* Ergone sic dicemus, omnia Deo possibilia esse, vt hoc ipsum quidem possibile esse, sic dicamus apud Deum esse, vt dicamus in Deo non esse? Quod autem posse apud se Deus habet, si ipsum posse in se non habet?

Multa exempla, vbi apud, pro in, ponitur. Sap.8. Psal.35. 1.Ioan.1. Esa.38. 1.Cor.11. Sap.8. Prou.1. Psal.114. Rom.1. Psal.85. Philip 3. Ezechiel. 18. Math. 19. Luc.18.

CAPVT VII.

HIs atque huiusmodi testimoniis claret, cum dicitur, Verbum erat apud Deum, non aliud intelligi debere, quam verbum erat in Deo. Nam & ipse filius, qui est verbum Deus, non solum patrem in se, sed etiam se in patre esse testatur, discens: *Non credis, quia ego in patre, & pater in me est.* Hoc autem filij esse apud patrem, & esse in patre, non videatur tale, quale, si quis homo sit apud aliquem hominem, siue iure hospitali, siue charitatis affectu. Nam & Apostolus Paulus dicit; *se apud Apostolum Petrum quindecim diebus mansisse*, iure scilicet hospitalitatis, & puritate dilectionis, quorum licet per vnitatem fidei & charitatis fuerit anima vna, & cor vnum, non tamen sic mansit Paulus apud Petrum, sicut verbum manet apud Deum: quia nec sic potest esse homo apud hominem, sicut verbum Deus est apud Deum patrem: homo enim apud hominem sic est, vt non solum apud eum non esse possit, sed etiam cum apud eum est, in ipso substantialiter esse non possit. Verè enim qui sic apud alium est, extra illum est, quia cum est apud illum, sinceritate dilectionis, loco discernitur, quantolibet affectu inuicem sibi vterque iungatur. Sed sic est verbum apud Deum, sicut est in mente verbum, sicut in corde consilium: cum enim mens apud se verbum habet, vtique cogitando habet, quia nihil aliud est apud se dicere, quam apud se cogitare. Cum ergo mens cogitat, & cogitando verbum intra se generat, de sua substantia generat verbum, & sic illud verbum generat de se, vt genitum habeat apud se. Nec minus aliquid habet verbum, quod ex mente nascitur, quàm est mens de qua nascitur, quia quanta est mens quæ generat verbum, tantum est etiam ipsum verbum. Sicut enim de tota mente nascitur verbum, sic intra totam permanet natum. Et quia cogitante mente, non est eius aliquid, vbi in ea verbum non sit: ideo verbum tantum est, quanta est mens ipsa de qua est, & cum apud illam est, in illa est, & quanta illa est, tantum etiam verbum est, quia de tota & in tota est. Tantumque est ipsum verbum, quanta simul est & mens ipsa cum verbo: neque etiam sic de illa verbum nascitur, vt ab ea localiter secernatur. Natiuitas quippe illa, quæ ostendit quid sit, & de qua sit, ipsa ostendit quod extra eam, de qua natum est, esse non possit, nec in aliquo minus sit, sed sic de ipsa sit, vt apud ipsam & in ipsa sit, tantumque sit de illa, quantum in illa; & tantum in illa, quantum cum illa.

Non credis, quia ego in patre, & pater in me est. Ioan.14. Gal.1. Verbum est apud Deum, sicut in mente verbum.

CAPVT VIII.

EQuidem & nos quodammodo dicit scriptura & in Deo esse, & apud Deum esse: sed non quomodo apud Deum est & in Deo est verbum Deus, qui est vnigenitus filius: dicitur enim & nobis, quia

Non sumus nos in Deo, sicut in Deo est verbum Deus.

quia in Deo viuimus & mouemur, & sumus. Et dicitur ipsi Deo, si non peccauerimus, scimus quia apud te sumus deputati. Verumtamen cùm hoc de nobis dicitur, non naturalis vnitas nostra cum Deo ostenditur, sed aut potentia creatoris intelligitur, aut pietas redemptoris. Sic enim qui credimus in Deo, & apud Deum sumus, sicut de Deo geniti, Filij Dei sumus. Scriptum est enim: *Charissimi nunc Filij Dei sumus.* Et iterum: *Voluntariè genuit nos verbo veritatis.* Nos ergo Deus verbo veritatis genuit. Illud autem verbum veritatem genuit: nobis potestatem dedit, filios Dei fieri: ille autem non ex potestate filius Dei factus, sed de Deo naturaliter est Dei filius natus. Nos Deus voluntariè genuit, quia voluntas generationem præcessit: in vnigeniti autem generatione, nulla generantis præcessit voluntas, vbi sine initio naturali permanet æterna natiuitas. Sicut ergo geniti sumus, sed non sicut vnigenitus Deus; & filij Dei sumus, sed non sicut vnicus & verus filius; & dij sumus, sed non sicut verbum, qui verus est Deus: ita in Deo sumus, & apud Deum sumus, sed non sicut apud Deum est, & in Deo est verbum Deus, qui de Deo naturaliter natus est: quamuis enim ille filius dicatur, & nos filij dicamur; & ille Deus, & nos dij; & ille genitus, & nos geniti: multum tamen distat in re quod vnum sonare videtur in nomine, quoniam ille, quod Deus, quod Filius, quod vnigenitus est, naturaliter est, quia de natura patris natus est: nos autem, quod dij, quod filij, quod geniti sumus, non natura, sed gratia sumus; quia cum in natura non haberemus, vt hoc esse possemus, gratis nobis datum est, vt hoc facti essemus. Hanc discretionem, si hæretici, misericorditer Deo donante, percipiant, lumen verum videbunt, & ab vnigeniti filij contumeliis temperabunt: cui non solum in eo quod apud Deum est, detrahunt, sed etiam & animam humanam in illo negare contendunt. Quos ipse filius Dei vno Psalmi versiculo designauit, dicens: *Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Deum, & qui loquuntur mala aduersus animam meam.* Quis enim deterius Christo apud Deum detrahit quàm qui audiens verbum Deum apud Deum esse, dicit idem verbum in Deo non esse? Aut quis amplius mala aduersus Christi animam loquitur, quam qui in Christo humanam animam diffitetur? cum illud Verbum, quod Deus est, sic apud Deum sit, de quo est, vt per vnitatem naturæ in Deo sit, & per eandem vnitatem naturæ, vnus cum illo Deus sit. Et illa anima simul cum carne suscepta fuerit ab vnigenito Deo, vt simul in Christo & anima nostra saluaretur & caro. A quo procul dubio ille sempiternam consequetur salutem, qui in eo diuinæ humanæque naturæ plenam cognoueritveritatem.

Ioan. 3. Iacob. 1.

Aliter nos Deus genuit, aliter verbum.

Blasphemi hæreticorum in filium Dei.

Psal. 108.



BEATI FVLGENTII Contra obiectiones Arrianorum Liber vnus, ad decem obiectiones, decem responsiones continens.



DIGTVM est, patrem de seipso, hoc est, quod ipse est, ineffabiliter filium genuisse. Adauctum est, non extrinsecus, sed ex Deo natum esse. Hæc responsione non indigent, quia fidei nostræ concordant.

Obiectio. Quid ad hoc dicitur, Si ex Deo natus est, est de intra Deum, sed si non est de intra, nec ex ipso est, si modo vocabula diuersa apponuntur, quid prodest, si ipsa veritas non profiteatur?

Prima obiectio de nomine patris, & filij diuersitate.

Responsio. Equidem dum nominatur Pater & Filius, in his duobus nominibus vocabulorum diuersitas agnoscitur, quin potius per hæc duo diuersa vocabula significatur vtriusque natura: quoniam istorum nominum diuersitas, non naturas diuidit, sed veritatem generationis ostendit, vt ex vno vero patre, vnum verum agnoscamus filium extitisse: ac sic, dum vera patris generatio, & vera filij natiuitas prædicatur, in vno genitore & vno genito non solum vnitas substantiæ, verum etiam in vno quoque proprietas possit agnosci personæ, ne aut ipse putetur natus esse qui genuit, aut aliud putetur esse qui natus est, quam est ille qui genuit. Non enim ipse est Pater qui filius, quoniam in vtroque personarum proprietas reseruatur. Sed quod Pater est, hoc est & Filius, quia de Deo Deus, de perfecto perfectus, de immenso immensus, de omnipotente omnipotens, de æterno Patre natus est Filius coæternus, eadem veritate dicente: *Omnia quæ habet pater, mea sunt.* Pater ergo & Filius relatiua sunt nomina, quæ naturam gignentis genitique non separant, sed vnam sine dubitatione significant. Relatiuum vero illud dicimus, quod ad alium agnoscendum referimus, vt dum vnum nominamus, alium demonstremus: sicut inter homines, hæc relatiua sæpius nominantur, pater & filius, filius & pater, socer & gener, gener & socer: nam ideo pater dicitur, vt filium genuisse noscatur, & filius ideo dicitur, vt de patre genitus demonstretur. Nec in hac diuersitate nominum inuenitur diuersitas naturarum; quoniam vterque similiter homo dicitur, quamuis vnus pater, & alius filius nuncupetur. Non ergo patris & filij posset vna cognosci natura, si hæ non essent diuersa vocabula, quoniam si ambo vocarentur patres, essent profectò natura dissimiles: vnusquisque enim ex semetipso constaret, & communem substantiam cum altero non haberet, nec deitas vna esset, quibus vna natura non esset: consequens autem fuit, vt duo patres duos filios gignerent, quoniam nisi vera de singulis proles existeret, paterni nominis in nullo veritas appareret. Iam vero in duobus filiis, de diuersis patribus natis licet posset non esse diuersitas relatiui nominis, attendatur, si posset esse natura communis. Quis non videat, in vtroque filij nomen vnum esse, sed vtriusque naturam vnam non esse? Magis autem vnumquemque filium non

Responsio quod hæc nomina non diuersas naturas, sed distinctas personas significant.

Matth. 2. Luc. 10.

Plus diuerso stant duo patres, quàm pater & filius.

Idem respectu diuersorum potest esse & pater & filius, vt Seth.

non cum altero filio, cum quo vnum relationis habuit nomen, sed cum patre, de quo extiterat, naturam habere communem. Sed quid vlterius de duobus patribus, duobúsque filiis disputetur? cum istius assertionis veritas, personarum diuersitate non egeat, sed ad documentum sui facilius possit vnius hominis consideratione fulciri, qua cognoscatur, relatiua nomina diuersitate sui non naturarum diuersitatem ostendere, sed ad personarum significationem maximè pertinere, vt scilicet, dum vnus ostenditur, alterius quoque persona noscatur: illud autem nomen patri semper esse filióque commune, non quo relatio personalis ostenditur, sed quo substantialis proprietas demonstratur; nempe Seth de Adam patre natus, & de non genito genitus, Adam patris dictus est filius: iste ergo donec ad virilem perueniret ætatem, vt filium gigneret, pater dici non potuit, & priusquam generaret, filius tantum fuit, quando autem genuit, etiam pater esse iam cœpit: accedente igitur diuersitate paterni nominis, nulla in eo facta est diuersitas naturalis, & cum vnus homo hæc duo cœpisset habere vocabula, non est in eo mutata aut diuisa vel duplicata natura: fuit enim filius, quia de patre extitit: fuit pater, quia filium genuit; nec tamen ita naturam filij, in qua natus est, habuit, vt in eo permanens, pater esse non posset: nec aliam cum nomine patris essentiam acquisiuit, vt filij substantiam, in qua natus fuerat, perdidisset: sed quod verum est, sicut homo fuit, quando filius exiuit nascendo, sic permansit homo, quando pater factus est generando: nec aliud fuit quam homo, quod erat Adam, de quo ipse est natus, & quod erat Enos, qui de ipso est genitus. In patre ergo Deo & filio Deo, personarum proprietate seruata impossibile non dicatur, quod documento etiam cuiuslibet hominis comprobatur, sed discernamus quid ad relationem, quid ad substantiam pertinere noscatur: Relationis enim sunt nomina, pater & filius: substantiæ vero nomen vnum est, quod dicitur Deus. Relationis ergo nomina singula retinent, substantiæ vero nomen vnum communiter possident, quia licet vnus dicatur pater, & alter filius, sic tamen est filius Deus, sicut pater est Deus: illis namque duobus nominibus, generatio vera cognoscitur, isto autem vno communi nomine substantialis vnitas demonstratur.

Generatio diuina personas distinguit in vna natura.

2. Obiectio, *Generationem eius quis enarrabit?*

Obiectio. Ista nunquam nos legisse recolimus, quæ superius proposita sunt, quia scriptum est de eo: *Generationem eius quis enarrabit?* Est quasi nemo dixit scriptura qui enarret: Aduertendi sunt hi homines, vt dicant se posse nosse, quia inenatrabilis est generatio eius, non autem ignorabilis.

Responsio, quod generatio eius est quidem inenarrabilis, non tamen ignorabilis.

Responsio. Scriptum est: Credidi propter quod loquutus sum: Et nos credimus, propter quod loquimur, & fiducialiter profitemur, quia filij generatio inenarrabilis est, ignorabilis non est: neque enim consequens est, vt quod non potest enarrari, non possit sciri: Cum ipsum Deum nullus valeat enarrare, nec impune tamen alicui liceat ignorare: In tantum vero cognoscibilis Deus est, cum sit inenarrabilis, vt quosdam ob hoc inexcusabiles pronunciet Beatus Apostolus, quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt. Nam si à nobis Dominus nollet agnosci, non dixisset: *Si cognouissetis me, & patrem meum vtique cognouissetis.* Nec Philippum dicentem: *Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis,* hac increpatione corriperet, dicens: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me: Philippe qui me videt, videt & patrem:* hoc enim verbo Dominus voluit demonstrare, totum in se inueniri quod quærebatur: nec enim fieri potest, vt sempiterno & immenso Patre minus aliquid Filius habeat, in quo corporaliter omnis plenitudo diuinitatis inhabitat. Non est ergo ignorabilis Deus, cum sit inenarrabilis, sed à fidelibus cognoscitur, vt ametur, quamuis nec humanis linguis, nec angelicis enarretur. Nam ignorationem Dei non aliud esse, quam dæmonum seruitutem Paulus demonstrat Apostolus, dicens: *Sed tunc quidem ignorantes Deum his qui natura non sunt, deseruiebatis.* Sicut ergo Christi diuinitatem ignorare non debemus, licet enarrare non possimus, ita natiuitatis eius quamuis nulli suppetat enarratio, non est tamen fidelibus adempta cognitio. Quis enim natum prædicat, cuius natiuitatem ignorat? Quis filium dicat, & genitum nesciat? Quis patrem valeat credere, quem non consideret genuisse? Genuit verè pater, & verè natus est filius. Veram ergo filij natiuitatem datum nobis est agnoscere, licet datum non sit, qualiter natus fuerit, enarrare. Quoniam & Propheta non dixit: generationem autem eius quis agnouit, sed quis enarrauit. Quocirca diuinam generationem, quantum homini fas est, in eo dignè dignoscimus, cum & veram generationem dicimus, & ipsam generationem, quæ vera est, inenarrabilem prædicamus. Filius ergo verè de patris substantia natus agnoscitur, dum natiuitas eius quæ de inenarrabili Deo est, inenarrabilis prædicatur: inenarrabilis enim proculdubio est filij natiuitas vera, quia vna est illi cum inenarrabili genitore substantia.

Natiuitas ergo Christi enarrari non potest, cognoscitur tamen à fidelibus.

3. Obiectio, quod Sapientia dicit: *Dominus creauit me initium viarum suarum.*

Obiectio. Generationem eius ita est rectè profiteri, vt dicit ipse Dominus per scripturas: *Dominus creauit me initium viarum suarum, ante sæcula fundauit me.* Et sequitur: *Et ante omnes colles genuit me.* Et iterum: *Ego à patre prodij, & veni in hunc mundum.* Et iterum: *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et postquam cognitus est in carne, profitetur de eo Euangelista, dicens: *Et vidimus gloriam eius, gloriam tanquam vnigeniti à patre plenum gratia & veritate.* Et Apostolus ait: *Qui est primogenitus totius creaturæ.* Ecce creatum fundatum, & genitum profitemur, sine aliqua ambiguitate irrationabili.

Responsio, quod illud intelligitur de humanitate, non diuinitate Christi.

Responsio. In vtraque Christi natiuitate non fallitur, qui in Christo Dei, & hominis filio, & plenam ex patre diuinitatem, & plenum ex matre hominem profitetur: atque ita in illo vtramque substantiam veram esse cognoscit, dum quid æternitati, vel quid temporalitati congruat, fideli pietate distinxerit. Neque enim ignorare debemus, ipsum in sæculo, secundum carnem creatum ex homine, qui sine initio secundum diuinitatem creator est, generatus ex patre: in illa namque natiuitate, quæ initium non habet, sempiternæ diuinitatis maiestas agnoscitur: in hac vero sempiternæ diuinitatis pietas inuenitur: qui enim non creatus, sed creator de creatore progenitus, bonitate sua creauerat hominem, ipse postmodum est pietate sua creatus ex homine. Nec suum opus ipse dedignatus est fieri, quo posset per eum status sui operis reparari. Huius igitur creationis volens sapientia pronunciare mysterium, vt incarnationis suæ futurum ostenderet sacramentum prophetico more, quo solent sub enunciatione præteriti temporis futura narrare, dixit: *Dominus creauit me initium viarum suarum:* in opera sua, causam creationis ostendit, dum se initium viarum, Deum in opera eius creatum esse non tacuit: nam vt ostenderet, non illius æternæ natiuitatis esse, quod creata dicitur, sed

Vera expositio illius dicti: *Dominus creauit me initium viarum suarum.* Prou. 8.

sed huius temporis, quo carnem suscepisse Dei Filius inuenitur, quod præmiserit attendatur: Si nunciauero (inquit) vobis quæ quotidie fiunt, commemorabo quæ à sæculo sunt, enunciare. Ergo cum quotidie ista fierent, à sæculo facta præmonet nunciari, ostendit quæ dictura est nobis, non æternitatis esse, sed temporis. Ob hoc statim addidit: *Dominus creauit me initium viarum suarum in opera sua.* Quod ergo sapientia creata est, non ante sæcula, sed à sæculo est: quod autem initium viarum Domini creatus est filius, quid aliud est, nisi quod ipse via nobis est factus, vt eo duce atque rectore, per adoptionis, quam accepimus gratiam, diuino munere ad virtutum nobis profectum pateret ingressus. Quod vt euidentius appareat, debemus attendere ad hoc, filium creaturæ initium factum, non vt nouam rursus creaturam conderet, sed vt vetustatem iam pridem perditam renouaret. Inuenitur enim, Apostolos quoque huius fecisse creationis initium, quorum officio reparauit, quod fuerat ante collapsum, Beato Iacobo dicente de Deo patre: *Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius.* Euidentissimis igitur demonstratur indiciis, hoc loco creationem, non ad conditionem omnium creaturarum, sed ad reparationem hominum referendam: sicut & Dauid sanctus orauit, dum gemini fuisset criminis recordatione perterritus, non solum temerati connubij, sed mariti etiam insontis occisi. Dum igitur tanti facinoris næuum, lachrymarum flumine meditaretur abluere, hoc inter gemitus, quos testes habuit doloris, effudit: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Hoc esse significans cor mundum in se creari, quod erat, spiritum rectum in eius visceribus innouari. Ad hoc ergo Christus voluit creari, & huius creationis Apostolos suos initium fieri, vt per eum posset homo, qui vetustate perierat, nouari. Ante sæculum autem sapientiam fundatam se dixit, vt natiuitatem suam, qua de patre nata est, immutabilem demonstraret: quod enim fundatum dicitur, nulla ratione conuellitur: quod autem non conuellitur, non mutatur: vt autem natiuitas diuinitatis eius sine initio cognoscatur, debet attendi quod sequitur: *Priusquam terram faceret, priusquam abyssos constitueret, priusquam procederent fontes aquarum, priusquam montes stabilirentur, ante omnes autem colles genuit me.* Istud *ante*, cum dicitur, omne prorsus initium præuenitur. Quod considerandum est, quia vbicumque illa diuina & æterna demonstratur filij natiuitas, non dicitur quando natus sit, sed ante semper ponitur, vt quicquid homo infinitatis æternitatisque cogitare voluerit, ante omne quod cogitatione concipitur, filij semper natiuitas cogitetur, ac sic, nauitas filij Dei sine initio cognoscatur, in qua non aliud quam *ante* positum iugiter inuenitur. Vellemus autem nobis responderi, vtrum hoc sit genitum, quod creatum? quod si vnum putatur vtrumque, dicatur ergo à Deo genitus mundus, à quo generari non potest, & creatus. Dicantur etiam increduli homines filij Dei, qui de potestate tenebrarum non fuerint liberati: dicantur hæredes futuræ beatitudinis, qui fidem non recipiunt Saluatoris. Si autem, quod verum est, aliud est creari, aliud generari, discernatur, in qua Christus substantia creatus à Deo dicatur, & in qua ex Patre genitus prædicetur: nam & ipse scripturæ locus, per facilè quærentibus monstrat, in qua creatus natura dicendus est Christus. In ea scilicet, in qua Dominum nominat, vt veritatem in se formæ seruilis ostendat, sicut & in Psalmo loquitur, dicens: *O Domine, ego seruus tuus; ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Ex ancilla ergo natus est seruus, qui ex Patre generatus est Dominus. Propter formam igitur serui dixit: *Dominus creauit me*, non se à Patre dicit creatum, sed à Domino. Nam vbi secundum diuinitatem genitus dicitur, Pater continuo nominatur: Sicut verè ipse dixit: *Ego à Patre prodij, & veni:* & B. Euangelista de eo: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Vides, quia non dixit hic, à Domino, sed à Patre. Quod autem eum primogenitum totius creaturæ dicit Apostolus, creatura vtique intelligitur reparata, non condita, creatura filiorum Dei, qua ex seruis eius facti sunt fratres eius qui nos secundum Apostoli dictum, non confunditur fratres vocare, dicens: *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in media Ecclesiæ laudabo te.* Et iterum: *Ego ero fidens in eum.* Et iterum: *Ecce ego & pueri, quos mihi dedit Deus: quoniam ergo & pueri communicauerunt sanguini & carni similiter, & ipse participauit iisdem, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, vt liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti: nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi: in eo enim, quo passus est ipse, & tentatus, potens est his, qui tentantur, auxiliari.* Audimus Christum habentem fratres, audimus semen Abrahæ, audimus per mortem, eum qui habebat mortis imperium, destruentem, audimus tentatum, audimus passum, & dubitamus Christum primogenitum totius creaturæ, secundum incarnationis profiteri mysterium? Cum denuo Beatus Apostolus, in quo eum primogenitum debemus accipere, testimonio suæ prædicationis ostendit: *Scimus*, inquiens, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his, qui secundum propositum vocati sunt*: nam *quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij eius, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Qui ergo secundum deitatem semper vnigenitus fuit sine fratribus, factus est secundum hominem primogenitus in multis fratribus. Quod euidentius illo rursus Apostoli testimonio perdocetur: vbi *primogenitus ex mortuis nominatur.* Quid enim est primogenitus ex mortuis, nisi primus ex peccatoribus hominibus homo Christus Iesus in Dei filium exaltatus? Natus autem est, non sic ex peccatoribus, sicut ex hominibus homo; sed natus est homo, susceptus à Deo sine vllo peccato, vt peccatores homines reconciliaret Deo, liberatos ab omni peccato. Talem quippe hominem oportuit à Deo suscipi, per quem possent homines, Deo gratuita iustificatione coniungi. *Primogenitus igitur est totius creaturæ*, illius profectò, de qua beatum Apostolum Iacobum audiuimus, paulo ante dixisse: *Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius.* De hac creatura dicit etiam Paulus Apostolus: *Si qua ergo in Christo noua creatura.* De qua etiam Dauid prædixerat: *Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Alioquin, si secundum diuinam natiuitatem Christus primogenitus creaturæ totius accipitur, quibus testimoniis ante omnem creaturam primogenitus ex mortuis ostenditur? cum dici non possent mortui, qui nec dum fuerant vel creati. Vnigenitum ergo Christum cognoscimus ex patre, primogenitum profiteamur ex virgine: in illa quippe natiuitate verè est vnigenitus, in qua sine initio de solo Deo solus natus est Deus: in hac autem natiuitate primogenitus est totius creaturæ, id est, eorum

Margin notes (left): Ad quod filius initium creaturæ factus est. — Iacob. 1. — Psalm. 50. — Ante sæculum fundata sum, & ante omnes colles genuit me. — Christus vt homo, & creatus & seruus dicitur.

Margin notes (right): Psal. 115. — Christus vt Deus à Patre, & non à Domino prodiit. — Hebr. 2. — Hucusque Apostolus. — Rom. 8. — Christus primogenitus ex mortuis. Coloss. 1. — Coloss. 1. — Iacob. 1. — 2. Cor. 5. — Psal. 103. — Christus vnigenitus ex patre, primogenitus ex virgine.

primogenitus ex Virgine. Psalm.2.

eorum, quos in fratres sibi per fidem dignatus est adoptare. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Hæc generatio in secundo quoque Psalmo cognoscitur prædicata, vbi Christus ex persona suscepti hominis dicit: *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego genui te.* Quod vt secundum Incarnationis futuræ mysterium dictum esse monstraret, adiunxit? *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Quomodo enim secundum formam Dei terminos terræ possidendos peteret, cum regnum cœlorum, quod maius est, suis fidelibus promittat & donet? Ille ergo qui permanens in forma Dei, pro salute seruorum factus est seruus, secundum seruilem formam, vt acciperet gentes hæreditatem & possessionem, terræ terminos postulauit, qui secundum diuinam naturam sicut vniuersa, quæ in cœlo sunt & in terra, visibilia & inuisibilia cum patre fecit, ita cum patre semper vniuersa possedit. Hanc generationem quam Psalmus secundus insinuat ad incarnationis mysterium pertinere, liber Actuum Apostolorum Paulo in Synagoga loquente testatur, cuius vox ad Iudæos huiuscemodi reperitur: *Et nos vobis annunciamus eam, quæ ad Patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimpleuit filiis nostris, resuscitās Iesum:* sicut & in Psalmo secundo scriptum est: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hoc igitur quod Psalmus dixit, secundum id Apostolus ostendit ad filium dictum, secundum quod à mortuis prædicat suscitatum. Attendatur ergo, quæ à mortuis in Christo natura surrexit, & intelligetur secundum quid Christus hodie genitus terminos terræ possidendos accepit. Agnoscatur itaque in Christo proprietas vtriusque naturæ, vt sine errore possit intelligi, & creatus, & fundatus, & genitus: genitus quippe est, & fundatus secundum quod de Domino inenarrabiliter natus est Dominus: creatus autem secundum humanam generationem, qua de ancilla natus est seruus, vt quem ante omnia solum Pater genuit ex natura, pro nostra salute generaret ex gratia. Quocirca vtramque debemus in Christo Domino naturam agnoscere, vt nec aduersus creatorem videamur superbi, nec beneficij nostri saluatoris existamus ingrati, nec apud saluatorem ipse sibi deneget quam quærit salutem, qui creatoris de Deo Patre veram denegat deitatem.

Actuum 13.

Christus vt homo creatus, vt Deus autem genitus dicitur.

IV. Obiect. Cur dicitur natus de patris substantia.

Obiectio. Sed qui præsumunt irrationabiliter dicere, de patris substantia natum esse filium, doceant per scripturas tamen quo modo non sit erroris falsa professio, qui cum dicit inenarrabilem esse generationem eius, asserat eum de patris esse natum substantia.

Responsio, ideò sic dicitur, ne diuersas substantias tribus personis in Deo asseramus.

Responsio. Assertionis defectus agnoscitur, quando quis ita fidei alterius destruere nititur regulam, vt credulitatis suæ formem nolit proferre sententiā. Nos idcirco filium Dei de patris substantia natum, hoc est, de eo quod pater est, credimus, & fatemur. Quoniam quicquid substantia Dei nō est, non possumus vt Deum vel adorare, vel colere, præceptum legis sollicitius obseruātes, quo dicitur: *Audi Israël, Dominus Deus tuus Dominus vnus est, & Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Quem Deum, non patrem solum credimus, sed Patrem & Filium, & Spiritum sanctum. Fides enim nostra, qua vnum Deum colimus, & timemus, nec vnione personali contrahitur, nec substantiali diuersitate disiungitur: ne aut deos gentiliter colamus diuersas colendo substantias, aut Filium, & Spiritum cum Sabellio denegemus, non seruantes in Trinitate personas. Huius fidei rectam credulitatem, non solùm prophetica, sed Apostolica nobis insinuat in veritate doctrina. Nam Esaiæ, cum Dei visione dignus efficitur, huius fidei credulitas intimatur, duobus Seraphin tertiò clamantibus, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, & semel inferentibus; *Dominus Deus Sabaoth.* Quid est, quòd tertio *Sanctus* dicitur, si non trina est in diuinitate persona? Cur semel *Dominus Deus* dicitur, si non vna est in diuinitate substātia? Dominus quoque per Moysem volens benedicere populum, hoc benedicendum tenore mandauit: *sic* (inquiens) *benedices populū meum, & ego benedicam eos. Benedicat te Dominus, & custodiat te: illuminet Dominus faciē suā super te, & misereatur tui, ac tollat Dominus faciē suā super te, & det tibi pacē.* Ter *Dominus* dicitur, & vnus semper Dominus nominatur, vt in Trinitate, quæ verus est Deus, nec confundatur proprietas personarum, nec substantialis vnitas denegetur. Dauid quoque Deo per omnia placitus, sub hac credulitate populo fideli, diuinæ benedictionis gratiam his verbis exoptat infundi. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuāt eū omnes fines terræ.* Cui sententiæ B. concordat Apostolus, qui cùm quodam loco dixisset: *Vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in ipso: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* De Spiritu sancto quoque diceret: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* Cum se dixisse meminisset, ex patre per filiū in Spiritu sancto, vt hanc Trinitatem, vnum Deum esse monstraret, alio loco ait: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Et quod singulariter intulit, *ipsi gloria in sæcula sæculorum.* Ex substantia patris natum filium, & fides Christiana rectè prædicat, & sancta scriptura commemorat. Paulus Apostolus de filio Dei dicit, *qui cū sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Dominus denuo dicit ad Hieremiam: *Super montes accipe planctum, & homines non audierunt vocem substātiæ meæ, à volatilibus cæli vsque ad pecora.* Filium autem patris esse substantiam, sapiētiæ liber euidenter ostendit, dicens: *Esca Angelorum nutristi populum tuum, præparatum panem de cælo præstitisti eis, sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnem suauitatis saporem: substantiam enim tuam & dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebas.* Panem de cœlo datum substantiam & dulcedinem Dei esse, scriptura testatur: panem verò de cœlo datum filium Dei esse, ipsius filij verbis ostenditur, qui ait: *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.* De quo Dauid ait: *Panem Angelorū manducabit homo.* Ecce de substantia patris extitisse filium, non solum rationabiliter credimus, verum etiam testimoniis approbamus, scriptura dicente: *Qui diligit genitorem, diligit eum, qui natus est ex eo*: quoniam fides vera quod credit, non nescit, etiamsi nondum potest videre quod sperat, & credit. Hi verò, qui filium de patris substantia natum denegant, debent vtique dicere, vnde arbitrentur Dei filium extitisse; vtrum de nihilo, an ex aliquo: si de nihilo extitit, creatura dicendus est, non creator. Si autem de aliquo dicatur, sic etiam id ipsum Deus fecit, vnde filium genuit. An fortè coæternum dicitur aliquid habuisse, vnde posset filium generare? si coæternum aliquid æstimatur, vnde genitus filius creditur, Manichæorum error hac assertione firmatur: si autem non fuit aliquid vnde generaretur filius, nec tamen de substantia patris Deus natus; hoc superest, vt euidenter ex nihilo Dei filium extitisse fateantur, qui eum in diuinitate minorem prædicare contendunt. Sed forsitan dicitur, ex voluntate patris natum esse filium: dicatur ergo, vtrum ex se, an aliunde pater filium genuit: si enim ex seipso genuit, non potuit voluntas

Deut.6.

Esa.6. Num.6. Psalm.66. 1.Cor.8. Rom.2. Hebr.1. Sap.16. Ioan.6. Psalm.77. 1.Ioan.6.

Ratio inuicta, quod filius ex substantia patris natus est.

luntas generationem præcedere, quia nefas est credere, in Deum aliquid, quod non semper fuit, nouiter accidisse. Vnde cognoscitur, quoniam Deus omnem quidem creaturam de nihilo condidit voluntate sua, filium verò substantia genuit vel natura, si autem aliunde filius dicitur natus, aut ex nihilo eius origo asseritur, aut (sicut superiùs dictum est) excepto Deo, semper aliquid fuisse contra regulam veræ fidei prædicatur. Beatus quippe Apostolus sciēs filium ex patris essentia verum Deum genitum, & ob hoc cum Patre vnum Dominum Deum, nec immemor præcepti dominici, quo prohibemur duobus dominis deseruire, Domino Christo, sicut vero Deo, præcepit seruiendum, quem æqualiter cum patre nouerat honorandum, ipso Domino dicente: *Vt omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem.* Quem verum Deum Ioannes Apostolus, ipso in se Domino loquente testatur dicens: *Vt simus in vero filio eius Iesu Christo: Hic est verus Deus, & vita æterna.* Quocirca veræ fidei tenenda est regula, qua Dei filius de patris substantia, hoc est, de eo quod ipse est, ineffabiliter sine initio natus creditur. Et verus Deus cum patre colitur, & tenetur, quia nec Christianis licitum est, ei qui natura non est Deus, sicut vero Deo seruire. Nec cuiquam fas est, Christo vnigenito Dei filio, non sicut vero Deo seruire: nam eum qui seruit Christo, placere Deo, Beatus Paulus, qui diis, qui natura non sunt dij, seruiendum interdixerat, euidentissimè manifestat, dicens: *Non est Dei regnum esca, & potus, sed iustitia & pax, & gaudium in spiritu sancto: qui enim in hoc seruit Christo, placet Deo.* Quocirca cognoscentes Christum verum Deum esse, non audeamus ab æqualitatē paternæ substantiæ separare: verus enim Deus est, qui natura Deus est: natura autem Deus est, qui deitatem ex æternitate veræ natiuitatis habuit, non ex gratia donationis possedit. Quod enim nascitur, connexum est genere, quod verò adoptatur, sola prouehitur largitate.

Filius ex substantia patris, vnus cum patre Deus & dominus.
Ioan.3.
1.Ioan.vlt.
Ioan.14.

V. Obiectio, cōtra æqualitatem patris & filij.

Obiectio. Perturbationes mentium, quæ sine ratione dicuntur, cum hortantur aduerti, veritas non videtur ab eis cōprehendi, nec profiteri, ob hoc quod absurdum sit dicere vel credere, patrem & filium ingenitos esse. Qui sibi suadet ista excogitare, ipse se vult fraude decipere, quæ quidem exigit illis hoc dici, qui patrem & filium æquales asserunt esse.

Responsio, quod æquales quidem sunt, non tamen ambo ingeniti, nec ambo geniti.

Responsio. Perturbant quidem mentes, aut ignauas, aut inscias, qui voluerint patrem & filium ingenitos dicere: sed non hoc faciunt, qui cognoscuntur æquales patrem & filium prædicare. In duobus enim ingenitis, diuersa diuinitas inuenitur. In vno autem ingenito, ex vno ingenito, naturalis vnitas demonstratur. Duo quippe ingeniti non possunt vnam habere naturam, vbi nec vnus in vno veram ex se generationem inuenit, nec vnus ex vno vere in se substantiam natiuitatis agnoscit. Nos autem patrem & filium, nec duos ingenitos dicimus, nec duos genitos appellamus, nec personaliter confundimus, nec substantialiter separamus. Et ideo æquales sine ambiguitate dicimus, quia diuersos à se nullatenus inuenimus, vnus vnum genuit, vnus de vno natus est. Et quia de incommutabili patre incommutabilis filius extitit, & pater æternus & perfectus, coæternum perfectumque filium genuit, propterea filius veram, quam habet ex vero patre substantiam, nec minorem habere potuit, nec diuersam. Cōtumelia est quippe diuinæ naturæ, si pater filium generans, non potuit esse in filio, quantus permanet in seipso, & genitori (quod nefas est) potentia naturalis adimitur, si filio paternæ substantiæ æqualitas abnegetur, cum hanc Apostolica doctrina non tacet, Euangelista Ioanne dicente: *Propterea volebant eum Iudæi interficere, quia non solum soluebat sabbatum; sed & patrem suum dicebat Deū, æqualem se faciens Deo.* Quam æqualitatem, non maleuola Iudæorum aduersitas (sicut quibusdam videtur) obiecit, sed Euangelistæ veridica prorsus auctoritas declarauit. Qui sicut verè dixit, Iesum soluisse sabbatum, verè etiam patrem suum dixisse Deum, ita verè dixit per professionem paterni nominis, æqualem se fecisse diuinitati & omnipotentiæ genitoris. Hanc æqualitatem in se ipse verus filius prædicans, & demonstrans ait: *Ego & pater vnum sumus.* Et alio loco, *Omnia quæ pater fecit, eadem & filius fecit similiter.* Idem ipse dicit: *Pater clarifica filiū tuum, & filius clarificat te.* Et alio loco: *Vt omnes honorificēt filium, sicut honorificant patrem.* Et alia multa, quæ prolixitatem vitantes omisimus. Æqualem se itaque Deo per professionem paterni nominis facere, vnum cum patre esse, *omnia quæ pater facit, eadem similiter facere*, clarificatus, & ipse clarificare, æqualitatem sibi paterni honoris exigere, sicut minori non competunt, sic æqualem, remoto scrupulo dubitationis, ostendunt.

Contumelia Dei foret, filium non esse æqualē patri.
Ioan.5.
Ioan.10.
Ioan.5.
Ioan.12.
Ioan.5.

VI. Obiect. quod aliud sit pater luminis, & aliud lumen.

Obiectio. Interea dum de lumine dicitur, non intelligunt quod scriptum est; *quia alius est pater luminis, & alius est qui lumen est appellatus, & lucet in tenebris, & tenebræ eum non comprehenderunt.* Idcirco debet aduerti, quid lex mandat vel instruit mentes hominum; quia inter illum auctorem luminis, & istud lumen in tenebris lucens, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, per quod vita factus est filius, & lux est ostensus hominum, ille qui ostenditur factus, non est pater, & æqualis esse non potest.

Responsio, quod substantialiter vnum lumen sunt pater, & filius.

Responsio. Hoc semper patris & filij demonstrat æqualitas, vt quicquid fuerit derogationis vel honorificentiæ, simul sit vtrique commune. Quo fit, vt dum contra fidei normam, filius à patris æqualitate discernitur, magis patri quam filio detrahatur. Quod huius loci manifestius demonstrat assertio, qua dum filius solum lumen appellari creditur, ipsi patri, qui lumen genuit, nomen luminis abnegatur. Qui autem non substantialiter possidet nomen luminis, non potest habere substantialiter vocabulum deitatis. Beatus quippe Ioānes Apostolus dicit: *Quoniā Deus lux est.* Si ergo qui Deus est, lux est, qui lux non est, Deus non est: *quare lumen ex lumine credendus est filius, quia de Deo natus est Deus?* ne dū solus filius lumen dicitur, Deus pater intolerabiliter blasphemetur. Ac ne putemus patrem coniectura magis quam veritate lucem dicere, necesse habemus, hoc quoque testimoniis approbare. In sanctis eloquiis de sapientia dicitur: *Omnium mobilitantium mobilior est sapientia: attingit autem vbique propter suam munditiam, vapor est autem virtutis Dei, & manatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera. Et ideo nihil inquinamenti in illa incurrit, candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Candor lucis æternæ sapientiæ dicitur, quam lucem æternam patrem esse, vniuersa Christianitas profitetur. Quod si fortè aliqui putant, istam lucem æternam, cuius sapientia candor est, patrem accipi non debere, necesse est, vt dum Deum patrem lucem æternam denegant, aliam lucem æternam quærant, cuius esse candorem sapientiam, euidenter ostendant. Sed ipsi nouerint, quomodo possint, aut lucem, quæ Deus non sit, aut alteram lucem, præter sapientiam, quæ Deo coæterna sit, inuenire. Cognoscatur ergo lux esse pater luminis, vt saltem sic filius patri non dubitetur vel negetur æqualis. Vno iam testimonio Deum

1.Ioan.1.
Sap 7.

Patrem

Nos sumus filij lucis, ergo pater noster lux est.

patrem lucem esse docuimus, melius est, si id ipsum Apostolica quoque prædicatione monstremus. Beatus Paulus, filios Dei nos esse testatur, dicens: *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei: non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei.* Ioãnes etiam Euangelista dicit: *Quotquot autem crediderunt in eum, dedit eis potestatẽ filios Dei fieri.* Vt igitur Beatus Paulus Deũ, cuius filij sumus, lucem esse monstraret, eosdem filios, lucis quoque filios appellauit, ita dicens: *Vos autem fratres non estis in tenebris, vt vos dies ille, tanquam fur, comprehendat; omnes enim vos filij lucis estis, & filij Dei.* Et filius ad discipulos. *Vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est.* Ipsum verò filium lucem esse nullus poterit abnegare: de quo Euangelista dicit: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et rursus: *Et vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Ipse quoque filius, lucem se esse propria voce testatur: *Ego sum* (inquiens) *lux mundi.* Vt autem agnoscatur pater in filio, lumen in lumine esse, in Ioannis testimonio perdocetur, qui ait: *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ*, atque subiunxit: *Si in lumine ambulemus, sicut & ipse est in lumine, societatem habemus ad inuicem.* Quod vt se de Patre dixisse monstraret, adiunxit: *Et sanguis Iesu filij eius, mundat nos ab omni peccato.* Patrem, quem lucem dixit, in lumine esse asseruit: Quod ergo istud est lumen, in quo pater est lumen, nisi lumen verum, *quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum?* Ostensum est igitur, Patrem esse lumen, sicut est filius lumen: demonstratur etiam filius dies, sicut & pater est dies, Propheta dicente: *Euangelizate diem ex die salutare eius.* Quapropter agnoscatur pater esse in filio lumine, & filius in patre lumine, ipso de se lumine protestante: *Ego in patre, & pater in me*: tanquam diceret: *Ego in lumine, & lumen in me.* Et vbi non inuenitur diuersitas luminis, non negetur æqualitas deitatis: ne dum Deus lux esse Apostolica prædicatione dicitur, ille qui lumen esse non dicitur, Deus etiam esse (quod nefas est) abnegetur.

Ioan.1. 1.Thess.5. Ioan.1. Matth.5. Ioan.8. 1.Ioan.1. Psalm.95. Ioan.14.

VII. Obiect. Cum alius sit pater, & alius paracletus, quod non sit vna natura in tribus.

Obiectio. Admisimus superfluas rationes, quæ fastidium non facerent auditoribus, & hoc ad responsum est, ad quod sententia inquirebat expositionem. Et quia inter patrem & filium distantia est, & quod dicitur, non est, eo quod inter illos differentia non sit, ipse Saluator dicit, *qui credens est*: *Alius est qui testimonium perhibet de me.* Item ipse filius dicit de Spiritu sancto: *Et alium paracletum mittam vobis.* Alium dixit patrem, & alium dixit esse paracletum, & tamen non aduertuntur diuina iura & sacramenta, efficiuntur homines paganitatis professores, qui ante aduentum Saluatoris dixerunt Homousion, quorum & Hæretici facti sunt professores, cum asserunt, patrem, & filium, & Spiritum sanctum vnum esse Deum.

Responsio. Est alius pater, aliusque paracletus, solum personali, non substantiali differentia.

Responsio. Vera fides nunquam superfluas, sed tectas semper habet, & habuit rationes, nec ex his aliquod fastidium nascitur, si modo absque contentionis studio veritas audiatur, quæ ob hoc alium dixit patrem, vt personas discerneret, non vt substantialem distantiam demonstraret: nam cum alium dixit, ostendit propriam habere personam: Patrem verò nominans, demonstrauit se vnam cum eo habere substantiam, hoc modo: Si enim pater qui testimonium perhibet filio, verè alius est, vtriusque persona discernatur. Verè & pater est, vt substantialis vnitas demonstretur: quod si vera est paternitas patris, vera est etiam natiuitas prolis; & si est filij vera natiuitas, inter patrem, filiumque substantialis non potest esse diuersitas. Vera enim & æterna substantia, de qua vera natiuitas extitit, sicut generando minui diuidique non potuit, ita in se tota permanens, totam se coæternæ veritati natiuitatis indulsit, vt scilicet gignentis genitique non solum æqualitas absque diuersitate consisteret, sed etiam sine confusione, detrimentóque naturalis vnitas permaneret. Diuinæ quippe natiuitatis, & nomen, & veritas, sicut discretam monstrat gignentis genitique personam, sic diuersam non sinit putari substantiam. Alius ergo propterea dictus est pater, vt generationis veritas monstraretur, non vt putaretur, aut prior, aut potior: nam si potiorem accipere debemus, quem audimus alium dici, compellimur etiam paracletum Spiritum, pro eo quod alius dictus est, potiorem filio confiteri: sicut enim patrem alium filius dixit, ita paracletum alium nuncupauit. Si placet igitur, & hoc fidei veritas exigit, vt melior putetur, qui alius dicitur, quoniam pater alius est dictus, & alius paracletus, ex hoc iam filius subiiciatur ambobus, vt saltem sic paracletus coæquetur patri, qui pro eo quod alius nuncupatus est, filio dicitur anteponi; vt huius communione pronominis, in patre, & paracleto demonstretur communio deitatis: si autem paracletus, licet alius dicatur, tamen filio non præfertur, nec pater ideò præferendus est filio, quia alius dicitur: hoc enim pronomine, personarum ostenditur discretio, non naturæ. Denique ne fidei ambiguitate veritatis regulam deserentes, per deuios circumferamur errores, ipse Dominus nobis, & vnam se cum patre retinere substantiam, & alteram se demonstrauit habere personam, dicens in Euangelio: *Ego & pater vnum sumus.* Quod dictum, hi qui diuinæ vnitatis in patre, & filio significationem tenuare contendunt, non ad substantialem vnitatem, sed ad voluntatis student referre concordiam. Quod si sic Dominus vellet intelligi, posset dicere: Ego & pater vnum volumus; non, *Ego & pater vnum sumus.* Sed nunc eligat quisque quod velit, vtrum in Deo aliud putet esse, & aliud velle, an hoc credat esse quod velle, vt ei possit huius dicti dominici manifestiùs veritas apparere. Si enim aliam dixerit in Deo voluntatem, quæ velle dicitur, & aliam essentiam, quæ esse cognoscitur, ad voluntatem referri non potest, quod secundum essentiam dictum est: *Ego & pater vnum sumus.* Esse enim ab essentia dicitur: si autem hoc in Deo (sicut certum est) putatur, esse quod velle, dum voluntatis vnitas asseritur, substantialis etiam vnitas non negetur, vt & in eo, quod dixit, *sumus*, agnoscatur non aliud esse quàm pater est, & in eo, quod dixit, *sumus*, agnoscatur non ipse filius esse qui pater est. Hanc Patres nostri per omnia Christi sectati doctrinam, vnius esse substantiæ patrem, filiúmque dixerunt. Quod Grecè Homousion dictum est, illa scilicet ratione, quoniam in Græcia noua nunc emerserat Hæresis, quæ vnigenitum separare nitebatur à substantia genitoris: ad hoc vt quisquis illam doctrinam reciperet, non creatoris cultor, sed creaturæ potius appareret. Mirum autem est, quod in hoc nomine sonus tantum à quibusdam attenditur, nec dicti intelligentia vestigatur, cùm pleraque non sint antiquitus dicta, & pro temporum causarúmque opportunitatibus professioni fidei reperiuntur inserta. Sicut ingenitus pater, nusquam in scripturis Canonicis legitur, & tamen secundùm fidei veritatem ingenitus prædicatur: aduersus Sabellium scilicet,

Vera & æterna filij natiuitas ex eadem substantia, in qua pater est.

Cur alius dicitur pater.

Ego & pater vnũ sumus. Ioan.10.

Homousion à patribus, non ex scripturis, receptum est.

licet, qui patrē, filiumque, non communione substantiæ vnum intelligit, sed personali singularitate confundit. Quod si sonus, non sensus consideratur in verbis, nō censeatur Ecclesia nomine Catholico, quod nec in veteri, nec in nouo reperitur positum testamento. Si verò hæc omnia, cum in nullo sint canonico volumine, digne tamen tenentur in fide, cur nobis in Homousion putetur prohibendum, non sonum dicti considerate, sed sensum? nec attendete nouitatem verbi, sed virtutem intelligere Sacramenti? Mirum est autem eos, qui pro vnius substantiæ credulitate, volunt nos Homousianos dici, quomodo se nolunt Triusianos, pro tribus & diuersis substantiis appellari: quamuis etsi tali nomine censeri fugiant, cum hoc eos tamen esse, qualitas suæ credulitatis ostendat. Dignè itaque Patrem & filium, & spiritum sanctum, personarum proprietate seruata, vnum colimus Deum; quoniam fides vera, nec tres Deos recipit quod faciunt Pagani multicolæ, nec Deum suum creatum asserit, quod cultores prædicant creaturæ.

Homousiani, Triusiani.

VIII. Obiec. quod fiat Deo iniuria per cultum filij.

Obiectio. Scelus & valde esse blasphemum aduertant homines, qui salutaria præcepta cupiunt sectari: nam falsitas professionis nunquam prodesse eis poterit, quam quærunt iniuriādo Deum per blasphemiam colere, vel venerari: si ab hominibus non toleratur iniuria, ab ipso Domino auctore qualiter poterit tolerari? Ostendit enim circa infideles suam obiurgationem, dicendo: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.

Responsio: maior esset iniuria, si filius minor patre existimaretur. Neque Spiritus sanctus creatura est.

Responsio. Apostolica fides Deum non iniuriat, sed honorat, quæ diuinam substantiam nec minorari potuisse asserit, nec mutari: & ideo filium æqualem patri prædicat, quoniam vna vtriusque substantia, perfectionis suæ plenitudinem in vtroque conseruat. Tunc ergo Deo infertur iniuria, quando per diuersitatem diuinitatis cum creatore colitur creatura: cum creationis nomen in eo sit tantum accipiendum in filio, quod pro redemptione hominum, ex hominibus factus est homo. Spiritum quoque sanctum, si creaturam Dominus vellet intelligi, nunquam præciperet sibi, & patri in Sacramento baptismatis copulari, dicens: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij, & Spiritus sancti.*

IX. Obiect. *Ex vtero ante luciferum genui te.*

Obiectio. De generatione autem eius, quod dictum est: *Ex vtero ante luciferum genui te*, quis dubitet de carnali natiuitate fuisse dictum? cum ipsa ante scriptio ostendat tibi ad intelligendum, cum dicit Propheta: *Quis in splendoribus sanctorum ante luciferum genitus sit.* Et splendor sanctorum præconium ostenditur esse prophetarum: & eorum vaticinatio de eo fuisse adimpleta, vt cum manifestaret ipsam esse, & propheta dicendo: *Ex vtero ante luciferum genui te*, & splendidum contigit, quod per virginem nasci eum os propheticum ante dixit. Quis dubitet hanc natiuitatem ita contigisse, vt scriptura memorat?

Responsio, quod id non de carnali, sed diuina Christi natiuitate debet intelligi. Ibid. Psalm. 109.

Responsio. Multum fallitur, qui huius scripturæ locum diuinæ natiuitati non credit conuenire: & audiens Deum dixisse: *Ex vtero ante luciferum genui te*, quia in Deo carnalis vterus non potest credi, æstimet huius loci sensum ei tantummodo generationi, quæ secundum carnem est, coaptandum, cum præcedens versus, diuinæ magis intellectum generationis insinuet, quo pater dicit ad filium: *Tecum principium*, vt agnoscatur, patrem & filium vnum esse principium. Nomen verò vteri translato vocabulo dictum est, quo ipsa diuina significaretur natura; sicut corporalibus nominibus incorporalis substantia Dei assolet nominari, vt sensus hominum consuetis naturæ suæ vocabulis, ad intelligentiam diuinitatis possit adduci. Dicuntur enim oculi Dei

Nomen vteri, hic pro natura diuina ponitur.

omnia videre, sicut scriptum est, *In omni loco oculi Dei speculantur bonos & malos.* Prou. 15. Quis autem dubitet, ita Deum per naturam suam totam videre, sicut eum naturæ infinitatem omnia fatemur implere. Sed & diuersa corporalium membrorum vocabula, ob hoc in Deo inuenimus, vt dictum est nominari, vt per harum rerum efficientias, substantiæ ipsius incorporalis proprietas possit intelligi. Sic ergo & hic se dixit, ex vtero filium genuisse, vt quem audimus ex vtero genitum, à natura patris nullus æstimet alienum: quod autem *ante luciferum* dixit, ostendit filij natiuitatem perpetuam initio temporali non esse subiectam: Lucifer enim stellæ vocabulum est, & in initio mundi, cum Deus luminaria & sidera condidisset, *iussit ea esse in dies, & menses, & tempora & annos*, quibus nominum circulis tempus omne reuoluitur. *In splendoribus* autem *sanctorum*, non rectè intellecta sunt vaticinia Prophetarum: splendor enim sanctorum, non in officio prædicationis, sed in resurrectionis claritate cōsistit; de quo splendore Dominus dicit: *Tunc iusti fulgebunt, sicut sol in regno patris sui.* Matth. 13. Hunc splendorem futuræ resurrectionis, his verbis etiam Daniel Propheta commemorat: *Et multi dormientium in terræ fossura, in opertione exurgent, hi in vitam æternam, & hi in opprobrium, & confusionem perpetuam: & intelligentes splendebunt, vt splendor firmamenti: & ex iustis multi, sicut stellæ in sæcula;* Dan. 12. hic autē splendor tunc sanctis à Domino tribuetur, quando secundum Apostoli dictum, *reformabit corpus humilitatis nostræ, conforme corpori claritatis suæ.* Philip. 3. In hoc ergo splendore, tunc integre sancti intelligent patrem, & filium vnum principium esse: nec à se inuicem, vel substantia, vel maiestate distare. Licèt ergo confiteamur filium secundum carnem ex vtero virginis procreatum, non tamen ambigimus de vtero patris, id est, de patris substantia genitum, immò sic confitemur filium de vtero Dei verum Deum natum esse, sicut de virginis vtero verum non dubitamus hominem processisse, ne (quod absit) si de matris substantia verus homo natus credatur, & verus Deus de patris substantia denegetur, potior æstimetur humana natura, quæ id quod est, procreare potuit, qàum diuina substantia, quæ verum Deum generare non valuit.

Ante luciferum.

In splendoribus sanctorum.

X. Obiectio, quod non rectè duo, aut tres dicantur vnus

Obiectio. Non est nimium dedecus, vt fraudibus propriis decipiatur male intelligens animus, vt aliquando duo dicantur esse vnus, aliquando tres vnus? Nunquid non occurrit beneficij munus, quando vnus non est cum duobus designatus? Ludibrium est credere, ex tribus partibus Deum vnum constare, cum adhuc, quod prius est, dicitur de eis quod sic credendus est vnus Deus, cum non sit ipse pater qui filius, non ipse filius qui spiritus sanctus. De quibus profitentur differentias inter se habere, honorem verò vniuscuiusque suum non posse habere, nisi malignum pectus eos in vno Deo inueniatur copulare.

Responsio: rectissimè tres personæ dicuntur vnus Deus

Responsio. Nullis fraudibus, aut propriis, aut alienis decipitur, qui Deum vnum sic colit, vt in Trinitate nouerit, nec personas confundere, nec substantiam separare. Et illam vnam naturam vnum Deum intelligit, in qua æternitatem veræ diuinitatis agnoscit, dicitur enim nobis: *Audi Israël Dominus Deus tuus, Dominus vnus est.* Deut. 6. Item, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Quod si Dominum Deum, solum Patrem accipere debemus, filio ergo nec vt Deo seruiamus, nec eum adoremus: Quidquid enim ad naturam Domini Dei solius non pertinet, vt Deus à nobis adorari non debet. Quid autem dicturi sumus de filio, quem in cœlis omnesque virtutes adorant semper, & laudant in tantum,

Non solum pater Deus est, sed & filius, & Spiritus sanctus.

vt

vt etiam in forma serui positum, & propter passionem mortis, paulo minus ab Angelis minoratum, adorare Angeli iubeantur, Moyse dicente: *Lætamini* Psal.71. *cœli simul cum eo, & adorent eum omnes Angeli Dei.* Hominum quoque adorationem Dauid diuinitus inspiratus, adiungens ait: *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei.* Quomodo ergo & ab hominibus & ab Angelis adoratur, si ab vnius Dei substantia separatur? Quomodo illi seruitutem, quæ Deo tantum debetur, audemus exhibere, si vna non est illi natura cum patre? Nam quia vnus Esa.45. est Deus, ita nobis dicitur per Prophetam: *Ego Deus, & non est alius præter me: iustus, & saluans non est alius præter me: conuertimini ad me, & salui eritis, quia ab extremo terræ ego sum Deus, & non est alius. Per memetipsum iuro, quoniam exiuit ex ore meo iustitia, & verba mea non auertētur: mihi enim inclinauit vniuersitas genu, & iurauit omnis lingua per Deū.* Ecce Deus, qui in hoc loco se tantum dicens Deum, præter se alium non esse testatur. Quod si quisquam omnem hic noluerit Trinitatem accipere, cogetur Ibidem. hanc vocem soli filio deputare: quis enim Deus, præter quem alius non est, nisi ille, cui Esaias dicit: *Laborauit Ægyptus, & mercatus Æthiopum & Saba viri excelsi ad te transibunt, & tui erunt serui, & post te sequentur alligati vinculis, & adorabunt te, & in te deprecabuntur, quoniam in te est Deus, & non est Deus præter te: tu enim es Deus, & nesciebamus: Deus Israel Saluator. Erubescent & pudebunt omnes qui aduersantur ei, & ibunt cum confusione. Ecce in ipso est Deus, & præter ipsum non est Deus, & ipse est Deus* Psal.44. *Israel Saluator.* Superius autem is qui dixit: *Ego Deus, & nō est alius præter me,* adiunxit: *Iustus & saluans non est alius præter me.* Quis autem iustus est? nisi cui Dauid dicit: *Dilexisti iustitiam, & odisti ini-* Matth.1. *quitatem.* Quis vero est saluans? nisi de quo Angelus in somnis ad Ioseph locutus est, dicens: *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est: pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Cui Psal.21. vero conuenit dicere? *Conuertimini ad me, & salui eritis, quia ab extremo terræ ego sum Deus, & non est alius, nisi filius:* de quo Dauid dicit, *Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, &* *Per meipsum iuro.* *adorabunt in conspectu eius omnes patriæ gentium.* Quod ergo sequitur: *Per meipsum iuro,* quis hoc credendus est dicere? Nisi qui hoc modo inuenitur Abrahæ antè iurasse. Hunc autem non patrem, sed filium asserunt, qui filium à patre secundum diuinam naturam, minorem prædicare contendunt. Iste autem Deus, qui per semetipsum iurat, vtrum maiorem se habeat, Paulus nobis beatus Heb.6. ostendit, qui ad Hebræos scribens ait: *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret, maiorem, iurauit per semetipsum, dicens: Nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te.* Iste ergo Deus, qui per semetipsum iurat, quoniam neminem habet, per quem iuraret, maiorem.

Esa.45. *Exibit ex ore meo iustitia.* Esa.2. Quid sequitur videamus: *Quoniam exibit,* inquit, *ex ore meo iustitia, & verba mea non auertentur: mihi enim inclinauit vniuersitas genu, & iurauit omnis lingua per Deum.* De cuius ore ergo exiit iustitia? nisi eius, de quo dixit Esaias: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini.* Et post paululum: *Iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terram.* Sequitur deinde: *Iste Deus, præter quem non* Matth.24. *est alius,* & dicit: *Verba mea non auertentur.* *Cuius autem hæc vox est, nisi illius, qui in Euangelio dicit:* *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Item adiungit, Deus iste, præter quem non est alius, & dicit: *Mihi enim inclinauit vniuersitas genu & iurauit omnis lingua per Deum.* Hoc autem de quo intelligi debeat, Paulus nobis magisterio Chri- Rom.14. sti doctus ostendat, qui scribens ad Romanos sic ait: *Nemo enim nostrum sibi viuit, & nemo sibi moritur: siue enim viuimus, Domino viuimus: siue morimur, Domino morimur: siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus.* Et vt se de Christo dixisse mōstraret, adiūxit: *In hoc enim Christus & mortuus est, & resurrexit, vt mortuorū & viuorum dominetur. Tu autē quid iudicas fratrem tuum, aut tu quare spernis fratrem tuū? Omnes enim stabimus ante tribunal Dei?* statimque hoc propheticum subiicit testimonium, dicens: scriptum est enim: *Viuo ego, dicit Dominus, quoniam* Esa.45. *mihi flectitur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Ante tribunal verò Christi nos adstaturos ipse 2.Cor.5. denuo testatur, dicens: *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Ipsi quoque omne genu flectendum, idem docet Apostolus dicens: *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis* Philip.2. *lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris.* Iam nunc omnia quæ superius dicta sunt, denuo consideremus. Dicit Deus: *Ego* Epilogus huius responsionis decimæ. *Deus, & non est alius præter me.* Et in persona filij dicit Esaias. *Quoniam in te est Deus, & præter te non est Deus: tu enim es Deus, & nesciebamus. Deus Israel Saluator, Deus autem Israel Deus vnus est.* Sequitur autem cætera, quæ testimoniis supradictis ad filium ostendimus pertinere: *Ipse enim per semetipsum iurat, neminē habens maiorem, ipse populum suum saluat, ipse iustè iudicat, ipsi flectitur omne genu, cœlestium, terrestrium, & infernorum: ipsi omnis lingua confitetur, à quo est retributio reddenda factorum.* Ipse ergo, de quo hæc omnia dicuntur, per prophetam dicit: *Ego Deus, & non est alius præter me.* Nunquid num Deum istum, præter quem alius non est, ita solum filium accipimus, vt ab eo patrem & Spiritum sanctum separemus? absit. Hoc enim impossibile est, nam præter Deum patrem Deus filius non est, quia de patre est, & in patre est. Præter patrem & filium Spiritus sanctus nō est, quia patris & filij spiritus est, & in patre & in filio est. Vnde cognoscitur, quoniā ista Trinitas vnus Dominus Deus Deut.6. est, de quo dicitur: *Audi Israël, Dominus Deus tuus Dominus vnus est, & Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Huic Domino etiam Esaias propheta dicit: *Domine præter te alium non nouimus, nomen tuum nominamus.* Hoc autem nomen Saluator Matt.28. noster ostēdit, dicens discipulis suis: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti.* Istud est nomen Domini, præter quem alium non nouimus, & cuius nomine nominato, à morte liberamur, de potestate tenebrarum eruimur, vt in regnum filij transferamur. In patre ergo & filio & spiritu sancto vnitatem substantiæ acci- Ioan.10. pimus, personas confundere non audemus. Beatus 1.Ioan.5. enim Ioannes Apostolus testatur, dicens: *Tres sunt,* *Beatissimus* *qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum, &* Cyprianus *l.* *Spiritus: & tres vnum sunt.* Quod etiam beatissimus *de simplicitate Prælatorū vel secundum vetusta exēplaria, de Vnitate Ecclesiæ Catholicæ.* martyr Cyprianus, in Epistola de vnitate Ecclesiæ confitetur, dicens: Qui pacem Christi & concordiam rumpit, aduersus Christum facit; qui alibi præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit. Atque vt vnā Ecclesiam vnius Dei esse monstraret, hæc cōfestim testimonia de scripturis inseruit. *Dicit* *Idem in Orationem Dominicam.* *Dominus, ego & pater vnū sumus.* Et iterum: *De patre & filio & spiritu sancto scriptū est; & tres vnum sunt.*

Nam & in libro de oratione dominica, vt ostenderet Trinitatem vnius deitatis esse, nec inter se aliquam diuersitatem habere, Danielem, & tres pueros, ternarum horarum circulis reuolutis, orationem fundere solitos memorauit. Vbi & in trium horarum curriculo, & in vnius orationis officio, vnum Deum esse Trinitatem euidenter ostendit. Non ergo ex tribus partibus vnum colimus Deum, sed Apostolicæ fidei regulam retinentes, perfectum & consempiternum filium de perfecto & sempiterno patre, sine initio genitum, & potestate non imparem, & natura fatemur æqualem, Sanctum quoque spiritũ non aliud fatemur esse quam Deum, nec à filio, nec à patre diuersum, nec in filio, nec in patre confusum. Vnus est enim, atque idem patris & filij spiritus, totus de patre procedens, totus in vtroque consistens, nec est diuisus in singulis, quia inseparabiliter est vtrique communis.



BEATI FVLGENTII
Ad Trasimundum Regem Vandalorum, in Africa, Liber Primus, de Mysterio mediatoris Christi, duas naturas in vna persona retinentis.

CAPVT I.

Liber à Rege destinatus Fulgentio.



Triumphalibus tuis sensibus, piissimè Rex, nequaquam crediderim obliuione subtractum, quod nuper mihi quoddam volumen, baiulo Felice, præceperis destinari, iubens me illico respondere. Cuius, quia tanta fuit prolixitas vt egeret aliquando diutius recenseri, & diurni finis aderat, nocte propinquante, curriculi vix eiusdem voluminis principia citatæ delibans lectionis excursu, poposceram, vt ad cuncta plenæ recensitionis ordine perlegenda, noctis vnius nobis spatium fuisset indultum; quod vestræ mansuetudinis voluntas omnino statuit abnegandum, ita vt nec saltem ad residua perlegenda scripturæ nobis præcepisses attribui. Ego vero, cum spatio quorundam dierum ordinationem tui culminis præstolarer, ac deinceps interrogationis illius tenore subtracto, sola fuisset à nobis flagitata responsio, pauca, quibus, Domino adiuuante, nostri paruitas sufficit ingenij, de eadem interrogatione, quam ex principio tenuiter cognoui, vestræ recensendam mansuetudini destinaui, ne forsitan aut fastidio putaret tumidus, aut taciturnitatis culpa iudicaret obstrictus, quem vestra celsitudo suspicaretur, aut superbia responsionem non reddere, aut veræ fidei diffidentia tacuisse. Nam studio vestro clementissime rex, compertum esse non ambigo, apud eos, qui Christianæ gratiæ participatione redempti sunt penè id esse, fidem nolle asserere, quod negare. Quippe cùm ipse vnigenitus Deus, humani generis conditor & redemptor, sicut se confessurum confitentem, ita se negaturum negantem, certa prorsus denunciatione testatur, dicens: *Qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui est in cœlis: qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui est in cœlis.* Ita denuo erubescente se suosque sermones, ipse quoque in sua maiestate veniens erubescet. Cuius dicti normam, tali Lucas sententia cognoscitur posuisse, vbi huius confusionis sic exitiale firmat * taciturus silentium, vt erubescentem perditioni non sileat mancipandum; inter alia Dominum hæc dixisse commemorans: *Quid enim proficit homini, si lucretur vniuersum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui facit:* causamque huius perditionis insinuans, adiecit: *Nam qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & patris, & sanctorum Angelorum.* Nec immerito talis fetuus & abiicitur & punitur, quoniam vno eodémque silentio firmat errorem, qui terrore seu corpore possessus, silentio non astruit veritatem. Dominicam quoque gloriam qui non firmarit, euacuat, & diuinam contumeliam qui non refutarit accumulat. Plerumque miles ignauus regia castra, somnolento corpore depressus, oppugnantibus tradit, dum competentibus excubiis non defendit. Hæc idcirco quoque maximè præmittenda, ne superbæ responsionis aliquatenus notare tua pietas velit, cui ipsa respondendi necessitas officium liberæ responsionis imponit: nam cum de Deo res agitur, non leuis reatus est, si quod ad salutem pertinet, taceatur. Ita namque nos oportet corde ad iustitiam credere, vt oris confessio fiat pariter ad salutem; quoniam verbum Dei non est vinctum. Huc accedit, quod illud diuinæ præceptionis oraculum omnis Ecclesiastici prædicatoris personam, non tantum fidei, sed etiam seruitij quadam communione perstringit, dicente Domino: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Quod Esaiæ cum dicitur, in vno pluribus imperatur; ipso vnigenito Deo discipulis loquente; *Quod vni vestrum dico, omnibus dico.* Propterea nos etiam beatus Petrus ad respondendum paratos esse debere, paternæ iubet dilectionis instinctu: *Parati, inquiens, semper ad respondendum omni poscenti vos rationem de fide & spe, quæ in vobis est.* Cum omni poscenti rationem fidei speique nostræ præcipimur reddere, cessat prorsus vniuersæ tam dignitatis exceptio, quam personæ. Cui enim veritatis insinuatio deneganda putabitur, cum se loquutum sine confusione coram regibus propheta testatur, dicens: *Loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar?*

Responsio Fulgentij ex iussu regio.

Fidem nolle asserere, est fidé negare.

Matth. 10.

Luc. 9.

Respondendi necessitas est ex precepto diuino.

Esa. 58. Marc. 13. 1. Petr. 13.

Psal. 118.

CAPVT II.

Quocirca cum pro nostra fide, in quãtum facultatem diuinitus accepimus, liberè respõdemus, nulla

In respondendo habenda est ratio regiæ dignitatis.

nulla contumaciæ seu contumeliæ debemus suspicatione notari, cum nec nostræ humilitatis nec regiæ simus dignitatis immemores: sciamusque Deo timorem, honorem regibus exhibendum, Apostolica ita nos præmonente doctrina: *Reddite omnibus debita*, & paulo post: *Cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Huius timoris honorisque manifesta nobis beatus Petrus aperuit discretione notitiam dicens: *Sicut serui Dei omnes honorate fraternitatem diligite, Deum timete, regem autem honorificate.* Non autem parum clementiæ tuæ dilectionis exhibet & honoris, quisquis interrogāti tibi hoc respondet, quod ad fidem pertinet veritatis. Competens igitur mansuetudini tuæ deferimus honoris obsequium, cui regalis apicem culminis diuina cernimus largitate collatum. Nec tamen quemquam sapientem fugit, quanto sempiternus ille rex regum, & Dominus dominantium timore debeat suspici, qui temporales etiam reges præcipit honorari. Hunc si quis parum metuit, valde contemnit: huius qui memorat honorificentiam, auget iniuriam: nec ingrati refugit culpam, qui creatoris immensitatem perpetuam, & perpetuitatem immensam creaturarum putauerit qualitatibus æstimandam. Hoc benigna mansuetudo tua proculdubio despicit: hoc ingenij studiique tui sagacitas recognoscit, quam verè mirandam quisquis nouit considerare, pronunciat, non quod insolitum sit hominem scripturarum studiis insistere; sed quod rarum hactenus habeatur, barbari regis animum numerosis regni curis iugiter occupatum, tam feruenti cognoscendæ sapientiæ delectatione flammari, cùm huiusmodi semper infatigabiles nisus, non nisi vel otiosus quis habere soleat, vel Romanus: per te clementissime rex, per te inquam, disciplinæ studia moliuntur iura Barbaricæ gentis inuadere, quæ sibi velut vernacula proprietate solet inscitiam vendicare. Inuentus es, qui te ipso potior extitisses, dum sic Africano præsides moderando regimini, vt magis desideres animæ spatia dilatare, quàm regni; nosti venerabilis rex, & (vt non ambigo) firma tenes sententia comprobatum, quanto melioribus inhæreat commodis, qui veritatem desiderat nosse, quam qui subactis gentibus, temporalis fines regni cupit latiùs propagare.

Rom. 13.

1. Petr. 2.

Deus plus timendus & honorandus quàm rex temporalis.

Laus Barbari regis studio sapientiæ.

CAPVT III.

Studium regis erroneū in Arriana perfidia.

MAgnum bonum confert inquisitio veritatis, quæ tamen tunc desiderato non frustratur effectu, si rectis ad veri cognitionem lineis animus innitatur. Tunc etiam veloci proderit ingenio cucurrisse, si tendentis ad veritatem gressus nullo prauitatis teneatur errore. Qualiter autem salubris est credulitas æstimanda, quæ putat in eo cultum religionis diuinæ consistere, vt vel naturali veritate sit priuanda diuinitas, dum negatur in ea, quod non negatur in homine, vel cum redemptionis nostræ peruertitur incerta confusione mysterium, vt Dominum Christum, Dei & hominis filium, vel Deum de patre naturaliter verum, vel hominem quis audeat negare perfectum: aut si subiacuisse diuinitas æstimetur passionibus hominis, vel non totus homo fuisse credatur in virtutibus deitatis. Ac sic, non dissimili veritas euacuatur errore, si vel in vna persona veri Dei, vtique hominis Christi, quod diuersum substantialiter constat esse, confunditur, vel in diuinitate Patris & Filij & Spiritus sancti, substantiali diuersitate credita, quod vnum atque indiuisibile Trinitatis est, separatur, cum nec diuina simplicitas particularem sibi diuersitatem adscribi permittat, vnde non immeritò compositioni subiaceat, nec rationalis intelligentia cultu diuersitatis vllatenus egeat, quæ vnius tamen simplicis sempiternæque naturæ fidem, ad salutis suæ plenitudinem sat esse cognoscat: vtpote quæ non ignoret ipsum Deum sibi cælestibus oraculis intonare: *Audi Israël, Dominus Deus tuus, Dominus vnus est: Et Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies; & non erunt tibi dij absque me.* Sed nec illud est humanis mentibus ignorandum, quanto salutis nutatur æternæ dispendio, quisquis veri Dei proprio vnigenitoque filio, quantum ad diuinitatis attinet immensam sempiternámque substantiam, vel localis monitionis, vel cuiusquam mutabilitatis non metuet impiis mortiferisque contumeliam cogitationibus vel sermonibus irrogare. Vnde non immerito Dauidicis carminibus illos ita condemnat eloquium: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus:* quia reuera, si localis, non immensus; si mutabilis, non est Deus.

Deut. 6.

Psalm. 13.

CAPVT IV.

Errores Hæreticorū ex malo intellectu circa mysterium Incarnationis.

CErtum est autem, penè omnes hæreticæ prauitatis errores hinc quibusdam multipliciter subrepsisse, dum magnum pietatis sacramentum, quod manifestum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria, nonnulli, aut non sicut est, credunt, aut omnino non credunt: *& ille lapis, qui ab ædificantibus reprobatus, in caput factus est anguli*, quibusdam prauæ credulitatis cæcitate possessis, *lapis offensionis, & petra scandali efficitur.* Vnde non immeritò, cum Simeon infantem Christum templi Dominum, ad templum suum præcepto suæ legis illatum, gaudens vlnis meruisset gestare senilibus, & figuram gerens præsentis æui, carnali senio iam defessi nouum vetulus hominem sumeret, eum scilicet, qui solus posset ex peccatoribus longæuo dicenti: *Tu es Deus Saluator meus, & expectaui toto die*, non solum inolitam vetustatem demere, *quin etiam iuuentutem, sicut aquilæ, renouare:* vtpote cui etiam Apostolica tuba foret veraciter canitura: *Sicut est veritas in Iesu, deponere vos secundum pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris; renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, eum qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.* Ille igitur Simeon, mundanæ cernens adesse saluationis ac renouationis effectum (*non enim misit Deus filium suum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*) cum primum se vitæ præsentis angoribus precaretur absolui, dicens: *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum: lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.* Paulò post hoc de ipso testatur: *Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum.* Ibi ergo malè credentibus ruinam perfidia generat, vbi recta credulitas fideles exaltat. In vno eodemve Christo, vero Deo, veróque hominis filio, minus perspicientium tenebratur hactenus lippitudo, in quo illuminatis veri luminis claret manifesta cognitio. Inde est, quòd Iudæus hominem Christum cæcus vidit, & cecidit. Cui iampridem Esaias non destitit prædicare: *Aure audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis. Quid verò essent non visuri videntes*, subsequutus ostendit, dum Deum ex virgine nasciturum euidenti vaticinatione testatur: *Ecce*, inquiens, *virgo in vtero concipiet,*

1. Tim. 3.

Luc. 2.

Psalm. 24.

Ad Ephes. 4.

Ioan. 3.

Luc. 2.

Cæcitas Iudæorum.

Esai. 7.

concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuël, quod interpretatur Euangelista, dicens: *Nobiscum Deus.* Audiens ergo Iudæus, remansit surdus, & videns, magis factus est cæcus, à quo nec veri patris sempiternus atque vnigenitus filius creditur, & incorruptæ virginitatis fœcunditas abnegatur.

Esia.7.

CAPVT V.

Error Manichæi circa carnem Christi.

HInc etiam Manichæus in Deo vero veram carnem formidat credere, cum humanam carnem non vitio culpæ, sed naturali credens proprietate pollutam, naturæ malignam sibi mendaciter fingit. Tantam virtutem cæcus attribuit, vt si crediderit, verum Deum veram carnis assumpsisse naturam, Diuinitatem quam fallaci professione dicit inquinabilem, carnis non credat pollutionis expertem: & ideò in Christo carnis phantasiam credere maluit quam naturam: & dum infirmitatem humanam ab illa susceptam medicinali virtute non vidit, semetipsum miser à remedio salutis exclusit. Sed hæc impuræ dementia falsitatis, sancti spiritus præscientia resistente, prius est extincta quam genita: incoinquinabilem sapientiæ statum his verbis instrumenti veteris serie commendante: *Omnium mobilitatum mobilior est sapientia, attingit autem vbique propter suam munditiam. Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera; & ideo nihil inquinamenti in illam incurrit: splendor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius: & cum sit vna, omnia potest; & permanens in se, omnia innouat.* De qua sapientiæ incoinquinabilitate, atque incarnationis veritate, securus ille, qui de pectore ipsius sapientiæ mysteriorum cœlestium meruit intelligentiam illuminatus haurire, fiducialiter dicit: *Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Omnis spiritus, qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo non est, & hic est Antichristus*: fætulentæ quippe carnis inquinamenta non sensit, qui ad suscipiendam veram substantiam carnis, & eandem mundandam carnis fætulentiam venit. Quoniam ideò carnem immaculatam dignatus est sumere, vt carnem saluans, omnem posset carnis maculam submouere, memorato rursus Ioanne testante: *Scimus, quia ille apparuit, vt peccata tolleret, & peccatum in eo non est.* Iterum: *In hoc apparuit filius Dei, vt soluat opera diaboli.* Nam quia Dei opus vinculo tenebatur diabolici operis, apparuit filius Dei, vt illud solueret, hoc saluaret.

Ex libro Sapientiæ refutatur error Manichæi.

Sap.7.

Côuincitur ex epistola Ioannis. 1.Ioan. 4.

Ibid 3.

CAPVT VI.

2. Tim. 3.

IGnorat etiam Fotinus *magnum pietatis*, quod Apostolus memoret, *sacramentum*, qui Christi ex virgine fatetur exordium, ignorans in vno Christo sic esse credendam veritatem carnis ex tempore, vt neganda non sit naturalis veritas sempiternæ diuinitatis ex parte. Et propterea non credit sine initio substantialiter *Deum natum ex Deo patre*, in quo carnis veritatem confitetur ex virgine. Non intelligens de patre Deo substantialiter natum illud verbum, quod in plenitudine temporum caro factum, habitat in nobis, quod secundum diuinam, quam habet ex patre substantiam *in principio erat, & apud Deum erat, & Deus erat.* Quibus tribus Euangelistæ sententiis, & sempiterna verbi natiuitas, & personalis inconfusa proprietas, & indiscreta substantialis vnitas patris filiique monstratur, vt in Verbo caro facto, & habitante in nobis, quod in principio erat sempiternitatis agnitio, suspicionem cœptæ natiuitatis auferret. Quod apud Deum erat personæ vtriusque inconfusa proprietas, vnionem Sabelliani erroris excluderet: quod autem Deus erat essentialis nominis veritas, vnitatem substantiæ genitoris genitique monstraret. Non enim dixit Ioannes, Deus dictus est verbum, sed *Deus erat verbum*: vt dum in Deo verbo essentiæ diuinæ veritas naturalis agnoscitur, consequenter non nuncupatiui, sed naturalis nominis veritas probaretur. Veritas enim naturæ nunquam priuatur nominis veritate. Ac sic illa verbi non prolatiui, sed substantialis vera incarnatio tunc salubriter creditur, si æternum Verbum, quod carnem suscepit ex tempore, non initio existendi subditum, non persona cum patre confusum, non aliud naturâ credamus esse quam Deum.

Ex initio Ioannis multi confutantur errores.

Deus erat verbum, naturaliter, non nuncupatiuè solum.

CAPVT VII.

SVnt etiam quidam in eo quamplurimum gratiæ Saluatoris ingrati, quod in Christo, Deo scilicet vero, hominéque perfecto, sic se asserunt accipere Dei hominisque naturam, vt vnam falsam, alteram semiplenam non dubitent in Dei filio prædicare substantiam: nam veram Christi deitatem nolunt credere, cuius ex Deo patre veram natiuitatem negant substantialiter extitisse, volentes Deo filio naturam veri nominis adimere, cui nequeunt nomen naturalis veritatis auferre. Dicunt enim in vnigeniti Dei nomine, non naturalem ex partis generatione substantiam, sed nuncupationem solius esse vocabuli donatione concessam: humanam quoque naturam sic in Christo credunt, vt quod est melius hominis, adimant; quod est inferius, hoc relinquant; & minus considerantes magnum pietatis, quod Apostolus memorat, sacramentum, ab illa Mediatoris mirabili susceptione rationalem nituntur animam separare, quam in mediatore Dei & hominum penitus asserunt non fuisse. Aliud quoque ab istis adiicitur memorato errori periculum, quo confusionis admittunt teterrimæ cauponatum: nam in vnitate personæ, in qua Deus & homo vnus Christus, inconfusibilem atque inseparabilem vtriusque veritatem naturæ commendans, verum se Deum diuinis operibus, verumque hominem humanis passionibus demonstrauit, in passibili habens per quod homo creatus est sanus, passibile suscipiens, per quod sanaretur infirmus. Sic isti nescio qua deceptione falluntur, vt quicquid Dominus veram formæ seruilis susceptionem monstrans, humiliter gessit aut dixit, totum ad contumeliam diuinitatis deriuare non metuant, quam passioni mutabilitatis subiiciunt, dum vtriusque naturæ veritatem tam dictorum, quàm operum manifestatione clarissima resplendentem, nulla consideratione distingunt; non attendentes, vbi demonstretur infirmitas ab inuicta & impassibilli virtute suscepta, vbi per infirmitatem resplendeant inuictæ virtutis insignia: atque ita diuini mysterij frustrare conantur effectum; quia reuera homo saluari non potuit, si vel susceptor hominis naturaliter verus Deus non fuit, vel in Dei veri susceptione aliquid hominis defuit. Et vt omne submoueatur dubitationis ambiguum, in vna Mediatoris Dei & hominum, hominis Christi persona, perfectio diuinæ, humanæque substan

Error alius negantium veram in Christo deitatem, simul & humanitatem.

Error alius eorum, qui humanitatis opera in deitatem referunt.

Mediatoris duplex na-

tura ex scripturis demonstranda.

substantiæ, propheticis est, Apostolicisque testimoniis demonstranda. Esaias, sicut supra memorauimus, dicit: *Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabis nomen eius Emmanuël; butyrum, & mel manducabit, priusquam sciat aut proferat maligna, mutabit bonum, quoniam priusquam sciat puer bonum, aut malum, non credit malitiæ, vt eligat quod bonũ est, & relinquetur terra desolata, quoniam priusquam sciat puer vocare patrem, aut matrem, accipiet virtutem Damasci, & spolia Samariæ.* In hoc testimonio tota continetur salutaris mysterij plenitudo: nã veritas carnis in virginali cõceptu cognoscitur, & in electione boni anima intellectualis ostenditur, & in Emmanuel nomine vera deitatis natura monstratur, ac sic in vero Deo, nec falsa fuit hominis, nec semiplena susceptio. Dignum etenim fuit, vt in Sacramento redemptionis humanæ, nec veritas defuisset perfectioni, nec perfectio veritati. Nam si vera caro in Christo non fuit, quid in vtero virgo concepit? & si anima vel intellectus naturæ in Christo defuisse credatur humanæ, quid in infañte bonum malumque dicitur ignorasse? An illam diuinam filij Dei naturam ignorantiæ boni malíque subiicimus, vt humanam in Christo animam denegemus? Itáne credendus est homo susceptus à Deo, quæ Dei sunt, aliquatenus potuisse sapere, in quo ipsa sapientia cognitione boni, malíque dicitur caruisse? Anima igitur humana, quæ rationis capax naturaliter facta est, bonum malumque in infante Christo nescisse dicitur, quæ secundum Euangelicam veritatem, in puero Iesu sapientia, & gratia profecisse narratur. Sicut Lucas ponit & dicit: *Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus sapientiæ, & gratia Dei erat in illo.* Et paulò post: *Iesus proficiebat sapientia, ætate, & gratia, apud Deum & homines.* Nam sicut carnis est, ætate proficere, sic est animæ, sapientia & gratia profecisse: quæ tamen in sapientia nullatenus proficeret, si naturalem intelligentiam (quæ hominibus rationis causa concessa est) non haberet, non quia hoc susceptor Deus eguit, sed quia hoc pro remedio nostræ salutis effectus piæ susceptionis exegit, vt dum caro, & anima rationalis à Deo suscipitur, vtraque pariter saluaretur: nam nec caro ipsa fuit à Dei filio suscipienda, nisi diuina fuisset susceptione saluanda. Quod si Deus carne non eguit, sed vt eam saluaret accepit, ita nec anima rationali Deus eguit, sed eam saluandam cum carne suscepit: cuius animæ humanæ susceptionem, prophetico more Dauid sanctus intimat dicens: *Ecce enim Deus adiuuat me, & Dominus susceptor est animæ meæ.* Adiuuit vtique quam suscepit, quam proculdubio nisi susciperet, non iuuisset.

Ex verbis Esaiæ tria in Christo probantur, caro, anima, & diuinitas.

Vera in Christo anima.

Luc 3.

Psalm 53.

CAPVT IX.

Luc.15.

NEcessarium autem reor perfectam hominis in Christo susceptionem, Euangelicæ quoque parabolæ recensitione monstrandam, ouis scilicet erraticæ, quam propriis humeris subuectam Dominus reportauit ad domum, cuius quærendæ Dauid iampridem flagitabat lachrymabili postulatione subsidium, dicens: *Erraui sicut ouis quæ perierat, require seruum tuum.* Cum ergo murmurarent Pharisæi, & Scribæ dicentes: *Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis*, refert Euangelista, quod hanc eis Dominus parabolam dixerit: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illã quæ perierat, donec inueniat illam? Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens; & veniens domum, cõuocat amicos, & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat.* Hãc ouem, in qua peccatoris hominis natura signatur, quali errore dicemus errasse? cordis, an corporis? errore pedum, an errore morum? Non opinor quẽquam sic humanæ cogitationis exortem, qui putet hominem quomodolibet à Deo longinquitate habitationis, & non peruersitate cogitationis errare. In via Dei, non gressu corporis, sed mentis ambulatur incessu: via Dei fides est recta, quæ in tantum via prorsus ostenditur, vt in ea nos Apostolus ambulare testetur: *Per fidem* (inquiens) *ambulamus, non per speciem. Via Domini iustitia est*, per quam se Beatus Dauid deductum esse commemorat dicens: *Super aquam refectionis educauit me, animã meam conuertit: deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum. Viæ etiam Domini misericordia & veritas*, per quas vtique non corporis gressu, sed animæ magis ambulatur affectu. Hanc nobis ambulandi doctrinam beatus Ioannes intimat dicens: *Qui dicit se in Christo manere, debet quemadmodum ille ambulauit, & ipse ambulare*, qua via se præcipit Christus ipse sequendum dicens: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me.* Non ergo corporali gressu solo quisquam sequitur Christum, aut errat à Christo: equidem erroris huius qualitatem Dominus ipse, Saluatorque noster, dum Sadducæos increparet, ostendit, dicens: *Erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei.* Propterea vtique miserabiliter errabant, quia illum qui Dei virtus est, nesciebant. Sicut ergo virtutis Dei scientia tenax est cælestis itineris, sic est inscitia mater erroris; quod etiam Beatus Dauid ostendit, dicens de quibusdam: *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* His atque huiusmodi testimoniis euidentissimè demonstratur, ouis illius errorem, non solum corpori, sed etiam animæ deputandum, illa scilicet ratione, quoniam etsi ab homine corporaliter videatur aliquod admitti peccatum, ex corde sumit exordium, nec extrinsecus quicquam perficitur, nisi hoc extrinsecus cogitationis iudicio porrigatur. Cuius rei veritatem veritas nobis ipsa monstrauit, ita discipulis loquens: *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ: hæ sunt, quæ coinquinant hominem.* In hoc igitur vnusquisque errat, in quo semetipsum malæ cogitationis assensione commaculat.

Psalm.118.

Luc.8.

Ouis errans peccator est à Deo aberrans.

2.Cor.5.

Viæ Domini fides, iustitia, misericordia, & veritas.

Psalm.22.

1.Ioan.2.

Matth.19.

Matth.22. Errant nescientes scripturas & virtutẽ Dei.

Psalm.83.

Matth.15.

CAPVT X.

QVapropter cum error iste animæ simul intelligatur, & corporis, si Dei filius absque anima rationali solam accepit hominis carnem, inferiorem partem illius ouis domum retulit, meliorem verò (quod absit) errori perpetuo dereliquit: nam manifestum est, quoniam hoc reuocauit, quod propriis humeris reportauit: si autem ipse totam se profitetur ouem propriis humeris impositam reportasse, totus homo cognoscatur in Christo: quoniã tunc est hominis credenda redemptio, si in filio Dei susceptionis humanæ, id est, ouis illius reportatæ, non defuit plenitudo. Hoc enim Deus in nobis saluauit, quod pro nobis accepit, & illam Deus Dei filius naturam fecit participem salutis æternæ, quam sibi coniunxit in vnitate personæ: illam in cæleste palatium introduxit, cum qua sponsus de thalamo vteri virginalis exiuit: *ipse enim tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt gigas ad currendam viam.* Quis autẽ moliatur dicere, verbi Dei sponsam carnem fuisse, non animam? cui animæ iampridẽ dictum est ab ipso Domino per Prophetam: *Et desponsabo te mihi*

Ex parabola ouis reportatæ probatur totus homo à Christo susceptus.

Psalm.18.

Oseæ 2.

mihi in æternũ, & sponsabo te mihi ad iustitiam, & in iudicio, & in misericordia, & pietate. Cum mysterij
Esai.61. Esaias quoque testis fidelis existit, qui ex persona Christi loquentis hæc dicit: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultauit anima mea in Deo, qui induit me vestimentum salutis, & indumẽtum iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam decoratam monilibus suis.* Ecce vnus est sponsus, est & sponsa, quæ se etiam animam habere testatur: quam vt ostenderet, non sine intellectu susceptam, cor (quod proprium est animæ humanæ) simul cum carne in Deo exultasse, ex persona hominis suscepti
Psalm.63. monstrauit dicens: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Quia vero naturæ primitias suscipiens Dominus, sicut in suo corpore cunctorum fidelium corpus, sic in sua anima vniuersorum fidelium animas per naturæ vnitatem & gratiam
2.Cor.11. iustificationis accepit: per hanc omnem Ecclesiam in coniugium sibi perpetuæ incorruptibilitatis asciuit, cuius desponsionis mirabile Sacramentum sic fidelis sponsi seruus ipsi sponsæ commendat, vt mentis intelligatur magis esse quam corporis, dicens: *Despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo. Timeo autem, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua: ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo.* Ibi ergo spiritalis adulter corrumpere quærit castitatem virginalis matrimonij, vbi cernit cœlesti sponso fidem connubij debere seruari. Inaniter autem animæ charitatem custodiri mandat Apostolus, si huius primitias coniunctionis in se non habuit homo à Deo susceptus; præsertim cum caput, & corpus Christum Ecclesiámque doctor idem gentium prædicare non cesset, dicens: *Secundum operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo Iesu, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem Eccle-*
Ephes.1. *siam, quæ est corpus ipsius, plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet.* Alio quoque loco dicitur: *Vir*
Ephes.5. *caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse Saluator corporis:* quomodo ergo anima Ecclesiæ poterit saluari, si defuit anima Saluatori? vel qualis effectus liberationis crederetur sequuturus in corpore, qui non præcessit in corpore? Nam sicut
Ioan.8. suis fidelibus dicit: *Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Ita de se quoque pronunciat? *Quia factus est sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber.*
Psalm.87. Matth.12. Marc.3. Quod ergo caput liberum fecit in se, hoc etiam liberauit in corpore, *quia intrans in domum fortis, atque allegans fortem,* hoc ibi à seruitio liberauit, quod primitus in se pro seruo suscepit, nec aliud est in corpore regnantium, quam quod in capite processit ad cœlum. Cuius rei credulitatem fideliter ac fiducialiter gerens Paulus exultat, & dicit: *Nostra*
Philip.3. *autem conuersatio in cœlis est.* Ibi itaque suam animam conuersari non ambigit, vbi humanam animam in Christo regnare confidit: propter quod
Coloss.3. etiam Colossenses huiuscemodi prædicationis hortatur eloquio dicens: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens.*

(Christus per animã suã, Ecclesiã in coniugium recepit.)

(Christus caput, Ecclesia corpus rectè dicitur.)

(Alia ratio ex Paulo.)

CAPVT XI.

(Melior adhuc ratio ex Petro, de anima Christi.)

Nec illud est aliquatenus omittendum, quod cum magno prædicationis miraculo Petrus commendat in Christo, *quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Sic enim dicit: *Christus pro nobis mortuus est, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Nam si Dei filius animam humanam in carnis susceptione non habuit, & hoc beatus Petrus de eius creditur diuinitate dixisse, quid est, quod pro magno in laudem dicitur Christi? quia diuinitas eius immunis esse potuit à labe peccati, cum Deo sit proprium, non solum non peccare, sed etiam à peccato saluare: qui propterea solus potest donare indulgentiam, quia solus admittere non potest culpam: ideo solus est vulneratorum medicus, quia diuina natura nunquam in se recipit vulnus. Si autem hoc ad Christi carnem creditur referendum, quomodo ab animabus nostris seruari iustitia poterit? quibus exemplum Apostolicè memoratum susceptio Christi non dedit: sed vt ostenderet beatus Petrus, & in anima simul, & in carne Christi præcessisse iustitiam, quam nobis imperat imitandam, sequutus adiunxit: *Qui cum malediceretur, non remaledicebat.* Quod propriè Ibid.
ad animæ patientiam pertinet: propter quod & alio loco dicit: *Non reddentes malum pro malo, vel* 1.Pet.2.
maledictum pro maledicto, sed è contrario, benedicentes: quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditatis possideatis. Cuius benedictionis Saluator noster ex corde prodire commendat exordium, dicens: *Homo bonus de bono thesauro cordis sui profert bona.* Matth.12.
Constat ergo in anima beneuolentiam esse, vnde benedictionem possimus maledicentibus redhibere. Vt autem beatus Petrus, & animæ nobis, & carnis in Christo demonstraret exemplum, cum dixisset: *Qui cum malediceretur, non remaledicebat,* sequutus adiunxit: *Cum pateretur, non comminabatur. Commendabat autem iudicanti iustè, qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum; vt à peccatis nostris separati, cum iustitia viuamus, cuius liuore sanati estis, qui sicut oues errabatis: sed nunc conuertimini ad pastorem, & visitatorem animarum vestrarum.*

CAPVT XII.

Est igitur Dei filius animarum nostrarum visitator, & pastor, quia fieri dignatus est animæ humanæ susceptor, cui ex persona futuræ susceptionis humanæ dicitur in Psalmo: *Suscipe me secundum verbum tuum, & viuam.* Christus ergo pastor noster est, Psalm.118.
cuius nos oues esse Apostolica testatur authoritas, qui tamen, vt plenè susceptorem se nostræ naturæ dignaretur ostendere, non solum pastorem, sed & ouem se nõ dedignatus est appellare, vtpote de quo, sancto Spiritu actus Propheta testatur: *Sicut ouis ad victimam adductus est, & sicut Agnus coram tondente sine voce, sic non aperuit os suum;* & ipse per Esai.53.
Hieremiam: *Ego sicut Agnus innocens adductus sum,* Hier.51.
vt immolarer, & nesciui: in me cogitauerunt cogitationem malam dicentes: Venite, mittamus lignum in panem eius: de quo etiam Ioannes Baptista proclamat; *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ioan.1.
Non dissimilia de Christo Petrus quoque ponit Apostolus dicens: *Scientes, quod non corruptibilibus* 1.Petr.1.
argento, vel auro redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, quasi agni incontaminati, & immaculati Iesu Christi. Vnus igitur idémque mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus, ipse pastor, & ouis, ipse sponsus, & sponsa, ipse Sacerdos, & victima, vnus idémque, & oblator muneris, & munus factus est oblatoris, vt nec oblator à muneris qualitate descisceret, nec munus oblatoris merito discreparet. Qui si

(Christus rectè & pastor, & ouis ac agnus dicitur.)

Alia ratio ex Leuitico. *Quia Christus cum esset pontifex, integer vt esset homo, ex lege tenebatur.*

si minus aliquid habuit humanæ naturæ, nec personam sumere Pontificis, nec offerri potuit pro peccatis: in lege enim Sacerdotio fungi non poterat, si quis homo minus aliquid habuisset in se, nec vitiosum, vel imperfectum pecus ad sacrificium cuiquam licebat offerre: Pontificem verò nostrum Iesum Christum esse quis ambigat? quem sub hac Paulus euidenter appellatione commendat: *Habentes autem* (inquiens) *Pontificem magnum, qui penetrauit cœlos Iesum filium Dei, teneamus confessionem: non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Vt autem humanæ naturæ hoc pontificatus officium demonstraret, adiecit: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis, qui condolere possit his, qui ignorant & errant: quoniam & ipse circundatus est infirmitate. Et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis, nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret, sed qui loquutus est ad eum; *filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quem tamen Pontificem dicit per omnia pro similitudine absque peccato tentatum: per quæ autem omnia tentatus fuerit, superius euidenter ostendit dicens: *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit; vnde debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi: in eo enim quod passus est ipse, & tentatus, potens est his qui tentantur, auxiliari.*

Heb. 4.

Heb. 5.

Ibid. 11.

CAPVT XIII.

Alia ratio ex Paulo, quia Christus & in carne & in anima tentatus est.

SI ergo in eo quod tentatus est, tentatis auxilium donat; profectò in quo tentatus non est, tentatis auxilium non ministrat. Quo conficitur, vt hi qui Christo solum carnem humanam assignant, & animã denegant, in sola carne quærant auxilium Christi, in anima verò remaneant destituti; filius Dei namque hoc adiuuat in homine, quod suscepit pro homine. Quod si & in anima, & in carne promereri Christi delectantur auxilium, fateantur necesse est (sicut veritas habet) & in anima pariter, & in carne tentatum: & anima igitur humana, & caro simul est in Christo tentata. Quod si simul est in Christo & anima, & caro tentata, simul est ab eo vtraque suscepta: & si vtramque dignatus est suscipere, vtramque dignatus est sine dubitatione saluare. Dignum namque fuit, nostræque saluti conueniens, vt Deus verus ex vero patre solus substantialiter natus, veram hominis, quam ipse fecit, animam carnémque susciperet, in vtraque cum tentatore pugnaret, in vtraque vinceret, ac deinceps in vtraque tentatis subministraret auxilium, cum in vtraque infirmis ac morituris victoriæ præberet exemplum. Illa quoque sententia Sacramentum Mediatoris manifesto demonstrat indicio, quam ipsa veritas protulit, dicens: *Venit enim filius hominis saluum facere, & quærere quod perierat.* Attendamus igitur, quid perierit terræ in hominis lapsu, & agnoscamus quid quæsitum fuerit hominis cælestis aduentu. Consideremus quid in se peccato vendiderit seruus, & apparebit, quid suscipiendo redemerit Dominus. Attendamus, quid latro in hominis seductione vulnerauerit, vt clareat quid medicus in hominis susceptione sanauerit. Nonne ex carne simul animáque compositus, præceptum Dei homo primo primus accepit? Quod si in vtraque præceptum Dei cognoscitur accepisse, in vtraque debuit obedientiam præcepti seruare: si autem in vtraque fuit parendum præcepto, ab vtraque admissa est transgressio: quoniam sicut est inchoatum animæ cupiditate peccatum, sic est carnali comestione perfectum: & ideo quod totus homo reatum transgressionis admisit, totum sibi diabolus captiuauit; quod si totus tenebatur captiuitatis vinculo, totus eguit liberatoris auxilio: si autem totum debuit liberare pietas, totum debuit suscipere diuina maiestas. Totius ergo fuit hominis à Deo suscipienda natura, quoniam in toto fuit captiuitas captiuanda, vt tota simul acquireretur de captiuata captiuitate victoria: vt secundum prædicationis Apostolicæ sententiam, *captiuam ducens captiuitatem, Principatus & potestates traduceret confidenter, palam triumphans illos in semetipso.*

Luc. 19.

Ephes. 4. Coloss. 2.

CAPVT XIV.

Alia ratio à diuisione per quatuor membra.

AD extremum dicatur, cur ab illa ineffabili diuinitate non fuerit animæ natura suscepta cum carne? vtrum à Deo non fuerit facta? an peccato non fuerit vitiata? an carne viliorem vniuersalis medicina despexit? an peccati vulnere sauciatam omnipotens curare nequiuit? Sed horum primum postremumque qui sentiunt, & aduersus virturem creatoris, & contra potentiam Saluatoris rebelles existunt, si vel aliquam creaturam putant à Deo non factam, vel ad salutem animæ conferendam potestatem dicunt omnipotentis inualidam. Duobus verò mediis, nec peccatum considerant rationalis creaturæ, nec meritum, non intelligentes carne sua viliorem esse non posse, qui vitam tribuit carni, & illam grauius vulneratam, quæ per intelligentiam magis potuit resistere tentatori. Illa igitur omnipotens virtus, & pia sapientia, nec despexit velut extraneam, quam à se nouerat factam, nec spreuit sanandam, quam sciebat grauius vulneratam, nec eam, quam carne potiorem fecit, à remedio salutis exclusit: sed sicut totum hominem diabolus decipiendo percussit, ita Deus totum suscipiendo saluauit, vt agnosceretur idem creaturæ totius conditor, & redemptor, qui potuit, & quod non erat facere, & quod dilapsum fuerat reparare.

CAPVT XV.

Alia ratio ex nomine mediatoris: vt habeat in se totam naturam.

CVnctos præterea qui salutis esse cupiunt internæ participes, oportet agnoscere pariter, & tenere, non incassum hominem Iesum Christum mediatorem Dei, & hominum nuncupatum, nisi quia idem Deus totam in se naturam suscepit hominis, & idem homo totam in se habet substantiam deitatis. Nam quia per peccatum homo fuit separatus à Deo, inter Deum irascentem, hominémque peccantem, talis vtique mediatoris debuit interuenire persona, quæ ad propitiandum Deum homini, totum, verumque in se Deum de Deo natum haberet; ad reconciliandum hominem Deo totum verumque in se de homine natum hominem contineret: atque ita ex vtroque in vtroque vnus Christus esset, vt plenitudo deitatis susceptum non consumeret, sed proueheret hominem, & plenitudo humanitatis, nec minoraret immensum, nec mutaret impassibilem deitatem: ac sic hominis natura, quæ mutata fuerat in deterius, per illum tota redintegraretur, quo nihil est melius

lius. Propterea se Mediator Dei, & hominum, plenum Deum, plenumque dignatus est hominem demonstrare.

CAPVT XVI.

Aliæ quoque rationes ex diuersis scripturæ locis.

Quod si quis ambigit, aut omnino non credit, eligat, vtrum sibi nomine, an opere velit, quod asserimus demonstrari, neque enim scriptura sancta in vno eodémque Christo, aut Dei vocabulum prætermisit, aut hominis, Euangelista dicente: (Ioan. 1.) *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Et paulò post: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Illud vtique verbum carnem factum asserit, quod Deum esse superius memorauit, vt ostenderet eundem verum Deum ex patre, qui est homo verus ex homine. Ostendit præterea, in quo naturaliter sempiternum credamus ex Deo patre, & in quo temporaliter ex homine factum hominem debeamus accipere; aliud in exordio, aliud in subsequentibus monstrans. Æternitas igitur filij Dei asseritur, dum verbum Deus in principio prædicatur. Ibi verbum non dicit factum, quod ex patre nouerat genitum: ibi non est temporis nomen, vbi sempiternitas, nec initium potest habere, nec finem: cum autem venitur ad carnis vocabulum, tunc verbum caro dicitur factum, vt agnoscamus eum, qui factus non erat, sed natus de patre semper erat, tunc fieri voluisse, quando quod fecerat, factus opus suum dignatus est reparare. In hoc facto beatus quoque Paulus, sicut veritatem hominis, sic veritatem curauit temporis profiteri, dicens: (Gal. 4.) *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Hoc ipsum vbique prophetis congruens Apostolica seruat auctoritas, vt factum prædicans Christum, & quid factus sit, & vnde factus sit, euidenter ostendat, vt agnoscatur, rerum omnium Dominum, sic formam suscepisse seruilem, vt non aliunde, sed ex homine veram susceperit carnem. Dicit igitur Dauid: (Psalm. 86.) *Mater Sion, dicet homo, & homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.* Ecce in vno Christo, sicut vna persona indubitanter asseritur, sic veritas Dei atque hominis inconfusa monstratur: *qui enim homo factus est in ea, ipse fundauit eam altissimus.* Huic dicto illud Apostolicum prorsus est comparandum: (Rom. 9.) *Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Quod Dauid dicit: *Et homo factus est in ea.* Hoc Paulus firmat dicens: *Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem*; quod autem Dauid asserit: *Ipse fundauit eam altissimus*, hoc Paulus sequitur, dicens: *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Testamentum vetus concinit nouo, Dauid Ioanni concordat, & Paulo, quem verum hominem dicit Dauid: quia *Mater Sion dicet homo, & homo factus est in ea*, eundem verum Deum credit, & prædicat, *quia ipse fundauit eam altissimus.* Quem verum hominem nouit Ioannes, audiens eum dicentem: (Ioan. 8.) *Quæritis me occidere hominem, qui veritatem locutus sum vobis.* (1. Ioan. vlt.) Eundem verum Deum monstrat, dicens: *Hic est verus Deus, & vita æterna.* Verum hominem Christum recognoscit, quia *verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, eundémque verbum Deum ostendit, quia *in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*; (Idem sensit Paulus.) quem verum sciebat hominem Paulus, quia voluntaria pietate factus est ex muliere Dominus hominis, & factus est sub lege Dominus legis, sicut ipse testatur: (Rom. 1.) *Quia misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege: & quia factus est ex semine Dauid secundum carnem*, & quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, eundem verum Deum confiteri non cessat, dicens: (Ibid. 9.) *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.*

CAPVT XVII.

Neque verò illud ex aduerso nescimus opponi: Quod cum *verbum caro factum dicitur*, & factus est ex semine Dauid secundum carnem, & quorum patres ex quibus Christus secundum carnem, in supradictis locis ita quorundam carnalis sensus carnis nomine teneatur, vt suscepta carne non credatur Christus etiam rationalem animam suscepisse. Sed qui sic sentiunt, minus attendunt, id esse locutionis humanæ, quia nonnunquam totum significatur à parte. Nouerint igitur in scripturis sanctis, aliquando carnis tantummodo nomine, nonnunquam animæ solius vocabulo, totum hominem demonstrari; cuius rei veritatem, non solùm ex vetere testamento, verùm etiam ex nouo facilè perdocebo. Dauid carnis nomine totum significat hominem, dicens: (* Caro pro toto homine. Psalm. 64.) *Exaudi Deus orationem meam, ad te omnis caro veniet.* Quid est autem omnis caro, nisi omnis homo? Similiter ab eodem in alio psalmo dicitur: (Psalm. 65.) *In Deo sperabo, non timebo, quid faciat mihi caro.* Et vt ostenderet quod carnis nomine totum hominem designaret, paulò post identidem dicit: (Ibid.) *In Deo laudabo verbum, in Deo laudabo sermonem, in Deo sperabo, nec timebo, quid faciat mihi homo.* His dictis Esaiæ quoque dicta concordant, cum Saluatoris nostri aduentum in carne pronuncians dicit: (Esa. 40.) *Erunt praua in directa, & aspera in vias planas, & videbit omnis caro salutare Dei.* (Matth. 24.) Quid est autem omnis caro, nisi omnis homo? An forsitan exanimem sic leuabimus carnem, vt illi non dubitemus diuinam tribuere visionem? In nouo quoque Testamento ipse humani generis creator, & Dominus, carnis nomine totum reperitur hominem nuncupasse, dũ tribulationis extremæ prænuncians qualitatẽ, hæc discipulis loquitur: (Matth. 24.) *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet: & nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Animæ quoque vocabulo totum significari hominem veteris ita demonstratur serie testamenti, cum dicitur: (Anima pro toto homine.) *Erant autem vniuersæ animæ de Iacob quinque & septuaginta.* Rursus in eodem testamento: (Leuit. 4.) *Anima quæcumque deliquerit ante Dominum, nolens in omnibus præceptis Domini, quæ nõ oportet facere, & fecerit vnũ de his: si quidem princeps sacerdos qui vnctus est, deliquerit, nec sic plebs faciat, offerat pro delicto suo, in quo deliquit, vitulum ex bobus immaculatum Domino.* Ecce anima dicitur, & Sacerdos vnctus deinceps nuncupatur, vt cum animam audimus, totum simul hominem cognoscamus. Nec in nouo testamento huius significationis potuit deesse locutio, siquidem cum sancti Spiritus aduẽtu firmati discipuli, reiecta formidine, publicæ prædicationis auspicarentur officium, consummato Petri sermone, liber Actuum Apostolorum, Luca narrante, sic continet: (Act. 2.) *Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Quisquis hic animarum nomine significatos homines nititur denegare, ostendat necesse, est qualiter ab Apostolis sine corporibus animæ credantur Sacramentum

tum baptiſmatis accepiſſe. Simile huic loco quidam beatus quoque Petrus ſic in ſua ponit epiſtola: *In diebus Noe*, inquiens, *cum fabricaretur arca, in qua pauci*, id eſt, *octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam*. Quod ſit igitur manifeſtum, ſcripturarum more, totum hominem aliquando carnis, aliquando ſolius animæ vocabulo deſignari, profectò monſtratur, cum Euangeliſta dicit: *Verbum caro factum eſt*.

1.Pet.3.

CAPVT XVIII.

Mediator igitur Chriſtus totum hominem ſuſcepit.

PRopterea vtique, *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus* ab Apoſtolo prædicatur: nam quia Deus erat verbum, in eo quod Deus totum hominem ſuſcepit pro nobis; *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*, *Verbum* vtique *caro factum eſt*, in eo, quod eſt vna in Chriſto Dei hominiſque perſona. *Habitauit autem in nobis*, quia in Chriſto vera totaque permanet diuina humanaque ſubſtantia: Verbum enim habitans in homine, non eſt mutatum in hominem. Vbi autem maxime verbum potuit habitare, quam in illa ſubſtantia, quam ad ſuam imaginem fecit, hoc eſt, in anima illius hominis quem ſuſcepit: quod propheticè per Salomonem ſpiritali gratia cernimus intimatum, cum dicitur: *Anima iuſti ſedes eſſe ſapientiæ*. Nam vt oſtendatur Chriſtus in animæ ſubſtantia ſpecialiter habitare, Paulus nobis porrigat ſuæ atteſtationis in veritate ſubſidium, qui dicit: *Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, vt det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ virtute corroborari per ſpiritum eius in interiorem hominem habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris*. Ecce & animam nominat, & cor appellat, vbi Chriſtum habitare confirmat. Vnde liquido cognoſcitur, verbum Deum totum hominem ſuſcepiſſe, cum probetur habitationem filij Dei in anima magis quam in carne monſtrari. Huius inſeparabilis veritas ſacramenti, quo totum hominem ſuſcipere dignatus eſt Deus, & totus in Deo monſtratur homo manere ſuſceptus, & id quod de homine naturaliter eſt, filium Dei, & id quod de Deo patre naturaliter eſt, filium fecit hominis appellari, dicente Angelo ad Mariam: *Spiritus S. ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, ideo quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei*: Marci quoque non diſcordat aſſertio, tale ſcilicet Euangelio ſuo ponentis exordium: *Euangelium Ieſu Chriſti Filij Dei*. Nathanael quoque de quo dixerat: *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe*. Non cunctatur Dei filium appellare: *Rabbi*, inquiens, *tu es filius Dei, tu es Rex Iſraël*. Vbi Ieſus, vt plenum pietatis ſuæ myſterium demonſtraret, non ſolum id, quod de patre naturaliter ſemper eſt, libenter audiuit, ſed etiam quod ex muliere miſericorditer factus eſt, euidentiſſimè prædicauit, dicens *Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis*.

Sap.7.

Epheſ.7.

Propter duas in Chriſto naturas & homo filius Dei, & Deus filius hominis appellatur.

Marc.1.

Ioan.1.

Propter hanc in Chriſto vnitatem perſonæ, & inconfuſam veritatem diuinæ humanæque ſubſtantiæ, vnus idémque Chriſtus & puer ab Eſaia dicitur, & filius ac Deus pariter prædicatur: *Sicut*, inquit, *puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, cuius principium ſub humeros eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus fortis*. In vno Chriſto non ſunt duæ perſonæ, vt alius puer & alius Deus fuerit nuncupatus: ſed in vna perſona eſt Deus plenus, & homo perfectus, quia ſubſtantialiter aliud puer, & aliud Deus, cum tamen perſonaliter non ſit alius puer & alius Deus: vnus enim filius & puer, & Deus; quia puer, qui natus eſt nobis, & idem filius qui datus eſt nobis, vocatur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus fortis; hic tamen puer ſicut veram carnem, ſic & veram habuit animam, vt illa vera diuinitas totam hominis & renouandam ſuſciperet, & ſuſceptam poſſet renouare naturam, ſicut ſuperius eſt, Luca teſtante monſtratum: *Quia puer*, id eſt, Ieſus, *proficiebat ætate & ſapientia & gratia apud Deum & homines*. Propterea in ſe nec carnis nomen, nec animæ dominus ipſe prætermiſit oſtendere: Carnem quidem ſe habere veriſſimam monſtrans, cum dicit: *Quod naſcitur de carne, caro eſt*. Cuius plena veritas operum quoque manifeſtatione reſplenduit; cum infans natus, non ſolum cunis inuoluitur & anguſto præſepe concluditur, ſed etiam circunciſionem ſuſcipiens, carnem veram habere monſtratur; præterea etiam poſt reſurrectionem diſcipulos cunctantes informat, dicens: *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet ſicut me videtis habere*: Animam quoque ſe ſuſcepiſſe cum carne, nec nomine ceſſauit intimare, nec opere, dum dicit: *Animam meam pono pro ouibus meis*: *Et anima mea turbata eſt*, &c. quæ inferius oſtendentur: hanc animam non ſine intellectu rationali ſuſceptam à Chriſto per Eſaiam ſic diuinum demonſtrat oraculum: *Ecce intelliget puer meus, & exaltabitur, & magnificabitur vehementer*.

Eſai.9.

In Chriſto vera caro, & vera anima. Luc.2.

Ioan.3.

Luc.6.

Ioan.10.

Ibid.12.

CAPVT XIX.

ET quamquam multa ſuperſint, quibus noſtra firmetur aſſertio, tamen quoniam ad finem libelli ſeries orationis noſtræ feſtinat, de Actibus quoque Apoſtolorum euidentiſſimum huius ſacramenti indicem beati ponemus Apoſtoli Petri ſermonem, quem de illa mirabili muſti ſpiritalis ebrietate ructauit. Hinc etenim, cum ex authoritate diuina Iudæos informans, Dauidis tamen poſuiſſet eloquium, quod diuinitus edoctus, è Chriſti perſona cecinerat, dicens: *Prouidebam Dominum coram me ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear: propterea iocundatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea. Inſuper & caro mea requieſcit in ſpe, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi feciſti vias vitæ: Adimplebis me iucunditate cum facie tua*. Quod teſtimonium Pſalmi cum beatus Petrus commemoraret, vt hoc de Chriſto manifeſtè dictum oſtenderet, ſequutus adiecit: *Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniam & defunctus eſt, & ſepultus eſt, & ſepulchrum eius eſt apud nos vſque in hodiernum diem. Propheta igitur cum eſſet, & ſciret, quia iureiurando iuraſſet illi Deus, de fructu lumbi eius ſedere ſuper ſedem eius, prouidens loquutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelicta eſt anima eius in inferno, neque caro eius vidit corruptionem*. Hoc equidem teſtimonium propterea præſenti loco duximus inſerendum, vt euidens nominum, rerumque diſtinctio carnem ſimul & animam doceret in Chriſto. Cæterum opportunior ei ſuus exhibebit locus, cum de myſterio loquemur dominicæ paſſionis, vbi etiam illud quod dixit: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Et nunc anima mea turbata eſt. Et maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, ſperamus ita, Domino adiuuante, tractanda, vt appareat veram in Chriſto carnis animæque ſubſtantiam, non ſolum vocabulis, verum etiam manifeſtis naturalium officiorum indiciis demonſtratam.

Vltima ratio ex Actibus Apoſtolorum de vera carne, & anima Chriſti.

Pſal.15.

Act.2.


Hæc latius in tertio libro tractabuntur.

CAPVT XX.

Epilogus primi libri de diuina & humana natura Mediatoris in vna persona.

PRoinde, si veritas nostræ salutis in saluatore creditur, consequenter in vno eodemque mediatore Dei & hominum homine Christo Iesu, diuinæ humanæque substantiæ indiuisa & inconfusa perfectio non negetur, quoniam Dei filius, de Patris substantia genitus, nec sempiternitatem diuinæ naturæ perdit, dum hoc quod erat temporale, pro temporalium æterna salute suscepit; nec dominio naturalis ac veræ diuinitatis caruit, qui veritatem formæ seruilis acceptam interminabili & inamissibili dominio sublimauit; nec vera virtus, cum nostram infirmitatem susciperet, infirmari potuit, quæ vitium infirmitatis ab infirmo submouit; nec imperfectus esse potuit, qui perfectionem imperfecto concessit: nec localiter ad infernum diuinitas Christi descendit, quæ sine mole sic vbique tota consistit, vt licet ea carere nullus locus possit, localiter tamen eam locus vllus continere non possit: est enim illa Dei vera infinitaque substantia ineffabiliter in singulis creaturis tota, & in omnibus tota, non minoratur in minimis, nec augetur in magnis, non concluditur tempore, non circumscribitur quantitate, non initio cœpta, non termino finienda, à qua totus homo, & creatus est ad iustitiam, & sine peccato susceptus est post ruinam. Nunc igitur, quoniam de sacramento Mediatoris (quantum ipse, qui Verbum patris est, gratiæ suæ dono concessit) disputationis veritas nihil dereliquit ambiguum, quo vnus idemque Christus totam naturaliter habere deitatem ex patre, & totam hominis naturam habere monstraretur in homine. Illud est deinceps prouidendum, quod nonnullos carnaliter quæ diuina sunt, cogitantes, eo grauius conceptæ falsitatis error confundit, quo diuinitatem Christi, aut localiter de cœlo venisse, aut ad infernum descendisse localiter fateantur, quique etiam Christum in carne passum firmare non dubitant etiam diuinitate compassum. Harum ergo rerum demonstrandæ (quantum sat erit) veritati, singulos deputaui curare libellos, vt alter immensam filij Dei diuinitatem ostendat: tertius verò mysterium dominicæ passionis manifestissima rerum claritate contineat. Hunc itaque primum libellum, seruata disputandi temperies claudat, vt ad ea, quæ sunt deinceps disputanda, Deus nobis ostium sermonis aperiat.

Argumentum subsequentium duorum librorum.



BEATI FVLGENTII ad Trasimundum Regem, Liber Secundus, de immensitate diuinitatis Filij Dei.

CAPVT I.

Incomprehensibilitas Trinitatis diuinæ.



VOTIES humanæ conditionis infirmitas semetipsam protinus cognitura, fines molitur aliquatenus suæ paruitatis excedere, atque cœlestis illuminationis prægnata conceptu, Conditoris sui, ac Redemptoris inquisitionem cœperit parturire, sola quantum arbitror, immutabilis illa sempiternitas Trinitatis reperietur incomprehensibilitatis digna miraculo, quæ sic excedit omne quod cogitare vel sapere possumus, sicut superat omne quod sumus. Hoc nobis diuinorum series voluminum veridica protestatur, Esaia dicente: *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neque viæ meæ, viæ vestræ*, dicit Dominus. *Quia sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Quæ ergo humanæ disciplinæ peritia? quæ viuacitas animi? quæ cordis sagacitas, illius essentiæ (id est, Trinitatis, quæ vnus verus & solus est Deus) contingeret arcanum? quæ nec cœpit esse, nec desinit; in cuius substantia nihil est quod non fuit, nihil potest non esse quod fuit, cuius nihil loco concluditur, quia totum immensum: nihil initio præuenitur, quia totum est sempiternum: quæ se hoc præsertim iudicio sempiternam, increatam, immutabilémque monstrauit, cum ex nihilo, id est, ex eo quod non esset, creare potuit quod fuisset: quæque rationalem creaturæ suæ partem, hæc præ cæteris gratiæ priuilegio sublimauit, vt munere sibi æternitatis & rationis indulto, hinc liquido sui creatoris ac reparatoris essentiam, sine initio prorsus esse non ambigeret, cum se, quamuis non sine initio factam, nunquam tamen omnimoda consumendam abolitione deinceps cognouisset. Hinc etiam protinus moneretur, quanto infinitatis atque incomprehensibilitatis culmine, creatrix omnium virtus sapientia, modum creaturæ intellectualis excederet, cum ipsam rationalem creaturam plena suæ comprehensibilitatis agnitio, creatori quidem comprehensibilis & finita: sibi tamen incomprehensibilis atque infinita lassaret, vt cum naturæ suæ inuestigationem, quæ extra se non est, & intimam sibi cerneret & occultam, ita vt tamen supra se non sit, atque in se sit, totum se, sicut est, vestigare non possit: eo magis pauescens admiransque supernæ infinitatis magnitudinem, omnes intelligentiæ terminos excedentem, *cuius pax* (sicut Paulus dicit) *superat omnem intellectum, cuius etiam iudicia abyssus multa*, solo se ad cognitionem altissimi, humilitatis ascensu respiceret prouehi, à quo superbæ cogitationis casu quondam meruit segregari.

Esai. 55.

Essentia infinita.

Homo, cum plene quod in se est, non cognoscat, Deum super se multo minus cognoscere potest.

Philip. 4.

CAPVT II.

SEd hoc nunquam prorsus aggredi posset, si vel exemplo, vel auxilio caruisset. Inquirendus ergo fuit vnus, cuius esset reformanda munere, informanda lumine, confirmanda virtute, vt æqualitas æterna iustificaret impiam, instrueret insciam veritas, virtus firmaret inualidam. Sed hoc

hoc nunquid posset homo per solum hominem? aut in solo quolibet homine reperire? Nullo modo. Quis enim homo posset existere medicus humani vulneris, cum omnes in radice vitiata communio circumplecteretur vitij naturalis? vel qualiter posset per se solum medelam vulneratis afferre, cuius ortus teneretur in vulnere? quóve modo beneficentiæ largitor vniuersalis existeret, quem alienæ opis indignum natura monstraret. Veræ igitur salutis exhaustus homo diuitiis, perenni bonorum possessione priuatus, forsan angelico fuit iuuamine subleuandus, vt ille, qui domus luteæ fæculentus ergastulo, ad facultatem purioris vitæ nequiuisset aliquatenus aspirare, gratia iuuaretur opitulationis angelicæ; qua pristinæ offensionis deposuisset illuuiem, & amissæ dudum puritatis resumeret dignitatem. Veruntamen nec angelico poterat hoc reparationis munus adipisci subsidio. Angelica quippe natura tunc homini reparando aliquatenus esset idonea, si cadendi mobilitate nunquam naturaliter fuisset obstricta: cum vero se iuuaminis egenam, consubstantialis ruinæ documento testetur, profectò cognoscitur multo minus ad humanæ posse redintegrationis efficaciam redundare, quæ propriæ nequeat stabilitati sufficere. Suis autem ad custodiam sibi sat esse viribus non incongruè crederetur, si nulla pars eius in deterius laberetur. Vnitas enim naturalis vniuersitatem circumplexa naturæ angelicæ, tota proculdubio maneret impassibilitatis firmamento subnixa, si passioni non esse posset obnoxia, nec vnquam pateretur in reliquo, quod perpeti non posset in toto. Cum vero quædam pars eius, de cœlesti beatitudinis culmine, in imam, perpetuamque cernitur deuolutam miseriam beato Petro dicenti: *Quia Deus Angelis peccantibus non perpecit, sed carceribus caliginis inferni tradidit, in iudicio puniendos reseruari*: profectò cognoscitur, vniformi cunctos opprimi potuisse ruinæ consortio, nisi quos vellet à casu prauitatis virtus illa defendere, quæ sola naturaliter mutari deprauarive non posset.

Non potuisset angelica natura hominem reparare, quia & ipsa cecidit.

1. Petr. 2.

CAPVT III.

IPsa igitur etiam homini reparando fuit necessaria, quia non alia stantem Angelum à ruina potuit custodire, nisi illa, quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Vna est in vtroque gratia operata, in hoc, vt surgeret; in illo, ne caderet: in illo, ne vulneraretur: in isto, vt sanaretur. Ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non sinit. Illius esca, istius medicina. Hunc autem quisquis sanum sapit, filium Dei esse non ambigit, *qui est virtus & sapientia patris.* Sapientia, quæ cuncta disposuit: virtus, quæ omnia creauit. Sapientia, quæ illuminat: virtus, quæ adiutorium præstat. Sapientia, quæ immutabilis: virtus, quæ insuperabilis, qui omni creaturæ suæ per infinitam potentiam naturalem semper adest, & immensus nunquam deest, qui hoc in se naturaliter habet esse quod pater est: & ideo potuit Angelum in superioribus stabilire, & pro reparatione lapsi hominis ad inferiora descendere, sicut ipse testatur, dicens: *Descendi de cœlis, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui me misit patris.* Hunc quidam, cum audiunt descendisse, descensionem eius affirmare nituntur localem, quia nesciunt Dei, sicut oportet, considerare virtutem, nec valent agnoscere, sic pro homine Deum hominem factum, vt accepta hominis forma maneret immutabilis diuina substantia, nec sic intelligunt, temporaliter natum, vt semper fuisse teneant sempiternum. Hi sunt qui etiam considerare contemnunt, qualiter descenderit cum perseueraret immensus, vel qualiter humiliatus sit, qui maneret altissimus. Si enim eius natura quæratur, est essentialiter Deus. *Quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Est, & erit sempiternus, quia sempiterna Dei virtus est, atque diuinitas. Est immensus, quia de ipso Hieremias dicit: *Magnus est, & non habet finem. Excelsus & immensus.* Et paulò post, vt hæc de filio se dixisse demonstraret, adiecit: *Hic Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum. Adinuenit omnem viam disciplinæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Altissimum vero quis audeat Dei filium denegare? de quo Dauid dicit; *Mater Sion dicet homo, & homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.* De quo etiam Zacharias, nascente Ioanne, sic prædicat. *Et tu puer propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius.* Si ergo docetur esse naturaliter Deus, si immensus, si altissimus, si est etiam sempiternus, dicatur, quid melius Deo, quid maius immenso, quid superius altissimo, quid anterius sempiterno? Deus igitur non discrepat à patre, immensus non caret patris æqualitate, nec celsitudine priuatur altissimus, nec est origine posterior sempiternus. Nam quia in Deo patre nihil potest esse mutabile, ex Deo natus est Deus; quia nihil locale, ex immenso processit immensus; quia in Deo humile aliquid non est, altissimum generauit altissimus: & quia initiatum nihil in Deo poterit reperiri, sempiternus protulit sempiternum. Generatio illa non aliquam separationem patris filiique monstrauit, sed errorem confusionis exclusit, ne eum, quem cum patre vnum audiremus, natum minime crederemus. De Deo Deus potuit nasci, sed immensus ab immenso non potuit segregari. Natus enim extitit, non abscessit: talis est enim illa diuina inenarrabilisque natiuitas, vt quem pater genuit ex se, haberet in se. Hanc fidei regulam, per Esaiam nobis vnitas ipsius veræ diuinitatis ostendit, memorato Propheta docente: *Quoniam in te est Deus, & non est Deus præter te. Tu enim es Deus, & nesciebamus, Deus Israël Saluator. Erubescent & pudebunt omnes, qui aduersantur ei, & ibunt cum confusione.* Qui autem filio Dei auersantur, nisi qui patrem in ipso, & ipsum in patre per vnitatem naturalem denegant esse, atque patrem & filium per naturalem diuersitatem audent perfidiæ infidelitatis vitio separare? Sic est enim pater in filio sicut est filius in patre: vnitas ibi naturalis sic æqualem demonstrat vtrumque vt immensus immensum gigneret, & immensus ex immenso genitus immensitatis paternæ nihil minus haberet.

Sola virtus diuina & hominem reparauit, & Angelum custodiuit.

Christus virtus & sapientia Patris.

Bar. 3.

Psal. 86.

Luc. 1.

Christus est naturaliter Deus, immensus, altissimus, sempiternus.

Esa. 45.

CAPVT IV.

QVæso, Regnator inclyte, ne ista, quæ de Deo loquimur, corporaliter existimes cogitanda. superat qui fecit cuncta quæ fecit. Cuius est substantialiter sine initio esse, solius est substantialiter sine initio genuisse: cuius est, per ineffabilem immensitatem totum implere quod fecit, eius est, per vnitatem naturæ totum filio inesse, & totum filium in se semper habere quem genuit. Si non omnia filius cum patre disposuit, non est sapientia, quæ dicit: *Cum pararet cœlum, aderam illi, & cum segregabat sedem suam super ventos. Quando fortes faciebat sursum nubes, & cũ stabiles ponebat fontes sub*

Sicut filius est in patre, ita pater in filio.

Pater per filium omnia fecit.

sub cœlo, & inferius, *quando fortia faciebat fundamenta terræ, eram apud eum disponens.* Quod si sapientia patri coæterna non creditur, necesse est, vt etiam Deus in dispositione cœpta mutabilis prædicetur. Si non cuncta fecit filius, nec virtus debeat appellari, nec manus. Et vbi est, quod per prophetam dicitur: *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum; quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis est locus requietionis meæ? Nonne manus mea fecit hæc omnia?* Nam & Euangelista dicit: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Si alicui deest, filius immensus non est, si non eum patet corde ructauit, verbum non debet dici: si de vtero patris, hoc est de substantia patris, non est genitus, falso (quod absit) nomine verus Deus dicitur, de quo testatur Ioannes, *quia hic est verus Deus, & vita æterna: In principio quoque erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Hic sempiternitas ostenditur, hic immensitas inuenitur, hic essentialis natura monstratur. Nam quod in principio erat, nunquam non erat, quia semper erat: quod vero apud Deum erat, locale non erat, sed immensum erat; quia cum Deus localis non sit, verbum, quod apud Deum erat, in loco non erat; quod autem verbum Deus erat in vnitate naturæ & nominis veritate, hoc vtique erat quod ille Deus erat, apud quem verbum Deus erat.

Prou. 8. | Esa. 66. 1. | Ioan. 1. | Ioan. vlt.

CAPVT V.

Obiectio de eo, quod dicitur, In principio, & non ante principium erat verbum.

AN fortè, quia *in principio erat*, audiuimus dictum aliquod filio existendi audebimus assignare principium? Et ideo sine initio natus esse non creditur, quia Ioannes non eum ante principium, sed in principio fuisse testatur? Absit, vt hæc insulsa cogitatio cuiusquam mentem sapientis attingat: absit, vt hæc in quolibet lethalis perfidiæ contagio, puritatem Christianæ religionis inficiat. Quis enim non consideret, illud dignè principium dici, quod nullo potuit principio præueniri? Nam quicquid ante quodlibet principium cogitare volueris, hoc necesse est verum principium fatearis. Et quoniam semper cogitando principium, nullus inuenit terminum, propterea illud est dicendum verè principium, quod est essentialiter sempiternum. Hinc est profectò, quod ipse filius, volens Iudæis immensitatem sempiternitatis suæ certa prorsus manifestatione monstrare, interrogantibus quis esset respondit: *Principium, quod & loquor vobis.* Sed forsitan eo, quod est principium dictus, magis putabitur initio existendi subiectus. Quod si ex hoc vocabulo quisquam molitur præiudicium struere veritati, vt quem principij cognoscit vocari nomine, quoddam principium natiuitatis existimet habuisse, dabit profecto etiam patri (quod nefas est) aliquod existendi principium, quem cum filio principium cognoscimus nominatum, sicut ipse dicit: *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex vtero ante luciferum genui te.* Quid autem respondebit, qui de principij nomine asserit filium natiuitatis habere principium?

Ioan. 8. | Psal. 109.

Christus & principium, & finis. Rom. 10. * est.

Quod si quis pro eo quod principium dicitur, natiuitatem filij habere credit initium, consequens * esse, vt ipsum filium, pro eo quod finis dicitur, finem quoque asserat habiturum: nam ipse Dominus, interrogantibus Iudæis, principium se esse firmauit, dicens: *Principium quod loquor vobis.* Paulus vero Christum finem nominat, dicens: *Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti.* Ipse quoque de se Dominus: *Ego sum Alpha & Ω, initium & finis,* Quod si pro eo quod principium dicitur, asseritur cœptus, etiam pro eo, quod finis dicitur, putetur etiam finiendus. Et vbi erit Ioannis illa ructatio, quam de pectore viui fontis bibebat? *Scimus quia filius Dei venit, & dedit nobis intellectum, vt cognoscamus verum, & simus in vero filio eius Iesu Christo: hic est verus Deus, & vita æterna.* Quam vitam necesse est neget æternam, quisquis asserit defuturam; at ipse qui est verus Deus & vita æterna, iustos dicit ituros in vitam æternam; quomodo ergo iustorum vita æterna erit, si vita ipsa æterna quandoque non erit; aut vt quid hic labor sanctæ conuersationis, & continui aduersus tentamenta certaminis toleratur, si præmium victoribus quandoque tolletur? Hæc inest laudabilis in sanctis totius cursus intentio: *propterea corpus suum castigant, & seruituti subiiciunt, ob hoc se non in incertum præsumunt currere, pugnantes sciunt, se non aërem verberare,* ideo sibi nouerunt non esse colluctationem aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus, *Idcirco leoni rugienti, & indefesso circuitu quærenti quem deuoret, resistunt fortiter in fide;* vt postquam hic in tribulatione patientes vixerint, consumpta quandoque diuinæ promissionis seductoria magis retributione quam vera, aut miserè viuant, aut omnino non viuant? Vita namque Christus dicitur, sicut ait; *Ego sum via, veritas & vita:* initium & finis Christus dicitur, quia similiter ipse dixit: *Ego sum Alpha & Ω, initium & finis:* hæc autem vita, si eo quod initium dicitur, initio natiuitatis putatur subdita, consequens est, vt eo quod finis dicitur, quandoque putetur finaliter abolenda. Qualiter vero sine fine victuri sunt, quibus vita æterna dabitur, si vitæ ipsius æternitas finietur? Quod si hæc omnino absurda sunt, consequenter veritas est Catholicæ atque Apostolicæ fidei tetinenda, quæ sicut Christum propterea finem nominat, quia non solum in illa substantia: qua natus est naturaliter sempiternus ex patre, sed etiam in ea, quam in tempore sumpsit ex matre, credit sine fine perpetuum. Sic eum ideo iuste prædicat, veraciterque principium, quoniam in diuina, quam habet substantia, genitoris semper asserit coæternum. Non autem ambigitur, vero principio nihil anterius: vero fine nihil posterius inueniri. Principium igitur Christus, quia sempiternus omnia præcedit: finis Christus, quia perpetuus vniuersa concludit: principium Christus, quia ipse perficit inchoata: principium Christus quoniam ab ipso habent, quæ non fuerunt, vt sint: finis Christus, quoniam ab ipso habent quædam quæ esse cœperunt, vt semper sint.

Apoc. 3. | 1. Ioan. vlt. *Vita æterna Christus.* | 1. Cor. 9. | 1. Petr. 5. | Ioan. 14. | Apoc. 1. | *Quomodo veritas Catholica Christum, principium & finem intelligit.*

CAPVT VI.

QVid autem hinc dubitationis creditur derelictum, cum in Melchisedech (qua Christi futuri pontificis typum gessit) vnius eiusdémque Dei & hominis Christi personam significatam demonstraret Apostolus, ostendens eam, & secundum diuinam substantiam sine initio sempiternam, & secundum seruilem formam, quam in tempore accepit, sine fine perpetuam. Sic idem igitur gentium Doctor loquitur ad Hebræos: *Hic etenim Melchisedech, Rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obuiauit Abrahæ regresso à cæde regum, & benedixit ei, cui decimas omnium diuisit Abraham. Primum quidem, qui interpretatur rex iustitiæ, deinde autem & Rex Salem, quod est Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ*

Heb. 7.

vitæ habens, assimilatus autem filio Dei manet Sacerdos in perpetuum. Posset vtcunque in hoc forsan testimonio quicquam contradictio renitentium, super huius Melchisedech persona, tanto lumini veritatis opponere, si esset credendum, quamlibet creaturam sine initio naturaliter extitisse: at, cum clareat, omnem omnimodis creaturam, vtpote prorsus ex nihilo factam, initio non carere, cuius origo sola Creatoris voluntate, & potestate, quando faciendam iudicauit, qui mutabilium operum dispositionem semper immutabilem habuit, substituta cognoscatur ex nihilo, quæ tamen nunquam fuerit, priusquam initio creationis extiterit, nullatenus accipitur, quod Melchisedech, aut ex patre fuerit matreque non genitus (quod est hominis primi) aut initio existendi naturaliter careat, quod solius est Dei. Ille itaque figuræ huius retinet naturaliter veritatem, qui in vtraque natiuitate mirabilis, nec vspiam veritate naturalis caruit originis, & in vtroque mirabiliter natus est singularis. *Quis est enim Rex iustitiæ, nisi Rex noster Christus? qui factus est pro nobis peccatum, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* Quis est etiam Rex pacis? nonne ille, qui ait? *Pacem meam do vobis, pacem meam dimitto vobis: ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraque vnum,* ad ipsum Propheta clamat: *Domine Deus noster, pacem tuam da nobis: Omnia enim dedisti nobis, Domine Deus noster posside nos. Domine, præter te alium non nouimus, nomen tuum nominamus.* Matrem quoque non habuit Christus Dei filius in Dei substantia, quam semper habet ex patre: Rursus idem patrem in hominis natura non habuit, quem ex sola matre suscepit: in veritate namque vtriusque natiuitatis, singularitatem seruauit, & parentis, & prolis, vt quamuis prius de solo patre, postmodum de sola virgine nasceretur, vnus tamen idemque fuerit, qui & prius de patre, & postmodum sit natus ex virgine, vt in vnius veri Dei, verique hominis Christi, miro atque ineffabili Sacramento, nec naturalis genito defuisset ex gignente substantia, nec geminaretur in gignente genitóve persona, licet in vno Christo veritatem Dei, & hominis naturæ virtus inconfusa seruaret: vnam tamen in Christo personam vtriusque natura indiuisa veritas exhiberet, vt nec gemina natiuitas vnius Christi videretur geminare personam, nec personæ vnitas, Dei in homine, aut hominis in Deo, veram posset abolere substantiam. Et licet vtraque vera in vno Christo substantia, naturalem in se testetur originis natiuitatem, & natiuitatis originem, misterij tamen pietas mirabilis permanens, quandam diuinæ illius, & ineffabilis generationis, quæ initium non habet, in hoc quoque humana generatione certam nobis intelligentiæ lineam demonstrauit: nam qui semper Deus ex Deo, idem temporaliter ex homine Deus, & homo: & in quo naturalem paternæ substantiæ plenitudinem natiuitas sempiterna possedit; in eodem plenam hominis naturam veritas naturalis exhibuit; filius enim Dei, vt nostrum ex visibilibus ad inuisibilia proueheret intellectum, veritatem in se demonstrauit humanæ naturæ, vt consequenter crederetur ex veri Dei natura Deus verus naturaliter extitisse, quem verum hominem naturaliter natum constaret ex homine.

Obiectio de Melchisedech, quod dicitur sine patre, & sine matre.

1. Cor. 5. Ioan. 14. *Christus Rex Iustitiæ & Rex pacis* rectè dicitur. Ephes. 2. Esa. 26. Christus sine matre, vt Deus; sine patre, vt homo.

In vna Christi persona gemina natiuitas.

CAPVT VII.

Initium quoque natiuitatis in natura hominis Christus habuit, in qua sine initio non potuit mater esse quæ genuit, vt agnosceretur, naturæ veritate recognita, nullum diuinæ natiuitatis habuisse, vbi sempiterno patri sicut initium existendi nullum fuit, sic nulla natiuitas initiatæ generationis accessit: ita namque vtriusque in se Christus Iesus demonstrauit substantiæ veritatem, vt sicut in hominis Christi substantia, salua prærogatiua singularis illius dignitatis, hoc substantialiter inuenitur, quod naturaliter constat in homine; sic in eodem Deo Christo, hoc substantialiter esse credatur, quod naturaliter subsistit in patre, vt cum in homine Christo videtur veritas hominis, in eodem Deo Christo cognoscatur paternæ veritas deitatis, & cum ista natiuitas inuenitur initio subdita, quæ ex temporali homine substantialis temporaliter extitit, illa quoque sine initio credatur esse natiuitas, quæ de sempiterno Deo substantialis ac sempiterna subsistit. Ipse igitur sine matre in diuina substantia, qui est ex solo patre naturaliter genitus: ipse sine patre, fructus inuiolatæ virginis, quam complexus non contingit maritalis: ipse sine genealogia, de quo scriptum est: *Generationem eius quis enarrabit?* vt cùm in generatione vera filij Dei fides nobis cognitionem præstat; sermonem verò sempiternitas superat in eo, quod fidei constantia credulitatis firmamento nititur, sermonis verò audacia fideli timore comprimitur; diuinæ generationis vera naturalis sempiternitas agnoscatur; nam quia diuina, vtique naturaliter vera est, quia in Deo vero nihil est falsum: quia verò nec cœpta est, nec creata, sicut omnem cœptæ creatæque naturæ superat cogitationis indaginem, sic omnem supergreditur eloquij facultatem. An forsitan, quod de Dei pace Apostolicæ auctoritatis veritate percepimus, de eius generatione prorsus accipere dubitamus? cum nobis Paulus Beatissimus dicat: *Pax Dei, quæ exuperat omnem intellectum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Iesu.* Cuius ergo pax, licet omnem superet intellectum, vera tamen, sempiterna, naturalisque creditur, cur eius generationis, quæ superat omne prorsus eloquium, naturalis veritas, & infinita sempiternitas abnegetur? Vbi ergo sempiterna pax est, credatur etiam sempiterna natiuitas: & cuius est credenda sempiterna natiuitas, non negetur immensa maiestas: nullo quippe naturali fine concluditur, quod natiuitatis initio non tenetur, & ideo immensa prorsus agnoscitur illa substantia, cuius est natiuitas non cœpta, sed vera: nam quod aliquo circumscribitur fine, necesse est, vt loco teneatur, aut tempore: quomodo autem fecisse tempus, & locum creditur, si loco ipse, temporíve subdatur? nam per ipsum omnis factus est locus, quia *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Per ipsum quoque factum tempus agnoscitur, de quo Paulus dicit: *Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis; nouissime diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula.* Non est ergo localis per quem factus est locus; nec temporalis, per quem factum est tempus: nam si localis ipse locum fecit, & certum est omne locale in loco esse; consequenter intelligitur, quod prius in loco fuerit, & sic locum creare potuerit. Sed hic locus, in quo fuisse Deus filius dicitur, quæro vtrum filio anterior, æquævusve credatur: sed si aliqui anteriorem filio existimant locum,

Temporalis Christi natiuitas ducit in cognitionem æternæ.

Esa. 53.

Philip. 4.

Immensa Christi maiestas, quia sempiterna natiuitas.

Heb. 1.

Luc.7. Non fuit locus ante filium Dei, in quo nasceretur.

videant, in quod barathrum nefariæ assertionis incurrunt, cum rerum omnium operatori materiam cuiuslibet operis anteponunt. Cumque Ioannes *omnia per ipsum facta* commemoraret, nullam (quod absit) in se habuisse dicendus est veritatem, si quodlibet opus præcessit opificem: quomodo enim locum facere potuit, ante quem esse, vel sine quo esse, si ita est factus, ipse non potuit? Tunc deinde solicita consideratione perpendat, quoniam sempiternitatis infinitatem loco videntur dare, quam filio Dei conantur adimere: nam si propterea filium Dei non sine initio natum asserunt, quia dicit Euangelista: *In principio erat verbum*, & non dicit, ante principium erat verbum: isti qui locum ante verbum fuisse asserunt, ante principium quoque fuisse necesse est fateantur: quoniam id, quod fuisse putant ante verbum, hoc existimant non habuisse principium: si autem principium non habuit locus, ipse est sempiterno patri sine dubio coæternus; & quoniam sempiternum distare non potest sempiterno, talis hanc impietatem profecto consequitur absurditas, vt aut localis putetur Deus, aut locus hoc credatur esse quod Deus, aut ipsum locum aliquod existiment esse sine Deo principium, quod sempiternitate sui naturaliter perseueret infectum. Sed quoniam hæc non sine impietate creduntur, idcirco non solum filio anterior, sed nec æquæuus dicendus est locus; *per quem enim omnia facta sunt*, huic facta quælibet anteferri, conferrive non possunt: quoniam qui omnia in numero & pondere, & mensura disposuit, sicut tempore numerari, sic loco mensurari non potuit. Proinde Psalmus veraciter canit; *Magnus Dominus Deus noster, & magna virtus eius, & sapientia eius non est numerus.* Atque vt huius abmirabilis sempiternitatis infinita monstraretur immensitas, alio loco dicitur: *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.* Quia reuera necesse est, vt naturaliter pronuncietur immensum, quod est naturaliter sempiternum, quia quod semper est, non capitur numero, & quod vbique totum est, non concluditur loco: idcirco denique alio scripturæ testimonio de sapientia dicitur: *Attingit autem vbique propter suam munditiam.* Et paulo post: *Attingit autem à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Hic vtique cum à fine vsque ad finem sapientiam audimus attingere, intelligendum est, quia cum à fine vsque ad finem attingit, vtrumque finem immensitate suæ infinitatis excedit; ille enim omnem potest creaturam attingere, quem omnis non potest creatura concludere: nam sicut implens cœlum perseuerat immensus, sic à fine vsque ad finem attingens permanet infinitus: tale namque est, *Attingit à fine vsque ad finem fortiter?* quale est & illud, quod per Hieremiam dicitur: *Ego Deus proximans, & non Deus de longinquo. Si absconditus fuerit homo in occulto, ego ergo non videbo eum? Nonne cælum, & terram ego impleo? Qui implet omnia, videt omnia.* Et in eo demonstrauit, quid sit, videbo eum, quod adiunxit dicens: *Cælum & terram ego impleo*: neque enim more corporali videre credendus est Deus, tanquam alibi sit ipse cum videt, & alibi quod videt. Quicquid enim videt, non extra se videt, quia ipse implet vniuersa quæ videt, nam scriptum est: *Quoniam in omni loco oculi Dei speculantur bonos, & malos.* Et alio loco: *Oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum, vultus autem Domini super facientes mala.*

Nec fuit vllus locus verbo coæquæuus.

Psal.146. Psal.144. Sapientia attingit à fine vsque ad finem. Sap.7. Sap.8.

Hier.24.

Prou.15.

Psal.33.

CAPVT VIII.

VBi non prætereundæ locus nascitur quæstionis, in eo quod Salomon dicit: *In omni omni loco oculi Dei speculantur bonos, & malos.* Et rursus Propheta dicit ad Dominum: *Mundus est oculus tuus, ne videat malum*: Metuendus est enim ne hic, qui dicitur ea videre quæ dicitur implere, putetur alicubi non esse, cum dicitur aliquid non videre, quoniam non vbique substantialiter est, si vel in malis non est: sed in diuinis sermonibus, si teneatur humilitas cordis, nulla reperietur repugnantia veritatis. Quodammodo ergo videt omnia Deus, & quodammodo quædam non videt Deus, sicut quodammodo vbique totus est, & quodammodo alicubi non est, non quia substantialiter alicubi deest, de quo scriptum est, *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant*: quique secundum propheticum dictum, *Mensus est manu aquam, & cælum palmo, & vniuersam terram clausa manu*; sed quia non omnibus æqualiter adest: vbique enim adest per potentiam, non vbique per gratiam. Per potentiam, qua cuncta Deus implet, & continet, per ipsam videt omnia. Per gratiam verò illud videre dicitur, quod ipse largitur, & quod in suis fidelibus operatur: *Vidit enim Deus omnia quæ fecit, & ecce bona valde.* Ac per hoc, & vbi quædam non videt, vt tribuat, videt vt retribuat: sic etiam videt malum, & non videt malum; quia quod non videt vt probet, videt vt iudicet, & quod non videt per gratiam suam donatum, videt à peccante per iustitiam exigendum: quoniam, & vbi non adest iustificandi largitas, non deest iudicandi seueritas, Beato Paulo dicente: *Vide ergo bonitatem, & seueritatem Dei, in eos quidem, qui ceciderunt seueritatem: in te autem bonitatem*, si permanseris in bonitate. Quæ cum ita sint, quomodo potest substantialiter alicubi deesse? *cum lux etiam in tenebris luceat, licet tenebræ eam non comprehendant*: aut quomodo potest aliquid substantialiter non videre? De quo Beatus Paulus euidentissime protestatur, dicens: *Viuus est enim Dei sermo, efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque, & medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis, & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo.* Nec hic sicut superius diximus, vlla debet corporeæ visionis subintrare suspicio, tanquam Dei filius in cælo sit, & exinde cuncta videat, vbi non sit; hoc est enim Deo videre, quod esse, & quantam insinuat visionem suam, tantam vult credi substantiam suam, vt cum audimus omnia nuda, & aperta esse oculis eius, nullum terminum putemus substantiæ eius.

Abac.1.

Coloss.

Esa.40.

Gen.1.

Rom.11.

Ioan.1.

Heb.4.

CAPVT IX.

VT autem vnius infinitatis cum patre filius monstraretur, sancta Scriptura curauit de sapientia dicere: *Splendor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius*: In hoc testimonio naturalis vnitas, & personarum proprietas, & æqualitatis immensitas patris, filiique monstratur. Patrem namque lucem, filium verò splendorem hoc in loco nullus

Sap.7.

Hebr.1.

nullus ambigit appellari. De quo etiam Apostolica dicit auctoritas: *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, gerens quoque omnia verbo virtutis suæ.* Ecce & splendor esse filius, & omnia gerere perhibetur. Si quis ergo patrem putat immensum, filium verò quantitate credit aliqua terminatum, demonstret nobis, qualiter lux & splendor diuersæ possint esse substantiæ, cum nec confundantur nomine, nec segregentur genere, nec alterum ab altero differat quantitate. Nam lucis & splendoris non sunt confusa nomina, sed lucis & splendoris non est discreta natura. Rursus luci splendor sic indiuiduus vnitur, vt ab ea nullatenus separetur: tantúmque lux in se habet splendorem, quantam in se splendor continet lucem, nec lux vt luceat, splendore potest priuari: nec splendor vt splendeat, luce potest aliquando destitui: sed quæcumque lux complet, æqualis in splendore permanens, eam & splendor complet, in luce pariter æqualis existens. Quocirca si etiam lux illa æterna, nec sine suo potuit splendore esse, nec eodem potest carere: consequenter aut patri filióque vnus dabitur qualitatis, quantitatisque vnus, & idem terminus, aut æqualiter vterque necesse est prædicetur immensus: quantus est enim splendor illius lucis, tantam necesse est lucem splendoris illius fatearis, quoniam lucem sic æquat suis in omnibus splendor, vt nec maior ibi possit esse vllatenus, nec minor dici possit. Heb. 1.

CAPVT X.

Non descendit filius de cœlo localiter.

MVltum verò miramur istos, qui in contumeliam filij Dei conspirant, æstimantes eum secundum deitatis substantiam, aut ad locum de loco motu locali transire, aut non posse simul omnia deitatis suæ immensitate complere, in tantum, vt cum eum audiunt ad terram descendere, credant eum in cælo, vel apud inferos non fuisse, & ad infernum secundum deitatis substantiam ita descendisse confirment, vt eum cælo defuisse tunc & terris existiment. Quomodo non considerant secundum scripturarum morem, quo paruulorum intellectui cælestia solent eloquia coaptari, nonnunquam in persona quoque patris similia reperiri? Vt enim illa legalium voluminum loca prætercam, quibus dicitur: *Et descendit Dominus videre ciuitatem, & turrim,* tanquam si non descenderet, non videret, cum superius demonstrauerimus scripturam dixisse: *In omni loco oculi Dei speculantur bonos, & malos.* Et ipse Dominus ad Prophetam: *Ego sum Dominus Deus vniuersæ carnis, nunquid à me absconditur aliquid?* Sed & illud, quod paulo post dicitur: *Venite descendamus, & confundamus in illis linguas eorum.* Vt ergo hæc silentio nunc interim deputentur, quoniam solent hæc aliquanti non totius Trinitatis, sed solius filij deputare personæ, quid de illo loco Euangelij dicturi sunt, in quo filius ipse Discipulos, priusquam pateretur, informans ait: *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Cúmque Iudas Discipulus, non traditor respondisset dicens, *Domine, quid factum est, quia nobis manifestaturus es teipsum, & non mundo?* vt ostenderet manifestationis gratiam aduentus nomine demonstrari, respondit Iesus, & dixit ei: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Simul diligunt, simul veniunt, & apud suum dilectorem simul vnam faciunt mansionem, simul se manifestant, quia vno aduentus sui lumine cor dilectoris illuminant; & quoniam reuelando se manifestant, non se sine sancto Spiritu reuelant, quia non se sine sancto Spiritu manifestant: sic enim sine sancto Spiritu cognosci non possunt, sicut sine suo Spiritu esse non possunt, & ob hoc, sicut vna est manifestatio sic vna est reuelatio Trinitatis, & vbi vnum est diuinæ reuelationis munus, ibi vnus est indiuiduæ Trinitatis aduentus: nam sicut pater reuelare monstratur ipso filio dicente: *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cælis:* Ita filius patrem reuelare suo sermone monstratur, dicit enim: *Nemo nouit filium, nisi pater, neque patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Non est etiam sancti Spiritus dissimilis æstimanda reuelatio, in quo est ipsius Dei naturalis agnitio, dicente Apostolo: *Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt nemo cognouit nisi Spiritus Dei.* De ipso dicit idem gentium Doctor: *Nobis enim reuelauit Deus per Spiritum suum.* De hoc denuo ad Ephesios ita scribit: *Vt Deus Domini nostri Iesu Christi pater gloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ, & reuelationis.* Et vt ostenderet, agnitionem Dei in nobis reuelationem Spiritus operari, cum dixisset: *Det vobis Spiritum sapientiæ, & reuelationis,* adiecit, *In agnitione eius.* Sola verò se potest Trinitas reuelare, quia sola se plene potest ipsa Trinitas nosse: & quantum se dederit agnoscendam, tantum se condonat reuelandam: ibi autem est plena sui cognitio, vbi non est naturalis vlla discretio: immensus namque ab immenso plene cognoscitur, & scientiæ infinitas manet, vbi substantia finem vllum omnino non habet: nec scientiæ terminus ab aliqua creatura contingi vllo modo potest, vbi quod immensum est, nullatenus terminatur.

Pater quoque in scripturis descendere & venire dicitur, sed non localiter.

Gen. 2.

Ioan. 14.

Matth. 16.

Ibid. 2.

1. Cor. 2.

Ibidem paulò supra.

Ephes. 1.

CAPVT XI.

Deus aduenit hominibus, non mobilitate, vel loco, sed pietate.

SOla est ergo vna Trinitas, quæ cum se manifestat, ineffabiliter venit, & cum se indignis occultat, ineffabiliter omnino discedit. Veniunt atque abeunt proprio, & incomprehensibili modo pater & filius, & Spiritus sanctus: nec tamen localiter, aut pater, aut filius mouetur, aut Spiritus. Nouerunt sic venire atque abire, vt nec ad locum localiter veniant, nec localiter de loco discedant, hic aduentus patris, & filij, & Spiritus sancti, non mobilitatem, sed pietatem Dei venientem ostendit: vna enim Deitas Trinitatis, quæ omnia implet, omnia continet, illi venire dicitur, cui se manifestare dignatur; & ab illo discedit, à quo lumen suæ dilectionis abscondit, nec tamen localiter absens efficitur, cum iustè relinquit indignum, nec loco præsens efficitur, cum misericorditer visitat quem fecerit dignum. Propterea, licèt Deus dicat: *Cælum, & terram ego impleo,* tamen de quodam dicitur: *Non est Deus in conspectu eius.* Et licet totum impleat pater, dicitur tamen in libro sapientiæ: *Peruersæ enim cogitationes separant à Deo.* Et cum de filio, id est, de sapientia Dei dicatur: *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter,* eadem tamen de se dicit: *Quærunt me mali, & non inuenient.* Et rursus dicitur: *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec inhabitat in corpore subdito peccatis.* Spiritus quoque sanctus, cùm immensus omnimodis prædicetur, Psal 9. Sap 8. Sap. 1. Ibidem paulò post.

quia spiritus Domini repleuit orbem terrarum. De eodem tamen dicitur: *Sanctus enim spiritus effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu.* Quantum ergo ad substantiam, & potentiam suam, vbique est Trinitas, vnus Deus totus, totum complens virtute, non mole, totus in singulis, totus simul in omnibus creaturis. Quantum vero ad cogitationes attinet nostras, descendere ad nos Deus dicitur, cum sermonem suum ita nobis diuinitas temperat, vt humano nobiscum more loquens, agnitionem, & dilectionem suam nobis intimare dignetur: ascendit autem in nobis quando nos ascendimus per charitatem, & scientiam deitatis? vt discamus, nec in immenso quicquam locale sapere, nec de altissimo humile aliquid æstimare, nec aliquid in Deo credere mutabile, nec in sempiterno temporale aliquid cogitare.

Ibidem.

CAPVT XII.

Quomodo Deus requieuit, & operatus est, voluntate, & non labore.

TAlis est patris, & filij, & Spiritus sancti credendus aduentus; quoniam sicut mundana operatione primordialiter consummata, requieuisse dicitur Deus, qui tamen non laborauit in opere, quia cuncta solâ operatus est voluntate; huic enim dicitur: *Subest enim tibi cum voles posse*, sicut & in Psalmo audimus: *Omnia quæcumque voluit, fecit, in cœlo, & in terra, & in mari, & in omnibus abyssis.* Cuius voluntatis omnipotentiam Euangelicus ille leprosus diuina illuminatione cognoscens, hanc ad suæ mundationis sufficere testatur effectum dicens: *Domine si vis, potes me mundare:* Cum dicit, si vis, potes, ostendit diuinam voluntatem ipsam esse plenissimam potestatem. Denique etiam Dominus hoc misericorditer effectu curationis ostendit, quod crediderat fideliter qui poposcit, ait enim, *volo, mundare; confestim mundata est lepra eius.* Sicut faciens ergo mundum, non cuiusquam sensit laboris incommodum, vt vires labore operationis exhaustas, quietis posset instaurare successu, sed cum se requieuisse dicit, nos post bona opera requieturos ostendit; ita cum venisse, vel descendisse dicitur, diuinæ reuelationis erga nos gratia commendatur, & cum non descendere, sed ascendere dicitur, profectus nostræ illuminationis agnitionisque monstratur.

Sap.12. Psal 134. Matth.8.

CAPVT XIII.

Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem, Ioan.20.

TAlem Dominus Iesus ascensum significauit, quando tangendi se facultatem Mariæ Magdalenæ prohibuit: post resurrectionem namque, cum flenti misericorditer appareret, Ioannes eum dixisse commemorat: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum.* Hic tactus, de quo Dominus loquitur, credulitatis probatur esse, non corporis, alioquin repugnans Euangelistarum reperietur assertio: nam cum Ioannes tangendi Dominum Mariæ facultatem præreptam ipsius Domini testetur imperio, dicentis: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum*; & Dominum in cœlum secundum hominem ascendisse quadragesimo resurrectionis die scriptura confirmet, quod non solum Ecclesiæ sanctæ Catholicæ fides intemerata retinet, sed etiam variarum hæresum, earum dunraxat, quæ veræ carnis in Dei filio non abnuunt Sacramentum, diuersa, multiformisque credulitas, vniuoco prorsus concelebret assensu, si priusquam Dominus ascendisset ad patrem, voluit corporali ascensu Mariæ contingi, quomodo Matthæus ipso resurrectionis die, Mariam Magdalenæ, & aliam Mariam, pedes Iesu memorat tenuisse. Quod vt manifestius agnoscatur, totum eiusdem loci, capitulum, sicut Matthæus posuit, huic operi duximus inserendum. Ait igitur: *Vespere autem Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalene, & altera Maria, videre sepulchrum. Et ecce, terræ motus factus est magnus; Angelus autem Domini descendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum, erat autem aspectus eius sicut fulgor, & vestimentum eius sicut nix: præ timore autem eius exterriti sunt custodes, facti sunt velut mortui. Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos, scio enim quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis, non est hic, surrexit enim, sicut dixit, venite, videte locum, vbi positus erat Dominus: & cito euntes, dicite Discipulis eius, quia surrexit, & ecce præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis. Ecce, dixi vobis. Et exierunt cito de monumento, cum timore, & gaudio magno, currentes nunciare Discipulis eius. Et ecce Iesus occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum.* Quomodo ergo se, eo quod nondum ascendisset ad patrem, à Maria Magdalene tangi vetuit, à qua sic eodem die pedes teneri permisit? An ita quisquam peruerso sensu raptatur, vt momentaneis putet Christi sententias moribus variatas? tanquam qui postmodum melius recogitans Mariæ tribuerit, quod antea denegarit? Sed tali cogitationi protinus Vas electionis obsistit, qui in Dei filio, secundum immutabilitatem diuinitatis æternæ, nulla nos mutabilitatis suspicione permittit errare, Corinthiis ita scribens: *Dei enim filius Iesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, & Syluanum, & Timotheum non fuit in illo, est & non, sed est, in illo fuit: Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est: ideo, & per ipsum dicimus: Amen Deo ad gloriam vestram.* Non ergo hic Euangelistarum discrepat intellectu; nec Christus aut inaniter se tangi, nondum ascendens ad Patrem, prohibuit, aut incassum sibi pedes teneri permisit. In vno enim demonstrauit veritatem carnis, in altero insinuauit gloriam deitatis: Illic permisit manum, hic amouit intellectum; vt in homine Christo resuscitatæ carnis tangeretur veritas, & in eodem Deo Christo paternæ diuinitatis crederetur æqualitas. Ideo igitur dicit: *Noli me tangere, quia nondum ascendi ad patrem meum.* Quia Maria Magdalene nondum patri æqualem credebat, quem velut extinctum fœminea pietate plangebat. Quid est enim: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum?* nisi, noli hoc in me tantum credere quod putas, noli hoc in corde firmare quod æstimas, quia quamdiu in me illa tantum quæ sunt carnis attendis, æqualitatem meam cum patre non sentis. Et reuera nondum illis Christus ascendit ad patrem, qui patri filium non confitentur æqualem. Festinandum itaque est, vt vnusquisque perfectionem, & veritatem humanæ naturæ in Deo filio credens tanquam pedes Christi teneat, eiusdemque filij de patre natam substantiam fateatur, vt illi Christus ad patrem per æqualitatem naturalis diuinitatis ascendat. Quid est enim: *Nondum ascendi ad patrem meum*, nisi infra patrem existimas, quem mortuum ploras? Et quid est: *Noli me tangere.* Noli in eo fidei tuæ motum statuere: quotiescumque enim volumus quolibet membro aliquid tangere, nisi eiusdem membri finierimus motum, non dicimus tactum: tamdiu autem membrum illud necesse est moueamus, donec ad rem, quam volums tangere, veniamus, vlterius

Act.1. Matt.28. Dissolutio quæ videtur Euangeliorum. 2.Cor.1. *Noli me tangere.*

terius autem motum membri non porrigimus, postquam ad tactum integrum venerimus: Sic & animi nostri motum illic statuimus, quod in corde nostro credulitate firmamus. Proinde si quæ digna & congrua sunt, credamus de Christo, tunc tangimus Christum: quisquis autem Dei filium, secundum diuinam naturam, æqualem patri non credit, nondum illi ad patrem Christus ascendit: & cui filius non ascendit ad patrem, tangendi Christum non accipit facultatem, illi autem verè filius ascendit ad patrem, qui filium patri æqualem, sempiternitatis & immensitatis parilitate non ambigit, vt filium Deum de Deo patre naturaliter genitum, nec posteriorem æstimet, nec minorem, quia non æqualis, si minor immenso, nec coæternus, si posterior sempiterno: vterque autem sensus à Christi tactu separat, quia non exæquat patri filium, sed minorat. Huiusmodi autem dignè audit à Christo, *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meũ.* Quisquis enim tangere Christum non finitur, ab eius vtique corpore separatur, quod est autem corpus Christi, nisi Ecclesia Christi? Vnde intelligitur, quia donec aliquis filium Dei secundum diuinam substantiam æqualem non credit patri, membris Christi per tactum fidei non potest copulari: ille autem dominici corporis tenet profectò compagem, cui filius ascendit ad patrem: illi autem filius ascendit ad patrem, qui Deitatem filij Deo patri fatetur æqualem. Manifestè itaque claret per illum ad patrem ascensum filij, nostræ potius profectum fidei demonstrari, nos enim eum quodammodo in nostris cordibus exaltamus, quando sic in eius intelligentia crescimus, vt de illo, tanquam de Deo vero, quæ * diuinæ celsitudini digna sunt cogitemus.

* diuina celsitudine.

CAPVT XIV.

Exaltate Dominum Deum nostrum. 2. Psal. 98. Ibidem.

AD hanc nos Dei exaltationem Dauid sanctus hortatur, dicens: *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Et paulo post: *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate in monte sancto eius, quoniam sanctus Dominus Deus noster.* Quid est autem exaltare Dominum, nisi quæ altissima sunt de altissimo credere? Hoc est vtique in monte adorare, vt cum de Deo cogitamus, nihil de illo humile sapiamus, sic in nobis vero exaltatur, quando eum exaltamus, cum sit ipse semper altissimus, sicut in nobis sanctificatur, quando eum sanctificamus, cum semper ipse maneat sanctus. Nam beatus Petrus admonet nos, dicens: *Dominum vero Christum sanctificate in cordibus vestris*: quid est autem Christum sanctificare, nisi de Christo quæ sancta sunt cogitare? quæ cogitatio non illum, sed nos sanctificat, & sanctificando conseruat, sicut Salomon dicit: *Cogitatio sancta seruabit te.* Ipse quoque Dominus iubet, vt in oratione dicamus: *Sanctificetur nomen tuum*; & tamen hunc orationis locum sic beatus intellexisse cognoscitur Cyprianus, vt in hac diuini nominis sanctificatione, non Deum diceret sanctificari, sed nobis donum sanctificationis diuinæ conferri. In Epistola namque de Dominica oratione, quibusdam præmissis ita loquitur: Post hoc dicimus: Sanctificetur nomen tuum, non quod optemus Deo, vt sanctificetur orationibus nostris, sed quod petimus ab eo, vt nomen eius sanctificetur in nobis. Cæterum à quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? sed quia ipse dixit: *Sancti estote, quia & ego sanctus sum*, id petimus, & rogamus, vt qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus, perseueremus, & hoc quotidie deprecamur. Opus est enim nobis quotidiana sanctificatione, vt qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus. Si ergo sanctificantes Christum, nos sanctificamur, & nomen Dei sanctificari poscentes, nos donum sanctificationis accipimus, cur exaltantes Deum, non potius nos per intelligentiæ profectum exaltari credamus? quod si Deum exaltantes, nos potius * exaltamus, similiter cum nobis venire dicitur, nostrum profectum debemus credere, in eo quod se diuina maiestas nostris dignatur cordibus reuelare.

1. Petri 3. 20.

Sanctificetur nomen tuum. S. Cypriani in oratione Dominica.

Leuit. 20.

* exaltamur.

CAPVT XV.

NAm si filius Dei ad nos locali motu descendit, localiter de illo virtus exiuit: cùm enim quædam mulier, in profluuio sanguinis constituta, facultatibus, viribusque consumptis, omnia quæ habuit propter infirmitatem finiret, & solam infirmitatem, quam habere nollet, finire non posset, atque cœlesti medico gratis curari desiderans occultè fimbriam tangens, fideli raptu sanitatis sibi furaretur effectum, ille credulitatis conscius, & salutis, ait: *Tetigit me aliquis: nam ego noui virtutem de me exisse.* Quid igitur hæc virtus, quæ de Domino exiuit? nunquid exeundo discessit, an ad sanandam sic exiens potuit peruenire, vt à saluatore localiter non posset exire? quod si localiter ab eo, qui virtus dicitur, virtus exiuit, dicatur, qualiter virtus à virtute discessit? Si vero talis credulitas, fidei Christianæ videtur incongrua, non alium putemus illum de Christo virtutis exitum, nisi diuinæ curationis effectum: tunc enim ad mulierem virtus saluatoris exiuit, quando in se virtutem diuinæ curationis agnouit. Sic ergo Dei filius, qui est virtus & sapientia Dei, locorum creator & temporum, quemadmodum tempus omne sempiternus præcedit, sic omnem locum immensus excedit; qui nobis tunc venire dicitur, cum nos illuminare dignatur. De ipso namque dicit Euangelista: *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit; in propria venit, & sui eum non receperũt.* Quomodò igitur & in mundo fuisse dicitur, & in mundum venisse firmatur? an illud est potentiæ, istud gratiæ deputandum? ita planè: secundum diuinitatem namque suam nec cœlo vnquam defuit, nec inferno, nec mundo: *Omnia enim per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant*: secundum gratiam vero tunc in mundum venit, quando pereunti mundo mira pietate subuenit, quod etiam ipse testatur, dicens: *Non enim misit Deus filium suum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Est igitur immensus Dei filius, sicut pater & spiritus, quoniam de ipso dictum est: *Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus*, de quo paulò post dicitur: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Immensus est etiam spiritus sanctus, quod sciens Propheta, dicebat ad Deum: *Quò ibo à spiritu tuo, & à facie tua quò fugiam?* quem spiritum Dei, vt ipsum sanctum spiritum Propheta memoratus ostenderet, dicit Deo: *Ne proiicias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me*: quem Dei ipsum esse spiritum sanctum Apostolus quoque hac attestatione significat. *Nolite contristare spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis*, & alio loco: *Qui autem hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit spiritum sanctum suum in nobis.* Hunc spiritum Dei sanctum sic immensum Dauid pronuntiat, vt Deo sicut

Quomodo à Christo virtus exiit, muliere fimbriam eius tangente. Luc. 8.

Quomodo Christus nobis venire dicitur, aut in propria.

Ioan. 3.

Bar. 3.

Spiritus sanctus quoque immensus est. Psal. 138.

Psal. 50.

Ephes. 4.

sicut superius memorauimus dicat: *Quo ibo à spiritu tuo, & à facie tua quo fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, & si descendero in infernum, ades, & si assumpsero pennas meas in directione*, siue (sicut alia translatio habet) *ante lucem, & habitauero in nouissimo maris: etenim illuc manus tua deducet me, & continebit me dextera tua.* Manum patris filium nullus ambigit nominari, de quo ipse Deus dicit: *Nonne manus mea fecit hæc omnia?* Attamen Propheta, vt Trinitatem æqualiter prædicaret immensam, & patrem significauit, cui dixit: *Quo ibo à spiritu tuo*: & ipsum spiritum à quo se ire vel fugere nullo modo posse testatur, & filium demonstrauit, vbi se à Dei manu etiam in nouissimo maris prædicat deducendum: vt agnoscatur patris & filij & Spiritus sancti vna esse immensitas, & vna præsentia in omnibus creaturis. Hæc est Trinitas vnus, Deus qui sicut potuit solus vniuersa condere, sic potest omnia solus implere, nec localis in loco, nec temporalis in tempore, nec terminabilis termino creaturæ.

Psal. 138.

Tota Trinitas immensa.

CAPVT XVI.

Deus est vbique, immo & in secreto preces audit.

NAm immensitatem diuinitatis filij Dei manifesta prædicatione, & eloquiorum diuinorum attestatione, beatus martyr Cyprianus affirmat in epistola de oratione dominica, dicens. Denique magisterio suo Dominus secreto nos orare præcepit, in abditis & secretis, in cubiculis ipsis: quod magis conuenit fidei, vt sciamus, Deum vbique esse præsentem, audire omnes & videre, & maiestatis suæ plenitudine in abdita quoque & occulta penetrare, sicut scripum est: *Ego Deus approximans, & non Deus de longinquo: Si absconditus fuerit homo in absconditis, ego ergo non videbo eum? nonne cælum & terram ego impleo?* Et iterum: *In omni loco oculi Dei speculantur bonos & malos.* Et quando in vno cum fratribus conuenimus, & sacrificia diuina cum Dei sacerdote celebramus, verecundiæ & disciplinæ memores esse debemus: non passim ventilare preces nostras in cō itis vocibus, nec petitionem commendandam modestè Deo tumultuosa loquacitate iactare, quia Deus non vocis, sed cordis auditor est, nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes videt, probante Domino & dicente: *Quid cogitatis nequam in cordibus vestris?* & alio loco: *Scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutator renis & cordis.* Beatus certè Cyprianus Deum, quem dixit vbique esse præsentem, audire omnes & videre, & maiestatis suæ plenitudine abdita quoque & occulta penetrare, ipsum quoque non vocis, sed cordis asserit auditorem, nec admonendum clamoribus, qui cogitationes videt, ipsum quoque ponit dicentem: *Quid cogitatis nequam in cordibus vestris?* & alio loco: *Scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutator renis & cordis.* Hæc autem quis nesciat à filio Dei dicta? sicut Apocalypsis, Euangeliumque testatur. Filius igitur (sicut sanctus asserit Cyprianus) vbique præsens est, idem omnes audit & videt, & maiestatis suæ plenitudine in abdita quoque & occulta penetrat, nec clamoribus admonendus est qui cogitationes videt. Huic sensui, Ioannis Euangelistæ dicta concordant, qui dicit de quibusdam: *Quia Iesus non credebat semetipsum illis, eo quod ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat, vt quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine.*

Hier. 23.

Prou. 15.

Luc. 5.
Hier. 17.
Ex dictis quoque B. Cypriani filius Dei immensus est.

Ioan. 2.

CAPVT XVII.

Christus nunquam suos derelinquit solos, quia eis vbique adest.

SImile quiddam Beatus Cyprianus etiam ad Tybaritanos scribens de filij Dei immensitate, testatur his verbis: Solus non est, cui Christus in fuga comes est; solus non est, qui templum Dei seruans, vbicumque fuerit, sine Domino non est, & si fugientem in solitudine ac montibus latro oppresserit, fera inuaserit, fames, aut sitis, aut frigus afflixerit, vel per maria præcipiti nauigatione properantem, tempestas aut procella submerserit, spectat militem suum Christus, vbicunque pugnantem. In epistola quoque de lapsis, quisquis volet, hæc inserta reperiet: videt ille corda & pectora singulorum, & iudicaturus non tamen de factis, sed & verbis & cogitationibus nostris, omnium mentes voluntatésque conceptas intra ipsas adhuc clausi pectoris latebras intuetur. Filius ergo Dei, tam auctoritate diuina, quam sanctorum patrum fideli veracique sententia, secundùm diuinam naturam infinitus immensusque probatur, vbique præsens, omnia replens, testis nunc cogitationum & operum, futurus iudex, retributioque cunctorum. Quia vero idem filius Dei verus Deus natus de Deo patre, verus homo factus est pro nobis ex homine (factus est enim ex semine Dauid secundum carnem, diuinæ humanæque naturæ in se continens veritatem,) quæ fuerunt veræ diuinitatis non amisit, & quæ sunt veræ humanitatis accepit. Vnus idémque secundum carnem de matre temporaliter natus, qui secundum diuinitatem de patre permanet sempiternus; vnus idémque homo localis ex homine, qui est Deus immensus ex patre; vnus idémque secundum humanam substantiam, absens cœlo, cum esset in terra, & derelinquens terram, cum ascendisset in cœlum: secundum diuinam vero immensamque substantiam nec cælum dimittens, cum de cœlo descendit, nec terram deserens, cum ad cœlum ascendit. Quod ipsius Domini certissimo potest cognosci sermone, qui vt localem ostenderet humanitatem suam, dicit discipulis suis: *Ascendo ad patrem meum & ad patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* De Lazaro quoque cum dixisset: *Lazarus mortuus est*, adiunxit, dicens: *Et gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi.* Immensitatem vero suæ diuinitatis ostendens discipulis dicit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.* Quomodo autem ascendit in cœlum, nisi quia localis & verus & homo? Aut quomodo adest fidelibus suis, nisi quia idem immensus & verus est Deus? De ipso rursum dicit scriptura: *Quia verè habitauit Deus cum hominibus in terra*, de quo Euangelista dicit: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, quod verbum, vt agnosceretur etiam cum caro factum est, & habitauit in nobis, nunquam discessisse de cœlo, propterea Dauid dicit: *In æternum Domine permanet verbum tuum in cœlo.* De ipso vno eodémque Dei sempiterno filio, & futuro tunc hominis filio, in quo permansisset vera & immensa diuinitas, & à quo suscipienda esset vera localisque humanitas, Propheticæ inspirationis agnitione repletus, dixerat Hieremias: *Hic Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum, adinuenit omnem viam disciplinæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo: post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Et quoniam de ipso superius dixerat; *Magnus est, non habet finem, excelsus & immensus*: ne ista Dei in terra visio, & cum hominibus conuersatio, Deum immensum putarent alienasse de cœlo; propter hoc ipse filius, vt immensitatem diuinitatis suæ in terra positus demonstraret, & secundùm hominem, quē susceperat in terra positus, secūdum Deum, quod semper erat, præsentem se etiā cœlo doceret, ait: *Nemo ascendit in cœlū, nisi qui de cœlo descēdit, filius hominis qui est in cœlo,*

Serm. 5.

Deo omnia manifesta.

Ioan. 20.
Ioan. 11.

Matth. vlt.

2. Paral. 6.

Psal. 118.
Prophetia Baruch de Christo. verba sunt Hieremiæ.

Ioan 3.

non

non quia humana Christi substantia fuisset vbique diffusa, sed quoniam vnus idémque Dei filius atque hominis filius, verus Deus ex patre, sicut homo verus ex homine, licet secundum veram humanitatem suam localiter tunc esset in terra, secundum diuinitatem tamen (quæ loco nullatenus continetur) cœlum totus impleret & terram.

CAPVT XVIII.

Et verbis Apostoli Christus & immensus & localis probatur.

ISstam Christi veram humanitatetem, quæ localis est, vt veram diuinitatem (quæ immensa semper est) Apostolica quoque nobis doctrina cernimus intimari; nam vt Christi veri hominis corpus localiter contineri, Paulus monstraret Apostolus, ait ad Thessalonicenses: *Quomodo conuersi estis ad Deum à simulacris seruire Deo viuo & vero, & expectare filium eius de cœlis, quem suscitauit à mortuis Iesum.* Ipsum vtique monstrans corporaliter de cœlo venturum, quem corporaliter à mortuis nouerat suscitatum. Propterea rursus ait: *Nostra autem conuersatio in cœlis est. Vnde etiam saluatorem expectamus Dominum Iesum Christum, qui reformauit corpus humilitatis nostræ conforme corpori claritatis suæ, secundum operationem, qua potest etiam subiicere sibi omnia.* Interim quoniam loci opportunitas nõ est prætereunda silentio, attendatur hic locus, in quo Apostolus filium dicit, *omnia sibi posse subiicere*, ne pater existimetur cuncta tanquam inualido subiecisse: dicit etiam corpus humilitatis nostræ reformaturum conforme corpori claritatis suæ; quod si verum est corpus Christi, loco potest vtique contineri. Hanc veritatem corporis Christi de cœlo venturi, Ioannes quoque confirmat, dicens: *Ecce veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum compunxerunt.* In libro quoque Actuum Apostolorum sic eius corporalis intimatur ascensus. *Et cum hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta eos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? hic Iesus, quem vidistis euntem in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Cum ergo caro Christi localis absque dubitatione monstraretur, diuinitas tamen eius vbique semper esse, Paulo testante, cognoscitur, qui fidelibus dicit: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur, Christi?* quomodo autem in eo loqui potuit, si in illo non fuit? vel quomodo corporaliter ascendit in cœlum, & in suis fidelibus esse prædicatur in terra, si non est in illo diuinitatis immensitas, quæ cælum implere possit & terram: nam Corinthiis Paulus dicit: *An non cognoscitis vos ipsos? quia Iesus Christus in vobis est.* Et ad Ephesios ait: *In interiori homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Est itaque filius in cœlo, & habitat in nobis in terra, scilicet illa suæ immensitatis præsentia, qua in nobis pater spiritusque sanctus habitat, nam Deus pater suam in nobis habitationem sic, Propheta loquente, monstrauit: *Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus, propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus: & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos: & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.* Spiritum quoque sanctum in nobis pariter habitare Paulus ostendit, ita Corinthiis scribens: *Nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?* ac ne quis eorum, qui spiritum sanctum minorem patre filioque constituunt; hic vbi dictum est, *Spiritus Dei habitat in vobis*, ad personam sancti Spiritus deneget pertinere, quid in illo replicaturus est loco, vbi Apostolus Timotheum solicitudine paterni amoris informat? *Bonum depositum*, inquiens, *custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.*

1. Thess. 1.
Philip. 3.
Apoc 5.
Corporalis Christi ascensus.
Habitat in nobis Christus.
2. Cor. 13.
Ephes. 3.
Habitat in nobis Deus pater.
Leuit. 25.
2. Cor. 6.
Esai 52.
Habitat in nobis Spiritus sanctus.
1 Cor. 3.
2. Tim. 1.

CAPVT XIX.

Eiusmodi habitatio non localis est, sed immensa.

HÆc vtique patris & filij & Spiritus sancti in nobis habitatio, non localis est, sed immensa; non comprehensibilis cogitatione, sed venerabilis fide: inhabitat enim Trinitas in suis fidelibus, sicut tota in singulis, sic tota in cunctis, quæ nec cœli terræque spatio distenditur, nec vniuersæ creaturæ termino terminatur, nec per separatos homines & separata loca, particulariter separatur, nec inferno deest, cum terræ non desit & cœlo: *qui enim potuit omnia facere, solus potest vniuersa replere.* Quisquis autem localem filij & Spiritus sancti aduentum habitationémve considetat, prius est, vt patrem in nobis localiter, non solum habitare, verum etiam ambulare confirmet, quem beatus Paulus dixisse asserit per Prophetam: *Quoniam inhabitabo in illis & inambulabo.* Explicetur ergo, qualiter in nobis filius vel Spiritus sanctus inhabitat: nam si hæc humano more credimus metienda, maioris est quantitatis qui habitare tantummodo dicitur, quam ille qui etiam in nobis ambulare monstratur, potest enim qui habitat, totum implere quod habitat, qui autem inambulare dicitur, minor vtique spatio, in quo ambulat, absque dubitatione monstratur: sed hanc cogitationis ineptiam deterior consequetur absurditas: procul dubio enim cordis nostri spatia videbuntur ipsa Trinitate maiora, in quibus sit locus, quem filius atque Spiritus sanctus inhabitando implere possint, & locus quem inambulando pater implere non possit. Quod si hæc non conueniunt veritati, credamus habitationem Trinitatis secundùm immensitatis illius incomprehensibilem maiestatem ineffabiliter designari, & cum Deum in nobis habitare atque inambulare audimus, ita spiritaliter cognoscamus, vt non credamus, quod Deus localiter moueatur in corde nostro, sed quod cor nostrum dilatetur in Deo. De qua cordis latitudine Apostolus loquebatur, dicens: *Os nostrum patet ad vos ô Corinthij. Cor nostrum dilatatum est: eandem autem habentes remunerationem (tanquam filiis dico,) dilatamini & vos.* Vbi paulo post testimonium Prophetæ posuit superius memoratum, dicens: *Vos enim estis templum Dei viui*, sicut dicit Deus *quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo.*

2. Cor. 6.
Cor nostrum dilatatur Deo inhabitante.
2. Cor. 6.

CAPVT XX.

Immensitas Trinitatis ex forma ostenditur.

SEd nec illud est aliquatenus omittendum, quo manifestissima Trinitatis immensitas, & per omnia non localis, sed diuina mirabilisque præsentia demonstratur, dum *in nomine patris & filij & spiritus sancti*, secundum ipsius domini præceptum credentes, cognoscimus baptizari. Si enim omnis Trinitas in baptismate sanctificare creditur, omnis vtique Trinitas adesse monstratur; cum autem vbique vno tempore per totum orbem Baptisma celebratur in nomine Trinitatis, si tota Trinitas adest ad sanctificandum, ecce vtique mirabiliter exhibet præsentiam maiestatis immensæ, quoniam solius est Dei, simul vniuersa complere: si autem non tota Trinitas vbique pariter adest, si filius aut Spiritus sanctus putatur deesse, nominandus vtique in baptismate non est, qui ad sanctificandum adesse non potest. Quisquis ergo putat æqualitatem immensitatis paternæ denegandam filio vel Spiritui sancto, nomen eorum prius auferat de Baptismatis sacramento

mento. In hoc igitur quammaximè fidei Catholicæ veritas agnoscitur, qui rectè in nomine patris & filij & Spiritus sancti baptizare consueuit, quoniam omnem Trinitatem vbique pariter adesse confidit. Posset adhuc immensitas diuinitatis filij Dei testimoniis inumerabilibus demonstrari, sed nos maluimus pauca de pluribus ponere, volentes etiam secundum librum celerius terminare, quammaximè prospicientes, vt in his, quæ vestræ clementiæ destinamus, animum regalibus curis fœliciter occupatum, non lectionis prolixitas oneret, sed manifestatio veritatis informet. Proinde quæ de immensitate diuinitatis filij Dei disputata sunt, isto concludamus termino, vt ea quæ de Sacramento dicenda sunt Dominicæ passionis, alio rursus incipiamus exordio.

Conclusio secundi libri de immensitate diuinitatis filij Dei.



BEATI FVLGENTII ad Trasimundum Regem, Liber Tertius, de Sacramento Dominicæ Passionis.

CAPVT I.



VAMQVAM secundo libro, superni muneris opitulatione subnixi, diuinitatem filij Dei probauerimus immensam, nec tempore scilicet, nec loco conclusam, vtpote quæ omnia replet, omnia continet, omnia sempiternitate præcedit, omnia pariter immensitate concludit: quod idcirco quammaximè curauimus demonstrandum, vt si qui nunc vsque spiritaliter de Deo nequeunt cogitare, localis in Dei filio suspicionis absoluerentur errore: non minor nobis est solicitudo residua tertij quoque huius voluminis absoluendi, quo de Sacramento dominicæ passiosionis, quod ipse, qui pro nobis passus est, donauerit, sumus vtique tractaturi. Vbi non minimo timore concutimur, nec leui formidine perurgemur; sumus enim prorsus (quantum ad nos attinet) explicationi tantæ profunditatis inualidi. Sed ille, *qui aperuit os mutum, & linguas infantium facit disertas*, ipse (sicut confidimus) *dabit sermonem directum & bene sonantem in os nostrum*, tantamque huic operi (quod per nos dignatur misericorditer operari) demonstrandæ veritatis gratiam largietur, vt manifestis scripturarum clareat documentis, & rectitudo Catholici dogmatis, & tortuosus error ac multiplex hæreticæ prauitatis. Sunt enim quidam, qui de sacremento dominicæ passionis aliter, quam se pietas habet, cogitantes, dum salutem quærunt, dispendium salutis incurrunt, & dum in Deo id accipiunt quod in hominibus cernunt, quadam velut lancea peruersæ loquutionis latus percutiunt saluatoris. Et cum increduli milites detrahere ausi non fuerint morienti, quidam nunc sub Christiani nominis fuco non metuunt derogare regnanti. Hi sunt qui cum in vno Christo Deo vero homineque perfecto humanam diuinamque forsitan nequeunt, aut certè negligunt, secundum naturalem veritatem considerate substantiam, in id erroris incurrunt, vt non humanam in Dei filio naturam, manente diuinæ virtutis immutabilitate considerent, sed vt diuinam substantiam diuinæ infirmitatis passibilitate dedecorent. Quod vtique diuino spiritu prouidens, dicebat Apostolus: *Verbum enim crucis, pereuntibus quidem stultitia est*, his autem, qui salui fiunt, virtus Dei est. Pereunt in verbo crucis, non solùm, qui putant Dei filium, quæ humana sunt in carne pati non potuisse: verum etiam, qui credunt diuinitatem filij Dei, dolores vel passionem substantialiter in cruce sensisse. Quomodo autem verbum crucis virtus est Dei, si in cruce diuina substantia potuit infirmari; vel qualiter nos ad immutabilitatis atque incorruptionis gratiam producturus est Christus, si ipse secundum diuinam naturam probatur in deterius commutatus? cum diuinæ naturæ sit proprium nec defectum capere, nec profectum.

Difficultas tertij libri de passione Domini.

Impietas erroris circa humanitatẽ Christi.

Verbum crucis pereuntibus stultitia est. 1.Cor.1.

CAPVT II.

IGitur quid in Christo semper impassibile, quidve ante mortem carnis passibile fuerit, tractaturi, primitus libello huic inserenda duximus, quæ de vno Christo Deo homineque credimus & tenemus: ne quis, cum in vno Christo cœperimus ea quæ ad proprietatem diuinæ humanæque naturæ pertinent, demonstrare, aut duos Christos nos existimet credere, secundum vtramque naturam, aut quartam à nobis inseri putet Trinitati personam. Nos enim fidem retinentes Euangelicæ veritatis, sic in Mediatore Dei & hominum homine Christo Iesu, propria vniuscuiusque naturæ cognoscimus, vt vnitatem personæ nullatenus diuidamus; scientes, quod sic vtriusque in Christo substantiæ manserit vnita proprietas, vt in carne patiens impassibilis Deus, & veram passionem (quia voluit) in vera carne sentiret, & in diuinitate prorsus impassibiliter permaneret, nec alius in carne passus fuerit, nisi ille qui in vera carnis passione, impassibilis omnino permansit, nec alius semetipsum morti dignatus sit tradere, quam ille qui sic potuit moriendo mortem vincere, vt mortem non posset in morte sentire. Sed hæc qualiter in vnitate personæ, substantiarum in Christo proprietate seruata dicamus, professionis nostræ series subiecta monstrabit.

Cautè de Christo tractandũ propter duas naturas in vna persona.

CAPVT III.

CRedimus igitur Dei filium, ante omne prorsus initium, hoc est, sine aliquo suæ natiuitatis initio, de patris substantia genitum, Deum de Deo, Dominum de Domino, non ex nihilo, quia de patre, non nuncupatiuum, quia nomen habet ex veritate naturæ, non ex aliqua natura, quia non aliquid fuit coæternum Deo, vnde origo filio præstaretur. Nec posteriorem filium eo qui genuit, nec minorem: sed (sicut etiam in secundo libello diximus) patri prorsus & sempiternitate immensitatis, & immensitate

Recta fides de diuinitate filij Dei.

ſitate ſempiternitatis æqualem, immutabilem mutabilium conditorem, intemporalem temporalium factorem, & temporum, quem nullus obtinet locus, quo nullus caret locus, quia cuncta replet Creator immenſus, qui non propterea non eſt Deus, quia dicitur genitus: ſed ideò verus dignè creditur, quia de patre ſubſtantialiter genitus prædicatur: quod enim dicitur genitus, non hoc eſt nomen diuinitatis in filio, ſed nomen eſt natiuitatis in Deo, vt quem conſtat de patre naturaliter genitum, conſtet non aliud eſſe quam Deum. Hic itaque de patre ſempiternus exiſtens, vnam tenuit cum Deo patre naturam, ſed propriam ſumpſit ex genitore perſonam, quia diuina natiuitas non diuiſionem naturalis vnitatis habuit, ſed perſonam filij ſubſiſtentis à patre diſtinxit, & ex vocabulo patris alium qui natus eſt monſtrat, vt errorem Sabellianæ confuſionis excludat, ſicut ipſe filius proteſtatur dicens: *Alius eſt, qui teſtimonium prohibet de me, & ſcio, quia verum eſt teſtimonium, quod perhibet de me.* Et vt oſtenderet, quem alium diceret, poſt pauca ſubiecit. *Qui miſit me pater, ipſe teſtimonium perhibet de me.* Alio loco ſimiliter ſuam perſonam patriſque diſcernens: *Non ſum* (inquit) *ſolus, quia pater mecum eſt.* Ad hanc diſtinctionem geminæ perſonæ, & profeſſionem vnius ſubſtantiæ in patre, & filio perdocendam, ipſe filius dicit: *Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum qui miſit me: & qui videt me, videt eum qui me miſit.* Vnus eſt igitur filius ex patris natura genitus, qui ideò vnigenitus dicitur, vt ex proprietate paternæ naturæ vnus & genitus demonſtretur. Sed hic, qui vnigenitus ex patre naturaliter dicitur, ſicut inſeparabilis eſt vnitate naturæ, ſic inconfuſibilis permanet proprietate perſonæ: ob hoc ſe tantummodo Dei filius vnigenitum nominat dicens: *Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Et paulo poſt: *Qui credit in eum, non iudicabitur, qui autem non credit, iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei.* De ſolo Ioannes quoque proteſtatur, & dicit: *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis. Verbum caro factum*, plenum eſt gratiæ ſuſceptionis humanæ, quia Chriſtus nihil in ſe minus hominis habet, idémque vnigenitus à patre, plenus eſt veritatis paternæ ſubſtantiæ, quia omnem in ſe diuinitatis paternæ plenitudinem naturaliter habet. *Plenum* igitur *gratiæ & veritatis* Euangeliſta cognouit, quem vnum eundémque verum hominem gratia veræ Incarnationis oſtenderet, & verum Deum vnigenitum à patre natiuitatis æternæ veritas declararet. Quid autem filio prodeſt vt nuncupetur vnigeniti nomine, ſi priuatur vocabuli veritate? Fruſtra namque vnigenitus dicitur, ſi in eius generatione non naturalis de Deo generante veritas, ſed creationis ex donante largitas prædicatur: aliis enim *quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Quod ſi etiam vnigenitus filius factus dicitur ex gratia, non verè genitus ex natura, proculdubio nomen & veritatem vnigeniti perdidit, poſtquam fratres habere iam cœpit, priuatur enim huius veritate nominis, ſi in vnigenito non eſt de patre veritas naturalis.

Alia perſona patris, alia filij in vna natura.

Ioan. 5.

Ibid. 8.

Ibid. 12. Chriſtus vnigenitus Dei.

Plenus gratiæ & veritatis.

Ibid.

CAPVT IV.

Filij Dei adoptiui in eodem regno diuerſa inter ſe claritate.

Etenim in filiis Dei, qui non de Dei patris natura ſubſiſtunt, adoptiuæ communio dignitatis diuerſitatem munerum poteſt habere, non nominum, & adoptantis gratia, cunctis ex Deo naſcentibus, quamuis diuerſæ retributionis munus pro laboris merito repromittat, vnum tamen cunctis filiorum nomen accommodat, & vna per fidem veram renatis vita cæleſtis regni promittitur, quamuis differens regnaturis gloria tribuatur, Paulo beato dicente: *Alia claritas ſolis, & alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum: ſtella enim ab ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum*, & his tamen omnibus pro illa poteſtate, quam eis dedit, filios Dei fieri, ſimul dicetur dextris: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod paratum eſt vobis ab origine mundi*: ſimul etiam de omnibus dicitur: *Iuſti autem ibunt in vitam æternam.* Æqualiter igitur tenebit cunctos Dei filios vnigenitas adoptiui nominis, licet meritorum qualitatem monſtratura ſit differentia claritatis, nec in eo, quod ſpiritales eſſe cœpimus natiuitatis exortu, diſcernimur nomine, quamuis ex profectu ſimus diſcernendi mercede; in eo namque, quod voluntariè genuit nos verbo veritatis, pariter filios nuncupauit gratia genitoris. Quod ſi diuina illa filij, ſempiternaque natiuitas, non de natura Dei patris, ſed ex gratia creditur ſubſtitiſſe, non debet vnigenitus vocari, ſed tantummodo genitus: quoniam ſicut ei nomen geniti largitas adoptionis paternæ contribuit, ſic eum ab vnigeniti nomine, nobis quoque tributa communio paternæ adoptionis excluſit: vnigenitus enim non vocatur, quamuis genitus poſſit vocari cum genitis. Quod ſi ita eſt, deleatur, quod Ioannes auſus eſt nomen vnigeniti ſcribere, vt probetur falſum, quod meruit de pectore veritatis haurire: ſi verò proprietas vnigeniti manifeſtè demonſtranda eſt ſignificationis indicio, ſic multi filij Dei dicantur ex gratia, vt cognoſcatur vnus genitus ex natura. Quis enim natus eſt Deus verus de Deo vero, niſi *vnigenitus filius, qui eſt in ſinu patris?* quem ideo ſolum à cæteris Dei filiis exceptio ſegregat incommunicabilis nominis, quia in ſolo permanet de patre veritas naturalis.

1. Cor. 15.

Matth. 25.

Ibid. in fin.

CAPVT V.

Hic verus Deus, & vita æterna, *cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſſe ſe æqualem Deo, ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens*, æqualitatem enim Dei veri Deus verus non rapuit, quam vnitate naturali ſempiternus cum genitore poſſedit. Idcirco vnigenitus Dei filius, etiam quando *formam ſerui accipiens, ſemetipſum exinaniuit, plenus gratiæ veritatiſque permanſit. Vidimus*, inquit Ioannes, *gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre, plenũ gratiæ & veritatis.* Hoc eſt vtrique, quod in vno eodémque ſemetipſum exinaniente, & pleno gratiæ & veritatis, accepta ſerui forma, veritatem voluntariæ prorſus exinanitionis oſtendit, in coæterna permanens Dei forma, plenitudinem gratiæ veritatiſque monſtrauit. Quæ eſt igitur illa vnigeniti exinanitio, niſi accepta paſſibilis, & mortalis humanitas Chriſti? Quæ autem eſt vnigeniti plenitudo, niſi permanens impaſſibilis atque immortalis diuinitas Chriſti? in quo perfectus homo plenus eſt gratiæ, & in quo perfectus Deus plenus eſt veritatis; quo proculdubio plenitudinis nomen, vt diuinitatis eſſe monſtretur, Apoſtolum de Chriſto loquentem pariter audiamus, *quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & eſtis in illa repleti.* Quæ autem ſit, quæ in Chriſto inhabitat, plenitudo diuinitatis, Ioannes oſtendat: *Verbum*, inquit, *caro factum eſt, & habitauit in nobis.* De iſta plenitudine Baptiſta Ioannes nos aſſerit accepiſſe, dicens: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.*

Chriſtus exinaniuit ſeipſũ, plenus gratiæ & veritatis.

Coloſſ. 11.

Ioan. 1.

CAPVT VI.

In vno Christo duæ naturæ non confusæ, sed vnitæ.

VNus igitur idemque Christus Dei hominis filius, qui & semetipsum exinaniuit, & plenus gratiæ veritatisque permansit, verè mutabilis factus immutabilis manens, verè passus passioni non subiacens, verè mortuus mortem non sentiens, sed extinguens. Hæc autem cuncta vnus Christus & gessit & pertulit, quia in vno eodémque Christo vera diuinitatis, veraque humanitatis natura permansit, cum Deus non confusus homini, sed vnitus, sic in vna persona vtriusque naturæ permanentis indicia demonstrauit, vt verus Deus, & plenus veris diuinisque virtutibus in homine clareret assumpto, & veritas infirmitatis humanæ verum plenumque hominem monstraret in Deo: propter quod beatus Apostolus vnum eundémque Christum, & crucifixum prædicat, & Dei veritatem, sapientiamque pronunciat, dicens: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*, & vt infirmitate susceptionis humanæ magnitudinem diuinæ virtutis monstraret, adiecit: *Quod enim stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Ille igitur Dei filius, Dei virtus, & Dei sapientia, in exordio redemptionis nostræ, diuersam quidem peregit in homine, quàm quod semper habebat in patre, quia videlicet aliud ibi maiestatis natiuitas habuit, aliud hic pietas redemptionis exigit: in illo enim sempiternæ natiuitatis arcano sempiternus atque incommutabilis pater alterum genuit non diuersum, & quantum generando protulit, tantus ipse permansit: personaliter distinxit à se, quem naturaliter totum habet in se: hoc ipsius filij nobis manifestatur eloquio dicentis: *Ego in patre, & pater in me.* Inconfusibiliter ergo vnit vtrumque natura, quamuis inseparabiliter discernat vtrumque persona; ideo filius ipse testatur: *Ego & pater vnum sumus.* Per hoc, quod vnum dicit, non separatur à Deo diuinitas: per hoc, quod dicit, sumus, non confunditur in genitore natiuitas.

1. Cor. 1.

Ibid.

Ego in patre, & pater in me.

Ioan. 14.

Ego & pater vnum sumus. Ioan. 10.

CAPVT VII.

Mediator Christus duas veras habuit naturas.

HIc autem, dum nostræ redemptionis commercium gereretur, pleno veróque homini plenum verumque Deum decebat vniri, sic tamen, vt in vnitate personæ, nec in homine Deus, nec homo posset in Deo confundi: nunquam enim quisquam hominum, ad vincendum humani generis inimicum, fuisset idoneus, si in Mediatore Dei, & hominum homine Christo Iesu, aut aliquid fuisset hominis minus, aut homo à Deo susceptus, diuina fuisset susceptione consumptus, non autem humana natura poterat in reparatione consumi, cuius pars damnata non consumetur æternitate supplicij; cum autem pœnæ sit consumere, gratiæ reparare, redemptor humani generis, plenus confitendus est Deus, plenum suscipiens hominem, plenus gratiæ, qua homo fieri dignatus est Deus, & plenus veritatis, qua Deus ipse, qui homo factus, permanet immutatus, sicut per Prophetam ante iam dixerat: *Videte, quia ego sum, & non sum mutatus*, de quo etiam Paulus Beatum Dauid cecinisse commemorat: *Mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es.* Vnus ergo idémque Christus, in eo quod plenus gratiæ, nihil minus habens humanæ naturæ, plenus homo natus ex homine, & in eo quod plenus veritatis, nihil minus paternæ diuinitatis habens Deus plenus generatur ex patre: nam non erat plenus gratiæ vnigenitus à patre, si in Dei filio minus fuit aliquid hominis, nec erat plenus veritatis, si in eodem hominis filio, minus fuit aliquid Deitatis. Ille igitur ineffabilis Deus de patre naturaliter sine initio genitus, postquam venit plenitudo temporis, *vt missus à patre fieret ex muliere, fieret sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus*, totus regnans in sinu patris, totus semetipsum formans in vtero virginis.

Hebr. 1.

Deus homo factus absque sui mutatione.

CAPVT VIII.

Christus totus in patre, totus in vtero matris.

NEque enim pars eius remansit in patre, & pars eius descendit in virginem, cum totus in patre maneret quod erat, & totus in virgine fieret, quod non erat, totus cum patre totum implens, & continens mundum, totus sibi in vtero virginis ædificans domum, scriptum est enim: *Sapientia ædificauit sibi domum*, totus in patre sempiterno, totus in homine suscepto, totus in cælo, totus in mundo, totus etiam in inferno, sic in se totum hominem verus Deus, & summus accepit, & sic plenitudo diuinitatis veritate diuinæ humanæque substantiæ inconfusibiliter permanente, semetipsum pleno coniunxit homini, vt vnitate deinceps in æternum manente personæ, nec homo Christus à sua diuinitate, nec idem Deus Christus à sua posset humanitate disiungi; hoc enim infirmitatis nostræ medela poscebat, vt sicut naturalis vnitas in patre manet, & filio, sic personalis vnitas maneret in Christo; & sicut personalis duas non facit in patre & filio substantias, sic naturalis discretio duas non faceret in Christo personas. Rursus, sicut vnitas naturalis patrem non confundit & filium, sic vnitas personalis hominem non confudisset, & verbum, & quemadmodum à genitore Deo per vnitatem naturæ nunquam segregari potest vnigenitus filius, sic à susceptore Deo per vnitatem personæ nunquam posset homo separari susceptus; sic tamen, vt quamuis Christus nec confundi posset aliquando, nec diuidi, vnus tamen atque idem Christus, & ex veritate passionis humanæ, quæ nostra fuerant, redderet, & ex veritate impassibilitatis diuinæ, quæ sua fuerant, tribuisset, vt dum ille pauper efficeretur in suis diuitiis manens, nos ex pauperibus diuites faceret, quibus suæ paupertatis infinitas diuitias contulisset, quod vas electionis manifesto videtur denunciare sermone dicens: *Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quia propter vos egenus factus est, cum esset diues, vt illius paupertate vos diuites essetis.* Hoc igitur personæ inseparabilis vnitas, in qua Deus, & homo vnus est Christus, fecit, vt & homo Christus per gratiam nasceretur ex Deo salua veritate ac plenitudine humanæ naturæ, & idem Deus Christus voluntariè pateretur in carne, salua impassibili plenitudine diuinæ substantiæ: quoniam sicut vnus est, de quo Apostolus dicit: *Quorum patres ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*, sic vnus est, de quo idem dicit Apostolus: *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei.* Vnus est igitur Christus, in quo crucifixo vera fuit infirmitas carnis, & in quo viuente virtus veræ claruit deitatis, quod humanum est, habens Deus in veritate humanæ, & quod diuinum est, habens homo in veritate diuinæ substantiæ. Hinc incomprehensibilis in cruce, inuiolabilis in vulnere, impassibilis in passione, immortalis prædicatur in morte.

Prou. 8.

Christus in se diues, propter nos egenus factus est. 2. Cor. 8.

Rom. 9.

2. Cor. 11.

CAPVT

CAPVT IX.

Christo passo non est Deus compassus.

HÆc dum quidam minus attendunt, diuinitatem Christi non dubitant subiicere passioni, & audientes Christum in carne passum, putant Deum carni fuisse compassum, minus attendentes diuinam illam atque immutabilem filij Dei substantiam, & in carne passibili passionem suscepisse, & cum carne passionem sentire non potuisse. Quod vtique beatus Petrus in veritate diuinæ inspirationis confirmat, & dicit: *Christo igitur in carne passo, & vos eadem scientia armamini.* (1.Pet.4.) Qui si sciret Christi diuinitatem fuisse passibilem, sufficisset, vt diceret, *Christo igitur passo*, nec addidisset, *in carne.* Sed quoniam nouerat, in vno eodémque Christo, & passibilem ante mortem fuisse humanam naturam, & impassibilem semper diuinam manere substantiam, propterea Christum passum fatetur in carne, cuius diuinitatem nouerat prorsus impassibilē permanere.

CAPVT X.

Diuinitas Christi passionem cum carne non sensit.

SEd forsitan dicetur, Christum ideo in carne passum prædicari, quia diuinitas, quæ ante carnem pati non potuit, passibilem suscipiens carnem, passionem quoque cum carne persensit, quia pro susceptione passibilis carnis, ipsa impassibilis in passione permanere non potuit. Quod si ita est, primum mutabilis asseritur diuinitas Christi, & Apostolo contraitur, qui filium Dei Iesum Christum, immutabilem prædicans, euidenter Corinthiis dicit: *Dei enim filius Iesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est per me, & Syluanum, & Timotheum, non fuit Est & non, sed est in illo fuit.* (2. Cor.1. In Christo non fuit, *Est & non*: sed semper idem est.) Quod vt ipsum est, prorsus immutabile demonstraret, denuò sic ad Hebræos loquitur, vbi euidenter de filio memorat dictum: *Tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem es.* (Heb.1.) Quid autem est idem esse, nisi immutabilem esse? sicut de se ipse testatur dicens: *Ego sum, qui sum: & dices filiis Israël, qui est, misit me ad vos.* (Exod 3.) Quod si quis inter patrem filiumque diuinitatis cupiens differentiam demonstrare, locum istum, quo dictum est: *Ego sum qui sum*, personæ solius patris asserat conuenire; primùm meminerit, quia patrem Moysi apparuisse fatebitur: deinde, quia sibi in propria substantia pater apparuit: ergo pater visibilis fuit; quod si etiam nunc visibilis permanet, iam non est corporeis oculis inuisibilis Deus, si autem tunc quidem substantialiter visus, postmodum inuisibilis putatur effectus: ergo Deus ante mutabilitati subiacens, imperfectus vtique fuit, & postmodum perfectum immutabilis factus statum plenæ perfectionis accepit; quod si ex imperfecto perfectus est factus, quærendus est alius, qui semper fuisse perfectus credatur, à quo iste, qui imperfectus fuit, donum perfectionis accepit.

CAPVT XI.

Deus inuisibilis, per subiectam creationem visibiliter apparuit.

SI verò hæc Christianæ mentes auréſque non tolerant, credatur Deus nunquam per propriam visibiliter hominibus apparuisse substantiam, sed per subiectam (sicut ipse voluit) creaturam: & pariter inuisibilis, sicut pater, credatur & filius, qui sicut temporalis permanens, potuit temporalia condere, sic inuisibilis permanens, potuit in his, quæ visibilia condidit, visibiliter apparere: tametsi personæ patris à quolibet assignetur hic locus, quo dicitur: *Ego sum qui sum*, nec sic filius ab æqualitate immutabilitatis paternæ creditur secernendus; quoniam sicut pater dicit: *Ego sum qui sum*, sic de filio dicit Apostolus, sicut supra posuimus: *Non fuit, Est & non, sed Est in illo fuit*, & rursum: *Tu autem idem es.* Cum itaque illud singulare est, sicut inuenitur in patre, sic reperiatur in filio, aut vterque immutabilis creditur, aut vterque mutabilitati subditur: sed quoniam valde impium est, vt patrem mutabilem dicamus, hoc sine dubio pium est, vt sicut immutabilem patrem, sic immutabilem filium prædicemus, & si immutabilis est diuinitas filij, nihil ei vtique accessit, aut decessit in tempore, quoniam nihil mutabilitatis recipit, quod immutabile naturali veritate subsistit. (Sicut pater immutabilis, ita & filius.) Restat igitur, vt diuinitatem Christi, quam immutabilem sancta Scriptura commendat, sic passam fateamur in carne, vt eam tamen credamus compassam non fuisse cum carne: ideo enim Deus in carne passus est, quia passibilem carnem Deus accepit; ideò autem carni compassus non est, quia in carne patiens impassibilis natura diuina permansit, communem passionem diuinitatis & carnis, vnitas personæ fecit in Christo, non diuinæ, humanæque naturæ confusio. (Dominus gloriæ crucifixus, auctor vitæ interéptus.)

CAPVT XII.

PEr hanc vnitatem personæ Dominus gloriæ asseritur crucifixus, dicente B. Paulo: *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* (1. Cor.8.) Propter hanc vnitatem personæ auctor vitæ dicitur interemptus, sicut in Actibus Apostolorum Petrus Iudæos increpat, dicens: *Et petistis virum homicidam donari vobis, auctorem verò vitæ interemistis.* (Actuum 3.) Quis autem quemlibet hominem, vitæ authorem diceret, nisi pro nobis Deus hominem suscepisset? ex quo igitur Deus vitæ auctor in vnitate personæ suscepit, ex eo ille homo nomen vitæ auctoris obtinuit, sicut ex eo, quod Dei filius hominem suscepit in vtero virginali, ex eo simul Deus, & homo vnus cœpit Dei filius nominari, Angelo dicente ad Mariam: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, idcóque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*, de quo etiam paulò superiùs idem virgini dicit: *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum, hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur.* (Luc. 1.) Non solùm verò filius Dei, secundum id quod natus est de homine, dictus est Christus, verum etiam homo ille Deus dicitur, pro eo quod est à Deo susceptus, quod nobis indubitanter Psalmorum liber ostendit, in quo dicitur: *Thronus tuus Deus in sæculum sæculi, virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* (Psalm.44.)

CAPVT XIII.

Vnxit te Deus Deus tuus præ participibus tuis.

HAnc autem vnctionem ad hominem potius referendam, B. Petrus ostendit dicens: *Iesum à Nazareth, quem vnxit Deus Spiritu sancto & virtute*, quæ igitur à Nazareth, nisi humana in Christo natura potuit prædicari. (Act.10.) Nam in tantum à Nazareth, non diuinitas Christi, sed humanitas prædicatur, vt etiam Philippus, quem à Nazareth dicit, Ioseph filium æstimaret, sicut ad Nathanael loquens, *quem scripsit Moyses* (inquit) *& Prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth.* (Ioan.1.) Hic igitur qui Spiritu sancto vnctus dicitur, Deus Dauidico carmine nominatur, qualiter autem homo

ille habere potuit Dei nomen, nisi quoniam à Deo susceptus, vnam cum eo possedit nominis dignitatem? Sed si in eo quod dicitur: *Vnxit te Deus Deus tuus*, diuina creditur accipienda natura, in qua putatur filius à Deo vnctus, eguit profectò Deus verus sanctificationis munere, priusquam homo verus idem nasceretur in carne.

Psalm.44.

CAPVT XIV.

Nihil medium inter patrem & filium, per quod filius & Deus vngeretur.

DIcatur ergo, quid potuit esse Dei filio sanctius, cuius vnctione sanctificatio illi, aut daretur ante non habita, aut perficeretur quæ inerat imperfecta? Et si aliquid dicitur Dei filio melius (cui solum præferendum existimant patrem) sine dubio, quicquid illud est, patri fatebuntur æquale, sed siue coæquetur, siue etiam postponatur patri filio, interim quicquid aliud est, præferatur. Iniuste ergo in baptismate patri & filio Spiritus sanctus iungitur, cum potius illud debuerit patri filióque coniungi, quod potioris meritò sanctificationis filio debuit anteponi. Qualis verò virtus illa credetur, quæ diuinitatem filij Dei vnctione sanctificauit, & eius carnem sanctificare non potuit? Nam vtique si posset Christum hominem plene sanctificare, non opus erat, vt vngeretur sancto Spiritu & virtute. Attendatur ergo, ne forsitan, & ipso Dei filio, & illo, qua vnctus virtute dicitur, potior atque sanctior credendus sit Spiritus sanctus: *Iesum enim à Nazareth*, hoc est, filium Dei secundum carnem, sicut beati Petri manifestat assertio, *Vnxit Deus Spiritu sancto, & virtute.* Quod si homo Christus, sine sancti Spiritus gratia plene sanctificari non potuit, superflua dicetur collatio illius vnctionis. Si autem sine sancto Spiritu plene sanctificari non potuit, & plenam sanctificationis gratiam sine Spiritu sancto Christus homo non habuit, vtpote, *quem pater sanctificauit, & misit in mundum.* Et qui de seipso dixit: *Et ego sanctifico me ipsum*, & in quo sancti Spiritus sanctificatio similiter agnoscitur, quoniam *vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute.* Quomodo quis sanctum Spiritum minorem patre, vel filio audet dicere, sine quo sanctificationis perfectionem videt constare non posse? Quid autem dubitatur olei nomine Spiritum sanctum demonstratum, cum Dauid & Petrus, tam olei, quam sancti Spiritus vocabulo, vnum prædicent vnctionis dominicæ Sacramentum? Dauid enim dicit: *Vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis, præ participibus tuis*, & vtique hominem significat, cum participem nominat. Nam illa diuinitas filij Dei, nullius creaturæ habet participium, quia cum creatura non habet naturale consortium: Deus ergo in carne vnctus est, vt in illo homine Christo, quem sine peccato mater & concepit, & peperit, plena diuinæ sanctificationis agnosceretur gratia, quæ nomine Trinitatis esset fidelibus conferenda, propterea beatus Petrus dicit: *Iesum à Nazareth, quem vnxit Deus Spiritu sancto & virtute.* Et tamen ille Iesus à Nazareth Deus in Psalmo dicitur, vnde quæso, nisi quoniam Deus & homo vnus est Christus? Et ideò manente in vnitate personæ naturali hominis & Dei inconfusa & inseparabili veritate, sicut Deus Christus in homine nomen hominis sumpsit, sic idem homo Christus in Deo vocabulum deitatis accepit.

Ioan.10.

Christum secundum carnem vnxit Deus.

Act.10.

CAPVT XV.

Christus nõ cæleste, sed humanum corpus assumpsit.

NAm si non ex coniunctione naturali, nomen Dei, & hominis vnitas personalis habet in Christo, consequenter secundus homo, quem de cælo cælestem prædicat Paulus, nihil habere naturaliter putetur ex virgine, & secundum cælestem naturam, cælestis carnis dicatur habere substantiam, præsertim, quoniam ipse quoque de se Dominus profitetur: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo.* Quod si cæleste corpus, & non humanum suscepisse credendus est Christus, quomodo veritate Dauidici Psalmi vaticinatio fulcietur, vbi scriptum est: *Vt inhabitet gloria in terra nostra, veritas de terra orta est.* Christum autem quis negare audeat veritatem, cum ipse hoc nomine nuncuparit, dicens: *Ego sum via, veritas, & vita*, si veritas igitur de terra orta est, quomodo secundus homo de cælo cælestis, nisi quoniam à Dei filio suscepta materies terreni corporis, in cæleste nomen transit per consortium Deitatis? Et quomodo rursus filius hominis descendit de cælo, nisi quia filius Dei non locali motu, sed pietatis descendit affectu? qui sicut in carne suscepta, ex homine dignatus est nasci, sic pro vna Dei suscipientis, & hominis suscepti persona, qui Dei filius erat, dignatus est hominis filius nuncupari. Ad hanc vnitatem personæ, sine vlla confusione vtriusque substantiæ cognoscẽdam, Christus discipulos interrogat, dicens: *Quem me dicunt homines esse: filiũ hominis?* Cumque illi opinionem vulgi protinus indicarent, tunc propriè ab eis qualitas veræ fidei expetitur, vt erroris humani falsitas auferatur; hæc igitur est Domini interrogatio consecuta: *Vos autem quem me esse dicitis, me vtique filium hominis?* Ibi iam Petrus Apostolus reuelationis diuinæ firmamento subnixus, generalis salutis confessus est Sacramentum: *tu es* (inquit) *Christus filius Dei viui.* Quid est hoc? Quantum ad ignaros congruit interrogationi responsio? Petrus enim de filio hominis interrogatur, & ipse Dei filium confitetur: numquid interrogantem Iesum minus audiuit, aut ipse veritatem in confessione non tenuit? absit, quomodo error hominis ore laudari poterat veritatis? Sed quid verè Christus fuit, hoc interrogans dixit: Et quod verè *Christus fuit, hoc ex ore Petri confitentis audiuit.* Filius enim hominis Christus Dei viui filius fuit, nec immeritò diuina voce promeruit beatitudinem, qui propria voce fidei protulit veritatem: propter hoc audit: *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis.* Etiam ipse Christus Dei se vtique iam confessus est filium, cum à patre suo, qui est in cælis, Petro asseruit reuelatum. Nec hoc tamen otiosè prætereundum existimo, quod Christo primum se filium hominis nuncupanti, Petrus dicit: *Tu es Christus filius Dei viui*: etenim Dei filius carnis humilitate suscepta, debuit in se Sacramentum magnæ pietatis ostendere: homo verò redemptus, debuit in hominis filio, veram diuinæ natiuitatis substantiam prædicare, vt dum à redemptore beneficium gratuitæ miserationis ostenditur, à redempto diuinæ confessionis obsequium redderetur; & nemo verũ Deum de natura patris ambigeret, quem ex hominis natura verum hominem cognouisset, ac per hoc, quem hominem verum constaret esse passionibus hominis, eundem verũ Deum crederemus operibus deitatis, ipso filio dicente: *Si mihi non vultis credere, vel operibus credite.* Vnus ergo atque idem Christus, qui infirmitate humana passionem pertulit, & miracula beneficiorũ omnipotentia virtutis diuinæ perfecit.

Ioan.3.

Psalm.84.

Ioan.14.

Matth.18.

Tu es Christus filius Dei viui.

Vnus idemque Christus & filius hominis, & filius Dei est.

Ioan.10.

CAPVT XVI.

Quomodo in Christo duæ naturæ sine confusione & mutatione.

AB ipso namque conceptionis virginalis exordio, sic in Christo personalis vnitas mansit, & vtriusq; naturæ inconfusa veritas perdurauit, vt nec homo à Deo diuelli: nec Deus à suscepto posset homine

mine separati, nec tamen Deus hominem consumeret, nec homo Deũ in aliquo permutaret, & licet in Christi morte carnem morientem fuisset anima desertura, diuinitas tamen Christi, nec ab anima, nec à carne posset separari suscepta: igitur quia totum hominem Deus ille suscepit, ideo totius hominis in se passiones in veritate monstrauit, & animam quidem rationalem habens, quicquid fuit infirmitatis animæ, sine peccato & suscepit & pertulit, vt dum humanæ animæ passiones in anima, quam accepit, vinceret, nostras quoque animas ab infirmitatibus liberaret, carnem quoque humanam accipiens, in eiusdem veritate carnis, veritatem voluntariæ habuit passionis, vt in carne mortuus, totam in se hominis occideret mortem, & in æternam vitam immortalis resurgens, æternæ nobis vitæ gratiam condonaret. Verus ergo in anima humana Christus Lazarum suscitaturus (sicut Euangelista dicit) *fremuit spiritu, & turbauit seipsum*, idémque verus in carne humana Christus, cum dixisset: *Vbi posuistis eum? dicunt ei: Domine, veni & vide, & lachrymatus est Iesus.* Idem quoque verus in diuina natura Christus, nec animam suam, cum semetipsum turbaret, deseruit, quia ipse semetipsum turbauit, nec à carne sua, cum fleret, abscessit, quia Iesus lachrymas fudit, & tamen ipsa in anima carnéque diuinitas, immutabilis atque impassibilis manens secundum diuinam naturam, nec lachrymas proferre, nec turbationem potuit in animi morte sentire: sic etiam passione propinquante, Christus secundum animam turbatur, ipso dicente: *Nunc anima mea turbata est.* Item in cruce Christus secundum carnem moritur, Apostolo dicente: *Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum scripturas.* Cum igitur euidenti fuerit manifestatione discretum, quid in Christo proprium fuerit animæ, quid carnis, quid etiam deitatis, cum vnus idémque Christus fuerit & turbatus & mortuus, sic tamen est vtrobique veritas Dei hominisque seruata, vt licet Christus secundum animam turbaretur, propinquante passione, & idem Christus secundum corpus moreretur in cruce, imperturbabilis manens immortalisque Christi diuinitas, nec ab anima perturbata, nec à corpore moriente discederet, non tamen aut turbaretur in animæ turbatione, aut moreretur in corporis morte, *vnus namque Christus, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*, sicut verè mortuus mori non potuit, sic in vera passione impassibilis mansit.

In Christo totus homo ex vera anima & carne.

Ex resuscitatione Lazari probatur in Christo anima, caro & diuinitas.

Ioan. 11.

Diuinitas nec ab anima perturbata, nec à carne moriente discessit. Ioan. 12.

1. Cor. 15.

CAPVT XVII.

QVi ad demonstrandum in se & veram mortalitatem hominis, & veram immortalitatem deitatis, Iudæis dicentibus: *Quod signum ostendit nobis, quia hæc facis? Respondit Iesus, & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, quod autem fuerit illud templum, sanctus Euangelista monstrauit, dicens: *Ipse autem dicebat de templo corporis sui.* Ostensa est igitur & veritas humanæ substantiæ, quam Iudæi possent in Christo, ipso volente, soluere, & veritas diuinæ naturæ, qua Christus templum sui corporis poterat suscitare; quando enim mortuo Christo anima deseruit carnem, tunc solutum est illud templum, quod fuit ex anima carnéque constructum; & cum anima reuerteretur ad carnem, tunc est illud templum die tertia suscitatum, & tamen propter vnam Christi Dei hominisque personam, idem mortuus est in corpore suo, qui suscitauit templum corporis sui. Sic etiam secundum Esaiæ vaticinantis oraculum, *dorsum suum posuit ad flagella, maxillas suas ad palmas, faciem autem suam non auertit à confusione sputorum.* Hæc omnia Deus in carne passus, non est carni compassus, quia Deus passionem in carne sensit, cum carne non sensit; vna enim persona est Dei & hominis Christi, quam etiam Paulus commendat, dicens: *Nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi.* Et quamuis vna sit in Christo persona, non vna tamen in Christo substantia, quia sic verus Deus verum suscepit hominem, vt in veritate humanæ susceptionis, veritatem non amitteret deitatis; & sic dignatus est fieri quod ante non erat, vt non desisteret esse quod semper erat; sic etiam voluit vnam cum homine personam Deus habere, vt licet non alius esset Christus Deus, & alius Christus homo, verus tamen Deus permaneret in homine, & verus homo permaneret in Deo? atque ita in vno Christo diuinæ humanæque naturæ esset inconfusa pariter & indiuisa perfectio.

Soluite templum hoc, & intribus diebus excitabo illud. Ioan. 2.

Esa. 50.

2. Cor. 2.

CAPVT XVIII.

NOn tunc nata est Christi diuinitas in se, cum nata est pro nobis in carne: fuit infans verbum secundum carnem, & fandi non habuit facultatem, sed idem verbum Deus, nullo vnquam potuit coërceri silentio; quia ipse est patris sempiterna loquutio. *Crescebat puer ætatis accessu*; sed quia in Deo nulla est ætas, in puero crescente non crescebat diuina maiestas. Sapientia quoque nouimus Christum secundum animam profecisse, sed sapientia Christus non potuit cum anima proficiente proficere: ac per hoc idẽ Christus, & in carne sua creuit, & in anima sua profecit, qui tamen & in carne sua crescens, & in anima sua proficiens, nec cum anima sua proficere, nec cum carne sua potuit ætatis incrementa sentire. Item secundum susceptam animam Deus tristis fuit, sed qui in anima tristitiam sensit, cum anima tristitiam sentire non potuit. In sua Deus anima suam voluit esse tristitiam, & in sua carne suam Deus esse voluit passionem; quia totus in toto homine permanens inseparabilis Deus, nec animæ tristanti defuit, nec carnem suam in passione deseruit; sed in Christo tristi & passo, licet deitate separari non posset patiens & tristis humanitas, in ipso tamen homine tristi, non est diuinitas tristata, & in homine toto patiens, non est diuina natura compassa, sicut moriente carne, non solum deitas, sed nec anima Christi potest ostendi commortua: aliud est enim in carne passum Deum dicere, aliud carni prædicare compassum, aliud in anima contristatum, & aliud cum anima contristatum. Passus est Deus in homine, quia vna est Dei hominisque persona: non est compassus Deus homini, quia in vno Christo non est confusa Dei hominisque substantia, quod euidentibus scripturarum potest testimoniis comprobari, vt cognoscatur ita tristitiam passionémque toto deputandam Christo, vt officiorum naturalium veritate monstrata, non sit aliqua Dei hominisque confusio, Matthæus narrat, Dominum propinquante tempore passionis, dixisse discipulis: *Sedete hic, donec vadam illuc, & orem; & assumpto Petro & duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari & mœstus esse.* Marcus vero sic posuisse cognoscitur: *Et veniunt in prædium, cui nomen Gethsemani: & ait discipulis suis: Sedete hic, donec orem: & assumpsit Petrum & Iacobum, & Ioannem secum, & cœpit pauere & tædere.*

In Christo quæ carnis erant, aut animæ, non sunt deitati adscribenda.

Non est diuinitas vllatenus compassa, vel contristata.

Cœpit Iesus contristari & mœstus esse, pauere & tædere.

CAPVT XIX.

NOn ignoro, quammaximè nunc nostræ congruet responsionis officio, vt non solum vocabulis, sed etiam effectibus, sit in Dei filio carnis animæque monstranda proprietas: tunc enim diuinæ impassibilitatis natura splendebit, cum quid animæ, quidve carnis sit proprium, non solum ratione, sed etiam diuinarum scripturarum auctoritate claruerit. Matthæus itaque dicit, *Iesum contristari & mœstum esse*: Marcus, *pauere, tædereque* commemorat. Dicant igitur, quibus in Christo displicet animæ humanæ susceptio, vtrum tristitiam, mœrorem, tædium, & pauorem, diuinitati an carni existiment deputanda? Et si quidem carnis hæc fuisse responderint, ab omnibus passionum generibus erit excepta diuinitas, quæ particeps passionũ generibus carnis non fuit, licet susceptæ carni nec in passione defuerit: si autem Deitatem Christi asserunt tristitia, mœrore, tædio, & pauore concussam, passibilem dicentes deitatem, animabus nostris fatebuntur æqualem. Restat autem vt Angelorum imparem dicant, quam passioni subiacere pronunciant, hoc enim nostris sunt animabus Angeli quammaximè potiores, quia sicut à peccatis, ita sunt à passionibus alieni, quod etiam rectè se colentibus, & sanctè conuersantibus, in retributione Dominus repromittit, dicens: *Erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Tunc vtique, cum secundum beati Pauli testimonium, *corruptibile* (hoc est mortale) *ita induetur incorruptione & immortalitate, vt corruptio incorruptionem possidere non possit*: quæ non solùm in peccato consistit, sed etiam in infirmitate, quæ præuaricatori ex pœna cognoscitur accidisse peccati, nam peccato nos & infirmitate tunc omnimodis carituros Apostolus testatur, & dicit: *Tunc fiet sermo, qui scriptus est: absorpta est mors in victoria. Vbi est mors contentio tua? Vbi est mors stimulus tuus? stimulus autem mortis peccatum est.* Absorpta ergo morte in victoria, nulla erit animæ carnisve corruptio, quoniam cum à nobis amota fuerit omnis iniquitas, nulla remanebit infirmitas. De talibus vtique dicit Esaias. *Gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet ab eis dolor & gemitus.* De his etiam Ioannes in Apocalypsi loquitur: *Non esurient, neque sitient, neque cadet super eos sol, neque vllus æstus*, & vt ostendat, hanc eos Christi dono gratiam adepturos, sequutus adiunxit: *Quia agnus qui in medio Throni est, reget eos & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & abstergет Dominus omnem lachrymam ab oculis eorum.* Cum ergo talis hodie sit Angelorum beata securitas, & lætitia, passionum prorsus ignata, vt nullò peccati casu, nullo infirmitatis quatiantur incursu, tandem * resipiscant, in quod blasphemiæ barathrum deuoluuntur, qui diuinitatem Christi passionibus subiicientes humanis, Dominum Angelorum conantur in substantia quam habet ex patre, inferiorem Angelis demonstrare. Falsum igitur est, quod ipse dicit: *Non est seruus maior Domino suo.*

Liquet ex his verbis veram fuisse in Christo animam.

In retributione erunt iusti sicut Angeli Dei. Matt. 22.

1. Cor. 15.

Esa. 35.

Apoc. 7.

* respiciant.

CAPVT XX.

AN illud abiiciendum putant, quod Dauid dicit de filio hominis: *Domine quid est homo, nisi quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minorasti eum paulò minùs ab Angelis*: sed aduertant Paulum Apostolum hunc locum ad mortis humanæ intelligentiam referentem, ita vt istam minorationem non solum naturæ humanitatis assignet, quin etiam diuinitatem Christi à consortio passionis & mortis exceptet: ita namque ad Hebræos loquitur: *Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, vidimus Iesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum, vt sine Deo pro omnibus gustaret mortem*: non autem hic Christum diuisit Apostolus, sed ostendit in vno Christo, quæ substantia passibilis & mortalis fuerit, quæ autem impassibilis, & immortalis permanserit. Sine Deo igitur homo ille gustauit mortem, quantum ad conditionem attinet carnis, non autem sine Deo quantum ad susceptionem pertinet Deitatis: quia impassibilis atque immortalis illa diuinitas, cum in veritate formæ seruilis, & pati voluntariè pro nobis dignaretur & mori, sicut in morte solius carnis immortalis fuit, sic in passionibus totius hominis impassibilis omnino permansit.

Minorasti eum paulò minùs ab Angelis. Psalm. 8.

Heb. 2.

CAPVT XXI.

SEd nunc ostendendum à nobis est, passionem tristitiæ, mœroris, tædij, & timoris ad animæ substantiam propriè pertinere, vt in eo quod ingrati gratiæ Christi diuinitatem eius cupiunt subdere passioni, appareat quid cuiusque naturæ sit proprium, & in eo magis agnoscatur Domini mirabilis, inuictáque clementia, cum probauerimus animæ carnisque substantiam, ob hoc cum suis passionibus à Deo susceptam, vt sicut saluo diuinæ impassibilitatis statu, voluntaria susceptione mortis in carne sua mortem nostram cognoscitur occidisse, sic voluntaria susceptione tristitiæ ad hoc cognoscatur animam rationalem cum suis passionibus suscepisse, vt animas nostras ab omnibus dignaretur passionibus liberare. Ostendamus igitur tristitiam Christi non ad diuinitatis, nec ad carnis, sed animæ pertinuisse substantiam.

Tristitia & similes affectus, non carni, nec Deitati, sed animæ Christi tribuuntur.

Atque vt hoc integra possit manifestatione cognosci, attendamus quid discipulis penè sub ipso dixerit tempore passionis, vt se veram animæ substantiam non minus officio quam nomine demonstraret. *Tristis est*, inquit, *anima mea vsque ad mortem.* Quis autem ambigat: nec in diuinitatem posse tristitiam cadere, nec ad carnis officium pertinere? animæ namque est proprium metuere, desiderare, tristari, gaudere; sicut etiam carminis Dauidici textus ostendit, dicentis: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* Anima tristatur, ipsa turbatur, ideò & ipse Saluator, vt ostenderet perturbationem istam non carni, sed animæ deputandam, sic discipulos suos consolatur, cum de futuro eius contristarentur abscessu: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet*, ad eosdem denuò sic loquitur: *Nunc vado ad eum qui me misit, & nemo ex vobis interrogat me, quo vadis? sed quia hæc loquutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum.* Quis carni vel diuinitati audeat assignare, quod ad officium cordis Dominus dicit propriè pertinere? nam cum superius dixerit; *Non turbetur cor vestrum, neque formidet*, vbi propriè cordis nomine humanam animam demonstrauit, ac deinde dixerit: *Tristitia impleuit cor vestrum*, vt euidentius ostenderet, & tristitiam, & gaudium ad animam pertinere, rursus Apostolis dicit: *Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos: mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius, cum autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum; & vos igitur nunc quidem tristitiam habetis. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Ecce propriè in homine tristitia, formido & gaudium cordi (id est, animæ) deputantur, propterea

Tristis est anima mea vsque ad mortem.

Psal. 41. 42.

Non conturbetur cor vestrum.

Ioan. 14.

Ioan. 14.

Et gaudebit cor vestrum

2.Thess.2. pterea & Apostolus dicit: *Ipse autem Dominus Iesus Christus, & Deus & pater noster, qui dilexit nos & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratia, soletur corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono*, vbi autem potest adhiberi consolatio, nisi vbi potest irrepere mœstitudo? quæ quia proprie ad animam pertinent, propterea de Christo scriptũ est: *Quia cœpit contristari & mœstus esse, & cœpit pauere & tædere:* & ipse dicit, *Tristis est anima mea vsque ad mortem. Et nunc anima mea turbata est.*

CAPVT XXII.

Gaudeo vt credatis, quia non eram ibi. GAudium quoque in sua Saluator anima monstrauit, cum discipulis de Lazaro diceret: *Lazarus amicus noster mortuus est, & gaudeo, vt credatis, quia non eram ibi.* Substãtia hominis vtique gaudebat in Christo, quæ pro naturali consortio gaudiũ iam habuit de Lazaro suscitando: simul, vt & discipuli verum Deum intelligerent in homine, quem cognouissent etiam longè posita non latere; atque vt omnia in se Christus animæ officia demonstraret, etiam desiderium à sua anima fieri noluit alienum, dicens discipulis: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* (Desiderio desideraui hoc pascha, &c. Luc.22.) Nemo potest hæc omnia vel naturæ deputare carnis, vel substantiæ Deitatis, quoniam caro nec viuere potest per semetipsam, nec sentire, nec tristari, nec desiderare, nec metuere, nec mœrere. Deitas nihil metuit, quoniam omnium dominatur; in nullo tristatur, quoniam ei nihil passionis infertur: in nullo metuit, quia nulla est illi naturalis infirmitas, nihil desiderat, quia omnia potest, & omnia possidet. Hæc ergo cuncta in anima, quam susceperat, pertulit Christus, vt veram totamque in se cum suis infirmitatibus, hominis demonstraret accepisse substantiam, & infirmitatibus, quas pro infirmis accepit, virtutem perficeret, quam infirmis attribuit, (Infirmitates Christus accepit, vt in nobis virtutem perficeret.) qui & hominis carnem propterea mortalem habuit, vt mortalibus plenam cõferret immortalitatis gratiam: & hominis animam cum infirmitatibus suis sine peccato suscepit, vt nostris animabus impenderet medicinam, quia sicut, Esaia teste, *vulneratus est propter iniquitates nostras* (quod propriũ carnis fuit; quippe cum iam defuncti latus lancea percuteret miles) *ita infirmatus est propter peccata nostra*, quod est animæ, cuius pro nobis infirmitatem suscepit. Huius animæ ponendæ ac resumendæ habens plenissimam potestatem, dicebat: (In Christo potestas ponendæ & resumendæ animæ. Ioan.10.) *Propterea me pater diligit, quia ego pono animam meam, & iterum sumam eam; nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso, potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc præceptum accepi à patre meo.* Quæro in hoc loco ab his, qui in Christo humanam animã dicunt omnimodis non fuisse, quã hic substantiam credant animæ vocabulo nuncupatam? vtrum diuinitatis, an carnis? vel quæ in Christo substantia ponendæ animæ sibi vindicet potestatẽ? Quod si diuinæ substãtiæ hanc potestatem tribuũt, vt carnem dicant animæ vocabulo nuncupatam, quam in passione fuerat positura diuinitas, vt secundum eorum voluntatem nunc interim disputemus, si diuinitas de carne dicit: *Potestatem habeo ponendi animam meam*, dum carnem, vocabulo animæ nuncupat, carni sine dubio cunctas etiam infinitates assignat, dum dicit: *Anima mea turbata est.* Dum dicit: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*: cum ergo non dixerit Christus: Tristis sum vsque ad mortem, sed dixerit: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, nec dixerit: Turbatus sum, sed *anima mea turbata est*, has vtique passiones carnis esse monstrauit. Diuinitatem vero suam impossibilem omnino perdocuit. Quod si fortè substantiæ carnis hanc tribuunt potestatem, tanquam caro de diuinitate dixerit: *Potestatem habeo ponendi animam meam*, tantumne eos diuinam Christi delectat minorare substantiam, vt eam carnis suæ potestati subiiciant: vt ipsa obedierit carni, cum ei caro debuerit famulari.

CAPVT XXIII.

ILla ergo vox, qua dictum est: *Potestatem habeo ponendi animam meam*, totius hominis esse credẽda est; sicut enim totus semetipsum tradidit, & totus homo semetipsum obtulit, de quo dicit Apostolus, *Ambulate in dilectione sicut & Christus dilexit nos & tradidit semetipsũ pro nobis oblationem, & hostiam Deo, in odorem suauitatis*: (Potestatem habeo ponẽdi animam meam. Ephes.5.) ita totus homo animã suã posuit, cum anima in cruce, carne moriente discessit: quam tamen carnem nec in morte diuinitas deseruit, sicut nec in inferno animam dereliquit: de qua etiam Propheta dixerat: *Non derelinques animam meam in inferno.* (Psal.15.) Cùm ergo homo Christus tantam acceperit potestatem, vt cum vellet, animam poneret, & cum vellet, denuo resumeret, quantam potuit habere Christi diuinitas potestatem, cui hoc est semper velle quod posse. Nam in hoc loco verè impassibilis atque inuicta diuinitas, vniuersa prorsus hæreticæ falsitatis commenta destruxit: (Sola diuinitas plenam habet potestatem.) si enim integra fuit dicentis potestas, voluntaria fuit patientis infirmitas: voluntas autem quæ ex potestate venit naturalem vtique veritatem diuinitatis humanitatisque seruauit, nam potestas naturalis procul dubio defuit, si in diuinitate Christi quælibet infirmitas fuit: qualiter autem patiendi potestatem humanitas habuit, si plenam impassibilitatem diuinitas habere non potuit? Cognoscatur ergo, quoniam vbi naturaliter plena est potestas, nulla potest esse passionis infirmitas; quoniam potestas Christi, qua immortalis permansit, cum moriens in carne Christus animam poneret, ipsa sine tristitia permansit, cum voluntariam ex potestate Christus in anima tristitiam sustineret. Ideo autem ille homo potestatem ponendæ animæ habuit, quia eum diuina potestas in vnitatem personæ suscepit. Quæ autem plena est potestas, nisi sola diuinitas? de qua dicitur: *Omnia quæcunque voluit fecit*, (Psal.134.) & cui dicitur: *Subest enim tibi, cum voles posse*, (Sap.12.) propterea in illo dignè plena potestas creditur, cui tantum posse, quantum velle, & tantum velle, quantum posse, naturaliter suffragatur.

CAPVT XXIV.

ADhuc autem veram se Christus animam suscepisse tam nomine dignatur monstrare, quam opere, dicens: (Vera in Christo anima. Ioan.15.) *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam quis ponat pro amicis suis.* Vnde sciens Petrus animam Christi proprio, substantialique vocabulo nuncupatam, ne quisquã putaret, à Domino carnem, nomine forsitan animæ designari, perfectæ mutationis, quam fuit postmodum accepturus, cupiens sectari virtutem, dicenti Domino: *Quo ego vado, non potes me sequi modò, sequeris autem postea, respondit: Domine, quare non possũ sequi te modò? Animã meã pro te ponã.* (Ioan.13.) Ostẽdit vtique Christum pro se animam positurum, cum si in hoc eum sequi diceretur, etiam ipse pro Christo animam posuisset. Nam quia diuinitatis naturam communem Petrus cum Christo non habuit, non ei de diuinitate potuit dicere: animam meam pro te ponam. Rursus

si carnem pro se nosset tantummodo posuisse, possit etiam ipse dicere: corpus meum pro te ponam, sicut propriè corpus ostendit Paulus, vbi dixit: *Si tradidero corpus meum, vt ardeam.* Sed quoniam sciebat Petrus, Christum pro nobis animam positurũ, propterea in eo se Dominum velle sequi monstrauit, in quo pro eo animæ ponendæ demonstrauit affectum, vt quam pro se Christum posuisse sciret, hanc ipse pro Christo similiter posuisset. Et vt omnis prauæ caligo sententiæ, clarissimo prorsus Catholicæ veritatis lumine dissipetur, Ioannis informemur eloquio, qui ad imitationem Christi fideles exhortans, quod in capite nouerat factum, hoc in mēbris præcipit faciendum. *In hoc*, inquiēs, *cognoscimus charitatem, quoniam ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Animam igitur ponere, dilectionis est proprium, vbi autem dilectio non est, corpus tradi dicitur, anima poni non dicitur, sicut Vas electionis, plenum dilectionis, omnino testatur: *Si tradidero corpus meum, vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest:* ostēdit sine charitate corpus posse tradi, non animam poni, vbi autē dilectionis suæ significare nititur puritatē, sic Thessalonicensibus scribit: *Cupidè volebamus tradere vobis, non solũ Euangeliũ Dei, sed etiam animas nostras:* & vt charitatis hoc esse demonstraret, adiecit: *quoniam charissimi nobis facti estis.* Ideo etiam Petrum qui se pro Domino animam suam spoponderat positurum, vt agnosceremus officium ponendæ animæ in dilectione constare, primitus Christus ad confessionē amoris inuitat, vt facultatem ponendæ animæ, suo deinceps amatori concedat, sic eum denique interrogat: *Simon Ioannis, diligis me plus his?* Dicit ei: *Etiam Domine, tu scis, quia amo te:* Cumque hoc etiā secundo dixisset, *dicit ei tertiò: Simon Ioānis amas me?* Cumque ille tertiò interroganti, trinum amoris sui testimonium reddidisset, statim Dominus Petro ponendæ pro se animæ largitus est facultatem, dicens? *Amen amen dico tibi, cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo non vis.* Statim Euangelista subiecit, dicens: *Hoc autem dixit, significans, qua morte clarificaturus esset eum: & cum hoc dixisset, dicit ei, sequere me.* Ecce qualiter eum, & antea sequi Petrus volebat, quando pro eo animam ponere cupiebat, sicut eum postea recto dilectionis itinere sequi meruit, quando pro eo animam in passione deposuit.

1. Cor. 13.

1. Ioan. 3.

1. Tess. 2.

Ioan. 21.

CAPVT XXV.

In Christo veræ fuerūt infirmitates humanæ, sed tamen voluntariæ.

QVocirca, quia manifesta scripturarum attestatione probatum est, dilectionem deesse, vbi solum corpus ponitur, ibi autem charitatem esse, vbi anima cum corpore ponitur, Christus ex virgine plenus credendus est Deus, & plenus homo, id est, anima rationalis & caro, & sicut fidei Catholicæ veritas habet, in vno eodémque Christo credamus secundum veram substantiam carnis, voluntariā & veram famem, cum esuriens ad ficulneam veniret: voluntariam, & veram sitim, cum bibere à Samaritana deposceret, vel cum se sitire in cruce dixisset: voluntariam & veram lassitudinem, cum fatigatus ab itinere super puteum sederet; voluntarium & verum vulnus, cum militis lancea percuteretur in latere: voluntariam & veram mortem, cum inclinato capite spiritum emisisset in cruce: voluntariam & veram sepulturam, cum eum depositum de ligno Ioseph & Nicodemus ponerent in sepulchro. Has enim carnis omnes infirmitates, volūtarias quidem, sed veras Christus habuit, quia carnis humanæ naturā, non in phantasia, sed in veritate suscepit, quas passiones propterea in carne voluntarias habuit, vt in veritate carnis, diuina potentia, quæ nec pati potuit aliquando, nec mori, infirmitatem mortem que deuinceret, & carnem suam in vitam virtutémque perpetuam suscitaret. Quòd Paulus sic ore veridico protestatur: *Christus surgens à mortuis, iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur. Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autem viuit, viuit Deo.*

Christus surgens à mortuis, iam nō moritur. Mors ei vltra non dominabitur. Rom. 6.

Quis autem ignoret Christum, nec in diuinitate, sed in solo corpore mortuum & sepultum? Quod euidenter Ioannes his verbis ostendit. *Post hæc autē,* inquiens, *rogauit Pilatū Ioseph ab Arimathia, eo quod esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum, vt tolleret corpus Iesu, & permisit Pilatus: venit ergo, & tulit corpus Iesu. Venit autē & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam Myrrhæ & aloës, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, & alligauerunt* * *eum cum linteis, cum aromatibus, sicut Iudæis mos est sepelire.* Ecce facta distinctione diuinitatis, & carnis & animæ quantum ad proprietatem substantiæ attinet, solum corpus Iesu dicit de cruce depositum, aromatibus condîtum & linteis obuolutum: propter vnitatem vero personæ, quoniam Deus hominē, quem ex virginis vtero suscepit, nec in morte, nec in sepulchro deseruit, propterea secutus Ioannes adiecit: *Erat autem in loco vbi crucifixus est, hortus, & in horto monumentū nouū, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter Parasceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.* Verè diuino spiritu plenus sanctus Euangelista loquutus est, vt primitus, quid in Christo mortuum fuerit, & sepultum, ostendens, diceret acceptum corpus Iesu, & ligatum linteis cum aromatibus. Et quia *quod Deus coniunxit, homo non separat,* propterea non corpus Iesu, sed Iesum dicit in monumento positum: sciebat enim quod ille susceptor pleni hominis Deus, totus esset cum carne sua in sepulchro, totus cum anima sua in inferno, totus in mundo, totus in cœlo, totus in vnitate naturæ in patre, de quo exttitit, totus per omnipotentiam diuinitatis suæ in tota creatura quam fecit.

Ioseph tulit corpus Iesu.

Ioan. 20.

* Illud.

Ibi posuerunt Iesum, non dicit, corpus Iesu, quia in sepulchro erat diuinitas.

CAPVT XXVI.

Vnitas personæ Christi, ex verbis Apostoli.

HAnc in Christo vnitatem personæ seruās Apostolus, sic Corinthiorum in fide veritatis cōfirmat Ecclesiam: *Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum scripturas.* Mortuum dixit non corpus Christi, sed Christum, vt vnitatē personæ Dei hominisque seruaret; vt autem substantialem proprietatem Deitatis & humanitatis ostenderet, alio loco (sicut superius iam posuimus) dicit: *Nā & si crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei.* Attendenda est Apostolicorum virtus præclara dictorum, si & Paulus dixisset de Christo, *quia crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute,* & nō addidisset, Dei; nec sic debuit infirmitas passibilitatis humanæ cū diuinæ virtutis impassibilitate cōfundi. At cum virtutē Deitati Paulus assignet, quis non videat, quod ea, quæ infirmitatis videntur, hominis esse denūciet: nā & quod dicit de Christo, quia *viuit ex virtute Dei,* ex sua Deitate vtique vult, quod ipse est virtus Dei, & sic viuit sicut pater viuit: Quoniam ipse est via, veritas & vita. Nam vt vnam viam patris filiique Ioannes nobis insinuaret Apostolus, epistolæ suæ hoc ponere curauit exordium: *Quod erat ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod inspeximus, & manus nostræ contrectauerūt de verbo vitæ, & vita palam facta est. Et vidimus, &*

2. Cor. 13.

Viuit ex virtute Dei. 1. Ioan. 1.

testa

testamur,& nunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, & palam facta est nobis. Filium Dei, quem verbum Dei superius dixit, vitam in subsequentibus nominauit:quod est autem verbum vitæ, nisi verbum Dei?Et quoniam verbum vitæ vita est, vna est vtique vita,illud vitæ verbum, & vitæ cuius est verbum. Ideo ergo Christus qui mortuus est,ex infirmitate,viuit ex virtute Dei,quoniam illi diuinitati hoc est vitam esse, quod est virtutem esse, & propterea hoc est illi posse quod viuere,& ideo nec in passione virtutem vita deseruit, nec in morte Christi virtus à vita discessit,quoniam Christi diuinitas (quæ virtus & vita est) mutari non potuit.

CAPVT XXVII.

Rom.8. Pro nobis omnibus tradidit illũ, qui tradidit semetipsum pro me. Gal 3.

RVrsus pro vnitate personæ in Christo firmissime commendanda sic Paulus scribens Romanis posuit,dicens de Deo: *Qui filio proprio non pepercit,sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Atque vt illa traditio voluntaria ex potestate filij monstraretur effecta, filium quoque pro nobis se memorat tradidisse,dicens alio loco: *Quod autẽ nunc viuo in carne, in fide viuo filio Dei,qui dilexit me,& tradidit semetipsum pro me.* Sed vt ostẽderetur,quid in Christo potuerit tradi,prophetice dicit liber Iob: *Terra tradita est in manus impy,*& tamẽ pro vnitate personæ,non solum humanitatem Christi, sed Christum traditum tenet & confitetur Ecclesia: quoniam in illa traditione, salua proprietate vtriusque naturæ, nec homo susceptus separari potuit à Deo, nec Deus potuit ab homine segregari suscepto. Sicut ergo passionem mortis,& mortem propter vnitatem personæ Dei quidem filio scriptura prorsus assignat, & tamen deitatem impassibilem immortalémque pronunciat, ita & animæ tristitiam,& perturbationem, quam voluntariam in anima Dei filius habuit, sic habuisse credatur, vt etiam ipsas humanæ animæ passiones, ex voluntate veras, & in veritate voluntarias non negemus: ipsa quoque Christi diuinitas, quæ secundum animam contristari, & secundum carnem dignata pro nobis est mori, secundum substantiæ proprietatem, sicut immortalis, sic est impassibilis prædicanda. Quæ quia verum hominem suscepit, ideò cunctas naturæ humanæ infirmitates, veras quidem, sed voluntarias in eadem veritate naturæ dumtaxat humanæ sustinuit. Quis autem tam mortiferam sectetur improuidus de Christo sententiam, vt famem illam, sitim, lassitudinem, passionem, & mortem, & rursus tristitiam, perturbationem, metum,& tædium (quæ carnis,& animæ esse, nemo potest aliquatenus dubitare) sic vera fuisse credat in natura hominis, vt ab his immunem non credat substantiam deitatis, cum sperantibus in se, hoc vt superent Christus dederit, quod pro nobis ipse voluntate persensit. Propter quod diuinitus inspiratus, perfidis, ac mortiferis cogitationibus Esaias obnititur,dicens: *Deus æternus,Deus qui fecit fines terræ, non esuriet, neque laborabit, neque inueniri potest prudentia eius præstans esurientibus vires, & non dolentibus mœrorem: esurient enim iuuenes,& laborabũt adolescentes,& electi sine viribus erunt,qui verò expectant Dominum,exultabunt, cum virtute perducent pennas sicut Aquilæ, current & non laborabunt,ambulabunt & non esuriẽt. Ipse quoque panis, qui de cœlo descendit,* credentibus in se perfectam satietatem veraciter repromittit dicens. *Qui venit ad me,non esuriet, & qui credit in me non sitiet in æternum.* Rogo,qualiter hæc virtus concedetur hominibus,si eam habere non potuit Deus? Aut quomodo Christus in sua diuinitate non habuit, quod ab eo Paulus, vt haberet accepit? Ipse enim de se similibúsque testatur,dicens: *Tribulationem patimur,sed non coãgustamur,*& alio loco: *Quasi morientes,& ecce viuimus,vt castigati, & non mortificati, quasi tristes, semper autem gaudentes, sicut egentes,multos autem locupletantes,tãquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Quàm graue atque incongruũ est,& à vera fide modis omnibus alienum, vt Paulus in vna eadémque animæ substantia,cum tristatur, possit in domo Christi semper gaudere, & de Christi diuinitate dicatur, quod tristis in anima, quam suscepit, non potuit in seipsa sine tristitia permanere.

Margin notes: Iob.9. — Propter vnitatem personæ in Christo mortuus dicitur filius Dei. — Non sunt Christi infirmitates, eius Deitati ascribendæ. — Esa.40. — Ioan.6. Qui venit ad me, non esuriet. — 2.Cor.4. 2.Cor.9.

CAPVT XXVIII.

NOn timet Ioannes,qui dicit: *Timor non est in charitate, nam perfecta charitas foras mittit timorem: qui autem timet,non est perfectus in charitate.* Audierat enim à Domino: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Timorem nullus audet ascribere Ioanni, & timor mortis adscribitur Deitati? Sperat in illo Dauid & dicit: *In Deo sperabo,non timebo quid faciat mihi homo,* idemque cónfidenter ingeminat: *Dominus illuminatio mea,& salus mea,quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, à quo trepidabo.* Et ipse Dominus Apostolis dicit: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet*: Idẽ denuo, *Gaudete,*inquit,*quia ego vici mundum.* Expectantes igitur eum, fortitudinem sumunt, pennas producunt, quibus ad cœlestia subieuentur, currentes nesciunt laborem, ignorant ambulantes esuriem, in tribulatione non patiuntur angustiam, morientes retinent vitam, tristes quidem videntur, tamen semper gaudentes exultant, egeni diuitias pluribus conferunt, & omnia possident, dum nihil habere contendunt, dilectione Christi repleti, carent timore, ab ipso illuminati, fatentur se nullum metuere, ipso defensore, nequeunt ab aliquo trepidare: de corde eorum turbatio propellitur, & formido; gaudent, quia vident mundum à Christo deuictum. Si hæc seruis accipientibus nemo potest adimere, qualiter Domino largienti perfida cæcitas, vel potius cæca perfidia,quod diuinum naturaliter habet,conatur auferre? Quis autem non videat in illis passionibus Christi, quædam nostrarum virtutum semina contineri? Vnus ergo idemque Christus in humanitate, quæ humana sunt sensit,in diuinitate autem impassibilis, immortalisque permansit.

Margin notes: 1.Ioan.4. Matth.10. Perfecta charitas foras mittit timorem. — Ioan.14. Ioan.14. Ioan.16.

CAPVT XXIX.

DEi enim filius verbum, & sapientia patris, ipse est salus, de quo Propheta dicit: *Salus nostra cito veniet.* Ipse virtus,& sapientia: *Christus enim Dei virtus & Dei sapientia.* Ipse saturitas, quia *panis est qui de cælo descendit.* Idem via, *ipse veritas,ipse vita.* Idem gaudium, & lætitia nostra, de quo Propheta dicit: *Et factum est mihi verbum tuum in gaudium, & lætitiam cordis mei.* Ipse lumen verum, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* His nominibus superius designatis incómutabilis atque impassibilis inuenitur. Ægrotare non potest salus, infirmari non nouit virtus, nescit saturitas esurire, via nequit errare, sapientia non mutatur, vita non moritur, lumen non extinguitur, nec veritas deprauatur, nescit tristari lætitia, Deitas non potest superari: propterea vtique etiam Christi humanitas sine peccato permansit, quia eam in vnitate personæ diuinitas accepit, quæ naturaliter peccare

Margin notes: Esa.46.56. — 1.Cor.1. Nomina filij Dei quoad eius diuinitatem. — Ioan.14. — Ioan.1.

Homo Christus peccata nostra portauit.

care non nouit. Homo ergo Christus, quoniam peccata nõ habuit propria, portare dignatus est aliena: illorum autem à se voluit peccata portari, cum quibus tenebatur consortio naturali, dicente Apostolo: Heb.2. *Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur ex vno omnes.* Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Psalm.21. *Nunciabo nomen tuum fratribus meis.* Esa.53. Esaias etiam Propheta, pietatis huius taliter effectum prænunciat, vt hominis in eo nomen euidenter ostendat, hæc dicens: *Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est?* Cum dicit brachium Domini, diuinitatem filij Dei ostendit, ac deinceps incipit Incarnationis, & Passionis mysterium prædicare: *Annunciauimus coram ipso, vt puer, vt radix in terra sitienti. Non est ei species, neque gloria. Et vidimus eum, & non habuit speciem, neque decorem, sed species eius sine honore, & abiecta præ omnibus hominibus: homo in plaga, & sciens ferre infirmitatem, quoniam auersatus est, facies eius dehonestata est, nec aliquid æstimata est. Hic peccata nostra portat, & pro nobis dolet, & nos existimauimus eum in doloribus esse. Et in plaga, & in vexatione, ipse autẽ vulneratus est propter iniquitates nostras, & infirmatus est propter peccata nostra. Eruditio pacis nostræ in eum, liuore eius nos sanati sumus, omnes vt oues errauimus: homo à via sua errauit, & Dominus tradidit eum pro peccatis nostris, & ipse, quia male tractatus est, non aperuit os, vt ouis ad immolandum ductus est, & vt Agnus ante eum qui se tondet sine voce, sic non aperuit os suum. In humiliatione iudicium eius sublatum est. Generationem eius quis enarrabit! quoniam tolletur à terra vita eius, ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem.* Et vt Propheta plenã in Christo substantiam hominis demonstraret, paulò inferiùs adiecit: *Peccata eorum ipse portabit. Ideò ipse hæreditate possidebit multos, & fortium partietur spolia, propter quod tradita est in morte anima eius, & inter iniquos deputatus est. Et ipse peccata multorum sustinuit, & propter iniquitates eorum traditus est.* Ex his Prophetæ verbis, & anima tradita cognoscitur Saluatoris & caro, quia totus pro nobis ad crucem ductus est homo. Sic enim oportuit nostrorum peccatorum deleri chirographum, vt dum vetus homo noster simul cruci affigitur, tanquam in trophæo, triumphatoris victoria panderetur.

Plena humanitas Christi.

CAPVT XXX.

Non sensit caro Christi corruptionẽ in sepulchro, nec in anima eius pœnam in inferno.

RESTABIT tamen ad plenum nostræ redemptionis effectum, vt illuc vsque homo sine peccato à Deo susceptus descenderet, quousque homo separatus à Deo, peccati merito cecidisset, id est, ad infernum, vbi solebat peccatoris anima torqueri, & ad sepulchrum, vbi consueuerat peccatoris caro corrumpi: sic tamen, vt nec Christi caro in sepulchro corrumperetur, nec inferni doloribus anima torqueretur: quoniam anima immunis à peccato, non erat subdenda supplicio, & carnem sine peccato non debuit vitiare corruptio. Nam quia peccans homo metuit in seipso per supplicium diuidi, quia maluit à Deo, qui diuidi non potest, præuaricationis reatu disiungi. Propterea factum est, vt peccatoris mors carnem peccati ad sepulchrum corrumpendam perduceret, animam inferno torquendam protinus manciparet; sed hæc vlciscentis Dei æquitas fecit, quæ ideò taliter peccatorem addixit, quia ne peccaret, ante prædixit. Hæc fuit retributio peccatori reddenda, vt iustè peccati supplicium lueret, qui Deo iusto iniustè peccasset. Vt autem peccator fuisset gratuito munere liberatus, factum est, vt mortem corporis, quam à Deo iusto peccator homo pertulerat iustè, Dei filius à peccatore pateretur iniustè, & ad sepulchrum perueniret caro iusti, quousque fuerat caro deuoluta peccati; & vsque ad infernum descenderet anima saluatoris, vbi peccati merito torquebatur anima peccatoris. Hoc autem ideo factum est, vt per morientem temporaliter carnem iusti, donaretur vita æterna carni, & per descendentem ad infernum animam iusti, dolores soluerentur inferni. Vtrumque autem Scriptura sancta non tacuit: de resurrectione quidem carnis sic beato Paulo loquente: *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Idem homo Christus est, qui pro nobis & Pontifex factus est, dum semetipsum passioni obtulit, & hostia factus est, dum passionem ipse suscepit, huic dicitur: *Tu es Sacerdos in æternum secũdum ordinem Melchisedech.* Et Sacerdos tamen, & hostia, humanæ naturæ tam officia cognoscuntur esse, quam nomina: & quoniam idem Pontifex infirmitates nostras suscepit, & habuit, propterea de ipso Apostolus dicit: *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris*: & vt se de natura humana loqui doceret, adiecit: *Tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*: & paulò inferius subdidit: *Omnis enim Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis, qui condolere possit his qui ignorant, & errant. Quoniam & ipse circumdatus est infirmitate.* In eo ergo, quo circumdatus fuit infirmitate, in eo condoluit ignorantiæ, & erroribus nostris, & in eo compassus est infirmitatibus nostris: ibi est enim vnitas compassionis, vbi est vnitas naturalis: in eo autem nobis Pontifex ille compassus est, in quo etiam nos compatimur, dicente beato Apostolo: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei, si autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Si tamen compatimur, vt & *glorificemur.* Beatus quoque Petrus ad huius nos gratiam compassionis hortatur, dicens: *Charissimi, nolite expauescere in feruorem, qui ad tentationem vobis fit.* Nolite pauere, tanquam noui vobis aliquid contingat, sed vt communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. In natura ergo humana Pontifex ille veritatem sustinens passionis, in ea vtique nouit compati membris suis, propterea & beatus Paulus dicebat: *Vt adimpleam ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia.*

Salus per Christum & caro & anima hominis.

1.Cor.15.

Psalm.109.

Heb.4.

Ibid, 5.

Christus cõdoluit, & compassus est nobis.

Rom.8.

* conglorificemur.

1.Pet.4.

CAPVT XXXI.

QVid autem mirum, quoniam Pontifici nostro naturali communione compatimur, cum nos beatus Apostolus etiam cum illo mortuos esse testetur his verbis: *Si mortui estis cum Christo, quid adhuc tanquam viuentes in mundo, discernitis?* Dicit etiam Timotheo: *Memor esto Iesum Christum resurrexisse à mortuis, ex semine Dauid, secundum Euangelium meum, in quo laboro vsque ad vincula, quasi male operans, sed verbum Dei non est alligatum. Omnia autem sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu cum gloria cælesti.* Sciens ergo Apostolus Iesum Christum ex semine Dauid à mortuis surrexisse, in quo vtique communio naturæ manifestatur humanæ, in quo eum mortuum nouerat, in eo nos illi commortuos esse commemorat, dicens. *Fidelis sermo: Nam si commortui*

Coloss.2.

Nos quoque oportet cõpati & commori Christo.

2.Tim.2.

Ista Dei vltio de peccato primi hominis.

Hebr.5. Ephel.5. *mortui sumus,& conuiuemus,si sustinebimus, & conregnabimus.* Pontifex ergo ille, *qui semetipsum pro nobis obtulit* (sicut Apostolus dicit) *oblationem,& hostiam Deo in odorem suauitatis*, sicut mortuus pro nobis omnes nos sibi commori fecit: sic solutis doloribus inferni, omnes fideles ab iisdem doloribus liberauit. Sicut beatus Petrus testificatur, & dicit: *Iesum à Nazareth, virũ approbatum à Deo in vobis virtutibus, & signis, & prodigiis, quæ fecit per illum Deus in medio vestri, sicut vos scitis. Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis, quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illũ ab eo.* Vbi etiam Dauid, cum illud (quod in primo libro posuimus) testimonium ita protulisse monstratur: Dauid enim dicit in ipsum: *Prouidebam Dominum corã me semper, quoniã à dextris est mihi ne commouear. Propter hoc iocundatum est cor meum, & exultabit lingua mea. Insuper,& caro mea requiescit in spe, quoniã non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ,& adimplebis me iocũditate cum facie tua.* Ibi beatus Petrus diuino vere spiritu illuminatus, & secũdũ Domini sermonem, lux mundi effectus, qualiter hunc locum intelligere deberemus, clarissima luce prædicationis ostendit, ne quis in Christo veram carnem sic intelligeret, vt veram in illo animã denegaret: sequitur ergo: *Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quia & defunctus est,& sepultus est, & sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem. Propheta igitur cùm esset, & sciret, quia iureiurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius sedere super sedem eius. Prouidens loquutus est de resurrectione Christi, quia neque derelicta est anima eius in inferno, neque caro eius vidit corruptionem.* In hoc igitur diuinitas Christi virtutem suæ impassibilitatis ostendit, quæ vbique semper atque ineffabiliter præsens,& secundum animam suam in inferno sine doloribus fuit,& secundum carnem suam in sepulchro sine corruptione iacuit, quia nec carni suæ defuit, cum animam suam in inferno dolere non fineret, nec animam suam in inferno deseruit, cum in sepulchro carnem suam à corruptione seruaret. Dignum namque fuit, vt carnem sepulchri non corrumperet locus, quam peccati non corrupit affectus, & animam dolor non contigisset inferni, quam seruitus nequiuit tenere peccati. Propter hoc in Psalmo, cum ex forma serui, in qua Christus nostra peccata portauit, diceret: *Quia repleta est malis anima mea, & vita mea in infernum appropinquauit*, vt ostenderet eandem animam suam à peccato liberam, in infernum pro nobis peccatoribus descendisse, subdidit dicens: *Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber.*

Act.2. Testimoniũ S. Petri de resurrectione carnis & animæ Christi.

Psalm.15.

Act.2.

Non habuit in inferno anima Christi dolorem.

Psalm.87.

CAPVT XXXII.

Filius Dei ratione carnis dicitur mortuus, & resurrexisse. Rom.5. Act.3.

VEruntamen cum sola caro moreretur,& resuscitaretur in Christo, propter vnitatem personæ Dei, & hominis, filius Dei dicitur mortuus. Quod euidenter his verbis Paulus Apostolus protestatur: *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multò magis recõciliati salui erimus in vita ipsius.* Rursus filium Dei resurrexisse Petri prosequutione firmatur, Iudæos ad credulitatem Christi taliter exhortantis: *Vos estis filij Prophetarũ & testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abrahã: Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ, vobis primum suscitans Deus filium suum, misit eum benedicentem vobis, vt conuertat se vnusquisque à nequitia sua.* Etiam in hoc capitulo, quem semen Abrahæ memorat, eundem filium Dei Petrus beatus appellat. Non enim diuiditur Christus, qui tamen non secundum id quod ex Deo Patre, sed secundum id quod ex semine Abrahæ, cognoscatur surrexisse pro vnitate personæ, in qua Deus & homo vnus est Christus, non incongrue Dei filius dicitur suscitatus; cuius vt secundum diuinitatem, vna probaretur natura cum Patre, vnus simul fuit effectus in opere: sicut enim carnem suam in virginis vtero, faciente patre etiam ipse fecit, quia secundum humanam naturam de Christo scriptum est, & *Dominum eum, & Christum Deus fecit: hunc Iesum quem vos crucifixistis.* Scriptum est etiam: *Quia sapientia ædificauit sibi domum.* Sic etiam cum traderetur à Patre, ipse quoque se cognoscitur tradidisse, scriptum est enim: *Quia Deus filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, & de ipso filio dicitur: *Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me.*

Gen.12.

Secundum diuinitatem vnus est effectus patris & filij. Act.2. Prou.9. Rom.8. Gal.5.

CAPVT XXXIII.

IN resurrectione quoque eius inuenitur operis æqualitas, quia vna est patris filiique Maiestas. De patre quippe sic beatus loquitur Petrus: *Vobis primum Deus suscitans filium suum misit eum benedicentem vobis.* De ipso vero sic Dei filius loquitur ad Iudæos: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus suscitabo illud*, quod Ioannes aperuit, dicens: *Ipse autem dicebat de templo corporis sui.* Colossensibus quoque Paulus loquens ipsum Deum filium humanitatem suam his verbis significat suscitasse: *Videte ne quis vos seducat per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditiones hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum, quia in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus, & potestatis. In quo & circuncisi estis circuncisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, in circuncisione Christi, consepulti ei in Baptismo, in quo & consurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis, & vos, cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod aduersum nos erat chirographum decreti quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci, exuens se carne principatus, & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Non nescimus, hunc locum ad personam patris à nonnullis referri, sed ex connexione verborum, si & legentis accedat intentio, magis id capituli huius sensus ostendit, vt vnus idemque filius, non solum Christus, qui suscitatus est, sed etiam Deus ipse, qui Christum suscitauit, appareat, vt constet Apostolum in hoc loco Dei nomen ad illam sempiternam filij, quæ est ex patre, substantiam; nomen verò Christi ad eam, quam ex homine Dei filius sumpsit, retulisse naturam: dignum præ omnibus ducens Doctor gentium, in fide, & veritate, vt sicut eundem Christum, qui suscitatus est, prædicauit hominem, dicens: *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur*, non minore cautela eundem filium, qui suam carnem illa (qua æqualis est patri) potentia suscitauit, Deum verissime prædicaret, sicut huius loci textus clara manifestatione vulgauit: Deus enim qui

Et pater filium suscitauit, & filius suscitauit seipsum. Act 3. Ioan.2.

Coloss.2.

1.Cor.15.

qui suscitauit Christum à mortuis, quique nos cum *mortui essemus in delictis, & præputio carnis nostræ, conuiuificauit cum illo, idem nobis delicta omnia donauit, & qui donauit delicta, chirographum, quod aduersum nos erat, deleuit, & sublatum de medio cruci affixit:* qui chirographum cruci affixit, idem se carne exuit: qui se carne exuit, *ille etiam principatus, & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Hæc autem, Paulo teste, *omnia Deus fecit, qui Christum à mortuis suscitauit.* Attendatur itaque, si pater chirographum cruci affixit, si pater se carne exuit, si pater principatus, & potestates traduxit, *palam triumphans illos in semetipso*, & si hæc omnia paternæ potuerint coaptari personæ, dignè negabitur filius hic ab Apostolo designatus. *Ille*, scilicet *Deus, qui Christum à mortuis suscitauit.* Si autem omnia superius designata, filio magis quam patri conueniunt, cognoscatur vnus atque idem ab Apostolo prædicatus Christus, *qui à mortuis resurrexit, & Deus qui Christum à mortuis suscitauit.* Igitur, & qui suscitauit semetipsum, & suscitatus est Christus, quia sicut in eo quod in se fecit, ipse dignatus est fieri, & in eo, quod in se tradidit, ipse dignatus est tradi, in eo quod in se occidi permisit, ipse dignatus est mori; sic in eo, quod in se suscitauit, ipse dignatus est suscitari.

CAPVT XXXIV.

Humanitas Christi non tota fuit in sepulchro aut inferno, sed tota ibi fuit diuinitas.

HVmanitas ergo vera filij Dei nec tota in sepulchro fuit, nec tota in inferno, sed in sepulchro secundum veram carnem Christus mortuus iacuit, & secundum animam ad infernum Christus descendit, secundum eandem animam ab inferno ad carnem (quam in sepulchro reliquerat) rediit; secundum diuinitatem vero suam, quæ nec loco tenetur, nec fine concluditur, totus fuit in sepulchro cum carne, totus in inferno cum anima, ac pro hoc plenus fuit vbique Christus, quia non est Deus ab humanitate, quam susceperat, separatus, qui & in anima sua fuit, vt solutis inferni doloribus ab inferno victrix rediret, & in carne sua fuit, vt celeri resurrectione corrumpi non posset. Totum igitur hominem cum suis infirmitatibus, sine peccato Dei filius pro nobis accepit, in tota traditus idem Christus, secundum solam carnem mortuus, totus Christus secundum solam animam ad infernum descendit: idem atque inseparabilis Christus, secundum solam carnem de sepulchro surrexit: idem atque inseparabilis Christus, secundum totum hominem, quem accepit, terram localiter deserens, ad cælum ascendit, & in dextris Dei sedet secundum eundem totum hominem venturus ad iudicandum viuos & mortuos, coronaturus fideles & pios, illos scilicet, qui eum in vtraque, id est, in humana diuinaque substantia, verum, plenum, & perfectum credentes, nec Dei filio aliquid paternæ substantiæ minuunt, & totum pro se susceptum hominem sine peccato cognoscunt. Condemnaturus autem infideles, qui diuersos cuiuslibet perfidiæ sectantur errores, quippe in eis ita simul obdurato corde perdurant, vt eos vsque ad vitæ præsentis obitum non relinquant; in quibus sunt illi, qui in Christo phantasiam carnis audent credere: & cum eum veritatem carnis denegant accepisse, illi etiam qui in eo diuinitatem omnimodis abnegantes, solam hominis putant fuisse substantiam: sed & hi, qui eum vel de Deo patre Dominum denegant naturaliter natum, vel totam non credunt hominis in Christo substantiam. Similiter & illos condemnaturus adueniet, qui ex operationis vnitate vnum Deum patrem & filium credentes, alterum ex altero sic natum denegant, vt personaliter patrem filiumque confundant: quippe patri humanam pariter natiuitatem assignantes & mortem, ipsum patrem dicunt natum ex virgine, ipsum etiam passum fatentur in carne. Illos etiam æterno condemnabit gehennalis tormenti supplicio, qui corpus Christi non ex virgine fatentur substantialiter sumptum, sed confingunt de cœlo depositum, cum Dei filius propterea de lumine naturam fuerit dignatus corporis terreni suscipere, quia non venerat eos qui in cælo, sed eos qui fuerant in terra, saluare, sicut Apostolus dicit: *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit, vnde debuit per omnia fratribus similari.* Suscepit ergo filius Dei animam nostram, id est, melius nostrum, quia melior est meliore nostro; de quo Ioannes dicit: *Maior est Deus corde nostro*, sed non spreuit etiam carnem nostram, id est infimum nostrum suscipere, quia totum hominem venerat liberare, nec potuit infimo nostro infimus fieri, per quem, infimum nostrum in illud nomen, *quod super omne nomen est*, meruit exaltari, *vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris*, qui etiam filios tormentis interminabilibus traditurus, qui sancti Spiritus naturam à substantia patris filiique discernunt, vt vel omnino eum personaliter esse non putent, vel tanquam ministrum meriti prorsus inferioris existiment: ipsi sibi sua professione contrarij, qui se vel in illo, qui omnino non est, vel in eo, qui Deus non est, credere confitentur.

Recta fides de humanitate Christi, & factis eius.

Varij errores circa Christum.

Error circa corpus Christi.

Hebr. 2.

1. Ioan. 3.

Philip. 2.

Error circa Spiritum S.

CAPVT XXXV.

VT enim pauca huius operis causa subiiciam, dicatur, quid minus habet Spiritus sanctus, quam habet pater & filius? qui & initium creationis nostræ cum patre ac filio simul fecit, & effectum redemptionis nostræ cum patre simul filioque perfecit. Cœlum fecisse dicitur Deus, sed operante Patre simul, & Filius inuenitur cooperator, & Spiritus sanctus: *verbo enim Domini cœli firmati, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Quid patre vel filio minus habere creditur, à quo virtus omnis cælorum firmata monstratur? Vitam dare nullus potest, nisi qui substantialiter Deus est: sicut autem viuificat Pater, sic viuificat Filius, sic viuificat Spiritus sanctus. *Nam sicut pater suscitat mortuos & viuificat; sic & filius, quos vult, viuificat.* Et de Spiritu Apostolus dicit: *Litera occidit, Spiritus autem viuificat.* Idem rursus: *Si autem Spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificauit & mortalium corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.* Regenerat Pater, regenerat Filius, regenerat Spiritus sanctus, quia cum Baptisma datur, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, ex eo vnusquisque regeneratur, in cuius nomine baptizatur. Cum ergo in nomine Trinitatis datur Baptisma, simul tota Trinitas regenerat, quæ vnus & solus est Deus, propterea de fidelibus Ioannes dicit: *Qui non ex sanguinibus, neque ex volũtate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Est in nobis charitas patris, quia dicit Paulus: *Cõmendat autem suam charitatem Deus in nobis, quoniam si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, multo igitur magis iustificati nũc in sãguine ipsius salui erimus ab ira per ipsũ.* Est in nobis charitas

Psalm. 32.

Viuificant omnes tres. Ioan. 5.

2. Cor. 3. Rom. 8.

Regenerant.

Ioan. 1.

Vna charitas trium. Rom. 5.

Rom.8. Ephes.3. charitas Christi, dicente Apostolo: *Quis nos separabit à charitate Christi? vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Eadem est in nobis etiam charitas Ibid.5. Spiritus S. de qua Paulus dicit: *Obsecro igitur vos fratres, per Dominum nostrum Iesum Christum, & per* Rom.5. *charitatem Spiritus.* Et alio loco: *Charitas Dei diffu-* Gal.5. *sa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Et denuò dicit: *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax.* Habitat in nobis Pater, habitat Filius, habitat Spiritus sanctus, quia 2.Cor.6. Scriptum est: *Inhabitabo in illis, & inambulabo.* De filio quoque dicit Apostolus: *In interiore homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Spiritum quoque sanctum his verbis in nobis habita- Ephes.3. re confirmat: *Nescitis, quia templum Dei estis, &* 1.Cor.3. *Spiritus Dei habitat in nobis?* Et vt ostenderet eundem esse Spiritum Dei, qui Spiritus sanctus est, 2.Tim.1. Timotheum sic admonet, dicens: *Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.* Dar gratiam Pater, dat gratiam Filius, dat gratiam Spiritus sanctus, sicut prædicator veritatis, Christo in se loquente testatur: Rom.1. *Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.* De Spiritu quoque sancto scriptum est in Actibus Apostolorum, cum Petrus ad docendum Cornelium ab ipso Spiritu mitteretur, loquente autem Petro verba hæc: Act.10. *Cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum, & obstupuerunt ex circuncisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus S. effusa est.* Sumus templum Patris, sumus templum Filij, sumus templum Spiritus sancti, sicut Paulo doctore didicimus, qui ait: 1.Cor.6. *Vos enim estis templum Dei viui.* 1.Cor.3. Et alio loco: *Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos: Filij quoque templum sumus, cuius domus sumus. Nam & ipse filius templum domum vocauit, di- Ioan.2. cente Euangelista: *Ascendit Iesus Hierosolymam, & inuenit in templo vendentes boues, & oues,* &c. Quos cum de templo protinus eiecisset, vendentibus columbas dixit: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Similiter Dauid id esse templum Dei quod domum, in Psalmis Psalm.5. ostendit, dicens: *Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum in timore tuo.* Cum hoc ergo sit templum Dei, quod domus Dei, templum nos filij demonstrat Apostolus, cuius nos domum, ita scribens Hebr.3. Hebræis appellat: *Christus autem tanquam filius in domo sua, quæ domus nos sumus, fiduciam & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus.* Nam & ipsum corpus filij, & domum scriptura sancta nominauit Prou.9. & templum, cum dicit Salomon: *Sapientia ædifi-* Ioan.2. *cauit sibi domum,* & Euangelista huic sensui concordans ait, *Ipse autem dicebat de templo corporis sui.* Si ergo quod corpus est Christi, templum est Christi, nos quoque templum eius sumus, quos corpus 2. Cor.12. eius esse confirmat Apostolus, dicens: *Vos estis corpus Christi, & membra.* Templum etiam Spiritus 1.Cor.6. sancti nos esse, manifeste commendat: *Nescitis,* inquiens, *quia membra vestra templum est Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo?* Vbi eum Deum quoque monstrauit, ista subiciens: *Et non estis vestri, empti enim estis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* Hoc tamen templum Spiritus sancti, membra Ibid. Christi esse testatur, dicens: *Nescitis, quia corpora vestra membra Christi sunt?* Dicatur igitur, si cælorum virtutem potuit firmare qui non est Deus: si potest viuificare, qui non est Deus: si potest in Baptismatis regeneratione sanctificare, qui non est Deus: si potest charitatem tribuere, qui non est Deus: si potest in credentibus habitare, qui non est Deus: si potest gratiam dare, qui non est Deus, si potest templum membra Christi habere, qui non est Deus, & digne Spiritus sanctus negabitur Deus. Rursus dicatur, si ea quæ de Spiritu sancto commemorata sunt, potest aliqua creatura facere, & digne Spiritus sanctus dicetur creatura: si autem hæc creaturæ possibilia nunquam fuerunt, & inueniuntur in Spiritu sancto, quæ tamen soli competunt Deo, non debemus naturaliter diuersum à patre filioque dicere, quem in operum potentia diuersum non possumus inuenire: at sic ex vnitate operis, vnitas est agnoscenda virtutis; nec quisquam dubitet, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, personarum Trinitate seruata, vnum Deum naturaliter dicere, qui potuit vniuersa sola voluntate condere, qui cuncta potest virtutis omnipotentia gubernare, qui omnia potest immensitate diuinitatis implere.

Habitant in nobis. — Dant gratiam. — Nos templum Trinitatis. — Verè igitur Deus est Spiritus S. vti per Epilogum hic colligitur. — Vna natura in tribus personis.

CAPVT XXXVI.

HÆc vt Dominus dedit, clementissime Rex, malui tuæ pietati scribere, quàm omnimodis reticere, ne silendo, aut æstimaret superbus, aut de fidei nostræ veritate putaret ambiguus, cum Ecclesiam Catholicam solam CHRISTVS columbam suam voluerit appellari, dicens: *Vna est columba* Cant.6. *mea, vna est dilecta mea.* In quo columbæ nomine, charitas, & simplicitas designantur. Sola autem veram possidet charitatem, quæ filium Dei quem diligit, non dicit in diuinitate minorem, sed patri fatetur æqualem. Sola verò possidet veritatem simplicitatis, quæ vnam veram & simplicem credit substantiam Trinitatis. Oramus autem Deum, vt aures clementiæ tuæ verbo veritatis placidas reddat, & pio cordi tuo lumen sapientiæ spiritalis infundat, vt filium Dei Deum Dominum Iesum Christum sic honorifices, sicut honorificas patrem: meretur enim hoc à te, vt eum qui te fecit Patre tuo meliorem, patri suo secundum diuinam naturam fatearis æqualem. Quæso gloriose Rex, vt in te consideres largitatem diuini muneris, & potestatem non minuas largitoris, vt qui tibi temporale donauit regnum, donet etiam sempiternum. Ipse enim dicit; *Eos qui me glorificant, glorificabo.* 1.Reg.2. Quod ipsa Trinitas facit, quæ vnus & verus est Deus, *qui potest omnia facere supra quam petimus, aut intelligimus: ex ipso enim & per ipsum sunt omnia:* ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Peroratio ad Regem Trasimundum Arrianum.

BEATI FVLGENTII
Ad Donatum Liber Vnus de fide orthodoxa & diuersis erroribus Hæreticorum.

CAPVT I.

DOMINO eximio, & in Christi charitate plurimum desiderabili filio Donato, Fulgentius seruorum Dei famulus in Domino salutem. * Multis benedico Dominum, dilectissime fili, cuius gratia talis es, vt cum sis ætate iunior, non quæ sunt carnis, sed quæ sunt spiritus concupiscas; & de fidei feruore succensus, illa laudabiliter iam incipias meditari, quibus non voluptas carnem damnabiliter nutriat, sed agnita veritas animam spiritaliter pascat, ipsius enim factum inspiratione non dubito, vt cum studiis insistere soleas sæcularium litterarum, diuinis eloquiis affectum impendas: illud vtique volens magis apprehendere, non vnde tumida eloquentia discitur, sed vnde vitæ perennitas comparatur. Quisquis enim fidem veram tenet, vitam possidet, *iustus enim ex fide viuit*; & quisquis in eiusdem fidei mysterio cupit instrui, vitæ scientiam desiderat adipisci; in qua * tamen quisque crescit, quanto magis quod verum & salutare est, discit. Huius scientiæ qui tenuerit indubitanter initium, perueniet ad perfectum, & qui non spreuerit lac Apostolici sermonis humiliter accipere, ipse merebitur solidi cibi perceptione gaudere. Si autem quis intra Ecclesiam Catholicam lacte nutriatur, siue cibo pascatur, & à sinu matris Ecclesiæ non recesserit, vitæ particeps permanebit, quia tenens fidei iustitiam, possidebit & vitam. Quam vitam nec ille possidebit, qui permanet in infidelitate, nec ille qui perseuerat in crimine; quoniam de illis esse conuincitur, qui secundum Apostoli sententiam veram, *ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à * via Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum*: ipsa enim cordis cæcitas, & quid credat, & quid agat, ignorat.

*Margin: * Multum. Laudabilis in iuuene affectus ad sacras litteras. Rom. 1. Iustus ex fide viuit. * tantum. Quis vitæ particeps. Ephes. 4. * ita.*

CAPVT II.

DIcis itaque à quibusdam Arrianis de patre & filio propositam quæstionem, in qua patrem maiorem, & minorem filium asserebant, te vero propter diuinarum ignorantiam literarum, quibus minus instructus es, non inuenisse, quid eis in defensionem veræ fidei responderes. Hoc in te itaque primus in nomine Domini laudo, quia si tibi non fuit tanta respondendi facultas, permansit tamen in corde tuo veritatis firma credulitas. Non enim omnes qui Christi participes sunt, etiam respondendo possunt defensare quod credunt, sed etiam illa pars est profecto victoriæ, vt quamdiu quis sermone non potest defendere veritatem, fideli tamen corde deuitet errorem. Expedit autem, vt saluberrima Petri Apostoli verba sectemur, præcipientis, *vt simus parati semper ad respondendum omni poscenti nos rationem de fide & spe, quæ in nobis est.* Volens ergo ad respondendum paratior inueniri, petis, vt nostro instructus sermone agnoscas, quemadmodum Hæreticis, fidem nostram impugnare volentibus, vt diuinis valeas armatus eloquiis, obuiare. Proinde illud admoneo principaliter teneas, sanctam Trinitatem, id est, Patrem & Filium & Spiritum S. naturaliter verum esse Deum, summum, verum & bonum, vnius naturæ, vnius essentiæ, vnius omnipotentiæ, vnius bonitatis, vnius æternitatis, vnius immensitatis, ac sic cum vnum Deum audis Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnam naturam summæ illius Trinitatis intellige. Et cum Trinitatem audis, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, tres personas vnius summæ illius diuinitatis agnosce. Tres enim personæ sunt, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, ideo Trinitas dicitur: sed vna substantia est Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ideo ipsa Trinitas vnus Deus veraciter à fidelibus prædicatur.

Margin: Donatus de Trinitate tentatus ab Arrianis. Ad respondendum de fide parati esse debemus. 1. Pet. 2.

CAPVT III.

TRes itaque personas esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, ostendunt ipsius eloquia veritatis, vnde Saluator noster ait: *Non sum solus, sed ego & qui misit me pater.* De Spiritu sancto quoque dicit: *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis spiritum veritatis.* Præcepit etiam baptizari gentes, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* His itaque huiusmodi testimoniis ostenditur Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum tres esse personas, sed non tres esse naturas. Vnde Trinitas illa sancta digne creditur in personis, tres autem deos dici, Patrem, & Filium, & Spiritum S. non permittit vnitas naturalis. Et quia in vna natura Trinitatis nulla potest esse diuersitas, ideo in tribus personis manet inconfusa proprietas, & in vnitate naturæ regnat incommutabiliter substantialis æqualitas, ideò filio dicitur: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Et quia non solum soluebat Sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Ad hanc æqualitatem naturæ virtutisque, etiam illud pertinet, quod ipse filius ait: *Quia quæcumque pater facit, hæc eadem & filius similiter facit. Et sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & filius quos vult viuificat.* In illa Trinitatis natura, sic totum vnum est, vt nihil ibi possit separari vel diuidi: sic totum æquale est, vt nihil ibi maius, aut minus valeat inueniri. Istũ nobis vnum Deum noui & veteris testamenti veridica demonstrat authoritas, de hoc enim vno Deo beatus Moyses dicit: *Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est, & Dominum Deum tuũ adorabis, & illi soli seruies.* Et ipse Dominus Deus de se: *Videte quod ego sum solus, & non est alius Deus præter me.* De hoc & beatus Dauid dicit. *Quis Deus, præter Dominum, aut quis Deus, præter Deum nostrum.* Sanctus quoque Iacobus Apostolus, iustum vnum Deum prædicans ait: *Tu credis, quia vnus est Deus, bene facis: Dæmones credunt, & contremiscunt.* Veruntamen non ignoramus

Margin: Tres personæ, non tres naturæ. Ioan. 8. Matth. vlt. Æqualitas in Trinitate. Scripturæ testimonia, quod Trinitas sit vnus Deus. Deut. 32. Psalm. 17. Iacob. 2.

ignoramus ista testimonia, si qua similia in diuinis reperiuntur eloquiis, quibus vnus & solus asseritur Deus. Non ipsi sanctæ Trinitati, sed vni tantum personæ, id est soli Deo patri, ab Hæreticis assignari. Proinde illorum, quæ proposuimus testimonia, id est, illius, quo dicitur: *Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus vnus est*: & alterius, quo legitur *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*: in quantum ipso Domino Deo donante, possumus, intelligentiam requiramus. Primum quippe nos testimonium posuisse meminimus illud, quo dicitur: *Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est.* Hoc itaque sic vtrumque fatemur esse firmissimum, vt ab hoc testimonio nullus existimet aliquatenus recedendum. Proinde quoniam duos à fidelibus coli, regula præcepti huius nulla ratione permittit, aut patrem & filium credant vnum naturaliter Deum, si volunt sine huius transgressione mandati, vnum Deum sic colere, vt nec patrem colant sine filio, nec filium sine patre. At quia Deus maior & Deus minor, Deus vnus esse non possent, necesse est, vt aut patrem solum Dominum Deum suum dicant, & filium Dominum Deum suum omnimodis negent, aut solum filium Dominum Deum asserant, & à Dei patris cultura recedant. Sed Deum Patrem Dominum Deum suum negare non possunt, quem vsqueadeo Dominum Deum omnium esse confirmant, vt etiam ei diuinitatem filij tanquam minoris Dei inuitæ seruituti subiugare contendant: filium verò, si Dominum Deum suum negare voluerint, ipsius paternæ vocis testimonio protinus arguuntur; per os enim Prophetæ, ex persona Dei patris dicitur: *Et domui Iuda miserebor, & saluabo eos in Domino Deo suo.* Ipsum Dominum esse Deum nostrum Euangelicæ quoque veritatis commendat auctoritas, vbi beati Thomæ Apostoli confessio prauitati hæreticæ prorsus contradicit, exclamantis, atque dicentis: *Dominus meus & Deus meus.* Ergo quando & patrem Dominum sine dubio confitentur, & filium Dominum Deum fateri, Prophetica atque Euangelica veritate coguntur, vt patrem & filium personarum proprietate seruata, vnum Dominum Deum naturaliter dicant, aut confitentes solum patrem suum Dominum Deum, consequenter dicant filium nec Dominum suum esse, nec Deum. Quod cum dixerint, nunquam se audebunt asserere Christianos, cum vtique Christianus à Christo nomen accepit: Christianus autem nullatenus esse possit, quisquis ipsum Christum Dominum Deum suum esse non dixerit. Fateantur ergo patrem & filium non duos dominos deos, sed vnum Dominum Deum suum, si volunt veritatem tenere fidei, & nolunt rebelles præceptis legalibus atque Euangelicis inueniri. Sic enim poterunt & illius testimonij, quo dictum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*, intellectum pariter officiúmque seruare. Neque enim fas est, sic adorare Deum patrem, vt Deum filium non adorent, cum vtique de ipso filio scriptum sit in Deuteronomio: *Lætamini cæli cum eo simul, & adorent eum omnes Angeli Dei.* De ipso quoque beatus Dauid in Psalmo dicit: *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei.*

Audi Israël Dominus Deus tuus, Deus vnus est.

Filius quoque Dominus Deus dicitur.

Ratio fortissima contra Arrianos de patre & filio.

Adorandus est & filius.

CAPVT IV.

QVia si filius secundùm diuinitatem vnus Deus cum patre non esset, vnius cum eo naturæ vtique non fuisset, & si naturæ alterius esset, creatura sine dubio esset: Si autem creatura esset, seruiendum ei sanctarum scripturarum auctoritas non iuberet, sed potius prohiberet. In primo enim decalogi mandato, sicut vnius Dei cultura seruitúsque manifestissimè præcipitur, ita omni creaturæ adoratio ac seruitus à fidelibus exhibenda, vehementissime prohibetur. Ibi enim dicitur: *Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis, non erunt tibi dij absque me.* Sed si hoc simul à patre & filio dictum accipitur, vnus Dominus Deus credetur pater & filius: sed si hoc aut pater sine filio, aut sine patre creditur dixisse filius, necesse est, vt aut pater Dominus negetur, aut filius. De illo enim qui dixit: *Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis, non erunt tibi dij absque me.* De ipso sanctus Moyses ait: *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus vnus est.* Et quia ipse Deus sibi soli præcipiens tantummodo seruiendum, seque iubens à fidelibus adorandum prorsus interdixit, ne quis auderet creaturam adorare, creaturæque seruire. Propterea in fine illius primi præcepti, de omnibus quæ creauit, ita loquitur: *Non adorabis ea, nec seruies eis: Ego enim sum Dominus Deus tuus.* Quod vtique sciens beatus Apostolus, *iram Dei reuelari pronunciat super omnem impietatem & iniustitiam eorum, qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & seruierunt creaturæ potius quam creatori, qui est benedictus in sæcula.* Veritatem Dei tenere, est vnú Deum colere, veritatem Dei in mendacium conuertere, est creaturæ seruire. Vera enim religio in vnius constat veri Dei seruitio. Ipsa namque veritas vnus est Deus, & sicut excepta vna veritate non est alia veritas, sic absque vno Deo vero non est alius verus Deus: ipsa enim vna veritas est, naturaliter vna vera diuinitas. Et ita non possent duo veri dij veraciter dici, sicut ipsa vna veritas naturaliter non potest diuidi.

Creatura nequaquam adoranda.

Exod. 20.

Deut. 6.

Idololatræ veritatem Dei commutant in mendacium. Rom. 1.

CAPVT V.

SAncta vero scriptura, quæ nobis vnum Dominum Deum veraciter salubritérque commendat, sicut patrem verum Deum, sic & filium verum Deum fidelibus cunctis insinuat. De patre quippe dicit beatus Paulus Apostolus, Thessalonicensibus scribens: *Conuersi estis ad Dominum à simulacris seruire Deo viuo, & vero, expectare filium eius de cœlis, quem suscitauit à mortuis Iesum, qui eripuit nos ab ira ventura.* Hic Iesus Christus non sic est Dei patris filius, sicut nos sumus: ille est enim proprius, nos redempti. Ille natus, nos facti. Ille verus, nos adoptiui. Ille autem, qui verus est filius, ipse etiam verus est Deus, non adoptione generatus, sed de patre naturaliter natus. In quo vero Deo veróque filio, ideo est vera diuinitas, quia naturalis est illi de patre natiuitas. Propter quod eum verum patris filium, verum Deum, vitámque æternam, beatus Ioannes in epistola sua profitetur: *Scimus, quia filius Dei venit, & dedit nobis intellectum, vt sciamus verū. Et scimus in vero filio eius Iesu Christo. Hic est verus Deus, & vita æterna.* Verum itaque Deum colere, veroque Deo seruire, non est vtique veritatem Dei in mendacium commutare. Ille veritatem Dei commutat in mendacium, qui Deo non vero existimat seruiendum: ille autem Deum non verum colit, & Deo non vero seruit, qui creaturæ seruierit, creaturamque coluerit, quia vbi Deus non verus colitur, & Deo non vero seruitur, ibi Dei veritas in mendacium commutatur. Quoniam ergo, & Deum patrem Deum verum, & Deum filium Deum verum, cœlestium eloquiorum attestatione

Scriptura & patrem & filium, verum Deum prædicat. 1. Thess. 1.

1. Ioan. vlt.

Christus verus Deus.

Tt 2 cogno

cognoscimus, aut vnum verum Deum naturaliter patrem & filium cum Catholicis asserant, aut duos veros deos à se coli contra veritatem sanctæ fidei dicant, aut creaturæ cultores seipsos profiteri non metuant, vt veritatem Dei se in mendacium commutasse, ipsa rerum manifestatione cognoscant. Vna quippe veritas vnius veri Dei, immo vna veritas, vnus verus Deus, non permittit seruitutem atque culturam veri Dei, Deo creaturæque coniungi. Vera quoque religio, excepto vno vero Deo, nulli Deo sinit culturæ ac seruitutis obsequium à fidelibus exhiberi.

CAPVT VI.

Nulla creatura est veritas, sed vera.

OMnis autem creatura, quæ minor est à natura Dei patris, sine dubio creata natura est. Quid est autem creata natura, nisi creatura? Omnis porro creatura, quoniam opus est veritatis, est quidem creatura vera, non tamen est veritas. Sola autem naturaliter est veritas, quæ naturaliter est vera diuinitas. Illi ergo veritatem Dei non commutant in mendacium, sed veræ fidei tenent salutare mysterium, qui nec solum patrem, nec solum filium, sed simul patrem & filium, vnum Dominum Deum suum, *corde credunt ad iustitiam, & ore confitentur ad salutem.* Quia non solum pater Deus, sed etiam filius Deus, naturaliter est verax Deus, veritas Deus, permanens cum patre naturaliter vnus verax, vnus verus, vnáque veritas: quia duos Deos credi vel dici omnino prohibet vna veritas, quæ sola vera est diuinitas. Proinde secundum diuinam naturam non est minor patre, sed æqualis est patri, quia filius ita verus Deus dicitur, vt pater Deus verior non dicatur: in Deo enim vero, nihil minus existimari sinit ipsa veritatis agnitio. Permanet itaque in patre & filio naturaliter vna veræ diuinitatis æqualitas, & vna incommutabilis ac sempiterna maiestas. Sic autem filium patri æqualem veraciter dicimus, vt etiam minorem veraciter non negemus. Scimus enim Deum filium natum de natura Dei patris, natum etiam de natura virginis matris, ac per hoc verum Deum veritatem paternæ naturæ, verum Deum hominem de veritate maternæ substantiæ, quem diuinitatis æternitas ostendit sine initio natum, & temporalis susceptio carnis docet sine dubio minoratum. Æqualis est filius patri, & minor est filius patre: æqualis vera diuinitate, minor vera humanitate. Æqualis, quia *in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Minor autem, quia *verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Æqualis quia *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Minor autem, quia *semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Æqualis est patri filius, quia *de Domino natus est Dominus.* Minor est autem patre filius, quia *de ancilla factus est seruus.* Inde est, quod dicit: *De ventre matris meæ, Deus meus es tu.* Et iterum: *O Domine, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Æqualis est patri filius, quia *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Minor est autem patre filius, quia *factus est ex muliere, factus sub lege.* Et ideo, sicut veraciter Dei filius Deo patri coæternus agnoscitur, sic veraciter matre posterior inuenitur. Primam quippe natiuitatem filij nullatenus præcessit æternitas patris, cuius tamen secundam natiuitatem præcessit temporalis natiuitas matris. In illa quippe natura Dei patris, quæ esse non cœpit, de æterno patre coæternus est filius, inenarrabiliter natus, in natura virginis, quæ esse cœpit ex tempore de temporali matre temporaliter est idem filius misericorditer generatus. In ea natura Dei filius æqualis est patri, qua ante omnia coæternus est patri: & in ea natura est filius patre minor, in qua est & matre posterior. In ea natura patri æqualis est filius, in qua creator est Angelorum: in ea natura patre minor est idem filius, in qua ab initio creaturæ adoratur & laudatur ab Angelis.

Rom. 10.

Ioan. 1.

Duplex natiuitas Christi, æterna & temporalis.

CAPVT VII.

Christus minoratus paulo minus ab Angelis.

APostolica quippe auctoritas, huius minorationis non destitit demonstrare mysterium, dicens: *Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.* Superius autem cuius naturæ sit hæc assignanda minoratio, euidenter ostensum est, quando illud testimonium Prophetæ probatum est, in quo dicitur: *Domine quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum? Minorasti eum paulo minus ab Angelis.* Dei ergo filius ante susceptionem carnis, *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo,* quia in illa forma Dei filius æqualis est patri: quia si minor esset, in eadem forma Dei non esset: sed in forma Dei filium esse Apostolica dicit auctoritas: ideo ergo æqualem Deo esse, non illi rapina fuerat, sed natura; quæ in forma veri Dei non nisi verus esse potuit Deus, & diuinæ formæ vnitas ipsa est diuinitatis huius naturalis æqualitas. Vbi ergo formæ vnitas in natura erat, æqualitas rapina non erat. Naturalis autem diuinitatis æqualitas, quæ in forma Dei erat, auferri Deo vero non poterat. Inde est, quod retinens veritatem diuinitatis, & veritatem accipiens carnis, vnus idémque Dei & hominis filius, & patre factus est minor, & patri permansit æqualis. Ideo vtrumque veraciter ipsa veritas dixit: *Et pater maior me est, & ego & pater vnum sumus.* Verè ergo Deo patre minor est Christus, quia naturaliter ex patribus est secundum carnem; & verè Deo patri æqualis est Christus, quia naturaliter est super omnia Deus benedictus in sæcula. Proinde vera fides, quæ in vno eodémque Christo vtriusque credit & confitetur substantiæ veritatem, vnum eundémque Christum Dei filium, & secundum veritatem carnis factum prædicat minorem, & secundum veritatem diuinitatis patri Deo credit & confitetur æqualem. Sic veraciter vnum Deum cum patre filium vera fides adorat, quæ sic vni Deo nouit à creaturis omnibus seruiendum, vt nouerit creaturæ non debere seruitutis obsequium.

Psal. 8.

Philip. 2.

Christus in forma hominis minor est patre.

Ioan. 14.
Ioan. 10.

CAPVT VIII.

Spiritus Sanctus non creatura, sed creator est.

INde est, quod etiam Spiritum sanctum creatorem vera fides asserit, non creaturam. Quomodo enim creator esse negetur, à quo firmata cœlorum virtus ostenditur, dicente Dauid: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et alio loco: *Emitte spiritum tuum & creabuntur.* Creator quippe est omnium rerum, qui factor est omnium. De quo beatus Iob dicit: *Spiritus diuinus qui fecit me.* Spiritus ergo sanctus, sicut omnia creauit, sic omnia replet immensus. Et quia omnia replet, naturaliter est verus Deus. Scriptum est enim: *Quia spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Nam & beatus Dauid, vbique esse spiritum Dei testatur, dicens ipse de eo: *Quo ibo à spiritu tuo, aut à facie tua quo fugiam?* Quomodo autem negant Arriani, Deum esse Spiritum sanctum, cum ita simus templum Spiritus sancti, sicut sumus templum patris

Psal. 32.
Psal. 103.

Spiritus sanctus est verus Deus.

Sap. 1.
Psal. 138.

1.Cor.3. tris & filij. Apostolus enim dicit: *Nescitis, quia templu Dei estis? & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei factum est, quod estis vos.* Sic autem nos Apostolus asserit esse templum Dei, vt in
1.Cor.6. eadem epistola, nos dicat etiam Spiritus sancti. Dicit enim: *Nescitis, quia membra vestra templum est qui in vobis habitat spiritus sancti, quem habetis à Deo?* Et vt ipsum spiritum sanctum Deum esse demonstraret, continuo subiunxit: *Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Æqualis est ergo patri & filio Spiritus sanctus, quia creator est omnium rerum, sicut pater & filius. Æqualis est patri & filio Spiritus sanctus, quia replet mundum, immensus sicut pater & filius. Æqualis est patri, & filio Spiritus sanctus, quia omnium fidelium membra vnum templum habet sicut pater & filius. Quis autem negare audeat, vnam esse diuinitatem patris & filij, & spiritus sancti, cum corpora fidelium (quæ membra sunt Christi) ipsa sunt templum spiritus sancti?

Spiritus sanctus æqualis est Deo patri & filio.

CAPVT IX.

Conclusio de Trinitate.

TRinitas est itaque vnus solus creator omnium rerum Deus: Trinitas est vnus solus immensus naturaliter Deus. Ad huius imaginem Trinitatis homo factus agnoscitur, in cuius nomine baptizatus, denuo renouatur. *Baptizari autem gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti*, Saluator noster edocuit, vt sicut Trinitatis opere initium conditionis accepimus, sic in nomine Trinitatis, diuinæ adoptionis gratia frui mereremur. Vnus est ergo verus Deus pater & filius & spiritus sanctus, qui omnipotentissima bonitate creat homines, & gratuita miseratione iustificat peccatores. Præter hunc vnum Deum verum nullus est Deus, quia dum dicit: *Videt, quia ego sum Deus, & non est alius præter me*, docet nos & admonet, graue esse peccatum, si quis extra vnum Deum alium credat. Alium sine dubio credit, quisquis in patre & filio & spiritu sancto, diuersitatem diuinitatis existimat; cum ille Deus, qui solus habet veram diuinitatem, colendi alterius Dei nullatenus tribuat facultatem: nec sacramento redemptionis sit aliquatenus nominandus, quisquis ab vnius veri Dei natura inuenitur extraneus. Mysterium autem redemptionis humanæ nulla ratione perficitur, si in baptismo vel filij, vel spiritus sancti vocabulum subtrahitur.

Matth.vlt.

In tribus personis non est diuersitas diuinæ naturæ.

Deut.32.

CAPVT X.

Excusatio breuitatis.

PRoinde, quoniam epistolaris modus sermonem nostræ disputationis non permittit ostendi, dilectionis tuæ primordia non sunt lectionis prolixitate fatiganda, sed breuitate potius excitanda, vt dum breue opus delectabiliter legis, ad prolixam lectionem ardentius inflammeris. Pauca quæ dicturus sum, intentè lege, prudenter intellige, & indubitanter tene. Ex quibus valeas in assertione à falsis vera discernere, & Christianam fidem, ipsius illuminatoris nostri iuuamine retinere.

CAPVT XI.

Primo Sabellianorum.

VNus Deus est sancta Trinitas, pater & filius & spiritus sanctus. Vna est patris & filij & spiritus sancti natura, sed non vna persona. Proinde, vt retenta veritate possis refellere, vel certè respuere falsitatem, si quem videris, ita patris & filij & spiritus sancti vnam confiteri naturam, vt velit vnam asserere personam, noli Christianum Catholicum putare, sed hæreticum Sabellianum agnosce.

CAPVT XII.

Secundo Arrianorum.

SI quem vero audieris, ita tres personas, patris & filij & spiritus sancti dicere, vt velit tres naturas istarum trium personarum asserere, Arrianum hæreticum sine dubitatione intellige. Verum est enim quod Sabelliani de natura patris & filij & Spiritus sancti credunt, sed falsum est, quod tres personas esse non credunt. Verum est etiam, quod Arriani tres personas patris & filij & spiritus sancti dicunt, sed falsum est, quod istarum trium personarum tres naturas persuadere contendunt. Peruerse itaque Arriani naturam Trinitatis diuidunt, & personas Sabelliani confundunt; cum ita sit vna natura patris & filij & spiritus sancti, vt non sit vna persona, quia alia est persona patris, alia filij, alia Spiritus sancti.

CAPVT XIII.

Tertio Macedonianorum.

SI quem vero videris, patris quidem & filij vnam confiteri naturam, sed Spiritus sancti alteram prædicare substantiam, vt æqualem quidem dicat patri filium, & solum minorem asserat spiritum sanctum, iste non tenet Catholicæ fidei veritatem, sed Macedonianæ perfidiæ sectatur errorem. Proinde quia non est Catholicus Christianus sed Macedonianus hæreticus est, ab omnibus est fidelibus respuendus.

CAPVT XIV.

De veritate humanæ naturæ in Christo.

NVnc pauca de mysterio dominicæ incarnationis aduerte. Christus enim Dei filius, qui seipsum veritatem profitetur, sicut verus est Deus, sic verus est homo: in quo, sicut est plenitudo diuinæ naturæ, ita est & plenitudo humanæ substantiæ. Inest enim illi naturalis veritas diuinitatis, naturalis veritas animæ rationalis, & naturalis veritas carnis; ac per hoc naturalis diuinitas communis est illi cum patre: naturalis vero humanitas communis est illi cum virgine matre.

CAPVT XV.

Hæresis Manichæorum.

SI quis ergo sic in Christo veram diuinitatem prædicat, vt eius veram carnem negare contendat, non est Christianus Catholicus, sed hæreticus Manichæus, cum ipse Christus discipulis dubitantibus diceret: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Luc.24.

CAPVT XVI.

Error Photinianorum.

RVrsum si quis in Christo sic veritatem prædicat animæ & carnis, vt veritatem in eo nolit accipere deitatis, id est, qui sic dicit Christum hominem, vt Deum neget, non est Christianus Catholicus, sed Photinianus hæreticus. Christus enim quemadmodum secundùm veram diuinitatem *Deus creator est hominum*, ita secundùm veram carnem *mediator est Dei & hominum.* Mediator enim nullatenus esset, si vel cum patre diuinitatis naturam, vel cum hominibus communem carnis & animæ substantiam non haberet. In eo autem verus mediator est hominum homo Christus Iesus, in quo & de patre formam Dei (per quam saluatet)

naturaliter habuit, & ex virgine formam serui (quam in nobis saluaret) accepit. Nunquam autem homo à Deo gratiam salutis acciperet, si in vna persona Christi diuinæ humanæquæ naturæ communio non maneret.

CAPVT XVII.

Duæ naturæ in vna Christi mediatoris persona.

VEritas ergo Christi sicut habet veritatem naturalem diuinitatis ex patre, sic habet naturalem veritatem humanitatis ex virgine. Deus enim vnigenitus dignatus est in vtero virginis fieri humanæ carnis animæque susceptor, vt esset humanæ carnis animæque saluator. Ipse vnus, in quo est gemina, inseparabilis, inconscissibilisque natura, & vtriusque naturæ vna persona: in quo alij duo rursus Hæretici, sibimet contraria sentientes, diuersos errores instituisse cognoscuntur. Nestorius & Eutyches. Nestorius quippe, qui duas in Christo cognouit esse naturas, conatus est duas prædicare personas, & ita cor habens falsitatis obscuritate cæcatum, fidei Christianæ non dubitauit, suæ perfidiæ sociare mendacium. Fides enim sicut in Christo duas naturas veraciter prædicat, sic duas in eo personas omnino denegat. Eutyches verò rectè credens vnam in Christo personam, peruersè visus est vnam in eo prædicare naturam, cum vera fides simul in Christo sic proprietatem naturæ vtriusque cognoscat, vt vnam personam diuinitatis atque humanitatis intelligat.

CAPVT XVIII.

Ex principio Euangelistæ conuincuntur Hæretici.

VNus quippe Christus est, *qui in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Qui etiam *verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Hinc Sabellianus vincitur, quia in eo, quod *verbum erat apud Deum*, ostenditur altera patris, altera filij esse persona. Hinc etiam Arrianus superatur, quia in eo, quod *Deus erat verbum*, ostenditur vna esse patris filiique natura. Ad ostendendam proprietatem personæ valet, quod solus filius verbum dicitur: ad ostendendam huius naturæ communionem pertinet, quod sicut Deus pater dicitur, etiam filius Deus nuncupatur. Hinc etiam & Manichæus simul confunditur, & Photinus, in eo quod dicitur, *Et verbum caro factum est.* In nomine quippe verbi diuinitas vera cognoscitur, & in nomine carnis vera humanitas inuenitur: vt Christus filius Dei, & verus Deus, & verus homo, in vtriusque nominis naturali veritate cognoscatur. Ac sic, nec Manichæus in eo falsam prædicare audeat carnem, nec Photinus ei naturalem valeat adimere deitatem.

CAPVT XIX.

Nestorius & Eutyches ex Apostolo refelluntur.

NEstorius quippe & Eutyches, Apostolicis conuincuntur eloquiis. Ille, vt agnoscat vnam Christi geminari personam non posse, iste, vt nouerit Christi geminam confundi non posse naturam. Ipse quippe vnus est Christus, de quo ipse (quod iam superius positum est) dicit Apostolus: *Quorum patres, & ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Vbi & vnam Christi personam, & geminam naturam, plenus spiritu sancto demonstrauit, dicens quippe: *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia benedictus in sæcula.* Sicut Dei & carnis nomine veritatem naturæ vtriusque indubitanter ostendit, sic in vno Christi nomine vnam personam diuinitatis edocuit. Christus enim, qui est ex patribus secundum carnem, ipse est super omnia Deus benedictus in sæcula. Rom 9.

Inconfusæ manserunt duæ in vno Christo substantiæ.

Non confunditur natura, quam Dei filius habet ex patre cum ea natura, quam idem Deus sumpsit ex virgine. Sed nec habuit Christus duas aliquando personas, quia idem Deus vnigenitus, & secundum diuinitatem natus est de patre, & secundum carnem processit ex virgine. Et quia *verbum Deus* natus est, & de Deo idem *verbum caro factum tanquam sponsus processit de thalamo suo.* Ipse vnus, qui seruata vtriusque proprietate naturæ, *& crucifixus est ex infirmitate, & viuit ex virtute Dei.*

CAPVT XX.

Conclusio libri exhortans ad scripta sanctorum.

HÆc tibi charissime fili pro tuo sancto desiderio & dilectione transmisi, ex quibus tibi quidem præbeatur instructionis gustus, & ex hoc gustu crescat in te prolixioris lectionis affectus, vt tantò magis possis Deo adiuuante proficere, quanto studiosiùs cœperis sanctorum patrum relicta requirere, inuenta frequentiùs atque attentiùs recensere. Vnde tibi, Deo adiuuante, gratia scientiæ plenioris accedat, qua possis non solùm veram retinere fidem, verum etiam hæreticorum mortiferam conuincere falsitatem, credens, & firmiter retinens, vnam naturam & tres personas in Trinitate Deo, & vnam personam duasque naturas in vnigenito Dei filio Domino nostro Iesu Christo.

DIVI FVLGENTII Ruspensis Episcopi, Liber de fide, ad Petrum Diaconum.

PROLOGVS.


PISTOLAM, fili Petre, tuæ charitatis accepi: in qua te significasti velle Hierosolymam pergere, & postulasti te litteris nostris instrui, quam debeas in illis partibus veræ fidei regulam tenere, vt nullius tibi possit sensus hæreticæ subrepere falsitatis. Gaudeo quidem quod pro fide vera sine vllo perfidiæ vitio custodienda sollicitudinem geris, sine qua nulla potest prodesse, immo nec esse, conuersio. Apostolica quippe dicit authoritas, quia sine fide impossibile est placere Deo. Hebr. 11. Fides. *Fides namque est bonorum omnium fundamentum. Fides est humanæ salutis initium. Sine hac fide nemo ad filiorum Dei numerum potest peruenire, quia sine ipsa nec in hoc sæculo quisquam iustificationis gratiam consequitur, nec in futuro vitam possidebit æternam. Et si quis hic non ambulauerit per fidem, non perueniet ad spem. Sine fide omnis labor hominis vacuus est. Tale quippe est, vt sine vera fide quisque velit Deo per contemptum sæculi placere: quale si quisquam tendens ad patriam, in qua se scit beatè esse victurum, relinquat itineris rectitudinem, & improuidus sectetur errorem, quo non ad beatam ciuitatem perueniat, sed in præcipitium cadat, vbi non gaudium peruenienti detur, sed cadenti interitus inferatur. Verumtamen vt de fide sufficiens sermo promatur, nec temporis suffragatur spatium, quia celeriter nostrum cupis habere responsum, & tam magnum est huius disputationis opus, vt à magnis vix possit impleri. Neque enim poposcisti sic te debere de fide instrui, vt vnam quamlibet hæresim designares, contra quam specialiter nostræ disputationis vigilaret intentio: sed cùm indefinitè definitionem fidei petis, eamque cupis etiam sub breuitate concludi, vides proculdubio quàm sit nobis impossibile, vt rem tantam in breui plenè comprehendamus. Cui sufficientes esse non possumus, etiamsi tantum spatium temporis, & tale nobis esset ingenium, vt multa volumina de hoc quod à nobis expetis, facere valeremus. Sed quia* Deus prope est omnibus inuocantibus eum in veritate, *qui verbum consummans & breuians fecit super terrã, spero, quia sicut tibi dedit huius fidei sanctam solicitudinem, sic etiam mihi, vt tuo tam bono, tamque laudabili seruiam desiderio, sufficientem tribuet facultatem, vt etsi non potuero cuncta dicere, ex quibus omnis error hæreticus possit agnosci, & agnitus vel conuinci valeat vel vitari: tamen in nomine atque adiutorio sanctæ Trinitatis, quæ vnus solus verus & bonus est Deus, ea dicam, in quibus saltem magna ex parte rationem fidei Catholicæ constet sine aliqua erroris caligine contineri: quibus retentis poteris & illa deprehendere atque fugere, quæ etsi in hoc opere non videntur speciali disputatione cõuinci, tamen ex iis quæ hic generaliter atque absolutè ponentur, appareant illa quæ infideles homines auribus solent susurrare fidelium, non regula diuinæ veritatis tradita, sed nequitia humani erroris inuenta.* Psal. 144. Esai. 10. Rom. 9.

CAPVT I.

Trinitas. 
VOCVMQVE igitur loco fueris constitutus, quia secundum regulam nostri Saluatoris imperio promulgatam, nosti te in vno patris & filij, & Spiritus S. nomine baptizatum, principaliter atque indubitanter toto corde retine, patrem Deum, filium Deum, & Spiritum S. Deum, id est, sanctam atque ineffabilem Trinitatem, vnum esse naturaliter Deum, de quo in Deuteronomio dicitur: *Audi Israel, Dominus Deus vnus est.* Et, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Deut. 6. Matth. 4. Veruntamen quia istum vnum Deum, qui solus est verus naturaliter Deus, non patrem solum, neque filium solum, neque solum Spiritum S. sed simul patrem & filium & Spiritum S. diximus esse, cauendum est, ne sicut patrem & filium & Spiritum S. vnum Deum esse, quantum ad naturalem attinet vnitem, veraciter dicimus: sic eum qui pater est, eundem vel filium, vel Spiritum S. aut eum qui filius est, siue patrem, siue Spiritum sanctum, aut eum qui Spiritus sanctus propriè in confessione huius Trinitatis dicitur, vel patrem vel filium personaliter dicere siue credere, quod omnino nefas est, audeamus. Fides enim quam sancti Patriarchæ atque Prophetæ ante incarnationem filij Dei diuinitus acceperunt, quam etiam sancti Apostoli ab ipso Domino in carne posito audierunt, & Spiritus sancti magisterio instructi, non solum sermone prædicauerunt, verum etiam ad instructionem saluberrimam posterorum scriptis suis inditam reliquerunt, vnum Deum prædicat Trinitatem, id est, patrem & filium & Spiritum S. Sed Trinitas vera non esset, si vna eadémque persona diceretur pater & filius & Spiritus S. Si enim sicut est patris & filij & Spiritus sancti vna substantia, sic esset vna persona, nihil omnino esset, in quo veraciter Trinitas diceretur. Rursus quidem Trinitas esset vera, sed vnus Deus Trinitas ipsa non esset, si quemadmodum pater & filius & Spiritus sanctus personarum sunt abinuicem proprietate distincti, sic fuissent naturarum quoque diuersitate

uersitate discreti. Sed quia in illo vno vero Deo Trinitate, non solum quòd vnus Deus est, sed etiam quòd Trinitas est, naturaliter verum est, propterea ipse Deus verus in personis Trinitas est, & in vna natura vnus est. Per hanc vnitatem naturalem totus pater in filio & Spiritu sancto est, totus filius in patre & Spiritu sancto est, totus quoque Spiritus sanctus in patre & filio. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est, quia nemo alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate: quia nec filio nec Spiritu sancto quantum ad naturæ diuinæ veritatem pertinet, aut anterior, aut maior pater est: nec filij æternitas atque immensitas, velut anterior aut maior, Spiritus sancti immensitatem æternitatémque aut præcedere aut excedere naturaliter potest. Sicut ergo nec filius posterior aut minor est patre, ita nec Spiritus sanctus posterior aut minor est filio. Æternum quippe & sine initio est, quod de patris natura natus existit: & æternum ac sine initio est, quod Spiritus sanctus de natura patris filiique procedit. Ob hoc ergo tres, vnum rectè credimus & dicimus Deum, quia vna prorsus æternitas, vna immensitas, & vna naturaliter est trium personarum diuinitas. Teneamus igitur patrem & filium & Spiritum sanctum vnum esse naturaliter Deum, neque tamen ipsum patrem esse qui filius est, neque filium ipsum esse, qui pater est, nec Spiritum sanctum ipsum esse qui pater aut filius est. Vna enim est Patris & Filij & Spiritus sancti essentia quam Græci οὐσίαν vocant, in qua non est aliud pater, aliud filius, aliud Spiritus sanctus, quamuis personaliter sit alius pater, alius filius, alius Spiritus sanctus. Quod nobis maximè in ipso sanctarum scripturarum initio demonstratur, vbi Deus dicit, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* (Genes. 1.) Cùm enim in singulari numero dicit, *imaginem*, ostendit vnam naturam esse, ad cuius imaginem homo fieret. Cùm vero dicit pluraliter, *nostram*, ostendit eundem Deum, ad cuius imaginem homo fiebat, non vnam esse personam. Si enim in illa natura vna patris, filij & Spiritus sancti vna esset persona, non diceretur *ad imaginem nostram*, sed ad imaginem meam, nec dixisset *faciamus*, sed faciam. Si verò in illis tribus personis tres essent intelligendæ, vel credendæ substantiæ, non diceretur, *ad imaginem nostram*, sed ad imagines nostras. Vna enim imago trium naturarum inæqualium esse non posset, sed dum ad vnam imaginem vnius Dei homo factus dicitur, vna sanctæ Trinitatis essentialiter diuinitas intimatur. Denique & paulò post pro eo quod superius dixerat: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, sic hominem factum scriptura narrauit, vt diceret: *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum.* Hanc Trinitatem personarum atque vnitatem naturæ Propheta Esaias reuelatam esse sibi non tacuit, cum se dicit seraphin vidisse clamantia: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus sabaoth.* (Esa. 6.) Vbi prorsus in eo quod dicitur tertiò sanctus, personarum Trinitatem, in eo verò quòd dicitur semel Dominus Deus sabaoth, diuinæ naturæ cognoscimus vnitatem. In illa igitur sancta Trinitate, quæ ideo à nobis repetitur toties, vt nostro cordi tenacius infigatur, vnus est Deus pater, qui solus essentialiter de seipso vnum filium genuit, & vnus filius qui de vno patre solus est essentialiter genitus, & vnus spiritus sanctus qui solus essentialiter de patre filioque procedit. Hoc autem totum vna persona non posset, scilicet gignere se, & nasci de se, & procedere de se. Quia igitur aliud est genuisse, quàm natum esse, aliúdque est procedere quam genuisse vel natum esse, manifestum est, quoniam alius est pater, alius filius, alius Spiritus sanctus. Trinitas itaque ad personas patris & filij & Spiritus sancti refertur, vnitas ad naturam.

CAPVT II.

Sicut ergo secundum illam diuinitatem, qua vnum sunt pater & filius & Spiritus sanctus, neque patrem natum credimus, neque Spiritum sanctum, sed solum filium: sic etiam secundum carnem solum filium natum Catholica fides credit & prædicat. (Humanitas Christi.) Neque enim in illa Trinitate proprium esset solius patris, quia non est natus ipse, sed vnum filium genuit: neque proprium solius filij, quia non genuit ipse, sed solus de patris essentia natus est: neque proprium Spiritus sancti, quia nec natus est ipse, nec genuit, sed solus de patre filioque procedit: si secundum diuinam quidem naturam Deus pater de nullo nasceretur Deo, secundum carnem tamen ipse nasceretur ex virgine. Si enim pater nasceretur de virgine, vna persona esset pater & filius: ipsa autem vna persona, pro eo quia non de Deo, sed tantum de virgine nasceretur, non Dei filius, sed tantum hominis filius veraciter diceretur. Ipse autem Dei filius dicit, *quia sic dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* (Ioan. 3.) Et iterum: *Non enim misit Deus filium suum in mundum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* (Ioan. 3.) Nec beatus dixisset Ioannes: *Qui diligit genitorem, diligit & eum qui natus est ex eo.* (Ioan. 5.) Nec ipse filius dixisset; *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Ipse enim qui filius dicitur, si idem esset & pater, non veraciter Dei filius diceretur, quia non de Deo, sed de sola virgine nasceretur. Ad extremum nec ipse pater de cœlo testaretur, & suum corporali voce filium demonstraret, dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* (Matth. 3.) Apostolus quoque non dixisset de Deo patre: *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* (Rom. 8.) Sed quoniam omnia ista diuinitus ad nostram doctrinam dicta sunt, & quia diuina dicta sunt, vtique vera sunt: verum est quod fides Catholica prædicat, & secundum diuinitatem de patre natum esse solum filium æternum cum patre, immortalem, impassibilem, atque incommutabilem Deum, & secundum carnem non patrem, sed vnigenitum eius filium, salua æternitate sua temporaliter natum, salua impassibilitate sua passum, salua immortalitate sua mortuum, salua incommutabilitate sua, quia Deus verus vita æterna est, veraciter suscitatum. Qui totum habet commune cum patre quod æternus naturaliter sine initio habuit: & nihil habet commune cum patre eorum quæ in suam personam temporaliter atque humiliter ille æternus atque excelsus accepit de virgine. Vna enim persona esset pater & filius: ipsa autem vna persona, pro eo quia non de Deo, sed tantum de virgine nasceretur, non Dei filius. Rursus si non ille qui proprius atque vnigenitus Dei patris filius est, sed Spiritus sanctus nasceretur ex virgine, non ipsum qui factus est ex muliere, factus sub lege, natum de Spiritu sancto ex Maria virgine, in symbolo acceptum, & corde ad iustitiam crederet, & ore ad salutem sancta Ecclesia confiteretur; sed & ipse Spiritus sanctus, qui patris & filij Spiritus est, formam serui acciperet, non ipse Spiritus sanctus super seipsum hominem factum in columbæ specie cœlitus adueniret. (Marc. 1.) Pater ergo Deus de nullo genitus Deo, semel de sua natura sine initio genuit filium Deum sibi æqualem, & eadem qua ipse naturaliter æternus est diuinitate coæternum. Sed idem Deus filius cùm sit æternus & verus, & cum patre

parte secundum diuinitatem naturaliter vnus Deus est, secundum hoc quod dicit: *Ego & pater vnum sumus*, idem pro nobis est homo factus verus & plenus. In eo verus, quia veram habet Deus ille humanam naturam, in eo vero plenus, quia & carnem humanam suscepit, & animam rationalem. Idem tamen vnigenitus Deus natus est semel ex patre, semel ex matre: natus est enim de patre *Deus verbum*, natus est ex matre *verbum caro factum*. Vnus ergo est, atque idem Deus Dei filius natus ante sæcula, & natus in sæculo, & vtraque natiuitas vnius est filij Dei. Diuina, secundum quam creator in forma Dei coæternus patri Deus est: humana, secundum quam semetipsum exinaniens, & formam serui accipiens, non solum in conceptu materni vteri semetipsum dum homo fieret, eadem seruilis formæ susceptione formauit: verum etiam de eodem matris vtero idem Deus homo factus exiuit, & in cruce idem Deus homo factus pependit, & in sepulchro idem Deus homo factus iacuit, & ab infernis idem Deus homo factus, tertio die resurrexit, sed in sepulchro secundum solam carnem idem Deus iacuit, & in infernum secundum solam animam descendit. Qua de inferis ad carnem die tertia reuertente, idem Deus secundum carnem quæ in sepulchro iacuit, de sepulchro resurrexit: & quadragesimo post resurrectionem die, idem Deus homo factus, ad cœlum ascendens in dextera Dei sedit, inde in fine sæculi ad iudicandos viuos mortuósque venturus. *Verbum* ergo *caro factum*, *vnus est filius Dei Dominus Iesus Christus, mediator Dei & hominum.* Idcirco autem mediator, quia idem Deus atque homo verus, habens cum patre vnam diuinitatis naturam, & humanitatis vnam cum matre substantiam: habens ex nobis vsque ad mortem iniquitatis nostræ pœnam, habens incommutabilem de Deo patre iustitiam: propter iniquitatem nostram temporaliter mortuus, propter iustitiam suam, & ipse viuus semper, & immortalitatem mortalibus largiturus. Qui perfectam quidem humanitatem suam in ipsa diuinitatis suæ perfectione seruauit: veritatem vero mortalitatis nostræ per susceptionem mortis, veritate atque incommutabilitate suæ immortalitatis absorbuit. Hoc est quod testatur B. Petrus, *quia Christus deglutiuit mortem vt vitæ æternæ hæredes efficeremur.* Beatus quoque Paulus docet, *quia Christus mortem deglutierit, illuminauerit autē vitam & incorruptionē.* Christus ergo mortem gustauit, quia verus homo est: idemque mortem deglutiuit, quia verus Deus est. Ipse quippe sicut dicit Apostolus: *mortuus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei*, vnus atque idem, qui secūdum Prophetiam beati Dauid, *& homo factus est in Sion, & ipse fundauit eam altissimus.* Itaque nec diuinitas Christi aliena est à natura patris, secundum id quod *in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factū est nihil.* Nec humanitas eius aliena est à natura matris, secundum id quod *verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Illa enim natura quæ semper genita manet ex patre, nostram naturam sine peccato suscepit, vt nasceretur ex virgine. Neque enim natura æterna atque diuina temporaliter concipi & temporaliter nasci ex natura humana vllatenus posset, nisi secundum susceptionem veritatis humanæ, veram temporaliter conceptionem atque natiuitatem ineffabilis in se diuinitas accepisset. Sic est Deus æternus ac verus, veraciter secundum tempus & conceptus & natus ex virgine. Dum enim venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum natum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum Dei reciperemus: illo scilicet Deo naturaliter facto filio hominis, qui vnus est naturaliter filius Dei patris vnigenitus. Hoc vtique Ioannes Euangelista confirmans postquam dixit; *Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis:* subsequenter ait: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis.* Sic ille omnium spirituum, omniúmque corporum, id est omnium naturarum creator & Dominus, creauit virginem, creandus ex virgine; & cuius ipse factor est, matrem sibi fecit, quando de eius carne concipiendus atque pariendus, veram materiam * carnis Deus immensus ac sempiternus accepit: vt & secundum veritatem formæ seruilis, Deus homo misericorditer fieret, & secundum formam Dei naturali veritate idem Deus homo permanens non careret. Sic igitur Christum Dei filium, id est, vnam ex Trinitate personam Deum verum crede, vt diuinitatem eius de natura patris natam esse non dubites. Et sic eum verum hominem crede, vt eius carnem non cœlestis, non aëreæ, non alterius cuiusquam putes esse naturæ, sed cuius est omnium hominum caro: id est, quam ipse Deus homini primo de terra plasmauit, & cæteris hominibus plasmat, quos per propagationem ex hominibus creat. Sed licet caro Christi & omnium hominum vnius eiusdémque naturæ sit: hæc tamen quam Deus verbum ex Maria virgine sibi vnire dignatus est, sine peccato suscepta †, sine peccato nata est: vtpote secundum quam Deus æternus & iustus misericorditer, & conceptus, & natus est, & Dominus gloriæ crucifixus est. Quibus autem verbis explicabitur carnis illius excellentia singularis, cuius diuina est ex ipsa sui conceptione persona, cuius origo natiuitatis insolita, qua sic verbum caro factum est, vt vna persona esset cum carne sua vnigenitus ac sempiternus Deus, ipsa suæ carnis conceptione conceptus? Istam vero cæterorum hominum carnem, per humanum certum est nasci concubitum, viro seminante, fœmina concipiente atque pariente. Et quia dum sibi inuicem vir muliérque miscentur vt filios generent, sine libidine non est parentum concubitus; ob hoc filiorum ex eorum carne nascentium non potest sine peccato esse conceptus, vbi peccatum in paruulos non transmittit propagatio, sed libido. Nec fœcunditas humanæ naturæ facit homines cum peccato nasci, sed fœditas libidinis, quam homines habent ex illius primi iustissima condemnatione peccati. Ideo B. Dauid quamuis de legitimo nasceretur iustóque coniugio, in quo scilicet, nec infidelitatis culpa, nec fornicationis macula poterat inueniri: propter originale tamen peccatum, quo naturaliter obstricti sunt filij iræ, non solum impiorum filij, sed omnes etiam qui de iustorum sanctificata carne nascuntur, exclamat & dicit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis concepit me † mater mea.* Sanctus etiam Iob dicit, *mundum à sorde non esse hominem: nec si vnius diei sit vita eius super terram.* Dei ergo filius vnigenitus qui est in sinu patris, vt carnem hominis animamque mundaret, susceptione carnis atque animæ rationalis incarnatus est: & qui est Deus verus, homo verus factus est, non vt alter Deus esset alter homo, sed idem Deus, idem homo. Qui vt illud peccatum quod in concubitu mortalis carnis generatio humana contraxit, auferret, conceptus est nouo more, Deus incarnatus in matre virgine, sine coitu viri, sine libidine concipientis virginis: vt per Deum hominem, quem absque libidine conceptum inuiolatus edidit virginis vterus, ablueretur peccatum, quod nascentes trahunt omnes homines: quibus in corpore mortis huius talis est nascendi conditio, vt matres eorum fœcunditatis opus implere non

Marginal notes: Ioan. 10. — Philip. 2. — Act. 1. — Ioan. 1. — 1. Tim. 2. — 1. Petri 3. — 2. Tim. 1. — Psal. 86. — Ioan. 1. — Galat. 4. — Ioan. 1. — * al. naturam. — † concepta. — Libido concubitus. — Psal. 50. — † peperit. — Iob 25.

non possint, nisi prius virginitatem carnis amiserint. Solus igitur abstulit peccatum conceptionis atque natiuitatis humanæ Deus vnigenitus, qui dum conciperetur, veritatem carnis accepit ex virgine, & cum nasceretur, integritatem virginitatis seruauit in matre. Ista causa est, qua Deus factus est filius virginis Mariæ, & Maria virgo facta est mater vnigeniti Dei: vt quem pater genuit ex æternitate, ipsum virgo conceptum proferret in tempore. Illa vtique est virgo, quam Deus, qui de ea fuerat nasciturus ita singulari gratia præuenit, atque repleuit, vt ipsum haberet ventris sui fructum, quem ex initio habuit vniuersitas Dominum: & ipsum sibi videret nascendi solemnitate subditum, quem in vnitate paternæ substantiæ non solum humana, sed etiam Angelica creatura cognoscit, & adorat altissimum. Sic ergo peccatum & pœna peccati, quæ per scelus corruptæ mulieris intrauit in mundum, per inuiolatæ virginis partum aufertur à mundo. Et quia in conditione generis humani per mulierem quæ de solo viro facta est, contigit vt mortis vinculo teneremur obstricti: hoc in redemptione humani generis diuina bonitas egit, vt per virum qui de sola muliere natus est, vita hominibus redderetur. Illic humanam naturam nequissima deceptione sibi diabolus in peccati similitudine sociauit: hìc Deus humanam naturam in vnitate personæ suscepit. Ibi fœmina decepta est, vt fieret filia diaboli: hìc virgo gratia repleta est, vt fieret mater summi, atque incommutabilis vnigeniti Dei. Ibi Angelus deiectus per superbiam, seductæ mulieris animum obtinuit: hìc Deus humilians se per misericordiam, incorruptæ virginis vterum ex ea nasciturus impleuit. Dei enim filius Iesus Christus *qui in forma Dei erat*, quia nisi ex natura patris natus esset, esse non posset: ipse secundum Apostolicam doctrinam *semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Formam* igitur *serui*, id est, naturam serui in suam *accepit* ille Deus personam, atque ita hominum factor *in similitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo, ipse humiliauit semetipsum, factus obediens patri vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Intente igitur hanc Apostoli sententiam cogita, & in ea cognosces quomodo Dominum Iesum Christum, eundem Deum atque hominem credas. Nec tamen in eo veritatem vtriusque naturæ in vna persona, aut confundas, aut diuidas. Cum ergo primo audis de Domino Iesu Christo: quia in forma Dei erat, oportet, te agnoscere, firmissiméque tenere in illo formæ nomine naturalem plenitudinem debere intelligi. In forma igitur Dei Dominus Iesus Christus erat, quia in natura Dei patris semper erat, de quo natus est. Vnius ergo naturæ cum patre est, æqualitérque cum eo sempiternus atque immensus, æqualiter immortalis & incommutabilis, æqualiter inuisibilis & inenarrabilis, æqualiter bonus & iustus, æqualiter miserator & misericors, patiens & multum misericors & verax, æqualiter fortis & suauis, æqualiter sapiens atque omnipotens. Proinde hæc omnia quæ diximus de filio Dei, firmissima fide retine, qui hæc vtique omnia in vnitate naturæ habens cum patre sine dubio æqualis est patri. Propter quod & Apostolus continuo adiungens ait, *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Non enim rapina fuit illa filij cum patre diuinitatis æqualitas, sed naturæ. Etiam illa quæ consequenter subiungit Apostolus dicens, *quia semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuētus vt homo: & quia humiliauit semetipsum, factus obediēs patri vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Omnia hæc de illo Deo vnigenito Dei filio, de illo verbo Deo, de quo dicit Euangelista: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*, de illa Dei virtute, Deique sapientia, de qua de eo dicitur: *Omnia in sapientia fecisti*: de illo principio cum quo vnum est pater ipse principium, & in quo sibi coæterno fecit cœlum & terram, id est omnem spiritalem corporalémque naturam: de Deo vnigenito, qui est in sinu patris, vt dixit, omnia hæc personaliter accipe, salua tamen æternitate, immensitate, immortalitate, incommutabilitate, inuisibilitate deitatis eius. Quæ ita naturaliter atque æqualiter communia cum Deo patre habet Dei filius, vt licet pro nobis fuerit homo veraciter factus, permanserit tamen æqualis vero Deo patri, de quo natus est verus, & veritas Deus. *Semetipsum igitur exinaniuit, sed de plenitudine eius nos omnes accepimus*: quam plenitudinem si exinanitus amitteret, quod de ea nobis daret, vtique non haberet. Eodem autem non habente nos proculdubio nihil possemus accipere, de plenitudine autem eius nos omnes accepimus. Ex eo autem quòd nobis de plenitudine sua dedit, ostendit etiam cum se exinaniuit plenitudinem non amisisse quam habuit, quia si plenitudinem suam amitteret, dare de illa nullatenus posset. Formam ergo serui accepit, neque enim aliud fuit illa summi Dei exinanitio, nisi formæ seruilis, id est humanæ naturæ susceptio. Vtraque igitur est in Christo forma, quia vtraque & vera & plena est in Christo substantia: ideo sanctus Euangelista, *plenum eum gratia & veritatis* prædicat, quia in diuina natura in qua Deus veritas est, plenus est, & in humana natura in qua homo verus gratia factus est, plenus est. In illa plenitudine Deus est, in forma Dei æqualis Deo. In ista plenitudine seruus, *in forma serui, quia in similitudinem hominum factus, habitu est inuentus vt homo. Exinaniens ergo semetipsum, formam serui accepit vt fieret seruus*: sed formæ Dei plenitudinem non amisit, in qua semper est æternus atque incommutabilis Dominus: factus secundum formam serui homo verus, eiusdem naturæ cuius est ancilla mater, & manens in forma Dei Deus verus, eiusdem naturæ cuius est etiam Dominus pater. In forma Dei cum Patre & Spiritu sancto vnus est solus formator omnium Deus: secundum formam serui solus ipse sua & Patris & Spiritus sancti operatione formatus: quia creator est, commune habens naturaliter cum Patre & Spiritu sancto: quia autem creatus est, formam serui secundum quam creatus est solus habens personaliter in seipso. Cuius & natiuitatem futuram secundum carnem & mortem & resurrectionem, atque in cœlo ascensionem lex & Prophetæ pronuntiare nunquam destiterunt, prout ipse præcipiebat, obedientes & verbis & factis. Nam & in sacrificiis carnalium victimarum, quæ ipsa sibi sancta Trinitas, quæ vnus est Deus noui & veteris Testamenti, à patribus nostris præcipiebat offerri, illius sacrificij significabatur gratissimum munus, quod pro nobis seipsum solus Dei filius secundum carnem esset misericorditer oblaturus. *Ipse enim* secundum Apostolicam doctrinam *obtulit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis. Ipse verus Deus & Pontifex, qui pro nobis non in sanguine taurorum & hircorum, sed in sanguine suo semel introiuit in sancta.* Quod tunc Pontifex ille significabat, qui cum sanguine in sancta sanctorum per annos singulos introibat. Iste igitur est qui in se vno totum exhibuit, quod esse necessarium ad redemptionis nostræ sciebat effectum, idem scilicet & sacerdos & sacrificium, idem Deus & templum. Sacerdos, per quem sumus reconciliati: sacrificium, quo reconciliati: templum in quo reconciliati: Deus, cui reconciliati. Solus tamen Sacerdos, sacrificium

Philip. 2. Ibidem. Ioan. 1. Psal. 103. Ioan. 1. Ibidem. Ephes. 4. Hebr. 9.

ſacrificium & templum, & hæc omnia Deus ſecundum formam ſerui. Non autem ſolus Deus, filius, quia hoc eſt cum patre & Spiritu ſancto ſecundum formam Dei. Reconciliati igitur ſumus per ſolum filium ſecundum carnem, ſed non ſoli filio ſecundum diuinitatem. Trinitas enim nos ſibi reconciliauit per hoc quòd ſolum verbum carnem ipſa Trinitas fecit. In quo ſic veritas incommutabilis manet humanæ diuinæque naturæ, vt ſicut vera ſemper eſt eius diuinitas, quam de patre incommutabilem habet: ita vera ſemper atque incommutabilis ſit eius humanitas, quam ſibi vnitam ſumma diuinitas gerit. Hæc pauca de fide ſanctæ Trinitatis, quæ ſolus & verus eſt naturaliter Deus, quantum breuitas temporis & ſermonis permiſit, inſerui. Nunc de creatura quid abſque dubitatione credere debeas, intimabo.

CAPVT III.

Creaturæ.

PRincipaliter itaque tene, omnem naturam quæ non eſt Trinitas Deus, ab ipſa ſancta Trinitate quæ ſolus Deus æternus & verus eſt, creatam ex nihilo. *Ac ſic vniuerſa in cœlis & in terra, viſibilia & inuiſibilia, ſiue thronos, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, opus atque creaturam eſſe ſanctæ Trinitatis*: quæ eſt vnus Deus rerum omnium creator & Dominus, æternus, omnipotens, iuſtus, & bonus, habens naturaliter vt ſemper ſit & mutari aliquando non poſſit. Et hic Deus qui ſine initio ſemper eſt, quia ſumme eſt, dedit rebus à ſe creatis, vt ſint: non tamen ſine initio, quia nulla creatura eiuſdem naturæ eſt, cuius Trinitas vnus verus & bonus Deus, à quo creata ſunt omnia. Et quia ſumme bonus eſt, dedit omnibus naturis quas fecit vt bonæ ſint: non tamen tantum bonæ, quantum creator omnium bonorum, qui non ſolum ſumme bonus, ſed etiam ſummum atque incommutabile bonum eſt, quia æternum bonum eſt, nullum habens defectum, quia non ex nihilo factum: nullum habens profectum, quia nullum habens initium. Ideo quippe naturæ à Deo factæ proficere poſſunt, quia eſſe cœperunt: ideo deficere, quia ex nihilo factæ ſunt. Ad defectum eas conditio ducit originis, ad profectum vero prouehit operatio creatoris. In eo igitur primum Trinitatis, quæ Deus verus eſt, æternitas ſine initio naturalis agnoſcitur, quia quædam ita fecit, vt cum eſſe quidem cœperint, tamen non eſſe aliquando non poſſint. In eo vero eius omnipotentia intelligitur, quia omnem creaturam viſibilem atque inuiſibilem, id eſt corporalem atque ſpiritalem de nihilo fecit, in quibus ipſa rerum diuerſitas multo magis commendat bonitatem atque omnipotentiam creatoris: niſi enim omnipotens eſſet, non vna eademque facilitate ſumma atque ima feciſſet. Et niſi ſummè bonus eſſet, non ſe gubernandis rebus quoque infimis præſtitiſſet. Igitur tam in magnis quam in paruis quibuſque rebus conditis magna eſt bonitas atque omnipotentia conditoris. Omnia enim ſapienter fecit ſumma veraque ſapientia: cui naturaliter hoc eſt eſſe, quod ſapientem eſſe: hoc facere, quod ſapienter facere: ſimplicitas itaque multiplicis ſapientiæ Dei, magnitudinem celſitunis ſuæ, non ſolum in magnitudine ſublimium creaturarum; verum etiam in infimarum paruitate commendat: dum bona omnia quæ creauit, non ſolum multo inferiùs diſſimiliúſque ſuo creatore ſunt, vtpote non prolata de ſeipſo, ſed facta prorſus ex nihilo: verumetiam inter ſe non æqualiter ſunt, ſed vnaquæque res ita permanet ſicut à Deo cum non eſſet, accepit: alia quidem ſic, alia autem ſic. Neque enim ſic datum eſt corporibus vt ſint, ſicut ſpiritus acceperunt: cum ipſa quoque corpora non æqualiter

Naturæ profectus & defectus.

ſint, & in ipſis cœleſtibus atque terreſtribus inueniatur nonnulla diuerſitas: cum tam cœleſtia quàm terreſtria, non ſolum impari diſtent quantitate molis, verumetiam diſſimili ſplendeant claritate. *Alia namque eſt*, ſicut dicit Apoſtolus, *claritas cœleſtium corporum, alia terreſtrium. In ipſis quique cœleſtibus alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellarum: ſtella enim differt à ſtella in claritate.* Corporalium igitur naturarum diuerſitas oſtendit vnamquamque earum non hoc eſſe, quod ex ſe ſemper habere potuerit, ſed quod ex diſpoſitione atque opere omnipotentiſſimi atque incommutabilis & ſapientiſſimi creatoris accepit. Quod ſi vnius euſdemque naturæ eſſet quælibet creatura corporalis cuius eſt S. Trinitas, quæ vnus eſt Deus, nec localiter in loco eſſet, nec temporis mutationem aliquando ſentiret, nec de loco ad locum tranſiret, nec circumſcriberetur quantitate molis ſuæ. Quæ omnia oſtendunt huiuſmodi naturarum illum eſſe opificem, cui nullus latus aut anguſtus locus, quia non minus in anguſtis quam in latis totus eſt. Nec mutatur tempore qui ſolus poteſt volumina temporum, non temporali volubilitate, ſed æterna ſtabilitate mirabiliter ordinare: neque enim in tempore cogitat, quemadmodum temporum ſeries rerum deceſſione aut ſucceſſione tranſcurrat. Nec aliqua molis quantitate terminatur, quia nullo fine concluditur. Neque per mundi partes partibus ſuis eſt ipſe diffuſus, vt maiores mundi partes ſuis maioribus impleat, & minores minoribus implendo, nuſquam tamen totus ſe infundat. Ipſe enim eſt Deus qui ait: *Cœlum & terram ego impleo.* Omnia igitur quæ fecit, id eſt ſpiritus & corpora, ſumma & ima, cœleſtia atque terreſtria, viuentia, & quibus viuendi facultatem non dedit, ineffabiliter vbique totus Dominus & implet & continet. Nec in iis quæ diuiduntur, ipſe diuiditur: nec in iis quæ mutantur, vlla mutatione variatur: niſi enim naturaliter incommutabilis ipſe eſſet, nunquam in rebus mutabilibus ordo quidam conſilij ac diſpoſitionis eius incommutabilis permaneret. Deus igitur rerum corporearum atque incorporearum creator immenſus, eo primum ſe nullum eſſe corpus oſtendit, quia quibuſdam corporibus vitam non dedit, cum corpora omnia ipſe creauerit. Ipſe autem naturaliter vita eſt, quia ſi vita non eſſet, non viuentia corpora ipſe non feciſſet. Neque enim facit rem non viuentem, niſi res viuens. Non igitur vnius naturæ ſunt cum Deo corpora, quæ viuere omnino non poſſunt. Ac ſic neque illa corpora vnius naturæ cum Deo ſunt, quibus ſingulis ſingulos brutos atque irrationabiles ſpiritus, quibus eadem corpora viuificarentur ac ſenſificarentur, inſeruit. Sed nec ipſi bruti ſpiritus vnius naturæ cum Deo ſunt, quos licet viuificandis, ſenſificandiſque cognoſcatur inſeruiſſe corporibus, ipſis tamen ſpiritibus nullum intelligendi largitus eſt lumen, quo ſuum poſſent aut cognoſcere, aut diligere creatorem. Ipſos quoque ſpiritus quos rationales atque intellectuales eſſe nõ dubium eſt, quis audet blaſphemo ſpiritu & cæco corde eiuſdem naturæ, cuius eſt Deus, vel putare, vel dicere, cum Deus vtique naturaliter incommutabilis omnino ſit & immenſus? Qui cum in ſe diuerſitatem vllam habere non poſſit, in eiſdem tamen ſpiritibus, quos rationales atq; intellectuales fecit, diuerſitatem ſuæ operationis oſtendit. In quibuſdã enim, id eſt, qui terrenis ac mortalibus ſũt inſerti corporibus, etſi nullus eſt eis localis motus, quia per locorum corporaliũ partes, cum ipſi in corporibus ſint, nõ particulatim ſunt, ſed ſicut in totis corporibus toti, ſic in eorumdẽ corporum partibus toti ſunt, tamen cogitationũ varietas diuerſitatem in eis cuiuſdam temporalis motionis ac

Corpora cœleſtia & terreſtria. 1. Cor. 15.

Deus vbique. Hier. 13.

Deus omnium vita.

muta

mutationis ostendit: dum modo aliquid nesciunt, modo sciunt: modo volunt, modo nolunt: modo sapiunt, modo desipiunt: modo iniqui ex iustis, modo iusti sunt ex iniquis: modo pietatis illustrantur lumine, modo deprauantur tenebroso impietatis errore. Illos quoque quos terrenorum corporum grauat nulla lutulenta materies, id est, Angelicos Spiritus, quis non videat non vnius naturæ esse cum Deo, sed factos ex nihilo, quorum naturalis mutabilitas in eo cognoscitur, quia eiusdem naturæ pars est in deterius permutata? Deinde quod ij qui deprauati non sunt, licet illius dono, à quo cum non essent, facti sunt, indefessa, & in quantum creaturæ Angelicæ gratis datum est, perfecta dilectione, contemplatione atque exultatione multitudinem dulcedinis Domini incessabiliter sentiant: nec ab eo naturali conditione deficiant, si & inhærentibus Deo inest de varietate temporis: quia collato sibi æternæ incorruptionis atque incommutabilitatis munere nihil in se sentiant immutationis: inest tamen singulis naturalis terminus, quo à se inuicem discernuntur, quia nullus eorum in alio est. Et cum vni eorum opus quodlibet iniungitur, alius quoque alteri operi implendo diuinæ potestatis deputatur arbitrio. Hæc omnia ostendunt etiam sanctos Angelos opera † esse sanctæ Trinitatis: cuius per singulas res, quas vtique sicut voluit fecit, apparet mirabilis, & sapientia in dispositione, & virtus in opere. Quosdam igitur spiritus sic Deus creauit, vt semper essent; quosdam verò, vt esse spiritus quandoque desinerent. Illos itaque desituros quosdam ex aqua, quosdam verò quia sic voluit omnipotens, produxit ex terra. Superiores verò spiritus nullum cum corporeis elementis habere fecit naturale consortium, quos & æternos creauit, & eis facultatem atque intelligentiam cogitandæ, cognoscendæ, diligendæque diuinitatis inseruit. Quos tamen ita creauit, vt etiam præ seipsis illum diligerent, cuius se tales creatos opere cognouissent, cum eorum vt tales fierent, nulla merita præcessissent. Vt autem hæc dilectio haberet iustam, & congruam laudem, voluntatis quoque eis tribuit libertatem, vt esset eis possibile, siue ad eum qui supra eos est, intentionem sanctæ dilectionis erigere, siue ad se, vel ad ea quæ infra eos sunt, graui † cupiditatis semetipsos pódere declinare. Non est igitur natura, quæ in æternum possit, siue misere, siue bene viuendo subsistere, nisi quæ potest de Deo ipsius Dei múnere cogitare. Hæc autem natura intellectualis in animabus est hominum, & spiritibus Angelorum: Deus quippe diligendi ac cognoscendi se, non nisi Angelis & hominibus indidit facultatem. Quibus propter arbitrij libertatem, quæ maximè debuit intellectuali creaturæ creatoris benignitate conferri, ita cognoscendi, ac diligendi se facultatem, voluntatémque donauit, vt eam vnusquisque, & habere posset, & perdere. Si quis tamen sponte eam perderet, suo eam deinceps arbitrio resumere non valeret: vt illius esset sanctæ cogitationis initio gratuitæ dono bonitatis denuò reuocandis quibus vellet infundere, cuius fuit in ipso creationis exordio nullis præcedentibus meritis spiritus, & corpora locis atque affectionibus, prout ipse sapiens voluit, congrue & mirabiliter ordinare. Angeli ergo atque homines pro eo quia rationales sunt facti, æternitatis, ac beatitudinis donum in se à naturæ spiritalis creatore † diuinitus acceperunt, ita scilicet, vt si dilectioni creatoris sui iugiter inhæsissent, simul æterni beatique mãsissent. Si verò propriæ voluntatis arbitrio contra summum creatoris imperium suam niterentur facere voluntatem, protinus à contumacibus beatitudo discederet, & ad supplicium eis relinqueretur æternitas misera, erroribus deinceps doloribúsque crucianda. Et de Angelis quidem hoc dispofuit, & impleuit, vt si quis eorum bonitatem voluntatis perderet, nunquam eam diuino munere repararet. Pars itaque Angelorum, quæ à suo creatore Deo, quo solo bono beata fuit, voluntaria prorsus auersione discessit, æquitatis supernæ iudicio, initium suæ damnationis in ipsa auersione voluntatis inuenit, vt non aliud ei esset incipere iam puniri, quam illius beatifici boni dilectione destitui: quam Deus in æterno sic totam præcepit remanere supplicio, vt etiam ignem ei æternum præpararet: in quo omnes illi præuaricatores Angeli nec mala possint vnquam voluntate carere, nec pœna, sed permanente in eis iniustæ auersionis malo, permaneret etiam iustæ retributionis æterna damnatio. Horum malorum princeps diabolus primos homines, quos ad peccati principium † inuidus duxit, non eis tantum, sed & vniuersæ propagini eorum cum vitio peccati meritum mortis inseruit: Deus autem misericors, & iustus, sicut diabolo, & Angelis eius propria voluntate cadentibus, cæteros Angelos in suæ dilectionis æternitate firmauit: sic etiam humani generis massam non totam in sempiternum perire permisit: sed quos voluit eius gratuita bonitas, repulsis tenebris, in quibus omnis humana natiuitas peccati originalis condemnatione versatur, reducendos prædistinauit ad lucem: in eo præcipuè demonstrans, quòd istos originalis peccati vinculis indebita gratia liberatoris absolueret: cum alios, & quàm maximè paruulos, quibus nulla possunt, vel bona, vel mala inesse, propria merita voluntatis, insolubili nexu æterna damnatio retineret. Bonæ quoque voluntatis, & cogitationis initium, non homini ex seipso nasci, sed diuinitus, & præparari, & tribui in eo Deus euidenter ostendit: quia neque diabolus, neque aliquis Angelorum eius, ex quo ruinæ illius merito in hanc inferiorem sunt detrusi caliginẽ, bonã potuit, aut poterit resumere volũtatẽ. Quod si possibile esset, vt humana natura, postquam à Deo auersa bonitatem perdidit volũtatis, ex seipsa rursus eã habere potuisset, multò possibilius hoc natura haberet Angelica: quæ quanto minus grauatur terreni corporis pondere, tanto magis hac esset prædita facultate. Sed ostendit Deus, vnde bona voluntas hominibus detur, quam sic amiserunt Angeli cum haberẽt, vt amissam deinceps habere non possint. Quoniam igitur digna est eadem voluntas bona per Dei gratiam æternæ beatitudinis præmio, & iniquitas angelica atque humana non debet esse impunita: propterea secundum Catholicæ fidei regulam venturum esse filium Dei ad puniendos omnes peccatores Angelos, & ad iudicandos homines viuos, & mortuos fideliter expectamus. Testatur enim B. Petrus, *quia Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferi detrudens, tradidit in iudicio puniendos reseruari.* De hominibus quoque viuis ac mortuis iudicandis hoc ait B. Paulus: *Testificor coram Deo, & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos, & mortuos, & aduentum ipsius, & regnum eius.* In cuius aduentu ab illo primi hominis corpore, quod Deus de terra plasmauit, vsque ad omnium hominum corpora, quæ animata quandoque videre cœperunt, ab illo resuscitabuntur, à quo operante creata sunt. Singula vero corpora illis singulis suis animabus in resurrectione reddentur, quas in maternis, vt viuere inciperet, ventribus habere cœperunt, vt scilicet animæ in illo examine iusti iudicis in eisdem singulis corporibus suis accipiant retributionem, siue regni, siue supplicij, in quibus siue bonam, siue malam qualitatem vitæ præsentis habuerunt. Qualitas autem malæ vitæ ab infidelitate incipit, quæ ab originalis peccati reatu initium sumit. In quo quisquis

Angeli.

† creaturas.

† prauæ.

† al donum in ipsa naturæ spiritalis creatione.

† præcipitium.

2. Pet. 2.

2. Tim 4.

Origo vitæ malæ.

quisquis viuere ita incipit, vt ante finiat vitam, quam ab eius obligatione soluatur, si vnius diei, vel vnius horæ spatio anima illa vixit in corpore, necesse est eam cum eodem corpore interminabilia gehennæ sustinere supplicia: vbi diabolus cum Angelis suis in æternum arsurus est, qui & primus peccauit, & peccatũ primis hominibus persuasit. *Vbi cũ eo etiã fornicarij idolis seruientes, adulteri, molles, masculorũ cõcubitores, fures, auari, ebriosi, maledici, rapaces, & omnes qui opera carnis agũt,* de quibus dicit Apostolus, *quia regnum Dei non consequuntur,* si ante huius vitæ terminum à viis suis malis conuersi non fuerint, æternis ignibus exurentur. Omnis enim homo, qui in hoc seculo vsque ad finem in iniquitatum delectatione, & cordis obduratione permanserit, sicut hic eum noxia criminum delectatio tenuit, sic eum sine fine sempiterna cruciatio retinebit. Erit enim etiam iniquorum resurrectio, sed sine immutatione, quam solis fidelibus, & ex fide iustè viuentibus daturus est Deus. Hoc est enim quod ait Apostolus Paulus, *Omnes quidẽ resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Ostendens autem iustos diuino munere commutandos, ait: *Et nos immutabimur.* Habebunt ergo iniqui cum iustis resurrectionem carnis communẽ, immutationis tamen gratiam non habebunt, quæ dabitur iustis: quoniam à corporibus impiorum non auferetur corruptio & ignobilitas, & infirmitas in quibus seminantur: quæ ob hoc morte non extinguẽtur, vt illud iuge tormentum corpori atque animæ sit mortis æternæ supplicium. Iustæ verò animæ, quas hic redemptor Deus gratis ex fide iustificauit, & iustificatis bene viuendi vsque in finem perseuerantiam tribuit, in ipsis corporibus, in quibus hic iustificationis gratiam diuinitus acceperunt, & in quibus iustificatæ per fidem, in charitate Dei proximíque vixerunt, regni cælestis æterna beatitudine potiẽtur: glorificatis etiam corporibus suis, quæ sine dubio carnis natura, quam Deus creauit veraciter permanente, non sicut hic animalia, sed spiritalia, tunc habebunt. Sanctorum enim seminatur corpus animale, surget spiritale. In his per illam immutationem, quæ solis dabitur iustis, implebitur, quod oportere dicit Apostolus, *vt corruptibile hoc induat incorruptionem, & mortale hoc induat immortalitatem.* In quibus sexus masculinus, & fœmininus, sicut eadem corpora creata sunt, permanebit: quorum gloria erit pro factorum bonorum diuersitate diuersa. Omnia tamen corpora, siue masculorum, siue fœminarum, quæcunque in regno illo erunt, gloriosa erunt: ille autem iudex nouit, quantam vnicuique sit daturus gloriam; qui in hac vita per misericordiã gratis iustificando præuenit, quos illic per iustitiam glorificare disposuit. Tempus verò acquirendi vitam æternã in ista tãtum vita Deus hominibus dedit, vbi voluit esse etiam pœnitentiam fructuosam. Ideò autem hic pœnitẽtia fructuosa est, quia potest hic homo deposita malitia bene viuere: & mutata volũtate iniusta, merita simul operáque mutare, & in timore Dei ea gerere quæ placeant Deo. Quod qui in hac vita non fecerit, habebit quidem pœnitentiã in futuro seculo de malis suis, sed indulgentiã in conspectu Dei non inueniet: quia etsi erit ibi stimulus pœnitudinis, nulla tamen ibi erit correctio voluntatis. A talibus enim iniquitas sua ita culpabitur, vt nullatenus possit ab eis, vel dirigi vel desiderari iustitia: voluntas enim eorum talis erit, vt habeant in se semper malignitatis suæ supplicium, nũquã tamẽ percipere possint bonitatis affectum. Quia sicut illi qui cũ Christo regnabunt: nullas in se malæ voluntatis reliquias habebunt: ita illi qui erunt in supplicio ignis æterni cum diabolo, & eius Angelis deputati, sicut nullã vlterius habebunt requiẽ, sic nullatenus bonã habere poterunt voluntatem. Et sicut cohæredibus Christi dabitur perfectio gratiæ ad æternam gloriam, sic cõsortibus diaboli cumulabit ipsa malignitas pœnam, quando exterioribus deputati tenebris, nullo illustrabuntur interiore lumine veritatis. Proinde omni homini in hac vita potest esse vtilis pœnitentia, quam quocunque tẽpore homo egerit, quamlibet iniquus, quamlibet annosus, si toto corde renunciauerit peccatis præteritis, & pro eis in conspectu Dei non solum corporis, sed etiam cordis lachrymas fuderit, & malorum operum maculas bonis operibus diluere curauerit, omniũ peccatorũ indulgentiam mox habebit. Hoc enim nobis Dominus prophetico promittit eloquio dicens: *Si conuersus fueris, & ingemueris, saluus eris.* Et alio loco dicitur: *Fili peccasti, ne adiicias iterũ, sed & de præteritis deprecare, vt tibi dimittantur.* Nunquam peccanti esset indicta pro peccatis deprecatio, si deprecanti non esset remissio concedenda. Sed etiã pœnitentia peccatori tunc prodest, si eam in Ecclesia Catholica gerat. Cui Deus in persona B. Petri ligandi soluendíque tribuit potestatẽ, dicẽs: Quæ alligaueris super terram, erũt ligata & in cælis: & quæ solueris super terram, erunt soluta, & in cælis. In quacunque igitur homo ætate veram peccatorum suorum pœnitẽtiã egerit, & vitam suam Deo illuminante correxerit, non priuabitur indulgẽtiæ munere: quia Deus sicut per Prophetam dicit: *non vult mortem peccatoris, sine morientis, sed magis, vt reuertatur à via sua mala, & viuat anima eius.* Veruntamen nullus hominum debet sub spe misericordiæ Dei in suis diutius remanere peccatis, cũ etiam in ipso corpore nemo velit sub spe futuræ salutis diutius ægrotare. Tales enim qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt, & sibi de Deo indulgentiam repromittunt, nonnunquã ita præueniuntur repentino Dei furore, vt nec conuersionis tempus, nec beneficium remissionis inueniãt, ideò vnumquemq; nostrum sacra Scriptura benignè præmonet dicens: *Ne tardaueris conuerti ad Deum, & ne differas de die in diem: subito veniet ira eius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Dicit etiam beatus Dauid: *Hodie si vocẽ eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Cui beatus quoque Paulus concordat his verbis: *Videte fratres, ne fortè sit in aliquo vestrũ cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo: sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Obduratus igitur viuit, siue qui non conuertitur, desperans de indulgentia peccatorum suorum: siue qui sic misericordiam Dei sperat, vt vsque in finem vitæ præsentis in suorum criminum peruersitate permaneat. Proinde diligentes misericordiam Dei, metuentésque iustitiam, nec de remissione peccatorum desperemus, nec remaneamus in peccatis, scientes quia illa omnium hominum debita sit exactura æquitas iustissimi iudicis, quæ non dimiserit misericordia clementissimi redemptoris. Sicut enim misericordia suscipit absoluítque conuersos, ita iustitia repellet, punietque obduratos. Ij sunt qui peccantes in Spiritum sanctum, neque in hoc sæculo, neque in futuro remissionem accipient peccatorum. Ideò autem omnis anima intellectualis spiritus est, vt quærat, agnoscat, atque discernat: & tempus operum suorum, pro quibus receptura est in iudicio quæ ordinauit diuina iustitia: & eiusdem retributionis tempus, quo nunquam licebit, aut opera mutare, aut remissionem peccatorum suorum de diuina misericordia vtiliter postulare. Cæteri verò Spiritus omnium animalium, quibus non est intellectus, quia quidam eorum de terra, quidam de

Gal. 5. | 1. Cor. 15. | Corpora impiorum. | Esa. 10. | Eccl. 21. | Claues Petri Matth. 16. | Ezech. 33. | Eccl. 5. | Psal. 95. | Hebr. 3. | Peccatum in Spiritum sanctum.

aquis originem ducunt: de aquis enim sunt reptilia & volatilia, de terra verò quædã quæ reptãt, quædã verò quæ gradiuntur, exorta sunt: tãdiu spiritus sũt, quandiu in corporibus viuunt. Anima quippe quæ rationis capax diuinitus facta nõ est, cum carne sua, & incipit, & desinit viuere: quia quãdo corpori vitã non tribuit, & ipsa non viuit: atque ita miro modo cum omni carni anima sit causa viuendi, spiritus tamẽ irrationalis tamdiu viuit, quamdiu in carne manere potuerit: & dum à carne sua separatur, extinguitur. Ita fit, vt cum ipse vita carnis suæ sit, viuere ipse nequeat, quando vitam carni subministrare destiterit. Et si non sit caro cui vitam dare valeat, ipse quoq; eam protinus non habebit. Ideò nec æternitas irrationalibus spiritibus data est, nec aliquod eis iudiciũ præparatur, in quo eis vel beatitudo pro bonis, vel damnatio pro malis reddatur operibus. Ideò autem in eis nulla operum discretio requiritur, quia nullam intelligẽdi facultatem diuinitus acceperũt. Propterea ergo eorum corpora resurrectura non sunt, quia nec ipsis animabus eorũ, aut æquitas, aut iniquitas fuit, pro qua eis æterna, vel beatitudo sit tribuenda, vel pœna. Illa igitur animalia præsentis seculi cursum atque ornatum secundum creatoris incomprehensibilem peragunt voluntatem, quæ de suis factis nullam rationem reddit ura sunt, quia rationalia non sunt? *Nunquid enim de bobus cura est Deo?* Homines verò quia rationales facti sunt, & de se, & de omnibus rebus, quas in vsum vitæ præsentis acceperunt, rationem redditurі sunt Deo, & pro suorum actuum qualitate recipient, aut pœnam, aut gloriam. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum*; tunc scilicet, cum secundum ipsius nostri creatoris, ac redemptoris eloquium, *omnes qui in monumẽtis sunt, audient vocem eius, & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij*: vt scilicet, *qui mala egerunt, eant in combustionem æternam cum diabolo principe omnium malorum semper arsuri: qui verò bona fecerunt, eant in vitam æternam regnaturi sine fine cum Christo rege omnium sæculorum.* Illi autem cũ Christo regnabũt, quos Deus gratuita bonitate sua prædestinauit ad regnum: quia enim tales prædestinatio præparauit vt regno digni essent, præparauit vtique secundum propositum vocandos, vt obediant: præparauit iustificandos, vt accepta gratia rectè credant, & bene viuant: præparauit etiam glorificandos, vt Christi cohæredes effecti, regnũ cælorum sine fine possideant. Ad quod regnum diuersis temporibus per Sacramẽta, quæ ad fidem Incarnationis suæ Christus instituit, illi peruenerunt, quos Deus gratis nullo bonæ voluntatis, vel boni operis merito præcedente saluauit. Quemadmodum ex illo tempore, quo Saluator noster dixit: Si quis renatus non fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnũ Dei: absque Sacramento baptismatis, præter eos qui in Ecclesia Catholica sine baptismate pro Christo sãguinem fundunt, nec regnum cælorum potest quisquam accipere, nec vitam æternam: quasi siue in Catholica fide, siue in hæresi quacunque vel schismate quisquã in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti baptismi Sacramentum acceperit, integrum Sacramentum accipit: sed salutem, quæ virtus est Sacramenti, non habebit, si extra Catholicam Ecclesiam ipsum Sacramentum habuerit. Ergo ideò debet ad Ecclesiam redire, non vt Sacramentum baptismatis iterũ accipiat, quod nemo debet in quolibet homine baptizato repetere: sed vt in Catholica societate vitam æternam accipiat, ad quam obtinendam nunquam potest esse idoneus: qui cum Sacramento baptismatis ab Ecclesia Catholica remãserit alienus. Qui si eleemosynas largas faciat, & pro nomine Christi etiam sanguinem fundat, pro eo quod in hac vita non tenuit Ecclesiæ Catholicæ vnitatẽ, non habebit æternã salutem. Vbi enim cuique prodesse potest baptismus, ibi prodesse & eleemosyna potest: baptismus autem extra Ecclesiam quidem esse potest, sed nisi in Ecclesia prodesse nequit. In Ecclesia igitur tantummodo Catholica potest vnicuique prodesse, & perceptio baptismatis, & opera misericordiæ, & nominis Christi gloriosa confessio, si tamen in Ecclesia Catholica bene viuat. Sicut enim sine Ecclesiæ Catholicæ societate nec baptismus alicui potest prodesse, nec opera misericordiæ, nisi fortè vt mitius torqueatur, non tamen vt inter filios Dei reputetur: sic intra Ecclesiam Catholicã per solum baptismum vita æterna non acquiritur, si post baptismum male viuatur: nam & illi qui bene viuũt, debent operibus misericordiæ indesinenter insistere: scientes se licet leuia, nonnulla tamen quotidie contrahere peccata, pro quibus etiam sancti & iusti in hac vita semper Deo dicere debent: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quæ peccata quanto in rebus licitis, & à Deo concessis frequenter hominibus subreptũt: & quanto magis fortioribus cibis corpus impletur, & carnalibus cor hominis actibus affectibúsque implicatur, tanto frequentior culpa in hac mortalitate contrahitur. Propterea humiles serui Christi, qui cupiunt Domino suo sine impedimento, & absque animi noxia occupatione seruire, coniugia omnino non appetunt, & à carnibus, & vino abstinent, inquantum corporis valetudo permittit; non quia peccatum est aut coniugem habere, aut vinum carnésve percipere: nã & B. Apostolus dicit: *Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbũ Dei, & orationẽ.* Cõiugium quoque in primis hominibus Deus instituit, & benedixit. Propter quod Apostolus ait; *Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus.* Ideòque serui Dei in eo quod à carnibus, & à vino abstinent, non tanquã res immũdas refugiunt, sed mundioris vitæ instituta sectãtur. Et in eo quòd coniugia non habent, non nuptiarum bonum crimen esse existimant, sed continentiam iugem bonis nuptiis meliorem esse non dubitant: isto quam maximè tempore, quando dicitur de continentia; *Qui potest capere, capiat.* De nuptiis verò dicitur: *Qui se non continet, nubat.* In vna enim ratione virtus exoritur, in altera infirmitas remedio subleuatur. Vnde quia ægritudini semper est consulendum, propterea si cui primo contigerit priuari coniugio, si voluerit secundas, vel tertias inire nuptias, nullum de illis peccatum habebit, si eas castè seruauerit: id est, si vnus, & vna legitimè dumtaxat coniuncti, fidem seruent, vt nec ille mulieri præter vxorem, nec illa viro præter maritum vllatenus misceatur. In talibus etsi fuerit aliquis coniugalis excessus, qui tamen legitimum non violet, torum habebit nonnullum, sed veniale peccatũ. Sed hæc illorum sunt, qui nullã vouerunt continentiã Deo. Cæterũ quisquis seipsum castrauerit propter regnũ cælorum, & in corde suo continentiam Deo vouerit, non solũ si mortifero fornicationis crimine maculetur, verùm etiam si aut vir vxorem accipere, aut mulier nubere voluerit, secundum Apostoli sententiam, *damnationem habebit: quia primam fidem irritã fecit.* Sicut ergo secundum Apostoli sententiã, *dignũ est vt vxori vir debitum reddat, similiter & vxor viro, quia si quis acceperit vxorem, non peccat, & si nupserit virgo*

Marginalia: 1.Cor.9. — 2.Cor.5. — Ioan.5. — Ioan.3. — Non repetendus baptismus. — Ecclesia Catholica. — Matth.6. — Abstinentia. — 1.Tim.4. — Gen.1. — Hebr.13. — Matth.19. — 1.Cor.7. — Continentiã vouere. — 1.Tim.5. — 1.Cor.7.

Ibidem. *virgo non peccat*: ita secundum eiusdem Apostoli dictum: *qui statuit in corde suo firmus nō habens necessitatē, potestatem autem habens suæ voluntatis, & vouerit continentiā Deo, debet eam vsque in finem tota mentis solicitudine custodire, ne damnationē habeat, si primam fidem irritam fecerit.* Similiter & coniugati viri, & coniugatæ mulieres, si ex consensu perennem Deo vouerint continentiam, nouerint se sui voti obnoxios detineri: nec iam sibi debere commixtionem carnis, quam primitus licitam habuerunt, sed Deo se debere continentiam quam vouerunt. Tunc enim vnusquisque regnum cœlorum, quod sanctis promittitur, possidebit, si obliuiscens quæ retro sunt, & in anteriora extendens seipsum secundum quod in Psalmis dicitur: *Vouete, & reddite Domino Deo vestro*: quod scit esse licitum & ad profectum melioris vitæ pertinere cognoscit, & libenter voueat, & celeriter reddat; & in hoc quòd votum reddit, meliore semper conatu proficiat. Omni enim vouenti Deo & reddenti quod vouit, ipse quoque Deus reddet cœlestis regni præmia quæ promisit.

Philip. 3. Psal. 75. Vota.

CAPVT IV.

Natura diuina.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, patrem & filium & Spiritum sanctum vnum esse naturaliter Deum, in cuius nomine baptizati sumus. Cum enim aliud nomen sit pater, aliud filius, aliud Spiritus sanctus: hoc est vtique vnum naturæ nomen hotum trium, quod dicitur Deus, qui dicit in Deuteronomio; *Videte quoniam ego sum Deus, & non est alius præter me.* Et de quo dicitur: *Audi Israël, Dominus Deus tuus vnus est.* Et *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.*

Deut. 32. Deut. 6. Matth. 4. Vnus Deus.

CAPVT V.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, patrem & filium & Spiritum sanctum, id est, sanctam Trinitatem esse solum naturaliter verum Deum. Quia cùm tres Deos nobis colere non liceat, nisi vnum solum verum Deum, tamen sicut pater verus Deus dicitur testante Apostolo, qui ait: *Conuersi estis ad Deum à simulachris, seruite Deo viuo & vero, & expectate filiū eius de cœlis quem suscitauit à mortuis Iesum*: ita quoque filium verum Deum Ioannes commendat Apostolus, dicens: *Scimus quia filius Dei venit, & dedit nobis intellectum, vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius Iesu Christo. Hic est verus Deus, & vita æterna*: qui vtique quoniam verus Deus est, etiam veritas est, sicut ipse nos edocet, dicens: Ego sum via, veritas & vita. De spiritu quoque sancto Ioannes Apostolus ait: *Quia spiritus est veritas.* Et vtique non potest naturaliter Deus verus non esse, qui veritas est. Quem etiam Deum Paulus Apostolus confitetur, dicens: *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri, empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.*

2. Thess. 1. 1. Ioan. 1. Ioan. 14. 1. Cor. 6.

CAPVT VI.

Deus æternus.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, patrem & filium & Spiritum sanctum, id est, sanctam Trinitatem vnum verum Deum sine initio sempiternum esse. Propter quod scriptum est: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* Hæc denuo sempiternitas intimatur, vbi dicitur in Psalmo: *Deus autem rex noster ante sæcula*: & alio loco, *Sempiterna quòque eius virtus & diuinitas.*

Ioan. 1. Psal. 73. Rom. 1.

CAPVT VII.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, sanctam Trinitatem solum verum Deum, sicut æternum, ita solum naturaliter incommutabilem esse. Hoc enim significat, cum dicit seruo suo Moysi: *Ego sum qui sum.* Hinc & Psalmus dicit: *In principio Domine, tu terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli: Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*

Deus incōmutabilis. Exod. 3. Psal. 102.

CAPVT VIII.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, sanctam Trinitatem solum esse verum Deum, rerum omnium visibilium atque inuisibilium creatorem. De quo in Psalmo dicitur: *Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt.* De quo etiam Apostolus dicit: *Quoniam ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula.*

Deus omniū creator. Psal. 145. Rom. 11. Trinitas in vnitate.

CAPVT IX.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites; patris & filij & Spiritus sancti vnam quidem esse naturam, tres vero esse personas, patrémque solum esse qui dixit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; & filium solum esse super quem vox illa solius patris insonuit, quando in Iordane secundùm carnē baptizatus est vnigenitus Deus, qui carnem solus accepit: atque Spiritum sanctum patris & filij solū esse, qui in specie columbæ super Christum baptizatum & ascendentem ab aqua descendit, & quinquagesimo die post resurrectionem Christi fideles in vno loco positos, in linguarum ignearum visione adueniens repleuit. Illam vocem, qua solus locutus est Deus pater: & illam carnem, qua solus homo factus est vnigenitus Deus: & illam columbam, in cuius specie Spiritus sanctus super Christum descendit: illásque linguas igneas, in quarum visione fideles Apostolos in vno loco constitutos repleuit, opera esse totius sanctæ Trinitatis, id est, vnius Dei, qui fecit omnia in cœlo & in terra, visibilia & inuisibilia.

Matth. 3. Act. 2.

CAPVT X.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, solum Deum filium, id est, vnam ex Trinitate personam solius patris esse filium: spiritum verò sanctum ipsum quoque vnam ex Trinitate personam, non solius patris; sed simul patris & filij esse spiritum. Ostendens enim Dei filius se solum esse de patre genitum, ait: *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Et paulò post: *Qui autem non credit iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei.* Spiritum autem sanctum & patris, & filij esse spiritum Apostolus docet, qui ait: *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis.* Et sequitur: *Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius.*

Distinctio personarum. Ioan. 3. Rom. 8.

CAPVT XI.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, eundem Spiritum sanctum, qui patris & filij vnus est spiritus,

Spiritus sanctus.

ritus, de Patre & Filio procedere. Dicit enim Filius: Cùm venerit spiritus veritatis, qui à patre procedit. Vbi suum spiritum esse docuit, quia ipse est veritas. De filio quoque procedere spiritum sanctum, prophetica atque Apostolica doctrina nobis commendat: Esaias enim dicit de filio: Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. De quo & Apostolus ait: *Quem interficiet Dominus spiritu oris sui.* Quem etiam ipse vnicus Dei Filius spiritum oris sui esse significans, post resurrectionem insufflans in discipulos, ait: *Accipite spiritum sanctum. De ore vero ipsius Domini Iesu*, ait Ioannes in Apocalypsi, quia *gladius vtraque parte acutus procedebat.* Ipse ergo spiritus oris eius, ipse est gladius qui de ore eius procedit.

Ioan. 15. Ioan. 14. Esa. 31. 2. Thess. 2. Ioan. 20. Apoc. 1.

CAPVT XII.

Trinitas nullis terminis circumscripta.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Trinitatem Deum immensum esse virtute, non mole, & omnem creaturam spiritalem atque corporalem virtute eius & præsentia contineri. Dicit enim Deus pater, *Cœlum & terram ego impleo.* Dicitur etiam de sapientia Dei, quæ filius est eius: *Quia attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* De Spiritu quoque sancto legimus, *Quia spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Et Dauid Propheta dicit: *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades.*

Hier. 32. Sap. 8. Sap. 1. Psal. 138.

CAPVT XIII.

Persona filij.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, vnam ex Trinitate personam, id est, Deum filium, qui de natura Dei Patris solus natus est, & vnius eiusdémque naturæ cum patre est, ipsum in plenitudine temporis secundum susceptionem formæ seruilis voluntariæ in Virgine conceptum, & de Virgine natum, verbum carnem factum: ipsum quoque esse qui essentialiter natus est de patre, & essentialiter conceptus est, natúsque de Virgine, ipsúmque vnum esse, & vnius naturæ cum Virgine, qui ait de Deo patre: *Ante sæcula fundauit me, & ante omnes colles generauit me.* De quo etiam dixit Apostolus: *Quia cum venerit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege.*

Prou. 8. Galat. 4.

CAPVT XIV.

Humanitas Christi.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Christum filium Dei sicut de Deo patre plenum perfectúmque Deum, ita de Virgine matre plenum perfectúmque hominem genitum, id est, verbum Deum, habentem scilicet sine peccato veram nostri generis * carnem & animam rationalem. Quod ipse Dei filius euidenter ostendit, dicens de carne sua: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Animam quoque se habere his verbis ostendit, dicens: *Propterea me pater diligit, quia ego pono animã meam, & iterum sumo eam.* Intellectum quoque animæ se habere ostendit in eo quod ait: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Et de seipso Deus per prophetam dicit: *Ecce intellige puer meus, & exaltabitur, & sublimis erit valde:* Nam & beatus Petrus secundum sancti Dauid prophetiam in Christo carnem & animam confitetur. De ipso enim beato Dauid loquens, ait: *Propheta igitur cum esset, & sciret quia iureiurando iurasset illi Deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, prouidens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelicta est anima eius in inferno, neque caro eius vidit corruptionem.*

* al. Virginis. Luc. 24. Ioan. 10. Matth. 11. Esa. 25. Actor. 2. Psal. 231. Psal. 15.

CAPVT XV.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, vnum filium atque ipsum esse Deum verum, qui cum patre Deo, & Spiritu sancto Deo fecit omnia tempora, & in monte Sinai legem Moysi dedit ordinatam per Angelos, & ipsum Deum verbum carnem factum: qui veniente plenitudine temporis, missus à patre & Spiritu sancto, factus est ex muliere quam fecit, solus factus est sub lege quam dedit.

Diuinitas Christi. Exod. 20. 21. Gal. 4.

CAPVT XVI.

Firmissimè tene & nullatenus dubites, Dei verbum quod caro factum est, in duas naturas inconfusibiliter permanere. Vnam veram diuinam, quam habet cum patre communem, secundum quam dicit: *Ego & pater vnum sumus; & qui me videt, videt & patrem, & ego in patre, & pater in me est:* secundum quam etiam dicit Apostolus, splendorem gloriæ & figuram substantiæ Dei. Alteram veram humanam, secundum quam ipse Deus incarnatus dicit: *Pater maior me est.*

De duabus in Christo naturis. Ioan. 10. & 14. Hebr. 1. Ioan. 14.

CAPVT XVII.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, *Deum verbum carnem factum*, vnam habere diuinitatis suæ carnísque personam, Deus enim verbum plenam naturam humanam ita sibi veraciter vnire dignatus est, & permanente diuinitate sua ita *verbum caro factum est*: vt quamuis naturaliter non hoc sit verbum quod caro, quia duarum naturarum veritas manet in Christo, secundum vnam tamen personam idem verbum caro ab ipso fieret maternæ conceptionis initio. Deus enim verbum non accepit personam hominis, sed naturam: & in æternam personam diuinitatis accepit temporalem substantiam carnis. Vnus est ergo Christus *verbum caro factum, qui etiam ex patribus secundum carnem, & super omnia Deus benedictus in sæcula.* Vnus Iesus, cui & pater dicit: Ex vtero ante Luciferum genui te. Vbi significatur ante omne tempus sine initio æterna natiuitas, vnus Iesus, de quo & Euangelista dicit: *Quia vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur.*

Vnitas personæ in Christo. Psal. 109. Lucæ 2.

CAPVT XVIII.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non carnem Christi sine diuinitate conceptam in vtero Virginis, priusquam susciperetur à verbo, sed ipsum verbum Deum suæ carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem verbi incarnatione conceptam.

Verbi & carnis vnio.

CAPVT XIX.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, *ipsum vnigenitum Deum verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium & hostiam Deo in odorem suauitatis*: cui cum Patre & Spiritu sancto à Patriarchis, Prophetis & Sacerdotibus tempore veteris testamẽti animalia sacrificabantur: & cui nunc, id est tẽpore noui testamenti, cum Patre & Spiritu sancto, cum quibus illi est vna diuinitas, sacrificium panis & vini in fide & charitate sancta Ecclesia Catholica per vniuersum orbem terræ offerre non cessat. In illis enim carnalibus victimis figuratio fuit carnis Christi

3. sent. d. 1. c. si autem Sacrificia. Sacrificium panis.

Christi, quam pro peccatis nostris ipse sine peccato fuerat oblaturus, & sanguinis quem erat effusurus in remissionem peccatorum nostrorum, in isto autem sacrificio gratiarum actio atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & sanguinis quem pro nobis idem Deus effudit. De quo beatus Paulus dicit in Actibus Apostolorum: *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* In illis ergo sacrificiis quid nobis esset donandum, figuratè significabatur. In hoc autem sacrificio quid nobis iam donatum sit, euidenter ostenditur. In illis sacrificiis prænunciabatur filius Dei pro impiis occidendus: in hoc autem pro impiis annunciauit occisus, testante Apostolo: *quia Christus cum adhuc infirmi essemus secundum tempus, pro impiis mortuus est, & quia cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius.*

Act.20.

Rom.5.

CAPVT XX.

Humanitas Christi.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, verbum carnem factum, eandem humanam carnem semper veram habere, qua de Virgine verbum Deus natus est, qua crucifixus & mortuus est, qua resurrexit & in cœlum ascendit, & in dextera Dei sedet; qua etiam venturus est iudicare viuos & mortuos, propter quod Apostoli ab Angelis audierunt: *Sic veniet, quemadmodum eum vidistis euntem in cœlum.* Et beatus Ioannes ait: *Ecce veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum crucifixerunt, & videbunt eum omnes termini terræ talem.*

Actor.1. Apoc.1.

CAPVT XXI.

Natura nihil non bonum.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, Trinitatem Deum, id est, Patrem & Filium & Spiritum sanctum esse naturaliter summum atque incommutabile bonum: & ab ipso creatas esse omnes naturas, bonas quidem, quia à summo bono factæ sunt, sed mutabiles, *quæ de nihilo factæ sunt*, nullámque esse malam naturam: quia omnis natura in quantum natura est, bona est. Sed quia in ea bonum & augeri & minui potest, in tantum mala dicitur, in quantum bonum eius minuitur. Malum enim nihil aliud est, nisi boni priuatio. Vnde geminum constat esse creaturæ rationalis malum, vnum quo voluntariè ipsa deficit à summo bono creatore suo: alterum quo inuita punietur ignis æterni supplicio: illud passura iustè, quia hoc admisit iniustè: & quia ordinem in se non seruauit diuinæ institutionis, ordinem diuinæ non effugiet vltionis.

malum.

CAPVT XXII.

Nulla creatura est eadem cum Deo.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, neque Angelos, neque aliam quamlibet creaturam eiusdem naturæ esse, cuius est secundum naturalem diuinitatem summa Trinitas, quæ est vnus naturaliter Deus Pater & Filius & Spiritus sanctus: neque enim vnius naturæ esse potuerunt ille qui fecit, & ea quæ fecit.

CAPVT XXIII.

Angeli facti stabiles.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem creaturam naturaliter mutabilem, à Deo incommutabili factam, nec tamen posse quemlibet sanctorum Angelorum in deterius mutari: quia sic acceperunt æternam beatitudinem, qua Deo stabiliter perfruuntur, vt ea carere non possint. Sed hoc ipsum, quod ab illo statu beatitudinis, in quo sunt, mutari in deterius nullatenus possunt, non est eis naturaliter insitum, sed postquam creati sunt, gratiæ diuinæ largitate collatum. Si enim Angeli naturaliter incommutabiles fierent, nunquam de eorum consortio diabolus & eius Angeli cecidissent.

CAPVT XXIV.

Creaturæ rationales.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, in omni creatura, quam spiritalem atque corpoream summa Trinitas fecit, solos spiritus angelicos & humanos intelligendi facultatem diuinitus accepisse, cæteros vero spiritus brutorum animalium rationalem intelligentiam non accepisse, & etiam hoc omnino habere non posse. Propter quod dicitur hominibus; *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*; & ideo animas hominum, & animas pecorum vnius naturæ non esse: nec animas pecorum in animas hominum, nec animas hominum in animas pecorum posse aliquando transire.

Psal 31.

CAPVT XXV.

Libera voluntas Adæ.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, primos homines, id est, Adam & mulierem eius, bonos & rectos, & sine peccato creatos esse cum libero arbitrio, quo possent, si vellent, humili & bona voluntate seruire atque obedire: quo arbitrio etiam possent, si vellent, propria voluntate peccare: eósque non necessitate, sed propria voluntate peccasse: illóque peccato sic in deterius mutatam humanam naturam, vt non solum in ipsis primis hominibus per peccatum mors obtineret regnum, sed etiam in omnes homines transiret peccati mortísque dominium.

Rom.5.

CAPVT XXVI.

Peccatum originale.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci, impietati subditum, mortíque subiectum, & ob hoc natura iræ filium nasci. De qua dicit Apostolus: *Eramus enim & nos natura filij iræ, sicut & cæteri.* A qua ita nullus liberatur, nisi per fidem mediatoris Dei & hominum, hominis Iesu Christi, qui sine peccato conceptus, sine peccato natus, sine peccato mortuus, peccatum pro nobis factus est, id est, sacrificium factus est pro peccatis nostris. In veteri quippe testamento peccata dicebantur sacrificia, quæ pro peccatis offerebantur, in quibus omnibus fuit significatio Christi: quia ipse est agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

De consec. d.5.c.Firmissimè. Ephes.2. 1.Tim.2.

Ioan.1.

CAPVT XXVII.

Non baptizati.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, non solum homines iam ratione vtentes, verum etiam paruulos, qui siue in vteris matrũ viuere incipiunt, & ibi moriuntur, siue cum de matribus nati sine sacramento sancti Baptismatis quod datur in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, de hoc sæculo trãseunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos: quia etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione & natiuitate traxerunt.

De consecr. dist.4.cap. Firmissimè.

CAPVT XXVIII.

Iudicium.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, ideo Christum Filium Dei ad iudicandos viuos & mor

mortuos venturum, vt homines, quos hic dono suæ gratiæ gratis per fidem iustificat, eisdémque iustificatis in fide & charitate sanctæ matris Ecclesiæ vsque in finem perseuerantiam donat, in suo aduentu resuscitet & glorificet, & secundum promissionem suam æquales sanctis Angelis faciat, & ad eum statum perducat, in quo perfectè, quantum vnicuique donat Deus, boni sint, & ab ipsa perfectione deinceps mutari non possint: vbi diuersa erit sanctorum gloria, sed vna erit omnium vita æterna: Diabolum verò & Angelos eius in ignem æternum à Christo esse mittendos, vbi nunquam carebunt pœna, quam eis præparauit diuina iustitia: cum ipso etiam Diabolo impios & iniquos homines, de quibus scriptura dicit: *Imitantur autem eum qui sunt ex parte illius, pro eo, quia eum in malis operibus imitati sunt, & ante finem præsentis vitæ congruam pœnitentiam non egerunt, resumptis corporibus supplicio æternæ combustionis arsuros.*

Matth. 22. Sapien. 2.

CAPVT XXIX.

Resurrectio.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnibus hominibus & bonis & malis resurrectionem carnis in aduentu Domini futuram esse communem: retributionem vero iustitiæ Dei esse bonis malísque dissimilem, secundum quod Apostolus ait: *Quia omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur. Immutabuntur autem iusti, qui ibunt in vitam æternam.* Quod Apostolus ostendit dicens: *Et mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Et ostédens quæ erit ipsa immutatio adiecit: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* In iustorum corporibus fiet quod ipse Apostolus ait: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Quod propterea spiritale dixit, non quia ipsum corpus spiritus erit, sed quia viuificante spiritu immortale atque incorruptibile. Sic autem tunc dicetur spiritale corpus, cum non spiritus sit, sed permaneat corpus: sicut nunc animale dicitur, cum tamen inueniatur non anima esse, sed corpus.

1. Cor. 15. Ibidem.

CAPVT XXX.

Fides & baptismus 15. q. 1. cap. Firmissimè.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, exceptis illis qui pro nomine Christi suo sanguine baptizantur, nullum hominem accepturum vitam æternam, qui non hic à malis suis fuerit per pœnitentiam fidémque conuersus, & per sacramentum fidei & pœnitentiæ, id est, per baptismum liberatus: & maioribus quidem necessarium esse & pœnitentiam de malis suis agere, & fidem Catholicam secundum regulam veritatis tenere, & sacramentum baptismatis accipere: paruulis verò, qui nec propria voluntate credere, nec pœnitentiam pro peccato quod originaliter trahunt, agere possunt, sacramentum fidei quod est sanctum baptisma, quandiu rationis ætas eorum capax esse non potest, sufficere ad salutem.

CAPVT XXXI.

Gratia.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, neminem hic posse hominum pœnitentiam agere, nisi quem Deus illuminauerit, & gratuita sua miseratione conuerterit. Apostolus enim dicit: *Ne fortè det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis.*

2. Tim. 2.

CAPVT XXXII.

Nihil agi sine gratia.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, posse quidem hominem, quem nec ignorantia litterarum, nec aliqua prohibet imbecillitas, vel aduersitas, verba sanctæ legis & Euangelij, siue legere, siue ex ore cuiusquam prædicatoris audire: sed diuinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratia sua præuenerit: vt quod audit corpore, corde etiam percipiat, & accepta diuinitus bona voluntate atque virtute, mandata Dei facere & velit & possit. *Neque enim qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus; qui etiam operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.*

1. Cor. 3. Philip. 2.

CAPVT XXXIII.

Deum nihil latere.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Deo incommutabili non solùm præterita & præsentia, sed etiam futura omnia incommutabiliter esse notissima, cui dicitur, *Deus qui occultorum es cognitor, qui scis omnia antequam fiant.*

Daniel. 13.

CAPVT XXXIV.

Prædestinatio.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Trinitatem Deum incommutabilem rerum omnium atque operum, tam suorum, quam humanorum certissimum cognitorem, ante omnia secula scire, quibus esset per fidem gratiam largiturus: sine qua nemo potest ex initio mundi vsque in finem à reatu peccati, tam originalis quam actualis absolui. *Quos enim Deus præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.*

Rom. 8.

CAPVT XXXV.

Beati ex prædestinatione.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnes quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus fecit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos à Deo, neque perire posse aliquem eorum quos Deus prædestinauit ad regnum cœlorum: nec quemquam eorum, quos non prædestinauit ad vitam, vlla posse ratione saluari. Prædestinatio enim illa gratuitæ donationis est præparatio, qua nos Apostolus ait, *Prædestinatos in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christum in ipsum.*

Ephes. 1.

CAPVT XXXVI.

Baptismus.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, sacramentum baptismatis, non solum intra Ecclesiam Catholicam, sed etiam apud hæreticos, qui in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti baptizant, esse posse, sed extra Ecclesiam Catholicam prodesse non posse: imò sicut intra Ecclesiam rectè credentibus per sacramétum baptismi conferri salutem: sic extra Ecclesiam baptizatis, si ad Ecclesiam non redierint, eodem baptismo accumulari perniciem. Tantùm enim valet Ecclesiasticæ societatis vnitas ad salutem, vt baptismo non saluetur, cui non ibi datur, vbi oportet vt detur. Inesse tamen Domini baptismum etiam extra Ecclesiam baptizato, sed ad iudicium inesse ab Ecclesia separato. Et quia manifestum est, vbicumque datum fuerit, hoc baptisma semel esse dandum, ideo etsi ab hæreticis in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti fuerit datum, venerabiliter

biliter agnoſcendum, & hoc nullatenus iterandum. Saluator enim dicit: *Qui ſemel lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet.* Ioan. 13.

CAPVT XXXVII.

Eccleſia. FIrmiſſimè tene, & nullatenus dubites, omnem extra Eccleſiam Catholicam baptizatum, participem fieri non poſſe vitæ æternæ, ſi ante finem vitæ huius Catholicæ non fuerit redditus atque incorporatus Eccleſiæ. *Quia ſi habeam*, inquit Apoſtolus, *omnem fidem, & nouerim omnia ſacramenta, charitatẽ autem non habeam, nihil ſum.* Nam & in diebus diluuij neminem legimus extra arcam potuiſſe ſaluari.

CAPVT XXXVIII.

Damnari. FIrmiſſimè tene, & nullatenus dubites, non ſolum omnes Paganos, ſed etiam omnes Iudæos hæreticos atque ſchiſmaticos, qui extra Eccleſiam Catholicam præſentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius. Matt. 25.

CAPVT XXXIX.

Hæretici. FIrmiſſimè tene, & nullatenus dubites, quemlibet hæreticum ſiue ſchiſmaticum in nomine patris & filij & Spiritus ſancti baptizatum, ſi Eccleſiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantaſcumque eleemoſynas fecerit, etſi pro Chriſti nomine etiam ſanguinem fuderit, nullatenus poſſe ſaluari. Omni enim homini, qui Eccleſiæ Catholicæ non tenet vnitatem, neque baptiſmus, neque eleemoſyna quamlibet copioſa, neque mors pro nomine Chriſti ſuſcepta proficere poterit ad ſalutem, quamdiu in eo hæretica vel ſchiſmatica prauitas perſeuerat, quæ ducit ad mortem.

CAPVT XL.

Chriſtiani malè viuentes. FIrmiſſimè tene, & nullatenus dubites, non omnes qui intra Eccleſiam Catholicam baptizantur, accepturos eſſe vitam æternam, ſed eos qui percepto baptiſmate rectè viuunt, id eſt, qui abſtinuerunt ſe à vitiis & concupiſcentiis carnis. Regnum enim cœlorum ſicut infideles hæretici atque ſchiſmatici non habebunt, ſic Catholici criminoſi poſſidere non poterunt.

CAPVT XLI.

Sine peccatis neminem viuere. FIrmiſſimè tene, & nullatenus dubites, etiam iuſtos atque ſanctos homines, exceptis iis qui baptizati paruuli ſunt, ſine peccato hic neminem viuere poſſe: ſempérque omni homini eſſe neceſſarium, & peccata ſua vſque in finem vitæ præſentis eleemoſynis diluere, & remiſſionem à Deo humiliter ac veraciter poſtulare.

CAPVT XLII.

1. Timot. 4. FIrmiſſimè tene, & nullatenus dubites, *omnem creaturam Dei bonam eſſe, & nihil reiiciendũ quod cum gratiarum actione percipitur:* & Dei ſeruos, qui à carnibus aut vino abſtineant, non tanquam immunda quæ à Deo facta ſunt reſpuere, ſed à fortiori cibo & potu pro ſola caſtigatione corporis abſtinere. Nuptias quoque diuinitus inſtitutas & bene dictas: & melius quidem ſi quiſquam ſine coniugio ſit, vt liberius atque plenius cogitet quæ ſunt Dei, quo modo placeat Deo: tamen illis qui continentiam non vouerunt, nullum eſſe peccatum, ſi vel mulier nubat, vel vir vxorem ducat. Nec ſolas primas nuptias à Deo inſtitutas, ſed etiam ſecundas & tertias, pro eorum qui ſe continere non poſſunt, infirmitate conceſſas. Eis vero qui ſiue coniugati, ſiue à coniugio liberi continentiam Deo vouerunt, admodum eſſe damnabile, ſi vel illi coniugale opus voluerint appetere, quò ſe non acceſſuros, vel illi repetere, à quo ſe receſſuros, illi libera, illi communi profeſſi ſunt voluntate.

Cibus, potus. 1. Cor. 7. Matrimonium.

CAPVT XLIII.

Malos miſceri bonis. FIrmiſſimè tene, & nullatenus dubites, arcam Dei eſſe Eccleſiam Catholicam, & intra eam vſque in finem ſæculi frumento mixtas paleas contineri: hoc eſt bonis malos ſacramentorum communione miſceri: & in omni profeſſione, ſiue clericorum, ſiue monachorum, ſiue laicorum, bonos eſſe ſimul & malos: nec pro malis bonos deſerendos, ſed pro bonis malos, in quantũ exigit fidei & charitatis ratio tolerandos, id eſt, ſi vel in Eccleſia nullius perfidiæ ſemina ſpargunt, vel fratres ad aliquod malum opus mortifera imitatione non ducunt: nec poſſe aliquem intra Eccleſiam Catholicam rectè credentem benéque viuentem, alieno vnquam maculari peccato, ſi cuiquam peccanti nec conſenſionem præbeat, nec fauorem, vtilitérque malos à bonis intra Eccleſiam tolerari, ſi hoc cum eis benè viuendo & benè monendo agatur, vt & videntes & audientes quæ bona ſunt, mala ſua reſpuant, & iudicandos ſe à Deo pro ſuis malis operibus contremiſcãt: atque ita præueniente dono gratiæ de ſuis iniquitatibus confundantur, & ad bonam vitam per Dei miſericordiam conuertantur. Bonos vero à malis intra Eccleſiam duntaxat Catholicam conſtitutis non debere niſi operum diſſimilitudine ſeparari, vt cum quibus diuina communicant ſacramenta, non habeant mala opera, quibus illi ſunt criminoſi, communia. In fine vero ſæculi bonos à malis etiam corpore ſeparandos: *quando veniet Chriſtus habens ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili:* quando per iudicium iuſtum ſegregabit iuſtos ab iniuſtis, bonos à malis, rectos à peruerſis: bonos conſtituet à dextris, malos à ſiniſtris, & ex eius ore iuſti æternique iudicij ſempiterna atque incommutabili prolata ſententia, iniqui omnes ibunt in combuſtionem æternam, iuſti autem in vitam æternam: iniqui ſemper arſuri cum diabolo, iuſti autem regnaturi (ſine fine) cum Chriſto. Matth. 3. Matth. 25.

CAPVT XLIV.

Perſiſtendum in fide. HÆc interim quadraginta capitula ad regulam veræ fidei firmiſſimè pertinentia fideliter crede, fortiter tene, veraciter patientérque defende. Et ſi quem contraria his dogmatizare cognoueris, tanquam peſtem fuge, & tanquam hæreticum abiice. Ita enim iſta quæ poſuimus fidei Catholicæ congruunt, vt ſi quis non ſolum omnibus, ſed etiam ſingulis voluerit contraire, in eo quòd ſingulis horum contumaciter repugnat, & his contraria docere non dubitat, hæreticus & Chriſtianæ fidei inimicus, atque ex hoc omnibus Catholicis anathematizandus appareat. Quamuis igitur & anguſtia temporis, & feſtinatio portitoris compulerit nos aliqua, quæ pro diuerſis hæreſibus agnoſcendis atque vitandis fuerant inſerenda, præterire ſilentio: tamen ſi omnia quæ in hoc opuſculo continentur recenſere, & notiſſima prorſus habere non negligas,


ex his poteris cauta discretione etiam de cæteris
1. Cor. 2. spiritaliter iudicare. Apostolus enim dicit, *quia Spiritualis iudicat omnia*: quo donec vnusquisque nostrum perueniat, in eo quo peruenit, ambulet, id est, in eo quod certū accepit fideliter perseueret. Quod si quid aliter sapit, hoc quoque illi Deus reuelabit.

CAPVT XLV.

Philip 3. Repetit superbia.

VErè firmum fidei est fundamentum, principaliter credere patrem & filium & Spiritum sanctum, vnum esse naturaliter Deum: ita vt de natura patris verè natum vnigenitum filium, & simul de patre & filio verè atque naturaliter procedentem credamus Spiritum sanctum: ipsámque Trinitatem esse vnum solum, verum, æternum atque incommutabilem Deum. Credere etiam congruit ad salutem, vnam ex Trinitate personam, idest, vnigenitum Deum pro nostra salute solum hominem factum: eundémque vnum esse Deum verum, & hominem verum, secundum diuinitatem vnam naturam habentem cum patre & Spiritu sancto; secundum humanitatem vero animam Christi rationalem eiusdem naturæ esse cuius sunt animæ omnium hominum, & carnem Christi illius esse naturæ cuius est vniuersorum qui de primo homine originem ducunt. Ergo nec animam Christi, nec carnem vnius cum diuinitate eiusdémque esse naturæ: quia secundum humanitatem verè ipse creatus est. Sed sicut diuinitati eius cum patre & Spiritu sancto est diuina natura communis: sic animæ eius & corpori naturalis est communio cum animabus & corporibus nostris. Qui diuinitate sua carnem atque animam credentium in se, & à peccati dominio, & ab æternæ mortis supplicio gratis eripuit auferendo peccatum. Hac enim credulitate munitus, non obliuiscêris diuinam misericordiam die noctúque supplicare: obsecrans beatam spem omnium credentium in se, qui est Christus Dominus, vt huius fidei veritatem firmiter teneas, inuiolatámque custodias, quia Spiritus sanctus fidelibus se deprecantibus copiosum subministrat adiutorium, sicut Propheta dicit:
Psal. 144. *Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate, voluntatem timentium se faciet, & preces eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Custodiet Dominus omnes diligentes se, & omnes peccatores disperdet.* Et iterum ipsi Deo dicit: *Ecce omnes qui se*
Psal. 72. *elongant à te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* De se autem ait: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam.* Adhære igitur Deo fili charissime, & in ipso spem tuam toto corde, fide & charitate constitue. In militia sæculi exhibe Regi terreno fidele seruitium, quia hoc diligit Deus, hoc mandat Apostolus. In causa verò fidei, qua Christus nos redemit in sanguine suo, omnis de corde nostro timor abscedat. Illi animas nostras debemus, cuius sanguine redempti sumus. Illum debemus præ omnibus diligere, quem nouimus nostrarum animarum clementissimum redemptorem. Illius debemus timere præ omnibus æternam & veram potestatem, quem venturum speramus æquissimum iudicem. Illius debemus promissa toto affectu cordis appetere, qui potest animæ & corpori donare vitam æternam. Illius debemus timere iracundiam, qui potest animam, & corpus mittere in gehennam: in cuius iudicio sine acceptione personarum, sine ambitu potestatum æqualiter iudicabuntur domini & serui, Reges & milites, diuites & pauperes, humiles & sublimes. Vbi seruus quisquis hic fidem Dei in veritate tenuerit, regno potietur æterno: dominus autem infidelis sempiterno exuretur incendio. Vbi seruorum dominorúmque fidelium nec vita terminabitur, nec lætitia finietur: infidelium vero siue seruorum siue dominorum secundum sermonis Prophetici veritatem, *Ignis eorum* Esai. 66.
non extinguetur, & vermis eorum non morietur. Ibunt enim iniqui in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius. Attendamus autem quos illuc saluator ituros esse prædixerit, nempe illos, quibus
dicturus est: *Esuriui, & non dedistis mihi manducare:* Matt. 25.
Sitiui, & non dedistis mihi bibere: Nudus fui, & non vestistis me: Hospes, & non suscepistis me: Infirmus, & in carcere, & non venistis ad me. Quòd si in ignem æternum dignè mittetur, qui Christo in suis minimis esurienti panem non dederit: quid passurus est qui ipsum panem, qui de cœlo descendit, sibi per infidelitatis vitium adimit: Et si in flammis perennibus exuretur, qui Christo in suis minimis sitienti calicem aquæ frigidæ non tribuit: quid ille patietur, qui renatus ex aqua & Spiritu sancto, sanctum baptisma in se iterare permittit, quod ad salutem semel, & ad sacramentum sanctæ regenerationis accepit? Et si illum credimus perennibus subdendum esse tormentis, qui Christum in suis minimis peregrinum hospitio negligit charitate suscipere: quid passurum se putauerit, qui Dominum Christum de domo sui cordis excludens, & diabolum in se cæca prorsus infidelitate recipiens, de sancta Ecclesia, quæ est columna & firmamentum veritatis, hæretica circumuentus falsitate discesserit? Et si ille qui infirmos atque in carcere positos famulos Christi non visitat, igni deputatur sempiterno, quid illis retribuendum dicemus, qui Dei famulos, in quibus solam persequuntur fidei veritatem, aut squallore carcerum, aut exiliorum deportatione violenter affligunt? Sed in his omnibus licet infideles sæuiant, Deus tamen suis auxilium subministrat. Et dum inimici fidei aut callida quemque seductione, aut violenta compulsione cupiunt deprauare, Christus qui est virtus & sapientia Dei, virtutem tribuit, vt mortiferæ suasionis promissa despiciant, & terroribus humanis robore diuini timoris obsistant: tantum est vt voluntas non auertatur à Deo, & fidei præmio potiatur. Ipsa est enim, cui aut pro infidelitate infligitur æterna pœna, aut seruatæ fidei merces erit sempiterna lætitia.

SANCTI



SANCTI FVLGENTII

Epiſtola prima, de coniugali debito,& voto continentiæ à coniugalibus emiſſo.

CAPVT I.

Excuſatio dilatæ reſponſionis.



PISTOLAM tuam, ſanctæ ſollicitudinis indicem, ante aliquot menſes accipiens, cum perſoluere cuperem ſine dilatione reſponſum, ſic ſum repentina corporis ægritudine correptus, vt febrium violenta nimietas commeatum mihi vitæ præſentis auferret, niſi verus animarum corporumque medicus (*qui ſanat omnes languores noſtros, & redimit de interitu vitam noſtram*) ad remouendum tantæ infirmitatis flagellum, dignaretur medicinæ ſuæ largiri ſubſidium. Accepta quoque ſoſpitate, non defuit quidem reſcribendi voluntas, ſed ad dirigendum obſtitit hyemalis aſperitas. Nunc itaque, quia creator, & moderator temporum, temperiem dignatus eſt donare ventorum, conſolationi tuæ, quod miſeratione atque inſpiratione superni largitoris accepi, redhibere non deſtiti.

Pſalm.102.

CAPVT II.

Tenor interrogationis ſuper continentia vxoris.

DIcis itaque filiam noſtram coniugem tuam penè vſque ad extremum nuper ægrotaſſe periculum; & ſicut plerumque contigit, accepta manus impoſitione, pœnitentiam ſecundum morem (quem habet Chriſtiana religio) peregiſſe. Verum, quia poſtmodum diuinæ bonitatis munere, plenam accepit corporis ſoſpitatem, fragilitatem carnis allegans, ætatis inſuper iuuenilis incontinentiam confiteris: & in hac ambiguitate cogitationis, qua carnem conſideras, maieſtatemque formidas, velut nauta locorum ignarus, & fluctibus ventiſque iactatus, dum periculorum incerta præcaues, noſtra tibi reſponſione demonſtrari flagitas portum, vbi poſſis animæ vitare naufragium. Tenor ergo interrogationis tuæ duo quædam me compellit non ſegniter conſideranda penſare: ſcilicet non ſolum quid in ſe coniugalis admixtionis qualitas habeat, ſed etiam quid in vnaquaque re pollicitatio vouentis expoſcat. Igitur ſi per ſeipſum quis fidelium coniugum commixtionem, duce ratione, conſideret, culpabilis vſus non in coniugali concubitu, ſed in concumbentium reperietur exceſſu; neque in commixtione maris & fœminæ, ſed ex immoderatione libidinis culpam trahit coitus coniugalis. In coniugibus ergo exceſſus iure reprehenditur, nuptialis tamen dignitas, collati ſibi diuinitus honoris munere non priuatur. Ideo clamat Apoſtolicæ prædicationis auctoritas: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Corinthios quoque ſuper matrimonij honeſtate ſeruanda Paulus informans, cum præmiſiſſet, *bonum homini mulierem non tangere*, quorundam infirmitatem videns, atque Apoſtolica ſatagens charitate, tanquam parieti inclinato, & maceriæ impulſæ non neglexit Doctor egregius conſolationis deſtinam, Chriſto in ſe loquente, ſupponere. Denique ſubſequenter adiunxit: *Propter fornicationes autem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquæque ſuum virum habeat, vxori vir debitum reddat, ſimiliter autem vx.r viro.* Apoſtolicæ itaque lectionis tenor oſtendit vxorem viro, & virum vxori quadam debiti communione miſceri. Quod proculdubio non appellaret Apoſtolus debitum, niſi legitimè ſciret eſſe reddendum, nec iuberet reddendum mutuæ conſenſionis officium, ſi eſſet iniqua repoſcentis exactio: vſque adeò namque nuptias operi diuino applicare non ambigit gentium Doctor, vt & mulieris in corpore viri, & in vxoris corpore viri poteſtatem æquali prorſus iure confirmet, dicens: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habeat, ſed vir: ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habeat, ſed mulier.* Alio autem loco idem dicit: *Quia non eſt poteſtas niſi à Deo.*

Commixtio coniugalis in ſe mala non eſt, ſed exceſſus.

Hebr. 13.

Debitum coniugale. 1. Cor. 7.

Vir non habet poteſtatem corporis ſui, nec mulier.

Rom. 13.

CAPVT III.

HVius igitur poteſtatis inculpabilis eſt vſus, officio gignendi diuinitus attributus, ſi iuſtitiæ terminum tranſgredi libidinoſus non permittatur exceſſus. Iuſtitia verò vtendi coniugij hæc eſt, vt non explendæ libidinis, ſed ſubſtituendæ prolis obtentu, ſibi coniuges congruo tempore miſceantur. In illis namque bonis quæ fecit Deus inuenitur caſta copulatio vxoris, & viri, in quibus Dei operibus libido non poteſt inueniri; nec aliquando iuſtitiæ congruit, quæ non hominibus ex dono conditionis, ſed peccatoribus ex vitio primæ præuaricationis acceſſit. Sed quia ſine illa in corpore mortis huius proles humana non ſeritur, non eam affectant coniugia caſta, ſed tolerant, eique imponit nuptialis honeſtas modum, ſine qua non poteſt in carne peccati naturalis explere fœcunditatis officium. Sic ergo quæri debet ex nuptiis fructus, vt cohibendus ſit lubricæ voluptatis exceſſus. Quocirca, ſi coniugalis vſus eatenus temperetur, vt non æſtuanti libidini animus ſeruiat, ſed prouentum naſcituræ prolis attendat, & cum nata fuerit, diluendam celeriùs ſpiritali generatione non negligat, non deputatur fidelibus coniugibus ad peccatum carnis indulta commixtio, quia & coniugalis ſeruat confœderatio caſtitatem, & verecundia cuſtodit modeſta temperiem, & Deo dicandam coniugalis exhibet fœcunditas prolem, vt Redemptoris ope homo iam natus reformetur baptiſmatis Sacramento, cuius opere prius formatur in vtero; & illum habeat humana natura beneficio ſecundæ natiuitatis patrem, quē in prima natiuitate ſuæ conditionis agnoſcit auctorē. Coniugatus ergo ſi fornicetur damna,

Iuſtitia vtēdi coniugio propter prolem, libidinem tolerat.

Carnalis commixtio in coniugio poteſt ſine culpa eſſe.

damnabiliter peccat: si verò thori fidem non deserat, sed in vxore sua naturali duntaxat vsu aliquantulum intemperatus excedat, non solum scilicet generationem quærens, sed aliquando libidini carnis obediens, hoc equidem sine culpa non facit: talis autem culpa citius benè operanti, atque oranti remittitur, quia ipsi coniugi seruat maritalis chatitas fidem, in qua non potest maritalis infirmitas custodire temperiem, & si nuptialis in vxore modestia non tenetur, à nuptiali tamen fide nulla immoderatione discceditur.

Libido coniugalis per fidem thori seruatam diluitur.

CAPVT IV.

RETenta ergo thori fides maculam diluit, quam contrahit infirmitas carnis, si mulieri non misceatur alteri, quisquis non pro sola generatione, sed etiam propter fragilitatem carnis suæ miscetur vxori, quia etsi præfixum concumbendi modum transit, tamen coniugalem terminum non excedit: & licet contrahat carnalis infirmitas culpam, impetrat tamen nuptialis integritas veniam. Accipit ergo talis indulgentiam, non pro eo quod ab vna debitum coniugale plus quàm oportet exigit, sed quia vna legitima accepta contentus, alteram non requirit. Si tamen non desunt misericordiæ opera, quæ tantum valent in religione Christiana, vt non solum qui coniugiis vtuntur, aut qui continentes sunt, sed etiam virgines ad præmium virginitatis peruenire non possint, si opera misericordiæ charitatisque neglexerint. Si verò quis intentus operibus bonis tantam seruauerit in vxore temperiem, vt filiorum procreandorum causa tantummodo misceatur vxori, multa laude talis est proculdubio dignus, si quis hoc nostris potest implere temporibus. Fornicatio tamen nunquam potest esse sine graui crimine, in qua licet non dubitemus damnabiliter peccare hominem ab vxore disiúnctum, damnabilius tamen fornicari existimo coniugatum. Vtrumque autem Scriptura sancta iudicandum, & regno Dei pronunciat alienum; scriptum nãque est in epistola ad Hebræos: *Quia fornicatores, & adulteros iudicabit Deus.* Et in epistola quam ad Corinthios scripsit Apostolus, dicitur: *Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Rursus inter opera carnis idem Apostolus Paulus fornicationem, immunditiam, luxuriamque dinumerat, in quorum conclusione dicit: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Præmonet etiam, *ne lugeat multos ex his qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia quam gesserunt.*

Omnis fornicatio dánabilis, præsertim in coniuge. Heb. 13. 1. Cor. 6.

Galat. 5.

1. Cor. 12.

CAPVT V.

IGitur quia de qualitate coniugij quod Dominus donauit, diximus, illud est consequenter tota sollicitudine pertractandum, quidnam vestræ voluntatis præfixerit (si qua nunc potuit esse) deuotio. Neque enim quia rebus à Deo concessis vsus hominibus non interdicitur, ideò debet homo quod vouerit Deo non reddere, cum scriptum sit: *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Et ne quisquam sibi vellet excusationem tribulationis ad frustrandæ licentiam promissionis assumere, nec se putaret voti reum, si se dixisset ad aliquid vouendum, non voluntate, sed tribulatione compulsum, docens Beatus Dauid omnia esse Deo reddenda, quæ fuerint legitimè duntaxat etiam in tribulatione promissa, cum dixisset Deo: *Reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea,* continuò subdidit: *Et loquutum est os meum in tribulatione mea.* Nam & in Deuteronomio scriptum est: *Si autem voueris vocem Domino Deo tuo, non tardabis reddere illud, quia exquirens exquiret Dominus Deus à te, & erit in te peccatum. Si autem nolueris vouere, non erit in te peccatum.* Quæ exeunt per labia tua, custodies, & facies quemadmodum voueris Deo tuo votum, quod loquutus es ore tuo. Dicit, & Salomon: *Statim, vt voueris votum Domino, non tardabis reddere illud. Tu itaque quæ voueris, redde. Bonum est non vouere, quam vouisse & non soluere.*

Vota Deo reddenda absque excusatione.

Deut. 23.

Eccl. 3.

CAPVT VI.

PRoinde licitarum rerum vsus licitè cum temperantia geritur, donec rei licitæ renunciatio non mouetur, & quamdiu non tenetur ex vtriusque, id est, ex mariti vxorisque consensu, perpetua continentiæ promissio, non est illicita coniugalis admixtio. Scriptum est enim: *Si duxeris vxorem, non peccasti, & si nupserit virgo, non peccauit.* Veruntamen non peccet virgo quæ nubit, inuenitur aliqua virgo peccare si nupserit: non enim peccat virgo nubens, si virginitatem Deo priusquam nuberet in corde non vouit; *cæterum si* quemadmodum dixit Apostolus *statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc indicauit in corde suo seruare virginitatem suam*, grauiter postmodum peccat, si post dicatam virginitatem Deo voluerit humano seruire connubio. Nam & viduas quasdam beatus Paulus vinculo pronunciat damnationis obstrictas, quia scilicet post continentiæ professionem, nubendi receptam non abiiciunt voluntatem. De quibus euitandis Timotheum sic instruit: *Adolescentiores autem viduas deuita, cum enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritã fecerunt.* Adimit igitur concumbendi licentiam continentiæ promissio, nec sola talibus fornicatio interdicitur, sed etiam maritalis mixtio prohibetur, & præuaricatricem voluntatem tenet culpabilis nexus, etiamsi nullus in opere consequatur effectus. Neque enim frustra scriptum est: *Quia concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.*

An votum castitatis in coniugio sit licitum.

1. Cor. 7.

In virginibus votum.

Similiter in viduis.

1. Timot. 5.

Iacob. 1.

CAPVT VII.

QVocirca non solum à virginibus integritas, verum etiam à viduis atque coniugibus debet Deo dicata continentia cum timore & tremore seruari: quia priusquam sit aliquis voti reus, non condemnatur: siue ergo licitè nubat, siue maritus, & vxor coniugale sibi debitum reddant. Postquam vero quisquam meliora consectans, professione seipsũ continentiæ, siue integritatis obstrinxerit, grauissimè delinquit, si sibi deinceps licere putat, quod ante licitum fuerat. In talibus quippe rebus, quod vouens Deo sibi adimit voluntas, nulla deinceps impunè permittitur vsurpare necessitas, nec temerator voti excusationem iustam suæ præuaricationis inueniet, quem nemo compulit vt voueret. Est planè aliquid discernendum inter votum virginis, aut viduæ, & inter votum eorum qui tenentur vinculo coniugali: nec enim tanta est vouendi licentia vel libertas viro siue mulieri, potestatem sui corporis non habenti, quanta est viduæ cuilibet, aut virgini: coniugato enim, vel corporis continentiæ vouendæ facultas plena non suppetit, cuius corpus

Quomodo tenet in coniugio?

Non est cõiugibus licentia vouendi, sicut.

ſolutis, quia corporis ſui poteſtatem non habent.

pus non in ſua, ſed in coniugis poteſtate conſiſtit, ſecundum illud Apoſtoli dictum, quod ſupra poſuimus: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Non itaque ſinitur abſque coniugis voluntate continentiam aſſumere, cuius corpus nõ eſt in propria poteſtate, hoc enim quiſque recta, & firma deuotione ſolus promittit, quod ſui tantum iuris eſſe cognouerit. Tale eſt enim vt velit quiſque corporis ſui, quod eſt in coniugis poteſtate, continentiam profiteri: quale, ſi quis de alterius ſubſtantia, aut eleemoſynam facere, aut ſacrificium conetur offerre: *Deus autem noſter* (ſicut ipſe teſtatur) *diligit iuſtitiam, & odio habet rapinam in holocauſto.* Illa itaque inter coniuges eſt continentiæ certa promiſſio, quæ fuerit vtriuſque confeſſione firmata: quam cum vir & mulier ſibi conſentientes cordis voluntate tanquam *ſacrificium in odorem ſuauitatis,* ſuper altare fidei Deo vero, ac ſummo in templo ſui cordis obtulerint, nec mulier vlterius in viri, nec vir in mulieris corpore, ad repoſcendum debitum coniugale poteſt habere legitimam poteſtatem. Sicut enim priuſquam Deo ſimul vouerent, reprehenſibilis fuit vnius oblatio, quia legitimi conſortis deerat aſſenſus: ita cum pari obtulerit vterque conſenſu, quod eſt inſeparabiliter vtriuſque commune, non erit impunitus, ſi quis munus Deo voluntaria deuotione oblatum, illicito crediderit opere temerandũ.

Eſa. 61. Votum cõtinétiæ obligat, ſi fiat conſenſu vtriuſque coniugis.

CAPVT VIII.

Votum ex fictione obligat, & damnabile eſt. Sap. 1. Eccl. 2.

QVod ſi fortè quis non toto animo vouiſſe cauſetur, eo magis damnabilis erit, quod non ſimplex ad Deum, ſed fictus acceſſit. Scriptum eſt autẽ: *Quia Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu.* Alio quoque loco fictos ſancta Scriptura ſic increpat: *Væ duplici corde, & labiis ſceleratis, & manibus malefacientibus, & peccatori ingredienti terram duabus viis.* Quam ſit autem malum, quamque ſolicitè effugiendum, ſi quis de hoc quod Deo vouerit, aut retinere, aut repetere aliquid, mortifera præuaricatione pertentet, exemplo ſunt Ananias, & Saphira, quos de precio agri quandã partem infideliter ſubtrahentes, non ſolum vox Apoſtolica, tanquam diuini iuris peruaſores increpuit, ſed etiam ſeueritas iuſtitiæ cæleſtis occidit. Beatus denique Petrus, non ſolum fraudis vitio memoratum Ananiam dixit obnoxium, quin etiam cor eius à Sathana pronunciauit impletum, dicens: *Anania, cur impleuit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui ſancto, vt fraudares de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate? Quid vtique feciſti hoc, non hominibus mentitus es, ſed Deo.* Si quis igitur rem Domino iam deuotam, carnali victus illecebra, crediderit denuo repoſcendam, non eſt legitimus rei ſuæ poſſeſſor, ſed diuini iuris pronunciatur inuaſor. Nec immerito continentiæ iam deuotæ violator immundus audit, quod auarus pecuniæ fraudator audiuit.

De voto nihil licet retinere, aut repetere.

Act. 5.

CAPVT IX.

Reſponſio ad interrogata ab initio epiſtolæ.

PRoinde cuncta quæ ſuperius diſputata ſunt, conſcientia vobis teſtimonium perhibente, perpendite. Et ſi quidem continentiam pati vouiſtis aſſenſu, tenorem veſtræ dilectionis cum Dei timore ſeruate: & ſi quando carnis infirmitas mentem pulſat, animus ad auxilium diuinæ miſerationis accurrat, nec cedat libidini, ſed Deum tota humilitate fidelis exoret, & carnali deſiderio militanti. Aduerſus animam non conſentiat, ſed repugnet. Si verò continentiam vnus veſtrum ſine alterius vouit aſſenſu, temerariè ſe vouiſſe cognoſcat, & debitum coniugi, caſta ſinceritate redhibeat. Veruntamen, vt omnia veſtra honeſtè fiant in redditione coniugalis debiti, ſic infirmitatem carnis vſus excipiat coniugalis, vt non caro libidini ſeruiat, ſed animi virtus adiuta diuinitus, carnalis concupiſcẽtiæ fræna reſtringat. Negotium namque ſubſtituendæ prolis ita debet à coniugibus peragi, vt ſubſeruiente verecundia dum ſe ad opus fœcũditatis animus fidelis inclinat, modeſtiam ſimul naturalis honeſtatis Deo adiuuante cuſtodiat: præcipuè autem obſeruandum eſt fidelibus coniugibus, vt illa fugiant opera, quæ diuina ſeueritas, & facienda prohibet, & facta condemnat. Hæc enim nec Apoſtolica doctrina fidelibus inſinuare ceſſauit, vt ad cuſtodiendam vitæ bonæ regulam prudenter inſtrueret ſalubritérque terreret.

Verecundia in actu coniugali ſeruanda.

CAPVT X.

Continentia à Deo omnibus eſt expetenda.


MAgnum itaque bonum eſt, *mulierem non tangere:* quod debet omnis fidelis principaliter obſeruare. Propter fornicationes tamen quiſquis ſiue coniugatus, ſiue à coniugio liber, ſi continentiam Deo non vouit, & ſeipſum ad implendam continentiam cernit inualidum, quamuis vbi plena fuerit continendi voluntas, & ab oratione atque operibus bonis non deſtiterit vera cordis humilitas, ille qui dixit: *Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis, quia veritas eſt & mentiri non poteſt;* & benè petenti det, & quærenti adinuentiones ſuas præparet, & benè pulſanti ipſe aperiat, vt ad penetralia vitæ melioris introeat. Tamẽ ſi quis adhuc plus eſt de ſua infirmitate ſolicitus, quã de Domini virtute ſecurus, ſi continentiam non vouit carnis, contineat ab iniquitate, & ſicut decet, vtatur vxore: malitiam atque auaritiam fugiat, & non condemnetur, ſi coniugi debitum reddat: non ſit ebrioſus, non inuidus, non contentioſus, non fictus, non malignus, non litigioſus, non ſuperbus, non rapax, non auarus. Quantum ad ipſum attinet, pacem habere cum omnibus quærat, perniciẽ non teneat, nulli detrahat, cum amicis fidem teneat, inimicis nunquam perfidus aut periurus exiſtat, aliena non rapiat, æquitati pecuniam non præponat, ſit in negotiis iuſtus, in operibus pius, mitis ad tolerandas, tardus ad tribuendas iniurias, in fide ſtabilis, amator caſtitatis & pacis. Attendat Saluatoris noſtri dictum, quo nobis, & quid faciamus præcipit, & quid accipiamus oſtẽdit, ait enim: *Dimittite & dimittetur vobis, date & dabitur vobis.* Sit ergo quantum poteſt in eleemoſynis largus, & hilaris, & ad dimittendum peccantibus facilis, ac ſuauis, nec tamen ſe putet ita peccantibus tribuere veniã, vt diſciplinã ſuæ domus exiſtimet negligendam, ſed vigoris retinens clemẽtiæque temperiem, ſeruet in correptione modeſtiam & in remiſſione cenſuram. Arguat, moneat, terreat, increpet, conſoletur, oblectet; nec tantum faciat in ſubditis peccantibus, quantum impetus furoris impellit, ſed quantum modus conſultationis expoſcit. Et ſi verberandus eſt pro peccato famulus, non vlciſcendi libido præualeat, ſed æquitas Chriſtiana potius illi clementer conſulat quem flagellat; ac ſic & quando iuſtitia perſequitur culpam, non deſit miſericordia, quæ modeſtè nouit temperare vindictam. *Nutriantur filij* ſecundum Apoſtoli præceptum, *in diſciplina & correptione Domini,* nec permittantur impudicè, aut luxurioſè viuere, cum non laſciuiæ, ſed caſtitati ac temperantiæ proles debeat Chriſtiana ſeruire. Neque enim & de malis operibus filiorum,

Qui nequit continere à carne, contineat ab iniquitate.

Luc. 6. Regimen familiæ.

Epheſ. 6. Educatio prolis.

1. Reg. 2. & 3. liorum, non erit in illa terribili examinatione parentum negligentia iudicanda, cum & in hoc sæculo propterea Heli Sacerdos à Domino reprobatus fuerit, & abiectus, non quia filiis in iniquitate consensit, sed quia peccantes mansueto quamuis sermone monuerit, prohibere tamen competenti seueritate cessauit. Magis autem parentes qui verè diligunt filios, benè operando eis consulant, quam diuitias colligendo; ne dum filiis tenaciter substantia colligitur, opportunitas boni operis omittatur. Præ omnibus autem fideles meminerint coniugati semper orationibus atque eleemosynis insistendum: nec velint iugiter in ipsa carnis infirmitate iacere, sed festinent gradum vitæ potioris ascendere. Et vt ad virtutem continentiæ perueniat animus, magis magisque carnalis concupiscentiæ comprimatur excessus: vt dum Deo adiuuante illum superauerint gradum, in quo coniugalis infirmitas veniam postulat, celsiorem possint laudabiliter obtinere, in quo continentiæ virtus palmam vitæ melioris expectat. Regula profectus & perfectionis in coniugio.



SANCTI FVLGENTII

Epistola secunda, ad Gallam, de consolatione super morte mariti, & de statu Viduarum.

CAPVT I.



Consolatio Gallæ de morte mariti iuuenis. Ioan.18. DOMINÆ verè illustri, & in Christi timore venerabili, filiæ Gallæ, seruorum Christi famulus. Ante menses aliquot Diaconi mei ex vrbe remeantis, certa narratione comperi, non solum tui coniugis obitum, verum etiam sanctum propositi tui tramitem, in quo iam ambulas, illo deducente, *qui est via, veritas, & vita*, qui fidelibus suis nouit per momentaneam tristitiam donum sempiternæ largiri lætitiæ, & quos vult salubriter de terrenis ad cælestia paternæ benignitatis dispensatione transferre. Laus mariti defuncti. Rom. 11. Neque enim frustra Dominus (*cuius incomprehensibilia iudicia, & inuestigabiles vias* Apostolus prædicat Paulus) coniugem tuum religione sincera fidelem, corde humilem, moribus mitem, operibus misericordem, conuersatione penitus innocentem, ætate iuuenem, de peregrinatione huius vitæ ad æternam cælestis patriæ celeriter transtulit mansionem, nisi vt & illi gaudia æterna conferret, & tibi facultatem melius viuendi concederet. Illi donauit vt corpore spoliatus, sit cum Christo sine fine victurus: tibi donauit, vt quæ sunt Domini ageres, secundum Apostoli sermonem, *sis sancta, & corpore & spiritu*. 1. Timot. 7 Proinde sine dubitatione crede, quod diuinitus dicitur, *& cum dilectione spera, quod promittitur, vt possit bene facere quod iubetur*. 1. Thess. 4.

CAPVT II.

Non debent Christiani de mortuis contristari, sicut cæteri qui spem non habent. PRimo igitur de mariti morte per Apostolum Paulum quid debeas fideliter tenere, cognosce, ait enim: *Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut cæteri qui spem non habent. Si enim credimus, quod Iesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum adducet cum eo.* Si ergo veræ fidei tenaces sumus, si de sermonibus Dei nihil ambigimus, si ad futuram vitam spe certissima tendimus, si digne Deum proximúmque diligimus, si non ab hominibus inanem, sed à Deo veram gloriam Christiani nominis expectamus, non debemus vtique de fidelibus mortuis, (& vt propriè dicam) de dormientibus nostris aliquam, sicut infideles, habere tristitiam: salubris etiam noxiæque tristitiæ debet in nostro corde manere discretio; quia fit, vt nec de amissione solatij temporalis concidat animus æternis rebus deditus, & de his salubrem tristitiam sumat, in quibus se, aut minus aliquid, aut secus quam oportuit fecisse considerat. Duplex tristitia. Propter quod Paulus vtramque tristitiam non minus opere docet, quam retributionem discretam. Denique in via salutis prouentum, in altera mortis positum demonstrat exitium dicens: *Quæ enim secundum Deum est tristitia, pœnitentibus in salutem stabilem operatur; sæculi autem tristitia mortem operatur.* 1. Cor. 7. Ne igitur vltra fidei Christianæ modum, indiscretam teneas de mariti morte tristitiam, nec amissum existimes, sed præmissum, nec ipsius iuuentutem putes immaturè præcisam, quam interminabili vides æternitate firmatam. Fideli quippe animæ dicitur: *Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua.* Psal. 102. Absit autem, vt infidelium consentientes erroribus æstimemus, aut dicamus quia illum iuuenem Christianum *abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.* Virg. 9. Abstulit atra dies, hoc Christianis non conuenit. Illos namque atra dies aufert, qui secundum Ioannis Apostoli dictum, *in tenebris sunt, & in tenebris ambulant, & nesciunt vbi ambulant; quia tenebræ obcæcauerunt oculos eorum.* Ioan. 2. Illos abstulit atra dies, quos ipsa lux vera vehementer obiurgans: *Hoc est autem*, inquit, *iudicium, quia lux in mundum venit, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, erant enim eorum mala opera.* Ioan. 3. Tales sunt qui viuunt, vt cum audierint vocem filij Dei, non ad vitam, sed ad iudicium suscitentur, dicente Domino: *Quia veniet hora, quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui mala egerunt in resurrectionem iudicij.* Ioan. 5. Et quia his nec breuis vita potest prodesse nec longa, consequenter de talibus in libro Sapientiæ dicitur: *Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit nouissima senectus illorum. Et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die magnitudinis alloquutionem.* Sap. 3. Quæ est autem dies magnitudinis, nisi dies in qua non iudicandus, sed iudicaturus veniet Dominus? Nunc enim cum venit, vt pro nobis

nobis iudicaretur, non fuit dies magnitudinis, sed minorationis, *in qua minoratus est paulo minus ab Angelis:* tunc autem erit dies magnitudinis, quando secundum Ioannis attestationem, *omnes mali abscondi cupient in cauernis montium, dicentes omnibus & petris, Cadite super nos, & abscondite nos à conspectu patris sedentis super thronum, & ab ira agni, quoniam venit dies magnus iræ illorum. Et quis poterit stare?* In hac die magnitudinis, mali non habebunt alloquutionem, sed increpationem, non enim audient: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi:* sed dicetur eis: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Tales igitur quantumlibet longæui moriantur, acerbo funere demerguntur, & quamuis ætas eorum matura videatur in corpore, mortifera tamen mundi dilectio immaturæ mentis acerbitatem retentat in corde.

Dies magnitudinis, dies extremi iudicij. Apoc. 6.

Matth. 25.

CAPVT IV.

Bonus Christianus etsi iuuenis, non mergitur funere acerbo. Sap. 4.

Christianus autem qui in timore Dei vixerit, quacunque fuerit defunctus ętate corporis, non acerbo funere mergitur, sed placita Deo subnixus maturitate transfertur. Legimus namque in eodem Sapientiæ libro: *Quia senectus honorabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata: Cani sunt autem sensus hominis, & ætas senectutis, vita immaculata; quæ placita Deo facta dilecta est.* Denique in subsequentibus benè viuentem quemdam Deoque placitum, ob hoc raptum celeriter dicit, vt nullam mutationem perferret malitiæ sæcularis, nec anima eius aliqua fuisset fictione decepta. Sic ergo dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret illius intellectum, aut ne fictio deciperet animam illius: fascinatio autem nugacitatis obscurat bona, & instantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia, consummatus autem in breui repleuit tempora longa, placita enim erat Deo anima illius. Propter hoc properauit de media iniquitate illum educere.* His nempe verbis sancta Scriptura nos docet in hoc sæculo Christianis fidelibus non vitam longam prodesse, sed bonam. Et ad cognoscendum quantum possibile est, cuiuslibet defuncti meritum, non quantum vixerit, sed qualiter quisque vixerit intuendum: sicut enim vita mala, quantò magis fuerit temporaliter prolongata, tantò magis delinquentibus multiplicat pœnam: sic vita bona, quamuis hic breui tempore terminata, magnam sempiternámque conquirit benè viuentibus gloriam. Vita igitur mala immaturos acerbosque senes demergit in tartarum; vita vero bona defunctos iuuenes maturos perducit ad regnum.

Non vita longa prodest, sed bona. Ibidem.

CAPVT V.

Vt sancta sit & corpore & spiritu vidua.

Non ergo sis tristis, quod te ille præcesserit diebus paucis, sed esto solicita, & sic viam mortalis huius vitæ perage, vt ad æternam vitam valeas peruenire. Proinde Apostolici te oportet indesinenter meminisse sermonis, quo ait: *Mulier innupta & virgo solicita est quæ sunt Domini, vt sit sancta & corpore & spiritu.* Innuptam sic viduam dicit, non quia omnino non nupserit, sed quia viro mortuo soluta fuerit vinculo nuptiali. De qua alio loco dicit: *Si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri.* Hanc ergo sanctam iubet esse, & corpore, & spiritu. Quid autem aliud est, corpore & spiritu sanctã esse, nisi quod sanctum est, & in opore, & in cogitatione seruare? Etenim quæ mundi sunt, illa cogitare permittitur, quæ corporali vincta connubio detinetur. eodem Apostolo dicente: *Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro* Illic est ergo mundanę cogitationis subeunda necessitas, vbi mortalis caro morituro carnaliter nubit. Et quia illos ipsa carnis necessitas durioribus vinculis tenet innexos, propter hoc de illis Apostolus dicit: *Tribulationem autem carnis habebunt huiusmodi.* Mulier ergo innupta, id est, vidua, cui præcipitur vt sit sancta, & corpore & spiritu, sicut corpore desistit marito seruire, sic non debet corde carnalia cogitare. Sancta quidem sunt Christianorum coniugia, quia & coniugalis ibi castitas custoditur in corpore, & puritas fidei seruatur in corde. Nam & Apostolica dicit auctoritas: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Non est ergo connubium ex colluuione peccati, sed ex institutione Dei, & in eo quod sibi coniuges inuicem carnis debitum reddunt, in quantum id modeste faciunt, Christi præcepta custodiunt, quia nullatenus à coniugali charitate & castitate discedunt. Execratur autem adulterinos concubitus castitas coniugalis, & honestatis verecundiæ tenax, ab vna vnus, & ab vno vna expetit, quod vterque se vni tantum legitimè debere cognoscit. Illic equidem carnis debitum redditur viro: coniugalis autem castitas magis debetur Christo quam viro, quia & corpus tunc verè castum est, quod fornicatione carnali non polluitur, quando spiritalis integritas Christi timore ac dilectione seruatur.

1. Cor. 7.

Rom. 7.

1. Cor 7.

Sãcta Christianorum coniugia.

Hebr. 13.

CAPVT VI.

Innupta in altiori gradu est, quam nupta.

Attamen à muliere nupta mulier innupta, & virgo non parua gradus dignitate discernitur, quandoquidem nupta cogitationibus mundanis tenetur obstricta: mulier autem innupta & virgo carnalibus tribulationibus non subiicitur, quia carnalis matrimonij vinculo non tenetur; vbi certior est corporalis atque spiritalis continentiæ libertas, quia nulla est ex coniugali seruitute necessitas. Vtrumque igitur donum Dei est, & coniugalis pudicitia, & continentia vidualis: vnusquisque enim proprium habet donum ex Deo, & illud quidem quantum in se est, laudabile, quia bonum: hoc autem laudabilius, quia melius; coniugali namque seruitute turpitudo vincitur fornicationis; viduali verò libertate crescit dignitas castitatis. Illic fides consulit infirmitati, ne cadat in vitium, hic se fidelis animus ad virtutis extendit augmentum, de coniugatis enim dicitur: *Propter fornicationes autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat.* De vidua verò dicitur: *Beatior autem erit si sic permanserit.* Beata ergo quæ illicitum concubitum turpitudinis horrore non appetit, sed beatior quæ licitum maiore puritatis amore contemnit. Beata quæ alligata viro sic viuit, vt soli viro carnis suæ debitum reddat; sed beatior, quæ soluta sic permanet innupta, ne debeat.

1. Cor. 7.

Ibidem.

CAPVT VII.

Consolatio viduæ.

Proinde in eo quod ex coniugata facta es vidua, donum Dei auctum tibi magis existima, non ablatum: neque enim te deseruit, qui tibi sequendam viam vitæ melioris ostendit. Gradibus te voluit Dominus ad meliora conscendere, vt primitus coniugata cum vno viro fideliter viueres, quo postmodum sine difficultate absque viro vidua permaneres. Ad hoc igitur animum tuum diuina gratia coniugali castitate nutriuit, vt quæ didiceras, illo vno viuente, alterum non quærere, disceres ab omni viro viduo continere. Noli ergo negligere gratiam quæ in te est: & tu enim nosti quantò meliùs

mellus ſit iugiter concubitu continere, quam vel pro coniugali neceſſitate concumbere. Maritus qui tibi datus fuerat ad tempus, diſceſſit in tempore: datus enim tibi fuerat non ad patriæ beatitudinem, ſed ad itineris conſolationem. Alia quippe ſunt Dei dona, quæ Deus ita ſuis largitur fidelibus in præſenti tempore, vt eorum vſus in hac tamen vita neceſſarius habeatur, quo futuræ vitæ meritum comparetur; ſicut eſt credulitas, rectam fidem tenens, & operatio iuſtitiam miſericordiámque cuſtodiens, vt fides recta non deſeratur charitatis auxilio, quæ in operatione cognoſcitur: propter quod Apoſtolus eam *fidem* probat, *quæ per dilectionem operatur*. Gal. 5.

CAPVT VIII.

Fides & operatio miſericors in hac vita neceſſaria ſunt, in patria non erunt.

RECta igitur fides, & miſericors operatio poſt hanc vitam deſinent, cum per ſpeciem videbitur, quod nunc cum creditur, non videtur: nec inter beatos erit aliquis miſer, cui miſericordia prærogetur. Hæc autem duo, id eſt fides, & operatio, ita poſt huius vitæ finem non ſunt neceſſaria, vt ante finem non ſint vllatenus deſerenda. Quiſquis enim ante finem vitæ præſentis à fide recta ſine bona operatione deceſſerit, etiamſi in his antea ſtrenuè vigilanterque cucurrerit, pro eo quod ab itinere recto deſiſtit perdit meritum totius itineris quod cucurrit. Item ſunt alia quæ ſic hominibus in hoc tempore pietas diuina largitur, vt non ſolum in hac vita cum hominibus debeant eſſe continua, verum etiam creſcant in retributione diuina: ſicut eſt peccatorum mundatio, veritatis agnitio, Dei, proximique dilectio. Hæc enim ſi quis in hoc tempore perſeueranter in ſe cuſtodierit, & diuino munere proficiendo augere curauerit inchoata, in futuro habebit æterna ſecum perfectione manſura. Tunc enim perfecta mundatio perfectam cognitionem veritatis accipet, & perfecta cognitio nihil in nobis perfectæ charitatis deeſſe permittet.

CAPVT IX.

Aliqua temporaliter & dantur, & auferuntur à Deo.

ALia verò ſunt, quæ ſic à Deo temporaliter donantur, vt temporaliter auferantur, ſicut eſt copulatio coniugum, procreatio filiorum, abundantia diuitiarum, incolumitas corporum, & ſi quæ ſimilia; quæ per ſe nec miſeros homines poſſunt facere, nec beatos. Ideò hæc & bonis, & malis à Domino dantur, & nonnunquam bonis maliſque diuinitus auferuntur. Beatus fuit Iob, cum in diuitiis iuſtè viueret, ſed beatior, cùm in paupertate iuſtior extitiſſet. Beatus fuit cum decem circundaretur filiis, ſed beatior, cum vna cunctorum ſimul orbitate percuſſus, in Dei dilectione permanſit immobilis. Beatus etiam fuit in corporis ſoſpitate, ſed beatior eſt factus in vulnere: beatior etiam in aceruo ſqualloribus pleno, quam in palatio marmoribus adornato. Attende etiam duos, vnum in diuitiis, & ſanitate miſerum, alterum in egeſtate, & vulnere multum beatum. *Diues ille, qui induebatur purpura, & byſſ o, & epulabatur quotidie ſplendidè*, quam inanis fuit in illis epulis, quam pauper in multitudine diuitiarum, quam nudus in pulchritudine veſtium, quam infirmus in ſanitate corporis, quam famelicus in ſaturitate ventris, quam miſer in gaudiis, quam deſolatus inter amicorum colloquia, quam deiectus inter obſequia ſeruulorum. Attende quoque Lazarum in paupertate diuitem, in miſeria beatum, in infœlicitate fœlicem, in vulneribus ſanum, & quidem ſine domo, ſed non ſine domino: ſine veſte, ſed non ſine fide: ſine bona valetudine corporis, ſed non ſine robore charitatis: ſine cibo, ſed non ſine Chriſto, canibus expoſitum, ſed ſocium Angelorum, qui non accipiebat de micis quæ cadebant de menſa diuitis, ſed cæleſtem panem viſceribus ructabat internis.

Exemplum Iob.

Luc. 16. Diues & Lazarus, hic beatus, ille miſer.

CAPVT X.

Bona temporalia, & benè & malè habentur pariter, & contemnuntur.

HÆc ſunt igitur quæ nonnunquam benè habẽtur, nonnũquã malè: nonnunquam benè contemnuntur, nonnũquam malè. Benè quippe habentur, cum in eorum vſu timor Dei ſeruatur. Benè autem contemnuntur, cum in eorum cõtemptu à ſummo Deo gloria, non ab hominibus quæritur. Tales ſunt etiam nuptiæ, quæ & benè ſuſcipi poſſunt, & benè contemni. Quam benè nuptiarum opus in caſtitate coniugali Suſanna ſeruauit? quam melius in continentia viduali Iudith atque Anna contempſit? quã optimè in integritate virginali Maria inſtituit! Non eſt igitur inter præcipua Dei dona coniugium æſtimandum, licet non negetur donum eſſe diuinũ? nec eſt dicendum beatitudinis munus, quod cũ bono poſſit propoſito teneri, põteſt etiã propoſito meliore contemni. Nam ſi hoc inter præcipua Dei dona æſtimari oporteret, non ore Saluatoris noſtri laudarentur, *qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum*: nec pro ſe patrem, matrem, fratres, ſorores, vxorem, filios, agros, relinqui Saluator ipſe cum centupla retributionis, & vitæ æternæ promiſſione iuſſiſſet, dicens: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Hæc autem dicens Chriſtus, non diuortium fieri iuſſit, ſed iuſta diſcretione, quamuis Dei munera, tamen temporalia æternis, caduca permanentibus, parua magnis, à ſuis fidelibus poſtponenda monſtrauit: Non damnat bona, ſed meliora plus laudat: illa non odit, ſed iſta plus diligit. Illorum enim ſiue adeptio, ſiue amiſſio, non retributio fidei, ſed probatio. Matt. 19.

CAPVT XI.

Noſtra cura non temporalibus, ſed æternis debet intendere.

FIdes autẽ noſtra non tẽporalibus, ſed æternis eſſe debet intenta. Propter quod Vas electionis ad tolerantiã nos præſentis tribulationis exhortãs, præcipit, vt à contẽplatione temporalium rerũ cordis noſtri penitus auertamus obtutũ, dicens: *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplãtibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna ſunt. Ambula* igitur ſicut ſcriptũ eſt *de virtute in virtutem*, & animus tuus ab intentione temporalium ad cõtemplationẽ tranſeat æternorum: tranſienſque à virtute cõiugalis pudicitiæ ad potiorem virtutem continentiæ vidualis, non minore continentia cordis prædita debes eſſe quam corporis. Et poſt obitum temporalis mariti, omnes in corde tuo reliquiæ debent mundanæ cogitationis extingui. Cur enim vidua Chriſtiana gerat animum vinculo cuiuſquam mundanæ cogitationis innexum; quæ mortuo viro mundum debet æſtimare commortuum? Cauſa igitur mundanæ cogitationis deſiſtente, debet ipſa quoque cogitatio mundana ceſſare: & ſicut antea corporaliter ornabaris viro, qui delectaretur ſpecie corporis: ita nunc ſpiritaliter ornanda es Chriſto, qui ſolam in te quærit pulchritudinem mentis. Attende quid beatus Petrus etiam coniugatis mulieribus mandet, quibus exterioris habitus interdicit ornatum, hæc loquens:

2. Cor. 4.

Pſal. 83.

Vidua quæ prius viro, nunc ornetur Chriſto.

loquens: *Mulieres subditæ sint viris suis, vt si qui non credunt verbo Dei, per vxorum suarum conuersationem sine verbo lucrificentur, considerantes vestram in timore castam conuersationem, quæ insit non extrinsecus capillorum implicatio, aut auri circumpositio, aut in habitu vestimentorum ornatus, sed ille absconditus cordis homo in corruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est ante Deum locuples.* Hoc præceptum beatus Apostolus sanctarum mulierum firmauit exemplo, dicens: *Sic enim & aliquando mulieres sanctæ, quæ sperabant in Deum, ornabant se, subiectæ viris suis.* 1. Petr. 3.

CAPVT XII.

Sanctæ mulieres non monilibus, sed moribus sint ornatæ.

SI ergo sanctæ mulieres, etiam coniugatæ, non sunt monilibus comendæ, sed moribus, & eo magis humilitate debent ornari quam veste; qualis debet esse viduæ habitus, & incessus, quæ non homini viro cupit placere, sed Christo? quæ necessitate corporalis absoluta connubij, spiritalia tamen debet ornamenta sectari? Habitus ergo tuus talis sit, qui non ad lasciuiam excitet, sed ad continentiam prouocet; qui non illiciat ad libidinem, sed comprimat ad timorem: qui non attendat carnis concupiscentiam, sed extinguat: qui non illiciat ad cõcubitum, sed excitet ad profectum: ex quo cordis compunctio, non carnis libido nascatur, vnde filio Dei placeas, vnde te verè castam obtutui sponsi cœlestis ostendas: ille etenim sponsus carnem tuam maceratam vult videre, non nitidam: animæ connubio nititur, nec carnis, sed animæ pulchritudine delectatur. Quocirca castigatione corporis acquire pulchritudinem cordis: vilibus caro tegatur operimentis, & pretiosis anima vestibus induatur, nec quæras vt placeas oculis hominum, sed vt Christi non offendas aspectum. Ille in te quod diligit videat, quod dedit inueniat, quod delectatur agnoscat. *Concupiuit enim rex speciem tuam, sed omnis gloria filiæ regis intrinsecus.* Transiit tempus amplectendi, nunc tempus est longè fieri ab amplexu. Adhæreant viris quæ coniugali vinculo tenentur astrictæ. Tibi dicendum est cum Propheta. *Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Deo spem meam.* Vnde Apostolus ait: *Quæ autem verè vidua est & desolata, sperauit in Domino, & instat obsecrationibus & orationibus nocte & die.* Oratio ergo tibi sit in postulatione crebra, in sancta verò cogitatione atque operatione continua: sic enim poteris implere quod Apostolus iubet, *vt sine intermissione oremus*: oratio namque est in conspectu Dei omne opus bonum, quo delectatur nihil indigens Deus. Et vt agnoscamus bona opera locum orationis apud Deum habere, scriptura nos sancta sic admonet: *Absconde eleemosynam in corde pauperis, & ipsa exorabit pro te.*

Psal. 44. Officium viduæ adhærere Deo, instare orationibus. Psal. 72. 1. Tim. 5. 2. Thess. 5. Eccl. 28.

CAPVT XIII.

Qualiter in cibo & conuiuiis se gerat vidua.

CAue ne carnis curam in desideriis facias, ne semper gulæ quod poscit indulgeas, refectione tua non voluptas expleatur, sed sustentetur infirmitas. Tales autem conuiuij debes habere participes, quæ non carnis solent delicias laudare, sed cordis, quæ Angelorum panem interioris hominis auiditate perquirunt, quæ post sponsum tuum in odore vnguentorum eius currunt, quæ suauitate Deum gustus interioris percipiunt, quæ puro affectu esuriunt, sitiúntque iustitiam, quæ operantur cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Cum talibus & colloquia tibi conferenda, & frequentanda conuiuia, vt cùm eas cibis corporalibus pascis, ad meritum tibi sanctæ operationis accedat: & cùm earum verbis spiritalibus pasceris, profectus tibi sanctæ conuersationis accrescat, nec velis talibus nunc mensam tuam replere deliciis, qualibus eam replebas, quando carnali connubio seruiebas. Audi Magistrum gentium, quid de vidua dicat: *Quæ in deliciis est*, inquit, *viuens mortua est.* 1. Tim. 5.

CAPVT XIV.

Exempla viduarum Iudith & Annæ.

HAbes & in veteri, & in nouo Testamento sanctarum viduarum, quibus ædificeris, exempla. In veteri Testamento Iudith, Anna consideretur in nouo, quarum si, Domino adiuuante, imitatrix fueris, & delicias carnis, & iactantiam sæcularem vera cordis humilitate calcabis, vt illius in te sponsi semper viuat affectus, qui semper est viuus: sicut eadem resurgente vocis angelicæ attestatione firmatur, cum mulieribus dicitur: *Quid quæritis viuentem cum mortuis?* De quo etiam Apostolica sic auctoritas loquitur: *Viuus est enim sermo Dei, & efficax.* Viuus est ergo ille qui est verbum patris, & ideo ipse est fidelium vita: hunc sanctæ viduæ cordis contritione, & corporis castigatione quæsierunt, huic cordis & corporis plena continentia deuotissimè seruierunt: De Iudith enim scriptum est: *Et erat Iudith in domo sua vidua annis tribus & mẽsibus quatuor, & fecit sibi tabernaculum super solarium domus suæ, & imposuit super lumbos suos cilicium, & erant super eam vestimenta viduitatis suæ, & ieiunabat Iudith omnibus diebus viduitatis suæ*: ac ne quis illam sanctam viduam non deuotione cordis, sed necessitate paupertatis existimet ieiunasse, audi quid de ea in subsequentibus dicitur: *Et erat Iudith bona aspectu, & formosa facie valdè, & prudens corde, & bona in intellectu, & erat honesta valdè. Quid reliquerat ei Manasses vir eius, filius Achitob, filij Melchis, filij Heliab, filij Nathahel, filij Surisoda, filij Simon, filij Israël, aurum & argentum, seruos & ancillas, & pecora & prædia.* Ecce vidua præclara natalibus, facultatibus diues, ætate iuuenis, specie mirabilis, diuitias contempsit, delicias respuit, carnis incentiua calcauit, & induta virtute ex alto non quæsiuit secundo famulari connubio. Propterea testimonio tam præclari operis apparuit, quantum Deo dilecta sit continentia vidualis. Denique cùm Holofernes innumero Bethuliam obsedisset exercitu, & omnis Israëlitarum virtus perturbata languesceret, egreditur castitas oppugnatura lasciuiam, & ad interitum superbiæ, humilitas sancta procedit. Ille pugnabat armis, ista ieiuniis: ille ebrietate, ista oratione. Igitur quod omnis Israëlitarum populus facere non potuit, sancta vidua castitatis virtute perfecit, obtruncauit vna mulier tanti agminis ducem, & imperatam Dei populo reddidit libertatem.

Luc. 25. Hebr. 4. Laudes Iudith. Iudith 8. Ibidem. Gloria Iudith de Holoferne occiso.

CAPVT XV.

Laudes Annæ. Luc. 2.

VIdeamus & in nouo Testamento, qualiter nobis sanctæ Annæ conuersatio demonstretur. De qua sanctus Lucas sic refert: *Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel de tribu Asser, & hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. Et hæc vidua vsque ad annos octuaginta quatuor, quæ non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte & die.* Istæ duæ viduæ, licet tempore fuerint diuerso, vnius tamen fidei seruierunt ambæ mysterio, quia Christum quem Anna cognouit in carne natum, ipsum Iudith nouerat nasciturum. Quam vero multùm Deus in vtraq; viduæ continentiam sibi placitam demonstrauit?

Comparatio Iudith & Annæ.

 Nam

Nam Iudith ſpiritalibus armis accincta, caput laſciui prædonis abſcidit: Anna vero ipſum caput Eccleſiæ Spiritu ſancto repleta cognouit. Datus eſt Iudith Holofernis interitus: Annæ reuelatus eſt Saluatoris aduentus. Illi Deus dedit à populo repellere peſtilentiam, huic tribuit humani generis agnoſcere medicinam. Et quia ſanctimoniam virginalem vidualis continentia, gradu inferiore ſubſequitur, idcirco poſtquam de virgine natus eſt filius Dei, vidualis linguæ dignatus eſt officio prædicari. Nec tamen de illo loquuta eſt *vidua, delitiis dedita (quæ viuens mortua)* ſed *quæ non diſcedebat de templo, ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die.* De quibus ieiuniis & obſecrationibus non eſt tunc latiùs diſſerendi locus.

CAPVT XVI.

Laudes Probæ, quæ erat ſoror Gallæ.

DIſponimus enim ſi Dominus voluerit, & ſi vixerimus, ad ſororem tuam ſanctam Chriſti virginem Probam, quam Dominus hoc tempore præcipuum in vrbe Roma dare dignatus eſt virginitatis & humilitatis exemplar, de ieiunio & oratione aliquid ſcribere, ſicut in Epiſtola quam ad eam nuper dedi, mea pollicitatio continetur: cuius tibi præcipuè ſancta conuerſatio eſt in omnibus imitanda, quæ cum ſit auis atauiſque nata conſulibus, & delitiis regalibus enutrita, tanta illi eſt humilitas dono gratiæ cœleſtis infuſa, vt amore ſubiectionis & vſu ſeruiendi dominam ſe aliquando fuiſſe iam neſciat, cum omnes dominos habere delectatione ſanctæ ſeruitutis affectat. Scit enim à Domino (cui virginitatem vouit & cordis & corporis) pro liberatione noſtra humilitatem formæ ſeruilis acceptam, & ob hoc delectatur ſponſo in huius ſeruitutis humilitate placere, vt conſortio quinque ſapientum virginum deputata, cum ſponſo poſſit in æterna claritate regnare. Delitias vero corporis quanta virtute contempſerit, & quomodo ſuam famen ſatiandis faciat deſeruire pauperibus, nec ob aliud ipſa vilibus tegatur indumentis, niſi vt & humilitatis propoſitum impleat, & veſtiendis pauperibus iugem curam ſanctæ pietatis impendat plenius ipſa videndo cognoſcis, quàm id à me velis audire, quod minùs poſſum ſermonibus explicare. Hanc ergo tibi tanquam ſpeculum pone, & ex ipſius conſideratione, quid tibi iam inſit, vel quid adhuc deſit, ſanctorum ſtudiorum operúmque cognoſce: & licet illa egregio præcellat virginitatis munere, comitem te debet in cæteris habere virtutibus. Diſce igitur tu quoque nihil tibi de nobilitate generis aſſignare. Et licet auo patre, ſocero, marito conſulibus pridem fueris inter ſæculares illuſtris, nunc in eo te illuſtrem fieri cognoſce, in quo tibi virtus humilitatis accreſcit. *Diſce à Domino, quia mitis & humilis corde, & inuenies requiem animæ tuæ.* Nobilitatem carnis, quæ ſuperbiæ fomes eſt, abiice, & nobilitatem ſpiritus perfecta cordis humilitate ſectare.

Gallæ nobilitas.

Matth. 11.

Diſtribuendum pauperibus.

Orationibus operam da, ieiuniis inſta, & quicquid tuis apparatibus ſubtrahis, eſurientibus tribue, & quicquid tibi deducis, egenis expende: voluntarium ieiunium tuum eſuriem ſubleuet ieiunantium, vt in fructu miſericordiæ tuorum poſſit ieiuniorum fœcunditas apparere: profit etiam tibi vilitas veſtium, & pauperum per te nuditas veſtiatur. Tunc enim vtiliter fugies noxium pretioſæ veſtis ornatum, ſi nudos veſtias, vt verè conſortem te pauperum Chriſti, non inanitate verborum, nec oſtentatione fallaci, ſed teſtimonio ſanctæ operationis edoceas.

CAPVT XVII.

Fugienda iactantia in operibus bonis.

NEc te illis, quos paſcis aut veſtis, ſuperiorem credas, aut pro eo quod tu tribuis & illi accipiunt, merita tua Chriſti pauperibus anteponas, tanquam tu ideo potior ſis, quod plura contempſeris. Fruſtra enim contemnis facultates tuas, ſi noxias iactantiæ teneas in corde diuitias: non enim illi ſoli peccant, qui pro diuitiis quas habent, aliquam geſtant in corde iactantiā: immo grauius delinquunt qui volunt iactantiam cordis de diuitiis habere contemptis, aut qui ſe propterea volunt pauperibus præponere, eo quod plura videantur pauperibus erogare. Non autem idem ordo eſt apud Deum, qui non quantitatem contemptæ facultatis, ſed qualitatem voluntatis attendit. Plures diuitias pauperibus pro Chriſto dicitur expendiſſe Zacchæus, pro quo viliſſima piſcatoriæ artis inſtrumenta Petrus reliquit Apoſtolus, & tamen à Chriſto non Zachæus diues pauperi Petro, ſed pauper Petrus diuiti Zacchæo præponitur, vt diuitibus Chriſti nulla de contemptis diuitiis iactantia naſceretur.

CAPVT XVIII.

ABſit autem vt aliquid tibi theſaurizes in terra, in qua non es carnis filios relictura, cum etiam illi qui ex carne filios habent, non ſine peccato theſaurizare ſibi delectentur in ſæculo. Cunctos enim fideles vno Saluator noſter dignatur admonere ſermone, dicens: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo & tinea exterminat, & vbi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea exterminat, & vbi fures non effodiunt nec furantur.* Multum metuenda eſt illa increpatio Domini, quam ſtultus diues, illico moriturus audiuit: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem paraſti cuius erunt.* Omnes ergo diuitias tuas ad Chriſtum præmitte, in cœlo tibi theſaurum reconde, quem perdere non poſſis, vt in æternum valeas poſſidere.

Non theſaurizandū in terra, ſed in cœlo.

Matth. 6.

Luc. 12.

CAPVT XIX.

Fugienda laus hominum.

IN omnibus autem operibus bonis, caue ne laudis humanæ deſiderio ventileris, laudari quippe in bonis operibus debes, ſed in eo quod operaris, hominum laudes expectare non debes: Laudet te quidem humana lingua, ſed tu laudem à ſolo Deo deſidera. Atque ita fiet, vt dum tu laudem ab hominibus non quæſieris, Deus laudetur in operibus tuis. Memento qualiter nobis Dominus interdicat, ne iuſtitiam noſtram laudis humanæ faciamus obtentu, dicens: *Attendite, ne faciatis iuſtitiam veſtram coram hominibus, vt videamini ab eis. Alioquin mercedem non habebitis apud patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Veruntamen ipſe rurſus ait: *Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videntes veſtra bona opera, glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Cum ergo dicit vt attendamus, ne faciamus iuſtitiam noſtram coram hominibus, vt videamur ab eis, & iterum iubet, *vt lux noſtra luceat coram hominibus*, nunquid contraria præcepit? Abſit, ſed ſic iubet opera bona fieri, vt non nos ipſos, ſed Deum velimus in noſtra operatione laudari. Nam & Apoſtolus in ſuis operibus gloriam humanam vitabat, ſed diuinam gloriam quærebat. Propter quod dicit Theſſalonicenſibus ſcribens; *Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis ſicut ſcitis, neque in occaſione auaritiæ; Deus teſtis eſt. Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis.* Et tamen idem in ſuæ conuerſationis auditu Deum ab Eccleſiis glorificatum, cum exultatione ſic memorat: *Eram aliquando ignotus facie Eccleſiis Iudææ, quæ erant in Chriſto. Tantum autem, auditum habebant, quia perſequebatur nos aliquando, nunc euangelizat fidem, quam aliquando expugnabat & in me glorificabant Deum.* Proinde manus quidem ab opere bono non deſinat, nec tamen animus ita operetur, vt merces boni operis humanæ laudis

Matth. 6.

Matth. 5.

Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant, &c.

1. Theſſ. 2.

Galat. 1.

laudis intentione caſſetur. Apoſtolus enim, ſicut ipſe teſtatur, vult *vt ſimus ſinceri & ſine offenſa in diem Chriſti, repleti fructu iuſtitiæ, per Ieſum Chriſtum, in gloriam & laudem Dei.* Philip. 1.

CAPVT XX.

Bonū opus non virtuti propriæ, ſed gratiæ Dei attribuendū. Philip. 2.


IN ſtudio ergo bonorum operum & laudis humanæ contemptu, caue ne bonum quod facis, non gratiæ Dei, ſed tuæ velis aſſignare virtuti, immo firmiter tene, nullam tibi facultatem ineſſe poſſe bonæ voluntatis aut operis, niſi id gratuito munere diuinæ miſerationis acceperis: *Scito ergo Deum in te operari & velle & perficere pro bona voluntate. Proinde cum timore & tremore tuā ſalutem operare.* Humiliare in conſpectu Domini, vt exaltet te. Ab illo poſce bonæ voluntatis exordium, ab ipſo poſtula bonæ operationis effectum, ab ipſo perſeuerantiæ donum pete: nec aliquando te putes, illius adiutorio deſiſtente, aliquid poſſe boni velle ſeu facere: illum roga, vt auertat oculos tuos, ne videant vanitatem, ipſum poſtula, vt demonſtret tibi viam in qua ambules, ipſum obſecra, vt greſſus tuos dirigat ſecundum verbum ſuum, & non dominetur tibi omnis iniquitas, illum ora, vt opera manuum tuarum dirigat ſuper te. Viriliter ergo age, & confortetur cor tuum, *iacta in Deum cogitationem tuam, & ipſe te enutriet.*

CAPVT XXI.

Nec diffidēdum de Dei auxilio. Pſal. 144.

NEc quia dixi, nihil te debere propriæ aſſignare virtuti, ideo tibi eſt de diuina virtute ac pietate in aliquo diffidendum. *Fidelis eſt enim Deus in verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.* Nec tibi auxilium denegat in hoc ſæculo, nec præmium ſubtrahet in futuro. Qui tibi demonſtrauit rectam viam, ipſe tibi eſt deductor ad patriam. *Spera ergo in Domino, & fac bonitatem*, nec te putes poſſe deficere, ſi te ille dignatus fuerit cuſtodire. Scriptum eſt enim: *Quis ſperauit in Domino & confuſus eſt? Aut quis permanſit in mandatis eius & derelictus eſt: Aut quis inuocauit, & deſpexit illū? Ne igitur amittas confidentiam tuam, quæ magnam habet remunerationem. Eſto ſtabilis & immobilis, ſciens quod labor tuus non erit inanis in Domino: potiora ſemper appete, & animū tuum ad incrementa virtutis extende.* Nunquā ceſſes è diuinis eloquiis, & totam delectationē cordis tui ſcripturis ſanctis indulge. Non tenearis nexibus humanæ delectationis, & de Diabolo proſperè triumphabis. Et vt ſancto Scripturæ teſtimonio atque admonitione præſens tibi terminetur epiſtola, cunctis quæ ſuperius dicta ſunt hoc quoque ſubnectam. *In manſuetudine opera tua perfice, & ſuper omnium gloria diligeris. Quāto magis magna es, humilia te in omnibus & coram Deo inuenies gratiam.* Dominus te in via virtutis ſuæ dirigat, & ad regni cœleſtis promiſſa perducat, Domina illuſtris filia.

Eccl. 2. Hebr. 10. Delectandū in ſcripturis ſanctis. Eccl. 3. Ibidem.



SANCTI FVLGENTII
Epiſtola tertia, ad Probam, de virginitate ſimul, atque humilitate.

CAPVT I.

Congratulatio de ſpiritalis vitæ inſtituto.



SPIRITALI deſiderio atque inſtituto tuo, ſancta famula Dei Proba, quantum congratuler atque congaudeam, vellem competenter verbis exprimere, ſi pari modo cogitationem loquutio poſſet æquare. Neque enim parui propoſiti debet iudicium æſtimari, quod cum te conſtet (*illo in te operante, à quo eſt omne datum optimum, omne donum perfectum*) ſpiritalibus virtutibus præditam, arbitraris te tanquam expertem de virtutibus admonendam. Hoc itaque ſtudium, quo me ſancto fratre noſtro Tuto, ſcilicet, Dei ſeruo, ſcriptis frequentibus inſiſtente, vehementer inſtigas, vt tibi exhibeam ſermonem de virginitate atque humilitate aliquid continentem, in Deo, in quo laudanda eſt anima tua, multum laudo, ſed quantum laudare debeo, laudare non valeo. Et quantum me huic deſiderio dignè laudando imparem cerno, tanto magis in te Deum, ſeu dura negatione, ſiue diuturna dilatione offendere timeo. Quippe Chriſtus offenditur, ſi quando debita ſeruitus membris ipſius denegatur, cum non ob aliud ipſe voluerit malè quondam libero à peccati ſeruitio liberare, niſi vt nos doceret inuicem libera charitate ſeruire: quos enim compreſſos inuenit iugo ſeruilis ac peſſimæ libertatis, ſubleuauit dono liberalis atque optimæ ſeruitutis. Illius denique noxiæ libertatis, in qua magis libet peccato ſeruire quam Deo, Apoſtolico nobis intimatam tenemus ſermone lætitiam, dicit nanque: *Cum enim ſerui eſſetis peccatis, liberi fuiſtis iuſtitiæ*, & adiiciens ait. *Quem ergo fructum habuiſtis tunc, in quibus nunc erubeſcitis? nā finis illorum mors eſt.* Illam quoque ſeruitutem, quam liberati accepimus, vt liberatori Deo liberaliter ſeruiremus, in ſubſequentibus eiuſdem doctrinæ ſermonibus inuenimus, cum dicit: *Nunc autem liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificatione, finem vero vitam æternam.* Ecce quo ducit ac perducit hæc ſancta ſeruitus? in qua veræ libertatis eſt munus; ad vitam ſcilicet æternam, in qua ſemper viuitur, ſemperque regnatur, in qua nemo tamen hominum viuet, niſi qui mortificatur huic mundo; in qua nemo regnabit, niſi qui humilis perſeueret in Deo: illa namque vita huic mortificationi premittitur, & illa celſitudo huic humilitati ſeruatur; ipſi humilitati, quam, ſcilicet, efficaciter ſectaris, & in qua ſanctam virginitatem, Deo cuſtodiente cuſtodis, me quoque deuotè libenterque ſeruire compellis.

Iacob. 1. Seruitus bona: Chriſto. Noxia libertas peccato. Rom. 6. Ibidem.

CAPVT II.

Seruire inuicem debent mēbra Chriſti per charitatem.

ET ego quidem, ſancta Filia, in quantum me charitas Dei, quæ diffuſa eſt in *cordibus noſtris, per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis*, tā delectabiliter quā liberaliter ſeruire Chriſti membris inſtigat: volo, quod iniunxiſti, competenter implere, ſciens illū vere Chriſto ſeruire, qui per illam charitatem Chriſti membris ſeruit, per quā vt eiuſdem Chriſti membrum fieret, prior pro eo Chriſtus ipſe ſeruiuit, propter

pter quod Apostolus, vt ad libertatem perueniamus æternā, seruitutem liberam inuicem Christi mēbris imperat exhibendā, dicēs: *Vos enim in libertatē vocati estis fratres tantū, ne libertatē in occasionem carnis detis, sed per charitatem seruite inuicem.* Quanto magis igitur reddere, quod exigis, huius seruitutis præcepto compellor, tanto magis virium mearum consideratione deterreor. Est enim talis vtriusque virtutis copula, de qua mihi est aliquid, in quantum Deus donauerit, disputandum, vt in præsenti vita ipsa sit omnium perfectio culménq; virtutum, quia nec in corpore est aliquid integritate melius, nec in anima est aliquid fidei humilitate sublimius. Est mihi tamen confidentia diuinę opitulationis in eo, quod adiuuor orationibus vestris. Ob hoc enim Deus sancti desiderij feruorē filiis filiabusque suis inspirat, vt cum à conseruis suis spiritale debitum flagitant, ipsi quoq; pro eis orare Dominū non quiescant, atq; ita mutuæ charitatis officio sic debitum, quod sibi debetur, exigant, vt debitoribus quod exigunt, reddāt. Nemo est enim fidelium, qui sic sibi charitatem flagitet reddi, vt ipse non illam suo debeat reddere debitori. Quæ licet in diuersis donationibus secundum gratiā, quæ data est nobis, differentibus, diuerso reddi videatur effectu, in adiutorio tamen mutuæ orationis omnes facit vnius debiti participes, in qua facit singulos omnibus debitores. Vide, qualiter ille, qui se debitorem sapientibus & insipientibus profitetur, debitum orationis & cunctis reddat, & ab omnibus exigat. Romanis ait, reddens hoc debitum: *Testis enim mihi est Deus, cui seruio in spiritu meo, in Euāgelio filij eius quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.* Sed huius debiti, cuius est deuotus redditor, vide quàm sit auarus exactor; iisdem denuo ait: *Obsecro igitur vos fratres, per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Dominum.*

Gal. 5.
Copula virginitatis cū humilitate, maxima virtus.
Debitum mutuæ charitatis & orationis.
Rom. 1.
Rom. 15.

CAPVT III.

IN hoc debito quod exigitis à nobis, & redditis nobis, adiuuari me non dubito, vt Deus, qui operatur in suis & velle & perficere pro bona voluntate, ipse donet quod dignè cogitem, dignè dicam. In bonis enim cogitationibus *non sumus idonei cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et ob hoc non deficimus indigentia, quia gratuito munere ab illo sufficientia nostra est, in quo indigentia vlla non est; qui sicut bonorū nostrorum non eget, sic semper abundat vt donet, nec donando fit indignus, quia hoc donat quo semper est plenus, nec est quod illi à nobis afferatur cogitationis, sermonis aut operis placitū munus, quod ipse non fuerit gratuita benignitate largitus. Idcirco autem gratuita semper est Dei sancta largitio, quia humanorum meritorū nulla vnquam præcedit exactio: quia etsi quod est bonum cuiuslibet hominis meritum, ab ipso est vtique, à quo est *omne datum optimum, & omne donum perfectum*: quod nec habere potest homo, nisi ab ipso fuerit datum, nec perseueranter habere, nisi fuerit ipso custode seruatū. Ab ipso igitur posco reddi huius debiti facultatem, à quo reddendi voluntatem accepi, neque enim vel reddere aliquatenus vellem, nisi misericors ipse donaret vt vellem. Si quid itaque in hoc opere dixero quod placeat & sufficiat, vel si non sufficiat, saltem placeat sancto desiderio tuo, non est meæ indigentiæ, sed diuinæ sufficientiæ. Si quid vero forsitan ita dixero, vt nec sufficere tuo sancto possit desiderio, nec placere, non est sufficientiæ diuinæ, sed indigentiæ meæ. Proinde Christiana charitas vtrobique operis sui partes exhibeat, vt sufficientiam Dei humiliter agnoscat, & indigentiæ seruili patienter ignoscat.

Sufficientia nostra ex Deo est.
2. Cor. 3.
A Deo velle & perficere.
Iacob. 1. auctoris.

CAPVT IV.

VIrginem sacram te sibi munere gratuito fecit, *qui omnia quæcumq; voluit fecit*; à quo ideo gratia nullis præcedentibus meritis datur, vt illi semper gratiarum actio pura cordis humilitate reddatur. Hic est autem vnigenitus Dei filius, vnigenitus etiam virginis filius, vnus omnium sacrarum virginum sponsus, sanctæ virginitatis fructus, decus & munus, quem corporaliter sancta virginitas peperit, cui spiritaliter sancta virginitas nubit, à quo sancta virginitas fœcundatur, vt perseueret intacta; à quo decoratur, vt permaneat pulchra; à quo coronatur, vt regnet perenniter gloriosa.

Virginis filius virginitatis author & sponsus.

Quapropter bonum dispositum custodi, & meritum tanti boni, quod vt haberes, Deus dedit, & vt Deo voueres, ipse fecit, ex nominis ipsius significatione perpende: tam magnum quippe Deus voluit esse bonum virginitatis, vt illud non aliunde, sed ex vocabulo dignaretur nominare virtutis. Virginis itaque si quis velit diligenter considerare vocabulum, ex virtutis inueniet nomine deriuatum: virgo enim dicitur, quasi virago: virginem vero scriptura sancta non ob aliud vocatam dicit, *nisi quia de viro sumpta est.* Hoc autem à S. Hieronymo secundū Hebraicam proprietatem libri Geneseos docet expressa translatio, in qua sic habetur: *Immisit ergo Dominus soporem in Adam, cúmque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea, & ædificauit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam, dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hoc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.*

Virgo quasi virago.
Genes. 2.

CAPVT V.

ITaque cum virginis nomen ex nomine viri descenderit, quis dubitet quod vir à virtute vocatus sit? Et quia sicut Paulus docet, *illa omnia in figura facta sunt nostri*, profecto in illa virgine, quæ ex viri fiebat costa, futura iam tunc præfigurabatur Ecclesia, quæ verè de viro sumpta, & de quo sumpta illi coniuncta. Inde habet in veritate virtutem, vnde habet verum viraginis nomen. Propter quod hanc virginem, id est virginem, quæ de viro sumpta est, non solum virginis, sed etiam viri nomine Paulus non dubitat appellare, ait enim fidelibus: *Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Christus est quippe vir, de quo hæc virgo sumpta est. Ipsis denuo fidelibus Apostolus dicit: *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Per sanctum quoque Dauid, tam viris, quam mulieribus in commune spiritalis huiuscemodi promulgatur hortatio: *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.* Typicè itaque à viro dicitur virginis vocabulum, quia nomen à Christo ducitur Christianum: Christus enim Dei virtus est & Dei sapientia, ex quo est Ecclesia, quæ virgo in fide & charitate persistens, & sapientiam possidet & virtutem, ideo nec seductione decipitur, nec violentia vincitur, quia internæ virginitatis integritate fulcitur. Huic virgini Esaias dicit: *Quoniam complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur. Habitabit enim iuuenis cum virgine, & habitabunt in te filij tui.* Et vt ostenderet non alium esse iuuenem quàm sponsum, nec aliam esse virginem quàm sponsam, sponsum autem & sponsam Christum & Ecclesiam, sequutus adiunxit: *Et gaudebit sponsus super sponsam: Et gaudebit super te Deus tuus.* Hæc virgo mater est, cui dicitur: *Habitabunt in te filij tui*, & hæc mater virgo est, de qua dicitur: *Habitauit enim iuuenis cum virgine.* Hæc virgo sponsa est, de qua dicitur: *Et gaudebit super sponsam suam.* Hæc

Virago à viro, vir à virtute dicitur.
2. Cor. 11. Ecclesia & virgo & vir ab Apostolo dicitur.
Ephes. 4.
Psal. 26. & 30.
A Christo Christiana Ecclesia, sicut à viro virgo dicitur.
Esa. 62.
Ecclesia sancta dicitur mater, virgo, & sponsa.

Hæc igitur Eccleſia vna & vera Catholica, *ſponſa eſt*; quia inhæret Chriſto. *Mater eſt*; quia fœcundatur à Chriſto: *virgo eſt*, quia incorrupta perſeuerat in Chriſto. Huius ſponſæ nec fœcunditate virginitas corrumpitur, nec virginitate fœcunditas impeditur. Tale namque iſtius eſt viri virginiſque cõnubiũ, vt idcirco ab hoc viro fœcundetur hæc virgo, quia in hoc connubio nulla vnquam poteſt eſſe corruptio; & tanta in hac matre virginitatis perſeuerat integritas, vt niſi virgo ſemper eſſet, mater eſſe non poſſet. Iſtius matris ac virginis nomen nouum ita pronunciat Eſaias: *Et vocabitur ibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* Ergo quia Chriſtus virtus eſt, ſicut Eccleſia vocabulũ virginis à virtute sũpſit, ſic à Chriſto Chriſtianum nomen accepit.

Mater, virgo & ſponſa.

Ibidem.

CAPVT VI.

QVæ cum in diuerſis membris ſuis habeat donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt ei differentes, maiorem tamen gratiam donationis in illis membris accepit, in quibus ita ſpiritaliter virgo dicitur, vt etiam corporeæ virginitatis integritate potiatur: nam in cæteris fidelibus membris, quæ in Deum ſecundum fidei Catholicæ regulam rectè credunt, & pudicitiam coniugalem vidualémve cuſtodiunt; quæ ſcilicet nec actualis ſunt fornicationis colluuione reſperſa, & ab omni ſtupro manent infidelitatis immunia, ſpiritali tamen virginitate potitur Eccleſia. In his vero membris, in quibus ſic fidem cuſtodit rectam, vt etiam carnem ab omni concubitu reſeruet intactam, quanto pleniorem habet virginitatem, tanto plenius & perfectius eiuſdem virginitatis poſſidet nomen, in illa quippe nihil minus habet ad vitam, in hac autem amplius aliquid acquirit ad gloriam, quia ſicut Paulus ait: *Alia eſt gloria ſolis, & alia gloria lunæ, & alia gloria ſtellarum. ſtella enim à ſtella differt in gloria; ſic & reſurrectio mortuorum.* Denique ſub ſpadonum nomine, quos etiam in Euangelio *propter regnum cœlorum ſe ipſos caſtraſſe* Saluator affirmat, meliorem locum in domo ſua, & in muro ſuo Dominus per Eſaiam virginibus repromittit, ſic enim ſcriptum eſt: *Hæc dicit Dominus ſpadonibus: Quicumque cuſtodierint præcepta mea, & elegerint quæ ego volo, & amplectũtur teſtamentum meum, dabo illis in domo mea, & in muro meo locum nominatum meliorem filiorum, & filiarum, nomen electum dabo illis, & non deficiet.* In Apocalypſi quoque S. Ioannis, *illi ſunt qui ſequuntur agnum quocumque ierit, qui virgines permanſerunt.*

Maior gratia donationis in virginibus quam in aliis.

1. Cor. 15.

Spadonibus melior locus in muro promittitur.

Matth 19.

Eſaiæ 56.

Apoc. 14.

CAPVT VII.

CLaret itaque inter cæteras Eccleſiæ donationes, illius præcipuum munus ſpiritalis eſſe chariſmatis, vbi virtus ipſa integritatis perfecto meretur vocabulo cenſeri virtus: *quamuis enim ſit prophetia ſecundum rationem fidei, ſiue miniſterium in miniſtrando, ſiue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in ſimplicitate, qui præeſt in ſolicitudine*; hæc dona diuerſa propriis inueniuntur appellari nominibus. Integritas autem carnis Deo fideliter conſecrata, & in cordis virginitate, Deo iuuante & protegente, ſeruata, idcirco propriè virginitas dicitur, vt ibi perfectio veræ virtutis ineſſe monſtretur. Melior eſt igitur cæteris actualibus donis intemerata ſanctitas virginalis, quæ diuini gratia muneris virtute videtur originem vocabuli trahere, vt ex ipſo nomine ſemper ſe admoneri cognoſcat, ea quæ virtutis ſunt debere ſeruare. Vnde non immeritò Doctor gentium, ac vas electionis cœlibem coniugalémque vitam tali definitione diſcernit, vt iſtam ſollicitam, quæ Dei ſunt, in ſanctificationem corporis & ſpiritus Deo placere; illam verò mundanis cogitationibus deditam, placendi viro ſtudium geſtare confirmet. *Qui ſine vxore eſt,* inquiens, *ſolicitus eſt, quæ Dei ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. Et mulier innupta & virgo cogitat, quæ ſunt Domini, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu: quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.*

Melior virginitas mentis & corporis, quàm alia dona.

Rom. 12.

1. Cor. 7.

CAPVT VIII.

VEruntamen hoc Apoſtolus dicens, non ſi aſcripſit virginibus ſanctitatem corporis & ſpiritus, vt illam vel coniugatis demeret, vel viduis abnegaret: præcipuè, qui ſuperiori loco eiuſdem epiſtolæ fidelium corpora membra Chriſti & templum appellet Spiritus ſancti, dicit enim: *Neſcitis, quia corpora veſtra mẽbra Chriſti ſunt?* Et paulò poſt, *An neſcitis, quia membra veſtra templum eſt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? empti enim eſtis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* Et vt ſe coniugatis quoque ſcribere demonſtraret, continuo ſubiunxit: *De quibus autem ſcriptis, Bonum eſt homini mulierem non tangere: propter fornicationes autem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquæque ſuum virũ habeat.* In epiſtola quoque ad Epheſios coniugatis vtique loquebatur, quibus dicebat: *Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus diligit Eccleſiã.* Et paulò poſt, *Qui ſuam vxorem diligit, ſeipſum diligit. Nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fouet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam, quia membra ſumus corporis de carne eius, & de oſſibus eius.* Petrus quoque Apoſtolus coniugatas fideles ſanctas non ambigit appellare, dicens: *Sic enim aliquãdo mulieres ſanctæ ſperantes in Deo ornabant ſe ſubiectæ viris ſuis, ſicut Sara obſequebatur Abrahæ Dominum eum vocans.* Non ergo Apoſtolus Paulus à sãctificatione corporis & Spiritus fideles coniugatas ſeparat, ſed hoc eas cogitare dicit, vbi earum cogitationem amplius teneri cognoſcit. Quis enim neſciat ſanctam virginũ cogitationem magis ad ſpiritalia recurrere, & ſanctarum coniugatarum cogitationem magis coniugali neceſſitati ſeruire.

Coniugatis quoque adſcribitur ſanctitas, ſed maior virginibus.

1. Cor. 16.

1. Cor. 7.

1. Petri 3.

CAPVT IX.

SCimus ergo nuptias non eſſe peccatum, ſed Dei opus & Dei donum, quas ipſe Dominus connexuit fidei vinculo, gratificauit benedictionis dono, multiplicauit propagationis augmento. Nouimus honorabile connubium in omnibus, & thorum immaculatum nouimus à Deo, non coniugia, ſed fornicationes & adulteria iudicanda. *Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus.* Fateamur enim à Deo eſſe nuptiarum fidem, coniugum charitatem, naturæ fœcunditatem, *ſed quia vnuſquiſque proprium habet donum à Deo, alius quidem ſic, alius autem ſic.*

Nuptiæ non ſunt peccatum, ſed donum Dei.

Nos quoque ſic vtriuſque doni gradum diſcernimus, vt vtrumque donum à Deo tribui fidelibus non negemus. Non igitur inferius donum Dei deuocamus in culpam, cum potioris doni perferimus gratiam, nec cum primum pudicitiæ donum præponimus, ſecundum, tertiúmve damnamus, nec in eo quod integritatis virginalis agnoſcimus culmẽ, pudicitiæ coniugalis aſſerimus crimen, neque ſic virginitatem frumentis adſcribimus, vt coniugium inter zizaniam deputemus. Non eſt coniugium nocturni ſeminis fructus, quia hoc in agro dominico non ſator inuidus ſuperſeminauit, ſed Dominus bonus inſtituit. Verumtamen vtriuſque rei congrua diſcretione momenta penſantes, tamen dicimus à ſanctis nuptiis, vbi nubunt qui ſe continere non poſſunt, ſanctam virginitatem merito potiore diſtare, quantum diſtant à nobis meliora, ab humilibus celſa, à terrenis cœleſtia, à beatis beatiora, à ſanctis sãctiora,

Multiplex inter virginitatem & connubium comparatio.

à mundis mundiora, à mortali connubio immortale connubium, à carne spiritus, ab infirmitate virtus, à fœtu trāsitiriæ prolis permāsuri germinis fructus, à tribulatione securitas, à perturbatione tranquillitas, à bono quod est cum angustia momentaneum, melius, quod est cum lætitia sempiternum.

CAPVT X.

Virginitas longè superior connubio carnali.

NEc dubitamus dicere, tantum à sancta Virginitate carnis & spiritus, fidelium coniugatorum (licet à Deo concessum) infirmæ mortalisque carnis huius distare concubitum, quantum similitudo pecorum ab imitatione discernitur Angelorum. In vno quippe ad terram spiritus, terrena carnis voluptate deprimitur: in altero autem terrena caro, cœlesti delectatione spiritus, ad cœlestia sublevatur. Ad placendum quippe carnali coniugio sæpe mundana mentem cura solicitat: ad placendum vero spiritali connubio, mens dulcedini cœlestis cogitationis intenta, corpus suum spiritali pinguescens delectatione castigat. In opere corporalium nuptiarum virginitas carnis amittitur, vt ad carnis fœcunditatem veniatur. Vbi tamen nonnunquam sic in certæ spei fructu fraudatur humana delectatio, vt quæ virgo esse destitit, mater esse non possit, & sterilitatis obstaculo coërcita, nec in corpore queat reparare quod perdidit, nec ex corpore valeat habere quod cupit. Plerumque (quod est grauius) grauiore dolore fœtus carnis perdit, quos graui dolore suscepit. Et ad hoc pariens pericula gemitúsque tolerat, vt amittens quos cum gemitu pepererat, deterius gemat. In copula vero matrimonij spiritalis cum spōso Christo sic coniugatur anima, vt etiam caro seruetur intacta. Quanto magis virginalis integritas viget, tāto magis immortalis fœcunditas pollet. Sic enim ibi non est mortalis fructus ex corpore, vt immortalis fœtus non desit ex corde: ibi maritalis accessus non vitiat corpus, quia Christi spiritalis amplexus & animam seruat & corpus. In tali connubio nullus effectus æstuanti cupiditati conceditur, quia sanctæ charitatis feruore, refrigerio spiritali nutritur. O angelicæ imitationis non humana in hominibus virtus. O ineffabile superni sempiterníque muneris decus; quod qui accipiunt, hoc meditantur in carne mortali, quod sunt immortalitate sumpturi, *eligunt enim bonam partem, quæ non auferetur ab eis, sed perficietur in eis.* Quod enim ab eis nunc inuiolatum seruatur in opere, hoc eis gloria immortalitatis cumulatum reddetur in munere.

Infortunia coniugij circa prolē corporalem.

Bona virginitatis circa prolem spiritalem.

Luc.10.

CAPVT XI.

Virginitas autem sic ambulet, ne declinet ad dexterā, nec ad sinistram.

QVocirca, quæ non est sæculi virgo, sed Christi, sicut nō debet monilibus, ita debet virtutibus adornari. Ornatus autem virginis est, virginitatis bonum non minus mente quàm carne seruare, vt scilicet semetipsam tanto munere condignam semper exhibeat, & sic veritatis teneat viam, vt non diuertat ad dextram vel sinistram; sinistrā quippe obsidet carnalium turba vitiorum; dextram tenet spiritalium iactatio superba virtutum. Illa carnem publicis delectamentis oblectare contemnit, hæc menti laudem propriæ virtutis immurmurare non desinit. Illa namque blandiens virgini persuadere conatur, vt tantum carnis integritate seruata, quicquid pertinet ad delicias ciborum, nitorem vestium, fomenta balnearum, somnorum lenitatem, iocorum hilaritatem, sub specie vitandæ infirmitatis & custodiendæ corporeæ sospitatis diligat, appetat, teneat, & quasi molliori cliuo deuexum latioris viæ monstrat gradienti descensum, quo non conscendat ad cœlum, sed deuoluatur in tartarum, insinuat vitandum itineris angusti laborem, ne perueniatur ad requiem. At alia quanto occultius, tanto periculosius parat virgini præcipitium, dum callidè collaudat ascensum: etenim si teneatur in cibis abstinentia, vestis non sit nitida, sed despecta, buxeum pallorem rubore sublato corpori ieiunia generent, candorem carnis lauandi contemptus obfuscet, lasso corpori somnus stratis durioribus detur, cutis lenitas despectis asperetur vnguentis, contractior vultus risui semper obsistat & loco. Hæc omnia non diuino adiutorio deputat, sed viribus humanæ possibilitatis assignat.

Via dextera superba iactatio virtutum.

CAPVT XII.

Delicias carnis virgo Christi fugere debet.

PRoinde ad exteriorē virginitatem, interiorémq; seruandam, solicita debet virgo semper exultare cautela, delicias carnis & oblectamenta corporis (quæ sibi non tam necessitas exigit quam voluptas) omnino sacra virgo refugiat. Spiritalis enim virginum sponsus non quærit in virgine carnem deliciis accuratam, sed ieiuniis castigatam. Hoc Doctor gentium cum se facere dicit, nobis quoque insinuat faciendum. *Castigo*, inquiens, *corpus meum, & seruituti subiicio.* Et rursus: *In vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis.* De vidua vero dicit: *Quæ autem in deliciis est, viuens, mortua est.* Non quærat ergo Christi virgo carnis delicias, quas nec viduæ videt esse concessas. In saturitate cibi viuens Sodoma, cibus ignis effici meruit. Et Niniuicus populus diuinum furorem, cunctorum iam ceruicibus imminentem, ieiunio lachrymísque submouit. Igitur si visibilis cupiditas vindicatur in corpore, inimica inuisibilis potestas non damnatur in corde. Illam fœliciter vincimus, si fortiter cum ista certemus. Et de illa triumphus acquiritur, cùm ista calcatur.

1.Cor.9.

1.Cor.11.

1.Timot.5.

Gen.19.

Ioan.3.

CAPVT XIII.

Temperies ieiuniorum.

POrro ieiuniis sic est adhibenda temperies, vt corpus nostrum nec saturitas exaltet, nec inedia immoderata debilitet. Talis igitur tantáque virginis ieiunium refectio subsequatur, vt nec suauitate corpus illiciat, nec saturitate succendat: suauitate quippe minuitur eleemosyna pauperum, saturitate corpus efficitur bellicosum. Illic fratribus debitum inuaditur, hic hosti auxilium subrogatur. Volentibus enim nobis concupiscentiam gulæ diuersis oblectare pigmentis, quod egenus accipere debuit, voluptas insumit. Proinde ieiunium nec debilitas præripiat, nec saturitas extollat. Vtraque enim nostris aduersariis militat, quia vna vtilitatem ieiunij præcedentis adimit, altera facultati ieiunij subsequentis obsistit. Saturitas facit, vt inaniter ieiunemus: debilitas facit, ne ieiunare possimus.

CAPVT XIV.

Virginum vestes quales.

VEstis quoque talis sit sacræ virginis, quæ testis existat intimæ castitatis: nihil nitoris in habitu exterioris hominis quæratur, ac interioris hominis habitus sordidetur. Virgo, quæ ornatum corporeæ vestis affectat, animam suam virtutum splendore despoliat; nec habet castitatem veram, quæ intuentibus parat illecebram, nec fidem seruat Christo, quæ populo quærit magis placere quàm sponso. Consequenter autē necesse est, vt quæ humano conspectui cōcupiscentiam seminat, in diuino cōspectu iracundiam metat. *Qui enim seminat in carne sua, de carne metet corruptionem. Qui vero seminat de spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Verū de eis atque horū similibus, quæ ad curā pertinēt carnis, & animam faciunt sub virginitatis nomine in concupiscentiis dormitare, illæ potius admonendæ sunt virgines, quæ delitiosæ, quæ vagæ, quæ locis deditæ.

Galat.6.

CAPVT XV.

NObis autē nunc ad spiritalem virginē loquentibus, de illis est laqueis euitandis aliquid memorandum, quo (vt ita dicam) nō in terrenis rebus, sed

ſed in ipſis cæleſtibus aduerſarius tendit, nec à via manifeſto ſeducit errore, ſed (ſicut ait Propheta) *in via hac, qua ambulabam, abſconderunt laqueos mihi.* Pſal 141.
Vbi bene ambulantes perſpicit in operibus bonis, ibi vehementius, & periculoſius ſub colore ſimulatæ pacis occultis repugnat inſidiis, & non valens virginitatem carnis in carne perdere, virginitatem ſpiritus conatur auferre. Propter quod nō eſt Chriſti virginibus negligentius intuendum, quantum cordis virginitas carnis virginitati præpōderet: hæc enim ſi à fidelibus contingatis ac viduis in fide (quæ per dilectionem operatur) etiam ſine virginitate corporea in hac vita fuerit cuſtodita, in futuro nec carnis virginitate priuabitur, & regni cæleſtis beatitudine perfruetur: corporalis verò virginitas, etiā Deo dicata, ſi virginitatem non ſeruauerit cordis, nihil proderit in corpore cuſtodita, ſi ſpiritalis caſtitas fuerit in mente corrupta. Vtramque Diabolus perſequitur, vtramque callidis conſiliis inſectatur, ſed virginitatem carnis per hominem nititur præcipere, cordis verò virginitatem per ſeipſum conatur auferre, nam plerumque ad hoc carnis virginitatem (quæ inferior eſt) non impugnat, vt illius quæ potior eſt, fundamenta ſuffodiat, & tanquam diuerſis machinis, ſic innumeris vtitur argumentis, cum certamini manifeſto cedit, ad hoc ſe victum demonſtrat, vt vincat. Ad hoc fugam ſimulat, vt perſequentem, miſſis poſt tergum ſagittis occidat. Euidentibus quippe vitiis prouocat, dum virginitatem cordis impugnat, in quibus ſi palam ſuperetur, illico ſuperbiam pernicioſiſſime iaculatur, & vitiorum auctor in eo quod vincere nō poteſt vitiis ſuis, vincit virtutibus, alienis armis, quibus eliditur, ſurgit, & virtute, qua deiicitur, deiicit. Laudat, qua ſe perſpicit ſuperari, virtutem, vt victus poſſit captiuare vincentem: iniicit enim cordis iactātiam, vt grauiori lapſu de alto poſſit deiicere, ſi quos in humilibus videt gradu firmiore pugnare. Nam (verbi gratia) cum gulæ delectamenta porrigit, ſi ſuſcipiatur, fomitem libidinis ſubminiſtrat, ſi reſpuatur, iactātiam de abſtinentia ſeminat. Inſinuat dilectionem pecuniæ, ſi renuerit aſſenſum, auaritiæ gladio animam confodit incautam. Si autem fuerit repulſus, inſidias quas per tenacitatem tendere non potuit, per liberalitatem nequiſſimus tendit. Et in opere miſericordiæ facit cordi ſuperbiam pullulare, vt eo quod egenti largitur, magna ſibi habere merita videatur. In multis hæc facit, * maximè ſic repugnare ſpiritales Dei famulos, & famulas aſſueuit, vt ſi quis rebus noxiis mortiferiſque non vincitur, vitalibus remediis occidatur. Bonis operatur mala, ſalubribus noxia, iuſtis iniuſta, & commodis præſtat incommoda. Hoc in ſeipſo primum operatus eſt, qui non ex conditione habuit originem criminis, ſed ex elatione virtutis veritatem per iniuſtitiam detinere voluit, & per iniuſtitiam lapſus in veritate non ſtetit. Quomodo enim ſtare potuit, cui pro ſuperbia reſtitit ille qui nunquam cadit? *Initium enim omnis peccati ſuperbia, propter quod Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.*

Diabolus vtramque oppugnat virginitatē; carnis, per homines; mentis, per ſeipſum.

Callidi hoſtis varia tentatio cōtra virgines.

*&

Eccl. 10. Iacob. 4. 1. Petr. 5.

CAPVT XVI.

HÆc autem ſuperbia ideò initium omnis peccati dicitur, vt omne peccatum de ipſa tanquā de radice pullulare monſtretur, quæ multiplici modo miſeris inſerens mortem, publico certamine carnales deiicit; ſpiritales verò ſi quos incautos inuenerit, occultiore conflictu proſternit. *Quis enim neſciat fornicarios, idolis ſeruientes, adulteros, molles, maſculorū concubitores, fures, auaros, ebrios, maledicos, rapaces, ſuperbas aduerſus Deū ceruices erigere, & nequiſſimis operibus magis diabolo militare?* Sunt alij, quos in conſpectu hominū ſuperbia tāquā ſuos demonſtrat hoſtes, & intrinſecus habet nequiſſimos milites. Ab his iniquitas callidè geritur, humanis obtutibus iuſtitia fallaciter oſtentatur: hos Dominus noſter ſic increpat, *Vos eſtis qui iuſtificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda veſtra.* Quo vt ſuperbos euidenter oſtenderet, ſequutus adiunxit, quia quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Dominum. Ad eos etiam, qui ſub Chriſtiana profeſſione viuunt, & Chriſti præcepta manifeſtè peccando contemnunt, ſic ipſe Chriſtus loquitur: *Quid autem vocatis me, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Tales gentium quoque Doctor his verbis obiurgat: *Confitentur ſe noſſe Deū, factis autem negant; cū ſint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.* Nā & beatus Iacobus dicit: *Quid proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Nunquid poteſt fides ſaluare eum?* Humilitas ergo (quam docuit Chriſtus, dicens: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde,*) nō in ſola cōſiſtit fide, ſed in fide ſimul & opere. Nam ſcriptum eſt, *Quia & Dæmones credunt, & cōtremiſcunt, qui tamen Deo humiles non ſunt.* Vnde etiam Apoſtolus Paulus aſſerit: *Quia ſapientia carnis inimica eſt Deo, legi enim Dei ſubiicitur, nec enim poteſt.* Quæ ſapientia ſecundum Iacobi ſententiam *non eſt, deſurſum deſcendens*, ſed terrena, animalis, diabolica.

Superbia initium omnis peccati.

Hypocritæ ſuperbi mente. Luc. 16.

Luc. 6. Tit. 1. Iacob. 2. Matth. 6. Iac. 2. Rom. 8. Iac. 3.

CAPVT XVII.

MAnifeſta igitur ſuperbia deprehenditur, cum manifeſtè peccatur: attamen cùm fuco iuſtitiæ iniquitas tegitur, illa ſuperbiæ peſtilentia venenoſius ſerpit, illa periculoſius irrepit, cum ab his, qui iuſtitiæ ſtudium gerunt, vel aliorum vita tanquam indigna deſpicitur, vel in operibus bonis aliquid humanis viribus aſſignatur. Illa denique ſuperbia, qua cæteri ab his qui ſibi iuſti videntur, velut peccatores deſpiciuntur, in Phariſæo condemnatur. Sicut etiam ſanctus Euangeliſta teſtatur, dicens: *Dixit autem & ad quoſdam, qui in ſe confidebant tanquam iuſti, & aſpernabantur cæteros, parabolam iſtam. Duo homines aſcenderunt in templum, vt orarent, vnus Phariſæus, & alter Publicanus. Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi, quia nō ſum ſicut cæteri homines, rapaces, iniuſti, adulteri, ſicut etiam hic Publicanus. Ieiuno bis in ſabbato, decimas do omnium quæ poſſideo. Publicanus autem à longè ſtans, nolebat oculos ad cælum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Dico vobis: deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo, quia omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.* In conſpectu iudicis miſericordis, & iuſti non eſt accepta ſuperbè iactatio bonorum operum, ſed humilis confeſſio peccatorum. Illi etiam, qui virtutem bonæ voluntatis, aut bonæ operationis, ſuis nituntur ſuperbè viribus aſſignare, ab Apoſtolo taliter denotantur. *Quia ignorantes Dei iuſtitiam, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.* In ſua igitur iniuſtitia profecto deficit, qui iuſtitiæ Dei ſuperba colla non ſubiicit. In his itaque quatuor ſuperbiæ generibus, quibus diabolus velut quadrigis vehitur, & ad gehennam miſerorum, quibus inſidet, mortifero curſu raptatur, duobus animas opprimit, quas in carne iacentes perſpicit, aliis duobus animas deiicit, quas de carne volare cognoſcit. Iſtas captiuat delectatione vitiorum; illas circumuenit elatione virtutum, illarum ſic virginitatem præripit, vt ſe fornicari non dubitent, iſtas ſic conſtuprat, & maculat, vt ſe conculcari non æſtiment.

Duplex ſuperbia.

Parabola Chriſti de Phariſæo & Publicano. Luc. 10.

Rom. 10.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Virgo superba, Christi sponsa non est.

PRoinde, vt integra permaneat Deo dicata virginitas, sicut custoditur integritas corporis, multò amplius custodienda est humilitas cordis. Si qua enim verè virgo est Christi, non potest Christo nisi cordis humilitate coniũgi. Filij Dei thalamus elatas non recipit, & humilis sponsus à connubio suo superbas expellit. Sit igitur studium tuum (sicut decet virginem sacram) sectari iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Non tamẽ, vt consideratione tui quaslibet Christianas etiam in inferiori positas professione despicias, aut te in bonis operibus, præsumptione propriæ virtutis extollas. Quicquid enim spiritalium donorum plus habueris, quàm habent aliæ, non parua est iactura virtutis, si in ipsa principali virtute (quæ est humilitas) non alias antecellas, cum non nescias scriptum: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Ecclef.3.

CAPVT XIX.

Christus & Dominus & sponsus est virginũ, ideò & humilitatem exigit, & integritatem.

ATtende igitur in te sponsi tui amorem, considera Domini pietatem. Pius est Dominus, qui te sibi fecit ancillam: speciosus sponsus, qui te castificauit sponsam. Idem tamen, quia verus est Dominus, & sponsus est, verus vtriusque potestatis partes exequitur. Exigit de ancilla humilem seruitutẽ, in sponsa quærit integram castitatem. Serui ergo Domino cum timore, & exulta sponso cum tremore; nam quia Dominus est, territat, & quia sponsus est, zelat. Timens igitur custodi Domini terreni imperium, & tremens dilige sponsi zelantis affectum. In ancilla Domini nihil suum prædo reperiat, in sponsa Christi nihil suum adulter agnoscat. Sicut in corpore virginis non damnatur libido, sic in corde virginis nulla dominetur elatio, *cum timore & tremore tuam salutem operare. Deus est enim qui operatur in te, & velle, & perficere pro bona voluntate.* Quoties cogitas de perfectione virtutum, noli considerare, quid aliæ minus habeant quàm tu habeas, sed quid tu minus habeas, quam habere iam debes, nec ideò te putes virtutibus perfectam, si quamlibet aliam videas criminibus deditam, nec propterea tibi aliquid velocitatis assignes, si quaslibet, aut retro redeuntes, aut segniter videas ambulantes. Neque enim idcirco sanos oculos habere pronunciandus est lippus, quia videtur cæcus à lumine penitus alienus, nec ideò sanus dicendus est, qui graui iacet vulnere semiuiuus, si alius grauiore vulnere reperiatur occisus: nec ibi debet tanquam victor vindicare gloriam quisquis, licet ab hoste non sit occisus, tenetur tamen ab hoste captiuus. Phil.2.

CAPVT XX.

Non aliis, sed sibi ipsi debet se homo comparare. 2.Cor.10.

NOli ergo aliis te cõparare, sed tibi Audi Apostolum hoc facientem, & vt hoc faciamus, salubriter admonentem. Ad Corinthios quippe scribens dicit: *Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant, sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & cõparantes nosmetipsos nobis.* * Si ergo semetipsam comparet virgo Christi, & vt ad perfectam perueniat sanitatem, non debet de aliorum sibi periculo grauiore blandiri, sed de sua curet infirmitate tristari: de qua ille tristabatur iugiter, qui dicebat: *Tota die contristatus ingrediabar, quoniã anima mea impleta est illusionibus, & non est sanitas in carne mea.* Et vt ostenderet, huic tristitiæ humilitatem debere coniungi, statim sequutus adiunxit: *Incuruatus sum, & humiliatus sum nimis.* Et vt desiderio sanitatis hoc à se fieri perdoceret, adiunxit: *Rugiebã à gemitu cordis mei, & ante te est omne desiderium meum, & gemitus meus à te nõ est absconditus.* Iste autem qui hoc dicebat, fatetur se aliquando tanquam de virtute sanitatis elatum, & in eo se periculũ grauissimæ infirmitatis expertũ, dicit enim in alio psalmo: *Ego dixi in abũdantia mea, nõ mouebor in æternũ.* Et quia hoc dicens, adiutorio diuinæ gratiæ fuerat desertus, & in sua defecerat infirmitate turbatus sequitur dicẽs: *Domine in bona voluntate tua præstitisti decori meo virtutem, auertisti faciem tuã à me, & factus sum conturbatus.* Et vt ostenderet adiutoriũ diuinæ gratiæ, quamuis iam habitum, humiliter esse, & sine intermissione poscendũ, hoc quoque subnectit: *Ad te Domine clamabo? & ad Deũ meum deprecabor.*

* sibi. Psal.37. Psalm.29. Adiutorium diuinæ gratiæ semper poscendum.

CAPVT XXI.

NEmo autem deprecatur & rogat, qui non aliquid se cognoscit minus habere, aut quod habet, sua tantum virtute potest seruare. Quisquis igitur & beneficium rogat, & adiutorium flagitat, necesse est, & vt euidẽtiã suæ imbecillitatis, & egestatis agnoscat, & ideò egestas nostra dari sibi quod non habet poscit, & imbecillitas nostra custodiri sibi postulat quod accepit. Egestas audit, *quid enim habes, quod nõ accepisti? Et non potest homo accipere quicquã nisi datũ fuerit ei de cœlo.* Imbecillitas audit: *Reuela ad Dominum viã tuã, & spera in eum, & ipse faciet*: audit etiã ab ipsa virtute: *Sine me nihil potestis facere*: audit à Propheta: *Nisi Deus custodierit ciuitatem, in vanum vigilãt qui custodiunt eam.* Dicat ergo egestas illi, *qui propter nos pauper factus est, cum esset diues, vt illius paupertate nos diuites essemus*: dicat, *Da mihi intellectum, vt discam mandata tua*: dicat etiam imbecillitas illi, *qui pro nobis crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei*: & qui sic *infirmatus est propter peccata nostra, vt semper ipse sit Dei virtus, & Dei sapientia.* Dicat ergo illi imbecillitas humana: *Custodi me Domine, vt pupillam oculi, sub vmbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum, qui me afflixerunt.*

1.Cor.4. Psal 36. Ioan.15. Psal. 26. Ioan.3. Psal.118.

CAPVT XXII.

Sancti quoque in hac vita animæ habent afflictiones propter incidentes cogitationes.

GRauiter hic affliguntur animæ omnium iam iustificatorum, & ex fide viuentium, immò solæ animæ intelligunt, in qua sint afflictione positæ, quibus se infundit lumen verũ, quod illuminat omnẽ hominem venientẽ in hunc mundũ. Vidẽt enim quia licet sint gratiæ dono ab operũ malorum contagione liberæ; teneantur tamen cogitationum varietate captiuæ. *Quis enim gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse à peccatis?* Attendamus qualis, quantusque iustus dixerit, *in multis enim offendimus omnes.* Et ille qui dixit: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Ille etiam qui condelectabatur legi Dei secundum interiorem hominẽ, videbat autem aliã legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captiuantem eum in lege peccati, quæ erat in membris eius, donec eum sua infœlicitatis conscium de corpore mortis huius liberaret gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Ab hac ergo lege peccati, quæ est in membris nostris, non virtus cuiuslibet hominis fortis, non industria sapientis, sed sola liberat gratia Saluatoris, quæ non nisi humilibus gratis datur: *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Veruntamen hæc gratia, sicut non nisi humilibus datur, sic humilis homo esse non potest, nisi detur. Datur enim vt humiles esse incipiant, & datur vt humiles esse non desinant. Gratia Dei

Prou.20. Iacob.3. Rom.7. Iacob.4.

Dei facit,& vt humiles ſimus, & humiles perſeuerare poſſimus. Qui enim potuit quod non habuimus dare, ipſe poteſt quod accepimus, cuſtodire.

CAPVT XXIII.

Præcepta pro ſanctis virginibus ex ſcripturis deducta.

PRoinde, vt in te ſit vera humilitas, quæ virginitatis eſt interna virginitas, non ignoras quanta ſacræ virgini debeat paupertas Spiritus ineſſe, vt regnum cælorum mereatur accipere: quanta manſuetudo, vt illa poſſideat viuentium terram, in quo ſe Dauid bona Domini viſurum plena credulitate confidit. Quanta etiam cautione virgini luctuoſa ſit præſentis ſeculi lætitia fugienda, cui ſemper in hac vita præſtolanti ſponſi cæleſtis aduentum, magis ſit ex deſiderio ſpiritali lugendum, vt adipiſcatur intimum, certúmque ſolatium. Quantam quoque virgo Chriſti debeat eſuriem ſitimque iuſtitiæ perpeti, vt plena mereatur æternæ dulcedinis ſatietate lætari: qualibus etiam ſit induenda viſceribus miſericordiæ, vt in conſpectu Dei miſericordiã valeat inuenire, mundandique cordis quantum debeat ineſſe ſacræ virgini ſtudium, vt illum videre mereatur fœlicibus oculis ſponſum, ſpecioſum forma præ filiis hominum, ad quem carnis virginitas non poteſt peruenire, niſi humili corde fulciatur virtute virginitatis internæ. Quantam etiam pacificæ quietis virgo poſſidere virtutem debeat, vt deſideriorum carnalium tela ſpiritalibus armis induta, compeſcat. Talibus te ſponſus tuus vti fruique monilibus cupit, qui te ſibi fide deſpondit, ſpe firmauit, charitate coniunxit.

CAPVT XXIV.


NEque verò fidei veritate carniſque integritate ſpiritaliter tali ſponſo nupſiſſes, ſi non eum, contempta vanitate ſeculi, dilexiſſes; nec tamen eum fuiſſes aliquatenus dilectura, niſi fuiſſes gratuita ſponſi dilectione præuēta. Dixi autem te præuentam, non ſolum dilectione, qua ille te dilexit, ſed etiam dilectione, quam tibi gratis, vt à te diligeretur, infundit. Totum ergo quicquid in te ſanctæ dilectionis erga ſponſum tuum habes, in te quidem habes, ſed ex te non habes. Pauperem te accepit ditiſſimus ſponſus, quicquid in te boni habes, non ex te, ſed ex ipſo habes, & quicquid nondum habes, tūc habebis, ſi ſponſus dederit, qui omnia bona quæ habes, gratuita largitate iam dedit. Ipſi ergo de acceptis humiliter gratias age, ipſum de accipiendis humiliter poſce. Sic enim diuitem ſponſum habes, vt nec egeat his quæ dedit, & abundet ad largiendum multo meliora quam dedit. Hæc humili ſemper compunctione conſidera, & virginitatem, quam Deo vouiſti, non ſolum carnis integritate, ſed & cordis humilitate conſerua. Ab illo tibi ſemper cuſtodiam virginitatis, & humilitatis expoſcens, qui non dormitauit, neque obdormiet cuſtodiens Iſraël. Ecce ſancta filia, in quantum Dominus dedit, breuem ad te libellum de virginitate & humilitate conſcripſi, magis eligens pauca tibi deſideranti tranſmittere, quam debitæ ſeruitutis officium ſponſæ Domini denegare.

Omne opus bonum gratia Dei in nobis præuenit.

Diues virginum ſpōſus.

Quomodo ſeruanda virginitas.

Concluſio libri.



BEATI FVLGENTII

Epiſtola quarta, ad Probam, de oratione ad Deum, & compunctione cordis.

CAPVT I.

Humilitas Probæ omnibus imitāda cōtra vanam gloriã.



DOMINÆ in Chriſto plurimum venerabili, & cum omni honorificentia nominandæ famulæ Dei, filiæ Probæ, Fulgentius ſeruorum Chriſti famulus, in Domino ſalutem. Epiſtolam ſanctitatis tuæ, cum tota cordis gratulatione ſuſcepi, non ſolum ſtudium boni operis, ſed etiam humilitatem cordis tui certis indiciis præferentem. Bene igitur, ſancta filia, in laudem Dei, non de bonis operibus ſuperbiæ vento extolleris, ſed ad implenda Domini præcepta, infirmam te, inualidamque teſtaris. Ita debet ſentire, quiſquis verbi Dei non auditor obliuioſus, ſed factor operis eſſe deſiderat, qui non hic ab hominibus recipere mercedem ſuam, ſed à Deo in die retributionis expectat, qui non in præſenti tempore inanis gloriæ vanitate raptatur, ſed ſancto igne diuini amoris accenditur. Hunc enim Chriſtus venit mittere in terram, vt omne ſuperbiæ germen exurat, & humiliato cordi feruore ſanctæ compunctionis iniiciat. Sic fit, vt in noſtris peccatis noſmetipſos veraciter accuſemus, & in bonis operibus noſtris Deum vera cordis humilitate laudemus: illi aſſignemus, quæ nobis eius pietas donat, nobis imputemus, in quibus eum noſtra infirmitas exacerbat.

Luc. 12.

CAPVT II.

ET quia frequenter à nobis offenditur, neceſſarium eſt, vt frequenti oratione, & iugi cordis compunctione mitigetur. Compunctio enim cordis excitat orationis affectum, oratio humilis diuinum promeretur auxilium, compunctio cordis vulnera ſua reſpicit, oratio verò medelam ſanitatis expoſcit. Et ad hæc quis idoneus? Quis enim vel orare competenter valeat, niſi medicus ipſe nobis initium deſiderij ſpiritalis infundat, aut quis perſeuerare in oratione queat, niſi Deus in nobis hoc quod cœpit augeat, quod ſeminauit enutriat, & quod miſericordia præcedente gratis donauit indignis, ad effectum perfectum, miſericordia ſubſequente perducat. Sic enim à nobis poterit boni operis meritum non perire, ſi Deus auctor atque adiutor ſemper glorificetur in opere, nec putemus, ſic eum auctorem boni operis * æſtimandum, tanquam in ipſo tantum creationis exordio ſic Deus naturæ humanæ boni operis facultatem dederit, vt ipſius adiutorio deſiſtente, ſola per ſeipſa poſſit humana natura

Oratio & cordis compunctio à Deo, vt infundat, expoſcenda.

Quomodo Deus eſt auctor boni operis noſtri.

* exiſtimandum.

natura quodcunque bonum velle seu facere, cum hoc nec in ipso primo homine potuerit sola implere conatu proprio, quando necdum fuit vitiata peccato. Quomodo ergo infirma, sine iuuamine medici sospitatem suam reparare potuerit? quæ dum sana esset, sospitatem suam custodire nequiuit. Non ergo glorietur terra,& cinis, quia in vita sua proiecit intima sua: nec vulneratus, de hoc, quod in se sanum existimat, tanquam sanus exultet, sed suotum vulnerum putredinem compuncti cordis humilitate consideret, vt clamans cum Propheta (*Computruerunt & deteriorata sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ*:) possit medelam, non suo merito, sed gratuito munere diuinæ pietatis accipere. *Quid enim habet homo, quod non accepit? Si autem accepit, quid gloriatur, quasi non acceperit.* Solus igitur Deus potest omnibus, quibus voluerit dare, vnde vera salus acquiri possit: & ideo solus potest in accipiente custodire, quod dederit: *Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam.* Ille itaque non patietur furtiuum nequissimi prædonis ingressum, cui non defuerit Domini vigilantis auxilium: *ipse enim non dormitabit, neque obdormiet, qui custodit Israël.*

Psal.36. 1.Cor.4. Psal.126. Psal.120.

CAPVT III.

In hac vita semper proficere debemus.

SIcut autem, qui ad patriam tendit, donec perueniat, semper habet vbi ambulet, sic etiam nos quamdiu in hoc mortali corpore constituti peregrinamur à Domino, præsens vita nobis est via, in qua semper habemus vbi possimus perficere, donec Deo perducente, ad illam valemus beatæ immortalitatis æternam patriam peruenire. Magnæ igitur beatitudinis est,* sic in præsēti viuere sæculo, vt profectui spiritali omnis fidelis operam det, nec tamen hoc suis aliquando viribus superbus assignet, sed humili corde à Deo poscat, iugem custodiam accepti muneris, à quo emanat totius bonæ, non tantum principium, sed etiam perfectio voluntatis. Neque enim Iacobi Apostoli prædicatio, aliqua potest argumentatione cassari, dicens: *Omne datum optimum, & omne donū perfectū de sursum est, descendens à patre luminum*, nec quisquam hominum, siue ad cogitandum, siue ad operandum quodcunque bonum, potest esse idoneus, nisi fuerit munere gratuito diuinæ opitulationis adiutus: *Deus est enim qui operatur in suis & velle, & perficere pro bona volūtate*, sicut Vas electionis affirmat; quo etiam docente cognouimus, *quia non sumus idonei cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*: ille igitur nobis omnem sufficientiam subministrat, cuius non minuitur plenitudo cum donat, qui nobis omne bonum benigne largitur, vt habeamus, & in seipso sine diminutione permanet plenus: quod nec Angelica potest, nec humana præstare natura. Ac sic nulla, licet spiritalis, tamen creata substantia, quia omne quod creatum est, sicut antequam crearetur, non fuit, sic antequam acciperet, habere nō potuit. Et sicut subsistere non potest sine illius operatione qui fecit, sic bonum non potest velle seu facere, nisi Deus dignetur iugiter adiuuare. Ab ipso namque est initium bonæ voluntatis, ab ipso facultas boni operis, ab ipso perseuerantia bonæ conuersationis, ab ipso datur in præsenti sæculo vera cordis humilitas, & in futuro retributionis æternæ fœlicitas, vt ipsi sint sine fine fœlices, qui nunc sine fictione sunt humiles, nec se inflatione vana seducunt, in qua sic non potest esse bonis plena securitas, vt tunc facilius aduersitas subrepat, cum se prosperitas fraudulenter ostendat.

*Sic in præsenti.

Non potest homo ex se absque Dei gratia quicquam boni operari, ne velle quidē.

Philip.2. 1.Cor.3.

CAPVT IV.

NEc est aliquod huius vitæ tempus, in quo non hominibus muscipulam tendat inimicus, cuius laqueos nemo potest propriis viribus euadere, nisi quem Deus gratia sua per Iesum Christum Dominum nostrum dignatus fuerit liberare. Ideo Vas electionis, cum captiuari se in lege peccati sentiret, exclamat, dicens: *Infelix homo ego, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominū nostrum.* Propterea etiam Propheta, non sua virtute, sed diuino munere, pedes suos è laqueo prædicat euellendos, dicens: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.* Et alio loco, ex personis sanctorum, quos de huius sæculi laqueo liberatos, ad æternam dignatus est Dominus securitatem lætitiamque transferre, sic dicitur: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus.*

Laqueos diaboli per se absque Dei gratia nullus euadere potest.

Psal.122. Psal.122.

CAPVT V.

VErumtamen, vt suam animam vnusquisque nostrū inter aduersitates, & laqueos inimici versari cognoscat, nec in hoc sæculo noxia vnquam securitate to pescat, idem propheta dicit: *Tota die contristatus ingrediebar. Quoniam anima mea impleta est illusionibus, & non est sanitas in carne mea.* Quid est autem: *Tota die contristatus ingredi, nisi totius huius vitæ tempore, peccatorum recordatione tristari.* In quo enim anima illusionibus impletur, nisi cū concupiscētiarū carnalium frequenti tentatione concutitur? Quibus etsi consensione non cedit, fatigatione lassescit. Quamuis enim subinde suis Dominus in certamine, ne deficiant, adiutorium tribuat, permittitur tamen fatigari propriæ infirmitatis onere prægrauata mortalitas, sed cum in seipsa nullum virtutis inuenit firmamentum, ad poscendum diuinæ pietatis cito recurrat auxilium. Hic ergò tunc aduersarium vincimus, si lachrymis, & orationibus, & continua cordis humilitate pugnemus. Scriptum est autem, *quia oratio humiliū nubes penetrat, & nō elongat Dominus, donec exaudiat.* Humilium ergo fletus magnus est concupiscentiæ carnalis interitus. Lachrymæ, quæ ex compunctione cordis veniunt, & inimicum vincunt, & nobis donum lætitiæ triumphalis acquirunt. Qui enim *euntes eunt, & flent, mittentes semina sua, ipsi venientes veniunt in exultatione portantes manipulos suos.* Quam bene autem sanctus Propheta semina bonorum operum riganda docet flumine lachrymarum. Omnia etenim semina non germinant, nisi fuerint irrigata, nec de semine procedit fructus, si fuerit aquarum iuuamine destitutus. Proinde nos quoque, si volumus fructus nostrorum seminum capere, non desinamus semina nostra lachrymis irrigare, quæ magis corde sunt fundendæ quam corpore. Ideo namque nobis dicitur per prophetam, vt *scindamus nostra corda, & non vestimenta nostra*; quod tunc facere possumus, cum scilicet recordamur nosmetipsos, etsi non in opere, saltem in cogitatione frequenter delinquere. Quia *terrena inhabitatio sensum multa cogitantem deprimit*; terra nostra germinare spinas nobis, & tribulos non quiescit, nec possumus peruenire ad esum panis nostri, nisi fuerimus sudore vultus & fatigatione confecti.

Tota die cōtristatus ingrediebar. Psal.37.

Eccl 35.

Psal.125. Euntes ibant & flebant mittentes semina sua.

Ioel.2.

Sap 9.

CAPVT VI.

FAtigamur enim sudoribus, dum propriis cupiditatibus repugnamus, in quibus vincendis, idcirco maior est certaminis difficultas, quia nō extrinsecus ex altero, seu intrinsecus ex seipso certanti homini concu

Fatigatio nostra in resistendo cōcupiscentiis.


concupiſcentiæ carnalis generatur aduerſitas, quæ fatigationem ingerit humanæ imbecillitati, dum naſcitur, quamuis diuinæ virtutis opitulatione vincatur. (Gal. 5.) *Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem.* Hæc enim inuicem aduerſantur, vt non quæcumque volumus, illa faciamus. Hinc eſt, quod nondum Deo ſumus omnino ſubiecti, quia ex nobis naſcitur, quod diuinæ renititur iuſſioni. Nam licet ex gratia Dei ſit voluntas nobis bona quæ nos Deo reddat humiles, non nobis tamen deeſt prauæ cupiditatis exortus, qui nos faciat contumaces. Per Dei ergo gratiam ſumus iam Deo ex parte ſubiecti, per culpam verò noſtram ſumus adhuc ex parte non ſubditi. Propter quod ad Hebræos dicitur (Heb. 2.) necdum omnia Chriſto eſſe ſubiecta. Sic enim ait: *In eo enim quod ei ſubiecit omnia, nihil dimiſit non ſubiectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia ſubiecta ei.* Subiecti ſimus igitur Deo, ex eo quod ipſo in nobis operante condelectamur legi Dei ſecundum interiorem hominem. Necdum autem ſumus ſubiecti, ex eo quod videmus aliam legem in membris noſtris repugnantem legi mentis noſtræ, & captiuantem nos in lege peccati, quæ eſt in membris noſtris. Subiecti ſumus Deo, quia ipſius miſeratione eripimur à tentatione, ipſi enim cantamus: (Pſal. 18.) *A te eripiar à tentatione*, ſed necdum ſumus omnino ſubiecti, (Iob 8.) *quia tentatio eſt vita hominis ſuper terram.* Subiecti ſumus Deo, in quo greſſus noſtros dirigit ſecundum verbum ſuum, vt non dominetur nobis omnis iniquitas, ſed necdum ſumus omnino ſubiecti, quia in multis offendimus omnes. Subiecti ſumus, in quantum ipſo donante, (2. Cor. 10.) *in carne ambulantes, non ſecundum carnem militamus*, ſed necdum ſumus omnino ſubiecti, *quia etſi habemus ex dono Dei, vt mente ſeruiamus legi Dei*, habemus tamen ex reliquiis peccati, *vt carne ſeruiamus legi peccati*, propter quod Apoſtolus dicit: (Rom. 7.) *Igitur ipſe ego mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati.* Omnis enim qui nunc iuſte viuit carne, quid ſeruit legi peccati, dum in ſe naſci carnalem concupiſcentiam ſentit: mente autem ſeruit legi Dei, quia eidem carnali concupiſcentiæ non conſentit. Carne ſeruimus legi peccati, dum filij Babylonis naſcentes inquietant animam noſtram, ſed mente ſeruimus legi Dei cum iidem paruuli Babylonis eliduntur ad petram. (Paruuli eliduntur ad petram.) Babylon enim confuſio interpretatur, cuius filia eſt omnis carnalis cupiditas, quam cordis confuſio generat. Quamdiu autem in corpore peregrinamur à Domino, partus ſuos nobis ingerit iſta confuſio. Ex ipſa quippe confuſione omnis praua cogitatio naſcitur, quæ paruula tunc ad petram eliditur, dum celer recordatione atque opitulatione Chriſti ſuperata calcatur.

CAPVT VII.

IGitur licet habeamus, vnde gratias agere Deo debeamus, quia nos ſibi gratuita miſeratione ſubiecit, vt humiles ſimus, habemus tamen vnde continuis precibus diuinas aures pulſare debeamus, (Et gratias agere, & continuas preces effundere Deo debemus.) quia quamdiu in hoc mortali corpore ſumus, ſicut non poſſumus ſine peccato eſſe, ſic necdum valemus perfectam humilitatem diuinis iuſſionibus exhibere. Propter quod agendæ quidem ſunt gratiæ Deo, in quantum nobis donat, vt bene operemur, ne muneribus eius exiſtamus ingrati; & danda eſt opera, vt ad meliora proficiamus, ne mortiferam incidamus in ſuperbiam, ſi conuerſationem noſtram putemus ex omni parte perfectam.

CAPVT VIII.

PRoinde gemamus, & fleamus coram Domino, (In hac vita fleamus, vt in patria ſimus quieti.) qui fecit nos, vt à concupiſcentia carnis, & à concupiſcentia oculorum, & ſuperbia ſæculi, quæ non eſt ex patre, ſed ex mundo eſt, liberet nos, & ad illam nos ſubiectionem perducat, in qua nobis nihil repugnet ex mortalitatis vitio, ſed ex immortalitatis dono totum quicquid in nobis eſt fiat ſubditum Deo. (Qualis in cælo beatitudo.) Tunc enim erit in nobis vera, perfecta, & excelſa humilitas, dum & in carne, & in mente noſtra, nulla remanſerit praua cupiditas, nec cogitationibus fatigabitur ſpiritus, nec laboribus macerabitur corpus, nulla erit ſolicitudo certaminis, ſed perfecta erit ſecuritas pacis: nulla nobis erit iuſtitiæ indigentia, ſed cum delectatione ſaturitas plena. Ibi erimus enim perfecta celſitudine beati, qua perfecta erimus Deo carni, & ſpiritus humilitate ſubiecti. Ibi nec minor erit laudatione noſtra dilectio, nec inferior dilectione laudatio. Erit enim plena noſtra laudatio, quia tunc in nobis erit Dei proximique perfecta dilectio. Tunc laudabimus, & habebimus, tunc habebimus, & amabimus, tunc ſatiabimur cum dilectione, & delectabimur cum ſatietate.



BEATI FVLGENTII
Epiſtola quinta, ad Eugypium Abbatem, de charitate & eius dilectione.

(Dulcedo ex lectione litterarum inexplicabilis.)



DOMINO Beatiſſimo, & plurimùm venerabili, ac toto charitatis affectu deſiderabili, ſancto fratri & compresbytero Eugypio, Fulgentius, ſeruorum Chriſti famulus, in Domino ſalutem. Vtinam ſancte frater, tanta meo facultas ſuffragaretur eloquio, vt ad explicandam ſpiritalem, quam ex tuarum literarum lectione percepi dulcedinem verba ſufficiētia reperirem, quod dū volo, nec valeo, mirum mihi aliquid eueniſſe cognoſco, videns gaudiū, quod ex tuis ſermonibus ſumpſi, non poſſe meis ſermonibus explicare. Nempe quod mihi ſcripſiſti, poſtquam cogitatione inuētum diſpoſitumque eſt, ſic in literas digeſſiſti, vt aut ipſe manu ſcriberes, aut ore dictares. Vnde igitur factum eſt, vt os meum dilectionem dictando parere non poſſit, quam cor meum ex tui oris dictatione concepit: quæ eſt inops opulentia, vel opulenta inopia, vt eo minus mihi ſermo ſufficiat, quo me magis affectus inſtigat? Et quod ideo loquor, quia delector, minus eloquar quam delector. Quid rogo eſt hoc, quod eloquio ſignificare volo, nec valeo?

Nimirum est, quod sic corporali eloquio stilóque significatur, vt tamen non corporaliter, sed spiritaliter habeatur. In spiritualibus autem donis primus fructus est charitas. Vnde non inordinatè eam Vas electionis ita posuit, *fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, & cætera.* Alio quoque loco, præcipuum quiddam cælestium voluit significare charismatum, cum diceret: *Quia charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Hæc charitas, quam Spiritus sancti dono, cum indigni essemus, accepimus, tam bona, tam sancta, tam immensa est, vt etiam eam qui habet in corde, nunquam possit sermonibus explicare. O qualis charitas, multum miranda, multum laudanda, multumque diligenda! Verumtamen non omnes, qui charitatem mirantur & laudant, statim diligunt charitatem, & ideo, nisi eam quisque diligat, nihil ei proderit, quod eam miratur & laudat. Tunc autem fructuosa est admiratio charitatis, & laudatio, si non desit in admirante atque laudante dilectio. Sed nunquid sicut eam possunt admirari atque laudare, qui eam non habent, ita possunt eam diligere, qui eam necdum habent? nequaquam, Charitas quippe ipsa est dilectio. Quomodo autem dilectionem iam diligit, qui dilectionem habere non cœpit? Nam ecce multa visu corporeo videmus, vbi non hoc est ipse visus, quod est illud quod eo videmus, quia illud est sensus quo videmus, illud autem sensibile, quod videmus; & cum illud, quod videtur, ab oculis tollitur, si sanitas inest oculis, sic illud quod videbatur, à sensu videntis aufertur, vt ipse sensus à vidente nullatenus auferatur. Ita fit, vt videndi sensus in homine maneat, quamuis ab eo quod videbatur visus ipse discedat. At cum charitas diligitur, quia non nisi dilectione diligitur, non potest homo tanquam oculum corporis à quacumque re visibili: sic à charitate intentionem auertere dilectionis, vt possit & charitatem non diligere, & dilectionem habere. Charitas quippe, id est, dilectio, nullatenus diligitur, nisi dilectio habeatur, qua ipsa dilectio diligatur. A seipsa igitur dilectio diligitur, quia tunc diligitur, cum habetur, nec diligitur nisi habeatur. Equidem potest diligi à nobis etiam cum petimus, vt augeatur in nobis, sed non diligit eius augmentum, qui non habet initium. Non ergo sic charitas diligitur, sicut nummus aut aliquid eiusmodi, potest enim quisquam vnum non habere nummum, & multitudinem diligere, ac desiderare nummorum. Diligit ergo iste nummorum multitudinem, cum ne vnius quidem nummi habeat facultatem, apud se vnum nummum non inuenit, & foris nummos innumerabiles quærit. Hoc & in cæteris rebus corporis inuenimus, vt aliquid eorum possit diligi, ita vt hoc ipsum quod diligitur, nulla ex parte habeatur. Est tale quiddam & in plerisque spiritalibus donis: velut, si quis diligat (verbi gratia) vt habeat prophetandi donum, quod nullus negat, inter dona spiritalia literis Apostolicis contineri: alij quippe datur per spiritum sermo sapientiæ, sicut Vas electionis affirmat: alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij prophetia, alij diiudicatio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Cum igitur, vt de cæteris taceamus spiritalibus donis, possit diligi prophetia nec haberi, charitas tamen non habetur, si non diligatur; nec diligitur, si non habeatur. Ideò cætera sancti Spiritus dona, id est, linguæ, prophetia, Sacramentorum scientia, fides, facultatum in pauperes distributio, corporis quoque ipsius exustio, possunt hæc haberi sine voluntate bona, ad hoc scilicet vt habentem onerent, non honorent. Charitas verò sine bona voluntate non potest haberi, quia voluntatem, in qua charitas fuerit, malam fieri non permittit: *charitas* enim *nec agit perperam, nec cogitat malum*; & quia non gaudet super iniquitate, necesse est, vt in qua est bonam faciat voluntatem. Maleuolus ergo animus non impendit charitatem alteri, quia non habet sibi: cum autem cœperit habere exordium, vt ita dixerim, charitatis, nec maleuolus potest esse, nec sterilis. Et quia donec permanet in charitate, in Deo permanet, & Deus in illo manet, semper habebit, si eam semper impenderit, quando autem eam non impenderit, non habebit. Proprium est enim charitatis, quod ad cursum præsentis attinet vitæ, vt in eo qui eam erogat, crescat, ab eo autem qui sibi tantum habere voluerit, sine dilatione discedat. Ille igitur eam magis habebit, qui libenter impenderit: quia sicut eam nec impendere potest, nec habere maleuolus, sic nec habet eam quisquam, nec impendit inuitus. Homo ergo beneuolus est domicilium charitatis. Hoc autem nomen, id est, beneuolus, ex bene & velle compositum est: si ergo alteri quisquam male velit, in quatum male vult, beneuolus non est, ac per hoc maleuolus est, *in maleuolam* autem *animam non introibit sapientia*, maleuolus autem homo ille proprie dicitur, non omnis qui vel sibi, vel alteri contrarium aliquid cupit, aut poscit, sed qui nocendi voluntatem gerit, siue bonum, siue malum possit esse quod cupit. Voluntas autem bona, vel noxia, non ex officio, sed ex fine rei est cuiusquam pensanda, quia non ex eo quod facit, sed ex eo propter quod facit, qualitatem suæ quisque voluntatis ostendit. Nam & Paulus contrarium sibi aliquid volebat, cum posceret, vt ab eo stimulus auferretur, quem salubriter aduersus vitium elationis acceperat, nec tamen habuit maleuolam mentem, quamuis vtilitati suæ contrariam gereret voluntatem. Vt enim à se stimulum, quo colaphisabatur, rogaret auferri, salutem corporis sui plus volebat prædicationi prodesse quam sibi, non quærens quod sibi vtile esset, sed quod multis, vt salui fierent. Illis ergo volebat prodesse sospitatem suam, quibus suam prodesse sciebat & vitam. Denique cum desiderium haberet dissolui, & esse cum Christo, quod esset multò melius, sciebat tamen manere in carne, necessarium esse, propter illos, in quibus Apostolatus ministrabat officium. Charitas ergo eum Christi vrgebat; siue cum à se stimulum rogaret auferri, siue cum in carne, quamuis aliud desiderans, cuperet immorari: coarctabatur enim latitudine charitatis, vt & cum Christo desideraret esse, & officium vellet piæ necessitatis implere: charitatem igitur vtrobique dilexit, quam semper bona voluntate * sperauit. Quisquis itaque secundum charitatem (quæ Deus est) diligit fratrem, ipsam in eo quam maxime diligit charitatem. Ideò cum Saluator noster Apostolos suos nouo dignaretur innouare mandato, dicens: *Mandatum nouum do vobis, vt inuicem diligatis*, iubens per se fraternitatem diligi, ipse quoque charitatem fraternitatis, per Apostolum Paulum præcepit diligendam; Christo enim in se loquente, gentium Magister vult nos dilectionem habere sine simulatione, odientes malum, adhærentes bono, charitatem fraternitatis inuicem diligentes. Hinc est, quod in vndecimo confessionum libro egregius ille doctor, beatus scilicet Augustinus, cum Deo amorem suum, quem vt eum dilligeret, ab ipso acceperat, confitetur, ait: iam dixi & dicam, amore amoris tui facio istud. Psalmum quoque-

Charitas primus fructus spiritalium donorum. Gal.5. Rom.5.

Charitatem non diligit qui ex ea non habet.

Non diligitur charitas sicut pecunia.

Non diligitur charitas sicut alia dona spiritus.

Cætera dona sine bona voluntate haberi possunt; charitas nequaquam. 1 Cor.13.

Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

Sap.1.

Voluntas bona, non ex officio, sed ex fine est.

1.Cor.12.

* Spirauit.

In dilectione proximi diligitur & charitas. Ioan.13.

Rom.12.

D.Aug. lib 11.c 1.

Idem in Pſal. 118. Conc. 8.

que centeſimum, duodeuigeſimumque exponens, cum illius loci intelligentiam explanaret, vbi dicitur: Incola ego ſum in terra, ne abſcondas à me mandata tua, poſt aliqua ſic ait: Quid autem diligendum diligitur, ſi ipſa dilectio non diligatur? Vnde conſequenter iſte incola in terra, cùm Dei mandata, ne abſconderentur, oraſſet, in quibus dilectio præcipitur, vel ſola, vel maximè, & ipſius dilectionis dilectionem ſe velle habere proclamat, dicens: Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore. Nonne tibi videtur apertè propheticis atque Apoſtolicis dictis tracta beati Auguſtini de diligentia dilectione ſententia? Quocirca dilectio Dei & proximi, quæ plenitudo legis, finiſque præcepti eſt, & in Deo charitatem diligit, quæ Deus eſt, & in proximo charitatem diligit, quæ ex Deo eſt: tunc enim rectè Deus proximúſque diligitur, ſi & in Deo, & in proximo ipſa charitas diligatur. Ita fit, vt & in Deo ipſum Deum, & in proximo Deum ſine dubio diligamus. Neque enim fruſtra poſt dilectionem Dei, non alia niſi proximi ſola nobis eſt mandata dilectio, ſcilicet vt agnoſcamus, illam creaturam nos debere diligere, vbi charitatem ipſam poſſumus inuenire: omne namque animal irrationale, ſicut non habet rationem, ſic non habet charitatem: nec aliud mihi videtur eſſe ratio præcipua, quam competens atque ordinata dilectio, quæ ab homine ſoli Deo debetur ex proximo. Vide ſancte frater, quàm prolixum tecum conſerui de charitate

Pſal. 117.

Dilectio Dei & proximi ex vera charitate.

Concluſio libri, vt ex charitate pro nobis inuicem oremus:

ſermonem, dum nimis in te ipſam diligo charitatem; quam vtique ipſe quoque in nobis diligis. Nec ob aliud, niſi quia hanc in nobis ſic amas; qua dono Dei plenus es, vt etiam quos diligis, ſimiliter plenos eſſe deſideres. Hoc ergo ſupereſt, vt quia nos purè diligis, inſtanter pro nobis orare digneris, vt Deus qui nos prior dilexit, & dedit nobis charitatem, qua diligatur à nobis, ſicut non habentibus, ipſe eam gratia præueniente largitur, ſic in nobis omnes reliquias mundanæ cupiditatis abſumat, & nos ſpiritu ſeruientes in charitate perficiat, illiúſque nos faciat beatitudinis compotes, in qua ſicut nulla eſt delectatio praua, ſic nulla mors timetur ex pœna; vbi nihil quiſquam carnis fragilitate perpetitur, ſed ab omnibus ſanctis in Dei & proximi perfecta ſemper charitate regnatur. Orantem pro nobis ſanctitatem tuam, clementia diuina cuſtodiat, quod opto Domine ſancte, ac beatiſſime frater. Dominus Laurentius ſanctitatem tuam toto ſalutat puritatis, & plenæ rationis affectu: benedictionem à vobis directam, tota cum exultatione ſuſcepi. Libros ſicut præcepiſti, ad Monimum datos, in quaternionibus deſtinaui, in quibus, ſi aliquid placuerit, vtinam veritatis, & non ſolùm amoris eſſe cognoſcam. Hi ſunt igitur meæ paruitatis oblatio, quam vobis faciet puritas veſtri cordis acceptam. Suggeſtione fratris communis accepta, quæſo, vt adiutrix adſit veſtræ charitatis induſtria. Obſecro, vt libros, quos opus habemus, ſerui tui deſcribant de codicibus veſtris.



BEATI FVLGENTII Epiſtola ſexta, ad Theodorum Senatorem, de conuerſione à ſæculo.

CAPVT I.

Occaſio reſcribendæ epiſtolæ ex amicis.



DOMINO illuſtri, & merito inſigni, ac præſtantiſſimo filio Theodoro, Fulgentius ſeruorum Chriſti famulus, in Domino ſalutem. Vt ignotus corpore videar epiſtolari ibi meam notitiam inferre ſermone, quæſo ne impudentiæ deputes, neve importunitati opus charitatis adſignes. Ad ſcribendum namque primum ſancti fratris Romuli dulcis epiſtola: deinde fratrum exinde venientium, qui à vobis in Domino benignè ſuſcepti ſunt, eò me magis ſuaſio compulit, quò veſtri ſpiritalis propoſiti cognitio libentius inuitauit. Retulerunt quippe quod Chriſti compulſus affectu, noſtri nominis in colloquio benignè feceris mentionem, dicens te noſtra epiſtola delectari: libens igitur feci, quod te velle libenter agnoui, malens incultus videri ſemone, quam eſſe frigidus charitate, Domine illuſtris, & merito inſignis ac præſtantiſſime fili.

CAPVT II.

Verus triumphus ex contemptu mundi de diabolo.

ITaque multum gaudeo, quod iam ſæcularis dilectionis nexibus non teneris, & mundum contemnendo calcas, à quo cum eum diligeres, calcabatis. Nunc vero conſulatu proueheris, nunc fœlici triumpho certiſſimè ſublimaris, non cui populus Romanus applaudat, ſed cui angelicus cœtus adgaudeat. Beatus es, quia hoc non caro & ſanguis reuelauit tibi, ſed ille pater qui eſt in cœlis, inter quos cœlos & tu factus es cœlum. Quantum putas ineſſe luctum diabolo, quod à te contemptum perſpicit mundum, & te conuerſum cognoſcit ad Chriſtum: quod te videt ea, in quibus videris eſſe, deſerere, & ab amore temporalium, terrenarumque rerum, ad illa cœleſtia & æterna iam corde migrare? Quamuis enim Chriſtus æqualiter ſit pro cunctis fidelibus mortuus, & æquale cunctis beneficium redemptionis impenderit, dicente Apoſtolo: *Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis: non eſt ſeruus neque liber, non eſt maſculus neque fœmina; omnes enim vos vnum eſtis in Chriſto Ieſu*: tamen conuerſio potentium ſæculi multum militat acquiſitionibus Chriſti. Gal. 3.

CAPVT III.

Exempla optimatum trahunt ſe multitudinem.

SIcut enim multi fratres & amici, clientes & ſubditi, noti pariter & ignoti, talium authoritate, ad mundanæ dilectionis excitantur ardorem, & eo magis igne ſæcularis concupiſcentiæ ſuccenduntur, quo ſublimes ſæculi dilectione

ne mundana libenter captiuos teneri conspiciunt; ita quoties ille, qui respicit in terram, & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigabunt, dum terrenis rebus intenta corda misericorditer respicit, & consideratione iudicij sui tremere compellit, dumque contingit superba corda sublimium, velut altitudines montium, vt confessione fumigent peccatorum. In talium tremore plurimi contremiscunt, & in talium conuersione multi ad subsidium miserationis diuinæ confugiunt. Ita fit, vt qui sunt in sæculi culmine constituti, aut plurimos secum perdant, aut secum multos in via salutis acquirant. Magna tales, aut pœna manet, si multis præbeant malæ imitationis laqueum, aut gloria, si multis ostendant sanctæ conuersationis exemplum.

CAPVT IV.

Vtile exemplum ex conuersione malorum.

QVis enim non paruam despiciat cellam, quando senator domum despicit marmoratam? Quis non terrena contemnens ad acquirenda cœlestia sibi consulat, quando ad cœlum Romanus consul, terrenorum contemptu festinat? Verè in te illud, quod Propheta cecinit, opere videmus impleri: *Hæc est mutatio dexteræ excelsi.* Quis enim in te hoc operari potuit, nisi ille, qui ordinem mutabilium rerum, secundum incommutabile nouit regere ac dispensare consilium? Quis vt singula pro opportunitate temporum, pro varietate causarum, vel in deterius, vel in melius commutentur, illius incommutabili consilio fit, qui nec melioribus rebus, nec deterioribus commutatur. Neque enim habet vbi proficiat ipse in melius, vnde in deterius deficiat: ille quod est, semper est, & sicut est, ita est, non in se habet non esse posse quod est, quia nec in se habet esse posse quod non est. Et hoc quod sic est, non initio præuenitur, non fine concluditur, non temporibus voluitur, non locis continetur, non ætatibus variatur. Nihil ibi deest, quia totum in illo est: nihil ibi superest, quia nihil præter illum est. Si qui ergo rerum temporalium & mutabilium amore contempto, in illius dilectionem transeunt, in ipso erunt pleni, in quo nihil indigetur; in eo securi, in quo nihil metuitur; in eo vere semperque gloriosi, cuius vera & sempiterna gloria nec aufertur, nec minuitur, nec augetur. Quis non illius vitæ desiderio, præsentem vitam despiciat? quis non illius abundantiæ delectamento, diuitias temporis labentis exhorreat? quis non illius regni delectatione, omnia terrena regna cōtemnat? Illam ergo vitam tunc accipiemus, si huic nos vitæ mortuos æstimemus, & illas diuitias tunc possidebimus, si hic pauperes spiritu viuamus, & ad illius regni culmen tunc perueniemus, si hic humilitatem, quam Deus ille Magister docuit, vero corde teneamus.

Psalm. 76.

Qualis vita æterna.

CAPVT V.

Beati mortui, pauperes & humiles in hoc sæculo.
Coloss. 3.
Matth. 5.
Luc. 14.

TAlibus mortuis dicit beatus Apostolus: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria.* De talibus etiam pauperibus ipse Dominus loquitur, dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnū cœlorum.* De talibus quoque humilibus dicit: *Quoniam qui se humiliauerit, exaltabitur.* Et alio loco: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Hanc humilitatem non habent, siue qui mundum diligunt, seu qui suis viribus assignant, cum ea quæ sunt in mūdo, contēnunt.

CAPVT VI.

Qui in abundantia diuitiarum suarum gloriantur.

HÆc duo superbiæ genera, vno versiculo Spiritus sanctus designauit in Psalmo, dicente Dauid: *Qui confidunt in virtute, quique in abundantia diuitiarum suarum gloriantur.* In abundantia enim diuitiarum suarum gloriantur, qui sic diuitias suas diligunt, vt in ipsis summam beatitudinis collocent: in sua verò virtute confidunt, qui sic contemnunt diuitias, vt ipsum contemptum viribus suis assignent, ac per hoc vtrique superbi sunt, illi quia in diuitiis confidunt, non in Deo: illi autem, quia quod diuitias spernunt, sibi volunt assignare, non Deo: illi, quia quod bene diligi non potest, malè diligunt: isti, quia quod bene sperni potest, non bene spernunt: ac per hoc, illi malum malè faciunt: isti bonum malè operantur. Proinde quoniam Domino in te misericorditer operante iam didicisti, in abundantia diuitiarum tuarum non gloriari, hoc superest, vt non confidas in virtute tua, id est, ne deputes viribus tuis, quòd sæculi facultates diuitiásq; contemnis, quòd honores mundi pro nihilo ducis, quòd desiderio regni cœlestis accenderis, quod viam mandatorum Dei currere delectaris. Hæc enim omnia nullatenus haberes, nisi à Deo munere gratuitæ donationis acciperes: non hoc homini dat natura, sed gratia: non hoc ex qualitate conditionis humanæ habetur, sed ex benignitate diuinæ illuminationis acquiritur. Homo quidem sic à Deo factus est, vt hæc habere possit, sed habere non potest, nisi dono Dei miserantis acceperit: nam & oculus sic factus est, vt videre lumen possit, sed videre non potest, nisi se illi lumen infuderit. Quod ergo videt oculus, beneficium est luminis, quo si caruerit, cæcus remanebit in tenebris. Non omne, quod aliquid esse potest, iam hoc est quod esse potest, cui naturaliter hoc est esse posse quod semper est. Hic autem vnus Deus ipsa Trinitas est, id est, pater & filius, & Spiritus sanctus, qui solus est omnium rerum creator, quia solus à nullo creatus est. Omnia verò, quoniam ab illo creata sunt, non de illo, naturaliter & detrimento subiacent & cremento. Vt ergo quædam in deteriora non recidant, gratia eius gubernat; & vt quædam ad meliora conscendant, gratia ipsius eleuat: & vt in æternum permaneant, ipsa gratia viuificat & conseruat.

Ne superbiat homo de virtute sua.

CAPVT VII.

Gratia Dei semper poscenda, quia & velle, & perficere dat.

HVius gratiæ adiutorium semper est nobis à Deo poscendum, sed ne ipsum quod poscimus, nostris viribus assignemus: neque enim haberi potest ipse saltem orationis affectus, nisi diuinitus fuerit attributus. Vt ergo desideremus adiutorium gratiæ, hoc ipsum quoque opus est gratiæ: ipsa namque incipit infundi, vt incipiat posci; ipsa quoque amplius infunditur, cum poscentibus datur. Quis vero potest gratiam poscere, nisi velit? sed nisi in eo Deus ipsam voluntatem operetur, velle nullatenus poterit. Propter quod beatus Apostolus, non solùm bona opera hominum, sed etiam bonam voluntatem Deum in nobis operari testatur dicens: *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Hoc est, quod sollicitudinem fidelibus, humilitatémque commendans, promisit, dicens: *Cum timore & tremore vestram salutem operamini,* & ibi adiecit: *Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Vt ad eam quoque veniamus, currimus; & ideo currimus, quia currere volumus.

Philip. 2.

CAPVT

CAPVT VIII.


Non volentis, neque currentis, sed miserentis eſt Dei. Rom. 9.

SEd ne voluntatem, vel ipſum curſum aſſignemus viribus noſtris, idem nos informat Apoſtolus, dicens: *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Quocirca, vt in his bonis, quæ à Deo accepiſti, permaneas & proficias, vt nec in via remaneas, nec retro redeas, nec in dexteram ſiniſtramve diuertas, quicquid habes bonæ voluntatis, vel bonæ operationis, Deo aſſigna qui dedit, & ipſum humiliter roga, vt & conſeruet & augeat quod donauit. Nihil tibi boni tanquam tuum aſſignes, ne non accipias, quod accipere poteras, & quod acceperas, perdas: deteſtabilis eſt enim cordis humani ſuperbia qua facit homo, quod Deus in hominibus dānat: ſed illa deteſtabilior, qua ſibi tribuit homo quod Deus hominibus donat: tanto enim deterioris tenetur iſte ſuperbiæ reus, quanto in melioribus donis exiſtit ingratus. Damnabilis eſt, qui ſubſtantia ſæculi male vtitur, ſed damnabilior, qui ſpiritalibus donis ſuperbus effertur.

CAPVT IX.

Humilitas animi, ſublimitas eſt Chriſtiani.

CReſcat igitur in te humilitas animi, quæ vera eſt & integra ſublimitas Chriſtiani, & tanto magis in te cognoſce Dei gratiam creſcere, quanto magis tibi humilitatem cordis videris abundare, quam vt ſemper habeas, in qua vt ſemper proficias, cum timore & tremore tuam ſalutem operare, nec lectio deſit operibus bonis, nec bona opera deſint ſtudio lectionis. Bona coram Deo & hominibus prouide, in ſcripturis ſanctis ſtudium tui cordis impende & ibi ſi fueris, quis ſis, quique debeas eſſe cognoſce. Ad has, ſi humilis & mitis acceſſeris, ibi profectò inuenies, & præuenientem gratiam, qua poteſt eliſus ſurgere, & comitantem, qua viam recti queat itineris currere, & ſubſequentem, qua valeat ad regni cœleſtis beatitudinem peruenire. Sanctam multumque in Chriſto venerabilem matrem veſtram, quæ tuo ſpiritali ſtudio Chriſtiana fide, & verè materna charitate concordat; ſed & venerabilem ſororem, tibi iam in Chriſto coniugem tuam, obſecro, ſalutare digneris. Inſeparabilis Trinitas protectione vos virtutis ſuæ cuſtodiat, quod opto, Domine illuſtris fili.



SANCTI FVLGENTII Epiſtola Septima, ad Venantiam, de recta Pœnitentia, & futura tribulatione.

CAPVT I.

Prologus de arbore bona ferente bonos fructus. Ioan. 1.

DOMINÆ illuſtri, & merito venerabili, filiæ Venantiæ, Fulgentius ſeruorum Chriſti famulus, in Domino ſalutem. Sicut vera lux nullatenus obſcuratur, ita nunquam veritas æterna mentitur: lux autem & veritas Deus eſt, de quo ſcriptum eſt: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ipſa quoque lux & veritas dicit; *Ego ſum lux mundi.* Et rurſus de ſe ait: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Ipſius ergo doctrina monemur, *quia arbor bona bonos facit fructus, & quia ex fructibus arbor agnoſcitur*, in ipſo te, domina illuſtris & merito venerabilis filia, cum ſis ignota, iam ſcio: in ipſo tibi, cum ſis tam procul conſtitura congaudeo. Per epiſtolam ſiquidem clariſſimi filij mei Iunilli, propoſitum ſimul & ſtudium tuæ Chriſtianitatis agnoui, qui mihi gratiam, quam tibi largitus eſt Deus, in tantum ſignificare curauit, vt in ſuis literis tuæ quoque ſalutarionis mihi demonſtraret iudicium. Hoc procul dubio non feciſſes, niſi Chriſtum tota puritate mentis in ſuis famulis dilexiſſes, nec incognitum ſeruum, tam benignè in Domino ſalutares, niſi dominum pio corde geſtares. Gratias illi, qui multiplicat gaudium noſtrum de charitate fidelium.

Ioan. 14.

Matth. 7.

CAPVT II.

Bonum charitatis multiplex contra peccata.

IPſe eſt charitas, quæ credentes perducit ad Deum, quia ipſa charitas eſt Deus. Vnde Ioannes Apoſtolus dicit: *Deus charitas eſt; & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo manet. Hæc vbi habitare cœperit, non permittit damnari peccatum, ſed cooperit multitudinem peccatorum.* Nec ſolum præſentia peccata facit* vetari, quin etiam præterita omnia relaxari: hanc ſuperbi contumacéſque repudiant, qui peccatorum remiſſione deſperant: & non ſolum ſalutis ſuæ curam, miſeranda cæcitate reiiciunt, quin etiam fideles animas, ſi peruertere nequeunt, perturbare mortiferis ſermonibus non quieſcunt: his etenim plerumque, aut peccatorum immanitas, aut ætatis nequiter peractæ longæuitas ſpem ſalutis adimit, & ad deteriora perpetranda compellit, ita vt in talibus ſanctæ ſcripturæ ſententia compleatur. *Peccator cùm in profundum malorum venerit, contemnit. Et verè malorum profunditas necat, ſi quos deſperatio indulgentiæ deteſtanda cordis obduratione præiudicat.*

1. Ioan. 4.

* vitari.

Prou. 18.

CAPVT III.

QVis enim non videat, quàm ſit impium, quamque ſacrilegum, ſi homini per pœnitentiam præteritorum malorum ad bona conuerſo credatur cuiuſquam peccati dari non poſſe remiſſio? Quid autem aliud his verbis agitur, niſi vt omnipotentis medici manus, ſub humanæ ſalutis affectu, deſperationis vitio repellatur? ipſe quippe medicus ait: *Non indigent, qui ſani ſunt, medico, ſed qui malè habent.* Si peritus eſt medicus noſter, omnes poteſt infirmitates ſanare: ſi miſericors eſt Deus noſter, vniuerſa poteſt peccata dimittere. Non eſt perfecta bonitas, à qua non omnis malitia vincitur: nec eſt perfecta medicina, cui morbus aliquis incurabilis inuenitur, ſcriptum verò tenetur in literis ſacris; *Sapientiam autem vincit malitia*, & omnipotētia medici

Matth. 9. Nequaquam de Dei miſericordia deſperandum. Luc. 5. Sap. 7.

psal.102. dici nosti talibus in Psalmo sermonibus intimatur: *Benedic anima mea Dominum,& omnia interiora mea*
Esa.111. *nomen sanctum eius. Benedic anima mea Dominum,& noli obliuisci omnes tribulationes eius, qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes languores tuos, qui redimit de interitu vitam tuam: qui satiat in bonis desiderium tuum, qui coronat te in miseratione & misericordia, renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua.* Quid rogo nobis putemus remitti non posse, cum propitius sit Dominus omnibus iniquitatibus nostris? aut quid in nobis æstimamus sanari non posse, cum Dominus sanet omnes languores nostros? aut quomodo sanato & iustificato indigentiæ aliquid relinquit, cuius desiderium in nobis satiatur? vel quatenus plenæ remissionis beneficio potiri non creditur, cui etiam corona in miseratione & misericordia condonatur? Nemo igitur de medico desperans, in infirmitate remaneat; nemo misericordiam Dei minorans, in iniquitatibus contabescat.
Rom.5. Apostolus clamat: *Quia Christus pro impiis mortuus*
1.Tim.1. *est.* Ipse itidem dicit: *Quia Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores saluos facere.*

CAPVT IV.

Obiectio de non baptizatis. SEd forsitan dicitur, illos peccatores posse saluos fieri, qui post peccata merentur Baptismatis ablutione mundari, deinceps autem peccata, quæ videtur baptizatus admittere, irremissibilia permanere: nunquid non baptizatis loquebatur Ioannes
1.Ioan.1. Apostolus, quibus dicebat: *Filioli mei hæc scribo vobis, vt non peccetis: & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est exoratio pro peccatis nostris.* Qualecunque sit ergo peccatum, à Deo quidem potest remitti conuerso, sed ille sibi remitti non sinit, qui desperando, contra se indulgentiæ ostium clauserit. Cæterum veritas non mentitur, quæ dixit: *Quærite & inuenietis: petite, & accipietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui quærit, inuenit; & qui petit, accipit, & pulsanti aperietur.* Vnde & propheta sanctissimus Esaias ad remissionem peccatorum nullatenus desperandam, impios & iniquos hortatur, dicens: *Quærite Dominum, dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est. Derelinquat ergo impius viam suam, & vir iniquus cogitationem suam, & conuertatur ad Dominum, quia multus est ad ignoscendum.* Relinquat ergo impius viam suam, qua peccat: relinquat iniquus cogitationem suam, qua de peccatorum remissione desperat. Et secundum prophetæ dictum, *conuertatur ad Dominum, quia multus est ad ignoscendum.* In hoc multo nihil deest, in quo est omnipotens misericordia, & omnipotentia misericors est. Tanta est autem & benignitas omnipotentiæ, & omnipotentia benignitatis in Deo, vt nihil sit quod nolit, aut non possit relaxare conuerso.

(Quærite & inuenietis. Matth.7.) (Esai.59.) (Multus est ad ignoscendum Deus.)

CAPVT V.

Salubris conuersio in duobus consistit. SAlubris autem conuersio duplici ratione consistit, si nec pœnitentia sperantem, nec spes deserat pœnitentem, ac per hoc, si ex toto corde quisquam renunciet peccato suo, & toto corde spem ponat remissionis in Deo; etenim nonnunquam aut spem pœnitenti homini diabolus adimit, aut speranti pœnitentiam tollit, vnum dum onerat comprimit; alterum dum eleuat, deiicit. Iudas qui Christum tradidit, peccati sui pœnitentiam gessit, sed salutem perdidit, quia indulgentiam non sperauit. Denique sic de illo Euangelista loquitur: *Tunc videns Iudas qui eum tradidit, quia damnatus esset, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos? videris. Et proiectis argenteis in templo secessit, & abiens, laqueo se suspendit.* Dignè quidem pœnitentiam gessit, quia peccauit, tradens sanguinem iustum, sed ideo sibi fructum pœnitentiæ denegauit, quia peccatum traditionis suæ ipso, quem tradidit, diluendum sanguine non sperauit.

(Desperatio Iudæ, pœnitentia sine spe.)

CAPVT VI.

PLerosque sub * vna spe indulgentiæ in peccatis diabolus tenet, compellit eos Dei iustitiam non metuere, quos inaniter suadet de Dei bonitate gaudere. Tales dicunt secundum Apostoli obiurgationem: *Faciamus mala, vt veniant bona, quorum damnatio iusta est.* His indiciis euidenter agnoscimus, inaniter hominem pœnitere, si dum pœnitentia geritur, indulgentia desperatur, & frustra indulgentiam sperari sine peccatorum pœnitentia; ac per hoc, nec sub spe remissionis debet aliquis peccare securus, nec peccatorum suorum considerans multitudinem, remanere catena desperationis obstrictus. Hortatur enim nos scriptura sancta, vt peccare iam desinamus, nec desperemus nobis remittenda, quæ fecimus, dicit quippe: *Fili peccasti, ne adiicias iterum, sed & de præteritis deprecare, vt tibi dimittantur.* Vtrumque sancta scriptura præmonuit, & ostendit quod nec in peccato debeamus remanere, nec de remissione cuiuslibet iniquitatis ambigere. Cur enim iubetur, ne adiiciamus peccata peccatis, si est in peccato manendum? aut cui iubetur, vt de præteritis deprecemur, vt nobis dimittantur, si sunt aliqua, quæ deprecantibus dimitti nullatenus possunt? An forsitan temporum cuiquam potest prodesse longæuitas, vt sicut peracto tricennali spatio, nullus finitur legibus humanis ablata repetere, sic legibus diuinis, post longa peccandi spatia, non liceat indulgentiam postulare? Absit, vt hoc sit in Deo nostro, quod in litibus habet humana conditio. Deus etenim noster sic est misericors & bonus, sicut infinitus est & inuictus. Proinde bonitas inuicti non vincitur, & infiniti misericordia non finitur.

(* vana. Spes sine pœnitentia vana est præsumptio. Rom.3.) (Eccl.21.)

CAPVT VII.

DEnique omne vitæ præsentis tempus conuersioni demonstrat aptissimum, dicens: *Iniquus, si se conuertat ab omnibus iniquitatibus suis, quas fecit, & custodierit omnia mandata mea, & faciat iustitiam, & misericordiam, vita viuet, & nō morietur. Omnia delicta eius quæcumque fecit, nō erunt in memoria. In sua iustitia, quā fecit, habet. Nunquid voluntate volo mortē peccatoris, dicit dominus, quam vt auertatur de via sua mala, & viuere eum? Cū se autē auerterit iustu. à iustitia sua, & fecerit iniquitatē secūdū omnes iniquitates quas fecit ille iniquus, omnes iustitiæ eius, quas fecit, non erūt in memoria: in delicto suo, quo deliquit, & in peccatis suis, quibus peccauit, in ipsis morietur.* Et infra dicit: *In eo cū conuertat se iustus à sua iustitia, & faciat delictū, & moriatur in suo delicto quod fecit, in ipso morietur. Et in eo quod auertatur iniquus ab iniquitate sua quam fecit, & faciat iudicium & iustitiā, hic animam suā custodiuit, & auertit se ab omnibus iniquitatib. suis, quas fecit, vita viuet, & nō morietur.* Vtraque sententia vera est, quia vtraque diuina est, siue iustum, cùm auersus fuerit à iustitia sua, omnes iustitias eius obliuioni tradendas, siue iniquum, cum ab iniquitate fuerit conuersus ad iustitiam, ipsum saluandum, & omnes iniquitates eius in memoria non futuras. Iniquum verò est, si putemus iniquum quandoque conuersum, non posse saluari: *Iustus est Deus & misericors.* Sicut ergo potest per iustitiam damnare auersum, sic potest per misericordiam semper saluare conuersum. Nulla prolixitas temporis, vel æquitati diuinæ, vel pietati præiudicat. *Pœnitentia nunquam*

(Omne tempus præsentis vitæ conuersioni aptum est. Ezech. 18.)

quam est apud Deum sera, in cuius conspectu semper pro præsentibus habentur tam præterita quam futura. Si diuturnitas peccatorum Dei vinceret misericordiam, non in ætate mundi nouissima Christus veniret, vt peccatum mundi pereuntis auferret, de quo dicit Ioannes: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, & ipse Saluator de se: *Venit enim filius hominis quærere & saluare quod perierat.*

Ioan. 1. Luc. 19.

CAPVT VIII.

Samaritanus noster nunquam vulneratum ad stabulum misericorditer impositum iumento perduceret, si aliquod in eo vulnus insanabile iudicaret. Nunquam duobus denariis datis reddituram se quicquid supererogaret, stabulario spopondisset, si supererogationem illam non plenæ sanitati prænosceret profuturam. Vt quid enim stabularius aliquid supererogat, si est in saucio vulnus, quod curari non valeat. Sicut ergo medico nostro nulla est incurabilis plaga, ita nec in aliquo vulnere, nec in aliquo tempore, cœlestis potest deficere medicina. Ideo ipse medicus, semper se posse conuerso salutem donare testatur, dicens: *Dum conuersus fueris, & ingemueris, saluus eris.* Propter quod duritiam quorundam sic per Hieremiam Deus non desinit increpare: *Nunquid qui cadit non resurget, aut qui conuersus est, non reuertetur? Quare ergo auersus est populus iste in Hierusalem auersione contentiosa? Indurauerunt ceruices suas, noluerunt reuerti. Non punit Deus in peccatore peccata, si peccatoris ceruix non fuerit indurata.*

Luc. 20. Parabola de Samaritano & vulnerato.

Esa. 30. Secundùm Septuaginta. Hier. 8.

CAPVT IX.

Bonum nobis est igitur, si ad eius misericordiam confugiamus, cuius effugere iustitiam non valemus. Ipsa enim iustitia Dei talis est, vt auersos damnet, conuersos saluet. Propter quod dicit: *Conuertimini ad me, & saluabo vos:* semper autem delectatur conuersione nostra, nec tempus huiusmodi, quamdiu in hac vita est, posuit, quo propitiari conuerso non possit: immo tempus omne præsentis vitæ conuersioni nostræ cognoscitur deputasse. Beatus enim Petrus dicit: *Non tradat Dominus promissum suum, sicut quidam tarditatem existimant, sed patienter fert propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti.*

Iustitia Dei conuersos saluat, auersos damnat. Esai. 54.

CAPVT X.

Si aliquam ætatem iudicaret Dominus conuersionis remedio ineptam, non diuersis temporibus operarios vocaret ad vineam, in diuersitate quippe horarum non incongruè accipitur ætatum diuersitas, ita vt ætas puerilis accipiatur in mane, pubertas in tertia, iuuentus in sexta, grauitas declinātis ætatis in nona, & in vndecima senilis ætas ipsa nouissima. In quacunque igitur quis ætate vocatus, si benignitatem vocantis Domini non spernat, necesse est denarium vitæ perennis accipiat. Neque enim non semper delectatur conuersione nostra, de quo nobis clamat Ioel propheta: *Hæc dicit Dominus Deus vester: Conuertimini ad me ex toto corde vestro, in ieiunio & in fletu, & in planctu, & disrumpite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominũ Deũ vestrũ, quia misericors & patiens est, & magnanimus, & multũ misericors, & patientiam habens in malis.* Propter quod Apostolus Paulus duritiam cordis increpat in his qui pœnitentiam suorum negligunt agere peccatorum, dicit enim: *Propter quod inexcusabilis es ô homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipsum condēnas: eadem enim agis, quæ iudicas. Scimus autem quoniam iudicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. Existimas autē hoc, ô homo omnis qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contēnis ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiem autem tuam impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundũ opera sua.* Alio quoque loco non tā plangit eos qui peccare grauiter videbantur, quàm eos qui peccatorum suorum pœnitentiam gerere noluerunt. Denique dicit Corinthiis: *Ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeā multos ex his qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiā super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserant.* Nec immerito luget Apostolus, qui pœnitētiam non agunt: *Scit enim plus esse gaudium coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, quibus non est opus pœnitentia.* Dignè igitur illos pro impœnitentia cordis luget beatus Apostolus, *pro quibus non gaudet angelicus chorus.*

2. Petri 3. Parabola de operariis in vinea. Matth. 20.

Ioel. 2. Deus semper delectatur conuersione nostra.

Rom. 2.

2. Cor. 12.

Luc. 15.

CAPVT XI.

Benignitas ergo Dei ad pœnitentiam nos adducit, ideo nos tribulationibus affligit, infirmitatibus corripit, angustiis erudit, vt qui in sanitate corporis peccauimus, in infirmitate peccatis abstinere discamus. Qui in lætitia misericordiam Dei contempsimus, correpti flagello tristitiæ, tristitiam ipsius formidemus. Ita fit, vt qui nobis, abutendo sanitate, infirmitatem peperimus, per infirmitatem sanitatis beneficia reparemus, & qui per lætitiam in tribulationes incidimus, per tribulationes ad lætitiam recurramus. Denique magis erga nos dilectionem Dei flagellis & correptionibus scriptura sancta testatur ostendi, dicit enim: *Fili, ne deficias in disciplina Domini, neque fatigeris cum ab eo increparis, quem enim diligit Dominus, corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit.*

Variis modis nos ad pœnitentiam vocat Deus.

Prou. 3.

CAPVT XII.

Nam & ipse Saluator illos se dicit amare, quos arguit: *Ego*, inquiens, *quos amo arguo & castigo.* Et Apostolorum doctrina prædicare non cessat, *quia oportet nos per multas tribulationes introire in regnum Dei.* Ipse quoque Dominus arctam viam & angustam dicit esse portam, quæ ducit ad vitam. Vt autem nouerimus illos qui gaudiis temporalibus oblectantur, & iussa diuina contemnunt, æternis ignibus concremandos, illos veri, qui mala temporalia cum timore Dei patienter tolerant, æterna quiete potituros; attendamus diuitem purpuratum, & pauperem Lazarum, illum post epulas flammis perennibus traditum, istum post ærumnas in æterna sinus Abrahæ quiete securum: vbi cum stillam diues ardens digito beati pauperis linguæ suæ posceret irrorari, hæc ad eum beati Abrahæ protinus est directa responsio, *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala; nunc autem cruciaris, hic vero requiescit.* Non fuit alia causa, qua diues pœnas lueret, pauper gaudio potiretur ac requie, *nisi quia ille bona recipit in vita sua, ille autem mala.*

Via quæ ducit ad vitam. Apoc. 3. Act. 14.

Luc. 16.

CAPVT XIII.

Non omnes autem, qui bona præsentis vitæ habent, bona præsentis vitæ recipiunt, nec omnes qui mala huius vitæ patiuntur, mala huius vitę recipiunt: sed illi recipiunt bona in vita sua, qui in gaudio & delitiis vitæ præsentis exultant, & in eo se beatos credunt, quod se nulla concuti aduersitate conspiciunt: Illi autem mala recipiunt in vita sua, qui pressuras & tribulationes præsentis vitæ cum

Non idem est bona præsentis vitæ habere & recipere.

timore Dei tolerant, & in corde contrito & humiliato non temporalia gaudia, sed æterna suspirant; nec transitura bona, sed permansura desiderant. Denique illis qui in bonis præsentium rerum volunt habere lætitiam, dicit psalmus: *Filij hominum vsquequo graues corde, vt quid diligitis vanitatem, & quaeris mendacium?* & alio loco: *Nolite sperare iniquitatem, & in rapina nolite concupiscere. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Tales etiã beatus Iacobus increpare non cessat, dicens: *Agite nunc diuites, plorate, vlulate in miseriis, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis in nouissimis diebus. Ecce merces operariorum, qui messuri erunt regiones vestras, qui fraudatus est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit. Epulati estis super terram, & luxuriis enutristis corda vestra.* Talium quoque risum & gaudium in luctum conuerti præcepit, & mœrorem, dicens: *Emundate manus peccatores, & purificate corda duplices animo, miseri estote, & lugete, & plorate. Risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem. Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos.*

Psalm. 4. Psalm. 61. Iacob. 5. Iacob. 4.

CAPVT XIV.

Retributio futura & bonis & malis.

NEque vero putemus tristitiam humilium, & lætitiam superborum, luctum piorum, & gaudium impiorum, futura posse retributione priuari, manet vtriusque condigna merces, diuino reddenda iudicio, quam iudex ipse tali cognoscitur decreuisse sententia: *Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis, væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Tales etiam Dauid, semina quidem dicit in fletibus iacere, nec tamen silet cum gaudio & exultatione messuros,* sic enim ait: *Qui seminant in lachrymis, in gaudio metent. Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient in exultatione, portantes manipulos.* Talibus etiam nunc asserit Dominum propinquare, dicens: *Prope est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluos faciet*: in tantum vero prodest tribulatio Christianis, vt per hanc spiritus noster Deo sacrificium fiat. Scriptum namque continetur in Psalmo: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.*

Leuit. 6. Psal. 125. Psalm. 33. Psalm. 50.

CAPVT XV.

Ne tardes ad Dominum conuerti. Ecclesi. 5.

HIs & innumeris huiusmodi testimoniis informati, principaliter ad Deum conuerti, quanto citius festinemus, dicit enim scriptura: *Ne tardaueris conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, ne subitò veniat ira eius, & in tempore vindictæ disperdat te.* Conuersi autem de remissione peccatorum, nullatenus desperemus, timentes Domini fidele promissum, quo ait: *Cum conuersus fueris, & ingemueris, saluus eris.* Pressuras, tribulationésque præsentis temporis longanimiter toleremus, & à timore Dei nullatenus discedamus; præcipit enim nobis Apostolus, *esse in tribulatione patientes.* Qui etiam correptionem præsentis temporis, ad euitandam futuri iudicij pœnam, multum nobis prodesse testatur, dicens: *Cum iudicamus autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.*

Esai. 30. Secundùm Lxx. 1. Cor. 11.

CAPVT XVI.

In tribulationibus nostris gratias Deo agamus. Deut 3.

VErum in ipsis tribulationibus gratias agamus Domino, & hoc quod sanctus Azarias dixit in fornace, nos in tribulatione dicamus: *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabilis, & gloriosum nomen tuum in sæcula, quoniam iustus es in omnibus quæ fecisti nobis, & omnia opera tua vera, & rectæ viæ tuæ, & omnia iudicia tua veritatis fecisti, secundum omnia quæ induxisti nobis, & super ciuitatem sanctam patrum nostrorum Hierusalem. Quoniam in veritate de iudicio induxisti hæc omnia, propter peccata nostra. Quoniam peccauimus, & iniquè egimus, discedentes à te, & multum peccauimus in omnibus, & mandatis tuis non obediuimus, nec conseruauimus, neque fecimus, sicut præcepisti nobis, vt bene nobis esset. Et omnia quæ induxisti nobis, & omnia quæcunque fecisti nobis, in vero iudicio fecisti.* Et paulò post ait: *Et nunc sequimur in toto corde, & timemus faciem tuam, ne confundas nos.*

SERMO BEATI FVLGENTII
De Confessoribus & Dispensatoribus Domini.

In mandatis Dei fructus copiosus.

DOMINICVS sermo, quem debemus omnes, non solum studiosè, verumetiam sapienter audire, cui nos oportet humiliter ac delectabiliter obedire, moderationis suæ tenens vbique temperiem, vt nec ouibus desint pabula, nec pastoribus alimenta, quædam specialiter solis præcepit nobis. Nobis namque (id est seruis, quos pater ille familias, rerum omnium Dominus, ad hoc in sua magna domo constituit, vt populo eius verbum gratiæ ministremus) specialirer iniungitur sanctæ prædicationis officium, generaliter vero nobis & vobis, salutaris inducitur obedientia mandatorum. In quibus denuo mandatis, tanquam ditissimis ferculis, sic cœlestium deliriarum copia spiritalis exuberat, vt in verbo Dei abundet, quod perfectus comedat, abundet etiam quod paruulus sugat. Ibi est enim simul & lacteus potus, quo tenera fidelium nutriatur infantia; & solidus cibus, quo robusta perfectorum iuuentus, spiritalia sanctæ virtutis accipiat incrementa: ibi prorsus ad salutem consulitur vniuersis quos Dominus saluare dignatur; ibi est, quod omni ætati congruat: ibi, quod omni professioni conueniat: ibi audimus præcepta quæ faciamus; ibi cognoscimus præmia quæ speremus: ibi est iussio, quæ nos per literam doceat, instituat scientia: ibi promissio, quæ per gratiam trahat, & perducat ad glori-

Expositio parabolæ de dispensatore, quem Dominus constituit super familiam suam.

riam. Seruorum igitur, quos populo suo præposuit Dominus speciale volens officium demonstrare, ait, quod ex Euangelio modo audiuimus: Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram. *Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit vigilantem.* Quis est iste Dominus fratres? Christus sine dubio, qui suis discipulis ait: *Vos vocatis me magister & Domine, & bene dicitis: sum etenim.* Quæ est etiam huius Domini familia? Nimirum illa est, quam ipse Dominus *de manu inimici redemit, & suo domino mancipauit.* Hæc autem familia est Catholica Ecclesia, quæ per orbem terræ copiosa fertilitate diffunditur, & redemptam se pretioso sui Domini sanguine gloriatur. *Filius enim hominis*, sicut ipse ait, *non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Grex ergo boni pastoris, ipsa est familia redemptoris. Dispensator verò quis sit, quem opotet esse fidelem pariter, & prudentem, Paulus nobis ostendit Apostolus, qui de se suisque sociis loquens ait: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, dispensatores ministeriorum Dei.* Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Ne quis autem nostrum, solos Apostolos dispensatores factos existimet, neglectóque militiæ spiritalis officio, seruus piger infideliter, imprudenterque dormitet, ipse beatus Apostolus Episcopos quoque dispensatores esse ostendens, ait: *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem.* Serui autem patrisfamilias sumus, dispensatores Domini sumus, mensuram tritici, quam vobis erogemus, accepimus. Quæ verò sit ista mensura tritici, si quæramus, ipsam quoque vobis beatus Paulus Apostolus ostendit, dicens: *Vnicuique sic Deus diuisit mensuram fidei.* Quam ergo mensuram tritici Christus nuncupat, ipsam mensuram fidei Paulus appellat; vt cognoscamus, non aliud esse spiritale triticum, quam Christianæ fidei venerabile Sacramentum. Huius tritici mensuram vobis in nomine Domini damus, quoties illuminari dono gratiæ spiritalis, secundum regulam veræ fidei disputamus, & eandem tritici mensuram per dominicos dispensatores accipitis, cum quotidie per Dei famulos verbum veritatis auditis. De ipsa nunc ergo tritici mensura loquamur. Ex ipsa, sicut Deus diuidit, vniuersi pascamur, inde alimenta bonæ vitæ sumamus, vt ad æternæ vitæ præmia peruenire possimus, in illum credentes, in illo sperantes, illum præ omnibus, & in omnibus diligentes, qui seipsum nobis, & alimentum præstat, ne deficiamus in via, & præmium seruat, vt gaudeamus in patria. Christus est enim alimentum nostrum, Christus erit præmium nostrum, Christus est cibus, & consolatio currentium viatorum, ipse satietas, & exultatio quiescentium beatorum. Ad ipsam itaque tritici mensuram pertinet, quod Dominus ait: *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam; facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit.* Magnum bonum est, fratres charissimi, valdè congruum, valdè commodum, & maximè Christianis appetendum, vt vnusquisque deficere non delectetur in pœnis, sed omnes proficere studeamus in melius. Arbores sumus fratres, in agro dominico constitutæ: Deus autem noster agricola, ille nos compluit, ille colit, ipse fœcunditatem donat, ipse fructificandi gratiam subministrat. Pluuia Dei est sermo sanctæ prædicationis, cultura Dei est infusio gratiæ spiritalis. Deus igitur præcepto nos compluit, adiutorio colit: dum com-

Leuit. 18. Matth. 24. Ioan. 13. Matth. 20. 1. Cor. 4. Non soli Apostoli, sed & Episcopi dispensatores sunt Domini. Tit. 1. Rom. 12. Christus alimentum nostrum. Luc. 12. Arbores sumus in agro dominico.

pluit, aufert à nobis ignorantiæ siccitatem, dum colit, beneuiuendi condonat vbertatem; dum pluit, terram nostri cordis irrigat, dum verò colit, de ipsa terra spinas, & tribulos mundanæ cupiditatis extirpat. Debemus itaque fœcundari cœlestibus pluuiis, debemus congrua fructificatione manibus superni respondere cultoris. Et si non possunt omnes arbores æquales fructus afferre, nulla tamen debet in agro dominico sterilis permanere. Multum metuenda est nobis fratres illa sententia comminantis, qua dicitur: *Omnis arbor, quæ nō facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Quod si sterilitas in ignem mittitur, rapacitas quid meretur? Aut quid recipiet, qui alienum tulerit, si semper ardebit qui de suo non dederit? *Et si iudicium sine misericordia erit illi, qui non facit misericordiam,* quale iudicium erit illi, qui fecerit & rapinam? Timeamus ergo, fratres, timeamus actus nostros. Obediens Christo, vendat quæ possidet, & eleemosynam det, vt de terra cor ad cælum leuet, vt auaritiam calcet, vt ad perfectionis culmen tota mentis intentione festinet, vt non sit solicitus quæ sunt mundi, sed quæ sint Domini, vt mundum sibi crucifixum habeat, seque mundo crucifixum exhibeat, vt sit omnino pauper in sæculo, & diues in Christo. Quis ignoret boni huius magnitudinem? Videmus autem, non omnibus vendendarum rerum suarum inesse virtutem: *Vnusquisque enim proprium habet donum ex Deo, alius quidem sic, alius autem sic.* Ecce hoc tam magnum bonum implere pauci possunt, multi non possunt. Numquid quia paucis donatur ista perfectio, propterea debent esse pessimi, quicumque in bono nondum possunt esse perfecti? Nunquid propterea Christianus debet vitio rapacitatis insistere, quia fortè nondum potest omnes res suas pauperibus erogare? Aut ideò debet aliena concupiscere, quia propria necdum potest omnia contemnere? Absit hoc fratres ab omnibus Christianis, auertat hoc Deus à fidelibus suis, Apostolus veraciter dicit: *Quia neque auari, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Manifestum est autem, quia omnes, qui à regno Dei alienabuntur, in æternum ignem cum diabolo eiusque Angelis damnabuntur. Proinde dilectissimi, si non omnes possunt implere quod Dominus ait: *Vendite, quæ possidetis*, illud tamen quod adiecit, dicens: *Date eleemosynam*, omnibus est possibile, si adsit bona voluntas, omnibus facile; si non adsit dira cupiditas, omnibus salubre; si ferueat charitas, cunctis debet esse commune, vt omnibus donetur æterna fœlicitas. Qui ergo tantam virtutem accipit à Domino, vt omnia quæ in mundo sunt, cælestis regni amore contemnat, quæ habet vendat, & egenis expendat; qui verò tantæ virtutis nondum est, de his quæ habet, in quantum habet, eleemosynam faciat. Tantum operetur bona voluntas, quantum suppetit facultas: perfectus possideat primum virtutis locum; imperfectus saltem perueniat ad secundum: efficiatur ille gloriose dignus, sit iste laudabiliter largus; sit ille sanctæ paupertatis ardentissimus amator, sit iste sanctorum pauperum piissimus consolator; habeat iste apud Deum patronos pauperes, quos ille se gaudet virtutis habere consortes; sit ille talis, qui cum Domino iudicaturus sedeat: sit ille talis, qui ad dexteram iudicandus assistat: sit ille talis, qui ad æterna tabernacula perpetuo iure possideat, sit iste talis, quem recipiat. Admonet enim nos Dominus dicens: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos recipiant in æterna tabernacula.* Hoc ergo fratres necessarium est omnibus nobis, vt in bonis operibus nemo sit segnis, nemo sit sterilis, nemo præsentium * delectatione

Matth. 3. Omnis arbor quę non facit fructum, excidetur. Iac. 2. 1. Cor. 7. Ne simus rapaces. 1. Cor. 6. Luc. 1. Date eleemosynam. Luc. 17. Præcepta omnibus necessaria ad salutem * dilectione.

ne futura contemnat, nemo æterna despiciens, sola temporalia peruersus aspiciat, nemo spiritalibus corporalia præferat, nemo terrena cælestibus anteponat. Thesaurum nostrum, fratres, in cælis ponamus, vt etiam cor nostrum in cælis habere possimus. Necesse est, enim vt quo præcesserit dilectionis thesaurus, illuc etiã cogitationis sequatur affectus, ideò veritas ait: *Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.* Vt ergo in cœlis thesaurizemus, cælestia diligamus. Vis nosse, vbi thesaurizas; attende quod amas. Vis nosse quod amas? attende quid cogitas: ita fiet, vt thesaurum tuum ex toto amore cognoscas, & amorem tuum iudicium tuæ cogitationis intelligas. Ostendens autem Dominus, quomodo in cælis thesaurizare possimus, ait: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes.* Si istum Domini sermonem secundum literam velimus accipere, nihil in eo commodi spiritalis possumus inuenire. Quid enim profuit ad animæ salutem, si aliquis corporaliter, aut lumbos præcingat, aut lucernam accendat? Alia ergo in præcinctis lumbis, & lucernis ardentibus quærenda est intelligentia spiritalis, quæ scilicet diuino sit præcepto condigna, quæ nostræ saluti congrua reperiatur, & commoda. Neque enim frustra quodam loco ipse Dominus ait, *Verba quæ ego loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* In lumbis itaque concupiscentia carnalis ostenditur, in lucernis verò fides & charitas Christiana monstratur. Iubens igitur Dominus, lumbos nostros præcingi, concupiscentiã carnis sine dubio præcepit refrænari. Imperans autem, vt lucernas ardentes habeamus, hoc vtique iubet, vt & lumine veræ fidei splendeamus, & sanctæ charitatis operibus ferueamus. Iubens, vt sint lumbi nostri præcincti, mandat, vt mala desideria, atque opera fugiamus: iubens, vt sint lucernæ nostræ ardentes, monet vt bona diligamus, atque faciamus. Ista quæ de Euangelio proposuimus, cum propheticis sermonibus conferamus. Vtrumque enim testamentum Deus instituit, vnus Dominus dedit, & si sunt vtriusque testamenti diuersa pro temporibus sacramenta, concordat tamen in vtroque salutis humanæ sententia, qua præcipitur, vt non peccemus, & iubetur, vt bonis operibus insistamus. Præcepit itaque Dominus per beatum Dauid, dicens: *Declina à malo, & fac bonum.* Per Esaiam quoque omnes his admonet verbis: *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite peruerse agere, discite benefacere.* Hoc ergo nunc Dominus per seipsum præcepit, quod nobis per sanctos etiam Patriarchas Prophetasque mandauit. Quid est enim: *sint lumbi vestri præcincti*, nisi declinate à malo. *Sint lucernæ ardentes*, nisi facite bonum? Quid est: *Sint lumbi vestri præcincti*, nisi quiescite agere peruerse? Quid est: *Sint lucernæ ardentes*, nisi discite benefacere? Præcinguntur * enim fidelium lumbi, dum concupiscentia mala comprimitur, dum iniqua cogitatio cohibetur, dum libidini resistit animus, dum lasciuiæ denegatur affectus, dum calcatur luxuria, dum auaritia contemnitur, & rapina, dum proximi læsio deuitatur, dum superbia vincitur, dum inuidia superatur. Ardent verò lucernæ fidelium, dum rectę fidei regulam seruant, dum in sinu matris Ecclesiæ longanimiter perseuerant, dum terrena contemnunt, & cœlestia concupiscunt, dum solliciti pacem custodiunt, dum se inuicem purè diligunt, dum mutuo se honore præueniunt, dum mansuetudine cordis & humilitate proficiunt, dum misericordiæ opera libenter atque hilariter faciunt, dumque in operibus bonis non hominibus, sed Deo placere contendunt. Omnis ergo Christianus præcinctos habeat lumbos, vt fugiat libidinem; ardentem habeat lucernam, vt custodiat cãstitatem: præcinctos habeat lumbos, vt aliquid alienum nec rapiat, nec furetur; ardentem habeat lucernam, vt de suo misericorditer operetur: præcinctos habeat lumbos, vt minorem non opprimat; ardentem habeat lucernam, vt oppresso velamine iustitiæ duntaxat defensionis auxilium impendat: præcinctos habeat lumbos, vt habenti non auferat cibum; ardentem habeat lucernam, vt esurienti tribuat alimentum: præcinctos habeat lumbos, vt non spoliet vestitum; ardentem habeat lucernam, vt vestiat nudum: præcinctos habeat lumbos, vt domum nullius inuadat; ardentem habeat lucernam, vt peregrinos Christi libenter excipiat: præcinctos habeat lumbos, vt fugiat electionem; ardentem habeat lucernam, vt seruet humilitatem: præcinctos habeat lumbos, vt expellat à se inuidiam, & liuorem; ardentem habeat lucernam, vt puram cunctis exhibeat charitatem: præcinctos habeat lumbos, vt non exhibeat membra sua arma iniquitatis peccato; ardentem habeat lucernam, vt *exhibeat membra sua arma iustitiæ Deo.* Hæc est, fratres, Catholicæ fidei vera sanaque doctrina; hæc est mensura tritici, de qua Domini redemptoris est pascenda familia. Ex hac nobis, quantum Dominus tribuit, demus, ipsumque Dominum iugiter exoramus, vt & nos, & vos in timore gratiæ suæ pascere dignetur auxilio. Auferat à nobis dominationem prauæ cupiditatis, donet omnibus profectum, & perseuerantiam charitatis: lumbos nostros ipse præcingat: lucernas nostras ipse ardere faciat, ardentesque custodiat, vt nec refrigescat nostra charitas, nec aliqua nobis dominetur iniquitas, sed Dominus ac redemptor noster omnibus tribuat, vniuersis donum sanctæ illuminationis ac virtutis infundat, nobis donet, vt quod ab illo audimus, rectè intelligamus, & sicut oportet faciamus, vobisque faciendum; sermone sufficienti, & congruo prædicemus. Vobis quoque donet, vt quod ab illo per seruos eius auditis, & corde intelligatis, & opere faciatis. Hoc ergo diuina misericordia operetur in omnibus nobis, vt nos, quos voluit esse dispensatores, fideles faciat, & prudentes: vos quoque faciat obedientes, & humiles, vt mensuram tritici dominici, quam vobis damus, communem vobiscum salubriter atque vtiliter habeamus.

Matth. 6. Luc. 12. Ioan. 6. Concordat Euangelium propheticis dictis. Psal. 33. Esa. 1. Præcinguntur lumbi. * igitur. Ardent lucernæ. Exhortatio ad opera charitatis cum inuocatione diuinæ gratiæ.

SERMO

SERMO
BEATI FVLGENTII
De duplici Natiuitate Christi, vna æterna ex Patre, altera temporali ex Virgine.

Verbum Dei genitum à patre, non factum.



CVPIENTES aliquid de huius diei solemnitate narrare, simùl que considerantes illud vnum Verbum, de quo dicere volumus, nulla inuenimus verba, quibus sufficienter aliquid dicere valeamus. Est enim hoc Verbum non quod desinit prolatum, sed quod permanet natum, non transitorium, sed æternum, non factum à Deo patre, sed genitum, nec solum genitum, sed etiam vnigenitum. Vnum quippe Verbum, Deus pater genuit de seipso, per quod omnia creauit ex nihilo. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* In hoc autem quod per illud verbum Deus omnipotens omnia fecit, ostenditur, quia hoc verbum genuit ipse, non fecit. Illud igitur verbum de Deo Deus est, de creatore creator est: vnum hoc in se naturaliter habet esse, quod pater est. Natus est itaque de patre Deo filius Deus, alter in persona, non alius in natura, semper apud patrem, semper cum patre, semper de patre, semper in patre, semper apud patrem, cum quo illi est naturalis immensitas: semper cum patre, cum quo illi vna est naturalis æternitas: semper de patre, de quo illi est naturaliter æterna natiuitas: semper in patre, cum quo illi est vna naturaliter æqualisque diuinitas; & alter quidem ille pater est, alter ille quod filius est, neuter tamen alter Deus, quia pater, & filius vnus est Deus: Quapropter quoniam de patre Deo, & filio Deo nascitur sermo, dignè dicimus alterum esse patrem, & alterum filium, & nihilominus, dignè dicimus vnum Deum esse patrem, & filium, cùm enim dicimus, alterum esse patrem, alterum filium, discretas personas genitoris genitique monstramus: cùm verò dicimus vnum Deum esse patrem, & filium, ipsam vnam naturam indiscretæ diuinitatis ostendimus; altera est enim persona genitoris, & geniti, sed vna est natura genitoris, & geniti. Quomodo verò sufficienter, aut dignè loqui poterit quis? de quo? homo de Deo, mortalis de immortali, visibilis de inuisibili, mutabilis de incommutabili, opus de opifice, de creatore creatura, de factore factura, paruus de immenso, temporalis de æterno, humilis de altissimo, plasmatus è limo de illo qui omnia creauit ex nihilo. Cuius est inenarrabilis omnipotentia, qua nos gratuita bonitate fecit. Nec minus tamen inenarrabilis gratia, qua nos omnipotentissima miseratione saluauit, qui & opus creatricis omnipotentiæ gratis fecit, & opus gratiæ saluatricis omnipotenter impleuit, illic habens potestatem condendi, & regendi creaturam suam, hic habens potestatem ponendi, & sumendi pro nobis animam suam. Omnipotentiam verò nunc dicimus, qua verbum, quod in principio erat, & apud Deum erat, & Deus erat, fecit omne quod nouerat: gratiam verò, qua verbum caro factum, venit quærere, & saluum facere quod perierat: omnipotentiam, qua fecit omnem diem: gratiam, qua certo die concipi, & certo die dignatus est nasci. Idem igitur minoratus paulò minus ab Angelis, in die factus est hominum, qui coæternus, & æqualis Deo patri, dies sanctorum semper est Angelorum. De ipso quippe Propheta dicit: *Bene nunciate diem de die, salutare eius.* Quid est, diem de die, nisi filium de patre? Est igitur de patre filius, de die dies, sed tamen pater & filius non duo dies, sed vnus est dies. Est de patre filius, de Deo Deus: Pater tamen, & filius non duo dij, sed vnus est Deus. Vnus igitur dies æternitatis simul pater, & filius à nobis agnoscitur, in die autem temporis solus filius inuenitur. Dies etenim æternus pater, & filius, nostrum corpus, & animam fecit: in die verò temporis, solus filius nostrum corpus animámque suscepit. Christus dies æternus, *vnigenitus, in forma Dei manens*; Christus in die temporis vnigenitus, *formam serui accipiens*: Christus dies æternus, diues permanens, vt conderet nos. Christus in die temporis, *pauper factus, vt redimeret nos.* Dies æternus Christus Deus de Deo patre: Christus in die temporis Deus homo, de virgine matre. Christus dies æternus, *Verbum eructatum de corde patris*: Christus in die temporis, *verbum caro factum*, de vtero virginis matris: Christus dies æternus, *Deus verus de Deo vero*: Christus in die temporis, *sponsus procedens de thalamo suo*: Dies æternitatis Christus, Angelos sanctos creans. Dies in tempore Christus homines saluans. Dies æternitatis Christus, in cælo sanctos Angelos pascens: Dies temporis Christus, homines in terra reficiens. Vt enim panem Angelorum manducaret homo, creator Angelorum factus est homo, vtrosque pascens, & integer permanens. Quam bonus panis, qui & Angelos pascit per spem, vt de ipso satientur in patria, & nos pascit per fidem, ne deficiamus in via. Ille panis, qui seipsum dat Angelis gaudium stabilitatis, seipsum dedit hominibus, ad remedium sanitatis, & qui est Angelorum esca, nobis factus est medicina.

Ioan. 1.

Vna natura diuina illius verbi cum patre.

Non potest homo de Deo sufficienter loqui.

Psalm. 95.

Duplex dies Christi, æternitatis & temporis.

Christus panis Angelorum, & hominum.

Verùm

Prærogatiua hominum ex Incarnatione Verbi.

Verumtamen hic dilectissimi fratres attendite magnitudinem gratiæ, & agnoscite, quid Deus hominem dignatus est prærogare. Christus enim Dei filius, *de vero Deo Deus verus*, & vnus cum patre naturaliter Deus semper ex seipso sanctos Angelos pascit, sed tamen Angelicam naturam Dei filius non accepit. Vt autem suam charitatem Deus commendaret in nobis, filius eius naturam nostram suscepit ex nobis, & Deus vnigenitus, qui panis est Angelorum, vt etiam hominum seipsum faceret panem, simul hominis & animam suscepit, & carnem. Accepit vtramque veram, vtramque sanctam, vtramque mundam: accepit animam nostram sine iniquitate, accepit animam nostram cum mortalitate, accepit animam iustam, per quam nostris animabus iustitiam redderet: carnem verò propterea dignatus est habere mortalem, vt secundum ipsam moriens, mortem vinceret, secundum ipsam etiam resurgeret, per quam nostra corpora suscitaret. Magnum mysterium, dilectissimi fratres, magnum diuinæ dilectionis iudicium. Homo Deum contemnens, à Deo discessit, Deus hominem diligens ad homines venit. Dilexit impium, vt faceret iustum; dilexit infirmum, vt faceret sanum; dilexit peruersum, vt faceret rectum; dilexit mortuum, vt faceret viuum. Et quid amplius dicam? quandoquidem Deus vnigenitus humanam naturam tantum dilexit, vt eam non solum à potestate mali Angeli liberaret, verumetiam in seipso super omnes bonos Angelos, in patris dextera collocaret: natura enim quæ in primo homine mundum peccato polluit, ipsa in secundo homine mundum à peccato mundauit: primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cælestis. Primum hominem mulier corrupta mente decepit, secundum hominem virgo, incorrupta virginitate concepit. In primi hominis coniuge, nequitia diaboli seductam deprauauit mentem: in secundi autem hominis matre, gratia Dei, & mentem integram seruauit, & carnem: menti contulit firmissimam fidem, carni abstulit omnino libidinem. Quoniam igitur miserabiliter pro peccato damnatus est homo, ideò sine peccato mirabiliter natus est Deus homo. Attendite, fratres, medicinalis gratiæ lineas, diuina nobis benignitate monstratas: Tunc ad Euam Angelus malus accessit, vt per eam homo, quem Deus fecerat, à Deo separaretur. Nunc autem ad Mariam bonus Angelus venit, vt in ea humanæ naturæ Deus vnigenitus vniretur. Venit ad Euam diabolus, vt vitam nobis malignus auferret: venit ad Mariam Gabriel, vt vitam reddendam hominibus nunciaret. Per primi hominis culpam cœpit diabolus homini damnari, per secundi hominis gratiam, cœpit ab homine superari. Super primum supetbus, sub secundo captiuus. Per illum nos captiuatos tenuit, per istum nos liberatos amisit. Primus Adam nobis auctor extitit culpæ, nouissimus Adam nobis auctor extitit gratiæ. Ille de limo psalmatus, terrenos protulit: iste de Spiritu sancto natus, cœlestes effecit. Per illum perdidimus gratiam priorem, per istum recepimus ampliorem. Ille quippe nobis intulit peccati maculam, cum qua nasceremur ad supplicium: iste nobis contulit iustificationis gratiam, vt renasceremur ad regnum. Per illum nos filios sæculi generatio carnalis effecit, per istum nos filios Dei generatio spiritalis exhibuit. Ille nos vitiis subdidit: iste nos florere virtutibus fecit. Ille nos per vitia deiecit, quò primus cecidit, iste nos per virtutes eleuat, quò primus ascendit. Ille quippe primus cecidit in infernum, iste primus conscendit in cælum. Interea, fratres, dignum est, vt in die dominicæ Natiuitatis, diem quoque Dominicæ Resurrectionis solenniter audiatis. Vnigenitus enim Deus sicut pro nobis dignatus est nasci, sic pro nobis secundum carnem dignatus est mori, dignatus est suscitari. Iste dies est visitationis, ille redemptionis. Opus enim gratiæ, qua nos Deus vnigenitus saluos fecit, conceptus in vtero cœpit, ipsúmque opus gratiæ de sepulchro resuscitatus impleuit: conceptus in vtero, factus est particeps mortis nostræ: resurgens de sepulchro fecit nos participes vitæ suæ. Nunc itaque omnes Dominum exoremus, vt sicut in isto die gaudium suo populo tribuit, ad illum quoque diem omnes cum gaudio, & pace perducat, populúmque suum in fide, & charitate custodiat Amen.

Dilectio Dei erga genus humanum.

Comparatio Euæ acceptæ ad Mariam concipientem.

Quid Adam perdidit, quid Christus contulit.

Dies Natiuitatis, dies resurrectionis.



SERMO BEATI FVLGENTII
De Laudibus Mariæ ex partu Saluatoris.

Dies Natiuitatis Christi.



ATIVITAS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, totum mundum noua aduentus sui luce hodie perfudit: Hodie de cælo Deus descendit ad hominem, vt in cælo homini præpararet ascensum. Hodie accipimus natum Dei, virginis filium, omnium credentium Saluatorem, Deum de patre, hominem de matre, Deum occultum, hominem manifestum. Et quoniam diabolus per serpentem Euæ loquutus, per Euæ aures mundo intulit mortem, Deus per Angelum ad Mariam pertulit verbum, & cunctis sæculis vitam effudit. Angelus sermonem eiecit, & Christum virgo concepit. O coniunctio sine sordibus facta, vbi maritus sermo est, & vxor auricula. Hoc splendore concipitur Dei filius, hac munditia generatur. Nulla fieri grauedo potuit concipienti, nulla tristitia parturienti. Qui enim venerat triste lætificare sæculum, ventris non contristauit hospitium. De cælis medicus transiens pet Virginem, post transitum

Maria concepto Christo.


Virgo post partum inuiolata permansit.

tum suum illæsam fecit Virginem permanere. Qui enim disrupta corporum membra in aliis poterat integrare tangendo, quantò magis in sua matre, quod inuenit integrum, potuit non violare nascendo? Creuit enim eius partu integritas corporis potius quam decreuit: & virginitas ampliata est potius quam fugata: in angusto corporis membro sustinuit quicquid sustinent cœli. Plena sunt viscera, & nullum nouit contagium virginis conscientia, cum esset grauida, salubri leuitate plaudebat: lumen enim quod intra se habebat, pondus habere non poterat. Facta est Maria fenestra cœli, quia per ipsam Deus verum fudit sæculis lumen, facta est Maria scala cœlestis; quia per ipsam Deus descendit ad terras, vt per ipsam homines ascendere mereantur ad cœlos: ipsis enim licebit ascendere illuc, qui Deum crediderint ad terras, per virginem Mariam descendisse. Facta est Maria restauratio fœminarum, quia per ipsam à ruina primæ maledictionis probantur esse subtractæ. Tria denique mala Euæ à tribus bonis Mariæ probantur exclusa; nam Euæ dictum est. *In doloribus, & in tristitia paries, & ad virum conuersatio tua, & ipse dominabitur tui.* Tribus ergo his malis se subiugant fœminæ, quæ Mariam non sequuntur, dolori, tristitiæ, seruituti: Maria autem è contrario, quam præclarissimis tribus bonis sublimetur, ausculta, salutationis Angelicæ, benedictionis diuinæ, & plenitudinis gratiæ. Sic enim eam legitur salutasse: *Aue Maria gratia plena, benedicta tu inter mulieres.* Cum dicit, aue, salutationem illi cœlestem exhibuit: cum dixit, gratia plena, ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam: cum dixit; benedicta tu inter mulieres, virginitatis eius benedictum fructum expressit, vt ex eo benedicta dicatur inter mulieres, quæcumque perseuerauerit virgo. Maledicta enim Eua fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionem gloriæ remeasse. Venite virgines ad virginem, & lætamini, ponite maledictionem præuaricationis, & benedictionem restaurationis assumite. Proiicite dolores, quos Eua per serpentem accepit, & quos per Angelum Maria suscepit honores, assumite. Pellite tristitiam concipientis, gemitus parturientis abducite, vt solus vobis iste virginis filius dominetur. Venite virgines ad virginem, venite concipientes ad concipientem, venite parturientes ad parturientem, venite matres ad matrem, venite lactantes ad lactantem, venite iuuenculæ ad iuuenculam. Ideò omnes istos cursus naturæ virgo Maria in Domino nostro Iesu Christo suscepit, vt omnibus ad se confugientibus fœminis subueniret, & sic restauraret omne genus fœminarum ad se venientium noua Eua seruando virginitatem, sicut omne genus virorum Adam nouus recuperat Dominus Iesus Christus, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Tria bona Mariæ contra tria mala Euæ.

Luc. 1.

Maria refugium & restauratio fœminarum.



SERMO BEATI FVLGENTII
De sancto Stephano Protomartyre, & Conuersione B. Pauli.

Comparatio varia inter natalē Christi & Stephani.



ERI celebrauimus temporalem sempiterni regis nostri natalem, hodie celebramus triumphalem militis passionem: heri enim Rex noster, trabea carnis indutus, de aula vteri virginalis egrediens visitare dignatus est mundum: hodie miles de tabernaculo corporis exiens, triumphator migrauit ad cœlum. Ille sempiternæ Deitatis maiestate seruata, seruile cinctorium carnis assumens, in huius sæculi campum pugnaturus intrauit: iste depositis corruptibilibus corporis indumentis, ad cœli palatium, perenniter regnaturus ascendit. Ille descendit carne velatus, iste ascendit sanguine laureatus: ascendit iste, lapidantibus Iudæis, quia ille descendit lætantibus Angelis. Gloria in excelsis Deo, heri sancti Angeli exultantes cantauerunt: hodie Stephanum lætantes in suum consortium susceperunt. Heri Dominus exiuit de vtero virginis: hodie miles egressus est de ergastulo carnis. Heri Christus pro nobis pannis est inuolutus: hodie Stephanus stola est ab eo immortalitatis indutus. Heri præsepis angustia Christum portauit infantem, hodie immensitas cœli suscepit Stephanum triumphantem. Solus Dominus descendit, vt multos eleuaret. Humiliauit se Rex noster, vt suos milites exaltaret. Qui enim corpori suo, virginis præparauit vterum, ipse martyri suo aperire dignatus est cœlum. Dominus Christus angustias intrare non dedignatus est vteri, vt animam Stephani latitudo susciperet cœli. Necessarium tamen nobis est, fratres charissimi, agnoscere, quibus armis præcinctus Stephanus, sæuitiam Iudæorum potuit superare, vt ita meruisset fœliciter triumphare? neque enim paruipendenda sunt, talis virtus, talisque triumphus. Haud verò vilibus armis potuit præmuniri, qui à multis non potuit superari. Inuictæ namque in eo enituit insigne virtutis, quæ nec frementium sæuitiam formidauit, nec lapidantium ictibus deuicta succubuit: vsque adeò enim inter frementes permansit interitus, & inter lapidum fuit cruciamenta securus, vt incredulitatem Iudæorum fidenter argueret, & benignus pro lapidantibus exoraret. Quod est ergo tam magnum atque insuperabile genus armorum, quo munitus, sæuientes argueret, lapidantes non repercutiens, sed patiens superaret, insuper & occisus, aulam cœlestis regni, viuus, & coronatus intraret? procul dubio, munimine regio septus, nullatenus est ab aduersariis superatus: quoniam Rex noster, cum sit altissimus, pro nobis humilis venit, sed inanis venire non potuit, magnum quippe donatiuum suis militibus attulit, quos non solum copiosè ditauit, sed etiam ad certandum inuictissimè confortauit: attulit namque donum charitatis, quæ perduceret homines ad consortium deitatis. Quod ergo attulit, erogauit, nec sibi aliquid minuit, sed mirabiliter & suorum pauperiem ditauit, & indeficientibus thesauris

Arma Stephani contra sæuitiam Iudæorum.

Donatiuum quod Christus militibus suis dedit, charitas est.

ſauris plenus ipſe permanſit. Chatitas ergo quæ de cœlo ad terras depoſuit Chriſtum, ipſa Stephanum de terra eleuauit ad cœlum. Charitas quæ præceſſit in rege, ipſa ſubſequenter refulſit in milite. O admiranda vbique potentia Saluatoris. O prædicanda indeſinenter gratia Redemptoris. Oſtendit in matre virginitatis æternæ miraculum, demonſtrauit in martyre inuictæ charitatis indicium. Integritas quippe intemerata permanſit in virgine, dilectionis virtus inuicta perſeuerauit in martyre. Et ſicut in matre Domini non potuit virginitas violari, ſic in martyris mente non potuit Chriſti charitas tanto ſæuientium agmine ſuperari. Stephanus ergo, vt nominis ſui coronam meruiſſet accipere, charitatem pro armis habebat, & per ipſam vbique vincebat. Per charitatem Dei, ſæuientibus Iudæis non ceſſit, per charitatem proximi pro lapidantibus interceſſit. Per charitatem arguebat errantes, vt corrigerentur, per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur. Charitatis virtute ſubnixus, vicit Saülem crudeliter ſæuientem, & quem habuit in terra perſequutorem, in cœlo meruit habere conſortem. Ipſa ſancta & indefeſſa charitas, deſiderauit orando acquirere, quos nequiuit monendo conuertere. Neque enim fratres, exiſtimandus eſt Stephanus, tunc inimicos dilexiſſe, cum pro eis oraret, & non dilexiſſe cum eorum incredulitatem arguendo corriperet. Abſit hoc ab anima martyris ad cœli palatium feſtinantis: ipſa enim ſancta charitas, firmam ſeruauit in oratione patientiam, quæ rigidam tenuit in correctione cenſuram. Et ideò in oratione audiri meruit lenitas, quia ſine charitate non fuit in correctione ſeueritas, ac per hoc, ſiue orando, ſiue corripiendo, charitatem beatus Stephanus reſeruauit, quia vtrobique ſalutem errantium cogitauit. Et indicio ſanctæ orationis oſtendit increpationem illam non fuiſſe odij, ſed amoris. Hoc autem faciens, & præſentibus charitatem beatus martyr exhibuit, & vtile nimis exemplum poſteris reliquit. Demonſtrauit enim geminam Eccleſiaſtici diſpenſatoris induſtriam, vt ad corrigendum cuiuſlibet peccantis errorem, & non deſit in ore correptio, & ad Deum pro eo ſupplex effundatur oratio, vt qui malum fecit, per increpationem de malis operibus confundatur, & per orationem apud Deum adiuuetur. Ac ſic ipſa charitas, & in ore iuſtitiam ſonet, vt errantem corrigat, & in corde patientiam ſeruet, vt pro errante orationem puro affectu dilectionis effundat: qui enim errantem non corripuerit, de negligentia iudicatur: qui autem pro eo non orauerit, de pernicie condemnatur. Quocirca fratres, ſi quando aliquis pro animæ ſalute corripitur, non aſpernanter accipiat monita charitatis, nec præſentem triſtitiam ſuæ voluntatis attendat, ſed conſideret, quæ lucra vtilitatis acquirat. Idcirco enim arguitur, vt à prauis operibus corrigatur, nec tamen videns correptionem aliqua verborum auſteritate feruere, exiſtimet charitatem in corde frigeſcere, ſic enim vigilet in ore correptio, vt in corde nō dormitet oratio; ac per hoc in vtroque peccanti conſultè proſpicitur, vt dum homo correptus de peccato confunditur, & à malis operibus ſeparetur, & per orationem (Deo miſerante) ſaluetur. Nam & ſancta Scriptura dicit: *Quoniam quem diligit Dominus, corripit: Flagellat autem omnem filium quem recipit.* Chriſti ergo charitate compulſi, & bonos hortamur, vt in bono permaneant, & malos compellimus, vt à malo diſcedāt. Præſertim quoniam in iſtis duobus ſanctis, geminum nobis monſtratur ſalutis indicium, vt ſi quis bonus eſt, imitetur perſeuerantiam charitatis in Stephano: qui autem malus eſt, ſectetur exemplum conuerſionis in Paulo; & qui bonus eſt, æquitatem vſque ad finem teneat: qui autem malus eſt, quantocius à ſua peruerſitate diſcedat: nec bonum hominem præſumptio iuſtitiæ faciat negligentem: nec malum iniquitas faciat deſperantem: ſed ille bonum fortiter teneat, iſte malum celeriter deſerat. Bonus timeat, ne cadat; malus conetur, vt ſurgat. Quiſquis ergo malus eſt, cum Paulo proſternatur in malo, vt cum eo erigatur in bono: quoniam & ille cecidit malus, & ſurrexit bonus: Proſtratus eſt iniquus, & erectus iuſtus: cecidit ſæuiſſimus perſecutor, & ſurrexit veridicus prædicator: Cadens lumen corporis impius perdidit, ſurgens autem lumen cordis iuſtificatus accepit. Coniunctus eſt itaque Stephano, factus ouis ex lupo. Et ecce nunc Paulus cum Stephano lætatur, cum Stephano Chriſti claritate perfruitur, cum Stephano exultat, cum Stephano regnat. Quo enim præceſſit Stephanus, trucidatus lapidibus Pauli, illuc ſequutus eſt Paulus, adiutus orationibus Stephani. Quam vera vita, fratres mei, vbi non Paulus de Stephani occaſione confunditur, ſed Stephanus de Pauli conſortio gratulatur, quoniam charitas in vtroque lætatur. Charitas quippe in Stephano ſuperauit ſæuitiam Iudæorum: charitas in Paulo cooperuit multitudinem peccatorum: charitas in vtroque pariter regnum meruit poſſidere cœlorum. Charitas igitur eſt omnium fons, & origo bonorum, munimen egregium, via quæ ducit ad cœlum. In charitate qui ambulat, nec errare poterit, nec timere. Ipſa dirigit, ipſa protegit, ipſa perducit. Quocirca fratres, quoniam ſcalam charitatis conſtituit Chriſtus, per quam ad cœlum omnis poſſit conſcendere Chriſtianus, puram charitatem fortiter retinete, ipſam vobis inuicem exhibete, & in ea proficiendo conſcendite, inſiſtite operibus bonis, vt ad præmia æterna peruenire poſſitis, adiuti gratia Saluatoris, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum.

Charitas ſancti Stephani pro armis fuit illi.

Charitas orando & arguendo ſeruabatur.

Summa induſtria charitatis in Prælatis.

Charitas peccantem & ore corripit & oratione iuuat.

Prou. 3.

Vtile exemplum de Stephano & Saulo.

Conuerſio Pauli.

Bona charitatis.

SERMO

SERMO BEATI FVLGENTII De Epiphania, deque innocentum nece, & muneribus Magorum.

Cur Epiphania dicitur.



NOSTIS, fratres chariſſimi, quia dies iſte, qui nobis in honorem Domini per annos ſingulos celebratur, ore cunctorum fidelium Epiphania, venerabiliter nuncupatur. Et quia Græcum probatur eſſe vocabulum, multis Latinis eſt incognitum. Inde eſt, quod nomen iſtud omnes quidem Latini dicunt, ſed non omnes inueniuntur noſſe quod dicunt. Proinde bonum eſt, vt cuncti, qui diem hodiernum Epiphaniam nuncupant, & cur hoc dicatur, ignorant, ſacramentum diei huius nominis interpretatione cognoſcant. Debet enim diei huius ſolemnitas à fidelibus celebrari,& ideo ſolemnitatis cauſa non debet ignorari. Hunc ergo diem,ſicut diximus, Epiphaniam vocat Chriſtiana religio,Epiphania verò interpretatur manifeſtatio. Traditum autem tenemus à patribus, quod vnigenitus Dei poſtquam eſt ſecundum carnem temporaliter natus, in iſto die eſt Magis venientibus manifeſtatus, à quibus oblatis muneribus, ſuppliciter eſt adoratus. Nam quia ipſe eſt Deus, qui ſibi in veteri teſtamento, primitias offerri mandauit, idem *Deus homo natus, gentium primitias ſuo cultui dedicauit.* Apoſtolica vero teſtatur authoritas, *quia vnus eſt Deus, qui iuſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.* Circuncisionis nomine Iudæos, præputij nomine Gentes indubitanter oſtendens. Iſti ſunt duo parietes, qui ex diuerſo venerunt, & in lapidem, qui factus eſt in caput anguli, in vnitate fidei conuenerunt. Vnus paries venit ex Iudæis, alter ex gentibus: longè à ſe diuerſi erant, quando diuerſa credebant. Poſitus eſt in medio lapis angularis, qui ad ſe vtrũque parietem duceret, & vtrumque vno nomine nuncuparet, eſſent quæ vnum communione vocabuli, qui fierent vnũ in vna gratia ſacramenti. *Per Chriſtum enim qui eſt pax noſtra, faciens vtraque vnum,* Iudæi & Gentiles facti ſunt vnum, quibus fidei vnitas vnum indidit nominis Chriſtiani vocabulum. Ad lapidem ergo angularem vterque paries venit, & verum angulum fidei vnitas fecit Horum duorum parietum vnus adductus eſt, quando paſtoribus Iudæis Chriſtum natum Angelus nunciauit: alter paries adductus eſt, quando Gentilibus magis nouum ſidus apparuit. Illi fuerunt primitiæ Iudæorum, iſti facti ſunt primitiæ Gentium. Illi de proximo adducti, iſti de longinquo reducti. Prope enim erant Iudæi, qui Deum colebant, longè erant gentes, quæ idolis ſeruiebant. Hoc vtique ſignificabant paſtores, qui naſcente Chriſto prope ſunt inuenti, & Magi, qui ſunt de longinquis partibus adducti. Qui tamen venientes, cum ipſi Iudæi non eſſent, regem Iudæorum ſe quærere profeſſi ſunt, & ad ipſum adorandum, veniſſe dixerunt. Ait enim Euangeliſta: *Quia Magi ab oriente venerunt Hieroſolymam dicentes: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum. Vidimus enim ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Quid eſt dulciſſimi fratres, vt iſti Magi regem Iudæorum adorandum quærerent, cum ipſi Iudæi non eſſent? Et quem regem? Vtique non Herodem, ſed Chriſtum. Volunt adorare nuper natum, nec adorant regem ante annos aliquot ordinatum. Adorare cupiunt infantem lactantem, nec adorant regem populis imperantem. Nam & de Herode rege Iudæorum filij iam fuerant nati, qui erant patre mortuo regnaturi. Mortuo enim iſto Herode, Archelaus in Iudæa regnauit, & Galilææ principatum iunior Herodes obtinuit. Archelaus natus eſt in palatio, Chriſtus in diuerſorio. Archelaus natus eſt in lecto argenteo poſitus; Chriſtus autem natus, in præſepio eſt breuiſſimo collatus. Ille forſitan pretioſis inuolutus eſt ſericis, iſte viliſſimis inuolutus eſt pannis. Et tamen ille natus in palatio, contemnitur: Iſte natus in diuerſorio, quæritur. Ille à Magis nullatenus nominatur; iſte inuentus, ſuppliciter adoratur. Omnino ſpernitur primogenitus regis, & muneribus adoratur primogenitus pauperculæ mulieris. Quis eſt iſte rex Iudæorum? Pauper & diues, humilis & ſublimis. Quis eſt iſte rex Iudæorum, qui portatur vt paruulus, adoratur vt Deus? paruus in præſepio, immenſus in cœlo, vilis in pannis, pretioſus in ſtellis, cuius natiuitate comperta, *Herodes turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo* Quid eſt quod ſic turbaris Herodes? Quoniam natum regem Iudæorum audiſti, turbaris, ſuſpicionibus agitaris, inuidiæ ſtimulis inflammaris, & ob hoc natum regem occidere conaris. Inanis eſt iſta turbatio tua, & vna prorſus cogitatio tua. Rex iſte, qui natus eſt, non venit reges pugnando ſuperare, ſed moriendo mirabiliter ſubiugare: nec ideo natus eſt, vt tibi ſuccedat, ſed vt in eum mundus fideliter credat. Venit ergo, non vt pugnet viuus, ſed vt triumphet occiſus. Nec vt ſibi de aliis gentibus auro exercitum quæreret, ſed vt pro ſaluandis gentibus pretioſum ſanguinem fundat. Inaniter inuidendo timuiſti ſucceſſorem, quem credendo debuiſti quærere ſaluatorem, quia ſi in eum crederes, cum eo regnares: & ſicut ab illo accepiſti temporale regnum, acciperes etiam ſempiternum. Huius enim pueri regnum non eſt de hoc mundo, ſed per ipſum regnatur in mundo. Ipſe eſt enim ſapientia Dei, quæ dicit in prouerbiis: *Per me reges regnant.* Puer iſte verbum Dei eſt, puer iſte virtus & ſapientia Dei eſt. Si potes contra Dei ſapientiam, cogita. In tuam perniciem verſaris, & neſcis: tu enim regnum nullatenus habuiſſes, niſi ab iſto puero, qui tunc natus eſt, accepiſſes. Puer, qui nunc à Magis dicitur rex *Iudæorum*, idem creator & Dominus Angelorum. Quapropter, cuius times infantiam naſcentis, magis timere debes omnipotentiam iudicantis. Noli eum timere regni tui ſucceſſorem, ſed time infidelitatis tuæ iuſtiſſimum damnatorem. Vtinam eum, Magis adorantibus, etiam tu pariter adorares, & non ad eum Magos, fraudulenta calliditate mãdares. *Ite,* inquit, *& interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens, adorem eũ* O calliditas ficta! O incredulitas impia! O nequitia fraudulenta! Si adorare iſtum puerum certiſſimè

Magi primitiæ gentium. Exod. 22. 23 24.

Rom. 3.

Ephes. 2.

Ephes. 2.

Deo parietes Iudæi & Gentiles in vnũ lapidem Chriſtum conuenerũt.

Magi, non Iudæi regem Iudæorum quærebant.

Collatio Archelai & Chriſti quoad Magos.

In Herodem turbatum Apoſtrophe pro Chriſto.

Prou. 8.

tissimè disponebas, quare pro illo multos pueros occidebas: Sanguis innocentum, quem crudeliter effudisti, attestatur, quid de hoc puero voluisti. Et tamen non solum istum puerum non inuenisti, sed nec illis pueris aut quid nocuisti: immo inscius, quod illis proderat, hoc egisti. Per sæuitiam quippe tuam facti sunt martyres, qui per infantiam suam fuerant innocentes, quando per gratiam huius pueri, pro eo meruerunt mori, priusquam eum possent coram hominibus confiteri. Iste itaque puer, qui mundum creauit, qui mundum regit, qui omnia quæcumque vult facit; qui cuncta mirabili atque insuperabili ordine disponit, hoc ordinauit, hoc egit, vt per tuam inuidiam furiosam, illi pueri mortem susciperent preciosam, & quod eis ad salutem tuam præstare non possis amicus, hoc ad damnationem tuam faceres inimicus. Ad hoc ergo te permisit infantes occidere, vt illos de te faceret triumphare. Te ergo præmisit ad nequitiam, illos produxit ad palmam; vnus enim idémque est Dominus omnipotens qui paruulus vagiens: vnus idémque est, qui tuam crudelitatem dignatus est fugere, cuius maiestatem non potes effugere: fugit enim non formidine humana, sed dispensatione diuina: fugit non necessitate, sed potestate. Ideo autem dignatus est in Ægyptum fugere, vt postea crucem dignaretur ascendere; & illa potestate puer latuit in Ægypto, qua potestate iuuenis pependit in ligno. Vnus enim idémque mortis susceptor, vitæque largitor, vnus idémque immortalis ex patre, mortalis ex matre, propria potestate moriens, propria potestate resurgens. Iste itaque puer, qui natus est, ideo non inuenitur in numero paruulorum morientium, quia ipse expectatio gentium. Sanguis huius proinde propterea non cum istorum sanguine funditur puerorum, quia solus in remissionem fundendus est peccatorum; & illi omnes pueri inaniter morerentur, nisi huius sanguine saluarentur, & iste quidem puer certissimè morietur, quia si mori nollet, nullatenus nasceretur, morietur autem, non vt impleat sæuitiam tuam, sed vt perficiat mansuetudinem; faciet enim eum mori benignitas propria, non malignitas aliena: morietur non vt tu infidelis regnes in sæculo: sed vt secum regnare facias fideles in cœlo: morietur non vt perdat breuem vitam, sed vt conferat sempiternam: morietur, non vt seruus iniquitatis, sed vt Dominus maiestatis: morietur, non vinculo necessitatis, sed proposito voluntatis: morietur mirabiliter, morietur misericorditer, morietur singulariter, morietur per propriam potestatem, vt suam in omnibus adimpleat voluntatem, ad hoc enim misericorditer morietur, vt resurgens cunctis gentibus donetur. Morietur ergo sicut vnus, & quidem, quem Deum hominem concepit fides virginis, & Deum hominem peperit fœcunditas virginalis. Si nescis veram huius pueri deitatem, attende stellam in cœlo fulgentem, Magos præcedentem, & iter ignorantibus ostendentem. Hæc stella nunquam ante apparuit, quia nunc eam puer iste creauit, & Magis ad se venientibus per viam deputauit. Iste puer in præsepi quidem paruulus collocatur, sed magnus in cœlo mirabiliter operatur. Permittit se manibus in terra portari, sed præcepit sibi cœlestia famulari. Quid est ergo, quod infantilem attendis ætatem, & eius diuinam non intelligis potestatem? Sic fuit veraciter intimanda pueri huius naturalis diuinitas, & naturalis humanitas, vtraque naturaliter vera, vtraque vnita, nec in se inuicem confusa, nec à se inuicem separata. Ipsum enim habuit Maria filium de se natum, cui stella debitæ seruitutis exhibuit famulatum. Ipsum eundémque Maria in Bethlehem Dominum hominum peperit, quem stella Magis in oriente positis nunciauit. Magi ergo venerunt, & filium virginis vnum eundémque Dominum hominem cognouerunt: denique attende quid obtulerunt, & agnosce quid crediderunt. Refert enim Euangelista, quia *intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum, & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Per ista tria munerum genera, in vno eodémque Christo, & diuina maiestas, & regia potestas & humana mortalitas intimatur. Thus enim ad sacrificium, aurum pertinet ad tributum, myrrha ad sepulturam pertinet mortuorum. Omnia hæc sancta fides Christo veraciter offerre non desinit, dum vnum eundémque verum Deum, verum regem, verúmque hominem credit, vt verè pro nobis mortuum veraciter recognoscat. In oblatione thuris confunditur Arrianus, qui soli patri sacrificium deberi contendit: in oblatione myrrhæ confunditur Manichæus, qui Christum verè mortuum pro nostra salute non credit: in auro vero simul vterque confunditur, quia Manichæus de semine Dauid secundum carnem natum non credit regem, & Arrianus de vnigenito naturalem assignare nititur seruitutem. Proinde vterque non experietur regem, à quo per fidem regatur, sed à quo pro infidelitatis crimine puniatur; quia ab vno diuinitatis, ab altero carnis veritas denegatur. In iisdem muneribus confunditur etiam Nestorius; qui nititur Christum in duas personas diuidere, cum videt Magos, non alia Deo, & alia homini, sed vni Deo homini eadem munera obtulisse suppliciter. Non ergo diuidatur in personis, qui non inuenitur diuisus in donis. Propterea quippe vnus idémque istis muneribus honoratur, vt vnus idémque Deus & homo cognoscatur. Ista Magorum oblatio confundit etiam Eutychetis insaniam, qui non vult in Christo vtramque veram prædicare naturam. Veritatem quippe istorum munerum tollit, dum in Christo vnam naturam prædicare contendit. Nos itaque dilectissimi fratres, offeramus Christo indubitanter in fide, quod Magi obtulisse cognoscuntur in munere, vt verè diuinitatis humanitatísque confessio ipsa sit apud Christum nostra fidelis oblatio. Hæc munera cum Magis vnanimiter offeramus, & ad regionem sanctorum tota cordis deuotione tendamus. Nec teneamus viam veteris vitæ, sed diuinis mandatis humiliter obsequentes, viam mutemus, & in qua præcepit Dominus, ambulemus, vt ad patriam peruenire valeamus, vbi sine fine cum ipso gaudeamus: via enim hominis est vita eius? Qui malè viuit, viam tenet erroris: qui benè viuit, per viam graditur veritatis. Quapropter qui ambulabat viam fornicationis, viam teneat castitatis: qui viam tenebat auaritiæ, teneat viam vitæ: qui ambulabat per viam fictionis, viam teneat nunc puritatis. Ambulemus benè per fidem, vt perueniamus ad spem, vbi plenum erit gaudium nostrum, quia implebitur in nobis desiderium nostrum; per eum, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Occisio innocentum Herodi plus nocuit quã Christo aut pueris ipsis.

Fuga Christi in Ægyptum.

Ad quid Christus mortuus est non puer, sed vir.

Stella signũ deitatis in Christo puero.

Errores hæreticorum conuicti ex muneribus Magorum.

Exhortatio ad exemplũ Magorum.

Via hominis vita eius.

SERMO



SERMO BEATI FVLGENTII Episcopi, de charitate Dei ac proximi.



QVANTVM cupio Sanctitati vestræ debitum reddere de charitate sermonem, tantum me charitatis magis fieri video debitorem: nec inuenio qualiter possim verbis explicare præconium charitatis: in qua sic debemus, quamdiu in hoc sæculo viuimus, crescere inuicem diligendo, sicut eam iubemur semper debere reddendo. Beatus namque Apostolus Paulus, dum nos omnibus debitis præcepisset absolui, solo nos mutuæ charitatis debito semper voluit detineri, dicens: Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Ista est Apostolicæ summa doctrinæ. Hæc sunt consulta charitatis paternæ, vt nemini quicquam debeamus, nisi vt inuicem diligamus. Cum ergo audimus, vt nemini quicquam debeamus, non in hoc verbo remaneamus, sed audiamus & faciamus quod sequitur, vt nos inuicem diligamus: & inueniamus sanctam charitatē, quam semper debendo reddamus; & reddendo salubriter debeamus. Magna res charitas est, dilectissimi fratres, quam dicente Apostolo sic iubemur semper reddere, vt eam nihilominus iubeamur sine intermissione debere. O charitatis debitum bonum, debitum sanctum, debitum cœlestibus refertum commodis, debitum sempiternis plenum omnino diuitiis. *Magna, fratres, hoc debito lucra conquirimus, immensa commoda tali fœnore comparamus. Dum enim charitas à nobis redditur & debetur, omnis nostra iniquitas dimittitur & deletur.* Ipsam denique charitatem sibi beatus Dauid ad delendas iniquitates suas redonari poscebat, quando pro peccato graui Dominum lachrymabiliter exorabat. Nam cùm illecebroso quondam captiuatus aspectu, militis sui adulteraret vxorem, & scelere geminato maritum quoque interficeret innocentem: post perpetrationem peccati per Prophetam correptus oraculo, & post confessionem recreatus medicinali responso, dum pœnitentiæ verba supplici prostratus obsecratione depromeret, quibus Deum iustum regem regum, & Dominum Dominorum quantocyus placaret, inter cætera dixisse cognoscitur: *Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele:* & quoniam sine charitatis dono fieri non posse cernebat, illico subiunxit: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Cor autem mundum charitatis esse domicilium, his verbis commendat Apostolus, dicēs: *Finis enim præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Proinde duo quædam in his Prophetæ verbis diligentius consideranda sunt nobis: vnum quod à se poposcit auferri: alterum, quod sibi postulauit attribui. Petiit enim deleri iniquitates suas, cor autem mundum in se creari, & spiritum rectum innouari in visceribus suis. Quid est autem iniquitas, nisi praua cupiditas? Et quid est cordis munditia, nisi sancta Dei & proximi charitas? dicens igitur Propheta: *Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele*, statimque subiungēs: *Cor mundū crea in me Deus, & spiritū rectum innoua in visceribus meis*: quid aliud dixit, nisi dele à me maculam prauæ cupiditatis, & dona mihi gratiam charitatis? Aufer à me cupiditatem, per quam possum damnari: & dona mihi charitatem, per quam merear coronari. Aufer à me cupiditatem, propter quam in tormento sine intermissione doletur & gemitur: & dona mihi charitatem, per quam in cœlo sine fine regnatur. Si enim habuero charitatem, quam debendo reddā, & reddendo debeā, non timebo iniquitatem, quā sine fine dolendo persoluā. Bene igitur præcipit Apostolus: *vt nemini quicquam debeamus, nisi vt inuicem diligamus: hoc enim debito aufertur à nobis cumulus omnium delictorum, quia charitas cooperit multitudinem peccatorum. Nemo autem putet, fratres, sic à nobis oportere charitatem reddi, vt reddita desinat aliquando deberi: cum enim redditur, plus debetur: & eo magis acquiritur, quo redditur, cum debetur. Nam qui se charitatis non semper existimat debitorē, non se debito gaudeat absolutum: sed dono charitatis lugeat destitutum.* Neque enim habet charitatē quā habere destitit, quia prodigus debitor non reddendo perdidit, quam vt semper redderet, & semper haberet, accepit: quocirca tunc se nouerit perdidisse quod acceperat, dum non reddiderit quod debebat. Sed dicit aliquis. Cui hanc debeo? vel cui hanc me oportet reddere charitatem? Respondemus, Charitatem omnibus hominibus esse reddendam, id est notis & ignotis, & bonis & malis, & amicis & inimicis. Nam cùm beatus Apostolus dicat: *Ergo cum tempus habemus, operemur quod bonum est ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei:* euidenter ostendit, quod in opere charitatis sit quidem alius aliis præferendus, nemo tamen sit à charitatis beneficiis excludendus. Charitas itaque illa sancta, pura, & vt propriè dicam: *Charitas Christiana quæ patiens est, quæ benigna est, quæ non æmulatur, quæ non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, quæ non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, quæ omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, charitas quæ nunquam cadit, si complectatur amicos, vt dilatetur vsque ad inimicos: amicis se volentibus reddat, inimicis se nolentibus ingerat*: istos teneat, illos adquirat: istos oblectet, vt ex amicis non efficiantur inimici: illos inuitet, vt fiant ex inimicis amici. Recordemur, fratres, verborum Domini, dicentis: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos; & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Ecce Dominus vsque ad inimicos charitatem iubet extendi, & vsque ad persecutores Christiani cordis beneuolentiam dilatari. Et quæ merces operum tuorum dabitur? vel quod munus præcepto huic obedientibus confertur? Ipse demonstret à se præparatam charitati mercedem, qui per spiritum sanctum gratis ipsam dignatur infundere charitatem: ipse nobis dicat, quid pro charitate redditurus sit dignis, qui eandem

dem charitatem donare dignetur indignis. Dicat igitur Dominus, dicat, & proprio sermone magnitudinem nobis suæ promissionis ostendat: *Vt sitis*, inquit, *filij patris vestri, qui in cœlis est.* Cum enim diligendos præciperet inimicos, amarum forsitan erat, quod audienti iubebatur: sit quæso dulce, quod obedienti promittitur. Teneatur ergo dulcedinis huius in corde suauitas, & amaritudinis illius superabitur difficultas. Qui enim dilexerint inimicos suos, & benefecerint eis qui eos oderunt, filij Dei erunt. Quid vero accepturi sint isti filij Dei, Apostolus enunciat, dicens: *Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quia sumus filij Dei: si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Audite igitur Christiani, audite filij Dei, audite hæredes Dei, & cohæredes Christi, vt paternam possideatis hæreditatem, non solum amicis, sed etiam inimicis impendite charitatem. Nulli charitas denegetur, quæ ab hominibus bonis communiter possidetur. Omnes eam simul habete, & vt eam magis habeatis, & bonis eam & malis impendite. Possessio enim est bonorum ista communis, non terrena vtique, sed cœlestis, & ideo nullum in ea facit angustiari persona consortis. Tantum vero augetur charitas, quantum fuerit imminuta cupiditas: & illum facit charitas semper liberum, quem non tenuerit cupiditas mundana captiuum. Charitas donum Dei est, dicente Apostolo: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Cupiditas laqueus est diaboli, non solum laqueus, sed etiam gladius; per ipsam miseros capit, per ipsam captos interficit. Charitas est radix omnium bonorum, cupiditas radix est omnium malorum. Cupiditas semper cruciatur, dum rapiendo non sanatur. Charitas autem semper lætatur, quoniam quantum multiplicatur, tantum largius erogatur. Et ideo sicut adipiscendo pauperascit appetitor iniquitatis: ita reddendo ditescit redditor charitatis. Perturbatur cupiditas dum vlcisci quærit iniuriam: tranquilla est charitas, dum donare delectatur.



SERMO BEATI FVLGENTII

Episcopi, super Euangelium sancti Matthæi, Audiuit Herodes Tetrarcha, &c.



EVANGELICÆ lectionis, fratres hodierna narratio, opportunam collationem sensibus nostris attribuit. Audiuimus vitiis obuiasse virtutes, cùm Herodis nequitia, Herodiadis luxuria, sancti verò Ioannis veneranda iustitia demonstrata est: in tantum vt libenter susciperet mortem, ne videretur contemnere veritatem. Vide quæ tria in vnam conuenerint causam. Mirandæ res, si rectè discutias grauitatem Prophetæ, luxuriam muliebrem, & Herodis sæuissimam feritatem. Dicite mihi quid habetis cum Ioanne Baptista Herodes & Herodias, quos ad consortium adduxit nominum impuritas criminum? An hoc timetis, ne qui vobis vocabulis coniungimini, in luxuria forsitan separemini? Estote certissimi, quia sicut vno consensu caditis in luxuriam, ita vno nomine suscipietis sententiam. Tenetis in carcerem iustum, quia vobis legaliter interdixit incestum: quasi possit veritas alligari. Et si omnia membra vinculorum nexibus astringat, sola lingua non potest custodiri: cui liberum est veritatem ab impiis contaminari. At inquies: Quare impedit desiderium nostrum? Ille potest desiderium impedire, cui licet in tempore flagitia remouere. Nunc verò cum hoc tibi denuntiat Propheta, quia Domini voluntati displiceat, nemo ferè sapiens erubescit audire, quod non piguerit sine verecundia perpetrare. O humana dementia, vt luxurietur Herodes, necatur Ioannes. Nunquid propheta suo te terruit merito, & non diuino iudicio? Res est extremæ dementiæ, odisse loquentem, nec metuere iudicantem: quasi idcirco iam non timeas iudicem reticendum, si præconem possis negare clamantem, de quo Esaias testatus est, dicens: *Hic est vox clamantis in eremo. Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Iam veniendum est ad passionis fastigium. Paratum est conuiuale theatrum: producitur lasciua carnifex fœmina, quæ prophetam non gladio, sed saltatione prosternat. Molli puella gressu procedit in medium, homicidium petitura, & adultero placitura: alienum in pedibus portans sanguinem, & sceleris postulatura mercedem. Sic saltat, vt placeat sic placet: vt occidat. Proh nefas, vt luxum corporis sui mulier periculum petat capitis alieni. Quid agimus Ioannes? Quem non terruit vasta eremi solitudo, terrebit muliebris ista saltatio? Caput tuum mulier petitura est. *Sed melius est*, inquit Dominus, *vt vnum ex membris tuis abscindas, quam totum corpus tuum gehennæ ignibus tradas.* Et iterum: *Nolite timere eos qui occidunt corpus.* Ecce iam diabolo procurante ludens cœpit delectari puella, ad hoc solum vt possit occidere prophetam. Nescio quid habet semper muliebre nomen cum sanctis. Et Helias, in cuius spiritum venisse Ioannem testatus est Dominus, Iezabel reginam granem passus est inimicam, quam dum fugit, totam vitam suam in fuga contriuit. Cuius tantum timuit gladium, vt viuus fugisset in cœlum. Quocunque pacto persequitur mulier, si placeat, iugulat; si displiceat, peius excruciat: sed melius displicet cum corporis morte, ne animæ tollat, quod maius est, sanitatem. Quod iamdudum dicere perhorresco, placuit & saltatrix: sed quid mirum, si inter dapes largas, & poculorum frequentes procellas puella lasciuiens mulceat sensus, inclinet affectus? Vinum & saltatio, duplex incendium voluptatis. Insuper offertur luxuria quandocumque poposcerit præmium statim esse donandum, etiamsi dimidium regni fœmina petiisset, Salomone attestante: *quia non est caput super caput serpentis, & non est*

est malitia super malitiam mulieris. Et iterum: *Commorari leoni & draconi placebit in eremo, quã habitare cum muliere nequam.* Culmine igitur regni contempto, caput Ioannis petiuit in disco, plus odiens eum qui interdixit incestum, quam diligẽs eum qui promiserat regnum. Execratur magistrum disciplinæ, præsumit de mercatore luxuriæ. O nequitia fœminæ? elegit contemnere honorem, vt lucrum faceret sanguinem. Vere quia non cogitat de imperio cui charior est turpitudo. Recens exsecti capitis sanguis fluebat in disco, ad pietatem prouocans bonos, terrorem malis incutiens, hoc solum scilicet defuit regalibus mensis. Multorum credo iam capita piscium pecudúmque præcesserant, sed quantum est ad regiam voluptatem? Potuit hoc forsitan & priuata mensa conspicere. Nihil actum, nihil denique procuratum esset, si defuisset regio prandio caput humanum. Et hoc non passim aut fortè vulgare, sed de carcere ad mensam caput allatum est prophetale. Solent reges solemnitatibus suis magnas ac terrenas epulas quærere, Herodi cœpit & carcer delitias ministrares. Et ideo semper est Deo grata paupertas, cuius cibus non habet sanguinem, sed olusculum vile mansuetam supplet esuriam. Nam ribus pueris cibus, olus & legumina fuit. Alioquin nunquam vincerent flammas, si vellent amare delitias. Verè quia nescis quid agat impietas, cum eum quem odis, plus honoras quam damnas, vtique cum argenteo disco caput exhiberi iubes ad mensam, non est vt credis memoria crudelitatis, sed illius iam monstratur decus honoris. Ita enim portabitur & ad cœlum, vt inde tibi infensum iudicem excitet Deum, cui est gloria in sæculorum sæcula.



SERMO BEATI FVLGENTII Episcopi, de Sancto Cypriano Martyre.



CLARVM tanti martyris natalis diem, beati scilicet Cypriani, quo terrenis ac moribundis membris exutus, ad æternæ præmia vitæ transmigrauit, & sacerdotij eius doctrinam, & martyrij nobis victoriam commendauit, fecitque ex temporali quondam tristitia liberiorem. Dum enim inter periculum cruentæ mortis, & gloriam deuoti certaminis Episcopus confitendo patitur, Ecclesia orando compatitur. Quis nesciat, ac non potius prudenti consideratione cognoscat, hunc ipsum qui nunc annua circunstitutione festus nobis reuoluitur dies, Christianis ac religiosis mentibus illo tunc tempore fuisse solicitum, dum aduersus diabolum ab antistite suscepto culmine pia plebis expectatio trepidaret, atque ita fides resisteret persequenti, ne caro succumberet blandienti; ita pastor præcederet ne ouile desereret, desertúmque (quod absit) lupus inuaderet? Dolebat Ecclesia subtractum interim suo consortio tam clarissimum sacerdotem: sed tamen gaudebat prostrato aduersario Christi martyrem extitisse victorem. Erat in memoria doctrina laudabilis, versabatur ante oculos virtus mirabilis, quando tantus Deo seruabat quod docuerat, & quid cæteri facere deberent, non tam verbis, sed operibus demonstrabat, fidem sermonum exemplis rerum valida soliditate confirmans, credens & confidens pro omnium salute Christum mortuum, ac se pro eius nomine non subtrahere occidendum. Cuius enim sanguine tunc indignus redemptus fuerat, dignum suum sanguinem pro illo fundebat; & cuius sanguinem in hac vita fideliter biberat, ab ipso sibi æternam vitam reddi posse crediderat. Dedit enim eis benedictionem qui legem dederat, vt ambularent de virtute in virtutem. De virtute fidei syncerissimæ, in virtutem conflictionis constantissimæ, de virtute charitatis flagrantissimæ, in virtutem passionis gloriosissimæ. Credidit enim, loquutus est, dilexit & sequutus est. Audierat enim à Domino dictum: *Qui me diligit, sequitur me.* Et iterum: *Qui credit in me, non moritur in æternum.* Et pariter fidelis sequutus est vestigia Saluatoris. Interitus contempsit principum iussa & iudicum edictum. Paratus excepit percussoris ictum, & animum soli Deo subditum etiam ipsa mors seruauit inuictum. Denique nihil eum reuocauit à pastoris gregisque custodia exilij locus, apparitor violentus, persecutionis tempus, iudicis metus, imminens gladius, proximus mortis occasus. Nam & in exilio constitutus, atque ab Ecclesia sibi commissa corpore tantum non mente separatur, pauperum alimenta, & in occulto absconditus disciplinæ censuram, & à principe detentus virginum pudicitiam, & ad tribunal exhibitus clericorum tutelam, & minis actus robustam conscientiam, & subdolè consumptus spiritualem cautelam, & iniquè iudicatus Christianam patientiam custodiuit. Plebem frequentibus literis admonens, inopes largioribus eleemosynis fouit, martyres hortamentis pariter & exemplis ad subeundum prælium promouit, & donec ponat animam, non deserit curam. Denique custoditur & custodiuit proprij doloris securus contemptor, alieni pudoris solicitus conseruator, plus metuens luxuriæ quàm tristitiæ, magisque cauens diaboli oblectamenta, quam pertimescens multa tormenta. Pro fide aduersus leonem vigilat rugientem, pro castitate aduersus sibilantem dimicat. Vincit in suo corpore nequitiam sæuientis, in puellarum carne mollitiem blandientis, calcans minas persecutoris, vitat fallaciam deceptoris, nec in quoquam furenti cædit, nec quicquam furi violento concessit. Proinde considerantes eius luctam, perseuerantiam, victoriam pariter & coronam, & quid euaserit, quò peruenerit, dulci mentis speculo refouentes, annua deuotione cantemus? *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in venationem dentibus eorum, laqueus contritus est, & nos liberati sumus.*

SERMO BEATI FVLGENTII Episcopi, in Natali Apostolorum.



ELECTAT tantorum tractare margaritas sanctorum, delectat gemmas intueri dulcium piscatorum. Nec modus in colore, nec numerus in virtute, splendor varius, & diuersus ornatus. Hos lapides si cæcus aspexit, illuminatus effulsit. Si gestauit surdus, verbo Domini claros percepit auditus. Si aspexit hos lapides claudus in porta speciosa, cursum recipit, & templum fortiter intrauit. Testis est Petrus ad Thabitam, qualis sit splendor harum margaritarum, quando tantus exultauit numerus viduarum. Ergo & nos singuli singulos contemplemur. Quis eligens Petrum respuat Paulum? Quis quærens Andream contemnat Iacobum & Ioannem? nulla est diuersitas nominum, quia vna est corona gemmarum, vnus natalis Apostolorum, vna est lætitia populorum. Remotum est omne naufragium, timor excluditur piratarum: quia barcæ subueniunt dulcium piscatorum. Tuta sunt littora per Apostolica retia. Petrus in capite scaphæ cælestis, triumphat in littore, si Andream contempseris, vnus est vterus, vnus vsus, vnus innocens captus. Per pisces, piscatorum paupertas tollebatur, per animas in captura conclusas, gratia demonstratur, & regni cœlorum diuitiæ publicantur. In scapha Petri quis numerat pisces? quis in Euangelio Pauli numerat gentes? diuersa nomina, & vna captura. Ecce Iacobus & Ioannes neglecto patre, contempta matre, dimisso reti, sequuti sunt piissimum Redemptorem. Fiat itaque in solennitate sanctorum tam grande conuiuium. Ecce Matthæus præparat prandium, & Christus pransor ingreditur cum multitudine peccatorum. Pransor innocens, & rei conuiuæ, vnde conuiuij sui societate peccatores faceret in suo sacramento gaudere. Iudæi dicebant: *Quomodo cum Publicanis & peccatoribus manducat?* Nemo peccator secernitur, nemo reus auellitur. Omnes hospites Christi sunt, commune conuiuium est omnibus. Præparat prandium gaudiorum solennitas Apostolorum, iustus pascitur de gratia, peccator reficitur de indulgentia. Et si murmurant Iudæi, sed ditantur rei, facti securi: *Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me.* Simon ille Chananæus, qui mutauit nomen gentis, & inseruit florem suum coronæ virtutis, aptatus manibus Saluatoris, fulget de ista corona igneo vigore decoratus. Iudas zelotes zelans Domino, non commercium quærens Christum vendendo, pro illo zelabatur, non de illo paciscebatur. Inuenimus etenim ibi denigrato colore separatum lapillum, Iudam Domini traditorem speciem cum commercio defœdantem. O nomen! & nomen ille dicebatur, zelans zelaui Domino omnipotenti, & Iudas proditor pacta crudelia deducebat: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Ille zelatus est affectu Domini, iste excluditur dominici nota conuiuij: sed delectat magis primum cernere Petrum piscatorem, quia horrescit nouissimum respicere traditorem. Exclusus est de corona, complenda est ipsa corona. Qui elegit, ascendit: qui tradidit malè, pependit. Quis suppleat numerum in ista corona gemmarum, proponitur sortis diuinæ iudicium, Christus Mathiam diligit de cœlo, qui duodecim ordinauit in campestri palatio. Aperiuntur Sancta Sanctorum, profertur vrna aurea, vt verè de cœlesti aureo decorata. O sors bona! quæ elegit discipulum, vt integra permaneret corona gemmarum, quia Iudas solus pependit in laqueo. Ecce duodecima vestris oculis fulget picta corona, de cuius aspectu vt visa flata scintillis fulget congregatio vestra. Vbi est ille vas electionis? Claudat coronam pietatis, & lapidem Euangelij toto mundo tonantis. Bonus vltimus, quem elegit, primus & nouissimus: Saulus durus, factus est Paulus mansuetus, quibus tornulis aurificis iste est lapis aptatus! Testantur fundamenta carceris nocte commota, reorum vincula soluta, optioni donata gratia, & Apostoli probata corona. Pedes eius erant in neruo, & gressus eius in cœlo. Dicebat per carceri tenebras canticum nouum: vt vltimo neruo chordarum tredecim cytharæ lectorum cantet vobis lætitiam sempiternam Apostolica corona sanctorum.

SERMO

SERMO EIVSDEM Fulgentij de Martyribus.



ELECTAT videre campos segetum aureis maturatis calamis aristarum, delectabilius libet attendere campos Ecclesiæ, martyrum micantes plantas de vno cruore per agni sanguinem innocentem. Segetes etenim sunt passiones martyrum; *iuxta cursus aquarum*, rigati fontibus lachrymarum. Nam sic modo beatus Dauid martyrum purpurata germina & ante messores gaudiorum tanquam manceps secantia messoria cithara decantabat: *Qui seminant*, inquit, *in lachrymis, in gaudio metent.* Vbi seminant in lachrymis, nisi iuxta arborem crucis, vbi est fons proximus saluatoris? Inde de latere eius sanguinis guttæ stillarunt, & pluuia cruoris & aquæ seminata est tolerantiæ confessorum. De ipso ligno virentis, iuxta fontem sanguinis plantata virginitas floruit castitatis: inde plantata martyrum tolerantia cœpit seminis sui germina colligere purpurata. Nam vnde martyres tolerant, nisi per dominicam crucem? Vnde martyres, in quorum cordibus lex dei est, maledictiones non timent hominum, nisi quia Christus Dominus pertulit patienter improperia Iudæorum? Vnde martyres carcerum custodias delectabat intrare, nisi quia Dominus ductus est ad prætorium principis Caïphæ, & nocturnum crudelis prætorij carcerem non dedignatus est sustinere? Sed dicebat; *Traditus sum, & non egrediebar.* Vnde martyres de catenis & vinculis ferreis non curabant, nisi quia Christus Dominus teneri & alligari passus est à Iudæis, quia catenas mortis dirupit à mortuis iam sepultus: qui dixit eis; *qui in vinculis sunt, exite, & qui in tenebris sunt, vt videant lumen*: & qui dixit Lazaro post quatriduum iam sepulto; *prodi foras?* Traditus non egrediebatur foras, quia erat liber intus & foris. Inde martyres alapas non horruerunt, quia Christus maxillas suas ad alapas præbuit impiorum. Inde non nocuit martyres infusa aceti vel synapis acerrima violentia, quia acetum & fel Christi degustauerunt labia, non tali digna potatione à pincernis impiis, *quibus rupit petram & fluxerunt aquæ, & potauit eos sicut in abysso multa.* Vnde martyres nudati sustinuerunt, flagellati non fleuerunt, nisi quia Dominus nudatus est & flagellatus, atque præcinctus sub Pilato iudice, de quo ipse iudicium veniet iudicare? Vnde eculeis appositi cùm vngulis sulcarentur, apporiati dulcissimis decantationibus laborem faciebant cum pudore tortoribus, nisi quia crucem Christus Dominus ascendit, inimicos non accusauit, pro sua iniuria non defleuit, sed inimicis veniam postulauit, pio cantico psallens in ligno: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt?* Ista ergo seminatio sanguinis Christi fecit semina martyrum pullulare in campo matris Ecclesiæ, vt dicit Dauid: *Qui seminant in lachrymis, in gaudio metent.* Euntes ibant, & flebant, & non stabant, sed flentes ibant, & ad æternam patriam tendebant. Ciuitas prolongabat, & illi flebant, vt peruenirent, vbi desiderabant. Sic perrexerunt: quomodo reuertuntur? Non flentes, sed gaudentes: non adhuc seminantes, sed manipulos suos læta ceruice portantes: venient non opertis capitibus pallio velaminis propter cauma, sed lux super capita eorum, & lætitia pretiosa. *Venientes autem venient in exultatione portantes manipulos suos*, quos iuxta crucem Domini seminauerunt, & de eius resurrectione feliciùs messuerunt: & ei in nubibus occurrerunt offerentes ei germina sua accepturi sempiterna. O germina, quæ non vrit flamma! quia iuxta flumen sunt vitreum in Hierusalem, perpetuo virescunt flore immortalitatis vitæ æternæ. Nesciunt marcescere, quia non timuerunt pro iustitia flammis ardere, *quia agnus deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & delebit omnem lachrymam ab oculis eorum, & florebunt sicut lilium in medio Angelorum.*

AD NOVOS BEATI Fulgentij Sermones,

PRO LVSIVNCVLA.


EQVENTIBVS B. Fulgentij nouis ſermonibus, hunc titulum præfixum reperimus in MS. C. qui fuerat V. C. Nicolai Fabri, de re literaria optimè meriti. *Præfatio Diui Fulgentij in ſequentes homilias, ſiue ſermones.* Titulus hic, eſt haud dubiè adulterinus. Tum quia falſum eſt quod ſubiicitur, eſſe præfationem in ſequentes homilias: tum quia non videtur quod ſubiicitur, eſſe Fulgentij, ac ſi de ſtylo ferendum eſt iudicium, potiùs eſt Petri Chryſologi. Eum enim planè referunt congeminationes quæ hîc leguntur (ſunt autem Chryſologo perpetuæ) necnon periodorum conformatio, ac præſertim exitus, & diſtorta plerunque verbi collatio Chryſologo frequens. Cuiuſcunque verò demum ſit, principium potius videtur homiliæ cuiuſpiam, quam præfatio ad homilias ſequentes. Et quantum coniectura aſſequi poſſum, principium eſt non vnum, ſed geminum. Primum truncato vertice eſt, producitúrque ad illa vſque verba. *Proinde iam quid in Euangelio Dominus dixerit, audiamus.* Neque enim in conſequentibus, quicquam ex Euangelio proponitur. Eſt ergo ibi meta principij alicuius cuiuſmodi nonnulla edita ſunt inter Eucherij, ſermonum fragmenta à Liuineio ad calcem Studitæ; súntque vt eſt in Prouerbio, ephippia cuiuis equo accommodata. Sunt inquam aditus paulo excultiores, vnde in quamuis materiam pro concione tractandam fieri poteſt progreſſio. Alterum quod dicebam principium, continetur à verbis illis. *Inter principales ſtellas*, &c. éſtque Præſulis ad alienam plebem, coram proprio Præſule, ſacram homiliam habentis; quod docent verba illa. *Et quia magnis dapibus ſpiritualium rerum, ſubminiſtratione Domini fratris & conſacerdotis mei aſſueuiſtis expleri.* Hæc ad præfationem ſequentium ſermonum, præfari viſum. Ne autem multitudo eorum cuipiam ſuſpecta ſit, iuuat aduertere, S. Fulgentium huic ſcriptionis generi diligentem nauaſſe operam: quod docet cuius verba ſubiicio.

AVTOR VITÆ S. FVLGENTII,

Eius aliquando diſcipulus, cap. 29. *ſub finem.*


ATHOLICÆ *Eccleſiæ ſingularis Magiſter & Doctor, licèt inter varias occupationes hic in Africa parum vacaret, plurimos tamen Eccleſiaſticos ſermones, quos in populis diceret, ſcribendos dictabat, & vbicunque ſermonem faciebat, omnium animos demulcebat. Nec inanes & vaniſſimos plauſus, ſed compunctionem generabat cordis. Expectauit enim eum ſanctæ memoriæ Bonifacius Epiſcopus Eccleſiæ Carthaginenſis, apud Burnos Eccleſiam dedicans, duobus diebus ſe præſente tractantem: qui tantùm delectatus eſt audire verbum Domini de ore eius, vt donec ille ſermonem finiret, ipſe terram lachrymis irrigaret, gratias agens Deo, cuius gratia ſemper in Eccleſia Catholica, ſummos excitat præclaróſque Doctores.*

Cæterum quamuis his B. Fulgentij ſermonibus qui prodeunt nunc primùm, medelam quam licuit pleriſque locis adhibuimus: tamen quibuſdam locis peſſime affectis, & citra ſubſidium manuſcriptorum Codicum, immedicabiliter ægris, quicquam mutare religio fuit. Quare vti habebant, dimiſſa ſunt, donec Chiron aliquis affulgeat, præſtiturus ſanationem plenam, iis adiutus præſidiis quæ nos defecerunt.

PRÆFATIO.

DIVI FVLGENTII

In ſequentes homilias, ſiue ſermones.

CVM ſuam in nobis vult exercere charitatem, ſolitam vobis ſancti Sermonis ſui non exhibuit claritatem. Itaque & nos obedienter conuenit facere quod voluit, & vos libenter tolerare, quia luit. Orate ergo pro nobis, vt verbis noſtris facta conueniant, quia cupimus magis precibus veſtris adiuti factorum fructibus opimari, quam verborum foliis obumbrari. Exhortamur charitatem veſtram, dilectiſſimi fratres, vt impigrè & vigilanter verbum Dei miniſtrantibus fratribus & Compresbyteris, vos audire non pigeat. Dominus enim & Deus noſter, ipſa veritas quam auditis, per quemlibet loquatur, piè & vigilanter audienda ſunt quæ loquitur. Nam in nobis nemo eſt maior, niſi qui minor fuerit. Proloqui autem vobis voluimus ex more, vt ea quæ dicimus, faciatis amore. Omnium quidem ciborum ſal ſalubre eſt condimentum, ſi menſura non deſit. Alioquin & ipſum perit, & quod ſalierit perdet. Amarat enim nimietas, quod poterat ſaporari menſura. Sic qui in nobis eſt ſenſus, ſi teneat modum, dat ſapere, intellectum parit, prudentiam generat, cor dilatat, auget ingenium, maturat dicenda, audienda componit: fitque ſibi dulcis, fit etiam guſtantibus tota dulcedinis plenitudo. Erit etiam planè ipſe melleus ſenſus, de cuius ore prolatum fuerit nihil amarum. Hoc præmiſimus, vt ſit nobis in Euangelicis ſententiis, noſtri ſenſus certa conſtringenda menſura, quatenus vitalem cibum, diuinum paſtum, cœleſtem ſaporem non violet, ſed cautiſſima nobis ſobrietate cuſtodiat, iuxta illud Apoſtoli. *Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* Proinde iam quid in Euangelio Dominus dixerit, audiamus. Inter principales ſtellas, Septentriones, Oriones, & Luciferos, ſtella ſemper minutior obſcuratur claritate magnarum: ſed non ita eſt in cœlo nouo matris Eccleſiæ, in quo ſtella ſeminis Abrahæ fidei fulgore coruſcat. Vbi nunc me tanquam paruiſſimam ſtellam inter ſydera Patrum ipſis allucentibus & præcipientibus procedentem non obſcurari, ſed clarificari confido. Vt quod minus habeo de circulo ſyderis mei, de ſplendore merear paterni oraculi, & auditus veſtri & cordis intenti, quod mihi eſt velut cœlum, in quo mei ſermonis adiuta ſtella procedat, & paterna interpellatio cum veſtro fauore ſuccedat. Secura pugna eſt iaculatori ſagittarum, cum protegentium tegitur mutato agmine clypeorum. Cùm igitur ſcuto benignitatis Patres me video munientes, non timeo de parua pharetra tenuiſſimos iaculare ſermones. Vt cum infirmæ vocis ex arca trepidantium labiorum, iaculatur ſermonis incompti ſagitta mei cordis, non timeat protecta lorica Sanctorum Patrum clypeata corona. Sagittæ namque ſunt etiam ipſæ potentis, de arcu parui ſermonis, quæ cum carbonibus deſolatoriis, & noſtra deliquent verba, & veſtra illuminent corda. Vt & inſidianti, ignita extinguantur iacula, & veſtra libenter audiat ſapientia ſine laborioſa pugna de paterna victoria. Video quidem fratres dilectiſſimi alacritatem animi veſtri, & impigrum ſtudium, luminoſumque feruorem: ſed ne in hac veſtra agilitate piger ipſe reperiar, non videar ſuperfluus, quod excito vigilantes, exhortor accenſos. Etſi enim tantum agonem in vobis inuenit ſermo, vt plus non poſſit accendere, vobiſcum tamen vult & ipſe feruere. Terret meam paruulam rudémque facultatem Sanctorum Patrum antiqua doctrina, & veſtra fratres intentio luminoſa, ſed rurſum me exhortatur & illorum iuſſio, & veſtra benignitas. Nam etſi cum eruditiſſima examinatione dicta perpenditis, ita tamen in Chriſto omnes pinguiſſima charitate diligitis, vt non ſolùm fortes & mediocres, ſed etiam tenues & pauperes libenter audiatis. Loqui verbum Dei cognitis & amicis magna fiducia eſt charitatis, vbi fructus præſumitur pietatis. Vt ſi quid etiam minus compti profertur eloquij, facilè ignoſcat amicus, cui non eſt dictor incognitus. Nam in hac parte Prophetam Ezechielem de exequendo præconio dubitantem, confortat omnipotens Deus, ne de ſua imperitia trementer excuſans ceruicibus paruis ſub magno Prophetiæ onere vacillaret. Dicit ad eum Dominus: *Quare dubitas? Non enim ego ad gentem alienam mitto te, ſed ibis ad populum tuum non ignotæ linguæ, ſed cognitæ.* Nec dicturus es, linguam quam non noueram audiui, vna eſt lingua, paria ſunt verba, ciuilis eſt audientia. Et ne eſſet aliquid quod reprehenſibile cognitis in amico cognito videretur, porrigit ei librum intus & foris cœleſtibus calamis exaratum, & iubet eum auidis faucibus abſorbere, vt inde poſſet guſtatas delicias eructare. Accepit, deuorauit. Inſtructa eſt lingua, obdulcata ſunt membra, & cœpit de homine diuini magiſterij ſuauiter vorata reſonare peritia. Sic & nobis dignetur Dominus iſtius libri donare delicias, vt ipſe doceat, quod homo non docuit. De cognita veſtra non timeo ciuili congregatione, præſumens, quia qualemcumque gaudebitis audire ſermonem. Quotieſcumque diuini ſermo profertur imperij, & regalis in medium doctrina tractatur, adſunt Angeli miniſtri verbi Dei, commendatores eloquij, & interpretes ſacramenti. Adfuit enim beato Daniel Gabriel interpretator, cùm ei à dextris Cyrus aſſiſteret Imperator, & ait: *Gabriel fac intelligere iſtam viſionem.* Iſte idem Dominus & nunc iubeat inter ſancta & magna colloquia, tanto nos Angelo commendari, vt interpretationis

tationis Angelicæ accipere mereamur rationem. Tunc poterimus aptum quoquo modo ad vestram charitatem cum fiducia proferre sermonem. Sancto & dulci & largo sermone, plurimóque affectu non nescio semper dilectionis animos esse perfusos. Et quia magnis dapibus spiritalium rerum, subministratione Domini *fratris & consacerdotis mei*, sæpius assueuistis expleri, quibus ausibus, quáve fiducia poteritis oblectari, non potest comprehendi. Hoc mihi proponens tantillus homo minus audeo, quàm præsumo. Sed quoniam communi voto * iussis parere contendo, erubescere non recuso. Et ideo velut aduocationem quandam paruam profero mediocris, non vt animum expleam, sed vt fastidium tollam. Ergo si satis non sorduerint quæcumque fuerint, libenter quæso accipere dignemini. Adhibete huc intentas aures, qui amatores estis verbi Dei, & considerate diligentius, quæ Domino donante dicere poterimus. Quantum enim prædicantibus nobis creditur verbum Dei, tantum vobis sacramentorum cumulus augetur. Sed sicut quis exiguo vectus nauigio ingreditur mare, donec terræ vicinus est, minus metuit; cum verò paulatim in altum fuerit progressus, & vndis intumescentibus cœperit in ima deduci, ibi continuò mentem pauor inuadit, & formido percellit, quòd exiguam ratem immensis fluctibus credidit: ita etiam nos pati videmur, qui exigui meritis & ingenio tenues, tam vastum mysteriorum pelagus audemus ingredi. Sed si orantibus vobis Dominus dignetur Spiritus sui sancti auram nobis prosperam dare, secundo verbi cursu portum salutis intrabimus. Nunquam facilè auspicia nostræ temeritatis erumperent, nisi vester erga me primatus ac dilectus affectus, veniam dicendi mihi tribuere dignaretur audaciæ. Quodcumque ergo potuerimus de diuinis fontibus haurire, & ad potanda vestra pectora spiritaliter tradere, quæso vt dignemini libenter accipere.

*Deest, *huc aduocor*, aut quid simile.

IN NATALI CHRISTI.

INclinantur organa de cœlis, quæ Dei gloriam possunt cantare nascentis. Descendentibus namque Angelis ætherea geritur per ventos Ecclesia, vt cœlestis patriæ exemplar iam viuam transferatur ad terram. Vbique silentium, quia organis cœli vniuersa succumbunt. Silentium Prophetarum, taciturnitas sacerdotum, melodia sola modo est competens Angelorum. Zacharias tacet in templo, Angeli cœperunt hymnum cantare de cœlo, qui faciunt & stellam micare, & noctem lucere, Pastores vigilare, oues ruminare, agnos tripudiare. Nuncius clarus, suauis cantus, mitis Dominus natus, Pastoribus virtus, pecoribus pastus, Angelis cantus. Describit beatus Ioannes millia centum quadraginta quatuor, in Sion monte, hymnum cantare suauem, in modum citharœdorum, sed alter est sonus Angelorum. Pastorum stupuere ora pendentia, agni & oues siluere, tanquam ad tibiam pastoralem, cùm Angeli nunciant in præsepe iacentem hymno mulcente Pastores. Pater Abraham desiderat in veritate suscipere Trinitatem, quam susceperat in imagine sub tentorio conuelante. Isaac gaudet sub Bethlehemitica casa, velut sub centenaria spica ad triticeam medicinam illustratur, iam non visitatur. Pater Iacob ille sub scala conspectat Dominum non scalæ incubantem, sed de terra nascentem, in præsepe iacentem, vbera materna lactentem. Ducatum gerit Moses Israëliticis populis; quia suscitatus est nobis Propheta de fratribus nostris. Esaias sub vinea dilecta concantat, faciens sub palmitibus spinosis Ecclesiam, quia puer natus est nobis, filius datus est nobis. Qui inuitat Pastores ad præsepe, electurus est piscatores ex littore, facturus organa terrestria, declinando cœlestia. Iam Matthæus hominem pingit Deum, quem Spiritus pinxit sanctus in virginalium tabella membrorum. Iam incipit Marcus Euangelista Leonem producere, non de venatoria cauea, sed de stabulari spelunca. Iam Lucas Euangelista vitulum portat pontificalibus humeris saginatum, vt pascatur de eo genus humanum; & iam terra tota sulco crucis aratur, in semine lachrymarum, in manipulis gaudiorum, & vituli saginantur ad Christianarum conuiuium nuptiarum. Aquila ecce iam volat, & vsque ad pectus Dominicum suarum Ioannes declinat remigia pennularum, vt de pectore Christi accipiat odoratum, & volatum suum pertendat ad cœlum, volatu cantúque persulcans. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Delectat enim Euangelistas cum Christo Domino nascente in terra ambulare, cum patiente rugire, cum moriente sacrificare, cum resurgente & ascendente volare. Ab Oriente & Occidente producunt pennas aquilæ, dimittendo terram, tradendo membra, tolerando tormenta. Pennæ martyrum vsque ad nostra littora nauigarunt, & nos ad Dominum volare pennis iustitiæ docuerunt. Ossa martyrum, membra Sanctorum, pennæ sunt aquilarum, quas cantus inuitat Angelorum, volatúsque cœlorum, vt fiat lætitia Pastorum, ruminatio ouium, nutritio dulcis agnorum, quia natus est agnus Dei, qui tollat mundi peccatum.

IN NATALI S. STEPHANI.

HEsterna die celebrauimus natalem, quo Rex martyrum natus est mundo: hodie celebramus natalem, quo primicerius martyrum migrauit ex mundo. Oportebat enim vt primo immortalis pro mortalibus susciperet carnem, sic mortalis pro immortalibus * susciperet mortem. Natus est Dominus vt moreretur pro seruo, ne seruus timeret mori pro Domino. Natus est Christus in terris, vt Stephanus nasceretur in cœlis. Ingressus est Dominus mundum, vt Stephanus ingrederetur in cœlum. Altus ad humilia descendit, & humilis ad alta ascendit. Filius Dei factus est filius hominis, vt filios hominum faceret filios Dei. Fecit Christus miracula, fecit & Stephanus. Nunquid Stephanus potuit facere sine Christo? Viuebat enim Stephanus de Christo, sicut sarmentum de vite. Miraris fructum de sarmento pendentem, & vide sarmentum in vite manentem. Ea, Sancte Stephane, dic aliquid de Iudæis, vt incipias lapidari, quo possis coronari. Iaculare verba, & excipe saxa. Dic aliquid de incircumcisis cordibus, & morieris lapidibus. Dic aliquid de eo cuius nomen nolunt audire, & erubescant & sæuiant, & muta fiant labia dolosa. Dic eis, vbi vides viuum, quem irriserunt crucifixum. Dic eis, vbi eum vides, & hîc non viues, sed cum eo melius viues. Dic eis, quia nihil est quod fecerunt, viuit enim quem occiderunt. Dic eis, quia eum vides in cœlo ad dexteram Patris adstantem, quem irriserunt in cruce pendentem. Et ille Sanctus Stephanus. *Ecce*, inquit, *video cœlos apertos, & filium hominis stantem*

II. Est apud Augustinum serm. 1. de Sanctis.

* contemneret.

tem ad dexteram Dei. Clamantes autem continuerunt aures suas. Aures clauserunt, & ad lapides cucurrerunt, impetúmque fecerunt omnes in eum. *Et lapidabant Stephanum inuocantem & dicentem.* Adhæsit anima mea post te, quia lapidatur caro mea pro te. Orauit Christus pro crucifixoribus suis, orauit & Stephanus pro lapidatoribus suis. Dominus Christus orauit adfixus in ligno, & Sanctus Stephanus, genu flexo. Qui stando suum spiritum commendauit Domino, pro illorum delicto fixo genu orauit. Orabat Dominum pro inimicis, vt amicus dicens: Certè ego patior, ego lapidor, in me sæuiunt, & in me fremunt: sed *ne statuas illis hoc peccatum*, quia vt hoc dicam tibi, à te primo audiui. Ego seruus tuus patior, sed multum interest inter me & te. Tu Dominus, ego seruus. Tu Verbum, ego auditor Verbi. Tu magister, ego Discipulus. Tu Creator, ego creatus. Tu Deus, ego homo. Multum interest inter peccatum istorum qui lapidant me, & illorum qui crucifixerunt te. Quando ergo dixisti, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*: pro magno peccato petiisti, & me pro minimo petere docuisti. *Domine*, inquit, *ne statuas illis hoc peccatum*: Tanquam diceret, ego patior in carne, isti non pereant in mente. Illi lapides mittebant: & Sanctus Stephanus orationes fundebat. Magna pietas fratres, magna clementia. Prorsus qualia in mensa Domini sui comedit, talia & ipse in suo conuiuio præparauit. Scriptum est in lege: *Ad magnam mensam sedisti: scito, quoniam talia te oportet præparare.* Talia ergo in oratione exhibuit, qualia in sui Domini mensa comedit. Dominus Christus dixit, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*: Sanctus Stephanus dixit, *ne statuas illis hoc peccatum: & hoc dicto obdormiuit in Domino.* O somnum pacis! quid illo somno tranquillius? quid illo somno quietius? qualis ibat ab amicos, qui sic diligebat inimicos. Nam vt nouerit sanctitas vestra, quantum valuerit oratio Sancti Stephani martyris, recurrite nobiscum ad illum adolescentem persecutorem nomine Saulum, sicut ex libro dum legeretur audiuimus: qui cum Stephanus lapidaretur, & ab ipso omnium lapidantium vestimenta seruarentur, vt tanquam in manibus omnium ipse lapidare videretur: hic cum iret in via, *subitò circumfulsit eum lumen de cœlo, & audiuit vocem dicentem sibi, Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Et ille, & tu quis es Domine? Et Dominus ad eum, ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris; quid mihi & tibi?* Quare te erigis contra me malo tuo, & te non potiùs humilias bono tuo? Ad tanta mala quæ commisisti in me, olim quidem debui perdere te, sed Stephanus meus orauit pro te, *Saule, Saule, quid me persequeris?* Sed quia insanis contra nomen meum, ego te faciam seruum meum. O Saule lupe rapax, comedisti, expecta paululum, & digeres. Dicam plane, elisus est filius perditionis, & erectus est vas electionis. Nam si Sanctus Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet. Sed ideò erectus est Paulus, quia in terra inclinatus, & exauditus est Stephanus. Ergo quod fecit Saulus, patitur Paulus: quod fecit persecutor, patitur Prædicator; quod fecit lupus, patitur Agnus; quia sic est in tali homine vindicandum, vt discat pati quod faciebat: sentiat & ipse quod aliis inferebat. Dicitur Ananiæ à Domino Iesu Christo, vade ad eum, & signa eum signo meo. Abiit Ananias, baptizauit Saulum, & fecit ex lupo agnum. Cœpimus habere nos prædicatorem, quem Sanctus Stephanus habuit lapidatorem. Sic ergo exauditus est Sanctus Stephanus, vt eius orationibus deleretur peccatum, quod commiserat Saulus. Commendemus ergo nos orationibus eius, multo magis enim nunc exauditur pro veneratoribus suis, qui sic exauditus est tunc pro lapidatoribus suis.

DE NATALI S. STEPHANI. III.

Dominus noster Iesus Christus, pastor bonus, mitis & pius, oues suas miscet inter lupos in hoc sæculo: vt eas adiuuet de throno suo. Vis videre quicumque es, Christiane, Dominum Iesum Christum oues inter lupos miscentem? Ipse in præsentis Euangelij lectione clamabat dicens: *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum.* Vis iterum videre Dominum Iesum Christum oues suas de luporum manibus educentem? Ipse clamat & dicit: *Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis.* Lupus destruitur, quando pastor occiditur. Ouis redimitur, quando pastor crucifigitur. Non enim timere debent oues missæ in medio luporum. Ad hoc enim lupis miscentur, non vt in ipsorum malitia commutentur, sed vt lupi in innocentia ouium conuertantur. Sed si nolunt fieri Agni, oues non deficiant, sequentes Agnum qui tollit peccatum mundi. Ecce enim prima ouis Sanctus Stephanus quomodo testimonio fidei lupos excutit proclamantes, & oculis suis cœlos cernit patentes. Optima ouis pugnans in medio luporum. Sequens, non adhuc perueniens ad Dominum, & iam amicus est Angelorum. Quam manifestè familiaris Angelis erat amicus, qui in medio luporum vt Angelus parebat. Adapertis etenim cœlis, aspectus mutatus est Confessoris; & cœpit tanquam Sole illustratus iustitiæ resplendere, vt humanam speciem non haberet ipsis patentibus cœlis, ipsis fatentibus inimicis. Nam stabat in medio luporum, & erat facies eius tanquam facies Angeli stantis in medio Iudæorum. Quid agitis, ô Iudæi! non timetis ouem Christi primam pedissequam, quæ habet in fronte sua nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti? Istud est signum, quod vobis in Stephani fronte lucebat, hoc signum viderunt cœli & patefacti sunt, & tanquam ostenso signaculo in specie Angelorum, patefactæ sunt portæ cœlorum. Venit enim Sanctus Stephanus cum clauibus fidei, & ipse sibi aperuit, quod fideliter credidit, & libenter aspexit. Quod ergo vidit, non tacuit. *Ecce*, inquit, *video cœlos apertos, & filium hominis stantem ad dexteram Patris.* Sed quid restabat, vt cœlis patefactis videret, nisi ipsum qui in cœlis ascenderat Dominum Saluatorem? Nam istos cœlos omnes videmus, sed clausos, non patefactos; lucentes in stellis, non micantes in Angelis. Iste autem iam non homo, sed Angelus homo, sedem palatij Domini sui non aspicit clausam, sed patefactam. Non videt Angelos, sed Archangelos; siquidem & ipsos aspicit, sed ipsum prædicat, cui testis erat. Ipsum præconat, cui est famulus in agone perfectus. Nam quanta fuerat Sancto Stephano gratia donata? videbat exercitum cœlestis militiæ stantem: videbat hominis filium ad dexteram patris sedentem. Ecce videt Dominum qui iam migrabat ad Dominum

Habetur inter homilias S.Aug. serm 69. de diuersis.

num, confessionísque merito aspicit congregationem cœlestium potestatum, qui iam migratus erat ad prouinciam mortuorum. Sed inter mortuos clamabat, qui inter lupos coruscabat. *Ecce*, inquit, *video cœlos apertos, & filium hominis stantem ad dexteram Patris.* Gaudeant amici, si blasphemant inimici. Non taceat ouis testificando, etsi lupi clamant blasphemando. Concluserunt enim mentes suas, & dixerunt, blasphemauit. Hoc dixit & Caiphas princeps Iudæorum de hominis filio patiente, & omnia tolerante. Cum enim diceret Dominus noster Iesus Christus suspensus in cruce: *Amen dico vobis, amodo videbitis cœlos apertos, & filium hominis stantem ad dexteram patris.* Clamauit Caiphas, dicens: *blasphemauit.* Caiphas conscidit vestes, isti ipsas clauserunt mentes. Caiphas vt nudus remaneret; isti vt in sua malitia permanerent. O magnum miraculum, cœli ianuæ aperiuntur, & Iudæi mentes impias concluserunt. Sed sanctus Stephanus non tacuit, non defecit, nec blasphemantibus cessit. Ibi attendebat, vbi oculos cordis aperiebat. *Ecce*, inquit, *video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.* Sed quid mihi irascimini, pro tanta testificatione Iudæi? Numquid mea iussione aut potestate patefacti sunt cœli? Patefacti sunt, non vt meam gloriam proderent, sed vt pastorem meum, in meum astantem adiutorium, demonstrarent. Considerate igitur & videte quàm longè sum à cœlis, positus vobiscum in terris. Nunquid ego attingere potui, & ianuas aperire cœlorum? Palatium suum ipse mihi aperuit Dominus Angelorum. Merito quodam modo video, & quod video, non taceo. Non eum contempsi in cruce pendentem, ideo video ad dextram Patris sedentem. Vobis istud est datum de cœlestibus testimonium, sed si non creditis, ego quid feci vobis? Cœli aperti enarrant gloriam Dei, & ego taceo misericordiam Christi mei? Video Christum in sua gloria sedentem, pro mea salute astantem. Ipse mihi testis est in cœlis, ego ei non ero testis in terris? Si eum fuero confessus coram hominibus, confitebitur etiam ipse me coram Angelis suis. Si autem negauero eum in terris, & ipse me negabit in cœlis. Sed pro tam fidelibus testimoniis lapides iactatis, mentem clauditis, integra vobis & manifesta dicentem audire non vultis? Cædite, cædite lapidibus confitentem; habeo meum ad Patris dexteram adiutorem. Vos cæditis caput meum: ego illi commendo spiritum meum. *Domine*, inquit, *Iesu, suscipe spiritum meum.* Isti maledicunt, tu benedic. Isti persequuntur, tu suscipe persecutum. Non sine causa Iesus meus, Domine meus, pro me ad dexteram Patris dignaris astare, quem noui & credo ad dexteram Patris sedere. Pro me est quod stare dignaris, qui stando non deficis, qui tuos adiuuandos non deseris. Tu me Domine meus misisti in medio inimicorum, me dignatus es facere primum Martyrem post tuam ascensionem. Si vis vt non deficiam à te, adiuua me. Cesset contusio petrarum, ne deficiat in me fortitudo membrorum. Pro me enim Domine meus, appellas dum stas; vocis tuæ legationem audio. Credo, suscipio, cognosco, pro me apud Patrem postulantem, donantem & adiuuantem, ne mea fides deficiat sequendo te. Quid dicit Iesus meus, Dominus meus, petendo pro me apud Patrem? Pater, ecce iste primus pedissequus, nouam pro me mundi intrauit palæstram; dona misericordiam, perueniat ad victoriam, sentiat ouis mea se adiuuantem, ne me inter lupos existimet traditorem. Ecce video stantem, præsumo pro me postulantem. Et ideo Domine meus, qui spectas certamen meum, suscipe spiritum meum. Verùm quia non timeo Domine lapidata membra, pone spiritum meum in requiem sempiternam. Inter istos sum deputatus tanquam ouis occisionis: apud te ponar in requie suauitatis & pacis. Iudæi lapidabant: iste ingemiscebat. Iudæi cædebant caput: iste commendabat spiritum. At vbi de spiritu commendato cœpit esse securus, & pro inimicis factus est aduocatus, & non sicut pro se petebat, ita pro inimicis interpellat. Hic stabat, quando Christum videbat, hic genua figebat, quando pro inimicis orabat. Ipsa enim necessaria erat aduocatio pro tantis ac talibus inimicis. Sciebat enim quod eum Dominus Iesus non cito posset audire, sed pro ipsorum peccato, non pro merito suo. Ideò pro tanta iniquitate lapidantium Iudæorum genua figebat, lachrymas effundebat, dicens: *Domine, ne statuas hoc illis ad peccatum.* Vide quicunque Christiane, quomodo ouis ista in omnibus sequitur, & pastorem imitatur. Dominus Christus suspensus in cruce clamabat: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*; iste dicit, *Domine suscipe spiritum meum.* Dominus Christus pro inimicis clamat: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt*; iste dicit: *Ne statuas hoc illis in peccatum.* Et manifestè fratres mei, in medio lapidantium istorum qui amplius sæuiebat, beatus Apostolus Paulus præsens erat. Si ergo tunc daretur Stephano de lapidante vindicta, quomodo talem magistrum habuisset Ecclesia? His dictis emisit spiritum, ascendit in cœlum, veniam meruit inimicis. Gaudere meruit in cœlis de amicitiis beati Pauli subsequentis, quia ipse est Dominus qui facit sterilem matrem in domo filiorum lætantem. Ecce hoc sanctus Stephanus meruit, qui videbat filium hominis stantem, quem nouimus ad dexteram Patris sedentem. Petamus enim vt interpellet pro nobis, & pro peccatis nostris, & eruat nos à tantis periculis & parturitionibus vniuersis, pro pietate sua, non pro conscientia nostra. Nam qui aut quanti fontes peccati nostri flammam possunt extinguere? Ipse dignetur nostra crimina sepelire. Vt sicut in monumento nouo ad modicum commendauit membra sua, sic in fonte indulgentiæ sepeliat peccata nostra, vt nobiscum semper gaudeamus in Ecclesia sacrosancta.

DE EPIPHANIA DOMINI. Et de Innocentibus. IV.

CHristus natus est, lætantur cœli simul & terra: quia gaudet stella, & Magi offerunt munera. Obtulerunt Magi xenium magnum, quia cantauerunt canticum nouum in medio pastorum, dicentes. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Obtulerunt xenium & stellæ cœlorum. Ecce enim stella de medio stellarum, velut in magna legatione directa processit. Aspicit Magos iter agentes, viam nescientes, & Dominum requirentes. Dicitur stellæ, vade, ostende eis viam; hæc est gratia mea diligentibus me, in stella habeant præcursorem. Ecce dum viam considerant Magi, ad munera prompti, de via ignari, de Domino minus instructi, dedit eis stellam, vt in nocturna deductione lampadem. Præbuit eis faculam, vt in nocte non paterentur iniuriam. Cœperunt stellam sequi, facti certi, instructi legati, vsque ad locum deducti; inde stella secedit, vbi Magis Dominum demonstrauit. Cum enim quis cœperit

perit cognoſcere dominum, nullum neceſſe habet timere inimicum. Ecce quanta meruerunt, qui Domino munera obtulerunt. Ita & nos deducunt Angeli, quando offerimus gloriam Domino perpetuo Regi, offerimus ei gloriam & honorem. Præbent nobis Angeli deductionis ſuæ dulciſſimam ſeruitutem. Sed munera perpendenda ſunt pro qualitate perſonæ. Imperator eſt; auro debet ornari: Dominus; incenſum ei debet offerri: homo factus pro nobis, vt habitatet in nobis; de myrrha debet fieri ſepultura: vt in corde noſtro maneat viua memoria, & appareat nobis ſemper in gloria. Et admoniti ſunt Magi in ſomnis ab Angelo, ne reuerterentur Herodi nunciare, ſed per aliam viam ad ſuam pergerent regionem. Tunc Herodes cum videret ſe à Magis eſſe deluſum, facie immutatus, animo conturbatus, Scribas & ſeniores vocari miſit, de quibus ſciſcitabatur, dicens: Vbi certum habetis Regem futurum naſci? Illi autem dixerunt: In Bethlehem: ſcriptum eſt enim: *Et tu Bethlehem Iuda, non minima eris in ducibus, ex te enim exiet Rex, qui regat populum meum.* Tunc Herodes armatum militem deſtinauit, cui terribilli iuſſu interminans dixit. Ite in Bethlehem Iudæ, & quicquid ibi inueneritis à bimatu & infra, maſculum, occidite, fæminam autem viuificate. Tum modo videbam Dominum amicos ſibi diligentem, Innocentes ad ſe vocantem, vt ſit innocens amicus, ſicut eſt innocens Dominus, agnus immaculatus, qui tulit peccatum mundi. Et facti ſunt ei innocentes amici, ſicut ſcriptum eſt. *Innocentes & recti adhæſerunt mihi, quia ſuſtinui te Domine.* Suſtinuit fugiens in Ægyptum, & fecit ſibi amicos legiones infantium, quibus dedit ſine dolore martyrium: quia & dolebant matres, & neſcientes lætabantur infantes. Non curabat gladium percuſſoris conſcientia innocentis, quia gaudebat cum illis fuga innocens Saluatoris. Dominus quæritur, & amici iugulantur, vt lugeret eos ſanguis innocuus, quos ſeparauit gladius impudicus. O inuerecunda dextera percuſſoris. Non habet quod feriat in membris, & extendit brachia feritatis. Gladius locum non habebat, & carnificem non pudebat: latior erat machæra quam viſcera, vt gladius haberet crimen, & non innocentia. Dum enim auellerentur à complexibus matrum manu ſeuera tortorum, matres ſuas digitis teneris conſtringentes, & miſeris gemitibus deplorantes, clamabat mater: O fili, quid me retines? & te à me ſeparat carnifex. Tu ſtringis manus, & meus torquetur affectus. Hoc præcepit Rex, vt ſepareris à me, ſed eſt æternus Rex per quem coniungaris ad me. Fili, facio tibi vale. Terra bibit ſanguinem tuum, ſed Deus ſuſcipiet ſpiritum tuum. Alia ex parte clamabat, & alia mater plangebat, vbique luctus, vbique gemitus. Indictio fuit non cupiditatis, ſed orbitatis. Clamabant ergo hinc & inde diuerſæ matres. Carnifex paruulum meum à me feſtines diuellere? Dona moras ſi habes pietatem. Tu tollis à me filium meum, & ego in illo non debeo habere momentum? Ego genui, ego perperi. Sed te vitricum crudelitatis inueni. Saltem non à me paruulus meus ieiunus abſcedat, dabo illi viaticum lactis, vt habeat viſcera pinguedinis, vbi ſagines gladium crudelitatis. Paruus ſanguis, accedant & nutrimenta lactis, vt tua ſatietur machæra, & filij mei impinguetur anima, lacte & ſanguine candidata. Sicut tunica medio clauata, ſanguis erat purpura, & lac fuit ſtola candida precioſa. Quid erat aſpicere lactentium peremptorum lacte & ſanguine permiſceri, & ab inuicem non ſeparari? Et mater carnifici clamabat. Tecum vado. Tecum venio, filium dulciſſimum meum ſpectatura deduco. Ego infigo oſculum, & tu infige gladium tuum. Tu percutis, & ego ſuſcipio ſanguinem innocentis. Tu iugulas ſine cauſa, & ego ſuſcipio viſcera mea. Si mihi non licuit lac dare, liceat mihi vel ſepulchrum componere. Inter matrum planctus, & filiorum vlulatus in fuga erat Dominus. Spiculatores percutiebant, matres ſepeliebant, & Angeli Spiritum ſuſcipiebant, & Chriſtus dicebat. *Innocentes, & recti adhæſerunt mihi.* Si volumus Chriſto adhærere, careamus malignitate, teneamus ſimplicitatem, vt mereamur à Domino pietatem.

DE ABRAHAM.

GRatum eſt ſpectaculum contuentibus cortinæ vmbratam picturam, quando penicillo pingentis gladius formatur patris ſuper filium charitatis. Pingitur ibi Pater erectus, filius incuruatus. Quomodo mouetur quodam ſtimulo pietatis compunctus, ſpectantis aſpectus, infantem cernere fixis genibus, retortiſque manibus innodatum, & nullus alligat captiuator extraneus, niſi contemptor viſcerum, paternus affectus. Grata eſt ſpectantibus iſta pictura in vmbrata cortina, & veritas agni immolati, quem pro mundo Deus obtulit Pater à paucis ſpectatur, ab aliquantis deſpicitur, quod ſpectat, & in ligno, & in throno, omnis exercitus Angelorum. Dicunt quidam: Qualis eſt, qui ſacrificium de ſanguine poſtulauit? Non fuit deſiderium ſanguinis, ſed probatio amoris, & charitatis. Specta ergo iſtius lectionis pendentem cortinam; & oculis libenter infixis, ſpecta Abraham patrem, aſinum ſternentem, iter ingredientem, filium comitantem, non ad conuiuium, ſed ad ſacrificium, imò ad conuiuium, vt eis exhiberet aries Sacramentum. Quid ſibi vult ara conſtructa, niſi crux in monte porrecta? Quid eſt alligatus filius, niſi Chriſtus clauis inſertus; vt ipſe portaret catenam, qui debitricem non habuit conſcientiam. Pater erigit dexteram: Angelus clamore valido commouet terram: vt non contriſtaretur de puero mactato, ſed gauderet de agno dominico iugulato. *Abraham, Abraham.* Erigit vultum qui tetenderat gladium. *Quid eſt Domine?* quòd iuſſeras impleri, curaui, tardas gaudium auocatione clamoris tui. Quid iubes Domine? non tardetur vlla mora, quod facio cum lætitia. Cum gaudio enim faciebat. Audiebat enim ſpiritu interiùs prophetante, pro mundo ſaluando, oportere mactari innocentem, & æſtimabat per filium iugulatum, mundo prouenturam eſſe ſalutem. *Noli*, inquit, *iniicere manum tuam ſuper puerum.* Aliud eſt quod opinaris, aliud quod lætaris. Ecce habes principem in ariete. Nam filius tuus ad ipſius pertinet gregem. Retorquet vultum, vt rectum caperet Sacramentum. Ecce aries vepribus tenebatur, & frons eius in illius vmbraculis tegebatur Liber vultus, clarus intrinitus. Spinæ illæ cornibus eius tanquam redimiculæ fuerunt & ornamenta gemmarum, in quo ſpinæ non erant peccatorum, vt corona pararetur capiti gregis, de capite pretioſo paſtoris. Arripit arietem, & reuoluit infantem. Tacet aries qui ſucceſſit, tacet & Angelus qui de cælo clamauit. Vbi eſt vox Angeli qui interdixit pro infante? quare non clamat ſimiliter pro ariete? Ne ſæculum dimitteret in crimine, ſi agnus ceſſaret à cruce. In Iſaac enim probatio fuerat charitatis: in ariete præfiguratio veritatis. Ibi obedientia, hic miſericordia. Ibi voluntas dedit, hic gratuita gratia. Tacet Angelus quia dum pateretur,

 angelicus

angelicus gaudeat exercitus. Si Angelus de cœlo clamaret, Abraham parce agno, ficut dixit, parce filio tuo, tædiatus agnus proximus passionem, & nemo de sua morte scandalum pateretur in cruce. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Non clamabat de cœlo, quia Imperator ex suo patiebatur arbitrio. *Pater*, inquit, *si fieri potest, transeat à me calix iste.* Et nullus Angelus clamabat de cœlo, sed Angelus descendit disputans cum Domino suo. Et confortans eum non suo concilio, sed ipsius potius Sacramento. Isaac illæsus redit ad domum, & agnus clarificatus reuertit ad cœlum. Abraham duxit filium ad mortem, vt melius susciperet resurgentem. Abraham obtulit filium, & vos de iustis operibus ac laboribus offerte Domino sacrificium, vt vnum cum Patre Abraham habeatis gaudium in regno cœlorum.

VI. *DE VNICO FILIO, ET Puero Centurionis.*

BEnedictus Dominus, qui facit mirabilia solus. Testis est Centurio pro puero, testis est vidua mater in filio. Ibi potestas, hic pietas. Ibi magna legatio, hic mira destitutio. Centurio mittebat legatos seniores, & illa quærebat filio mortuo portitores. Hic dicebat, puer meus paralyticus male torquetur, & illa dicebat, vbi est fructus viscerum meorum? filius meus requieuit in pace, & viscera mea relicta sunt ad dolorem. Centurio mandabat, non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Et illa cogitabat vnico suo miserandum parare sepulchrum. Inter has vtrasque personas, centutionis & matris, diuitis & egentis, militis potentis, & viduæ lamentantis propriam tractabat Dominus curam secretorum. Cùm misit verbum, & sanauit puerum paralyticum, vt celeriùs pergeret ad vnicum suscitandum. Non expectauit legationem, sciebat enim miseram matrem legatos non habentem; sed ad sepulchrum effodiendum operas conducentem. Pergebat tacitus ad ciuitatem, qui parat credentibus Hierusalem. Ad portam patriæ, mulier cum defuncto filio proximabat, & Christus medicinæ ianuam reserabat. Ipsum sequebantur Apostoli, & lætantes Angeli, & cum matre comitabantur flentes populi communi conditione compuncti. Inter mortuum, & Dominum porta erat obiecta. Egressus est portam, & inuenit vitam. Resonabant plateæ ciuitatis planctibus matris, & cœlum resonabat gemitu pietatis. Clama Raphael Angelus comitatum Domini venientis. Noli, noli mater flere, proximum est tibi gaudere. Illa autem quæ eiulando dicebat, quibus querelis cœlum, terramque replebat, quæ filium amiserat quem habebat? Vbi est, vbi est vnicus meus inaniter natus? Citò subreptus est, in pace locus eius, mihi remansit horribilis luctus. Tu portaris in lecto, & ego iam onerosa sum mundo. Quare non tu mihi superstes maternos in morte oculos conclusisti? & oculis mortis ruina compressis, me miseram præcessisti? Quare non merui tuis (vt semper optabile est,) manibus sepeliri, sed tuæ mortis merui catenis crudelissimis alligari. Tu me debuisti tradere terræ, quia tu meo processisti de ventre. Non pater, non frater, putásne verum est quod *frater non redimet, redimet homo?* Vbi est Dominus viduarum, & pater vbi est orphanorum? Quare non attendit luctum meum, qui promisit lugentibus gaudium? Audiui eum dicentem: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Ecce vidua sum, vbi est iudex meus? Ecce tu orphanus, vbi est pater tuus? Vtinam Domine repentinum tulisses, de meo peccato iudicium, & vnico meo faceres in meo ventre sepulchrum; & essent intestina mea, domestica fossa, & sepultura secreta. In luce huius aëris cœli, processit elogium chari funeris mei. Respiciant qui filios habent, & de multiplici pignorum corona refulgent, videant floscula capitis mei, & vnam gemmam capitis mei, verticis mei de meo capite cecidisse, & me pro lacrymis consolentur. Vnicus fuit quem lugeo, culpabilis non sum, quia alterum non habeo. Et si est aliquis reprehensor meus, putásne occurreret mihi consolator meus? Continuo integris huius lamentationis cœlo teste querelis. Ecce iam dominus ciuitatis venit ad ianuas; proximabat ad portam, aperuit vitam, & clausit gehennam: Tenebrosus luctus de porta processit, & lux venientis Christi refulsit. Coruscauit coruscationes, & dissipauit turbas sequentes. Ante tamen stetit, condoluit. Non enim habemus principem Sacerdotum, qui non possit compati infirmitatibus nostris. Compassus est pro vnico, qui vnicus pependit in ligno. State, inquit, state, nolite iam baiuli laborare. Ponite mortuum, expectate miraculum. Replete terra sepulchrum, quia de suscitato mortuo terra gaudebit, & cœlum. Steterunt, posuerunt, & spatium præbuerunt: aliquid operis expectabant, sed nihil audierunt, nisi vnum verbum. Expauerunt mortuum viuum: Qui dixit, & facta sunt omnia; dixit, & recepit iuuenis vitam. Exuta linteamina, dirupit funestam catenam, resedit, surrexit, adorauit. Gratias tibi ago Domine meus, quam terribilis es, quam suauis es. Quia terribilis es, testis est infrænata gehenna: quia suauis es, testis est mater mea, & vita mea. Terribilem vidi tui nominis potestatem, quando videbam trementem mortem, quæ te agnoscebat ad meam misericordiam proximantem. Et imperasti, & illa contremuit. Reddidit quem non genuit, & apertas fauces oppressit. Gratias tibi ago, quia non aperuit super me puteus os suum, sed lacrymas meas tersisti per vitæ fontes aquarum. Tunc Dominus qui dixerat: Iuuenis tibi dico surge, matri respondit: Mulier, ecce filius tuus, & cognosce, quia ego sum Iudex viduarum, & pater orphanorum. Vidi lachrymas tuas, agnoui querelas tuas. Non culpaui plangentem, sed consolatus sum lamentantem. Et mater voce turbata præ gaudio: Domine, quod tibi gratias agam, testis est pietas. Quibus te debeam laudibus honorare, qui me non permisisti desolatam, ac miseram mendicare? Gratias tibi agant Angeli, qui descendunt, & ascendunt, & totum pro me lætetur clima cœlorum. Aperiatur tibi porta cœli, qui ante portam mihi reddidisti pignus funeris mei. O bonum, & grande miraculum. Ante portam Dominus suscitat mortuum, qui foras ab Hierusalem genus redimit humanum. Processit vnicus in lecto, sed cum crucis imperio. Mulieres plangebant, ipse gaudebat. Quia crux illa non fuit improperium: sed potius ornamentum, vnde decoratus est orbis terrarum, & fidelium refulsit cum matre exercitus populorum.

DE DVOBVS CÆCIS. VII.

QVanti lucri est in via sedere, qua Christus delectatur transire. Via est regalis, plena Angelis sanctis; vt illuminetur visio cæcitatis, collyrio claritatis. Transit imperator noster, non præcedunt carrucæ cum splendore, sed præcedunt miracula cum virtute, dum claudi merentur currere, & cæcis lumen

lumen accipere. Hæc est Imperatoris nostri via, qua venitur ad vitam, qua ipse est via, veritas, & vita. Qui sedet in via, quia Christus transit, non ei potest dominari tyrannus, nec remanere homo potest ægrotus, quando transit medicus Christus. Hæc crediderunt Domino isti cæci, qui sedentes in via forti voce clamabant ad medicum, reddi sibi cupientes aspectum. Ad ipsorum vocem fremebant turbæ præcedentium populorum, gaudebat exercitus Angelorum, & ipse medicinam parabat illuminatorum cæcorum. Quid enim illi cæci clamabant, qui lumen aspicere cupiebant! *Miserere nostri Domine fili Dauid.* Turbæ autem putabant medico nostro fieri tædium, imperabat illis Christo transeunte silentium. Illi verò validius clamabant, & illorum voces increpatorias non curabant. Magis iterabant clamorem, vt penetrare possent ipsis vocibus Saluatorem. *Miserere nostri Domine fili Dauid.* Humanas non curamus penitus voces, tu miserere qui humanos sanas errores. Ambulababat ergo Dominus via sua, qui est vita æterna. Transibat, & curabat, & cæcorum cogitationes ante videbat, & eorum clamore gaudebat. Non delectabatur contradicentium officio populorum: sed gaudebat desiderio clamantium magna voce cæcorum. Stetit, vt plus ambularet medicina, quam vestigia. Et sequentibus turbis iubet cæcos ad se venire, & nihil de subcælesti conspectu timere. Turbæ increpabant, cogebant, inuitabant, & mirabiliter impellebant. Illi quantum delectabantur, qui à Domino vocabantur? Hoc eis præstitit clamor eorum, quos conterruit contradictio populorum. Ante videntes desiderio Saluatorem, quam luminis claritatem. Steterunt ante Dominum claritas, & cæcitas. Stetit via ad sedentes in via. Steterunt manentes in tenebris, dum staret lumen æternitatis, qui lumen oriri facit in tenebris. Factum est de sequente, & præcedente turba theatrum, & gaudebat Ecclesia Angelorum. Dicit eis Iesus: *Quid vultis vt faciam vobis?* Et illi audita voce medici, voce, & corde prostrati. Domine, vides causam nostram, tu dona medicinam tuam vt aperiantur oculi nostri, & mereamur esse comites itineris tui, quia à te in via meruimus medicina curari. Dominus qui erigit elisos, & illuminat cæcos, audiuit, misertus est, & curauit. Nulla remedia intercesserunt, & cæci solo verbo videre cœperunt. Nulla obseruatio ciborum, sola intercessit medicinalium authoritas præceptorum. Dicit eis Iesus: *Sicut credidistis, fiat vobis.* Illicò fugit cæcitas, redditur claritas. Aspiciunt in facie Saluatorem, quem non nouerant virtute curantem. Discunt oculis, quem præsumpserunt verbis. Cadunt ad genua, scientes iam tangere Christi vestigia, qui sola voce clamabant, sedentes in via, & cœperunt cum Christo Domino vno itinere comitari. Comitatu eius gaudentes, iam claritate sociati, à Christo nunquam penitus recessuri. Ita & nos fratres in ipsa via sedeamus, qua Christum Dominum posse transire speramus. Neque enim ambulat in via impiorum, quia in via non stetit peccatorum. Transitum ergo Christus Dominus modo facit de mundo, dum pro nobis interpellat in cælo. Sed non ambulat, nisi in via munda, quia via eius est impolluta. Ibi sedeamus, ibi clamemus. Ipse quotidie transit, quia nunquam à nobis discedit. Sed si quis nos viderit de murmurantibus sæculi, & viderit nos ad Christum validiùs proclamare, & cœperit nos pro suo scandalo blasphemare, eius inuidiam non debemus omnino curare. Ibi habeamus aspectum, vnde speramus auxilium.

DE TRIBVS PVERIS. VIII.

Vicina est liberatio redemptorum, quia iam triumphat libera captiuitas puerorum. Iam proximum est, vt sicut vincula sanctorum liquescunt in ignem; ita & peccata electorum soluantur in fontem. Vtrobique roris spirat amœna tranquillitas, quia refrigerat eos calida charitas. In fonte autem extinguitur feruens iniquitas, quia & in fornace, & in fonte Angelus magni consilij descendet è cœlo: vt quod pueris donauit in refrigerio, hoc credentibus tribuat in Sacramento. Ecce quantorum tubæ sanctorum singulariter sonuerunt, nunc tria cornua in vno concrepant amœno campo flammarum. Pulchrum est videre tria aurea candelabra. Pulchrum est aspicere trium puerorum imperita corpora, quia vna erat anima, dum tenderent ad coronam. Flamma eos non diuidebat, & cantica compingebant, quia magni consilij Angelus amplexabatur, & vlnis opacantibus confouebat. Quid palatia regum, ad caminum psallentium puerorum? facta est aula regis, secretarium sanctitatis, vt ibi Rex delectaretur aspicere magis, quàm in domo regia habitare. O illæ plateæ stratæ, non marmore, sed igne, non crustis, sed flammis. Ambulant superbi reges in tapetibus purpureis, gressu delicato ludentes; in platea autem ignita incedunt nostri decantantes. Quem non delectet cum eis pari vestigio comitari, quando Angelum cum eis delectat pari cantico sociati? aliud prodebat visus, aliud præbebat sensus, aliud monstrabat tactus, aliud intus, aliud foris, quia Angeli intus & inimici foris, intus canebant, foris ardebant. Videte fratres mei quantum interest esse intra domum magnam, in qua sunt vasa aurea, & argentea, quàm foris ardere inter vasa lignea, inter ligna, fœnum, stipulam. Sed vos templi Dei fornax continet aurea probata, auro producuntur vascula vestra, in quibus Hierusalem lætetur patria sempiterna, & non ipse miretur Nabuchodonosor: sed de flammis mundi, amœnantis vitæ refrigerio, vos nobiscum consoletur de cælo Saluator.

DE MVLIERE IN ADVLTERIO deprehensa. IX.

Timendus est Dei filius & amandus: Timendus vt iudex, amandus vt Rex, quia non venit ante iudicare, sed primitus liberare, & iustè postea iudicare. Mansuetus & verus, sed ignorauit calumniator Iudæus. Voluerunt culpare mansuetudinem, & inuenerunt in crimine suo virtutem. Ambierunt in Christo mansuetudinem, & iustitiam violare, aut iustitiam de mansuetudine reprehendere. Steterunt in angusto duarum maceriarum, obsidentes Saluatorem, tradendum quasi latronem. Faciunt calumniã, inueniuntur in propriam conscientiam. Accusant vt ipsi accusentur, & adultera liberetur. Non factum displicebat, sed Dominus non placebat. Nam omnes adulteri erant. Occasionem inueniunt de adultera vt possent quasi iustè coloratam aptare calumniam. Inueniunt miseram mulierem recentis adulterij vstione fuscatam, vt ante pedes Domini niue indulgentiæ aspicerent dealbatam. Adducunt plurimi congregati calumniatores & peccatores, insidiatores & fures, cum adultero portionem suam ponebant, & adulteram deducebant. Adduxerunt multi vnam, ad vnius Domini indulgentiam. Trahite Iudæi, trahite, eiicite de iniquitate adulteram mulierem, liberate de fluctibus apertis rimatam tabulis niuem.

Consuluistis naui confractæ, nouit eam artifex Dominus compaginare, concludere, castigare, linire. Exsiccauit de illa humerosam sentinam, at vobis fæculenta remanet conscientia. Non bene voluistis malitiæ remos tenere contra miseram nauem, ecce vos incipietis calumniæ vestræ internis fluctibus laborare,& illa incipiet velis pudicitiæ nauigare. Vade mulier,ad pietatem deduceris,non ad seueritatem: ad Imperatorem traheris, non ad iudicem. Et illis, & tibi venit finis. Tibi ne malè viuas: illis vt se malè viuentes agnoscant; fit magnus concursus, tenetur trepida mulier, multorum manibus adducitur, in medio statuitur. Quasi non interrogaturi, sed iam reprehensuri leuatis in altum cum furore palliis, & tunicis, vultibus conturbatis, oculis cruentatis, vocibus permixtis confusè, stantes ante sedentem, clamabant ad tacentem, sed tacitè iudicantem. Mulier (inquiunt) ista in adulterio deprehensa est. Moyses huiusmodi lapidari iussit. Tu de illa quid censes? Interrogant Iudicem iudicium, qui Iudex est Iudicum. Ipse autem sedens inclinato capite humilitatis, mansuetudinem digitis scribebat in terram, non Iudæam, sed Christianam. Illi lapides parabant, & ille digito in terra scribebat. Interrogantes, responsum non acceperunt, percontationem impudenter repetunt, putantes quod non inueniret responsum. Vrgent furentes, sententiam flagitantes, volentes aucupari non agilem passerem, nec aquilam in alto volantem. Erigens vultum pietatis, lento maturiùs gradu respondit, & quod illa volebat, & quod illi nolebant. Quid dicitis? Mosi iudicium flagitatis? iustè petitis, iustè fiat quod appetitis, lapidanda est mulier, vos estote executores, qui estis accusatores. Si vos præsumitis innocentes, *qui sine peccato est, primus in illam lapidem mittat.* O sententiam magnam, quam digito spiritus sui scribat in terra. Recitauit, & Iudæus obmutuit. Nullus prior, nullus posterior, nullus medius, omnis homo reus. Cœperunt se attendere, & vnus post vnum foras exire. Vehementer intrastis, silenter existis. State, quare disceditis, qui mulierem inscripsistis? facite satis legibus, si estis securi de moribus. Quid iniustum dixi? Vos lapidate eam, si rei estis, discite à me mansuetudinem; quia & vos egetis iudicij pietate. Vbi sunt qui volebant mansuetudinem vitiare, & iustitiam de iustitia reprehendere? Et mansuetudinem tenuit, & iustitiam reseruauit. Si diceret, lapidetur, quasi non erat mansuetus. Si diceret, non lapidetur, videretur non esse iustus. Respondit ita, vt iudicium tentatoribus, & sola verecundia remaneret calumniatoribus. Restitit mulier ante Iudicem, remansit sine calumniatore. Non dimittitur, vt iterum fluctuaret, sed docetur misericordissima castitate. Non sic liberatur, vt peccato dimitteretur. *Mulier,* inquit Dominus, *adsunt qui te accusabant? Nemo te condemnauit? Et illa: nemo Domine.* Ad hæc iustus Iudex. Fugerunt à te calumniatores, fugiat & peccatum. Fugisti Iudæos accusantes, time Angelos ad meum iudicium te trahentes. *Nec ego te condemnabo.* Quia non veni, vt iudicem mundum, sed vt saluum per me faciam mundum. Disce bene viuere, & iam noli peccare. Disce iustitiam, quia iam liberata es à sententia. Mulier non sic sedebo in iudicij throno, quomodo nunc inclinatus ad terram sedeo. Alius ille error erit, non erunt accusatores Iudæi. Ipsi se accusant, qui sic ad iudicium veniunt, vbi ignis non extinguetur, & vermis non morietur. Ibi est fletus, & stridor dentium. Ibi tuba terribilis, ibi cœli commoti, Angeli properantes, & tuba magna canentes. Sol obscuratus, luna confusa, stellæ cadentes. Rei trementes. Iudicium flammeum, thronus igneus, & in conspectu eius tempestas valida. Concedo pietatem, tribuo dilationem. Et ideò disce castitatem, vt merearis in futuro perpetuam iucunditatem.

DE SALOMONIS IVDICIO. X.

DVm sanctæ prædicationis iubente nunc sancto Patre, altissimum conscendimus thronum, vestris immolaturi sensibus verbi dominici sacrificium, Dei primitus expectamus eloquium, qui loquentem facit mutum, vt cum nos gradus ascendimus absidæ, ipse descendat de throno cœlorum, qui inclinauit cœlos, & descendit, quia per se homo ascendere non potuit, qui malè descendit. Nec potest solus prædicator ascendere, nisi cum illo Dominus Angelorum præsentis gloriæ suæ præfulgidam dignatus fuerit accendere maiestatem. Ergo fratres audiamus quæ dicuntur, vt mereamur percipere promissa cœlestia. Nam cum Salomon ascendisset in montem, deducebatur fulgente officio militum, & circundabatur in monte lucido obseruatione cælesti. Requiescit in lecto, & vigilat cum Deo dicens, Ego dormio, & cor meum vigilat. Aut vbi immolauit sacrificium, & millia mactauit agnorum, præsens erat exercitus Angelorum. Fit in monte clarum Domino visitante palatium. Collocatus est thronus, admonetur & seruus, vt de altaribus Domini sui, vbi obtulerat sacrificium, peteret inde precum suarum speciale rescriptum. Quid inquit quiescis? Adsum ego donorum largitor, & tu dormis negligens postulator. Salomon pete de me aliquid, vt faciam tibi. Expecta de me thronum Dauid patris tui, qui magna in suis visceribus ferre dignatus est, cui te feci mea prælectione successorem. Dedi Regnum, simul non conferam domum? Imposui purpuram, non dabo simul & gloriam? Pete de me: hoc requirit ille qui cuncta cognoscit. Nunquid non secretorum eius erat præscius omnipotens Dominus, vt ab illo disceret quid præstaret? Sed vult nos nostrarum precum, atque votorum clariores fieri oratores, & interni cordis interpretes, vt petitio nostra innotescat apud Deum, quatenus liberum gratia præcedente seruetur arbitrium: vt quod expetit lingua, hoc cælestis conferat gratia, vel tribuat indulgentia. Ita & huic dicitur Salomoni, Pete de me aliquid, vt faciam tibi. Et ait: Domine contulisti regiam dignitatem, & desiderij mei à me interrogas voluntatem? *Benedictus es Domine qui me dedisti super thronum Dauid patris mei.* Dedisti mihi magnam gloriam, sed paruam teneo sapientiam. Circundat me fulgor gemmarum, sed grauissimè angit interpellantium iudicatio populorum. Hoc peto, Domine, quod & tu ipse venisti donare, quia vt hoc peterem, tu dignatus es inspirare. Populus enim tuus quem dedisti sicut arena maris, diuersis me angit interpellationibus, & nescio introitum, & exitum meum, quali debeam iustitia respondere populo tuo. *Da mihi Domine sapientiam & intellectum,* vt sciam inter iustum, & iniustum iudicio secante diuidere, ne mea tibi sententia incipiat displicere, & incipiat populus tuus sub meo tam paruo, & minus instructo examine laborare. Et Dominus: *Quoniam sapientiam petisti, & non diuitias, neque mortes inimicorum tuorum, & hæc quæ non petisti, præstabo tibi, & superadiiciam.* Sapientiam autem dabo tibi super sapientes Ægypti, vt scias adopertum interpellantis reuelare secretum, atque ad inferna totius profundæ descendere quæstionis, vt throni iudicatio, splendore penetrantis scientiæ perfundatur, & nulla te fallat obscurantium interpolatio tenebrarum. Ecce visitatur & instruitur, petit, & accipit: ascendit minùs instructus

instructus, & pariter impetitus, & descendit iutis cælestis magistri discipulus, factus iudex interpellantibus, & populis aduocatus. Ecce subitò de montis sacrario descendenti, occurrerunt duæ ei cominus mulieres, & quod attinet, meretrices. Magni hic Sacramenti vertitur ratio, vt post castam visitationem, meretricum sustineret interpellationem. Quia & Dominus noster, verè pacificus Salomon, descendens de monte sancto cælorum, salutem facit peccatorum, & pium iudicium meretricum, dum clamat de throno indulgentiæ iudex misericordiæ. *Meretrices*, inquit, *& publicani præcedent vos in regnum Dei.* Quid ergo vna istarum mulierum? Domine Rex audi me. Ego, & hæc mulier vnius habitaculi communicantes hospitium, cum ambæ nocturnam declinaremus insomniam, nouum de me mulier ista excogitat furtum, vt mutaret natura, quod non admitteret conscientia. Filium suum ruina desidiosi lateris obliuiosa mater oppressit, & clamantem sub materno pondere somnolenta pietas non audiuit, donec gemitus infantis in tenuem vagitum deficeret mortis. Surgit ista vigilans ad fraudem, quæ dormiebat contra pietatem: inuenit filium mortuum, & sui lateris ruina compressum. Surgit, & ad latus meum pignoris sui mortui rixosum voluit facere sepulchrum, vt meum suo lateri transferret infantulum. Vigilaui ego, porrigo vbera, & non offert labia sua. Sensi mortuum, & fraudis non intellexi commercium. Lux mihi adfuit testis, adfuit & natura astipulatrix, quæ meum non esse filium proclamaret. Hæc inter nos fuit domestica controuersia, dum ego mortuum non agnosco, & viuum filium repeto: & illa suum deputat viuum, & meum dicit esse defunctum. Adest Domine testis natura, dignare inter nos iustam proferre sententiam. Continuo Dominus ille qui visitauerat, qui sapientiam promiserat, ingreditur intra Salomonis arcana. Posuit ibi sedem suam, cœpit de illo tanquam de templo suo sola interiecta nube corporis iudicare, vt posset talem naturæ rixantis intelligere quæstionem. Quid, inquit, dicitis? tuus est viuus filius? Meus Domine: illa clamabat, non, sed meus est viuus, & ipsius est mortuus. Hoc alternantes, dubiam reddebant caliginem mulieres. Lux de Salomone coruscans, illam cœpit nebulam dissipare, & talem prorupit in vocem, intonans regiam potestatem. *Afferte*, inquit, *mihi macharam, & date viuum infantem vt gladio diuidatur.* Ne vlla pars membrorum à mulieribus separetur, iubet vt paruulum viuum machærâ secarent, & à natura diuiderent. Exclamat veræ matris effectus, commota sunt viscera, dum esset armata machæra. Noli, noli, Domine, interpellaui pro lucro, non pro dispendio meo. Opposui querelam vt me peccatricem, non facerem parricidam. Noli Domine, ne seces; dum paruulum diuidis, omnem si dignaris finio quæstionem. Totum possideat innocentem, totum tollat infantem. Viuus sit, & ipsius sit. Si amborum erit, nullius erit. Noli oculos meos pignoris mei innocuo sanguine funestare, ne ista incipiat de mea orbitate gaudere. Certè Domine si ipsa possederit paruulum, habebo & ego in eius oculis participium. Videbo sub aliena matre possessum. Aspiciam gradientem, crescentem, currentem, tenebo aliquando per plateam furtiuis vera mater amplexibus transeuntem. Et illa quam non admonebat natura, non interpellabant & viscera: Benè, inquit, iussisti Rex, diuidatur, diuidatur. Certè mater es. Ante dicebas, meus est viuus, nunc dicis, diuidatur. Certe mater es. Vera mater auertebatur lacrymis oculorum. Continuò Rex. Parce, inquit, parce, noli secare integrum, quia integrum sensi matris affectum. Dolor testis est, gemitus probat, quod falsa mater accusat. Hæc est vera mater, quæ non diuidendum proclamat innocentem, sed suam in integro vult amittere portionem. Ipsi eum date. Ipsa est mater eius. Accipit illa vlnis patentibus puerum, cœleste cœpit laudare iudicium. Illa acceptum puerum circumplexatur, & dulcia figens oscula, clamabat & dicebat: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ iucundauerunt animam meam, quia lucidam mihi præbuisti iustitiam tuam, & ego semper feram gratiam tuam; quia inter me & matrem falsam, diuidit machæta tua, vt vnde alij Iudices solent inferre mortem, tu veram de gladio defenderes genitricem. Benè nosti, Rex, de gladio proferre gladium, & non sanguinem, sed amorem, quia machæra tua, Domine, non mihi sunt vulnera, sed potius medicina.

DE EODEM. XI.

Salomon sedit in domo Dauid patris sui, & apparuerunt ei duæ cominus mulieres. Dum cœlesti dogmate infusa Dauidica propago gemmaret, & regalis aulæ solium iuste regnaturus ascenderet. Erat (ni fallor,) alta sedes, specimen templi, cui cellaras diuitias eminentia tecta portabant, aurúmque trabibus infixum artificis manu conclusum, pulchrius cælabatur inconstructa parietibus moles, decisis nitebat vtrobique marmoribus, & purpureis lapidibus stratis, vt regalis domus claritudo fulgesceret, quicquid pretiosum fuerat calcabatur. Ebenus speciei suæ ornamento refulgens, infixa postibus relucebat. Magnitudinem sui auxilij afferens quàm decorem atrij. Ebora vestiuntur, thronus gemmis ornatus insignibus, & stratis quodammodo purpuratis aurata bractea crepitabant. Sedit inter hæc sapientissimus Salomon fulgido diademate coruscum caput extollens, & vibrantis metalli (vt ita dixerim) operimento perfusus, diem verum gemmarum luce vincebat. Inter hæc itaque Regis nomen meritumque monstrabat, quæ quam magna, quam perspicua, tam videlicet pretiosa. Pretiosior collatæ sapientiæ inerat claritudo, quæ prophetico vapore resplendens, præterita docuit, monstrauit præsentia, cecinit & futura. Dum itaque paterni regni potiretur imperio, primo frontis examine duarum mulierum durior cura proponitur, quas vnius temporis partus pares fecerat matres, & vnius compagi tegmine retentæ, inter sera silentia, quibus morti similis, somni sopor inducitur, è duabus vna oppressione sui corporis prægrauata miserè natum in mortem deprimit innocentem. Alia verò vigili data custodia, seruauit filium materna pietate victura. At illa mendacij dolis armata, viuum filium matri somnianti subduxit, sibíque fallaciter applicuit, remedium non possessura quod fecit. Dum igitur in lucem noctis tenebræ rumperentur, & collata die vmbrarum caligo cum somno ad tempus è mundo transisset: mater sui charitate sollicita, mortuum filium aspicit esse non proprium, ac suum viuum, miratur alterius lateri copulatum. Mendaces ergo, simúlque veraces prosurgunt strepere mulierum certamina, verba simul ac lacerti manus armantur. Sed pia mater quæ charo sinu seruauerat, tali prece regios sensus inclamat. Noui quidem paterni regni hæres simul & numen, concessa tibi cœlesti iustitia, & sapienti libramine, nihil sensibus tuis obcelatur.

Age nunc causam nati miser mei, quem ideò videor in lucem profudisse, vt dum sibi à falsidica vindicatur, & mortes exaggeret, & se singularibus innoxium maternis ablatum vberibus conqueratur. Teneo itaque propositum meum, & te iudex non dimittam: quæ seruaui viuum filium, cadauer non accipiam alienum. Angitur inter hæc Salomonis Regis deprompta iustitia, & desigendo sententiam mulierum certamina. Pari veluti dolore surgentes iudiciariis motibus intuentur mortuum, vtræque dicunt esse non suum, viuum vtræque suis exclamationibus defendunt. Nullus testis assertor inducitur, causa nocturni silentij ventilatur, & solius tantum nefandi lecti latrocinium monstratur. Cum subitò nutu illo diuinæ virtutis, in quo veritas comprobatur, in partes scindi iubet infantem, vt inter seruatricem matrem, & inter sui partus nefariam homicidam, iudex gladius separaret. Dum igitur vera mater in miserum corpus infantis impendere vulnus aspiceret, internis cruciata visceribus erupit in vocem. O durior naturæ necessitas, quo cogitas, vel quo cogis amari filios, aut liberos procreari. Ecce in diuidendo corpore infantis, maternum scinditur pectus, & quæ edere sic meruerunt filium, ipsæ in filio naturali vinculo laniantur. Imple ergo clementissime Regum, causam iustissimæ pietatis, si filium non mereor habere quem peperi: si sic falsitas infert orbitatem, habeat plenum corpus in filio, habeat integrum quem non edidit natum. Dum alitur, dum nutritur, dum ad maiora prouehitur, si quando in semet maternam agnouerit pietatem, fortassis agnoscet ætas legitimam genitricem. Alia verò iusta crudelitate frendescens doloris, simul malè à semet perdita, & liuore perculsa, ne bona matre filium lucrifacere peruidisset, talibus indignata præstigiis conclamauit. Iustissime Regum optimam & condignam protulisti sententiam, ne vni fauere, alteram premere videreris. Scindatur medium corpus infantis, nec mihi, nec illi proficiat, qui vnus remansisse visus est à duobus. At contra regalis iustitiæ sapientissimus Salomon, talem increpando protulit sententiam. Sæua, crudelior, & omnium genere noxiorum infanticida seuerior, quid nouercale odium in bene seruatum filium malè componis? Habeat integrum filium, quam veram matrem pietas comprobauit. Vtatur & hæc cadauere suo, quæ non quod nutriret peperit, sed quod occidisset inuenit.

DE IOSEPH.

XII. OMnes præclari sunt qui Dei mysterium gerunt, sed illi potissimum clariores, qui venturum prædicauerunt Christum. Sed inter omnes magnificentior Ioseph, qui claritatis eius imaginem & passionem plena figuratione demonstrat. In Sanctorum enim figuris & imaginibus agnoscimus Dominum Christum, quorum passiones præteritæ, vel præsentes testantur simile documentum, sicut scriptum est: *Ne tetigeritis Christos meos, & in Prophetas meos ne fueritis molesti.* Nam facile est vnumquemque oneris sui sarcinam sustinere, alienam vero difficile. Denique iusti omnes & sancti, in passionibus suis singula supplicia pertulerunt. Superueniens autem Dominus Christus, quicquid omnes perpessi sunt, solus ille portauit, sicut aliquorum probant de multis exempla. Daniel post interpretationem somniorum, post mirabiles glorias, post Regum munera sæpe contempta, post inanitatem idolorum Regibus approbatam, furore populi persequentis opprimitur, & contra votum, ac penè salutem Regis, populo traditur. Quem Rex apud se fide probatum, diuino Spiritu, sæuienti populo, non sine animi fletu ac mœrore dimisit. Nonne similiter Christus passus est? quem Iudæi grauiter persequentes, & vsque ad inuidiam Pilati Regis, cum acrius sibi tradi Christum nefandis vocibus postularent, continuò Rex nequitiam populi & diuini hominis apud se silentium cogitans, aquam ad lauandas manus accepit, & innocentem se ab eius sanguine pronuntiauit. Idem Esaias à Rege dilectus, à filio Regis odio habitus, idem cum Regis filio commendatus, sic ad Regem locutus est, dicens Commendatio tua Rex, nihil manet, sed prodest. Iam enim inseuit Belial in cor Manasse. Nunquid non & eiusmodi factum ipse pertulit Christus, quia cum à Deo patre dilectus filius haberetur, à Iuda traditur. Denique sic ad suos discipulos locutus est, dicens: *Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me.* Veniamus nunc ad passionem sancti Ioseph, cuius exordium præfert, quæ nos signata castitas, & ex seruitute nobilitas tacere non sinit. Hic namque cum simpliciter fratribus visionis suæ quietem exponit, fomitem liuoris incurrit, vt se à luminaribus cœlestibus, & duodecim sideribus in somno cerneret adorari, & manipulum suum supra cæterorum fratrum manipulos leuari. Ad hæc quid peccauit ille qui vidit? aut quid votum fraterni sanguinis profuit? quin potius futuræ dignitati eius consulerent, quam odisse nescirent. Denique inde fouit calamitas iustum, vnde nocuit perniciosa crudelitas fratrum. Sicut scriptum est, *Noli timere, quia ego te vocaui nomine tuo.* Ibat igitur beatus iste Ioseph, ibat per ignotos transitus, ibat solus, & vbique tutus. Vt frater venit ad fratres, nesciens futuros esse latrones. Nam & illis non vt frater veniens videbatur, quorum mentes mortalem possederant cogitatum. Concepto igitur scelerata mente consilio, in profundam proiicitur foueam, in qua plus tutiùs quàm cum fratribus habetur. Dehinc in Ægypto venundatus, atque ibi inter dura seruitutis obsequia inuerecundæ mulieris ad impudica pudicus appetitur, quasi in omnibus primi hominis exire posset exemplum, cui fuit ex muliere naufragium, sicut scriptum est, *Domine, mulier illa quam mihi dedisti, ipsa me decepit.* Cumque Ioseph genitor castitatis, importunos mulieris animos euitare, & simulati criminis reus in mariti conscientia figeretur, carcerem per triennium excepit. Carcerem meruit, qui probabiliter vixit. Carcerem meruit, qui à se improbata repulit. Carcerem meruit, qui eam nesciente marito seruauit. Sed non defuit innocentiæ ille tutor sublimius, vt iusto in carcere constituto, somniorum mitteret sapientiam. Cùm duobus spadonibus secum in custodia constitutis somnia præscius aperiret, vni in vitam, & alteri in mortem, & sic ad conspectum Regis aduenit, & somnio Regis manifestiùs patefacto, futuram inopiam designauit. Hic copiarum villicus factus clauem meruit horreorum, & in curru secundus à Rege susceptus, princeps omnium declaratus est. Iam enim cœli primùm vbertas fluxerat, & circunfusa imbrium largitate superna fœcunditas maritauerat terras. Fluctuabat messis sulco pinguiore distenta. Congesta sunt horreis recusantibus semina, futuris necessitatibus succursura. Deinde subsequitur insanabilis fames, & imbrium siccitate suspensis, alienum tempus æstas habebat. Arebant siccis radicibus herbæ, annis sequentibus semina negaturæ, & inter omnes erga pallorem deformes, solus populus Ioseph diues exultat

exultat. Sicut scriptum est: *Iunior fui, & senui, & non vidi iustum derelictum, neque semen eius egentem pane.* Præstat semper, miseretur, & adquirit, & aduenientibus fratribus frumenta lætus impartit. Suos in necessitate seruauit, qui à suis in vbertate seruari non potuit, & misericordiam quam non accepit, impendit. In authores inopia reuertitur, & Dei famulus honestatur. Onerat frumentis, & cumulat, & antequam agnoscatur, præstare festinat. In præstando quoque moras aggenerat, vt fratres diutius videat. O calumniosa pietas! Poculum sui argenti supponit, vt hactenus cognosci à fratribus possit. Terrorem in audiendo falso intentat, intuentur in horreis Regem: adorant deiectis luminibus terram, subiacet vindictæ tota fraternitas, & reis non furti, sed parricidij detentis tantam largitus est veniam, quantam meruere pœnam. Solet nobilitas facilè parentum obliuisci miserias: Ioseph autem nihil oblitus est in fratribus, nisi solas iniurias. Denique pro odio misericordiam, pro crudelitate lætitiam, pro gladiis oscula repræsentat, facit de hostibus dominos, de ignobilibus claros, de fame fortiores, & omne in vnum recolligit sui sanguinis genus. Nos quoque, dilectissimi fratres, si fuerimus eadem imitati, erimus sicut in Euangelio scriptum est. *Si feceritis quæ mando vobis, iam non vos dicam seruos, sed amicos.*

XIII.

DE EXODO.

MAlè cadit supina pernicies, si contumacia superbum caput extollit. Sic contumacibus animus prosilit, vt nec casurum se videat, nec ruiturum cognoscat. Furebat imperiis sæuientibus Ægyptius tumor, & inflammantibus animis inuidiæ fomitem cruciabat. Sic diuinum populum crudelibus animis lacerabat, sic addictos operibus opprimebat, vt minus crederet de pœna cognosci, si non cerneret innocentes occidi. Nusquam est contra odium Regis secuta iustitia, quia non est tutus innocens, vbi reus agnoscitur. Surgit in rabiem potestas horribilis, immanisque impetus furor, vesanis frendoribus intumescit. Cum lædit, incenditur. Cum anhelat animus, pectus inflatur. Vruntur viscera, membra candescunt. Nec sibi Tyrannus potest intelligi, quem futura damnatio fecerat extimescere. Iubet futuris maribus inferri perniciem, & in lapsum naturæ pendentis, occultis vulneribus iugulare. Iubet occidi quos nescit. Iubet interfici quos ignorat. Proh dolor generis, proh lacrymæ pietatis. Si timeri potuerant viui, quid tamen fecerant nascituri. Sic enim scripturæ auctoritas approbauit. *Et præcepit Pharao omni populo dicens. Omnem masculum qui natus fuerit Hebræis, in amnem proiicite, fœminam verò viuificate.* O infanda libidinis flamma! O insanæ mentis incendium! Sustinet ira quos feriat, quærit pœna quos nescit. Vult habere quos torqueat, & non nouit quos occidat. Cogita naturalis pietas quam impius fuerit, qui vorantibus paruulos iussit aspergi: vndisque rapacibus iactare nascentes. Cogita inquam quid illic viuus potuit perpeti: vbi necdum natus iubebatur occidi. Quos tunc casus maternum nomen expauit? quos fecit dolores parentibus impia, feralisque perceptio? vel in ipso miserabili partu naturalis conditio. Cognoscite quibus concludi periculis poterant quæ homicidium parturiebant. A satellitibus Regis obsidebatur vterus partui proximus, vt nasceretur masculus omnis, non vitæ, sed morti, non lætitiæ parentum, sed immanitati satelitum. Non erat illa natalis dies, sed de luctibus nata pernicies. Denique celebratur partus, & nullus est filius. Miserandarum matrum madent oculi, stillantibus genis, lugubrisque in faciem ritus officiis fœta natalibus emarcescit. Surgit in membris ieiuna colluuies, squalida in luctibus forma, sæuientibus lacrymis maculæ hæserunt, ossibus cunctis infixam, atque intextam nobis calcantibus frontem nebulosa tristitia connodaret. Quos nunc casus de miseris vellet, qui se compulit, vt periret. Instat vltio, nascitur vindex, & grassantibus pœnis compellitur pietas vindicare. Mittit Dominus Moysem, proprium postulans populum. Pharao verò denegat alienum. O præsumptio pertinax, & dura pernicies. Deus postulat, ille contemnit. Contemnit iudicem. Negligit imperantem. Intendite qualis posset accurrere, qui virtutibus prius admonitus, postea nec plagis voluit obedire. Desæuit tyrannicæ feritatis lassata crudelitas, & in suos impetus moribunda torpescit. Sed tamen primogenitorum suorum mortibus victus, quos nolebat, proiecit; quos negligebat, expulit. Fecit deuotum pœna, quem non fecit gratia. Iubet exire, compellit excludi. Iam & sibi timet, quod in alteros videt. Sed quia reos suos facilis ita condemnat, detrectat, quia perdidit; pœnitet, quia amisit. *Quid,* inquit, *fecimus, vt dimitteremus filios Israel ne seruirent nobis?* Iunxit igitur Pharao currus suos, & omnem exercitum secum duxit, & sumpsit sexcentos currus, & omnem equitatum Ægyptiorum, & armatos in eis omnes, sumpsit arma, proripit currus, exit, vrget, insanit. Parat quos nuntiet fugientibus casus, quos metus parentibus promittebat. Terribilis stabat, vt caderet, tremebundus venerat, vt periret. Ibat armis fulgentibus malè credula multitudo, turba superat ambitum, copia vincit armatum. Voluunt pretiosis ignibus lucem volubiles currus, diffusaque in temones incendia micantibus loris ardescunt. Inter flammas viuebat exercitus, qui in vndis fuerat periturus. Surgit in galeis terribilis fulgor, accensáque in rutilos flamma radiis gemmãtibus coruscabat. Sternitur lumen patentibus campis, & extensa viarum latentium spatia, profusis splendoribus rubescebãt. Nutant oculorum sereni prospectus, Solisque puniceus nitor radiis pallentibus erubescit. Vicerat lucem speciosa damnatio, & æratæ squammis fulgentibus cristæ splendorem luminis radiabant. Cognoscite qualis posset accurrere, qui venerat cum Deo pugnare. Moyses verò post admirabiles cœli & terræ virtutes, etiam super mare iussus est manum tendere, & potentiam Domini in fluctibus demonstrare. Calcabat igitur vindicis pelagi sinus Moyses ille gloriosus, atque vndarum stridentium fabulantibus sonis, murmurantes procellas intrabat. Cogebat spumis natantibus moles, ludens æquor in fluctibus conflatos vertices procellarum vndis migrantibus deducebat. Ictus venientis exhorruit, & manus ferientis expauit. Rapit diuinus exercitus vndis patentibus gressum, pulsatamque vindicis æquoris ianuam aperit. Intrat, exit, & claudit. Qui iustitiam non poterat nosse, cui didicit & mare seruire. Sequitur hostis ille furiosus, pœna ineluctante succensus, & inflammantibus animis vltrices semitas proculcabat. Flectebat vndis crispantibus comas tumens in vertices fluctus, & inter liquidos parietes ac destinas fragiles animatum reum sonis blandientibus inuitabat. Inter stabiles motus pendebat procella sollicita, & inter immobiles impetus stetit pœna suspensa. Sed vbi Pharao temerè ingressus est; redeunt fluctus, iungit mare, elisaque in semet commixtis fragoribus æquora spumis rixantibus obligant. Inserit aquis arcentibus iussu pelagus

pelagus membra, & inclinata in semet retortis fluctibus maria, curuatos in pronum vortices deponebant. Sæuit in hostes mare, dimicant vndæ. In se pœna constiterat, secum pœna migrabat. Nunc obligatis curribus subleuat aqua pendentes. Nunc dehiscentibus cumulis vorax vnda contorquet. Nunc euomit raptos profunda iactatio. Nunc deiicit in pronum mutata submersio. Monstrat inferis. Porrigit cœlo. Iniectos digerit, deductos absorbet. Rumpitur pelagus, frangitur mare, discussaque in suos impetus littora tonantibus vndis illatrant. Quid minus enim sumpsit ad gloriam, per quem Deus voluit habere vindictam? Attende nunc Ægyptus aliquando furiosa, disce perire, disce peccare, cæde iustos, flagella captiuos, quid enim pro scelere parum commisisti, qui cùm iustis nascentibus raperes vitam, negasti quod peius est sepulturam?

XIV.

EX EODEM.

QVi se hominem non intelligit, neque Dominum fabricatorem agnoscit. Qui fragilitatem ignorat, quomodo diuina nosse poterit beneficia? Qui monentem audire noluerit, pœnitentiæ subiacebit. Qui iubentem contemnit, iubentis in se indignationem grauiter commouebit. Qui Dei præceptis parere noluerit, reus vindictæ remanebit. Parere enim Domino, supinis conatibus tyrannus ille Gentilis Ægyptiæ reluctabatur? & onustum vesanis tumoribus pectus, in malis suis se constituerat odiosum. Ferebatur enim elatis crinibus in furorem circundatus armorum terrore, & contumelia militante peccati à suis mentibus effectus fuerat alienus. Sed quia grauis inuidia ipsa sibi suggerit pœnas, dum calumnia stimulante feruescit: sic didicit pœna promerente torqueri. Præcipitatur malis feruentibus in furorem, & obtrusi pectoris sæuitia conualescens in tormentis suis increpauerat perituros. Dum enim Hebræa propago benedictionis munere floruisset: non aliter quàm cæcæ mentis ardore succensus afflictam quassationibus vitam iustorum comprimeret per laborem. Fouebantur enim fœcunda viscera genitricum, ac producta sancti seminis proles increuerat. Quanto eos Ægyptij deprimebant, tanto plures fiebant. Noua gloria sanctitatis: noua sunt & persecutoris exitia. Dum duris quassationibus hostis exultat, magis Dei populus pœna iuuante crescebat. Augebantur enim duris mœroribus laborantes: & interclusa operibus viscera sæuis verberibus cogebantur addicti. Innouatur in hostes consilium, vt luctum in pœnis indiceret puerorum. Iubentur miseri antequam vitam discerent, mori: & dum nati non erant, quærebantur occidendi. Qualesnam gemitus in matribus fuerunt, quæ per dolorem exequiis properantibus parturiebant? Nam qualiter patres Regalis ira damnabat, quibus etiam flere filios non vacabat? Ad hoc enim interfici masculos iusserat, vt increscente populo, occidendo vinceret innocentes. Proh dolor, cogebantur matres in vtero plangere sepulturam, & antequam natum conspexerat, casuros exitus mater miseranda plangebat. Sed dum diuturnis contusionibus valescente sæuitia quassarentur, ac mœstificis horroribus dura eos tormentorum series implicaret, horrisono murmure vitam deflentes silentio, pulsauerunt. Murmurabant enim tacitis doloribus metuentes, & interclusa vulneribus pectora obscuris doloribus deprimebant. Qualesnam fuerant exitus murmurantium, vt nec voces tantis mœroribus crederent? Considerate quibus lacrymis oculorum imbribus poterat rumpere, cui nec flere licuit in dolore. Tandem Dominus sine clamore pulsatus audiuit, & nuncium doloris, cœlum sine voce cognoscit. Mittitur namque Moyses ille gloriosus, qui repensatis vulneribus illud quod Ægyptius irrogauerat redderet. Magistramque virtutum virgam suscipiens, Deus ingressus est per hominem pugnaturus. Migrant in hominis potestatem Dei virtutes, & officia cœlestia Moyses securus in virga portabat. Compellitur hostis, vt audiat patienter, & in malis suis obduratus efficitur, vt suis eum gradibus tormenta seruarent. Nullus enim reus ante poterit mori, quàm tortus est, & non magis exitus proferre veritatis, nisi fuerit vltionis pœnæ deductus exitio. Sic etiam tyrannicus error inuaserat, vt ordinibus numeratis inuenisset quem pœna torqueret. Cædit explicatis in se regalis insidia, & exhausta refrigescens in sententiis suis timuit quos tenebat. Exit igitur Moyses ille artifex virtutum, populosque Dei ab hostibus educturus, Dux agminum constitutus est in deserto. Ducebantur enim per arida loca camporum, purisque viæ regionibus incedentes ducente Domino seruabantur. Ignotisque littoribus propinquantes, hostem dimisisse populos pœnitet, vt sua eum mortis necessitas inueniret. Exsurgit protinus igne succensus, ardore armatus, secum indaginem moritura potestas excludit. In suos exitus iterum surrexerat periturus. Aptantur quadrigis firmioribus currus, qui veloces ad supplicium cum suo damno festinarent. Ferebantur itaque terroribus circundati armorum, vt strepitus eis Ægyptius forsitan minaretur. Audit Israel hostium increbrescere murmur, rotarúmque fragore turbatus, audaciam perdidit in timore. Nam quales fuerant hostes agnoscite, quos & Moyses ipse visus est formidare. Statim virgæ virtutibus percussa maria euanuerunt, turbatumque suis legibus mare captiuitatis curribus impeditur. Erigguntur euitatis manibus fluctus, & irriguo silice fixæ sunt aquæ. Promptus ingreditur procacibus animatus insidiis, securúsque in periculis eos toto discrimine sequebatur. Ingreditur fidens, quasi & illi per timorem seruituræ fuerant vndæ. Placet redire, sed nec redire iam licet. Iubentur aquæ suos exitus celebrare, resolutisque virtutibus in redeuntes officium suum iussa maria susceperunt. Quid est Pharao per fide? speciosus festinabas ad mortem. Vbinam te cogitas iniuste hostis? Non illo moriuntur vulnere quo feriisti. Pœnis enim tuis non labor indicitur, non nubes compluitur gladiorum. Nihil est enim quod graue sentires. In exitium tuum vna virga seruata est.

VNDE SVPRA. XV.

CVm iam dudum populus Israel beneficiorum diuinorum oblitus, cælesti brachio erutus de seruitio tyrannicæ potestatis, profunda æquoris sicco pede transisset, & aquarum parietes frænati penderent, sæuissimum tyrannum sua feritas maximis visceribus propinauit. Vt ibi cum suis cunctis interiret, qui priùs accinctus properabat, vt innoxios captiuaret. Cameratis vndis inter pericula fluctus constituitur murus, & ingreditur cum populis Deus, salutis victoriam ostensurus. Calcatur vnda turbarum vestigiis, & nullus est humor in plantis. Ingreditur Pharao demens, & cæcus suo consilio in fluctibus periturus. Denique vndarum scatentium furiosa compressit, quos furiosos inspirata cognouit. Intellexit autem quia non potuit euadere. Cum populis

pulis Dominus Deus transitum daret, & dum in secretis molibus frænati sæuirent in se voluuntur fluctus sepulturæ Pharaoni, & exercitibus eius paratur locus, & populum suum Dominus illæsum adduxit ad littus, & naufragiis Pharao cum suis in mari mansit obrutus. Populus Dei in marino campo vndam sulcabat, & naufragum Pharaonem ad mortem proximam irritabat. Stat Moyses iuxta mare, & clamoribus concitat cœlum, quia Pharaonem cernebat cum ipso committere bellum. Et Dominus: Moyses, Moyses, quid vociferaris? modo de inimicis tuis gratularis. Moyses, Moyses quid clamas? Ego cœlum mensus sum palmo, & mundum complexus pugillo, & tu putas quia cum Pharaone non pugno? Ingreditur mare populus, & Pharaonem ad naufragium armat Diabolus. Dominus illæsos ad ripam adduxit Hebræos. Nam Pharaonem cum sexcentis curtibus electis in mati reliquit demersos. Ingreditur mare Pharao præsumptor, tanquam si ei dicerent vndæ: Saluum te venire viator, magnum est quod existi præsumptor, magnum est quod te currendo peruadit sudor. Hoc magnificentius est, quod te modo natando peruadit rigor. Nobiscum venisti pugnare, modo Dei populum portauimus ad ripam, & sic tecum redimus ad pugnam. Nos tibi pelagi paramus campum, & tuæ animæ inferimus damnum. Veni securus amplius iam ad tuos non reuersurus, vnde fallacis pelagi fluctus tranquillitate pascuntur? qui armat quadrupedes, nec desunt celeres quos ira incendebat in hostes. Tuo iussu Domine Israëlitarum populus Ægypti rabiem fugiens Moyse duce randem felix liberque euasit, vt vsque ad matis terminum, furor ipse deficeret. Stat populus inter discordantes vndas, & terram circumseptus minis armorum fugam quærebat in fluctibus. Vapulauit mare scissum prophetica plaga, & verberatas aquas increpuit, virga. Siluit pelagi secretum stabili lapsum glaciali ædificio, steterat fabrica, & occurrit mare cum hostibus pugnaturum. Enatabat gladius crudelitatis naufragi, ingreditur mare præsumptor scatentibus vngulis quadrigarum, vnde violentiam patiuntur. Et ecce subitò vnda veluti à sono expergefacta fit dira noctis imago teterrima aduersus Ægyptios lugubris, immatura, obligat limites, præparat sinus vnda aduersarios populi exceptura, & crispantibus fluctibus obruit omnes in vigilia matutina. Ego viator aquarum, quare violentiam pateris vndarum? Nemo pugnat, & peris viator. Percute vndas si potes. Iugula fluctus si præuales. O aquarum concordia, exercitus Ægyptiorum demersit, & furor errauit. Transit populus Israël siccis pedibus mare, & sequitur Pharao sedens in curribus, in fluctibus demergendus. Calcatur vnda vestigiis, pulsatur vngulis quadrigarum. Et libenter vnda cædem aduersantium tolerabat, quibus ipsa naufragium procurabat. Ingreditur Tyrannus armatorum multitudine septus, & super vndas molles curruum, equorúmque ausus est dirigere gressus. O caligo impiissima cæcitatis! Petrus cum Christo titubauit, & merserat; & Pharao se solum transire putabat. Sed contra Apostolum mergentem manus à Christo porrigitur, & leuatur: Pharao desertus à Christo vndis sæuientibus deuoratur. Quis tantum non æstuaret? Hinc aqua spumat: inde arma coruscant. Hinc aquarum sonus: inde armorum strepitus. Sic operari Deus, sic adesse consueuit, vt vbi defierit humanum consilium: illic intercedat diuinum citius auxilium. Statim Moysi erecta manu virgæ ictu rumpitur mare, & secreta pelagi panduntur. Fit littus vbi fuerat pelagus. Resupinata conuertitur vnda, funeribus repleta sunt littora. Quibus in ipsa morte maior erat pœna quod post extortam aquis vltricibus animam, nec ipsam meruit sepulturam. Ante omnes exiuit Pharao ad ripam, sed iam perdita vita nullus statuit pugnam, & de inimicis exiuit tota victoria.

DE IONA. XVI.

CVm Ionas mitteretur Niniuitis interitum prædicare: mox ei improba vanitas fugæ ingessit consilium. Properusque descendit in Ioppem, ratemque adhibuit contempto Deo fugere Tharsis, quasi posset scientiam latere diuinam, ac si esset (quod non licet) extra Dei orbem aliqua regio. Orbis totus breuis locus est Deo, cum sit minor brachio eius, qui nec possit autoris sui fugitiuos aliquibus latebris adumbrare opacis, cuius sub obtutu conspicitur tremens. Nullus locus vacat occultus, sed à suo autore occupata sunt omnia. Sicut Esaias sanctissimus quod intra pugillum suum Deus teneat vniuersa loquitur dicens. Palmo mensus est cœlum, pugno comprehendit, & congregauit orbem terrarum conclusione dexteræ suæ. Et iterum. Manu sua velut nidum occupat mundum. Quasi posset latere istum, qui terrarum pugno occupat orbem, qui cœlorum, terræque, & abyssi fixos obtinet fines, qui murmurantibus tonitruis concutit mundum, quando incendio vibrante finditur cœlum. Cuius potentiam nemo fugere potest, cui est nihil abstrusum. Et vt expressius dixerim, quicquid non aspicit videns. Omnia nuda sunt Deo, vt ipse testatur. Ego Deus approximans, & non Deus de longinquo. Si absconsus fuerit homo in absconsis, ergo ego non videbo eum? Nonne ego impleo cœlum & terram? Nam & Propheta testatur dicens: Oculi Domini vbique speculantur bonos, & malos. Et Dauid dicit: Quod est imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnia scribuntur. Et iterum. Homo videt in facie, Deus in corde. Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum Deus scrutator renum, & cordis. Ergo cui sunt arcana pectorum præscia, nullæ sunt latebræ, quæ obtutibus eius non speculentur. Absens omnia videt, qui præsens à nullo videtur. Frustra ergo Propheta sanctissimus spreto Deo profundo imperio fugit, qui sine Deo comite fugere non potuit, fugisse se putat sequentem sibi iunctum, vel se potius præcedentem. Cumque hic ita nauem ascendens à Deo præsente reus nauigasset, diuinitatis nutu ex templo euersus est gurges, sedibúsque euulsus ab riuis, erectóque vertice pinnæ exæstuans obumbrabat. Periculis quoque furentibus sylua tundebatur, vndaque dehiscens iactum acerrimo absorbere dubitabat. Vndarum etenim discordia ratem furens ictum creberrimo verberabat. Boatur pelagus amne, atque litibus frendens in profugum rugit, vndisque latrantibus inquietus, ac turbidus pelagi tumor, crispator capite per aëra furens errabat. Dira enim diuersitas inuaserat gurgitem. Pelago quoque rixante septa quatitur puppis. Nam rabidi fluctus diuerso certamine in fugitium frendebant, erectique ad nauem latrantes currebant. Pelagus cunctum circa fugitiuum impatiens fuit. Sub ictibus itaque turbidis carina stridentibus linguis tremebat, Pontus hinc illinc ruinis verberantibus tabularum compages laxauit. Sic denique legimus. Et Dominus excitauit spiritum in mari, & facta est inundatio maxima in mari, & nauis periclitabatur. Ita vt comminueretur. Nautici itaque non voce sola, sed

lacrymis exprimuntur. Lacrymarum imbres effusi, iuncto gemitu largiter genis liquuntur, totamque regionem oculorum affluenter humectant. Manibus quoque suppliciter expansis diuersos pia voce rogabant. Vniuersi igitur rapti pondus omne in lethali præcipitant nullum, certatimque nituntur discrimina vincere, damnis an-ne vel præmiis possent pelagi rixantis fluctus tumidos mitigare, certantes vincere periculum deuoti faciunt damnum. Ibidem sic legimus. Et timuerunt nautæ timore magno, & exclamauerunt vnusquisque ad proximum suum, & iactum fecerunt vasorum suorum, quæ erant in naui in mare, vt releuaretur ab eis. Hæc fecerunt miseri plangentes, qui nec perditis mercibus potuerunt esse securi. Magis ac magis fluctibus densissimis, ictibusque durissimis nauis inundabatur. Horum autem ignarus erat fugitiuus. Erat enim subter tegmine scilicet ratis sopore irrigans fugitiua proprij corporis membra. Ad quem proreta orto planctu accessit, eumque pulsans ait. Quid tu stertis? Surge & inuoca Dominum tuum, vt liberet nos Deus, & non pereamus. Tandem expergiscitur reus proreta pulsante, sorteque ostenditur declarante. Sors declarat: reus non negat. Quid autem cum tali agerent, cogitabant. Cumque experrectus vidisset clangoribus lacrymosis rugientem catinam, potumque ex imo fluctibus vulsis eius causam arguentem, atque atro agmine polum confusum sibi indicauit, ponto bacchanti petiit ab ipsis iactari. Tollite me, inquit, & mittite me in mare, & tranquillabit mare à vobis. Agnoui enim quia propter me ista inundatio maxima est super vos. Illi autem trepidantes periculo concedere iustum remeare certabant, & differre nauigium. Sed clamorum duritia noluit flecti aspera, nec carinæ libram voluit regio omnis. Igitur antenna sub ictu tremens inregibilis fuit, fluctus vero multo magis sæuientes tumebant, arreptique cœlum pulsabant. Efficitur cœlum pelago profundum, dum fit pelagus cœlo vicinum. Tum verò reclamantibus atque rixantibus vndis præcipitatur propheta. Iamque cetus immanissimus vorax surgens ex imis properabat, atque scindens cursum acerrimos fluctus, diuino scilicet nutu intelligens prædam de naui deiectam. Hausit faucibus diris, sed nec dente laniauit, nec morsu necauit. Deducitur Ionas illæsus per hebetata rabidi oris pericula in aluum profundum, recessibúsque viscerum altis triduo captiuatur inclusus. Iam tunc Domini Christi inclytam, eximiamque gestabat personam, quod esset in passione per spatium tridui abdita scrutaturus terrarum, sicut in Euangelio legimus. Natio, inquit, iniqua & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre cœti tribus diebus, & tribus noctibus: ita erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Hic tamen æquoris confragosa sedauit discrimina, cuius erant imperio mota. Caliginis fugiente mœstitia, aër sincerauit, mundúmque efficitur cœlum. Periculis quoque placatis marmore nauigat carena sereno: vndasque secat tumido venti flamine carbaso currens secura nauigat. Propheta sepultus aquis, exter ab vndis, scindens aquas, sub aquis siccus. Immanitas autem ceti quæ interno viscerum hospitio captiuum inclusit, à sua digestione immunem seruauit. Marina pereditur fera: quia negatur ei quod aluo proprio gestat. Saginato ceto indigestus esurit. Rabies ventris satiatam feram per triduum consumpsit. Cruditate consumeris fera. Negatur tibi quod tenes. Æstuans igitur bellua per vastum æquoris nauigans grauida atque nec assumens dapem digessit. Tunc cetus immanis dape onustus, ieiunio aridus, imperio præceptoris intimi sui ad æquoris metas celerauit aquarum agmina, nauigio findens, ex opaco nigróque viscerum carcere fusum profugum præda produxit, atque intactum ad limitem profudit.

DE COECO NATO. XVII.

SPeculum transit, speculum tergit. Ipse est enim Patris speculum verum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Christus inquam transit speculum Patris, & à non vidente tergit speculum cæcitatis. Transit Christus veniens de cœlo, vt eum videret omnis caro. Secundum Simeonis illius beati senis propheticam vocem, qui in manibus Verbum accepit infantem, lætúsque aspexit & dixit: *Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Solus ergo cæcus non habuit speculum Patris videre. Et vbi esset fidele præconium Prophetarum: *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum audient, & claudus saliet velut ceruus, & plana erit lingua mutorum?* Itaque speculum cæci, vultúsque mendici, quasi quandam habebat thecam conclusam, quæ faciem tegeret tenebrosam. Ipsam thecam Christus absoluit, speculum tersit, & speculum Patris in Christo cæcus aspexit. Grandis medicina contra naturam. Non erant oculi vitiati, sed penitus denegati. Cæcus erat natus, non effectus. Et quia luminosus erat primus homo factus, sed discessit à serpente cæcatus, cœpit nasci iterum iam cæcus credens, quia vitiata natura debilis fuerat corpore, gemino indigens lumine, qui de sua non erubuit nuditate. Sedebat igitur cæcus transitu publico vestitus, paupertatis angustia nudus, naturali lumine spoliatus: sedebat, inquam, nihilque petebat; collyrium à nullo medico postulabat. Quod enim contra naturam erat humanam, proculdubio necessariam non habuit medicinam. Venit artifex ad speculum imaginis: aspexit miseriam cæci sedentis, & stipem suppliciter postulantis. O diuinæ virtutis miraculum! quod aspicit curat, quod visitat illuminat. Interrogant denique discipuli, & dicunt: *Quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?* Dominus ait: *Neque hic peccauit, neq; parentes eius; sed vt appareat gloria Dei in eo. Me enim oportet operari opera Patris mei.* Tenebantur igitur vniuersa sub peccato, sub duro supplio. Cæci, claudi, surdi, lipposi, mortui, tenebantur inquam sub custodia primi supplicij. Venit liberator qui fuerat iudicator. Aspexit cæcum & vidit. Surdum tetigit & audiuit: leprosum mundauit & refulsit: claudum erexit, & cucurrit; ad mortuum descendit, & de morte surrexit, & cœperunt iam pœnales carceres vacuari fractis ianuis inferni, vectibus ligni, in quo pependit Dominus cœli. Iam ergo qui fecit orbem terrarum, orbes aperuit cæcorum. O rotator figulus! totatus est verbo, & visus donatus est cæco. Figulus enim quando vasa conuoluit de limo formanda, volubilem tangit pedibus rotam. Et figulus noster vidit rotas oculorum cæci vacantes, tangit eas, non pede, sed voce. Tetigit agitando, & formauit oculos limum ponendo. Quid est hoc? vnde tale collyrium? Non de pigmentis herbarum collyrium. Non in pila contritum laboribus medicorum. Homo de limo; collyrium de luto. Quomodo enim aurifex monile confractum non argenti specie renouat, nec argentarius vasa argenti de metallo reficit auri: ita & artifex

tifex figuli noster Dominus Christus, vas quod de limo fecit, de luto refecit. Et vnde oculos primos formauit, inde secundos oculos renouauit. Quæ maior est gloria orbem Solis formare, an cæci nati oculos reformare? Solem illuminari fecit in throno sedendo, cæcum videre concessit per plateas sæculi ambulando. Itaque non rogata venit claritas, & sine labore precum discessit naturalis cæcitas. Mittitur ad piscinam, lauat lumina, recipit claritatem, & ducitur ad certamen. O speculum illuminatum! ante non poterat pugnare & vincere, nisi Christum illuminatis oculis adoraret. Illuminatum est speculum cæci, & tenebris sunt operti Iudæi. Nolunt videre in lumine alieno: ideo non potuerunt superbi verum aspicere lumen in Deo. Palæstra paratur post lucem, & lucis auctor non deserit serui sui illuminati certamen. O palæstra delectabilis, pugna claritatis contra tenebras cæcitatis! Adducitur præcepto Seniorum & Principum Iudæorum, circundatur lumen à tenebris, & erigit faculam responsionis pro miraculo Saluatoris. Interrogatur & respondet, circundatur & non clauditur, agitatur & non circunuenitur. *Quis*, inquiunt, *tibi aperuit oculos? nónne tu eras cæcus sedens & mendicans in via?* Ego eram mendicans in via, antequam transiret via. Aperta sunt lumina mea: quia ille transit qui est via, veritas, & vita. Ego, ego sum; non abscondo cæcitatem meam, vt confitear gratuitam medicinam. Curatus sum in loco singulari, contestor sub lumine cœli, quia Christus est qui me fecit videre. Dic nobis inquiunt qualitatem medici tui, Dico, non erubesco. Euangelium est nouum illuminare cæcum. Dico, dico, vtinam & vos eius caperetis amorem, qui medici quæritis qualitatem. Lutum fecit sputo oris sui commixtum, liniit oculos meos, misit me ad Piscinam. Quid fuerim consecutus, contestantur lumina mea. Quid dicis? noua res est, mentiris; de luto nunquam, nunquam scimus oculos cæci esse patefactos. Verè dicitis, quia nescitis quod non vidistis. Ego noui qui video, qui credidi, sensi, & vidi. Erat certamen magnum, quia lumen venit magnum. Alij dicebant, non est ipse. Alij dicebant, ipse est. Omnes verum dicebant, & ipse erat, & non erat ipse. Si hominem attendas, ipse erat: si oculos consideres, non erat ipse. Si speculum attendas, ipse erat. Si lumen speculo contempleris, non ipse erat; quia medicus eius in principio erat verbum, & verbum apud Deum Deus erat. Non nobis, inquiunt, sufficit testificatio tua, non ipsa imago tua. Non est ipsa scio imago mea. Sed ille ad me venit, qui me fecit ad imaginem & similitudinem suam. Mentiris, non ipse es. Non ipse sum: quia mutatus sum. Iubent adduci parentes, vt filio fierent assertores. Adducuntur parentes, & testimonia crescunt, & accusatores erubescunt. O malignitas! contra se congregant testimonia, vt plena fieret de cæco victoria. Veniunt, stant in medio Seniorum, interrogant, hic filius vester est, qui sedebat cæcus, & mendicans in via? Et illi. Ipse est, nouimus filium nostrum: & si negamus, accusat affectus; sed apertos eius oculos videmus, & nos ipsi miramur. Venter noster effudit cæcum. Ignoramus autem quis fecit de cæco illuminatum. Filius quidem noster est, sed iuste cogeremur loqui pro infante, si ipse pro se loqui non posset. Hic autem olim loquitur, modò videt: cæcum à natiuitate nouimus, loquentem olim audiuimus, videntem modò videmus. Ipsum interrogate, vt instruamini. Quid nos calũniamini? Ætatẽ habet, ipse pro se loquatur. Aptatus est enim, vt non esset paruæ ætatis, sed legitimus, vt testimonij eius plenus proueniret triumphus. Reditur ad luctamen & pugnam: donec suum cerneret coronatorem. Dic nobis inquiunt. Quid vobis dicam? *Iam dixi, Quid iterum vultis audire? Nunquid & vos vultis discipuli eius esse? Et illi. Tu sis discipulus eius.* O magna iniuria, quod desiderio dicitis, sine causa increpatis? à lumine me non separatis. Sed nos inquiunt discipuli Moysi sumus. Et ille. Et Moysen audiui, & prophetas audiui: *A sæculo auditum non est, quia aperuit quisquam oculos cæci nati.* O magnus defensor. Iam defendit antequam credit, in medio nebularum stat vnum stillicidium, & capit de viuo fonte triumphum. Irati sunt, & eiecerunt eum foras. Beatus qui exit de Synagoga malignantium; deducit eum exeuntem de palæstra victorem exercitus Angelorum. Pugnauit, defendit, vicit, & sine corona discessit, quia oportebat istum à Domino coronari. Occurrit illi Dominus coronator innocentium, illuminator cæcorum, tergit de eius frõte sudorem. Consolatur verbo, qui curauerat limo. Quid, inquit Dominus, ô tu speculum meum? foris vides, putásne intus vides? Vides me quo tibi appareo; putásne vides in me quo tibi non appareo? Aspicis quia homo sum, putásne aspicis quia verbũ caro factus sum. Credis in Filiũ Dei? Domine quis est, vt credam in eum? Ego te aspicio medicum meum, nouum audio verbum. Quis est, vt credam in eum. *Ego*, inquit, *sum, qui loquor tecum.* Et ille. *Credo Domine.* Sensi maiestatem tuam, & recepi claritatem meam, quam minus habui per naturam. Audiui vocem tuam, cognosco gloriam tuam. Credo, credo, *credo Domine. Et procidens adorauit eum.* Adorauit quod vidit, credidit quod sensit. Adorauit illuminatus lumen, & gratias agens Domino. Qui dixit cum Propheta, *Apud te Domine fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.*

DE HELISÆO, VBI VIDVÆ oleum multiplicauit. XVIII.

Quoniam venit Dominus, qui humiliet calumniatorem, non timeat Ecclesia fœneratorem, quia securam reddidit mulierem. O grande mysterium subuenientis olei sacramentum, quo debitum soluitur, vita transfigitur, & venturi iudicis securitas comprobatur. O grande mysterium, quod est in cornu conclusum. Vnde vnguntur Sacerdotes inde vincuntur cupidi creditores. Vnde vngebantur Prophetæ, inde mater cum filiis non timet fœneratorem. Vnde Sacerdotes iniebantur, inde Sacerdos maior efficitur cum dulci Ecclesia filiorum. Et sicut de multis vnum liquatur vnguentum, ita hoc mysterium fecit cum matre habitare fratres in vnum. O gratia olei vnde plãgenti succurritur matri, & violentia adimitur fœneranti. O confectio cum qua est facta curatio. Inde vulnera linita fouentur: inde superba corda mitescunt, vt delinita oleo chrismatis colla, iugum accipiunt mansuetũ. Quis non attendat ad olei sacramentum, vnde mulier libertatem conquirit natorum: Omnes enim facit videre, quia sine oleo non potest lucerna fulgere. In Sacramento itaque olei, gratia est Spiritus sancti. Illuminationis pinguedo noctis casta successio tenebrarum fugat accessum: inter tenebras enim erat ista vidua. Mater desolata viro, grauata debito, & addicta gemino iugo; amiserat præ tædio lucis aspectum. Tenebras patiebatur de conuentione crudelium fœnerantium. Foris violentia, intus miseria. Quæritur misericordia, & non est qui

faciat, nisi propheta. Interpellat Helisæum mulier angustata. Subueni Domine serue Dei, causa requiritur & panditur, & lacrymæ non retinentur. Scis Domine seruum tuum, virum meum, quia timens Deum erat. Hic mortuus est extante debito, quod non potuit ipse reddere. Ego compellor exoluere. Omnes diuitiæ meæ duo sunt filij mei, gemitus ventris mei. Nihil aliud fœneratores expectant, quam vt filios meos cœlesti ingenuitate creatos suæ libidini faciant subiugatos. Non argentum illis fuit, quod clarum est, quia etsi esset, non nisi ad ingenuitatem natorum meorum fœneratores impij festinassent. Ipsos volunt tollere, quos Deus mihi dignatus est condonare. Nunquid possunt pariare debitum patris? Nonne anima quæ peccat, sola punietur? Me non optant ancillam, sed viscera mea sibi vindicant mancipanda. Vt quid genui? vt quid cum genitu peperi? vt quid apertæ sunt portæ vteri mei, & effudi in luce quos in aliena video potestate. Ipsos inquirunt, me despiciunt, & in domo fœneratorum filij mei quale poterunt habere solatium? Non mater quæ foueat febrientes, non mater quæ consoletur languentes. Flentes flebunt, & non erit qui consoletur. Offero eos tuis aspectibus beate Propheta, fac illos seruos Domino suo. Si subueneris debito meo, non eos tollant prophani fœneratores, sed nutriant eos angelicæ potestates. Et Propheta. Desine inquit lugere, redde mihi de tuis enthecis rationem. Quid habes in domo? Et illa: Pudor est dicere Domine quod habeo: inde misera patior violentiam. Non est mihi nisi modicum olei in vase. Et Propheta: Mulier non est paruum quod habes. Vincet tenebras fœneratorum, & lucem conciliabit Angelorum. De oleo tibi possum consulere, quia nemo potest sine oleo ad Deum pertinere. Videte fratres, vbi Propheta plangentem dirigit matrem? ad chrismatis scilicet vnctionem. Id est, ad Christi pinguissimam pietatem. Clamat Ioannes. Non sum ego Christus. Attendite & videte. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Clamat Esaias. Ecce Dominus noster ipse veniet, & saluabit nos. Clamat Dauid matri plangenti. Si vis carere violentia fœneratorum, accipe oleum sanctum, vt filij tui tecum possint habitare fratres in vnum: Et quid faciam, inquit, de modico oleo quod remansit in vasculo Ecclesiæ de vtrisque populis venientis? Ista persona est adorantis, & vere modicum Israeli remansit oleum in vasculo Iudaico. Iam Propheta veniebat ad finem, sperans Dominum Saluatorem, qui est in modico reliquo oleo. Quia nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma fuissemus. Accipe, inquit, consilium mulier de illo vasculo. Noli penitus desperare. Accipe tibi vasa noua quamplurima. Intra tu & filij tui domesticum cum taciturnitate cubiculum, & claude ostium tuum. Intra in promptuaria tua, absconde te pusillum, quousque transeat furia fœnerantium. Ita mulier fecit vt Propheta mandauit. Accepit mulier vasa noua: accepit Ecclesia de vicinis omnibus gentibus hominum membra de dominica figulina. Intus intrant mater & filij. Intra illud cubiculum quid agitur? Paschæ illic video sacramentum? Sanctum sanctorum est? Cornu ibi florescit? fœnerator ibi marcescit. Pascha est cum matre & filiis, cum Ecclesia & populis. Fontem video; Chrisma considero, Christum adoro, accipiebat subinde mulier ministrantibus filiis vasa, & defundebat, & applicans iterum defundebat, & oleum non desinebat. Nonne in aperto est quod agitur. Quando vasa noua replentur, diues facta est mulier & secura. Agit gratias quæ effuderat lacrymas. Vade, inquit, vende & redde debitum, & de reliquo viue tu & filij tui. De reliquo viuendum est. De Christi gratia transigendum est: quia Christus humilis venit, & Ecclesiæ sufficit, quia nunquam oleum tenebrescit. O olei sacramentum. Inde sapientes probatæ sunt virgines: inde securæ redduntur & matres. Inde virgines patriam merentur intrare: inde mater meretur Domino seruitium exhibere, & perpetua cum filiis libertate gaudere.

ITEM DE HELISÆO. XIX.

DVlcis insonuit auribus nostris recitata libertas, dum sæuit in nobis amara captiuitas. Quomodo si inter graues fœtores boni incendantur odores: & in domo ægrotorum aduentus medici nuntiatur: ita requieuit gemitus compeditorum, quia resurrectio recitata est mortuorum. Hinc Dauid clamat conueniens vltionis diuinæ censuræ. Vindica, inquit, Domine sanguinem seruorum tuorum, qui effusus est, introeat in cõspectu tuo gemitus compeditorum. Hic miserabilis mater funus includens, mortem excludens sub testimonio montium apud Helisæum exaggerat luctum, & repetit iam defunctum, quem non sperabat derepente conceptum. Hinc piæ sorores missam legationem perorant. Domine, inquiunt, Ecce Lazarus quem amas infirmatur. Inter sorores, & matrem non habes mors, quomodo tuæ crudelitatis adimpleas voluptatem. Vacuatur tua dira conditio siue in lecto, siue quod maius est in sepulchro: quia successit fraterna maternáque legatio. Sine causa fudisti venenum: ad nihilum productum est per misericordiam lachrymarum. Festinas curuare aculeum tuum: conterent illum, seruus de monte, Dominus de cruce. Seruus destinando. Dominus præsciendo. Seruus descendens ad Domum, Dominus veniens ad sepulchrum. Vbique vacuatur tua dira conditio, siue in lecto, siue quod maius, *peius*, est in sepulchro. Sed Lazari resuscitati lætitia participati sumus cum pietate sororum. Ad maternum nunc veniamus luctum, & ad vnicum filium suscitandum. Mulier illa quæ Prophetam de filio defuncto conuenit, ante illum cognita dignitate suscepit. Fuit meritum resurrectionis gradus hospitalitatis. Nam cùm semper per eos Propheta haberet excursus, atque decursus, & communi cum eis fuisset mansione contentus, eis hospes futurus, & melior aduocatus: conuenit se mulier corde tractans, cum conscientia rixans, animum cum hospitio præparans, maritum rogans. Ecce inquit, homo Dei frequenter venit ad nos, & satis excedit nos. Ille Iustus: nos peccatores. Iste cœlestis: nos terrestres. Ille in spe singulari: nos sine fructu coniuncti. Durũ est, vt cõmunes nobiscũ mansionis habeat parietes, cum quo nõ habemus similes mores. Faciamus illi marite meus in superioribus domum, vbi veniens ad proprium declinet hospitium. Inferior debet esse mansio nostra, quia inferiora sunt & merita nostra. Martyres iacent sub ara Dei. Nos non debemus manere sub mansione hominis Dei. Precet sanctum in commune consilium, & similitudine apum fabricare cœperunt hospitium susceptorium. Non dedignatur mulier illa bonæ hospitalitatis amans aquam infundere, vel tigna portare. Dulcis enim erat labor quem charitatis suggesserat amor. Cogitat sensibus, ædificat laboribus. Parat ornatibus domum. Collocat mensam, sellam, & candelabrum, & dignum venienti præparauit hospitium. Vbi es, inquit, mei Domini

ni seruus? Expectat te tuis parata ornatibus domus, vt hospitum tuorum dulcis lætetur affectus. Suscipitur, fouetur, honoratur, & cogitat reddere beneficium. Dic, inquit, Giezi, dic puer, voca istam Sunamitidem, vt reddamus ei aliquam vicissitudinem, quę nobis tantam exhibuit charitatem. Venit puer, vocat mulierem. Et Propheta. Dic, inquit, mulier, quid tibi fortè opus est necessitatis, vt fructum possis recipere pietatis? Nec apud Regem, aut principes nostra pro te debet operari legatio, ne alicuius tibi importuna sit inquietudo? Et mulieri. Nihil est Domine quod mihi sit importunum. In medio populi mei ego habito, longè est à nobis publica controuersia, quando tu nobis hospes esse dignatis. Nullum tibi ingerimus iniuriosum laborem: delicatum de te apud Dominum vnam tantummodo exposcimus precem. Et puer, Domine inquit, vtique non est ei filius, & vir eius iam senex est. Et Propheta: ad hunc diem videbis te concepto filio. Illa desiderio plena, sensibus verecunda expauit, gaudio contremuit, fructum verò suscepit. Nascitur ei filius, tardè conceptus est citò moriturus Æstiui enim Solis ardore decoctus super genua matris suspirans oculos in morte conclusit. Et illa mortuum suum lecto hominis Dei patienter imposuit, & rogat maritum, vt ad hominem Dei citiùs festinaret, & celat necessitatem, ne de vna spe faceret desperatum dolorem. Noui, inquit, patres mortem filiorum grauiùs condolere, & interdum dolori amaris labiis Dominum blasphemare. Meliùs tacebo, & maritum meum in peccatum tristitiæ non prouocabo, ne amittens filium perdere incipiam & maritum. Cum silentio disposuit, superiora conscendit, vale filio cum lacrymis fecit. Filius meus tardus, & luctuosus, antè te didici plangere quam nutrire. Da veniam, sic pergo, vt citò ad te veniam. Dimitto te solum, itura sola, sed non sola ad te reuersura, nec te solum sine Domino repertura. Citò venio, non tardabo miserabilem inuidiam factura hospiti meo. Vt quid tibi locum sepulturæ, nesciens quid placeat Domino meo? Modicum est corpus tuum, si non fuerit effectus, momento tibi sepulturæ parabitur locus. Quãtus labor in fouea vbi parua sunt membra? Ego tamen non præteribo hospitem meum, ne mihi imputet de taciturnitate peccatum. Vadit via luctuosa cum misericordia reditura. Velox est cursus, quem concitat luctus. At vbi peruenit ad montem, cœpit de longè lachrymosam monstrare faciem, & maternum testari dolorem. Nunquid ego petiui filium Domine? Nunquid à me tibi facta est importuna suggestio? Tua fuit promissio, tua per Deum perfectio, tua sit & curatio. Ieiunus fuerat vterus meus, ieiunus erat & luctus. Per te didici plangere, per te merear & gaudere. Hic propheta præcedente matre festinat, secumque miratur, & tractat. Quare abscondit à me Dominus Deus? Omnia mihi reuelat Spiritus sanctus de cælo: & tacuit à me de paruo hospite meo? Puerum dirigit præcursorem, qui mortuum baculo tangeret, & vixisset. Et illa. Viuit Dominus, & viuit anima tua, si dereliquero te. Tu redde quod dedisti: quia vt haberem, non per discipulum promisisti. In testimonium habeo lectum tuum, vbi posui mortuum meum, si contempseris dolorem meum. Veni mecum, aut suscita mortuum, aut commenda certè defunctum. At vbi Propheta de superioribus ad superiora descendit, de monte ad domum, de eremo ad silentium, ingemuit ad Dominum, qui est Iudex viuorum, & mortuorum. Domine, inquit, intende in me, & in istam hospitem meã: non accuser in misericordia tua, vt tu lauderis in medicina tua. Ascendit in lectum angustata qualitate membrorum. Insufflauit septies in iacentem, & reddidit matri viuentem. Humiliatus est Propheta, & infanti reddidit vitam.

DE HELIA ET HELISÆO. XX.

PAtet Iordanis præsumentibus, quia patet fons vitæ credentibus. Bonum est & delectabile Iordanis alueum videre diuisum recessione vndarum, & societate ceruorum, quando greges transeunt sitientium, quod desiderabant velut ceruus ad fontes aquarum. Familiare est Iordanem virga diuidi, & melote separari. Diuisit eum Iesus Naue cum testamenti arca fulgeret. Diuisit eum Helias dum pellis caprina terreret. Diuisit eum Iesus Naue Angelo stante cum gladio. Diuisit eum Helias occurrente sibi curru igneo cum magno triumpho. Trãsiuit per aquam, peruenit ad flammam. Sed nec aqua mundauit, nec ignis inussit, recessit vnda, portauit flamma. Ibi Baptismus cum victoria: hic triũphus igneus cum corona. Vt diceret inter ventos & æthera decantans. Transiuimus per ignem, & aquam, & induxisti nos in refrigerium. Quia post aquam, & ignem portatus est ad Paradisum. Stetit ad oram Iordanis cum discipulo charitatis Helias, & Helisæus, magister & Discipulus, Dominus Christus, & populus adquisitus. Quia transeunte Christo per Iordanis alueum cœpit omnis populus competentium transire fluctus aquarum. Ascendit Dominus de Iordane, & egressus est igneam tentationem, flãmeum in deserto certamen, vt de sua vincente victoria, totum mundum amœnaret ardentem, & refrigeraret triũphis tentationũ viridantibus æstuantem. Occurrit illi quadriga ignea, & nubifera, dum currus Dei descendunt lætantium Angelorum, & ministrant vincente Domino post triumphum. Sicut Matthæus Euangelista contestatur. Sequuntur Dominum competentes per Iordanis medium transeũtes. Et dicitur eis in ripa occurrente flamma, id est, ignea pugna, vt florescat de flammis amœna corona. Fili, inquit, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Sed redeamus ad Heliam triumphatorem, & Helisæum clarissimum sectatorem: illum testatorem: istum hæredem. Testamentum iste postulat, ille dictat, calamus fuit lingua, non canna: atramentarium, non nigredo fumi, sed candor baptismi. Quid dicit magister testator voluntarius? Pete à me aliquid priusquam absumar à te. Et ille Spiritus qui in te est, duplicior fiat in me. Et magister. Durum est quod petisti, sed inter aquas quod petitur, non negatur. Quid non accipiunt, cum transeunt per fontes aquarum, vt regnum possint intrare cælorum? Ergo Helias, quid respondit auaro discipulo, sine auaritiæ vitio. Auarus enim in regno Dei non reprehenditur, sed laudatur. Si me, inquit, videtis absumi à te, fiet tibi. Ille pollicetur: iste sectatur. Magister vndam Iordanis percutit pelle: discipulus viuam magistri non deserit charitatem. Indumentum Prophetæ qui portatur in igne non serico cum tinea, sed pellis mortua cum vita noua. Pellem enim portabat, quia membra sua super terram mortificabat. Pellis capri mortui, quem Christus portabat, qui venit in similitudinem carnis peccati. Pertranseunt petitor & promissor, oblator & præsumptor. Refusa est vnda, & apparuit obuia quadriga cum flamma. Turbatur aër, venti mouentur, procellæ quiescunt. Dæmones fugiunt, tenebrarum principes disperguntur. Suspenditur discipulus, &

leuatur magister. O mirabilis euectio, vbi non equi Cappadoces, sed equi ardentes. Currus de incendio, non de ligno. Quadriga iusti valoris non erit vestita argentea massa, sed aurea cortina de flamma. Rogo quales equi erant: animalia videbantur, sed ignis non palpabatur. Ille amœnus castitate erat, qui sedebat. Rotæ vbi currebant? Vbi vngula quatiebatur equorum? Qualis campus, aër, & ventus! Vbi volubiles rotæ spiritali rotatu fulgebant, atque sonabant? Aër illi erat campus. Ignis ascensus, patria Paradisus. Sed quantum delectat magistrum suscipere ascendentem, tantum delectat discipulum cernere flebili post magistrum expectatione pendentem. Clamauit, conuenit. *Pater, Pater, agitator Israël.* Et ille iactauit pellem, vt consolaretur amantem. Suscepit magnum thesaurum hæreditatis, pellem fortissimi testatoris. In illa pelle sortitus est potestatem, vt diuideret & ipse Iordanem, secaret torrentem, leprosum mundaret, duos mortuos suscitaret, viduam à debito fœnoris liberaret, pupillos de seruitutis catenis erueret. Istæ erant diuitiæ pellis, qua se expoliabat testator, & hæres amictus est: quia & Christus Dominus, cuius Propheta erat Helias, spoliauit se carne per viuam mortem, & totus vestitus est mundus nouitate gratiæ per Iordanem.

XXI. *DE FILIIS ZEBEDÆI.*

Benedictus Dominus qui facit mirabilia solus, qui sedet super sedem regni sui, abyssos dignatus est nostri visitare peccati, vt & nos de throno mortis eriperet, & secum atque in se Patris dextera collocaret. Sed quis attingebat ad sedentem; nisi viderimus transeuntem, quem Stephanus vidit stantem. Hoc rogabat beatus Dauid sicut in præsenti cantauimus. Et post psallente concordi voce respondimus: *Qui sedes super Cherubin, appare coram Ephrem, & Benjamin & Manasse.* Hoc audierat, & legendo dedicerat beata mater filiorum Zebedæi, & intellexit Dominum super Cherubim sedentem, quia magnam possidet dignitatem. Accedit illuminanda, adorat vt ancilla. Postulat non dona terrena, sed vota cœlestia. Dominus est enim cœlorum, à quo cœleste flagitat desiderium. *Dic*, inquit, *vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam in regno tuo.* Dic, inquit, in verbo tuo: & effectus proficit voto meo. Dixisti, & factum est cœlum. Dic & parabitur filiis meis thronus, claritudo thronorum. O mulier conditione. Sed quia mater es pietate, humanam supergressa es dignitatem. Christus de cruce prædicabat, & illa imperium cognoscebat. Ille dicebat: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur vt crucifigatur.* Et illa interpellatrix accesserat dulcium filiorum. O mulier filiorum beata sanctorum, meritum præcessisti beatorum, & honorem prætergressa es Angelorum. Non tibi sufficit, quia filios tuos feci excelsos prædicatores, quos inopes nutrieras piscatores! Post retia cœlum, post hamum Euangelium, post nauicellam postulas thronum? Non audisti in libris paternis, quid Angelis dixerit claritatis. Raphaël inquit: *Ego sum vnus de septem Angelis, qui adstamus, & conuersamur ante claritatem summi Dei.* Et tu dicis, sedeant filij mei. Non audisti quid dixerit Daniel? *Videbam, & ecce throni positi, & sedit antiquus dierum. Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Et tu dicis, sedeant filij mei? Esaias cernit Propheta Seraphim in circuitu altaris ante Dominum adstantem: & tu postulas filios tuos in thronis sedere, quasi si stent, parum est tibi mater. Aut si Angelorum ordinem nesciebas, patrum nostrorum merita quare non legebas? Non est dignum vt coæquentur filij tui patri nostro Dauid, qui per cytharam pellebat dæmonia, qui humana lingua angelicum cantauit alleluya, qui allophylum Goliam vicit innocentia, non lorica. Et qui dixit orans, Dominum suum ex semine suo secundùm carnem futurum? *Mane*, inquit, *adorabo Domine: mane exaudies vocem meam. Mane adstabo tibi, & contemplabor te.* Quid dicamus de Helia, qui cœlesti euectus carruca ante meruit triumphum, quàm sumeret præmium? Et quid dixit cum manum leuasset ad cœlum: *Viuit Dominus cui adsisto in conspectu eius hodie.* Et tu postula filios tuos in throno sedere? Domini etiam vox est manentis, terrentis, idque firmantis. Vigilate, inquit, & orate, vt digni efficiamini effugere omnia quæ ventura sunt, & stetis ante filium hominis. Et tu filiis tuis thronos postulas maiestatis. Da veniam mater, admirantes ista diximus, non culpantes. Noli inquit, noli beata mater tanquam impossibilium me cupidam iudicare. Dominus mihi tribuit istam auidam voluntatem, qui regni sui diligit violentos, & solos odit qui potentari cupiunt super egenos. *Regnum*, inquit, *cœlorum vim patitur, & qui vim faciunt, diripiunt illud.* Quod hoc dignatur amare, hoc ab eo ausa sum postulare, Ab illo audiui. *Petite & accipietis: Quærite & inuenietis: Pulsate & aperietur vobis.* Dum patet, pulso; dum accipere licet, peto; dum tempus est quæro. Audiui enim dictum: *Quærite Dominum dum inueniri potest*, ne tunc quæratis quando inueniri non potest. Modo, modo, dum in forma apparet serui, dum patiens est vsque ad mortem crucis, dum priuatum gerit vultum, & necdum incensæ sunt ab illo scintillæ carbonum. Cæterùm cum cœperunt præcedere venientem angeli cum tuba & voce magna, quando virtutes cœli commouebuntur, interpellatio ibi quid faciet mulieris. Dum commouebitur ignis in circuitu eius, & tempestas valida, mea quid præualeant desideria. Potero ad igneum accedere thronum congregatis ad iudicum legionibus peccatorum. Ideo modo videns eum in ista humilitate, istam præripere cupio sponsionem, sed Dominum meum audiam respondentem. Dic iam Domine, vt sedeant tecum filij mei, in lateribus regni tui. Et Dominus. Magnum est quod petis, sed agonis meritum non discutis. Ante vis filiis tuis mercedem, quàm incipiant subire laborem. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Mater petit, & fidem Dominus poscit de filiis. Non enim erat idonea mater pro liberis fidem dicere, quorum voluntatem in suam non habuit potestatem. Sed Dominus vt iustus, & sapiens ab eis fidem poscebat, quibus agonem martyrij proponebat. Ipse enim calix passionis martyrij cruenta potione bibitur, vt sanguineum mortis excludatur venenum, quo per Adam perierat totum genus humanum. Ipsi enim interrogati, responderunt. *Possumus.* Quid dicendum Domine, possumus. Per te Domine valeamus, per quem hoc petimus, quod cupimus. Possibilitas nostra in tua est potestate. Petitio nostra in tua sit voluntate. Benè petitis, benè promittitis. Promissionem vestram veritas subsequatur: sed petitio vestra humanorum excedit gratiam meritorum. Calicem quidem meum bibetis, meum, non vestrum: vestra potio, sed mea dignatio: quod quia munere meo vobis bibentibus conceditur, bene sperate. Illud autem quod petitis, quia repositum est agonizantibus, certis sensibus expectate. *Sedere enim ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum*

ratum est. Quibus sit paratum, non dixit. In abscon-so ponit honorem: vt omnibus indicet laborem. Vult enim omnes paratos, qui nullos desiderat separatos. Et propterea duobus suspendit petitionem, ne cæteris inflexisset liuorem. Hoc enim semper agebat Dominus noster non impotens potestate, sed sapiens æquitate: vt nulli animum discipulorum humanum incitasset ad zelum. Hactenus æqualiter omnes ad gloriam mittit, qui vnam per viam gratiam condonauit. Nam quando Apostolus Petrus sibi præsumpsit gratiam singularem, non accepit libenter, sed admonuit præscienter dicenti: Etsi omnes scandalizabuntur in te, ego nunquam scandalizabor. Respondit: Quia antequam gallus cantet, ter me negabis. Petre, præsumis te cæteris superiorem, senties te inferiorem protinus. Quando autem omnibus in commune prospexit, & vitam sibi & condiscipulis gloriam flagitauit, dicens: Ecce nos qui secuti sumus te, quidnam erit nobis? Respondit Dominus æqualiter, non separanter. Amen dico tibi, quia vos qui secuti estis me in hac generatione, cum sederit filius hominis in throno maiestatis suæ, sedebitis & vos cum eo super duodecim thronos iudicantes duodecim tribus Israël. Aduertite causam quid dixerit: non est mecum dare vobis, ne de honore duorum cæteris faceret de prælatione discordiam: quia vnam cunctis præparat coronam. Nam testis est ratio maioris promissionis: quia non est impotens filius maiestatis. Qui promittit duodecim thronos ad communem petitionem, duos thronos in suam non habuit potestatem? Qui ipsos thronos constituit cum virtute, vult discipulos suos semper esse concordes; quia Deus est charitas. Ecce non promittit duobus: & contristati sunt decem discipuli. Quid fieret, & si se decem postpositos condolerent? Sed vt sapiens & moderator, & à duobus tollit superbiam, & à decem subtraxit inuidiam, vt omnium animas custodiret illæsas. Quia thronos donandi non in humana forma, in qua Pater maior est, sed in ea forma donare potest, in qua Pater & ego vnum sumus. Hoc sentiat Christianus, & erit æternus.

XXII. *DE LAZARO SVSCITATO.*

Lazarus amicus Saluatoris cum iam humanis rebus esset exemptus, iam sepulturæ mandatus, imo terræ redditus, vnde erat assumptus; statim sermone Domini euocatus de sepulchro exiuit viuus, qui fuerat mortuus paulo ante delatus. Miratur omne vulgus de tot tantísque magnalibus. Loquitur Christus, & sequitur virtus. Stupet ipse Lazarus quod ex mortuo factus est rediuiuus. Iam bis gemini effluxerant dies, sed ille qui luce caruerat, diem non sentiebat. Iam eum tetri antri caligantis horroris nocturnus turbo possederat: Iacebant exhalantis tabida, atque grauis odoris membra. Iam post quarta Solis curricula deuoluta corpus situ mortis obductum vermium carniuorax agmen obsederat, atque ad prædas destituti cadaueris funereas bestiolas terra gignebat. Plangebant sorores luctifico mœrore fratris auxilio destitutæ. Parentes quoque & proximi nubila tristitia pariter condolebant. Omnibus lugubris vestis, inculta cæsaries, nigro tecta velamine. Ora fletibus madefacta, vitalia districta singultibus, omnémque eorum habitum clangor mœstificus perturbauerat. Sed vbi rerum gestarum ignarus Christus, cui nihil inuium, nihil remotum, nihil obscurum est: quem neque intercapedo locorum, neque longinquitas regionum, abyssus refrænat, discipulis præscia diuinitate mortuum Lazarum nunciauit. Contristati & ipsi dixerunt discipuli: Eamus, & nos moriamur cum eo. O amicitiarum indissolubile fœdus! ô inuictæ charitatis effectus! Optabant fieri in morte consortes, quos fecerat charitas in hac vita concordes. Cum ergo Iesus tumulo quiescentis assisteret, atque cum ambiens populorum caterua circumstreperet, & vlulæ vocis clangor clementissimis auribus mœrorem obtulisset. Commotus ipse Iesus infremuit spiritu, atque lacrymas fudit. Hic iam omnis religiosus inuigilet sensus, quid doluerit, vel quid fleuerit Christus. Neque enim qui totum vitæ & mortis habebat imperium, plangere potuerat Lazarum mortuum. Plorabat, sed non vtique plorabat, vt Iudæi putabant: quia Lazarum satis amabat. Sed ideò plorabat, quia iterum eum ad huius vitæ miserias reuocabat. Mors fratres charissimi, resumptio est doloris, remissio captiuitatis, nauigantium potus, peregrinantium patria, finis miseriarum, terminus delictorum. Nam & hæc quæ dicitur vita, non est vita, vbi nec requies à labore, nec securitas est à timore: vbi fraudes, vbi calumniæ. Tolluntur res alienæ, sine respectu misericordiæ. Diues erigitur; pauper opprimitur. Sic totum in iniquitate geritur, vt non sit penitus quod iustitiæ reseruetur. Ergo plorauit Iesus Lazarum, non quia mortuus erat, sed quia resurgere habebat: nam quomodo posset mortuum plorare: quem ipse venerat resuscitare? Sed dicturus es mihi: Si malum est iterum in hac vita reuerti, quoniam Iesus Christus mortuus est & resurrexit. Sed Christus sic resurrexit, non amplius moriturus. Lazarus autem resurrexit iterum moriturus. Sicut dicit Apostolus Paulus. Christus resurgens à mortuis, iam non moritur, & mors ei iam non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo. Et ideò quarta die Lazarum suscitauit, quia sibi tertium diem quo resurgeret reseruauit. Igitur postquam vidit Iesus lapidem, qui sepulchri illius septa claudebat; reuolui præcepit, quo reuoluto cœlum suspiciens, & iam se exauditum esse protestans tali coram hominibus Patrem precatus est voce. Pater gratias ago tibi, quia exaudisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum qui circunstat dixi, vt credant, quia tu me misisti. Et cùm hæc dixisset, ait: Lazare, veni foras. Quanta fuit clamoris virtus, vt ad miseros perueniret auditus? Qualis fuit timoris vigor: vt mortuos inuaderet timor? Statim præcepto Domini mors suam legem quam habebat irrupit, suaque tot sæculis iura Christo iubente dissoluit. Cessere regiæ cœli claues inferni, obtrusaque fœdissimi carceris atria imperium Domini patefecit. Euanuit omnis custodia eruta sibi persona. Lazarus rursum redditur luci, iterúmque conuiuatur in corpore Christo, quia iam fuerat mancipatus inferno.

DE LAVANDIS PEDIBVS. XXIII.

Omnis error stetit, quia pedes seruorum Dominus lauit. Nouum direxit in cursum, vt firmaret eorum vestigia sicut ceruorum. Quid plus prædicem, gaudium, an miraculum, imò gaudium & miraculum. Gaudium quod oblata sunt nostra ve-

stigia, & pedes seruorum attigit dominica dextera. Sed potiùs miraculum, vt cui excubant cum timore exercitus Angelorum, lauaret inclinatis manibus vestigia piscatorum. Expauit cœlum, expauit terra Dominum ita humiliari; & hominem super Deum exaltari. Quid est, quod dicit Hæreticus, quia fuit humilis patri filius, honore, non timore? Quando vides seruilibus curuatum Dominum, non timore, sed amore, nec seruitute, sed dominatione. Quia vt redderet seruis ingenuitatem, seruilem illis exhibuit pietatem. Ergo erit seruis minor, quia pedes lauit, qui est omnium maior? Quia qui inter vos minor est: in regno cœlorum maior est. Seruit Dominus, & murmurat seruus. Magister & Dominus, liberauit & docuit, cum facit quod docuit. *Non enim*, inquit, *filius hominis venit ministrari, sed ministrare.* Hoc fecit quod docuit. Sed Beatus Petrus mysterium non cognouit, timuit potiùs, quàm recusauit. *Domine, tu mihi lauas pedes?* Tu Domine cuius thronus cœlum est, & terra scabellum pedum tuorum, eris minister pedum meorum. Parua-ne est crux quam suscepisti, vulnera quæ sustinuisti, fel, & acetum quod bibisti. Parum est quod in sepulchro viuus moriens latuisti: ad pedes meos Domine peruenisti? Terrer me species tua. Conturbat me manus tua. Indigna sunt vestigia mea. Et Dominus. Sine Petre, quod facio nescis, scies postea? quasi infans es, & vnus de paruulis istis, qui infantiliter plangunt, cum illis pedes lauantur, nescientes mysterium, non recusantes obsequium. Talis es, tum eris paruulus, eris Petre nouissimus. *Nisi lauero tibi pedes, non habebis partem mecum. Domine*, inquit, *non tantum pedes, sed & manus, & caput.* Accipiant hic omnes exemplum, qui contraria sentiunt, veniant ad iudicium. Alij non irrideant Christi humilitatem, alij non repetant baptismi simplicitatem: Quia qui semel lotus est, non habet necessitatem lauandi; est enim mundus totus? Quare ergo pedes lauantur, si est mundus totus? Non est istud mysterium baptismatis, sed obsequium charitatis: vt discant infantes quod didicerunt & piscatores, & sint omnes paratis pedibus Christi præcones, vt de omnibus dicatur. Quàm speciosi sunt pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. De quibus lætatur mater Ecclesia, quæ modo in pelui colligitur, tanquam in singula coquitur. In toto mundo congregatur, vt in pelui aqua. Ibi seruorum mundata vestigia, vt in toto mundo baptismi aspiceret gratia, & omnium Sacerdotum percurrant munda præconia, quia vox tonitrui eius in rota: quia Domini est terra, & tota redempta Ecclesia, in qua omnes cantamus Alleluia.

XXIV. ## ALIVS VNDE SVPRA.

MYsterium hodiernum cursus est ad regnum cœlorum, vbi lauantur vestigia paruulorum, vt ipsi valeant mundatis pedibus currere, & venena sua draco non possit inserpere. Quam speciosi pedes eorum, quibus pedes lauat Dominus Angelorum. Magnum spectaculum, vbi contremiscit genus humanum, inclinari Dominum ad vestigia famulorum. Qui inclinauit cœlos, & descendit, & caligo sub pedibus eius, modo inclinat se ad obsequiũ discipulorum. Gaudeat totus mundus. Inclinatio enim Christi, incuruatio est superbiæ Antichristi: vt ipse vadat curuus, & Apostolorum sit directus excursus, & mundus gaudeat vniuersus. Peluis enim ista vniuersa est terra redempta, in qua missa est aqua, vt hi qui habitant terram, transeant ad vitam per aquam. Figulus est qui fecit peluim, & redemit orbem. Ornauit fictilia vasa in pelui limosa, vt possint portare thesaurum in vasis fictilibus ablutis pedibus, aquis gaudentibus, Apostolis tremescentibus. Sed Petrus constantia fidei suæ voluit contradicere, non inobedientia, sed timore. *Domine*, inquit, *tu mihi lauas pedes*, quem tremunt angelicæ potestates. Qui sedes super Cherubin, inclinas te ad peluim? Curuaris ad seruos tuos, qui erigis elisos, & soluis compeditos? Domine, excedit me istud tam grande mysterium, quod puto mecum posse tremiscere cœlum, nec Angeli te permitterent, quod ego excuso trementer. Sufficit mihi, quod tuam præsentiam tribuisti, gratiam donasti, virtutem concessisti, vt lumen reddatur cæcis, auditus surdis, cursus claudis, vita mortuis, & inclinas te pedibus meis? Non conuenit istud meritis meis, & nostris. Sine, inquit Petre, non tibi opus est contraire, ne tibi incipias impedire. *Nisi lauero tibi pedes, non habebis partem mecum*, & excusas obsequium meum? Ideò vtique formam serui accepi, manens in forma Dei, vt me inclinem, & vos sublimem, vt manum meam mittam in aquam ad vestra vestigia, quo possitis discere viam nouam, & specioso cursu ambulare in ea. Audiuit hoc Petrus, & factus est auarus, qui erat timidus. Domine, inquit, non tantum pedes, sed & manus, & caput. Non Petre. Ego cognoui mensuram, qui dedi gratiam meam. Iam mundi estis qui semel loti estis, qui enim semel lotus est, non habet necessitatem lauandi, sed est mundus totus. Officium vos doceo humilitatis, non repetitionem baptismatis. Ostendo vobis quid in vita faciatis. Magister sum, & Dominus, sicut habet confessio vestra. Hoc vobis tradet humilitas mea. Quod Dominus sum, mundo vos, quod in forma serui doceo vos, ne superbia extollat vos. Didicimus ergo humilitatem Domini. Gaudeamus ergo in die octauo Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Discant homines semel debere renasci, & cupiant homines manu Christi mundari. Qui enim non mundatur manibus Christi, non potest currere iter cœli. Sic cucurrerunt Apostoli per totos cardines mundi, sic Martyres occurrerunt pedibus emundatis, vt non timerent flammas calcare craticulæ ardentis & ollæ feruentis, clibani bullientis. Solidauit enim plantas seruorum suorum, vt sermo Domini currat, & clarificetur, & humilitas, atque diuinitas eius regnet in sæcula sæculorum. Amen.

ITEM DE LAVANDIS pedibus. XXV.

CAput surrexit, totum corpus refulsit, hesterno illustratus est Apostolicus chorus ianuis clausis sedentium. Hodie lauantur pedes electorum, præparati in cursum more ceruorum. Quam benè inclinatum est caput, vt resurgeret corpus. Et quia pedes ad caput non poterant ascendere, caput se dignetur pedibus inclinare. Hodie impleuit peluim, vt in sua Trinitate vocationis nostræ colligeret vnitatem. Qui congregauit mare, impleuit peluim: mare piscibus, peluim piscatoribus. Ibi Petro dixit: *Veni post me, faciam te hominum piscatorem.* Hic admonet, & terret, obsequitur, & minatur. *Nisi lauero*, inquit, *tibi pedes, non habebis partem mecum in regno cœlorum.* Adhuc quasi delicatus ægrotus repellis medici manus? Curam bonam vis recusare? Partem mecum non vis habere? si enim repellis humilitatem

litatem meam; non videbis altitudinem meam. Si non lauabunt te manus meæ, non tangent me manus tuæ, ſi tuos non lauero pedes, ô Petre, in Paradiſum quomodo poteris introire! Non carebis veneno ſerpentis pedibus tuis, ſi repugnas manibus meis. Manus meæ fecerunt te: manus meæ lauent te. Manus tuæ non repellant me, ne eius pugnes manibus contra me. O ſtupendum miraculum. O grande ſpectaculum. Imperator cœli ad pedes militum recubat inclinatus, & homo puluis, & cinis contra Dominum pugnat inflatus. Dicit mihi quidam ſupetbus ex aduerſo reſiſtens, qui minorem dicit Dei filium qui miſſus eſt à Patre, & honorificat Patrem. Non propter imparem dignitatem, ſed propter indiuiduam charitatem. Minor eſt Patre, qui clarificat Patrem? Quid dicis? quid taliter ſapis? Et ille qui dicit: Ego, & pater vnum ſumus. Et qui me videt, videt & Patrem. Ideò minor eſt patre, qui clarificat patrem? Nunquid & ſeruis ſuis minor eſt, quibus tantam exhibuit humilitatem, vt ſe dignaretur eorum veſtigiis procurare. Nam qui gratias agit Patri ſuo, & Lazarum propria poteſtate ſuſcitat de tumulo ſuo, ipſe lauat pedes Petro piſcatori famulo ſuo. Quid autem mirum, ſi ſurrexit à cœna, & poſuit veſtimenta ſua, qui cum in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinaniuit. Sed cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. Hoc vas electionis de figulo Dei clamat, & dicit. Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. Rogo, rogo à Paulo Apoſtolo in forma Dei. Deo æqualis eſſe prædicatur, quomodo minor eſſe Patre ſacrilega præſumptione narratur? Quid ergo mirum, ſi præcinxit ſe linteo, qui formam ſerui accipiens habitu eſt inuentus vt homo? Quid mirum ſi miſit aquam in peluim, vnde lauaret pedes diſcipulorum: qui in terra ſanguinem fudit, quo immunditiam dilueret peccatorum? Quid inquam mirum, ſi linteo quo erat præcinctus, pedes quos lauerat terſit: qui carne qua erat indutus Euangeliſtarum veſtigia confirmauit? Et linteo quidem, vt ſe præcingeret, poſuit veſtimenta quæ habebat. Vt autem formam ſerui acciperet, quando ſemetipſum exinaniuit, non quod habebat depoſuit: ſed quod non habebat accepit. Venit ergo ad Petrum, & excuſat Petrus. Non mihi lauabis pedes. Domine poſuiſti propter me veſtimenta tua, & lauabis veſtigia mea? Cinctus es renibus propter me. In moribus cinge me propter te. Et noli tantum humiliare te: iaceas ante me. Humilitas tua trepidatio mea eſt. Tu es in forma Dei, & propter me factus es in forma ſerui. Vidi pedes tuos ſuper mare ambulare. Non poſſum manus tuas in meis pedibus tolerare. Tu Patris iniuriam, & meam ſuccendis conſcientiam. Et Dominus: *Niſi lauero tibi pedes, non habebis partem mecum.* Non tibi prodeſt excuſare: ne poſtea te incipias accuſare. Quod enim facio, modò neſcis, ſcies enim poſtea. Iſta fuit controuerſia de pietate & humilitate Saluatoris & piſcatoris, redempti & redemptoris, obſequentis & timentis, Domini & famuli, Magiſtri & diſcipuli: vt ſeruire docerentur alterutrum Apoſtoli venerandi. Huius enim operis rationem exponens taliter allocutus eſt dicens: *Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me magiſtrum, & Dominum, & benè dicitis, ſum etenim. Si ergo ego Dominus & magiſter laui pedes veſtros, debetis & vos alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quomodo ego feci vobis, ita & vos inuicem faciatis.* Quod itaque Dominus ſuis facere dignatus eſt ſeruis: hoc etiam ipſi fecimus hodierno die ſerui conſeruis. *Præcincti pedes lauimus infantibus baptizatis*, vt & itinera eorum dirigantur in præparatione Euangelij pacis; & nomina calamo ſcribæ velociter ſcribentis annotata teneantur in albo regni cœleſtis.

VNDE SVPRA. XXVI.

ECce Dominus maieſtatis ſuſcepit officium ſeruitutis, quia cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens. Benedictus Dominus, dicamus omnes, qui ſumus euangelicæ lectionis auditores, & ablutionis pedum chariſſimi ſpectatores. Ecce inclinatur ad ſcabellum pedum ſuorum, cui thronus eſt cœlum. Dignatus eſt ad, *apud*, pedes ſuos deſcendere; quia nos ad caput eius non valemus attingere. Quis loquetur potentias Domini, quas in forma executus eſt ſerui? Lætentur cœli, & exultet terra, & infantum contremiſcant chara veſtigia. Quia Dominus qui extendit cælum, ſicut pellem, ecce impleuit & peluim. Quis loquetur potentias Domini? quando faciebat ſydera, voce magna laudabant eum Angeli eius. Ipſe ſibi teſtis eſt per Iob ſeruum ſuum, in illa præclara conditione ſtellarum. Quando faciebam, inquit, ſydera me laudabant Angeli mei. Quando collocabat thronos, firmabat Principatus, Virtutes, & Dominationes, erat potens in forma Dei. Modò collocans, ſedes & Apoſtolos ſpectans cinctus ſedentes, factus eſt patiens in forma ſerui: qui eſt potens in forma Dei. Lætantur cœli, contremunt Angeli, trepidant Archangeli, & non audent excuſare diſcipuli. Si dicamus Angelos tunc in illo ſpectaculo peluis deſcendentes de cœlis dixiſſe canticum pacis, non abſurdum crederemur hoc dixiſſe. Sed adimpleta pelue ibi pannis inuoluebatur, hic linteo præcingebatur. Ibi ad pedes eius iacent Magi: hic ipſe ad pedes ſeruorum in forma ſerui, ſed accinctus potentia, quâ conturbatur profundum maris. Gaudet ad ſuum modicum peluis, cuius ſonum fluctuum nemo ſuſtinet, ipſe ſeruis ſuis exhibet ſeruitutem. Sed inquietus vult eſſe Petrus Apoſtolus non repugnante, ſed tremente conſcientia. Prius enim venit ad Petrum hac ratione, vt credo nouiſſimum pedum ablutione taxaſſet, ne ſua excuſatione omnes faceret excuſare. Non enim cæterorum potuit excuſare ſeruorum, non quia ſecuri accipiebant quando ſe ad pedes eorum Dominus inclinabat, ſed tremore concuſſi contradicere non audebant. Ceciderat ſuper eos cuiuſdam formidoloſa ſarcina: quia mundi dynaſta ad ſeruilia dignatus eſt ſe inclinare veſtigia. Solus Petrus legione primus, fiducia conſtantiſſimus tenuit manus dominicas, ſuas cum pietate ingerit lacrymas. Inclinatus cum inclinato: curuatus ſeruus cum Domino. Deus extendit manus, vt pedes lauet, & ille extendit manus ſupplices, vt excuſet. Domine tu mihi pedes lauas? Si Angelo præciperes, erat mihi quodammodo ponderoſum. Lauas pedes meos, qui terram creaſti, & cœlum. Nonne tu congregaſti in vnum mare, & propter me implebis peluem? Iniquitates meæ exceſſerunt caput meum, & tu inclinaris ad immunditiam pedum meorum? Si cœlum totam te non eſt mundum, mundus poteſt eſſe mearum contactus plantarum? Non lauabis mihi pedes in æternum. Benè dixiſti Petre, quia non lauabo tibi pedes in æternum. Vnum etenim, & ſingulare non amò iterare myſterium: nec mandaui repeti geminum Sacramentum. Non tibi lauabo pedes in æternum. Attamen vnum eſt neceſſarium, ſi excuſas modo ſeruitutis obſequium: non habebis partem mecum in

regno cœlorum. Sine me implere omnem iustitiam. Sic & conseruus tuus Ioannes excusabat ad Iordanem, sic & tu excusas ad peluem. *Sine modò, quod facio nescis, scies autem postea.* Beatus Petrus figuram quasi adhuc tenebat infantis, manus dominicas repellentis: sicut & nobis modo lauantibus pedes infantium præueniebat dulci spectaculo contradictio suauis innocentium puerorum, repellebant, plorabant, eiulabant, vagiebant, qui quod facimus nesciebant. Sic erat & Petrus, cui dicitur, quod facio modò nescis, scies autem postea. Ostensa est cœlestis regni notitia, creuit in infante peritia. Clamat se offerens Domino. *Non tantum pedes, sed & manus & caput.* Totum me laua, vt totus perueniam ad gratiam tuam. Hoc si scirem, non contradicerem, sed propter tuam hæreditatem, imple tuam quam volueris voluntatem. O beatum dictum. O charum mysterium. O dulce seruitium. *Nisi lauero tibi pedes, non habebis partem mecum.* Quare pedes tui, id est, totius generis humani adhuc in obliuione terroris sunt constituti? Ad regni viam non sunt mundati? Ideò lauo pedes tuos, vt ambules iter rectum, & peruenias ad regnum meum. In via multi sunt latrones, & multi dracones, copiosi serpentes, scorpij speculantes. Si vis impleri tibi quod dixi, calcabis super serpentes & scorpiones, & nihil tibi nocebunt. Sine me pedes tuos lauare, calceamentis Euangelij pacis induere, vt sis bonus cursor, speciosus annuntiator, & tanquam margaritis indutus Euangelicis calceamentis, dicatur de te. Quam speciosi pedes annuntiantium bona, annuntiantium pacem. Ergo abluimus pedes infantium, acceperunt calceamentum nouum, & speciosi facti sunt pedes eorum, vt vbi fuerint introgressi, sit speciosus super regalia calceamenta visus pedum. Cum dicent, pax huic domui, requiescet pax in domo vestra digna: quia infantium vestrorum solennitati chara sunt abluta vestigia in vitam æternam.

XXVII. *DE MVLIERE, QVÆ PERFVDIT vnguento caput Iesu.*

DIscubuit Dominus in domo, qui continetur cœlo. Vnguento perfunditur, qui de nomine suo chrismatis donauit vnguentum, qui nutrit omnia ligna liquoris, & intra viscera olearum pinguedinem coagulat olei perfragrantis, qui oliuæ ramulum pendere iussit in labiis columbæ volantis, vnguentum non respuit mulieris, qui creauit cynnamomum, balsamum, aromata, myrrham electam, guttam, & casiam. Perfunditur vnguento in mensa noua, quia nouum erat, vt discumberet cum piscatoribus, qui fecit cœlum & terram. Pretiosum erat vnguentum: quia speciosus erat ipse forma præ filiis hominum, qui discumbebat in medio lapillorum. Passio propinquabat, mulier Ecclesia cum vnguento currebat. A tergo stetit: quia Christum dum resurgeret, intellexit. Ante vngebat sepeliendum, postea adorabat internuntia Angelorum. Flagrauit vnguento domus. Dedit odorem mundus: quia mundatus est qui erat immundus. Inuidet Iudas, & dicit. Cur perditio ista? non potest hoc vnguentum trecentis denariis venundari, & pauperibus dari? Quid dicis, Iuda? Intelligeris: non est ista pietas, sed cupiditas. Nulla est in tali facto perditio: tua erit inimica proditio. Ista profundit vnguentum per bonum mentis affectum: tu distrahis Dominum tuum, dum amas argentum. Quid dicis? potuit venundari trecentis denariis, & Dominum tuum propinas triginta argenteis? Plus valet vnguentum, quàm Christus Christorum? Sanctus Sanctorum? Rex Regum, & Dominus Dominorum? Benè æstimas chrisma pretiosum: quare de Christo vile postulas pretium? Illud vnguentum pigmenta suauia coagularunt: Christus paterno corde ructatus est, de quo dedit odorem, illuminatio cæcorum, auditus surdorum, erectio claudorum, & resurrectio mortuorum. Et tu de illo vile pacisceris pretium inter commercia Iudæorum? Sed Dominus qui libenter accepit vnguentum, ipse redarguit murmurantem. Pro ista causaris? Nihil periit obsequio mulieris. Cur angeris de pauperibus? habes semper potestatem, si tamen disponis facere pietatem, & ego pauper sum, ante te sum, & non intelligis me? Tecum discumbo, & distrahis me? Iudæi dederunt pretium, Iudas accepit argentum, nec ipse possedit pretium: quia cucurrit ad laqueum: nec ipsi possederunt quem emerunt. Cantet Christus Redemptor, gemat Iudas venditor, erubescat Iudæus emptor. Ecce Iudas vendidit: Iudæus emit. Malum negotium egerunt, ambo damnificati sunt, seipsos perdiderunt. O tu Iuda! ô tu Iudæe venditor & emptor esse voluistis, quanto melius à Christo redempti fuissetis? Iudas vendidit, Iudæus emit, infelix commercium, nec ille habet pretium, nec ille habet quem emerat Christum. Ad istud commercium conuenite omnes, qui Dominum comparatis non tenendum, sed crucifigendum. Non amplectendum, sed clauis figendum. Si voluissetis habere commercium, non inaniter daretis argentum. Falsi estis, crudelem nundinam procurastis, & falsum consilium cogitastis, & vos perdidistis, & miserum cui pecuniam numerastis. Ecce nos redimimur in commercio gratiarum, hic redimuntur multorum corpora mortuorum, de sepulchris propriis suscitantur. Clamauerunt Redemptori, & vos proclamastis pendenti. Illi paruerunt in Hierusalem, & vos Dominum duxistis extra Hierusalem. Illi dixerunt: *Non mortui laudabunt te Domine, sed nos qui viuimus, benedicimus te*: & vos dicebatis; *Crucifige, crucifige.* Vos fixistis clauos: illi aperuerunt oculos suos. Illi deseruerunt monumenta sua, & vos signastis monumentum Christi, ponentes petram magnam, & inani custodia contra Dominum signastis in sepulchro iacentem. Nunquid signastis contra eum in cœlo regnantem? Qui descendit cœlis inclinatis, petram non potest repellere monumenti? Qui educit vinctos in fortitudine, custodes vestros non potest percutere cæcitate? Ad crucem testes fuerunt mortui, facti viui surgentem Dominum nunciabant, milites confirmabant Et vos aliam faciebatis nundinatam militibus dare pecuniam, vt dicant, quia discipuli eius venerunt, & furati sunt eum. O Iudæi semper vani! Surgentis Christi abscondi non poterat sacramentum. Sine causa perdidistis argentum, ibi ad traditorem, hic ad milites. Sed riserunt de vobis Angeli nunciantes. Gauisæ sunt gentes, & crediderunt de Domino angelicæ potestates. Vbi est quem emistis, vbi est cui pecuniam numerastis? Gratis redimi potuistis: sed & modo si redimi vultis, bibite sanguinem quem fudistis. Ipsum & nos bibimus, si vultis, & vos cantando nobiscum. Et calix tuus inebrians quàm præclarus est. Ipse sanguis nos redemit in mundo, qui modo in agno viuo fulget in cœlo.

DE

XXVIII. *DE LATRONE CVM Christo crucifixo.*

MIrandum præ cæteris festiuitatibus sanctis, venerandumque mysterium Pascha Domini celebramus. Pascha enim Hebraicè, Latinè interpretatur transitus. Hunc transitum iniquitas intercluserat nostra: donec clauiculâ crucis aperiretur. Quia Dominus & Saluator noster Iesus Christus habuit quidem mortalem carnem, sed animam non habuit peccatricem. Suscipiendo pœnam sine culpa, culpam fecit transire sine pœna. In cuius passione cuncta commota sunt sydera, & euentum dominici vulneris elementa tremuerunt. Expauit dies non solitam noctem, & non suas tenebras mundus inuenit. Stetit sub incerto lumine dies inclusus, & penè ipsa lux mundi mori visa est cum Deo. Ad hoc scilicet omnis claritas migrauit in noctem, ne sacrilegium cernere cogeretur. Clauserat enim suos oculos cœlum, ne in cruce aspiceret Dominum. Et iam mundus ipse testis esse non meruit, vt solus aspiceret qui percussit. Percussit lancea persecutor, & fudit pretium nostrum redemptor. Quando enim passus est Dominus, omnes Apostoli fugerunt, omnes enim dimiserunt. Vbi est turba illa quæ Dominum præcedebat, illa inquam turba quæ dicebat: Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini. Passus est Dominus, & omnes fugerunt. Facti sunt omnes muti, amore tepidi, timore compressi, paulò post fugiunt. Alij ergo non agnouerunt miracula facientem; agnouit latro in cruce pendentem, confixus omnibus membris. Confixæ manus, confixi pedes, confixa omnia membra. Totum corpus in cruce figebatur, & tamen lingua Christo confitebatur. Vnus autem locus erat trium crucifixorum. In medio Dominus, qui inter iniquos deputatus est. Duos latrones hinc atque inde posuerunt: sed causam similem non habuerunt. Lateribus pendentis adiungebantur: sed longè separabantur. Illos crucifixerunt facinora sua: Christum crucifixerunt peccata nostra. Verum etiam in vno ipsorum satis apparuit, quantum valeret non cruciatus pendentis: sed pietas confitentis. Adquisiuit latro in dolore: quod Petrus perdiderat in timore. Scelus admisit, crucem ascendit, causam mutauit, paradisum comparauit. Meruit omnino causam mutare, qui non contempsit in Christo similitudinem pœnæ. Iudæi contempserunt miracula facientem, ille credidit in pendentem. Consortem crucis Dominum agnouit: & in regnum cœlorum latro violentus credendo vim fecit. Tunc in Christo latro credidit, quando fides Apostolica trepidauit. Merito audire meruit, *Hodie mecum eris in paradiso* Hoc enim quidem ipse sibi non promiserat. Magnæ quidem misericordiæ se commendabat, sed & sua merita cogitabat. *Domine*, inquit, *memento mei cum veneris in regnum tuum.* Quousque veniret Dominus in regnum suum, ille se in pœnis futurum sperabat, & saltem in eius aduentum misericordiam in se fieri flagitabat. Proinde latro sua merita cogitans differebat: sed Dominus latroni quod desperauerat offerebat, tanquam diceret. Tu petis vt meminerim tui, cum venero in regnum meum. Et ego tibi dico, *Hodie mecum eris in paradiso.* Agnosce, cui te commendas, quem credis venturum, antequam veniam vbique sum. Ideò quamuis in infernum descensurus; habebo te hodie mecum in paradiso, non alteri commendatum, sed mecum. Ad homines enim mortales, & ad ipsos mortuos descendit humilitas mea. De paradiso autem nunquam discessit diuinitas mea. Ita factæ sunt tres cruces, tres causæ: vnus latronum Christo insultabat, alter sua mala confessus, Christi se misericordiæ commendabat. Crux Christi in medio, non fuit supplicium, sed tribunal. Insultantem damnauit, credentem liberauit. Timete insultantes, gaudete credentes Hoc faciat Christus in claritate, quod fecit in humilitate. Munera diuina de profundo veniunt iudicio. Mirari ea possumus: inuestigare autem non valemus, nec explicare.

ITEM VNDE SVPRA. XXIX.

INter iustorum præconia, & eas laudes quibus bene agentium testimonium prosequi debemus, & peccatoris suadere confessionem, eadem nobiscum est & tutela, vt omni figura edoceamus Dominum nostrum omnium creatorem, conditorem, atque rectorem in retribuendis muneribus largum, in dimittendis erroribus pium, quam præsens Euangelica lectio latroni me laudem dicere non meritò persuadet, qui peccatoribus suæ fidei, confessionisque dimisit exemplum. Sic enim legimus cum pro nobis Dominus pateretur, duo latrones cum illo in cruce pendebant: de quibus vnus confitebatur, & alter blasphemabat. Is autem qui blasphemabat, dicebat: *Si tu es Christus, salua te ipsum, & nos. Et respondens alter, increpabat eum dicens: Neque tu times Deum quod in eadem damnatione es. Nos quidem iuste patimur, nam digna factis recipimus. Hic verò nihil mali gessit*: & vt confessionem oratione commendaret, dicebat ipse ad Dominum, *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Cui dominus citò recognoscenti, & citò de se confitenti, & citò pro se oranti, digna breuitate respondit. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Vt impleretur quod per Esaiam Prophetam dixerat: *Orabis, & citò exaudiet, clamabis, & dicet: Ecce adsum.* Ecce fratres elegit Dominus cum confitente sibi esse in paradiso, qui proprium regnum habet in cœlo. Mecum ergo eris, dixit: quia potioris est inferiorem sui copula honorare. Si enim diceret, tecum ero, in superbiam erexisse, non munerasse peccatorem Dominus videretur, sicut ait Euangelista. *Sufficit enim seruo, vt sit sicut Dominus eius, & discipulo, sicut magister eius.* Mecum ergo eris dicitur peccatori, hoc est dicere. Paululum non festino ad cœlũ vt tibi confitenti petitum non denegem regnum. Sed mecum eris dixit in paradiso. Non mecum sedebis in cœlo. Qui enim solus descendit de sinu Patris: ipse solus sedet ad dexteram Patris. Et qui solus descendit à Patre, ipse solus ascendit ad Patrem. Hic ergo latro Martyres confitendo ad paradisum vicit; Apostolos orando vicit ad regnum: violentus in mundo, violentus in præmio. Petro enim dicitur, sequere me: latroni respondetur, non deseram te, vna confessione, vna laude, & fidem obtulit Petro, & scientiam contulit Paulo. Ille enim fuit negator: ipse persecutor. Solus latro in simili passione, in simili cruce, verus inuentus est Domini prædicator. Semper ergo Dominus pro peccatoribus laboriosus, in peccatoribus pius, pro peccatoribus orans peccatoribus donans. Quia aut aduocatus orat, aut iudex donat. Stantem aduocatum Stephanus vidit, iudicem sedentem Paulus agnouit. Sic itaque fratres mei, vt confessus latro muneraretur, Dominus ad paradisum venit, vt Adam

Adam à pœnis eriperetur, Dominus ad inferos plenus homo descendit. Hunc honorauit, illum liberauit. Hunc sine pœna constituit locum in paradisum: illum de pœnali liberauit Tartaro. Hoc est, quod dixit, hodie mecum eris in paradiso, quia priùs Dominus cum latrone ad paradisum, quàm pro Adam descendit ad Tartarum. Nam illum primo die descendens collocauit in requie; istum ascendens tertio die deduxit ad lucem. Sed vter illorum post peccatum fuerit felicior, non agnosco. Primum enim habitatorem sine peccato paradisus habuit; secundum latronem post peccatum accepit. Et quia omnis creaturæ in laudibus Dei, & vox auditur & sensus agnoscitur: expauisse paradisum puto: quod Adam peccatorem excluserit, latronem peccatorem susceperit. Vnde dixisse eum credo, si peccatoribus vna est certè conditio, eiecto ex me quia peccauit Adam cum Enoch & Helia, cur me inhabitat latro? Illum enim ad me raptum; alterum ad me translatum, hunc in me collocatum agnosco. Facta est felix latronum iusta confessio peccatorum. Fit tertius in paradiso, qui fuerat reus in mundo. Et cum Enoch & Helias pro Domino veniant morituri; solus latro cum Domino moritur, cum Domino paradisum ingreditur.

Desiderantur.

De Resurrectione Domini.	XXX.
Item vnde supra.	XXXI.
Item vnde supra.	XXXII.
Item vnde supra.	XXXIII.

XXXIV.

DE SACRAMENTO *Altaris.*

Est Augustini, teste ipso Fulgētio qui hunc sermonem refert integrū epist. de bapt. Æthiopis *in fine* Hic porrò desunt aliqua.

ISta, fratres, ideò dicuntur Sacramenta: quia in is aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem. Quod intelligitur, fructum habet spiritalem. Corpus ergo Christi si vultis intelligere, Apostolum audite dicentem: vos autem estis corpus Christi, & membra. Si ergo vos estis corpus Christi & membra, mysterium vestrum in mensa Domini positum est. Mysterium vestrum accipitis ad id quod estis. Amen respondetis, & respondendo subscribitis. Audis enim corpus Christi, & respondes Amen. Esto membrum corporis Christi, vt verum sit Amen. Quare ergo in pane nihil hic de nostro afferamus, ipsum Apostolum identidem audiamus cum de isto Sacramento loqueretur, vnus panis, vnum corpus multi sumus. Intelligite & gaudete, vnitas, pietas, veritas, charitas, vnus panis, vnum corpus multi sumus. Recolite enim quia panis non de vno grano fit, sed de multis. Quando exorcizabamini quasi molebamini: quando baptizati estis, quasi consperfi estis: quando Spiritus sancti ignem accepistis, quasi cocti estis. Estote quod videtis, & accipite quod estis. Hoc Apostolus de pane dixit. De calice quid etiam non dictum intelligeremus, satis ostendit. Sicut enim vt sit species visibilis panis multa grana in vnum conspargūtur, tanquam illud fiat quod de fidelibus ait Scriptura sancta. Erat illis anima vna, & corpus vnum in Deo: sic & de vino fratres. Recolite vnde fit vinum. Grana multa pendent ad botrum, sed liquor granorum in vnitate confunditur. Ita & Dominus Christus significans nos ad se pertinere, voluit mysterium pacis & vnitatis nostræ in sua mensa consecrare. Qui accipit mysterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis: non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se.

DE SECVNDO DIE *Pascha.* XXXV.

Est apud Augustinum serm. 140. de temp.

HEsterno die lecta est ex Euangelio Resurrectio, lecta autem ex Euangelio secundum Marcum. Hodie verò sicut audistis pronunciare lectorem, recitata est nobis ex Euangelio Domini resurrectio, sicut Lucas Euangelista conscripsit, quod sæpè admonendi estis, & memoriter tenere debetis. Non vos debet mouere, quòd alius Euangelista dicit, si quid alius prætermiserit: quia etsi ille qui prætermittit quod alius dixit, dixit aliquid quod ille prætermiserat. Aliqua verò singulus dicit, & alij tres non dicunt. Aliqua de Domino dicunt, & alij non dicunt. Aliqua tres dicunt, & vnus non dicit. Auctoritas autem tanta est Euangelij sancti, vt quia in eis loquebatur Spiritus vnus: verum sit etiam quod dixerit vnus. Hoc ergo quod modo audistis, quia Dominus Iesus posteaquam resurrexit à mortuis, inuenit duos in via ex discipulis sibi colloquentes inuicem de his quæ contigerant, & dixit illis. *Qui sunt sermones isti, quos loquimini vobiscū, & estis tristes?* Solus dixit Lucas Euangelista. Breuiter hoc attigit Marcus, quia apparuit duobus in via. Sed quid illi dixerunt Domino, vel quid eis dixerit Dominus, prætermisit. Quid ergo ista lectio contulit nobis? magnum aliquid si intelligamus. Apparuit Iesus, videbatur oculis, sed non agnoscebatur. Magister cum illis ambulabat in via: & ipse erat via Et nondum illi ambulabant in via, sed inuenit illos exorbitantes de via. Quando enim cum illis fuerat, ante passionem omnia prædixerat, passurum se fuisse, & moriturum, & tertia die resurrecturum. Omnia dixerat, sed mors illius illorum obliuio fuit. Sic perturbati sunt quando eum viderunt in ligno pendentem vt obliuiscerentur docentem, non expectarent resurgentem, nec tenerent promittentem. *Nos*, inquiunt, *sperabamus, quia ipse esset redempturus Israël.* O discipuli, *sperabatis?* Ergo iam non speratis? Christus viuit, & spes mortua est in vobis? viuens Christus mortua corda discipulorum inuenit. Quorum tunc oculis apparuit, & non apparuit, & tamen videbatur. Nam si non videbatur, quomodo illum interrogantem audiebant, & interroganti respondebant? In via cum illis tanquam comes ambulabat, & ipse dux erat. Vtique videbant, sed non agnoscebant. Tenebantur enim oculi eorum sicut audiuimus, ne illum agnoscerent, non tenebantur ne viderent: sed tenebantur ne cognoscerent. Eia fratres vbi voluit Dominus agnosci? In fractione panis. Securi sumus, panem frangimus, & Dominū agnoscimus. Noluit agnosci nisi ibi propter nos; qui non eum visuri eramus in carne, & tamen manducaturi eius carnem. Quisquis ergo fidelis es, quisquis non inaniter Christianus vocaris, quisquis Ecclesiam non sine causa ingrederis: quisquis verbum Dei cum timore, & spe audis, consoletur te fractio panis. Absentia Domini non est absentia. Habeto fidem, & tecum est quem non vides. Illi quando cum eis Dominus loquebatur, fidem non habebant: quia cum resurrexisset, non credebant, nec resurgere posse sperabant. Perdiderant fidem, perdiderant spem. Ambulabant mortui cum ipsa vita. Cum illis ambulabat vita, sed in eorum cordibus nondum erat vita. Et

tu ergo si vis habere vitam, fac quod fecerunt, vt agnoscant Deum, hospitio susceperunt. Similis erat Dominus tanquam in longinquum pergenti. Illi verò tenuerunt eum, & antequam venirent ad locum, contendebant dicentes ei. Hic iam nobiscum mane, declinauit in vesperum dies. Tene hospitem, si vis cognoscere Saluatorem. Quod tulerat infidelitas, reddidit hospitalitas. Dominus ergo præsentauit seipsum in fractione panis, fractionem ignotus loquitur cum hominibus, in panis fractione cognoscitur, quia ibi vita æterna percipitur. Hospitio suscipitur qui domum parat in cœlo. Ait enim multæ sunt mansiones apud Patrem meum. Hospes interea esse voluit Dominus cœli. Hospes esse dignatus est, vt tu haberes suscipiendo benedictionem. Nemo superbiat, quia dat pauperi. Christus pauper hic fuit, discite vbi Dominum quæratis, discite vbi habeatis, discite vnde agnoscatis, quando manducatis. Norunt enim fideles aliquid quod meliùs intelligunt. Dominus Iesus cognitus est, & posteaquam cognitus est, nusquam apparuit. Abscessit ab eis corpore qui tenebatur in fide. Ideò est absens, vt fides ædificetur. Si enim vides vbi est fides? Si autem credis, & quod non vides, cum videris gaudebis. Ad quod modo credis, ædificetur fides, quia reddetur species. Veniet quòd non vidimus, vide quomodo te inueniat. Nam quod dicunt homines vbi est? quādo erit? quando venturus est? Certus esto veniet. Et si nolis veniet. Erit enim magnus tremor his qui nō crediderunt, & magnum gaudium qui crediderunt. Gaudebunt fideles, confundentur infideles. Fideles gratias acturi sunt Domino, quia vera sunt, quæ crediderūt: infideles confundentur, quia falsa putauerunt. Laudo eos, qui non vident & credunt, quia cum viderint gaudebunt. Causa salutis nostræ suscepit Dominus carnem: in qua suscepit & mortem. Resurrexit die tertia, iam non vlterius moriturus, & recepta quam deposuerat carnis substantia primus nobis resurrectionis incorruptibilis fecit exemplum. Ascendens in eodem corpore ad Patrem, sedet ad dexteram Dei, iudicium Patris communicans pietate, quem venturum ad iudicium speramus viuorum, ac mortuorum, vt & nos de nobis credamus de ipso puluere eandem carnem accipere, eadem ossa, eandem semper mansuram membrorum reparationem. Omnes sumus resurrecturi: sed non omnes lætaturi. *Veniet dies*, inquit, *quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui mala egerunt in resurrectionem iudicij*. Ita faciet, vt confusioni reddatur supplicium, lætitiæ reddatur præmium. Ibunt illi in combustionem æternam, iusti verò in vitam æternam.

XXXVII.

DE TERTIO DIE PASCHÆ.

Est apud Augustinū, sermo 46. de tempore, sed hic trūcus.

HOdierna die Marci Euangelium lectum est, quomodo cum recitaretur audistis. Quid ergo audiuimus Marcum dicentem, quod apparuerit Dominus in via duobus? sicut dixit & Lucas, cuius Euangelium heri audiuimus, *apparuit eis*, inquit, *duobus in via in alia effigie*. Lucas autem hoc ipsum aliis verbis dixit, sed ab eadem sententia non deuiauit. Lucas autem quid dixit? *Tenebantur oculi eorum, ne eum agnoscerent*. Marcus autem quid dixit? *Apparuit eis in alia effigie*. Quod ille dixit, *tenebantur oculi eorum, ne eum agnoscerent*: hoc iste dixit, *in alia effigie*. Alia enim effigies visa est retentis oculis, non apertis. Quid ergo fratres, quoniam Lucas dixit, quòd credo vos de lectione hesterna recentissimè meminisse. Quoniam ergo Lucas dixit, quod cum benedictum frangeret panem, aperti sunt oculi eorum, & agnouerunt eum. Quid putamus, si tunc aperti sunt oculi eorum, ergo clausis oculis cum illo in via comitabantur, & poterant scire, vbi gressus ponerent, si clausos oculos haberent? aperti ergo ad cognitionem, non ad visionem. Dominus itaque noster Iesus Christus ante panis fractionem incognitus loquitur cum hominibus. In panis fractione cognoscitur: quia ibi percipitur vita æterna. Hospitio suscipitur, qui domum parat in cœlo. Ait enim apud sanctum Euangelistam Ioannem: *Multæ sunt mansiones apud Patrem meum. Alioqui dixerem vobis, Ibo parare vobis locum. Sed si iero, & parauero, iterum veniens assumam vos.* Hospes in terra esse voluit Dominus cœli: peregrinus in mundo, per quem factus est mundus. Hospes esse dignatus est, vt tu haberes suscipiendo benedictionem. Non quia ille indigebat cùm hospes intrabat. Heliam semper famis tempore per coruum Dominus pascebat: & quem persequebantur homines, ei seruiebant aues. Afferebat coruus mane seruo Dei panes, ad vesperam carnes. Non indigebat ille ergo quem Dominus ministris auibus pascebat. Et tamen quamuis Helias non indigeret, mittitur ad viduam Sareptaram, non indigens ad indigentem, non vt ille sustentaretur, sed vt illa satiaretur. Illa verò quæ suscipere non dubitauit, offerens refectionem, meruit benedictionem. Nemo superbiat, quia dat pauperibus. Christus pauper hic fuit. Nemo superbiat, quia eum suscepit hospitem: Christus hospes hic fuit, melior est susceptus quam suscipiens: ditior accipiens quam tradens. Qui accipiebat, cuncta possidebat. Qui dabat, ab illo cui dabat, acceperat quod dabat. Nemo ergo superbiat fratres mei, quando dat pauperi. Non dicat in animo suo Ego do, ille accipit: Ego suscipio, ille indiget tecto. Fortè ei quo tu indiges plus est, fortè quem suscipis iustus est. Ille indiget pane, tu veritate. Ille indiget tecto, tu cœlo. Ille indiget pecunia, tu iustitia. ille ergo pauper susceptus est hospitio quasi pauper. Dignatio fuit suscipientis, non miseria indigentis. Fortè dicis tibi. O beati qui meruerunt suscipere Christū. O si & ego tunc essē O si vnus de duobus fuissem illis quos inuenit in via. Tu esto via, & non deerit hospes Christus. Putas enim iā nō tibi licere suscipere Christū. Vnde inquis, licet? Iam resurgens manifestatus est discipulis suis. Ascendit in cœlum, ibi est ad dexteram Patris, non est autem venturus nisi in vltimo sæculo ad iudicandos viuos, & mortuos. Venturus autem in claritate, non in infirmitate. Daturus est regnum, non quæsiturus hospitium. Quando dabit regnum Hoc dicis? Excidit tibi quod dicturus est. Cum vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Ille diues egens est vsque ad finem sæculi, & eget prorsus non in capite, sed in membris suis. Vbi eget? In quibus doluit quando dicit, *Saule, Saule, quid me persequeris*? Obsequamur ergo Christo, & nobiscum est in suis, nobiscum est in nobis. Nec frustra dixit: Ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi. Hæc faciendo agnoscimus Christum in bonis operibus, non corpore, sed corde, non oculis carnis, sed oculis fidei. *Quia vidisti, credidisti*, ait cuidam discipulo suo incredulo, qui dixerat, *non credo, nisi tetigero*. Et Dominus, *veni, tange, & noli esse incredulus, sed fidelis*. Tetigit, & clamauit: *Dominus meus, & Deus meus*. Et Dominus, *quia vidisti, credidisti*. Ipsa est tota fides tua, quia credidisti, quod vides? Laudo eos qui non vident, & credunt: quia cum viderint gaudebunt.

ITEM

XXXVIII. *ITEM VNDE SVPRA.*

QVàm pulchrum apparet littus, dum repletur mercibus,& trepidat mercatoribus. Exponuntur de nauibus ſarcinæ veſtium diuerſarum, lætantur innumeri cantantium in iucunditate nautarum, & diues ſinus tripidat arenarum. Quid eſt illud? & quantum delectat attendere littus dominicæ reſurrectionis, & portum Domini reſurgentis micare mercibus pretioſis. Qui ſunt baiuli? Angeli,& Archangeli, qui ſarcinas animarum de inferni vinculis ſolutarum deducunt lætitiæ palmis ad portum: & gerulis ceruicibus ad littus perducunt terræ viuorum. Sic Domino reſurgente ripa fulgebat: quando naufragium gehennæ lugebat. In illa carina corporis Chriſti ab inferis redeuntis imponuntur merces piratica nuper vſurpatione ſublatæ,omnium gementium animæ apud inferos captiuorum: quando ſoluti ſunt gemitus inferorum,lætantur in ripa Petri. Lætetur & illa Maria portans de pigmẽtis aromata neceſſaria: & reportans de ſepulchro gaudia pretioſa,& mortuorum viua de littore mercimonia. Angeli erant baiuli,& delectabiles latores, qui Dominum ad gehennam deſcendentem potentiſſimè deducebant, & redeuntem lætiſſimè præcedebant. Vnus ſuper lapidem monumenti, vt merces proponeret mortis ſimul & vitæ,quas proponeret mulieribus,& ventilaret paſtoribus, dum in aurora Paradiſi matutina fulget ipſe Dominus Ieſus Chriſtus. Alij Angeli vnus ad caput,alter ad pedes illius noui præſident monumenti,vt merces linteaminum Chriſti non venderent,ſed offerrent. Dicũt ementibus mulieribus pro pretio lachrymarum: Quid, inquit,ploratis? Ieſum quæritis,non eſt hic, ſurrexit à mortuis, ſicut dixerat vobis. Aſcendit negotiator ab inferis cum ſarcinis pietatis. Non creditis de negotiatore ſurgente, videte mercem in ſepulchro fulgentem. Ecce linteamina ſepulturæ:quę non delectet ſine pretio poſſidere. Ecce ſudarium capitis. Ecce ſarcina mercatoris. Ite, nunciate diſcipulis, vt pateſcat ſarcina pietatis negotiatoribus vniuerſis,linteo reſurrexit, qui Lazari linteo ſepulturæ catenas abrupit, fecit ſepulturam de linteo peccatorum:vt vitam redderet Angelorum. Factus eſt in ripa hortus amœnus: quia ceſſauerunt tumidi fluctus. Cœperunt prata florere,& ceſſauit vnda latrare. Siluit ſtrepitus in inferno, & agnoſcitur Chriſtus in horto. Et dicit Maria. *Domine, ſi tu illũ ſuſtuliſti, dic mihi, vbi poſuiſti Dominum meum.* Spoliator inferni æſtimatur fur corporis ſui:vt ipſe inuolaret membra ſua, qui ſuſcitauit membra ſepulta & aperuit ſine numero monumenta. Sed negotiator iſte diues fuit, de mercibus reſurgentium mortuorum. Niſi dederit vocis dulce reſponſum, nemo poteſt eius retractare commercium, vel poſſidere negotium,aut comparare myſterium, aut obtinere gaudium,cùm ſoluit naufragium,& redit ad portũ. Reſpondeat libenter,& dicat Mariæ, *Maria*: Loquitur piè negotiator. Nemo merces reſurrectionis gratis emere dubitat. Fortaſſe mercator. Dicamus ei cum Maria. Rabbi quod interpretatur, Domine, vbi eſt merces tua? Quouſque extenduntur negotia tua? Quanti parantur pretia tua. *Data eſt mihi*, inquit, *omnis poteſtas in cœlo,& in terra.* Emamus ab eo gratis in terra pacem,vt poſſideamus in cœlo lætitiam ſalutarem. Dominum credimus reſurgentem, & aſpicimus aſcendentẽ,& ſalutamus in iudicio veniẽtem,non vt merces proponat, ſed vt ſpectet, non vt vendat,ſed vt exigat. Paramus illi mercimonia noſtra. Quæ? non aurum,non argentum,non gemmarum ſua lucentia,ſed fidem,ſpem, charitatem, natiuitatem, paſſionem, reſurrectionem, & aſcenſionem. Iſta ſunt mercimonia noſtra. Nunquid ipſe inanis eſt venturus in nube? Ecce Dominus veniet, & merces eius cũ eo,ſicut dicitur. Dicite filiæ Sion. Ecce Saluator tuus adueniet,habens mercem ſuam, & opus eius ante faciem eius, cui non eſt dominatus infernus, & corpus eius aſcendit in nubibus,& de mortuis, & viuis vnus reſonet cantus: quia hic eſt dies quem fecit Dominus, exultemus,& iucundemur in eo. Ecce enim mortui tripudiant ab inferno: & Angeli lætantur in cœlo, vt & nos in iſto templo gaudeamus.

IN QVARTO DIE PASCHÆ. XXXIX.

ET hodie Reſurrectio Domini recitata eſt de ſancto Euangelio. Lectum eſt autem Euangelium ſecundum Ioannem. Audiuimus quæ in aliis libris Euangelij non audieramus. Omnibus quidem communis eſt prædicatio veritatis, & de vno fonte omnes biberunt,ſed in prædicatione Euãgelij (ſicut commonui charitatem veſtram) alia omnes, alia tres, alia duo, alia ſinguli poſuerunt. Modo ergo quod audiuimus ſecundum Ioannem, quia Maria vidit Dominum, & dixit ei Dominus. *Noli me tangere. Nondum enim aſcendi ad Patrem meũ*, ſolus Euangeliſta Ioannes commemorat. Hinc ergo loquendum eſt ſanctitati veſtræ. Viſis etiam linteaminibus in ſepulchro, nondum reſurrexiſſe crediderant, ſed ablatum eſſe corpus eius de monumento. Nam & ipſe Ioannes, (ſeipſum enim dicit, quem diligebat Ieſus) cùm audiſſet nunciantibus mulieribus, & dicentibus, tulerunt Dominum meum de monumento: cucurrit cum Petro, & attendens in monumentum vidit ſola linteamina, & credidit. Quid credidit? Non quia reſurrexerat; ſed quia de monumento perierat. Hoc ſequentia verba teſtantur, ſic enim ſcriptum eſt, quod modo audiuimus. Attendit, vidit, & credidit. Nondum enim ſciebat ſcripturas, quia oportuit eum à mortuis reſurgere. Apparuit ergo quid credidit? quod fidei non erat, hoc credidit. Credidit,ſed falſum credidit. Apparuit ei poſtea Dominus:fugauit falſum,& inſeruit verũ. Tamen illud quoniam ſolebat mouere lectorem,& auditorem non incurioſum, neque negligentem, quomodo ſit dictum, Noli me tangere. Nondum enim aſcendi ad Patrem. Hinc videamus,quid Domino ipſo adiuuãte dicendum ſit. Monet enim hoc quid ſit,noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem. Quando enim aſcendit ad Patrem? Sicut indicant actus Apoſtolorum quadrageſimo die poſt reſurrectionem ſuam, quem diem in nomine Domini celebraturi ſumus quadrageſima poſt Paſcha. Tunc enim diſcipuli qui manibus tetigerunt, oculis deduxerunt. Tunc ſonuit vox Angelica. *Viri Galilæi quid ſtatis intuentes in cœlum. Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quomodo eum vidiſtis euntem in cœlum.* Si ergo tunc aſcendit ad Patrem,quid dicimus fratres mei? Maria eum non poterat tangere in terra ſtantem,& poterat tãgere in cœlo ſedentem? ſed hic non poterat,quãto minus poterat ibi? Quid eſt ergo, *noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum?* Sic enim ſonant verba,tanquam diceret: Tunc me tange, cum aſcendero,antequam aſcendam,noli me tangere. O Domine hic es,& non tangam? cum aſcenderis tãgam? Deinde ſi antequam ad Patrem aſcenderet,ta-

Eſt apud Auguſtinum ſerm.155.de temp.

ctum

ctum horrebat humanum; quomodo se discipulis, non solum videndum, sed etiam contrectandum præbuit? quando dixit. *Videte manus meas, & pedes meos.* Ecce tangite, & videte, quia *spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Incredulus etiam ille discipulus Thomas tetigit latus perforatum, & exclamauit, *Dominus meus, & Deus meus.* Quando tetigerat, nondum ascenderat Iesus ad Patrem. An fortè aliquis insipiens dixerit, antequā ad Patrem ascenderet, viri tangere eum poterant, mulieres non poterant, nisi cum ad patrem ascendisset? Absurda est ista cogitatio, & peruersa sententia. Prorsus quod audiuit Maria, audiat Ecclesia. Omnes hoc audiant, omnes intelligant, omnes faciant. Quid ergo est, *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem?* Quod me vides hominem solum putas: Patri æqualem esse adhuc nescis. Noli me tangere, talem noli hominem solum credere, sed Verbum æquale generatori intellige. Quid est, *noli me tangere?* Noli credere quia hoc solum sum quod vides. Ascendam ad Patrem, & tunc tange, tibi ascendo, quando intellexeris æqualem. Quando enim me putas minorem, nondum tibi ascendi. Tangere autem credere esse puto, quod facile possumus intelligere de illa muliere quæ tetigit fimbriam vestimenti Christi, & salua facta est. Recordamini Euangelium. Quando Dominus Iesus Christus ibat visitare filiam Archisynagogi, & eum tetigit mulier, quæ fluxu sanguinis laborabat, & cum dixisset, Dominus, quis me tetigit. Responderunt discipuli. Turbæ te comprimunt, & dicis, quis me tetigit? Dicit eis, Tetigit me aliquis. Ego scio virtutem de me exisse. Et illi: tantæ, inquiunt turbæ te comprimunt, & vnam sensisti? Tetigit me aliquis. Quid est, tetigit me? Illi premunt, ista tetigit, Iudæi affligunt, Ecclesia credidit. Secundum hunc intellectum, quo vidimus mulierem, vt sanaretur tetigisse, quod est credidisse. Secundum hoc dictum est ad Mariam. Noli me tangere. Ascendam, & tange. Tunc enim tange, quando cognoueris. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Sed quia hominem solum vides; quia verbum caro factum est, verbum solum non vides. Nolo credas in carne, & relinquas verbum. Totus tibi Christus appareat. Noli, inquit, modo tangere, quia nondum vides, quis sum. Ecclesia ergo, (cuius figuram Maria gerebat) audiat quod audiuit Maria. Tangamus omnes, si credamus. Iam ascendit ad Patrem, sedet ad dexteram Patris, confitetur hoc hodie tota Ecclesia. Hoc audiant, qui baptizantur: hoc audiant, antequam baptizentur. Quando ergo credunt, Maria tangit Christum. Intellectus obscurus, sed sanus, fide pulsanti apertus. Ipse ergo Dominus noster Iesus Christus, & ibi est, & nobiscum est, & cum Patre est, & in nobis est, & ab illo non recedit, & non nos deserit, & orare nos docet, vt magister, & cum Patre exaudiuit, vt filius.

XL. *DE DIE QVINTO Paschæ.*

Resurrectionem Domini nostri Iesu Christi secundùm veritatem quatuor Euangelistarum hesterno die videmus esse completam. Primo enim die lecta est Resurrectio secundùm Matthæum, altero die secundum Lucam, tertio secundum Marcum. Quarto id est hesterno secundum Ioannem. Sed quoniam Lucas & Ioannes de ipsa resurrectione, & quæ contigerunt post resurrectionem plura scripserunt, quæ non possunt vna lectione recitari, heri audiuimus aliquid secundum Ioannem, & hodie adhuc aliæ lectiones restant. Hodie ergo quid audiuimus? Quia ipso die quo surrexit, id est, Dominico die, cùm serò factum esset, & essent discipuli in vno loco, & ostia clausa essent propter metum Iudæorum, apparuit Dominus in medio eorum. Ipso ergo die, sicut Euangelista Ioannes testis est, bis apparuit discipulis, mane & sero. Ex eo quod mane apparuit, etiam ipsa lectio recitata est. Quod vero eodem die serò rursus apparuerit, modo cum recitaretur audiuimus. Non opus erat vt à me ista commemorarentur, sed vt à vobis aduerterentur, vt sciatis non solum qui audistis, sed etiam de qua scriptura vobis legitur, quod audistis. Videamus ergo quod nobis ad loquendum hodierna lectione proponitur. Ipsa quippe lectio admonet nos, & quodammodo loquitur nobis, vt aliquid dicamus, quemadmodum Dominus, qui in ea soliditate resurrexit, vt non solum videretur à discipulis, sed etiam tangeretur: potuerit illis apparere ostiis clausis. Nonnulli enim de hac re ita mouentur, vt penè periclitentur afferentes contra miracula diuina iudicia ratiocinationum suarum. Sic enim disputant. Si corpus erat, si caro & ossa erant, si hoc resurrexit de sepulchro, quod pependit in ligno: quomodo per clausa ostia intrare potuit? Si non potuit dicunt, non est factum. Si potuit, quomodo potuit? Si comprehendis modum, non est miraculum. Et si miraculum tibi non videtur, propinquas vt neges, quia de sepulchro resurrexit. Respice ab initio miracula Domini tui, & redde mihi de singulis rationem. Vir non accessit, & virgo concepit. Redde rationem, quomodo sine masculo virgo conceperit? Vbi defecerit ratio, ibi est fidei ædificatio. Ecce habes in vno Deo concepto miraculum, audi & in partu. Virgo peperit, virgo permansit, iam tunc Dominus antequam resurgeret per clausa ostia natus est. Quæris à me, & dicis, si per clausa ostia intrauit, vbi est corporis modus. Et ego respondeo. Si per mare ambulauit, vbi est corporis pondus. Sed fecit illud Dominus tanquam Dominus. Nunquid ergo quia resurrexit, desiit esse Dominus, qui & Petrum fecit super mare ambulare. Quod in illo potuit diuinitas, in isto fides impleuit. Sed quia Christus potuit, Petrus quia Christus adiuuit. Si ergo cœperis humano sensu miraculorum discutere rationem; timeo ne perdas fidem. Nescis nihil impossibile esse Deo? Quicunque ergo tibi dixerit, si intrauit per ostia clausa, non erat corpus: responde illi & tu è contrario. Imo si erat corpus, tactus est: si manducauit, corpus erat, & fecit illud miraculo, illud natura. Nonne admirandus est quotidianus cursus? Ipsæ naturæ omnibus miraculis plenæ sunt, sed assiduitate viluerunt. De consuetis & solitis interrogo. Redde mihi rationem, quare tam magnæ arboris fici semen tam modicum est, vt videri possit vix; & humilis cucurbita tam grande semen parit? In illo tamen grano seminis exiguo vix visibili consideres animo, non oculo. In illa exiguitate & radix latet & robur, & folia futura occulta sunt, & fructus qui apparebit in arbore iam est promissus in semine. Non opus est multa percurrere: de quotidianis rebus nemo reddet rationem, & exigis à me de miraculis rationem? Euangelium lege, & crede facta quæ mira sunt. Plus est quod fecit Deus, & non miramur quod excedit omnia opera. Nihil erat, & mundus est. Sed non potuit, inquis, corporis moles intrare per ostia clausa. Quanta fuit illa moles corporis? Nunquid qualis cameli? Et tamen Dominus volens ostendere

difficultatem diuitis intrantis in regnum cœlorum, & considerantes hoc discipuli fieri non posse contristati sunt, nullum diuitem posse saluari. Respondit Dominus. Quæ hominibus impossibilia sunt, Deo facilia sunt. Potest Deus & camelum per foramen acus traiicere, & diuitem introducere in regnum cœlorum. Quid mihi de ostiis clausis calumniaris? Ostia clausa habebant vel rimam. Compara rimam ostiorum foramini acus, compara molem carnis humanæ magnitudini camelorum, & noli calumniari diuinitati miraculorum.

XLI. *DE SEXTO DIE PASCHÆ.*

Est apud Augustinum sermo 148. de tempore.

ET hodie lectio recitata est de his quæ facta sunt post resurrectionem Domini secundum Euangelistam Ioannem. Audiuit nobiscum charitas vestra Dominum Iesum Christum ad mare Tiberiadis ostendisse se discipulis suis, & qui eos iam fecerat piscatores hominum, inuenit eos adhuc piscatores piscium. Per noctem autem totam nihil ceperant. Viso autem Domino, & eo iubente retia mittentes ceperunt quantum numerum audistis. Nunquam hoc Dominus iuberet, nisi aliquid significari vellet. Quid ergo pro magno potuit ad Iesum Christum pertinere, si pisces caperentur? aut non caperentur? Sed illa piscatio nostra erat significatio. Recolamus ergo duas illas piscationes discipulorum iubente Domino Iesu Christo, vnam ante passionem, alteram post resurrectionem. In his ergo duabus piscationibus tota significatur Ecclesia, & qualis est modo, & qualis erit in resurrectione mortuorum. Modo enim habet multos sine numero, & bonos & malos. Post resurrectionem autem habebit certum numerum solos bonos. Recordamini ergo primam piscationem, ibi videamus Ecclesiam, qualis est in isto tempore. Dominus Iesus inuenit discipulos suos piscantes, quando primum eos vocauit, vt sequerentur eum. Tunc tota nocte nihil ceperunt. Eo autem viso audierunt ab illo, mittite retia. Domine, inquiunt, per noctem totam nihil cepimus, sed ecce in verbo tuo rete mittimus. Miserunt iubente omnipotente. Quid potuit aliud fieri, nisi quod ille voluisset? Sed tamen eodem ipso facto aliquid (vt dixi) significare dignatus est. Missa sunt retia, & ceperunt tantam piscium multitudinem: vt duo nauigia implerentur, & præ multitudine rumperentur. Tunc illis dixit: Venite, & faciam vos piscatores hominum. Acceperunt ab illo retia verbi Dei, miserunt in mundum tanquam in mare profundum, ceperunt tantam multitudinem Christianorum quam cernimus & miramur. Domino autem illa nauigia duos populos significabant Iudæorum & Gentium, Synagogæ, & Ecclesiæ, circuncisionis & præputij. Illorum enim duorum nauigiorum tanquam duorum parietum de diuerso venientium lapis angularis est Christus. Sed quid audiuimus ibi? premebantur nauigij multitudine. Sic fit modo. Multi Christiani malè viuunt, & Ecclesiam premunt. Parum est quia malè viuunt, & retia disrumpunt. Nam si non essent retia scissa, schismata non essent commissa. Transeamus ergo ab ista piscatione quam toleramus, & ad illam veniamus quam ardenter optamus. Ecce Dominus mortuus est, sed resurrexit. Apparuit ad mare discipulis suis, iubet eos retia mittere. Non quomodocunque intendite. Nam in prima piscatione non illis dixit, mittite retia in dexteram aut sinistram. Quia si sic diceret, in sinistram soli mali significarentur: si diceret in dexteram, soli boni figurarentur. Ideo non dixit in dexteram vel in sinistram, quia permixti capiuntur boni cum malis. Iam modo post resurrectionem qualis erit Ecclesia, audite, discernite, gaudete, sperate, comprehendite. Mittite, inquit, retia in dexteram partem: iam dexteri capiuntur. Scitis, quia dixit se separaturum esse oues ab hœdis. Oues positurum ad dexteram, hœdos ad sinistram. Sinistris dicturum, Ite in ignem æternum. Dextris dicturum, Accipite regnum. Ecce vnde mittite retia in dexteram partem. Miserunt, ceperunt, certus est numerus, nemo est ibi supernumerarius. Modo autem quanti supernumerarij accedunt ad altare, qui in populo Dei videntur, & in libro cœli non scribuntur? Ibi ergo certus est numerus. Ecce de quibus piscibus sunt affectatæ non audiendo tantum & laudando, sed bene viuendo. Mittuntur ergo retia, & capiuntur pisces magni. Quis enim ibi tunc paruus quando erunt æquales Angelis Dei? Capiuntur ergo centum quinquaginta tres. Dicat mihi aliquis. Et tot erunt sancti? absit à nobis vt tantam paucitatem putemus sanctorum in regno cœlorum. Numerus est significans millia millium sanctorum atque fidelium. Quare autem isto numero millia quæ futura sunt in regno cœlorum Dominus significare dignatus est, audite. Scitis legem datam esse per Moysen populo Dei, & in ipsa lege præcipuum commemorari Decalogum, id est decem præcepta legis. Quorum est vnum præceptum de colendo vno Deo. Secundum præceptum, ne accipias nomen Dei tui in vanum. Tertium præceptum obseruatio sabbati quod Christiani spiritaliter obseruant, Iudæi carnaliter violant. Ista sunt tria præcepta ad Dominum pertinentia. Reliqua septem ad hominum conuersationem propter duo illa principalia. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ. Quia ergo duo sunt præcepta, ista in illo Decalogo tria pertinentia ad dilectionem Dei: septem ad dilectionem proximi, quod nemo implet viribus suis, nisi adiuuetur gratia Dei, nisi adiuuet Deus spiritu suo. Iam recolite quemadmodum Spiritus sanctus septenario numero commendatur. Apud Isaiam dicit implendum hominem Spiritu Dei, sapientiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, scientiæ & pietatis, spiritu timoris Dei. Istæ septem operationes commendant septenario numero Spiritum sanctum, qui quasi descendens ad nos cœpit à sapientia, finit ad timorem. Nos autem ascendentes incipimus à timore, perficimur in sapientia. Initium sapientiæ timor Domini. Si ergo Spiritu opus est, vt lex possit impleri: accedant septem ad decem, fit numerus qui est decem, & septem ab vno vsque ad XVII. fiunt CLIII. non opus est nunc numerare, apud vos numerate, sic computate, vnum & duo, & tria, & quatuor, sic adde & cæteros numeros vsque ad XVII. & inuenis numerum sacratum fidelium atque sanctorum in regno cum Domino futurorum.

DE IANVIS CLAVSIS. XLII.

TVta est ianua, vbi ingreditur paterfamilias, ipse enim est ostium, & ianua. Sic ingreditur directus, subtilis, vt edoceat, non commoneat, vt lætificet inspirando, non strepitum faciat visitando. Descendit de cœlo Deus, audit surdus, loquitur mutus

tus, credit cor diffidentis, & nullus eſt ſtrepitus Saluatoris intrantis, quia nouit intrare per oſtia clauſa. Intrat cor hominis antea non credentis, & omne quod bonum eſt blaſphemantis, cum cœperit credere, incipit admirari. Expaueſcit ad credentem, & Chriſtum in cor eius miſerantis intrantem. Nunquid aperitur compago membrorum? Nunquid cratis corporis ſibi connexa à ſuis ſeparatur articulis, vel neceſſariis ligaturis? Sic oſtia clauſa vbi erant Apoſtoli concluſi, veritate ingreſſus eſt corporis, non tantum præſentia maieſtatis. Sic conſueuit intrare, vt ante promittat gaudium, quàm faciat ſtrepitum. Ingreſſus eſt vterum virginis, Spiritus ſanctus ſuperuenit in illam, & virtus altiſſimi obumbrauit eam. Generatur, & porta illa clauſa eſt, quam nemo ingreditur, niſi Princeps ſolus, & clauſa, inquit, erit in ſempiternum. Ecce igitur modò qui ſurrexit de monumenti cuſtodia, ingreditur ad Apoſtolos ianua clauſa, & de ſepulchro Angelus (ſicut legimus) reuoluit lapidem, & ſedit ſuper eum. Nunquid ſi Angelus non deſcenderet, Chriſtus de ſepulchro non reſurgeret? aut impediebat lapis Domino, niſi eſſet remotus ab Angelo? Imò reſurrexit Dominus, vt non eſſet Angelus neceſſarius. Obſequio aderat, non auxilio. Reſurgens de ſepulcro, & Mariam agnoſcens in horto, interrogat Mariam. Quid ploras? Et illa, Rabboni, quod eſt, Domine. Ipſe ergo intrat modò ad Apoſtolos ianuis obſeratis. Dic Euangeliſta quomodo intrauit? Vnde venit? potenter intrauit, gehennam aperuit, ſpolia cœpit. Ianuas intrauit, & Apoſtolos ſalutauit. Non dixit, patefactæ ſunt rimulæ ianuarum, nec compago ianuarum ſoluta eſt. Quomodo, inquit hæreticus, verum (vt dicitis) corpus per ligni tabulas clauſas intrauit? Rectè hoc diceret, ſi ante paſſionem cauſaretur: quando adhuc mortale corpus gerebat paſſioni ſubdendum, inimicis tenendum, clauis figendum, lancea compungendum, ſepulturæ mandandum. Iam enim omnis craſſitudo illa aſſumpti corporis, in diuinitate fuerat abſorpta, & immutata, nec tamen exinanita. O magnum myſterium. Intrat ianuis clauſis, & cicatrices monſtrat apertas. Ipſi nihil obſtabat intranti. Thomæ præpediebat incredulitas dubitanti. Quid dicis Thoma? *niſi videro foramina clauorum eius, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Fidele teſtimonium quærentis, & demonſtrantis, palpantis, & offerentis. Nunquid Dominus dixit: Fruſtra requiritis vulnera mea? Libenter accepit quod dubitator præſumpſit. Infer manum tuam in latus meum, & non fallatur tactus tuus, & ſi dubitator non palpauit, ſed Saluator obtulit, quod ille quæſiuit. Spiritus, nec palpari, nec tractari poteſt, ſed quia verum corpus erat; & verum corpus ianuis clauſis intrauit, ipſe dixit, Thoma, *infer manum tuam in latus meum.* Quid eſt Thoma? Inde Dominum recognoſcis, ſi palpes vulnera paſſionis? Et ille hoc mihi ſufficit ad credendum Dominum meum, ſi eius medelam tetigero cicatricum. Ibi eſt omnis poteſtas. Illic eſt omnis pietas. Melius te Domine cognoſco de paſſione tua, melius tango in cruce tua, quia exaltatus es pro ſalute mea. Exaltare Domine, in virtute tua, cantabimus, & pſallemus virtutes tuas. Quomodo cantabimus. *Dominus meus, & Deus meus.* Aperuit ianuas diuinitatis, qui ingreſſus eſt ianuis clauſis, & donauit omnibus pacem de ſui corporis veritate.

* * *

VNDE SVPRA. XLIII.

IMperator terrenus non viſitat in timore conſtitutos alumnos, quomodo Dominus Chriſtus metuentes viſitauit Apoſtolos. Nam ſi propter ſalutem terreni Regis comites concluduntur obſidionibus tyrannorum, non dignatur Imperator ipſe venire ad concluſionem timentium famulorum: poteſt exercitum mittere ad ſubueniendum, proprium autem non humiliat principatum. Dominus autem noſter eſt Rex cœlorum. Domine Angelorum, ſuſcitator mortuorum, ſalus deſperatorum: Non Angelos direxit ad Apoſtolos metuentes, qui timebant Iudæos Domini crucifixores, ſed ipſe venit aſcendens à mortuis, introiuit ianuis clauſis: vt qui pro illis fuderat ſanguinem, daret illis de ſui præſent a ſecuritatem. Intrat autem cœleſtis Imperator, mortis extinctor, humani generis liberator, non per vela purpurea, non cortinis tranſitur auratis, ſed ipſe præcedentibus in Spiritu angelicis legionibus ingreditur perpetuus Imperator. Nullus leuat velũ, nemo aperit oſtium. Sic ingreſſus eſt per ianuam clauſam, qui aperuit mortis gehennam, qui noſtram ſoluit catenam, qui cœlos aperuit, & deſcendit, & cum corpore iterum cœlos aſcendit, penetrans interiora velaminis, quod opponitur oculis noſtris. Ipſe enim potuit per ianuam clauſam Deus verus, & homo verus intrare, librum cum ſeptem ſigillis reſerare, & theſauros ſapientiæ occultos intrare. Bonus eius introitus, quem pacis comitatur nuncius, & ſecuritatis effectus. Quid dicit timentibus ſe? *Pax vobis.* Pax ſalutat in pace, quia iam poterant diſcipuli formidare, & tamen auſi ſunt de eius vulneribus retractare. Dicit eis qui ſubuenit eis. Ego dixi, pax vobis, & infidelitas fixa eſt in vobis. Ego ſuſcepi vulnera veſtra, & vos facitis de mea paſſione certamina? Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Thomas abſens erat de grege, periclitari cœpit in fide, quia necdum viderat Saluatorem. Dicunt ei Diſcipuli, vidimus Dominum, & ille dicit eis. Vidiſtis Dominum crucifixum? magnum miraculum. *Niſi videro fixuram clauorum eius, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Thomas dubitat, & Chriſtus intrabat. Introiuit pax, & receſſit incredulitas. Thoma quid deſideras? Palpa ſi palpas. Palpa vulnera mea, vt non palpites in fide tua. Manum vis in latus meum mittere. Vtinam velis totus intrare. Patent foramina mea, vt ad cœlos tibi pateat ianua mea. Audiuit dulciſſimam vocem, & recepit integram fidem. De vulneribus medici accepit auditum, & ægrotus bibit antidotum. *Tu es, inquit, Dominus meus, & Deus meus.* Intrauit in foramina Chriſti, & aperta eſt ianua regni cœleſtis. Semper ipſa nos curent, & reficiant vulnera noſtra, quæ tribuerent ſæculo medicinam, vt ſemper cantemus Alleluia.

VBI POST RESVRRECTIONEM Chriſtus in horto Mariæ apparuit Magdalenæ. XLIV.

COncluſus floreſcit hortus, fluminis impetu lætificante rigatus, quem primogenitus mortuorum poſt crucis ignominiam, & paſſionis iniuriam viſitare dignatus eſt, honore, & gloria coronatus. Procera palma virorem ſui decoris oſtendit? quia caro Chriſti corruptionis ignara, immarceſſibilis ab

ab inferis resurrexit. De ipso namque Dauidici canentis oraculo tanto ante prædictum est: Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Ecce flos campi suauiter redolet in pratis. Vbique ibi diffusa gratia Catholicæ matris, liliumque cōuallium circa montem sacri candescit altaris, dum fidelibus vniuersis indumento iustitiæ cādidatis, conuiuium præparatur angelicæ pastionis. Post resurrectionem igitur sanctorum secum surculis de sepulcrorum scrobibus eleuatis, vestigiis deambulans delicatis, ingressus est Dominus Paradisum voluptatis, & quoniam in auspicio mundi exulem Paradisi secum fecerat præuaricatrix illa caput sui corporis Eua, redemptorem propriæ salutis cum spolio mortis victorem remeantem ab inferis ad monumentum sollicitè vigilans, in horto amœnitatis prima meruit speculari Maria, ab autore vocata, ab incredulitate conuersa, & appellatione sui nominis immobiliter confirmata. Nam cum affectu religiosissimo, & corde meticuloso Dominici corporis sepulcrum impatienti studio frequentaret, duos primitus Angelos in albis ad caput, & pedes vbi positum fuerat corpus Christi eminus sedentes aspexit. Non ideò cœlestes Angeli descenderant, vt ab eis caro requiescentis Domini seruaretur, sed vt Mariæ Magdalenæ surrexisse à mortuis monstraretur. Quod verò vtrique Angeli ad caput pedésque sedebant, vnde iam Dominus surrexerat suscitato corpore suus; hoc proculdubio figurabant, quia ab Oriente vsque ad Occidentem Christi resurrectio prædicata, tanquam à capite vsque ad pedes vniuersum orbem fuerat impletura. Dicunt autem ei. *Mulier, quid ploras?* De cœlo descendentes stolatos Angelos cernis, & adhuc fœmineis lacrymis occuparis? statue mulier, statue vacuis limitem flentibus. Iam deletæ sunt lacrymæ ab oculis miserorum, quia solutis gemitibus vinculorum, triumphator ascendit in altum Dominus Angelorum. *Ascendit enim in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Dicite mihi ô beati, quos cerno, & qui esse possitis ignoro. Dicite (inquam) mihi consolatores boni, quomodo plorare non potero tanto mihi ablato magistro? cuius aspectum videre desidero, & nec cadauer sepultum inuenio? Quisnam iste est aduersarius, qui ita inuidet mihi, vt iacens Domini venerabile corpus furto conaretur auferre? Non sufficit quod Iudas vendidit? Iudæus emit? Pilatus damnauit? miles in ligno trabalibus perforauit? mortuum aspexit, & acuto mucrone transfixit? Paruáne ista fuerunt, quæ in meo Domino, dum adhuc peruiueret, & spiritum voluntariè postea emitteret, à sacrilegis funesta commissa sunt. Figitur patibulo viuus, & rapitur de tumulo mortuus? Ad solatium nostrum diues ille Ioseph postulatum à Pilato sepulturæ mandandum corpus accepit, diligentiùs in hac tumuli theca condiuit. Sepulti corporis notauimus locum, aromata præparauimus, vt doctoris nostri, vel exanime corpus vngentes ardorem æstuantis animi foueremus. Et ecce subito cum omni cautela, vigilans, & inquirens, festinans aduenio, & monumentum manè reperio. Hæ sunt mearum cum amaritudine viscerum decurrentium querimoniæ lacrymarum. Attendite dolorem meum, perpendite vulnerati cordis aculeum, & donate lacrymanti dulcissimum sermocinationis nostræ remedium. Tractate diligentiùs quæso, tractate quasi patroni fideles serenis auribus intimatum susceptæ vestræ salutis negotium, & de inueniendo tanti thesauri pignore sapientissimum præbete consilium. Bene petis, Maria, bene quæris, bene pulsas. Nullus tibi abstulit, quem quæris, ipse se potestate propria suscitauit. Dum nobiscum loqueris, cito tuis cōspectibus apparebit: erit enim tecum Dominus semper, & satiaberis secundum quæ concupiuit anima tua, & ossa tua pinguia fiant, & erit cor tuum sicut hortus ebrius, & sicut fons, cuius non deficit aqua: quia ita oculorum tuorum velut candens facula vigilat luminosa pupilla. Recedunt nuntij diuinitus destinati, & illico apparuit Dominus nunciorum. Cernit stantem, & interrogat flentem. Mulier quid ploras? Quem quæris? Illa existimās quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum, & ego eum tollam. Considera obsecro, vel tu lugentis conscientiæ gemitum, & noli despicere mei pectoris cruciatum. Istius horti te cultorem aduerto. Dominum meum in hoc horto sepultum inquiro. Horti huius tu solus es, & cultor, & custos: fieri non potest, nisi vt ipse mihi demonstres, vbinam inueniam, quem dilexit anima mea, aut à te eum inuenio, aut ipse es forsitan quem requiro. Intuetur te oculus meus, & inflāmatur aspectus meus. Nunquid tu es Dominus & Deus meus, ad quem de nocte sitiens, sicut ceruus vigilat spiritus meus? O Maria, quæ in me plenam intentionem fidei direxisti, velociter inuenisti, quem puro proposito concupisti: non est vltra dilata, accepit petitionis propriæ suæ veræ responsum, & de appellatione nominis cognitionem impetrare meruit Saluatoris. Iam breuiter requiramus, quare cum Dominus Mariam vocaret, & ab illo vocata Dominum magistrumque cognosceret, audiuit ab eo. *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Hoc est vtique dicere. Noli tantummodo Maria hominem me putare, quem à mortuis resurgentem in horto conspicis gradientem; sed tange me, cùm ascendero ad Patrem, vt Patri credas æqualem. Vade autem ad fratres meos, & dic eis. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, ad Deum meum, & Deum vestrum.* Pater meus est origine, non adoptione, natura, non gratia. Ipse enim dixit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hodie Dei, sempiternum est. Non habet initium, non habet terminum. Non ortum, non occasum, nec spectatur apud Deum aliquando crastinus, vbi nunquam fuit hesternus. Taliter ergo Pater meus est. Pater autem vester est, cui accepto mei munere magisterij orantes dicere meruistis. Pater noster qui es in cœlis. Deus meus est, cui propter vos assumpto homine, vt essem mediator Dei & hominum in cruce positus dixi: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Non quia à Patris consortio aliquando separatus sum, aut Pater ab vnici indiuidua charitate potuit vllo modo discedere, quia ego in Patre, & Pater in me, sed vt in veri hominis carne pro expiatione peccati mortem subiiciens supplicij. Hac vice possem dubiis vel infirmis, & præcipuè Manichæis incredulis apertius demonstrari. Ecce qualiter Deus meus est. Deus autem vester est, quia vos in primo homine mea secum cooperante maiestate creauit, & nunc effuso mei sanguinis pretio ad possidenda regna cœlestia, profunda misericordia recreauit.

* *
*

XLV. DE VNICO BAPTISMO.

PSalmus nobis cantauit, & aqua resonuit, quia Dominus super aquas intonuit, & si tonitru de nubibus voce terra concutitur, & vox Domini super aquas, quæ creatura non monetur nisi hæretici: qui aquarum violant Sacramentum, dum repetunt mysterium post Spiritum sanctum. Quid ergo tantum est, quia vox Domini super aquas, qualis est & ipse qui eas congregauit aquas, dum illis nomen dedit & legem, dum talem ederet vocem qui: semel lotus est, non habet iam necessitatem lauandi, est enim mundus totus. Si ad vocem Domini super aquas totus est concussus mundus ad Sacramentum sancti Spiritus super aquas, non est totus homo mundus quem lauat Pater & Filius & Spiritus sanctus? Vox enim Domini quæ repeti non potest, audiri cum tremore potest. Quia qui semel lotus est, hoc dixit ad peluem, cum discipulis pedes lauabat, & nobis mysterij signum singulare tradebat. Peluis totus est mundus, & rotarum vas illius peluis circuitus est orbis, vbi sumus nos tanquam vasa figuli facta manibus Christi, quia Iesus est qui baptizat in Spiritu sancto & igni. Vasa decocta si in caminum reuertantur, continuo sine emendatione franguntur, & leue est hæreticis vasa decocta animarum in baptismo gratiarum, vt ad secundum reuocent suæ temeritatis lauacrum, pluris se facientes quàm Spiritum sanctum. Dic mihi hæretice, quis dixit in Genesi. Producant aquæ reptilia animarum viuarum, & productæ sunt omnes aquæ viuentes de vtero aquarum: nisi qui dixit. Ite, baptizate gentes in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti? vna vox est. Producant aquæ reptilia animarum viuarum, & ite, baptizate gentes. Ideò quoniam ipsa vox est in aquis, quando homines renati ad cœlum velut aues volantes de aquis spiritualibus producuntur. Spiritus itaque in specie columbæ dignatus est super aquas descendere, & super autorem baptismi vnita pietate manere habitantis, vt intelligas regnum cœlorum esse qui renascuntur per aquam & Spiritum sanctum. Da mihi in altero loco in specie columbæ descendisse Spiritum sanctum, nisi semel quando baptizatus est Christus, & semel quando diluuium passus est mundus. Da mihi secundum diluuium, aut secundam columbam. Vnum diluuium, vna columba, vnus ramus, vnum baptisma, vnus spiritus, & vnum chrismatis sacramentum. Accusat te illa columba vno contenta gestatorio rami frondentis. Emissa est iterum de arca, & alteram non deportauit, quia sufficit ei quod vnum semel sub vno sacramento vecta: labia columbæ tenentis ramum tanquam duo sunt testamenta, vt frondosa tenentis chrismatis Christi mysterium. Et tibi hæretice leue est multos diluuios iterare? Dominus octo animas in diluuio reseruauit illæsas: tu in secundo diluuio illiciti baptismi omnes animas perdis malè demersas, quas Christus saluauit ablutas? Tunc Dominus dixit, ne diluuium iteretur separandum esse ab hominibus. Iam non faciam diluuium super terram, arcum meum ponam in nubibus. Vidisti arcum in nubibus. Intellige non futurum esse diluuium. Audisti vocem Christi tanquam arcum in nubibus, id est, altissimo iudicio definientis, & dicentis. *Quia qui semel lotus est, non habet necessitatem lauandi.* Nolite iterare diluuium, quia alterum non potestis inuenire Spiritum sanctum, vt video super Patrem & Filium & Spiritum sanctum, quartum te iactare conaris aut primum, vt dicas quia vbi tu non es, nemo baptizandus est. Pater interest, Filius interest, Spiritus sanctus interest, quia non potest nisi in Trinitate quod præceptum est celebrari. Et tu dicis non esse rectum, quia non fuit præsens. Ergo Deus noster est præsens, vbi tu non es absens. De Domino dictum est. *Lauabit Dominus sordes filiorum & filiarum Israel.* Ad Dominum dictum est. *Lauabis me, & super niuem dealbabor.* Non dixit, lauat me ille, & ille, sed tu me lauabis, quia & Sacerdos & populi ab vno lauantur, & Sacerdos quod accipit, exhibet sacramento. Pater interest, & non tibi sufficit? Filius interest, & non tibi profuit? Spiritus sanctus interest, & adhuc tibi non sufficit? Sufficit illis quos baptizauit Petrus & Paulus. Paulus autem dicebat, quando sacramentum tradebat: *Nunquid in nomine Pauli baptizati estis?* Tu forsitan de nomine Pauli accipiens occasionem dicturus es, quia plus baptizauit per beatum Ioannem. Inutile est istud argumentum, non tibi patrocinatur. Dic mihi, vter erat sanctior, Ioannes, an Paulus? Ego vtrumque fateor. Tamen Paulum possum dicere Ioanne fuisse fortiorem. Noli te grauando iuuare, vt videaris quasi rectè facere hoc ipsum, dicens ne beato Paulo calumniam videaris irrogare. Inuenit Sanctus Paulus duodecim viros, & interrogauit eos, si accepissent Spiritum sanctum? Illi dixerunt: *Nescimus, nec nomen Spiritus sancti audiuimus aliquando.* Et ait Paulus: *In quo ergo baptizati estis baptismate?* Responderunt, *baptismo Ioannis.* Et baptizauit eos baptismo Christi: non rebaptizauit, quia illud prius seruile erat, hoc dominicum est baptismum. Ioannes baptismum habet suum. Paulus baptismum Christi habet, non suum, non Ioannis, sed baptismum Christi. Transit illa præcursio baptismi pœnitentiæ, quia ipse clamabat. Ego vos baptizo in pœnitentia, qui autem venit post me, ipse vos baptizat in Spiritu sancto. Nam post Iudam traditorem nemo baptizauit, quia baptismum habebat non suum, sed Saluatoris. Ioannes baptismum suum habebat. Ergo Paulus, vt acciperent Spiritum sanctum, in baptismo Christi lauabat. Et tu confitentem tibi, & dicentem: baptizatus sum in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti; iterum lauare contendis? Quia tu ibi non fuisti, non est plenum Trinitatis sacramentum? Vbi eras quando dixit Filius Dei. *Ite baptizate gentes in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti?* vsque ad tempus tuum recentissimum, ac sordidissimum inane fuit Trinitatis vocabulum? vt plus valuerit tua separatio, quàm Trinitatis vnita coniunctio? Sed ego iustus sum, inquis, & vos peccatores. Filius vtique malus seipsum iustificat: exitum verò suum non abluet, sicut te, qui iustificas te, & sine te vacuas Trinitatem. Quanti falsi testes, Prophetæ & Sacerdotes iniqui in lege veteri circuncidebant filios Israël, & secundam non legis circuncisionem, & tu secundam vis congregare voraginem, vt te iustum asseras operatorem, & non ipsam quæ totam perficit Trinitatem. Semel est congregatum mare, in vna congregatione. Semel aquæ animam viuam protulerunt, semel patres nostri mare in baptismo transierunt.

* * *

XLVI.

DE VITE VERA.

QVoniam falcibus crudelium vindemiatorum vineæ nostræ palmites abscinduntur: & contaminatis atriis Ecclesiarum de paucitate relictorum cameræ spiritalium elanguent, non habentes vmbraculum; curramus ad Christum, qui est vitis vera, cuius cruento pampino æstuans inumbratur Ecclesia. Ipse enim vitis est vera plantatus nobis de paterna substantia, cuius virtus operuit cœlos & laudis eius plena est terra. Inde ascendens ad dexteram patris vitis semper amœna viridem dans æstuantibus gratiam, extendit palmites suos, aut natiuitatis suæ candido flore vestitos, aut passionis cruentatione indultos, manibus in cruce protensis, velut pampinos dilatauit in terris: vt sit refrigerium benè credentibus Christianis. Curramus sub istam vmbram, quæ de cœlesti est intexta vite vera, & dicamus sub temporali cauma. Ecce Christus Dominus noster, qui traditus est pro peccatis nostris. In vmbra eius viuemus in gentibus alienis, & tangentes nos etiam citharam Dauid sub vite cantantes dicamus. In vmbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. Ecce enim iniquitas non transit, sed crescit, non quiescit, sed sæuit. Dum vindemiat aper de sylua & singularis ferus depascitur eam, quia quieta est in throno suo vitis vera, & irascitur Pater agricola: quia amara vitis facta est aliena. Curramus ad istius vitis purpuream destinam sanguineæ passionis, & velut statuam crucis teneamus arundinem, donec Pater agricola remota falce restituat pietatem, & dicamus illi vnius orationis pampino consolante protecti, Pater, Pater qui es in cœlis, quare nimium laboramus in terris? Nónne tu es vitis vera agricola, & vindemiat nos aper de sylua humanam barbarus nesciens misericordiam. Nónne tu vineam de Ægypto transtulisti, nouellasti eam, & impleuit terram? Testis est Golgotha. vbi sub cruce fecisti scrobem. Ibi plantasti vineam veram sanguine simul & aqua, donec propaginata vitis à patibulo à sepulchro ad cœlum texit montes vmbra eius, & modo ad amputandos palmites eius montes occupauit barbarus importunus. Cooperari arbusta eius cedros Dei, & modo nos excelsi amputant inimici: dum non miserentur infanti, nec seni, quia faciem seruum non erubuerunt, & super sugentes mamillas misericordiam non habuerunt. Vbi est turris fortitudinis à facie inimici? Deseruerunt eam Angeli & ascenderunt leuiores aquilis barbari. Deus, inquit venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum. Interpella pro nobis vitis vera: quia nostra amara facta sunt peccata: ita vt quæramus vmbram, & non inueniamus nisi falces & lanceas. Ambulans stridet aper de sylua, & singularis ferus depascens eam, quia leo de tribu Iuda quietus est in sede sua, & non dabit vocem lucis, donec feræ nocturnæ fugiant cæcitatis. Ideo facti sumus in desolationem. Noli pater falcem tuæ moderationis in moderatis tradere gentibus alienis. Nesciunt putare, sed amputare. Tu nostri bene purgare, qui super niuem nos dignatus es dealbare. Sic abscinde, vt serues nos in radice, non vt pereat de terra memoria nostra, sed sint in vite vera vestigia nostra, & cessante sanguine occisionis arida virescat vitis reparatis de captiuitate sarmentis: quod putamus de omnibus sanctis, qui de ista vinea proferuntur. Nónne modo sub eius radicibus deambulantes sancti dolẽtes afflicti viui deflent. pro mortuis proiecti condolent. Nónne cum dicimus. Quare vindemiat nos aper de sylua, forte respondet nobis Esaias vinitor bonus, quare. Quia *sustinui*, inquit, *vt facereis vuas fecistis autem spinas*. Quare? Quia sustinui, inquit, vt faceretis æquitatem, fecistis non iustitiam, sed clamorem. Sed iterum conuertamur ad Patrem agricolam bonum, cuius cor eructauit verbum bonum. Ipse solus purgat sarmentum de vite sua, non falce acuta, sed gratia moderata. Angelus & Archangelus non audẽt istam vineam purgare, ministri enim sunt non agricolæ. Solus enim Pater nouit filium quia nemo nouit Patrem nisi filius. Hoc tantum oremus vt non abscisi deficiamus, sed purgatis sarmentis fructum plurimum afferamus.

ITEM DE VITE VERA & palmite. XLVII.

ISte locus Euangelicus fratres vbi se dicit Dominus vitem, & Discipulos suos palmites, secundum hoc dicit quod est caput Ecclesiæ, nósque membra eius mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus: vnius quippe naturæ sunt vitis & palmites. Propter quod cum esset Dominus, cuius naturæ nos sumus, factus est homo, vt in illo esset vitis humana natura, cuius & nos homines palmites esse possemus. Quid ergo est: Ego sum vitis vera, hoc ad eam vitem retulit, vnde ista similitudo translata est. Sic enim dicitur per similitudinem, non per proprietatem quemadmodum dicitur ouis, agnus, leo, aquila, petra, lapis angularis & cætera huiusmodi quæ magis ipsa sunt vera, ex quibus dicuntur istæ similitudines non proprietates. Sed cum dicit. Ego sum vitis vera, ab illa se vtique discernit cui dicitur: Quomodo conuersa es in amaritudine vitis aliena? Nam quo pacto est vitis vera, quæ expectata est vuam vt faceret, fecit autem spinas? *Ego sũ, inquit vitis vera, & Pater meus agricola est. Omnem palmitem non ferentem fructum tollet eũ, & omnem qui fert fructũ, purgabit eum, vt fructum plus afferat*. Nunquid vnum sunt agricola & vitis. Secundum hoc ergo, vitis Christus est: agricola autem secundum quod ait. Pater maior est. Secundum autem quod ait. Ego & Pater vnum sumus, & ipse agricola est. Non est talis quales sunt, qui extrinsecus operando exhibent ministerium. Sed talis est, vt det etiam intrinsecus incrementum. Nam neque qui plantat est aliquid neque qui rigat, sed Deus qui incrementum dat, & vtique Deus Christus est, quia Deus erat verbum, vnde ipse & Pater vnum sunt. Et si verbum caro factum est, quod non erat, manet autem quod erat. Denique cum de Patre tanquam de agricola dixisset, quod infructuosos palmites tollat, fructuosos autem purget: vt plus afferant fructum: continuo etiam se ipsum mundatorem palmitum ostendit. Iam vos, inquit, mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Ecce & ipse mundator palmitum, quod est agricolæ non vitis officium. Qui etiam palmites suos operarios fecit. Nam etsi non dant incrementum, impendunt tamen aliquod adiumentum. Audi etiam ipsos confitentes. Quid autem est Apollo? Quid autem Paulus! Ministri per quos credidistis, & vnicuique sicut Dominus dedit. Ego plantaui: Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Non per illos sed per se ipsum facit. Excedit hoc humanam humilitatem: excedit angelicam sublimitatem, nec omnino pertinet, nisi ad agricolam Trinitatem. Iam vos mundi estis, mundi scilicet atque mundandi, neque enim nisi mundi essent, fructum ferre potuissent. Et tamen omnem qui fert fructum, purgat

Ex August. tract. 80. in Ioannem.

gat agricola, vt fructum plus afferat. Quis enim est in hac vita sic mundus, vt non sit magis, magisque mundandus. *Nam si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra: fidelis est & iustus, qui dimittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquitate.* Mundet vtique mundos, hoc est fructuosos, vt tanto sint fructuosiores, quanto fuerint mundiores. Iam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis. Nisi quia & in aqua mundat verbo. Detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum etiam ipsum tanquam visibile verbum. Nam de hoc vtique dixerat, quando lauit discipulis pedes. *Qui lotus est, non indiget vt lauet, sed est mundus totus.* Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso verbo aliud sonus est transiens, aliud virtus immanens. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, ait Apostolus. Quia si confessus fueris in ore tuo, quoniam Dominus est Iesus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Vnde & in Actibus Apostolorum legitur: *Fide mundans corda eorum.* Et in epistola sua beatus Petrus. *Sic & vos*, inquit, *baptisma saluos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio.* Hoc est verbum fidei quod prædicamus, quod sine dubio, & mundare possit consecratos & baptismus. Christus quippe nobiscum vitis cum Patre agricola dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea. Lege Apostolum, & vide quid adiungat, vt eam sanctificaret inquit, mundans eam lauacro aquæ in verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxo, & labili tribueretur elemento, nisi adderetur. In verbo. Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, vt per ipsam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem, quamuis nondum valentem corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem. Totum hoc fit per verbum. De quo Dominus ait. *Iam mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis.*

XLVIII. *DE ASCENSIONE DOMINI.*

Est apud Augustinũ sermo 179. de temp.

QVantis ornatibus gaudiorum refulsit hodie aula cœlorum. Angeli enim vota sua sperata diutius receperunt, & hymnum dixerunt in alleuatione portarum. Lux in cœlis, splendor in ianuis: quia sponsus ascendit procedens de thalamo suo, sessurus in throno suo. Vnde sanctus Dauid ponit organum suum in foribus cœlorum cantans canticum nouum, quoniam qui descendit, ipse est, qui ascendit super cœlos omnes. Lætioribus ergo plectris organum tangens resultat, & dicit protoferum æterni consulis, cernens non auro gemmisque decorum, sed nubium glacie candidatum. *Qui ponit nubem*, inquit, *ascensum suum, & ambulat super pennas ventorum.* Iam enim super aspidem & basiliscum ambulauit, & conculcauit leonem & draconem pede mortis, plausu resurrectionis, mirabilis in oculis nostris, clarificatus coruscat. Ascensione virtutis, sedens super nubem leuem, compluens Apostolos pacis hæreditate & testamentaria charitate. *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Ad hanc melodiam sonantium organorum ante aulam regiámque cœlorum inuitati prosequuntur Apostoli, benedictionis viam petituri gradiuntur cum Domino filij sponsi pignus accepturi Spiritus sancti. Leuans autem manus suas benedixit eos, dedit eas arrham sponsalis muneris pretiosam, non ex auro gemmisque distinctam, sed charitatis ansulis contextã catenam, qua alligati sequantur eum ad sponsam agni Hierusalem patriam sempiternam. Domine, inquiunt, quare nos derelinquis ascendens, qui nos elegisti in ripa præcedens. Domine quando sumus verba tua, super mel & fauum eminus accepturi, & stillantia rorantis gratiæ balsamum de tuis labiis ac faucibus libaturi? Aut instrue quo ascendis, aut ne deseras cum ascendis, quasi scuto benignitatis tuæ remansimus in aperto nudati, tanquam pulli matris amplectentis pennato velamine destituti. Quando venies ad nos qui redemisti nos? Mors tua pretium nostrum sit. Ascensus tuus pignus nostrum, ne nimio absorpti mœrore mergamur, quos eleuasti de gemitibus inferorum. Ascendens ergo Dominus alumnorum suorum tristitiam de nube excelsa suspiciens emittit consolatorem mœroris, nuncios abscedentis, & indices reuertentis, *Viri*, inquiunt, *Galilæi, quid statis respicientes in cœlum? Hic Iesus quem videtis, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Sic veniet, vna erit euectio, vna lectica nubifera, vna species mansueta, sed clarifica, & peccatoribus metuenda. Non vos eius terrebit aduentus, quos consolatur eius ascensus. Sic veniet clauorum vulnera illæsa demonstrans, & foraminum cruenta monilia. Vobis filiis sponsi coronã cœlestis exhibebit imperij crucem, vulnera non mutabit, quoniam signum filij hominis in cœlo fulgebit. Accepto ergo Apostoli ascendentis mandato desuper venturo sancti Spiritus pignore pretioso, in templo erant vnanimes collaudantes Dominum, & vna eos inueniret corona ignea amœnantium gratiarum. In templo ergo fratres semper vnanimes demoremur, & in domo Domini ambulantes cum concordia pacis eius speremus aduentum. & in templo eius omnes gloriam dicamus. Et sicut ignis gratia insidat super nos, non igne succensa, sed roscidata corona.

ITEM VNDE SVPRA. XLIX.

Est apud Augustinum serm. 130. tempore.

DElectat aspicere Christum Dominum portatoriis nubibus ascendentem, cum resurgens à mortuis reuerti cœpit ad cœlum, vnde venerat saluare genus humanum. Qui sunt qui expectant ascendentem? qui viderunt resurgentem, fugerunt pendentem, & sequuntur oculis ascendentem. Timor in cruce, amor in nube, visus delectabilis in aëre. O dulcis descendentis affectus. O delectabilis euolantis aspectus. Facit vale & benedicit in pace. Illi se commendant, & ille benedictionis relinquit gratiam. Benedicit eos extensis manibus, & præparatis in occursum imponitur nubibus, finit eloquiũ, & iam repetit cælum. Candida enim subitò apparuit nubes, euectio parata de cœlo. Apparuit enim nubes, intrauit in eam qui educit nubes ab extremo terræ, vt oblectaret oculos eorum nubis amœnitas, & irroraret eos ascendentis de cœlo suauitas: ne sola desiderantium inanis remaneret anxietas. Ecce in clypeo actuum Apostolorum pendentium viuunt picta lumina piscatorum. Adest consolator: quia ascendit Saluator. Mittit continuò duos cœlestes prætores, vt alumnos suos securos redderet metuentes, & in gaudium conuerteret lacrymantes. Oportebat enim cœlestes mitti consolatores, ne remanerent trepidi piscatores. Nam & cum Imperator de vrbe transit ad vrbem, & eius nunciatur

aduentus: non mittuntur, nisi domestici prætores, ac Palatini, vt nuncient prouincialibus, quando est Regis aduentus, aut reditus, ita & Domino accedente Protectorum cœlestium turba resplenduit decantantium, vt tanquam prouincialium respirare faceret Angelus à timore corda pastorum. Quando etiam patitur, & resurgit, domestici Angeli destinantur, & in vrbe, ac Prætorio monumenti resurrexisse nunciarunt Dominum cœli. Et cum nunc ascendit de choro procedentium Potestatum, & de multitudine cantantium in aëre castrorum duo Palatini cœlestis Imperij diriguntur, vt flebilia requiescerent lumina piscatorum, hymnum cœlestem recitant Piscatores. *Viri Galilæi, quid aspicitis Iesum euntem in cœlum? Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Profectus est desiderabilis: non veniet vobis terribilis. Nubes in occursu, nubes in reditu. Vulnera portauit: ipsa iterum reportabit. Crucem retulit cum triumpho; signum filij hominis parebit in cœlo. Sic veniet in ipso corpore, in ipsa nube, in ipsa veritate, vobis in amore, impiis in tremore. Beati quibus verè dicitur. Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Nunquid sic veniet oculis peccatorum. Ipsa erit veritas, non ipsa erit securitas. Dies erit tremendi Iudicij descensus Angelorum, resurrectio mortuorum: accedunt Angeli, & quodam digito tubæ sonantis tangunt sepulcra terræ trementis, vt pignora restituant throno igneo iudicantis. Accedent Angeli ad sepulcra Prophetarum, & ipsorum Apostolorum, omniúmque Sanctorum, & dicent: Ecce est, qui sic redit, quomodo iterum ascendit. Non diximus, quia sic veniret, quomodo vidistis eum euntem in cœlum? Qui deduxistis euntem, suscipite redeuntem. Ista allocutio non est linguarum lux, sed parantur nubes carrucæ pluuiales, vt occurrant in rore, & refrigeriosa amœnitate, qui conscientiæ non timent quæstionem. Petamus ergo à Domino Deo nostro, vt sicut hodie Ascensionis celebramus diem: ita reuertentis mereamur matutinam suscipere pietatem, vt dicamus ei mane. Mane adorabo Domine, mane adstabo tibi, & contemplabor te.

DE SANCTO DIE
Pentecostes.

Anniuersalia solemnitas agitur, qua die Dominus noster Iesus Christus, Spiritum sanctum Paracletum misit, quem discipulis ante promisit. Dixerat enim: Non potest ille venire, nisi ego abiero. Quadragesimo itaque die post resurrectionem suam, cuius solemnitatem ante decem dies egimus, ascendit in cœlum, nec immemor pollicitationis suæ hodie misit Spiritum sanctum, quem promisit centum viginti, qui simul fuerant congregati, tandémque Domini promissionem fideliter expectabant. Omnibus linguis locuti sunt: sic quippe tunc Deo placuit Sancti Spiritus significare præsentiam, vt qui eum accepisset, omnibus linguis loqueretur. Priùs itaque breuiter videamus, quando eum promisit, quare dixit: *Non potest venire ipse, nisi ego abiero.* Neque enim separabilis est à filio Dei Spiritus sanctus, aut impotens erat eo præsente venire, à quo non potest discedere. Sed quoniã adhuc discipulis infirmis formam serui Dominus demonstrabat, in qua verbum caro factum est, & habitauit in nobis, causam vero serui, id est, carnem Domini, etiam carnales poterant intueri. Forma autem Dei, in qua non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, non potest, nisi ab spiritalibus cogitari. Propterea dixit. *Non potest ille venire, nisi ego abiero*, tanquam diceret. Quamdiu circa meam carnem occupatus est vester carnalis affectus, tamdiu meam diuinitatem non suscipit vester spiritalis obtutus. Dono enim Spiritus sancti promiserat eos introducendos in omnem veritatem, sicut scriptum est. Fide mundans corda eorum. Beati autem mundo corde: quia ipsi Deum videbunt. Abscessit itaque corporalis forma Domini, à corporalibus oculis eorum, vt per Spiritum sanctum diuinitas Domini insinuaretur cordibus eorum. Nunc deinde videamus, quare tunc hoc erat signum præsentiæ Spiritus sancti, vt qui eum accepissent, linguis omnibus loquerentur. Neque enim etiam nunc non donatur Spiritus sanctus, & tamen qui eum accipiunt, non loquuntur linguis omnibus. Quo euidenti miraculo se illo tempore demonstrabat. Intelligendum est, fratres charissimi, hunc esse Spiritum sanctum, quo charitas diffunditur in cordibus nostris. Et quoniam charitas Ecclesiam Dei congregatura fuerat toto orbe terrarum, quod tunc etiam vnus homo poterat, Spiritum sanctum accipiens linguis omnibus loqui, nunc sancto Spiritu congregata, ipsa vnitas Ecclesiæ linguis omnibus loquitur. Proinde si quisquam dixerit alicui nostrum: Accepisti Spiritum sanctum, quare non linguis omnibus loqueris? Respondere debet: loquor sanè omnibus linguis, quia in eo sum Christi corpore, hoc est, in Ecclesia, quæ loquitur omnibus linguis. Quid enim aliud tunc Deus significauit per sancti Spiritus præsentiam, nisi Ecclesiam suam omnibus linguis locuturam. Impletum est itaque quod promiserat Dominus. *Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres, sed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & vtraque seruabuntur.* Meritò ergo cum audirentur linguis omnibus loqui, nonnulli dicebant. *Hi musto pleni sunt.* Iam enim facti fuerant vtres noui, sanctitatis gratia renouati, vt vino nouo, hoc est Spiritu sancto repleti omnibus linguis loquendo feruerent, Ecclesiam Catholicam, per omnium gentium linguas futuram euidentissimo illo miraculo præsignarent. Ac per hoc rectè creduntur Hæretici Spiritum sanctum non habere, qui diuiduntur à corpore, quod per omnes gentes linguis omnibus meruit personare. Hunc itaque diem sic celebrate, tanquam membra vnitatis corporis Christi. Non enim frustra celebratis; si hoc estis quod celebratis, illi Ecclesiæ cohærentes, quam Dominus implens Spiritu sancto, toto mundo crescente agnoscit suam, & agnoscitur à sua. Tanquam sponsus sponsam non perdidit propriam: nemo ei supponit alienam. Vobis enim omnibus gentibus constitutis, hoc est, Ecclesiæ Christi, membris Christi, corpori Christi, sponsæ Christi Apostolus dicit. *Sufferentes inuicem in dilectione, studentes inuicem seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis.* Videte, quia vbi præcepit, vt sustineamus inuicem, ibi posuit dilectionem: vbi spem nominauit vnitatis, ibi ostendit vinculum pacis. Hæc est domus Dei de viuis lapidibus fabricata, in qua talem patremfamilias delectet habitare: cuius oculos ruina diuisionis non debet offendere.

DE EODEM. LI.

Dies nobis fratres gratus illuxit, quo sancta solemnitas fidelium fulget aspectibus, feruet in cordibus. Celebramus quippe eum diem, quo Dominus

Est apud Augustinum serm. 187. de tempore.

Dominus Iesus Christus resurrectione, & ascensione glorificatus, misit Spiritum sanctum. Sicut enim scriptum est in Euangelio cum diceret. *Si quis sitit, veniat, & bibat flumina, de ventre eius fluent aquæ viuæ*, Euangelista sermonem exponit, & ait. *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant hi, qui in eum fuerant credituri. Nondum enim erat eis Spiritus datus, quia nondum fuerat Iesus glorificatus.* Restabat ergo, vt clarificato Iesu, cum resurrexisset à mortuis, & ascendisset in cœlos; iam daretur Spiritus sanctus, ab eo missus, à quo promissus, sicut & factum est. Quadraginta enim Dominus post resurrectionem diebus cum discipulis suis conuersatus ascendit in cœlum, & die quinquagesimo, quem hodie celebramus, misit Spiritum sanctum, sicut scriptum est. Quia factus est subitò sonus de cœlo, quasi ferretur flatus vehemens, & visæ sunt illis linguæ diuisæ, sicut ignis, qui insedit super vnumquemque eorum, & cœperunt linguis omnibus loqui, quomodo spiritus dabat eis pronunciare. Flatus ille à carnali palea corda mundabat. Ignis ille fœnum veteris concupiscentiæ consumebat. Linguæ illæ quibus loquebatur à sancto Spiritu impleti per omnium gentium linguam futuram Ecclesiam præsignabant. Sicut enim post diluuium superba impietas hominum turrim contra Dominum fabricauit excelsam, quando per linguas diuersas diuidi meruit genus humanum. Vt vnaquæque gens linguam propriam loqueretur ne ab aliis intelligatur: sic humilis pietas fidelium earum linguarum diuersitatem Ecclesiæ contulit vnitati: vt quid discordia dissipauerat, colligeret charitas, & humani generis tanquam vnius corporis membra dispersa ad vnum caput Christum compaginata redigerentur, & in sancti corporis vnitatem dilectionis igne conflarentur. Ab hoc itaque dono Spiritus sancti prorsus alieni sunt, qui oderunt gratiam pacis, qui societatem non retinent vnitatis. Licet etiam ipsi hodie solenniter congregantur, licet istas audiunt lectiones, quibus Spiritus sanctus est promissus & missus. Ad iudicium audiunt, non ad præmium. Quid enim eis prodest percipere auribus, quod cordibus respuunt? & eius diem celebrare, cuius lumen oderunt? Vos autem fratres membra corporis Christi, germina vnitatis, filij pacis, hunc diem agite læti, celebrate securi. Hoc enim in vobis impletur, quod illis diebus quando venit Spiritus sanctus, præsignabatur. Quia sicut tunc qui sanctum Spiritum percipiebat, etiam vnus homo linguis omnibus loquebatur: sic & nunc per omnes gentes omnibus linguis ipsa vnitas loquitur, in qua constituti Spiritum sanctum habetis, quoniam Christi Ecclesia loquente, omnibus linguis nullo schismate dissidetis.

LII. *ITEM DE PENTECOSTE.*

IN hac solemnissima congregatione Spiritus sancti de cœlo descendentis celebramus aduentum: qui iam frequentauimus Mediatoris ad cœlos reuertentis ascensum. Promiserat quibus Patris vnigenitus filius, dum hominem gestaret in terris; adhærentibus sibi beatis Apostolis, dicens: *Nisi abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Paraclitus Græco eloquio consolator dicitur in Latino. Consolatus est pusillanimes Christus habitans cum hominibus in homine Deus susceptæ mansuetudinis magisterio beneuolum fortitudinis suæ, præbens infirmis auxilium. Consolatorem promittit Spiritum sanctum, ne tristes discipuli remanerent, post eius ascensum, qui cum ipsis maneat in æternum. O indiuiduæ operationis vnitas. O Filij & Spiritus sancti cum Patre omnipotente consimilis & consempiterna potestas! Deum Patrem esse consolationis, Paulus Apostolus prædicat Ecclesiam Corinthiorum informans: *Benedictus*, inquit, *Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & pater totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* De filio verò sequenti sermone subiecit, dicens: *Sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Ecce Pater consolatur, ecce similiter Filius consolatur, ecce Spiritus sanctus consolatur, qui Paracletus nominatur. Quomodo à quibusdam sacratæ vnitas scinditur Trinitatis, quæ & indissociabilem possidet in dominatione virtutem, & in consolationis munere communem adoptiuis exhibet charitatem? Principaliter ergo potestate à Patre procedens, nec à Filio recedens, Spiritus sanctus super Apostolos, cæterosque centum viginti vna habitatione collectos, hodierna die descendit, pollicitationem verissimam retinentes, spe secura gaudebant, oratione continua exigebant. Indeclinabili patientia firmissimè sustinebant; superioris dignitatis charismata percepturi in superioribus habitabant, fidelem crediderunt promittentem, & cordibus præparatione mundatis meruerunt excipere venientem. Factus est igitur de cœlo sonitus sicut nunc recitatum audiuimus, tanquam aduenıente spiritu valido, & repleuit totam domum vbi erant sedentes, & visæ sunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque super vnumquemque eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, quomodo Spiritus dabat eloqui eis. Quod in igne Spiritus sanctus adueniens super beatos Apostolos sedit, Deum se esse indicio manifestauit. Deus enim noster ait vas electionis Hebræis scribens: Ignis consumens est. O salutaris Ignis? quem suis ascendere cupiens in electis clamabat filius maiestatis. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur.* O inquam salutaris ignis cremans stipulam vitiorum, coruscans flamma virtutum, excolauit quodammodo in illius mansionis cælesti fornace piscatorum Apostolorum labia beatorum, & quasi peritissimus aurifex sordiculas ex omni parte diligentiùs coquendo detersit, vt nitidum tali de officina producitur aurum Christigeno exercitui erogandum, & stipendia totius sæculi distributione largissima profuturum. Vultus in Apostolis rutilans insigne decus sancti Spiritus præferebat, & lingua internas diuitias publicans diuersarum gentium multitudine congregata suauissimo eloquio prædicationis permulcebat. *Stupebant autem cum admiratione, & mente confusi, quia audiebant vnusquisque eorum lingua sua loqui illos. Et dicebant ad alterutrū. Nonne omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt? Et quomodo audiuimus eos loquētes nostris linguis magnalia Dei?* Magnos palatij cœlestis à sæculis abscōditos Spiritus sāctus reserauit hodierno die recessus. Quanti exinde prolati sunt thesauri! Quanti donati emeritis seruulis lapides pretiosi? Quanti ditati sunt auro nobilissimo, nullo visibili metallo comparando? Non enim fossores adhibuit exilio relegatos, qui pœnali labore suscepto, brachiis deficientibus, & infectis nigredinis fumo corporibus, vt ad obrizum mundissimum peruenirent, secretas terrarum venas malleo pulsante rimarentur, sed super electos Apostolos Spiritu veritatis insedit, pectora, oraque repleuit, tanquam regalium insigens ornamenta gemmarum

marum, cognitionem linguarum distribuit diuersarum: vt dum vnus homo variis loquitur linguis regnatura vnitas pulchritudinis in omnibus figuraretur Ecclesiis. Sed inter cæteros qui tunc Hierosolymis aderant, & Deo gloriam dabant, vniuersalis prouinciæ viros nonnulli cæcati imprudentia mentis ebrios & musto plenos beatos Apostolos inuidendo subsannabant, & irridendo dicebant. Isti ebrij sunt & musto pleni. Respondete mihi duricordes ad credendum, procliues ad detrahendum, quisquam ne hominum calidi musti potatione sopitus, efficitur ignotæ linguæ disertissimus? Quomodo poterit temulentus linguæ, quam non didicit, magisterium vsurpare, qui labiis vino turbatis in propria locutione incipit claudicare? Ignoratis quid loquamiui delirantes. Vanitas irrogatæ huiusmodi calumniæ vestram retundit dolosam, redarguítque falsitatem, nostram confirmat, & astruit simplicissimam veritatem. Omnes Apostoli venerandi noui & integri, nullis pittaciis vetustatis assuti, vino nouo spumantes, pinguedine videlicet Spiritus sancti redundantes, & aliis suauiter flagrant, & in semetipsis incorruptibili sinceritate conseruant. Reuertimini ergo præuaricatores ad cor, apponite animæ vestræ nares, capite ineffabilem odoris tanti dulcedinem, labiorumque internorum haustu mellifluum bibite cruoris inexperti saporem. Hoc vinum viscera curat, corda lætificat, sobriè inebriat, & ad conuiuium æterni Patris familias potatores suos inuitat. Nos autem fratres mei in hac sacratissima festiuitate spiritali iocunditate gratulantes, sempiternæ Trinitatis vnum Deum colentes, vnumque nomen orantes, serenum ignem Spiritus sancti, quo Apostoli repleti sunt, medullis nostris cælitus inspirari poscamus: vt omne nubilum ab intimo domicilio pellens, sensus intelligentiæ fulgoris sui claritate perlustret; quatenus valeamus vigente in nobis potentiæ eius lumine primogenitorum Ecclesiam lampantibus faculis introire, sanctorúmque splendentium choris angelicum Alleluia decantantes, felicitate perpetua inhærere.

LIII. *IN NATALI IOANNIS Baptistæ.*

Congregauit nos hodierni diei præclara natiuitas, quantum secundum Ioannem Christi Domini præcursorem Catholicæ Ecclesiæ veridica testatur autoritas. Huius pater venerabilis Zacharias Pontificatus sui tempore, cum in Sancta ingrederetur Sanctorum, vt virtutum Domino, sicut nunc Lucæ Euangelium docuit nostris auribus recensitum placabile adoleret incensum. Expauit repentè diuinitatis niueo cultu per æthera Angelum volantem, & corusco descensu à dextris altaris inter sacrificia consistentem. O salutaris holocausti propositio, & Deo beneplacita sinceræ immolationis oblatio. Ascendit flagrantissima suauitas precis, delectatus est habitans in excelsis Dominus maiestatis, & disposito ante sæcula imperspicabilis consilio voluntatis. Responsum accepit simplicis interpellatio Sacerdotis. Verùm cùm aduentus sui visitatione deterritum Gabriel Angelus conspexisset antistitem, continuo blando fouit alloquio trepidantem. *Ne timeas*, inquit, *Zacharia, quoniam exaudita est oratio tua: & vxor tua Elizabeth pariet tibi filiũ, & vocabis nomen eius Ioannem, & erit gaudiũ tibi & exultatio & multi in natiuitate eius gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino, vinum & sicerã non bibet, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ*, & reliqua. Obstupuit Zacharias, qui non pro postulando libero templi secreta introiuit; sed pro populo Domino commendando legatus astiterat, & ancipiti tractatu fluctuans vsque ad vultus suffusionem mutatus cogitare primitus cœpit emensum suæ tempus ætatis, deinde & Elizabeth infœcundæ comparis iam in summum senium dierum procliuitate vergentis, geminaque dubitatione permotus, extitit Angelico promisso (quod non decebat) incredulus. *Vnde hoc*, inquit, *sciam? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis*, tanquam diceret. Impossibilis mihi videtur, ô beate nuncie, tuæ pollicitationis assertio, meis enim in lumbis virtus emarcuit seminandi, in mea quoque coniuge numquam spes apparuit pariendi. Transacta est in vtriusque membris ætas congrua partui. Quomodo vel ex marito sene decrepita anus concipere, vel iam desiccata surculi veternosi radice, duro cortice tecta poterit arbusta sterilis germinare. Noli, noli Zacharia, cœlesti obsistere voluntati, verbum Dei velociter currit, quocunque fuerit destinatum. Nullo obstaculo præpeditur, vt deificæ ordinationis perficiat imperata. An non legisti Annam sterilem post multorum annorum seriem Samuelem filium peperisse? Nunquid in ea solius carnalis concupiscentiæ præualuit coitus? aut virilis tantum insertio pullulauit? & non potius fides virtutem in conceptione seminis impetrauit? Rachel Iacob patris tui copultea coniugio, nullo prolis concesso fructu gemebat. Placuit creatori, & effecta Patriarcharum mater Ioseph illum castissimum atque industrium virum generare promeruit. Qui recusans stuprum impudicitiæ, & distrahentium fratrum oblitus iniuriæ, patri simul, omniumque insidiantium familiæ cognatorum famis tempore frumenta largiter ministrauit. Abraham similiter, sicut & tu albescentis capitis dignitate, æuique maturitate senescens, cum iam centenarij numeri prolixos ageret annos incentiuæ cupidinis frigescente feruore, nullum sibi sperans futurũ stirpis legitimæ successorẽ, nonne de vetula nonagenaria sacra ex sese conceptum Isaac suscepit hæredem? Adeptus est pius pater gignendi possibilitatem, quia fidelem credidit pollicentem. Proptetea igitur, quia tu, ô Zacharia, quod ex verbis mei oris audisti, incredibile esse dixisti, donec fœcundetur quondam sterilis costa tua, silentij carcere detrusa compedita tenebantur labia tua. Et cum Elizabeth ex desperatione tibi promissum genuerit filium, tunc oris tui reformabitur absolutæ linguæ sermocinantis officium. O mysterio grauida! O miraculo referta beneficiosa vindicta! Pater vocis voce priuatur, & tandiu vltionis sententia durauit in patre, quamdiu vox verbi nasceretur ex matre. Vos quippe Ioannes, verbum Christus. Eundem audi Ioannem vocem se esse fatentem. *Ego sum*, inquit, *vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri.* Audisti Ioannem vocem in eremo proclamãtem. Verbum intellige Christum indiuidua cum Patre æternitate regnantem. Vt autem hoc, & credere possis, & capere, alium ausculta Ioannem. Illum dico Ioannem Zebedæi piscatoris filium, pridem reficientibus retibus occupatum, fluctibus matinis intentum, eruendis pelago piscibus genuino artificio deditum, nunc vero Christi discipulum, à Christo cum cæteris electum, præ cæteris dilectum, à Christo Apostolicum, & Euangelicum egregia similitudine aquilæ comparatum, stricto lapsu aëra secantem

ſecantem vehementi ſtridore volando cuncta ſublimia penetrantem cœlum, ac ſydera prætereuntem, poteſtates inuiſibilium ſedium poſtponentem, Dominationes angelicas tranſcendentem, & verbum Deum ex Deo, & in Deo manentem intrepido mentis obtutu impræſtricta acie contemplantem. Ipſe etenim ſolus taliter de Chriſto in exordio ſuæ prædicationis intonuit. *In principio erat verbũ, & verbũ erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Ecce qualis, & quanti Iudicis die hodierno clariſſimus natus eſt præco, ante conſpectum patri pronunciatus, per quem fuerat matris in aluo ferendus. Quæ eſt iſta gratia ineffabilis? Quæ ſunt iſtæ incõprehenſibiles diuitiæ largitatis? Clauſus ſecretis genitalibus retinetur, & ibi Sancti Spiritus munere decoratur. Necdum viuendi principia inter homines auſpicatur, & Propheta altiſſimi deſignatur. Ita quippe Gabriel illuſtris palatij cœleſtis Cancellarius aſtipulatur. *Multos*, inquit, *filiorum Iſraël conuertet ad Dominum Deum ipſorum, & ipſe præcedet illum in Spiritu, & virtute Heliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum, & parare Domino plebem perfectam.* Nam quia venturus erat vuluæ virginalis puriſſimis viſceribus, non libidine ſeminatus, ſed fide conceptus ad redemptionem mundi Saluator, præceſſit de ſterili genitus, quo nullus maior eſt in natis mulierum electus. Iſte metator magnus ante magnificum, mirandus ante præcelſum, amicus verbi, paranymphus ſponſi qui virginem virginum Dei ſcilicet agnum aſpiciens, velut ſponſum regali diademate coronatum, de virginali thalamo proceſſurum: nuptias Chriſti, & Eccleſiæ diu à patribus ardentiſſimè deſideratas aduenisse cognouit, atque ex vinculo pudici ventris aula conſecrati vteri vectari proprium ſpeculans creatorem: non corporeis greſſibus ſalutans, ſed totis animæ motibus conſcia genitrice ſerus puerperio tripudians ſingulari iucunditate geſtiuit, & exultando in vtero, ex vtero ſalutauit. Sic namque Elizabeth ingredienti ad ſe Mariæ ſanctæ reſpondit. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim, vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Itaque quia Rex & medicus terræ, Deus, & homo Chriſtus, pretioſiſſimum exibens ſui corporis antidotum propter hominem reficiendum longa peccatorum valetudine ſauciatum in hominem veniebat, tam excellentiſſimi atque peritiſſimi archiatri nobiliſſimus præuius planam viam, ſemitáque rectiſſimam, non in terræ conuallibus: ſed in ſenſibus hominum componebat: manſionémque regiam ſpretis domibus eburneis, deſpectis laquearibus aureis, marmoratiſque prætoriis abdicatis, in animis credentibus cœlorum Domino præparabat. Gratulare igitur, gratulare, beate Zacharia Sacerdos, & pater, quod exiguo terni menſis tempore flagello correptionis impoſito effari minimè valuiſti, amplificato fœnore recepiſti. Dubitaſti paululum cum de naſcituro pignore prædicantem audires Archangelum, de ſacris egrediens mutus ad populum, emendantis ſilentij tolerabile prætuliſti ſupplicium. Terminantis diei meta voluente magnum coram Domino ſuſcepiſti filium, ſenili ex vtero fuſum. Suſcitatus quo nomine puer appellaretur natus, ſicut tibi euangelizauerat Angelus, ſumptis pugillaribus Ioannis ſcripſiſti vocabulum. Continuò reſolutum eſt tuæ taciturnitatis vinculum, & benedictione dominica cumulatum canoræ vocis tibi reſtitutum eſt famulatum. Gaudeamus fratres etiam nos ipſi in iſto ſolemniſſimo die mirandam natiuitatem ſerui deuota frequentia celebrantes. Inenarrandam natiuitatem Domini tota cum reuerentia præſtolantes, vt quibus lætitiam procurauit per ſterilem venientis generatio præcurſoris: fructu intemeratæ virginis ſubſequenti perpetua tribuatur ſecuritas redemptoris.

ITEM VNDE SVPRA.

Congregauit nos huius diei præclara ſolemnitas, quo natum ſanctum Ioannem Chriſti Domini præcurſorem Catholicæ Eccleſiæ veridica teſtatur auctoritas. Cuius merita exordia natiuitatis eius oſtendunt, Domino teſtificante, atque dicente, quod in natis mulierum nemo ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Nulla quippe Eccleſia celebrat diem quo carnem aſſumpſit, quinimò illud frequentar, quo carnalia cuncta reliquit. Domini igitur illuſtris, & beata natiuitas celebratur, quam ſtella prodidit, & Herodes expauit, quam idem Sanctus Ioannes ex vtero, & in vtero Spiritu ſancto repletus tripudians agnouit, reuerendiſſimè ſalutauit. Quamobrem mittitur præco qui nunciet Iudicem, dirigitur præcurſor qui prædicet Saluatorem. De ipſo etenim dictum eſt. Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam. De quo etiam Propheta Eſaias vaticinatur dicens: *Vox clamantis in eremo, parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri. Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur, & erunt quæ praua ſunt directa, & quæ aſpera ſunt in vias planas, & videbit omnis caro Saluatorem Dei.* Ecce vox ſonat in eremo, humilitas præcipitur montibus, & à ſuperioribus viis, ac ſemitis tortuoſis rectitudo, & planities imperatur. In hominum corda fidei præco componitur, & humana mortalitas deterretur. O carnalis infirmitas, quid factura es in aduentu ſereniſſimi Iudicis, cum de tuis factis rationem reddere cœperis, quæ non vis nunc prædicationem ſuſcipere tanti præconis clamantis, atque dicentis: *Ecce iam ſecuris ad radicem poſita eſt arboris. Et omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Cuius præconis quanta ſublimitas naſcentis ſit, in hoc apparuit. Dum enim eſſet ſterilis mater, aduocatus pro populo eloquentiſſimus fuerat pater. At verò cum ſterilis fœcundaretur mater, mutus, & abſque voce efficitur pater. Qui tempore Pontificatus ſui, dum pro populo intra Sancta Sanctorum intraret, vt Domino incenſum offerret, ecce ſubitò Gabrielem illum ſecretorum familiariſſimum diuinorum per æthera volantem inter altaria perturbatus conſpicit aſſiſtentem. Quem cùm cerneret placido vultu, tali fouit alloquio trepidantem. *Zacharia, ne timeas: exaudita etenim ſunt orationes tuæ, & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem. Vinum, & ſiceram non bibet, & Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ, & multos filiorum Iſraël conuertet ad Dominum Deum ipſorum,* & reliqua. At ille intra ſe cogitare cœpit, & vſque ad vultus ſuffuſionem mutatus admirans ait. Vnde hoc ſciam? *Ego, ego ſum ſenex, & vxor mea proceſſit in diebus ſuis.* Et Angelus. Crede Zacharia Angelo, crede cœleſti miniſtro: accommoda nuncio fidem, ſi non vis perdere vocem. Ecce vbi incurriſti perfidiæ noxam, ſtatim accepiſti in oſtio linguæ catenam. Hic angelicus, & gaudium portat, & vinculum: fidem obſeruat,

&

& vocem. Si credideris, gaudium meruisti: si non credideris, linguæ vinculum incurristi. Et Zacharias, *vnde hoc sciam? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis.* Et Angelus: Ergone impotens est Deus de sterilibus producere filium, qui ex limi materia fecit hominem primum? Et Zacharias, vnde hoc, inquit, sciam? Et ille: *Ego sum*, inquit, *Gabriel, qui assisto ante Dominum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. Et ecce, eris tacens, nec poteris loqui vsque ad diem quo hæc omnia fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.* O mira potestas. Non credit Zacharias sterilem iussu Domini parituram, & diuino præcepto vinculum eius meruit accipere linguam. Tollitur à Patre, donec generatur à matre, vt tunc accipiat verbum, vbi susceperit filium. Obstupuit in cythara corporis pulsabulum vocis, & cùm vniuersa viuerent in corpore membra, sola iacuit in sepulchro dentium lingua. Erat igitur in manibus Angeli, & munus, & gladius. Denegauit Zacharias muneri animum, & exercuit Angelus in lingua supplicium. Non credidit, & siluit, Angelus loquebatur, & Zacharias in sermonis palato ligabatur. Ille in promisso filio titubabat; expectabat Angelus fidem. Vbi Zacharias non credidit, illico in ore compedes taciturnitatis accepit. Volutabatur sermo in crate pectoris, nec audiri poterat foris, quia eius ora imperij clausa fuerant clauis. Ecce Angelus claustrum in labiis Zachariæ posuit, & hospitium verbi conclusit. Ascendit vnde venerat, signans quod præcepto diuino legauerat. Tunc soluitur quando Ioannes nascitur. Tunc accepit eius lingua solutionem, quando Elizabeth edidit vocem. Ipse enim Ioannes vox clamantis in eremo, qui necdum de vulua matris exierat, & iam exemplum perfidis demonstrabat. Adest igitur Propheta in luce, ex visceribus maternis lucerna educitur, de nomine ambigitur. Pater, quidnam vocaretur, inquiritur, & quia loqui non poterat, pugillares, vt accipiat, postulat. Scripsit nomen Ioannis, & nodus illico disruptus est vocis. Et vt voci nomen imponeretur, vocis ianua quæ clausa fuerat reseratur. Auspicatur Zacharias vocem in voce. Generatur filius, & pater soluitur mutus. Vox à matre editur, & in ore patris sermo creatur. Et quem incredulitas fecerat mutum; orientis natiuitas filij loquendi præstitit beneficium. Vox verbum præcessit, lucerna Solem Iustitiæ antecessit. Gignitur vox ex sterili sene, & verbum ex purissima nascitur virgine. Hic in aridis visceribus creator vigorem renouat iuuenilem: in virginalibus verò membris Christus naturæ immutat legem. In Elizabeth libidinis calor accessit: in Maria vero feruor virginitatis non abscessit, quia Spiritus sanctus adueniens diuinum templum aptauit. Nascitur ante Dominum seruus, ante Iudicem metator excurrit. Conditio fœderis coniugalis in Ioanne mutatur: In Christo euacuatur, quia senum sterilium copula edidit mundo Ioannem: virginalis autem integritas sæculo peperit Saluatorem. Sed in genitrice Ioannis infusa dignoscitur esse carnalitas: In matre verò Christi Sancti Spiritus est operata maiestas. Celebremus ergo hunc diem, charissimi fratres, in augmento fidei, spei, & charitatis, non nugacitatis, nequitiæ, & vanitatis. Ne cum præcursorem Domini contristauerimus: iratum ipsum Iudicem cum venerit sentiamus.

DE DECOLLATIONE S. Ioannis Baptistæ. LV.

Editus iam superiùs est hic Sermo, hoc initio, *Euangelicæ Lectionis fratres*, &c. vt tamen numerus qui in M. S. C. consignatus habetur, extaret, titulum hîc exhibere visum est.

DE NATALI B. IOANNIS Baptistæ. LVI.

Bonum nobis hodie conuiuium præcursoris in mensa præparatum est Confessoris. Cyprianus amico hospitium, sed Ioannes nobis cœleste prandium præparauit. Ioannes inquam & Cyprianus. Ille puer Propheta altissimi: iste senex Sacerdos est Christi. Ille sanctificatus in ventre, iste sanctificatus in suo sanguine. Ille præco, iste togatus. Pro ambobus vnus Christus est aduocatus. Ille exiliens in vtero, iste triumphans sub gladio. Ille præcursor: iste confessor. Ille in mensa; & iste sub mensa. Ille in mensa caput perdidit, sed non amisit: iste in mensa caput non perdidit, sed inuenit. Illius enim caput in catino: istius caput in templo. Ambo in mensa, sed & ambo sub mensa, qui vidit, inquit, animas iustorum sub ara Dei. Sub ara Ioannes, de quo mater starilis erubescebat: & super aram positus Christus: de quo mater virgo gaudebat. Sed quoniam non propria sunt munera Dei assumpsimus ab amico in honorem amici. Dimittamus paulisper palmis suis & triumphis contentant gloriosam vtriusque passionem, & credamus admirabilem natiuitatem. Hodiæ præco nascitur, sed quoniam dignitas dissimilis, nec aduentus æqualis. Præco venit in theda senili: Iudex autem in carruca venit virginali. Quæ carruca non soli est nata viro, sed Domino. Dicuntur Imperatores terreni inter carrucas diuersas, quarum sessione vtuntur, habere carrucam, in qua nullus sedeat, quæ vocatur angelica. Ista carruca non tantum angelica: sed & dominica. In qua non sedet homo, sed Deus & homo. Ecce carruca, ecce aduentus, qualis est præco missus? Præcedebat præco ante carrucam venientis Domini communis. Quid dicebat? Domine, præcedo ego gressus tuos: quia tu possedisti renes meos. Gratias tibi Domine: tu vias meas de longè cognouisti, & mihi vias tuas proximas commisisti. Gratias tibi Domine, præposterasti conditionem meam, & promisisti gratiam tuam. Mater tua iuit ad matrem meam, & ego præcedo ante faciem tuam. Gratias tibi Domine, tu suscepisti me de ventre matris meæ: vt agnoscerem te in vtero matris tuæ. Maternus me vterus intra angustæ vuluæ secretarium tenebat inclusum, misisti Christum tuum, illuminasti cor maternum. Misisti intus lucentem lampadem tuam, vt ego agnoscerem matrem tuam. O bona lampada, non quæ diligit sæculum, sed quæ diligit cœlum. Si vultis recta lingua vocare diem lampadarum? Diligite Spiritum sanctum, sed hoc dolemus, quia sunt multi qui diem vocant lampadam, & sunt in medio tenebrarum. Diximus ergo carrucæ qualitatem. Diximus præcedentis legitimam seruitutem, veniamus ad ipsius

ipsius aduentus dominici dignitatem. Ante carrucam Imperatoris qui præcedunt metatores, Palatini, Protectores, Tribuni, Duces & Comites, signa, dracones & vexilla, & flammulæ illæ concordissimæ pannorum diuersitate gaudentes, tubæ sonantes, vrbes trementes, innocentes gaudentes, rei timentes. Ante carrucam regis nostri videamus quæ præcedunt: venerabilia sacramenta, templum, Sancta sanctorum, altare aureum, propitiatorium, vbi est remissio peccatorum. Vrna aurea, in qua est sortis diuinæ iudicium, non electionis humanæ constabat arbitrium. Cherubin protegentia Propitiatorium alis suis, & defigentia oculis suis. Virga florescens, manna ad pietatis exemplum, quia panem cœli dedit illis. Ibi & tabulæ doctrinæ cœlestis datæ discipulis bonis, sed factæ duris. Ibi Sacerdos, ibi ara, ibi flagrat incensum. Ibi Angelus cum homine astat ad vnum altare. Gratias tibi Domine, pacificare cœpisti sanguine crucis tuæ, siue quæ in cœlis sunt, siue quæ in terra. Hodie Angelus cum homine adstat ad altare. Vtinam staret nobiscum Gabriel vt puritate paterna per societatem angelicam fugeret fraterna discordia, & reformaretur antiqua concordia. Videamus ergo Angelum venientem. Sacerdotem cum tremore stantem. Illum nunciantem, istum audientem, & non credentem. Stetit subitò cœlestis, & spiritali volatu veniens spiritus & ignis ardens: quia ipse facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem ardentem. Venit, stetit, conuenit, tollit terrorem, dat securitatem. Ne timeas, inquit Zacharias, incensum tuum de aureo thuribulo fumo dulci prosiliens, super aureum in cœlo flagrauit altare, & omnem lætificauit angelicam legionem. De qua ego curia Gabriel ad te curialis adueni in vno iam incenso cœlo gaudente cum mundo. *Ne timeas Zacharia*, video quia in te sacerdotalis vestis metu inclinata quassata est. *Ne timeas Zacharia*, pacis tibi venit nuncius, non timoris. *Ne timeas, exaudita est oratio tua*, & tu ames præsentiam meam. Dimitte, dimitte antiquum paulisper obsequium, nouum ex me audi responsum. Dimitte obsequium istud antiquæ seruitutis in cultu legis, vbi Sacerdos introibat per singulos annos in sanguine alieno. Ecce veniet Sacerdos, qui semel introibit in sanguine suo. *Qualis Sacerdos Pontifex futurorum, amplius & perfectius tabernaculum ædificans non manu factum*, quod virgo genuit, & homo ignorauit. *Neque per sanguinem hircorum, & vitulorum*, in quibus non est remissio peccatorum: *sed per proprium sanguinem intrat semel in sancta, æterna redemptione reperta.* Sic veniet princeps Sacerdotum: sed ante tu in senecta suscipies filium. Quomodo Domine, inquit, fiet istud? Conditio hoc abnegat senectutis, magnum ego audio nuncium nouitatis. Quomodo? *Ego senex sum, & vxor mea progressa est in diebus suis.* Magnum erat, si me audisses cum gratia, non esset pœna secuta, sed gloria. Quia dixit os meum, & non credidit cor tuum: tabescit os tuum. Intus Angelus cum homine Sacerdote sermonem cœlesti tuba miscebat: non credentem condemnabat, & foris orans populus de tarditate Sacerdotis nimium cogitabat. Egressus est Sacerdos mutus & incredulus, melius noua lingua fidei locuturus. Populus expectabat responsum, non intelligens Sacramentum. Stupet grande miraculum. Ille digitis annuebat, tantummodo volens digitis & motibus iudicare quod non crediderat sensibus. Non sic ille princeps Sacerdotum veniet de cœlis sanctis, non veniet mutus: quia Deus noster veniet, & non silebit. Ecce modo templum est totum sæculum. Omnis iste mundus templum est, in atriis mundi tanquam templi omnis ista turba vbique diffusa horam expectat, quando Sacerdos egreditur de Sancta sanctorum; vt inferat non nouum nuncium, sed metuendum iudicium. Quomodo veniet? fenestræ cœlorum aperientur, in metu erit vniuersa creatura. Angelorum etiam ipsa officia incipient metu concutientis formidinis æstuare, quando incipiet genus humanum tremenier audiri. Præcedent illum obsequia cœlestia tanquam nubiferi carrucæ venientis Iudicis de sede sua ignis, tempestas, flammæ, vermes. Flammæ quæ non extinguuntur, vermes qui non moriuntur, fluuius ignis, thronus flammeus. Angeli cum voce & tuba magna, monumenta dirupta, non lingua confusa. Ipse qualis qui visitauit nos oriens ex alto, & ascendit super cœlos cœlorum ad orientem. Veniet & dabit vocem magnam, vocem virtutis. Præcedet illum Propheta, dicens: *Timeat omnis caro à facie Domini, quia surrexit de habitaculo sancto suo.* Ergo securi in sua iudicij quæstione maneamus, id agendum nobis est, vt seruiamus Domino in pietate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.

DE SANCTO PETRO, VBI dicit Dominus, Pasce oues meas. LVII.

SAlus tota gregis cœlestis est cura pastoris, qui descendit inclinatis cœlis, vt iacentes erigeret oues, quas dispersas fecerat lupi præda raptoris. Colligit eas à morbo, curans vulnera, alligans amoris sui dulci catena, confractis ossibus adhibens alligaturam, imponens medicinale malagma. Dum curat claudos, visitat infimos, illuminat cæcos, curat ægrotos, suscitat mortuos. Amor erat gregis tanti cura pastoris. Adhuc curat gregem per propriam passionem, leuat eas in cruce, vt germina vulnerum carperent, & in pastoris amore dulci ruminatione penderent. Commendat Patri, commendat & Petro: Patri commendat passurus, Petro commendat ad cœlestia rediturus. Quando enim suæ passionis momento Patri pusillas oues gregis electi commendat, & Petrum Patri cum cæteris commendabat. Profuit gemina commendatio, vbi erat vna protectio. Pater Petrum tuetur de cœlo, & Christus Petrum visitat in Prætorio, nisi enim visitaretur, non lacrymaretur. Et vulnera non delerentur, nisi fletibus rigarentur. Instat ascensio, exigitur de Petro amoris nota confessio, sicut in Euangelio audiebatis. Oues, cui pastor pastorum pastori vos commendabat Christus Dominus Angelorum. *Simon*, inquit, *Ioannis amas me?* Et ille, *amo Domine.* Tu suauis & mitis, & non te amo? In te omnis constat vitæ æternæ dulcedo, & non te diligo? Quod interrogor à te, gratias tibi ago. Dum enim amo te, amor à te. Si non præcessisset dilectus tuus, non sequeretur amor meus. Amant te Domine Angeli gloriam decantantes, amant te cœli, quia cœli enarrant gloriam Dei, amat te terra stillicidiis sanguinis tui de latere stillantis infusa, amant te viuificati, amant mortui suscitati. Quid tibi retribuam? Curasti vulnera mea, & tuam non diligo medicinam? *Pasce* ergo *oues meas*; quod profiteris in amore, demonstra de grege. Et tu ouis eras, & es. Præficio te ouili pastorem. Dimitto te ouibus meis vicarium curatorem. *Pasce oues meas.* Ante pascua plantat, & sic oues Petro commendat. Plantaui pascua in ligno viuenti, in cruce non marcescenti. Plantauit vulnerata germina, aperuit

pro fonte hominem, imo verum fontem crucem. Ecce habes campum pratorum, passionem vulnerum, cicatricum, & pro meorum agnorum sollicitudine pusillorum deduc eas ad pascuas, ad passionem meam. Doce carpere germina, credere vulnera mea. Doce carpere flagrantissimas rosas, cicatrices in sole iustitiæ patefactas. Ibi oues meæ diuersa professione florescant; vt hac sollicita pascua à me redempta non violetur Ecclesia. Commendat secundò & tertiò, & reuertitur ad cœlos sedens in proprio throno. Interpellemus eum, nec Petrus tacet, Legatus, Pastor, Vicarius qui fleuit pro negatione sua, deflet pro humana duritia. Dicamus ei: Domine commendasti, nunquid penitus discessisti? Si non defendas pastores, turæ non essent nec oues. Aspice ergo lupos furentes, & agnos miserando gementes. Quare oues tuas discreuit pirata crudelis? quas tu redemisti, velut ouis ductus ad victimam. Os sub tondente velut agnus non aperuisti, lingua siluit patientis. Nullus reatus, & magnum silentium: ita vt miraretur cœlum, terra stuperet, fugerent luminaria. Et nunc taces dum oues tuæ tondentur gladiis, & tempestatibus, quasi quæsisti corporis tui purpurea passione? Non vastentur in littore, quos genuisti de latere? His precibus conueniamus fidelissimum redemptorem emendatione operum, non sola legatione sermonum.

LVIII. *IN NATALI APOSTOLORVM Petri & Pauli.*

PEtri & Pauli Apostolorum natalis illuxit, natalis non qui in mundo implicauit, sed qui de mundo liberauit. Per humanam quippe infirmitatem nascitur homo ad ærumnam: per Christi viuam charitatem nascuntur Martyres ad coronam. Hodie prior passus est Petrus, hodie prior passus est Paulus. Æquauit meritum passionem, charitas occurrit ad diem. Et hic dies ob eorum meritum factus est, nobis propositus ad celebrandi solemnitatem, imitandi sanctitatem: vt amantes Martyrum glorias, vestigia eorum imitari possimus. O beata Apostolorum merita, vt vna duobus concessa sit gratia, in tantum vt amborum videaris appellare nomina. Si enim, Paulum dicis, Petrum non taces. Et si Petrum dixeris, Paulum non siles. Denique vtraque sibi pro cognominibus habentur vocabula. Merito Saluator ex Saulo Paulum voluit nominare, vt cognomine fecisset sociare: quorum societatem & vitam coniunxit, vnius diei passio confirmauit. Diligitur ergo Paulus à Deo, dum legem Dei persequitur. Et qui Deo humilis esse noluit, vt saluaretur, Deum humilis patitur. Nam cum iter ageret perniciosus, Saluator in nube veniens pondere oppressum prostrauit, non vt quem amarat læderet: sed carnali superbia deiectum in spiritu humilem velut renatum leuaret, vt qui ceciderat inimicus, surgeret Christianus. Ad quem vox de nube respondit. *Saule, Saule, quid me persequeris?* hoc est dicere, superbe, superbe nunc, perniciose in te, quid te persequeris in me? Fabricatorem contristas: dum fabricam in te exterminas. Factorem lædis dum figmentum perdis. Artifici non desunt vasa digno vsui necessaria, sed in placito opere non vult magister pati iacturam. Mihi adquiris quos in sæculo lædendo in me perfectos facis. Tibi deperit quod à me recedis. Clamo nunc contristatus antequam in totum pereas. Ridebo nunc si obduratus non audias. Rogat hominem Deus, & spem misericordiæ humilibus ostendit, cùm superbo facile miseretur. Et Saulus ad hæc dicit. *Quis es Domine.* Horrenda Sauli superbia, imitanda Pauli facilis credulitas. Cum vno verbo & ignorantis & credentis vocem emittit. Nemo enim nomen clamantis inquirit, nisi qui à quo clamatur nescit. Et nemo Dominum dicit, nisi qui famulatum promittit. Non est itaque facta distinctio inter ignorantem & consentientem. Quia qui voluerat Saulum esse multo tempore ignotum, ipse sibi subito Paulum fecit cognitum. Et Dominus ad eum. *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*, vtique durum fragili cum solido congredi, qui cum colliserit, illico frangeris. Quod autem repugnas, mihi dolori est, tibi morti. Si enim perieris, tibi malum. Si autem profeceris, & mihi & tibi bonum. Pergit ergo Paulus non adhuc Saulus legi diuinæ profuturus: qui venerat eandem legem persecuturus. Baptizatur in spe resurrectionis, qui resurrectionem prædicantibus necem parabat. Docet legem quam nesciebat: obliuiscitur quam didicerat, quo merito ore proprio verbis spiritalibus laudem actuum suorum commemorat, dicens: *Certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, superest mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa.* Non dixit *dat*, sed *reddet*. Si reddet, debebat. Et nunquid mutuum acceperat vt deberet? Non est factus Deus debitor ex merito nostro, sed ex promisso suo. Audeo etenim dicere, debebat Apostolo coronam. Proinde si quis nobis aliquid promittit, vtimur hoc verbo, quando eum conuenimus cum dicimus, redde quod promisisti. Debitorem exigimus, cum dicimus, redde, sed beneuolentiam eius confitemur, cum dicimus, quod promisisti, non quod accepisti.

ITEM DE PAVLO. LIX.

SAulus Iudæus qui expectabat, vt Paulus fieret Christianus, dum persequitur quod erat futurus, meruit vt esset Apostolus. Hic ergo à senioribus suis mittitur ad eum, cuius erat pœna saluandus, mittitur excæcandus. Cæcatur ergo vt videret viam veram, quæ non fallit oculos, dirigit gressus. Cæcatur carne, luminatur in corde, vt oculi cordis luminarentur & carnis. Missus est ergo, vt quem persequebatur Saulus, crederet Paulus. Mittebatur in se vt quæreret se. Errabat secum viator ignarus, & non se inueniebat: quia viam in se ipso perdiderat. Ideo *audit vocem dicentem sibi. Quid me persequeris?* Id est, Saule quid persequeris Paulum? Meus est enim quem tecum habes, & non vides, quia oculos habes furentis, non videntis, hoc est non credis cui es crediturus, & persequeris, quem eris postmodum prædicaturus. Corrige itaque; corrige pedes tuos ab itineribus Sauli: vt inuenias fidem Pauli. Exue Paule tunicam cæcitatis, & stolam tandem indue Saluatoris. Proiice quod es, vt possis esse quod non es. Non est enim pœna cæcitatis tua, sed cæcitatis est causa. Ostendere enim tibi volui in carne, quod habes in corde, vt quod non videbas videas, ne similis sis illis, qui oculos habent & non vident, aures habent, & non audiunt. Sustinebam te legis æmulum, & peccatorem, cum à fatuis ac mendacibus Synagogæ Senioribus armareris. Ideo vtilitatem tuam ostendere tibi volui fluctuanti, vt amares militis boni certamen. Redeat ergo cum superfluis epistolis Saulus, vt scribat necessarias epistolas Paulus. Redeat ad cæcos cæcitas Sauli, vt proficiat credentibus lumen Pauli. Vade Saule, redi Paule. *Vade ad Ananiam* Papatem *meum*, vbi reddas quem debes Apostolum. Vade

quid cessas reddere, quod necesse est pœnæ tuæ proficere? Vade ad Ananiam, ibi habes fontem, vbi deleas cautionem. Et ideo Saule tuam videas viam vt cælestem Paulus patriam. Vbi es vanitas quæ me persequebaris, vt teneres militem meum? Ecce discit me, qui me nesciebat. Ecce amat, qui nesciens oderat. Hic vas est electionis, qui fuerat armarium iniquitatis. Ecce est Syloe, Saule laua oculos tuos. Ecce fons Paule, repara oculos tuos. Tu Saule laua lutum: tu Paule vide Christum. Ambo lauate, ambo videte, vt & tu Saule videas, quia es in luto, & tu Paule, quia regnas in Christo. Nunc erga vos interrogate Seniores Saulum cæcum originis vestræ, quis eum fecerit Paulum luminis sui? Quis te fecit Paulum? Quis me fecit Paulum vultis audire? Homo qui dicitur Christus. Quando fecit? lutum fecit. Quid est lutum? medicamentum carnis, quia inde vnxit oculos meos, & dixit mihi, Vade ad Syloe natatoria & laua & vide. Et iui & laui & video. Sed quid miramini? Qui me fecit, ipse me refecit, vnde fecit, inde curauit, vnde peccaueram, inde mundauit. Ergo veni Paule ex veteri Saulo, quia non est longe vt inuenire merearis & Petrum. Veni, tangat te Ananias, vt iam non timeat Christianus lupum; sed tristetur Iudæus Apostolum. Tange Ananias Saulum: & da nobis Paulum. Expelle persecutorem, & mitte prædicatorem, in quo non timeant agni, sed gaudeant oues Christi. Tange lupum qui rapiebat Christum, vt pascat modo oues cum Petro. Vt qui solebat crudeliter perdere: discat clementer adquirere. Comperisti ex lucris damna qui fecit non nostra, sed sua. Mittebas integrum, quod erat omni ex parte confractum. De rota figuli redeat reformatus, qui fuit morum consilio vetustus. Reddatur qui patiatur, quod persecutor agebat, quando in malis suis in alieno bono gaudebat, quando Stephanum nominis sui munerauit occulto, quando furore violenti exercuit martyrem Christi. Fugiat fugator, timeat persecutor. Amet quod timebamus: vt Doctorem patientiæ teneamus. Naufraget, cædatur, flagelletur, recludatur, vt per pœnas carnis mereatur gratiam crucis. Venite, videte, audire, qui habitatis terram in loco tristantium, ciuem esse Paulum in ciuitate lætantium. Videte opera Dei, Paulum tumore præcipitem, sporta fugitiuum, deformem deponi per murum prædicatorem Christi quem oderat, nunc lupum Iudæorum, ouem Christianorum, hœdos de Synagogis rapere, Ecclesiæ agnos efficere. Persuadere carnifici pietatem, noxio veniam polliceri, immiti patientiam, gentili gratiam, Iudæo concordiam. Videte cædi pro Christo, & non deficere pro Christo. Cæditur & prædicat, vt lucra necessaria pœna conquirat. Naufragat, & vt portus est, eget & pascit, ægrotat & sanat. Ecce quasi peccator liberat peccatores. Morsu enim vipereo peccator indicabatur, cùm pro peccatoribus morderetur: sed nisi ei serpens momordisset manum, non imponeret manus. Et nunc inter Paulum & Petrum subiectum videte diabolum. Videre & coronam mundi sub pedibus Petri in qua gloriabatur Saulus, quando nesciebat Paulus: quia debebatur illi ad collegium Petrus, non merito debiti, sed gratia Christi, sine qua missus occidebat, tradebat, perdebat, nunc verò redimit, saluat, adquirit, quibus aperiat Petrus, suscipiat Christus, gaudeat Paulus.

***

DE S. LAVRENTIO.

LX.

QVi beati Laurentij martyrium celebramus, trophæum eius iucunda ceruice portemus. Super labaros fulget terreni Regis triumphus Martyris confessoris. Non enim in triumpho eius fulgent margaritæ & gemmæ, sed coruscant cæci videntes, & satiati panibus indigentis. O labarum dominicæ crucis, quem portabat ceruicibus suis, & imponebat oculis clausis, portas aperiens cæcitatis. Labarum enim non gemmis infixis pannum habebat purpureum, sed cum vulneribus Saluatoris in sanguine vuæ pallium purpuratum: id est sanguine pretiosum. Quam laudem dicamus beato Laurentio? infirmi sumus, pauperes sumus: ipse columna est cœlestis altaris. Contineat linguam nostram: vt eius possimus laudare coronam. Columna pretiosa Diaconus in Ecclesia, Martyr in craticula. Et vera columna sustinet parietes: & beatus Laurentius continet indigentes. Diues es, pasce pauperes, dimitte hæredes, & lætifica angelicas potestates. Secutus est testatorem, ipse patiens reliquit hæredem. Testator ille erat pater Xistus, & ipsum testatorem sequitur beatus Hippolytus. Nam cum staret iuxta gloriosum lectum Xisti patris, iuxta eculeum pendentis Pontificis, scribitur testamentum calamo sanguinis. Filius lugebat, & pater promittebat diuitias pretiosas. Fili, inquit, noli tristis esse, sequeris me post triduum: testamentum Martyris resurrectio est Saluatoris. Calamus erat eculeus, sicut & crux calamus erat. Dominus testamentum latroni scribebat, Xistus dicebat, sequeris me post triduum; & Saluator dicebat latroni: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Fidele testamentum, nec testator mentitur, nec hæres fraudatur. Christum latro sequitur ad Paradisum, via carruca, & beatus Laurentius à parte Xisto peruenit ad craticulam. Ignea carruca quam præcedunt officia pretiosa, non chlamydati, non scutati, & sericati; sed cæci illuminati, pauperes ditati, miseri satiati. Expauit Imperator impius, quid sibi volunt isti? Vbi sunt thesauri, quos tu promisisti? Ecce sunt thesauri mei, boni laturarij mei, qui ibi portauerunt diuitias meas, vbi non potes extendere manus tuas. Aurum & argentum non habeo, sed quod habeo, hoc tibi do. Aurum meum istorum venter comedit, sed venter suscepit aurum tuum, idola gentium: aurum meum, satietas pauperum. De auro tuo simulachra non vident: de auro meo cæci vident, & pauperes gaudent. Imponitur & ipse in refrigeriosum lectum craticulæ, & Hippolytum dimittit hæredem. Tradidit ei gemmas carbonum, & oculos apertos cæcorum: vt de contemptu tormentorum, & ipse sibi hæres faceret ornamentum. O margaritæ prunarum, quibus Laurentij viscera decorantur. Ignes anhelabant, & gemmæ micabant, ac Martyris membra fulgebant. Regulæ illæ craticulæ flammantis calami erant linguæ martyris testamentum scribentis, quibus calamus, & impio iudicanti minabatur gehenna, & Hippolyto sequenti scribebatur corona. Stridebant scintillæ ignis crepantibus flammis, & gemebant ministri persecutoris, quia gaudebant Angeli Saluatoris. Ipsi eum persecuti sunt resurgentem, quem præcessuri sunt pauperes à craticula venientem. De craticula deduxerunt ad vrbem Romam. De sepulchro deducunt ad patriam sempiternam. Occurret illi Christus Dominus in aëre: qui eum adiuuit in igne, quia ipse cum tribus pueris in fornace dignatus est

apparere. Dabit carrucam nubis, post craticulam ignis ardentis. Craticula habebat rotas flammeas; nubes habebunt amœnas guttas, & frigidas pluuias? vt sicut in lectulo craticulæ gaudens in Domini pace dormiuit, ita in Domino Hierusalem cantet & dicat: Hæc requies mea, hic habitabo, quoniam prælegi eam. Et Angeli quid cantabant ad istum triumphum. *Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te.*

LXI. *DE EO QVI INCIDIT in latrones.*

LÆrentur itinera mundi, quia transit conditor cœli habens ante se angelicas potestates, vt cessare faciat in fauce latrones, & in via semineces leuet innocentes. Ecce desunt luctus itineris, gemitus semiuiui iacentis. Medicus transit, qui lugebat, silet; qui iacebat, exurgit. Percussus à latronibus, dominicis incipit portari ceruicibus. Ille, ille est quem nobis Euangelium demonstrabat iacentem, & Dominus in cœlis, & Angelis ostendebat in suis humeris respirantem. Homo quidam. Nomen non commemoratur, quia deletus erat de libro viuentium, dimiserat visionem pacis, sic enim Hierusalem vnde descenderat interpretatur. Dimiserat templum pacis, sedem quietis, curiam Angelorum, Ecclesiam primogenitorum, & cœpit descendens in manibus patere latronum. O homo, tu qui iaces, quam bene porrectus eras, quam bene inter margaritarum portas ingrediebaris, & lætabaris, quam bene super ripas illius crystallici fluminis medicinalium tegebaris opacitate lignorum. Illa folia non decidunt tua vestigia, quare exinde deciderunt. Non erat ibi qui te terreret, non leo in syluis rapiens, & rugiens; non ibi vrsa insidians, nec pardus in via Assyriorum, quia delectatio ibi est Angelorum. Non sunt ibi latrones: quia nihil in ea immundum: non ibi fauces, quia nihil in ea occultum sed luce, septies tantum micantem. Totum in illa est mansuetum. Non ibi ægritudo, non pestis, non ibi paupertas, atque necessitas, quare talis displicuit ciuitas? Vbi non calumniator, non impius fœnerator. Non ibi iurgium exactoris, nec clamor perstrepit litigantis: quia pax in virtute tua Domine, & abundantia in turribus tuis. Plateæ eius canticum lætitiæ dicunt, & omnes vici eius Alleluia, quare talis displicuit patria pretiosa? Descendisti, latronum manus incurristi, iaces, erige te, qui voluisti nulla necessitate coactus exire. Nemo te impulit, quis te reuocat, nisi ipse qui te non impulit, sed recipit? Quoties cum gladiis malitiæ latentes armatos videns in fauce latrones retorsisti, vultum tuum ad illarum pulchraca cumunina turrium, ad introitus dulces portarum, & displicuisti tibi, & imputasti tibi? & non subuenisti tibi, nisi descenderet Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Veni, veni Domine Iesu Nazarene. Descende ad iacentem, consolare lugentem, refoue suspirantem, inclina cœlos, & descende. Imperium tuum in humeris tuis, resumatur vulneratus in ceruicibus tuis, confossus gladio respiret in ligno. Tu sanare disposuisti, qui vulnerari permisisti, & mori penitus noluisti, vt semiuiuus lugeret, & per pœnitentiam recognosceret, & non eo die mortuus lachrymis caruisset. Non est, Domine, qui succurat, non est, qui inferat medicinam, non est, qui miserum tollat de via, nisi tu solus via, veritas, & vita. Transit Sacerdos per vices suas, & misero non supponit ceruices suas. Transit Leuites, condoluit, & pertransiit. Tu obediens factus vsque ad mortem crucis suspende in ligno vulnera lamentantis. Hoc fecit, qui descendit, vt videret gemitus compeditorum, stetit, misertus est, leuauit delicatum, & in suis humeris posuit sauciatum. Fecit se iumentum tanquam pecus, factus velut agnus mutus, imposuit illum iumento suo, non alieno, fouit Chrismata de nomine suo, & fudit vinum de sanguine suo. Et cœpit ambulare pius Samaritanus cum pondere alieno, quia ipse portauit infirmitates nostras, & vulnera nostra curauit. Perduxit ad stabulum hospitem reparatum. Vocat stabularium præpositum stabuli sui, & commendat depositum, quem portabat. Et ait, accipe ad te pignus meum. Custodi depositum meum. Modò curatus est, diu iacuit, diu inclusus est à latronibus. Foue illum tuis visceribus, quem ego meis ad te portaui ceruicibus. Sumptus trado, sic sanandum commendo, de meis expensis refice viscera esurientis. Ecce habes (dixit) duos penarios, non dixit auros, non argenteos: quia duobus Testamentis nulla possunt metalla comparari, non auri, neque argenti, non electri: quia scripta sunt digito Dei, & Spiritus Sancti. Ipsi sunt sumptus itineris nostri. Domino medicamenta præbentur: duo denarij committontur. Et dicitur stabulatio. *Si quid supererogaueris, ego reuertens, reddam tibi.* Quid supererogat qui accipit quod erogat? Charitas est ista quæ plus quam præcipitur, erogatur, quia non quætit quæ sua sunt, non habet terminum charitas. Et dicit stabularius erogans aliquid super quod accepit. De virginibus autem præceptum Domini nostri non habeo. Consilium do. Vnde adueniente Spiritu sancto induxit in omnem veritatem, qui iacebat, vt acciperet de præsenti medico sanitatem, vt annuente Spiritu sancto disceret castitatem, & rediens ad Hierusalem, quam dimiserat, non deserat ciuitatem.

DE VNICO FILIO viduæ Naim. LXII.

VBi cælestis vita dignatur intrare, mors ibi inimica non habet potestatem: vita nostra Christus est. Dicamus omnes, *vbi est mors aculeus tuus?* Christus per mortem suam saluauit mortem nostram. Dicamus iterum, *vbi est infernus victoria tua?* Ecce medicus noster portas ingreditur ciuitatis vidua mater cesset à lacrymis. Vnde, & quo venit, qui mortuus sua morte subuenit? A centurione, ad miseram matrem: à seruo, ad filium: à diuite, ad vnicum. Ibi venire rogatur, hic ipse sponte venire dignatur. Ibi erat, qui mitteret: vt qui laborabat, penitus non periret. Hic sola mater, & vnicus filius, cum quo solus migrauerat affectus, dum secum miserabilis mater tractat, & voluit qui iam proximabat tempus sepulturæ: non erat qui curreret ad Dominum medicinæ. Quem mittam clamabat, & quis ibit ad Dominum meum? Non parens, non propinquus, non seruus, vel alius filius. Si dimittam, accusabit me mortuus meus. Nouit funus meum, vbicumque est Dominus meus, quomodo remansit mater sola visceribus, sola doloribus. Vtinam clauderentur portæ ventris mei: vt non crearem quem plangerem. Vtinam tamquam abortiuum fieret intra mei secreta ventris, vt non videret lucem, de qua mihi duplicem doloris faceret cæcitatem. Non maritus, non filius solus mihi remansit Dominus meus. Noui, quia

quia videt plangentem, ſed ſi citò aduenerit cum virtute, vicinam deſtruet mortem. Ecce enim ſepulcri foſſa parata eſt, vita mea vbi eſt? Iſtum putaſne ſepelio! an Dominum meum ſperabo? Inter hæc dum plorans plorat, & lachrymæ eius ſuper genas eius, & non eſt qui conſoletur eam: ecce vitæ Imperator aduenit: ipſe intrabat: illa exibat. Occurrunt ſibi mors, & vita. Præcedunt ſpiritalibus obſequiis Angeli compatientes doloribus matris. Clamat per eos fides. Dicite matri filiæ Sion, ſileat pupilla oculi tui. Ecce Saluator aduenit habens mercedem ſuam, & opus eius ante faciem eius. Quale eſt opus? Qualis eſt Dominus? Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, mortui ſuſcitantur. Ecce opus eius. Qualis eſt aduentus eius? Ecce venit cum ſanctis comitibus ſuis. Duodecim Apoſtolis ſuis Imperator, non in carruca aurea vt viuos terreret, ſed pedum labore vt mortuos ſuſcitaret. Approximat qui longè non erat, venit ad portam, inuenit duplicem miſeriam, vnicum, & viduam. Commouetur propter vnicum, quia & ipſe vnicus, commouetur propter viduam matrem, qui facit ſterilem in domum, matrem filiorum lætantem. Aſpicit miſeram viduam lectum ſui funeris proſequentem, genas laniantem, crines manu ſpargentem, quæ ad ſolum filium attendebat, quæ alterum ad quem reſpiceret, non habebat. Non videt Dominum, ſed ipſe eius conſpicit luctum. Factus eſt ſpectator plangentium, interdictor portantium, conſolator lacrymarum. Non ante alloquitur matrem, non ei primitus conſolationis verba profundit, ſciebat enim eam lacrymis eſſe confuſam. Baiulos funeris monet, vt ſtent: Deponite inquit, ſarcinam veſtram, ſpectate & vos medicinam meam. Non ad vos reuertetur pondus vlterius. Ieiunus manebit infernus, & vacuus reportabitur lectus. Sed nimium portando laboraſtis. Dulcior eſt fructus veſtri laboris: vt quem mortuum portabatis, viuum ad patriam deducatis. Feſtinant illi funeris portitores: vt fierent miraculi ſpectatores. Obediunt imperanti, conſulunt ſuo labori. Poſuerunt, ſteterunt, & omnes ad Dominum oculos ſuos ſuſpenderunt. Factum eſt grande theatrum Angelorum: & hominum dulce ſpectaculum. Siluit ſtrepitus lacrymarum, remanſit cum mortuo luctus in medio populorum. Accedit qui nunquam recedit proximans lecto: Deſcendens de cœlo clamat ad mortuum: *Iuuenis tibi dico, ſurge.* Tibi inquam ſub morte iacenti, non populo ſub vita ſuperba pereunti. Iuuenis, inquam, ſurge. Nulla ſit tarditas, non quantum tibi iacenti, ſed matri plangenti. Ecce, venit hora, & nunc eſt, vt audiant vocem filij hominis, qui in monumentis ſunt, & procedant ad vitam. Accipe auditum, recipe ſpiritum, rumpe nodum ſepulturæ, & lugentem aſpice genitricem. Vocauit, ſuſcitauit, erexit, matri reddidit dicens: Accipe mater filium tuum. Mortuus tuus fidei erit pignus, non gehennæ fructus. Accipit illa velut nouum, quem perdiderat iuuenem, meliorem partum ſentiens in verbo Domini, quam in vulua matris ſuſcepit. Gratias ago tibi Domine, melius recepi à te, quàm genui ex me. Neſcio, quomodo concepi, quomodo genui, non noui, quemadmodum & recepi. Tu ſcis, quemadmodum corpus eius compactum eſt. In vtero ſolo verbo tuo. Non ego Spiritum dedi, non ego oſſa comparaui. Tu dediſti, tu abſtuliſti, tu reddiſti. Hæſit pietas ad pietatem, filius nouus complectitur matrem.

DE PARALYTICO. LXIII.

ECce fons, fratres chariſſimi, proximat ad piſcinam, miſeris iam properat medicina. Ecce fons ad piſcinam, vt ſuſcipiat aquam de fonte piſcina. Non fons ſuſcipiat de piſcina, quia Piſcina vni homini præbebat medelam. Fons autem rigabat totam terram, & toti mundo languenti ſine excepta perſona gratuitam præbuit medicinam. Piſcina conſtruitur: fons autem manu humana non fabricatur. Non accipit fons de piſcina primordium, nec Chriſtus ab homine generatur; ſed ipſe regenerat genus humanum. Fons aquam non accipit per canalem, quia ipſe aquam dirigit ad meatum: quia non eſt natus per virum & mulierem, ſed per Spiritum ſanctum, & virginem matrem. Piſcina habuit marginem, fons non habet finem. Piſcina porticibus claudebatur, fons autem vitæ nec cœlo concluditur, nec terra celatur, qui attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter: vt ægrotus multi temporis accipiat ſanitatem. Veniebat fons, implebat piſcinam. Vnus tantummodo accipiebat medicinam. Vnde fons manaret, nemo nouerat fontem. Non Septentrio, non Meridies, non Oriens, non Occidens, fons occultus vnus homo fiebat ſanus, quia notus in Iudæa Deus. At vbi vidit omnis caro ſalutare Dei didicit mundus, quia non fons de piſcina manabat, ſed piſcina de fonte repleta refulſit, quando fons iuxta piſcinam non rogatus aſtitit, & ſine piſcina curauit. Quales erant illi porticus? Delectat columnas attendere, ſed plus mouetur pietas ad ægrotos reſpicere. Quæ columnæ futuræ erant Eccleſiæ, cum acciperent ſanitatem? Columnæ Porphyreticæ homines bibituri Chriſti cruorem. Columnæ Lacedæmoniæ, inſani liberandi à dæmone, quo præſente vltra non habuit in hominibus poteſtatem. Columnæ Pariæ fulgentes in ordine, leproſi & paralytici tranſituri per fontem: vt dimitterent varietatem, & de fonte acciperent vnitatem. Columnæ Caryſtiæ homines ſub pœna laborandi ſub gratia, vt iuxta nomen columnarum gratis fieret ſanitas ægrotorum. Ibi artus contorti, homines claudi. Artus ab artifice curabatur, & paralyticus ſine artifice torquebatur. Venit archirectus, & erectum eſt templum ſtabilitate membrorum. Conuenit architectus iacentem ſtructuram ſuam iuxta piſcinam, quæ aquam ſuſcipiebat exiguam. Stetit fons de nullo impletus, ſed ipſe omnia replens, quia de plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratia. Ad piſcinam non reſpicit, ſed ab ægroto quæſiuit: *Vis*, inquit, *ſanus fieri*? Reſpondit: Domine deſiderium meum temporis prolixitas atteſtatur. Diu ægrotus vna hora volo eſſe ſanus. Domine, olim cupio, iacendi tædio latus, perlatus, non habeo laturarios, nec homines, nec ipſos Angelos. Non habeo baiulos ad piſcinam, & malè baiulor in lecto ſub pœna. Noui Domine quando piſcina moueatur: ſed doleo quando alter præuenit medicamentum, & ego debilis reuertor ad lectum. Erigo caput, & necdum video caput. Tremeſcit in piſcina ſplendido ſub lumine aquæ ridentis actus, & meus luctuoſus contremiſcit ſenſus: video quomodo alter aſcendit de piſcina refulgens; & ego deſcendo in infernum viuens. Si tu es qui viuis, & viuificas mortuos, non moriar, ſed viuam, & narrabo opera tua. Non ſine cauſa interrogaſti me, niſi quia veniſti, vt adiuues me. Subueniat Dominus: quia non ſubuenit ſeruus. Et Dominus: *Surge*, inquit,

tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Surrexit protinus de piscina, & per fontem gratiæ semitam direxit lætitiæ ad propriam mansionem. Reportat lectum infirmitatis ad domum suam, vt sine lecto languoris cœlestem intraret Ecclesiam. Infirmus sanus portat lectum: quia medicus mundi tulit peccatum. Tulit super humeros propriam sarcinam, agnus autem Dei super ceruicem portabat sarcinam alienam. Et ille lectus, crux erat. Sed lectus paralytici intextus erat vestibus delictorum: crux autem non habuit complexionem vestium, quia non habuit vincula peccatorum. Lætatur curatus, & æmulatur Iudæus, vt de fonte gaudeat Christianus. Quid facis? clamant Iudæi, Sabbato tollis lectum? O apertam blasphemiam? Melius ego lectum meum tollo in Sabbato, quam lectus meus me portat in Sabbato. In Sabbato semper xxxviij. annis iacebam, seruile non habui ministerium. Venit Dominus Sabbati, & accepi dominicum sacramentum. O Iudæi, si sciretis vbi iacetis: tolleretis & vos grabatos vestros in Sabbato, quia Sabbatum non impediuit Domino, nec medicus meus piscinæ expectauit adiutorium. Dimisit luctum, posuit lectum, fecit grabato vale, reddidit illi vicem, ne ingratus lectus forsitan accusaret. Occurrit Ddminus prolato grabato. Occurrit susceptor suo susceptori paralytico sanato. Saluator vidit lætantem, & non patitur negligentem, *Ecce*, inquit, *sanus factus es.* Gaude de sanitate, sollicitus esto ad infirmitatem: vt secunda mors in te non habeat potestatem. Ne putes, quia sine causa te emendaui, & tanto tempore castigaui: fueras reus, non ego, non te curasti, sed ego. *Vide ne pecces, ne quid tibi deterius fiat.* Hoc dixit Dominus, & non dixit Angelus, quando mota piscina descendebat vnus, & suspirabat paralyticus. Angelus enim mouebat aquam in piscina, & saluabatur tantummodo vnus. Venit Christus, non piscinam aspexit, & fluxerunt gentes, nec vnam modo piscinam sustinent peccatoris: quia in toto mundo renascentur infantes, qui fuerunt competentes. Iam susceptoria fontis non porticibus clauduntur, sed prophericis & apostolicis circundantur: vt æstum non patiantur sitientium turbæ ceruorum. Quia ipse fons clamat: *Qui sitit, veniat & bibat.* Non est etiam tempus, vt aquam moueat Angelus: quia fontem gratiæ amœnat Spiritus sanctus, sicut dictum est. Quia Spiritus Dei ferebatur super aquam. Tunc superferebatur super aquam, sed nunc inhabitat requie suaui terræ, in qua motus non videtur, sed creditur. Nec corpora tantùm saluantur, sed liberantur animæ. Omnes qui baptizantur, eriguntur ad regna cœlorum in cursu, vt attendentes semper ad grabatum, peccata studeant cauere morum, & sine lecto infirmitatis viuant iusti in sæcula sæculorum. Amen.

LXIV. *DE EO CVI VBERES AGER attulit fructus.*

AVdistis fratres, quemadmodum nobis hodie beatus Euangelista similitudinem proposuit, dicens: *Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit, & cogitauit apud se, dicens: Quid faciam, quia non habeo vbi colligam fructus meos Et dixit. Hoc faciam. Destruam horrea mea, & maiora ædificabo, & illuc congregabo fructus meos: & dicam animæ meæ. Habes multa reposita in multos annos, gaude, & iucundare. Dixit autem ei Dominus: Stulte, hac nocte expostulatur anima tua à te, quæ præparasti, cuius erunt?* O cæcitas auaritiæ fratres dilectissimi, vna nox superarat, & de multorum annorum repositione satagebat. Gaudebat, quantum sibi nasci videbat. Et nesciebat quia nihil secum tollebat; sed hic omnia dimittebat. Nox ei vitam negabat, & de crastino cogitabat. Quod in aliis spectabat, in se non sperabat. Vtique viderat ille possidentes; viderat morientes. Viderat neminem secum tollere terram, sed omnes potius consumi, ac sorberi à terra. Quanti sunt & modo, qui sic dicunt, tantum habeo, tantum possideo, tantum facio? Quibus respondendum est secundùm Euangelium. *Stulte, hac nocte expostulatur anima tua à te, quæ præparasti, cuius erunt?* Quantumcumque cupiditas radices suas vbique distendat, quantumcunque rapiat, necesse est in vna hora totum dimitrat. Sed dicturus es, habeo filios quibus laborem; habeo quibus curam maximam geram. Quantam curam geris filiorum, vt eos lacrymis opprimas miserorum? Non est hoc filios amare, sed potiùs necare. Nescis quia omnis arbor in fructu dignoscitur, nescisque quod in radice celatur, in ramis declaratur, & quod latet in folio, enitescit in pomo? Nolo talem patrem te sentiant filij tui. Nolo sic prouideas, vt magis inuideas. O quanti pauperes nascuntur, & postmodum diuites efficiuntur. Et quanti quibus magna hæreditas dimittitur, & postmodum ad penuriam rediguntur? Neque enim scriptura sancta mentitur quæ dicit: *Deus pauperem facit, & locupletat, humiliat, & exaltat.* Si ergo Dei est pauperem facere & deitare, cur quasi prouidus filiorum tuorum existis? cur rapis quæ potes! si fortè maneant nescis, tibi perpetuam pœnam nutris, & maximum filiis dolorem dimittis? Dicit enim scriptura: *Qui congregat aliena, dimittit filiis suis dolorem.* Et rursum dicit in Psalmis: *Verumtamen in imagine deambulat homo, tamen vanè conturbatur. Thesaurizat, & nescit cui colligat.* Quid thesaurizas, quid auri, argentique talenta recondis? Quid imaginem Regis sculptam seruas in solidis, & imaginem Dei conditoris in hominibus detestaris? Sint & Deo, quæ Dei sunt. Maiores nostri ideò copiis omnibus abundabant, quia & Deo decimas dabant, & censum Cæsari dependebant; modò autem, quia Dei recessit deuotio, Cæsaris accessit indictio. Hoc enim tollit fiscus, quod non accipit Christus. Hoc barbaris datur, quod pauperibus non erogatur. Multum erras auare, qui putas in hoc sæculo comparare, quotidie labitur, quotidie deficit, mundus ruinam suam minatur, finem testatur, & illic te delectat persistere, illic adhuc ædificare, vnde optant sancti migrare? Ædifica quod stat, non quod cadit. Ædifica quod manet, non quod hic remanet, & compara tibi Paradisum, compara tibi cœlum, vbi maneas in æternum. Sed si vis comparare cœlum, fac quod est præceptum. *Noli*, inquit Salomon, *parere thesauris tuis.* Tribuendæ autem sunt eleemosynæ pro modo, & quantitate substantiæ, sicut scriptum est, *Fili, prout fuerit tibi substantia, sic ex illa fac eleemosynam. Si tibi fuerit copiosa, plus ex illa fac. Sin autem exigua habueris, & ipsa exigua cum pauperibus communia.* Si attendatur legis æqualitas, cessat hominis tenacitas. In opere eleemosynarum nulla est discretio personarum. Pauperis illius viduæ duo quadrantes præcesserunt diuitum magnas agapas. Illa quæ aliorum misericordia sustentabatur, misericordiam operabatur, & quod ei fieri oportebat, ipsa magis hoc faciebat. Et cum omnis substantia duo nummi erant, non vnum dabat, & alterum sibi seruabat, sed totum quod possidebat, in dona Dei mittebat.

Hæc

Hæc est quæ de crastino non cogitabat. Et vos fratres accepistis opus viduæ tanti operis; si non potestis dare totum, de toto date vel modicum. Hoc scitote quoniam, qui seminat parcè, parcè & metet: qui autem seminat in benedictione, de benedictione metet vitam æternam.

LXV. *DE MVLIERE QVÆ ERAT in fluxu sanguinis.*

Dilectissimi fratres, melius aduertimus credendo, quod bene didicimus legendo, quia solus Christus hominibus adhibuit medicinam, cui & potestatem dedit maiestas diuina. Non enim medicaminibus curat & ferro, sed virtutibus sanat & verbo. Denique virtute sanauit curam mulieris, & verbo suscitauit puerum Centurionis. Duodecim annis mulier medicis erogauit substantiam suam cupiens euadere, sed si Christus non venisset, in causa habuit remanere. Abstulerat itaque fœmina curam pudoris, vt hominibus panderet secreti sui dolorem. Promittunt medici sanitatem, mulier dissipat facultatem, & substantiam donauit, & sanitas elongauit. Dimiserunt Archiatri mendicantem, quam non reddiderunt iucundantem. Duobus iam modis mulier fatigabatur. Inopiam sustinebat, & pœnam. Carnales medici non valuerunt medela reficere, quam prædando voluerunt penuria deficere. Æstuans igitur de egestate, & diu cogitans de sanitate consiliatrix non defuit fides, quæ pelleret necessitatem. Ecce omnis substantia mea à medicis est dissipata, & mihi non profuit, quia non sum curata. Inuenit consilium tacita fides. Videt medicum, videt & populum. Cogebat illam dolor medicinam petere, & pudor impediebat, ne causam suam coram masculis indicaret. Mittam, inquit, manum meam, & tangam fimbriam vestimenti eius, & efficiar sana. Ausa est accipere, quod ausa non fuit petere. Stabant itaque discipuli, & turbæ simul, & pares audiuimus docentem Christum. Audientes tamen huius rei gestæ non fuerunt expertes. *Sentio*, inquit, *Iesus à me exisse virtutem.* Et discipuli: *Domine turbæ te comprimunt. Petre*, inquit, *sentio à me exisse virtutem.* Quid dicis, turbæ te comprimunt? Mulier igitur tactu vestimenti fimbriæ sanior effecta, timuit celare beneficium quod accepit, ne damnaretur quia non petiit, silentio accepit, quod tacitè petiit: summo digitorum Christi tangens fimbriam fœmina meruit liberari, quæ à medicis consumpta cum precibus præda nequaquam potuit liberari. Diuinum fides prouidit medicum curæ mulieris, vt nec ipse causam quæreret, nec illa panderet secretum pudoris. Vt ergo Christus fidei fructum cunctis demonstrauit: tunc & mulier causam suam coram masculis indicauit. Cui Iesus ait: *Vade filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora.* Huic medico, & tu committe secreta conscientiæ tuæ, & citò curaris: quod si neglexeris, tempore diuturno ludificaris. Ille enim omnes sanat absque ferramenti cæde: qui & mulierem curauit sine mercede. Omnes enim medici corpora curant, quæ soluuntur: Christus autem animas curat, quæ nunquam corrumpuntur. Denique videtis illum legendo, sed & vos vidistis illum audiendo, quia manifestatum est vobis credendo. Centurio perdidit morientem ministrum, & non est captus mentis dolore: sed inquirit curæ magistrum. *Domine*, inquit, *Iesu, puer meus modò moritur, sed si volueris, cito mihi reddetur.* Audacter petebat: quia Christum totum posse sciebat. Imo quia non fuit audacia, sed erat fiducia. Cui Iesus ait: *Credis quia possim hoc facere?* Et ille: *Credo Domine.* Tunc Iesus sequentibus se dixit. Eamus & suscitemus puerum eius. Tunc Centurio magis clamosa voce omni populo coram ausus est dicere, *Domine non sum dignus, vt sub tectum meum introeas, sed dic tantùm verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, vade & vadit, & alij veni, & venit, & seruo meo, fac hoc, & facit.* Tanquam dixerit Deo. Ego iubeo militibus: tu impera virtutibus. Maior erat fiducia mulieris, sed laudata est fides Centurionis. Et quis illum laudauit? qui puerum & mulierem sanauit. Et qualiter eum laudauerit, Euangelista nobis indicauit. *Amen dico vobis, tantam fidem non inueni in Israël.* Fides denique à muliere non discesserat: Centurionem verò ad Christum festinans præcesserat: sic vt venit Centurio, & interpellauit etiam pro puero; fides postulauit impetrans. Proinde iterum fides centurionem præcessit ad donum. Non quia deseruerat, sed vt multis diuinum ostenderet donum. Tetigit pueri latus suggerens ei cum gaudio vitam. Et tanquam è somno experrectus domum reddidit lætam. Magnus medicus, fratres mei, parum est quia medelam dedit vulneri; insuper & animam reddidit funeri. *Et credidit*, inquit, *centurio, & domus illius tota.* Ecce quo ordine bene creditur, sic melius à perfidia receditur.

ITEM DE EODEM. LXVI.

Temporalis medici statio videtur esse defixa, vbi herbarum redolent medicamina, & in rectis curationis inclusa renitent ferramenta, qui cum forte ab infirmo interpellatus fuerit in platea, non potest impendere subitam medicinam, nisi de statione necessaria secum tulerit ferramenta. Christus autem simul totus ibat, quia medicus non erat arte, sed potestate, nec industria, sed clementia. Ambulabat medicus secum portans stationem suam: id est, susceptam clementer carnem suam. O statio pietatis, puritas carnis de vtero virginis, qua omnis pœna curatur mundi languentis. Tenet huius medicinalis stationum ansulas pater interpellans pro filia sua. Alia pulsat furtiuo tactu ansulam mulier verecunda. Furanti aperitur, petenti differtur. Ille tangens ansulam pater facit sonitum de sua interpellatione, turba expectante, populo subsequente, cœlo stupente, morte tremente. Mulier verò de causa pudica, de fide secura, sic tetigit ansulam stationis, vt ante statuerer profluuium sanguinis, quam vox clarescerer confitentis. Aperitur statio, sentit ægrota, & non intelligit turba. Non sonat ansula, & procedit de ostio medicina. Egreditur de templo maiestatis Spiritus sanctus, ille subtilis non facit strepitum, & sanitatis operatur effectum. Clamat opifex medicus. *Quis me tetigit?* non vt esset pœna tangenti: sed vt laus publica fieret præsumenti. Præcessit fides spiritalis, & tactus operatus est corporalis. Huic autem & illa securè præsumit: & qui curauit, libenter accepit. Ad hoc enim descendit, vt tangeretur, vt palparetur. Qui tangit montes, & fumigant: à muliere tangitur & viuificat. Nam si non esset ab illo corpusculum factum, non libenter acciperet tactum. Et si non esset ab illo facta compago membrorum, nunquam mulieris fides perduceret ad spectaculum, nunquam aperiretur cœlum, vt congregaret tale theatrum. Pulsauit infirma stationem, dominicam carnem, odoriferam vestem, exiit virtus, & stetit protinus fluxus. Et dicit:

Mulier fides tua te saluam fecit. Hic aperitur mulieri difficilis via, angusta semita, populis obsessa, sed ab Angelis patefacta. Procedit fides & clamat, facite spatium, transeat mearum alumna virtutum, & pretij cœlestis fidele mancipium perueniat ad Dominum suum, qui sui sanguinis pretio cupit damnare supplicium. Ipse curabat, & de tactu sui corporis non erubescebat, qui & humani corporis statuit sanguinem, antiquum homicidam, innocentem fecit in cruce latronem. Eum Manichæi & Venustiani præcedunt & erubescunt. Vident & dicunt non esse corpus humanum, opus diuinum. Clamat ipse qui curat & dicit. Nónne qui fecit quod intus est, ipse fecit & quod foris est. O verecunda causa, sed libera medicina. Nónne si alienum esset ab illo opus carnis humanæ, nunquid statueret sanguinem? Nunquid publicaret de se processisse virtutem? & tyrannicam repelleret mortem? In platea curatio, in domo resuscitatio. In platea confunditur interfector, quia stetit sanguis, & iacuit sanguinis accusator. Nunquid non ipse suscitauit puellam lecto iacentem? Ingreditur domum, & captiuat infernum. Reuocat animam de tartaro, & corpus leuat ex lecto. Quid est ergo quod iubet refici suscitatam, nisi quia ipsius erant corporalia membra, quibus esca fuerat necessaria? Gaudet ergo de artifice humani corporis & fides principis, & pudicitia mulieris, & puella refecta, & fœmina collaudata, vt de pusillis & magnis cœlum lætetur & terra.

LXVII. *DE SOLEMNITATE Sanctorum Apostolorum.*

Est superiùs editus hoc initio, *Delectat tantorum tractare*, &c. Hîc tamen titulum denuò repræsentamus, vt autoritate M. S. C. è quo reliquos nouos Sermones repræsentauimus, iste quoque Sancto Fulgentio asseratur.

LXVIII. *DE MARTYRIBVS.*

Et hic quoque sermo superiùs editus est, hoc initio, *Delectat videre campos segetum*, &c. sed quia à nonnullis D. Augustino tribuitur, placuit notare, eum inter Fulgentij Sermones in M. S. C. hoc loco reponi.

LXIX. *IN NATALI SANCTORVM Machabæorum.*

Micat in cœlo Bootes, clarè refulgens connexione stellarum, sed amplius hodie cum matre resplendet Ecclesia de septem syderibus filiorum. Hic enim non vna stella grandis fulgore, & altera tenuis lumine, sed omnes fraterna lucent charitate: quia botrum circundant Saluatoris in cruce. Nulla hîc stella dulcium fratrum transmutat stationem in tenuem, velut faculæ euanescentis soluto fulgore, qui omnes vnitam retinent confessionem, ne germanam deserant charitatem. Fratres ex vtero, fratres in Martyrio, germani lætabantur in cælo. Quale est cernere beatam matrem, quæ sterilis peperit septem, cum stellis spiritalibus septem filiorum coronato capite migraret ad Hierusalem ciuitatem. Quid dicamus, septem nobiscum Angeli pretioso solemnitatis consortio gloriantur. Filius hominis graditur, & digreditur in medio septem candelabrorum aureorum, in medio septem Martyrum beatorum, & mater cantat hymnum cum legionibus Angelorum. Non hic interseptum maceriæ alienæ: non est ibi vllum candelabrum argenteum: non est ibi candelabrum plumbo peccati permixtum. Omnia aurea sunt candelabra de passionis camino liquata, vbique semper ante thronum ardentibus atque lucentibus, cœlestis gaudet Ecclesia, & mater illa beata. O vere venter aureus, quem Angelicus laudat exercitus. Dicit ei beatus Dauid citharæ spiritalis amœna dulcedine inter ardentes ollas matre spectante. *Qui facit*, inquit, *sterilem in domo matrem filiorum lætantem.* Beatus, inquit, venter qui vos portauit, & vbera quæ suxistis. O lactis materni pietas, in quo non est separata fraterna germanitas. Lætatur aquila excelso in nidulo montium, atque petrarum de progenie chara pullorum, nutrit vt aquila, & remanet vt vidua, quando pulli prouolant ad cadauera. Hæc aquila quæ pennis suis pullos suos charo tegebat vmbraculo, & super scapulas suas imponebat bonæ persuasionis eloquio, & cum pullis suis volauit in campo, & cum eis inter prata Paradisi lætabatur in cœlo. Nemo pullorum istorum sub alarum tegmine maternarum, quæ sinit cadauera mortuorum, quia omnes intra se continebant Spiritum sanctum. Omnes spiritales erant columbæ nescientes cadaueribus incubare. Volebat de eis tyrannus, vel vnum facere coruum nescientem redire ad arcam, & omnes pennis deargentatis columbæ grauiter gemuerunt, quia cadauer sicut coruus non quæsierunt, sed ramos purpureos ore coccineo ad Dominum cum columba matre portauerunt. Quæ sunt ista cadauera, quæ pullis istius aquilæ proposito temporali præmio contempserunt? Carnes erant immundæ, aræ pollutæ, vasa inquinata, sed illi vasa erant aurea in camino probata, septies tantum in camino fulgentia. Comedite, inquit, de carnibus sacrificiorum vestrorum. Et illi: Aues sumus mundæ, non immundæ. Habemus cœlestis prata dulcedinis, putridas carnes nolumus tentatoris. Non conuenit columbis esca cadauerum: sed campestrium germina casta pratorum. Irascitur tyrannus, & matris lætatur affectus. Abscidit manum securi; & illi leuant sensus in cruce. Abscinditur lingua, & fraterna resonant organa, quæ tangebat mater magistra. Fratres Spiritu feruebant, & ollæ ardentes refrigerabant, sartagines igniebantur, & fratrum dulcium azyma coquebantur. Detrahebatur cutis à capite, & coronæ parabantur ad caput. Beati perrexerunt decaluati, redeunt coronati. De istis vero pullis castissimi ventris volebat auceps tentationis inuiscare laqueis perpetuæ mortis. Sed ille recurrit ad matrem, dulcem repetit nidum. Dicit matri suæ in Domino, & cætera accipit mater sub dulci velamento alarum, ipsum septimum tenerum, & viribus corporis immaturum. Denudat vbera, ostendit chara filio nutrimenta. Fili, inquit, mi noli defœdare coronam meam, & fraternam noli violare concordiam. Coronam meam texit Christus, non detexat inimicus. Solent infantuli, fili melius coronam sibi facere ex floribus rubenten, & croceis calthulis innocua capita coronare, si forte alterius infantis manu impulsum defluxerit folium, quomodo infantis pia anima contorquetur? Quanto magis ego, quæ non flores habeo campestres: sed flores

flores teneo ſpiritales. Nolo, nolo fili mi coronam meam vna detracta gemma fœdare. Duo erunt mala, & te abſorbebit gehenna, & ego non ero plenius coronata. Iunxit mater eloquiis ſuis ad gemmas lapidem pretioſum, & fecit ſeptenarium redimiculum, quod cum illa portauit ad cœlum omnis exercitus Angelorum. Quis ſufficit iſtam laudare matrem? Ipſe vterus teſtis eſt, neque enim fuit talis venter, qualis iſtius Machabææ matris. O mater filiorum Zebedæi, Iacobum & Ioannem obtulit Chriſto diſcipulos, ſeptem verò Martyrum Eccleſiæ, de vno vtero proceſſerunt. Bona mater promiſit pullos, volauit vt aquila. De matre, & filiis lætetur congregatio noſtra.

LXX. *DE IOB ET BEATA Perpetua.*

NOn debet in certamine formidare, qui vult de triumpho gaudere, nec debet temporalem timere pugnam, qui perpetuam vult ſortiri victoriam. Non contemnat exilium, qui deſiderat cœlum. Carceres æſtimet pro prætoriis, qui Paradiſum deſiderat iucunditatis. Beata Perpetua in carcerem miſſa, tenebris anguſtata, à lumine dilatata, quia præſumpſit, carcerem mutauit, tenebras effugauit, & vt innocens, non in carcere, ſed in aula regia triumphauit. Nam & omnes ſancti Martyres catenis ligabantur, & manus ſuas ipſi charitatis vinculis inſerebant ad cœlum. Inter tenebras erant, & lucis gaudia coruſcabant, Squalores, fœtoréſque ſimul fortis ſuſtinebat patientia beatorum: quia beati, qui perſecutionem patiuntur, ipſorum eſt enim regnum cœlorum. Competenter & rectè faciemus, ſi ad beatum Iob per exempla Martyrum veniamus: quia ipſum, tanquam Martyrem laudauit, & honorauit omnipotens Deus. In ſqualoribus erat, ſtercus fœtebat, & cordi eius cœlum flagrabat. Inde apertis ianuis, portíſque ſupernis capiebat odorem ſuauitatis, patientiam, ſuſtinentiam, charitatem. Qui probabat, ipſe iuuabat: qui tradiderat, ipſe oblectabat: oſtendens ei quodam digito charitatis theſauros regni cœleſtis Iuſtus videbat, quod amabat, & detrimenta varia contemnebat, quia ſemper pro nihilo deputabat. Quid agis inimice? Tollis aurum, numquid Dominum? Tollis argentum, nunquid amputas meis oculis cœlum? Ego noui aulam Domini mei, receſſus creatoris mei, quanta ibi eſt latitudo diuitiarum, quanti theſauri gaudiorum, quibus delectantur quotidiano cenſu præſentes ordines Angelorum? Tuliſti mihi millia taurorum, greges hircorum, carnes agnorum, habeo maius, & purius ſacrificium, vnde meum complacem Dominum, qui non manducabit carnes taurorum, neque bibet ſanguinem hircorum, ſed ſacrifico ei ſacrificium laudis, quia ipſe mihi altare conſtituit charitatis, & ipſe mihi Sacerdos eſt pietatis. Altare eius conſpicio. Aceruum ſtercoris non horreſco. Neſcis inimice, quia Dominus meus ſuſcitat de terra pauperem, & de ſtercore erigit inopem? vt collocet eum cum principibus? Tu ſic me collocaſti cum vermibus, ipſe ſuper tribunal honoris. Non timebo ſaniem vulneris defluentis. Tu tangis carnem meam, ille cuſtodit animam meam. Aula mihi eſt Regis regalis aceruus ſtercoris ſuper plateas pulcherrimæ ciuitatis, ſtercus adhibes, & non marceſco. Ille fontes ſuggerit, & floreſco. Tu mihi remanebis cum zelo tuo? Hæc dicebat iuſtus labiis patientiæ virtute pugnæ, amore coronæ. Cineres faciebant vulnera putrefacta, & flore germinabat patientia coronanda. Aderat enim patientiæ coronator: quia legitimè certauerat præliator. Qualis erat campus? ſtercoris dumtaxat aceruus. Ibi acies tentatoris refugæ Angeli falſi amici. Vxor ſubdola, & deceptio blanda, vermes, & vulnera, ſanies, & putredo, ſtercus, & amaritudo. Non dirimebantur nocturna requie, ſopita certamine, cum dies oriebantur, & pugna liquebat. Victoria abſcondebatur, & vita, quia vita, inquit, veſtra abſcondita eſt cum Chriſto: cùm Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum eo in gloria. Ecce reuelatur quod abſcondebatur. Ecce de aceruo ſtercoris refloruit detecta corona: quia matura fuerat patientia. Qui coronam parabat, aderat, probabat, atque laudabat. Non dedignabatur ſuper aceruum ſtercoris adhærere Vincenti monſtrare coronam, qui in Paradiſo deliciarum ſedit primis cultoribus proferre ſententiam, & non præiudicabat locus, vbi erat purus affectus. Ideò coronator affuit Deus, reparat, laudat, atque multiplicat. De nube loquitur turbinis, vt irrigaret victorem pluuiis dignitatis. Exterſit, mundauit, pariter & ornauit. Qui victorem fecit florentem, ipſe conſtituit Sacerdotem, ita vt inimicos amicos admoneret, vt pro ſe iuſtus victor victimam iugularet. Vt mutato vulnere, renouato ore ſtaret ſplendidus ad altare, qui ſedebat putridus in ſtercore. Iam enim Sacerdos in ſua extiterat pugna, & ſacrificium obtulerat de victoria, & ſibi meruerat coronam, & amicis poſtulauerat indulgentiam. Ecce quantum eſt bonum ſuſtinere illatam tentationem, vt per Chriſtum mereamur probationem. Cui dicimus: Et ne nos paſſus fueris induci in tentationem. Ipſe nos de præſentibus dignabitur flagellis eruere, & renouata libertatis gratia iucundare, cui debemus ſemper gratias præconare. Ad ipſum conuertamur Dominum omnipotentem, & perpetuum Saluatorem.

ITEM DE IOB. LXXI.

QVi fuerit Dei amicus, diaboli eſt inimicus. Præuaricator iuſtitiæ odit ſtudium diuinæ culturæ. Diſtringere conatur, quem inuenerit iuſtum: vt ſibi faciat mancipatum. Multiplicem lineam extendit, ac præparat, vt Dei militem tollat, paritérque diſtringat. Cupit ſibi facere vinctum, quem inuenerit Dei lætitia fœcundatum. Non vult enim cernere diuinæ imaginis formam. Illuſtris denique Patriarcha Iob orientalium ciuis, iuſtitia nobilis, nobilitate felix, opimitate vberrimus, cenſu nimium pinguis, culmine humilitatis excelſus. Hunc enim nunquam ſuperbiæ tumor eleuauerat in lapſum: quia ſola humilitate pollebat. Cuius in perniciem inimicus accenſus thronis regalibus vicinatus diuinæ maieſtati nocendi poteſtatem fallaci ſubtilitate extorſit. Proinde Dominus diſpoſitionis præſcius inimici maieſtatis ſuæ culturam propria voce laudauit dicens. *Animam, inquit, aduertiſti aduerſus puerum meum Iob, quoniam non eſt illi ſimilis quiſque in terris, homo ſine querela, verus Dei cultor?* Ecce qualis fuerat confuſio inimici diſponentis, quando præceſſit ſuffragium maieſtatis? vt arbitror iam reus ſtabat, qui reum facere vehementer optabat. Ecce Dominus laudabat innocentem, & diſpungit pietatis latronem. Tributa igitur poteſtate de cœlo, fuſus eſt mundo, & eius cenſum diuerſis ictibus, vel fauoribus, ac rabie truculentus violenter

lenter extorsit. Ipse fuerat sceleris auctor. Ipse & nuncius, quasi de præda lapsus fraudat, & nunciat. Dicebat. *Ego remansi solus, & veni, vt nunciem tibi.* Nunciabat Patriarchæ auribus gestum, referebat crudelia damna. Diabolus nunciabat, & Patriarcha Dominum clloaudabat. Inter ipsa inimici bacchantis nulla impatientia fidei vexatur, sustinentiæ clypeum inuincibili virtute contra damna deuotus extitit. Permansit in virtute intra Iustitiæ limitem tenaci fundamine solidatus, aliisque radicibus nixus, ac robustus, in cuius pectore sola gloria militabat. Dehinc ademptis omnibus impetus repentina ruina compressit, & omnes vna mors occupauit. Tunc mœroribus mixtus sublata eius capite coma se humi prostrauit, & tali voce prorupit in laudem dicens. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Bacchabatur interiùs, tum periculosa rabies, & viget inter plagas incolumis fides. Nullis ictibus cessit, nulla lingua lauina patientia recessit. Non damna robustum militem deflexerunt: non mœror maximus liberorum. Omnia perdendo nihil amisit, quem diabolus à Domino non separauit. Amisit modicum, & lucratus est multum. Vidit se itaque inimicus circa robustum militem cœlesti militia debellari. Tunc inimicus repetens cœlum Cherubim adiit, accipiensque potestatem remeauit cum idoneo congressurus, sed non victurus, cogitans ne qui damnis rerum non potuit vinci, vel dolore posset vulnerum superari. Tunc crudelissimus draco in Patriarchæ membra totius feritatis euomuit pestiferum virus, & omne corpus misit in vulnus. Nihil fuit membrorum, quod non captiuauerat plaga aspergine vulnerum. Ita plagauerat membra, vt ossa remanerent carnibus desolata, salua scilicet, quæ non vulnerabatur anima pretiosa. Fuit enim patientia muro vallata, & intra carceris thecam conclusa periculis, mactabat pericula, contriuit pacificè bellatorem; & sine ferro peremit latronem. Deinde sanies manabat, ex vlcerum finibus horribiles bestiæ erumpebant, quas ille sine dolore patienter reuocabat. Exercitus vermium confodiunt carnes feralium cuneis legionum. In corpore innocentis regnabant gestamina pugnæ inter inimicum, & iustum, inter hostem, & innocentem, atque interiora comedentem inter vermes, & carnes. O vigor militiæ constantissimæ carnis. Durat licet dolens contra diaboli pestiferas vires, tamen nunquam sustinentiam carnis victor horrescit, vicinitas vulneribus putrem fugit, germanitas fratrum vxoris consolatione despicitur, à famulis Dei declinatur, à Deo solo libenter attenditur. Pro Deo enim qui fuerit humiliatus, ipsum necesse aspicit omnipotens Deus. *Super quem*, inquit, *aspiciam, nisi super humilem, & quietum, & trementem verba mea?* O patientia victoriæ mater! adquisiuit sustinentia palmiferam vitam, dum diaboli virtute extitit debellata. Sed nec vinci poterat, quem ante victoriam Dominus laudauerat. Non qui pugnabat, victus est, sed ille victus est, qui sedebat. Iob vapulando vicit. Diabolus autem cædendo defecit. Vidit se lassum de lassato, & fatigatum de fatigato. Diabolus cessit mœstus, & Patriarcha fortis est inuentus. Recuperata denique corporis sanitate accepit, quod perdiderat. Duplicatum est totum quod amiserat. O damnum, quod generat lucrum. Numquam enim sine munere dimittitur obsequium. Exultat Patriarcha lætissimus, & diabolus cecidit, superatus est mœstus.

DE SANCTO CYPRIANO. LXXII.

Editus est hic sermo superiùs, hoc initio: *Clarum tamen martyris natalem.* Hîc titulum duntaxat, & numerum, quo in M.S.C. extabat repræsentamus. Quod per incogitantiam eius, cui id commissum fuerat, non fuisse semper seruatum, seriùs aduertimus, & doluimus.

DE SANCTO VINCENTIO. LXXIII.

Mirot, fratres, si adhuc aliquid vultis audire. Post tantam quippe quæ nobis lecta est modò Martyrij Passionem, & superfluus est dictor, & fastidiosus auditor. Legebatur etenim modò nobis Iudex ferus, tortor cruentus & Martyr inuictus. In cuius corpore pœnis variis exarato iam tormenta defecerant, & adhuc membra durabant. Tot conuicta miraculis persistebat impietas; tot vexata suppliciis non cedebat infirmitas, agnoscebatur operta diuinitas. Quandò enim corruptibilis puluis contra tam immania tormenta duraret: nisi in eo Christus habitaret? Ego certè fratres post tantum spectaculum, quod mentibus nostris series decursa lectionis exhibuit, non committerem vestris auribus sermonem meum, nisi quia laudem Domini loquitur os meum. In his ergo omnibus ille agnoscendus, ille glorificandus, ille laudandus est, qui & prima vocatione dedit fidem, & in suprema passione virtutem. Vultis nosce, quia vtrumque donatum est? Audite Apostolum Paulum: *Vobis*, inquit, *donatum est à Christo, non solùm, vt credatis in eum, verùm etiam, vt patiamini pro eo.* Acceperat hæc vtraque Vincentius. Acceperat, ideò habebat. Si enim non acciperet, quid haberet? habebat in sermone fiduciam, habebat in passione tolerantiam: Nemo ergo de suo corde præsumat, quando profert sermonem. Nemo de suis viribus fidat, quando suffert tentationem; quia & vt bona prudenter loquamur, ab illo nostra est sapientia. Recolite Dominum Christum, suos in Euangelio discipulos admonentem. Recolite Martyrum Regem cohortes suas armis spiritalibus instruentem, bella monstrantem, adiutoria ministrantem, præmia pollicentem. Qui cum dixisset discipulis suis. *In hoc mundo pressuram habebitis*, mox vt deterritos consolaretur, adiunxit, *sed confidite, quia ego vici mundum.* Quid ergo miramur fratres charissimi, si in illo vicit Vincentius, à quo victus est mundus? *In hoc mundo*, inquit, *pressuram habebitis*, etsi premit, non opprimit: etsi oppugnat, non expugnat. Geminam mundus aciem producit contra milites Christi. Blanditur enim, vt decipiat, terret, vt frangat. Non teneat voluntas propria, & non terreat crudelitas aliena. Ad vtrosque aditus occurrat Christus, & non vincitur Christianus. Si consideretis in ista passione humanam virtutem fuisse, incipit incredibilis esse: si agnoscatur diuina fuisse, agnoscitur mirabilis esse. Tanta grassabatur crudelitas in Martyris corpore, & tanta tranquillitas proferebatur in voce. Tot pœnarum asperitas sæuiebat in membris, & tanta securitas sonabat in verbis. Mirum in modum putaremus Vincentio patiente alium loqui: aut certè alium Vincentio loquente torqueri. Et verè fratres, ita erat, prorsus ita erat, alius loquebatur. Promisit enim & hoc testibus suis Christus. Audistis modo in

in Euangelio loquebatur, & dicebat suis, quos ad huiuscemodi certamina præparabat. *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora, quomodo aut quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Caro ergo patiebatur: spiritus loquebatur. Et loquente spiritu non solùm conuinceba tur impietas: sed etiam confortabatur infirmitas. Clariorem nobis Martyrem tormenta faciebant multiplici vulnerum varietate, confessus non deserebat pugnam, sed acrius iterabat. Putes quod cum duraret flamma, non vreret, & tanquam figuli fornax lutum molle suscipiens duram redderet terram. Poterat Martyr noster dicere Datiano. Iam non curat ignes tuos caro mea: quia exaruit velut testa virtus mea, quia veraciter scriptum est, Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Probatus atque decoctus est illo igne Vincentius. Datianus verò arsit & crepuit. Si enim non ardebat, vnde fumabat? Quid erant verba irascentis, nisi fumus ardentis? Ergo Martyri nostro refrigerium in corde habenti flammas extrinsecus admouebat, sed ipse facibus furoris accensus tanquam clibanus intus ardebat, & habitatorem suum diabolum concremabat. Per furiosas enim quas audistis Datiani voces, per truces oculos, & minaces vultus, per turbulentos totius corporis motus ille habitator eius interior se mouebat per hæc signa visibilia, tanquam per sui vasculi, quod impleuerat crepantes rimulas prodebatur. Non tantùm cruciabat Martyrem flamma, quantum illum vastabat insania. Sed iam fratres illa omnia transierunt, & ira Datiani, & pœna Vincentij. Manet autem pœna Datiano, corona Vincentio. Denique vt prætermissis interim futuræ tribulationis funibus, etiam in hoc mundo Martyrum gloriam demonstremus, quæ hodie regio, quæ prouincia transmarina, quovsque vel Romanum imperium, vel Romanum nomen extenditur, natalem non gaudet celebrare Vincentij? Quis autem hodie vel nomen Datiani audisset, nisi in ista passione legisset? Quod vero tanta cura seruauit Dominus, sicut audistis Martyris corpus, quid aliud demonstrauit, nisi se gubernasse vincentem, quem non reliquit exanimem? Vicit ergo Datianum viuens Vincentius, vicit & mortuus, viuens tormenta calcauit, mortuus maria transnatauit. Sed ipse inter vndas gubernauit cadauer extinctum, qui inter vngulas animum donauit inuictum. Non flexit flamma tortoris cor eius, non mersit aqua maris corpus eius; sed in his omnibus nihil est eius, nisi quod *pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum eius.*

LXXIV. DE GOLIA.

Lectio quæ nunc recitata est ex libro Regnorum, non ambigimus vestræ charitatis inhærere sensibus. De Golia & Dauid sanctissimo viro, atque piissimo, Deoque placente, & vt plus dicam Christi parente, in quo & iustitia, & veritas, & pietas, & Christi charitas eminentius nitescebat, qui cùm aduersus aduersantes prouocaretur ad prælium, oculis erectis ad cœlum, non de sua virtute præsumebat, sed præsumptus de sua innocentia, & de Christi iustitia humilis clamabat. *Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me festina. Confundantur & reuereantur inimici mei, qui quærunt animam meam, vt auferant eam. Auertantur retrorsum, & confundantur qui quærunt mihi mala.* Et adepta victoria. *Quis Deus præter Deum nostrum. Deus qui præcinxit me virtute ad bellum, & supplantauit omnes inimicos meos.* Et iterum: *Omnes gentes circundederunt me, & nomine Domini vultus sum in eos.* Videtis fratres mei, quam maior est semper innocentia puritatis, quàm malitiosa fortitudo virtutis, quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia. Ex ore enim infantium & lactentium perfecisti laudem, super pueros bellatores maiorem fecerunt claritatem. Quantum interest inter Goliam & beatum Dauid? Ille iuuenis, iste paruulus. Ille bellator, iste ouium pastor. Ille tendebat arcum, iste parabat saxiperium. Simplex in affectu, sed cœlestis in sensu, sed de illis pueris qui laudabant Dominum organo pietatis. De quibus ipse dicebat. Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini. Pastor erat, oues pascebat, sed Deus qui pascit Israël, paruulum adiuuabat, & pro armigero suo innocente Comes & Imperator ipse pugnabat. Saxiperium ferebat, vbi lactis coagulata sacramenta portabat. Ibi & lapides quinque ferebat, vt inde lac & lapidem, vt vetus & nouum ostenderet Testamentum. Lac paruulus paruulis baiulabat, & in quinque lapidibus quinque libros legis cum magna cura portabat, & exinde inimicum non pugnando, sed gaudendo expugnabat: vidit inimicus & derisit. Dauid verò sanctissimus vidit, & oculos ad cœlum leuauit. Ille maledicebat: iste autem orabat. Ille præsumebat de fortitudine sua: & iste pro Israël dolebat, pro quo eum Dominus pugnare compellebat. Ille librat centum, iste torquet manum rotantem fundibulum. Ille de se præsumebat, & iste adiutorem Angelum postulabat. Dirigitur lapis à puero, & in aëre ducebatur ab Angelo. Stabat inimicus securus de paruulo bellatore, nesciens desuper Dominum adiutorem. Lapidem protinus inimicus sensit in fronte: quia Domini non habuit characterem. Ibi vitam perdidit cum pudore, vbi Angelum Dauid senserat adiutorem. Cecidit cum magna ruina, qui insultabat cum magna superbia, quia superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam, dat victoriam, præparat & coronam. Currit Dauid ante capiens gaudium, quam inciperet prælium, ante lætus de victoria, quam conficeret pugnam. Stetit super cadauer iacentis, exanime gladium educit, inde percessit, & inimici caput abscidit, & erecta dextera triumphauit, & exiliens in lætitia clamare cœpit: Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos perficit ad bellum. Lapidem reddidit sociatum: & gaudiorum eius caput posuit detruncatum. Dauid enim missus aduersus Goliam, nihil aliud nisi Christum aduersus diabolum pro salute generis humani significabat, & in illo impletum est. Gladium euaginauerunt peccatores, & intenderunt arcum suum, vt decipiant pauperem & inopem, & trucident rectos corde: framea eorum intret in corda ipsorum. Ecce quantum valet apud Deum innocentia mansueta, quam malæ voluntatis virtus excelsa, quia Dominus diligit innocentiam, & derelinquit malitiam, vt possit iustus pro innocentia sua debitam sortiri victoriam, & gratuitam accipere de cœlo coronam.

LXXV. *DE ABSALON.*

SOlet fidem natura præstare, & consanguinitas facere charitatem. Sedet in filiis requies parentibus nasci, vel eorum incrementis iucunditas ampliari. Curarum labor adulta sobole definiri, & successione liberorum paternitas subleuari. Noua in Absalon filio Dauid euersio malignitatis incurrit, quæ non auxilio, sed in vastatione sui generis adoleuit. Cuius immanitatis historiam dicere horret animus, ne patres pœniteat generasse. Non sacrum hunc reuocat nomen, non nutrimenti cura venit in mentem, & pro tanto munere persequi didicit genitorem: fregit cupiditas fidem, & vicit auaritia charitatem. Proh nefas! impia manu filius pulsat, de quo sibi pater solatium promittebat. Quem cum in vitale lumen maternus vterus profudisset, nouellæ ætatis suæ tantæ primis auspiciis gaudebat nescius pater, requiem putans in filio suscepisse. Lubet hunc cautius obseruari, lubet ingenti cura nutriri, imputaturus postea charitatem: amat, diligit, & obseruat putans, quia filium genuerat, amplectebatur futurum parricidam genitor pius. Osculabatur sacrilegum pater religiosus, & futuris cladibus quotidie gaudebat ignarus. Nam cum iste ab annis puerilibus conscenderet sexum, immanitatem prius exhibuit, quàm obsequium. Nam vt huius immanissimi primordia memorem, non transeam germani funeris orbitatem, quam cum violatæ sororis flagitat vltionem per fraternam cædem, fecit iter ad patrem. Cuius calliditatis peius est inuenire remedium, quam sceleris committere sacrilegium: vt ad impium bellum pacis sibi adhiberet auxilium. Fecit namque conuiuium, vocat fratres, vocat incestum, componit vultum: ne color proderet iracundiam, apponit etiam regales epulas ante luctum, & ne diu differatur iuuenis ab incepto, plus obsequitur inimico. Ibat per spatia domus, ficta pace tranquillus, sceleris parturiens tempus, quem cum videret vino iam plurimo maturatum inter calices & phialas propinauit & ferrum. Et quale conuiuium fuit, vbi ira obsequium præbuit, & dolor prandium procurauit? Nescio quos animos gerat, qui sic blanditur, vt feriat; aut sic obsequitur, vt occidat. Post hæc ergo impia pace & sacrilega carnificis vltione perimere nititur insontem, & (quod pudet dicere) genitorem. Felix & beata fuerat vita mortalium, si cupiditas non esset & zelus. O radices scelerum, & materia vitiorum, quibus nec metus sedatur, nec multorum scelerum satiatur: & vnde compesci videtur, inde multo pluris excitatur. Ecce namque Absalon fraterna cæde crapulatus, & cognato sanguine ebriatus, magis ac magis excitatur in peius, tanquam ex ipsa fieret satietate ieiunus. Indicit patri iam non filius bellum, quasi parum fuerat peremisse germanum. Et quibus auxilio esse debuerat, interitum deportabat. Cui iam charior fuit, qui proximos sic odiuit? aut quam fidem habuit, qui in suis tanta commisit? Nouum dementiæ genus sæculis intimauit, qui plus exercuit, quàm ita dictauit. Ecce subitò bellum tuba conclamant, decurrunt sacrilegi, ambulant parricidæ, & conuersa est charitas in furorem. Delatum est nefas ad patrem, sed ira non perdidit pietatem. Exire namque socios iubet pater ad pugnam, & rogat ne fidem seueritas frangat. Et quos nimis hortari solebat, ab immani hoste filio precibus refrænabat. Ite, inquit, principes mei: ite quantocius filij virtutis, sed cauete quæso, ne vincatis. Placate iusti furoris insaniam, ne in morte filij mei me miserum vulneretis. Si ipse noluit habere patrem, pater tamen meruit orbitatem. Parcite ergo, parcite gnato, parcite commilitones insano. Et si malum filium genui, sed magis obsecro, vt pietas vincat iram, ne iustitia peragat nefas. Recuso huius certaminis palmam. Nolo, nolo cum dolore victoriam, si ipsum fecit prauæ mentis insania: vindicta vestra nonne faciet parricidam. Abstinete dolores, vetate supplicia, mea est quam mihi donatis iniuria. Malebat pater piissimus vinci, quàm triumphis orbari. Commendat hostem suum principibus, & ne perdat filium, seruari postulat inimicum. Sed cum vtrosque suscipit exercitus campus, salua religione pater vincit orbatus. Qualis enim diuino euentui pugnæ contigit locus, vt nec pater fuisset impius, nec filius euaderet reus? Intonat sæuis clangoribus bellum, imbrem parturiens lacrymarum. Stant vibratis dextris cognatæ acies, licentiam scelerum flagitantes. Ecce subitò stridula Imperatoris astra conclamant, tubæ franguntur, voces instruunt, acies peragunt, & neces, & nulli sunt hostes. O quam execrabilis pugna, vbi geruntur sine hostibus bella. O certamen iniquum, vbi nec victoria sequitur, nec triumphus. Armantur fratres in fratribus. Victis & victoribus vnus est luctus. Plangebat pietas, & natura, illata sibi tanta vnius furoris iactura. Diuiditur charitas ferro, nusquam pietas. Illos cupiditas cogit, istos iniuria. Inde armorum strepitus tonat: hinc plagæ pennatis iaculis volant. Inde grando terreno cursu festinat: hos plumbo volatus ictus exhorruit. Illos rotatis saxis confregit, sic mille modis prope cunctos mors vna submersit. Et qui germana concordia lætari debuerat; vnius ob noxam mortis sibi vinculum propinabat. Pluebat serenitas vulnera cœlorum densitate fuscata. Stabat nox facinoris in aëre armorum, in tenebris candet excusa. Gaudebat in suis officiis bellum feruenti nube contextum. O quam execrabiles nubes fuerunt, quarum imber ferreus vulnera defluebat. Decurrunt sanguineis cursibus riui, & scatentibus cadauerum venis potantur cruoribus campi, & nec pietati parcitur, nec pudori. Crescit in sceleribus rabies, & vnde infirmari solent, inualescunt cladibus vires. Sæuit in cognatis ferrum, & non habet crudelitas modum. Vbi es iam charitas? vbi fides? si inimici sunt fratres? At post diras pugnæ clades & funesta naufragia, ô quam mirifica deuenit in scelerato vindicta. Nam cum Absalon per prælia dorso mula vectaret; visa cæde rapuit de bello sessorem tanquam ipsum nefas videretur horrere. Ibat tenaci fuga per vicinæ siluæ secreta autorem scelerum perditura. Et dum inter ipsos arborum thyrsos spretum animal, surdum obuians, truncum transfixit iuuenem moriturum. Nullius manu arboris catasta suspensum. Sine bello hostis suscipit vulnus suo perfidio captiuatus, qui sacrilegus maluit interire, quam cum patre regnare. Quoniam superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Omnis enim qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.

DE

LXXVI. DE ISAIA.

DEus per Isaiam loquitur dicens: *Agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit, & populus meus me non intellexit.* Bos possessorem agnoscit, & possessor Dominum contemnit. Asinus Domini præsepe obseruat, & homo diuina iussa deprauat. Accipe igitur contemptor à pecudibus mutis exemplum, qui non metuis diuinum iudicium. Esto circa Dominum talis, quales circa te pecudes esse cognoscis. Esto animalium instructus exemplo: quem natura in obsequia instruxit, & in famulatum Dominus subiugauit. Et tamen pecora cum sint rationis expertia, in hac parte sine ratione esse non possunt. Tu verò homo cum ratione dispositus, sine ratione dum viuis, Dominum genitorem offendis. Erubescat humana perfidia, hominum stultitia confundatur. Pecora ergo hominum obsequia instinctu diuino conseruant, & homines Dei iussa obstinata mente declinant. Animalia sensato homini famulantur, & homines Deum insensatè contemnunt. Pecudes quibus rationem Deus conditor denegauit, non sine ratione homini parêre contendunt. Homines verò qui ratione præstant, in stultitia dum Deum non colunt, perseuerant. Boues Deum humanum suscipiunt: & homines diuinum imperium aspernantur. Cuius iudicio pecora hominibus instanter deseruiunt, eius iudicia homines deserendo contemnunt. Quale malum est ista dementia, quæ nec pecudibus posset æquari, cùm animalibus mutis in obsequio Domini non potest comparari. Pecudes enim dum homini seruiunt, Deo seruire noscuntur: homines vero dum Deum negligunt, se odisse monstrantur. Quare si rationem pecudes accepissent, Deum rationabiliter & colerent, & timerent, quæ nunc sine ratione tales sunt, quales homines cum ratione esse non possunt. Indicaris homo, iudicaris animalis exemplo, pecoris obsequio condemnaris. Nec tibi prodesse poterit excusatio; qui nec diuino imperio, nec pecoris exemplo parere desideras. Magna etenim sunt diuina obsequia, bona vitæ compendia: vbi non supplicia de malis actibus metuuntur, sed diuina præmia de bonis meritis expectantur. Optat enim Deus bonos esse quos muneret, quam malos quos sine mœrore condemnet. Inuitus enim iam punit, quos remunerare mallet, si vellent per bonam vitam euadere. Fuge Christiane delicta, qui Deum promereri desideras: horre peccata qui placere exoptas. Delictorum clades pro veneno timenda est. Pernicies scelerum pro telo & gladio fugienda. Non ametur delictum, quod genus hominum occidit. Fugiatur peccatum quod hominibus semper parauit interitum. Horrendum sit Dei seruo, quod aliis videtur fuisse exitio, & in quo alterum conspicis interiisse, in eo magis ipse debes præcauere. Nemo sibi impunitatem de multitudine peccantium repromittat. Nemo cum turbis delinquens se periculi immunem esse contendat Nec enim Adam idcirco in mortem incidit, quia solus cum vxore peccauit, aut Cain ideo interitum meruit, quia fratricidium solus admisit. Amat Deus paucos innocentes, quam innumeros peccatores. Et in vno iusto lætatur & gaudet, quod in multis peccatoribus contristatur & mœret: & ideo cum cataclysmo orbem Dominus iudicaret, Noë solum cum affectibus liberauit. Et cum Sodomam imbre flammifero aboleret, Loth solum cum liberis seruauit. Nam & Niniuitas scelera abolerent: nisi eorum pœnitentia iram Domini temperaret. Diligit enim hoc ipse Dominus cum minatur, & quos refrænari à delictis exoptat, eis iudicij seueritatem intentat. Obiurgat enim Deus vt saluet, corripit vt emendet: improperat vt reformet. Desperata enim quorundam hominum vox est. Tantæ multitudinis non amabit Deus clemens interitum, nec patietur perire populos, quos redemptione sua noluit esse captiuos. Alioqui ad hoc redemisse putabitur, vt sit qui eius iudicio condemnetur. Aut enim ad hoc redemit vt saluet, aut non redemisset, quos iudicio postmodum destinasset. Horum perniciosa prorsus fugienda persuasio est, vt enim ipsi facinoribus inuoluti sunt, & ita cæteros volunt ipsis suis facinoribus implicari. Et dum peccantes indulgentiam sibi non petendo promittunt, ita miseros suis persuasionibus ipsi inuoluunt. Cæterum Dominus Christus redemptis nobis iam veniam dedit, iam sordidos & infectos abluit & emendauit. Quare redemptum iam peccare non licet, & mundatum non licet sordidari. Ecce, inquit, sanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat. Qui te incolumem fecit, viuendi tibi legem imposuit: qui te à sordibus emundauit, noluit te iterum sordidari. Si Deo Patri consenseris, monita Patris obserua: si Christi te famulum profiteris, in actibus Christi præcepta demonstra, promissionem enim, cuiusque rei facta magis quam nomen ostendunt. Medicum se probare non potest, qui mederi ægro non potuit; Gubernator non est, qui nauem non potest gubernare: Philosophus esse non potest, qui vitia potiùs quam virtutes exercet: sic & Christianus esse non poterit, qui quod profitetur, infamauerit. Quare aut fac quod iubetur, si vis accipere quod promittitur, aut si non feceris quod iubetur, accipies quod peccatoribus destinatur. Nam si peccatoribus delictorum pœnæ non rependuntur, nec iustis merita iustitiæ retribuentur. Porro iustis necesse est merita iustitiæ rependi, necesse & peccatoribus destinata supplicia exhiberi. Nemo se fallat, nemo decipiat, quia cœlestia iussa contemnit, impunitus esse non poterit. *Si vis*, inquit, *ad vitam venire, serua mandata*, subauditur contra. Si mandata diuina contempseris, impunitus esse non poteris. Sæculi iussa nemo sine pœna contemnit: patris iram, nisi quis placauerit, abdicatus erit: seruorum contemptus inultos esse non patimur. Ergo tu cum hominis contemptus patienter non toleras, quomodo putas, dum peccas Deum circa te posse placari? Vnde cessa peccare, si vis de præteritis impetrare. Aut si adhuc peccandum putaueris, necesse est diuino Iudicio subiugeris. Quare dum licet, dum tempus est, dum pœnitere permittitur, dum adhuc qui deliquit, potest delicta propria recusare, sancta vita præterita peccata recurentur. Non differamus in crastinum, quia crastinum, an videamus, incertum est. Multos enim hæc dilatio trucidauit, quos subreptos, non vitæ æternæ reddidit, sed potius morti perpetuæ addixit. Quam molestè deliquimus, tam modestè Dominum deprecemur. Vitium, quod in mundo contractum est, hîc relinquatur in mundo. Indignantis Domini offensam, patientiam Domini, quæ nos pœnitentiæ & correptioni seruauit. Maculata vestis per primi hominis peccatum, nunc per fidem Christi diligenter à nobis recuretur, vt fœliciter ad conuiuium sponsi candidati intromittamur. Hæc à nobis impleantur, hæc perficiantur à cunctis. Nec ad pecudum homo prouocetur exemplum, sed Sanctorum potiùs sequatur

tur actus, & merita, vt non post mortem more pecudum pereamus, sed in æterna sæcula diuinis muneribus condonemur.

LXXVII. *DE LINGVÆ MOLESTIA.*

SApientissimus Salomon ita locutus est, dicens: *Vita, & mors in manibus linguæ.* Lingua clauis est pectoris, testimonium cordis. Magnum tribunal gerit intra prætorium sui oris, aut gratæ salutis, aut amaræ mortis. In qua negando Deum, verbo vno facit sacrilegium, aut vno sermone implet cum virtute martyrium. Quis explicat linguæ diuitias? Per quam, si homo tacuerit, funus est, qui cum diserta sonat, homini generat dignitatem; cum beneuola currit, procurat salutem. Amicos adquirit, inimicos compescit. Pigmentum corporum, & sanitas animarum. Omne opus dirigit, opera implet, maria cum terris præcepto sui oris impleuit. Cessat enim omne factum, vbi non fuerit sermonis imperium. Erogas verbum, & accipis beneficium. Rogas in terris, & audiris in cœlis. Dicente Domino per Prophetam: Quis exclamauit ad me, & non est auditus? Ecce orant viginti quatuor seniores in conspectu Dei dicentes. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, non sunt membra, & loquitur lingua. Martyres patiuntur, & post ipsam sepulturam ipsis sermonibus viuunt dicentes. *Quousque Domine sancte, & verax non iudicas, & vindicas sanguinem nostrum ab his qui in terris habitant?* Solus sermo non habet finem, quia non habet sanguinem. Nubes ipsæ loquuntur, cum sonat eloquium maiestatis: aër crassus in nubibus fabulatur testante Ioanne in Apocalypsi, dicens: Quæcumque locuta sunt septem tonitrua, ne scripseris ea. Quare prohibetur Apostolus excipere linguam cœli? ne vilis vox videretur, quem tremuit mundus. Si intra articulos hominis teneretur, aut non haberet quod spectaret homo, si quod sperabat agnosceret, nec arderet ignis in rubo. Et linguam accepit flamma, dicentem ad Moysen. Ne accesseris huc, solue corrigiam calceamentorum tuorum. Terra, in qua stas, sancta est. Maria ipsa loquuntur, cum Domino benedicunt, dicente scriptura. *Benedicite maria Dominum.* Nam quos putamus esse fragores, cum Domino fabulantur, dicente Propheta. Vox eius tanquam vox aquarum multarum. Qui referent ventus, freta, tonitrua, flumina. Per hanc sanguinis vocem Caïn detegi potuit parricida, quia ita dicit Salomon. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet, scientiam habet vocis. Si ergo quod viuit, sonat: quod mouetur, loquitur: beatum pretium hominis lingua, si habet in eius officio disciplinam. Hæc omnia saluat, aut iugulat: iuuat, vel accusat: sanat, vel trucidat: vtrumque laborat, cum alterum vexat, vt prius suis casibus pereat. Inde Iudas mendax Apostolus, dum salutat Dominum Christum, verbo vno fecit sacrilegium. Salus mundi suscepit Dominum Christum, & ipse introiuit in laqueum. Impone igitur Christiane frænum linguæ tuæ, & libertatem eius intra speluncam tui oris include. Millia verborum refrænatis virtutibus astringe ne feriat authorem. Audi Dominum per Prophetam talibus comminantem. *Quid gloriaris in malitia? Quid potens es in iniquitate? Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua, sicut nouacula acuta fecisti dolum,* & cætera. Inde habes dentes, morde illam, si tacere non poterit. In spelunca, intra carcerem indisciplinatam tui oris linguam include, ne cum malè exierit, eam gladius feriat. Impera illi, dum licet: quia non reuertitur sermo, dum exierit. Si non potes bene loqui, liceat vel tacere. Nam nunquam periret diabolus de Paradiso, si lingua taceret, cum infantiam primi hominis, & hortum maiestatis latro serpens vulneraret insontem articulis Dei fabricatum, vbi habitat sola æternitas, & innocentia latro vicinus serpens vna lingua concepit, generauit homini mortem inimicum colloquium, & orbitatem toto mundo peperit, dum ferit authorem. O gladium linguæ, per quem totus mundus plaga percussus est, parit mater quod plangat: pater generat quod amittat. Humanitas tota, aut plangit, aut plangitur, cum tota caro in puluerem ad suam originem reuertitur.

AD COMPETENTES POST traditum Symbolum. LXXVIII

ECce, qualiter de præsenti mundo, tanquam ex Ægypto Israël spiritalis educitur, & domus Iacob, quæ est familia cœlestis Regis de populo barbaro liberatur. Decem præterea plagis percussa est Ægyptus, vt Pharaonis dominio absolutus Hebraicus populus liber esset effectus. Quibus plagis legimus per ordinem consummatis cum noctis medio vastator Ægyptiorum transiret Angelus, signatósque aspiceret, & illæsos præteriret, atque custodiret agni sanguine, ad terram repromissionis filios Israël festinanter exire coëgit. Ita & diabolus qui potest Pharaoni figuraliter comparari, decem quodammodo verberibus à nobis repulsus est, cœlesti flagello seuerissimè trucidatus. Nam primam accepit plagam, quando nomina vestra dedistis, vt ibi vos conscribamini, vnde ille deletus est. Secunda eius plaga est, quotidianæ eius orationis instantia. Tertia, ieiuniorum. Quarta, vigiliarum. Quinta, terribilium exorcismorum. Sexta, descendens in vobis dominicorum precatio Sacerdotum. Septima, apostolici Symboli traditio, atque confessio. Octaua, orationis dominicæ informatio. Nona plaga percutitur, cum sæculo pompisque eius, & apostaticis Angelis renunciatur. Decima, cum suis primitiuis Ægyptus interficitur, quando renascentis fontis proximus applicatur, vetere homine spoliatur, & ad Deum viuum tota fidei credulitate conuertitur. Post hæc mare rubrum intrauit, baptismum vtique consecrante Christi sanguine rubricatum. Et dum ibi in Patre, & Filio, & Spiritu sancto tingitur credens mediantis crucis virga signante dextera læuáque Iordanis vnda diuiditur. Persequens vetustus hostis mergitur, nouus Israël releuatur, & exinde cum tympanis, & choris splendidis classibus renatorum ornata procedens resultat Ecclesia.

DE CONSOLATIONE IN assumptione Episcopi. LXXIX.

VOs quidem fratres, consolatorem quæritis, sed etiam nos consolandi sumus, & consolatio nostra nullus hominum est: sed qui facit hominem, quoniam qui fecit, refecerit, & recreat qui creauit. Non possumus per infirmitatem nisi contristari: sed per spem debemus consolari. Omnes bonos diutius nobiscum viuere volumus, & in hac asperrima vita, deseri à comitibus nolumus, sed præuenientem,

uenientes nos qui benè vixerunt, hortantur exemplo suo, vt siue diu hic viuamus, siue cito hinc eamus, sic viuamus, vt ad ipsos veniamus. Quia idipsum hic diu viuere nihil est aliud, quàm diu molestias sustinere. Cùm Deo autem viuere, & apud Deum sine vlla molestia est viuere, & sine vllo timore, ne pereat felicitas, quæ non habet finem. Nec debemus arbitrari Episcopum vestrum fratrem nostrum, cito hinc esse, & parum vixisse. Rectè enim ibi non parum viuitur, vbi cum multum dicitur, non finitur. Nam hic etiam quod multum est, cum finitum fuerit, pro nihilo deputabitur. Nec tamen parum hic vixit, si eius opera cogitemus, non annos numeremus, quanti alij fortasse quod per multos annos non dimidiarunt, ille paucis annis impleuit. Nihil ergo aliud erat hic eum velle tenere, nisi eius fœlicitati inuidere. In hoc enim habemus tristitiam de homine sicut homines. Quid ergo faciemus, vt non simus homines? Homines ergo de hominis abscessu humaniter contristamur, sed quomodo audiuimus lectionem diuinam, nam quod consummatus in breui repleuit tempora longa. Ergo illic tempora computemus, sicut computatur dies. Quicquid ergo vobiscum egit hortando, loquendo, seipsum proponendo ad imitandum, ad Deum laudandum, & colendum tenete, & memoria ipsius ornatissima vos eritis. Non enim hoc illi magnum est recondi tumulis marmoratis, sed condi in cordibus vestris: viuat sepultus in viuis sepulcris. Sepultura enim eius memoria vestra est. Apud Deum viuit vt felix sit, apud vos viuat, vt felices sitis. Exhortari vos ad fidelem prudentiam multis verbis fortasse possemus, nisi & nos dolore humano vix loqui sineremur. Proinde quia donauit nobis Deus, vt morienti ad tempus præsentes essemus, quoniam donauit nobis, vt funus eius deduceremus: deductio quæ debetur charitati, nihil addit felicitati. Donauit etiam vt sanctitatem vestram videremus, vosque alloqueremur, vt pro modulo nostro consolandi vos consolaremur. Quicquid nos dolor dicere non permittit, cogitando supplere, & noster animus in recordatione tanti viri, etsi habet humanum mœrorem, non habet infidelem desperationem.

LXXX. *SERMO OMNI TEMPORE dicendus.*

SVauis Dominus & mitis patentem habet ianuam pietatis, nec recusat inde pulsantes: sed accusat potius negligentes. Neque enim aliquid petitur, quod non habeat, vt cum non dederit, erubescat. Diues est Dominus, & pius, affluens & benignus. Dat, & non improperat, imo tunc thesauri domus eius tristitiam patiuntur, quando fuerint delectabilia fastidia petitionum. Ipse Dominus dicit. *Vsque modo non petistis quicquam, Petite, & dabitur vobis. Pulsate, & aperietur vobis. Ego sum ostium & ianua.* Quare trepidat pulsando manus vestra, & dormitat in mendicitate conscientia vestra? Ego sum ianua vitæ. Non horresco sordidum pulsatorem, non pauperem repudio petitorem, tantum ne suam quisque negligat mendicitatem. Pulsate, inquit, & aperietur vobis. Stant Angeli ad ianuam meam, vt introducant, non vt repellant, non vt terreant. Nulla est pompa in ianua mea. Ego sum ianua, qui sustinui crucis ignominiam. Quare timet egenus inopiam, cum nulli aliquando denegata sit misericordia mea? *Quis sperauit in Domino, & derelictus est?* Si pulsant qui desiderant corporis castitatem, dat eis continuò gratiæ sanctitatem. Et dicit eis. Nolite ambulare polluti, nolite incedere maculosi, sancti estote, quia ego sanctus sum. Si accedat pupillus exigua manu ianuam pulsare paternam, nunciat eum Angelus & dicit, Domine pupillus pulsat, defensionis pietatem expectat. Responde ei: *Domine, Tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor.* Respondet Dominus qui diues est, qui misericors pater est. Ego sum pater orphanorum, & iudex viduarum: Nemo lædat quos ego suscipio, nemo spoliet quos ego defendo. Et si qui accesserint ad istam ianuam, quamuis diuidantur locis disparibus, precem tamen vnius diuitis patrisfamilias omnes æqualem accipiunt pietatem. Hoc amat ianua salutaris, vt pulsatoribus abundet opportunis, importunis. Propterea ipse Dominus ianuam à petitoris voce ieiunam pulsantis, clamore silenti inuitat omnes ad orationem, omnibus paratus tribuere pietatem. Etsi non accipitis, petite, perseuerate, pulsate, nolite deficere, nolite cedere, quia non necat Dominus fame animam iustam, qui tamen voluerunt esse suauiter importuni. Et ponit in parabolam hominem, cui hospes improuisus venit, & hospes hospitem pauper excepit. Passus verecundiam abiit continuo ad diuitis domum, vt peteret panes, & non sine sacramento panes, sed tres panes, quia hospes est gratia pietatis, sed substantiam continet Trinitatis. Nonne vnus hospes erat in tribus, qui venit ad patrem Abraham, hospes amicus, pransor & repromissor, & omnia ei in Trinitate sunt exhibita hospitalitatis obsequia? Trinum attulit vitulum pater Abraham, tres panes similaginis conspersit futura mater paritura filium, pro quo pater mactauit agnum vt ipsum corporis Christi in Trinitate iam conspiceret Sacramentũ. Ita & iste amicus veniente hospite pergit ad diuitem, trium panum allegat necessitatem, pulsat & nemo respondet ex ianitoribus, quia omnes oppresserat somnus. Non Angeli, non Archangeli, non Prophetæ, non ministri, & tamen pulsat, quamuis nemo respondeat. Quandoque gaudens paterfamilias ad importunitatem pulsantis respondet ei de interioribus sacris. Quid pulsas sine tempore, qui piger fuisti cum tempore. Dies fuit, & in lumine non ambulasti. Nox venit, & pulsare cœpisti? Excusat tempus, quod improuisus quærit affectus. Et ille: Domine, Domine te peto, ad te pulso, teipsum quæro, tu surge dare mihi misericordiam, quia non es dedignatus de luto limi componere viscera mea. Ministro non indiges, quia omnia potes, sed pueri tui dormiunt Domine, tu non dormis, neque obdormitas, qui custodis Israël. Gratis peto, sub gratia mendico, non sub lege præsumo. Et si lex & Prophetæ vsque ad Ioannem, sed tua gratia non habet finem. Quieuerunt pueri tui, Prophetæ tui, & ego noui Domine. Sed tu qui es initium & finis, primus & nouissimus, noli ad me tædiari nouissima noctis hora petentem, qui nocte media captiuam duxisti captiuitatem. Quid faciat paterfamilias tanti perseueratoris voce constrictus? Non excitat puerum, non Prophetam, non mittit Angelum & Archangelum: ipse surgens dat illi responsum, si non propter amicitiam, sed propter perseuerantem misericordiam, impudentia cui abstulit verecundiam. Cum quanta lætitia bene pertinax ille petitor, & nocturnus mendicator ad hospitem proprium repedauit, quem pauper excepit, & diues factus recepit? nec hospes ab hospite irrefectus aliquando recessit. Nonne hospes erat iste qui

 dicit?

dicit? *Ego ad ianuam, si quis aperuerit mihi, introibo, & cœnabo cum illo ego & Pater meus?* Quàm bona domus. Si Pater & Filius ingreditur hospes amicus, vbi Spiritus sanctus ipse ibi exhibet diuersa pulmentaria propter cœnam dominicam? Quæ sunt pulmentaria Spiritus? Pax, gaudium, benignitas, bonitas, continentia, fides, charitas. Nos tantummodo non pigeat hopitem suscipere Dominum. Ipse secum portat vbertatem deliciarum, vt pascat ibi lætantes exercitus Angelorum. Vtinam ipse sit hospes nobis superueniens benedictus, & iam non sit nobis hospes Gothus & barbarus. Nam illis hospitibus arma & sagittæ, at cum isto hospite pax cum iucunditate; qui venit hospitem non torquere, sed parcere; non expoliare, sed vestire; non percutere, sed sanare. Ipsum hospitem apertis cordis nostri ianuis suscipiamus, & nunquam in nobis dominabitur inimicus. Ipso præstante qui viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.



SANCTI FVLGENTII Episcopi Ruspensis, de Trinitate, ad Felicem Notarium,

LIBER VNVS.

CAPVT I.



QVONIAM me, fili charissime Felix, fidei calore succensus sæpiùs percunctaris, quo modo de sancta Trinitate, quæ Deus est, credere debeas, vel qualiter possis fidem Catholicam, atque otthodoxam contra hæreticorum errores, præsertim quorum societate frueris, Domino auxiliante defendere, ac per hoc eorum insidias euitare; necessarium, tibique commodum duxi, tuis petitionibus respondere. Sed vtinam tam congruè ac conuenienter, quàm mihi est velle. Ipsa scilicet incommutabilis Trinitas, in cuius manu sunt & nos, & sermones nostri, ad annunciandum se & sermonem rectum, & fidem synceram tribuat, quatenus sancto desiderio tuo studio discendi flagranti ad plenum satisfacere valeam. Illam itaque fidem crede syncerissimæ menti tuæ nos velle notescere, per quam iustificati sunt Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres coronati, quam hactenus per totum orbem sancta tenet Ecclesia, cuius splendor credentium mentes illustrans æternæ vitæ facit esse participes. Quæ vsque nunc per successionum seriem in cathedra Petri Apostoli Romæ vel Antiochiæ, in cathedra Marci Euangelistæ in Alexandria, in cathedra Ioannis Euangelistæ Ephesi, in cathedra Iacobi Hierosolymæ, ab Episcopis ipsarum vrbium prædicatur. Coge ergo Arrianos, Donatistas, Nestorianos, Eutychianos, Manichæos, & reliquas hereseôn pestes hisce communicare Ecclesiis, quibus Apostoli præsederunt: non consentiunt, quia per prauitatem fidei ab Ecclesiæ vnitate diuisi in partes esse
1. Ioan. 2. voluerunt. Vnde & Ioannes Apostolus ait: *Ex nobis exierunt: sed non erant ex nobis. Quod si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.* Ex nobis vtique exierunt, quia se ab Ecclesiæ vnitate corde insanissimo separauerunt. Non erant ex nobis, scilicet prædestinatis, & ad æternam videlicet vitam electis. Non erant quippe ex his, de quibus Domi-
Ioan. 15. nus dicit. *Ego elegi, & posui vos vt eatis, vt fructum plurimum afferatis, & fructus vester maneat.* Sed nec in Abrahæ semine benedicuntur, secun-
Genes. 26. dum quod Dominus ad Abraham ait: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, & Apostolus subnectens adiungit: *Non in seminibus quasi in multis, sed in semine tuo, quod est Christus.* Galat. 3. Cùm omnes gentes in Christo & per Christum in vnitate fidei benedici mereantur, hæretici non sunt benedicti, quia non habent vnitatem fidei, sed erroris pastu saginati, per superbiam facti sunt, non filij Dei, sed filij diaboli. Vnde & obscuratos habentes cordis oculos, nequeunt cernere totum mundum sanguine Christi redemptum, & in fidei vnitate concordem, secundum quod de primitiua Ecclesia designatur: *Erat illis*, inquit, *cor vnum & anima vna in Deum.* Act 4.
Sic totus mundus redemptus, sic totus mundus in cunctis gentibus nuncupatur redemptus. *Et timebunt gentes*, inquit, *nomen tuum Domine, & omnes* Psal. 50.
reges terræ gloriam tuam. Et iterum: *Omnes gentes, quascunque fecisti, venient & adorabunt coram te* Psal. 85.
Domine, & rursum. *Commemorabuntur*, inquit, *& conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ: & adorabunt in conspectu eius vniuersæ patriæ gentium. Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.* Psal. 21. Quid infelices dicant, qui præcisi ab Ecclesia Dei, corde impœnitenti ipsi Ecclesiæ contradicunt; & dum eandem, quæ tunica Domini est inconsutilis, scindere nituntur, ipsi faciliùs scissi sunt? Hi percunctentur sigillatim. Ille dicit sanguine Christi se esse redemptum. Ergo solùm pro Arrianis, aut tantùm pro Donatistis effusus est sanguis Christi? Absit. Non sic dicit Veritas. Non sic dicit Deus ad Abraham. *In semine*, inquit, *tuo benedicentur omnes gentes.* Genes. 29 Non vna gens, sed omnis. Non illa & illa, sed cunctæ. Sed neque in diuersa fide, sed in vna: dicente Apostolo, *Vna fides.* Ephes. 5.
In vna scilicet fide saluantur credentes: per vnitatem fidei Ecclesia Catholica habet cor & animam vnam in Deum. Hæc fides recta, quæ facit diuersa corda credentium vnum esse, Pauli Apostoli ore laudatur. *Gratias*, inquit, *ago Deo, quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo.* Rom. 1. Fides vna, quæ in totum mundum annunciatur, ipsa laudanda ac prædicanda est.

CAPVT II.

ACcipe fidem, in qua iam olim renatus es credens in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

ſancti. Pater filius non eſt, Filius pater non eſt, Spiritus ſanctus nec pater nec filius. Et cum tres ſint, quod eſt rogo, nomen vnum patris & filij & Spiritus ſancti, in quos nos oporteat baptizari, niſi illud ſcilicet nomen Deitatis, quod triplicari non poteſt? Quamuis enim dicamus patrem Deum, filiũ Deum, Spiritum ſanctum Deum, tamen non dicimus tres
Deut. 36. Deos, quia ſcriptum eſt: *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus vnus eſt.* Vnus eſt igitur Deus in natura, non in perſona: quia alia eſt perſona patris, alia filij, alia Spiritus ſancti. Pater à nullo eſt genitus, filius à patre eſt genitus, Spiritus ſanctus à patre, filióque procedens eſt. Pater non ſibi eſt, ſed Filio: Filius non ſibi eſt, ſed patri: ſpiritus alicuius eſt adſpirantis: ergo ad patrem filiúmque refertur. Iſta itaque relatiua nomina Trinitatem faciunt. Eſſentialia verò nullo modo triplicantur. Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus. Bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus ſanctus. Pius Pater, pius Filius, pius Spiritus ſanctus. Iuſtus Pater, iuſtus Filius, iuſtus & Spiritus ſanctus. Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens & Spiritus ſanctus. Et tamen non dicimus nec tres Deos, nec tres bonos, nec tres pios, nec tres iuſtos, nec tres omnipotentes, ſed vnum Deum bonum, pium, iuſtum, omnipotentem, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum. Vbi eſt vna natura, eſſentia, vel ſubſtantia. Quodlibet enim de his nominibus in illa ſancta ſummáque Trinitate dixeris, vnum idémque ſignificat. Non eſt diuerſa Patris & Filij & Spiritus ſancti eſſentia. Quòd ſi eſſet, nec veraciter filius à patre gigneretur, nec Spiritus ſanctus à patre filióque procederet. Sed quia verus eſt filius, id eſt, de eſſentia patris genitus, verus eſt & Spiritus ſanctus, à patre filióque procedens. Quod ſi filius aut Spiritus ſanctus alterius generis ſunt quàm pater, nec filius veraciter patris eſt, quem extraneum facit differens eſſentia. Similiter nec Spiritus ſanctus à patre filióque procederet, quod dementis eſt dicere: quia ſancta Scriptura, & filium à patre genitum, & Spiritum ſanctum à patre procedentem fideli manifeſtat narratione.

CAPVT III.

Ergo ſunt tria quædam coæterna, conſubſtantialia, coëſſentialia Sed cum quæreretur à patribus & diceretur, Quid tria? nec eſſentias, nec ſubſtantias, nec naturas dicere auſi ſunt, nec aliqua fortè diuerſitas crederetur eſſentiarum, aut naturarum, aut ſubſtantiarum: ſed dixerunt tres perſonas, vnam eſſentiam, vti vna eſſentia declararet Deum vnum; tres autem perſonæ ſanctam Trinitatem oſtenderent. Nec hoc dicimus, quod tantummodo Deus Trinitas ſit, & non vnaquæque perſona. Nam & Pater ſolus Deus eſt, & Filius ſolus Deus eſt, & Spiritus ſanctus ſolus Deus eſt. Solus dico, quia pater non eſt filius, & filius non eſt pater, & Spiritus ſanctus non eſt pater aut filius. Cæterùm Trinitas inſeparabilis, incommutabilis, infinita, non recipit tres Deos, ſicut non recipit tres eſſentias, aut ſubſtantias, aut naturas, & idcirco nullatenus dicendus eſt filius in id quòd æqualis eſt patri, aut creatus ex aliquo, aut de nihilo ſubſtitutus: quia quod eſt pater hoc genuit, Deus Deum, lux lucem, incommutabilis incommmutabilem, infinitus infinitum, æternus coæternum. Similiter & de Spiritu ſancto credimus; quia hoc eſt quod ille à quo procedit. Videamus igitur deinceps, vtrum hæc quæ diximus, ſanctarum Scripturarum teſtimoniis approbemus. Primùm etiam quærendum eſt ſi Deus Trinitas ſit.
Gen. 1. *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Et rurſum, *Venite, deſcendamus*, inquit, *& confundamus ibi linguas eorum.* Gen. 11. *Noſtram* verò, & *deſcendamus*, pluralitatem perſonarum, non Deorum inſinuat. Similiterque Abrahæ viſio trium virorum, & vnius Domini deprecatio, & *pluit Dominus à Domino ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino.* Gen. 15. Et, *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*: Et, *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Quid aliud hæc quàm Trinitatem oſtendunt? Apertiúſque ſanè Dominus in Euangelio, *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti.* Matth. 28. Et rurſum, *Facta eſt vox de cœlo dicens, Hic eſt filius meus dilectus: ipſum audite.* Matth. 17. Idemtidémque ait, Ioan. 1. *Vidi ſpiritum Dei deſcendentem, & manentem ſicut columbam in ipſo.*

CAPVT IV.

En habes in breui alium eſſe patrem, alium filium, alium Spiritum ſanctum: alium & alium in perſona; non aliud & aliud in natura: & idcirco *Ego, inquit, & pater vnum ſumus. Vnum*, ad naturam referre nos docent: Ioan. 10. *Sumus* ad perſonas. Similiter & illud: *Tres ſunt*, inquit, *qui teſtimonium dicunt in cœlo; Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres vnum ſunt.* 1. Ioan. 5. Audiat Sabellius *ſumus*, audiat *tres*, & credat eſſe tres perſonas, & non ſacrilego corde blaſphemet, dicendo ipſum ſibi eſſe patrem, ipſum ſibi filium, ipſum ſibi Spiritum ſanctum: tanquam modo quodam ſeipſum gignat, aut modo quodam à ſeipſo ipſe procedat: cùm hoc etiam in naturis creatis minimè inuenire poſſit, vt aliquid ſeipſum gignere valeat. Audiat ſcilicet & Arrius *vnum*, & non differentis filium dicat eſſe naturæ: cùm natura diuerſa vnum dici nequeat. Filius itaque clamat, *Ego & pater vnum ſumus*: Ioan. 10. &, *Qui me videt, videt & patrem.* Ioan. 14. Et Apoſtolus de eo, *Qui cùm in forma Dei*, inquit, *eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*: Philip. 2. &, *Propterea*, inquit, in Euangelio *quærebant Iudæi Ieſum interficere: quia non ſolùm ſoluebat Sabbatum, ſed & patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.* Ioan. 3. Et Arrius blaſphemo ſpiritu contradicit: Non ſunt vnum, non ſunt æquales, quia ipſe filius de ſe dicit: *Pater maior me eſt*; Ioan. 14. & miſſum ſeſe ſæpenumero à patre teſtatur. O infelix error, peſtiferáque doctrina, ignorans diſpenſationem hominis ob ſalutem generis humani temporaliter factam! Rogo, ſecundum quid maior eſt pater filio? ſecundum ſubſtantiam, an ſecundum potentiam, an ſecundum bonitatem, an ſecundum incorporalitatem, an ſecundum æternitatem? Si innaſcibilis Dei patris vnigenitus Deus imago eſt, perfectæ atque abſolutæ in eo ſubſtantiæ veritas ineſt, per quam efficitur eſſe eum imaginem veritatis. Potens eſt pater; ſed ſi infirmus eſt filius, imago iam non eſt potentis. Bonus eſt pater; ſed ſi in diuerſi generis diuinitate filius eſt, boni imaginem mali natura non reddet. Incorporeus pater eſt: ſed ſi filius ſecundum ſpiritum circumſcriptus eſt corpore, iam incorporei non eſt forma corporeus. Æternus eſt pater: ſed ſi filius non eſt coæternus, temporaliter patri nomen paternitatis acceſſit: & iam non omnia per Verbum facta ſunt, quia reperitur tempus ante Verbum anterius, quando pater fuerit ſine filio. Sed imaginem Dei patris Verbũ, & omnia per ipſum facta, ſcriptura euidenter declarat. An fortè ad hoc impiè profeſſionis ſuæ ſenſum propagat, vt Spiritum ſanctum bonum quidem, ſed filium meliorem, & patrem optimum eſſe credat; aut Spiritum ſanctum potentem, ſed filium potétiorem, & patrem potentiſſimum ſenſu ſacrilego adſtruat, aut ſanctum Spiritum iuſtum, ſed filium iuſtio-

rem, & patrem iustissimum blasphemando edoceat? Ergo non tenetur sub vnius Dei professione: sed Ethnicorum more plurimorum Deorum cultui mancipatur, dum Deum patrem maiorem, filiúmque minorem, & Spiritum sanctum plusquam minoré, præsumptione temeraria suspicatur. Deum maiorem, & Deum minorem habeat error eorum, qui Israël esse nolunt, nec obturatis auribus audiunt: *Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus vnus est*: & illud *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.*

Deut. 6. Matth. 4.

CAPVT V.

SEd ne fortè cæcato corde filium, aut Spiritum sanctum Deum esse nó credant, & more Iudæorum blasphemantium Deum esse abnegent, sacrarum litterarum testimoniis conuincantur. *Quorum patres*, inquit Apostolus, *& ex quibus Christus secundum carnem, qui est benedictus Deus in sæcula.* Et rursum Ioannes Apostolus: *Vt simus*, inquit, *in vero filio eius Iesu Christo. Ipse est verus Deus, & vita æterna.* Et de Spiritu sancto Ioannes Euangelista: *Spiritus*, inquit, *Deus est*. Et Apostolus dum Spiritum sanctum inhabitatorem Ecclesiæ diceret: *Nescitis*, inquit, *quia membra vestra templum est Spiritus sancti? Glorificate & portate Dominum in corpore vestro.* Et in actibus Apostolorum. *Anania*, inquit Petrus, *cur tentauit cor tuum Satanas mentiri te Spiritui sancto.* Et paulo post subiungit: *Non es hominibus mentitus, sed Deo.* En habet filium Deum, Spiritum sanctum Deum. De patre quòd Deus sit, non opus est approbare, quem ille sine ambiguitate Deum credit. De filio autem, vel de Spiritu Sancto omnis penè hoc sancta Scriptura resonat: sed pro breuitate sermonis pauca inde decerpsimus. Minorem autem, aut missum filium secundum id credimus, quod & Apostolus ait, *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Factum autem ex muliere, id est, de virgine Maria natum: quia ille qui erat natus ex patre sine initio, de matre nascendo accepit certum temporis initium. Qui etiam *cùm in forma Dei esset*, inquit Apostolus, *non rapinam arbitratus est esse se æqualē Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit se vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Qui cùm in forma Dei, ait, esset, id est, cùm substantia Deus esset, non rapuit Deitatem, quam naturaliter habebat cum patre: sed semetipsum exinaniuit, id est, non in id quod Deus est, & æqualis patri, generi humano apparuit: sed homine adsumpto, non Deo consumpto, in vnitate personæ, & in hoc mūdo apparuit, & passiones sustinuit, & affectiones humanas, quas decuit & voluit, sine vitio transcurrit. Secundum hanc formam humanam non est æqualis patri, dicente ipso, *Pater maior me est.* Secundum illam verò qua æqualis est patri, ait: *Ego & pater vnum sumus.* Secundum formam humanam, venit in mūdum peccatores saluos facere: secundum diuinam, in mundo erat, & mūdus per ipsum factus est. Et idcirco duas substantias siue naturas, siue formas (quodlibet de his dixeris, idem est,) credere nos oportet in vno filio Dei; vnam profectò Dei, alteram hominis, vt credatur Deus verus, & homo verus vnus filius Dei: ne sicut Nestorius, hominem ex virgine Maria natum quartam personam introducentes, à Trinitate excidamus: neque vt Eutyches, hominem verum non credentes, filium Dei sine hominis assumptione, id est vnius substantiæ esse credamus: aut certè ex duabus substantiis vnam fieri potuisse substantiam arbitremur. Quia Filius Dei, vt diximus, in vnitate personæ suæ totum hominem adsumpsit, id est animam rationalem, & carnem, secundū quod dictū est per Propheram: *Ecce virgo in vtero accipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*, quod est interpretatum, nobiscum Deus. Homo igitur & Deus est, qui de Maria natus est: homo & Deus est, qui creuit ætate: homo & Deus est, qui cruci affixus est, qui etiam resurrexit, cœlósque ascendit, sedétque ad dexteram patris. Et quamuis propter vnitatem personæ, Deus homo sit, & homo Deus sit, tamen secundum hominem Deus dicitur crucifixus, Deus dicitur passus, Deus dicitur mortuus. Nam secundum id quod Deus est impassibilis, immortalísque ritè creditur.

Rom 9.

1. Ioan. 5. Ioan. 4.

1. Cor. 6.

Act. 3.

Galat. 4.

Philip. 2.

Ioan. 14. Ioan. 10.

Esa. 7.

CAPVT VI.

ERgo manet in Christo vtraque natura veritatem seruans: ita vt nec humana in diuinam translata desinat esse homo, nec diuina in humanam transferatur, & desinat esse Deus. Sic igitur vt vna genita, creata altera: vna intemporalis, altera temporis: vna sine initio, altera cum initio. Et quamuis illa genita & intemporalis ad patrem & Spiritum sanctū pertineat: temporalis tamen & creata nullo modo, quia reuera quicquid naturæ est patri, gignēdo dedit filio: quidquid naturæ ex tempore aut extrinsecus accessit filio, non redundat ad Patrem, neque ad Spiritum sanctum. Et cùm sit vna substantia tota Trinitas, nō ad totam Trinitatem homo Christus pertinet, nisi tātùm ad filium. Nec enim fas est credere, patrem aut Spiritum sanctum hominē adsumpsisse, aut secundum hominē passos fuisse. Spiritus autem sanctus, quamquam minor nusquam in scripturis reperiatur, tamen missus euidentissimè reperitur scriptus. Pro qua re sibimet hæretici collum ligant, & coarctato ac potius suffocato intelligentiæ suæ spiritu, creatorem suum sanctum Spiritum non agnoscunt, dum eum creaturam esse definiunt. Si creatura esset, creator vtique esse non posset, quia creatura creaturam non format de nihilo. Et cùm in Genesi hominem Deus ad imaginē suā dicat esse formatū, & Iob sese à sancto Spiritu narret esse plasmatum. *Spiritus*, inquit, *diuinus qui finxit me*: liquide claret cooperatorem esse patri ac filio Spiritum sanctum, & in hominis formatione, & in Angelorum similiter substitutione, secundum illud Psalmographi, *Verbo Domini cœli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Si Deus est, si creator est, si baptismum consecrat, quare missus dicitur? Missus quippe in eo quod super Christum in colūbæ specie venerit in flumine: quòd supra Apostolos venerit in igne. Ipsa quippe apparitio missio est. Nā vbi mittitur, qui vbique est? *Spiritus*, inquit, *Domini repleuit orbem terrarum.* Et rursum: *Domine, quò ibo à spiritu tuo, & à facie tua quò fugiam? Si ascendero in cœlum, tu ibi es: & si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas in directum, & habitauero in nouissimo maris: etenim illuc manus tua deducet me, & continebit me dextera tua.* Nihil scilicet prætermissum est mundi, vbi non præsentiam totius Trinitatis esse monstraret. Quo modo filium credimus missum secundum hominem, ita missum Spiritum sanctum propter columbam vel ignem. Sed filius assumptum hominem propter hominem ita suę personæ coniunxit, vt esse semper habeat, nec vnquam desinat, aut aliquando finem accipiat. Spiritus verò sanctus, ita columbam, vel ignem, vt factæ illæ visiones ex tempore esse postea desinerent.

Genes. 1.

Iob. 3.

Psal. 32.

Sap. 1.

Psal. 138.

CAPVT VII.

EN habes propter quid dicatur missus Spiritus sanctus. Sed iam satis sint ad corroborandam fidem tuam hæc pauca quæ diximus; quia pater & filius & Spiritus sanctus vnus Deus sit. Nō est certè creata natura, non terra, neque aqua, neque aër, neque

neque ignis. Ex his enim elementis animalium compacta sunt corpora. Non est certè spiritus irrationalis, sicut est in pecoribus, neque spiritus rationalis, sicut est in hominibus, aut Angelis: sed est Deus Trinitas immutabilis, creans omnia per bonitatem suam, creatus à nemine. Quis itaque potest vt dignum est, & vt se habet illa infabricata forma, à quo formata sunt vniuersa, vel mente percipere, quanto magis eloquio proferre, nisi quod ita creditur ac dicitur Trinitas Deus? Hæc autem Trinitas increata, creaturæ suæ indidit Trinitatis qualiacumque vestigia. Sic enim scriptum est, quod *omnia in numero, in mensura, & pondere disposuerit*: Omne scilicet corpus, siue paruum, siue magnum sit, & numerum habet pro quantitate partium, & mensuram habet, & pondus; nec esse posset numerus sine pondere; aut mensura sine pondere, & numero. Vbicumque enim fuerit vnum horum, sine duobus esse non potest. Sed ecce in corporeis rebus facilè approbantur pondus, numerus, & mensura: quomodo in corporeis rebus reperiri queat, videamus. Igitur in anima hominis memoria inest, consilium & voluntas. Hoc enim cogitas quod vis, quod etiam memoria tua continet. Voluntas enim tua amor tuus est. Hoc enim recordaris, quod amando in cogitatione tua adducis. Tria sunt, memoria, consilium, & voluntas, quam diximus esse amorem, & inseparabilia sunt, & vnum sunt, & alterum sine altero esse nequit. Quidam etiam Patrum eleganter hæc tria inesse dixit animæ, cùm Deum oraret. *Meminerim te, intelligam te, diligam te*: & in his Dei imaginem esse docuit. Imago quippe Dei humana anima, non genita, sed creata, non æqualis, sed similis.

CAPVT VIII.

HÆc propterea breuiter insinuaui charitati tuæ etiam in rebus creatis aliqua signa esse illius summæ Trinitatis: vt euidenti ratione pateat, quantus sit error hæreticorum: vt cum in rebus creatis & Trinitas & vnitas sit, ipsam Trinitatem quæ Deus in vnitate naturæ esse non credant. Huius scilicet æternæ atque incommutabilis Trinitatis potentia creata sunt omnia. Sed excellentiorem, ac primam in creaturis ortam reperimus rationalem Angelorum naturam, de Dei suo dono beatam, & per liberum arbitrium beatificatam non iugiter adhærentem. Ex quibus quædam pars Angelorum, nolens sui creatoris facere voluntatem, ab eius contemplatione deiecta seruatur in iudicio punienda. 1.Pet.2. Petro Apostolo dicente, *Deus Angelis peccantibus non pepercit: sed catenis inferni detractos in tartarum tradidit in iudiciũ, reseruari cruciãdos.* Meritò quippe pœna ignis æterni in perpetuum punientur: quia si voluissent in sua perseuerare beatitudine, suffragabatur eis vtique voluntas libera. Per quam voluntatem ad seipsos, non ad Deum conuersi effecti per superbiam tenebrosi, & in huius aëris ima detrusi, seruantur in iudicio puniendi: nullum in eis voluntatis bonæ remansit vestigium. Illi autem, qui seruauerunt id quod facti sunt per idem liberum arbitrium, Deo scilicet creatori suo incessanter adhærentes, per id quod steterunt gratia Dei beatiores effecti sunt: sic etiam vt voluntas eorum, nec velle habeat peccare, nec posse: quoniam quamuis mutabiles facti fuerint per naturam, immutabiles sunt facti per gratiam, stabiles etiam & certi de sua beatitudine nullatenus amittenda, fruuntur Deo, cuius contemplatione beati sunt. Planè ex duplici eos esse substantia adserunt magni & docti viri, id est ex spiritu incorporeo, quo à Dei contemplatione nunquam recedunt: & ex corpore, per quod ex tempore hominibus apparent approbantes, hoc est illo loco Psal. vbi dicit: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem.* Psal.130.

CAPVT IX.

COrpus ergo æthereum, id est igneum, eos dicunt habere: Angelos verò malos, id est dæmones, corpus aëreum. Ergo post lapsum malorum, & stabilitatem bonorum, placuit omnipotenti Deo aliam condere creaturam rationalem, libero arbitrio exornatam, per quam numerus ille Angelorum de cœlo labentium qui perierat, suppleretur. hominum dico primorum, secundum animam ex nihilo, secundum corpus ex limo substitutorum: secundum animam, rationalem & immortalem: secundum corpus verò, si non peccasset, immortalem; si autem peccasset, mortalem, talem scilicet quod mori posset, dicente Apostolo: *Corpus quidem mortuũ est propter peccatum*: quoniam pœna peccati mors Rom.8. inflicta est corpori. Excepta enim spiritus morte in id quod desetitur à Deo, hanc etiam accepit in carne: quia sicut vita est animæ beatè viuere, id est frui Deo; ita mori, est corpore ab anima deseri. Harum mortium disparem pœnam expertus non esset si non peccasset. Factus itaque homo rectus, & ad imaginem Dei sui secundum rationem, & intellectum fictus atque formatus, legem accepit, quam non transgrediendo beatus esset, quoniam habebat liberum arbitrium, vt posset bonus esse si vellet: non quidem sine gratia Dei qua ipsa tegebatur voluntas, vt vellet; & tamen in potestate eius erat ipsam gratiam deserere cùm voluisset. Quia voluit & peccauit, ob hoc etiam meritò damnaretur in æternum, atque omnis stirps eius in perpetuum cũ Angelis præuaricatoribus puniretur, nisi gratia superuenitet per Iesum Christum Dominum nostrum. Ipsius enim mors humanum genus à potestate diaboli liberauit; quod quadam iustitia Dei ei traditum fuerat possidendum, & dominabatur in eis, vt in filiis diffidentiæ, sicut Apostolus ait. Ergo mors Ephes.5. Christi, quam sine peccato suscepit, vitam tribuit peccatori. Suscepit hominem vnigenitus Dei, & Verbum caro factum est, qui inter Deum & homines mediatoris fungeretur officio: vt quia per liberum arbitrium reuerti ad Deum minimè poteramus, per Deum hominem factum reuerti possimus. Per hunc mediatorem à diabolo gratis occisum ipse diabolus auctor mortis amisit, quos idem mediator iudicio iudicauit occulto.

CAPVT X.

NOn igitur glorietur homo de meritis suis, sed qui gloriatur, in Domino glorietur. Quid enim habet, quod non accepit? quod si accepit, quid gloriatur quasi non acceperit? Sic enim ipse Dominus ait. *Si vos filius liberauerit, tũc verè liberi eritis.* Libe- Ioan.8. ratio nostra in eius arbitrio, in eius sita est volũtate. *Quoniam ira in furore eius, & vita in voluntate eius*, Psalm.29. ait Psalmographus. Vnde quòd damnatur reus, suis deputet meritis; quòd liberatur, gratiæ redemptoris. Nec hoc dicimus, quòd liberum arbitrium perdiderit humanum genus. Habet enim, antequam liberetur gratia Saluatoris, ad malum non ad bonum Augustin. Ench.c.22. procliuè. Quapropter ipsum liberum arbitrium gratia Dei liberatur, vt bonum velit & possit. Ita enim quidam ex Patribus ait, quòd gratia Dei præueniat nolentem vt velit: subsequatur volentem, ne frustra velit. Ac sic homo antequam sit fidelis, habet liberum arbitrium ad malum, habet fidelis liberum arbitrium & ad bonum, gratia Dei scilicet liberatum. Non vtique immeritò, vt pro malo opere pœnam, & pro bono vitam consequatur æternam.

CAPVT XI.

GRatiam igitur quam primus homo habebat ante peccatum,& gratiam,qua nunc redimũtur homines à massa damnata peccati, quidam discernens sic ait. Prima est enim, vt habeat homo iustitiam si velit; secunda ergo plus potest, qua etiam fit vt velit,& tantum velit, tantóque ardore diligat, vt carnis voluptatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat. Nec illa quidem parua erat qua demonstrata est etiam potentia liberi arbitrij: quoniam sic adiuuabatur, vt sine hoc adiutorio in bono non permaneret, sed hoc adiutorium si vellet desereret. Hæc autem tanto maior est,vt parum sit homini per illam reparare perditam libertatem: parum sit denique, non posse sine illa vel apprehendere bonum,vel permanere in bono si velit,nisi etiam efficiatur vt velit. Quid igitur in hac gratia prius est nisi fides, quæ nos ductura est ad speciem, vt scilicet id quod credimus,videamus? Hanc etiam fidem non accipiet homo, nisi baptizatus fuerit in nomine Trinitatis: vt fidelis effectus,sciat quid,vel vnde petat,quærat & pulset, vt inuenire valeat: Domino in Euangelio admonente,*Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis.* Non introducuntur nisi fideles, nisi baptizati fuerint in nomine Trinitatis. Nec omnes tamen qui baptizantur fideles, salui erunt: quoniam reuera multæ hæreses hoc Trinitatis baptismo gloriantur, & eodem modo vt Ecclesia Catholica baptizari videntur: sed magno errore tenentur, dum fidei vnitatem scindunt, & toto orbi communicare nolunt,ac per hoc meritò damnabuntur. Nihil ergo eis prodest tingi in nomine Trinitatis, qui ipsum nomen deitatis indiuiduum diuidere temeraria præsumptione nituntur. Sanè cùm compuncti corde ad Ecclesiam Catholicam humili pietate reuertuntur,non in eis iteratur baptismus quem iam acceperunt,sed per impositionem manus Ecclesiæ Catholicæ conciliantur. Quoniam sic custoditur illa sententia Domini,*Ite,baptizate omnes gentes in nomine Patris,& Filij, & Spiritus sancti*, vt quamuis foras Ecclesiam, aut certè in Ecclesia à malo peruerso & sacerdote secundum hanc regulam baptizentur,in eis nullatenus iteretur. Fides quippe,quæ per dilectionem operatur, à sancta Ecclesia Catholica habetur. Quam hæretici nullatenus habere probantur:quia reuera fides sola non sufficit,nisi Deum credens diligas Deum,præceptísque eius obedias. Obedire præceptis eius est non facere malum,& facere bonum; pugnare contra diabolum,qui cursum nostrum ad Deum tendentem impedire momentis singulis nititur. Vnde iuxta Apostolum, *tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret*: cui resistendum est in fide fortiter.

August. de corr.& gratia,c.11.

Matth.7.

Matth 28.

1.Petr.3.

CAPVT XII.

ET licet quamdiu in hoc mundo mortaliter viuimus,sine peccato esse non possumus: tamen ne vllis criminibus implicemur, vt ad eius seruitium redeamus, & vasa eius effecti, rursum incipiat habitare in nobis:quæ sint criminalia peccata, & scriptura diuina, & mundanæ leges publicè puniunt: sed & conscientia tua quæ ab alio non vult pati,non nescit. Sed si forte post baptismum aliquibus criminibus inuoluti sumus, non pigeat pœnitentiam agere, & contrito corde & corpore à Deo indulgentiam postulare. Nam qui sibi peccata impunè videntur committere, dum fortasse aliquas eleemosynas in pauperes faciunt, multùm falluntur. Nesciunt enim quòd opus misericordiæ primum sit, seipsum Deo offerre,& sic in alio misericordiam facere. Sic enim scriptura ait: *Miserere animæ tuæ placens Deo*,& iterum: *Qui sibi nequam est, cui bonus?* Ergo faciendæ sunt eleemosynæ,sed antè sunt vitia relinquenda. Multum igitur differunt ab his, qui Vestem suam candidam seruauerunt, qui tales, vt renati sunt, auxiliante Domino, vsque ad finem exitus perseuerant: quibus quotidiana oratio sufficit ad soluenda minima delicta, quæ in hoc corpore mortali subrepunt; de quo se Apostolus liberari exoptat dicens:*Infelix ego homo,quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum* Nam & Dominus in Euangelio tres fertilitates terræ ostendit,id est,tres gradus bonorum in Ecclesia demonstrauit, trigesimum, sexagesimum,& centesimum. Vnde & arca Noë,quæ significauit Ecclesiã,bicamerata,tricamerat áque fuit: significãs,vt diximus,tres gradus,aut ordines,quos tractatores Ecclesiæ ad coniugatos,continentes, & virgines retulerunt. Tricesimum scilicet ad coniugatos,sexagesimum ad continentes,centesimum ad virgines. Ita etiam Ecclesia Catholica in his gradibus constituta est,vt quamuis tres sint gradus,multæ tamen differentiæ meritorum. Neque enim aut omnes virgines æqualiter accipiunt præmium regni cœlorum, aut omnes continentes, aut omnes coniugati: sed *vnusquisque propriam mercedem accipiet*, ait Apostolus, *secundum suum laborem.* Et quantum amplius alius alio obediens Deo fuit, tantum amplius mercedis accipiet. Et quæ erit ista merces,vel præmium, nisi ipse Deus præmium virtutis erit? Dixit quidam. Is qui virtutem dedit, qui dedit certantibus victoriam, ipse procul dubio erit corona. Quod intelligimus,tantum ampliùs alio in illa vita Deum videbit,quantum amplius in hac vita eum dilexit,præceptísque eius obediens fuit. Sed & in ipsa carne resurgentium mortuorum multæ erunt differentiæ claritatis,dicente Apostolo, *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum. Stella enim ab stella differt in claritate, ita erit & resurrectio mortuorum.*

Eccl.30.
Eccl 14.
Rom.7.
Matth.13.
1.Cor.3.
1.Cor.15.

CAPVT XIII.

IGitur quæcumque corpora aut ignis cõsumpsit, aut bestia deuorauit,aut aqua absorbuit,illo momento temporis atque in ictu oculi resurgent, in sexu vnusquisque quo mortuus est; masculus itaque in masculino,& fœmina in fœminino. Quod verò resurgant mortui, Dominus in Euangelio ait: *Non legistis quod dicit Dominus ad Moysem de rubo. Ego Deus Abraham,& Deus Isaac, & Deus Iacob*, & subnectens adiungit: *Non est Deus mortuorum, sed viuorum.* Omnia enim viuunt ei,& iterum: *Tunc omnes*, inquit, *qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei,& resurgent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij.* Nam & alibi misericordiæ opera numerans, bonos & malos redarguens,hos dicit ire in supplicium æternum. Bonos etiam suscipiet gaudium sempiternum; vbi cum Deo suo sine fine regnabunt: & de sua stabilitate securi,nihil eos indecens delectabit. Vbicumque enim eorum spiritus erit, protinus in cælo nouo & terra noua. Malos autem suscipiet ignis æternus, quos in perpetuum cruciabit. Vbi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Ideoque, charissime, satagendum est,& iugiter Dei misericordia imploranda,vt sobriè, piè, iustè viuamus in hoc sæculo, quatenus possimus cœlorum peruenire in regnum.

Luc.20.
Ioan.6.
Matth.25.

EPISTO

EPISTOLA VICTORIS Ad B. Fulgentium Episcopum.

DOMINO *beatissimo, & Apostolicis meritis coæquando, sancto Patri Fulgentio Episcopo, Victor. Desideratæ rei diuinitus attributum tempus aduenit, quo nostra petitio sortiatur effectum. Nefas enim fuerat, vt is qui ad respondendum callidæ machinationi beatitudinem tuam frequenter ipse petieram, differrem volentem: quod apud honestissimos mores mendacio plerumque deputatur, quidquid differendo promittitur. Sed hoc sicut nobiscum vestra beatitudo meliùs recognoscit, non voluntate factum est, sed spatium regionum diuersarum impedimentum detulerat, quibus huc atque illuc in cassum ducimur. Vbi nulla salutis æternæ vitæ vtilitas inuenitur: sed potius ab ipsa futuræ vitæ vtilitate exquirenda, mens diuersis occupationibus auocatur, vt cùm tempus est, diabolici timoris instinctu, aliquid quod ad salutem æternam proficiat, quisque nostrûm minimè agere permittatur. Induimur enim diuersis cupiditatibus ac desideriis huius mundi, quæ subitò tanquam fumus euanescunt, & insanabiliter sæcularibus illecebris sic nostra deseruit intentio, vt tanquam si immutabiliter in hoc mundo viuamus, sic de futura æternitate, aut vitæ, aut mortis periculo, quod vtrumque est, minimè cogitemus: sed hoc tantùm satagimus, quod in præsenti cognoscimus nostris desideriis adfuturum. Quantacunque enim vtilitas nostræ vtilitati adcrescat, parum esse putamus, secundum illam B. Cypriani sententiam:* Quid aliud in mundo quàm pugna aduersus diabolum quotidie geritur? *Et paulò pòst sequitur:* Si auaritia prostrata est, exurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio: si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia inuitat, inuidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit, &c. *Peruidens vir venerabilis tantis animam inimici iaculis quotidie vulnerari: vnde non virtus propria, sed sola diuina poterit eruere misericordia. Propterea lachrymabiliter exoramus, vt pro nobis cum omnibus illis quos Domino acquisisti, ac mundanis squaloribus erutos ad spiritalem vitam conuerti fecisti, eius pietatem exorare digneris, vt nobis misericordiæ suæ lumen ostendat, vt non sumat vindictam de peccatis nostris, vt in delictis nostris non moriamur, vt exuamur à laqueis & compedibus inimici, vt non se gaudeat lucrasse animam, quam Dominus suo sanguine redemit. Sed hoc enixissimè obsecramus, vt nostram supplicationem tuis precibus iustis, nostrósque gemitus tuis sanctis fletibus adiungas, vt mereamur vestris intercessionibus futuræ vitæ subsidium reportare, vt qui peccatis mortui sumus, vestris sanctis orationibus resurgamus. Aliter enim Elisæus Propheta suscitare non posset cadauer exanime, nisi refrænatis membrorum lineamentis, illo se corpori faceret æqualem. Minorauit se paululum magnitudo, vt cùm osculatur mortuum, implastraret animam, & redderet puerum viuum. Vnus se sternit, & duo consurgunt: & subitò redditur incolumis genitrici, qui alieno spiritu reuixit. Et ego ita confido vestro intercessu me viuum Ecclesiæ matri restitui, qui videor grauantibus peccatis mortis aculeo detineri. Scio enim quòd in iuuenili ætate vitæ, ante annos plurimos salutem animæ nostræ quæsieris, Dominumque ex hac re sæpissimè postulaueris, vt me à tentationibus huius vitæ erueret. Et quia adhuc peccatorum mole depressus mereri non potui, hoc deprecor, vt assiduis supplicationibus pro nobis Dominum exorare digneris, vt quolibet ordine, vel tempore delictorum nostrorum veniam assequatur. Et ne nostra flebilis ac diuturna oratio vestræ paternitatis sensibus fastidium generet, illud nobis iterum postulandum est, vt promissionibus vestris celer sequatur effectus: ac maligno operi illius, qui venerabilium Monachorum spiritualem vitam, & secundum sæculum quasi vilissimum, fastidiose contemnens, vsque ad cedros Libani euolans se peruenisse gloriatur. Cuius nomen nisi fallor per ordinem verborum superiore versu euidentiùs videor expressisse, cuius tractatum direxi. Qui emendicatis hinc inde sermonibus, aduersum rectam fidem & Catholicam veritatem visus est oblatrasse, & Homousianos (quos nos esse appellant) & Donatistas obiectionum suarum iaculis quasi vulnerans, sibi postea Catholicam vindicauit, sicut ex lectione diligenter vestra paternitas aduertet. Quare petimus, vt de mellifluo vestræ paternitatis fonte istius vanitas refellatur, auctorísque eius serpentis, cuius iste mala gramina pastus, quendam velut nouum errorem visus est pullulasse. Adsit luculenta responsio, & omnis aduersus Deum excogitata nequitia comprimatur: ne aliquid rectum aduersus dogmatis fidem, qui legunt eum dixisse reputent. Confundatur antiqui serpentis astutia, quia sibi tales prædicatores diuersis seditionum ac voluptatum illecebris aggregauit: eiúsque viperam venenosámque trisulcem linguam tuis sanctis responsionibus dissipa. Qui non doctoris, sed potius adulatoris*

Lib. de mortalitate.

4. Reg. 4.

latoris

latoris id temporis officio fungebatur falsitatis. Commentum quod suis posteris dereliquit, te respõdente eorum mentibus euanescat, quo aduersus Dei mysterium voluit militare. Propterea rogamus vt in hac parte, Domino adiuuante, bonæ famæ meritum, & præclarum omnibus extendas ingenium. Et quoniam præsens æstus aliqua recentia quærit, desiderium mentis audacter expressi, antiquæ familiaritatis charitate possessus: & sicut præ cæteris Sacerdotibus mentibus & oculis intuentium fulges, ita te cupimus frequenter florulentis opusculis fulgentiorem & nobis & omnibus gentibus apparere. Hoc pio fretus amore indocilis rerum scripsi: sitiens cum nimio ardore ad fontem peritiæ, ac doctrinæ cum rustico meo eloquio alacer accurri. Vnde nostram sitim & imperitiam satiari cupimus, vt non solùm futuræ vitæ præmium, sicut in prima fronte epistolæ vestrarum orationum solatia conquisiui, merear adipisci; verùm etiam huic operi in omnibus satisfactum fuisse gaudeamus. Vt non solùm nos, sed & omnis conseruorum nostrorum filiorum vestrorum religiositas, qui in te pio affectu dependent, & hoc de te nobiscum expectant, diuino muneri cum eis referam gratias. Et petimus vt nostræ rusticitati ignoscas, qui vt hæc auderem, ipse iussisti. Et licet nos aut exigua, aut nulla doctoris scientia imbuit, accedit etiam, vt si aliquid corde conceptum retineremus, aliis occupationibus implicati, vsum penè Latini sermonis amisimus, secundum illud dictum, Pectora vestra duas non dimittentia curas. *Sed ora vt Dominus præstet & faciat quod volumus. Guberna ergo & exorna famulum quem nutristi, & præsta doctrinam quam frequentiùs docuisti. Orantem pro nobis beatitudinem tuam diuinitas æterna custodiat, quod optamus Domine Pater.*

SERMO FASTIDIOSI ARRIANI.

DICIMVS, prudentissimi fratres, quod nostræ dignatur pusillitati diuinitas largiri. Deus iustitiæ est auctor & vitæ, immo ipse iustitia nostra & vita nostra. Nec ad peccatum fecit hominem, nec ad mortem,
Sap 1. Scriptura dicente, *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.* Quid ergo? mors accidit homini, quem fecerat Deus. Non enim dicitur creatoris, sed diaboli deceptoris. Postquam igitur à diabolo deceptus est homo, qui volens fecit iniquitatem, inuitus incurrit in mortem: præuaricatus est iniustè, & punitus est iustè. Deus verò cùm hæc vidisset duo in homine, culpam & mortem; vnam quam malè fecerat, alteram quam iustè pertulerat; cùm his duabus validissimis catenis homo tenebatur innexus, præcepit vt carnem susciperet Dominus Christus, non in qua peccator debitor fieret, sed in qua sine peccati debito, mortem indebitè pro debitoribus sustineret. Non vt Dei filius iniquitatis vinculo ligaretur: sed vt homo peccator iniquitatis vinculo solueretur. Hoc est quod Apo-
1.Tim.3. stolus dicit, *Magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum Gentilibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria.* Et reuera, doctissimi Christiani, quæ maior potuit esse pietas, quàm vt pro carnalibus hominibus Dei filius, paterno parens imperio, humanam carnem susciperet, & vita mortem pro mortalibus sustineret? & ille qui ante sæcula nascitur fundatus à patre, in nouissimo tempore nasceretur ex virgine? ille qui dat vitam mundo iaceret mortuus in sepulchro? Quantis ergo nunc deflendum est lachrymis, vel quanta cordis afflictione lugendum, quòd plerique nunc vsque durissimæ obstinationis nolunt peruicaciã deserere, dum assumptioni noxiæ indiscretè cupiunt deseruire. Qui cùm salutaribus nequaquam remediis acquiescunt, vel correctionis voluntatem abiiciunt, vitalibus dictis tanquam medicinalibus ferramentis manus contrarias opponentes, inde se vulnerant, vnde curari debuerant, ac vim spiritalium medicaminum sibi in contrarium vertunt: inde vulneribus suis augent putredinem, vnde assequi potuerant sanitatem. Bipartitus namque pridem error irrepsit, qui hactenus perditorum animas vinciens, ad quærendam veritatem spirare non sinit, Homousianis asserentibus inseparabilem, atque indiuiduã Trinitatem, nec patri filium fuisse minorem, nec patrem ingenitum filij sui esse factorem. Donatistis etiam prædicantibus communione malorum bonos pollui, dum sanctæ Scripturæ munus medelam salutis procul abiiciunt. Inter quos sancta mater Ecclesia Catholica Dauidico murmure noscitur decantare, sicut in præsenti cecinimus Psalmo: Psal.5.
Domine deduc me in tua iustitia propter inimicos meos. In tua enim deducor iustitia, dum te omnipotentem Deum, ingenitum atque increatum, filij tui Domini Iesu Christi credo factorem, Ioanne Baptista testante, *Post me venit qui ante me factus est.* Et Ioan.1.
Petro Apostolo prædicante ac dicente, *Sciat omnis* Act.2.
domus Israël, quia Dominum illum & Christum Deus fecit, hunc Iesum quem vos crucifixistis. Salomone etiam ex persona Christi prius declarante, *Ante sæ-* Prou.8.
cula fundauit me. Ecce factum, creatum, atque fundatum scriptura testatur, quem ita credere sacrilegi detestantur. Item inseparabilem atque indiuiduam, vt superiùs dictum est, adserunt Trinitatem. Et si filius, de quo Euangelista dicit, *Verbum caro* Ioan.1.
factum est, & habitauit in nobis, obcelata paulisper diuinitatis potentia thalamum virginalis vteri solus ingressus est, proculdubio separatus à patre & Spiritu sancto est. Sed ab vno nullatenus potuit Trinitas separari, quam constat omnino non diuidi, secundum ipsorum absurditatem. Ergo tota Trinitas carnem assumpsit, tota Trinitas passionum iniurias sensit, tota Trinitas in sepulchro iacuit, tota Trinitas inferos penetrauit, tota Trinitas tertia die à mortuis resurrexit, tota Trinitas quadragesima die in cœlos ascendit. Et ad cuius dexteram tota Trinitas sedet, vel quem spiritũ die Pentecostes tota Trinitas in Apostolos misit, aut cui Deo tota Trinitas in cœlo dicere potuit, *Deus,* Psal.21.
Deus meus, quare dereliquisti me, vel cui patri tota Trinitas ait, *Pater, in manus tuas commendo spiritum* Luc.23.
meum, si possunt, edicant. Quod si dicere nequeunt, ipsi se propriis iaculis perimunt, qui Trinitatem insepa

inseparabilem esse contendunt. Donatiana quippe vanitas non attendit ob hoc collatum hominibus baptismi beneficium, vt qui originaliter alienis grauantur erroribus, gratiæ medentis auxilio releuati, propria deinceps tantummodo baiularent: nec communio sacramenti, sed consensus damnaret vnumquemque peccati. Quoniam sicut peccata parentum in tertiam & quartam generationem ait se Dominus redditurum, quia terrena carnalisque natiuitas originali delicto monstratur obnoxia: sic alio loco, sicuti animam patris, ita & animam filij suam esse testatur, vt secunda cœlestisque natiuitas alienis peccatis cognoscatur penitus absoluta. Statim namque infert: *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Cui sententiæ Salomonis monitio concinit, nec alterum alterius grauari peccatis ostendit: *Fili*, inquiens, *si bonus fueris, tibi & proximis tuis: si autem malus euaseris, solus hauries mala.* Itaque Catholica fides vniuscuiusque erroris prærupta refugiens, ac Domino reducente, viam itineris cœlestis incedens, sobria crudelitate decantans ait, *Domine, deduce me in tua iustitia propter inimicos meos.* Atque inde à Patre per Filium Spiritum sanctum flagitans, itineris rectitudine, cuius gratuito munere gradiendi adepta est facultatem, sicuti necdum baptizatos, non solùm propriis, verum etiam alienis peccatis fatetur obnoxios, quos in iniquitatibus nouit esse conceptos, ita genitaliter lotos latice iniquitatis indemnes asserit alienæ, si voluntatis adsensus non teneatur in crimine. *Quotquot enim crediderunt in eum*, ait Ioannes Euangelista, *dedit eis potestatem filios Dei fieri: his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Sicut ergo ex voluntate carnis, atque ex voluntate viri exorti, aliena trahunt peccata, quamuis nondum habeant propria: ita ex Deo nati, si propriæ voluntatis in eis culpa non fuerit, nulla asperguntur alienæ iniquitatis iniuria. Quoniam sicut prima natiuitas edendo infixit, quod nascens non fecit: ita secunda abluto originali peccato natiuitas in sola positum imputat voluntate delictum. In hac igitur parte à malis sequestrari debemus, in qua primitias spiritus habentes consepulti Christo in baptismo resurreximus. In quo etiam veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, gratia Dei præueniente & comitante, deponimus, vt nouum hominem, qui secundum Deum in iustitia, & in sanctitate charitatis creatus est, induamus. Per Dominum, &c.

Ezech. 18. — Prou. 9. — Psal. 5. — Ioan. 5.

BEATI FVLGENTII Episcopi Ruspensis, contra Sermonem Fastidiosi Arriani, ad Victorem

LIBER VNVS.

CAPVT I.



CVm tuas litteras, charissime fili Victor, fidei & charitatis odorem suauissimum continentes, tota delectatione atque alacritate animi recenserem, subiectum reperi, quem mihi refellendum destinasti, Fastidiosi sermonem. Quo recensito, tanto dolui perditum, quanto magis sum compulsus exhorrere blasphemum; quem nouimus post Christianam fidem, post Monachi professionem, post Presbyterij honorem, quem in conspectu hominum cepit, & coram Domino non habuit, à via veritatis auersum, & suæ rursus redemptionis oblitum, factum fuisse fornicationis ac luxuriæ seruum, & ex hoc respuere maiestatis diuinæ seruitium. Inde est quòd ex Catholico factus hæreticus, ac de malo thesauro cordis sui proferens mala, contra rectam fidem, contra Catholicam veritatem non immeritò illum sermonem veneno impietatis crapulatus euomat: quando panem vitæ respuit, & salubrem veræ fidei cibum sui nominis indicio fastidiosus abiecit. In illo autem profano sermone vocans nos Homousianos, quod nos Arriani assolent nuncupare, hæc verba posuit: *Homousianis*, inquit, *asserentibus inseparabilem atque indiuiduam Trinitatem, nec patri filium fuisse minorem, nec patrem ingenitum filij sui esse factorem.* Attende, in istis Fastidiosi verbis quædam sic malè posita, vt nunquam possint bene asseri: quædam sic ab illo impiè dicta, vt & bene possint, si tamen adsit pietas, & dici pariter & audiri. Illud enim quo nos arguendos putauit, quia inseparabilem atque indiuiduam Trinitatem dicimus, ita malè atque impiè protulit, vt hoc quisquam benè proferre non possit. Quis enim non videat, quanta impietate ab Arrianis Trinitas separabilis asseratur? B. Apostolus de nobis dicit: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an periculum, an fames, an persecutio, an gladius?* & paulò post: *Certus sum, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudines, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

Rom. 1.

CAPVT II.

CVm ergo B. Apostolus per gratiam Dei non nos posse ab ipsius separari charitate confidat, quomodo se non sentiant laqueo mortifero impietatis innexos, qui S. Trinitatem separatam prædicare non dubitant, cuius opera in aliquo separabilia demonstrare non possunt? Nam in eo quod Euangelista de filio dicit: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*: & in eo quod B. Dauid canit: *Quàm magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti*: Christum autem Dei virtutem & Dei sapientiam beatus profitetur Apostolus, de quo dicitur: *Quia in ipso condita sunt vniuersa in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt*: manifestum est omnia opera patris eadem esse opera filij, eademque esse opera Spiritus sancti. Inseparabiliter quippe S. Trinitas operatur: nec est opus, quod fecerit pater, & non fecerit filius: aut quod fecerit filius, & non fecerit Spiritus S. Scriptum est enim, *verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis*

Ioan. 1. — Psal. 103. — Coloss. 1.

omnis virtus eorum. De sapientia quoque quam nos in Angelis creatam dicimus, in Ecclesiastico libro
Eccl.1. scriptum legimus. *Prior omnium creata est sapientia, & intellectus prudentiæ ab æuo.* Vt ostenderet verbo Dei, per quod facta sunt omnia, etiam Angelos factos, continuò sancta Scriptura subiunxit: *Fons sapientiæ verbum Dei, & ingressus illius mandata æterna.* Et paulò post, vt ostenderet Angelos ad opera
1.Cor.12. Spiritus S. pertinere, ita dicitur: *Vnus altissimus creator omnipotens est, Rex potens, metuendus nimis, sedens super thronum illius & dominans. Deus creauit illum Spiritu S.* Quid igitur ab Spiritu sancto factum negabitur, à quo virtus cœlorum firmata legitur, & cuius operâ creata sapientia prædicatur? Nam & de diuinis donis, quæ Deus Ecclesiæ suæ tribuit, cùm beatus loqueretur Apostolus, & dixisset, *Diuisiones autem gratiarum sunt, idem autem spiritus, & diuisiones ministrationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus*: enumerata deinde donorum diuersitate cœlestium, intulit: *Hæc omnia operatur vnus atque idem spiritus diuidens singulis prout vult.* Quid autem in omnibus creaturis, in quibus
Matth.12. sapientia attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, ab operatione sancti Spiritus inueniri poterit alienum, cùm se in Spiritu Dei eiicere dæmonia Christus, qui est Dei virtus, & sapientia, protestetur? Ipse enim dixit: *Si autem ego in spiritu Dei eiicio dæmonia, ergo peruenit in vos regnum Dei.* Quomodo ergo Fastidiosus Trinitatem inseparabilem negat, cùm opera Trinitatis eadem, atque inseparabilia esse in creaturis omnibus, nemo negare audeat Christianus. Inseparabiliter quippe operatur vnus Deus, videlicet Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Eadem namque opera sua esse quę
Ioan.5. patris sui, Dei vnigenitus protestatur, dicens: *Quæcunque enim pater facit, hæc eadem filius similiter facit.* Et tamen quæ filius facit, in Spiritu sancto facit, in quo dæmonia eiicit.

CAPVT III.

NE verò, pro eo quòd diximus quòd & filius ex Spiritu sancto facit quæcunque facit, aliquam diuersitatis velint Arriani asserere quæstionem, putantes minorem debere accipi eum, in quo aliquid fit, ab eo qui facit; audiant Saluatorem nostrũ huic peruersitati omnimodo resistentem in eo quod di-
Ioan.3. cit. *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur eius opera, quæ in Deo sunt facta.* Hîc eligant Arriani, quomodo velint accipere Deum in filio nominato, vtrum Patrem, an Filium, an Spiritum sanctum? Si enim patrem putauerint accipiendum esse, in quo bona opera ab hominibus fiunt, ipsi destruunt, quod personæ Spiritus S. blasphemantes obiiciunt. Neque enim patrem audebunt minorem dicere, cui secundum diuinitatem nolunt æqualem filium prædicare. Ac per hoc, cùm in patre homo bona opera facit, & in Spiritu sancto Christus eiicit dæmonia, cognoscant æqualitatem patris, & Spiritus sancti. Si verò filium hîc accipiendum dixerint: ex hoc quòd in filio, & in Spiritu S. bona opera fiant, non solùm compelluntur filium, & Spiritum S. æquales fateri, verùm etiam fatebuntur eadem, atque inseparabilia esse opera Patris, & Filij, &
1.Cor.12. Spiritus S. *Omnia enim operatur vnus atque idem spiritus*, sicut B. Apostolus testatur. Si verò Spiritũ S. æstimant Arriani, necesse est, vt ex hoc loco compellantur Deum fateri Spiritum S. Non enim dixit spiritus Domini, qui facit veritatem, vt manifestentur eius opera, quæ in Spiritu sancto sunt facta, sed quæ in Deo sũt facta, quæ nos nõ in solo patre, nec in solo filio, nec in solo Spiritu sancto facta dicimus, sed in ipsa Trinitate sancta, quæ vnus Deus est, veritatẽ ab homine fieri confitemur, in quo virtutem à fidelibus fieri B. Dauid insinuat dicens. *In Domino faciemus virtutem: & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos*, Ipse enim est vnus Deus, de Psal.59.
quo B. Apostolus dicit, *Quoniam ex ipso, & in ipso omnia sunt: ipsi gloria in sæcula.* Rom.11.

CAPVT IV.

QVomodo igitur sancta Trinitas ab impiis separabilis dicitur, cùm inseparabiliter operatur: à quibus, quantũ datur intelligi, nec in spiritu quod dicitur separari, sicut rei veritas exigit, cogitatur? A Deo enim nostro, id est ab ipsa Trinitate sancta, nihil potest localiter separari, quia idẽ Deus sũmus, verus & bonus, sicut omnia fecit, sic omnia continet & replet immensus. Non est autẽ corporalis, neque localis: & ideò nec ipsa corporalia possũt à Deo localiter separari: quia in loco est omne corpus, & sine Deo nullus est locus. Deus enim sic nullo continetur loco, vt ipse contineat omnẽ locum: in quo moles est nulla, & cuius est virtus immensa. Cum igitur corpora, quæ sine loco esse non possunt, non possint à Deo localiter separari, proculdubio neque spiritus, quos Deus creauit, à Deo localiter separantur. Omnis enim spiritus, quem creauit, Deus in quocũque loco sit, ibi est Deus, qui licet in spiritibus malis non sit per gratiã, per quã quibus ipse vult vitam sanctam, beatitudinemque largitur, per potentiã tamen naturalem in omnibus creaturis suis sic semper est, vt nulla creatura, vel particula creaturæ inueniri possit, in qua Deus per potentiam non sit. Illa igitur natura separari potest à Deo, quæ potuit, aut potest subiacere peccato. Nec est alia res quæ possit à Deo discedere, nisi substãtia quæ potest, aut potuit propria voluntate peccare.
Dicit enim Esaias: *Ecce non est abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat, neque aggranata est auris eius, vt non exaudiat: sed iniquitates vestræ diuidunt inter vos, & Deũ vestrum.* In libro quoq; sapiẽtiæ ostenditur homines à Deo, non locis, sed prauis cogitationibus, & iniquis actibus separari. Ibi enim dicitur, *Peruersæ enim cogitationes separant à Deo.* Sap.1. Esai.59.
Probata autem virtus corripit insipientes, quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia, nec inhabitabit in corde subdito peccatis; spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. Hic autem quis non videat Trinitatem personarum proprietatibus intimatam? Dictum est enim, quoniam *peruersæ cogitationes separant à Deo*, quo nomine persona Dei patris agnoscitur. Deinde adiectum est, quoniam *in maleuolam animam non introibit sapientia*, quo nomine Christus ostenditur, quem Dei virtutem & Dei sapientiam Paulus appellat. Deinde dictum est, quoniam *Spiritus S. effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.* Ne quis autem putaret, quoslibet iniquos, aut impios ab ista sancta Trinitate, quæ vnus, verus, & bonus est Deus, localiter posse separari, paulò post scriptura sic loquitur. *Humanus est enim Spiritus sapiẽtiæ, & non liberabit maledictum à labiis suis, quoniam renum illius testis est Deus, & cordis eius inspector verus, & linguæ illius auditor. Quoniã Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Immensitatem itaque sanctæ Trinitatis diuina non cessant eloquia profiteri. Hanc vtique bea- Psal.138.
tus Dauid certissimè nouerat, & ideò dicebat, *Quo ibo à spiritu tuo, & à facie tua quò fugiã? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.* De sapientia quoq; id est, Dei filio, scriptura dicit, quoniam *attingit à fine vsque ad finem, & disponit omnia* Sap.8.
suauiter. Quoniam igitur à sancta Trinitate, quæ vbique tota est, nulla res localiter separatur; sed solæ

solæ separauit à Deo, sicut iam diximus, iniquitates, & peruersæ cogitationes: quisquis Trinitatem separabilem conatur adserere, necesse est dicat, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum prauis cogitationibus, & iniquitatibus posse naturaliter subiacere. Quis autem se ipsum laqueo tantæ impietatis euoluat, vt aliquam separationem in illa Trinitate, vbi naturalis est vnitas, suspicetur; cum per acceptam gratiam, sicut est superiùs à nobis demonstratum, confidat Paulus fidelis à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro, posse nullatenus separari? Beatus autem Ioannes Apostolus & charitatem ex Deo esse, & charitatem Deum esse confirmat his verbis: *Charissimi, diligamus inuicem, quoniam charitas ex Deo est, omnis qui diligit, ex Deo est, & Deus est charitas.* A seipsa vtique separari non potest, quia inseparabilis est. Nam cùm homines qui à se possunt inuicem separari, non solùm ipsa inseparata possideat, sed ex multis cordibus atque animabus vnum cor, vnamque animam faciat, quæ dementia est ipsam charitatem separabilem dicere, quæ separatas mentes inseparabili solet amore sociare? Hinc est vtique quod Paulus dicebat: *Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum, gaudens, & videns ordinem vestrum.* Et in Actibus Apostolorum scriptum est, quia *multitudinis credentium erat cor, & anima vna.* Quod vtique non scit nisi spiritus fidei, & charitatis. Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris. Et per ipsum spiritum fit, vt omnes credentes, sicut Apostolus ait, sint vnum corpus & vnus spiritus. Vnde ipse alio loco dicit: *Etenim in vno spiritu omnes in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi siue Gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes in vno spiritu potati sumus.* Baptizari autem omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti vnigenitus Dei filius ore suo mandauit.

Ioan.4.
Ibid.
Coloss.2.
1. Cor. 12.

CAPVT V.

CVm ergo baptisma datur in nomine Trinitatis, in vnum corpus fideles omnes baptizari facit, vt ex hoc vnum corpus omnes efficiantur, dicente B. Apostolo, quia *vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Multitudinis quoque credentium fuit cor, & anima vna per charitatem, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis. Profectò apparet quanta impietate Trinitas ipsa separabilis dicatur, cùm vtique à Deo quælibet creatura, non loco, non tempore, sed solis iniquitatibus separetur. Inde est quod de quibusdam dicit Deus: *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me.* Et tamen ipse dicit, *Ego sum Deus approximans, & eorum Deus de longinquo: si absconditus fuerit homo, ego non videbo eum? nonne cælum & terram ego impleo?* Ipse tamen Dauid dicit, *Ecce qui se elongant à te, peribunt.* Et vt ostendat quid sit elongare à Deo, adiecit, *perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* Corde igitur creditur à Deo, ad quem & corde acceditur. Nam manifestum est Deum vbique totum esse, sed loco nullatenus contineri. Spiritus est enim Deus, creator vtique, non creatus, omnium corporum, omniumque spirituum factor incommutabilis, æternus, immensus, iustus, & bonus. Qui ab omnibus rebus quas fecit, nunquam discedit per immensitatem naturæ. Neque enim fieri potest, vt alicui rei, quæ habet à Deo, vt sit, ipse Deus per potentiam desit. Et tamen per misericordiam, & iudicium, quo ei cantare non desistit Ecclesia, non incongruè dicitur, & fidelibus adesse, & infidelibus longè abesse. Nam quod attinet ad naturam, quia totum quicquid creatum est, siue corporale, siue spiritale, sola sancta Trinitas, id est, vnus Deus, qui est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vna voluntate, vna operatione, vna virtute, vna beneuolentia, vnaque omnipotentia fecit: sicut totam creaturam implet Pater, vtique virtute, non mole, sic totam implet filius, sic totam implet Spiritus sanctus. Neque enim totam creaturam sic implet Trinitas, vt partem impleat Pater, partem Filius, partem Spiritus sanctus, nec tamen tota impleatur à solo Patre, neque à solo Filio, neque à solo Spiritu sancto. Quis enim sic de Trinitate, id est, de vno Deo audeat sentire, non dico stultus, sed omnino sacrilegus, cùm virtus Dei atque diuinitas necesse est ita sit naturaliter immensa, sicut est naturaliter sempiterna? Sed homines carnalibus sensibus dediti etiam ipsum Deum non possunt nisi carnaliter cogitare. Et existimant Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum sic posse ab inuicem separari, sicut à se homines separantur; qui sicut distinguuntur modo, & quantitate vniuscuiusque corporis, necesse est ita discernantur & locis. Tales autem dum in luto carnis animas voluunt, creatis phantasmatibus suis, & grauati pondere vanitatis, quanto magis in illarum rerum cogitatione versantur, quæ corporeis oculis corpoream ingerunt molem, tanto minus possunt ad intelligendam conscendere deitatem. Nec attendunt à Domino Deo per sanctum Esaiam præcipi, ne de illo sic cogitare velimus, sicut de creaturis, quas ab eo factas nouimus: quia nec ipse sic cogitat, sicut nos homines cogitamus. Vnde dicit Esaias: *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neque viæ meæ, viæ vestræ, dicit Dominus: Quæ sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.*

Matth.15.
Hier.23.
Psalm. 72.
Esai.55.

CAPVT VI.

DEus itaque Pater, Verbum eius, & Spiritus sanctus, id est, sancta Trinitas, solus, vnus, verus, & bonus Deus, sicut non est in eo cogitatio, quæ temporis volubilitate varietur, (neque enim, sicut homines, aliter cogitauit priusquam mundum faceret; aliter cogitat postquam mundum fecit, aut aliter cogitaturus est, postquam mundi huius figura transierit; quia consilium Domini manet in æternum) sic est inseparabilis, sicut incommutabilis. Trinitas enim vnus Deus, nec corpus est, nec creatus spiritus; quia corpus loco concluditur, & omnis spiritus qui creatus est, naturæ suo modulo terminatur. Trinitas autem vnus Deus, sicut est æternus, & nulla illi coæterna sunt tempora; sic est immensus, quem nulla potest concludere creatura, & quia immensus, vbique totus: quia nec continetur loco, nec distenditur, aut contrahitur spatio. Deus itaque sapientia est, Deus veritas est, Deus charitas est. Hoc Pater, hoc Filius, hoc Spiritus sanctus, hoc ipsa Trinitas, qui vnus, verus, & bonus est Deus. Si quis ergo docere potest, siue in sapientia, siue in veritate, siue in charitate aliquam diuisionem esse, audeat indubitanter & asserere Trinitatem. Si verò nec sapientia, nec veritas, nec charitas aliquatenus diuiditur, ex hoc vtique Trinitas indiuisibilis, atque inseparabilis agnoscitur. Apparet igitur magnam fuisse Fastidiosi impietatem, qua nos in eo putauit omnino culpandos, quia fatemur inseparabilem, atque indiuiduam Trinitatem: cùm vtique, sicut præcedens disputatio docuit, quam non solùm ratio, sed & testimonium sufficiens diuinorum copia roborauit, nec loco contineri

quia natura Trinitatis immensa, nec peccato subiacere possit quælibet in Trinitate persona, quia ipsa Trinitate est naturaliter æterna, perfecta, incommutabilisque iustitiæ. Minorem verò filium hæretica quidem prauitas male asserere nititur: pietate verò seruata Catholica veritas æqualem confitetur. Hæretici quippe incorpoream Diuinitatem non nisi corporaliter cogitantes, cum secundum naturam dicunt filium minorem, sub imagine Christiani nominis, quam fallaciter prætendunt, idololatriæ nefando crimine semetipsos inuoluunt. Quid est enim Deum maiorem, & Deum minorem in singulis personis dicere, nisi diuersi generis diuersæque virtutis Idola, non in parietibus, sed quod deterius est, in cordibus collocare? Hinc enim se duos Deos colere Arriani euidenter ostendunt, dum æqualem Patri filium negant; & cum minorem, non assumptione carnis (quod fidei veritas habet) sed natura immensæ diuinitatis asseuerant, cùm de ipso dictum sit, qui sapientia Dei est. Sap.7. *Qui candor est lucis æternæ.* De quo in Epistola ad Hebræos dicitur, Hebr.1. *qui cùm sit splendor gratiæ, & figura substantiæ eius.* Attendant autem candorem lucis æternæ, & agnoscant, quia sicut illa lux æterna est, & immensa, ita suum quoque candorem nec posteriorem naturaliter habet aliquatenus, nec minorem; sed æternitas immensitatem, æternitatem immensitas æqualem.

CAPVT VII.

Fides igitur Christiana, quæ nouit vnigenitum Deum, & de Patris natura solùm natum, & de virgine Maria creatum, cognoscens in eo veram manere vtramque substantiam, sic eum verè de patre Deo Patri confitetur æqualem, vt sine mendacij, atque impietatis crimine prædicet & minorem. Nam quia vna est illi naturalis cum patre diuinitas, & vna cum matre naturalis humanitas, in eo est æqualis patris filius, in quo de patre verus est Deus, & in eo est pater maior filio, in quo ipse vnigenitus Deus verus est homo. Ipsa est ergo fides vera, ipsa pietas sancta, ipsa credulitas Christiana, in vno eodemque Dei filio, & naturam paternæ diuinitatis credere, & maternæ humanitatis substantiam non negare. Nec diuersam credere diuinitatem Filij à diuinitate Dei Patris: nec separari humanitatem filij ab humanitate virginis genitricis: sed in eodem vero Deo veram totamque credere nostri generis humanitatem, & in eodem vero totoque homine veram plenamque paternæ naturæ credere deitatem. Qui enim substantiæ Patris in filio denegat vnitatem, Arriana impietate polluitur: qui autem negat veritatem carnis in vnigenito Deo, Manichææ pestis crimine profanatur: qui verò negat in eodem Dei filio humanam, id est, rationalem animam, Apollinaristarum sacrilegio protinus inquinatur.

CAPVT VIII.

Quocirca paternæ maternæque naturæ in vnigenito Deo veritate ad plenitudinem credita, & in vna Christi persona geminæ substantiæ naturali proprietate seruata, piè veréque patri filius æqualis, & minor dicitur, piè veréque coæternus, & posterior prædicatur, piè veréque & semper natus, & in tempore natus, & semper incommutabilis, & in tempore mutatus asseritur. Est itaque filius æqualis Patri, quia hoc semper habet ex Patre. Est etiam Patre minor, quia hoc temporaliter accepit ex virgine. Quocirca sicut piè filius æqualis dicitur Patri quando in eo humanitas, quia Patre minor est, non agnoscitur: sic impiè minor idem filius dicitur, quando in eo naturaliter cum Patre diuinitatis vnitas, & æqualitas denegatur. Dicimus ergo filium naturaliter æqualem, dicimus & minorem. Dicimus secundum formam Dei æqualem natum: secundum formam vero serui habitu minoratum. Dicimus æqualem Patri, in quo cognoscamus sine initio natum de Patre: dicimus, & minorem, quia cùm venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex matre, factum sub lege. Proinde sicut indubitanter prædicamus natum, sic vtique prædicamus & factum. Dicimus enim sine initio natum de corde patris: dicimus in tempore factum opere Trinitatis. Filium enim suum proprium, & de sua natura pater genuit, & de natura virginis fecit. Quidquid autem fecit, cooperante filio, & Spiritu sancto fecit. Filium ergo suum solus quidem Pater genuit, sed non solus fecit. In filio enim vnigenito solius æterna generatio patris: & in eodem filio facto vna totius operatio est Trinitatis. Creator quippe hominis vnigenitus Deus, creatus est homo; & idem qui de viro mulierem fecit, de muliere vir factus est. Vnde apparet, quia testimonia, quæ de Euangelio, & de Actibus Apostolorum, ac Salomone Fastidiosus impiè protulit, non vnitatem paternæ naturæ filio adimunt, sed Sacramentum diuinæ Incarnationis ostendunt. Quod certissimè sciens Ioannes Baptista, dixit: *Hic est de quo dixi: Post me venit, qui ante me factus est.* Ioan.1. Cuius Sacramenti veritatem prædicans Petrus Apostolus ait: *Certissimè itaque sciat omnis domus Israël, quia & Deum illum, & Christum Deus fecit hunc Iesum, quem vos crucifixistis.* Act.2. Dignè vtique dixit factum, quem prædicat crucifixum. Deus quippe vnigenitus, incomprehensibilis, & immortalis, à nullo factus, & rerum omnium factor æternus, suo dignatus est opere Christus fieri, vt Iudæorum posset opere crucifigi: quia redemptorem mundi traditum crux nulla ratione portasset, nisi mundi factorem conceptum virginis vterus edidisset. Ipse igitur etiam per Salomonem generationis creationisque suæ insinuans veritatem, dixit: *Dominus creauit me initio viarum suarum in opere suo.* Prou.8. Sed antequam hoc diceret, manifestum futuræ Incarnationis suæ præmisit indicium, dicens: *Si nuntiauero vobis, quæ quotidie fiunt, commemorabo quæ à sæculo sunt.* Enumerans deinde subiunxit, *Dominus creauit me initio viarum suarum in opere suo.* Hæc vtique creatio à sæculo est, non ante sæculum. Nam postmodum dicit, *ante sæcula fundauit me*, & paulò post: *ante omnes colles genuit me.* Hîc quod dicit, *ante sæcula, & ante omnes colles*, æternitatem voluit intelligi natiuitatis diuinæ. Et ante sæcula, & post sæculum æternitas est. Et sic æternitas filij Dei ante sæculum non habet initium, sicut æternitas eius post sæculum non habet finem. Sic autem pro tempore futuro tempus præteritum ponens, dicit sapientia: *Dominus creauit me*; pro eo quod est, creaturus est me; & ita dixit tanquam factum, quod vtique erat faciendum: sicut per beatum Dauid dixit: *Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi verò considerauerunt, & conspexerunt me. Diuiserunt sibi vestimenta mea, & in vestimentum meum miserunt sortem.* Psal.21. Dicens itaque, *Dominus creauit me*, ostendit, quemadmodum fuerit factus. Dicens etiam, *foderunt manus meas*

meas, *& pedes meos*, ostendit quemadmodum fuerit crucifixus. Sicut autem hoc vtique futurum erat, quod tanquam factum de sua passione per Dauid Dei filius cecinit: ita futurum erat, quod tanquam factum de sua incarnatione per Salomonem ipse qui est Dei sapientia, prophetauit. Nam
Sap. 9. ipse Salomon paulò priùs ait: *Sapientia ædificauit sibi domum,& subdidit columnas septem*, quod ad incarnationis dominicæ pertinet ortum: Isaias quoque de Christi passione loquitur sic, vt quod futurum prophetat, tanquam præteritum dicat. Ipse
Esai. 7. enim dicit de Christo: *Sicut ouis ad immolandum ductus est,& sicut agnus coram tondente sine voce, sic non aperuit os suum*. Nam & ipsam vnigeniti Dei secundum carnem de virgine natiuitatem, non solùm aliquando tanquam futuram prædicit, sed aliquando tanquam præteritam dicit. Denique quo-
Esai. 7. dam loco ait: *Ecce virgo in vtero habebit,& pariet filium.* Alio item loco tanquam factum, atque trans-
Esai. 9. actum insinuans ait: *Puer natus est nobis,& filius datus est nobis.* Quis ergo non videat, illud totum quod de humanitate, & passione vnigeniti Dei dictum est per Prophetas, eodem tempore sic fuisse in veritate futurum, sicut nunc est in veritate præteritum? Ad ostendendam verò incommutabilitatem diuini consilij, factum est, vt prophetica scriptura tanquam præteritum sit diceret in sermone, quod futurum expectabatur in opere. Deus enim, de quo
Esai. 48. hic dicit Propheta, *qui fecit quæ futura sunt*, ideò quæ facienda fuerant, tanquam facta narrare voluit, quia quæ in tempore mutabiliter fiunt, incommutabili dispositionis æternitate firmauit. Itaque & his, in quibus necdum est effectus operis, firma permaneat in æternitate dispositio creatoris. Sic ergo Dei filius cum suo esset opere creandus, se dixit creatum, sicut crucifigendus non se dubitauit dicere crucifixum.

CAPVT IX.

ADhuc autem corde peruerso, atque ore sacrilego Fastidiosus insaniens ex hoc voluit adserere filium à patre, & Spiritu S. separatum, quia solum constat thalamum vteri virginalis ingressum.
Psalm. 18. De quo in libro Psalmorum dicitur. *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Cupiens deinde peruersitatis suæ firmare sententiam, etiam illam non dubitauit adserere blasphemiam, dicens, quod se nullatenus potuit Trinitas separare, quam constat omnino non diuidi. *Ergo tota Trinitas carnem assumpsit, tota Trinitas passionum iniurias sensit, tota Trinitas in sepulchro iacuit, tota Trinitas infernum penetrauit, tota Trinitas tertia die à mortuis resurrexit, tota Trinitas quadragesimo die in cœlos ascendit. Ad cuius dexteram tota Trinitas sedet, vel quem Spiritum die Pentecostes tota Trinitas in Apostolos misit, aut cui Deo tota Trinitas in cruce dicere potuit, Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? vel cui patri tota Trinitas ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. si possunt, edicant. Quod si dicere nequeunt, ipsi se propriis iaculis perimunt, qui Trinitatem inseparabilem esse contendunt.*

CAPVT X.

HActenus in illo profano sermone contra Catholicam fidem Fastidiosi verba tenduntur. In quo tamen, exceptis his quæ in sanctæ Trinitatis contumeliam blasphemauit, penè omnia, siue præcedentia, siue subsequentia, de aliorum dictis nequissimus vsurpauit. Denique omnia quæ aduersus Donatistas posuit, de quibusdam duabus Epistolis furatus est, in quibus contra Pelagianos atque Donatistas, cùm nobis in exilio Sardiniæ constitutis, ad religiosam Ecclesiæ filiam Stephaniam esset ab omnibus rescribendum, ipso prorsus verborum ordine, quo illa idem nequissimus fraudulenter sub nomine suo posuit, inueniuntur inserta. Vt autem tibi non deesset rei huius agnitio, duas epistolas quas ad nos memorata Stephania destinauit, & quas ei nos rescripsimus, huic feci opusculo subiici. Vt agnoscas in illo sermone ea tantum fuisse Fastidiosi, quibus in ipsius sanctæ Trinitatis iniuriam cæco corde prosiliens Catholicam oppugnare conatus est veritatem.

CAPVT XI.

NVnc itaque blasphemiis eius Domino adiuuante respondeo. Non tota Trinitas carnem adsumpsit, nec tota Trinitas passionum iniurias sensit, neque tota Trinitas in sepulchro iacuit, neque tota Trinitas infernum penetrauit, neque tota Trinitas tertio die à mortuis resurrexit: & si qua sunt alia quæ conuincantur in Sacramento illo incarnationis ad solius Filij pertinere personam. Hæc enim quæ catholicæ veritati Fastidiosus plena falsitatis, & peruersitatis obiecit, non nisi Sabellianis, id est, Patripassianis, possunt veraciter obiici, in quibus reuera illi conclusi atque conuicti deficiunt, qui sanctæ Trinitatis, sicut vnam naturam, sic vnam personam prædicare contendunt. Vbi eos sua peruersitas consequenter ad hanc absurditatem præcipitat, vt natiuitatem quidem diuinam nullatenus credant: naturam verò secundùm carnem, nihilominus passionem ac mortem, resurrectionem quoque ab inferis, & ascensionem in cœlum, & omnia illa quæ in Sacramento incarnationis ad personam vnius filij pertinent, Patri consequenter adsignent. Catholica verò Ecclesia diuinitus inspirata, tenens Fidei veritatem, sicut nouit vnam naturam sanctæ Trinitatis asserere, ita cautissimè sua tribuit vnicuique personæ. Filius ergo Dei nos misericorditer redempturus, in eo rectè creditur solus assumpsisse, quia humanam naturam non ita suscepit, vt vna in eo fieret natura diuinitatis, & carnis. Neque enim in Christo hoc Deitas potuit esse, quod caro, quia vtraque natura retinente proprietatem suam, fieri non potuit, vt quælibet earum aut esse desineret, aut in alteram omnimoda prorsus abolitione transiret. Quod si fieret, dignè diceretur à tota Trinitate carnem susceptam, quando carnem suam filius in illam conuerteret diuinitatem, quam ei cum Patre & Spiritu sancto profitemur manere communem.

CAPVT XII.

NVnc verò, quia in Christo alteram diuinam, & alteram humanam dicimus esse naturam: propterea vtique humanam naturam, id est carnem, rationalemque animam, non à tota Trinitate, sed à solo Filio credimus, confitemurque susceptam. In vnitatem quippe personæ, non in vnitatem naturæ Deus vnigenitus carnem suscepit & animam: quia vtique persona filij non est eadem, quæ Patris est, aut Spiritus sancti. Vnitas ergo personæ, manente duntaxat vtriusque proprietate substantiæ, sicut in Christo personam non fecit duplicem, sic humanæ naturæ susceptionem non fecit sanctæ Trinitati communem. Filio enim Dei non sicut est vna communisque cum Patre, & Spiritu sancto natura, sic & vna communisque persona.

CAPVT XIII.

PRoprium est itaque solius filij seruilem formam misericorditer accepisse. Ad personam quippe Dei vera acceptio illa seruilis formæ pertinuit, quæ non in Diuinam naturam confusione transiuit. Ideo illius formæ seruilis acceptio, secundum quam Dei filius, qui est omnium rerum Dominus, & in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis, verus & plenus factus est homo, nihil ei diuinæ plenitudinis abstulit, nihil dominationis ademit: quia in ipsa vna persona sine confusione mansit diuina humanaque natura. Hinc est quod in vno eodemque Christo, & humanæ naturæ veritas claruit, & diuinæ naturæ incommutabilitas æterna permansit. Neque enim vel imminutum est in illo aliquatenus, vel mutatum, quod naturaliter habuit in æternitate, per illud quod accepit ex tempore. Factus est quippe habitu seruus, sed Dominus rerum omnium naturaliter esse non destitit. Et factus est secundum carnem pauper: nihilominus tamen secundum diuinitatem ditissimus mansit. Hinc est quod beatus Apostolus Christianos asserit paupertate ditatos, dicens: *Nostis gratia Domini nostri Iesu Christi, quia propter nos egenus factus est cùm esset diues, vt illius paupertate vos diuites essetis.* Nos autem diuites sua paupertate nullatenus faceret, si pauper factus naturalis diuinitatis in se diuitias non haberet. Pauper ergo factus est secundum formam serui: diues permansit secundum formam Dei. Paupertas itaque formæ seruilis non est illi cum patre, & Spiritu sancto communis, quia post naturæ humanæ paupertatem in vnitate personæ susceptam, diues in eo permansit diuina substantia. Quæ fuit autem diuitis filij Dei paupertas, nisi nostra infirmitas, nostraque mortalitas? Quidquid autem in infirmitate, ac morte secundum carnem Deus vnigenitus pertulit, diuinitas non sensit. Misit enim Deus filium in similitudinem carnis peccati, in quo fuit vera caro, sed nulla fuit peccati pollutio. Similitudo ergo carnis peccati illa fuit in carne Christi, cum illa non esset caro peccati: quòd fuit infirma, quòd passibilis, & mortalis, quòd vulneri subdita, dolorique subiecta. Veruntamen hæc omnia non substantialiter, sed personaliter diuinitati Christi, humanitatique communia. Persona verò Christi à persona Patris, & Spiritus sancti omnino discernitur. Quæ vna persona diuinitatis atque humanitatis in Christo sic permanet, vt nec alteram naturam separari ab altera sinat, nec confundi vtramque permittat. Christus igitur, qui est via, veritas, & vera vita, via nobis est, quia veram infirmitatem in veritate carnis habuit: & vera vita nobis est, quia vera virtus in eius vera diuinitate permansit. Hoc Apostolus discernens ait, *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei.*

2. Cor. 4.

2. Cor. 13.

CAPVT XIV.

IN vno ergo eodémque Christo, sicut humanæ carnis infirmitas non sibi potuit vitam vel dare, vel reddere, quia potestas illa ponendi animam, & sumendi, non fuit ex infirmitate humana, sed ex virtute diuina: ita diuinæ virtutis æternitas, cui proprium naturaliter est incommutabiliter, atque indeficienter viuere, nihil infirmitatis, aut mortis potuit in cruce sentire. Vnigenitus itaque Dei filius in eo ex patre natus, Deus verus, & de matre factus, homo verus cognoscitur: quia & indicia infirmitatis in veritate carnis ostendit, & documenta virtutis in diuinitatis veritate monstrauit, ostendens scilicet in vnitate personæ, aliud sibi nobiscum, aliud cum patre, & Spiritu sancto naturaliter esse commune. Christo enim nobiscum naturalis est communio animæ & carnis: cum patre autem, Spirituque sancto naturalis est ei communio deitatis. Quomodo igitur quæ carnis sunt, cum Patre & Spiritu sancto communia Dei filius habere potuit, qui carnem suam nullatenus cum sua diuinitate confundit: ita non præiudicat catholicæ Fidei, quod credimus nostram naturam in vnitate personæ ab vnigenito saluatore susceptam, cum fateamur vnam sanctæ Trinitatis manere substantiam. Illam quippe humanitatem Filij tota Trinitas fecit, sed non sicut tota Trinitas fecit, sic Trinitas tota suscepit: quia persona, quæ non est filio cum patre, & Spiritu sancto communis, ipsa in Christo vna est diuinitatis, & carnis. Vbi autem siue personarum, siue substantiarum inuenitur vlla discretio, non semper ad communionem acceptionis refertur, quidquid in communione operis inuenitur. Quod quia obscurum videtur, dum solo profertur eloquio, melius est vt intelligendi facilitas apto, quantum res permittit, præbeatur exemplo. Est quidem similitudo ad cognitionem fidelibus prompta, quam in sua Deus similitudine collocauit. Imago autem ista mens humana est. Legitur enim dixisse Dominum: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* In quo sermone multum dolendi sunt hæretici Arriani, qui scripturas sanctas legunt, nec intelligunt, & cordis cæcitate confusi, vnitatem naturalem in S. Trinitate non agnoscunt: in qua personas patris, & filij, & Spiritus sancti prædicatione discernunt.

Genes. 1.

CAPVT XV.

CVm vtique in eo testimonio, quod supra posuimus, ipsa Trinitas, quæ est Deus vnus, verus, & bonus, & vnitatem suæ diuinitatis ostendat, & trium personarum euidenter demonstret indicium: dixit enim, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, ne in tribus personis vnitas substantiæ negaretur: nec dixit faciam hominem ad imaginem, & similitudinem meam, ne in illa diuina natura vna tantùm crederetur esse persona. Sed singulari numero pluralem salubriter miscuit, & cum Deum dicentem: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, legimus, hoc quod singulariter dicimus esse naturæ, pluraliter in personis esse definimus. Hæc itaque imago, id est, interior homo, tria quædam secum habere naturaliter inuenitur, memoriam, intelligentiam, & voluntatem. Memoria igitur est vis animæ qua reminiscimur. Intelligentia est, qua illa quæ memoria concepimus, cogitatione versamus. Voluntas est, qua vel appetimus aliquid, vel vitamus: hoc est, qua inuenimur vel diligere aliquid, vel odisse. Hæc itaque tria, licet proprias personas in homine non habeant, discretione tamen ad inuicem distant, & sic in tribus istis est vnius hominis vna persona, & humanæ mentis vna substantia: vt tamen in ipsa natura rationalis animæ, in qua Dei constat esse imaginem, aliam inueniamus memoriam, aliam intelligentiam, & aliam nihilominus voluntatem: nam licet nihil cogitare, vel diligere, vel odisse possimus, quod in memoria non habeamus: quia quod obliuio abstulerit de corde, nõn ibi potest cogitatio, aut voluntas aliquatenus inuenire: tamen ad agnoscendam discretionem memoriæ, cogitationis, voluntatis, plerumque reminiscimur, quod nec versamus cogitatione, nec appetimus voluntate: item cogitamus aliqua quæ non diligimus. Cogitatio itaque nostra, quæ in memoria nascitur

naſcitur & formatur, dignè verbum interius dicitur. Quid enim eſt cogitatio, niſi interna locutio?
Pſal 4. Propter quod ſcriptum eſt: *Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimi ni.* Nam &
Luc. 5. in Euangelio, cum Dominus Ieſus illi paralytico quem ſanauit, dixiſſet, *remittuntur tibi peccata tua:* Lucas Euangeliſta ſubiunxit, dicens: *Et cœperunt cogitare Scribæ & Phariſæi dicentes, Quis eſt hic, qui loquitur blaſphemiam? Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? Vt cognouit autem Ieſus cogitationes eorum, reſpondens dixit ad illos, Quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Quod autem Lucas dixit, *cœpe-*
Matth. 9. *runt cogitare Scribæ & Phariſæi dicentes*: hoc Matthæus ait, *Et ecce quidam de Scribis dicebant intra ſe, blaſphemat. Et cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum,*
Sap. 2. *dixit, Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* In libro quoque Sapientiæ dicitur de quibuſdam, *Dixerunt intra ſe cogitantes non rectè.* Manifeſtum eſt ergo; hoc eſſe cogitare, quod eſt intra ſe dicere. Ibi ergo inuiſibiliter cogitatur. Sine ſtrepitu ergo vocis corporeæ vnuſquiſque quod cogitat, dicit. Quod tamen ad alterius auditum, non niſi corporea locutione perducit.

CAPVT XVI.

ILlud itaque verbum, quod ex memoria natum eſt, ſecundum ſolam naturam, qua de memoria inuenitur naſci, non poteſt ad aures cuiuſlibet hominis ſine corporea voce perduci. Proinde vt proferri ad alios poſſit, habitu corporeæ vocis induitur. Cui verbo ex ore vox corporea copulatur. Atque ita fit vt illud verbum, quod totum in mente ſpiritualiter fuit, & ad alios per corporalem vocem veniat, & ab animo, de quo & in quo ſpiritualiter permanet, non recedat. Totum enim neceſſe eſt, vt permaneat in mente, etiam quando totum profertur in voce. Nec tamen poſſumus dicere illam prolationem ſolius verbi à memoria vel à voluntate non fieri. Omnis enim qui loquitur, & meminit vtique, & cogitat quid loquatur; & propterea loquitur, quia illam locutionem cum memoria & cogitatione voluntas pariter operatur. Nam in tantum quidquid homo loquitur ſciens, non vtique loquitur niſi volens, vt quidquid homo inuitus dicere compellitur, non dicat, quamdiu voluntas ad loquendum nullatenus inclinatur. Inde eſt quòd non ſolùm illi, qui nunc rerum temporalium, tribulationum, vel tormentorum timore ſiue dolore compreſſi, veritatem Catholicæ fidei relinquentes, ad impietatem ac perfidiam tranſierunt, nullam excuſationem inuenire poterunt, vt dicant quod inuiti negauerint veram fidem; cùm hoc eos propria feciſſe appareat voluntate. Etſi enim vel tribulatione, vel tormento ad negandam fidem perductus eſt animus, non eam tamen negauit nutus. Vt enim fidem negaret, priùs cogitauit & voluit, & ſic illam negationem protulit: quia hoc vt fieret, cogitatio ſimul cum voluntate decreuit.

CAPVT XVII.

VT ergo ad illud, quod agebam, redeam: in ipſa imagine Dei, hoc eſt, in ipſa mente hominis, cogitatio quæ ex memoria naſcitur, atque formatur, & rectè verbum dicitur, ſolam corpoream vocem accipit, vt audiri corporeis auribus poſſit. Sic ergo in illa ſancta ac diuina Trinitate, ſolum Patris verbum, quod eſt ſpeculum ſine macula, & imago bonitatis Dei, ſplendor ſcilicet & figura ſubſtantiæ eius, cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens: ſolus ergo filius accepit carnem, vt poſſit corporeis oculis videri, manibus contrectari: ſolus humanam naturam ſic accepit, vt ſuam faceret, & per illam diuinitatis quoque ſuæ notitiam miſericorditer infunderet. Qui tamen reuelans ſeipſum, in ſeipſo vtique reuelauit & patrem. Tribuens quippe agnitionem ſuæ diuinitatis, ſimul agnitionem donauit & patris. Diuinitas enim quæ vna eſt patris & filij, facit & filium ſine patre, & patrem ſine filio non Ioan. 14.
agnoſci. Inde eſt, quod ait, *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? Philippe, qui videt me, videt & patrem.* Sic ergo filius, qui carnem ſolus accepit, in ſeipſo patrem iure vnius diuinitatis naturaliter oſtendit: ſicut ſermocinator, dum veritatem quam meminit, loquitur, quod à ſe prolatum indicat, hoc intus in mente repoſitum monſtrat. Vox autem illa corporea, qua ſpirituale verbum induitur, vt ad audientium notitiam proferatur, ſimul fit à memoria, & à cogitatione, & à voluntate: ſed à ſola cogitatione, id eſt interiore ſuſcipitur verbo, vt ad corporeas circunſtatium aures interioris cogitationis procedat augurio. Illud autem verbum, ſicut habitu corporeæ vocis accepto totum ad audientes egreditur, ſic in corde totum cum memoria & voluntate ſpiritualiter inuenitur. Proinde quiſquis hanc imaginem in mente hominis conſpexerit, hæreticorum vaniloquia citiùs irridebit: qui carnaliter de ſpiritualibus ſentientes, nolunt credere in illa ſancta Trinitate aliquid à tribus factum, quod ab vna perſona tantùm fuerit diuina diſpoſitione ſuſceptum: cùm illa humana natura totius quidem Trinitatis opere ſit facta, à ſolo tamen filio fuerit in vnitatem perſonæ ſuſcepta. Sicut enim certum eſt, quia *in principio erat verbum,* Ioan. 1.
& verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: ita certum eſt, quia verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Quid autem accepimus? Domini verbum & Deum apud quem erat verbum, non patrem & filium.

CAPVT XVIII.

NOmine itaque verbi oſtenditur diſcreta patris filiíque perſona: ſed quia Deus erat, docetur vna patris filiíque ſubſtantia. Non ergo patris, neque ſpiritus ſancti, illa quæ ſolius verbi eſt caro: quia Deo verbo non eſt cum patre & ſpiritu ſancto vnius perſonæ communio. Secundum operationem quippe diuinitatis communem, in qua eſt Trinitas perſonarum, ſicut eam accepit filius, ſic accepit pater, & ſpiritus ſanctus. Illum enim filium qui ſecundum diuinitatem naturaliter ſolus de ſolo natus eſt patre, ipſum vtique ſecundum carnem naturaliter naſci decebat ex virginitate. At in illa Trinitate, ſicut non ſunt duo patres, neque duo ſpiritus ſancti, ſic non erunt etiam duo filij. Illa enim Trinitas vnum habet in ſe Patrem, vnum Filium, vnum Spiritum ſanctum. Sed vnum Patrem, & vnum Spiritum ſanctum ſecundum diuinam naturam: vnum verò filium, ſecundum diuinam humanámque ſubſtantiam. In perſonis itaque diſcreta eſt Trinitas, quamuis in natura non ſit diuiſa vel ſeparata Trinitatis vna diuinitas. Ideò in ſolius Filij perſona humanitas inuenitur aſſumpta. Propter naturam ergo vna ſemper eſt ſanctæ Trinitatis operatio: propter perſonas autem, ſolius filij eſt humana ſuſceptio. Verumtamen dum iſta ad inſtructionem fidelium diſputamus, debemus cogitare etiam hæriticos vtique carnales atque animales, & ob hoc rerum

spiritualium incapaces, de qualibus dicit Apostolus: *Animalis autem homo non percipit quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur.* Carnales autem, siue animales maximè hæreticos, Apostolica testatur auctoritas. Beatus enim Paulus inter opera carnis & hæreses ponit. Beatus quoque Iudas Apostolus, eos qui se ab Ecclesia segregant, animales appellat, dicens: *Hi sunt qui segregant seipsos, animales, spiritum non habentes.* Hoc est vtique quod beatum Paulum dixisse monstrauimus: *Animalis autem homo non percipit quæ sunt spiritus Dei.* Non sit ergo mirum, quia intelligere diuina non valent, qui spiritum Dei non habent. Scriptum est namque in libro Sapientiæ: *Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis.* Inde est quod etiam sanctus Apostolus ea quæ Dei sunt, non nisi à spiritu sancto asserit reuelari, dicens: *Nobis enim reuelauit Deus per spiritum suum.* Et paulo post ait: *Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Verùm tamen bonum est, vt & nos, in quantum diuinitus adiuuamur, beatum imitantes Apostolum, omnibus omnia fieri studeamus, vt omnes lucrifaciamus.

1.Cor.2. Sapien.9 1.Cor.2.

CAPVT XIX.

QVoniam igitur non capiunt Arriani quod diximus, in illa vna natura diuina aliquid à tota Trinitate factum, quod non à tota Trinitate fuerit susceptum: nec creditur possibile, quod carnem illam tota Trinitas fecerit, quam tamen vna ex Trinitate persona suscepit, efficiamur, sicut Apostolus ait, tanquam paruuli in medio eorum, & hoc illis proponamus exemplum, ad intelligentiæ spiritualis latitudinem nutriendam, quod hæretici cordis non fatiget nec perturbet angustiam. Scimus illam solam esse diuinam, inseparabilem, atque indiuiduam Trinitatem, cuius neque vna natura possit personarum Trinitate diuidi, neque tres personæ possint naturæ indiuisibilis vnitate confundi. Nam & ipsa mens hominis, in qua imaginem Dei esse diximus, sic accepit, vt habeat in se quoddam sanctæ Trinitatis indicium, vt distinctionem in se trium non habeat personarum. Hoc enim sibi proprium Trinitas diuina seruauit. Vnde quamuis sit in hominis mente memoria, intelligentia, & voluntas, tria quidem illa sunt, sed tamen personæ esse non possunt: quia in vnoquoque homine, in cuius mente, vel cuius mens est imago diuina, non solum ipsius mentis, sed animæ simul & carnis vna inuenitur naturaliter esse persona. In creatura igitur, quantum tantæ rei, de qua loquimur, magnitudo permittit, requirentes exemplum in naturis, tale aliquid forsitan inuenimus, quod in personis inuenire non possimus. Diximus enim quòd humanitatem filij Dei tota Trinitas fecit, quam tamen non tota Trinitas, sed solus filius in suam personam accepit. A tota quippe Trinitate, id est, à Patre, Verbo & Spiritu sancto, facta est illa caro, sed solum verbum factum est caro. Quoniam igitur sicut superius diximus, quantum attinet ad creaturam, tres personas in vna mente, id est, in vna carne inuenire non possumus, duas saltem naturas in vna persona non laboramus vt inuenire possimus. Vniuscuiusque enim persona viuentis hominis ex anima rationali constat & corpore: à quo tamen multa ita fiunt, vt quamuis ab anima & corpore simul fiant, ad solam tamen animam, aut ad solum corpus aliquando pertineant. Quis enim nesciat solum corpus cibo carnali refici atque nutriri, in cuius comestione communis operatio est carnis & animæ? Anima enim per corpus, imo cum corpore facit, quando corpus comedit, & tamen solum corpus accipit, quod vt accipiatur, anima simul cum corpore facit. In illa itaque comestione, vna est animæ, carnisque operatio, sed solius est carnis acceptatio. In tantum quippe sola caro cibo corporali pascitur, vt sola, si eum acceperit, pinguescat. Animæ autem refectio atque pinguedo, non in pane corporali, sed in pane spirituali consistit. *Non enim in pane solo viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* In cuius tamen verbi perceptione, vt cibo suo anima pascatur, caro illi opere sociatur. Hoc enim agitur, quando aut aures corporales admouet anima verbis, vt audiat, aut oculos corporales admouet scripturis, vt legat. Ecce & in hoc simul est carnis & animæ operatio, vbi est animæ solius acceptio. Ista in creaturis videant Arriani, & non dubitent sanctæ Trinitatis vnam esse diuinam naturam, & fieri potuisse, immò factum esse, vt illa caro totius Trinitatis vno atque inseparabili opere fieret, in sacramento vero incarnationis ad solam personam Dei vnigeniti pertineret.

Matth.4.

CAPVT XX.

NOn ergo tota Trinitas carnem assumpsit, nec tota Trinitas passionum iniurias sensit, neque tota Trinitas tertio die à mortuis resurrexit, neque tota Trinitas quadragesimo die in cœlum ascendit. Sed sicut superius ostendi, vnus solus filius carnem assumpsit, in quo quia vna vtriusque naturæ manet inconfusa proprietas, ideò vnus idemque est, qui & secundum veram diuinitatem impassibilis omnino permansit. Naturaliter enim diuinitas illa nihil patitur, sicut naturaliter non mutatur. Mutabilis autem naturæ est subiacere passionibus. Nulla ergo illi naturæ passio accidere potuit, cui mutatio naturalis inesse nequiuit. Solus etiam filius iacuit in sepulchro: sed illa vnigeniti Dei natura potuit sepeliri, quæ potuit mori. Secundum naturam itaque carnis Deus vnigenitus iacuit sepultus in lapide, secundum quam clauis adfixus pependit in cruce. Quomodo enim diuinitas eius poterat concludi sepulchro, quæ nec terra potest concludi, nec cœlo? Illam ergo passionem, illamque sepulturam vnitas personalis vnam in Christo fecit esse diuinitatis & carnis: sed proprietas vtriusque in Christo substantiæ fecit solam carnem Christi passioni & morti naturaliter subiacere, permanente impassibilitate atque immortalitate diuinæ incommutabilisque substantiæ. Christus itaque, qui non est Trinitas, sed vna ex Trinitate persona, sic secundum veritatem carnis verè in cruce pependit, & in sepulchro mortuus iacuit, Apostolo dicente: quia *Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum Scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit à mortuis tertia die secundum Scripturas.* Quæ omnia secundum personæ vnitatem totus Christus pertulit: secundum naturalem proprietatem, ad solam carnis pertinent veritatem. Ita secundum solam animam ad infernum descendit. Vno quippe eodémque tempore quod inuenitur inter mortem Christi, resurrectionémque distare, vnus idémque Christus, & secundum veritatem carnis verè in sepulchro iacuit, & secundum veritatem animæ rationalis, verè in infernum descendit. Ac per hoc secundum veritatem humanæ naturæ, ex quo Christus in cruce suspensus inclinato capite emisit spiritum, quoadusque recepto spiritu resurrexit à mortuis, non vbi fuit secundum

1.Cor.15.

dum carnem, ibi fuit secundum animam. Secundum carnem quippe in sepulchro mortuus iacuit: secundum animam verò rationalem ad infernum descendit: secundum diuinitatem verò, qua cum Patre & Spiritu sancto vnus est Deus, totam creaturam repleuit immensus. Secundum carnem ergo sic fuit in solo sepulchro, vt secundum animam in solo fuisset inferno: secundum diuinitatem verò, qua nullo loco concluditur, sed vtrobique totus ineffabiliter inuenitur, ita carnem suam non dereliquit in sepulchro, neque animam suam deseruit in inferno, sicut nec terræ potest aliquando deesse, nec cœlo. Idem quoque Dei filius qui secundum carnem in sepulchro iacuit, & secundum solam animam in infernum descendit, quoniam ipse dixerat de anima sua. *Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam*: posteaquam posuit animam, & resumpsit, secundum totam humanitatem suam in cœlum ascendit, & in dextera sedis Dei sedet, sicut Marcus Euangelista testatur, dicens: *Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei.* Hæc autem omnia, quæ partim secundum solam animam, partim secundum solam carnem, partim verò secundum animam simul & carnem, in vnigenito Deo temporaliter facta sunt, sicut dignè referuntur ad vnam, quæ in Dei filio est, diuinitatis, humanitatísque personam, sic ad illius diuinam nullatenus possunt referri substantiam. Ac per hoc nihil horum potest personæ Patris, vel sancti Spiritus deputari, quia non est vna persona Patris, & Filij, & Spiritus sancti,

Ioan. 10.

Marc. 16.

CAPVT XXI.

NEc quisquam potest passionem, assumptionémve carnis Patri, siue sancto Spiritui adscribere: quia nefas est diuinam naturam mutabilem in aliquo, aut passibilem prædicare, secundum quam Christus & sine initio semper natus de Patre permansit, quando de matre initium conceptionis & natiuitatis accepit, & incomprehensibilis, quando se comprehendi permisit; & impassibilis, quando passionis iniurias sensit; & immortalis, quando morti subiacuit, & indiuisus, quando secundum carnem in sepulchro iacuit, & secundum animam in inferiores partes terræ descendit, & immensus, quando ad altitudinem cœli de huius terræ humilitate conscendit. Istam fidem si miser Fastidiosus non negaret, sine dubio non periret. Sed quoniam & factis eam negauit & dictis, mirum non est, quia opere pessimus factus est, & iam sermone peruersus, & ambulans in tenebris inimicus extitit lucis. Fornicatio quippe corporalis, quæ illius primò mentem, carnémque possedit, ipsa eum consequenter ad præcipitium spiritualis fornicationis attraxit. Tulit enim membra Christi, & fecit membra meretricis. Et ideo non dubitauit castitatem fidei perdere, quia non se doluit castitatem corporis amisisse. Ecce quantum malum luxuria carnis, quæ illum miserum vsque ad negationem potuit perducere veritatis. Hæc fuit, hæc fuit tempestas, quæ paleam de area dominica rapuit, & vepribus hæreticæ impietatis infixit. Hæc illum fecit contra suam conscientiam loqui, & in contumeliam ipsius Trinitatis peruerso sermone versari. Neque enim verum credebat esse quod dixit, sed iam duplici corde maluit aliud dicere quàm credebat. Qua desperatione possessus, vt ipse sibi auferret spem remissionis, voluit per licentiam implere delectamenta libidinis. Ex ore itaque suo quo iustificari debuit, augmentum condemnationis accepit, quando lingua eius, quæ debebat pœnitentiæ verba proferre, protulit verba blasphemiæ. Illuc itaque miser Fastidiosus maluit transire, vbi & contra Deum sacrilega procacitate latraret, & in suis fornicationibus, quia timorem Dei non habuit, etiam hominem non timeret. Væ illi misero, qui ad hoc Ecclesiastico voluit priuari consortio, vt nunquam possit carere supplicio: & ad hoc se voluit sine aliquo timore peccare, vt sine fine mereretur ardere.

CAPVT XXII.

VBi sunt nunc duo anniilli, quos Fastidiosus quasi felices habuit, quia eos, sicut voluit, libidinosus in fornicatioue consumpsit? quàm celeriter transierunt? Qui etiam non solùm ducenti, sed etiam duo milia si essent, cum celeritate transiissent. Quid autem miser faciet, cum ad iudicium illius venerit, quem negauit? quid recipiet pro talibus factis & dictis? quid ille recipiet, ille corpore luxuriosus, corde cæcus, errore blasphemus? qui priùs in se templum Dei fornicatione violauit, deinde corpore quoque ab Ecclesia separatus exiuit. Quid recipiet ab illa sancta Trinitate, qui maluit seruus esse luxuriæ atque perfidiæ? Quid vtique nisi ignem æternum, quem talibus constat operibus præparatum? Et in hoc quidem tempore citò finita est Fastidiosi fornicatio, cuius tamen in illo igne non finietur æterna combustio. Fugiant ergo Christiani vtramque fornicationem, quam miser Fastidiosus incurrit: vt custodientes animas suas, castitatem seruent, & cordis, & corporis teneant intra Ecclesiam Catholicam fidem: credant & confiteantur inseparabilem atque indiuiduam Trinitatem; quæ in sua diuina natura, nihil habet factum, nihil aliquatenus inchoatum: cuius vno atque inseparabili opere facta sunt omnia in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia. Credant nihilominus, & confiteantur vnigenitum Deum, solum secundum veram diuinitatem natum de patre, solum secundum veram humanitatem creatum ex virgine: ac per hoc, opere Trinitatis carnem atque animam rationalem in vnitate personæ pro mundi salute susceptam. Hoc firmissimè retinentes proferant, perseuerent in operibus bonis. In Christo enim Iesu sola valet fides, quæ per charitatem operatur; à qua si quis discesserit, ipse suæ animæ reus erit. Omnis autem qui in ea perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

EPISTOLA FERRANDI Diaconi ad Diuum Fulgentium Episcopum.



OMINO Beatissimo, & cum omni veneratione suscipiendo Patri Fulgentio Episcopo Ferrandus Diaconus in Domino salutem. Qui terrenis indigent facultatibus, nec diuturni operis continuato labore, vel honestæ artis industria, siue forsitan honesta negotiatione pascuntur, solent ante diuitum fores postquam verecundiam fames excluserit, suspirantes victum precibus quærere, virorum quoque nobilium clementissimas aures, etiam importuna aliquando petitione pulsare. Norunt enim mendicantibus non prodesse silentia. Ego verò qui ingenij pauperis laboro penuria, neque multis oblatrantibus curis operari cibum sapientiæ quotidiana diuinæ lectionis meditatione permittor, minus etiam prævalens meis, id est, disputationum, siue cogitationum mearum viribus inuestigare dubia, explanare obscura, diuidere ac definire contraria, pulso crebris gemitibus ad cœlestis Patrisfamilias ianuam. Sed vbi rursus indignum, cui tam citò aperiatur quod volo, meipsum conuinco: tunc eos quos de intimis regis cubiculi penetralibus accepisse dispensandam Domini mei pecuniam video, voce supplici deprecor, vt dignentur famem nostram modicis saltem sumptibus consolari. Quorum quia vnus ex numero talentorum tibi creditorum multiplicare lucra desideras, & cœlestis scribæ pretiosissimam margaritam, quam distractis omnibus quæ habebas negotiator fidelissimus comparasti, generaliter acquirendam, possidendam, perfruendã, sine inuidia tabescente communicas: profer obsecro de thesauro tuo, dispensator egregie, noua simul & vetera, quibus indigentẽ locupletes, esurientem pascas, imperitum doceas, dubitanti quid sequatur ostendas. Religiosi cuiusdam viri famulus ætate adolescens, colore Æthiops, ex vltimis credo barbaræ prouinciæ partibus, vbi sicco solis ignei calore fuscantur, adductus salutaris lauacri necdum fuerat aspergine mundatus, aut micante Christi gratia dealbatus. Hic ergo dominorum fidelium diligentia sacramentis Ecclesiasticis imbuendus, ad Ecclesiam traditur: fit ex more catechumenus: post aliquantum nihilominus temporis propinquante solemnitate Paschali inter competentes offertur, scribitur, eruditur. Vniuersa quoque religionis Catholicæ veneranda mysteria cognoscens atque percipiens, celebrato solenniter scrutinio, per exorcismum contra diabolum vindicatur, cui se renunciare constanter, sicut hic consuetudo poscebit, auditurus Symbolum profitetur. Ipsa insuper sancti Symboli verba memoriter in conspectu fidelis populi clara voce pronuncians, piam regulam dominicæ orationis accepit. Simulque iã & quid crederet, & quid oraret intelligens, futuro baptismati parabatur, cùm subitò violentis inuaditur febribus, & crescente lethali infirmitate turbatur. Persuasit dierum breuitas, vt ad fontem cum cæteris abluendus differretur, siue potius seruaretur. Et quid pluribus immorer? Hora exoptata cunctis aduenerat, in qua populus acquisitionis, Redemptori suo per baptismum consepultus, vitam veterem poneret, & nouam resurrectionis fidem, innouatus assumeret. Tunc ille in extremo habitu constitutus, sine voce, sine motu, sine sensu, nihil valens sacerdoti interroganti respondere, deferentium manibus apportatur, & pro eo nobis, quasi pro infante respondentibus, mente absentissimus accepit baptismum, quem se accepisse, post paululum mortuus, in hac præsenti arbitror vita nesciuit. Quæso nunc, vtrum nihil ad æternam beatitudinem consequendã vox ablata nocuerit. Valdè enim timeo, ne propterea Dominus, cui omnia possibilia sunt, facultatem loquendi denegauerit, quòd eum beneficio secundæ natiuitatis iudicauit indignum. Quomodonamque potuerit ætas illa rationis capax aliena confessione purgari, non video. Nonne solos paruulos ritè credimus offerentium fide saluari, quos originali tantùm nouimus iniquitate damnari? Id agente diuina iustitia miris modis, vt quodammodo vbi minimè propria, id est actualis malitia reperitur, ritè nec propria voluntas requiratur: sed per abundantiam gratiæ detur, aliis credentibus, salus, quibus aliis peccantibus reatus adscriptus est. At hic proprio viuebat arbitrio: super illud quod de radice traxerat, multa sine dubio vitia propria cupiditate contraxerat, plurimorum peccatorum vinculis obligatus, & non nisi voluntaria credulitate saluandus, quam in illo redemptionis loco confiteri, nec voluit, nec valuit, qui nihil sentiens, velle omnino aliquid non valuit. An fortassis scientis præterita confessio remissionem peccatorum meruit etiam nescienti? Sed hoc dicere dubito, ne quis mihi veraciter dicat: Ergo saluus esset, si nec ad ipsam tinctionem corporis peruenisset; quoniam sicut asseris, expiationis meritum per mysteria transacta meruerat. Postremò, cur non etiam mortuos baptizemus, quos sacro baptismate repentina sæpè mors abstulit, sed eorum tamen voluntas, fidelisque deuotio nota omnibus fuit? Cui talia respondenti si consensum præbere tentauero, magna illico sequitur absur

absurditas, vt putetur illis tantùm mysteriis sufficientibus & salutem plenam conferentibus, aquam fontis æterni non renasciturum suscipere, sed renatum. Video in hoc articulo posse vsitatam Canonum proponi sententiam, quæ infirmos iubet, si pro se respondere non valeant, sed eorum voluntati testimonium sui proprio periculo dixerint, baptizari. Sub qua definitione magis arbitror, quid Ecclesia facere debeat imperatum, quam quid ille percipiat indicatum, videlicet vt minister verbi liber sit à culpa negligentiæ, non vt ille ostendatur consors particepsque iustitiæ. Maximè, quia licet multos in hac re moueri videã, sæpe tamen plus ipse commoueor; hæsitans qualis debeat haberi sententia de his, qui etiamsi legitimè sana mente baptizantur, præueniente velociùs morte, carnẽ Domini manducare, & sanguinem eius bibere non sinuntur. Nota quippe sunt fidelibus Saluatoris verba dicentis: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Vnde petimus, vt velociori responsione nos instruas, vtrum noceat, quantum noceat, an omnino nihil noceat, si quis baptizatus in nomine sanctæ Trinitatis, sacro cibo potúque fraudetur. Simul ad vtraque respondere dignatus, quæ præsumptione charitatis interroganda credimus, & quæ multis vtilissima fore suggerimus. Deus noster paternitatem vestram, ad ædificationem nostram custodire dignetur, Domine mi semper pater.*



B. FVLGENTII EPISCOPI Ruspensis Epistola ad Ferrandum Diaconum.

De Baptismo Æthiopis moribundi.

CAPVT PRIMVM.

DOMINO venerabili, & in Christi charitate plurimum desiderabili sancto fratri, & condiacono Ferrando, Fulgentius seruorum Christi famulus in Domino salutem. Gaudeo, sancte frater, quod in corde tuo flamma charitatis, quæ per Spiritum sanctum diffunditur, gratia subinde crescente nutritur: quæ facit in his quæ videntur plerisque dubia manifestum aliquid de litteris agnoscere, ne dum ambiguitas habetur in ipso Sacramento salutis, putetur in vacuum credentibus dari gratia Saluatoris. Dicis itaque, quòd religiosi cuiusdam viri famulus, ætate adolescens, colore Æthiops, dominorum fidelium diligentia Sacramentis Ecclesiasticis imbuendus fuerit ad Ecclesiam traditus, & ex more catechumenus factus. Post aliquantum nihilominus tempus, propinquante solemnitate Paschali inter competentes oblatus, scriptus, eruditus, vniuersa quoque religionis Christianæ veneranda mysteria cognoscens, atque percipiens, celebrato solenni scrutinio, per exorcismum contra diabolum fuerit vindicatus; cui se renunciare constanter, sicut Ecclesiæ Carthaginensis, in qua iam Deo propitio diaconus militas, consuetudo poscebat, auditurus symbolum fuerit professus. Iam insuper sancti Symboli verba memoriter in conspectu fidelis populi clara voce pronuncians, piam regulam dominicæ orationis accepit. Qui simul iam, & quid crederet, & quid oraret intelligens futuro baptismati parabatur. Quem dicis violentis febribus inuasum, & crescente lethali infirmitate turbatum. Adiicis autem, quòd persuaserit dierum breuitas, vt ad fontem cum cæteris abluendus differretur, siue potius seruaretur. Dicis quoque aduenisse horam exoptatam cunctis, in qua populus acquisitionis Redemptori suo per baptismum consepultus, vitam veterem deponeret, & nouam resurrectionis fidem innouatus assumeret. Tunc ille, vt ais, in extremo halitu constitutus, sine voce, sine motu, sine sensu, nihil valens Sacerdoti interroganti respondere, deferentium manibus apportatur, & pro eo vobis, quasi pro infante respondentibus, mente absentissimus accepit baptismum quem se accepisse, post paulum mortuus, in hac præsenti, quantum arbitraris, vita nesciuit.

CAPVT II.

HAc itaque narratione completa deinde quæris, vtrum ei nihil ad æternam beatitudinem consequendam vox ablata nocuerit. Valde enim te timere testaris, ne propterea Deus, cui omnia possibilia sunt, facultatem loquendi denegauerit, quod eum beneficio secundæ natiuitatis iudicarit indignum. Dicis quoque te non videre, quomodo potuerit ætas illa rationis capax, aliena confessione purgari, eo quòd solos paruulos rectè credamus offerentium fide saluari, quos originali tantùm nouimus iniquitate damnari, id agente diuina iustitia mitis modis, vt quodammodo, vbi minimè propria, id est actualis malitia reperitur, nec propria voluntas requiratur, sed per abundantiam gratiæ detur aliis credentibus salus, quibus aliis peccantibus reatus adscriptus est. Hic autem, vt asseris, proprio viuebat arbitrio: super illud quod de radice traxerat, multa sine dubio vitia propria cupiditate contraxerat, plurimorum peccatorum vinculis obligatus, & non nisi voluntaria credulitate saluandus, quam in illo redemptionis loco confiteri nec voluit, nec valuit, qui nihil sentiens velle omnino aliquid non valuit. His verbis tuis alia sub timore interrogationis opponis, dicens, an fortassis scientis præterita confessio remissionem peccatorum meruit etiam nescienti? Hoc, inquis, dicere dubito: ne quis mihi veraciter dicat, ergo saluus esset, si nec ad ipsam tinctionem corporis peruenisset: quoniam, sicut asseris, expiationis meritum per mysteria transacta meruerat. Postremò, cur non etiam mortuos baptizemus, quos sacro Baptismate repentina sæpe mors abstulit, sed eorum tamen voluntas fidelisque deuotio nota omnibus fuit? Adiicis deinde, quod si talia respondenti consensum præbere tentaueris, magna illicò sequeretur absurditas, vt putetur illis tantum

mysteriis

mysteriis sufficientibus,& salutem plenissimam conferentibus, aquam fontis æterni non renasciturum suscipere, sed renatum. Postremò, ne quid vigilantissimæ intelligentiæ tuæ, sollicitudinique piissimæ minùs quæsitum putaretur, adiungis in hoc articulo posse vsitatam Canonum proponi sententiam, quæ infirmos iubet, si pro se respondere non valuerint, sed eorum voluntati testimonium sui proprio periculo dixerint, baptizari. Sub qua definitione magis arbitrari dicis te, quid Ecclesia facere debet impetratum, quàm quid ille percipiet indicatum. Videlicet, vt minister verbis liber sit à culpa negligentiæ, non vt ille ostendatur consors particepsque iustitiæ. Maximè quia licet multos ex hac re, sicut ait, moueri videas, sæpe tamen plus ipse commouearis, hæsitans qualis debeat haberi sententia de his, qui etiamsi legitimè sana mente baptizantur, præueniente velocius morte carnem Domini manducare,& sanguinem eius bibere non sinuntur. Propter illa scilicet, quæ nota sunt fidelibus Saluatoris
Ioan.6. verba dicentis: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis,& biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Deinde petis, vt velociori responsione vos instruam, vtrum noceat, quantum noceat, an omnino nihil noceat, si quis baptizatus in nomine sanctæ Trinitatis, sacro cibo potuque fraudetur. Quoniam igitur simul ad vtraque nos respondere charitas imperat, dignum est, vt imperanti charitati charitas libenter obediat. Speramus autem, quoniam ad persoluendum debitum charitatis, illius gratia adesse dignabitur, à quo ipsa charitas inspiratur.

CAPVT III.

PRimitus itaque meminisse nos oportet illius sententiæ, quam generaliter ad humani salutem generis promulgauit gratuita beneuolentia saluatoris. Illam porrò nunc dico sententiam, quam ipse Dominus tantò tenaciùs voluit nostris mentibus inhærere, quantum eam cunctis præceptis suis posteriore dignatus est tempore promulgare. Post resurrectionem siquidem, corpore ascensurus in cœlum, sed cum suis in terra diuinitate mansurus, hæc in-
Marc.16. uenitur suis dixisse discipulis, *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit,& baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Benè hic Dominus eum qui crediderit & baptizatus fuerit, saluari prædixit: non credentem autem damnandum fine dubitatione monstrauit. In non credente quippe nulla fuit futuri ratio facienda Baptismatis. Qui enim non crediderit, siue baptizetur, siue non baptizetur, sine dubitatione damnabitur. Hac autem sententia, qua Dominus statuit, atque definiuit omnem non credentem sempiterna punitione damnandum, non solùm eos, quos huius vitæ finis à Sacramento Baptismatis inuenit alienos, verùm etiam omnes hæreticos diuina non dubium est definitione damnandos. Si enim fides,
Ephes.4. quam vnam esse D. Paulus diuino spiritu repletus asseuerat, illa est vtique, quæ non ficta, sed vera, quia finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, quomodo credere dicitur, à quo fidei veritas non tenetur? Quidquid enim credentis animum continet, quod à fidei veritate cognoscitur alienum, necesse est, id esse mendacium. Odit autem Dominus omnes qui operantur iniquitatem,& perdet eos qui loquuntur mendacium.
Prou.8. Propter quod & sapientia in Prouerbiis dicit: *Quoniam veritatem meditabuntur fauces meæ, abominata verò ante me labia mendacia.* Non ergo accipiunt in baptismo salutem, qui non tenent in corde, atque ore fidei veritatem. Ac per hoc licet formam pietatis habeant, quæ constat in Sacramento Baptismatis, abnegando tamen pietatis virtutem, nec vitam percipiunt, nec salutem. Quid autem talibus restat, nisi damnatio sempiterna, quam eis pariet fides non vera, sed ficta? In talibus quippe nec charitas est de corde puro. Quia secundum B. Petri sententiam, *fide Dominus suorum corda purificat.* Nec cordis puritas esse potest vbi fides non est: quia nec fides omnino dicenda est, vbi vera non est. Quoniam igitur vbi est charitas de corde puro, ibi fides est non ficta, sed vera, cor autem non fictione fidei, sed veritate purgatur: manifestum est apud hæreticos, in quibus non est veritas, sed fictio fidei, charitatem de corde puro nullatenus inueniri. Conscientiam verò bonam quomodo possunt habere, in quibus per incredulitatem habitat princeps ille malitiæ? Isti ergo, nisi conuertantur, & fidei veritate saluentur, pro incredulitatis crimine damnabuntur: quia non illum dilexerunt, in quem non secundum veritatem fidei crediderunt, nec in eis potuit esse conscientia bona, quos constat contra fidem veram, vsque in finem vitæ mortiferam renuisse perfidiam. Nec moueat aliquem, quòd licet fictam, tamen beatus Apostolus fidem nuncupauit: quia alio loco, sicut vnum Deum, sic vnam prædicauit & fidem. Illud enim beatus Apostolus non secundum rei veritatem, sed secundum opinionem fidelium posuit. Nam & illud quod à Pseudoapostolis prædicabatur, idem Apostolus, & Euangelium nuncupat, & Euangelium non esse confirmat. Quod in epistola eius, quæ scripta est ad Galatas, continetur his verbis: *Miror quod sic tam citò transferimini ab eo qui vocauit eos in gratia Christi, in aliud Euangelium, quod non est aliud.* Quomodo ergo aliud Euangelium, si non est aliud; nisi aliud secundum perfidorum errorem, non autem aliud secundum fidei veritatem? Sic & fides à perfidis secundum propriam opinionem fingitur, à quibus vera fides, quam Spiritus sanctus tribuit, non habetur. Falsi quoque nominis scientiam, idem beatus demonstrat Apostolus, dicens: *O Timothee, depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates,& oppositiones falsi nominis scientiæ.* Sicut autem illa quæ falso nomine scientia nuncupatur, scientia non est: ita & fides, quam non spiritus diuinitus infundit, sed humanus sibi spiritus fingit, vtique fides non est. Ac per hoc, secundum illorum opinionem fides dicitur, quæ tamen fides esse nullatenus inuenitur. Nam & Deos inuenimus in sanctis eloquiis appellari, quos tamen non esse Deos ipsa prorsus eloquia diuina testantur. Dicitur quippe in Psalmis. *Omnes Dij gentium dæmonia.* Hieremias quoque ait. *Dij qui non fecerunt cœlum & terram, pereant de sub cœlo.* Qui tamen alio loco ipsos, quos Deos nuncupat, ostendit non esse Deos. Ait enim? *Circuite insulam Cethim,& videte; & in Cedar mittite,& intelligite vehementer,& videte si facta non sunt talia. Si mutauit gens Deos suos, & isti non sunt Dij.* Inuenimus autem Dei nomen in scripturis sanctis, quantum nobis nunc occurrit, modis quatuor. Dicitur enim Deus secundum veritatem naturæ, quomodo sola sancta Trinitas est vnus, verus,& incommutabilis Deus, qui ait: *Videte quoniam ego sum Deus,& non est alius præter me,*& de quo Dauid dicit: *Quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum?* Hic est vnus, & solus Deus, qui solus naturaliter Deus est. Ab hoc vno vero Deo quidam, vt essent Dij, non naturaliter habuerunt, sed dono gratiæ perceperunt. De talibus diis fuit Moyses, cui ille vnus verus Deus ait: *Ecce dedi te Deum Pharaoni.* De talibus sunt etiam illi, de quibus dicitur, *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes.* Isti ergo dij eam gratiam acceperunt, vt Dij essent, quam acceperunt, vt filij Dei fierent.

Act.15. Galat.1. 1.Tim.6. Psalm.95. Hier.10. Hier.2. Deut.32. Psalm.17. Exod.7. Psalm.81.

Ioan.1. fierent. Dicit autem Euangeliſta, quia *quotquot acceperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri: his qui credunt in nomine eius. Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt.* Ipſis item

Pſalm. 28. dicitur, *Ego dixi, dij eſtis, & filij Excelſi omnes.* Duo ergo iſti modi in nominando laudabiles. Vnus, quo naturaliter vocatur verus Deus: alter quem per gratiam quibus voluit largitus eſt Deus, qui tamen ab inuicem magna differentia diſtinguuntur. Ille quippe modus, quo in Dei nomine veritas naturalis oſtenditur, ſic vnum Deum ipſa naturalis nominis veritate demonſtrat, vt Deos in ſe nunquam vocari permittat. Hinc eſt, quòd ſicut ſolus pater, aut ſolus filius, aut ſolus Spiritus ſanctus veraciter Deus dicitur: ita ſimul pater, & filius, & Spiritus ſanctus, non tres Dij, ſed vnus Deus veraciter nominantur. Hoc habet illa Trinitas vnus Deus, vt tres quidem perſonæ ſint, ſed tres Dij non ſint: quia illa Trinitas vnus verus eſt Deus. Ideo Dei filius, non ſolùm ſecundum veram diuinitatem, quam habet de natura patris, ſed etiam ſecundum carnem, quam veram naturaliter habet de corpore genitricis, Deus verus & creditur, & prædicatur à nobis. Quoniam æterna diuinitas filij cum plena humanitate ſua, & eadem plena humanitas filij cum æterna diuinitate ſua, vna eſt in Trinitate perſona: & ipſe totus in diuinitate, atque humanitate ſua vnigenitus filius cum Patre, & Spiritu ſancto vnus eſt Deus. Alter verò modus quia non eſt naturæ, ſed gratiæ, ideò ſine aliqua fidei prauitate nomen Deorum in ſe recipit: quia ſolam continet adoptiuorum multitudinem, quibus, vt filij Dei fierent ſumma Trinitas vnus verus Deus tribuit poteſtatem.

CAPVT IV.

IN illo ergo modo claritas naturalis agnoſcitur: in iſto autem gratiæ largitas inuenitur. Duo verò reſidui modi, quibus Deus, aut aliqua res, aut perſona nominatur, magis inueniuntur digni vituperatione, quàm laude. Et ideò in vtroque manifeſta inuenitur culpa, quia nulli eorum, vel natura poteſt ineſſe, vel gratia. Vnus quippe eſt ſecundum affectum prauæ cupiditatis, alter ſecundum opinionem erroris. Nam carnali cupiditati deditus animus, hoc ſibi Deum facit eſſe quod diligit præ omnibus. Hinc eſt quod beatus Apoſtolus, quorumdam terrena ſapientium ventrem Deum eſſe, ſine

Philip. 3. dubitatione pronunciat, dicens: *Quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione eorum qui terrena ſapiunt.* Hic exiſtimo Apoſtolum, terrena ſapere, pro terrena diligere poſuiſſe. Talem ſenſum illo etiam loco arbitror contineri, vbi memoratus Apoſtolus dicit: *Igitur ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſunt ſuper terram.* Oſtendens namque quòd ea quæ ſuper terram, ſapere non deberent, paulò poſt addi-

Ibid. dit: *Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, mortificationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſeruitus.* Cùm ergo mortificari præcipit membra noſtra quæ ſunt ſuper terram, concupiſcentiam vtique in nobis mortificari rerum imperat terrenarum. Propter quod alio loco dicitur: *Qui autem ſunt Chri-*

Gal. 5. *ſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.* Quibus etiam vult, vt nos mortuos æſti-

Rom. 6. memus dicens: *Exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autem Deo in Chriſto Ieſu.* Illi quippe rei viuit quiſque, quam diligit; & illi ſe exhibet mortuum, cuius in ſe mortificauit affectum. Terrena ergo ſapiunt, qui terrena diligunt: & Deum ſibi ventrem faciunt, qui gulæ delectationibus illecebroſam ſui cordis mancipant ſeruitutem. Opinio verò humani erroris dupliciter ſibi Dei nomen mendaciter in ſuum finxit exitium. Quæ gemina erroris opinio non minus ſibi hæreticos vendicat, quàm paganos; dum & iſtos, & illos eo ſibi ſubiicit, quo ſimul omnes diuerſis vinculis multimodæ falſitatis adſtringit. Pagani quippe, relicto vero Deo, falſorum Deorum ſuperſtitioni deſeruiunt: hæretici autem de vero Deo falſa opinantes, veritati ſanctæ religionis obſiſtunt. Manifeſtum eſt igitur, hæreticos vinculo mortiferi erroris obſtringi, nec debere dici fideles, quos Eccleſia inimicos patitur pertinaces, quandoquidem infidelitatis reatus ſit, vel falſa de vero Deo credere, nec credere; vel falſum Deum, ſub nomine veri Dei adorare.

CAPVT V.

QVoniam ergo de illa Domini ſententia ſumpſimus diſputationis exordium, quæ ſtatuit, quia omnis qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluabitur; illum puerum ſaluatum eſſe [illegible]damus, in quo nihil defuiſſe eorum, quæ ad baptiſmatis officium, atque effectum pertinent, inuenimus. Officium quippe ſecundæ natiuitatis in fide, & confeſſione, effectus autem in regeneratione conſiſtit. Quotquot enim receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Ioan. 1.

Credunt ergo, vt filij Dei fiant: quoniam ad hoc accipiunt gratiam fidei, vt credentes accipiant gratiam Sacramenti. Dignum namque eſt, vt dum corde creditur ad iuſtitiam, ore confeſſio fiat ad ſalutem. Manifeſtum eſt autem, quòd ſicut officium credulitatis, & confeſſionis pertinet ad catechumenum: ſic effectus baptiſmatis pertinet ad miniſtrum, & dum ab illo per veram fidem confeſſio promitur, ſubſequenter eſt, vt iſto tingente ſalutaris myſterij gratia peragatur. Quam regulam in Actibus Apoſtolorum ſancti Philippi videmus opere cuſtoditam: qui cùm admoneretur à Spiritu ſancto, vt prædicaret Eunucho Dominum Ieſum Chriſtum, ſimulque ad quandam aquam veniſſet, Eunucho poſtulante, & dicente: *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* Ille priùs elicuit confeſſionis officium, Act. 8.

cui rectè ſancti baptiſmatis miniſtraret effectum. Ideò reſpondit Eunucho, *Si credis ex toto corde, licet.* Et quia præceſſit Eunuchi confeſſio, ſubſequenter etiam in eo per Philippi miniſterium effectus ſanctæ regenerationis impletur. Qua ergo iuſtitia ille qui credulitatis, & confeſſionis perſoluit officium, non conſequeretur ſanctæ regenerationis effectum? Nam ſi ordo attendatur operis & mercedis, opus eſt in fide & confeſſione, merces in baptiſmo. Ideò enim quiſque dignus baptiſmate iudicatur, quando præcedit fidei confeſſioniſque meritum, cui tanquam in mercedem ſancti baptiſmatis debeat tribui Sacramentum. Dignus eſt autem operarius mercede ſua. Non ergo baptiſmatis mercede fraudari debuit, qui opus credulitatis & confeſſionis, diuinitus data cordis, & oris deuotione, perſoluit. Non hoc vtique fuit hora baptiſmatis interrogandus, quod eſt antea in Symboli pronunciatione confeſſus. Nihil itaque illi ad æternam beatitudinem conſequendam vox ablata nocuit, qui quamdiu potuit, ipſa fidei confeſſione permanſit. Ablata non eſt, nec mutata: nec abolitum eſt quod dixit, quando dicere non potuit,

potuit, quia quamdiu sentire potuit, sententiam non mutauit. Sed timeo, inquis, ne propterea Dominus, cui omnia possibilia sunt, facultatem loquendi denegauerit, quòd eum beneficio secundæ natiuitatis iudicauit indignum. Immò magis ibi agnoscamus Dominum nostrum non fuisse oblitum misericordiæ suæ, in quo etsi vocem abstulit, vitam tamen non ademit, vt quod præbuit credere, confiterique, acciperet viuens. Sed dubitatur, quomodo potuerit ætas illa rationis capax aliena confessione purgari. Immo sua inuenitur confessione purgata, cui tunc aliorum confessio subsecuta prodesse non posset, si propria minimè præcessisset. Secundò itaque illi aliorum confessio sine dubio profuit, quando non nolentem præuenit, cum deficienti subsecuta subuenit; & quod in illo voluntas illuminata credendo & confitendo cœpit, hoc pro illo charitas fraterna perfecit.

CAPVT VI.

Luc.12. Legimus itaque Dominum dixisse, *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui est in cœlis.* Isti autem quamdiu loquendi facultas fuit, confessio illa non defuit. Quis ergo dicere audebit confessionem illam salutis indignam, quam videt non voluntatis peruersitate reiectam, sed infirmitatis necessitate comprehensam? Debilitata est enim lingua, non conscientia deprauata, dicit autem Apostolus: *Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi propter quod locutus sum, & nos credimus, propter quod & loquimur.* Ille itaque spiritu fidei accepto credidit, & loquutus est, quoniam ipso Spiritu, quem acceperat, vt crederet, nunc carere poterat si negaret: quando non negauit, profectò non caruit. Ipso ergo spiritu quo locutus est credens, redemptus est tacens; quoniam ipso spiritu natiuitas secunda perficitur, quo secunda credulitas datur. Proinde quando non defuit sano credendi, & confitendi voluntas, non obfuit infirmo tacendi necessitas.

2.Cor.4.

CAPVT VII.

Est autem verum, quia solùm paruulos ritè credimus offerentium fide saluari, quos originali tantùm nouimus iniquitate damnari, id agente diuina iustitia miris modis, vt quodammodo vbi minimè propria, id est actualis malitia reperitur, nec voluntas propria requiratur: sed per abundantiam gratiæ detur aliis credentibus salus, quibus aliis peccantibus reatus adscriptus est. Addis autem, quia hic proprio viuebat arbitrio: super illud quod radice traxerat, multa sine dubio vitia propria cupiditate contraxerat, plurimorum peccatorum vinculis obligatus, & non nisi voluntaria credulitate saluandus, cùm in illo redemptionis loco confiteri nec voluit, nec valuit, quia nihil sentiens velle aliquid omnino non valuit. Hæc nempe charissime frater, verba sunt tua, quæ in illa, quam destinasti, continentur epistola. Proinde originalis peccati primitus est qualitas attendenda: quod vtique ab aliis admissum, in alios est generationis vitio propagatum. In cuius abolitione si quando illa ætas est, cui propria non possit inesse confessio, aliis credentibus, & confitentibus datur paruulis salus, quibus aliis peccantibus est reatus adscriptus. Quocirca quoniam in ætatibus iam ratione vtentibus propria confessio quæritur: illa scilicet ratione, quoniam & viuunt, & intelligunt, habentes ex vita peccatum originis, & ex intelligentia peccatum propriæ actionis: ideò istum rectè dicimus sine dubitatione saluatum, quia & intelligens credidit, & quod credidit propria confessione firmauit: & deinde, quamuis iam non intelligens, tamen adhuc viuens, Sacramentum sanctæ regenerationis accepit. Nam per sancti baptismatis Sacramentum, illa vita est peccati originalis nexibus absoluta, quæ fuerat eiusdem peccati vinculis obligata. Et quia tanta est virtus sancti baptismatis, vt vbi vitam inuenerit, in qua illud originalis peccati vinculum soluat, omnia quæ superadiecta repererit, secundæ natiuitatis beneficio diluat, iuxta illud quod Apostolus ait, *Nam iudicium ex vno in condemnationem, gratia autem in multis delictis in iustificationem*: dignè illum credimus esse saluatum, cui & ante baptisma credulitas, & intelligentiæ confessio non defuit, & in hora baptismi vita, quamuis in infirmo, & febricitante, permansit. Vita igitur, quæ contraxit originale peccatum, quia quando potuit, testimonium suæ conscientiæ atque intelligentiæ dedit, etiam quando confiteri non potuit, illius confessionis merito remissionem peccati originalis accepit. Maximè consecratione vnitatis Ecclesiæ suffragante, qua factum est, vt confessionem tempore præterito redditam, quia non potuit in hora baptismi reddere propter infirmitatem corporis, adiutorio fraternæ redderet charitatis: vt eorum membrorum verbo fuisset adiutus, quorum fuit consortio deputandus. Illo autem originali peccato dimisso, cuncta peccata, quæ propria voluntate contraxerat, dimissa fuisse nemo fidelium dubitat. Præterita igitur scientis confessio remissionem peccatorum meruit etiam nescienti quid diceret, de quo nullatenus dubitemus. Rom.5.

CAPVT VIII.

Neque enim ab hac sententia nostrum animum reuocare debet vlla suspicio, ne quis dicat, quòd ille saluus esset, si nec ad ipsam tinctionem corporis peruenisset, cùm vtique non dicamus, illum sine baptismi Sacramento sola confessione potuisse saluari. Qui enim crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Illum vtique adolescentem, quia credidisse, & confessum fuisse nouimus, ideò per Sacramentum baptismatis saluum fuisse firmamus. Qui si non baptizaretur, non solùm nesciens, sed etiam sciens nullatenus saluaretur. Via enim salutis fuit in confessione, salus in baptismate. Nam in illa ætate, non solùm ei confessio sine baptismate nihil prodesset, sed nec ipsum baptisma non credenti neque confitenti vllatenus proficeret ad salutem. Ideo ergo illi Deus confessionem prodesse voluit, quia eum vsque ad sanctam regenerationem in hac vita seruauit. Donum itaque sanctæ regenerationis sicut ille, quia voluit, petiuit: sic Deus quia voluit, dedit.

CAPVT IX.

Mortui cur non baptizentur.

Mortuos autem propterea non baptizamus, quia omne peccatum, siue originale, siue actuale, quia simul est animæ, carnique commune, nihil eorum dimittitur, si à sua carne anima separetur. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. Anima itaque sine carne nulla ratione saluatur, quæ peccauit in corpore, nec credidit cùm esset in corpore. Ac per hoc, malum recipit quod gessit in corpore, non bonum, quod in corpore constituta non gessit. Caro quoque sine anima non potest baptizari, quia nec 1.Cor.5.

remissionem

remissionem peccatorum accipere. Nam res quæ non viuit, sicut peccare, ita pœnitentiam peccati habere non potest. Quomodo sacramentum remissionis dari potest, vbi vita non est, aut quemadmodum caro baptizetur in remissionem peccatorum, vbi anima non est, cum qua simul adhæret peccati consortium? Igitur etsi fuit cuiusquam viuentis voluntas, fidelisque deuotio; quia tamen defunctus est sine baptismatis sacramento, ideo mortuus baptizari non potuit, quia ab illo corpore anima, cuius fuit voluntas fidelis, deuotioque, discessit. Propterea iste igitur, de quo nunc agitur, dignè baptizatus est; quia anima eius, cuius voluntas fidelis, & deuotio nota omnibus fuit, vsque ad horam sancti baptismatis in sua carne permansit. Illa igitur mysteria, quæ ante baptisma in Ecclesia geruntur, concipi spiritualem hominem faciunt, non renasci. Hinc est, quòd peruenier ad salutem, si quem secunda natiuitas educet in lucem. Ad quam lucem illis homo mysteriis præparatur; sed baptismatis sacramento perducitur. Hoc est, quod superiùs dixi in illis mysteriis esse salutis officium, in baptismate salutis effectum; quem vtique non infirmitatis incursio, sed sola sibi potest negare mutatio voluntatis.

CAPVT X.

PRoinde firmissimè tenenda est illa canonum sententia paternorum, quæ infirmos iubet, si pro se respondere non valeant, sed eorum voluntati testimonium sui periculo proprio dixerint, baptizari. Viderunt enim sancti Patres, ream non esse voluntatem, quæ impedita cognoscitur, non mutata. Nec debere denegari sacramentum baptismatis, vbi firmitas cognoscitur voluntatis. Hoc autem statuentes sibi Patres, & quid Ecclesia facere debeat, & quid ille percipiat, indicarunt. Neque enim hoc Ecclesia faceret, si ille nullum in hoc facto beneficium percepisset. Nam cùm *Ecclesiam Dei columnam & firmamentum veritatis esse* testatur Apostolus, si aliquam in mysteriis fidei habet partem, vbi non sit veritas firma, non est in omnibus mysteriis columna & firmamentum veritatis. Quæcumque enim firmitas sacramentis eius adimitur, ipsi Ecclesiæ necesse est auferatur. Non ergo columna & firmamentum veritatis veraciter vocatur Ecclesia, si in ipso principali humanæ salutis mysterio inuenitur infirma. Sed quia veraciter columna & firmamentum veritatis ab Apostolo nuncupatur, quidquid secundum ipsius Ecclesiæ constituta, in sanctis mysteriis redemptionis & reconciliationis humanæ, intra eum datur & accipitur, firma veritate datur, firma veritate percipitur. Vt autem sanctæ matris Ecclesiæ generalia constituta, id est, ea quæ concordissima cunctorum firmat assensio Pontificum, nullatenus repellamus, in Prouerbiis ita præcipitur: *Audi fili leges patris tui, & ne repellas instituta matris tuæ.* Quis ergo vtilitatis æstimet vacuum, quod diuinitus audit nullatenus repellendum? Si ergo qui sic baptizatur, non saluatur, nullus reatus est si hoc negligatur; nec minister verbi, si hoc non fecerit, tenebitur culpa negligentiæ, si ille in quo hoc fit, particeps non potest esse iustitiæ. Ibi ergo quisque arguitur negligentiæ reus, vbi operis non desperatur effectus. Et sicut ille dignè arguitur negligentiæ, qui quod vtile est non operatur, ita illius qui superfluis laborem rebus impendit, rectè ipse labor irritus atque inutilis improbatur. Quod etsi in hac parte irritus labor impenditur, irrita erit Pauli Apostoli sine dubitatione sententia, qua dixit: *Quia vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*: cùm proculdubio de ministris Christi & dispensatoribus mysteriorum Dei, sicut eiusdem epistolæ locus indicat, loqueretur. Præmiserat enim, *Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Dominus incrementum dedit.* Quid autem fuit plantare Pauli, & Apollinis rigare, nisi quòd Paulus plantabat euangelizando verbum salutis, Apollo autem rigabat ministrando sacramentum baptismatis? Cum ergo dixisset Apostolus: *Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*: vt ostenderet illius plantationis & rigationis firmam manere mercedem, continuò subdidit: *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Ostendens autem laborem diuini operis inanem esse non posse, alio loco eiusdem epistolæ sic loquitur: *Itaque fratres dilecti, stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.* Illud est autem opus Dei, quod sic impenditur vnicuique viuenti, vt eius qui accipit aut animæ prodesse possit, aut corpori. Et illa quidem quæ prosunt animæ, necesse est vt etiam corpori prosint: non autem omnia quæ corpori prosunt, ad vtilitatem pertinent animarum: sicut est cibus, potus, vestimentum, & hospitium, quæ inueniuntur non accipienti animæ prodesse, sed danti. Sacramentum vero baptismatis ad hoc homini datur, vt anima cum carne saluetur. Quod profectò inaniter minister dat, si non ad hoc dat, vt ille qui baptizatur, donum æternæ salutis accipiat. Inaniter enim sacramentum redemptionis datur, si non redimitur, cui datur. Sed si attendamus verbum vnum epistolæ tuæ, nulla huius dubitatio remanebit. Dixisti enim, propterea hoc paternis Canonibus definitum, vt minister verbi liber sit à culpa negligentiæ. Quomodo autem in hac negligentia culpam minister incurrit, si in diligentia non aliquid proficit? Non enim inaniter negligentiæ contrahit culpam, nisi quia hoc non fecit quod facere debuit: illud autem facere propterea deceret, quod prodesse poterat si fecisset. Ideò autem negligentiæ culpam contraxit, quia obfuit non faciendo quod prodesset proculdubio, si fecisset. Proinde ideò debet secundum paternos Canones infirmus ille, cuius voluntati non deest attestatio proximorum, sine dubio baptizari, vt & minister verbi liber sit à culpa negligentiæ, & ille fiat consors particepsque iustitiæ.

(Margin notes: 1.Tim.3. — Prou.1. — 1.Cor.3. — Ibidem. — Ibid. — 1.Cor.15.)

CAPVT XI.

NVllus autem debet moueri fidelium in illis, qui etsi legitimè sana mente baptizantur, præueniente velociùs morte, carnem Domini manducare, & sanguinem bibere non sinuntur: propter illam videlicet sententiam Saluatoris qua dixit: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quod quisquis non solùm secundum veritatis mysteria, sed secundùm mysterij veritatem considerare poterit, in ipso lauacro sanctæ regenerationis hoc fieri prouidebit. Quid enim agitur sacramento sancti baptismatis, nisi vt credentes membra Domini nostri Iesu Christi fiant, & ad compagem corporis eius Ecclesiastica vnitate pertineant? Ipsis enim dicit B. Apostolus, *Vos estis corpus Christi, membra de membro.* Quos ostendit non solum ipsius sacrificij participes, sed ipsum sanctum sacrificium esse, dum eos iubet viuam hostiam seipsos Deo humiliter exhibere, dicens: *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem.* Quod etiam

(Margin notes: Ioan.6. — 1.Cor.12. — Rom.12.)

1.Petr.5. sanctus Petrus similiter dicens, ait: *Et vos tanquam lapides viui ædificati in domos spiritales, in sacerdotium sanctum, offerentes spiritales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum.* Vnde beatus Paulus cùm
1.Cor.10. quodam loco dixisset, *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panes quos frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* vt nos esse ipsum verum panem, verumque corpus ostenderet, continuo subiunxit, *quoniam*
Ibid. *vnus panis, vnum corpus multi sumus omnes, qui de*
Ephes.4. *vno pane participamus.* Vnde alio loco dicit: *Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ.* Et iterum, *Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est ca-*
Ibid. *put Christus. Ex quo totum corpus compactum & concretum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Nam & carnem Domini nos esse
Ephes.5. confirmans, ait: *Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam, quoniam membra sumus corporis eius, & de ossibus eius.* Quocirca quoniam vnus panis & vnum corpus multi sumus, tunc incipit vnusquisque particeps esse illius vnius panis, quando cœperit membrum esse illius vnius corporis, quod in singulis membris, quando in baptismo capiti Christo subiungitur, tunc iam Deo viua hostia veraciter immolatur. Illo enim natiuitatis munere sic fit sacrificium, sicut fit & templum. Quod beatus Apostolus docens, ait: *Nescitis, quia templum Dei estis, &* 1.Cor.3.
spiritus Dei habitat in vobis. Qui ergo membrum corporis Christi fit, quomodo non accipit quod ipse fit, quando vtique illius fit verum corporis membrum, cuius corporis est in sacrificio sacramentum: Hoc ergo fit ille regeneratione sancti baptismatis, quod est de sacrificio sumpturus altaris. Quod etiam sanctos Patres indubitanter credidisse ac docuisse cognoscimus. Beatus quoque Augustinus de hac re sermonem fecit admodum luculentum, & aptum ædificationi atque instructioni fidelium. Quem sermonem totum epistolæ malui subiungere, quia nec est prolixus, & in ipsa breuitate magnæ instructions ac suauitatis est plenus.

SERMO B. AVGVSTINI Episcopi ante Altare ad infantes de Sacramento.

Vide eundem S. Augustinum sermone 83. de diuers.

HOc quod videtis in altare Dei, etiam transacta nocte vidistis, sed quid esset, quid sibi vellet, quàm magnæ rei sacramentum contineret, nondum audistis. Quod ergo videtis, panis est & calix: quod vobis etiam oculi vestri renunciant. Quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est, corpus Christi, calix sanguis Christi. Breuiter quidem hoc dictum est, quod fidei fortè sufficiat: sed fides instructionem desiderat. Dicit enim Propheta,
Psalm.7. Nisi credideritis, non intelligetis. *Potestis ergo modò dicere mihi: Præcepisti vt credamus; expone vt intelligamus. Potest enim in animo cuiuspiam cogitatio talis oboriri. Dominus noster Iesus Christus nouimus, vnde acceperit carnem de virgine Maria. Infans lactatus est, nutritus est, creuit, ad iuuentlem ætatem perductus est, à Iudæis persecutionem passus est, ligno suspensus est, in ligno interfectus est, de ligno depositus est, sepultus est, tertia die resurrexit, quo die voluit in cœlum ascendit. Illuc leuauit corpus suum, vnde est venturus vt iudicet viuos & mortuos. Ibi est modò sedens ad dexteram Patris. Quomodo est panis corpus eius & calix, vel quod habet calix quomodo est sanguis eius? Ista, fratres, ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet spiritalem. Corpus ergo Christi si vis intelligere, Aposto-*
1.Cor.10. *lum audi dicentem fidelibus:* Vos estis corpus Christi, & membra. *Si ergo vos estis corpus Christi & membra, mysterium vestrum in mensa Domini positum est, mysterium Domini accipitis. Ad id quod estis, Amen respondetis, & respondendo subscribitis. Audis ergo corpus Christi, & respondes, Amen. Esto membrum corporis Christi, vt verum sit Amen. Quare ergo in pane? nihil hic de nostro afferamus, ipsum Apostolum item audiamus. Cùm ergo de isto sacramento loquere-tur, ait:* Vnus panis, vnum corpus multi sumus. *In-* 1.Cor.10.
telligite, & gaudete. Vnitas, pietas, veritas, charitas, vnus panis, vnum corpus multi sumus. Recolite enim quia panis non fit de vno grano, sed de multis. Quando exorcizabamini, quasi molebamini: quando baptizati estis, quasi conspersi estis: quando Spiritus sancti ignem accepistis, quasi cocti estis. Estote quod videtis, & accipite quod estis. Hoc Apostolus de pane dixit, iam de calice quid intelligeremus, etiam hoc dictum satis ostendit. Sicut enim vt sit species visibilis panis multa grana in vnum consperguntur; tanquam illud fiat quod de fidelibus ait Scriptura sacra: Erat illis Act.4.
anima & cor vnum in Deum: *sic & de vino fratres, recolite, vnde sit vnum. Grana multa pendent ad botrum, sed liquor granorum in vnitate confunditur. Ita Dominus Iesus Christus nos significauit, nos ad se pertinere voluit: mysterium pacis & vnitatis nostræ in sua mensa consecrauit. Qui accipit mysterium vnitatis, & non seruat vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se.*

ARbitror sancte frater, disputationem nostram, præclari doctoris Augustini sermone firmatam, nec quicquam esse aliquatenus ambigendum, tunc vnumquemque fidelium corporis sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illo panis calicisve consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc sæculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuatur, quando ipse hoc quod illud sacramentum significat, inuenitur. Ora pro nobis semper vegetatus fortis in Christo, sancte & venerabilis frater.

EPISTOLA

EPISTOLA B. FVLGENTII Ad Reginum.

Vtrùm caro Christi corruptibilis, an incorruptibilis fuerit.

CAPVT PRIMVM.



ACCIPIENS litteras tuas, fili charissime Regine, & sollicitudinem cordis tui agnoscens, Dominum collaudaui, qui potest vtrumque bonum & conferre seruandum, & seruare collatum. Vtrumque enim pertinet ad medelam animarum nostrarum, quo gaudeamus in beneficiis, quæ nobis infirmis medici nostri non desinit ineffabilis operari benignitas, vt spirituali profectu & augeatur in nobis sanitas, & minuatur infirmitas. Modus verò infirmitatis nostræ duplici qualitate consistit: si vel per ignorantiam minus aliquid in fide nouerimus, vel aliquid habeamus in operibus nostris, quod non conueniat regulæ veritatis. Quoniam igitur corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, ideò nos vtraque conturbat infirmitas. Sed ille qui nos fecit, & gaudere præcepit, quia vicit mundum, speramus, quia nos in fide, quæ per charitatem operatur, perficiet. Dicis ergo, quod nuper in Orientis partibus noua est orta inquisitio, aliis asserentibus incorruptibile fuisse corpus Christi ab ipso conceptionis exordio, aliis autem contrarium fatentibus, corruptibile ante passionem, incorruptibile verò post resurrectionem. Tu tamen in vtraque parte valdè hæsitans, nec respondere sciens, instas vt quid tenere debeamus commoneam. Hæc sunt quæ interrogas. Superiùs autem tuæ gratulationis indicio insinuas te meis litteris recreatum. Quoniam igitur interrogatio tua recti cordis tramitem tenuit, quo primitus quod ad fidem, deinde quod ad opera pertinet, apprehendit, quia fidem, quæ per charitatem operatur, commendat Apostolus, illo scilicet nostræ salutis obtentu, quod fides sine operibus mortua est in semetipsa.

CAPVT II.

VOlo itaque charissime, vt scias non vno modo dicere corruptionem, sed duobus modis, sicut dicimus infirmitatem, & similiter mortem. Dominus enim mortem inquit esse perpetrationem criminis, & mortem in qua retributio nihilominus intelligitur vltionis. Dicitur etiam infirmitas hominis, eius scilicet qui exhibet peccato seruitium, & eius qui portat peccati supplicium. Vtrumque ad infirmitatem pertinet peccatoris, & delectatio in peccatis, & afflictio pro peccatis. Sic etiam corruptionem dupliciter dicimus, cuius vna pars in sola hominis culpa, altera inuenitur in pœna. Ad culpam quidem pertinet illa corruptionis pars, quam
2.Tim.3. Apostolus ostendit, vbi dicit: *Homines corrupti mente reprobi circa fidem.* Ad hanc partem corruptionis
1.Cor.15. pertinet, quod alio loco dicit, *Corrumpunt mores bonos colloquia praua.* Ista corruptionis pars primo animam capit, & per animam carnem in peccatum trahit. Hæc pars corruptionis mentem superbientis Angeli primò inuasit, ac deinde primum hominem, postmodum totum genus humanum. Primam ergo corruptionis partem, quæ consistit in concupiscentia vel perpetratione peccati, secuta est illa pars, quæ constat in retributione supplicij, quæ duobus tenet animam & corpus hominis peccatoris. In ipsa quoque retributione quædam sunt, in quibus pœna peccati simul fit & ipsum peccatum: alia verò sunt, in quibus solum fit peccati supplicium. In illis ergo in quibus reperitur pœna simul & culpa, opere quo reatus in peccatore punitur Deo derelinquente, augetur homine delinquente. Hæc est illa pars corruptionis, per quam sic peccata puniuntur in homine, vt non desinant, sed vt crescant: sicut est libido cordis & corporis, quæ cùm ex pœna peccati eueniat, peccatum multiplicat, & animam punitioni subditam noxia delectatione captiuat. Tertiam quoque punitionem huic secundæ retributam Apostolus dicit: *Propter quod tra-* Rom.1.
didit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant quæ non conueniunt. Non ergo vt patiantur tantùm, sed vt faciant vnde peccata multiplicentur, diuina in reprobum sensum damnatione traduntur. Veruntamen hæc traditio, non in operatione Dei, sed in desertione consistit. Quosdam enim tradit Deus, nec dimittit: quosdam verò in eo quod tradit, dimittit. Bonos sic tradit paterna benignitate, vt non deserat paterno iuuamine. Ac per hoc tradit eos ad patienda mala quibus ipsi perficiantur, non ad facienda quibus deteriores existant. Malos autem ad hoc tradit Dominus, & dimittit, vt ipso deserente, dum non Dei voluntatem, sed suam sequuntur, sua turpitudine delectentur, nec pœnam suam portent inuiti, sed sequantur illecti.

CAPVT III.

HÆc est iniquorum corruptio, quæ sic est pœna peccati, vt sit & ipsa peccatum. Alia corruptionis pars est, quæ nec animam, nec corpus fidelis hominis polluit, sed affligit: quia nec ad inquinandum hominem, sed ad humiliandum militat peccatorem. Hac itaque discretione retenta, dum corruptionem voluntariam à corruptione pœnali discernimus, ipsiusque pœnalis corruptionis vnam partem cum peccato, alteram sine peccato inesse hominibus inuenitur, talis autem corruptio cordis nihil aliud est, nisi priuatio sanitatis, quia nulla ex hac corruptione contrahitur iniquitas, licet insit infirmitas: facillimè inuenimus quam partem corruptionis suscepit Christus in corpore. Nam quamuis carnem pro nobis susceperit, tamen accepit immunem ab omni peccato originali & actuali. Ipsam tamen carnem, non solùm infirmam, sed etiam veraciter cognoscitur accepisse mortalem. Proculdubio in quantum corpori eius

inerat suscepta mortalitas, in tantum ei potuit inesse corruptionis infirmitas. Illius scilicet corruptionis, quæ abest ab omni peccato. Ad talem corruptionem pertinet fames & sitis. Facilè siquidem esuriendo & sitiendo corpus mortale corrumpitur; quando per hæc etiam ad ipsius mortis exitum peruenitur. Per quam mortem venitur ad corruptionem, dum deserente anima, in tantum corpus corrumpitur, vt in putredinem ac puluerem redigatur. Hanc corruptionem caro Christi non vidit, quæ die tertia resurrexit. Famem tamen, sitim, fatigationem corporis, ac dolorem veraciter sensit. Quæ omnia pertinent ad illam partem pœnalis corruptionis, quam sic ex peccati pœna supplicio trahimus, vt ex ea nullum peccati supplicium contrahamus. Esuriisse Christum, sitisse, fatigationémque sensisse Euangelium docet, quem manifestum est esuriisse, quando ad ficulneam venit, nec in ea fructum inuenit; fatigatus etiam ex itinere sedit super puteum. In cruce etiam dixit, sitio. Dolorem etiam
Esai.63. sustinuit, sicut dicit Esaias: *Vulneratus est propter iniquitates nostras; infirmatus est propter scelera no-*
1.Cor.13. *stra.* Hanc infirmitatem in Domino non putatiuam, sed veram, docet Apostolus. *Nam etsi crucifixus est*, inquit, *ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei.* Infirmitatem non aliud dicit, quam corruptibilitatem.

CAPVT IV.

Restat itaque, vt & Christum fuisse in aliqua corruptione ad quam non rediit, & non fuisse in ea quam non vidit, per sacram scripturam discamus. Ad corruptionem pertinet corporis animalis, & mors quæ præcedit putredinem, & putredo quæ sequitur mortem. Proinde Christi corpus, quod est verè mortuum, & die tertio sine aliqua putredine suscitatum, vnam partem corruptionis vidisse, aliam non vidisse dicendum est. Fuit quippe in corruptione mortis, sed non in corruptione putredinis: quando caro Christi sic est mortua, vt nulla fuisset membrorum putredo, vel dissolutio subsecuta. Christus ergo non reuertetur in corruptionem, quia surgens à mortuis, iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur. Christus ergo non vidit corruptionem, quia nullam sensit caro eius putredinem. Hoc autem non eiusdem carnis incorruptibilitas, sed resurrectionis celeritas fecit. His omnibus in quibus nostræ seminationis ac resurrectionis certissimam qualitatem verbis
Epist.146. ad Consentium. Apostolicis sanctus Augustinus ostendit, dicens: *Constat itaque, neque vllo modo dubitandum est, corpus Christi, quod licet corruptionem putredinis in*
Psalm.15. *sepulchro non senserit, quia scriptum est*, Non dabis sanctum tuum videre corruptionem, *clauis tamen & lancea corrumpi potuit: nunc omnino in corruptione persistere: & quod in contumelia passionis mortisque seminatum est, nunc esse in gloria vitæ æternæ: & quod ex infirmitate potuit crucifigi, nunc in virtute regnare: & quod erat corpus animale, quoniam ex Adam sumptum est, nunc spiritale esse, quoniam spiritui nunc inseparabiliter copulatum est.* His verbis Augustinus ostendit, quale corpus Christi post resurrectionem sit, & quale ante passionem fuerit. Euidenter confirmat corpus Christi omnino nunc in incorruptione persistere, nunc etiam in gloria vitæ æternæ, nunc in virtute regnare, nunc spiritale esse. Sed corpus non est omnino incorruptibile, quod dolorem potest per vulnera sentire. Quocirca apparet Christum ante passionem, immo vsque ad passionem & mortem, mortale atque animale corpus habuisse; & pro nobis in eodem corpore veram famem, veram sitim, fatigationémque sensisse, vera clauorum ac lanceæ percepisse vulnera, & ex hoc verum dolorem non necessitate, sed voluntate sensisse, veræque mortis acceptatione pro nobis animam suam propria potestate posuisse. Consequens est, vt idem Christus ex infirmitate mortuus, ex virtute autem Dei suscitatus, nostris inueniatur exemplum præbuisse corporibus. Humiliauit enim se Christus vsque ad Philip.3.
susceptionem totius infirmitatis nostræ: vt sicut ait Apostolus, reformetur corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Hinc ergo manifestissimè apparet, quid de animalis ac mortalis corporis qualitate debeat omnis Christianus firma credulitate sentire: impossibile, vt corruptibilitas esse negetur, vbi animalis corporis mortalitas inuenitur. Christus ergo in sola carne portauit nostram corruptionem, in qua veraciter nostram portauit & mortem. In anima verò sic perfectam incorruptibilitatem seruauit, sicut peccatum nec propagine traxit, nec contagione contraxit. Vnde & infirmitates animarum nostrarum, quas in sua rationali anima portauit Christus, sine vlla corruptione portauit. Nullus quippe potuit defectus inesse virtutis, vbi infirmitatis susceptione indefessa permansit perfectio charitatis, quæ vnigenitum Deum fecit vsque ad mortem pro nobis accedere, & confusione contempta crucis opprobrium sustinere. Propter quod tristitiam, mœrorem, vel si quas nostrarum animarum infirmitates habuit Christus, veras quidem, sed voluntarias habuit. Veras scilicet, vt manifestum in se animæ rationalis monstraret affectum: voluntarias, vt nostris infirmitatibus adfuturum ostenderet suæ virtutis auxilium, vt agnosceremus nos ipso adiuuante in infirmitatibus, quas necessitate patimur, fulciendos. Qui propterea voluntate nostras infirmitates acciperet, vt & in hac vita infirmitatum necessitate turbatis auxilium contulisset, & post hanc vitam omnem à nobis infirmitatis necessitatem misericorditer abstulisset. Ac sic omnis fidelis agnoscens Christum participem humanæ infirmitatis, certissimè speraret participem se fore diuinæ virtutis, nec se ambigeret illius virtute firmandum, quem pro se cognouisset non necessitate, sed voluntate turbatum. In ipso habiturum æternam lætitiam, cui suam voluntate videret inesse tristitiam, qui sicut mansit in tribulatione tranquillus, in morte securus, sic in infirmitate fortissimus, & in humilitate altissimus.

Hanc Epistolam B.Fulgentius morte prauentus non absoluit.

SERMO

SERMO BEATI FVLGENTII Epiſcopi, de eo quod ait Micheas Propheta:

Indicabo tibi homo, quid ſit bonum.

CAPVT I.



De præſenti prophetica lectione, in qua noſtrarum magna continetur vtilitas animarum, veſtræ charitati loqui diſpoſuimus ab illo poſcentes ſermonis congruam facultatem, à quo bonam gratis accepimus voluntatem. Quis autem hanc donat, niſi Deus, qui operatur in ſuis & velle & perficere pro bona voluntate? Proinde verba ſancti Micheæ, quæ pariter audiuimus, pariter reuoluamus. Et vtinam fratres, ſicut ea ſermone reuoluimus, ſic operibus impleamus. Audiuimus enim verba hominis ſancti, hominis iuſti, hominis pij, hominis de ſua ſalute ſoliciti, hominis qui ſe ſciebat creatum à Deo, qui ſe cogitabat eſſe ſub Deo. Qui cum magno timore, & tremore diuinum expectabat iudicium, in quo ſe nouerat, non ſolùm de factis, & dictis, verum & de ipſis cogitationibus ſuis rationem ante tribunal iuſti iudicis redditurum. Cogitans itaque futurum iudicium Dei, de quo debemus etiam nos cuncti metuere, & in omnibus operibus noſtris cum magna cordis formidine cogitare, hoc cogitans homo iſte ſanctus, & iuſtus, quærebat quid faceret, vel quibus muneribus Deum iudicem deprecaretur. Sciebat autem omnipotentem Deum, qui omnia condidit, qui cuncta ex nihilo fecit, qui nihil ex indigentia paupertatis, ſed vniuerſa ex abundantia bonitatis inſtituit, non ſola quærere munera noſtra, ſed etiam opera noſtra. Immò ſciebat in hoc maximè Deum delectari muneribus noſtris, vt ei placeamus moribus ſanctis, & operibus bonis. Quærens igitur homo iſte quid ab homine offerendum ſit Deo, dicebat: Quid dignum offeram Domino? Hoc autem verbo, quo non ait, quid offeram Domino, ſed quid dignum offeram Domino? docuit nos, vt ſi quando munus offerre Deo volumus, aliquid dignum quæramus, & hoc offeramus. Quid autem poteſt eſſe in oblatione Deo dignum, niſi quod eſt in creatura præcipuum? In omnibus verò creaturis, quas fecit Dominus ſuper terram, nulla melior inueniri poterit, quàm illa creatura, quem Deus ad ſuam imaginem fecit. Hæc autem creatura in terris homo eſt.

CAPVT II.

Quiſquis igitur offerre vult aliquid dignum Deo, non prius aliud quid offerat quam ſeipſum, Deus enim qui hominem ad imaginem ſuam fecit, imaginem ſuam ſibi delectatur offerri: ipſam ſibi puram, & mundam præcipit exhiberi. Inde eſt quod Saluator noſter quibuſdam tentantibus eum ita reſpondit. *Reddite Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, & quæ ſunt Dei Deo.* (Matt. 12.) Hoc eſt dicere. O homo ſicut imaginem ſuam Cæſari reddis in nummo, ſic redde Deo ſuam imaginẽ in teipſo. Redde homo creatori tuo imaginem ſuam, redde iuſtam, non iniquam, redde humilem, non ſuperbam. Non auaritia turpem, non rapacitate deformem, non vitio iracundiæ leuem, non terrena dilectione contritam, non liuore ſordidam, non fornicatione pollutam: ſed prudentię pondere integram, fidei veritate mundam, & bonis moribus atque operibus ſplendidam. Quomodo autem Deo imaginem ſuam reddamus in nobis, Propheta ſanctiſſimus admonet dicens: *Indicabo tibi, homo, quid ſit bonum, & quid Dominus quærat à te. Vtique facere iudicium, & iuſtitiã, & diligere miſericordiã & ſollicitũ ambulare cũ Deo tuo.* (Mich. 6.)

CAPVT III.

Primum itaque quid ſit facere iudicium, quod B. Propheta primum poſuit, inquiramus. Iudicium dicitur conuentus, vbi accuſatio, & defenſio cuiuſlibet hominis agitatur: vnde neceſſe eſt, vt adiudicatus exeat qui fuerit reus, & victor abſcedat, qui probatur innoxius. Reuertere igitur ad te, homo. In te quære accuſationem, in te quære defenſionem, in te quære iudicium. Immò tu eſto & accuſator, & defenſor, & iudex. Intra in ſecretarium cordis tui, vbi ſoli te vident oculi Domini Dei tui. Ibi te accuſa, vt valeas accuſatione defendi. Ibi te conuince, vt victoriam poſſis adipiſci. Ibi te condemna, vt merearis abſolui. Ibi te puni, ſi vis ab æterni æ punitionis ſupplicio liberari. Fac in te, Chriſtiane, verum rectumque iudicium; ſollicitè ſecreta tui cordis attende. Facta tua mala tibi ante oculos tuos pone: quæcunque deleueras in intimo libro tuæ recordationis recenſe frequenter, ac relege, ſine conuenientia teipſum diſcute tu ipſe, & cogitationum tormentis affl ge. Tu in te iuſtam ſententiam prome. Quidquid mali feceras peccando, punis veraciter pœnitendo. Et iudex effectus peccatorum tuorum, quod facere ſolent iudices capitalibus reis, hoc ipſe fac iniquitatibus tuis. Noli accipere perſonam tuam, cùm iudicas cauſam tuam. Sed cum ſeueritate mala tua diſcute, cum rigore in peccata tua condemnationis ſententiam prome, & peccata quæ in te condemnas, occide. Hoc eſt autem peccata occidere, peccatis deinceps nullatenus obedire. Noli ergo eſſe peccatorum factor, & eris occiſor. Si verò fueris in peccata tua iudex iuſtus, de iuſto Dei iudicio exies abſolutus. Vt autem in teipſum iſtum poſſis celebrare iudicium, audi Apoſtolum Paulum, qui docet quæ in te debeas opera mortificare, vt ad vitam valeas peruenire. Dicit enim, *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, quæ eſt idolorum ſeruitus: propter quæ venit ira Dei in filios incredulitatis.* (Coloſ.) Ecce habes, homo, quæ in te iudices, habes quæ condemnes, quæ in te mortifices. Iſta iudica, & non iudicaberis. Iſta condemna, & non condemnaberis. Iſta mortifica, & non morieris. Hic eſto ſeueriſſimus iudex, hic eſto vehementiſſimus carnifex. Iſta rectè conſiderando iudica, abiiciendo mortifica. Si enim peccata tua rectè conſideraueris, iudicaſti: ſi abieceris, occidiſti. Vt ergo defendas te, accuſa te; vt abſoluas te, iudica te; & vt ad victoriam perducas cauſam tuam, conſidera conſcientiam tuam. Agnoſce iniquitatem tuam, mortifica

concupiscentiam tuam, corrige vitam tuam, & recte iudicando liberabis animam tuam. Ecce fratres, quantum Dominus dedit, quid sit facere iudicium diximus: quid deinde sit iustitiam facere, nunc dicamus. Iustitiam facere est, vt quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, sed & hoc alteri facias, quod tibi ab altero fieri delectaris: vis autem tibi bonum ab omni homine fieri, hoc enim iustum est, vt omnis homo bonum faciat homini: quia contra iustitiam facit, qui homini malum facit. Malum autem dico illud opus, quo per prauam cupiditatem peccatur: non quo per charitatem pœna peccantibus irrogatur.

CAPVT IV.

MAlum nunc ego dico, non quo proximus à culpa reuocatur, sed quo Deus iustus ad iracundiam prouocatur. Illud malum dico, non quod bene solet inferre seueritas, sed quod malè perpetrare consueuit iniquitas. Illud malum nunc dico, quod nunquam potest esse iustum, sed semper inuenitur iniustum. Illud malum dico, quo delinquitur Deo, non quo consulitur proximo. Illud ergo malum nunc dico, quod sic est omnibus facientibus malum vt nulli patienti sit bonum. Iustitiam igitur homo faciet, si malum nulli faciat, & bonum omnibus faciat: illud autem nulli faciat malum, à quo nos beatus Apostolus prohibet dicens: *Nulli malum pro malo reddentes.* Quibus vtique verbis plenam nobis beneuolentiam commendauit. Non enim dixit, nulli malum facientes, sed nulli malum pro malo reddentes. Ostendens parum esse Christiano malum non inferre, nisi discat etiam non referre. Vnde cognoscitur, quam pessimũ sit, si nos alicui malum faciamus, qui malum facientibus pro malo reddere non debemus. Rom. 12.

CAPVT V.

SErua igitur, Christiane, secundum regulam iustitiam. Bonum omni homini facito: malum verò nec facias alicui, nec reddas. Si enim malum pro malo reddideris, etiam tu sine dubio malus eris. Tunc ille qui prior tibi malum fecit, non solus malus erit, quia socium malitiæ te habebit. Cum autem cœperis malum pro malo reddere, in hoc magis culpabilis eris, quia malum quod in aliis execraris, hoc imitaris. Malus autem factus, non vincis malum, sed vinceris à malo, & quod peius est, non vinceris alieno malo, sed tuo. Non est enim quemadmodum malus fias, nisi à bonitate deficias. Ita fiet, vt in teipso remaneas damnabiliter victus, si fueris tuæ voluntatis vitio deprauatus. Tunc itaque hominem malum certissimè superabis, si bonus ipse permanseris, si non pro malis mala, sed pro malis bona reddideris. Propter quod Apostolus, qui ait, *Nulli malum pro malo reddentes*, paulò post dicit, *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Ecce vt nulli malum pro malo reddamus, ab Apostolo simul audimus: vt etiam omnibus bona faciamus, ab ipso rursus Apostolo pariter audiam, qui ait: *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Tunc itaque faciamus iustitiam, cùm illa hominibus facimus, quæ nobis volumus ab hominibus fieri. Hanc iustitiam Saluator ipse commendans ait: *Omnia quæ vultis vt vobis faciant homines, eadem & vos facite illis.* Quę autem vultis, vt vobis homines faciant, nisi bona? Si autem mala vobis faciant, non quæ vultis faciunt. Ergo & vos, si malum pro malo reddatis, quia non ea facitis hominibus, quæ vultis, vt faciant vobis, non vtique facitis quod Christus præcepit, sed quod diabolus persuasit. Quapropter vt iustitiam faciatis quam præcepit Christus, hoc impendite vnicuique homini, quod vobis ab omnibus hominibus desideratis impendi. Sic facietis iudicium & iustitiam, de quibus nos Propheta beatus admonuit. Facietis enim iudicium, si peccata vestra pœnitendo damnetis, & damnando peccata, bene viuatis. Facietis autem iustitiam, si nulli malum pro malo reddatis, sed omnibus hominibus bona faciatis. Hoc vtique commendat Apostolus dicens: *Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonum est, sectamini inuicem, & in omnes.* Quia verò bona opera tunc bene, & vtiliter fiũt, cùm de bona voluntate procedunt, propterea cùm Propheta dixisset, debere nos facere iudiciũ, & iustitiam, addidit, & *diligere misericordiam.* Quia misericordiam maximè debent sublimes humilibus impendere, & diuites pauperibus prærogare. Hæc autem misericordia duobus impenditur modis: cùm peccanti, & correctionem pollicenti venia datur, & cùm indigenti quod est necessarium, non negatur. Ad huius misericordiæ pertinet partes, vt superior inferiorem non opprimat, sed cum iustitia defendat, & diues pauperi nihil auferat, sed pauperem pascat, & vestiat: vt pauperi non insidietur, sed eum potius suis beneficiis consoletur. Quid ergo est quòd se inflat homo fragilis & mortalis? quid superbit terra, & cinis? quid se super pauperem diues superbus extollit? quare pauperem despicit? quare pauperem premit? quare pauperi panem, aut tenacitate non tribuit, aut rapacitate subducit, & illi, cui debet de suo multum misericorditer aliquid dare, modicum quod habet crudeliter conatur auferre? Existimat, quia cùm pauperem grauat, seipsum releuet: arbitratur, quia cùm pauperem tribulat, sibi boni aliquid præstet. Et nescit, quia cùm pauperem premit, sibi grauissimum pondus imponit, nec attendit, quia si quid de paupere cogitat, de seipso cogitat. Sibi enim bonum impendit, quando pauperi bonum facit. Si autem malum cogitat facere pauperi, plus nocebit sibi, quàm pauperi. Bonum igitur faciat diues pauperi, & proderit sibi. Diligat misericordiam, & eam pauperi semper impendat, vt ipse misericordiam in die tribulationis inueniat. Sic se cogitet super hominem pauperem positum, vt meminerit se sub Deo diuite constitutum.

Rom. 12.

Galat. 6.

Matth. 7.

1. Thess. 5.

CAPVT VI.

NOn ergo dubitet homini pauperi misericordiam facere, quam à Deo diuite delectatur accipere. Recordetur esse Deum iudicem, qui habet æternam in omnibus potestatem. Ille enim videt omnium facta, ipse reddet vnicuique secundum opera sua. Vnde veraciter dicitur, quia *Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam, & Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Iacob. 2. Faciamus ergo iudicium & iustitiam, diligamus misericordiam. Matth. 5. Cùm autem iudicium & iustitiam facimus, misericordiam diligimus, cum Deo nostro solicitè ambulamus. Ambulat autem cum Deo qui bonis moribus & operibus proficit, qui cælestia terrenis, & ęterna temporalibus anteponit. Sed oportet, vt vnusquisque sollicitus ambulet: id est, vt non altum sapiat, sed timeat: vt superbiam fugiat, & boni nihil suis meritis tribuat, sed in omnibus quæ bene egerit, Dei gratiam recognoscat. Ista sollicitudo facit hominem cum Christo per viam humilitatis incedere, & ad regni cœlestis altitudinem peruenire. Conuersi ergo ad Dominum pariter eius misericordiam deprecemur, vt nobis suam gratiam largiatur, qua possimus in nobis ipsis iudicium rectum tenere, iustitiam cæteris exhibere, & diligentes misericordiam, non opprimere pauperes, sed fouere: vt in conspectu Dei, cui misericordiam iudiciumque cantamus, superexaltantem iudicio misericordiam inuenire possimus.

EPISTOLA

EPISTOLA FERRANDI Diaconi ad Diuum Fulgentium Episcopum, de quinque Quæstionibus.



DOMINO beatiſſimo, & cum omni veneratione inſpiciendo: ſancto Patri Fulgentio, Ferrandus Diaconus in Domino ſalutem. Sæpe multum volui effectum interrogare diſcendi: ſed abſentem magiſtrum frequentibus epiſtolis compellare, portitorum raritas ex itineris longinquitate prohibuit. Vnde nunc beneficio præſentis occaſionis admonitus, in vnum congeſſi quæ potui, & reſponſione veſtra meliùs dilatanda breuiter quæro rogans, obſecranſque Chriſtum, à quo intus audis, quòd doceas foris, vt veraciter dicas mihi: (*Prima quæſtio.*) Vtrum Trinitas indiſſeparabilis propter vnam eandemque naturam, operationem, atque voluntatem, dici debeat ſeparabiles habere perſonas, an etiam in perſonis ſit omnino inſeparabilis prædicanda. (*Secunda.*) Vel, vtrum Deus Dei filius (ſicut dicitur) natus, paſſus, mortuus, crucifixus: ita eius diuinitatem confirmare nos oporteat natam, paſſam, mortuam, crucifixam, quamuis ſiue Deus, ſiue diuinitas nominetur, ſola caro intelligatur mutabilis, atque paſſibilis, ſecundum quam Deus, aut diuinitas pati potuit, quod in ſua natura non potuit. (*Tertia.*) Tertiò adhuc requiro, vtrum anima Chriſti ſuſceptricis deitatis plenam habeat omnino notitiam, & quemadmodum ſe inuicem norunt pater, & filius, & ſpiritus ſanctus, ita idem filius ſemetipſum per id quod homo eſt in eo quod Deus nouerit, ex vtraque, atque in vtraque ſubſtantia totum capiens patrem. An fortaſſe ſicut oculis corporalibus Deum ſpiritum minimè videt, ne non homini dignitas addita, ſed natura credatur penitus commutata: ſic rationalis animæ quamuis pio intellectu, & corde mundiſſimo non videri, neque comprehendi omnem diuinitatis eſſentiam, ne quælibet creatura inueniatur capere creatorem. Patere me obſecro iterum quærere, volo enim ſimul plura proponere, quia non eſt vbi ſigillatim de ſingulis percontemur. Vnum regnum patris, & filij, & ſpiritus ſancti credimus & fatemur, ſimul eos dominari creaturis omnibus ſentientes. (*Quarta.*) Quare ergo in orationibus Sacerdotum per Ieſum filium Dominum noſtrum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus ſancti, per vniuerſas pene Africæ regiones Catholica dicere conſueuit Eccleſia? Tanquam ſolus filius cum patre poſſideat regnum in vnitate, ſcilicet, Spiritus ſancti, aut regnantes adunare, non ſimul regnare Spiritus ſanctus intimetur. Reſponde ad hæc rogo celeriter, & inculto eloquio de rebus ignotis conſulentem ſuauiſſimo melle cœleſtis paſce ſermonis. (*Quinta.*) Illud etiam diligenti expoſitione dilucidans, quid ſit quod Lucas Euangeliſta cœnam Domini narraturus, prius eum dicit *calicem accepiſſe, & diſcipulis diuidendum inter ſe continuò tradidiſſe, & tum deinde accepto pane dixiſſe: Hoc eſt corpus meum: & accepto ſimiliter poſtquam cœnauit calice, tunc dixiſſe: Hic calix nouum teſtamentum eſt in ſanguine meo, qui pro vobis funditur.* Nunquid vnus calix ſecundo eſt datus, an alius prius, alius poſtea? Et ſi ita eſt, ad cuius rei pertinet Sacramentum ille, de quo maxime cæteri, qui ſcripſerunt Euangelica, tacuerunt? Noli quæſo differre reſponſum, nec paratum animum longa expectatione ſuſpendas. Occupationum quippe veſtrarum debemus mereri vel partem. Rogo etiam, vt librum de regula veræ fidei relegendum nobis iubeas deſtinare, & epiſtolam ad Ioannem Tharſenſem Epiſcopum, vbi de malefico quodam iudici non tradẽdo memini pleniſſimè diſceptatum. Codices duos ſuſcepi, & infanti Hermiæ proprium reddidi. Iube etiam epiſtolam de oratione, quam ad me hic poſitam mandare dignatus es, iterum huc ſcriptam dirigere. Dum enim pro ſplendore ſui à multis quæritur ad legendum, faciente noſtra obliuione, apud quem remanſerit, ignoramus. Sanctos Preſbyteros, Diaconos, beatamque congregationem ſupplex ſaluto. Deus noſter paternitatem tuam ad ædificationem noſtram conſeruare dignetur incolumem, Domine pater. Amen.

Hic liber de regula veræ fidei, eſt D. Fulgentij, qui inter opera D. Auguſtino falsò adſcriptus nominatur De fide ad Petrum. Inter opera D. Fulgentij oratio 4. ad Probam.

RESPONSIO DIVI Fulgentij Epiſcopi de eiſdem Quæſtionibus.



EPISTOLA tua, ſancte frater, & Condiacone Ferrande, lætificauit cordis mei ſimul, & excitauit affectum, vt & certus de tua ſalute gauderem, & intentus quod quæris, inquirerem, ab illo vtique; cui & debetur gratiarum actio, à quo eſt vera ſalubrium rerum expectanda, ac poſtulanda cognitio: vt idem qui proſpero auditu gaudium donat, etiam infuſione gratiæ ſpiritualis intelligentiam tribuat: & ſicut ipſe ad inquirendum ſe accendit ſtudium, ita pulſantibus ad ſe largiatur ingreſſum. Tunc enim in gaudium Domini poterimus intrare, ſi nos hic dignatus fueris in illud magnum pietatis Sacramentum dono gratiæ ſpiritualis inducere, & ad euitandum vitæ huius defectum, qui nobis ſubrepit infirmis, panem nobis ipſe tribuat intelligentiæ ſpiritualis, nec nos permittat veternoſæ corruptioni exterioris hominis ſubiici, ſed ad ſtudium ſanctæ cognitionis, & operis interiorem noſtrum de die in diem faciat cœleſti munere renouari. Dictæ tuæ igitur epiſtolæ iam finem ponamus, vt quod Dominus donauerit, quæſtionibus ſingulis reſpondere poſſimus.

QVÆSTIO PRIMA.

EXigis namque, vt veraciter dicam tibi, vtrum Trinitas inseparabilis propter vnam eandemque naturam, operationem, ac voluntatem dici debeat † separabiliter habere personas, an etiam in personis sit omnino inseparabilis prædicanda. Hæc esse verba primæ quæstionis proculdubio recognoscis.

*separabilis.

RESPONSIO.

VBi nobis illud est principaliter intuendum, quia Trinitas inseparabilis dici non debet, si possint illæ tres personæ aliquatenus separari. Hoc enim verè inseparabile dicitur, quod nullatenus separationem potest recipere. Nam quod non separatur, sed separari potest, inseparabile non est. Quod si quisquam separari posse putat in Trinitate personas, non Trinitas est inseparabilis dicenda, sed vnitas. Quippe in personis Trinitas constat, in natura vnitas, sed nescio vtrum nostra possit assertio veritate fulciri, quando sic inseparabilem naturam dicimus, vt eiusdem naturæ personas separabiles asseramus. Cum vtique vna natura, quæ non potest in personis diuidi, ipsa inseparabilitate sua nec ipsas ostendat separari personas posse. Nam separationem naturæ absque separatione personæ, vt non longius eamus, in ipsis hominibus inuenimus. Carnem quippe humanam nemo dubitat ad naturam hominibus pertinere, cuius tamen potest fieri separatio, si quodlibet membrum præcidatur à corpore, quæ tamen præcisio non in se potest separationem habere personæ. Neque enim cum manus, aut pes à corpore præcidatur, cum eodem membro etiam persona hominis separatur, quamuis fiat quædam naturæ separatio, cuius pars præcisa inuenitur in membro. Sed sicut ille homo si viuit, postquam caruerit membro, naturalis diffinitionis plenitudine non caruerit, qua dicitur homo animal rationale, mortale. sic habens naturæ diffinitionem veram, necesse est, vt propriam quoque habeat cum natura personam, quamuis partem naturæ, id est, partem carnis à se habeat separatam. Cùm verò separantur homines personis, naturâ quoque sine dubio separantur. Quoniam non separatur à persona, cum manus, aut pes separatur à corpore. Separatur enim in personarum separatione natura, cùm homo separatur ab homine. Inseparabilis igitur naturæ humanitas non potest separabiles habere personas: Proinde considerare debemus illam Trinitatis vnam eandemque naturam ita totum implere, vt non sit aliquid, vbi non sit. Inde est enim, quod & vbique tota est, & loco nullatenus continetur, tota scilicet in spiritibus, & corporibus singulis, & tota simul in omnibus creaturis. Nunc enim non de gratia loquitur, qua se Deus gratuito munere misericordiæ suæ saluandis hominibus præbet, sed de natura, qua Deus omnia quæ fecit, & implet,
Hier.23. & continet, secundum quam dicit: *Cœlum, & terram ego impleo*: & secundum quam ipsi Deo beatus Dauid dicit: *Quo ibo à spiritu tuo, & à facie tua*
Psal.138. *quo fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es? & si descendero in infernum, ades.* Et de Christo, qui est sapientia Dei, dicitur: *Attingit à fine vsque ad*
Cap.8. *finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* De spiritu quoque sancto scriptura diuinitus inspirata sic lo-
Sap.1. quitur: *Quia spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Inuenitur autem hic vocem cordis significasse, non corporis: vocem, scilicet non corporeæ locutionis, sed intimæ cogitationis. Vocem illam, quam solus Deus audit clamantem, quando in occulto solus Ibid. aspicit cogitantem. Ideò sequitur dicens: *Propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere Deum, sed nec præterit illum corripiens iudicium suum.* Ostendens autem vbi sit hæc iniqua loquutio, vt agnoscatur conscientiæ magis esse quàm linguæ, hoc sancta scriptura subsequenter aperuit dicens: *In cogitatio-* Ibid. *nibus enim impij, interrogatio erit.* Hęc ideò dixi propter quod de spiritu solo dicitur, quia quod continet omnia, scientiam habere vocis, dicitur, vt esse ex homine non datur. Spiritus autem sanctus in Deo est vnitate naturæ, ex Deo est etiam proprietate personæ. Per illam ergo vnitatem naturæ, per quam ea quæ Dei sunt nemo cognouit, nisi spiritus Dei etiam illud intelligatur quod filius dicit: *Nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit* Matt.11. *nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Per eandem naturæ inseparabilis vnitatem, & se in patre, & in se patrem filius esse testatur. Nam & cùm discipulis dixisset: *si me cognouissetis, & patrem meum vtique cognouissetis*: & cum Philippus patrem sibi postulater ostendi, sic Dominus ipse respondit: *Tanto tem-* Ioan.14. *pore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & patrem. Quomodo tu dicis, ostende nobis patrem? Non credis quia ego in patre, & pater in me est? verba quæ ego loquor vobis, non à me ipso loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Non credis quia ego in patre, & pater in me est? Alioqui propter opera ipsa credite.* Ex eo igitur quod inseparabiles sunt pater, & filius, & spiritus sanctus, consequens est, vt inseparabiliter operentur. Quod si Trinitas illa separabiles possit habere personas, essent & aliqua separata opera Trinitatis. Nam si attendamus illud quod scriptura sancta dicit de sapientia: *splendor est enim lucis æternæ*, sicut splendo- Sap 5. rem luci videmus inseparabiliter inhærere, sic agnoscamus filium à patre separari non posse. Ipsum enim Apostolica prædicat auctoritas: *splendorem* Heb 4 *gloriæ, & figuram substantiæ Dei*, quod sequens beatus Ambrosius in hymno matutinario, splendo- Hymnus rem paternæ gloriæ filium esse pronunciat. Illo D.Ambros. quoque exemplo inseparabiles personas patris, & filij, & Spiritus sancti conuenit vt credamus, quod ipse vnigenitus Deus sic in vnitate personæ suæ naturam diuinam humanamque coniunxit, atque vniuit, vt à se omnino non possent separari. In vna enim persona vnigeniti Dei, *qui tanquam sponsus processit de thalamo suo*, inseparabilis permanet vtriusque naturæ vnitio. Nec ideò debet aliquis æstimare vtramque ab inuicem diuelli potuisse naturam, quia per susceptionem mortis, & caro exanimis in sepulchro iacuit, & anima in infernum carne moriente descendit. Quandoquidem etiam cum interueniente morte anima discessisset à carne, inseparabilis in Christo vtraque natura permansit, quia nec in inferno animam suam, nec in sepulcro animam suam diuinitas immensa deseruit. In tantum autem inseparabilis est in Christo vtraque natura, vt ex hoc Eutyches in errorem caderet, & vnam videns in Christo perso- Euthyches Hæreticus. nam, vnam quoque in eo naturam impie prædicaret, volens confundere, quod vidit separari non posse. Sic autem iste in duabus naturis quasi inseparabiliter vnius esse personæ cognouit, crimen impietatis incurrit: sicut Sabellius in tri- Sabellius Hæreticus. bus personis propter vnitatem naturæ cæcitate mortiferæ infidelitatis errauit, non intelligens personas

personas patris, & filij, & Spiritus sancti sine confusione subsistere, quas audiebat vnitate naturali prorsus inseparabiles permanere. Sed vtrumque Trinitas inseparabilis vicit: vterque à vulua Ecclesiæ matris alienatus abscessit, vterque à ventre piissimæ genitricis errauit, & semetipsum suosque complices barathro impietaris immersit. Vera quippe in Trinitate Deo non solùm naturæ vnitas, verùm etiam inconfusa atque inseparabilis manet personarum proprietas, & nihilominus in vna Christi persona duarum permanet & inconfusibilis atque inseparabilis plena veritas naturarum. Quod si in Christo propter vnitatem personæ inseparabilis inuenitur vnitio diuinæ humanæque naturæ, nec sine initio æternitas, nec sine mutabilitate simplicitas, nec sine termino immensitas inuenitur naturaliter esse communis, quia in vno eodemque Christo & vera est diuina natura, qua naturaliter est sine initio Deus natus de patre, & vera humana natura, qua natus est de matre. Propter ipsam denique inseparabilitatem sufficienter aliquando nominatur vel pater solus, vel filius solus, adimpleturus nos lætitia cum vultu suo, nec inde separatur vtriusque spiritus, id est, patris, & Filij, & spiritus. Qui Spiritus S. propriè dicitur: *Spiritus veritatis, quem hic mundus accipere non potest.* Hoc est enim plenum gaudium nostrum, quo amplius non est frui Trinitate Deo: *ad cuius imaginem facti sumus.* Propter hoc aliquando ita loquimur de Spiritu sancto, tanquam ipse solus sufficiat ad beatitudinem nostram, & ideo solus sufficit, quia separari à patre & filio non potest, sicut pater solus sufficit, quia separari à filio & Spiritu sancto non potest: & filius idem sufficit solus, quia separari à patre & Spiritu sancto non potest. Hæc est beati Augustini secundùm Catholicæ fidei veritatem de patris & filij & Spiritus sancti inseparabilitate sententia: quam ne quisquam secundum solam naturam, & non etiam secundum personas acciperet, planius hoc & manifestius paulo post in eodem libro curauit ostendere, dicens: Sed propter insinuationem Trinitatis, personis etiam singulis nominatis dicuntur quædam separatim, non tamen aliis separatis intelliguntur, propter eiusdem Trinitatis vnitatem, vnamque substantiam atque deitatem patris & filij & Spiritus sancti. Alio quoque memorati libri loco plenissimè inculcans cum de filio dixisset: Ex hoc enim rogat, quo minor est patre, quò vero æqualis est, exaudit cum patre, inseparabilitatem personarum ostendens ait: Vnde se ab eo quod dixit: *Ipse enim pater amat vos,* vtique ipse non separat, sed secundum ea facit intelligi, quæ supra commemoraui, satisque insinuaui, plerumque ita nominari vnamquamque in Trinitate personam, vt & aliæ intelligantur. Sic itaque dictum est: *Ipso enim pariter amat vos,* vt consequenter intelligatur & filius, & Spiritus sanctus. Item post aliquanta idem sanctus Augustinus ait: Iam enim ostendimus in hac Trinitate per multos locutionum diuinarum modos etiam de singulis dici quod omnium est, propter inseparabilem operationem vnius eiusdemque substantiæ. In quintodecimo libro de Trinitate, cum de hac imagine quæ in nobis est, aliquas lineas præberet ad intelligentiam Trinitatis, inter alia sic ait: Verum in illa summa Trinitate quæ incorporaliter rebus omnibus antecellit, tanta est inseparabilitas, vt cum Trinitas hominum non posset dici vnus homo, illa vnus Deus & dicatur & sit, nec in vno Deo sit illa Trinitas, sed vnus Deus. Nec rursus quemadmodum ista imago, quæ est homo habens illa tria, persona vna est, ita est & illa Trinitas, sed tres personæ sunt, pater filij, & filius patris, & spiritus patris & filij. Item post aliqua sic ait: Non tamen sicut in imagine ista Trinitatis non hæc tria vnus homo, sed vnius hominis sunt, ita in ipsa summa Trinitate, cuius & imago est vnius Dei sunt illa tria, sed vnus Deus est, & tres sunt illæ, non vna persona. Hæc dicens B. Augustinus & inseparabilitatem earundem trium personarum relatione ipsius Trinitatis intelligens cum admiratione sequitur, dicens: Quod sanè mirabiliter ineffabile est, vel ineffabiliter mirabile, cum sit vna persona hæc imago Trinitatis, ipsa vero summa Trinitas tres personæ sunt. Inseparabilior est illa Trinitas personarum trium, quàm hæc vnius. Ista sicut non dubito quæ de primo atque nouissimo libro de Trinitate verba B. Augustini posuimus, omnino sufficiant, præsertim ingenio atque officio tuo, quo eius dicta sic acutissimè ac frequentissimè legis, vt in eis plurima possis similia reperire, quæ non solùm in natura, sed etiam in personis inseparabilitatem ostendunt. Dicuntur ergo sigillatim tres illæ personæ, vt agnoscantur, non vt separentur. In quibus sic nulla separatio, sicut in eis nulla potest inesse confusio. Neque enim illæ tres personæ, quia non possunt confundi, propterea debent separabiles æstimari, cum omnino inseparabiles inueniantur, & in eo quod sunt, & in eo quod faciunt. Nec quisquam separabiles audeat illas tres personas asserere, cum nullam ante aliam, nullam post aliam, nullam sine alia vel existentem, vel operantem valeat inuenire. Vbi sicut naturaliter nulla potest esse separabilitas operis, ita naturaliter manet incommutabilis vnitas voluntatis. Attendamus autem quonam modo fuerit vel homo, vel Angelus separatus à Deo: vt possimus indubitanter inseparabilem intelligere Trinitatem. Nempe Scriptura sancta dicit: *quia peruersæ cogitationes separant à Deo, & quia in maleuolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis, & quia Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.* Nam & Esaias propheta testatur: *iniquitates inter Deum & homines separare.* Sancta autem Trinitas ipse est Deus fidelis, in quo non est iniquitas. *Venit autem filius Dei, vt peccata tolleret, & peccatum in eo non est, & est peccatum iniquitas.* Tollens autem iniquitatem, tribuit charitatem. Abstulit ergo per quod à Deo separabamur, & donauit per quod sanctæ Trinitati inseparabiliter iungeremur. Ideo confidenter clamat Apostolus: *quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudines, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Si ergo Trinitas inconfusa charitate inseparabiliter sibi facit adhærere animas nostras, quia *qui adhæret Deo, vnus spiritus est,* quomodo ipsa Trinitas separabiles potest habere personas, cum ipsa Trinitas vnus sit Deus: ac per hoc vna sit charitas, quia Deus est? Charitas autem diuisionem nunquam recipit, quæ de multis cordibus, multisque animabus in seipsa vnum cor, vnamque animam facit.

Marginalia (left column): D.Aug. lib 1. de Trinitate, cap.8. — D.Aug. — In fine c.9. — Sub finem cap.10. — Ioan.16. Ad medium, cap.2. — Cap.23.

Marginalia (right column): Ibid. — Sap.1. — Esai 59. — 1.Ioan.3. — Rom.8. — 1.Cor.6.

QVÆSTIO II.

Secunda deinde interrogatio tua hoc inuenitur tenore subiuncta, vtrum Dei filius sicut dicitur natus, passus, mortuus, crucifixus, ita eius diuinitatem confirmare nos oporteat natam, passam, mortuam, crucifixam, quamuis siue Deus, siue diuinitas nominetur, sola caro intelligatur mutabilis, atque passibilis,

paſſibilis, ſecundum quam Deus aut diuinitas potuit, quod in ſua natura non potuit.

RESPONSIO.

His tuis verbis breuiter reſpondeo, quidquid horum dicatur, nihil præiudicare fidei, qua veraciter Eccleſia Catholica credit & prædicat diuinitatem filij Dei impaſſibilem, atque incommutabilem naturaliter permanere. Beatus quippe Apoſtolus ait: *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam. Ipſis autem vocatis Iudæis & Græcis, Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.* Ecce *Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam*, dicit Apoſtolus *crucifixum.* Alio autem loco ſimul virtutem diuinitatemque coniungens ait: *Sempiterna quoque virtus eius & diuinitas.* Si ergo virtus Chriſti ſecundum carnem crucifixa dicitur, cur eodem modo etiam crucifixa ſecundum carnem diuinitas non dicatur? Quando enim additur: *ſecundum carnem*, oſtenditur vtique non eius diuinitatem paſſioni ſubiacuiſſe, ſed carnem. Quod etiam Apoſtolica videmus authoritate monſtratum. Nam cum B. Paulus Apoſtolus dixerit, *Chriſtum crucifixum Dei virtutem & Dei ſapientiam*, ne ipſa virtus & ſapientia putaretur naturaliter eſſe paſſibilis, curauit alio loco crucifixæ virtutis, & ſalubriter aperire myſterium, dicens de Chriſto: *Nam etſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei.* Scimus autem Chriſtum Dei filium prophetico eloquio Deum fortem veraciter nominari, Eſaia dicente: *Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humeros eius, & vocabitur nomen eius, admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis.* Nonne iſtius Dei fortis vno loco Apoſtolus ſempiternam virtutem diuinitatémque commendat? Neque enim vera fides ita ſempiternam virtutem ac diuinitatem patris prædicat, vt filij aut Spiritus ſancti ſempiternam virtutem diuinitatémque non credat: cum vna ſit naturaliter ſempiterna virtus, ac diuinitas patris, & filij, & Spiritus ſancti. Deus autem fortis Chriſtus. Ideo autem veraciter Deus, quia diuinitas: ſicut ideo veraciter fortis, quia virtus. Vera itaque fides, quæ Chriſtum Deum fortem veraciter credit & prædicat, & Chriſtum crucifixum Dei virtutem, Deique ſapientiam nouit ab Apoſtolo prædicari, ſicut ſecundum carnem crucifixam virtutem fiducialiter nouit & credit: ita ſecundum carnem crucifixam diuinitatem confiteri non abnuit, Chriſtus enim Deus fortis, ſic eſt Deus, vt ipſe ſit diuinitas ſua: quemadmodum ſic eſt fortis, vt ipſe ſit virtus ſua. Noſti hoc quod dico in libris de Trinitate à beato Auguſtino pleniſſimè diſputatum, in quibus oſtendit vnamquamque in Trinitate perſonam, in his duntaxat nominibus: quibus à ſe non tranſlatè, ſed propriè dicitur ipſam ſibi eſſe quod habere naturaliter prædicatur. Dicimus enim ſiue patrem, ſiue filium, ſiue Spiritum ſanctum eſſe Deum viuum, magnum, ſapientem, fortem, bonum. In his omnibus, quæ ad ſe vnaquæque dicitur in Trinitate perſona, quia Deus diuinitate Deus eſt, quia magnus, magnitudine magnus eſt, ſapiens, ſapientia, ſapiens eſt, fortis, virtute fortis eſt, bonus, bonitate bonus eſt. Sic eſt vtique Deus, vt ipſe ſit diuinitas ipſa, ſic eſt magnus, vt ipſe ſit magnitudo ſua, ſic eſt ſapiens, vt ipſe ſit ſapientia ſua, ſic eſt fortis, vt ipſe ſit virtus ſua, ſic etiam bonus, vt ipſe ſit bonitas ſua. Quod cum in ſupra memoratis libris idem ſanctus Auguſtinus frequenter inſinuet, quendam locum de libro eius quinto huic opuſculo inſerere curaui. Cum enim de Deo & de eius magnitudine loqueretur, inter alia ſic ait: Ea igitur magnitudine magnus eſt, quia ipſe eſt eadem magnitudo. Et ideo ſicut non dicimus tres eſſentias, ſic nec tres magnitudines. Hoc eſt enim Deo eſſe, quod eſt magnum eſſe. Eadem cauſa nec magnos tres dicimus, ſed vnum magnum, quia non participatione magnitudinis Deus magnus eſt, ſed ſeipſo magno magnus eſt, quia ipſe ſua eſt magnitudo. Hoc & de bonitate, & de æternitate, & de omnipotentia Dei dictum ſit, omnibúſque omnino prædicamentis, quæ de Deo poſſunt pronunciari, quod ad ſeipſum dicitur, non tranſlatè ac per ſimilitudinem, ſed propriè, ſi tamen de illo propriè aliquid ore hominis dici poteſt. In libro quoque octauo eandem promens de illa naturali Trinitatis ſimplicitate ſententiam, inter alia ſic ait: Sic Deus pater, Deus filius, Deus Spiritus ſanctus, & bonus pater, bonus filius, bonus Spiritus ſanctus: & omnipotens pater, omnipotens filius, omnipotens Spiritus ſanctus: nec tamen tres dij, aut tres boni, aut tres omnipotentes, ſed vnus Deus bonus & omnipotens, ipſa Trinitas, & quicquid aliud non ad inuicem relatiuè, ſed ad ſe ſinguli dicuntur. Hoc enim ſecundum eſſentiam dicuntur, quia hoc eſt ibi eſſe, & quicquid aliud ad ſe vnaquæque ibi perſona, vel ipſa Trinitas dicitur. Claret nempe ex his beati Auguſtini verbis hoc eſſe Catholicæ veritatis, vt cum in Deo diuinitatem, magnitudinem, bonitatem, virtutem, & quælibet alia in his quæ ad ſe propriè dicitur nominamus: Non iſtis diuerſis nominibus quædam diuerſa, ſicut in homine qui ſubiacet qualitati, ſed vnum illud quod eſt eſſentia vel natura certiſſimè nouerimus. Inde eſt enim quod ipſe beatus Auguſtinus dicit in libro quinto de Trinitate, intelligendum ſine qualitate bonum, ſine quantitate magnum, quia incommutabilitas ſimplicis atque omnipotentis eſſentiæ nullis poteſt accidentibus ſubiacere, vbi eadem eſt diuinitas quæ æternitas, & maieſtas, eadem magnitudo quæ virtus & bonitas. Ex hac ergo regula veritatis quicquid de maieſtate, de æternitate, de veritate Chriſti ſecundum carnem veraciter dici cognoſcimus, de diuinitate quoque eius dici veraciter non negemus. Ipſe quippe beatus Auguſtinus in primo libro de Trinitate, oſtendens Deum filium ſecundum diuinitatem hoc habere quod eſt, & hoc eſſe quod habet, ita loquitur: Non enim ſicut creatura, ita Deus filius, ante incarnationem, & ante aſſumptam creaturam *vnigenitus, per quem facta ſunt omnia*, aliud eſt & aliud habet, ſed hoc ipſum eſt, quod eſt quod habet. Quod illo loco manifeſtius dicitur: ſi quis ad capiendum ſit idoneus, vbi ait: *Sicut habet pater vitam in ſemetipſo, ita dedit filio vitam habere in ſemetipſo.* Neque enim iam exiſtenti & vitam non habenti dedit, vt haberet vitam in ſemetipſo, cum eo ipſo quod eſt, vita eſt. Hoc eſt ergo, dedit filio habere vitam in ſemetipſo, genuit filium incommutabilem vitam, quod eſt vita æterna. Idem B. Auguſtinus in expoſitione Euangelij ſecundum Ioannem, cum de ipſo Domini ſermone tractaret, ſic ait: Filius autem Dei non quaſi primo fuit ſine vita, & accepit vitam, ſi enim ſic illam acciperet, non eam haberet in ſemetipſo. Quid eſt enim in ſemetipſo? vt ipſe vita ipſa eſſet, & paulo poſt hæc in eodem ſermone confirmat, dicens: Ait enim Apoſtolus, *fuiſtis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* In te ergo tenebræ, lux in Domino. Lux quare? quia in participatione lucis illius lux es. Si autem à luce, quia illuminatis

1.Cor.1. Rom.1. 1.Cor.1. 1.Cor.13. Eſai.9. Lib.5.de Trinit. c.10. Cap.1. Cap.10.11. Circa med.c.11. Tract.22. Epheſ.5.

luminatis,recesseris,ad tenebras tuas non redis. Non sic Christus, non sic verbum Dei, sed quomodo? *sicut habet Pater vitam in semet ipso,sic dedit & filio vitam habere in semetipso:vt non participatione viuat, sed incommutabiliter viuat, & omnino ipse vita sit.* Et paulò post idem sanctus egregius Augustinus ait,quod dicitur, dedit filio, tale est, ac si diceretur,genuit filium, generando enim dedit. Quomodo dedit vt esset, sic dedit vt vita esset, sic dedit vt in semetipso vita esset. Quid est, in semetipso vita esset?non aliunde vita indigeret, sed ipse esset plenitudo vitæ, vnde credentes alij viuerent, dum viuerent. Ex his igitur verbis præclari Antistitis Augustini remotis docemur ambagibus, salua incommutabilitate,æternitate, atque impassibilitate diuinitatis filij Dei,quicquid de eius maiestate, æternitate ac virtute secundum susceptionem carnis dicitur,incongruum non esse,si eodem modo secundum carnem de eius diuinitate dicatur. Quod ergo à Dei filio susceptum est,ab eius diuinitate, ab eius maiestate, ab eius virtute, ab eius æternitate probatur esse susceptum. Quod vt sanctorum patrum veridica demonstraret assertio, primum beatissimi Papæ Leonis Apostolicæ sedis gloriosi Pontificis proferimus Epistolam, quam scribens ad Flauianum Constantinopolitanæ vrbis Episcopum, in eo quod veram de incarnatione Domini expressit mirabiliter fidem, omnem hæreticæ prauitatis destruxit errorem. In illa namque epistola idem gloriosus Antistes non minus Apostolicæ sedis dignitate præcellens, hæc dicit: Salua igitur proprietate vtriusque naturæ, & in vnam coëunte personam,suscepta est à maiestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad resoluendum nostræ conditionis debitum natura inuiolabilis naturæ est vnita possibili, vt quod nostris remediis congruebat: *vnus atque idem mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, & mori posset ex vno, & mori non posset ex altero.* Adhuc sequitur memoratus Apostolicæ Sedis Antistes, & dicit: in integra ergo veri hominis, perfectaque natura verus natus est Deus totus in suis, totus in nostris. Nostra autem dicimus, quæ in nobis ab initio creator condidit, & quæ reparanda suscepit. Cernis nempe quemadmodum ille Apostolus doctor, qua fide dicit Deum ea, quæ in nobis ab initio condidit reparanda suscepisse, eadem fide dicat humilitatem à maiestate, infirmitatem à virtute, mortalitatem ab æternitate susceptam. Cùm verò maiestas, virtus atque æternitas filij Dei dicitur, non aliud quam eius diuinitas intimatur: non ergo dubitemus quod diuinitas Christi susceperit quiquid Christi maiestas, Christi virtus,æternitasque suscepit. Hinc est quod in eadem Epistola non dissimilis de vno sententia continetur, cum idem beatissimus Romanæ Præsul Ecclesiæ, sicut Deum & hominem, ita diuinitatem & humanitatem manifestissima prædicatione confirmat. In eadem quippe Epistola dicit: Assumpta est de matre Domini natura, non culpa † hæc in Domino Iesu Christo ex vtero virginis genito, quia natiuitas est mirabilis, ideo nostri est natura dissimilis. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo, & nullum est in hac veritate mendacium, dum inuicem sunt & humilitas hominis, & altitudo deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Alio quoque loco idem beatissimus Papa Leo diuinitatem carnis tectam velamine profitetur, dicens: Iam cum ad præcursoris sui Ioannis baptismum venit, ne lateret quod carnis velamine diuinitas tegere-

Epistola est, vt nunc sunt digesta,decima.

Cap.3.

*nec.

Cap.4.

In eadem epist.10.ad Flau.cap.4.

tur,vox patris de cœlo intonans dixit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit.* Ibi continuo diuinitatem suam illam confidenter Deum nuncupat, & illam carnem hominem indubitanter appellat, dicens: Quem itaque sicut hominem diaboli tentat astutia, eidem sicut Deo Angelica famulantur obsequia. Item alio eiusdem Epistolæ loco dicit: Quamuis enim in Domino Iesu Christo Dei & hominis vna persona sit, aliud tamen est, vnde in vtroque communis est contumelia, aliud vnde communis est gloria. De nostro enim illi est minor patre humanitas, de patre illi est æqualis cum patre diuinitas, cuius essentiæ firmitatem sensibus cunctorum fidelium sic insinuat atque inculcar, vt in hac fide vitam, profectúmque Ecclesiæ constare testetur Catholicæ, quia catholica Ecclesia hac fide viuit ac proficit, vt nec sine vera diuinitate humanitas, nec sine vera credatur humanitate diuinitas. Hoc etiam beatæ memoriæ Papa Gelasius seruato tenore doctrinæ, per viam veræ fidei atque Apostolicæ confessionis, paribus incedit omnino vestigiis. In eo quippe libro, quem memoratus venerabilis conscripsit Antistes aduersus eos qui in Domino Iesu Christo duarum naturarum nolunt indiuisam credere veritatem, sed eas vnius naturæ professione confundunt, ipso tenore prædicationis Apostolicæ custodito, duas naturas in Christo inconfusas atque inseparabiles esse confirmat, dicens: has easdem necessarium est proferri sub vna eadémque persona sic indiscretas atque inseparabiles illas vnitione constare, vt permaneant esse quod sunt. Et paulò post: numquid cum tantummodo Deus dicitur, homo denegatur? Nunquid cum humanitas dicitur, Deitas inde remouetur? Nunquid cum filius hominis dicitur, non etiam filius Dei consequenter aduertitur? Nunquid cum verbum Dei dicitur, non simul intelligitur & caro quod factum est? Nunquid cum caro corpusque eius depromitur, non etiam diuinitas indubitanter ostenditur? Item alio eiusdem libri loco de his qui vnam tantum in Christo naturam nituntur asserere, sic loquitur: nam & cum dicunt vnam fuisse naturam incarnatam, volentes hoc modo velut ostendere singularem, nullatenus euadunt significationem duarum. Dum enim dicitur vnam diuinitatis naturam fuisse incarnatam, remotis ambiguitatibus, altera erit quæ incarnata est, altera quæ incarnata perhibetur. Quoniam non eadem erit natura deitatis quæ incarnata est, sed natura carnis incarnata cognoscitur. Sicut neque ipsa natura carnis extitit deitate sublimis, quia & non aliunde diuinitas, quam de vtero virginis matris incarnata processit, & caro non nisi in iisdem visceribus sancto Spiritu superueniente, & altissimi obumbrante virtute, est vnita deitati. Item paulo post ait: Quærant ergo isti quà suæ dementiæ foueas, quibus circundantur, euadant, & palam se aut illorum esse de numero fateantur, qui verum Christi corpus impugnant, aut negare non audeant non nisi hac ratione verum esse, sine qua verum esse non posset, sicut & cùm eundem Deum dicimus, vel secundum Deum loqui aut facere prædicamus, aliter verum esse non posse, nisi veram illic diuinitatem, & in suæ proprietate substantiæ permanentem deitatis fateamur esse naturam. Ambrosius in lib.1.de fide, vno eodémque loco sicut Christum Deum & hominem, sic in eo diuinitatem profitetur & carnem, dicens: vnum Deum Prophetæ dicunt Apostoli, audiunt vnum Deum, Magi crediderunt, & aurum, thus & myrrham supplices ad Christi cunabula detulerunt: auro regem fatentes, & Deum

Matth.3.

Ibidem.

S.Gelasius Papa.

Matth 3.

& Deum thure venerantes. Thesaurus enim regni autum: sacrificium Dei thus: myrrha est sepulturæ. Quid igitur voluerunt sibi mystica munera inter abiecta præsepia, nisi vt intelligamus in Christo differentiam diuinitatis carnis, vt homo nascitur, vt Deus veneratur. Iacet in pannis, sed fulget in stellis. Cunæ nascentem indicant, stellæ dominantem. Caro est quæ inuoluitur, diuinitas cui ab Angelis ministratur. Ita nec dignitas naturalis maiestatis amittitur, & assumptæ carnis veritas comprobatur. Hæc omnia quæ superius posita sunt, hac beatus Ambrosius conclusione firmauit, dicens: hæc est fides nostra, sic se Deus agnosci voluit ab hominibus. Nempe beatus Ambrosius superiorem disputationem hac diffinitione concludens, ita vt hanc esse diceret fidem nostram, euidentissimè docuit, vt sicut Deum hominémque dicimus, sic diuinitatem, & carnem nullatenus dubitemus. In secundo quoque eiusdem operis libro hæc ait: Sileant igitur inanes de sermonibus quæstiones, *quoniam regnum Dei*, sicut Scriptum est, *non est in persuasione verbi, sed in ostensione virtutis.* Sequitur adhuc idem S. Ambrosius dicens: seruemus distinctionem diuinitatis, & carnis: vnus in vtroque loquitur Dei filius, quia in eodem vtraque natura est. Et infra, hic est qui descendit, hic quem pater sanctificauit & misit in mundum. Et ipsa litera nos docet, sanctificationem, & non diuinitatem eguisse, sed carnem. Beatus quoque Augustinus in libro de fide, spe & charitate, quem nosti à multis Enchiridion nuncupari, sic dicit: Quis enim congruentibus solum explicet verbis, quod verbum caro factum est, vt habitaret in nobis, vt crederemus in Dei patris omnipotentis vnicum filium natum de Spiritu sancto & virgine Maria? Ita quippe *verbum caro factum est*, à diuinitate suscepta, non in carnem diuinitate mutata. Ecce Beatus Augustinus ostendit diuinitatem susceptricem carnis, quam nihilominus susceptricem testatur & mortis. In libro enim de præsentia Dei sic dicit: Per caput nostrum reconciliamur Deo, quia in illo est diuinitas vnigeniti, facta particeps mortalitatis nostræ, vt & nos participes eius immortalitatis essemus. Vbi continuo magnitudinem huius sacramenti commendans hæc verba subiunxit: Hoc sacramentum longè est à cordibus sapientium superborum, & ideo non Christianorum, ac per hoc non verè sapientium. His omnibus sanctorum patrum sententiis ostenditur, quod dicitur de vnigenito Deo, etiam de eius diuinitate non incongruè prædicari. Scimus autem in hac assertione catholicæ veritatis, aut hæreticos pro peruersitate deditos, aut Catholicos minus mysterium rectè credere credulitatis instructos, cum audiunt, quod de Deo filio dicitur, de eius quoque diuinitate dici, & tamen vnam à nobis patris & filij & Spiritus sancti diuinitatem nouerunt prædicari; aliquatenus promouendos, quòd communio diuinitatis communionem faciat humanæ susceptionis, ac perinde ex carnis communiona putetur in patre & filio & Spiritu S. communio humanæ natiuitatis, passionis & mortis. Vt ergo nec illi malignè insidientur, nec isti forsitan incautè fallantur, debent vtique cogitare sic à nobis vnam Trinitatis prædicari substantiam, vt tamen non dicamus vnam eiusdem Trinitatis esse personam. Vnde sic totum, quod ipsa natura est, commune tribus esse inuenitur personis, vt aliquid tamen inueniatur, quod proprium vnaquæque persona nanciscatur, quod tamen nec inueniatur separabile, nec possit esse commune. Nam proprium patri dicimus esse, quod genuit. Proprium filij dicimus esse, quod solus de solo patre natus sit. Proprium etiam Spiritus sancti, quod de patre Filióque procedit. In his verò propriis nulla est naturæ separatio, sed quædam personalis agnitio. Cùm propria solius sit generatio patris, non ab ea tamen separatus est filius. Et cum propria sit natiuitas filij, non tamen est à patre gignente separabilis, quia natiuitas filij naturaliter vera non esset, nisi de patre genitus extitisset. Quamuis itaque nascente filio pater genuerit; & gignente patre filius natus sit, non tamen aut cum patre genuit filius, aut cum filio natus est pater, licet de natura patris natus sit filius, & naturam filij de seipso genuerit pater. Quia sic est personarum illa proprietas inseparabilis, vt tamen nec generatio, nec natiuitas duarum personarum possit esse communis. Quamvis nisi duæ persoæ patris & filij naturaliter essent, & vna gignere, nec gigni altera potuisset. Quod si hoc in Deo patre & Deo filio hæretici recusare contendunt, humanæ generationis perspicuo aut instruantur aut confundantur exemplo. Nempe homo pater hominem filium præcedit tempore, quia ipse temporaliter cœpit esse, de quo filius non vtique temporaliter nasceretur, nisi pater natura temporis initio subderetur. Inde liquido apparet ideo Deum filium de Deo patre sine initio natum, quia ille pater de se filium genuit, qui sic esse non cœpit, sicut esse non desinet: & tamen cum homo pater natiuitatem filij præcessisse naturaliter agnoscatur, in eadem generatione filij, nec filius à patre, nec pater à filio separatur, quia patre gignente filius gignit. Et cum generatio illa causa sit natiuitatis, nec à generatione possit separari natiuitas, sic illa generatio à natiuitate non separatur, vt in ea, eadémque natura vnus generet, altérque nascatur. Sic ergo est illa generatio atque natiuitas naturaliter inseparabilis, vt nec generandi, nec nascendi communio simul ambabus possit inesse personis. Quia hoc habet proprietas personarum, vt nec filius seipsum cum patre gignat, de quo gignitur, nec pater cum filio de se nascente nascatur. Permanet ergo in vnitate naturæ inconfusa veritas personarum, in quibus est aliquid quod non commune reperiatur esse, sed proprium. Deus itaque vnigenitus, qui cum patre & Spiritu sancto sic habet vnam eandémque naturam, vt tamen personam non communem habeat, sed propriam. Ideo acceptionem formæ seruilis communem cum patre & Spiritu sancto non habuit, quia non in vnitate naturæ, sed in vnitate personæ solus veritatem ac plenitudinem formæ seruilis accepit. Qui enim verus & plenus est Deus, idem plenus & verus factus est homo, quando ab vnigenito Deo in vnitatem personæ accepta est sine peccato anima rationalis & caro. Natura itaque humana sic ab vnigenito accepta est, vt diuinitatis persona vna tantum existeret, non natura. Proinde non est quidem filius separatus à patre & Spiritu sancto, quando plenam suscepit humanitatis nostræ naturam, sed non simul cum Patre & Spiritu sancto eandem naturam accepit, quia non vna in eo facta est natura diuinitatis & carnis, vt ex hoc totius crederetur incarnatio Trinitatis: sed persona est in Christo vna, quam inuenitur vnigenitus Deus, inseparabilem quidem à Patre & Spiritu sancto habere, sed vnam tamen cum Patre & Spiritu sancto non habere. Proprium ergo Christus habet & humanitatem suam, cum diuinitas eius, non vnam naturam, sed vnam inuenitur habere personam. Quæ persona vnigeniti Dei, quæ neque patris est, neque Spiritus sancti, ideo forma seruilis à solo filio accepta rectè creditur, quia diuinitatis eius & carnis persona vna est, non natura.

In

Ibid. Cap. 4. 1. Cor. 2. Ibid. Ambrosius. Ambrosius. Enchir. Cap. 34. Tom. 2. Epist. 57. in fine qu. 1. Ibidem.

In Christo enim non altera diuinitatis est & altera humanitatis, sed vna est naturæ vtriusque persona. Quocirca quia inseparabilis est operatio Trinitatis, seruilem formam, quam vnigenitus Deus accepit, tota Trinitas fecit, quam tamen certum est à tota Trinitate factam, sed ad solam filij Dei pertinere personam. Neque enim sicut est in ea totius Trinitatis vna operatio, sic in ea Trinitatis inuenitur communis acceptio. Etenim proprietas personalis, quia non ipse pater est qui filius, nec Spiritus sanctus est, aut ipse pater, aut filius, ostendit aliquid à Patre, & Filio, & Spiritu sancto factum, quod tamen à solo filio inueniatur acceptum. Cuius exemplum rei in creaturis non potest inueniri, quia excepta Trinitate, quæ vnus naturaliter verus Deus, nulla à natura est, quæ in se tres inseparabiles possit habere personas. Quia verò in vnoquoque homine inuenimus carnem non esse quod animam, nec vtrumque vnius esse naturæ, quamuis ex vtraque perficiatur, & constet vna humana natura, quæ tamen in vnoquoque homine vnam inueniuntur habere personam. Proinde in istis duabus naturis quas vnam personam habere cognoscimus, simile aliquid inquiramus, vt cum hic inuenerimus aliquid fieri animæ carnisque communi opere: quod tamen aut ad solius animæ, aut ad solius carnis inueniatur substantiam pertinere; inde coniiciamus, & quantum ipsa tribuit Trinitas intelligamus, potuisse aliquid ab eisdem tribus personis vno simul opere fieri, quod si tota quidem Trinitas inseparabiliter faceret, vt ad vnam ex Trinitate personam illud quod factum est pertineret, nempe quando cibos sumimus, carni vtique, & animæ prouidemus, & in ipsa tamen acceptione ciborum qua sola caro pascitur, anima cum carne pariter operatur, quia caro sine anima, sicut non viuit, ita nec comedit. Ecce vt sola caro accipiat cibum, simul & carnis, & animæ vnum inuenitur officium, quod proprietate naturali caro accipit sola, per vnitatem personæ simul cum carne operatur & anima. Communis vtique est operatio, sed non est communis acceptio: nec comedentem carnem anima in opere deserit, quæ tamen sic operationis suæ cum carne miscet officium, vt eadem communione operis sola caro accipiat vitale subsidium. Tale aliquid inuenitur in eadem vnitate personæ, ipsa quoque hominis sibi anima vindicare, si quando intentionem cordis officio diuinæ deputat lectionis. Qua proculdubio non exterior, sed interior homo pascitur, & plerumque ieiunante carne magis anima saginatur. Nonne vt anima capiat ex lectione cibum, etiam corporalium membrorum admiscet officium? Legere quippe non potest nisi per oculos corporis, quod tamen cum oculis corporis legit, oculis corporis intelligit, ac per hoc *cum carne simul operatur, & anima.* Vnde sola pascatur, & sola in se accipiat, quod non sola facit. Ecce duæ naturæ propter vnam personam inseparabiliter operantur, sed propter suas proprietates vna plerumque quod non sola facit. Imò quod non sine altera nullatenus facit. Et quamuis hoc ad integram cognitionis lineam omnino sufficiat, vt ex eo quod hic in duabus naturis, & vna persona videmus, ad illarum in vna natura trium personarum intelligentiam, quantum ipsa Trinitas dignatur tribuere, conscendamus. Tamen etiam ipso redemptore nostro huius rei manifesta nobis, atque indubitata probetur agnitio. Qui vtique sic in vnitate personæ suæ naturam vtramque coniunxit insolubiliter, & vniuit, vt in vna persona vnigeniti Dei, nec diuinitas ab humanitate sua, nec humanitas à sua possit diuinitate seiungi. Indissolubilis quippe facta est verbi, & carnis vnitio, quando *verbum factum est caro.* In quo sic mansit personalis vnitas, vt tamen naturalis, nec diuidi possit, nec confundi proprietas. Proinde sic in vno Christo communia naturæ vtriusque inueniuntur officia, vt cum non diuidatur in virtutibus, atque infirmitatibus Christus, sit tamen quod in vno naturæ vtriusque opere non sit naturæ vtriusque commune. Nam vt de illo ineffabili conceptu partúque nunc taceam, quo sic æternus temporaliter conceptus & natus est Deus, vt tamen in ipsa communione conceptus partúsque Virginis, solius esset proprium naturaliter carnis: initialiter de carne genitricis existere, in membra formari, & vsque ad maturitatem partus processu temporis operisque perduci, deinde descendentibus, ac succedentibus ætatibus crescere, & ad perfectum iuuentutis modum suo tempore peruenire, quid dicemus de illis deinceps operibus, & passionibus: cum illo est quidem inseparabilis naturaliter vera caro, vera rationalis anima, veraque diuinitas. Veruntamen sic ea quæ naturalis veritas abnuit, aut pati dignaretur, aut facere, vt totus Christus in passione vel opere permansisset inseparabilis, quod personalis vnitas commune diuinitatis, atque humanitatis ostenderet; hoc tamen in se idem Christus naturæ vniuscuiusque proprium naturali veritate monstraret. Suscipiens quippe infirmitatis nostræ esuriem, illam tamen suam totus operatus est Christus, & vt cibum sumeret, totus Christus similiter fecit. Naturaliter tamen sicut sola caro esuriem pertulit, ita sola caro cibum opere totius Christi comedentis accepit. *Fatigatus ab itinere Iesus sedit super puteum.* Illam Ioan. 4.
verò fatigationem diuinitas sentire non potuit, sed neque secundùm animam nullatenus eam fatigationem sensisse dicendus est Christus. Illud ergo quod sedit, ad solam refectionem pertinuit carnis naturaliter fatigatæ. In qua tamen refectione communis fuit operatio deitatis, & animæ. In ipso deinde tempore passionis, & mortis, quis in vno eodémque Christo in ipsa communione operum non videat inseparabiliter manere propria naturarum? *Tri-* Matth. 26.
stis fuit anima eius vsque ad mortem. Sed nec diuinitas incommutabilis receptrix potest esse tristitiæ, nec caro tristitiam potest aliquando sentire. Tristitia itaque solius est animæ rationalis, quæ nec diuinitati potest naturaliter inesse, nec carni, personaliter tamen totus Christus dignatus est in se tristitiam operari. Ipse quippe suas passiones inuenitur operatus, qui nihil habuit, quod pateretur inuitus. Vt ergo tristaretur totus Christus fecit, sed illam tristitiam in se sola naturaliter anima rationalis accepit. Iam verò cum Christus vno eodémque tempore, & in sepulchro iacuit, & in infernum descendit, quis non inseparabile naturæ vtriusque opus videat? & quis in ipso vno, atque inseparabili opere propria carnis, & animæ, ac diuinitatis non euidenter agnoscat: vt enim secundùm carnem in sepulchro iaceret totus Christus fecit, sed sepulturæ capax sola caro naturaliter fuit. In infernum quoque, vt secundùm animam Christus descenderet, naturæ vtriusque, id est, diuinæ, atque humanæ vnum fuit opus, sed solius animæ naturaliter fuit ille descensus. Sicut eodem tempore totus in cœlo, & in terra non cessabat Christus operari, sed solius dignitatis fuit, & loco non teneri, & quæ ad gubernationem vniuersitatis pertineant, cum Patre naturaliter, & æqualiter operari. Inde est, quòd in omnibus illis operibus passionis, & mortis authoritas Apostolica: *quod to-*

tur, in se operatus est Christus, sic vni personæ operantis assignat, vt quid cuius naturæ sit indubitanter ostendat. Nam & Apostolus Paulus de vno eodemque Christo dicit: *Et si crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei.* Et beatus Petrus Propheticum de Psalmis sic ponit eloquium, vt Christi animam, quam in infernum nouerat descendisse, ipsam diceret in inferno non derelictam. Sic enim de Beato Dauid idem Petrus Apostolus loquitur: *Propheta igitur cum esset, & sciret, quia iureiurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, præuidens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelicta est anima eius in inferno, neque caro eius vidit corruptionem.* Hæc itaque omnia totus Christus secundùm vnam personam fecit, & sic vnum naturæ vtriusque opus agnoscitur, vt tamen quid cui naturæ deputari debeat, non negetur. His ergo vnusquisque instruatur exemplis, vt quod hic in naturæ consideratione cognoscit, hoc illis in personis intelligat, nec dubitet humanam Christi naturam totius Trinitatis opere factam, sed ad solam vnigeniti pertinere personam.

2. Cor. 13. Act. 2. Psalm. 13.

QVÆSTIO III.

VTrum anima Christi susceptricis deitatis plenam habeat omnino notitiam, & quemadmodum se inuicem norunt pater, & filius, & Spiritus sanctus: ita idem filius seipsum per id quod homo est, in eo quod Deus nouerit ex vtraque, atque in vtraque substantia totum capiens patrem, an fortè sicut oculis corporalibus Deum Spiritum minimè videt, ne non homini dignitas addita, sed natura credatur penitus commutata: sic rationalis animæ, quamuis pro intellectu, & corde mundissimo non videri, neque comprehendi omnem diuinitatis essentiam, ne quælibet creatura inueniatur capere creatorem.

RESPONSIO.

HÆc in tuis litteris verba frater charissime cum legissem, magis me fateor angustiis coarctatum, quia compellimur dicere, quod sufficienter, ac dignè non possumus cogitare. Nam considerata creatoris, creaturæque distinctio incomprehensibilem monstrat, atque inexplicabilem intellectui creaturæ magnitudinem creatoris: quippe, *Cum pax Dei exsuperet omnem intellectum, & ille qui ascendit super Cherubin, volet super pennas ventorum.* Nosti autem Cherubin interpretari plenitudinem scientiæ. Quid est ergo super Cherubin ascendere, nisi omnem scientiæ plenitudinem incomprehensibili altitudine superare? Sed hæc confidenter, atque indubitanter dicimus de sanctis Angelis, atque hominibus sanctis: quorumlibet sic diuinæ adoptionis gratuito munere Deus dicitur, vt tamen Deus Angelorum, vel hominum nulla ratione dicatur. Cum autem de anima Christi loquimur, de illo loquimur rationali spiritu, ad quem non solùm Deus per gratiam venit, sed quem ipsa diuinitas in vnitate suscepit. Anima quippe illa cum verbo vnus est Christus, anima illa cum verbo vnus est vnigenitus Deus. Et quia vnigenitus Deus æqualis est Patri, nec potest totum nosse filium, qui totum non nouerit Patrem, caueamus, ne cùm anima Christi totum Patrem nosse non creditur, ipsi vni Christo ex aliqua parte, non solùm Patris, sed etiam sui, & Spiritus sancti cognitio denegetur. Quam verò perdurum est, & à sanitate fidei penitus alienum, vt dicamus animam Christi non plenam suæ Deitatis habere notitiam, cum qua naturaliter vnam creditur habere personam. Quod si sic crediderimus, necesse est, vt illa frustretur prædicatio Ioannis Baptistæ, qua Christo singularem, ac sine mensura tribuit spiritus largitatem, dicens: *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum*: cum & maiores nostri in nobis mensuram largitatis accipiant, in Christo autem plenitudinem manere sancti Spiritus fateantur. Beatus namque Ambrosius in libro primo, capite septimo de Spiritu sancto inter alia sic ait: *de Spiritu meo*, inquit, *effundam*, non Spiritum ait, sed de Spiritu. Neque enim nos capere possumus plenitudinem Spiritus sancti, sed tantum accipimus quantum de suo arbiter nostri pro sua voluntate diuiserit. Ostendens ergo nos sanctus Ambrosius non plenitudinem, sed de plenitudine Spiritus accipere, paulò post hæc dicit: de Spiritu sancto pater se dicit effundere super omnem carnem. Non enim totum effundit, sed quod effudit, omnibus abundabit. Supra nos ergo effusum est de Spiritu sancto, at vero super Dominum Iesum, *Cum in forma esset hominis*, manebat Spiritus, sic vt scriptum est: *Super quem videris spiritum descendentem de cœlo, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Circa nos ex affluenti commodo liberalitas largientis est, in illo totius manet in æternum spiritus plenitudo. Nempe beatus Ambrosius euidenter atque indubitanter ostendit animæ Christi plenam totius diuinitatis inesse notitiam, cum dicit, quia circa nos ex affluenti commodo liberalitas largientis est, in illo totius manet in æternum spiritus plenitudo. Hoc autem vt diceret, illum sermonem beati Ioannis attendit, quo ait, cùm de ipso filio loqueretur: *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum.* Quod beatus quoque Augustinus eadem sancti Spiritus illuminatione recipiens, atque intelligens, in sola persona Christi accipi deberi confirmat. Nam cum eundem locum Euangelij explanasset ipso sermone Ioannis Baptistæ proposito ait: Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Inuenimus, qui ad mensuram dat Deus Spiritum. Audi Apostolum dicentem: *Secundùm mensuram donationis Christi.* Hominibus ad mensuram dat, vnico filio non dat ad mensuram. Item in eadem homilia dicit: Sic sunt etiam diuersa dona fidelium, tanquam membris ad mensuram cuique propria distributa. Sed Christus, qui dat, non ad mensuram accipit. Audi enim adhuc quod sequitur, quia de filio dixerat, *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum: Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius.* Nempe B. Augustinus hoc Euangelico testimonio quid debeamus de anima sentire, quando ipse Christus, qui Spiritum dat ad mensuram, accipit. Ipse enim qui dat: ipse est qui accipit. Et quia potens est ad mensuram dare, ideo non potuit ad mensuram accipere. *In forma enim Dei manens*, Spiritum dat: *Formam serui accipiens*, Spiritum accipit. Sed quia ipse ad mensuram dat, ideo non ad mensuram accipit, ad mensuram quippe dat multis filiis, sed non ad mensuram accipit vnicus filius, quia sic est verus homo, vt verus sit Deus. Hunc Euangelij locum aliter beatus Augustinus aliquando posuerat in duobus libris, quos scripsit de sermone Domini in monte. Quem tamen sensum in suis Retractationibus emendauit, hoc approbans, quod postea melius confirmans, atque intelligens in illa expositione Euangelij, de solo Christo accipi debere firmauit.

Philip. 4. Psal. 17. Ioan. 3. Act. 2. Ioel. 8. Ibidem. Ioan. 1. Ioan. 3. Tract. 14. in Ioan. Ephes. 4. D. Aug. lib. de sermone Domini in monte. 1. retract. cap. 19.

Quod in libro primo, capite decimonono Retracta

tractationum suarum ostendens, inter alia sic ait: Alio loco quod interposui testimonium, non ad mensuram dat Deus spiritum, nondum intellexeram de Christo proprie verius accipi. Aliis quippe hominibus nisi ad mensuram daretur Spiritus, non duplum peteret Helisæus quàm fuit in Helia. 4. Reg. 2. In his ergo dictis beati Augustini illud maximè attendamus, quod ait, aliis hominibus ad mensuram spiritum dari. Quod vtique ideo dixit, vt hoc se non de diuinitate, sed de humanitate Christi sensisse monstraret, cui non ad mensuram dedit Deus spiritum, *cum vnicuique dari gratiam secundum mensuram donationis Christi* testetur Apostolus. Quare ergo beatus Augustinus non dixit hominibus, sed aliis hominibus, nisi ostenderet illi homini singulariter, non ad mensuram, sed omnem inesse spiritus plenitudinem, qui est naturaliter homo verus, vt idem sit naturaliter etiam Deus verus, totum accipiens in veritate carnis, quam ad mensuram largitur munere Deitatis. Illi ergo cui secundum mensuram donationis suæ dat gratiam, non ad mensuram dedit Deus spiritum. In Christo autem secundùm Catholicæ fidei veritatem in vnitate personæ simul, & Deitatem, & animam rationalem fatetur, & carnem, in quo tamen Deitas spiritum accipere non potuit, quia secundùm Deitatem pater, & filius, & Spiritus sanctus, vnus est Deus. Vbi tantus est pater solus, quantus cum filio, & Spiritu sancto: tantusque est solus Spiritus sanctus, quantus cum patre simul, ac filio. Ibi nulla de tribus personis habet duabus aliquid minus. Ibi in vnaquaque persona sic est plena deitas, vt & in tribus personis vna sit, & in singulis tota. Non ergo potuit Spiritum sanctum diuinitas filij accipere, cum ipse Spiritus sanctus sic procedat à filio, sicut procedit à Patre: & sic detur à Filio, sicut datur à Patre; nec illa natura, vnde Spiritus sanctus habet originem, potuit vel expectare, vel accipere largitatem. Spiritus ille totus est patris, totus est filij, quia vnus naturaliter est spiritus patris, & filij. Proinde totus de patre procedit & filio, totus in patre manet ac filio, quia sic manet, vt procedat: sic procedit, vt maneat, vnde naturaliter hanc habet cum patre ac filio vnitatis plenitudinem, & plenitudinis vnitatem, vt totum patrem habeat, totumque filium, ipseque totus habeatur à patre, totus habeatur à filio. Non ergo accipit Spiritum sanctum diuinitas filij, cum qua vnius naturæ est Spiritus sanctus, & ex qua habet quidquid habet: imò de qua est hoc quod est, quia quod naturaliter habet, hoc est. Restat itaque vt anima Christi spiritum sanctum accipiat, quem tamen non ad mensuram accipit, sed totum accipit. Vbi enim mensura non esse dicitur, plenitudo perfectionis, & perfectio plenitudinis inuenitur. Quid sit autem iste Spiritus, quem non ad mensuram Christus accipit, Propheta nobis Isaias ostendit, qui de Christo loquens, ait: *Egredietur virga de radice, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Esai. 11. Accipit ergo Christus spiritum, sed non ad mensuram accipit. Quod si animæ Christi non ad mensuram dedit Deus Spiritum, necesse est, vt nihil minus habeat sapientiæ, nihil scientiæ. Spiritus enim ille, spiritus est sapientiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, scientiæ & pietatis. Ac per hoc, non solùm ad diuinitatem Christi, sed ad eius quoque animam illa perfectionis prærogatiua pertinet, Coloss. 2. quam ipsi Christo beatus assignat Apostolus, dicens: *In quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Si enim non ad mensuram accipit Spiritum sapientiæ, & scientiæ, necesse est, vt omnes thesauros sapientiæ, & scientiæ habeat. Quòd si ei aliquid eius plenitudinis demitur, consequens est, vt ad mensuram accepisse spiritum prædicetur. Et quis est cui non ad mensuram Deus spiritum dederit, si eum ad mensuram Christus accepit? In quantum enim spiritus datur, in tantum cognitio diuinitatis accipitur: vbi autem spiritus non est mensura, necesse est vt plena sit diuinitatis immensa notitia. Tota enim plenitudo datur, vbi spiritus non ad mensuram datur, non autem plenitudinem, *sed de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia.* Ioan. 3. Vbi ostenditur etiam in illa gratia speciei, quæ datur pro gratia fidei, non ipsam plenitudinem, sed de plenitudine eius nos esse accepturos gratiam pro gratia, & hoc ipso quod de plenitudine eius accepimus, nos esse implendos, in quantum per eius gratiam capaces erimus. Quod ostendit Propheta, dicens: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Psalm. 15. Et iterum: *Replebimur in bonis domus tuæ, sed vt repleamur, de plenitudine eius accipiemus*, de Christo Psal. 64. autem Paulus Doctor gentium dicit: *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* Coloss. 1. De quo idem dicit: *quia in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Coloss. Non enim existimo illi animæ, in aliquo plenam diuinitatis deesse notitiam, cuius vna est persona cum verbo, quam sic sapientia suscepit, vt eadem sapientia ipsa sit, quæ rerum omnium in tantum facta est Domina, vt cum ipsa diuinitate sua vna sit in Trinitate persona; *id est Christus crucifixus, quem Dei virtutem, Deique sapientiam* Paulus prædicat. 1. Cor. 1. Quod si anima Christi minorem habet in aliquo deitatis suæ notitiam, non in se habet totam sapientiam, totamque virtutem: participium ergo habet, non ipsa est Christus, si partem habet notitiæ diuinitatis suæ. Nos autem participes Christi Apostolus asserit, dicens: *participes enim Christi effecti sumus.* Heb. 3. Vnde ipsi Christo dicitur: *Vnxit te Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* Heb. 1. Oleum autem exultationis, quo vnctus est Christus, Spiritum sanctum esse non dubium est, dicente Petro: *Iesum à Nazareth quem vnxit Deus spiritu sancto, & virtute.* Psal. 44. Ipsum ergo vnxit præ participibus suis, cum non ad mensuram dedit spiritum, *in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* Act. 10. Cuius sapientiæ, & scientiæ altitudinem beatus Apostolus miratur, dicens: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei.* Rom. 1. Christum autem non solùm secundum diuinitatem, sed etiam secundùm humanitatem vera fides totum altissimum confitetur. *Mater enim Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus.* Psal. 86. Et reuera quis audeat altissimum denegare, *quem Deus*, non solùm de se altissimum genuit, sed etiam de virgine Phil. 2. natum *exaltauit, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris?* Si autem non plenam habet anima Christi notitiam diuinitatis suæ, non * peruenit ad altitudinem plenam sapientiæ, & scientiæ Dei. * perueniet. Non ergo totus, sed ex parte Christus prædicetur altissimus, si anima eius infra altitudinem diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei à fidelibus prædicatur. In quo enim nos Deus exaltat,

nisi in quo ad se leuat animas nostras? in tantum autem ad se leuat animas nostras, in quantum nobis veritatem suæ cognitionis, ac dilationis insinuat. Quis autem dicat animam Christi, aut minus percipere veritatis, aut minus habere aliquid charitatis? ipse autem Christus est veritas. Quomodo ergo illa anima minus in se notitiam veritatis habere dicitur: quæ ipsius veritatis anima singulariter inuenitur? non sic est de Christi anima disputandum, sicut disputatur de quolibet angelico spiritu, vel humano. Quis particeps potest esse Dei veri, nisi Deus verus, qui est Christus, qui perfectam carnem, perfectámque animam rationalem, id est, plenam humanam naturam in illam sempiternam personam suæ diuinitatis accipiens, sicut naturaliter totus est homo verus, sic totus Deus verus; quia sicut in diuinitate sua totam habet natiuitatis suæ naturam, sic in humanitate sua totam habet diuinitatis suæ substantiam, totam maiestatem, totam incommutabilitatem, totam virtutem, totam sapientiam, totam omnipotentiam? Sic enim humanam naturam Deus vnigenitus suscipere dignatus est, vt ipse sit Deus, qui homo est, & idem sit homo, qui Deus est. Proinde sicut est plenitudo diuinitatis in homine Christo, sic ibi est plenitudo humanitatis in Deo. Sicut ergo Christus homo singulariter habet, vt Deus verus sit, sic totam diuinitatem suam singulariter nouit. Possumus planè dicere animam Christi habere plenam notitiam deitatis suæ, nescio tamen, vtrum debeamus dicere, quod anima Christi sic suam deitatem nouerit, quemadmodum seipsa diuinitas nouit, an hoc potius dicendum est, quia nouit quantum illa, sed non sicut illa. Ipsa enim deitas sic se nouit, vt hoc se naturaliter inueniat esse, quod nouit: anima autem illa sic totam deitatem suam nouit, vt ipsa tamen deitas non sit. Deitas ergo illa ipsa est naturaliter notitia sua, anima verò illa ab ipsa deitate quam plenè nouit, accepit, vt nouerit: naturaliter ergo Deitas Christi hoc est quod nouit, anima verò illa in eo, quod scit deitatem suam, non hoc se inuenit esse quod nouit. Non ergo quemadmodum se nouerunt pater, & filius, & Spiritus sanctus, sic animæ suæ secundùm diuinitatem notus est Christus. Quoniam quidem habet anima illa plenam Trinitatis notitiam, non tamen habet vnam cum Trinitate naturam. Aliud est tamen vnicuique rei nosse quod naturaliter est, aliud nosse quod naturaliter non est. Oculis porrò corporalibus Deus Spiritus non videtur. Vnde quosdam beatus Augustinus, qui hoc voluerunt de Christo credere, quod Deum patrem oculis corporalibus videat, in Epistola sua quam ad Italicam scripsit, licet breui sermone, sufficienti tamen responsione conuincit. Hoc habent quippe oculi corporis, vt non solùm corpora videant, sed nec videre possint, nisi inter ipsos, & ea quæ vident spatij cuiusquam media interualla fuerint. Inde est quod cùm alia plurima videant, seipsos videre non possũt, nec vident in se, cùm videant extra se: nam & ipsa acies visionis obtunditur, si aliquid videndũ ipsis oculis adiungatur. Quisquis ergo putat Deum posse oculis corporalibus cerni, priùs est, vt eum dicat ab ipsis oculis corporali spatio separari: quisquis autem vult agnoscere, quibus oculis Deus videatur, ipsum Deum cogitet, quia sapientia est, veritas est, charitas est. Quocirca quibus oculis videtur sapientia, veritas, & charitas: ipsis oculis videtur illa sapiens, veraque diuinitas. Non itaque corporis, sed oculis animæ Deus suam visionem promittit, quam

Epist. 6.

capacem sapientiæ, veritatis, charitatisque constituit. Spiritus ergo rationalis accepit à Deo, vt videat Deum. Accepit itaque per gratiam, quæ tamen non extra se potest videre, sed in se: Deus enim non loco continetur, sed affectu percipitur, & ideo in quo non habitat, non videtur. Multò enim interius animam inhabitat Deus, quàm anima inhabitat corpus, quoniam creator Spiritus est ille, iste creatus. In tantum ergo habet quælibet sancti hominis anima illius summi Dei notitiam, in quantum internæ visionis acceperit gratiam. Vnde nescio, quomodo accipimus vnigenitum à patre plenum gratiæ, & veritatis, si vel illi plenitudini veritatis, aliquid plenitudini gratiæ deesse dicimus: vel illi plenitudini gratiæ non totam esse veritatis plenitudinem æstimemus, cum vtique in eo certissimè vnigenitus à patre plenus agnoscatur gratiæ & veritatis, si non solum in ipso vno plena gratia humanitatis, plenaque diuinitatis veritas agnoscatur, sed etiam plenitudo veritatis in seipsa plenitudinem gratiæ, quæ est tota humanitas in diuinitate sua, & plenitudo gratiæ plenitudinem habeat veritatis in se, quæ est tota diuinitas in humanitate sua, ita vt plenitudo veritatis plenitudinem in se habeat gratiæ, & plenitudo gratiæ plenitudinem in se habeat veritatis. Non autem tota plenitudo veritatis habetur, quando ipsius veritatis aliquid ignoratur, quod absit, vt de Christo aliquid sentiamus. Sic enim tota plenitudo gratiæ est in illa plenitudine veritatis, vt illa plena deitas totam impleat humanitatem suam, & sic est plenitudo veritatis in illa plenitudine gratiæ, vt illa plena humanitas sicut plenam habet, & singularem incorruptionem, atque immortalitatem carnis, ita secundùm animam plenam singulariter habeat notitiam deitatis. Sic est ergo Christus plenus gratiæ & veritatis, vt sicut est in diuinitate eius plena humanitatis eius acceptio, sic in humanitate eius plena sit diuinitatis agnitio. Nec metuamus asserere, quod Christi anima totam deitatem suam nouit, ne ex hoc dicatur, cum ipsa deitate vnius esse naturæ, cum vtique sic hoc ratiocinatio vera deposcit, vt in plenitudine cognitionis continuò sit vnitas naturalis, ipse primitus Deus; qui omnia quæ fecit, plenè vtique nouit, eius diceretur esse naturæ, cuius sunt illa quæ fecit, & nouit. Quod qui credit, aut asserit, non Catholica veritate præditus, sed Manichæa fit impietate professus. Deinde illud est nihilominus intuendum, quod ipsa Christi anima ex quantacunque parte dicatur habere deitatis suæ notitiam, statim dicetur ex tanta parte vnam habere cum sua deitate naturam, quod vtique magnæ insaniæ est. Nam & nos speramus per Dei gratiam visuros esse Deum. In quantum autem visuros, in tantum sine dubio cognituros, quoniam vtrumque nobis Apostolica commendat auctoritas: nam & Beatus Paulus dicit: *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Et dilectus Christi Ioannes indubitanter asserit: *Quia cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est.* Visio autem illa non solius carnis, secundùm quam solam solus filius ab impiis videtur, ad eorum condemnationem perpetuam: sed erit visio deitatis, secundùm quam ipsa Trinitas ita videndam præbebit se iustis, vt illa diuinitatis indesinens visio, ipsa sit beatitudinis indeficiens plenitudo. Inde enim sunt *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* In tantum ergo diuinitatem

1. Cor. 13.
1. Ioan. 3.
Matth. 5.

nitatem sanctæ Trinitatis videbimus, in quantum capiemus dono gratiæ, vt videre possimus. Nec tamen in quantum videbimus, in tantum ipsi diuinitati consubstantiales erimus. Nam & corpore videmus multa, quæ cum carne nostra non sunt vnius eiusdémque naturæ. Vident enim oculi nostri lucem, cum tamen alterius naturæ sint illi, alterius illa. Dixit quidem beatus Ioannes: *Quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Similes autem dixit, imitatione scilicet iustitiæ, non vnitate naturæ, secundum quam imitationem dicit beatus Paulus: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Et beatus Ioannes ait: *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* Creatorem verò capit creatura, in quantum accipit vt capiat. Inde est quod beatus Augustinus hunc sermonem non refugit, sed indubitanter assumit. Nam in eadem homilia, in qua exposuit illum locum, quia non ad mensuram dat Deus Spiritum, sic quodam loco de ipso filio dicit: manens enim Deus apud patrem, apud homines factus est homo, vt tu per illum* qui à se factus est homo, fieres talis, qualis capit Deum: non enim homo poterat capere Deum. Videre poterat homo hominem, capere Deum non poterat. Vnde non poterat capere Deum? Quia oculum cordis vnde caperet non habebat; erat ergo aliquid intus saucium, & aliquid foris sanum. Corporis oculos habebat sanos, & cordis habebat saucios. Factus est ille homo ad corporis oculum, vt credens in eum qui videri corporaliter potuit, curareris ad eum ipsum videndum, quem spiritualiter videre non poteras. His verbis ostendit beatus Augustinus in spiritualibus rebus hoc esse capere quod videre, neque aliud esse videre, quam intelligere, nec intelligere aliud esse quàm nosse. Hinc est, quod in libro de præsentia Dei, quam soli filio dat, plenam diuinitatis capacitatem soli, plenam diuinitatis ostendit inesse notitiam. In memorato quippe libro his vtitur verbis. Deus igitur vbique præsens est, & vbique totus præsens, nec vbique habitans, sed in templo suo, cui per gratiam benignus est & propitius. Capitur autem habitans ab aliis amplius, ab aliis minus. De ipso vero capite nostro Apostolus ait: *Quoniam in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Attende quæso in his verbis beati Augustini discretionem capitis membrorúmque certissimam. Ab aliis ergo, quibus ad mensuram dat Deus Spiritum, capitur habitans, ab aliis amplius, ab aliis minus. Quid est autem capi nisi intelligi atque cognosci? Cùm autem de Christo idem beatus Augustinus loqui vellet, vide quid ait: de ipso, inquit, capite nostro Apostolus ait: *Quoniam in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Nempe beatus Augustinus ait, quoniam Deus habitans capitur. Quocirca ab illo plenitudo capitur diuinitatis, in quo ipsa diuinitatis habitat plenitudo. In eo autem capitur, in quo cognoscitur. Illi ergo, *in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis*, non potest ipsius plenitudinis plena non inesse notitia. Inde est, quod beatus Augustinus in eodem libro paulo post hæc dicit: Quid ergo est? Hoccine interesse arbitremur inter caput & membra cætera, quod in quolibet, quamuis præcipuo membro, velut in aliquo magno Propheta, aut Apostolo, *quamuis diuinitas habitet*, non tamen sicut in capite, *quod est Christus, omnis plenitudo diuinitatis?* Nam & in nostro corpore inest sensus singulis membris, sed non tantus, quantus in capite, vbi prorsus omnis est quinque partitus. Ibi enim est visus, & auditus, & olfactus, & gustus, & tactus: in cæteris autem solus est tactus. An etiam præter hoc, quod tanquam in templo: *In illo corpore habitat omnis plenitudo diuinitatis*, est aliud quod intersit inter illud caput, & cuiuslibet membri excellentiam. Est planè quod singulari quadam susceptione hominis illius vna facta est persona cum verbo. De nullo enim sanctorum dici potuit, aut potest, aut poterit: *Verbum caro factum est*: Nullus sanctorum qualibet præstantia gratiæ vnigeniti nomen accepit, vt quod est ipsum Dei verbum ante sæcula, hoc simul cum assumpto homine diceretur. Singularis ergo est illa susceptio, nec cum hominibus aliquibus sanctis, quantalibet sapientia ac sanctitate præstantibus vllo modo potest esse communis. Certum est igitur Sanctorum Patrum sententiam scripturis cœlestibus conuenire, quæ manifestissimè protestantur, & diuinitus inspiratæ proclamant nobis, id est, omnibus adoptiuis partem cognoscendæ atque sapiendæ diuinitatis, prout voluntas donauerit largitoris infundi per gratiam, Christo vero, id est, animæ eius plenam totius diuinitatis inesse notitiam.

1.Ioan.3. — 1.Cor.11. — 1.Ioan.2. — *In Ioan. in fine tract.34.* — * qui apud te factus. — *Epist.57. ad Dardanum, circa finem.* — Coloss.1. — Ioan.1.

QVÆSTIO IV.

DEinde quæstionem series tuarum sic continet litterarum. Vnum, inquis, regnum patris, & filij, & Spiritus sancti credimus & fatemur, simul eos dominari creaturis omnibus sentientes. Quare ergo in orationibus Sacerdotum per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti, per vniuersas penè Africæ regiones Catholica dicere consueuit Ecclesia, tanquam solus filius cum patre possideat regnum, in vnitate scilicet spiritus sancti, vt regnantes adunate, non simul regnare Spiritus sanctus intimetur?

RESPONSIO.

DIcam simpliciter de sermone hoc quod sentio. Quoties exinde cogitaui, nihil ibi aliud maiores nostros, quam fidei veritatem contra multas hæreses præmunisse cognoui. Illud quippe primum attendendum est, quod in conclusione orationis, per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum dicimus: quod vtique non inaniter Catholica concelebrat Ecclesia, propter illud vtique Sacramentum, quod *mediator Dei & hominum factus est homo Christus Iesus*, Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, *qui per proprium sanguinem semel introiuit in sancta, non vtique manufacta exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, vbi est in dextera Dei, & interpellat pro nobis.* Hoc in eo pontificatus officium intuens, Apostolus ait: *per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius.* Per ipsum ergo hostiam laudis atque orationis offerimus: quia per eius mortem reconciliati sumus, cùm inimici essemus. Per ipsum enim, qui pro nobis hostia dignatus est fieri, potest in conspectu Dei nostra hostia acceptabilis inueniri. Propterea nos beatus Petrus admonet, dicens: *& vos tanquam lapides viui ædificamini in domum spiritualem, in sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum.* Hac igitur ratione dicimus Deo patri: *Per*

1.Tim.2. — Hebr.9. — Hebr.13.

Iesum Christum Dominum nostrum. Nam bene nosti nonnunquam dici per Sacerdotem æternum filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum. Cùm ergo Sacerdotis fit mentio, quid aliud quàm mysterium Dominicæ incarnationis ostenditur: Philip. 2. q..o *Dei filius cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, secundum quam se humiliauit fact us obediens patri vsque ad mortem, minoratus*, scilicet, *paulo minus ab Angelis, & æqualitatem paternæ possidens vnitatis.* Eo quippe minoratus est filius æqualis permanens patri, quo in similitudinem hominum dignatus est fieri. Ipse autem se minorem fecit, *quando semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Christi porrò minoratio, ipsa est exinanitio. Nec tamen aliud est exinanitio, quam formæ seruilis acceptio. Christus ergo in forma Dei permanens, vnigenitus Deus, cui cum patre hostias offerimus, formam serui accipiens, Sacerdos est factus, per quem hostiam viuam, sanctam, Deo placentem offerre possimus. Nec tamen à nobis offerri hostia potuisset, si Christus pro nobis hostia non factus fuisset: in quo ipsa natura nostri generis vera est hostia salutaris. Etenim ipse vnigenitus, qui verus naturaliter Deus est, vt verus Sacerdos fieret in persona diuinitatis suæ, non humanitatis nostræ personam dignatus est accipere, sed naturam. Si enim naturam hominis cum persona simul accepisset in illo incarnationis mysterio, non idem vnus Christus in duabus naturis esset Deus & homo, sed in duabus personis alter esset Deus & alter homo. Sed ideo vnus est Christus verus Dei & hominis filius, quia ille vnigenitus Dominus, qui personam propriam semper habuit, in ipsam personam suam veritatem naturæ seruilis accepit. Proinde Christus inseparabilis manet, quia cum altera sit in eo natura diuinitatis, altera verò natura seruilis, in vno tamen eodémque Christo illa persona diuinitatis æternæ, ipsa est etiam humanitatis assumptæ. Propterea idem atque vnus est Christus, quem & paulo minorem ab Angelis ostendit acceptio formæ seruilis, & æqualem patri demonstrat vnitas naturalis. In quo Sacramento sic offenderunt Arriani, vt attendentes in eo officium Sacerdotis, nollent celsitudinem suscipere deitatis. Inde est, quod etiam sic dicunt, gloria patri per filium: vt nolint dicere, gloria patri & filio. Quoniam ergo sunt hæretici, qui filium cum patre vnius deitatis esse non credant: item sunt alij qui veritatem carnis in Dei filio negare non metuant. Hunc locum congruè atque vtiliter patres sanctissimi posuerunt, nam cùm nos ostendimus per æternum Sacerdotem Dominum Christum nostras orationes offerri, veram in eo carnem nostri generis confitemur, secundum Hebr. 6. illud quod Apostolus dicit: *Omnis enim Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat Deo dona & sacrificia pro peccatis.* Cùm verò dicimus filium tuum, & adiicimus, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti, illam vtique vnitatem commemoramus, quam naturaliter habet pater & filius & spiritus sanctus, vbi ostenditur idem ipse Christus pro nobis sacerdotali functus officio, cui naturalis est vnitas cum patre & spiritu sancto. Vide quæso, quanti ex hoc conuincantur hæretici. Principaliter enim nostra fides à Manichæorum errore discernitur, cum per illum Sacerdotem nostras orationes offerimus, qui propterea verus est Sacerdos, quia semetipsum veram pro nobis hostiam obtulit, quod Apostolus indubitanter affirmat, dicens: *Estote ergo imitatores Dei sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & obtulit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis.* Ephes. 5. Qui vtique veram hostiam non offerret, si carnis in eo veritas non fuisset. Huius hostiæ veritatem postquam à mortuis resurrexit, ipse summus Sacerdos discipulis suis ostendit, & contrectandam obtulit dicens: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Luc. 24. Hinc etiam fides nostra discernitur ab Eutychis errore, qui licet incarnatum verbum negare non audeat, ipsam tamen verbi carnem cum non fatetur sumptam de carne Virginis, mysterium summi prorsus euacuat Sacerdotis. Cui Apostolus illa quam superius posui sententia contradicit: *Omnis* (inquiens) *Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum.* Hebr. 5. Et alio loco: *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, vt propitiaret delicta populi.* Hebr. 2. Hoc itaque sermone, quo per Iesum Christum nos ostendimus nostras orationes offerre, vera fides omni errori renititur, qui in Christo veritatem humani corporis non fatetur. Sed quia Christus non solùm verus homo, sed & verus est naturaliter Deus, & vnus cum patre & spiritu sancto Deus: dignè dicimus Deo patri, qui tecum viuit & regnat. In illa vtique vnitate naturali quam ostendens, ait: *Ego & pater vnum sumus*, Ioan. 10. vbi similiter fides nostra, non solùm ab Arrij & Sabellij, verùm etiam à Nestorij errore decernitur, in ipso quippe vnitatis vocabulo sicut patris & filij diuersa cognoscitur non esse substantia: ita cùm dicimus, qui tecum viuit & regnat, ostenditur patris & filij vna non esse persona: apparet etiam æternum Sacerdotem ipsum verum filium esse, qui cum Deo patre regnat in vnitate naturæ. Cùm verò in vnitate spiritus sancti dicimus, vnam naturam spiritus sancti cum patre filióque monstramus. Vnitas autem naturæ quid aliud, quam Trinitatem vnum Deum, & ex hoc vnum ostendit regnum: Diuersitas quippe naturæ potest in regno diuersitatem potestatis ostendere. Vbi autem regni naturalis est vnitas, vna regnandi permanet & potestas: in illo autem regno illi diuersitatem potestatis habere possunt, quibus ipsa potestas tribuitur ex gratia, sed non suppetit ex natura. Non est autem diuersitas, sed vnitas potestatis in Trinitate, quæ ipsam potestatem vnicuique secundum suam tribuit voluntatem, quia naturalem habet ineffabiliter vnitatem. Vide autem quid beatus *D. August. lib. 6. de Trinit. cap. 6.* Augustinus in libro sexto de Trinitate sentiat de spiritu sancto, vbi dicit, ergo æqualis patri filius est & vnius eiusdémque substantiæ, continuò subiunxit: quapropter spiritus sanctus in eadem vnitate substantiæ & æqualitate subsistit. Siue enim sit vnitas amborum, siue sanctitas, siue charitas, siue ideò vnitas, quia charitas, & ideò charitas, quia sanctitas: manifestum est quod non aliquis duorum est, quo vterque coniungitur, quo genitus à gignente diligatur, generatorémque suum diligat, sintque non participatione, sed essentia sua: neque dono superioris alicuius, sed suo proprio seruantes vnitatem spiritus in vinculo pacis. Et *Eodem cap.* paulo post: Spiritus ergo sanctus commune aliquid est patris & filij, quidquid illud est: at ipsa communio consubstantialis & coæterna. Quæ si

amicitia

amicitia conuenienter dici poteſt, dicatur : ſed aptius dicitur charitas. Et hæc quoque ſubſtantia, quia Deus ſubſtantia,& Deus charitas, ſicut ſcri- *Eodem cap.* ptum eſt. Item alio loco eiuſdem libri dicit : æqualis eſt etiam Spiritus ſanctus, & ſi æqualis, in omnibus æqualis, propter ſummam ſimplicitatem quæ in illa ſubſtantia eſt. Et ideò non amplius quam tria ſunt : vnus diligens qui de illo eſt, & vnus diligens eum de quo eſt,& ipſa dilectio. Quæ ſi nihil eſt, quomodo Deus dilectio eſt? Si non eſt ſubſtantia, quomodo Deus ſubſtantia eſt? His itaque verbis beatus Auguſtinus non dubitauit, ſicut charitatem & ſanctitatem, ſic etiam vnitatem patris & filij Spiritum ſanctum dicere : nec ſolum commune aliquid eorum, ſed etiam communionem conſubſtantialem coæternamque fiducialiter prædicare. Quod vtique ideo Catholicis dicitur, vt ex ipſo vnitatis nomine vna eſſentia, & ex hoc vnum regnum, & in eodem vno regno vna Trinitatis poteſtas, vnaque maieſtas à fidelibus agnoſcatur, ne putetur aut filius, aut Spiritus ſanctus ſecundum diuinam naturam ita cum patre regnare, quemadmodum cum potiore regnat inferior, ſed illa vnitas Spiritus ſancti quæ eſt communio patris & filij, dum in illo regno vnitatem diuinitatis monſtrat, vnam eſſe regnandi æternitatem, vnam poteſtatem, vnam maieſtatem, vnámque dominationem ſummæ Trinitatis edoceat.


QVÆSTIO V.

QVinta vero, id eſt, nouiſſima continet his verbis epiſtola quæſtionem : Quid ſit quod Lucas Euangeliſta cœnam Domini narraturus prius eum dicit calicem accepiſſe, & diſcipulis diuidendum inter ſe continuo tradidiſſe. Et deinde accepto pane dixiſſe. *Hoc eſt corpus meum* : & accepto ſimiliter poſtquam cœnauit calice, tunc dixiſſe : *Hic calix nouum teſtamentum eſt in ſanguine meo, qui pro vobis effundetur.* Iſta vero quæſtione poſtpoſita ſubiungis & dicis : Nunquid vnus calix ſecundo eſt datus, an alius prius, alius poſtea? & ſi ita eſt, inquis, ad cuius rei ſacramentum pertinet ille, de quo maximè cæteri qui ſcripſerunt Euangelia tacuerunt?

RESPONSIO.

HVnc Euangelij locum quidam ſic intelligi voluerunt, vt non duos calices à Domino datos aſſererent : ſed potius per anticipationem dictum eſſe firmarent, cæterùm vnum eſſe calicem qui & antea diuidendus, & poſtea bibendus commemoratur datus eſſe diſcipulis. Quidam vero ſecundò datum calicem firmant. Sed ſiue hoc, ſiue illud quiſque ſentiat, talis eſt vterque ſenſus, vt vera fide nullatenus inueniatur extraneus. Hi verò qui ſecundum datum æſtimant calicem, hoc factum in ſignificatione dixerunt, aſſerentes quod in primo calice ſuam; in ſecundo verò fidelium ſuorum Dominus præfigurauerit paſſionem. Alij verò dixerunt in vtroque calice illud oſtendi, quod in veteri teſtamento præceptum eſt : *Vt qui paſcha*
Numer.9. *primi menſis agnum comedendo non ageret, in ſecundo menſe in hœdi comeſtione peragat.* Videtur autem hic mihi etiam aliud quoddam congruum Chriſtianæ fidei reperiri myſterium, vt in vtroque calice vtrumque intelligi debeat teſtamentum. Præſertim quum hoc nobis ſic ipſa demonſtrauit veritas, vt nulla remaneret quærentibus difficultas : nam ipſe Dominus calicem, quem bibendum dedit, *nouum appellare dignatus eſt teſtamen-* Luc.22.
tum, quod Euangelici tenor demonſtrat eloquij. Siquidem tribus Euangeliſtis, Matthæo, Marco, & Luca, hoc indubitanter atteſtantibus inuenitur. Verba quippe Matthæi hæc ſunt : *Cœnan-* Matth.26.
tibus autem eis, accepit Ieſus panem & benedixit, & fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait : accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum, & accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes : Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Marcus verò myſterium Dominici panis Marc.14.
& calicis explicaturus, hæc ait : *Manducantibus autem illis, accepit Ieſus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait? Sumite, hoc eſt corpus meum : & accepto calice, gratias agens, dedit eis, & biberunt ex illo omnes. Et ait illis : hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur.* Lucæ verò, quem ſecundo certum eſt calicem nominaſſe, his inuenitur verbis ordinata atque triplicata narratio. *Et accepto calice gratias egit,&* Luc.22.
dixit : accipite, & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens : Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquam cœnauit, dicens : Hic eſt calix nouum teſtamentum, in ſanguine meo : qui pro vobis fundetur. Hinc eſt quod etiam beatus Paulus commemorans ſacratiſſimum illius cœnæ myſterium, non aliud calicem quam nouum à Domino nuncupatum inſinuat teſtamentum. Inter alia namque ſic dicit : *Ego enim accepi* 1.Cor.15.
à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit : Hoc eſt corpus meum pro vobis. Hoc facite in meam commemorationem, ſimiliter & calicem poſtquam cœnauit, dicens : Hic calix nouum teſtamentum eſt, in ſanguine meo : Hoc facite quotieſcumque bibitis, in meam commemorationem. Hac igitur Euangelicorum atque Apoſtolicorum atteſtatione dictorum in calicis nomine, iſto dumtaxat loco non aliud quam diuinum permittunt accipere teſtamentum. Neque enim dubium eſt aliis locis à Domino nomine calicis ſignificatam gratiam paſſionis. Quod vtique intelligi voluit, dicens filiis Zebedæi : *Poteſtis bibere* Matth.20.
calicem, quem ego bibiturus ſum : Et in ipſa hora qua detineri manibus voluit impiorum, hoc ſermone beatum Petrum, vt gladium reconderet in vaginam,præmonens, calicem ſe bibiturum paſſionis oſtendit, dicens : *Mitte gladium in vaginam. Calicem quem dedit mihi pater,non vis vt bibam* Ioan.18.
illum? In quo calice paſſionem eſſe intelligendam etiam illic oſtendit, vbi auulſus à diſcipulis quantum iactus eſt lapidis,moriturus pro peccatis hominum, humanæ quoque infirmitatis veraciter in ſeipſo demonſtrauit affectum, & vt deſperationem ab inferioribus membris dignaretur auferre, ipſa virtus, quæ noſtrum caput eſſe voluit, dicere diuino amore non dedignata, quod membra eius eſſent humano poſtmodum timore dictura. Inde eſt, quod eum Lucas Euangeliſta commemorat : *Pater ſi vis, transfer calicem iſtum à me.* Matthæus verba eius hæc eſſe teſtatur : *Pater mi, ſi poſſibile* Matth.16.
eſt,tranſeat à me calix iſte. Marcus vero, vt oſtenderet quid in illo calice intelligere deberemus, Marc.14.
ait : *& cum proceſſiſſet paululum, procidit ſuper terram, & orabat, vt ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo hora.*

Ioan. 2. Quam hic horam putamus à sancto Euangelista significatam, nisi illam, de qua Dominus ait: *Nondum venit hora mea*, & de qua Ioannes Euangelista dicit: *& nemo misit in eum manus, quia nondum venerat*
Ioan 7. *hora eius*? Hora vtique non coactitiæ mortis, sed voluntariæ passionis. Hora proculdubio illa, qua triumphalem mortem susciperet, & soluens dolores inferni mors ipse mortis misericorditer ac mirabiliter extitisset, sicut iam dixerat per prophetam:
Oseæ 13. *Ero mors tua ô mors, ero morsus tuus inferne*. Hanc horam à Domino in ratione calicis nuncupatam beatus Euangelista subsequenter ostendit, eius domini oratione subiuncta, qua dicit: *Abba pater, omnia possibilia tibi sunt, transfer calicem istum à me*. Marc. 14.
Nempe manifestum est, hoc fuisse orare, vt transiret ab eo hora, quod erat dicere, vt calix transferretur ab eo: vbi, vt dixi, caput nostrum in se membrorum suorum susceptam demonstrauit infirmitatem, quibus se daturum nouerat patiendi virtutem, vt doceret non ex hoc euacunadum.



DIVI PETRI DIACONI,
Et aliorum qui in causa fidei à Græcis ex Oriente Romam missi fuerunt.

De Incarnatione & gratia Domini nostri Iesu Christi ad Fulgentium & alios Episcopos Africæ.

LIBER VNUS.

CAPUT I.

DOMINIS Sanctissimis & cum omni veneratione nominandis, Diacono, Fortunato, Albano, Orontio, Boëtho, Fulgentio, Ianuatio, & cæteris Episcopis, & in Christi confessione decoratis, exigui Petrus Diaconus, Ioannes Leontius, Ioannes & cæteri fratres in causa fidei Romæ directi. Vtile & pernecessarium, satísque Dei Ecclesiis specialiter credimus profuturum, ea quæ de incarnatione & dispensatione diuina nobiscum vniuersæ sanctæ Ecclesiæ Orientalium contra hæreticos defendunt (qui prauis & iniquis argumentis antiquam Ecclesiæ fidem inquietare non cessant) sanctitati vestræ suggerere, atque de his consensum vestræ beatitudinis suppliciter promereri. Quia in nullo sanctam, gloriosámque confessionem vestram credimus dissentire, præsertim cum vno vbique spiritu sanctam Dei Ecclesiam vegetari minimè dubitemus. Non enim parua, imò potius magna lætitia vniuersi replebuntur Orientales, si sanctitatem vestram suis, imo magis Catholicis nouerint in omnibus consentire dogmatibus. Vnde suppliciter petimus & obsecramus beatitudinem vestram, quatenus diligenti examinatione, ea quæ inferiùs continentur discutientes (vt decet verissimos & intrepidos Christi prædicatores) scriptis sententiam vestram nobis patefacere iubeatis: vt si Deo præstante Catholicæ fidei conueniens, & Apostolicis traditionibus nostra apud vos (sicut non diffidimus) fuerit expositio comprobata, & facilè tantorum virorum, probatissimorúmque Sacerdotum authoritate muniti, iniqua loquentium ora obstruere valebimus, & in fide sanctorum patrum perseuerantes, Deo qui nos sanctimonij sui confessione glorificauit, gratias referamus Domini sanctissimi & Deo dignissimi. Nunc ea quæ sequuntur diligentius petimus explorétis.

CAPUT II.

IGitur iuxta sanctorum patrum traditionem, Dominum nostrum Iesum Christum in duabus naturis vnitis & inconfusis, id est, diuinitatis & humanitatis, in vna persona, siue subsistentia confitemur. Nec illis acquiescentes, qui vnam Dei verbi naturam incarnatam prædicantes, venerabilis Chalcedonensis Concilij fidem refugiunt, nec illos admittentes, qui duas naturas dolosè pronunciantes, vnam Dei verbi naturam incarnatam minimè confitentur, æstimantes hoc duarum naturarum professioni contrarium: quasi aliquid aliud quàm duas naturas ineffabiliter vnitas, vna Dei verbi natura incarnata significet, Beato Cyrillo Alexandrinæ ciuitatis Antistite ad Successum Episcopum Diocesariæ ita scribente: si enim vnam naturam dicentes, Dei Verbi tacuissemus non inferentes incarnatam, sed velut abiicientes dispensationem, erat illis forsitan non improbabilis sermo simulantibus interrogare, vbi est in humanitate perfectio, aut quomodo substãtia nostra subsistit. Quoniã vero & perfectio quæ in humanitate est, & essentiæ nostræ manifestatio illata est, per id quod dictũ est incarnati, iã deserant, arundineam virgã sibimet supponentes.

CAPUT III.

BEatam verò virginem Mariam non propter dignitatem hominis illius, qui ex ipsa natus est (quem gratia & non natura Deum quidam impiè prædicare non metuunt:) sed propriè & secundum veritatem credimus theotocon, id est, Dei genitricem, eo quod peperit verè & propriè Deum verbum incarnatum, & hominem factum, atque essentialiter siue naturaliter carni vnitum. Propterea etiam essentialem, siue naturalem factam naturarum vnitionem omnimodis confitemur, nõ sicut illi, qui tanquam in Propheta, ita in Christo Domini verbum inoperasse contendunt. Quos redarguit

Greg Naziazen.

darguit beatus Gregorius Nazianzenus ad Clidonium, dicens: Si quis sicut in Propheta secundum gratiam dicit inoperasse Domini verbum, & non essentialiter factam confitetur vnitionem, sit vacuus melioris inoperationis, magis autem plenus sit deterioris. Nec sicut illi qui secūdum illustrationem, aut dilectionem, aut affectionem, aut personalem, vel subsistentialem, siue secundum auctoritatem, aut potentiam, aut æqualitatem honoris, vnionem tentant astruere naturarum. Quos paulò superius memoratus beatus Cyrillus anathematizat dicens contra Nestorium: Si quis in vno Christo diuidit substantias post vnitatem sola societate connectens secundum dignitatem, & authoritatem, aut potentiam, & non magis coniunctionem, quæ est secundum vnitatem naturalem, anathema sit. Deus enim verbum nō nomine vacuo, non particula sui, sed natura Deus tantus, quantus & pater est, æqualis per omnia patri, præter hoc tantummodo quod ille pater est, iste filius, naturæ se humanæ vniens factus est homo: hinc etiam à sanctis patribus adunatione ex diuinitate, & humanitate Christus Dominus noster compositus prædicatur. Quod nolens Paulus Samosatenus confiteri, damnatus est ab Antiocheno Concilio. Malchione presbytero eiusdem Antiochenæ Ecclesiæ, viro per omnia eruditissimo, & ab vniuersis Sacerdotibus, qui contra eundem Paulum conuenerant tunc electo, qui summum disputationis certamē à Concilio memorato suscipiēs, ita eundem hæreticum inter cætera redarguit, dicens: Ex simplicibus fit certè compositum, sicut in Christo Iesu, qui ex Deo & verbo, & humano corpore, quod est ex semine Dauid, vnus factus est, nequaquam vlterius diuisione aliqua, sed vnitate subsistens. Tu verò videris mihi secundum hoc nolle compositionem fateri, vt non substantia sit in eo filius Dei, sed sapientia secundum participationem. Hoc enim dixisti, quod sapientia dispendium patiatur, & ideò composita esse possit, nec cogitas, quod diuina sapientia sicut antequam se exinanisset, indiminuta permansit: ita & in hac exinanitione quam gessit misericorditer, indiminuta atque indemutabilis extitit. Et hoc etiam dicis, quod sapientia habitaret in eo. Habitamus & nos in domibus, vt alter in altero, sed neque pars domorum nos sumus, nec nostra pars domus est. Similiter etiam B. Athanasius in libello, cuius est titulus: Quod vnus sit Christus. Hæreticorum vanitatem refutans, postquā de filij Dei diuinitate inquisitiones eorū superfluas approbasset, ita prosequitur: sic inquit, etiam de incarnatione inquirunt: Quomodo, inquiūt, incarnatur Deus, quomodo incorporatur, quomodo componitur? ad paruum corpusculum incapabilis, quomodo vnitur increatus creato, à circumscripto incircumscriptus? aut quomodo in partē magnus ille, & immensus, & indiuiduus? Si autem magnitudo illa in paruo loco contracta est, aut paruum illud factum est magnum, aut pars, & non omnis diuinitas carni vnita est, quod est impium credere. Et prolapsi sunt ex hoc quod dicunt quomodo, & quali modo? & qua sentētia imperfidiam etiam isti & inhabitationem pro incarnatione operati sunt, & pro vnitate, & compositione inoperationē humanam, & pro vna substantia Domini nostri Iesu Christi, duas subsistentias, & duas personas, & pro sancta, & ineffabili Trinitate, quaternitatem indecenter dogmatizantes, & impiè. Rursus B. Gregorius in sermone de filio: vno autem, inquit, capitulo meo, vt altiora quidem adscribas diuinitati, & illi naturæ quæ passionibus, & corpore probatur esse superior: humiliora verò composito tribuas, qui propter te

Cyrillus anathematismo 3.

Athanasius.

Regula.

semetipsum exinaniuit, & incarnatus est. Hinc ergo rectissimè credimus, quod plenus & perfectus Deus verbum etiam post assumptam carnem nullum augmentum, detrimentumque pertulerit, imo vnitione sua ineffabilem gloriam contulerit assumptæ naturæ.

CAPVT IV.

HAc de causa Trinitas etiam post incarnationis mysterium Trinitas mansit, quia idem Deus verbum, etiam cum propria carne vnus est ex Trinitate: non quod caro eius sit de substantia Trinitatis, sed quia caro Dei verbi est, qui est vnus ex Trinitate. *Ipse enim omninò, & non alius ascēdit in cœlum, qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo.* Quapropter & Deum verbum passum carne, & crucifixum carne, sepultum carne secundum Beatū Cyrillum profitemur dicentem: Si quis non confitetur Deum verbum passum carne, crucifixum carne, & mortem carnem gustasse, factūque primogenitum ex mortuis, secundum quod ex vita, & viuificator tanquam Deus, anathema sit. Similiter etiam hominem Christum dicimus verbum secūdum illud beati Ioannis: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ tractauerunt de verbo vitæ.* Neque enim verbum secundùm deitatis suæ naturam tractari potuit manibus humanis, nisi fieret homo. Est etiam proculdubio puer ille, quem beata virgo genuit, quem pannis inuoluit, quem in præsepio collocauit, quem octauo die circumcidit, quem Simeon vir iustus propriis amplexatus est gremiis: quem subiectum parentibus Euangelistæ referunt, quem profecisse ætate & sapientia protestantur, natura Deus: *per quem facta sunt omnia visibilia & inuisibilia, vnigenitus & primogenitus, in quo omnia constant*; secundùm Apostolum. Et hoc ipsum claris vocibus etiam Esaias Propheta protestatur dicens: *puer natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius potestas in humero eius, & vocabitur magni consilij Angelus, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, dominator, princeps pacis, pater futuri sæculi.* Et idcirco acquiescendum illis nullatenus credimus, qui puero illi Deum fortem vnitum asserunt, nec Deum fortem ipsum esse puerum credunt, præsertim cum non alterius cuiuslibet, sed eius omnino thronum, qui de Spiritu sancto, & Maria Virgine natus est, atque in Iordane à Ioanne, vt aquas sanctificaret, baptizatus est in sæculum sæculi, virga æquitatis, virga regni tui, dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. *Propterea vnxit te Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* Quomodo autem vngi poterat Deus, cuius thronus est in sæculum, nisi fieret homo.

Ioan. 3.

Cyril. anath. 13.

1. Ioan. 1.

Coloss. 1.
Esai. 7.

CAPVT V.

SEcundùm hāc ergo Prophetæ sententiam, Deus factus est Christus, non autem Christus factus est Deus, sicut dicunt hæretici, qui per prouectum, non per naturam Christum Deum audent asserere: Deus enim vnctus est, quia ipse factus est homo, nō enim est alter Deus, alter homo, sed idem Deus, idem homo. Qui enim naturalis est filius virginis, idem naturalis est filius Dei, propterea & duas natiuitates credimus Dei verbi, & confitemur, id est, vnam ante sæcula in patre, secundùm diuinitatem, alteram in nouissimis diebus à virgine sancta secundum carnem: execrantes eos qui negant secundum carnem Dei verbi natiuitatem: Qui etiam refugiunt vnius eiusdemque filij Dei fateri mirabilia, & passiones, quod omnis Dei Ecclesia confitetur. Accipimus autem & quatuor Concilia secundùm hunc expositionis nostræ sensum.

Duæ natiuitates verbi Dei.

Nicænum

Nicænum trecentorum & octo Episcoporum, Constantinopolitanum centum & quinquaginta, qui damnauerunt impios pneumatomachos, * nec non etiam Ephesinum primum, cui præfuerunt beatissimi Cælestinus Romanus, & Cyrillus Alexandrinus Antistites; & sanctum, ac venerabile, quod apud Chalcedonam celebratũ est. Epistolas quoque beati Leonis amplectimur, anathematizantes vniuersos contraria dogmatibus Ecclesiæ sentientes, simul & omnia scripta Theodori Mopsuestini, & Nestorij Discipuli eius, omnesque qui illis similia sapiunt cum eodem Nestorio, necnon etiam cuncta scripta 12. capitulis aduersantia beati Cyrilli, quæ contra eundem Nestorium edidit: his adiicientes Eutychem, & Dioscorum cum sociis eorum, omnesque quos iustè, ac regulariter sedes Apostolica condemnauit.

*Id est, Spiritus sancti impugnatores.

CAPVT VI.

Qualis Adã sit creatus.

POst hæc consequens est etiam, qualiter de Christi *gratia* sentiamus, *qua nos eruit de potestate Sathanæ*, secundum quod nobis est traditum vestræ beatitudini declarare: quia etiam in hac parte authoritas vestra nobis valde est necessaria. Credimus itaque bonum, & sine vlla carnis impugnatione à Deo creatore omnium factum Adam, magnaque præditum libertate, ita vt & bonum facere in propria facultate haberet, & malum si vellet, posset admittere. Eratque mors, & immortalitas in eius posita quodãmodo arbitrij libertate. Capax enim erat vtriusque rei, vt si seruaret præceptum, sine experientia mortis fieret immortalis: si verò contemneret, mors continuo sequeretur. Itaque serpẽtis astutia deprauatus, sponte diuinæ legis præuaricator effectus est, & ideò secundùm id quod ei prædictum fuerat, iusto iudicio Dei mortis pœna damnatur, totusque, id est, secundùm corpus, & secundùm animam in deterius commutatus, amissa libertate propria, sub peccati seruitio mancipatur. Ex hoc nullus est hominum, qui nõ huius peccati vinculo nascatur astrictus, præter eum qui ad hoc vinculum peccati soluendum, nouo generationis modo natus est, *mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus*. Quid enim aliud potuit, aut potest nasci ex seruo, nisi seruus? neque enim cum esset liber Adam, filios procreauit, sed postquam seruus peccati factus est. Ideò sicut omnis ab illo est, ita & omnis homo seruus peccati per ipsum est. Hinc & Apostolus, *ex vno* (inquit) *in omnes homines in condemnationem*. Et rursus, *per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundũ, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt*. Falluntur ergo omni modo qui dicunt mortem solam, & non peccatum transiisse in genus humanum: cum Apostolus, & peccatum, & mortem mundo per eum testetur illatam. Ab hac igitur dãnatione, & morte nullus omnino liberatur, nisi gratia redemptoris: qui *cum esset Dominus*, vtpote *Deus*, *vt nos à seruitute perpetua & potestate diaboli liberaret, atque ad veram libertatem educeret, factus est seruus, accipiens formam serui*. Hinc est, quod dicit ad Iudæos: *Tunc verè liberi eritis, si vos filius liberauerit*. Putabant enim se verè liberos, qui humanis occupationibus intentione vanissima seruiebãt. Vt ergo falsa libertas fieret Christiana libertas, eadem libertas liberatore indiguit, quo posset per eius gratiam ab occupationibus humanis auersa, ea cogitare & desiderare, quæ pertinẽt ad vitam æternam. Sine hac igitur gratia potest quidem cogitare & desiderare humana, non autem potest cogitare, aut velle, seu desiderare diuina, quorum primum est & præcipuum fundamentum, & crepido quodammodo, siue omnium bonorum origo, credere in *Dominum gloriæ crucifixum*. Quod vtique non est ex naturalis arbitrij libertate. *Quia non hoc caro, & sanguis, sed pater cœlestis reuelat cui voluerit*, ad veram eum attrahens libertatem, non violenta necessitate, sed infundendo suauitatem per spiritum sanctum, vt mox credentes dicamus: *quia Dominus est Iesus*, quod nemo per naturalem arbitrij libertatem potest dicere, nisi in spiritu sancto. Frustra ergo garriunt qui dicunt: *meum est velle credere, Dei autem gratia est adiuuare*, cum etiam ipsum credere quod est consensum præbere veritati, nobis à Deo dari testetur Apostolus dicens: *Vobis enim datum est à Christo, non solum, vt in eum credatis, verùm etiam vt pro illo patiamini*.

Per peccatũ totus homo factus est deterior.

Rom. 5.

Ioan. 8.

Sine gratia non nisi humana cogitantur.

Quid sit credere. Philip. 1.

CAPVT VII.

Obiectio.

SEd dicunt, si nolentes Deus facit vt velint credere, nullus autem est qui naturaliter, vt dicitis, potest credere in filio Dei, aut aliquid boni velle, quod pertinet ad vitam æternam, cur ergo non facit omnes velle, *cum non sit personarum acceptio apud Deum*, præsertim cum de ipso scriptum sit: *Qui vult homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Aut enim vult, & non potest, aut mentitur scriptura diuina. Quod si horum quodlibet sentire est impium, restat, vt non ille excitet voluntatem humanam, sed eam expectet ab homine, vt æquum sit in volentibus præmium, in nolentibus autem iusta damnatio. Hæc si ita sunt, vt Hæretici iactitant, comprehensa sunt ab ipsis inscrutabilia, & incomprehensibilia Dei iudicia: si enim, vt ipsi volunt, nolentes damnat, saluat autem volentes, nihil est omnino quod quæratur vlterius. Et quantum ad ipsos fallit Scriptura diuina, *quæ incomprehensibilia Dei testatur iudicia*. Nos autem incomprehensibilia credentes, & demonstrantes iudicia Dei, ex vna massa perditionis alios saluari dicimus bonitate & gratia Dei, alios iustos occulto iudicio derelinqui, alioquin dicant si possunt hi qui hoc diuinæ iustitiæ, & bonitati contrarium æstimant, *cur is qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, tam multas virtutes fecit in Corozaim, & Bethsaida, & nullam harum in Tyro, & Sidone facere voluit, *vbi si facta fuissent* (sicut ipse testatur) *forsitan in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent*: Aut cur in Asia & Bethania Apostolum vetuit verbum salutis annunciare? Quod si ista nequeunt comprehendi, redeant ad se, & inuenientes se homines, desinant quærere cur alios saluet gratuito dono, alios derelinquat iusto, & occulto iudicio? *qui potestatem habet ex eadem massa aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam*, & clament vnà nobiscum, imò iuxta Apostolum: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit ei, & retribuetur illi, quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen*. Manifestè ergo non nobis, sed Apostolis omnino resistit, qui dicit: *Nisi ego prius voluero, gratia ad me non venit*. Quod omnino nihil aliud est dicere, nisi prius dare Deo, vt retribuatur illi.

1. Tim. 2.

Solutio.

Rom. 11.

CAPVT VIII.

SEd nos sequentes eundem Apostolum omnem bonarum cogitationum originem, earumque confessionem, & voluntatem ex Deo, & per Deum, &

& in Deo dicimus, qui prauas hominum voluntates, & terrenis actibus implicitas, per infusionem, & operationem intrinsecus sancti Spiritus absoluit, & corrigit, sicut scriptum est: *præparatur voluntas à Domino.* Hoc etiam Beatus Basilius Cæsareensis ad

Basilius.

Episcopum in oratione sacri altaris, quam penè vniuersus frequentat Oriens: inter cætera dona (inquit) Domine virtutum, ac iuuamentum, malos quæsumus bonos facito, bonos in bonitate conserua, omnia enim potes, & non est qui contradicat tibi, cum enim volueris saluas, & nullus resistit voluntati tuæ. Ecce quam breuiter, quamque districtè doctor egregius olim huic controuersiæ finem posuit, docens per hanc precem, non à seipsis, sed à Deo malos homines bonos fieri, nec sua virtute, sed diuinæ gratiæ adiutorio in ipsa bonitate perseuerare. Similiter Beatus Innocentius Apostolicæ sedis

Vide in capitulis Cælest. cap. 8.

Antistes in Epistola ad Concilium Mileuitanum: omnia, inquit, studia, & omnia opera ac merita sanctorum, ad Dei gloriam laudémque referenda sunt, quia nemo aliunde placet, nisi ex eo quod ipse donauerit. Quod diligentius, manifestiusque in epistola sua ad Papam Romanum replicantes, ipsius Papæ sententiam explicant Africana Concilia dicentes. Illud autem quod in literis, quas ad vniuersas Prouincias curasti esse mittendas, posuisti, dicens: nos tamen instinctu Dei (omnia enim bona ad authorem suum referenda sunt, vnde nascuntur) ad fratrum, & coëpiscoporum nostrorum conscientiam vniuersa retulimus: sic accipimus dictum, vt illos qui contra Dei adiutorium extollunt arbitrij libertatem, districto gladio veritatis, velut cursim transiens amputares. Quid enim tam libero fecisti arbitrio, quam quod vniuersa in humilitatis nostræ conscientiam retulisti? & tamen instinctu Dei factum fideliter sapientérque vidisti, veraciter, fidenterque dixisti, ideò vtique quia præparatur voluntas à Domino, & vt boni aliquid agant paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum:

Rom. 8.

Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei, vt nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus, magis illius præuenire non dubitemus gratiam, quod ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, vt sancta cogitatio pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. His congruè beatissimus

Cælest, c. 11.

Cælestinus in epistola ad Gallos data: cum enim, inquit, sanctarum plebium præsules mandata sibi legatione fungantur apud diuinam clementiam, humani generis agunt causam, & tota secum Ecclesia congemiscente postulant, & precantur, vt infidelibus donetur fides, vt idololatræ ab infidelitatis suæ liberentur erroribus, vt Iudæis ablato cordis velamine, lux veritatis appareat, vt hæretici Catholicæ fidei perceptione resipiscant, vt Schismatici spiritum rediuiuæ charitatis accipiant, vt lapsis pœnitentiæ remedia conferantur, vt denique catechumenis ad regenerationis Sacramenta perductis, cœlestis misericordiæ aula reseretur. Hæc autem non perfunctoriè, neque inaniter à Domino peti rerum ipsarum monstrat effectus, quandoquidem ex omni errorum genere plurimos dignatur attrahere, *quos eruens de potestate tenebrarum, transfert in regnum filij charitatis suæ, & ex vasis iræ, facit vasa misericordiæ.* Quod à Deo totum diuini operis

Idem c. 12.

esse sentitur, vt hæc efficienti Deo gratiarum semper actio laudisque confessio pro illuminatione talium, vel correctione referatur. Rursus post pauca: His ergo (inquit) Ecclesiasticis regulis ex diuina sumptis authoritate documentis, ita adiuuante Domino Deo confirmatissimis, & omnium bonorum effectuum, atque operum, & omnium studiorū, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur authorem, & non dubitemus ab ipsius gratia omnis hominis merita præueniri, per quem fit vt aliquid boni, & velle incipiamus, & facere, quo vtique auxilio, & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudēti fit prouidum. Terminat autem

Idem c. 13.

idem Magister hanc ipsam epistolam, atque concludit ita, dicens: Quia ad confitendam gratiam Dei, cuius operi, ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundùm prædictas regulas Apostolicæ sedis nos scripta docuerunt, vt prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuerit præfixis esse sententiis contrarium. Hæc sanctissimis non quasi ignorantibus suggerere necessarium æstimauimus, sed ad confutandum eorum amentiam, qui ea vt noua dogmata, & penitus Ecclesiis inaudita refugiunt, huic paruitatis nostræ libello inserere vtile considerauimus. Quorum omnium sanctorum patrum imbuti doctrinis, anathematizamus Pelagium, & Cælestinum, simul etiam Iulianum Edanensem, & qui illis similia sapiunt, præcipuè libros Fausti

Libri Fausti contra prædestinationem.

Galliarum Episcopi, qui de monasterio Lirinensi prouectus est, quos contra prædestinationis sententiam scriptos esse non dubium est. In quibus non solùm contra horum omnium sanctorum patrum, verùm etiam contra ipsius Apostoli contradictionem veniens, *humano labori subiungit gratiæ adiutorium, atque totam omnino Christi euacuans gratiam, antiquos sanctos non ea gratia qua nos,* secundùm quod docet beatissimus Petrus Apostolus, *sed naturæ possibilitate saluatos impiè profitetur.* Petrus misericordia Dei Diaconus subscripsit, Ioannes misericordia Dei Monachus subscripsit, Leontius misericordia Dei Monachus subscripsit, Ioannes Lector misericordia Dei subscripsit.

DIVI FVLGENTII Ruspensis Episcopi,

De Incarnatione & gratia Domini Iesu Christi, ad Petrum Diaconum, & alios qui ex Oriente in causa fidei Romam missi sunt;

LIBER VNVS.

CAPVT I.



DILECTISSIMIS & in Christi fide atque gratia plurimùm amplectendis sanctis fratribus, Petro Diacono, Ioanni Leontio, & alij Ioanni, cæterisque fratribus quos vna vobiscum in causa fidei directos Romæ litteris intimastis, Dacianus, Fortunatus, Boëchos, Victor, Scholasticus, Horontius, Vindicianus, Victor, Ianuarius, Victorianus, Fotinus, Quodvultdeus, Fulgentius, Felix, & Ianuarius in Domino salutem. Beatus frater noster Ioannes Diaconus à vestra societate directus, litteras nobis quas misistis habuit, quibus recensitis vestram simul alacres, & fidem cognouimus, & salutem: imo in agnitione fidei vestra nobis salus innotuit. Quæ enim vera in hac vita salus est hominum, nisi recta in Deum fides, quæ per charitatem operatur, per quam nos gratia diuina saluatos Apostolica testatur authoritas, dicens: *Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis extollatur.* Ephes. 2. Et quia charitas rectæ fidei debet iugiter adhærere, quæ studio, atque efficacia bonorum operum cooperit multitudinem peccatorum, ideò Doctor gentium in fide, & veritate, ne quid sibi humani timoris auderet arrogantia vendicare, post commendationem fidei, per quam gratis salui facti sumus, operum quoque bonorum gratiam, muneribus diuinæ benignitatis assignans subsequenter adiunxit: *ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Ephes. 2. In eis nos Deo dirigente ambulare, ipso rerum gaudemus effectu, *sollicitudine*, quippe, *non pigri, & Spiritu feruentes, quo deuotione laudabiliore Domino seruitis*, Rom. 12. eo *charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta* nos instigat pro fidei communione plenius agnoscenda vestri exilij secreta perquirere. *Quia*, igitur, *sermo Dei non est alligatus, qui viuus est & efficax*, 2. Tim. 2. idcirco nos quoque ea quæ de Incarnatione, ac dispensatione Domini nostri Iesu Christi, & de gratia (quæ gratis indignis ita tribuitur, vt ipsa in nobis, & exordium, & profectum bonæ voluntatis operetur) canonicorum sancta authoritate voluminum, paternorum quoque dictorum doctrina, atque institutione percipimus, & tenemus vestræ charitati rescripto indice demonstrauimus, confidentes in Domino, à quo & fides infunditur, *vt corde credamus ad iustitiam*, & sermo datur, *vt ore confiteamur ad salutem*, quod nostrum pariter, & sensum gubernauit, & stylum, vt vestræ interrogationis talis reddatur nostra responsio, in qua & de Incarnatione Domini ea dicamus quæ nostræ redemptionis continet veritas; & de gratia Dei ea loquamur, quæ nobis ipsa gratis infudit superna maiestas.

CAPVT II.

DIcitis itaque vos iuxta sanctorum patrum traditionem, Dominum nostrum Iesum Christum in duabus naturis vnitis, & inconfusis, id est, diuinitatis, & humanitatis in vna persona siue subsistentia confiteri. Vnde consequenter beatam quoque Mariam propriè, & secundùm veritatem vos credere asseritis genitricem Dei: eo quod scilicet peperit verè & propriè Deum verbum incarnatum & hominem factum, atque essentialiter, siue naturaliter carni vnitum. Hæc ex epistolæ vestræ tenore posuisse sufficiat: ex his enim pendent cætera, quæ de Incarnationis Domini sermonis vestri professione comprehendit. Si quis igitur in Domino nostro Iesu Christo, aut duas naturas, aut vnam noluerit, siue dubitauerit credere, ac prædicare personam: vel si quis noluerit confiteri eundem Deum, atque hominem, id est, verbum incarnatum, de Maria virgine pro nostra salute veraciter natum, tantum à Catholica fide deprehenditur, ac demonstratur extraneus, quantum Sacramento redemptionis humanæ resistit ingratus. *Hoc enim est illud magnum pietatis commendatum fidelibus cunctis ore Apostolico Sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo: assumptus est in gloria*, 1. Tim. 3. quia scilicet, *verbum, quod in principio, & apud Deum erat, & Deus verbum erat*, id est, Dei vnigenitus filius, Deique virtus, & sapientia, *per quem, & in quo facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil*, id est, *Deus ingenitus, cùm in forma Dei esset*, id est, cum æqualis per omnia genitori vnitatem cum eo naturalis essentiæ possideret, & in ea natura quam sempiternus habet ex patre, hoc quod naturaliter pater est, id est, Deus verus, summus, incommutabilisque esset, neque alter à patre Deus, sed manente personali discretione, vnus naturaliter cum patre Deus esset, nec minor scilicet, nec posterior patre, nec diuersæ potestatis, nec alterius essentiæ (*non enim rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*) *tamen semetipsum exinaniuit formam serui accipiens*, id est, in similitudine hominum factus, idem *habitu inuentus vt homo*, in quo nulla potuit esse rapinæ arbitratio, quia de substantia patris ineffabili ac sempiterna natiuitate genita, Philip. 2. naturalis æqualitatis in eo permanet plenitudo. *Semetipsum igitur exinaniuit formam serui accipiens.* In eo quippe Deus homo esse naturaliter voluit, & Dominus omnium rerum seruilem naturam sine amissione propriæ dominationis assumpsit, in quo serui formam misericorditer exinanitus accepit,

pit. Quam bene autem sanctus Apostolus noui testamenti, sicut ipse testatur, *factus à Deo minus peridoneus*, ne quisquam nostrum exinanitum Dei filium audiens, amissam vel diminutam æqualitatem paternæ formæ in Deo vnigenito noxia cogitatione conciperet, & obliquos sequens serpentinæ deceptionis anfractus, rectæ fidei tramitem non teneret, illa exinanitione submotis reseruauit ambagibus, quando subsequenter adiecit, *formam serui accipiens*. Illa igitur exinanitione vnigeniti Dei, acceptio fuit formæ seruilis, non amissio vel diminutio deitatis: diuina quippe natura nec minui potest aliquatenus nec augeri, quia incommutabilis manens hoc habet
2.Cor.8. semper esse quod est. Nam si Deus ille verus & summus, *qui propter nos egenus factus est, cum esset diues, vt illius paupertate nos diuites essemus*, plenitudinem suam, quod nefas est, exinanitus amitteret, aut aliquid mutabilitatis in illa formæ seruilis acceptione sentiret, non dixisset beatus Ioannes Euan-
Ioan.1. gelista de verbo incarnato. *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis. Verbum* itaque *caro factum*, in veritate humana caro esse cœpit, sed in veritate diuina verbum esse non destitit. Et susceptionis ac redemptionis humanæ mysterium ideo efficaciter peregit redemptoris admiranda benignitas, quia nec mutabilitatis, nec diminutionis vnquam receptrix esse potuit diuina maiestas. Verbum igitur Dei, idémque verbum Deus, humanam carnem de carne matris accipiens, sic vtique formam serui accepit, vt permanens in forma Dei æternus, atque incommutabilis Deus per vnitatem personæ, in qua formam serui accepit, fieri dignaretur ipse quod fecit. *In similitudinem quippe hominum factus, habitu inuentus vt homo*, & incommutabilem habens de natura patris per omnia deitatem, creari dignatus est non creatus, & fieri voluit ex muliere non factus à patre, sed genitus: atque ita, *verbum caro factum est, vt esset vnus mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*, vnus & verus, Dei atque hominis filius, vnus idémque de patre sine initio Deus semper genitus, de matre verò Deus secundum carnem temporaliter conceptus & natus. Quam carnem non conceptam accepit vnigenitus Deus, sed in ea est Deus ipse altissima humilitate conceptus. Idem quippe Deus creatus est in virgine, & de virgine secundum carnem, qui sibi de qua crearetur, creauerat genitricem.

Verbum carnem conceptam non accepit.

CAPVT III.

SI autem Deus verbum sic in virgine caro fieret, vt ex ea non fieret, proculdubio non de carne matris idem Deus haberet substantiam carnis, essetque eius per virginem transitus, atque ita nec mediatoris sacramentum nobis proficeret ad salutem, nec humanæ diuinæque plenam in se Christus Dei filius inconfusibiliter vniret substantiæ veritatem. Hoc ergo medicinaliter vsa est bonitas remedio, vt ille vnigenitus Deus, qui est in sinu patris, non solum in muliere, sed etiam ex muliere fieret homo. Quod indubitanter diuinis credere atque profiteri iubemur oraculis. In ea quippe Deum hominem factum prophera non tacuit, dicens: *ma-*
Psalm.86. *ter Sion dicet, homo, & homo factus est in ea, & ipse*
Esa.7. *fundauit eam altissimus.* Esaias quoque Spiritu sancto plenus, futuræ incarnationis filij Dei sic prænunciat sacramentum: *Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*, quod interpretatur, nobiscum Deus. Quia ergo ille quem in vtero virgo concepit & peperit, nobiscum Deus vocatur, Deus vtique in vtero virginis conceptus, natúsque cognoscitur. In Euangelio quoque dicitur de Maria: *Inuenta est in vtero habens* Matth.1.
de Spiritu sancto. Etiam Ioseph, quem virum Maria non ad concubitum corruptelamque carnis, sed ad testimonium custodiamque sacræ virginitatis & castissimæ fœcunditatis habuit, angelico sic admonetur oraculo: *Ioseph fili Dauid, ne timeas accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Ex ipsa quoque factus cœlestibus demonstratur eloquiis, dicit enim Apostolus: *Postquam autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* Romanis etiam scribens, vt verum firmúmque ponere se demonstraret fundamentum fidei, epistolæ suæ tale collocauit exordium: *Paulus seruus Iesu Christi,* Rom.1.
vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos, in scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ex semine Dauid secundum carnem. Timotheo quoque dilecto filio, 2.Tim.2.
in fide principaliter huius fidei sollicita commendat affectione memoriam dicens: *Memor esto Christum Iesum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid secundum Euangelium meum.* Ad ipsam quoque beatam virginem futuram, scilicet creatoris sui, imo omnium rerum genitricem, Gabriel Angelus hoc vsus inuenitur eloquio: *Spiritus sanctus superueniet* Luc.1.
in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideo quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Ad hoc Genes.24.
pertinet salutis nostræ mysterium, quod pater noster Abraham dispensatorem domus suæ præcepit sub eius femore manum ponere, & iurare per Deum cœli. Quod non nisi spiritu fecisse credendus est, tunc scilicet quando omnia in figura contigisse vas electionis insinuat. Illud igitur ideò sanctus Abra- Cor.1.
ham pater gentium fecit, non quod carni suæ credebat aliquod iam esse cum Deo cœli naturale consortium, sed vt ostenderet Deum cœli ex ea carne nasciturum hominem, quæ de semine ipsius Abrahæ propaginis duceret veritatem. Vnus est igitur Christus Dei filius in natura diuinitatis & carnis, in quo singularitas personalis non confundit humanam diuinámque naturam, & inconfusa vnitio naturarum non facit geminam inesse personam: veritas enim propterea nostræ reconciliationis permanet & salutis, quia & Deus vnigenitus verus homo pro nobis est factus, & idem homo non alius conceptus & natus est, quàm vnigenitus Deus. Beata igitur Maria Deum verbum, secundum quod caro factum est, & concepit & peperit: cuius vtero verbum Deus non carnem, in qua conciperetur, intulit, nec ex ea materiam conceptæ, siue formatæ carnis non ipse Deus concipiendus, sed tantum nasciturus assumpsit: sed ex ea & in eadem virgine humanæ carnis naturam, secundum quam temporaliter Deus sempiternus conciperetur & nasceretur, accepit. Ipsa quippe acceptio carnis, fuit conceptio virginalis: neque enim in vtero sanctæ illius & matris & virginis, illa spiritualis & ex Deo patre sine initio genita verbi Dei natura poterat absque carne temporaliter concipi, sicut nec caro sine verbi Dei vnitione potuit aliquatenus nullius viri coitu seminata in intimo vuluæ virginalis innasci. Hanc ergo carnem tunc ex se natura virginis concipientis exhibuit, cum in eam Deus concipiendus aduenit. Non est igitur aliquod interuallum temporis æstimandum inter conceptæ carnis initium, & concipiendæ maiestatis aduentum. Vna quippe fuit in vtero Mariæ Virginis conceptio diuinitatis & carnis, & vnus est Christus Dei Filius in vtraque natura conceptus, vt maculam vitiatæ propaginis inde inciperet abolere, vnde in vnoquoque nascentium videbatur existere.

Verbum factum est ex virgine.

CAPVT IV.

NAm quia omnes homines ex coitu maris fœminæque nascentes, ipsius conceptionis exordium originalis peccati habent contagione respersum, quia peccatum quod primus homo cum esset natura bonus, diabolica malignitate seductus admisit, in posteros quoque cum pœna ac cum morte transiuit. Quod in veritate sanctus Dauid enuntiat, dicens: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea*: necessarium vtique admodum fuit, vt misericors Dominus & iustus, iniquitatis humanæ vestigia deleturus, in ipso conceptu sibi humanam naturam dignaretur immaculatam immaculatus vnire, vbi eam consueuerat per inflictam peccati originalis maculam suæ parti dominioque diabolus vendicare. Naturæ igitur humanæ, cuius veritatem plenitudinémque Deus vnigenitus assumere voluit, conceptum quoque eius, natiuitatémque suscepit. Absit enim, vt quisquam Catholicus credat aut dicat, quod vnigenitus Deus suo nos sanguine redempturus, in ea carne, qua idem Deus factus est homo, respuerit humanæ conceptionis initia, cum in eadem carne Deus ipse immortalis permanens humanæ mortalitatis fuisset passurus extrema. Sicut enim carne moriens incommutabilem atque inamissibilem naturalem sui statum Deus verus viuusque non perdidit, sic idem Deus vniuersus naturaliter & æternus cùm parua carne conciperetur, vniuersitate naturali non caruit. Et cum temporaliter carne nasceretur, æternitatem naturalem, in qua de patre, atque in patre sempiternus Deus est, non amisit, quia vita illa suum voluit esse quem in carne suscepit obitum, & æternitas illa suum habuit in matre conceptum. Verbum igitur Deus, id est, vnigenitus Dei filius, qui est in omnibus (sicut ipse testatur, *alpha & Ω, initium & finis*, sic initialiter secundum humanam naturam concipi carne non abnuit, sicut eadem carne moriens, Deus humanæ naturæ debitum finale persoluit. Nullatenus namque humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi vnione verbi Dei, non naturali confusione, sed solum personali vnitate transiret: verbum quippe cum caro fieret, vnitione mirabili suam naturam fecit, quam ex nobis accepit, in qua tamen vnitione deifica, & omnino mirabili verbi diuinitas mutata non est in carnem, veraque verbi humanitas naturalem prorsus tenuit nostri generis veritatem. Virgo igitur quod sæpe commemorandum, ipsum Deum verbum, secundum hoc quod in ea caro factum est, & concepit & peperit, & illum vnigenitum Deum, virtutem scilicet & sapientiam Dei, candorem lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imaginem bonitatis illius, splendorem gloriæ, & figuram substantiæ eius, quem sine vllo initio de sua natura sempiternum atque incommutabilem genuit incommutabilis ac sempiterna diuinitas patris, eundum humana natura totum plenúmque Deum & hominem initialiter concepit, & peperit vterus virginalis.

Psalm. 50.

Apoc. 1.

CAPVT V.

CVm autem Dominum Christum Deum hominémque dicimus, non personalem dualitatem, sed vtriusque naturæ vnitionem verissimam sine vlla facta confusione monstramus. Idem quippe Deus qui homo, idem homo, qui Deus est, quia sic Deo verbo mirabiliter vnita est humana natura, vt ipse verus Deus, verus homo fieret, alteram verò personam incarnati verbi vera humanitas non haberet. Accessit enim Deo humana substantia, non persona. Deus itaque cum sua carne vnus est Christus, filius Dei & filius hominis, idem verbum simul & caro, imo idem verbum caro, quia idem Deus homo.

CAPVT VI.

NOn autem sic Deus verbum carnem accepit, vt caro non fieret, cùm Euangelista dicat: *Verbum caro factum est*. Neque naturam carnis ita Deus summus atque vniuersus assumpsit, vt tanquam in vno de Patriarchis aut Prophetis, in illo quidem homine Deus esset, sed idem Deus homo non esset. Absit, vt hoc Christiana conscientia teneat, aut se quisquam fidelium prophanari tanta impietate permittat. Cum enim *verbum caro factum est*, sic diuinitas humanitatem sibi mirabiliter vnire dignata est, vt vtriusque naturæ veritate seruata, in vno eodémque Deo atque homine Christo pro vita mundi diuina fieret illa eius humanitas. *Deus enim non continens in ira misericordias suas*, ad hoc homo factus est, vt quidquid in homine creauerat integrum, idem Deus in se totum redintegraret assumptum. Hoc itaque habuit, Dei hominisque mirabilis quidem, sed verus ille secundum carnem conceptus & partus, quo Deum cœli virgo ineffabiliter concepit & peperit, & virgo genitrix inuiolata permansit, *illa*, scilicet, *gratia plena, & beata in mulieribus* veraciter ab Angelo nuncupata, quod gratiæ præuenientis ope atque opere Spiritus sancti superueniente in se, & virtute Altissimi obumbrante sibi, Deum Dei filium conceptura viri coitum nec pertulit omnino, nec voluit, sed virginitatem retiners & mentis & corporis, ab eo quem conceptura & paritura fuerat, donum incorruptæ fœcunditatis & fœcundæ integritatis accepit. Ita Deum verbum secundum quod caro factum est, virgo sancta concepit, Angelorum hominúmque factorem, eundémque nihilominus virgo peperit hominum redemptorem. Neque enim sancta Virgo Maria Deum sine carnis assumptione, nec carnem sine vnitione concepit, quia ille conceptus virginis Deo fuit, carnique communis. Hæc est gratia qua factum est, vt Deus qui venit peccata tollere, quia peccatum in eo non est, homo conciperetur, atque nasceretur in similitudine carnis peccati, de carne peccati. Caro quippe Mariæ, quæ in iniquitatibus fuerat humana solemnitate concepta, caro fuit vtique peccati, quæ filium Dei genuit in similitudinem carnis peccati. Testatur enim Apostolus: *Quia misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati*, illum scilicet, *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, & semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudine hominum factus*, propterea verò in similitudine carnis peccati missus est Dei filius, idem qui in similitudine hominum factus, vt & similis hominibus fieret, in veritate carnis quam ipse creauerat, & dissimilitudinem nostram Deus in carne sine peccato creatus auferret, quam nostræ carni non ex opere suo, sed ex nostro peccato inesse cernebat. In similitudine igitur carnis peccati Dei filius missus apparuit, quæ in eius vera humana carne non iniquitas hominis, sed mortalitas fuit. Similitudo verò carnis peccati cum in Dei filio, vel potius Dei filius in similitudine carnis peccati cum dicitur, credendum est vnigenitum Deum de Virginis

Ioan. 1.

Psalm.

Rom. 8.

Philip. 2.

ginis carne mortalis non traxisse peccati sordem, sed accepisse naturæ integram veritatem, vt veritatis ortus de terra existeret, quem prophetali sermone B. Dauid insinuat, dicens: *Veritas de terra orta est.* Verè igitur Deum verbum Maria concepit, quod incarnatum peperit, quam Deus accepit.

CAPVT VII.

Sed ipsum Deum hominem factum & concipere & parere, non humanis meritis, sed concepti nascentísque ex ea summi Dei dignatione promeruit. Nisi enim verbum Deus humanam sibi vniens singulariter naturam, ex virgine homo verus nascéretur, & plenus, nunquam nobis carnaliter natis, spiritualiter nascendi conferretur exortus: sed vt carnaliter donaretur diuina natiuitas, concepta & nata est in veritate carnis vnigeniti filij diuina maiestas. *Longè enim fuit à peccatoribus salus: & iniquitates nostræ magna nos à Deo separatione disiunxerant.* Psal. 118. Esai 59. Et quia in ipsa natiuitate carnis nostræ, mortis vinculo tenebamur obstricti, à quo solius beneficio spiritualis natiuitatis possemus absolui, Deus natus est ex homine, vt ex Deo homines nascerentur. Ideò namque Christus filius Dei, id est verus Deus & vita æterna, natus & mortuus est in veritate carnis, vt nos spiritualiter in vno Trinitatis nomine renasceremur in Sacramento baptismatis. Hoc docet Apostolus, dicens: *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Rom. 8. Christi ergo filij Dei prima natiuitas ex Deo, secunda ex homine: nostra verò prima natiuitas ex homine, secunda ex Deo. Et quia Deus nasciturus ex vtero veritatem carnis accepit, ideo nobis renatis in baptismo, spiritum adoptionis indulsit. Ille quod ex prima natiuitate naturæ non fuit, secunda natiuitate per gratiam factus est, vt nos quod primæ natiuitatis non fuimus, gratia secundæ natiuitatis essemus. Sed Deus vt ex homine nasceretur, gratiam nobis attulit, nos autem gratiam gratis accipimus, vt diuinæ consortes naturæ, Dei ex carne nascentis munere fieremus. Quia ergo filius Dei factus filius hominis, propterea, *quotquot receperunt eum* (sicut beatus Ioannes Euangelista testatur,) *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Ioan. 1. Si verò vnigenitus filius, qui est in sinu patris, post æternam natiuitatem, quam ex æterno patre filius coæternus habet, secundam natiuitatem sanctificandi hominis gratia non susciperet, homo in iniquitatibus conceptus, primæ natiuitatis nexibus non careret. Sed quia secundum beati Ioannis eloquium *in hoc apparuit filius Dei, vt soluat opera diaboli*, ille qui in prima natiuitate, qua de patris natura verus Deus est & vita æterna, nullum haberet natiuitatis initium, idem Deus ex virgine temporaliter sumpsit secundæ natiuitatis exordium. 1. Ioan. 3.

CAPVT VIII.

Ille itaque viuus sermo Dei, vitæ suæ statu incommutabiliter permanente, post primam natiuitatem cum patre de quo natus, vna naturaliter vita est, *quia sicut habet pater vitam in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso.* Ioan. 5. Idem ipse Dei filius in natura carnis per gratiam pro mortuis natus est ad mortem, & nos post mortem primæ natiuitatis, quam habemus ex carne, in gratia spiritus renascemur ad vitam. Sed Deus verus & viuus, imo Deus veritas & vita æterna, nisi idem verus homo fieret, mortem gustare non posset. Et idem homo qui mortem gustauit, si verus Deus, & vita æterna non esset, mortem vincere non valeret, excepto illo qui sic homo est, vt idem sit Deus: quis est homo qui destruxerit mortem? aut quis eruet animam suam de manu inferi? Proinde vnigenitus Deus viuus & verus, secundum carnem, quam ex nobis accepit, sicut conceptus & natus est, ita etiam mortuus resurrexit: *Quia veniens quærere & saluum facere quod perierat, traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram:* Rom. 4. Mors autem filij Dei quam sola carne suscepit, vtramque in nobis mortem, animæ scilicet, carnísque destruxit, & resurrectio carnis eius, gratiam nobis & spiritualis & corporalis resurrectionis attribuit, vt prius iustificati per fidem mortis, & resurrectionis filij Dei, resuscitaremur ab infidelitatis morte. *Qua cum naturaliter essemus filij iræ sicut & cæteri*, Ephes. 2. tenebamur obstricti, & post primam resurrectionem, scilicet animarum, quæ nobis in fide collata est, etiam ista carne, in qua viuimus, resurgamus, nunquam denuò morituri. Nec ob aliud Deus verus & vita æterna mortem nostram dignatus est accipere destruendam, nisi vt nobis in eius resurrectione credentibus vitam suam donaret sine fine mansuram. Dominus quoque gloriæ ideo contumeliam sustinuit crucis, vt gloriam suam donaret fidelibus suis, sicut ipse testatus est, dicens: *Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi illis.* Ioan. 17. Verbum igitur caro factum, vnus & plenus est Christus. Carnis autem nomine, totus hic accipiendus est homo, idem anima rationalis & caro: Nomine carnis totus intelligitur. Christus enim Dei filius sicut veram sine peccato accepit carnem nostram, sic veram sine peccato accepit animam suam. Et carnem quidem nostram cum conditione humanæ mortalitatis induit, animam quoque nostram cum infirmitatibus sine macula humanæ infirmitatis accepit, vt diuinitas Christi per suam virtutem in anima sua infirmitates suas portans, sine peccato iustitiam custodiret, & per eam etiam ab ipsa carne sua mortalitatis supplicium, dono resurrectionis auferret. *Ideò Christus surgens à mortuis, iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur.* Rom. 6.

QVÆSTIO IX.

Quia verò familiare est diuinis eloquiis vocabulo carnis simul in homine carnem atque animam nuncupare, sicut scriptum est: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & videbit omnis caro salutare Dei: & sicut dedisti ei potestatem omnis carnis: & nisi breuiati fuissent dies illi, non salua fieret omnis caro.* Ioël 2. Ioël. 1. Ioan 17. Matth. 24. Ex hac vtique consuetudine sic in scripturis sanctis totus homo carnis appellatione dicitur, sicut ibidem rursus homo totus solius animæ nuncupatione monstratur. Abraham namque Patriarcha de terra sua, & de cognatione sua, & de domo patris sui, præcepto atque auxilio Dei vocantis egrediens: (neque enim ille quod Deus iubebat, vllatenus implere posset, nisi eum ille qui præceperat adiuuisset) cum secum homines quos habuit duceret exiturus, animas quas acquisierat * in Carra secum tulisse narratur. Genes. 12. * in Haram. *Iacob quoque in Ægyptum descendente, septuagintaquinque animas in eius comitatu fuisse*, sancta scriptura memorat. Act. 7. Beatus etiam Petrus *octo animas* dicit *diluuij tempore per aquam fuisse saluatas.* 1. Petr. 3. In actibus quoque Apostolorum, cum fuissent Iudæi repentina mirandáque eiusdem beati Petri prædicatione compuncti, & immuta

immutatione dexteræ excelsi ad fidem fuissent ex
Act. 2. infidelitate conuersi, scriptum est: *quia applicata sunt in illa die animæ circiter tria millia.* His itaque testimoniis agnoscimus, & carnis solius, & animæ nomine, plerumque naturæ humanæ plenitudinem nuncupari. Verbum ergo caro factum, vnus & plenus est Christus, vnus ex vtraque atque in vtraque, id est, in humana diuinaque natura, in quo sic vtriusque naturæ prorsus vnitio gloriosa persistit, vt siue diuinitati Christi humanitatem quis demat, siue humanitati diuinitatem detrahat, Christum sacrilega infidelitate, & blasphema prædicatione dissoluat. Ioannes autem Apostolus plenus veritate testatur,
1. Ioan. 4. *quia omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic Antichristus.*

CAPVT X.

Illud verò quis facilè Christianus aut ignoret aut dubitet, quod verbum Deus priusquam caro fieret, non fuit Christus, sed tantum Deus? Tunc autem idem Deus verbum, quod semper in forma Dei erat Christus, esse cœpit, cum Deus semetipsum exinaniens formam serui absque diminutione plenitudinis naturalis accepit. Deus ergo factus est Christus, vt Christus esset Deus, homoque perfectus: quia verbum dignatum est caro fieri, vt caro posset verbi, hoc est Dei nomine nuncupari, neque enim caro Christi priusquam verbo susciperetur eadem caro, Christus fuit, neque ipsa caro, id est, ipse homo in se formam Dei viuentis accepit. Sed Deus qui in forma Dei erat, formam serui ac-
Philip. 2. cepit. Et Deus æqualis patri, *in similitudinem homi-*
2. Cor. 8. *num factus, habitu est inuentus vt homo, & qui diues fuit, propter nos pauper factus est, vt illius paupertate nos ditaremur.* Verbum itaque caro factum vnus est Christus. Sed verbum illud sine carne Deus æternus fuit, caro autem Christi sine verbo non solum Christus aliquando non fuit, sed nec personaliter concepta fuit. Verbum ergo quod caro factum est, antequam caro fieret, mansit æternum, caro autem verbi in ipsum Deum verbum, personale sumpsit initium. Sed quia verbum caro factum vnus Christus est Dei & hominis filius, nec alter est verbum, alter est caro, sed idem vnus verbum caro: propterea idem vnus est, qui initium non habet æternus Deus generatus ex patre, & qui initium habet temporaliter secundum carnem, idem Deus homo creatus ex virgine, vnus vnigenitus Dei filius ex æternitate diuinitatis, & ex initio carnis. Ex æternitate scilicet diuinitatis, creator visibilium inuisibiliúmque rerum: ex initio autem carnis saluum faciens populum suum à peccatis eorum. Ex æternitate diuinitatis idem coæternus patri, de quo natus est semper viuus: Ex initio autem carnis idem posterior matre, de qua temporaliter natus est in tempore moriturus. Te-
Rom. 5. statur enim Apostolus, *Quia Christus secundum tempus pro impiis mortuus est.* Igitur non Trinitas, id est, non simul pater & filius & Spiritus sanctus, nec solus pater, aut solus Spiritus sanctus, id est, non ille qui filium genuit, nec ille qui de patre procedit, sed solus filius, id est ille quem in vnitate naturæ pater coæternum sibi filium & coæqualem genuit, id est, vna ex Trinitate persona Christus Dei filius vnicus, vt nos saluos faceret, carne conceptus & natus est de ventre Virginis matris. Qui verus & summus Deus est ex vtero Dei patris, non Trinitas, sed vnigenitus à patre Christus Dei filius, carne paruulus fuit, & carne creuit. Quem perfectus atque vniuersus pater per vnitatem diuinitatis, æqualem suæ perfectioni atque vniuersitati cognoscitis. Non Trinitas, sed via, veritas & vita, Christus Dei filius per curricula temporum ab infantia vsque ad perfectam iuuentutem, humanas ætates carne misericorditer transcurrit, qui permanens in vnitate paternæ naturæ sempiternus, sæcula mirabiliter fecit, & incommutabilis temporum mutabilitates instituit. Non Trinitas, sed splendor paternæ gloriæ Christus, est pro nobis passus carne, qui de patre Deo solus natus est impassibilis Deus. Ipsum vtique, quod dubitandum non est, Christum filium Dei pro nobis mortem carne gustasse, salua immortalitate diuinitatis eius veraciter credimus, quem verum Dei patris filium, verúmque Deum, & vitam æternam prædicatione veridica sancti Apostoli Ioannis audi- 1. Ioan.
mus. Non Trinitas, sed *verbum caro factum.* Christus Dei filius, eadem carne qua crucifigi, & mori dignatus est, resurrexit, qui de sepulchro eandem carnem suam, vita permanens suscitauit. Christus qui est super omnia Deus, videntibus eum discipulis, carne in cœlum, carne de cœlo venturus ascendit: qui nec deseruit cœlum cum in terra carnem accepit, & carne conscendens in cœlum, suos in terra diuinitate non deserit. Hoc enim promisit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque* Matth.
ad consummationem sæculi: Deus ergo ille qui in forma Dei secundum beati Ieremiæ vaticinium magnus est, & non habet finem, excelsus & vniuersus, de quo etiam paulo post idem propheta dicit: *Hic* Baruch.
est Deus noster, & non æstimatur alius ad eum: adinuenit omnem viam disciplinæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Ipse secundum formam serui, in qua minoratus est paulo minus ab Angelis. Post hæc (sicut idem propheta dicit) in terris visus est, & cum hominibus conuersatus. Ipsum hominem mortalem atque mutabilem infideles viderunt, quem Deum naturaliter immortalem atque incommutabilem, illi mundo corde visuri sunt, qui nunc in eum veraciter credunt. Fides enim vera nunc corda hominum mundat, quæ corda capacia videndo, Deo gloriam futuræ resurrectionis exhibeat.

CAPVT XI.

Quæ est autem vera fides, nisi vnum, eundémque Christum verum Deum, verúmque hominem sine aliqua hæsitatione credere, vnum eundémque de patre Deo secundum diuinitatem, & de Virgine Maria secundum carnem Deum genitum prædicare? Apostolica quippe testatur autho- Rom. 9.
ritas, *quia vnus idémque est Christus ex patribus se-* 2. Cor. 13.
cundum carnem, qui est super omia Deus benedictus in sæcula, vnus, idémque crucifixus ex infirmitate, sed viuens ex virtute Dei. Vnus idémque est faciens in hominibus virtutes, & sustinens pro hominibus passiones, quia cum miracula secundum diuinitatem faceret Christus Dei filius, in eodem Deo fuit passibilis humanitas sua, & cum pateretur secundum carnem idem Christus Dei filius, in eodem homine fuit impassibilis diuinitas sua. Quia igitur in Christo Dei vnigenito filio personam non diuidunt propria naturarum, neque vnitas personæ potest vtriusque naturæ propria confundere, vel auferre, quia ille, qui se esse veritatem naturaliter dicit, vtrumque in se vno manente naturali veritate seruauit: Propterea neque in passionibus ab illa humanitate Christi diuinitatem suam impassibilem seiungimus, neque ab illa diuinitate humanitatem suam vllatenus separandam in virtutibus æstimamus. Neque ergo diuidimus, neque confundimus
in

in virtutibus & passionibus Christum, quem filium Dei viui reuelante patre B. Petrus confessus est, cum se tamen filium hominis veraciter Christus ipse dixisset. Ideo verum Christum in passionibus atque virtutibus nec confundit fides vera, nec diuidit, quia personalis vnitas in eo diuisionem non recipit, & vtriusque naturæ veritas inconfusa persistit. Traditus est enim Deus Christus propter delicta nostra, quia verus homo est, & resurrexit idem homo Christus propter iustificationem nostram, quia Deus verus est. Nisi enim idem homo verus esset, tradi, morique non posset. Et idem verus homo, si verus Deus non esset, resuscitare semetipsum solutis inferni doloribus nequiuisset. Sed quia non est alter Deus, alter homo, sed idem vnus est Christus Deus & homo, profecto idem Deus Christus est, qui mortem sua carne suscepit, & idem homo Christus est, qui mortem sua diuinitate destruxit. Idem quippe Christus Dei filius, qui diuinitate mori non potuit, carne mortuus est, quam mortalem Deus immortalis accepit. Et idem Christus Dei filius carne mortuus resurrexit, quia immortalitatem suæ diuinitatis carne mortuus non amisit. Hinc est quod etiam post resurrectionem suam sicut in cicatricibus veris, & in vera comestione piscis & mellis soliditatem in se veræ carnis edocuit, ita clausis foribus ingrediens, veram in se virtutem sempiternæ diuinitatis ostendit, vt agnosceretur & naturalis fuisse Christi morientis infirmitas, & eidem resurgenti naturalis inesse maiestas. Inde Thomas dum iniecta manu iubetur in latere mortui ac resurgentis Christi veritatem vulneris experiri, veram in illis cicatricibus patientis ac resurgentis virtutem diuinitatis agnoscens, in quo iubetur vt clauorum loca digitis tangat, ipsum Dominum ac Deum suum fideli confessione pronunciat dicens: *Dominus meus & Deus meus.* Agnouit enim (Ioan.20.) non alterum per naturalem diuinitatis suæ virtutem resurrexisse carne sua, nisi eum qui de natura Dei Patris Deus verus est, & vita æterna. Huius fidei nobis intimans veritatem ipse humani generis conditor & redemptor, opifex, & nostræ particeps naturæ, postquam veram in se carnem cicatricibus veris, verámque diuinitatem virtute resurrectionis ostendit, vt vnum eundémque se Deum, & hominem credendum prædicandúmque monstraret, simul in se diuinam humanámque naturam vnius filij nomine nuncupauit dicens Apostolis: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti.* (Matt.28.) Doctor igitur & largitor æternæ salutis, hanc ideo formam sancti baptismatis dedit, ne quis in eodem Dei filio naturas diuidens, mortifero illaquearetur errore, si aut humanam filij Dei naturam ab opere redemptionis humanæ alienam in sacramento baptismatis crederet, aut duas in Christo confitendo personas, non iam verax Trinitatis cultor, sed nefarius esset quaternitatis assertor, ac per hoc cum Patre & Spiritu sancto non filium, sed filios coleret, quisquis in Christo vnius personæ repudiandam fidem aliquatenus æstimaret: cum idem sit vnus filius in Trinitate cum Patre & cum Spiritu sancto Christus Iesus, qui mundum creauit, & pro nobis sanguinem fudit. Propterea omnis qui in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti, sacramento sanctæ regenerationis abluitur, non nisi in Christi morte ac nomine baptizatur, vt euidenter appareat illi nos consepultos esse per baptismum in morte, in cuius vno cum Patris & Spiritus sancti constat nomine baptizatos. Quod duorum magnorum luminarium, Petri scilicet Paulíque verbis tanquam splendentibus radiis illustrata, eorúmque decorata corporibus Romana (quæ mundi cacumen est) tenet & docet Ecclesia, totúsque cum ea Christianus orbis, & ad iustitiam nihil hæsitans credit, & ad salutem non dubitat confiteri: Nam beati Petri Iudæis filium Dei prædicantis hæc verba sunt: *pœnitentiam agite & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum.* (Romana Ecclesia mundi cacumen.) (Act.2.) Beatus quoque Paulus, vt in morte nos Christi baptizatos firmissimè crederemus, in ea quam Romanis scribit Epistola, hoc salutis nostræ mysterium, tanquam in eminentissima cunctis videndum specula collocauit, dicens: *Quicumque in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte.* (Rom.6.) Quisquis igitur duas asserere nititur in Christo personas, & tamen secundum regulam ore atque imperio Domini constitutam, in vno se Patris & Filij & Spiritus sancti baptizatum nomine confitetur, aut euidentissima blasphemia se in morte Christi baptizatum neget, vt inimicus Apostolicæ prædicationis appareat: aut cultorem se non Trinitatis, sed quaternitatis agnoscat. Si verò vtriusque meruit impietatis abruptum, rectam Catholicæ fidei teneat toto corde sententiam, nec se dubitet in Christi baptizatum morte, in cuius baptizatus est nomine. Vnum quoque Patris & Filij & Spiritus sancti naturale nomen agnoscens, séque in illius morte, ac nomine baptizatum esse considerans, de cuius latere sacramentum fontis & calicis manauit pendentis in cruce: illum pro nobis crucifixum agnoscat, quem Dei virtutem, Deique sapientiam Paulus & credit & prædicat, dicens: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* (1.Cor.1.) Hoc est magnum pietatis sacramentum, quo scilicet vnigenitus Deus verus, homo verus dignatus est fieri, & æternus temporaliter nasci, & impassibilis pati, & incomprehensibilis crucifigi, & immortalis mori, & immensus non solum præsepis cum nasceretur, verum etiam sepulchri cum moreretur, paruitate concludi. Quæ omnia secundum veritatem carnis vera sunt in Dei filio, quia manente in eo inconfusibiliter atque inseparabiliter humana diuináque natura, vna est filij Dei Iesu Christi in vtriusque naturæ veritate persona.

CAPVT XII.

Sic humano generi gratuitam gratiam diuina bonitas contulit, per quam in hominibus non solum propaginis obligatione contracta, & vitio propriæ voluntatis addicta deleretur omnis iniquitas, quin etiam cogitationis sanctæ amissa pridem in homine primo per hominem secundum reciperetur facultas, ac sic homine Deo in carne pro hominibus mortuo ac resurgente, captiuaretur, quæ in nostro corpore regnante peccato, consueuerat dominari captiuitas, *& vbi abundauit peccatum delinquentis hominis, superabundaret gratia redemptoris*, (Rom.5.) atque ita hominis arbitrium, quod sub ditione peccati malè liberum fuit, veræ salubrísque libertatis reciperet denuo statum præuenientis gratiæ munere liberatum, de qua gratia Dei, non qua homines nascimur, sed cuius opere per fidem mediatoris vinculis peccati originalis atque actualis absoluimur, quantum possumus epistolari breuitate, vt etiam in hac quæstione interrogationi vel potius professioni vestræ responsio non desit, ipsius gratiæ fulti iuuamine differemus. Quisquis igitur

Christianæ religionis non vult inaniter, imo damnabiliter portare vocabulum, credat firmissimè Deum nostrum, id est sanctam Trinitatem, quæ vnus summus, & verus est Deus, primo homini, quem ad suam imaginem gratuita bonitate bonum fecit, cui facultatem quoque suæ cognitionis ac dilectionis inseruit, non solum bonæ voluntatis donum, quin etiam ad habendam, custodiendámque iustitiam integrum sanúmque creasse libertatis arbitrium, vt facultas atque motus inditæ libertatis, si iuuantem se gratiam Dei non desereret, præmium vitæ æternæ tribueret Dei bonitas homini: si autem iustitiam diuinam contemnens à gratia excidisset, supplicia retribueret iustitia peccatori. Proinde à bono iustóque creatore illi homini quem in corpore animali conditum ditauit intelligentiæ ac iustitiæ dono, iusta est vtrimque statuta conditio, vt scilicet si obedientiam, quæ prima virtus est, custodiret, ex animali in qua creatus erat, corporis qualitate, ad spiritualem, immortalémque statum sine corporis morte (quia sine animæ iniquitate) transiret, accepisśetque diuino munere, si præcepta seruasset, non solum perfectam atque inamissibilem corporis immortalitatem, verum etiam in anima talem gratiam sanctè iustéque viuendi, vt peccare deinceps omnino non posset, si non peccaret donec peccare potuisset. Creatus ergo primus homo de terra terrenus, accepit quidem gratiam qua non posset peccare, si peccare vellet; nondum tamen tantam acceperat gratiam, qua nec peccare vellet omnino, nec posset, vt scilicet à bono iustóque Domino post esset illud munere largiendum, si voluntariè fuisset hoc à seruo prius in opere custoditum. Quod si bono iustóque neglexisset obedire mandato, post mortem animæ quam delinquendo ipse sibi noxius intulisset, etiam per corporis mortem vitæ præsentis mutaretur incommodo, nec tenere sineretur iugiter in carne peccati damnabilem vitam, qui noluisset in corde seruare iustitiam, essétque pœnaliter etiam corpore mortis deinceps necessitate constrictus, qui contumaciter salubria iussa transgrediens, spirituali morti sponte fuisset obnoxius. Nisi enim præcessisset in peccato mors animæ, nunquam corporis mors in supplicio sequeretur. Hoc Apostolica docet authoritas quæ ait: *corpus quidem mortuum propter peccatum.* Ideo post peccatum voluntaria præuaricatione commissum, sententiam Dei punientis hoc audire meruit sermone peccator: *Terra es, & in terram ibis.* Homo igitur in terram carne non iret, si terra peccando non fieret.

Rom. 8.

Genes. 3.

CAPVT XIII.

PEccans itaque ille qui sine peccandi necessitate creatus est, in eo quod animæ sanitatem delinquendo perdidit, etiam illa cogitandi quæ ad Deum pertinent, amisit protinus facultatem. *Oblitus est enim manducare panem suum*, & exspoliatus vestimento fidei, carnaliúmque concupiscentiarum vulneribus sauciatus, sic iacuit oppressus ditione peccati, vt nullatenus aliquod bonæ voluntatis initium habere potuisset, nisi hoc Deo gratis donante sumpsisset. *Seruus quippe factus peccati, liber factus iustitiæ.* Et ideo à iustitia factus est alienus, qui sponte dominio iniquitatis addictus. Venundatus ergo sub peccato cunctam in se prolem de carnis concubitu nascituram, nexibus mortiferæ seruitutis obstrinxit. Quod B. Paulus euidenter his verbis insinuat: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransit, in quo omnes peccauerunt*, hoc in illo qui primus factus est, patre orbis terrarum vniuersi pertulimus, in quo omnes peccauerunt, antequam nati essent, qui per seipsos peccare non potuerunt. Hinc factum est, vt iam filios iræ propagaret massa damnata, quæ in illius hominis posteros, & iniquitatem insimul transfudit & mortem, vt omnis qui per legem peccati (quam certum est mortalibus vsque ad mortem inesse corporibus,) de peccatoris semine nasciturus in ipso conceptionis exordio excepisset peccati parentalis maculam, *exinde sub iugo graui quod est super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium*, ducturus esset ærumnosam infœliciter vitam, breuitati scilicet, peccato, mortíque subiectam. Scriptum est enim: *homo natus de muliere breuis vitæ, plenus iræ.* Quæ ad secundam quoque mortem natum mortaliter traheret, si quem alienum à gratia Dei redemptoris viræ huius miserabilis obitus inueniret. Vt ergo peccati originalis vinculo, quo per hominem primum tenebamur obstricti, miserantis Dei gratia solueremur, vnus extitit mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Nam quia Deus immortalis & iustus est, nos autem iniquos & mortales primi hominis transgressio fecerat, vt congrua nostris adhiberetur medela vulneribus, natus est de homine homo vnigenitus Deus, qui de patre natus est immortalis & iustus. Hic in humana natura, in qua mediator Dei & hominum factus est, iustitiam habuit ex patre, mortem ex matre, vt per ipsum liberaremur ab omni peccato, qui peccatum nec nascendo nec viuendo contraxit, & ab ipso acciperemus iustitiam, per quam mortis æternæ vinculo solueremur, vt per eum & in hac vita iusti, & post hanc vitam immortales esse possemus. Ipse igitur in similitudine carnis peccati mirabiliter, quia singulariter natus, solus est masculus adaperiens vuluam, qui in veritate sanctus Domino vocaretur. Vuluam quippe matris eius non concupiscentia mariti concumbentis, sed omnipotentia filij nascentis aperuit. Ideo solus est, *in quo princeps mundi huius veniens nihil inuenit, solus homo sine adiutorio inter mortuos liber, solus qui non nouerat peccatum*, & ob hoc sufficit, *vt pro nobis peccatum fieret*, id est sacrificium pro peccatis, *vt non essemus iustitia Dei in ipso. Solus panis qui de cœlo descendit, dat vitam mundo, panis autem quem dat, caro eius pro mundi vita.* Caro vtique iusti atque immortalis Dei, cuius acceptatione iustitia confertur illi carni, quæ nascitur cum pœna mortis & pollutione peccati.

Psal. 101.

Initium bonæ voluntatis non nisi à Deo est.

Rom. 6.

Rom. 5.

Eccli.

Iob.

Ioan. 14.

Psal. 87.

2. Cor.

Ioan. 6.

CAPVT XIV.

SI qui ergo mortem solam vt non etiam peccatum ex homine primo transisse in genus humanum nituntur asserere, mirum, si non intelligunt quibus sententiæ suæ laqueis obligentur. Primò, quia Deum dicunt iniustum, in eo quod mori facit paruulos, quos nulla volunt isti originalis peccati contagione pollutos, quosque manifestè constat infantili ætate aliquid actualis peccati, propria non posse voluntate contrahere, cum mortem stipendium Apostolus esse peccati diffiniat: & rursum aculeum mortis dicat esse peccatum, quo vtique pungente mors illigata est homini. Sic enim *peccatum aculeus mortis* dicitur, *non quia peccatum per mortem, sed quia per peccatum mors in mundum intrauit*: sicut virulentum poculum mortis poculum dicimus, non quod à morte poculum detur, sed quod mors poculo illi comparetur. Quia igitur iustitia

Rom. 6.

1. Cor.

Quicumque regnum Dei non ingreditur, pœnis æternis cruciatur. tia paruulus subiicitur peccati stipendio, si nulla est in eo peccati pollutio? Vel quomodo videmus morte punctum, si non sensit aculeum? Et cùm non sit iniquitas apud Deum qui fecit hominem ad imaginem suam, quæ iustitia est, vt imago Dei, quæ nihil potuit per seipsam delinquere, si non redimatur sanguine filij Dei, in regnum Dei non permittatur intrare? Quo vtique quisquis non ingreditur, interminabilibus ignis æterni cruciabitur pœnis. Qua igitur iustitia Deus iustus infantibus sine peccato nascentibus ingerit pœnam, in quibus pœnæ non inuenit causam? Hæc ne est creatoris Dei benignitas, vt imaginem suam creet, eámque sine vlla iniquitate condemnet, cum non sit iniquus Deus, qui infert iram? Si ergo nolunt in ipsius Dei contumeliam mortifera impietate versari, fateantur hominem primum in omnes homines cum motte transmisisse peccatū.

CAPVT XV.

Aliam rursus impietatem debent in hac sua videre, ac vitare sententia. Dicentes enim paruulos ex Adam non trahere originale peccatum, negant eos profecto habere carnem peccati, quos tamen humanam carnem habere non negant. Ex eo veto quod eos sic humanam carnem habere nòn negant, vt eam esse carnem peccati negent, consequens est, vt humanam carnem negent, carnem esse peccati. Fatentur Apostolum compellantem, *quia Deus misit filium suum in similitudine carnis peccati.* Rom. 8. Ad hoc igitur istos cæcitas impiæ professionis impellit, vt qui carnem humanam negant carnem esse peccati, Christum autem in similitudinem carnis peccati venisse non negant, ipsam Christi carnem non humanam esse, sed alterius naturæ sacrilega infidelitate confingant. Isti enim carnem in qua paruuli nascuntur, humanam dicunt esse carnem, quam tamen esse carnem peccati negare contendunt, Christum autem in similitudine carnis peccati venisse pariter nobiscum professione consentiunt: aut igitur carnem Christi humanam esse non dicant, aut omnium hominum carnem, in cuius similitudinem Deus filium suum misit, carnem peccati esse consentiant. Quod cum consenserint, nullus remanebit labor, quo eis peccatum carni paruulorum inesse monstretur. Si enim caro peccati non mendaciter dicitur, habet in se caro ipsa peccatum. Si vero peccatum non habet, falsum portat carnis peccati vocabulum. Sed eam, de qua loquimur, carnem peccati verax discipulus veritatis Paulus appellat. Restat igitur, vt sicut verè caro est cum caro dicitur, ita verè in se peccatum habeat, cum caro peccati ore Apostolico nuncupatur. Sed forsitan dicent in illius carnis peccati similitudine missum filium Dei, qualem habent homines, qui propria voluntate peccare iam possunt, vnde caro eorum caro peccati non immerito nuncupatur, non in quali carne paruuli sine aliqua peccandi voluntate nascuntur. Vbi non attendunt, quia si caro paruulorum à carne maiorum diuersa qualitate fuisset, non nisi in similitudine carnis paruulorum (quos nullum originaliter dicunt habere peccatum) Deus aduenisset. Magis enim similis esset caro Christi carni paruulorum, cum qua veritatem haberet substantiæ qualitatisque communem, quàm carni hominum maiorum, cum quibus illi communis esset sola carnis natura, non macula. Sed hoc illi forsitan volunt, vt caro Christi cum carne hominum maiorem solam habuerit naturæ similitudinem, cum carne verè paruulorum munditiam quoque potuerit habere communem. Fateantur ergo paruulos in similitudine carnis peccati, quos asserunt nasci quidem in carne humana, sed originalis peccati negant contagione pollutos. Quibus ostendendum est quanta eos etiam hic sequatur absurditas. Negantes enim in paruulis nascentibus originale peccatum, humanam eos carnem habere non negant, filium autem Dei carnem humanam de virgine sine peccato accepisse concedunt: consequens igitur est, vt inter carnem nascentis ex virgine vnigeniti Dei, & cuiuslibet alterius paruuli nihil distare fateantur. Vnde conficitur, vt omnes paruulos, quos nasci asserunt sine peccato, dicant non egere Saluatoris auxilio: atque ita laqueum Pelagiani erroris incurrunt, dum fidei Catholicæ infideliter contradicunt. Si enim sine peccato infantes nasci asserunt, quid restat, nisi vt dicant nihil esse in eis quod debeat spirituadi regeneratione mundari? Et si remouent peccati originalis maculam à nascentibus paruulis, quid alind nituntur, nisi diuinæ veritati succensere mendacium, quando eos in remissionem peccatorum vident baptismatis accipere sacramentum? quod ideo vniformiter infantibus maioribúsque confertur, vt omnibus originalis inesse peccati macula cognoscatur. Quisquis igitur salutem veram sempiternámque desiderat adipisci, sensum hæreticæ prauitatis adiiciens, quos cum pœna peccati natos videt, cum peccato quoque natos non dubitet, audiátque beatum Iob dicentem: *Quia non est mundus à sorde nec infans, cuius vnius diei vita est super terram.* Iob 15. Beati quoque Dauid sanctus pij cordis humilitate consideret dicentis: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* Psal. 50. Sancto quoque Abrahæ videat circuncisionis sacramentum non sine tremenda paruuli comminatione mandatum. Ibi quippe Deus fidelis & iustus, qui non infert iram, vbi culpam non inuenit, Parri nostro Abrahæ sic loquitur: *Masculus qui non fuerit circuncisus carnem præputij sui octauo die, exterminabitur anima illa de populo suo, quia testamentum meum transgressus est.* Genes. 17. Quisquis itaque negat in paruulis secundum carnem nascentibus originale peccatum, dicat in quo potuit infans octo dierum testamentum Dei transgredi, si non in illo transgressus est, in quo omnes peccauerunt, *cum & antequam nascerentur*, asserat Apostolus, *infantes nihil egisse boni vel mali*, & videamus iam natos non solum intra octauum diem natiuitatis suæ, quo tunc tempore circuncidi iubebantur infantes, sed etiam post ipsum diem toto infantiæ suæ tempore in tantum non posse testamentum Dei transgredi, vt eis nec eiusdem testamenti cognitio valeat intimari. Rom. 9. An illo quisquam beati Pauli sermone in paruulis euacuare nititur originale peccatum, quo dicit: *Regnasse mortem ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ?* Obiectio. Rom. 5. Cui si fuerit illud è contratio replicatum, quod idem Apostolus ait: *per vnius delictum in omnes homines in condemnationem.* Rom. 5. Quod paulò post exponens ait, *per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi.* Et cum de Iudæis atque Græcis loqueretur, generaliter intulit; *omnes enim peccauerunt & egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Rom. 3. Nónne illico in magnas trudetur angustias, si non vtrumque sensum secundum professionem Catholicæ credulitatis acceperit, vt scilicet infantes propriis quidem operibus nihil deliquisse dicat: in illo autem primo homine omnes homines generaliter peccasse cognoscat? Solutio.

CAPVT XVI.

AB hoc peccato quod originaliter carnalis natiuitas trahit, neminem facultas naturalis, neminem littera ſanctæ legis, ſed ſola fides eripit Ieſu Ephes.5. Chriſti filij Dei, *qui venit quærere & ſaluum facere quod perierat*. Pro impiis mortuus eſt, *offerens ſemetipſum pro nobis*, ſicut Apoſtolus dicit, *oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis*. In hoc mediatore Dei & hominum, & humanæ naturæ ſtatus reparatus eſt, implendæ legis eſt conſummatus effectus, quia nec ſibi ad virtutem ſufficere vllatenus potuit naturalis infirmitas, quæ vtique ex quo omnes dies defecerunt, & in ira Dei defecimus, lumine ſimul & virtute priuata, in tantum natura cæca ſine lege peccat, vt peccare ſe neſciat. Propter quod dicitur: *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces*. [Natura cæca ſine lege peccati. Rom.7.] Legalis quoque auditus non ſolum neminem de poteſtate tenebrarum eripuit, quin etiam peccatoribus cumulum præuaricationis adiecit. Sine gratia quippe fidei grauius lex agnita, quam ignota condemnat. Vbi quantum ignorantia peccati minuitur, tantum reatus peccatoris augetur. Ideo Apoſtolus Rom 4. ait: *Lex enim iram operatur, vbi enim non eſt lex, nec* Galat 3. *præuaricatio*. Idem quoque dicit: *Quia lex propter tranſgreſſionem poſita eſt. Et quia concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, vt iuſtificatio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus*. Quomodo igitur de poſſibilitate ſolius liberi arbitrij (ſi non præueniatur adiutorio gratiæ Dei, per quam bona voluntas reparatur & ſeruatur in homine natura tanto magis ſuperba, quanto magis dominio peccati mortíque ſubiecta) quantulumcunque ſibi bonæ voluntatis & operis exordium repromittit, quæ nec ſana potuit Dei ſeruare mandatum, nec vulnarata quantulumcunque curationis ſumpſit de lege remedium, ſed inſuper auxit peccatum cognitione mandati. Lex enim ſubintrauit, vt abundaret peccatum, de quo liberari nemo poteſt, niſi per agnum Dei qui tollit peccata mundi. De corpore enim mortis huius non liberum hominis arbitrium, neque legis ſanctum, iuſtum bonúmque mandatum: ſed ſola nos liberat gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Lex* Rom.8. *enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit nos à lege peccati & mortis*.

CAPVT XVII.

LIberauit autem non in quolibet homine fidem inueniendo, ſed dando. Deus enim qui impium iuſtificat, ipſe infideli fidem quæ per charitatem operatur, gratia ſuæ bonæ voluntatis inſpirat. Vnde quod ad benè cogitandi attinet faculta- 2.Cor.3. tem, teſtatur Apoſtolus: *quia non ſimus idonei cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo*. Reuera enim ſecundum eiuſdem Apoſtoli dictum, Deus quibus voluerit dat pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, vt reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius vo- 2.Tim.2. luntatem. Vnde ille Apoſtolorum primus & dignè beatus veritatis eloquio nuncupatus, de crudelitate gentium loquens: *Deum dixit fide mundaſſe* Act.15. *corda eorum*. Rurſus ait, *eandem gratiam diuinitus datam gentibus, quam & ipſis vt crederent*, vbi gratuitum gratiæ donum Apoſtoli, & maiores natu in doctrina ſancti Spiritus agnouerunt, omneſque vnanimes vno ore in beati Petri ſententiam tranſ- Act.11. ierunt, dicentes: *Ergo & gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit?* Nempe cum ipſe ſaluator noſter propriæ vocis imperio humanam conuenit voluntatem, dicens: *pœnitemini, & credite Euangelio*, claret tamen quia vt homo in Deum credere incipiat, à Deo accipit pœnitentiam ad vitam, ita vt omnino credere non poſſit, niſi pœnitentiam dono Dei miſerantis acceperit: quæ eſt autem pœnitentia hominis, niſi mutatio voluntatis? Deus ergo qui homini pœnitentiam dat, ipſe mutat hominis voluntatem. Proinde ſi quis dicit, meum eſt velle credere, Dei autem gratiæ eſt adiuuare: mutet igitur dictorum ordinem, imò non mutet, ſed ſeruet, nec quod poſterius eſt in priore loco, nec quod eſt prius in loco poſteriori conſtituat. Malè enim gratiam Dei ſuæ voluntati poſtponit, cum iſta bona eſſe non poſſit, ſi illa defuerit. Non enim dicat meum eſſe velle credere, Dei autem gratiæ eſt adiuuare: ſed dicat, gratiæ Dei eſt adiuuare, vt ſit meum velle credere. Tunc enim verè rectéque ait eius hoc velle, cum eum gratia præueniens cœperit adiuuare. *Fides* enim *quæ per charitatem operatur*, humilem facit eum cui datur, *quia* Rom.5. *charitas non inflatur*. Adiutorio igitur atque munere gratiæ ſibi fidem dari vnuſquiſque non dubitet, ne dum initium ſibi fidei nititur aſſignare, pœnitentiam quoque, quam Deus ad vitam dat, ſibi homo non ſanitate validus, ſed infirmitate præiudicatus aſſignet, tantique medicaminis beneficio careat, cuius gratiam contumax atque ingratus oppugnat, cum cordis humilitas diuinis ſit eloquiis admonenda, vbi principaliter ipſa bona voluntas, qua incipimus velle credere, à Domino præparari demonſtratur ac dirigi, Salomone dicente: *Præparatur voluntas à Domino*. Et Dauid cani in Pſalmis: *A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam eius cupiet nimis*. Pſal.

CAPVT XVIII.

SI verò ſecundum opinionem illorum, noſtrum eſt velle credere, priuſquam nos Dei gratia incipiat adiuuare, iniuſtè gratia dicitur, quia non gratis datur homini, ſed bonæ tribuitur voluntati. Hanc enim (ſicut illi volunt) gratia in nobis inuenit quam ipſa non dedit, imò ſi ſic eſt, nos priores Deo voluntatem damus, atque *ita gratiam non miſeratione tribuentis, ſed æquitate Dei retribuentis accipimus*. Veruntamen quis prior dedit illi, & retri- Rom.11. buetur ei? nemo vtique, *quia non poteſt homo accipere quicquam, niſi datum fuerit de cœlo. Quid enim* 1.Cor.4. *habet quod non accepit? ſi autem accepit, quid gloriatur, quaſi non acceperit?* Non autem miſericordia Dei aliquando præuenit hominem, ſi nunquam bonam facit, ſed expectat vt inueniat voluntatem. Et vbi eſt quod Dauid dicit: *Deus meus, miſericordia præueniet me*. Pſal.58. In quo autem Dei nos miſericordia præueniat, vel præueniens quales inueniat, non in quolibet alio, ſed in ſe nobis gentium magiſter oſtendit, dicens: *qui prius fui blaſphemus, & perſecutor, &* 1.Tim.1. *contumelioſus, ſed miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate*. Quomodo ergo aliquam credendi voluntatem ex ſe ipſo Paulus habere poterat, qui blaſphemum ſe & perſecutorem & contumelioſum cæcus atque incredulus ignorabat? Quod humili corde conſiderans, alio loco dicit: *non ſum dignus vocari Apoſtolus, quia perſecutus* 1.Cor.15. *ſum Eccleſiam Dei*. Statimque fidem ſuam non propriæ voluntati, ſed gratiæ Dei miſerantis aſſignans, dicit: *Gratia autem Dei ſum id quod ſum*. Quid autem iam fuit, niſi fidelis? quod vt eſſet, miſericordiam eſt vtique conſecutus, ſicut ipſe teſtatur, dicens: *Conſilium do tãquam miſericordiam conſecutus à Do-* 1.Cor.7. *mino, vt ſim fidelis*. Nã & cùm ſe prius blaſphemum, & perſecutorem, & contumelioſum fuiſſe fateretur, fidem

fidem suam, & charitatem gratiæ designare non desistit, statim subiiciens: *Superabundauit autem gratia Dei in fide & dilectione, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Si ergo fidem Paulo gratia Dei non dedit, nec charitatem ei dedisse credenda est: Ergo quod absit, mentitus est Paulus, qui ait: *quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Sed quia Paulus Christo in se loquente mentiri non potuit, ipso spiritu nobis tribui fidem firmissimè fateamur, per quam charitatem Dei in nostris diffundi cordibus negare nequimus. Cum ergo Paulus esset blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, non ideo est adiutus Dei gratia, quia qui credere voluit, vt credere vellet, donum gratiæ præuenientis accepit, quæ in eius voluntate non aliquod credulitatis initium, sed blasphemiam, sæuitiam, contumelias & ignorantiam in incredulitate reperit. Cuius vsque adeo cæca fuit voluntas, vt non solum non posset credere, sed nec ipsum suæ credulitatis posset initium præuidere. Non enim ignorans fecisset, si suam in se ignorantiam præuidisset. Dignè igitur in Paulo assignatur præuenientis misericordiæ dono non solum credulitatis initium, sed etiam ipsius incredulitatis agnitio. Quam ei propterea Dei misericordia contulit, vt incredulitatem suam illuminans atque adiutus, & agnosceret & vitaret. Dominus enim est illuminatio nostra & salus nostra, qui nos illuminat, vt peccata nostra cognoscamus: & sanat vt à peccatis nostris separati cum iustitia viuamus. Ob hoc ipse, qui vt fidelis esset, fatetur se misericordiam consecutum, salubriter nos instruit, dicens: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Quia reuera & vt velimus, misericordiæ præuenientis illuminamur dono, & vt curramus, misericordiæ subsequentis fulcimur auxilio. Vt ergo sibi quisque tribuat bonam voluntatem, qua velle incipit credere, non viuentis animæ vigor, sed mortuæ carnis est tumor.

1.Tim.1. Rom.5. Rom.9.

CAPVT XIX.

Ex quo enim primus homo naturam suam voluntariè vitiauit, atque oppressit infirmitas, nisi diuinæ gratiæ medicamento præuentum in vnoquoque homine sanetur, atque adiuuetur liberum indefinenter arbitrium, est quidem liberum, non tamen bonum: est liberum, non tamen rectum: est liberum, non tamen sanum: est liberum, non tamen iustum. Et quanto magis à bonitate, rectitudine, sanitate, iustitiáque liberum, tanto magis malitiæ, peruersitatis, infirmitatis atque iniquitatis mortifera seruitute captiuum. *Qui enim facit peccatum seruus est peccati, & à quo quis deuictus est, huic & seruus addictus est.* Regnante igitur peccato habet liberum arbitrium, sed liberum sine Deo, non liberum sub Deo, id est liberum iustitia, non liberum sub gratia, & ob hoc pessimè atque seruiliter liberum, quia non gratuito miserentis Dei munere liberatum. Hoc Apostolus euidenter insinuat, dicens: *Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ.* Seruire igitur iustitiæ non potest, qui iustitiæ liber est: quia quandiu est peccati seruus, non nisi ad seruiendum peccato reperitur idoneus. Ab ista seruitute peccati nemo liber efficitur, nisi qui liberatoris Christi gratia liberatur, vt scilicet liberatus à peccato, seruus fiat Deo. Hoc autem quemadmodum fiat, ipse liberator noster ostendit: *Si vos, inquiens, filius liberauerit, verè liberi eritis.* Ideo vas electionis beneficium nobis gratiæ liberatricis insinuans, non solum liberos, sed etiam liberatos nos esse testatur his verbis: *Nunc autem liberati à peccato, serui facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.* Hæc verò libertas, quæ non ex humano arbitrio nascitur, sed gratuita Dei miseratione confertur, à bona voluntate sumit exordium, & per fructum sanctificationis in vita æterna plenum sui sortitur effectum: sed sicut in natiuitate carnali omnem nascentis hominis voluntatem præcedit operis diuini formatio, sic in spirituali natiuitate, qua veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris, deponere incipimus, vt nouum qui in iustitia & sanctitate veritatis creatus est, induamus. Nemo potest habere bonam voluntatem motu proprio, nisi mens ipsa, id est interior homo noster, renouetur ac reformetur ex Deo. Ideo nos B. Paulus præcipit non conformari huic sæculo, sed reformari in nouitate sensus nostri. Cuius reformationis initium ne nostræ facultati assignare aliquatenus deberemus, Dominus per Prophetam seipsum formatorem lucis ostendit, dicens: *Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras.* Quod & B. Apostolus sua prædicatione confirmat, dicens: *Deus qui dicit de tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris.* Eidem luci quam iam formauerat Deus, alio loco dixit: *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Quibusdam verò ex illa lucis formatione laudabili ad vituperabilem tenebrarum informitatem relapsis, affectum piæ mentis ostendens, ita loquitur: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Quomodo autem Christus in suis formari potest, nisi quomodo in eis habitare incipit, id est per fidem? Quod B. Paulus ita confirmat: *In interiore*, inquiens, *homine habitare Christum per fidem in cordibus nostris.* Dum ergo reformamur, renouamur; & in eo quo renouamur, viuificamur.

Ioan.8. 1.Petr.2. Rom.6. Ioan. Rom.6. Libertas à bona voluntate sumit initium. Esaiæ 45. 2.Cor.4. Ephes.5. Galat.4. Ephes.3.

CAPVT XX.

Vita autem nostra à fide sumit initium, *quia iustus ex fide viuit.* Quam fidem non ex voluntate nostra nasci, sed per spiritum sanctum vnicuique dari, beatus Paulus ostendit, dicens: *Alij quidem datur per spiritum sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alteri fides in eodem spiritu.* Non ergo Spiritum sanctum, quia credimus, sed vt crederemus, accepimus. Forma enim præcessit in carne Christi, quam in nostra fide spiritualiter agnoscimus. Nam Christus filius Dei secundum carnem de Spiritu sancto conceptus & natus est. Carnem autem illam nec concipere virgo posset aliquando, nec parere, nisi eiusdem carnis Spiritus sanctus operaretur exortum. Sic ergo in hominis corde nec concipi fides poterit, nec augeri, nisi eam Spiritus sanctus effundat & nutriat. Ex eodem namque Spiritu renati sumus, ex quo natus est Christus. Eodem igitur Spiritu Christus formatur secundum fidem in corde vniuscuiusque credentis, quo Spiritu secundum carnem formatus est in vtero virginis. Ideo propheta ex persona fidelium clamat ad Dominum: *Propter timorem tuum Domine in vtero concepimus & parturiuimus. Spiritum salutis tuæ fecimus super terram.* Sicut autem non solum priusquam Virgo Maria Christum conciperet, sed etiam priusquam se concepturam agnosceret, gratia plena Angeli voce nuncupata est, cum nulla eius præcederet concipiendi filij Dei vel cognitio, vel voluntas, vt agnosceretur ex gratia Dei esse tam ipsa obediens voluntas virginis, quàm conceptio Domini saluatoris. Sic

1.Cor.12. Esaiæ 26.

Sit homo priusquam credere velle inciperet, gratia donantis infunditur cordi, vt incipiat in homine per fidem Christus formari. Cum autem Christus in vnoquoque formatur, ipse se format, quia ipse fidem in corde vniuscuiusque credentis initiat. Propterea in epistola quæ ad Hebræos
Hebr. 12. scripta est, admonemur: *vt aspiciamus in authorem, & conformatorem Iesum*: qui procul dubio sic est author fidei nostræ, cum ipse fidem non habentibus donat, sicut est eiusdem fidei consummator, cum eam in habentibus augendo multiplicat, & sancta operatione consummat. Dicit enim B. Apo-
Iacob. 1. stolus Iacobus: *quia fides Abrahæ patris nostri ex operibus consummata est.* Author est ergo fidei nostræ, consummatórque Iesus, quia ipse operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Quod si in eo tantum est author fidei nostræ, quia nostram voluntatem expectat, vt ex nobis esse fides incipiat, consequens est, vt etiam consummator fidei nostræ ideo dicatur, quia expectat, vt nostro tantum conatu ad consummationem fides quæ à nobis exorta est, perueniat. Ac sic totum Deo adimitur, si & initium & consummatio fidei nostræ humani arbitrij viribus applicetur. Quod quia valde impium est, si Scripturarum sanctarum eloquiis salutaribus nos resistimus, omnia quæ pertinent ad bonæ voluntatis initium vel profectum, Deum in nobis & incipere & perficere sine aliqua hæsitatione credamus. Ipse est enim qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.
Hier. 10. Clamemus igitur in humilitate cordis & veritate fidei cum propheta: *Scio Domine quia non est in homine via eius, neque viri est vt corrigat viam suam.* Non est itaque in homine via eius quam habet ex Deo, neque viri est vt corrigat viam suam quam habet ex seipso. Viam ergo suam non habet in se, nec viam suam corrigit, nisi cum rectitudine cordis donum gratiæ spiritualis acceperit. Ideo Salomon
Prou. 21. dicit: *Dirigit autem corda Dominus.* Beatus quoque
Iacob. 1. Apostolus Iacobus testatur: *quia omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum*: Eorum scilicet luminum quibus
Ezech. 11. per Ezechielem noui cordis gratiam repromittit, dicens: *Dabo vobis cor nouum & Spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferetur cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & Spiritum meum dabo in vobis, & faciam vt in iustificationibus meis ambuletis & iudicia mea obseruetis, & faciatis.* Beatus quoque Apostolus humanæ comprimens
1. Cor. 4. præsumptionis audaciam dicit: *Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Cum quo nos oportet humiliter salubritérque cognoscere pariter & fateri, gratia Dei nos esse quod & sumus, si tamen aliquid sumus. Qua gratia humanum non aufertur, sed sanatur: non adimitur, sed corrigitur: non remouetur, sed illuminatur: non euacuatur, sed adiuuatur atque seruatur arbitrium: vt in quo infirmitatem homo habuit, in eo habere incipiat sanitatem. Quo errabat, eodem in via redeat. In quo cæcus fuit, in eo accipiat lumen. Et vbi fuit iniquus seruiens immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ibi gratia præuentus atque adiutus seruiat iustitiæ in sanctificationem.

Per gratiam non aufertur liberum arbitrium.

CAPVT XXI.

Miramur autem quosdam dicere: si volentes Deus facit vt velint credere, nullus autem est qui naturaliter possit credere in filio Dei, aut aliquid boni velle, quod pertinet ad vitam æternam, cur ergo non facit omnes velle, cum non sit personarum acceptor Deus? Ex quibus verbis quæ vestris litteris indita sunt, apparet eos minus considerare quod dicunt: Personarum acceptio apud Deum tunc esset, si (quemadmodum isti volunt) in quolibet hominum aliquod inueniret bonæ voluntatis initium. Cum autem in nullo bonam voluntatem inuenit, sed eam gratis cum voluerit ipse concedit, agnoscitur nulla esse personarum acceptio, quando gratuita est donantis in vnoquoque largitio. Quod autem dicunt, cur non facit omnes velle? Itane vero in nemine hoc facit, quia non in omnibus facit? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud quidem in contumeliam? aut culpari potest iustitia in vasis iræ, quæ iustè pro meritis aptauit in interitum: vel misericordia in vasis misericordiæ, quæ sine vllis meritis solo gratiæ dono præparauit in gloriam? quibus ipsam quoque præparari voluntatem à Domino scriptura teste docuimus. Quæ si non à Deo datur, sed in homine inuenitur, falsum est, quod ea scriptura præparari dicit à Domino. Omnis autem scriptura diuinitus inspirata, cuncta quæ dicit, vera dicit, quia ex veritate sunt
Psal. vniuersa quæ dicit: *Eloquia enim Domini, eloquia castæ.* Deus ergo qui voluntatem præparat, ipse donat. Quam si Deus per suam gratiam homini non dederit, nunquam potest homo in Deum velle credere, quia ipsam voluntatem gratia non inuenit, sed operatur in homine.

Nemo se habet velle credere.

CAPVT XXII.

Cvm autem dicimus neminem posse in Deum credere, nisi per gratiam Dei cor illuminetur, vt credat, non credendi possibilitatem humanæ naturæ omnino inesse non posse dicimus, sed vt habeat ipsum posse, vnde debet spectare, ac poscere demonstramus. Nam vtique naturaliter homini, cum cœperit in Dei filium credere, si posse credere in conditione primi hominis datum non esset, nunquam peccatum de infidelitate contraheret, neque vlli naturæ credendi facultas insita est, quam rationalem non fecit Deus. *Nunquid enim de bobus cura est Deo?* In quibus nec punitur impietas, nec pietas coronatur. De hominibus autem omnibus curam esse Deo, cœlestibus eloquiis edocemur. Naturæ igitur humanæ competit fides, cuius tantam curam creator habere dignatur, vt etiam capillos capitis nostri numeratos veritas dicat, vt scilicet, dum se tantum à Deo diligi humana natura cognoscit, diligentem se Deum diligat, eique per fidem puri cordis inhæreat: cui ad beatitudinem fides est via, cui est infidelitas magna miseria: & ideò dignè punitur, cum in Dei filium non credit, quia vitium eius est eius infidelitas, sicut virtus est fides, non qualis in dæmonibus inuenitur, sed qualem Deus sanctis suis donat, quos ex impietate iustificat. Ipsa est fides, quæ per charitatem operatur. *Nam & dæmones credunt, & contremiscunt:* sed non diligunt eum à quo per superbiam recesserunt. In quam superbiam quia primus homo diabolica est persuasione deiectus, in quo perdidit humilitatem, perdidit fidem: perdens autem fidem, perdidit diuinam protectionem. Scriptum est enim: *Qui non credit Deo, à Deo non protegitur.* Exinde cœpit superbire terra, & cinis, quia in vita sua proiecit intima sua. Ad ipsa intima, vt homines redeant, diuinus non desinit sermo clamare, dicens: *Redite præuaricatores ad cor*

1. Cor.

Adam perdidit fidem.

Esa. 46. Psal.

verum, quia illi caro sunt, Spiritus vadens & non rediens: nec vnquam redire velle potest ouis errans nisi fuerit boni pastoris inquisitione præuenta & humeris reportata. Propterea pastor bonus venit quærere, & saluam facere ouem perditam, quæ pastorem suum quærere non potest, priusquam ab eo quæratur, sed à quærente præuenitur, vt quærat. Pastor autem eam frustra quæreret, si quærere ipsa pastorem quæsita non posset. Sed hic ei quærentis pastoris bonitas donat, vt etiam ipsa quærendi pastoris habeat voluntatem. Quæritur autem vt quærat, quando illuminatur vt credat. Hoc igitur in homine diuinitus agitur, cui fidem Deus infundit, vt gratiæ dono virtutem credendi natura recipiat quam amisit, & quod non poterat vitiata per culpam, incipiat poscere formata per gratiam, ac sic operante illo medico qui non est opus sanis, sed male habentibus, infirmitas expellatur,
Psalm.40. natura sanetur. Quam sanitatem poscebat qui dicebat: *Ego dixi: Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccaui.* Nullus autem sanctorum sanitatem posceret, si humana natura sana esset. Et frustra sanitatem quisque posceret, si sanari humana natura non posset. Natura igitur humana sanari potest. Sed illius gratia sanitatis accipit donum, ex quo creationis sumpsit initium. Nam si homo naturaliter sanari nullatenus posset, ad sanandum eum cœlestis medicus non venisset. Rursus si se ipse sanare posset, cœlesti medico non egeret; sanatur enim per fidem, quam si ex seipso aliquis habere posset, Deus eam homini non donaret, do-
1.Cor.12. nat autem, quoniam *alteri datur fides in eodem Spi-*
Rom.12. *ritu*, sicut Apostolus dicit: *Deus ergo vnicuique diuisit mensuram fidei.*

CAPVT XXIII.

NOn ergo propterea non potest homo naturaliter credere, quia diuinitus ei donatur vt credat, imo in hoc maxime ad habendum fidem homo creatus agnoscitur, quia per fidem humana natura ex vetustate renouatur. Sic enim est omnis voluntario peccato primi hominis vitiatus, vt Deus voluntate sua bonam voluntatem hominis possit
Sap.1. sanare si velit. *Creauit enim*, sicut scriptum est, *vt essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum.* Verumtamen ne homini ex seipso putaretur esse sanitatis initium, mox sermo diuinus adiecit: *Et non est in illis medicamentum exterminij.* Quamuis igitur homini primo diabolus abstulerit fidem, Deo tamen reddendi quod dederat non abstulit potestatem, nec humanam naturam vsque adeo diabolus vitiare potuit, vt deinceps non possit quod amiserat, Deo rursum largiente recipere. Omnipotens enim qui potuit humanam formare, potest etiam infirmam sanando per gratiam reformare, & custodire naturam. A quo ipsa natura sicut in primo homine fidem ad salutem acceperat, ita nunc in singulis munere diuinæ bonitatis accepit, quos idem Deus prædestinatos, & per fidem saluandos ex parentibus creat. Potest igitur Deo donante homo in Deum naturaliter credere. Contra naturam quippe hominis est quod in Deum non credit; quia incredulitatem non habet ex creatione Dei, sed ex voluntaria præuaricatione mandati, per quam sanitate priuatus & lumine, hoc per se ipsum potest, vt cæcitatem atque infirmitatem suam proprio arbitrio augere possit, remouere non possit. Cuius tamen illuminatio atque sanatio in tantum est omnipotenti creatori possibilis, vt ad gloriam nominis eius ipso donante, non solum possit infidelis credere, verum etiam ad immortalem atque incorruptibilem vitæ statum, per fidei gratiam peruenire. Vbi accipiens gratiam pro gratia, peccare omnino non possit, & possit fœliciter videre quod credidit. Vnde vox illa fidei resultat in Psalmis: *Cre-* Psalm.26.
do videre bona Domini in terra viuentium. Deus igitur licet non ad hoc humanam naturam fecerit, vt vitiaretur per culpam, ipse tamen omnipotenti bonitate potest vitiatam satiare per gratiam. Arbitrium itaque hominis sanat Deus atque illuminat, vt homo in Deum naturaliter credat. Ita fit vt homo fidem habere possit, sed eam nisi ex dono Dei habere non possit.

CAPVT XXIV.

NOn enim consequens est, vt omnia quæ habere nos possumus, etiam ex nobis habere possimus. Nam & caro nostra sic à Deo facta est, vt possit naturaliter viuere, hoc ipsum tamen non ex se, sed ex anima possit habere quod viuit. Vita igitur, vt inesse carni naturaliter incipiat, manifestum est eam ab anima ministrari; ac sic quidem potest caro nostra viuere, sed si in ea sit anima, quæ vita eius est. Veruntamen in anima nostra & carne non paruum nobis gratiæ Dei monstratur exemplum. Nam sicut ex se ipsa caro vitam non habet, sed ab anima accipit; sic homo non potest habere fidem, nisi munere Dei donantis acceperit. Sicut etiam vt caro viuat, solius opus est animæ, ita quoque vt homo credat, solius opus est gratiæ. Et sicut caro nihil operari potest, si eam viuificare anima desinat, sic homo nihil bene velle potest, si ab eo gratiæ iuuamen abscedat. Vt ergo caro & viuere possit & operari, præsentis animæ viuificatione fulcitur, homo quoque vt bonum velit aut faciat, gratiæ viuificantis subsidio iugiter adiuuatur. Interest autem vt caro nostra, quantum viuificatur ab anima, non solum benè, sed etiam malè operandi accipiat facultatem. Cum autem nos gratia viuificat, non nisi ad benè volendum, nec nisi ad benè operandum nobis adiutorium subministrat. Agnoscat igitur homo in eo se naturaliter credere posse, in quo naturam habet credulitatis, ac fidei capacem, quod animalibus irrationalibus datum diuinitus non est, non tamen vt se putet ad habendum fidem vsque adeo esse idoneum, vt ex voluntate sua constare fidei arbitretur exordium. Dolens enim homo habet fidem: sed Deus qui fidem donat, ipse hominis mutat & dirigit volunta- Psalm.84.
tem. *Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum.*

CAPVT XXV.

DE his igitur in quibus natura diuino sanatur munere, vt in Deum naturaliter credant; quique gratis per fidem iustificati etiam ad bene operandum auxilium gratiæ subsequentis accipiunt, Apostolus dicit: *Cum enim gentes quæ legem non ha-* Rom.2.
bent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Quem quidem Apostoli locum, hi qui gratiæ contradicunt, gentibus incredulis assignare contendunt, ex hoc videlicet quod etiam illi qui fidei gratiam non recipiunt, illa quæ ad honestatem morum, & humanæ societatis vinculum pertinet, naturali quadam lege sic seruant, vt etiam eos qui illa violare contendunt, iudiciorum æquitate ac seueritate coërceant. Vbi minus attendunt, Apostolico suam sententiam

tiam prorsus eneruari sermone, quem superius præmisit dicens: non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur: iustificari autem sine fide neminem posse idem
Gal.2. B. Apostolus ostendit, dicens: *Scientes autem quod non iustificabitur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi. Et nos in Christo Iesu credimus, vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis. Propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.* Et paulo post fidei gratiam commendans, per quã
Gal.3. vera confertur vnicuique iustitia, sic ait: *Non abiicio gratiam Dei: si enim per legem iustitia: ergo gratis Christus mortuus est.* Item cum patrem nostrum Abraham non ex operibus legis, sed ex fide iustificatum assereret, dicens: *Sicut Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*, vt etiam gentes quas semini Abrahæ diuinus sermo promisit, ex fide iustificari Paulus ostenderet, secutus adiunxit: *Cognoscite ergo quia qui ex fide sunt, hi sunt filij Abrahæ. Prouidens autem scriptura, quia ex fide iustificantur gẽtes, Deus prænunciauit Abrahæ dicens: quia benedicentur in te omnes gentes.* Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fide Abraham. Hunc autem patrem nostrum Abraham non ex operibus, sed ex fide iustificatum esse confirmans alio loco sic loquitur. Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim Scriptu-
Rom.4. ra dicit: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam. Cum ergo Apostolus de his gentibus loquens, quæ naturaliter ea quæ legis sunt facientes, ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, de his se loqui testetur qui iustificantur: Abraham autem patrem nostrum non ex operibus, sed ex fide iustificatum esse commemoret, quis audeat illas in hoc loco gentes accipere, quas constat non esse iustificatas ex fide, cum ipse testetur Apostolus:
Rom.14. *quia omne quod non est ex fide, peccatum est.* Et quia
Hebr.11. *sine fide impossibile est placere Deo?* Quod si Abraham ex fide iustificatum esse constat, cuius semini gentes Apostolus promissas esse commemorat, quisquis asserit gentes non ex fide, sed ex operibus iustificari posse, quid superest, nisi vt eas neget ad Abrahæ semen, cui gentes promissæ sunt, pertinere:
Rom.4. cum *Abraham* (sicut Apostolus dicit) *pater sit omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iustitiam.* Quoniam igitur vnus Deus qui iustificat circuncisionem ex fide, & præputium per fidem, Apostolus autem de his qui iustificantur se loqui monstrauit, cum de gentibus naturaliter quæ legis sunt facientibus, & opus legis in suo corde habentibus disputaret, ille sensus est veritati conueniens, quod gentes in eodem loco accipiuntur, quas Deus fidei dono iustificat, & in eo quod eis gratiam fidei tribuit, opus legis suæ in eorum cordibus donata iustificatione conscripsit, vt sine testamenti veteris littera per noui testamenti gratiam natura renouata opus legis ad hoc scriptum habeat, vt ad populum Dei non operum præcedentium merito, sed iustificationis gratuito munere incipiat pertinere. Quod nobis ore prophetico cœlestis dignata est vulgare doctrina, Sancto Hieremia dicente:
Hier.31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israël, & super domum Iuda testamentum nouum.* Et paulo post: *Quia hoc est testamentum quod disponam domui Israël, post dies illos, dicit Dominus, dabo leges meas in corda eorum, & in sensibus eorum superscribam eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum, & non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum dicens: Cognosce Deum: quoniam omnes scient me à maiore vsque ad minorem eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum illorum iam non memorabor.*

CAPVT XXVI.

HÆc autem scientia in qua sic Deus agnoscitur, vt peccatorum remissio diuinæ propitiationis munere tribuatur, longe aliena est ab illa cognitione illorum, *qui cognoscentes Deum non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, qui dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Rom. Isti enim qui a sine gratia fidei, quæ per charitatem operatur, Deum cognouerunt, ipsa sua cognitione inexcusabiles facti sunt. Hi vero qui Deum perceptione fidei cognoscunt, inaccusabiles fiunt. *Quis enim accusabit electos Dei?* Nemo vtique, diligentibus enim eis Deum omnia cooperantur in bonum. Rom. Et ideo eos nullus accusat, quia Deus eos secundum propositum præscitos, & prædestinatos, vocatósque iustificat, atque glorificat, vt glorificatione legis factorum, qua se homo superbus extollit exclusa, per legem fidei, quæ per charitatem operatur, qui gloriatur, in Domino glorietur. Quod si quibusdam cognoscentibus Deum, nec tamen sicut Deum glorificantibus, cognitio illa nihil profuit ad salutem, quomodo hi potuerunt iusti esse apud Deum, qui sic in suis moribus atque operibus bonitatis aliquid seruant, vt hoc ad finem Christianæ fidei charitatisque non referant? quibus aliqua quidem bona, quæ ad societatis humanæ pertinent æquitatem, inesse possunt. Sed quia non charitate Dei fiunt, prodesse non possunt. Etenim fieri potest, vt quisquam Deum esse credat, qui Deum non diligit: vt autem quisquam Deum diligat, qui in Deum non credit, fieri nullatenus potest: quia potest vnusquisque credere aliquid esse quod non diligit, diligere vero nemo potest quod esse non credit. Apostolus autem dicit: sine charitate fidem, cæteraque bona opera cuiquam prodesse non posse; dicit enim: 1.Cor. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Si ergo opera cum fide sine charitate prodesse non possunt, quomodo proderunt opera quæ in fide non fiunt? Vnde non immeritò B. Apostolus pro Thessalonicensibus orat; 2.Thes. *vt eis Deus impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute.* Nam & in eodem loco, vbi de gentibus legem naturaliter facientibus loquebatur, ante præmiserat dicens: Rom. *Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco.* Rom. Quomodo autem infidelibus potest esse gloria, quæ non datur nisi iustificatis? Rom. *Quos enim Deus iustificauit, illos & glorificauit: Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi super omnes qui credunt.* Aut quis honor incredulis dabitur, cum hunc non nisi credentibus tribui B. Petrus edoceat, dicens: 1.Petr. *Vobis igitur honor credentibus?* Vel quomodo erit pax ei, qui non est redemptus sanguine Iesu Christi, in quo Deus pacificauit, *siue quæ in terris sunt, siue quæ in cœlis? Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* Ephes. Rom. Hæc autem pax sine charitate & fide Christi non potest possideri, quia *iustificati ex fide pacem habemus ad Deum per Dominum*

Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & accessum habemus per fidem in gratia ista, in qua stamus & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Quos spes ideo
Rom. 5. *non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Accepimus enim spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater.* Vt igitur homines filij Dei fiant, filium Dei vnicum per fidem recipiunt & ipso donante hanc accipiunt à Domino potestatem; vt & in eum credant, & ad numerum filiorum Dei
Ioan. 1. pertineant: *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* In eorum cordibus dat legem suam, & in sensibus eorum scribit eam, id est legem fidei, quæ inspirata iustificat: non legem factorum, quæ etiam obtrectatores suos sine dubitatione condemnat.

CAPVT XXVII.

NAm illa quæ lex factorum est, quæ hominem iustificare non potest, quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro, potest quidem naturaliter esse & in corde Gentilium & in corde fidelium Iudæorum: quæ tamen sine fide Christi nullatenus iustificat sectatores suos, sed eos tenet vinculo impietatis obstrictos. Hæc vtique fuit in corde Pauli, quando fuit incredulus, secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei, & secundum iustitiam, quæ in lege est, conuersatus sine querela. Quam tamen quia ex Deo non habuit, ideo dicit:
Philip. 3. *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta: verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam & inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed eam quæ est ex fide Christi, quæ ex Deo iustitia ex fide ad cognoscendum illum.* Quis non his verbis Apostolicis videat iustitiam quæ ex lege est, esse ex homine: iustitiam verò quæ ex fide Christi est, non esse nisi ex Deo? Illa est igitur iustitia, per quam impius erigitur vt cadat in pœnam, ista autem est per quam iustificatus humiliatur, vt exaltetur ad gloriam. Ideo cum in illa quæ ex lege est, sine querela conuersaretur Apostolus, fuisse se impium non
Rom. 5. negat, dicens: *Vt quid enim Christus cum adhuc infirmi essemus secundum tempus pro impiis mortuus est?* Inimicum quoque Dei se fuisse veraciter confitetur dicens: *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius ab ira per ipsum.* Quid ergo prodesset Paulo sine cognitione Christi illam quæ in lege factorum est, seruare iustitiam:
Ioan. 8. cum ipse Saluator noster Iudæis dicat: *Nisi cognoueritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris.* Ergo quia iustitiam quæ est ex fide Christi ad cognoscendum illum esse, testatur Apostolus, manifestum est legem fidei esse; quam se Deus in corde suorum scripturum esse promisit. Quod eiusdem
Hier. 31. tenor euidenter ostendit. Ibi enim dicit Deus: *Et non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum, quia omnes scient me à minore vsque ad maiorem eorum.* Hæc est lex, quam Deus scribit in cordibus eorum omnium, non per conditionem naturæ, sed per largitatem gratiæ: non liberum per arbitrium hominis, sed per ministerium Euangelicæ prædicationis, non in lapide per litteram veteris testamenti, sed in corde per Spiritum Dei viui. Quod
2. Cor. 3. beatus Paulus euidenter insinuat dicens: *Epistola estis Christi ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Hoc ergo Deus scribit in cordibus hominum per spiritum suum, quod exinde diaboli deleuit inuidia, per quam mors intrauit in orbem terrarum. Scribit itaque legem fidei, per quam iustificat gentes Deus, vt dando gratiam renouet naturam. *Charitatem* quippe *quæ plenitudo* Rom. 13.
est legis, ad hoc per Spiritum suum diffundit, vt faciat impleri quod præcipit; & illuminationis gratiam per spiritum fidei propterea largitur, vt quod Deo placitum est, fides per charitatem operetur. Quæ quandiu in homine non est, quidquid sine lege fidei per legem naturalem scriptum remanslt in homine, operantem nullatenus saluat, quia neminem Deus sine fide iustificat, nec potest operantis salutem acquirere, quia *sine fide impossibile est placere Deo.* Nemo ergo naturali legi conetur Heb. 11.
assignare legem, quam Deus non condendo naturam, sed donando gratiam in corde gentium scribit. Hæc est enim lex, non qua homo societatis humanæ vinculum etiam sine fide custodit, sed per quam credendo Deum cognoscit & diligit, non per quam sibi etiam bona opera vel ipsam fidem quisquam superbus vendicat, sed quia Deo in se misericorditer operante; tam fidem suam, quam bona opera subiectus assignat: hæc enim cor hominis ita componit & dirigit, vt cum homo præcepta Dei audit, id donari sibi quod præcipitur poscat, & cum in fide operatur, gratia Dei se iugiter adiuuari non ambigat.

CAPVT XXVIII.

QVod autem interrogant isti de Deo dicentes: Cur ergo non fecit omnes homines velle credere, cum non sit personarum acceptio apud Deum? Scire debent hoc in illis altioribus positum, quibus sancta scriptura humanæ curiositatis exercet audaciam dicens: *Altiora te ne quæsieris, fortiora te ne* Eccl. 3.
scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper. Hæc altiora ille qui vsque in tertium cœlum raptus est, eo magis territus, quo magis illuminatus expauit. Vnde magis clamare non cessat. *O* Rom. 11.
Altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula. Sat est ergo nobis, & in his qui saluantur, gratuitam Dei misericordiam, & in his qui condemnantur veram Dei iustitiam sine dubitatione credere, & corde contrito atque humiliato misericordiam Domino iudiciumque cantare, qui & in vasis iræ atque aptatis in interitum ostendit iustitiæ suæ nullam iniquitatem placere, & demonstrat in vasis misericordiæ, quâ potest eius bonitas omnia quibus voluerit, peccata dimittere.

CAPVT XXIX.

ILlud vero Apostolicum vbi dicitur de Deo: *qui* 1. Tim. 2.
vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, non sicut oportet intelligunt, qui hanc Dei voluntatem, sicut in vasis misericordiæ, sic & in vasis iræ accipiendam existimant, minus considerantes veracissimam scripturæ sententiam, quæ diuinæ commendans omnipotentiam voluntatis: *Om-* Psal. 113.
nia (inquit) *quæcumque voluit, fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis*: Ipsi Deo rursus dicitur: *subest enim tibi cum velle, posse.* Quomodo Sapient. 12.

 igitur

igitur omnia quæ vult facit, si volens hominem saluum fieri, cuius salus non nisi à bona incipit voluntate, ipsum velle non in homine Deus inchoat, sed vt ab homine nascatur, expectat? O quam pessimum nefas asseritur, dum gratiæ Dei contumaciter repugnatur, qui homines opere Dei se in bonum mutari negant, qui homines non essent, nisi bonitate Dei operantis existerent. Itane rerum ordo cordi putative permittitur, vt Deus qui creator est hominis, valeat hominem facere, non mutare, & qui nullius eget adiutorio vt hominem faciat, operari tamen quod vult in hominis voluntate non possit, priusquam in homine ipsum velle repererit, & vt sit homo, habeat ex Deo, vt autem melior sit, habeat ex se ipso, ac si voluntatem bonitatis qua in Deum creditur, non diuina bonitas, sed humana prauitas operetur. Prauus est enim omnis homo, priusquam in Deum credat, & quia scriptum est: *Erunt praua in directa.* Ex prauo fit homo rectus, ex infideli fidelis efficitur. Igitur si Deus prauæ voluntati bonam non tribuit, sed vt ex se ipsa bona fiat expectat, potest ergo praua voluntas ex se bonitatem gignere, ita vt cum ex Deo habeat vt sit, non nisi ex se habere possit vt bona sit, ac si omnipotens, & bonus de voluntatibus hominum malis bonum possit operari cum velit, vt autem ipsæ voluntates bonæ sint, velit quidem, facere autem nullatenus possit. Quis enim nesciat malæ voluntatis fuisse Paulum, cum persequeretur Ecclesiam Dei, & expugnaret illam? cuius tamen malitia benè vsus est Deus, quando persequente Paulo beatus Stephanus est martyrio coronatus. Ergo-ne potuit Deus Stephanum coronare per Pauli persecutoris infidelitatem, & persecutorem Paulum Deus conuertere nequiuit ad fidem? ergo-ne Paulus prior volenti retribuit? & vbi est quod ipse dicit: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Quod vtique non dixisset, si à se voluntatem Deo datam, & à Deo sibi fidem cognosceret retributam. Hanc itaque amentiam, & à fidelibus suis arceat, & ab infidelibus auferat Deus. Ille enim tam profana cogitatione polluitur, cui gratia, vel obdurato non datur, vel aufertur ingrato. Deus enim conuertens viuificat, quos vult saluos fieri; Deus voluntates hominum mutat, vt esse bonæ incipiant. Ideo scriptum est: *Et dixi, nunc cœpi, hæc est mutatio dexteræ excelsi.* Prophetæ sensus aperto sermone se præbuit agnoscendum, qui vtique non posteaquam cœpit, sed hoc ipsum quod cœpit, mutationem dexteræ excelsi non tacuit. Proinde hi qui voluntatem Dei, qua omnes homines vult saluos fieri, æqualem circa redimendos & damnandos existimant, cum interrogati fuerint cur velit Deus omnes homines saluos fieri, nec tamen omnes salui fiant, quid respondebunt?

Esai. 40.
Rom. 11.
Psal. 76.

CAPVT XXX.

AN illud quod vestra eos dicere testatur Epistola? id est, quia Deus expectat hominis voluntatem, vt æquum sit in volentibus præmium, in nolentibus autem iusta damnatio. Sed vt prolixitatem vitantes omittamus alia quæ possunt pro veritate fidei huic prauæ sententiæ replicari, interim testimonio confundantur, atque conuincantur non loquentium hominum, sed tacentium paruulorum, in quibus ad euacuandam sapientiam verbi multum resplendet virtus crucis Christi, quæ gratis in omnibus hominibus propria vtentibus voluntate eandem salutem à se ostendit fieri, quam in infantibus nullam voluntatem habentibus dignatur operari. In eis namque nec bona voluntas est, vt æquum sit in volentibus præmium: nec mala, vt sit in volentibus iusta damnatio. Si ergo vt ad saluandos homines, sicut isti volunt, non excitat, neque mutat, sed expectat hominum voluntates, quomodo infantibus qui baptizantur, & in eadem infantia moriuntur, donat æternam salutem, quorum bonam nec expectat nec inuenit voluntatem? Item alios quomodo sine baptismate mortuos æternis cruciatibus damnat, cum in eis nullam culpam malæ voluntatis inueniat? Nónne istos inimicos gratiæ, nec defensores humani, sed deceptores arbitrij, ad hoc sua peruersitas cogit, vt Deum putent iniquum in obitu omnium paruulorum, vbi vna interueniente vel bonitate, vel malitia voluntatis, alios vident potiri regno, alios interminabili deputatos incendio? Proinde si ita est, vt ipsi sentiunt, nullus debet paruus mori, priusquam ad ætatem perueniat, in qua possit vel bonam voluntatem habere, vel malam, vt Deus non baptizatos paruulos sine bona voluntate saluet, neque non baptizatos sine mala voluntate condemnet. Si enim bonitas salutem non incipit hominis operari, nisi bonam eius inuenerit voluntatem, iniquum erit eum damnari vel redimi, qui benè, nec velle nec nolle potuerit. Sed non est iniquitas apud Deum, cuius vniuersæ viæ misericordia & veritas. Igitur quia Deum iustum bonúmque Catholica veraciter credit & confitetur Ecclesia, certissimè credendum est, & fiducialiter confitendum, vnam eandémque Dei gratiam in maioribus saluandis operari bonæ voluntatis initium, quæ in paruulis sine voluntate operatur saluationis effectum. Ipsa gratia infantes neque volentes, neque nolentes redimit, quæ maiores illuminando volentes ex nolentibus facit. Et hoc in paruulis salutis opus sine propriæ voluntatis assensu cùm gratia Dei operatur, perficitur, quod bonæ voluntatis exordio diuinitus dato in maioribus inchoatur, vt opere solius gratiæ voluntas quæ mala fuit, bona fiat, & deinceps gratiæ secum operanti seruitium obedientiæ cooperatricis exhibeat. Sic autem Deus crudelis non est in infantibus damnandis, quibus baptismatis beneficium non tribuit, sicut iniustus non est in maioribus, cum bonam non donat voluntatem. Et sicut illos voluntas sua mala, sic istos iure puniri facit origo damnata. Deus autem in hominibus nec maculam vitiatæ originis, nec malitiam condidit propriæ voluntatis. In hominibus igitur quos saluat, voluntatem bonam non inuenit, sed sicut ætatum exigit diuersitas, aut in maioribus bonam voluntatem gratis facit quam inuenit malam, aut sine voluntate hominis vel bona, vel mala, perficit in paruulis gratiam sacramenti ille, cuius nemo potest bonæ resistere voluntati.

Salus gratuita adultis sicut paruulis.
Gratia in infantes.

CAPVT XXXI.

QVocirca illos omnes, quos Deus vult saluos fieri, sic intelligere debemus, vt nec aliquem putemus saluari posse nisi volente Deo, nec existimemus voluntatem omnipotentis Dei, aut in aliquo non impleri, aut aliquatenus impediri. Omnes enim quos Deus vult saluos fieri, sine dubitatione saluantur, nec possunt saluari, nisi quos Deus vult saluos fieri, nec est quisquam, quem Deus saluari velit, & non saluetur, quia Deus noster omnia quæcumque voluit, fecit. Ipsi omnes vtique salui fiunt, quos omnes vult saluos fieri, quia hæc salus non

non illis ex humana voluntate nascitur, sed ex Dei bona voluntate præstatur. Verumtamen in his omnibus hominibus, quos Deus vult saluos facere, non totum omnino genus significatur hominum, sed omnium vniuersitas saluandorum. Ideo autem omnes dicti sunt, quia ex omnibus hominibus omnes istos diuina bonitas saluat, id est, ex omni gente, conditione, ætate, ex omni lingua, ex omnium prouincia. In his omnibus ille sermo nostri redemptoris impletur, quo ait: *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* [Ioan. 11.] Quod non ideo dixit, quia omnes omnino trahit, sed quia nemo saluus fit, nisi quem ipse traxerit. Nam & alibi dicit: *Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum.* [Ioan. 6.] Item alibi: *Omne quod dedit mihi pater, ad me veniet.* Hi ergo sunt omnes quos vult Deus saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Est autem familiare diuinis eloquiis, vt omnes nonnunquam dicant, nec tamen omne humanum genus in ipsis omnibus semper intelligi debere commoneant, sicut est illud quod dicit Dominus per Prophetam: [Tot omnes homines non semper totum genus humanum intelligitur.] [Ioel. 2. Actor. 2.] *In nouissimis diebus effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Quod in centum viginti hominibus, in quo Spiritus sanctus linguis igneis venit, factum beatus Petrus ostendit. Si ergo hic omnem carnem omnes omnino putauerimus homines intelligi, incipiet (quod absit) mendax æstimari diuinus sermo. Est *autem Deus verax, & eloquia Domini eloquia casta.* Super omnem igitur carnem, sicut se Deus effusurum de Spiritu suo repromisit, sic fecit, sic facit, sic vsque in finem sæculi facturus est. Prorsus super omnem carnem, id est, super omnes homines effundit de Spiritu suo, scilicet super illos homines, quos vult saluos fieri. Et vt qui sunt omnes isti plenius nouerimus, eiusdem beati Petri sermonibus auscultemus, qui illam prædicationem suam sancto Spiritu repletus hac exhortatione conclusit: [Act. 2.] *Pœnitentiam* (inquit) *agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti.* Vobis enim est repromissio & filiis vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscumque aduocauerit Dominus Deus noster. Omnes itaque dixit, sed quoscumque Dominus aduocauerit. Quos etiam beatus Paulus secundum propositum vocatos insinuat, qui alio quoque loco ait, *Conclusisse Deum omnia in incredulitate, vt omnium misereatur.* [Rom. 11.] Et tamen Deus non ita omnium omnino miseretur, quos in incredulitate conclusit, vt omnibus infidelibus gratiam fidei misericorditer donet, cum tamen eandem gratiam fidei non infidelibus Deus misericors donet, sed illis proculdubio, de quibus ad Moysem dicit: *Miserebor cui misereor, & misericordiam præstabo cuius miserebor.* [Exod. 9.] Gratiam igitur voluntariæ donationis ostendens, sicut Dominus suis dignatus est loqui discipulis: *Vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum, illis autem non est datum.* [Matth. 13. Matth. 19.] Item dicit: *Qui potest capere capiat.* Sed vt ipsam capacitatem diuina doceret largitate concedi, alio loco ait, *Non omnes capiunt verbum, sed quibus datum est.* [Ibid.] Hi sunt ergo omnes quorum Deus miseretur, quia misericordia ipsius præueniuntur, vt credant, & gratis salui fiant per fidem. Eorum namque credulitas non ex humana voluntate sumit initium, sed ipsi voluntati fides gratuita Dei miserantis largitate donatur. Hanc omnium discretionem, quam fidelis debet intellectus omnino seruare, beatus Paulus vno epistolæ suæ loco sic posuit, vt omnes homines sine aliqua exceptione dicens, statim quosdã omnes homines exceptis aliis intimaret. Ait enim: *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* [Rom. 5.] Nunquid? nam quia *in omnes homines in condemnationem, & in omnes homines in iustificationem*, Apostolus dicit, ideo prorsus omnes homines, quos per peccatum Adæ originaliter constat esse damnatos, simul omnes eosdem credere debemus iustificatos esse per Christum, cum innumerabiles infidelium mortes obsistant, qui sine gratia iustificationis de hac vita transeunt, & absque sacramento baptismatis, ad sedem mortis, æternáque supplicia rapiuntur. Restat ergo, vt non omnes omnino, quos in condemnationem ponit Apostolus, transire ad iustificationis gratiam sentiamus, sed quosdam ex illis omnibus. Omnes istos itaque omnes per Adam in condemnationem esse filios iræ, & ex eis quosdam per Christum omnes esse filios gratiæ. * Illos ergo esse omnes, quos per primum hominem propago peccatrix carnali generatione condemnat, omnes enim terreni sunt, qui terreni hominis imaginem gerunt, & omnes cœlestes qui ad æternam vitam imaginem hominis cœlestis accipiunt. [* aliàs addendum, debemus intelligere.] Iterum dicit Propheta: *Omnes gentes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te, & glorificabunt nomen tuum in æternum.* [Psalm. 85.] Dominus autem suis fidelibus dicit: *eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.* [Matth. 10.] Nunquid ergo contrariis sibi repugnat Scriptura diuina sententiis? absit. Sed & illos omnes, & istos omnes veraciter dicit, id est, & omnes fideles, qui nomen Domini in omnibus gẽtibus glorificant, & omnes incredulos qui per easdem omnes gentes, in odio nominis Christi fideliumque eius mortifera impietate perdurant. Tale quidem est etiam in epistola quam Colossensibus beatus Apostolus scribit, vbi dicit: *Quia in Christo condita sunt vniuersa in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* [Cap. 1.] Et paulò post ait: *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris sunt, siue quæ in cœlis sunt.* Nunquid diabolum & Angelos eius pacificare credemus? absit, qui enim sic sentire voluerit, bicipitem laqueum geminæ impietatis incurret, vt aut diabolum & Angelos eius per Spiritum creatos esse neget, aut eos reconciliandos per sanguinem crucis eius affirmet. Verumtamen quisquis harum sententiarum prauitate qualibet inuoluitur, caueat ne cum ipso diabolo atque Angelis eius æternæ combustionis punitione damnetur. Vnius enim eiusdémque impietatis est reus, si quis diabolum aut non à Christo creatum, aut reconciliationi Christi credat quandoque reddendum. Cum vtique si eum Christus Dominus non creasset, eius damnabilis à Christo discessio non esset. Et si eum Christus quandoque saluaturus esset, non ore Christi pronunciaretur eius æterna combustio. Omnia ergo per Christum, & in Christo creata sunt, quia nihil est quod non per filium, & in filio creauerit pater. Et omnia per ipsum atque in ipso reconciliantur, quia nullus est hominum qui sine cruce Christi reconciliationis beneficiũ consequatur. Ex hac ergo regula quæ cœlestibus inserta monstratur oraculis, sic intelligamus omnes homines quos vult Deus saluos fieri, vt nouerimus omnes qui saluantur, non nisi ex eius gratuita bonitate saluari. Vt enim quisque saluetur, nulla præcedunt humanæ voluntatis bona merita, sed sola Dei voluntas humanæ saluationis est causa. *Ira enim in indignatione eius, & vita in voluntate* [Psal. 19.]

eius. Ita igitur eius nostræ iniquitatis est meritum, vita verò nostra voluntatis eius est donum. Ioan.3. *Sicut enim pater suscitat mortuos & viuificat, sic & filius quos vult viuificat*: Eosdem autem viuificari vult, quos vult saluos fieri. Sic ergo quos vult saluat, quêadmodum quos vult viuificat. Nihil namque voluit, & non fecit, qui scriptura teste *omnia quæcunque voluit fecit*. Proinde non indignè dicimus aliquid Deum nolle quod possit. Nefas est autem si quis omnipotentem dicat aliquid facere non posse quod velit, Rom.9. *voluntati enim eius quis resistit?* Nemo vtique, quia nô est aliqua natura, quæ ab eius creatione sit aliena. Et sicut nihil naturaliter subsistit quod ille non fecerit, ita nihil prouenit in salutem hominum, quod ille non in æterna bonæ voluntatis suæ dispositione faciendum prædestinauerit, à quo & fides gratis infunditur, per quam bene ambulemus; & perseuerantia donatur, per quam ad speciem peruenire possimus. Hæc autem dona sua semper Deus in æterna atque incommutabili habet voluntate disposita, in qua præordinauit atque præparauit & quæ daret, & quibus daret. Ipse enim prædestinando præparauit gratiæ donum, qui gratiam donando implet prædestinationis effectum.

EPILOGVS.

HAbetis dilectissimi fratres, tam de Incarnatione Domini nostri Iesu Christi, quàm de gratia paucis expressam fidei nostræ confessionísque sententiam, qua certissimè continetur, Vnigenitum Deum de Deo patre naturaliter sine initio natum, ex virgine naturaliter secundum carnem progenitum. Vnus enim idémque Deus verbum, quem prima natiuitate coæternum sibi genuit æternitas patris, & quem temporaliter conceptum secunda natiuitate filium hominis protulit vterus virginalis. Cuius gratia nobis, & initium bonæ voluntatis donatur ad fidem, & ipsi voluntati adiutorium tribuitur, vt quod bene vult, bene operetur; Deus enim qui hominem condidit, ipse prædestinatione sua & donum illuminationis ad credendum, & donum perseuerantiæ ad proficiendum, atque permanendum, & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, præparauit, quique non aliter perficit in opere, quam in sua sempiterna, atque incommutabili habet voluntate dispositum. Cuius prædestinationis veritatem, *qua nos ante mundi constitutionem prædestinatos in Christo*, testatur Apostolus, Ephes.1. si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris professione proferre, si ante vltimum diem vitæ præsentis, impietatis suæ contumaciam, qua Deo viuo & vero rebellis obsistit, non abiecerit, manifestum est eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit & prædestinauit ad regnum. Pro quibus tamen nec oratio fidelium debet desistere, nec charitas aliquando torpere, vt Deus eis gratiam suæ illuminationis donet, per quam in eis semen diuini sermonis fructificet, qui frustra exterioribus auribus sonat, nisi Deus spirituali munere auditum hominis interioris aperiat.



DIVI FVLGENTII Episcopi Ruspensis ad Euthymium de remissione peccatorum,

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.



EXplicare nequeo verbis, Euthymi charissime, quantum studio tuo congaudeam: quod non solum in domo tua positus cœlestibus animum scripturis indulges, sed etiam sanctam vigili corde frequentas Ecclesiam, vt cum diuinis eloquiis corporis exterior pulsatur auditus, interior animæ tuæ pascatur affectus. Gratiæ quippe diuinæ opus agnoscitur, quod in domo Dei illorum colloquio spiritualiter fueris, quos in amore diuinæ legis feruere cognoscis. Nec cum quibusdam delectaris inutilem miscere sermonem, qui ad vitale cœlestis verbi cõuiuium sine sua vtilitate conueniunt, & secundùm 2.Tim.4. veracem coarguentis B.Pauli sermonem, *à veritate quidem auditum auertunt, ad fabulas autem conuertuntur*. Quos non immeritò dixerim similes illis, quorum stomachus mortifero superatus fastidio, inedia magis inuenitur delectari, quam cibo: & ob hoc frustra sibi medicinales diuitias appositas cernunt. Quas dum recusant percipere, nec virtutis aliquid inde, nec sanitatis acquirunt: atque in domo medici spernentes oblatum medelæ spiritualis sibi antidotum, ad hoc cum infirmitatibus suis intrant, vt deterius infirmi recedant. Quibus tamen potens est Dominus verbi * tui delectationem cognitionémque largiri, vt bonorum inflammentur exemplis. * Sui. Quibus admoniti negligentiam suæ cunctationis abiiciant, & effectum salutis in ipsius medici salubribus præceptis quærant, vt cum his qui perscrutantes testimonia Domini, exquirunt eum, ipsi quoque pro salute sua non desistant quærere quod possit à quærentibus inueniri.

CAPVT II.

EPistola itaque, quam mihi misisti, licet de corde tuo non aliquid nobis intimarit incognitum, cordi tamen nostro magnum incrementum lætitiæ in Domino subrogauit. Cognitum quippe nobis est, diuinam in te gratiam misericorditer operari, te sæpe ac multum de remissione peccatorum cogitare. Verumtamen ideo nostram dixi creuisse lætitiam, quia sic adipisci remissionem peccatorum desideras, vt eiusdem remissionis effectum

ctum frequenter ac vigilanter iniquitas. Dicis igitur inter vos natam esse quæstionem, quam licet ipse recolas, malui tamen verba quæ in tua continentur epistola, ipso quo à te sunt tenore posita, huic opusculo inserere: vt non solum tu ex propria dictatione recognoscas, sed etiam quisquis alius legerit, dum cognitionis percunctatione imbuitur, ad intelligentiam responsionis commodius instruatur. Quæris itaque vtrum rerum conditor Dominus in hoc sæculo tantummodo quibus voluerit peccata dimittit, & si hinc quisquam solutus exeat, an per omnipotentiam suam quibus in sæculo præsenti non dimisit, exeuntibus de corpore ante diem iudicij peccata dimittit, vel in eodem die futuri sæculi. Hæc nempe verba quæ posui, recordaris profectò tuis, vt iam dixi, contineri.

CAPVT III.

IN huius absolutione quæstionis, flagitare vos video paruitatis nostræ sententiam. Proinde spero in abundantia bonitatis Dei, qua sic est ille semper diues, vt exinde nostra quoque possit ditari pauperies, & ex qua cæteris quantum vult sic donat, vt in ea plenius ipse permaneat, quia talia nostro cordi spiritualiter dignabitur infundere, quæ & nobis dicere prosit, & vobis audire. Sermo enim, quem vobis in Dei gratia ministramus, tunc etiam nobis prodest, si quod vobis pro salute verbo stylóque foris dicimus, non intus mites & humiles audiamus.
Psal.74. Non enim frustrà Dauid sanctissimus dicit: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Qui auditus propriè ad humiles pertinet. Propter quod alio
Psal.50. loco idem Propheta dicit: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata.* Alio
Esaiæ.66. loco maiestas ipsa sic loquitur: *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementem verba mea?* Nec verò iste Spiritus Dei, sic super humilem & quietum requiescit, vt non ipse quietum humilémque faciat, sed tanquam humilem quietumque requieturus inueniat. In eo quippe super humilem & quietum dignatur requiescere: quia super quem requiescit, quietum & humilem facit. Hoc ergo Spiritus sanctus operatur, vt vitium superbiæ atque inquietudinis ab homine, in quo requiescit, expellat: ac sic præueniente sancti Spiritus operatione, hominis voluntatem misericorditer immutante, omne præteritæ humanæ iniquitatis vinculum gratis data soluat remissio peccatorum.

CAPVT IV.

NOn itaque de re parua dissetimus, nec vile aliquid quærimus, cum de remissione peccatorum, quantum diuina largitas adiuuat, disputa-
Coloss.1. mus. *Per hanc enim de potestate tenebrarum eripiuntur quos Deus transferet in regnum filij dilectionis suæ.* Per hanc liberantur ab æterna pœna, vt potiantur æterna lætitia. Per illam deponitur onus, seu quod
*adtraxit. natiuitas vitiosa * traxit, siue quod iniquitas vi-
Matth.11. tiosæ inuenturis adiecit: *Per eam Christus eos, qui laborant & onerati sunt venientes ad se reficit, quibus leue iugum, leuémque sarcinam suæ charitatis imponit.* Per ipsam gratis iustificabitur impius, vt reputetur fides eius ad iustitiam. Per illam caret mala vita, qua fuerat implicatus: & accipit gratis bonam, qua fuit indignus. Per ipsam fit, vt in bona vita deinceps dono misericordiæ præuenientis illuminatus ambulet: & in ea deductus misericordiæ subsequentis munere perseueret, vt indebita gratia bene viuendi donum inchoet in homine: peccatorum remissione donata, quod perficiat perseuerandi virtute concessa. Per remissionem peccatorum gratis homines discernuntur ab aliis qui cruciabuntur in æternum cum diabolo, & adiunguntur his qui sine fine regnabunt cum Christo. Postremo talis est remissio peccatorum, vt pro ipsa fieret homo vnigenitus Dei, pro ipsa etiam sanguis eius fuisset effusus. Vnum horum vox angelicæ visionis aperuit: alterum vero ipse Dominus indicauit. *Nam* Matth.1.
cum desponsata esset Maria mater eius Ioseph, & sicut Euangelista testatur, *priusquam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto*, conceptionis illius causa nescienti Ioseph istis est verbis ab Angelo nunciata: *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Quid vero aliud est à peccatis saluare, nisi peccata dimittere; nam & ipse saluator noster, *qui venit saluum facere quod perierat*, ob hoc se venisse testatur, vt vocaret peccatores in pœnitentiam. Matth.9.

CAPVT V.

VOcationis autem huius ad pœnitentiam principale est beneficium, gratuita remissio peccatorum. Pro qua idem redemptor noster peracto Matth.26.
Paschalis cœnæ conuiuio sanguinem suum enuntiat effundendum. *Bibite*, inquit, *ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Hanc igitur, sicut arbitror, aut omnis, aut penè omnis qui quolibet modo appellatur Christiano nomine, inuenire desiderat: sed interest vbi quisque, vel quando, vel qualiter quærat. Neque enim ad remissionem peccatorum poterit peruenire, si quis aut veram non teneat fidem, aut negligat bonæ operationis officium, aut rectæ credulitatis bonæ operationis concessum diuinitus tempus mortifera præoccupatus vanitate condemnat. Hæc namque tria, id est, fides, opus & tempus, ita sunt simul hominibus in hac vita necessaria: vt si cui vnum ex his tribus in præsenti sæculo defuerit, æternæ vitæ particeps esse non possit. Ac per hoc nec remissionem peccatorum consequetur, per quam ad æternæ vitæ præmium peruenitur. Quod necesse est Domino adiuuante diuinorum testimoniorum attestatione monstremus. Præ omnibus itaque nobis est firma credulitate retinendum, misericordem & iustum esse Dominum Deum nostrum. Hinc enim facile potest inquirentibus apparere, qualibus peccata Deus dimittat, vbi dimittat, quando dimittat. Quibus cognitis, nec prauam quisquam retineat de Deo sententiam, nec conuersionem suam negligat, nec à Catholica Ecclesia discedat. Aut si quis discessit, celeriter reuertatur, nec de tempore sibi velit infulsa cogitatione blandiri: si ad Deum in hac vita quisquam conuerti nolens, & vsque ad mortem iniquitatibus seruiens, post hanc vitam se credat adepturum remissionem peccatorum, quando iam præiudicatus tempore tribulationis diuinæ non peccatum possit vitare conuersus, sed supplicij maneat æternitate damnandus.

Tria ad remissionem peccatorum necessaria: fides, opus & tempus.

CAPVT VI.

MVltis enim multiplicibusque fraudibus viam cœlestis itineris diabolus claudere nititur & celare: cuius hoc est incessabile studium, vt ad cruciatus sui societatem miserorum turbam quantumcumque potuerit vel trahat illectam, vel cogat inuitam. Nonnullos quippe facit abiecta consideratione diuinæ iustitiæ, solam Dei misericordiam cogitare: vt conuersionem suam negligant, existi-

mantes se etiamsi vsque in finem criminosam duxerint vitam, remissionis beneficio potituros esse. Alios autem cogit aut illicit Ecclesiæ Catholicæ gremio derelicto, ad hæreses vel schismata deprauati cordis cæcitate transire. Quorum animos deceptione falsæ promissionis illaqueat, vt vel putent se recto fulciri dogmate, vel sperent sibi pro sola cordis credulitate futurum remissionis beneficium, etiamsi ficto animo pro temporis vel commoditate vel metu, mortifero hæreticorum consortio, vsque ad mortem teneantur innexi, minus considerantes illam Saluatoris nostri sententiam dicentis:
Luc.12. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est: & qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est.* Et alio loco:
Luc.9. *Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & patris, & sanctorum Angelorum.* Plerisque vero humani generis inimicus ad hoc peccatorum suorum recordationem molitur ingerere, vt vel obduratis desperationem remissionis iniiciat, & eos remedio conuersionis excludat. Hæc autem omnia non ob aliud fraudulenta semper agit obiectus fallacia, nisi vt opportunitatem temporis adimat, qua conuersis potest donari remissio. Ac sic quantum ad eius attinet malignitatem, si fieri possit, nemo perueniat ad salutem. Deum namque misericordem iustumque esse cognoscit, nec ignorat quod peccatorum remissionem sola de Deo possit elicere cordis vera conuersio. Scit etiam quod non alibi, quam in solo gremio Catholicæ Matris dimitti possint peccata conuersis: nec eum latet in præsenti tantum sæculo remissionem omnium peccatorum conuersis posse concedi: vbi humanum genus per constitutum diuinitus ordinem decessione morientium, successionéque nascentium carnalis natiuitatis nexu non iniustè constringitur, atque spirituali natiuitate gratis enodatur: vbi etiam omnem reatum aut soluit conuersio, aut insolubilem facit, seu vanæ spei neglectio nutrita, siue desperatione roborata, & vsque in finem retenta cordis obdurati nequitia.

Sola cordis vera conuersio elicit de Deo remissionem peccatorũ.

CAPVT VII.

SEd iam suscepti operis compellit instantia, vt omnia quæ superius intimaui, debita disputatione atque Scripturarum sanctarum attestatione perdoceam. Enimvero vtriusque veridica series testamenti, cuncta quæ ad prouentum pertinent humanæ salutis non tacet: vt nihil sit quod in posterum contemptor damnandus excuset. Principaliter igitur omnis scriptura diuinitus inspirata vnum verum ac solum Deum, illam scilicet Trinitatem, id est, Patrem & filium & Spiritum sanctum, tam misericordem prædicat esse, quam iustum. Ipsi enim ex persona Ecclesiæ dicitur: *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* De illo
Psal.100. etiam canitur: *Misericors Dominus & iustus, & Deus noster miserebitur.* Alio quoque loco: *Quoniam iustus Dominus & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* Denuo dicitur: *vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas.* Et rursus: *Quoniam misericordiam & veritatẽ diligit Dominus.* In primo quoque decalogi præcepto iustum se idem Dominus, misericordémque sic intimat: *Ego sum Dominus Deus tuus, Deus Zelans, qui reddo peccata patrum in filios, in tertiam & quartam progeniem, in his qui oderunt me: & faciens misericordiam in millia millium, his qui amant, & custodiunt præcepta mea.* Propterea Moyses dixit: *Dominus Deus indulgens & misericors, patiens & multæ misericordiæ & verax, iustitiam custodiens & misericordiam in millia, auferens iniquitates & iniustitias & peccata. Et non purificabit reum, adducens peccata patrum in filios filiorum in tertiam & quartam progeniem.* Per Isaiam quoque suam Dominus misericordiam iustitiámque commemorat, dicens: *Ego Deus, & non alius præter me iustus, & saluans: non est alius præter me. Conuertimini ad me, & salui eritis.* Esaiæ

Deus tam misericors est, quam iustus.
Psal.114.
Psal.10.
Psal.23.
Exod.20.
Exod.24.
Deut.5.

CAPVT VIII.

HIs igitur atque innumeris huiusmodi testimoniis, quibus Dominus Deus noster misericors prædicatur & iustus, ostenditur quantum diligenda sit eius misericordia, quantumque iustitia metuenda monstratur. *Misericors enim & miserator Dominus, patiens & multum misericors & verax,* sicut nouit à conuerso submouere supplicium: sic in eo qui conuerti noluerit, nullatenus sinit inultum remanere peccatum. Idcirco si quos in præsenti sæculo pia Dei bonitas dominatione peccati non liberat, ipsos in futuro seueritas iusta condemnat. Hinc est quod diuinis indesinenter eloquiis mali salubriter admonentur, ne remaneant in seruitute peccati: sed misericordiam iusti Dei dum sunt in hac vita requirant. Bonis quoque præcipitur, *vt seruientes Domino in timore, & exultantes ei cum tremore, apprehendant disciplinam: ne quando irascatur Dominus & pereant de via iusta.* Ipse itaque Deus qui est misericors & iustus, sicut admonet, vt propter iustitiam & misericordiam timeatur & diligatur à malis, vt conuersi careant pœna quam iustitia minatur, & accipiant indulgentiam quam misericordia pollicetur, sic admonet vt propter iustitiam & misericordiam diligatur & timeatur à bonis, quo possint qui eius præuenti misericordia boni sunt, & dilectione, misericordiæ in bonis operibus permanere, & timore iustitiæ à peccatis semetipsos sollicitè custodire: & consideratione propriæ infirmitatis instructi nunquam de suis viribus confidant, sed diuinæ virtutis auxilium iugiter & humiliter poscant. Debet ergo & à bonis & à malis tam misericordia diligi, quam iustitia formidari: ne vel boni diligentes misericordiam Dei, iustitiam non timeant, & laqueos diaboli seducentis incurrant: vel mali solam iustitiæ seueritatem considerantes, non quærant (cum inuenire possunt per conuersionem) misericordiæ beneficium, ac sic obdurati non solum remissionem peccatorum denegent, quin etiam peccata multiplicare non cessent.

Psal.2.

CAPVT IX.

HOc enim bicipiti laqueo frequenter diabolus captiuat incautos: vt aut spe vana futuræ remissionis obtusi, nolint iustitiæ timore conuerti, aut remissionem omnimodis desperantes, conuersionem negligant, & habenas iniquitatibus relaxantes, dum desperant indulgentiam, currant præcipites in gehennam. Ac sic ille callidus humani generis inimicus, alios desperationis temeritate præcipitat, alios autem fallacis spei deceptione supplantat. Propter quod beatus Paulus, *in quo locutus est Christus*, bene viuentibus scribens, sic eorum commendat obedientiam, vt cum metu & tremore salubris operationis iubeat talibus inesse cautelam. Dicit enim Philippensibus: *itaque charissimi mei (sicut semper obedistis) non vt in præsentia mea tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* His verbis beatus Paulus

1.Cor.
Philip.2.

Paulus

Paulus istum vtique Deum insinuat, cum metum tremorémque seruandum fidelibus præcepit in operibus bonis. Misericordem quoque prædicat, quem in eis operari dicit, & velle & perficere pro bona voluntate. Neque enim à bene operantibus iuste timeretur, si iustus non esset. Nec omne bonum voluntatis, & operis ipse in eis operaretur, si misericors non fuisset. Hunc iustitiæ diuinæ timorem terribili denuo prædicatione iustis vehementer Apostolus Paulus inculcat, dicens: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Et rursus: *Fratres si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Ipsis quoque Apostolis cum magisterio cœlesti denuntiatur infirmitas propria, cum congrui timoris demonstratur in humilitate cordis cautela retinenda, dicente Domino: *vigilate & orate, ne veniatis in tentationem: Spiritus quidem promptus, caro autem infirma est.*

1 Cor. 10. Galat. 6. Matth. 26.

CAPVT X.

VEruntamen quia cuncta quæ diuinis continentur eloquiis, ad custodiam, vel reparationem dicuntur humanæ salutis, prouidit sermo diuinus, ne dum iustis diuinæ metus indicitur æquitatis, econtrario mortifera peccatoribus desperatio nasceretur, si spes indulgentiæ minime monstraretur. Ipsa enim errantes ad viam veritatis reuocat, dum propitiatione diuina conuerso relaxandum promittit, quicquid mali priusquam conuerteretur admisit. Ideo Apostolus Paulus in Epistola, quam ad Romanos scripsit, sicut fideles & bonos ad insinuationem seueritatis diuinæ terrificat, sic infideles & malos ad conuersionem spe certissima supernæ bonitatis inuitat: vt scilicet tam boni discerent non altum sapere, sed timere, quam mali possint remedium salutis æternæ sine quolibet impedimento dubitationis adquirere. Dicit igitur beatissimus Paulus: *Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate.* Alioquin & tu excideris, & illi, si non permanserint in credulitate, inserentur. Potens est enim Deus iterum inserere illos. Itaque cum dicat Apostolus illum excidendum, qui in bonitate non permanserit, & illum qui in credulitate non permanserit inserendum: quis homo iustus non tremefactus iustitiam metuat? vel quis iniquus non ad Dei misericordiam confirmatus accurrat? Qui non compellatur bono cuilibet impij, si toto corde conuersus fuerit, audeat desperare, cum cœlestis medicina præceptis salubribus æqualiter sanis consulat & infirmis: illis timorem iustitiæ indicens, tanquam salutis acceptæ custodem: istis misericordiæ beneficium pollicens, vt spei remedio subleuati, recipiant quam perdiderant sospitatem. Timor enim iustitiæ præcipitur sanato, cui dicitur: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Spes quoque misericordiæ demonstratur infirmis, cum dicitur: *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus: non veni vocare iustos, sed peccatores in pœnitentiam.* Sermo quoque propheticus misericordiam Dei iustitiámque commendare non desinit, sic Deo per Ezechielem prophetam dicente: *Iniquus si se conuertat ab omnibus iniquitatibus suis, quas fecit, & custodierit omnia mandata mea, & fecerit iustitiam & misericordiam, vita viuet, & non morietur. Omnia delicta eius quæcumque fecit, non erunt in memoria: in sua iustitia quam fecit, viuet. Nunquid voluntate volo mortem peccatoris, dicit Dominus? quam vt auertatur de via sua mala, & viuere eum?* Ostenso itaque ad impios conuertendos diuinæ longanimitatis ac benignitatis beneficio, ad iustos quoque deterrendos ita propheticus sermo dirigitur: *Cum se autem auerterit iustus à sua iustitia, & fecerit iniquitatem, secundum omnes iniquitates quas fecit ille iniquus, omnes iustitiæ eius quas fecit, non erunt in memoria. In delicto suo quo deliquit, & in peccatis suis quibus peccauit, in ipsis morietur.*

Locus obscurus. Ioan. 5. Matth. 9.

CAPVT XI.

INnumerabilia sunt diuinarum testimonia scripturarum, quibus Deus misericors prædicatur & iustus, nec est aliud quod omnis textus cœlestis eloquij agit, nisi vt malos admoneat timore iustitiæ Dei celeriter malis operibus finem ponere, & bonos in bonis operibus sollicitè atque humiliter permanere: Vt scilicet & omnis iniquus æquitatem Dei metuens, ad misericordiam currat iustæ bonitatis, & omnis iustus de Dei misericordia gaudens, iudicium benignissimæ non negligat æquitatis. Quia vbi est misericordia iustitiáque perfecta, nec fauorem potest iustus peccatis impendere, nec indulgentiam conuersis misericors abnegare. Ex hoc igitur quod iustus & misericors prædicatur, facillimè cognoscitur, non nisi conuersis remissionem tribui peccatorum, nec nisi permanentibus in peccato supplicium sempiternæ damnationis inferri. Propter quod Psalmista sic canit: *Nisi conuertamini, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis.* Per Isaiam quoque non dissimilis aduersus contumaces, & diuinæ clementiæ contemptores lata reperitur ore diuino sententia, in qua cognoscitur, nec inaniter quemque diuinis imperiis obedire, nec impunè in iniquitatibus permanere. Sic ergo dicit: *Lauamini, mundi estote, auferte nequitias vestras ab animis vestris è conspectu oculorum meorum: desinite à malitiis vestris, discite bonum facere: inquirite iudicium, eripite iniuriam accipientem, iudicate pupillos, & iustificate viduam, & venite disputemus, dicit Dominus. Et si fuerint delicta vestra vt fœnicium, vt niuem dealbabo. Si autem vt coccum, vt lanam candidam efficiam. Et si volueritis & obaudieritis me, quæ bona sunt terræ, edetis. Si autem nolueritis, neque obaudieritis me, gladius vos comedet. Os enim Domini locutus est hoc.* Quis rogo est tam durus, aut omnino stolidus, qui in hoc sermone monitionis supernæ, si ad conuersionem non inuitatur delectatione promissi, non saltem compellatur terrore supplicij? contemptorem quippe diuini sermonis non excipiet salus, sed comesturus est gladius. Hinc est quod alio loco in eiusdem Prophetæ volumine demonstratur: quia nisi per conuersionem nemo perueniet ad salutem. Sic enim dicitur: *Si conuersus fueris, & ingemueris, saluus eris.* In hoc testimonio conditionali Deus & præcepto vtitur, & promisso. Dicens quippe: *Si conuersus fueris, & ingemueris, saluus eris*: ostendit ex conuersionis conditione promissionem salutis omnino pendere. Hæc est igitur inter Deum, hominémque conditio, id est, inter præcipientem Dominum, seruumque poscentem, inter iudicem qui sine iustitia misericordiam prærogat, & peccatorem qui misericordiam iustè iudicantis expectat. Dicit igitur iste Dominus, misericors & iustus, seuerus & pius: Si hoc feceris, hoc habebis. Si quod dico custodieris, dabo quod poscis. Ego tibi præcipio conuersionem, tu poscis à me salutem. Si parueris præcepto, potieris beneficio. Si iussa fieri videam, postulata concedam. *Si conuersus*

Psal. 7. Esai. 1. Esai. 30.

uersus fueris, & ingemueris, saluus eris. Cum dicitur ergo peccanti beneficium salutis accipere cupienti, quia si conuersus fuerit, & ingemuerit, saluus erit consequenter intelligatur, quia etiamsi ingemuerit, tamen conuersus non fuerit, saluus non erit. Non enim frustra vtrumque diuinus sermo complexus est, nisi vt hæc duo, id est, conuersionem & gemitum necessaria cognosceremus ad consequendum salutis effectum.

CAPVT XII.

NOnnulli enim scelerum suorum consideratione perterriti, pro iniquitatibus quidem suis in oratione gemunt, nec tamen ab iniqua operatione discedunt. Fatentur se male fecisse, nec vllum finem volunt malis suis factis imponere. Accusant humiliter in conspectu Dei peccata quibus tenentur oppressi, & eadem peccata quæ humilitate sermonis accusant, corde peruerso contumaciter cumulant. Indulgentiam quam lachrymosis gemitibus poscunt, ipsi sibi prauis operibus adimunt. Medelam postulant à medico, & in perniciem suam subrogant adiutorium morbo. Ac sic inaniter verbis quærunt placare iustum iudicem, quem factis iniquis magis irritant ad furorem. Tales enim nunquam diluunt gemendo peccatum, quia non desinunt peccare post gemitum. Pro criminibus namque gemunt: & post gemitum ad crimina redeunt. Eccl. 34. De talibus in libro Ecclesiastici Scriptura diuina sic loquitur: *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lauatio eius? Sic homo qui ieiunat pro peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem eius quis exaudiet?* Rectissimè igitur dicit Deus homini: *si conuersus fueris, & ingemueris, saluus eris.* Apud Deum quippe seuerum, & bonum tunc oratio gementis auditur, tunc poscentis fletus attenditur, tunc flenti conceditur salus, si fuerit ad Deum contriti cordis humilitate conuersus. Necesse est enim vt Deus peccatori misertus ignoscat, si tamen peccator iniquitatem suam conuersus agnoscat. Denique diuinam misericordiam propterea Dauid sanctus efficaciter inuenit, quia conuersus per humilitatem contriti cordis, quod male fecerat agnoscendo damnauit, nec distulit punire pœnitendo mali operis cupiditatem in qua fuerat lapsus: quia si non puniret vnde reus tenebamur, proculdubio ipse puniretur. Suum ergo facinus agnouit conuersus in pœnitentiam, metuit ne damnatus agnouisset pœnam. Ipse in se penitus vindicabat agnoscendo, quod ignosci sibi volebat à Domino. Psalm. 50. Denique cum dixisset: *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Magis magísque laua me ab iniustitia mea, & à delicto meo munda me:* Statim secutus adiunxit: *Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, & delictum meum coram me est semper.* Agnoscebat iniquitatem suam, non vt peccando magis augeret, sed vt pœnitendo dilueret, atque ita dominationem peccati, quam delectatio culpabilis inuexit, conuersio vera submouit. Et quia ingemuit Dauid ex toto corde conuersus, continuo saluus est factus, atque ita in eo completum est quod per Prophetam præcipitur: *Si conuersus fueris, & ingemueris, saluus eris.*

CAPVT XIII.

POrro conuersio & ab impietate, & ab iniquitate præcipitur: vtraque enim aduersum se iram Dei prouocant: quia vtrumque Deus execratur & damnat, dicente Paulo: *Reuelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum.* Rom. 1. Et Salomon ait, quod etiam beatus Petrus suis Epistolis inseruit: *Si iustus vix saluabitur, peccator & impius vbi parebunt?* Prou. 11. 1. Petr. 4. Vnde non immerito vas electionis, quod diuinæ plenum erat charitatis, sicut pro his qui in fide peccabant tristitia magna concutiebatur & dolore cordis: sic illos qui intra Ecclesiam constituti, & impudicè luxurioséque viuentes pœnitentiam non agebant, lugere se testatus est. 1. Cor. 12. De Iudæis enim quos increduli cordis impietas possidebat: ita dicit: *veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea, in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi est magna, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem, qui sunt Israëlitæ.* Rom. 9. De illis verò qui intra Ecclesiam positi malis operibus insistebant, sic ad Corinthios loquitur medicinali sermone: *Ne iterum cum venero humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam, super immunditia & fornicatione & impudicitia quam gesserunt.* 1. Cor. 12. Nec istos vtique tristis doleret, nec illos humiliatus doleret Apostolus, si impiis & iniquis exacerbantibus diuinam iustitiam sine conuersione cordis remissionem peccatorum crederet conferendam: cum ipsa remissio peccatorum non nisi in conuersione cordis sortiatur effectum: in illis duntaxat qui propriæ voluntatis vtentes arbitrio, diuini muneris opitulatione conuersi mutata in melius vita, non desistunt ad poscendam remissionem peccatorum currere: ad quorum perpetrationem siue nescientes ignorantia impulit, seu quod est deterius, scientes contumacia voluntatis illexit. Propter quod Propheta orat Deum: *Delicta iuuentutis & ignorantias meas ne memineris.* Luc. 12. Et Saluator noster ait: *Seruus nesciens voluntatem Domini sui, & faciens indigna, vapulabit paucis; & seruus sciens voluntatem Domini sui, & faciens indigna, vapulabit multis.* Vnde & Apostolus in ignorantia se peccasse confitetur his verbis: *Gratias ago ei qui me confortauit in Christo Iesu Domino nostro: quia fidelē me existimauit, ponens in ministerio, qui prius sui blasphemus, & persecutor contumeliosus: sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* 1. Tim. 1. Ne quis ergo sibi de ignorantia blandiatur, attendendus est Apostoli sermo, qui se ignorantia quidem defecisse pronuntiat, sed tamen se peccasse non negat. *Imo primum se dicit omnium peccatorum.* Ibidem. Primum scilicet, non temporis cursu, sed iniquitatis excessu. Misericordiam itaque in hoc consecutus est, vt peccata quæ in ignorantia fecerat, illuminatus agnosceret, & conuersus protinus abdicaret. Hoc autem fit, vt sicut nos docet Apostolus Iacobus: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, de sursum descendere à patre luminum cognoscamus.* Iacob. 1. Qui cum in peccatore hoc inueniat, pro quo debeat iustè damnari, conuersionem ipse gratis tribuit peccatori: per quam iustæ damnationis possint tormenta submoueri.

CAPVT XIV.

IN omni ergo peccatore, qui arbitrio iam propriæ voluntatis vtitur, per conuersionem cordis beneficium diuini muneris inchoatur. Cæterum paruulos nouimus non propria voluntate, sed fideliū pro eis confitentium recta credulitate saluari. Conuenit enim iudicio veritatis paruulos ministerio alienæ confessionis absolui, quos vinculo constat alienæ iniquitatis

iniquitatis obstringi: vt aliis spiritualiter confitentibus accipiant iustificationis beneficium, qui aliis carnaliter generantibus portant originale peccatum. Et sicut ad primam natiuitatem obfuit nondum natis nec aliquid agentibus parentum carnalis concubitus, sic eis nescientibus prosit ad secundam natiuitatem fidelium pro eis confitentium spiritualis affectus. Quantum ergo ad illos attinet qui propriorum iam possunt actuum reddere rationem, nullus efficietur beatus, nisi qui malis actibus renuntians, ad Deum fuerit tota cordis humilitate
Psal.31. conuersus. *Beati* enim *quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Quisquis igitur propriæ voluntatis, & operationis iniquitatem portat, non potest aliquam accipere beatitudinem, nisi fuerit ad ipsum conuersus beatitudinis largitorem.

CAPVT XV.

PEccatis enim excæcatur cor, remissione verò illuminatur: quia sicut nihil est aliud excæcari quam lumine priuari, ita curatus oculus in quantum potiri valet visione luminis, in tantum caret vitio cæcitatis. Qui tamen oculus videre lumen nullatenus valebit, nisi se illi lumen infuderit. Oculus igitur per luminis infusionem potest percipere luminis visionem. Sic & remissio peccatorum cum hominibus datur, proculdubio cæcitas cordis expellitur, vt lumen iustitiæ oculo interiore cernatur. Cæterùm quomodo fieri potest, vt obscuritas tenebrarum remoueatur, si luminis infusio non donetur? Deus ergo quibus propria peccata dimittit, lumen veræ confessionis infundit. Quocirca sicut cæcus quilibet, quandiu cæcus est, non potest lumen videre: sic iniquus quilibet, aut impius remissionem non accipit peccatorum, nisi præuentus gratuitæ iustificationis munere toto corde conuertatur ad Deum. Ipsius enim remissionis effectus in cordis conuersione consistit. Cæterum cui conuersionis gratia non conceditur, peccatorum remissio non donatur. Quid est enim aliud remissionem peccatorum consequi, nisi à peccati
Ioan.8. dominatione liberari? *Omnis enim* (sicut veritas dicit) *qui facit peccatum, seruus est peccati.* Quomodo autem potiri creditur splendifero liberationis munere, qui peccati non caret teterrima serui-
Rom.8. tute? Propter quod eorum qui dicunt: *faciamus mala, vt veniant bona,* iustam esse damnationem ma-
1.Cor.6. gistro gentium docente cognouimus, quo prædicante similiter audiuimus: *Quia neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Galatas quoque sic idem Doctor eximius monet: *manifesta autem sunt* (in-
Gal.5. quiens) *opera carnis. Quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequuntur.* Quia igitur iustus est Deus, quamdiu isti talia agunt, regnum Dei non consequuntur. Quoniam verò idem Deus misericors est, propterea mali si talia agere desinant, in quibus Deum contumaciter exacerbant, & humiliati, atque correcti ad Deum conuertantur, regnum Dei sine dubio consequentur. Sicut enim opus iustitiæ non vincitur: sic nec opus misericordiæ submouetur. Et ideò sic Deus possessionem regni sui disposuit, vt eam quia iustus est, impio, & iniquo non donet. Quia verò misericors est, omni veraciter conuerso non deneget.

CAPVT XVI.

COnuersio autem tunc vera probatur in homine, si impietas, & iniquitas pellatur ex corde. *Conuersio vera quæ.*
Veruntamen inter impietatem, & iniquitatem hæc solet pronũtiari differentia: quod impietas, aut prauam in Deum fidẽ gerit, aut nullam. Iniquitas autẽ malis moribus polluit vitam. Blasphemat impietas Deum: lædit iniquitas proximum. *Differentia inter impietatem & iniquitatem. Impietas.* Impietas autem ex humilitate carnis mentitur altissimũ, nitens Sacramentum impietatis inuictæ ad diuinæ naturæ contumeliam prædicare, aut in humana carne Deum Dei filium conceptum natumque denegat, & Deo vero non carnis veritatem, sed ostentationem solam falsæ visionis assignat. Aut ita carnem Christi fatetur de carne virginis, vt eam neget in carnis susceptione conceptam. Aut eundem patrem, quem filiũ Spiritumque sanctum dicit confusione impia, aut Patris, & Filij, & Spiritus sancti diuersas naturas inducit separatione peruersa, aut non credit carnem filij Dei de carne Mariæ Virginis sumptam, sed de cœlo non dubitat asseuerare depositam, aut aliquid humanæ naturæ vult Christo subtrahere, vt accepta humana carne animã rationalẽ, id est, animam plenam hominis vnigenitum Deum deneget accepisse. Impietatis est crimen, si quis dicat, non omnẽ spiritualem corporalémque à Deo bonam conditã naturam, sed ex aduerso propriam mali velit designare substantiam: cum omne malũ, non ex ortu, neque statu naturalis proprietatis existat, sed ex defectu voluntariæ cogitationis eueniat: non quia bona natura malam naturam recipit, cum mala natura nulla sit: sed quia dilectionis ordine derelicto, creatura rationalis, quæ ad dilectionẽ creatoris facta est, dum contempto creatore, aut rebus inhæret creatis, aut cogitationibus falsis deterior facta, temporalia sempiternis, ima summis, mutabilia immutabilibus anteponit. Similiter illi qui iustos & iniquos, non ex operum diuersitate, sed ex Sacramentorum dicunt communione censendos, nihil volẽtes vnicuique prodesse, si inter iniustos iustè viuat in Ecclesia Catholica, tanquam vnumquemque nõ pro qualitate facti, sed pro societate Sacramenti æterna retributio, siue supplicij sit exceptura, siue regni. Hæc ergo quæ sunt à nobis superius intimata, & alia multa quæ aduersum Catholicã, & Apostolicam fidem ab hæreticis atque schismaticis proferuntur, impietatis vitio deputantur. Ipsa enim separatio impios ostẽdit: quæ tales Ecclesiastico corpori, non socios, sed aduersarios facit. Neque enim à conuentu Ecclesiasticæ vnitatis corpore separarentur, ac loco, nisi prius ab Ecclesiastica fide descenderent corde corrupto: neque à legitimo verbi Dei coniugio aperta impietate seiungerentur, nisi perfidas, ac peruersas cogitationes adulterina diabolicæ constuprationis seminatione conciperent: quas nequiter interno fouentes assensu, ad hoc postmodum nefaria locutione parerent, vt viperea similitudine propriis disrupti fœtibus interirent. Viperis quippe hoc est parere, quod perire. Quarum filij, sicut fertur, disruptis quibus sunt cõcepti visceribus, sic egrediuntur in lucem, vt parentibus inferãt mortem. *Impij hæretici & schismatici viperis similes. 2.Tim.3.* Cum igitur impia quælibet prauitas, vel assensu concipitur, vel etiam professione generatur, æterna morte animam interimit. Quæ corruptioni consentiens, ob hoc internæ conceptu infidelitatis inflatus, vt suo postmodum rupta partu moriatur. Tales Apostolica his verbis designat authoritas: *Sicut autem Ioannes, & Mambre*

Mambre reſtiterunt Moyſi: ita hi reſiſtunt veritati homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Si quis igitur contraria diſputans,& à bonitate ſemetipsũ ſegregans,Eccleſiaſticæ fidei peruerſus obſiſtit, iſte proculdubio impius dicitur. Si quis autem in corpore vnitatis Catholicæ perſeuerans Sacramentorum ſocietate coniunctus, flagitiis & criminibus deditus,is ſolet iniquus vocari, non impius. Vnde nobis nunc non eſt diſputandum.Hoc tamen dicimus,quia non omnis iniquus eſt impius,licet omnis impius ſit iniquus.

Iniquus quis Non omnis iniquus impius: ſed omnis impius eſt iniquus.

CAPVT XVII.

CONuerſio ergo illa in conſpectu Dei grata eſt & accepta,in qua ſimul & fidei rectitudo ſeruatur,& vitæ bonæ regula cuſtoditur:id eſt,vt principaliter recta teneatur de Deo ſententia, deinde proximo exhibeatur charitas diuinitus imperata. Tunc enim ſe homo rectè diligit,cum dilectionem Dei ſibi deuotus,& humilis anteponit.Tunc etiam diligit proximum,ſi proximo quantum poteſt conſulat,vt ad Deum recta fide, & bona conuerſatione perueniat.Proximi autem charitas duplici eſt ratione ſeruãda, vt ſcilicet nec alij inferat quicquã quod ſibi nollet inferri:nec indigẽti opem boni operis in quantum poteſt,deneget,quia nec ſibi vellet negari,ſi ſimiliter indigeret. Vnde Saluatoris noſtri ſic nos agnoſcimus informari ſermone dicentis: *Quæ vultis vt faciant vobis homines, eadem, & vos facite eis. Hæc enim lex & Prophetæ.* Non dixit Chriſtus, quæ vobis fecerint homines, eadem & vos facite eis, ne malum crederemus pro malo reddendum ei qui nobis mali aliquid fecit,aut cuiquam negandũ putaremus beneficium,à quo nobis nihil beneficij ſciremus impenſum: Cùm debeat Chriſtianus omni homini beneuolentiæ adiutorium,vel prærogare,vel reddere:vt & bono bonum reddat,& malum bonitate præueniat.Dicitur enim nobis à Domino: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui vos oderunt,& orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos,vt ſitis filij patris veſtri qui in cœlis eſt,qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos,& malos,& pluit ſuper iuſtos,& iniuſtos.* Boni autem fideles,non ſolum ab illis perſecutionem patiuntur qui foris poſiti latratibus perfidis ac peruerſis Eccleſiæ Catholicæ dogmatibus obnituntur:ſed etiam ab illis qui videntur quidem intra Eccleſiam eſſe,ſed male viuentes inueniũtur Eccleſiaſticæ traditioni non ore,ſed opere repugnare. Quos cum boni conſpiciunt, grauiter gemunt, & ſancto affectu permotus cruciatur bonus animus,quando alienæ peruerſitatis non fugit ſenſum, quamuis tenere non poſſit aſſenſum.

Charitas proximi duplici ratione ſeruanda.

Math.7.

Matth.5.

CAPVT XVIII.

INtra Catholicam quippe Eccleſiam in præſenti ſęculo iuſti,& iniqui tenentur admixti,Sacramẽtorum ſcilicet communione,non morum,id eſt ſocietate credulitatis, non ſimilitudine conuerſationis.Non ergo corde,neque corpore:quia profeſſione,non opere.Nunc igitur quãdiu ſecundùm Beati Pauli prædicationem: *In magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea,ſed & lignea & fictilia,& quædã quidem ſunt in honore,quædam vero in contumelia.* Intra Eccleſiam quidem ſunt iniquus,& iuſtus:extra Eccleſiam vero nullus eſt iuſtus. Et intra dominicam arcam donec ventilatoris metuendus expectatur aduentus & diſcretio ventilationis nouiſſimè differtur, palea frumento locali communione miſcetur. Quiſquis autem extra dominicam aream locus eſt, quamuis ibi vocabulum nominatur agricolæ: ſola ibi poteſt quæ vento raptatur palea reſidere. Verum quia tanta eſt agricolæ noſtri omnipotẽtia, vt nullus valeat eius vincere voluntatẽ,quiſquis in præſenti vita conuerſus recurrerit ad areæ dominicæ locum legitimum,ſi perſeueranter teneat in fide recta bonæ vitæ propoſitũ,non erit palea, ſed frumentum,nec ignibus tradetur arſurus,ſed in horrea congregabitur placitis Deo fructibus opimatus.

2.Tim.2.

CAPVT XIX.

IN ſola ergo Eccleſia Catholica datur, & accipitur remiſſio peccatorum,quã ipſe ſponſus vnam dicit eſſe columbam ſuam,vnã electam ſuam,quam ſuper petram fundauit, cui claues regni cælorũ dedit, cui etiam poteſtatem ligandi,ſoluendique conceſſit.Sicut B.Petro veritas ipſa veraciter repromittit dicens: *Tu es Petrus,& ſuper hanc petrã ædificabo Eccleſiã meã:& portæ inferorum non præualebunt aduerſus eã,& tibi dabo claues regni cœlorũ,& quodcũque alligaueris ſuper terrã,erit ligatum,& in cœlo:& quodcũque ſolueris ſuper terrã,erit ſolutũ & in cœlo.* Ab hac Eccleſia quæ claues regni cœlorum accepit, quiſquis foris eſt,non cœli viam graditur, ſed inferni, nec tendit ad æternæ vitæ donum, ſed currit ad mortis æternæ ſupplicium. Non ſolum ſi remanet ſine baptiſmo Paganus,ſed etiam ſi in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti baptizatus perſeueret hæreticus. Neque enim per baptiſmi meritum adipiſcitur veram vitam,ſi quis in nomine patris, & filij & Spiritus ſãcti ſiue intra Eccleſiam, ſiue extra Eccleſiam baptizatus, non tamen intra Eccleſiam Catholicam terminarit hanc vitam.Nec viuet per Eccleſiaſtici baptiſmatis Sacramentum, qui non tenuerit Eccleſiaſticæ fidei charitatiſque conſortium. Ille enim ſaluatur Sacramento baptiſmatis,quem intra Eccleſiam Catholicam vſque ad obitum præſentis vitæ tenuerit vnitas charitatis.

In ſola Catholica Ecleſia datur recipiturque remiſſio peccatorum.

Matth.16.

CAPVT XX.

CÆterũ ſi quis aut de Eccleſia Baptizatus egreditur,aut extra Eccleſiam in patris, & filij,& Spiritus ſancti nomine baptizatus,ſi ante finẽ pręſentis vitæ non fuerit Catholicæ reſtitutus Eccleſiæ,non carebit morte,ſed requie: quia & tempore diluuij ſi quis in arcam Noe non eſt ingreſſus,non eſt ſaluatus diluuio,ſed necatus, nec ſalutẽ inuenit in aqua,ſed mortem. A qua quippe illa,in qua præfigurabatur baptiſmatis Sacramentum,quoſcunque in arca reperit,à terra ſuſpẽſos ad cœleſtia ſublimauit:reſiduos autem oppreſſos occidit,quos foris inuenit.Et pereunte Hiericho, ſi quos domus Raab meretricis incluſit,incolumes Ieſus ſeruare præcepit: reliquos verò quos illa non continebat domus vnius mortis conſũpſit interitus.In illa igitur arca, & in illa domo,eadem præfigurabatur Eccleſia,ſed in his qui extra arcã diluuio perierunt,& in eis qui extra illam domum gladio mortui ſunt,geminæ ſignificationis poteſt conſiderari myſteriũ. Exiſtimo enim quantum mihi nunc interim videtur,non incongruè credi in diluuij ſignificatione præceſſiſſe baptiſma Chriſtianæ confeſſionis:vt agnoſcamus hæreticos, ſi extra Eccleſiam permanſerint,baptiſmo pœnam mereri,non vitam,& eos qui Chriſtũ negantes de Eccleſia Catholica diſcedunt,æterno ſupplicio perituros. Arcæ quippe Sacramẽtũ B.Petrus his verbis exponit: *In diebus quando expectabat Dei patientia in diebus Noe,cum fabricaretur arca,in qua pauci,id eſt,octo animæ ſaluæ factæ ſũt,per aquam,* quod

Gen.7.

Ioſue 6.

1.Tim.3.

quod & vos nunc simili forma baptisma saluos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum. Vbi est autem conscientia bona, nisi vbi est & fides non ficta? Docet enim Apostolus Paulus: *quia finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Quid ergo aqua diluuij non saluauit extra arcam positos, sed occidit? Sine dubio præfigurabat omnem hæreticum, licet habentem baptismatis Sacramentum, non aliis, sed ipsis aquis ad inferna mergendum, quibus arca subleuatur ad cœlum. Neque enim ob aliud eis interitus per aquam nascitur, nisi quia eos arcæ non continet sinus. In quo solo potest viuere, quisquis non vult aquis vitalibus interire. 1.Tim.1.

CAPVT XXI.

Non habet Deum patrem, qui non habet Ecclesiam matrem.

HVius arcæ mysterium Cyprianus beatissimus martyr scribens in libro de simplicitate Prælatorum, vel potius secundum vetusta exemplaria, de vnitate Catholicæ Ecclesiæ, exponit: adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est, & pudica: vnam domum nouit, vnius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Hæc nos Deo seruat, hæc filios regno quos generauit, adsignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus, adulteræ iungitur, à promissis Ecclesiæ separatur: nec perueniet ad Christi præmia qui reliquit Ecclesiam Christi: alienus est, profanus est, hostis est. Habere non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Sicut non potuit euadere, quisquis extra arcam Noë fuit, sic & qui extra Ecclesiam foris fuerit, non euadet. Certum est igitur tam prædicatione B. Apostoli Petri, quam expositione Sancti martyris Cypriani, in arca Noë figuram Ecclesiæ, & in aquis diluuij figuram baptismatis extitisse. In illa quoque domo Raab meretricis, quæ pereunte Hiericho sola est iubente Iesu cum omnibus quos intra se habuit, incolumis reseruata, in Sacramento Christianæ confessionis, quantum mihi videtur, Catholica ex gentibus significabatur Ecclesia. Quę scilicet reiecta pristinæ fornicationis illuuie, duos exploratores Iesu latenter excepit: hoc est, siue vtriusque Testaméti castá cognitionem, siue Dei, & proximi charitatem. Quia & in illis duobus testamentis Dei & proximi charitas intimatur, & in his duobus præceptis tota lex cum Prophetis pendere cognoscitur. Hæc quæ prius idolis prostituta fuit meretrix impia, suscipiens exploratores Iesu, facta est fidelis & casta: quos custodiens à persequétibus inimicis, non in inferioribus depositos obruit, sed in solatio domus suæ leuatos latenter abscódit Solatium verò propterea dicitur: eo quod solis lumine perfundatur. Quis est autem sol humani cordis, nisi ille de quo dictum est per Prophetam: *Timentibus autē nomen meū orietur sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius?* De ipso sole oriente Zacharias in Euágelio sic Propheta: *Quia visitauit nos oriens ex alto, illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent.* Nam & Abacuc propheta Christi ascésioné, & ordinis Ecclesiastici firmitaté sub nomine solis lunæque sic prædicat: *Eleuatus est sol, & luna stetit in ordine suo.* Cor eius vniuscuiusque fidelis non incongruè spirituale solarium dicitur: quod solis illius superni radiis salubriter illustratur. Raab itaque meretrix, quos exploratores Iesu in solatio suæ domus abscondit, vtique in superioribus, hoc est, spirituali scientia illuminati cordis intima dilectione continuit, vt propheticum illud eloquium operis veritate cantaret. *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Vera itaque fides, quæ diuinis eloquiis intimatur, tunc persequentibus non traditur, tunc in corde fidelium inuiolata, & incolumis custoditur: si nō terrenis, & caducis atq; carnalibus, sed cœlestibus & spiritalibus promissis animus perseueret affixus, *ne cōtempletur quæ videntur, sed quæ nō videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt,* sicut ait Apostolus: *quæ autem nō videntur, æterna sunt.* Cæterùm quisquis propterea fidē Christianam tenet, vt res terrenas, & transitorias adquirat: iste exploratores Iesu, non in superioribus domus suæ, sed in inferioribus collocat: vbi cum fuerint positi, facilius & inueniri possunt ab inimicis & perimi. Omnis enim persecutor & inimicus Ecclesiæ illos spiritualiter interimit, & ipsis ingerit æternæ mortis interitum: quorū cor inuenerit terrenis, & caducis rebus innexum. Hi enim dum terrenas diuitias, aut perdere metuunt, aut acquirere concupiscunt, præcepta Christi, hoc est exploratores Iesu non abscondunt in solatio cordis, sed tradunt persequentibus inimicis, aut metu scilicet territi, aut igne prauæ cupiditatis accensi. Nec funiculum coccineum, in cuius signo domus illa saluata est, habent per fenestram domus suæ suspensum, qui fidei suæ non confitentur, sed denegant Sacramenta. Funiculus enim coccineus, sanguinis Christi mysterium præferebat: quem ille per fenestram domus suæ suspensum habet, qui fide contra Paganos, seu contra quoslibet hæreticos Deo protegēte firmatus, ac fidem suam sollicitè custodiens, Christi se redemptum sanguine confitetur. Propter quod ipse Saluator ait: *Qui me confessus fuerit coram hominibus; confitebor, & ego eum coram patre meo qui est in cœlis: qui autem negauerit me coram hominibus, negabo, & ego eum coram patre meo qui est in cœlis.* Quamuis igitur inimicus persecutor exploratores Iesu in inferioribus conetur occidere, id est, robur Christianæ fidei terrenis moliatur promissionibus, siue terroribus eneruare: si quis tamen Trinitatis fidem, qua patrem, & filium, & Spiritū sanctum in vnū Deum substantialiter credit, in superioribus habuerit collocatā, omnes prosequentis atros errores, omnesque seductoris insidias non timebit.

Iosue 6.

Matth.7.

Sed humani cordis Christus.

Malac.4.

Luc.1.

Abac.1.

Psal.118.

1.Cor.4.

Luc.12.

CAPVT XXII.

PRoinde non solum quos iterati baptismi tenet reatus innexos, debent celeriter ad Ecclesiam recurrere, ad Deum lacrymis, ac eleemosynis pro tanto scelere deprecari: verum etiamsi qui forsitan sine iteratione baptismatis delectatione munerum, seu timore pœnarum negantes Catholicæ fidei Sacramentum, ad hæreticorum sunt mortiferum dilapsi consortium: resumant fidem, quam negauerunt, & ad Ecclesiam celeriter reuertantur, vt Iesu veniente, intra illam domum possint inueniri, extra quam nullus potest ab interitu liberari: quia sicut in Hiericho quisquis extra illam domum fuit, nullum potuit adipisci vitæ subsidium: sic extra Ecclesiam Catholicam nullus accipiet indulgentiam peccatorum. Et sicut intra Ecclesiam Catholicam *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*: Sic extra eandem Ecclesiam mala credulitas non reputatur ad iustitiam, sed ad pœnam. Et praua confessio non acquirit salutem confitenti, sed ingerit mortem. Extra hanc Ecclesiam nec Christianum nomen aliquem iuuat, nec baptismus saluat, nec mundum Deo sacrificium offertur, nec peccatorum remissio accipitur, nec æternæ vitæ fœlicitas inuenitur. Vna est enim Christi Ecclesia, vna columba, vna dilecta, vna sponsa: in qua Trinitas vnus Deus, vnius naturæ, atque substantiæ creditur: in qua nec filio, nec Spiritui sancto contumelia minorationis ingeritur: in qua vnus, atque idem cultus, & honor Rom.10.

nor vnus vni Trinitati, quæ Deus verus est, exhibetur. Hec est vna vera Ecclesia, quæ sic credit & prædicat vnam Trinitatis essentiam, vt in tribus vnam quamlibet non audeat præferre alteri personam. Sic enim nihil se diuersum colere in substantia diuinitatis ostendit, vt patrem & filium, & Spiritum sanctum, hoc est, ipsam Trinitatem vnum verum, & solum confitens Deum, nec in vnitatis nomine Sabellianæ confessionis incurrat errorem, & in Trinitatis vocabulo meminerit Arrianæ diuersitatis mortiferam vitare perniciem. Apostolicæ quippe prædicationis retinens normam, quemadmodum Trinitatem cognoscit in personis patris, & filij & Spiritus sancti: sic vnius Dei rectam prædicat fidem, quia in patre, & filio, & Spiritu sancto naturalem prædicat vnitatem.

CAPVT XXIII.

AB hac Ecclesia si qui foris sunt in diuersis erroribus constituti, tunc accipient indulgentiam peccatorum, si ad eandem Ecclesiam, dum sunt in hoc sæculo constituti, recta credulitate fuerint, & contriti cordis humilitate conuersi. Ergo currant, dum tempus est ad legitimam matrem, quæ sicut ex vtero suo natos filios continet diligenter, & nutrit: sic ex ancilla natos, non solum redeuntes non respuit, quinetiam misericordiæ visceribus errantes inquirit, & pro affectu incessanter inuitat, quos in societatem paternæ hæreditatis inducat. Neque enim in eis attendit ancillaris vteri conditionem: sed paterni recognoscit seminis veritatem. Quæ est enim veritas paterni seminis, nisi baptisma perceptum in nomine Trinitatis? hoc illa in quocunque repererit, tanquam legitima mater sui iuris esse cognoscit. Nouit enim sicut Rachel, non solum proprio vtero filios parere, verum etiam ex ancilla progenitos suo nomine, tanquam genitrix legitima vendicare. Hoc opus est, vt illi nõ negligãt fraternã societatem repetere, si volũt paternæ hæreditatis munere non carere. Igitur hæresim relinquentes ad Catholicam Ecclesiam celeriter reuertantur: nec de hæreditatis possessione dubitent, nec de peccatorum remissione desperent. Genes. 53.

CAPVT XXIV.

QVi enim non credit intra Ecclesiam Catholicam cuncta relaxari posse peccata, ipse sibi remissionem peccatorum denegat, si de hoc seculo in eadem cordis impœnitentis duritia perseuerãs, alienatus ab Ecclesiastica societate discedat. *Talis igitur aduersus Spiritum sanctum dicit verbum: quod neque in hoc, neque in futuro sit sæculo remittendum.* *Charitas enim Dei, quæ cooperit multitudinem peccatorum, diffusa est*, sicut Apostolus dicit, *in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Hæc charitas, quia incorruptum tenet vnitatis fraternæ consortium: propterea multitudinem peccatorum cooperit, & in vnitate spe certissima perseuerantes perire non sinit. *Si quis igitur tenens fidem, quæ per charitatem operatur*, sic agit pœnitentiam pristini cuiuslibet erroris, vt eum nec erroris vlterius societas teneat, nec catena mortiferæ desperationis obstringat: liber erit ab illo verbo quod aduersus Spiritum sanctum dicitur, quod dicenti nõ dimittitur, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Hoc enim verbo Dominus, & saluator noster non aliqua peccata insinuauit in futuro sæculo dimittenda, quæ in hoc sæculo dimissa non fuerint: sed bene intelligentibus ostendit nõ alia, sed illa tanquã in futuro sæculo dimittenda, quæ in hoc sæculo in vna, & vera Ecclesia Catholica fuerint vnicuique dimissa. Soli enim illi Dominus ligandi soluendique tribuit potestatem, dicens: *Tibi dabo claues regni cælorum: & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum, & in cœlis.* Quod ergo sancta Ecclesia in hoc seculo non soluerit, ita insolubile permanet, vt etiam in futuro seculo solui nullatenus possit. Ligatus est autem omnis homo, quem ista non soluerit: nec consequetur aliquod solutionis beneficium, qui non conuersus ad pœnitentiam in Ecclesia sibi dandam sperauerit indulgentiam peccatorum. Ille igitur dicit irremissibile verbum aduersus Spiritum sanctum: *qui diuitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis contemnens, secundùm duritiam suam, & impœnitens cor thesaurizat sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundùm opera sua.*

Matth. 12. Matth. 3. Luc. 12. 1. Petr. 4. Rom. 5. Galat. 5. Matth. 16. Rom. 2. Peccatum in Spiritũ sanctum irremissibile.

CAPVT XXV.

ETenim siue charitas, & ea de corde puro, siue vnitatis fraternæ communio, siue hæreditatis cœlestis paterna possessio, in sancti Spiritus donatione consistunt. De charitate quippe doctor gentium dicit: *Charitas Dei diffusa est in cordibus vestris, per sanctum Spiritum, qui datus est nobis.* Vnitatem quoque Spiritus cum eadem charitate commendat, dicens: *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientia supportantes inuicem, cum charitate solliciti seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis.* Ipsam quoque communionem Spiritus sanctus esse confirmat, dicens: *Gratia quoque Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis.* De hæreditate quoque nostra sic loquitur: *Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Spem quoque ipsam, quæ vitium desperationis expellit, sancto Spiritui beatus adsignat Apostolus, dicens: *Deus autem spei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo, vt abundetis in spe, & virtute Spiritus sancti.* Ille itaque cœlestis hæreditatis adipiscitur perenne consortium, qui intra Ecclesiam Catholicam fraternæ charitatis custodiens vnitatem, priusquam præsentem finiat vitam, deponit mortiferam cordis impœnitentis duritiam, nec desperat in Ecclesia vna, & verè Catholica remissionem omnium peccatorum conuersis dari per Spiritum sanctum. Quod etiam ipse Saluator noster ostendit. Postquam enim resurrexit insufflans in discipulos, & eis donum sancti Spiritus tribuens, remittendorum eis potestatem tribuit peccatorum, dicens: *Accipite Spiritum sanctum; si cuius peccata dimiseritis, dimittentur ei: cuius retinueritis, retinebuntur.*

Rom. 5. Ephes. 4. 2. Cor. vlt. Ephes. 1. 1. Cor. 9. Ioan. 20.

CAPVT XXVI.

NOn itaque aduersus se mortifera desperatione claudant ostium indulgentiæ, qui ab Ecclesia Catholica segregati, cuiuslibet hæresis, siue schismatis tenentur errore obstricti. Deponant duritiam cordis, si nolunt malis interminabilibus cruciari. Scriptum namque est, quia *cor durum malè habebit in nouissimo. Et qui amat periculum, in illo peribit.* Quid autẽ periculosius, quàm diuinis obedientiam non exhibere sermonibus, & vocantis Dei Eccles. 3.

Dei ſpernere voluntatem ? Propter quod in libro ſancti Iob, ſicuti his qui conuertuntur æternitas promittitur glorioſa, ſic impiis pro eo quod non obediunt, ſalutis munera denegantur. Sic enim
Iob 36. ſcriptum eſt: *Qui conuertuntur ab iniquitate, ſi audierint & ſeruauerint, complebunt dies ſuos in bonis, & annos ſuos in gloria. Impios verò non facit ſaluos, eo quod noluerint ſcire Deum: & cum monerentur, inobedientes erant.* Non ergo ſpernant obedientiæ tempus indultum, ſed ad Eccleſiam Catholicam reuertantur: in qua ſola per ſancti Spritus donum
1.Petr.4. *charitas cooperit multitudinem peccatorum.* Si qui etiam in Eccleſia Catholica ſunt, & malè viuunt, priuſquam iſtam vitam finiant, feſtinent vt à mala vita diſcedant, nec ſibi putent ad ſalutem ſufficere Catholicum nomen, ſi Dei non faciant volun-
Matth.7. tatem. Dicit enim Saluator noſter: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.* Nam & in
Pſal.114. libro Pſalmorum ſcriptum eſt: *Quia prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate: voluntatem timentium ſe faciet, & preces eorum exaudiet,*
Prou.3. *& ſaluos faciet eos.* Propter quod & in Prouerbiis vnuſquiſque noſtrum & timere Dominum iubetur, & à malo diſcedere. Ibi quippe dicitur: *Time Dominum, & declina ab omni malo, & erit pax corpori*
Eccl.7. *tuo, & diligentia oſſibus tuis.* Nam & in libro Eccleſiaſtico, ne mala faciat vnuſquiſque fidelium ſic admonetur. *Noli facere mala, & non apprehendent te, diſcede ab iniquo, & diſcedent mala abs te. Ne ſemines mala in ſulcis iniuriæ, & non metes illa in ſeptuplum.* In eodem libro rurſus ne quiſque peccata peccatis adiiciens de miſericordia Dei velit ſibi vana cogitatione blandiri, huiuſcemodi verbis do-
Eccl.5. ctrinâ ſalutaris occurrit. *Ne adiicias peccatum ſuper*
Iob 13. *peccatum, & dicas: miſeratio Dei magna eſt: miſericordia enim & ira ab illo, & in peccatores reſpicit ira illius.* Et rurſus ſanctus Iob dicit: nonne perditio erit iniquo, & alienatio facientibus iniquitatem?
Prou.5. In Prouerbiis ſcriptum eſt: *Iniquitates ſuæ capient impium: funiculis autem peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur. Hic moritur cum indiſciplinatis, de multitudine autem vitæ ſuæ proiectus eſt, & perit pro inſipientia.*

CAPVT XXVII.

ET ne quis putet aliqua peccata hominum latere Deum poſſe, ſancti Iob ſermonibus inſtrua-
Iob 14. mur dicentis: *Cogitationes meas dinumeraſti, & nihil te latuit peccatorum meorum. Signaſti quaſi in ſacculo iniquitates meas, annotaſti ſi quid inuitus erraui.* Ne verò aliquis impunitum ſe futurum putet, ſi conuerti noluerit, eiuſdem ſancti viri verbis intentus auſcultet dicentis: imo verò nullus confidat cum ſit nequam, ſe impunitum futurum, quidquid in iracundia prouocet Deum, tanquam inquiſitio in eo non ſit futura. Propter hoc in Eccleſiaſtico ſalubris deprompta monitio, vt nec conuerſio nobis deſit, qua vitentur peccata, nec depre-
Eccli.21. catio qua poſſint dimitti præterita. Sic enim dicitur: *Fili peccaſti, ne adiicias iterum: ſed & de priſtinis precare, vt tibi dimittantur. Quaſi à facie colubri fuge peccata. Si acceſſeris ad illa, ſuſcipient te, & quaſi dentes leonis in vorando interficient te.* Sed nec illud ſiletur, quod impij & peccatores, qui pœnitentiam impietatis, ſiue iniquitatis agere noluerint, æternis ſint in fine deputandi ſuppliciis: miſericordiam verò his qui pœnitentiam geſſerint, Dominus noſter largiatur. Quippe in libro Eccleſiaſtico ſic poſitum eſt: *Quoniam & altiſſimus miſertus eſt pœnitentibus: & impiis & peccatoribus reddet vindictam.* Rurſus in eodem volumine ſic dicitur: Eccl.12.
Memento quoniam ira non tardabit. Humilia valdè Eccl.7.
ſpiritum tuum, quoniam vindicta carnis impij, ignis Eſai.69.
& vermis. Eſaias quoque dicit: *Quia ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur.* Rurſum in Eccleſiaſtico poſitum eſt. Stuppa collecta Eccl 22.
Synagoga peccantium, & conſummatio eorum flamma ignis. Via errantium plena offenſis, & in fine illorum inferi & tenebræ & pœnæ.

CAPVT XXVIII.

HÆc eſt mors, quæ ſecundum carnem viuentes excipiet, ſicut beati Pauli prædicatio ſancta teſtatur, ita dicentis: *Ergo fratres debitores ſumus non carni, vt ſecundum carnem viuamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem* Rom.8.
ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Facta autem carnis ſequitur, ſi quis aut obſequitur deſideriis ſecularium, aut in impietate vult remanere captiuus: cum nos non aliud doctrina ſpiritualis erudiat, niſi vt abnegata impietate, deſideria quoque ſæcularia deponamus. Quod gentium doctor his verbis inſinuat: *apparuit autem gratia Domini* Tit.2.
omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobriè & iuſtè & piè viuamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Illorum eſt igitur ſpes beata, illorum expectatio certa, illorum fœlicitas futura: qui abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobriè & iuſtè & piè vixerint in hoc ſæculo. Sobrietas itaque & iuſtitia & pietas debent à Chriſtianis intentiſſimè cuſtodiri. Sobrietatem autem cuſtodit, quiſquis mores ſuos vitamque componit. Et ille iuſtè viuit, qui proximo nec mali aliquid ingerit, & in quantum poteſt, adiutorium bonæ operationis impendit. Ille etiam piè viuit, qui peruerſum aliquid nec credit de Deo, nec dicit. Quiſquis ergo vult ad regnum peruenire cœlorum, viuat ſobrius in ſemetipſo: iuſtitiam ſeruet in proximo: pius perſeueret in Deo.

CAPVT XXIX.

HÆc autem tunc in futura vita proderunt, ſi in vita ſæculi præſentis habeantur. Hoc enim beatus & ſciebat & docebat Apoſtolus: qui præcipiebat, *vt ſobriè & iuſtè & piè viuamus in hoc ſæculo:* docens ſcilicet illos adepturos in iudicio miſericordiam, qui ante iudicium in hoc ſæculo iuſtam geſſerint vitam. Propter quod nos in libro Ibidem.
Eccleſiaſtico diuina præmonet Scriptura, dicens:
ante iudicium para iuſtitiam tibi, & in conſpectu Dei Eccl.18.
inuenies propitiationem. Debet itaque hic ſibi iuſtitiam præparare, quiſquis in conſpectu Dei propitiationem deſiderat inuenire. Quod enim in præſenti ſæculo ſibi homo non theſaurizauerit, futuræ retributionis tempore non habebit. Quod vt diuinarum teſtimoniis ſcripturarum quantum ſat eſt poſſit oſtendi, primum terminemus librum, vt conſequentet parti reſiduæ quæſtionis congruum dare poſſimus exordium.

DIVI FVLGENTII Episcopi Ruspensis, de remissione peccatorum,

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRMIVM.



On ignoro libri superioris initio sic nos quæstionem de remissione peccatorum tractandam in Dei nomine atque adiutorio suscepisse, vt trina fieret disputationis inchoatæ partitio. Etenim cum Domino nostro, hoc est Deo vero, nec misericordiam deesse, nec iustitiam dicecemus: quod etiam scripturarum diuinarum manifestissima curauimus attestatione monstrare. Hinc diximus facilius veritatem posse quærentibus apparere, qualibus Deus peccata dimittat, vbi dimittat, quando dimittat. Huius tripartitæ diuisionis cum iam geminam persoluerim partem, tertiæ me non nescio debitorem. Qualibus etenim Deus peccata dimittat, & vbi dimittat, quantum nobis Deus suæ pietatis condonauit auxilium, arbitror superiore libro competenter ostensum. Constat namque peccatorum remissionem non tribui, nisi conuersis intra Ecclesiam Catholicam constitutis. Ibi enim potest conuersio esse vera, vbi fides vera comitatu sanctæ conuersationis ornatur, & bene viuendi studium nulla prauæ credulitatis maculatione polluitur. Vita enim bona non veraciter dicitur, quæ peruersæ credulitatis vitio deprauatur: neque sufficit ad salutem fides rectè credentis, si conuersatio moribus atque operibus turbatur obscœnis,
Iacobi 3. Propter quod *sicut mortuam sine operibus fidem* B. Ia-
Rom. 14. cobus prædicat: *sic omne quod non est ex fide, peccatum esse* Paulus sua prædicatione confirmat.

CAPVT II.

Ioan. 1. NVnc autem in quantum nobis *à luce vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, donatur illuminationis auxilium, aggredimur ostendere, quando pœnitentibus detur remissio peccatorum. Sterilis enim pœnitentia remissionis fructu priuabitur, si diuinitus indulti temporis opportunitas omittatur. Propter hoc B. Pe-
1. Petr. 4. trus dicit: *Non tardat Dominus promissum suum, sicut quidam tardantem existimant; sed patienter fert propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti.* Obsecro, Euthymi charissime, ne te pigeat intenta consideratione pensare, quantum sit ponderis in hac Apostolici virtute sermonis. Neque enim debet tanquam leue contemni, quod B. Petrus ob hoc dicit: *Deum patienter ferre, quia non vult aliquem perire, sed omnes in pœnitentiam conuerti.* Hic enim prodest pœnitentia peccatori: vbi Deus peccantem damnare non festinat, vt remissionem peccatorum ad pœnitentiam conuerso concedat. Quia si etiam post hanc vitam iniquorum pœnitentia possit esse aliquatenus fructuosa, non diceret B. Petrus, propterea *Deum patienter ferre, quia non vult aliquem perire*, eorum scilicet, *quos præsciit & prædistinauit conformes fieri imaginis filij eius*: istorum nemo perit. Voluntati autem eius quis resistit? Isti ante finem præsentis vitæ Dei misericordia gratis præueniuntur, ipsi corde contrito & humiliato salubriter compunguntur, & omnes ad pœnitentiam diuino munere conuertuntur, ad quam sunt diuinitus prædestinati per gratiam, vt conuersi non pereant, sed habeant vitam æternam. Hi proculdubio sunt *omnes*, quos secundum beati Pauli prœconium *Deus vult saluos fieri, & in agnitionem* 1. Tim. 2.
veritatis venire. Quia enim ille hoc vult, qui omnia quæcunque voluit fecit: quod vult, semper insuperabiliter facit: hoc vtique in eis impletur, quod omnipotentis Dei voluntas incommutabilis & insuperabilis habet. Cuius sicut mutari voluntas non potest in dispositione, ita nec prohibetur, nec impeditur potestas in opere: quia nec æquitatem illius valet quisquam iustè reprehendere, nec misericordiam ipsius potest aliquis obuiare. Vnde saluator noster incredulæ ciuitatis maleuolentiam talibus verbis obiurgat: *Hierusalem, Hierusalem,* Matth. 23
quæ occidis prophetas, lapidas missos ad te, quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas, & noluisti? Hoc autem dixit Christus, vt illius malam voluntatem ostenderet, quia insuperabili voluntati diuinæ frustra resistere nitebatur, cum bona voluntas Dei nec ab eis possit vinci quos deserit, nec aliquid non possit operari quod velit. Illa igitur Hierusalem, quantum ad eius attinet voluntatem, suos filios ad saluatorem congregari noluit, sed tamen ille omnes quos voluit, congregauit. Ac per hoc illa resistere voluit omnipotenti, nec valuit, quia Deus, sicut scriptum est:
Omnia quæcunque voluit, fecit: quoscunque voluit Psal. 134.
ad se gratuita iustificatione conuertit, præueniens scilicet superabundantis gratiæ munere, quos posset vtique si vellet iustè damnare. Ergo cum Petrus Apostolus dicit, quia Deus patienter fert, nolens aliquem perire, sed omnes in pœnitentiam conuerti, non sic accipiamus omnes dictos, tanquam nullus sit, qui congruè pœnitentiam non sit acturus. Sed illos hic omnes accipere debemus, quibus sic Deus pœnitentiam hic donat, vt etiam perseuerantiam donet? Hoc est, qui sic diuina præueniente misericordia conuertuntur, vt eadem misericordia subsequente ad crimina quibus renuntiant, nullatenus reuertantur. Hi sunt quibus sicut Paulus ait,
dat Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, 2. Tim. 2.
vt resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem. Hanc pœnitentiam quisquis curauerit in hoc sæculo gerere, ipse apud Deum pœnitentiæ suæ fructum poterit inuenire.

CAPVT III.

CÆterum legimus in libro sapientiæ, quosdam in die iudicij habituros quidem pœnitentiam, non tamen indulgentiam diuinitus accepturos. Scriptum denique sic habetur: *Tunc* Sap. 5.
stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustia

angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes inter se, pœnitentiam habentes, & per angustiam spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij: nos insensati vitam illorũ æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est? Nemo autem cum legit dictum, quia mali mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, existimet illis, qui in criminibus præsentem finiunt vitam, quandoque insperatam salutem diuino munere conferendam. Iustorum namque insperata salus, quæ licet desperetur ab iniquis danda; tamen permanet sperantibus iustis. Vnde B. Dauid vnam Psalmi loco spem iustorum
Psalm.36. cecinit & salutem, dicens. *Salus autem iustorum à Domino, & protector eorum est in tempore tribulationis: adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos, & eripiet eos à peccatoribus, & saluos faciet eos, quoniam sperauerunt in eum.* Hinc est quod iniqui æternis deputandi tormentis dicturi sunt de iustis. Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & similitudinem improperij: nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Hæc est insperata salus, quoniam vitam iustorum insanam æstimabant. Et cum ipsi essent insani, sanos se esse credebant, nec sperabant retributionem diuinæ iustitiæ: & propterea vitam suam corrigere negligebant. Etenim delectabantur hic luxuriosè viuere diebus paucis, nec se credebant postmodum æternis cruciandos esse suppliciis. Propterea cum iustos viderint in illa gloria filiorum Dei,
Rom.5. de qua dicit B. Paulus: *in qua stamus & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*: tunc iniqui mirabuntur in gloria iustorum, hoc est filiorum Dei: quia ipsi iusti sunt filij Dei. Propterea iniqui pœnitentiam, quia intemporaliter habentes, & per angustiam spi-
Sapient.5. ritus gementes. *Quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctus sors illorum est?* Insperata ergo salus, id est, quæ sperata non est ab iniquis, profectò iustis dabitur, non iniquis. Non enim dabitur illis qui eam desperando malè viuunt: sed illis qui eam benè sperando, & à desideriis carnalibus abstinendo, B. Petri salubria mandata custodiunt, dicen-
1.Petr.2. tis: *Charissimi, obsecro vos tanquam aduenas atque peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam: conuersationem vestram inter gentes habentes bonam.* Per ipsam bonam con-
Rom.12. uersationem, *iusti exhibent corpora sua hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem*: quia per bonam conuersationem ipsi sunt etiam templum Dei. Quod
1.Cor.3. esse fideles testatur Apostolus dicens: *Nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?* Hoc templum ne malis operibus polluatur, non solùm diligenter præmonet, sed etiam vehementer no-
Ibid. stros animos terret, dicens: *Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos, nemo se seducat.* Quis enim rogo malè viuens cum audit ab Apostolo: *quia si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus*: si conuersus in hoc tempore non fuerit, aliquam sibi spem remissionis futuræ promittere audeat? Quis non tremefactus concidat? Quis non ante finem vitæ præsentis ad pœnitentiam compunctus & humiliatus accurrat? Clamat Apostolus: *Quia si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus*, & vnus homo seducit sese cogitatione nequissima, dicens: Etiamsi templum Dei violauero, & vsque in finem malè vixero, saluus ero. Nunquid
Rom.3. non talibus dicit Apostolus, quia dicunt: *Faciamus mala, vt veniant bona, quorum damnatio iusta est.*
* Non hi sunt, quos sancta Scriptura infœlices appellat, spémque illorum vacuam omnino pronunciat, dicens: *Sapientiam & disciplinam qui abiicit, infœlix est, & vacua est spes illorum, & labores sine fructu?* *Nonne. Sap.3.

CAPVT IV.

Salus illa igitur non dabitur iniquis, sed iustis: ante finem scilicet huius vitæ correctis atque conuersis. Salus illa bonis dabitur, qui ad amicitiam Dei concurrunt per conuersionem, non malis qui permanentes amici mundi, Apostolica increpatione inimici Dei merentur congruè nuncupari. Tales enim B. Iacobus subiurgat: *Adulteri, nescitis, quia amicitia huius mundi inimica est Deo? Si quis voluerit amicus esse huius mundi, inimicus Dei constituetur.* Iacob.4.
Quisquis igitur declinans à malo & faciens bonum, pro suis iniquitatibus in præsenti vita pœnitentiam gesserit, & conuersus ad Deum toto corde malis operibus renunciauerit: spes ipsius vana non erit. Cæterùm frustra seipsum seducit, quisquis per latam & spatiosam viam se peruenturum arbitratur ad vitam: cum Dominus per arctam viam nos iubeat ambulare, atque angustæ portæ nobis demonstret introitum, per quem venitur ad regnum. Dicit enim: *Intrate per angustam portam. Quam lata porta & spatiosa via quæ ducit ad perditionem: & multi sunt qui intrant per ipsam! Quam angusta porta & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam!* Via nostra præsens vita est, in qua si quis positus verbo Dei non consenserit, non accipiet remissionem peccatorum: sed in fletu & stridore dentium lugebit sine fine supplicium: nec immeritò nunquam merebitur carere tormento, qui quandiu hic vixit, noluit renunciare peccato. Propter hoc vnumquemque nostrum Saluator præmonet, dicens: *Esto consentiens aduersario tuo citò dum es in via cum eo: ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas nouissimum quadrantem.* Aduersarium sibi quippe facit homo Dei verbum, quandiu illa facit, quæ diuinus sermo prohibet. Cui dicitur in Psalmo: *Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos post te.* Huic sermoni diuino si quis in via, hoc est, si quis in hac vita citò consentiens non fuerit, missus in carcerem ignis æterni vltra requiem non habebit. Bonus enim aduersarius iste, qui salubri aduersitate iugiter instat, vt à nobis aduersitatem mortiferæ iniquitatis expellat. Hinc est quod nos in alio loco scriptura diuina, vt celeriter conuertamur, hortatur: *ne tarditas mortifera perditionem differenti pariat, non salutem.* Ait igitur: *ne tardaueris conuerti ad Deum, & ne differas de die in diem: ne subitò veniat ira eius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Ostendit vtique sermo diuinus, quia cum vindictæ tempus aduenerit, non iam conuersio malum punitione subtrahet, sed ita vindex debita condemnatione disperdet. Illud etenim tempus non erit remissionis, sed retributionis, nec indulgentiæ, sed vindictæ.

Matth.7. Matth.5. Luc.12. Vide ser. D.Aug. de verbis Domini, 1. & eiusd. ser. de diuers. quintum. Psalm.49. Eccl.5.

CAPVT V.

Qvæ idcirco diuina longanimitate differtur, vt sanctorum numerus impleatur. Hanc enim vindictam S. Ioannes in Apocalypsi sanctos memoratur postulasse, quorum hæc verba sunt: *Quousque Domine, sanctus & verus non iudicas & vindicas sanguinem nostrum de his qui in terra habitant.* Et vt doceret pro his qui eorum sunt consortio copulandi, tempus vindictæ superna ordinatione differri, sequitur dicens: *Et data sunt singulis stolæ albæ, & dictum est eis, vt requiescerent breui adhuc tempore, donec* Apoc.1.

adimpleatur numerus conseruorum & fratrum eorum. Nouerat enim B. Paulus præsentis sæculi, futurique distantiam: sciebat in præsenti posse tantum beneficium salutis adquiri: in futuro autem non nisi mercedem iustitiæ singulis pro bonorum seu malorum operum qualitate restitui. Vnde cum propheticum posuisset testimonium quod dicit Deus:
Esai.49. *tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te*: continuò ipse subsecutus adiungit: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* De futuro
2.Cor.6. autem dicit: *Omnes enim manifestari oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.*

CAPVT VI.

NOn ergo in futuro tribuitur vita æterna, nisi fuerit in sæculo peccatorum donata remissio: neque hic accipiet remissionem peccatorum, nisi qui suis peccatis renuntiat, & ad Deum summum ac verum cordis vera confessione festinat. Illud etenim tempus non erit remissionis, sed retributio. Non ibi misericordia iustificabit impium, sed iustitia discernet iustum & impium. Scriptum namque continetur in Psalmo: *Dominus interrogat iustum & impium.* Et vt ostenderet in iniquitatibus perditionem esse animæ, non salutem, sequitur dicens: *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam* Ne verò aliquam sibi misericordiam repromittant, qui vsque in finem præsentis vitæ in iniquitatem perdurant, subsequenter de Deo sic loquitur: *Pluit super peccatores laqueos, ignis, sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum: Quoniam iustus Dominus iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* Quisquis igitur hæc audiens in præsenti tempore misericordiam Dei noluerit per conuersionem quærere: in futuro eam nunquam poterit inuenire. Hoc enim iustus iudex per beatum nobis Apostolum Iacobum denunciari præcepit, eodem dicente: *Iudicium sine misericordia illi qui non fecerit misericordiam.* Ordo autem misericordiæ continet, vt misericordiam quam homo impendere iubetur alteri, prius exhibeat sibi, dicente Scriptura: *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Proinde si quis placere Deo non vult: animæ suæ misericordiam denegat. Et qui animæ suæ misericordiam in præsenti sæculo noluerit donare, nullatenus apud Deum misericordiam poterit inuenire. Iudicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam. Ac hoc, per quod subsequenter dicitur: superexaltat autem misericordia iudicium, in illo fiet, qui nunc miseretur animæ suæ placens Deo. Ipse namque Dominus dicit: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Nam cum beatus Apostolus moneat: *vt omnia honeste secundum ordinem fiant*, propter quod in Cantico Canticorum dicitur: *Ordinate in me charitatem:* quomodo dicendus est aut charitatis, aut misericordiæ ordinem tenere, qui non dico quemlibet hominem alium, sed ipse corpus suum reficit cibo, ne deficiat: munit indumento, ne algeat: dum est sanum, cauet ne infirmetur: dum est infirmum, satagit vt sanetur: carni suæ alimentorum incessanter, vestimentorum, medicaminum ministrat sollicita intentione subsidium, & animæ suæ malè viuendo conquirit interitum? carnem suam necessariis cibis nutrit: & animam suam operibus malis interficit? carni suæ noxios cibos negat: & animæ suæ opera mala tanquam venena mortifera subministrat? carnis suæ vitam prolongare desiderat, quæ finitur diebus paucis: & animæ suæ procurat mortem, cuius in supplicio non erit finis? Ac per hoc qui animam suam odisse conuincitur, etiam animæ suæ crudelis aduersarius inuenitur: quia sicut boni actus faciunt carnem cum anima cœlesti beatitudine perfrui: sic opera mala faciunt æterno igni animam cum carne torqueri. Ipse sibi ergo est perniciosissimus inimicus, quisquis malè viuens, vitam non mutat antequam finiat.

[Margin notes, left column: Psalm.10. · Iacob.2. · Eccl.30. · Matth.5. · 1.Cor.14. · Cant.2.]

CAPVT VII.

EX huius enim vitæ fine, illius vitæ pendet initium: in qua quidquid retribuitur, tum finitur. Cùm autem dignè ab Apostolo Ioanne dicatur: *Qui odit fratrem suum, homicida est, & scitis, quia omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.* Cumque sanctus Dauid dicat: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam. Si homicida est, qui fratrem suum odit, quis est qui diligit iniquitatem, & odit animam suam? & si ille qui odit fratrem, non habet vitam æternam in se manentem: quomodo ille qui in dilectione iniquitatis odio animæ suæ finit istam vitam, peruenire poterit ad indulgentiam peccatorum, per quam venitur ad vitam, cum ipse Dominus noster euidenter ostendat, qualiter ad vitam vnusquisque perueniat, dicens: *Si vis venire ad vitam, serua mandata?* Ille igitur veniet ad vitam, qui mandata seruat. Quis autem seruat diuina mandata, nisi qui ad Deum conuersus ante finem vitæ præsentis discesserit ab iniquitatibus pristinis? Propter quod B. Paulus nos admonet: *vt discedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini.* Hoc autem dicebat, sciens: quia in hoc tempore pœnitentia fructuosè agitur, in quo pœnitentibus indulgentia condonatur. Cæterum in futuro erit iniquorum pœnitentia: sed fructuosa non erit, quia iniquorum conuersio nulla erit: *Mittentur enim in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium.* Ibi sine fine cruciabuntur non gehennali supplicio, animæ simul & corpora, sed etiam ipsis tenebris pessimæ voluptatis. Hic erit enim talibus mala ipsa voluptas ad supplicij cumulum, pro qua manet eorum sine fine tormentum. Spernunt enim nunc opportunitatem temporis accepti: & in die salutis non quærunt diuinitus adiuuari. Quod tempus ita Deus prophetico nobis insinuat eloquio, dicens: *Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis audiui te.* Hoc testimonium beatus Paulus secutus, adiunxit: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Hoc tempus alio loco sic euidenter idem commendat Apostolus, vt quisquis diuino illuminatus munere intentè legerit, & competenter intellexerit, non se decipiat, nec aliud sibi tempus conuersionis aut remissionis inquirat: sciens quia quisquis in hoc tempore indulgentiam noluerit quærere, nullatenus post istam vitam poterit inuenire. Scribens ergo B. Paulus ad Galatas hæc loquitur: nolite errare: Deus non irridetur. *Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem. Qui autem seminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes.* Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes: maximè autem ad domesticos fidei. His Apostoli verbis quis piger ad operis boni non excitetur affectum? Quis errans à Deo non rectam viam tremefactus inquirat? Quis non seminationi bonæ delectetur insistere, quando se non aliud quàm quod seminat, recepturum cognoscit in messe.

[Margin notes, right column: 1.Ioan.3. · Matth.19 · 2.Tim.2. · 2.Cor.6. · Galat 6.]

CAPVT

CAPVT VIII.

Oportet igitur, vt hunc apostolicæ prædicationis sermonem paulò diligentiùs attendamus. Neque enim frustra cum tanto pondere præmonet dicens: *nolite errare*. Ac deinceps adiecit: *Deus non irridetur*. Postmodum verò apparuit, in quo nonnullos errare cognouit, inquiens: *Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet.* Errat ergo quisquis se in retributione futura messurum putat, quos in huius temporis operatione non seminat. Verum quia ipsius seminationis, ac messis diuersitas fuit euidentius intimanda, idcirco eam subsequentibus verbis peritus discernendi agricola subiungens, hæc ait: *Quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem: qui autem seminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam.* Ille est ergo error quem in huius sermonis interdixit exordio, quo se vnusquisque aliud existimat messurum esse quam seminat. Errat igitur quisquis in carne seminat, de qua corruptio metitur: existimat messurum se vitam æternam, quæ in Spiritu seminantibus reseruatur. Sequitur verò Apostolus dicens: *Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes.* Hæc euidenter ostendit seminis nomine vniuscuiusque opera designari. Superius enim dixerat: *Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet.* Nunc dixit: *Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes.* Verè veritatis discipulus, ob hoc magister egregius gentium, qui sicut non defuturam in retributione operum docuit: sic tempus seminationis, & messis, id est, operationis, retributionisque discreuit: ne quis inepta cogitatione tempus seminationis, & messis confundens, aut tempore seminationis deposcat futuræ messis effectum, aut tempore messis concedendum sibi speret bonæ seminationis initium. Ac sic iners operarius, & ignauus pigritiæ vinculis irretitus, imò quod est deterius studio mortiferæ seminationis intentus, non gaudeat in messe, sed lugeat, dum cœperit suæ seminationis condigna tunc metere, quando iam non poterit qualitatem mali seminis immutare. Est prætereà diligentius attendendum, tria quidem nobis in hoc loco Apostolicæ doctrinæ sermonis ostendi: hoc est, *vt bonum faciamus, & vt non deficiamus, quia tempore suo metemus non deficientes.* Horum trium duo in præcepto sunt operis: tertium in promissione mercedis. Duobus labor operariis indicitur: tertio spe futuræ messis laborantium animus subleuatur. Adsolet enim qui certam sperat pro sui laboris qualitate mercedem, sumere magis ex labore virtutem. Bonæ igitur operationi Apostolus perseuerantiam iungit: *vt non deficiat in semine, quisquis in messe delectatur sine fine gaudere.* Proinde secundum dictum beati Apostoli ille necesse est ad futuræ messis gaudium perueniat, qui præsenti tempore in bonæ operationis semine perseuerat. Cæterum multum seipsum seducit, siue qui nulla mittens vsque in finem præsentis vitæ semina operum bonorum putat bona quandoque messurum, seu qui deprauatus caret perseuerantia bonæ operationis, & lætitiam sperat in retributione mercedis: cum Beatus Apostolus hoc vnumquemque recepturum testetur in messe, quod perseueranter præmittit in semine. Talis namque est ille peritissimus ventilator, qui permundabit aream suam, vt discretione tritici, atque paleարum nulla subreptione fallatur: nec in horreum mittit paleas ignibus dandas, nec tradit flammis frumenta quæ sunt horreo deputanda. Futuræ quippe messis tempore boni seminatores, illi scilicet qui nunc perseueranter seminantes in lacrymis in gaudio metent, quippe nunc euntes flent mittentes semina sua. Tunc autem venientes venient in exultatione portantes manipulos suos. Sicut ille priuabitur gaudio consortioque messorum qui licet aliquando bona seminauerit, perseuerantiam tamen bona seminandi non tenuit: sic etiam ille Matth.13. nec indulgentiæ, nec lætitiæ poterit participatione gaudere, quem seminatori nocturno, id est, diabolo, in tantum famulari fauereque delectat, vt vsque in mortem non quiescat illa seminare, quæ angelorum metentium discretione collecta, & in fasciculos colligata, Domini iudicio sine commutabili præcepto inextinguibili deputentur incendio: quia & subsequentis vitio iniquitatis præteritus iusti frustratur omnis labor bonus, & iniquitatis meritum permanet, cuius labor est omnis malus. Dicit enim Apostolus: *Quia vnusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem.* Illum scilicet, in quo vnusquisque inuenitur, quando præsenti seculo transire præcipitur. Proinde sicut Apostolus monet: dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes: maximè autem ad domesticos fidei. 1.Cor.3.

CAPVT IX.

Nam & in epistola quæ ad Hebræos scripta est; non solum conuersio in præsenti tempore significatur necessaria: verum etiam præcipitur vsque in finem perseuerantia retinenda. Ait enim: *Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo, sed hortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ vsque ad finem firmum retineamus.* Quis autem non ipsius exemplo terreatur Apostoli, vt à malis operibus discedens, in pœnitentia, & conuersatione currat ad Deum, & sollicitus caueat ne tenore perseuerantiæ derelicto, reprobus fiat? Considerandum quippe est cunctis fidelibus, qua sollicitudine ipse beatus Paulus cucurrerit, qua vigilantia pugnauerit, qua seueritate corpus suum castigauerit. Ait ergo: *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne forté cùm aliis predicauerim, ipse reprobus efficiar.* Hæc autem dicebat, sciens per Ezechielem diuinitus dictum in eo: *Cum conuerterit se iustus à sua iustitia, & faciat delictum, & moriatur: in suo delicto quod fecit, in ipso morietur.* Frustra igitur sibi peccatorum remissionem vanis cogitationibus somniat, quisquis non vsque in finem præsentis vitæ, in mandatis Domini perseuerat, vel quisquis ante finem vitæ præsentis non discedit ab itineribus pessimis. *Oportet enim vt omnis iustus timore, & tremore suam salutem operetur, & omnis iniquus desinat exhibere membra sua arma iniquitatis peccato, sed exhibeat semetipsum tanquam ex mortuis viuentem, & membra sua arma iustitiæ Deo, ac desinat talia operari, quorum stipendium mors est*, dicente Paulo Apostolo. *Stipendium enim peccati mors.* Hæc mors, etiam futura ira Dei dicitur, quæ iniquis & in malo perseuerantibus inferetur. Vnde & Ioannes Baptista Pharisæos, Sadducæósque sic increpat, vt etiam Christianos male viuentes sua increpatione perstringat. Dicit namque, *Genimina viperarum, quis vobis demonstrauit fugere ab ira futura? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne velitis dicere: patrem habemus Abraham. Dico enim vobis,*

Heb.3. 1.Cor.9. Ezec.4. Philip.2. Rom.6. Luc.3.

bis, quia potēs est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Iam enim securis ad radices arborum posita est. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Ista autem Dominicus præcursor cùm diceret, procul dubiò iniquis dicebat, & malis, quos etiam propter imitationem serpentium, hoc est diabolici operis, *viperarum genimina* nuncupabat. Quibus tamen ostendit, quid in hoc sæculo facerent, quid etiam in futuro iudicio formidarent. Præcipiens enim, *vt facerent fructus dignos pœnitentiæ*, ostendit hic mutari posse homines, & à supplicij merito ad meritum regni pœnitentis animi conuersione transire. Adiungens autem, quia *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*: tempus prænuntiauit futuri iudicij, quo malis vsque in finem criminosam ducentibus vitam, sicut infructuosis arboribus non remissio peccatorum misericorditer donabitur, sed æterna combustio iustè reddetur. Ideò quoque Saluatorem nostrum prædicit ad discretionem tritici palearumque venturum: *qui habens veritatem in manu sua, permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Informat omnem præterea Christianum tenore Euangelicæ lectionis, vt discretione habita consideret quid in primo Saluatoris aduentu fuerit vnicuique piissima largitate donatum, quod etiam singulis expectetur in secundo iusta retributione reddendum.

CAPVT X.

Ipse enim noster Saluator & iudex, qui nunc venit vt saluet: tunc est autem venturus, vt iudicet: qui nunc venit, vt bonos ex malis pia remissione faciat: tunc autem venturus est, vt malos à bonis iusta examinatione discernat. Primi aduentus sui
Luc. 19. demonstrat beneficium dicens: *Venit enim filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat.* Secundi vero aduentus metuendam sic intimat æquitatem:
Matth. 16. *Veniet filius hominis, & tunc reddet vnicuique secundum opera sua.* Primi aduentus misericordiam rursus ostendens, ait: *Sic enim dilexit Deus mundum, vt* (Ioan. 3.)
Ioan. 5. *filium suum vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Secundi verò ad-
Ioan. 8. uentus iudicium sic pronuncians, dicit: *multa habeo de multis loqui, & iudicare.* Et alio loco: *Sicut audio, iudico, & iudicium meum verum est.* Et alio loco, *Ser-*
Ioan. 12. *mo quem locutus sum vobis, ipse iudicabit vos.* Rursum beneficium primi aduentus sui quo nullum inueniens viuum, gratis suscitat mortuos, quos vtique facit ex
Ibidem. impiis iustos, talibus intimat verbis: *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei: & qui audierint, viuent.* Secundi verò aduentus examen, quo iudicaturus est viuos, & mortuos, subsequenter prænuntiat, dicens: Amen, amen dico vobis, quia veniet hora, quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius: & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui autem mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Præsentis itaque vocis eius auditus donat vitam mortuis, cum fidei gratiam largitur incredulis, & quos malos inuenit, bonos facit: præsentis autem vocis eius auditus impios piè iustificat, peccatores misericorditer saluat, cæcos clementer illuminat. Secundæ autem vocis eius auditus sicut iustis coronam iustitiæ reddet: sic iniquis pœnam pro iniquitate retribuet. In primæ vocis eius auditu præuenit peccantes misericordia redimentis. In secundæ vocis auditu subsequenter operantibus, retributio iudicantis. Hic omnibus dicitur: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam. Illic autem dextris tantum dicetur: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Sinistris verò dicetur: Ite maledicti in ignem æternum.* Vbi est meritorum tanta certissima cognitio pastoralis, qua segregabuntur oues ab hœdis, vt ita nullus hœdus ponatur ad dexteram, sicut ouis nulla collocabitur ad sinistram. Illa quippe merita cum quibus homines ex hac vita discedunt, ipsa cum eis in illa vita indesinenter, atque incommutabiliter permanebunt, siue bona quæ hîc diuina pietas contulit, seu mala quæ hîc humana iniquitas comparauit. Ac per hoc nulla ibi erit remotio malorum, quamuis futura sit bonorum promotio meritorum. Illa enim manebunt in pœna, ista perficientur in gloria. Istud est tempus quo Deus, sicut in Psalmo scriptum est: *Non secundùm peccata nostra fecit nobis: neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundum altitudinem cœli à terra, confirmauit Dominus misericordiam suam super timentes eum. Quoniam sicut distat ortus ab occasu, elongauit iniquitates nostras à nobis. In illo autem iudicio coronam iustitiæ reddet iustus iudex*; sicut Apostolus ait: *his qui diligunt aduentum eius, operantibus autem iniquitatem*, sicut Psalmus ostendit: *Dabit secundum opera eorum, & secundum nequitiam studiorum ipsorum, & secundum opera manuum eorum tribuet illis, reddet retributionem eorum ipsis*: ea scilicet causa, quia qualis vnusquisque de hac vita egreditur, talis futuræ vitæ sine dubitatione reddetur, nec de corruptione in incorruptionem in illo iusto mutabitur iudicio, qui ab iniquitate ad iustitiam, & à mala vita ad bonam vitam non prius in hoc seculo fuerit immutatus.

Matth. 11.
Matth. 25.
Psal. 102.

QVÆSTIO XI.

Propterea Paulus dicit: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Quod cum B. dixisset Apostolus, ne sensus sermonis eius apud aliquos penderet incertus, sciuit subsequenter fidelibus ostendendum, quosnam futuræ resurrectionis tempore dixerit immutandos. Profectò enim si dixisset, omnes resurgemus, sed non immutabimur, nullius immutatio futura crederetur. Et iterum si dixisset, omnes resurgemus, & immutabimur; sicut omnes creduntur resurrecturi, omnes etiam crederentur similiter immutandi. At cum omnium futuram resurrectionem prædixerit, nec tamen omnes asseuerauerit immutandos: admonuit nos sollicitè scrutari, quinam sint in resurrectione futuri examinis immutandi. Hoc autem nolens relinquere Beatus Paulus ambiguum, ne licentius iniqui delinquerent, si commune sibi cum instis munus futuræ mutationis audissent: sequenti sermone curauit ostendere illius mutationis donum: *In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba; canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti: & nos immutabimur.* Cum dicit, nos, ostendit illos secum futuræ mutationis potituros dono, quos in hoc tempore cum Paulo sociisque eius tenet ecclesiastica rectéque viuendi communio. Ipsius verò mutationis insinuans qualitatem dicit: oportet enim corruptibile hoc induere corruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem: vt ergo in talibus tunc sequatur mutatio iustæ retributionis, non præcedit mutatio gratuitæ largitatis. Quam mutationem B. Propheta Dauid ostendens, ait: *Dixi, nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ excelsi.* Psal. 76.

1. Cor. 15.
1. Cor. 15.

CAPVT

CAPVT XII.

His ergo, qui in præsenti vita de malo in bonum fuerint immutati, futuræ mutationis retributio permittitur. Qua fiet, vt quisquis hîc ad meliora conuersus mutauerit vitam, in illa quoque mutatus retributione donum potiatur æqualitatis angelicæ. Quam ipse Saluator, qui fidelis est in verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, non iniquis, aut impiis: sed solis promittit bene viuentibus, ac iustis. Quia nec iusti sunt qui bene non viuunt: nec iniuste punientur, qui Deum diligentes mandata eius contemnunt, quem illi diligunt, qui eius mandata custodiunt, sicut ipse Dominus dicit: *Qui diligit me, mandata mea custodit.* Ioan.14. Deum igitur, qui nec iniustè diligi, nec iustè potest aliquando contemni, illi verè diligunt, qui eius præceptis obediunt. Isti sunt, qui secundum sermonem Domini mutabuntur, & æquales Angelis Dei, incorruptibiles scilicet atque immortales munere illius mutationis effecti, quorum non anima sola mutabitur in melius, vt iam peccare non possit, sed etiam caro quam corruptibilem atque mortalem habuerit, sic in resurrectione mutabitur, vt ipsa quidem sit quæ nunc est, sed neque corruptibilis, neque mortalis possit esse, quod nunc est. Ac per hoc, caro & iniquorum, & iustorum quæ nunc moritur, ipsa est resurrectura. Resurget autem iniquorum in æterno dolore: iustorum verò in æterna fœlicitate mansura. Et sicut illa resurget ad cruciatum: sic ista resurget ad gaudium. Illa ob hoc animabitur, vt æterna morte cum anima torqueatur: ad hoc ista viuet, vt cum anima perennis vitæ beatitudine fruatur. Iustorum ergo corpus secundum Apostoli prædicationem seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Hoc ergo in eis agitur per gratiam, vt primum hîc in eis per iustificationem, in qua spiritualiter resurgitur, mutatio diuini muneris inchoetur, & postmodum in corporis resurrectione, qua iustificatorum immutatio perficitur, in æternum manens, perfecta glorificatio non mutetur. Ad hoc enim illos primum gratia iustificationis, deinde glorificationis mutat, vt in eis ipsa glorificatio incommutabilis, æternáque permaneat. Mutantur hic enim per primam resurrectionem, qua illuminantur, vt conuertantur, qua scilicet transeunt de morte ad vitam, de iniquitate ad iustitiam, de infidelitate ad fidem, de malis actibus ad sanctam conuersationem. Ideò
Apocal.20. in illis secunda mors non habet potestatem. De talibus in Apocalypsi dicitur. *Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda*
Ibid. *mors non habet potestatem.* In eodem rursus libro dicitur: *Qui vicerit, à morte secunda non lædetur.* Sicut ergo in conuersione cordis prima consistit resurrectio; sic mors secunda in supplicio sempiterno. Festinet itaque hîc primæ resurrectionis particeps fieri, omnis qui non vult secundæ mortis æterna punitione damnari. Si qui etiam in præsenti vita timore diuino mutati, transeunt à vita mala, ad vitam bonam: ipsi transeunt à morte ad vitam, qui etiam postmodum de ignobilitate mutabuntur in gloriam.

CAPVT XIII.

Cæterum miserorum, atque infœlicium, qui de malo ad bonum negligunt istius vitæ tempore commutari, sicut Dauid sanctissimus contumaciam culpat: sic futuram pœnam diuinæ retributionis prænuntiat, dicens: *Non enim illis est commutatio, & non timuerunt Deum.* Psalm.54. Ac ne sibi illi commutari noluerint, frustra promittant peccatorum indulgentiam, transacto huius vitæ limine conferendam, secutus adiunxit: *Extendit manum suam* Ibidem. *in retribuendo.* Huius retributionis initium est cum iniquus mercedem quam oportuit, error sui in semetipso recipiens iusto iudicio in suis iniquitatibus igne torquebitur sempiterno. Neque enim ista parua putanda est retributio, qua iniquus iustitiæ luce priuatus in suis tenebris errare permittitur, præiudicatus non carne, sed cæcitate cordis: vbi etiam illud ad cumulum retributionis pertinet, si cæcus lumen, non solum non queat recipere, verum etiam cum delectatione studeat tenebras suæ cæcitatis augere. Talibus dicit Dominus in Psalmis: *Et non audiuit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi; & dimisi illos* Psal.20. *secundum desideria cordis eorum, & ibunt in voluptatibus suis.* De talibus etiam doctor gentium dicit: *Propterea tradidit illos Deus in reprobum sen-* Rom.1. *sum, vt faciant quæ non conueniant.* Traduntur ergo tales primum desideriis suis iniustis, tradendi postmodum suppliciis iustis. Traduntur hîc conuenientibus factis, tradendi postmodum conuenientibus pœnis. Neque enim quia delectabiliter peccat malus, ideò æstimandus est à tormento retributionis extraneus: quandoquidem grauiter ipsa delectatione peccandi iam punitur, qui tali delectationi consensione subiicitur, ex qua meritum punitionis augetur. Vbi quanto magis perficitur quod iniuste delectat, tanto magis recepturus est iniustus quo amplius doleat. Si quis ergo hîc noluerit ad Deum conuerti, & à mala vita ad bonæ vitæ studia commutari, nec illic immutabitur, vbi fœliciter mutatis iustis immortalitas, & incorruptio confertur. Proinde iniqui, vel impij, hoc est, qui peruersè credunt, siue qui nequiter viuunt, nec ante præsentis vitæ finem à sua infidelitate, siue iniquitate discedunt: in futura retributione, nec immortales, nec incorruptibiles erunt, sed corrumpentur, nec consumentur, morientur, nec extinguentur. Permanebit enim cruciamentorum perennis sensus in mortuis, vbi miseris mori non conceditur in pœnis. Ibi mors miserorum talis erit, quæ non animam de corpore dolentis excludat, sed in dolenti corpore ad hoc iugiter teneat, vt animam simul, & corpus æternitate doloris affligat. Ac per hoc semper cum corpore suo morietur anima: cum quo sine fine cogetur æterna communicare tormenta. Ibi mors animæ corporisque non moritur: quia cruciatus corporis, & animæ non finitur. Hæc quippe erit æterna mors iniquorum: vt in igne non moriantur æterno, ne quandoque possint carere supplicio. Nec ibi ardenti corpori aliquid demitur, quamuis infœlix anima in suo corpore iugiter 2.Tim.4. exuratur: sed vt totum corpus ardere non desinat, totum cum anima iugiter in incendio perseuerat. In quo enim corpore anima iustè vixerit, aut iniquè, in ipso recipiet æternam pœnam, aut sine fine lætitiam.

CAPVT XIV.

Expedit igitur vnicuique priusquam præsentem finiat vitam, futuri supplicij timore conuerti: si verè non vult post huius vitæ finem sine fine torqueri. Quapropter inaniter in conspectu Dei malorum hominum permanens iniquitas remittenda

mittenda creditur : in cuius conspectu inulta esse bonorum operum sterilitas non sinetur. Neque enim dicit quisquam positus ad sinistram, idcirco iturus in ignem æternum, quia panem comedenti abstulit, sed quia esurienti non dedit : nec quia vestitum spoliauit, sed quia vestimenta non tribuit: nec quia de domo propria quemquam pepulit, sed quia eum ex Christi minimis hospitio non recepit. Ergo ibit in combustionem æternam qui panem suum esurienti non dedit, quid recipiet qui alienam abstulit panem? Et si mittetur in stagnum ignis, & sulphuris, qui nudum vestimento non texit, quid passurus est qui vestimento crudelis expoliat? & si rerum suarũ auarus possessor requiem non habebit, quomodo alienarum rerum insatiabilis raptor, si in hac vita conuerti noluerit, postmodum sibi de iudice iusto indulgentiam frustra promittit? Consideremus diuitem miserum purpura quondam byssoque vestitum, non ob aliud inextinguibilibus flammis ardentem, nisi quia Lazaro pauperi continua esurie laboranti, nunquam voluit saltem micas conuiuij sui mortifera praeditus iniquitate largiri. Qui cum interminabili cruciamento damnatus, etiam digiti pauperis in æterna requie lætantis refrigerio remaneret indignus, euidenti responsione Abraham Patriarcha monstrauit post hanc vitam, nec bonos posse ad iniquos aliquatenus transmeare, nec malos à pœnis ad beatorum requiem posse quandoque transire. Luc.16. Sic enim dicit: *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur: tu vero cruciaris. Et in his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum est, vt hinc qui volunt transire, non possint, neque huc inde transmeare.*

CAPVT XV.

PRoinde bonum nobis est, vt nunc operemur bonum, dum tempus est operis, & vt simus in messe ditissimi, nec segnes debemus remanere, nec steriles. Bonum est vnicuique, vt nunc vulneribus suis adhibeat conuersionis, ac pœnitentiæ remedium, dum conuersus potest remissionem accipere peccatorum: quoniam futuri temporis pœnitentia talis erit, vt indulgentiam mereri non possit. Neque verò tunc illi acturi sunt pœnitentiam, quos Deus prædestinauit ad vitam. Ipsorum enim in præsenti tempore secundùm Apostoli dictum, quæ secundùm Deum est tristitia, stabilem salutem operatur, vt in hoc tempore pœnitentibus, atque conuersis, in futuro stabilis salus, ac sempiterna reddatur. Illorum autem pœnitentia non desinit in futuro, qui pœnitentiam in præsenti vita non egerunt. Talis pœnitentia non erit ex largitate Dei, sed cruciatione supplicij. In tali pœnitentia luctus æternus erit, quia fructus ibi pœnitentiæ nullus erit: non enim ibi mala voluntas ad bonum conuertetur pœnitendo: quando ad hoc tantummodo pœnitentiam habebit iniquus in pœna, vt nec pœnitentia aliquando possit carere, nec pœna. Ac sic illa voluntas quæ hîc iniquum vsque in finem tenuit obduratum, ad hoc sine fine pœnitentiam habebit de sceleribus suis, vt nec possit vltra conuerti, nec æternitate valeat carere supplicij. Neque enim omnis pœnitentia, vbi peccator gratia miserantis Dei præuentus sic pœnitendo peccata sua pronuntiat, vt per conuersionem gratiam remissionis inquirat: cæterum si sic est quem pœnitet pro malis quæ fecit, nec tamen ad Deum conuersione mutatus accurrit: quomodo si quis in vulnere positus grauiter doleat, & beneficium medici non requirat. Pronunciat quidem dolorem quem patitur: sed non consequitur remedium quo sanetur. Propterea non omnis qui confitetur peccatum, remissionem accipit, quia Deus noster non tantum attendit quod corde gestamus. De ipso enim Psalmus dicit: *Scrutans corda, & renes Deus.* Dicit Psal.7.
enim Saluator: *Quid autem dicitis mihi Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Luc.4. Inde est, quod in scripturis diuinis quosdam legimus æqualiter peccata consecutos. Rex enim Saül ad prædandum Amalech à Deo directus, peccatum incurrit, quia præceptum Domini minime custodiuit. Ad quem increpandum cum Propheta Samuël aduenisset, ille perterritus peccatum suum confessus est, nec tamen est indulgentiam consecutus: *quia cor eius non erat rectum coram Deo.* Illa enim peccati confessio ex timore fuit supplicij, non ex horrore peccati. Non odiuit quod fecerat, sed timuit quod nolebat, nec culpam suam * conuersatione culpauit: *conuersione. sed ad præsens diuini furoris percussus terrore contremuit. 2.Reg.12. Dauid quoque Rex carnalis concupiscentiæ deuictus illecebra, non solùm militis sui adulterauit vxorem: sed ipsum quoque maritum peremit insontem, nec solùm non nullius criminis sui reum, quin etiam conculcatæ vxoris ignarum. Ad quem tamen cum Nathan Propheta destinaretur à Domino, ille prophetica increpatione perterritus exclamauit: *Peccaui.* Cui sic Propheta respondit. & Deus abstulit peccatum tuum, & non morieris. Ecce Saül dixit; *Peccaui.* Dauid quoque dixit peccaui. Cùm ergo in confessione peccati vtriusque vna vox fuerit, cur non vna est vtriusque concessa remissio? nisi quia in similitudine confessionis videbat Deus dissimilitudinem voluntatis: nec sonum sermonis attendit, sed intentionem cordis in vtroque discreuit. Vnus enim conuersus peccandi protinus abiecit desiderium, & pœnitendo ipse suum puniuit admissum: alter verò confessionem quidem peccati sui protulit, sed affectum peccandi peruersi cordis obstrictus vitio non abiecit.

CAPVT XVI.

TVnc ergo prodest peccati confessio, si confessus peccator quod malè fecerat, vltra non faciat: & bonorum studio operum præteritorum criminum merita superare contendat, vt secundum Apostoli dictum: *vbi abundauit peccatum, superabundet gratia.* Rom.5. Nonnulli præterea virtutem pœnitentiæ nescientes, non ad hoc pœnitentiam gerunt, vt sperantes opem diuinæ misericordiæ conuertantur: imò pœnitendo deteriùs peccant, cùm de peccatorum remissione desperant. Talis fuit pœnitentia Iudæ traditoris, quæ pœnitenti non acquisiuit salutem, sed procurauit desperanti perniciem. Denique deteriore semetipsum vinculo iniquitatis obstrinxit, cùm se occidit nocentem, quàm tum cùm Christum tradidit innocentem. Peccatum enim traditionis Christi poterat Iudæ, si viuens conuerteretur, dimitti: occisio verò sua nullatenus relaxatur extincto. Post traditionem igitur Christi habuit traditor tempus, quo per illum sanguinem, qui effusus est in remissionem peccatorum, ipsius quoque Iudæ possit remitti peccatum: quoniam Christus qui pro impiis mortuus est, non denegasset suo traditori remissionis beneficium, si non ille sibi desperando adimeret tempus remissioni concessum. Non ergo rectè pœnitentiam gessit, nec iustum vindicem se sui sceleris pertulit,

tulit, auxit quippe, non abſtulit ſupplicium meriti criminis ſui vltor iniuſtus, qui occiſori ſuo tempus conuerſionis adimit occiſus. At per hoc ipſe occidit, ipſe ſibi vtique tempus conuerſionis ſe occidendo ſubtraxit. Miſerrimus Iudas, qui cum malè crimen traditionis admiſerit, peius illius criminis pœnitudinem geſſit, quia penitus indulgentiam non quæſiuit: ac ſi illa grauis culpæ pœnitentia deterior eſſet inuenta, quam culpa. Illud etenim dominicæ traditionis peccatum habuit poſterius tempus, quo poſſit ablui, illum verò punit ſententia, quæ non conuerſionem habuit, ſed deſperationem. Ideo pœnitentem non adiuuit, ſed peremit, quia ſibi conuerſionis tempus occiſione abſtulit, & indulgentiam deſperatione ſubtraxit. Tantum igitur valet opportunitas conceſſi temporis, ad indulgentiam peccatorum. Et cum multò grauius ſit Chriſtum tradidiſſe, quam quemlibet hominem occidiſſe: occiſores tamen Chriſti, quicunque ſunt in præſenti vita toto corde conuerſi, remiſſionem peccatorum ipſius Chriſti ſunt ſanguine conſequuti.

CAPVT XVII.

QVisquis autem, non dico hæreticus ſeu Paganus, de quibus nulla eſt dubitatio quod igne punientur æterno, quo etiam Chriſtianus Catholicus, ſi homicidium admittat, aut adulterium faciat, alienave diripiat, vel ſi iuramentum periurio violet, aut falſum teſtimonium dicere non dubitet: nec ante præſentis vitæ finem conuertatur, cum multo minus videatur peccaſſe, quàm ille qui occidit Chriſtum: tamen occiſor Chriſti ſi conuertatur in præſenti vita, ſaluabitur. Ille autem pro eo quod in præſenti vita non conuertitur, poſt huius vitæ finem tormentis deputabitur, quæ non habent finem. Hoc autem fit, non quia iſte plus peccauit quam ille impius qui Chriſtum occidit: ſed ideò ille conſequetur vitam æternam, quia omnipotentiam boni medici recognoſcens, congruo tempore ad remedium ſanitatis aduenit. Ille autem propterea morte condemnatur æterna, quia deſperans beneuolentiam, atque ita cùm eius peccatum comparatum occiſioni Chriſti, leuius crimen pronuncietur, ipſe tamen in eodem leuiore crimine multo deterius inuenitur: quia licet non occiderit Chriſtum, in eo tamen deterius peccauit, quam ſi Chriſtum occidiſſet, in quo tempus neglexit congruum, quod eſt remiſſioni peccatorum diuina longanimitate conceſſum. Ita cognoſcitur nec remiſſionem peccatorum dari, ſi pœnitentia in hoc tempore non agatur: nec in hoc tempore pœnitentiam prodeſſe, ſi peccatorum remiſſio deſperatur. In futuro verò nullam malis conuerſionem futuram, & talium pœnitentiam continuam fore, ſed vacuam. Sicut enim eis nunquam remiſſio dabitur: ſic eorum nunquam pœnitentia finietur. Negligunt enim tempus in quo pœnitentia ſalubriter à peccatoribus agitur, & in quo peccatorum remiſſionem pietas diuina largitur. Propter quod & ipſe Dominus in Apocalypſi Ioannis fideles ſuos conſolans, & iniquis pœnam futuræ Apoc.22. punitionis intentans, ita loquitur: *Qui nocet, noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. Iuſtus autem adhuc iuſtiora faciat, & ſanctus ſanctiora. Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt: reddere vnicuique ſecundum facta ſua. Ego ſum Alpha & Ω, primus & nouiſſimus, initium & finis. Beati qui lauerunt ſtolas ſuas, vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem ſanctam: foris autem remanebunt canes, malefici, fornicarij, & homicidæ, & ſeruientes idolis, & omnis qui amat, & facit mendacium.* Quis rogo tam duræ poſſit ceruicis eſſe, aut quis ita incircunciſus corde reperiatur & auribus, qui verbis iſtis non terreatur, non proſternatur, non conuertatur? Quis non fleat? Quis non intimis viſceribus intremiſcat? Quis non timore illius iuſti iudicij ad conuerſionem tremefactus accurrat: vt remiſſionem peccatorum & gratiam perpetuæ ſalutis inueniat? Væ illi, qui ante tempus nouiſſimi ventilabri non feſtinauerit ex palea triticum fieri. Væ illi, qui antequam veniant meſſores Angeli de medio frumentorum comburenda zizania collecturi, Matth 13. non curauerit ex zizaniis in frumenta conuerti. Neque enim diuinæ ſcripturæ benigna debet contemni monitio: quæ nobis & claritatem conuerſionis ſalubriter imperat, & tardantibus iram futuram diuinæ vindictæ commendat. Sic enim dicit: *ne tardaueris conuerti ad Deum, & ne differas de die* Eccleſ 5. *in diem: Ne ſubito veniat ira eius, & in tempore vindicta diſperdet te.*

CAPVT XVIII.

VT autem plenius agnoſcamus, præſentis tantum ſæculi tempus humanæ conuerſioni conceſſum: illos attendamus operarios, quos Dominus vocauit ad vineam. Quorum vocationem licet diuerſis horis egerint, *hora tamen vndecima*, hoc eſt Matth.20. ante finem diei conſummauit. In illis autem horis quibus vocati ſunt operarij, cognoſcuntur mundi huius ætates, quibus Deus ad opus bonum vocauit quos ad ſe gratuita iuſtificatione conuertit. Accipitur enim mane huius diei ab initio mundi vſque ad diluuium. Tertiæ horæ quippe vocatio fuit à diluuio vſque ad Abraham. Sextæ horæ vocatio, ab Abraham vſque ad Dauid. A Dauid verò vſque ad tranſmigrationem populi in Babyloniam, hora nona completa eſt. Deinde hora vndecima fuit in primo aduentu Chriſti, quo venit humilis in carne mortali, in qua pro peccato mundi dignatur immortalis occidi. Hæc eſt operariorum poſtrema vocatio, quæ nunc agitur vſque ad præſentis ſæculi finem, id eſt, ab aduentu humilitatis eius vſque ad aduentum celſitudinis. Ab aduentu quo bonus venit iudicandus à malis, vt miſericorditer de malis faceret bonos, vſque ad aduentum quo iuſtè iudicaturus eſt & malos & bonos. Ab aduentu piæ remiſſionis, vſque ad aduentum iuſtæ retributionis. Ab aduentu quo ex vſuris & iniquitatibus liberauit animas pauperum, vſque ad aduentum quo veniet cum vſuris exigere pecuniam ſuam, à quibus eam inuenerit conſumptam, aut nullo boni operis ſtudio duplicatam. Hæc eſt hora, quam nouiſſimam beatus Ioannes appellat: *Pueruli nouiſſima hora eſt.* Poſt 1.Ioan.2. huius horæ conſummationem non ad vineam dominus operarios vocat, ſed veniet vt vnicuique mercedem ſui operis reddat, ſicut ipſe ait: *Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt.* Apoc.22. Ille ſibi ergo ſperet diuinæ retributionis denarium tribuendum, qui antequam dies præſentis ſæculi finiatur, in dominica vinea laudabiliter operatur. Illa quoque horarum diuerſitas dignè accipiatur, ſicut ſuperius poſuimus, ætatum mundi diſtinctio. Non tamen incongruè poſſumus in hac horarum diuerſitate etiam vniuſcuiuſque hominis ætates accipere: vt mane ſit hominis quouſque finiatur infantia, deinde pueritiæ finis conſummet tertiam: adoleſcentiæ terminus peragat ſextam: iuuentutis conſummatio perficiat nonam: grauitatis curſus peragat vndecimam: & deinceps ſenectus tendens ad terminum, totius diei conſignet occaſum. In quacumque igitur vitæ præſentis ætate omnis iniquus, aut impius toto

toto corde fuerit conuersus ad Deum: statim præteritorum omnium remissionem accipiet peccatorum.

CAPVT XIX.

QVisquis autem potest inuenire in Euangelio, aut docere, post finem diei quemlibet operarium vocatum ad vineam: dignè speret & certissimè prædicet cuilibet iniquo qui in præsenti sæculo conuersus non fuerit, facultatem boni operis, aut gratiam remissionis futuri sæculi tempore concedendam. Item quisquis ostenderit cuilibet ad operationem vineæ dominicæ ante finem diei non vocato denarium iussu domini datum: dignè congruéque speret cuilibet ante finem præsentis vitæ non conuerso regnum cœlorum largitate Domini conferendum. Si verò quos diuini operis in vinea pius labor exercuit, ipsos tantum post finem diei denarij merces excepit: nos quoque si ad denarium æternæ vitæ peruenire volumus, in vinea dominica præsenti tempore laboremus: nec contemnamus imperium vocantis, si nolumus à largitate remunerantis excludi. Qui enim ante finem diei non operatur in vinea, finito die non poterat denarium accipere: quia tunc non erit tempus, cum vnusquisque ad operationem vineæ misericorditer vocetur, sed quo merces præterita operatione reddatur: non ergo ibi erit pia vocatio, sed iusta redditio. Ille denarius nec otioso dabitur, nec ei qui extra vineam foris operatur. Otiosus est autem Catholicus, qui non Iacob.10. vult benè operari, *Quia fides sine operibus, otiosa & mortua est in semetipsa.* Extra vineam verò ille operatur, qui constitutus in qualibet hæresi, bonorum quidem operum gerit studium, sed ipse sibi malè credendo denegat saluationis effectum. Dicit enim Rom.10. Heb.11. beatus Paulus Apostolus, *quia omne quod non est ex fide, peccatum est.* Et, *sine fide impossibile est placere Deo.* Vterque igitur sibi adimit denarium, vterque se ab operariorum consortio efficit alienum. Iste quidem quia intra vineam dominicam constitutus noluit esse studio operationis attentus: Ille verò, quia foris operatus est quod ante finem diei intra vineam dominicam debuit operari. Ac per hoc ille, quia non operatus, vnde saluari possit: ille autem, quia non ibi operatus est, vbi donum salutis acciperet, & idcirco finito die nec illi ad vineam intrare permittitur, & illi facultas bonæ operationis aufertur: quia Catholicus quidem malus in conuiuio Domini vestem nuptialem non habuit. Quod Paulus fidelibus intimat formidandum, dicens: *Si tamen non vestiti, non nudi inueniemur.* Psalm.22. 2.Cor.5. Hæreticus verò ad ipsum conuiuium tempore acceptabili venire contempsit. Et ideò ille proiicietur, & illi facultas ingrediendi non dabitur. Nunc itaque tempus, vt palea mutetur in triticum: nunc tempus, vt omnis iniquus festinet ex zizaniis triticum fieri: si non vult inextinguibilis ignis æternitate comburi. Si quis enim præsentis temporis gratiam respuens, quo dominus non ad iudicandos, sed saluandos peccatores venire dignatus est, in suis crediderit iniquitatibus permanendum, nullam inueniet misericordiam in futuro iudicio: quia nec tempore ventilationis paleam frumento misceri ventilator ille permittet, nec tempore reddendæ rationis talenti potestatem pigro, inutili famulo seueritas diuina concedet. Sed sicut paleas tunc extinguibilis ignis exuret: sic nequam pigrúmque seruum tenebris exterioribus deputatum, fletus & stridor dentium æternus excipiet. Quid est enim aliud, quod ille seruus ligari manibus iubetur & pedibus, nisi vt in manibus mali operis reatus, in pedibus autem malæ voluntatis puniendus ostendatur affectus?

CAPVT XX.

HVius opportunitatem temporis sanctus Esaias diuinitus informatus agnouit, qui nos ad conuersionem his verbis hortari non desinit: *Quærite* Esai.55. *Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationem suam: & conuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Nunc ergo Dominus quærendus est, cum potest à quærentibus inueniri. Nunc inuocandus, cum est proximus inuocanti. Nunc impietatis via, nunc est iniquitatis cogitatio relinquenda, nunc est necessaria conuersio peccatoris, qua potest beneficio diuinæ remissionis, reatu totius carere peccati. Cæterùm bona Dei non videbit in terra viuentium: si quis in hac terra morientium remissionem non acceperit peccatorum. Hoc enim ipse præordinauit hominum saluator & iudex, vt quibus peccata dimittit, in hac terra dimittat. Propter quod Iudæis incredulis dicit: *Vt autem sciatis, quia potestatem habet filius hominis in terra dimittendi peccata.* Matth.9. Quod non ideò dixit, quia transeuntibus hominibus de hac terra, huius temporis peccata, si quibus vellet, relaxare non possit: sed vt homines agnoscerent tempus remissionis & retributionis diuina incommutabiliter constitutione discretum, nec audire humana inaniter speraret vanitas, quod diuina promitteret veritas. Hinc est quod etiam beato Petro, hoc est, Ecclesiæ suæ in terra ligandi soluendique tribuit potestatem, vt agnosceremus in tempore huius vitæ gratuitam tribui in peccatorum remissioni misericordiam: in futuro autem iustam cunctis mercedem pro factorum qualitate reddendam. Nec ambigeremus nunc omnia posse peccata dimitti, & nunc quæcunque non fuerint dimissa, tunc exigi. Quod etiam beatus Dauid sancti Spiritus reuelatione cognoscens, cui sicut ipse testatur, incerta & occulta sapientiæ suæ manifestauerat Dominus, priusquam de hoc sæculo exeat, remissionem postulat peccatorum, dicens: *Remitte* Psalm.38. *mihi, vt refrigerer, priusquam eam, & amplius non ero.* Beatus vtique propheta non tam sollicitè postularet ante vitæ præsentis terminum remissionem sibi tribui peccatorum, si sciret post hanc vitam vel cuiquam profuturam pœnitentiam, vel remissionem peccatorum tunc pœnitentiam agentibus diuino munere concedendam.

CAPVT XXI.

EQuidem post hanc vitam licet pœnitentia futura sit iniquorum, non illis tamen peccatorum remissio dabitur, sed ipsa quoque pœnitentia punitionis generabit augmenta. Valebit enim ad cumulum cruciationis æternæ, vbi duritia peruersi cordis, quæ ante finem præsentis vitæ non fuerit salubri confessione abolita, cum flammis vltricibus, sine fine grauiter vretur, sua grauiùs plenitudine punietur. Quid enim deterius, quàm sic de præterito iugi pœnitentia conteri, vt nunquam possit pœnitens à tormento commissi criminis liberari? Neque enim hoc in homine præsentem vitam in suis malis operibus finiente considerabitur, vt quia finita videbuntur eius opera mala, finiantur eius quandoque tormenta, sed attendetur in eo iniquæ voluntatis peruersitas, quam

quam vſque in finem præſentis vitæ diligit & tenet iniquus, licet ipſam vitam, quam peſſimè gerit, amittat inuitus. Qui dum malam voluntatem ante finem præſentis vitæ mutare non curat, oſtendit proculdubio ſic ſe iniquitates ſuas diligere, vt ſi poſſet hic ſine fine viuere, ſine fine vellet in iniquitatibus permanere. Non ergo propterea cuilibet iniquo parcetur, quia iam deſideria malæ voluntatis implere non poterit: ſed ideò ſine fine torquebitur, quia quandu hic peccare potuit, peccare non deſtitit. Et ob hoc nullus dabitur iniquo terminus punitionis, quia priuſquam terminaret huius vitæ curſum, non poſuit criminibus ſuis terminum. Quamuis enim vitam ſuam malam quantum vellet prolongare non poſſet, quiſquis hic noluit conuerti dum viueret: eandem tamen ſi vellet mutare, poſſet in melius, priuſquam malam vitam finiret inuitus, in malis gehennæ ſine fine manſurus. Vt hac ergo incombuſtione æterna crucientur, qui præſentem vitam in malis moribus & operibus finiunt, ad iuſtitiam pertinet *iuſti iudicis reddentis vnicuique ſecundum opera ſua.* Cuius vtique non eſt iniuſta redditio, qua fit, vt iniqui nunquam careant ſupplicio, quorum voluntas in hac vita noluit carere peccato. Tales enim magis delectantur peccare quàm viuere. Nec ob hoc peccant, vt ſemper viuant: ſed ideò hic ſemper viuere cupiunt, vt nunquam deſinant peccare dum viuunt. Nemo autem ſecurus præſentem vitam terminat, niſi priuſquam vita finiat, ab iniquitate diſcedat. Ne tunc inaniter ſua velit deflere ſcelera, quando nullatenus poterit vitare tormenta. Non ergo inaniter in præſenti ſæculo pœnitentia vniuerſis indicitur, neque fruſtra in hac vita conuerſio prædicatur. Hic enim pœnitentia remiſſionis inuenit fructum, ſi peccator dum hic viuit, peccandi deponat effectum. Præſentis namque ſæculi tempus miſericors Dominus & iuſtus ſolum remiſſionis beneficio deputauit: futurum verò iuſtæ retributioni ſeruat: quo vnuſquiſque pro qualitate credulitatis & operis condigna, ſed non finienda recipiat.

CAPVT XXII.

PRoinde nunc omnis iniquus intra Eccleſiam poſitus, malam conuerſationem reſpuat, & bonæ vitæ curſum feſtinet arripere, vt ad æternam vitam valeat peruenire. Nunc omnis impius prauam fidei ſententiam deponat, & ad Eccleſiam venire non differat. Nunc ſibi omnis homo dextræ partis comparet meritum: ſi non vult ſiniſtræ partis perferre tormentum. Nunc ambulet iuſtitiæ viam, vt veniat ad patriam, in qua requiem habeat ſempiternam. Nunc omnis qui Deum malis operibus exacerbat, tranſeat ad vitam bonam, per quam propitius Deus adquiritur, & accipiat vitam æternam, quam Deus bonis ſine fine largitur. Nemo deſperet miſericordiam Dei, conſiderans atrocitatem criminis. Nec tamen aliquis ſub ſpe miſericordiæ Dei permaneat in peccatis: ſed confidentia ſperantis ita ſine dubitatione petat pœnitentiæ portum, vt humilitas pœnitentis fugiat deſperationis lethale naufragium. Et ſic Dei miſericordiam diligat, vt eius conſideret cum timore iuſtitiam. Totum ſibi ſperet relaxari poſſe conuerſo: nec dimittendum tamen aliquid exiſtimet obdurato. Hoc tempore mutet iniquus vitam, non inueniet pœnam. Fugiat culpam, & accipiet veniam. In hoc enim tempore beneficium remiſſionis adquiritur, quando mutationem voluntatis meriti quoque mutatio comitatur. Nunc omnis qui laborat & oneratus eſt, ad Deum vocantem reficiendus veniat, nunc ſuper ſe leue iugum ſaluatoris, leuémque ſarcinam tollat, nunc ab eo diſcat, quia mitis eſt & humilis corde: ſi animæ ſuæ requiem deſiderat inuenire, nunc auerſus ad conuerſionem currat, nunc iniquus ab iniquitate diſcedat, nunc errans ad viam veritatis redeat. Modo quærat Domini miſericordiam, qui non vult pati ſine fine miſeriam. Modo quærat æternam vitam, qui non vult in æternum mori. Nunc præueniat faciem Dei in confeſſione, qui non vult damnari ſempiterna punitione. Nunc enim fructuosè pœnitentia geritur, nunc remiſſio peccatorum pœnitenti conceditur: nunc conuerſo regni cœlorum poſſeſſio non negatur, in qua ſine fine viuitur, & ſine fine gaudetur: vbi nec mors lætantibus adimit vitam, nec mœror viuentibus poteſt auferre lætitiam. In quali enim fide & opere vnumquemque hominum vitæ huius inuenerit finis, talis ei retributio dabitur, cuius non erit finis. Quia ſicut omnis qui ante finem vitæ præſentis conuerſus non fuerit, & in malis ſuis finierit, vltrà requiem non habebit: ſic omnis qui in hoc tempore diuinis præceptis obediens, à malis ſuis conuerſus fuerit, ſi in fide recta & bona vita intra Eccleſiam Catholicam perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Amen.

EPISTOLA SYNODICA
Epiſcoporum Africanorum in Sardinia exulum.

De gratia Dei, & humano arbitrio.

In qua librorum meminerunt beati Fulgentij Epiſcopi, de veritate prædeſtinationis & gratiæ.

DEI *gratia plurimum amplectendis ſanctis fratribus, Ioanni preſbytero & Archimandritæ, & Venerio Diacono, & fidelibus viris, quorum in veſtra epiſtola ſubſcriptio continetur, Datianus, Fortunatus, Boëthus, Victor, Scholaſticus, Orontius, Vindicianus, Victor, Ianuarius, Victorianus, Photinus, Quodvultdeus, famuli Chriſti in Domino ſalutem.*

QVANTVM *membra Eccleſiaſtici corporis per Chriſti gratiam in vnitate fidei compages retinet charitatis: tantum neceſſe eſt, vt perinuicem ſollicita ſint membra, vt repulſo cuiuſlibet praui dogmatis verbo, non ſolum ſeruandæ, verùm etiam reparandæ ſanitati iugis atque indefeſſa tam ſermonis quàm orationis impendatur inſtantia. Sic enim fit, vt dum ſollicitudo fraternæ puritatis inuigilat, ipſe Spiritus ſanctus, per* quem

quem charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, diligentibus Dominum, & in Domino proximum, omnia cooperentur in bonum. Quia sicut ipsam dilectionem dono gratiæ spiritualis accipimus, ita dum pro fratribus solliciti sumus, non solùm diuinam inesse nobis gratiam demonstramus, verùm etiam, quanto magis à nobis puritas charitatis impenditur, tanto magis gratia nobis diuinæ retributionis augetur. Accepimus itaque vestræ charitatis epistolam, quæ nostrum ex parte releuauit, ex parte verò mœstificauit exilium. Gaudemus enim, quia rectam tenetis de gratia Dei sententiam, cuius lumine illuminatur, & iuuamine gubernatur liberum humanæ mentis arbitrium. Sed quadam sumus nebula mœroris affecti, quia significastis quosdam fratres in quæstione de gratia Dei, & humano arbitrio non rectum tenere fidei Catholicæ tramitem: sed aduersus Dei gratiam eleuare velle humani arbitrij libertatem. Vbi primùm, dilectissimi, debetis agnoscere, immo vos non ambigimus agnouisse, ad hoc diuinitus ista permitti, vt hinc diuinæ gratiæ virtus documento possit iudicij manifestioris intelligi. Quandoquidem ipsa gratia nullatenus agnoscitur nisi detur: quæ quamdiu non est in homine, tamdiu necesse est vt ei aut sermone repugnet, aut opere. Nam sermone repugnat gratiæ Dei, qui sensum gerit fidei Christianæ contrarium: repugnat autem opere, qui in moribus suis Christianæ vitæ non tenet institutum. Hoc quippe in homine agit gratia diuinitus data, vt animus dono fidei charitatisque præcepto, & sermonem bonum proferat, & studio bonæ operationis insistat. Quod fidelibus diuinitus dari, beatus & ostendit & poposcit Apostolus dicens:
2.Tess.2. Ipse autem Dominus noster Iesus Christus & Deus pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere bono & sermone. *A Deo itaque nobis est omnis gratia boni sermonis & operis, à quo nobis etiam ipsius cogitationis bonæ manifestum est sufficientiam tribui: vt discat homo non in se, sed in Domino gloriari. Diuinæ quippe gratiæ bonam cogitationem hominis beatus assignabat Apostolus, quando dicebat:*
2.Cor.3. Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum, non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. *Proinde, etsi quidem gratiam necdum habentes, non se intelligunt non habere: illi tamen qui gratiam diuinitus acceperunt, eo magis debent in ipsius gratiæ assertione firmari, quo eam vident non omnibus tribui. Necesse est autem, vt ab eis, quibus non tribuitur, ignoretur; & ab eis agnoscatur, quibus diuina largitate donatur. Testatur enim Apostolus, dona Spiritus sancti eiusdem Spiritus*
1.Cor.2. *sancti acceptione cognosci. Ideò ait:* Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritalia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia est enim illi: & non potest intelligere, quia spiritaliter diiudicantur. Spiritualis autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur. *Per sanctum ergo spiritum gratiam accipimus, quo accepto fit in nobis, vt quod accepimus, nouerimus. Proinde scienda est, dilectissimi, & recto tenore veræ fidei profitenda, tam humani arbitrij egena paupertas, quàm diuinæ gratiæ in-*
1.Cor.4. *deficiens largitas.* Quid enim habes, *ait Apostolus,* quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? *Ante largitatem quippe gratiæ est in homine quidem liberum arbitrium, sed non bonum, quia non illuminatum. Proinde, nisi gratia detur, bonum ipsum arbitrium non habetur. Sic namque est liberum hominis arbitrium absque dono gratiæ, sicut est oculus sine luce. Nam & oculus ad videndum factus est: sed nisi lumen acceperit, non videbit. Illa autem est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: illuminat autem hominem, seipsam dando per gratiam. Sicut ergo corporis oculus semper indiget lumen accipere, vt ipsum possit aspicere: sic & libero arbitrio hominis nulla potest gratiæ suffragari cognitio, nisi detur ipsius gratiæ spiritualis infusio. Proinde vt de iis quæ vestris literis indidistis, quid habeat catholici dogmatis veritas intimemus, singula breuiter definire curauimus, sequentes donum eiusdem gratiæ, quod sanctorum Patrum cordibus & linguis ipsa est dignata infundere. Dixistis itaque, quod vobis dicentibus, quòd Esau & Iacob necdum nati, Iacob per misericordiam gratuitam eligitur: Esau autem originali peccato detentus iusto iudicio Dei est odio habitus. Illi è contrario dicunt, in Esau figuram esse populi Iudæorum, ex futuris malis operibus condemnandi; in Iacob verò figuram esse populi gentium, ex futuris operibus bonis saluandi. Hæc duo, quæ singula proponitis, bonum est vt Catholica consensione iungatis. Sic enim & ab illis Dei gratia competenter agnoscitur, & à vobis propheticum mysterium non negatur. In illis namque duobus fratribus dignè accipitur duorum significatio populorum: præsertim cum ipsi Rebeccæ Dominum consulenti duo prænuncientur populi, ab eius vtero separandi. Verumtamen agnoscenda est illa discretione & gratuita bonitas, & iusta seueritas. Nam quia omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum, & gratia discernuntur, quicunque saluantur: profectò non sunt electa, neque dilecta in Iacob humana opera, sed dona diuina. Rursus quia iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, proculdubio in Esau humanæ iniquitatis est damnata nequitia. In eo quippe gratuitum in Iacob Dominus ostendit beneficium misericordiæ suæ, in quo cum non pro meritis futuræ cuiusquam bonæ operationis elegit, cui seipsum, & fidem, & bona opera donaturum esse præsciuit. Inde est quod semini Abrahæ, cuius in Iacob figura præcessit, beatus Apostolus dicit:* Gratia salui facti estis Ephes.2.
per fidem. *Vt ostenderet fidem non aliquibus bonis meritis dari, sed ipsius fidei dono omne bonum meritum inchoari, ipsamque donum Dei esse, sequutus adiunxit,* & non ex vobis, sed donum Dei est. *Ac ne quisquam sibi quorumlibet bonorum operum audeat meritum vendicare, & pro quibuscunque operibus fidem se æstimet accepisse, subiecit,* non ex operibus, ne quis glorietur. *Vt autem ostenderet non solùm fidem, sed etiam bona opera diuinitus tribui, continuo subdidit:* Ipsius enim factura sumus, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, *quæ non solùm à Deo donata, sed ab ipso præparata testatur, dicens:* quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus. *Gratia itaque Iacob saluus factus est per fidem, gratia consequutus est bonorum operum facultatem. Quocirca, quia certum est Esau fuisse vas iræ, Iacob autem vas misericordiæ; certissimè tenendum est, quòd & ille vt damnaretur, iram iustè meruit; non enim iniustus Dominus, qui iram infert: & iste vt saluaretur, gratis donum misericordiæ præuenientis accepit. Iacob itaque iustificatus gratis per gratiam Dei, factus est vas misericordiæ per indebitam gratiam, & per ipsam misericorditer est præparatus ad gloriam, Esau verò per iram iustam iustè est præparatus ad pœnam. Iniquitas autem nostra iustitiam Dei commendat. Deus ergo in Iacob misericordiam gratuitæ bonitatis, in Esau verò iudicium iustæ seueritatis ostendit, qui sacramento quidem circumcisionis octauo die secundum tenorem diuinæ constitutionis accepto, reatu peccati originalis caruit; sed per nequitiam cordis*

in

in hominis terreni vetustate permansit; illius ibi iudicio derelictus, qui gratis saluat, iuste que damnat. In cuius persona significati sunt non illi tantum, qui fidem negant; sed & illi qui vsque in finem vitæ suæ intra Ecclesiam positi, in malis operibus perseuerant. De quibus Apostolus ait, Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. *Nam sicut ille circumcisus periit, quia dilexit tenebras magis quàm lucem: sic omnis qui non deposuit veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, condemnabitur in iudicio, quia non condignè vsus est baptismatis sacramento. Ad eundem quippe veterem hominem pertinent nonsolum illi, qui ignorant Dominum, sed etiam illi, de quibus dicit Apostolus,* Confitentur se nosse Dominum, factis autem negant. *De paruulis verè indubitanter tenenda catholicæ regula veritatis: Quia paruulus qui baptizatur, gratuita Dei bonitate saluatur: qui verò sine baptismate moritur, propter peccatum originale damnatur. Nec aliquo dicendus est Dei beneficio futuræ impietati præreptus, qui absq; iustificationis gratia mortuus, est impiorum consortio deputatus: à qua impietate siue paruulus, siue maioris ætatis, solo quisque remedio eripitur, si Christi sanguine redimatur. De gratia verò non dignè sentit, quisquis eam putat omnibus hominibus dari, cùm non solùm non omnium sit fides, sed adhuc nonnullæ gentes inueniantur, ad quas fidei prædicatio non peruenit. Beatus autem Apostolus dicit.* Quomodo inuocabunt, in quẽ non crediderũt? aut quomodo credent ei quem non audierũt? quomodo autem audient sine prædicante? *Non itaque gratia omnibus datur, quandoquidem ipsius gratiæ participes esse non possunt, qui fideles non sunt, nec possunt credere, ad quos inuenitur ipse fidei auditus minimè peruenisse. Ipsa verò gratia quibuscunque datur, non æqualiter datur, sed secundum mensurã donationis Christi, & vnicuique sicut Dominus diuisit mensurã fidei: qui non hominum personas accipit, sed omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens propria singulis, prout vult. Quod autem vos dicitis, sola Dei misericordia saluari hominem, illi autem dicunt, nisi quis propria voluntate cucurrerit, & elaborauerit, saluus esse non poterit: dignè vtrumque tenetur, si rectus ordo seruetur diuinæ misericordiæ, & voluntatis humanæ, vt illa praeueniat, hæc sequatur: sola Dei misericordia initium salutis conferat; cui deinde voluntas hominis cooperatrix suæ salutis existat, vt misericordia Dei præueniens voluntatis humanæ dirigat cursum, & humana voluntas obediens, eadem misericordia subsequente, secundum intentionem currat ad brauium, per hoc humana voluntas in eo quod currit vtiliter, & laborat, ex Dei misericordia sibi esse donum cursus, ac laboris agnoscat: nec sit ingrata misericordiæ per quam salutis accipit initium, vt per ipsã perueniat ad plenum sempiternæ salutis effectum, quia tunc erit bona, si Dei præueniatur dono, & tunc permanebit bona, si eius non destituatur auxilio. Errat autem quisquis putat sic à Domino tribui, velut si quis accepto idoneo pignore pecuniam det: cùm Dominus vtique & pignus Spiritus sancti ipse, quibus vult cõferat, & pecuniam suam nummularius expetendam, sicut ipse sequitur in Euangelio, seruorum suorũ curæ, officioque distribuat. Illa verò Apostoli sententia, quæ dicitur,* Ergo cuius vult miseretur; & quem vult obdurat: *melius quidem ex persona confirmantis accipitur. Quam si quis non vult ex persona confirmantis accipere, illud sine contentione attendat, quod subsequenter dicitur:* An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? *Et cùm in vtroque vase faciendo figuli cognouerit potestatem, in vase honoris, indebitam gratiam Dei miserantis intelligas, & in vase contumeliæ debitũ iudiciũ Dei obdurantis, id est, deserentis agnoscat. Deus autem obdurare dicitur, non quia ad iniquitatem cõpellit, sed cũ ab iniquitate non eripit: quod quia iustus est, iustè facit. Deo ergo miserãte, sine suis meritis homo saluatur, obdurante autem, iustè recipit quod meretur. Dominus quippe dono bonitatis saluat: iudicio seueritatis obdurat. Illud etiã quod vos dicitis,* Dominus est enim, qui operatur in vobis, & velle & operari pro bona volũtate. *Illi autem dicunt,* Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis: *si vtrũque, sicut oportet, animus in fide trãquillus acceperit, nulla de gratia & libero arbitrio quæstio remanebit. Iubet enim Deus homini, vt velit, sed Dominus in homine operatur, & velle: iubet vt faciat, sed operatur & facere. Ideò vtrũque beatus iũgit Apostolus dicens:* Cũ timore, & tremore salutẽ vestrã operamini. Dominus est enim, qui operatur in vobis, & velle & perficere pro bona volũtate. *Vt ergo cum timore, & tremore suã quisque operetur salutem, opus est volẽtis hominis, sed hoc ipsum Dominus operatur in suis, ac per hoc quoniã habet homo liberum arbitrium, audit præcepta, quæ faciat: sed ad implenda præcepta liberum arbitrium idoneum nullatenus efficitur, nisi diuinitus adiuuetur. Ita fit, vt se operari debere homo cognoscat, dum præceptum accipit, & Domino se sciat sẽper omne bonum debere, quod vult ac facit: quem teste Apostolo cognoscat operari in homine, & velle, & perficere pro bona voluntate. Qui suis fidelibus hanc dignatus est gratiam promittere per Prophetam dicens:* Spiritũ meũ dabo in vobis, & faciã, vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis. *Cum ergo Dominus in homine operari cœperit velle, tunc homo ad Dominum conuertitur, & eodem in se operante, vnde ipsi placeat, operatur. De Domino enim dicit Apostolus:* Aptet vos in omni bono, vt faciatis voluntatem eius, faciens in vobis, quod placeat corã se. *Ad vitam quoque in tantum potest homo manum porrigere, in quantum habuerit Dominum protectionem suam super manum dexteram suã. Nimis autem absurdum, illos putare vasa misericordiæ, qui vel sæcularem habent, vel Ecclesiasticã dignitatem; vasa verò contumeliæ, clericos, & monachos ac laicos æstimare, cum vtique Apostolus vasa misericordiæ illa dicat, quæ præparauit Dominus in gloriam, non præsentem vtique, sed futuram, quibus dicit:* Cùm Christus apparuerit, vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. *Ideò paulò superiùs eis ait,* Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. *Vasa quippe misericordiæ sunt quibus dicitur,* Venite benedicti patris mei, percipite regnum. *Vasa verò contumeliæ sunt, quibus dicitur,* Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis eius. *Vasa itaque misericordiæ non Ecclesiastica, vel sæcularis dignitas, sed in Ecclesia spiritalis charitas facit. Quapropter in quacunque professione tenuerit homo fidem, quæ per charitatem operatur, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum. Contra prædestinationem verò sanctorum magna pertinacia est aliquem vel parare, vel habere conflictum, cum Apostolicæ prædicationi nullus audeat refragari, quæ non solum dicitur de Domino,* Quos autem præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij eius: *& alio loco,* prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsũ: *verum etiam ipsum caput nostrum, ipsum primogenitum in multis fratribus, Beatus Paulus prædestinatum confidenter prædicat dicens:* Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, qui prædestinatus, est filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis. *Quisquis ergo prædestinatum Christum, & Sanctos eius negat, Apostolicam fidem peruersus oppugnat. Omnes autem prædestinati ipsi sunt, quos vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Qui*

Galat. 5. Tit. 1. Rom. 10. Matth. 25. Rom. 9. Ibidem. Philip. 2. Ezech. 36. Hebr. 13. Coloss. 3. Matth. 25. Rom. 8. Ephes. 1. Rom. 1.

propterea omnes dicuntur, quia in vtroque ſexu, ex omni hominum genere, gradu, ætate & conditione ſaluantur. Semper quippe voluntas Dei omnipotentis impletur, quia poteſtas eius nullatenus vincitur. Ipſe eſt enim qui omnia quæcumque voluit fecit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis, & cuius voluntati nemo reſiſtit. Verum namque eſt, quod de ſe teſtatus eſt filius, quia in viuificandis nullum initium humanæ voluntatis expectat, ſed ipſam voluntatem bona faciendo viuificat. Hoc in maioribus. Paruulos autem, in quibus nec dum poteſt bona voluntas fieri, ſolius gratia facit operatione ſaluari. Liberum verò arbitrium, quod fuit in primo homine ſanum ante peccatum, nunc in filiis Dei propria quidem infirmitate concutitur, ſed maiore diuini muneris gratia ſubleuatur. Quæſtionem verò animarum, aut tacitam debemus relinquere, aut ſine contentione tractare, quia ſiue ex propagine veniant, ſiue nouæ ſingulis corporibus fiant, quod ſanctarum ſcripturarum auctoritas non manifeſtè pronuntiat, cum cautela debet inquiri: maximè quod ſine fidei detrimento poteſt à fidelibus ignorari. Illud præcipuè obſeruandum eſt & tenendum, paruulorum animas nexu peccati originalis obſtringi, omnibuſque neceſſarium eſſe ſancti baptiſmatis ſacramentum, quo dimittitur peccati originalis vinculum, & amiſſa in primo homine per ſecundum hominem recipitur adoptio filiorũ. Vos itaque, dilectiſſimi fratres, per gratiã Dei eſtote ſtabiles, & immobiles: ac tenentes verã fidem, exhibete fratribus aliter ſentientibus charitatem: nec de aliquo deſperitis, quia qui hodie veritatem in aliquo non agnoſcit, poteſt cras Deo reuelante cognoſcere. Deo enim ſubeſt, cum volet, poſſe. Oremus ergo pro eis, vt Dominus operetur in eis. Exhibeamus eis bonã voluntatem, de qua nos poſſumus habere mercedem: ſcientes quoniam in conſpectu Dei, quiſquis de numero prædeſtinatorum fuerit, non peribit, & in omnibus voluntas omnipotentis implebitur, vt per gratiam ſalui fiant, & agnitionem veritatis, Domino illuminante, percipiant. Præ omnibus ſtudium gerite libros S. Auguſtini, quos ad Proſperum, & Hilarium ſcripſit, memoratis fratribus legendos ingerere. Quorum mentionem beatæ memoriæ Hormiſda ſedis Apoſtolicæ glorioſus Antiſtes in epiſtola, quam conſulenti ſe ſancto fratri, conſacerdotique noſtro Poſſeſſori reſcripſit, cũ magno præconio Catholicæ laudis inſeruit. Cuius hæc verba ſunt. De arbitrio tamen libero & gratia Dei, quid Romana, hoc eſt Catholica ſequatur & ſeruet Eccleſia, licet in variis libris B. Auguſtini, & maximè ad Proſperum, & Hilarium abundè poſſit agnoſci, tamen & in ſcriniis Eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur. Hæc itaque dilectiſſimi fratres interrogantibus vobis, breuiter communi voluimus reſpondere reſcripto. Cæterum vnus ex nobis, in quãtũ Dominus ſeruis ſuis recti gratiã dignatur donare ſermonis, illis omnibus, quæ memoratos fratres aduerſus gratiam, & prædeſtinationem intimaſtis vel ſentire, vel dicere, tribus libris veſtro nomine dedicatis ſufficienti diſputatione reſpondit, quippe aduerſus duos libros Fauſti Galli ſeptem libros edidit: quos cum recenſueritis, agnoſcetis protinus quemadmodum memorati Fauſti commenta veritati contraria Catholicæ fidei penitus inimica diſcuſſio prodidit, ratio manifeſta conuicit, auctoritas diuina compreſſit, & præcedentium patrum conſona prorſus atteſtatio confutauit. Speramus autem in Domino, quoniam gratiæ ſuæ ita ſubſidium largietur, vt & benè ſentientibus tribuat augmentum, & aliter quàm oportet credentibus donet agnoſcendæ veritatis intuitum. Ipſa enim facit gratiæ ſuæ participes, quos prædeſtinauit ad vitam: vt in omnibus bonis ſuis humanæ arbitrium voluntatis gratiæ Dei ſubiiciant, & ab ipſo ſibi cognoſcant deſcendere omne datum optimum, & omne donum perfectum: ſciant etiam ab ipſo expectandum ſemper auxilium, qui prædeſtinatis ſuis & gratiam, & perſeuerantiam donat: vt gratiam pro gratia donum vitæ perennis accipiant.

FERRANDI DIACONI Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſtola ad Egippium.

De eſſentia Trinitatis, ac natura Chriſti.

DOMINO *beatiſſimo fratri Egippio Presbytero Ferrandus Exiguus, in Domino ſalutem. Chariſſime, conſidera quales habeat vires ab Arriano Comite nuper propoſita quæſtio, ſed priùs quibus inter ſe ſententiis vel dogmatibus Arriani & Catholici differãt, deliberemus. Arriani volunt indiuiduã Trinitatem prædicare, ſicut ſcripturæ prædicãt vnũ Deum. Catholici verò præcepta legis ſalubriter audientes,* Audi Iſraël, Deus tuus, Deus vnus eſt, *ne videantur ſub vnius Dei religione fidem Trinitatis excludere, tres perſonas vnius ſubſtantiæ prædicantes, ipſam Trinitatem vnum Deum ſimpliciter confitentur, & de omni ſancta Trinitate ſapienter dictum intelligunt,* Audi Iſraël, Deus tuus, Deus vnus eſt. *Arriani Patris, & Filij, & Spiritus ſancti tres ſubſtantias prædicant, & ideò eorum poteſtatem diuidunt, vnitatem vitant, immenſitatem minuunt, & per errores maiori Patri minorem Filium ſubiiciunt, minorem autem Filio Spiritum ſanctum dicunt. Catholici è contrario Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum ſanctum, ne tres Deos gentibus inducere videantur, vnius eſſe honoris, gloriæ, magnitudinis, æternitatis, diuinitatis, æqualitatis, eſſentiæ confitentur: & nemini alterum præponere cupientes, de Patre tamen Filium natum, de Patre & Filio Spiritum ſanctum procedere ſentiunt. Arrianos ſi interrogare volueris, vnde ſit Filius, timent dicere de patris eſſentia, ne gignentis & geniti probetur vna diuinitas, & cõfirmetur æqualitas. Timent rurſus ex nihilo natum filium profiteri, ne creator accipiens originem ſimilem creaturis, vnigeniti priuilegio ſpoliatus perdat gloriam creatoris. Aliundè verò Filium natũ, id eſt, ex aliqua ſubiacente materia, multò ampliùs timent adſtruere, ne videatur qualibet res ante eum fuiſſe, per quem facta ſunt omnia. Talibus erroribus reſpondent Catholici, credite quia natus eſt de patris eſſentia: ſi negatis, dicite vnde ſit? Dicũt etiam minorem Filium, quia negant eſſe æqualem. Catholici verò dicunt eum ſecundum diuinitatem æqualem, ſecundum humanitatem autem minorem. Æqualitas eius ſecundum diuinitatem non habet initium: veruntamen nec æqualitas competens diuinitati, nec minoratio congrua carni habet finem. Siue ergo ſecundum carnem minor, ſecundum diuinitatem dicatur æqualis, idem atque vnus eſt Chriſtus, verè filius Dei, & verè filius hominis. Æqualis enim perſeuerans, factus eſt minor: minor factus, permanſit æqualis. Et ideo totus minor, totus æqualis: quia ſeruatur in eo vtraque natura,*

Deut. 4.

tura, & quam habuit ex Patre, & quam assumpsit ex Matre. Alioqui si vna in Christo, & persona existeret, & natura, non posset vnus Christus vni Patri & minor & æqualis dici. Dicimus etiam ac Christo, quod verè vnus est Christus. Sapientibus tamen nominibus, quoties audiunt, vnus est Christus, cogitare conuenit, quomodo sit vnus: vtrum vnam habendo personam, an vnam naturam. Si non potest dici vnam habere naturam, quem suscepisse alteram dicimus: potest tamen dici vnam habere personam, quoniam persona illa semper manens naturæ semper manentis, ita mirabilem postea naturam sine persona voluntariè suscepit, vt humanam substantiam, non habentem subsistentem manentemque personam, in vnitatem suam suscipiens, ad se faceret pertinere, fierétque deinceps humanitus illa diuina, quæ Dei cœpisset, ex quo esse cœpisset, habere personam diuinitas illa humana, quoniam sibi in vnitatem personæ veraciter voluit adunare naturam. Dicimus ergo, vnus est Christus, vnus est Deus hominisque filius, id est, vna est Christi Dei hominisque persona: non tamen dicimus, vnam esse Christi, Dei hominisque naturam. Concordantes cum Apostolo volente probare vnitatem personæ: Nam in quo, *inquit Corinthiis,* quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi. *Nunquid non melius personas diceret, si vellet in Christo duas significare substantias? Euidentem similiter adhibens differentiam substantiarum dicit alio loco,* Et si crucifixus est, ex infirmitate crucifixus est, sed viuit ex virtute Dei. *Nunquid non ipse crucifixus est, qui viuit? Et tamen qui ex infirmitate crucifixus est, ex virtute Dei viuit. Vnde ad amorem commendationémque personæ vnius, sic vnus Christus prædicatur, vt aliquando vna eius, vel humana, vel natura diuina commemoretur, & vtraque tamen intelligatur. Quoniam inest vnitas, vt qui vnam nominet, ambas significet. Propter quod Apostolus solam humanitatem tangit ad Timotheum dicens,* Vnus est Deus, vnus mediator Dei & hominum Christus Iesus. *De diuinitate dicit ad Corinthios.* Nam etsi sunt qui dicantur dij, siquidem sunt multi, nobis tamen vnus Deus, ex quo omnia, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia.

2.Cor.10. 2.Cor.13. 1.Tim.2. 1.Cor.8.



DIVI FVLGENTII Episcopi Ruspensis.

De veritate prædestinationis & gratiæ Dei.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.



Deo Gratias ago, sancti fratres Ioannes Presbyter, & Veneri Diacone, cuius opertales estis, vt pro graria qua saluamur, magno spiritu ac feruore certetis. Contristatus autem sum, quòd quidam fratres nostri sub Christiano nomine nituntur Catholicæ fidei repugnare: scilicet munere grariæ Dei ad humani virtutem, vel meritum rransferentes arbitrij: tanquam sine Dei auxilio noster conarus diuino valeat obedire præcepto: illúdque tantum sit Dei, vt nobis facienda præcipiat; nec in nobis operetur ipse, quod præcipit: & si quid boni Dominus tribuit homini, non videatur donare, sed reddere. Qui vsque adeo diuinæ boniratis dona putant ex humanorum actuum qualitate pendere, vt etiam paruulos asserant sic præsciri & prædestinari diuinitus, vt nihil in iis qui eliguntur, inueniatur supernæ collationis gratuitum: nec misericordia quemquam gratuita dignatione præueniat, sed supplicij arque præmij retributio in sola cuiusque propriæ voluntatis actione consistar. Illam quoque absurditatem quibusdam irrepsisse multum miror & doleo, quà gratiæ Dei in tantum inimici esse non dubirant, asserentes futurorum operum merito paruulos baptizari: vt è contrario dicant illis quoque paruulis, qui sine baptismate moriuntur, diuina benignitate consuli, vt absque sacræ ablutionis graria rapiantur ad pœnam, in quibus scilicet Dominum futura eorum mala, si aliquanto diutius hîc viuerent, præscisse contendunt, & bonitate sua præripuisse præsentis vitæ curricula: quasi possit aliquis sine beneficio sanctæ redemptionis, aut suppliciis perennibus subtrahi, aut muneribus æternæ vitæ potiri. Dum itaque pertinaciter contradicunt, seipsos mortifera prauitate confodiunt. Quibus viderur Esaü & Iacob, geminorum scilicet fratrum ex vno semine concubitúque nascentium, ita velle discernere merita, vt asserentes Esaü ex futurorum operum præcognitione damnatum, Iacob quoque non gratuito diuinæ bonitatis munere, sed futurorum tantùm operum præscientia saluari non potuisse contendant: vt sic agnoscatur Dominus in vtroque iustus, nec credatur cuilibet eorum gratuita quicquam miseratione largitus. Cùm in hac præcipuè quæstione, quæ de paruulis vertitur, in qua non actualium propria cuiusquam malitia peccatorum, sed ipsius peccatricis reatus originis intimatur, omnis qui non vult ab Apostolicæ fidei veritate desciscere, qui rectitudinem Carholici dogmatis, Deo illuminante, cupit inuiolata credulitate, confessionéque, seruare, omni remoto hæsitationis ambiguo, veraciter credere debeat & fateri, Dominum viuum, & verum, & bonum, id est, summam & ineffabilem vnius naturæ atque essentiæ Trinitatem, primi hominis naturam totam bonam atque integram, sine naturali malo, ac sine vllo virio condidisse; neque carni creasse necessitatem moriendi, neque animæ maculam cuiusquam inseruisse peccati: & ideo humanam naturam ex Deo habere crearionis bonum, ex hominis autem primi volunraria præuaricatione, peccatum originale in nascentibus trahere, atque ex vnius transgressione iniqua, & damna-

tione iustissima, in cunctos simul, & iniquitatis næuum, & mortis manasse supplicium. Homo enim ad imaginem Dei factus, rectitudinem accepit voluntatis & operis.

CAPVT II.

Itaque talis est homo creatus, vt & peccare, & non peccare posset propria voluntate: ac propterea in eo dignè punitus est voluntariæ præuaricationis lapsus, quia nulla fuit ad peccandum naturali carnis, aut animæ necessitate constrictus.
1.Tim.2. Qui licèt, sicut Apostolus docet, seductus ipse non fuerit, mulieri tamen, quæ seducta in præuaricationem fuit praua voluntate consentiens, sic improuidus sibi mortiferum vulnus inflixit, vt in illo vno homine cuius est anima mortua per peccatum, corpusque mortuum propter peccatum, omnes originaliter peccato subderentur, & morti, quotquot essent ex illo primo homine peccatore per concubitum maris, & fœminæ nasciturі. Postquam autem omnium hominum genitor propria voluntate peccauit, veritatem diuini præcepti, quod audierat,
Gen.2. *in quacunque die ederitis ex eo, morte moriemini*, & iustitiam Dei vlciscentis expertus, vno vetitæ arboris gustu, quia reliquit iustitiam, deuenit in pœnam, & sponte in anima spiritaliter mortuus, supplicium quoque corporalis mortis excepit inuitus. Voluntaria ergo animæ mors pœnalem corpori peperit mortem: & hominem primum quia possedit mors criminis, etiam mors illico subsequuta est vltionis. Vnde factum est, vt eius vniuersam progeniem non solùm in iis, qui proprio possent arbitrio delinquere, sed etiam in paruulis necdum propria vtentibus voluntate, reatus obstringeret, & præualente peccato, pœnalem sibi per omnes homines mors, & transitum vendicaret, &
Rom.5. regnum. Propter quod & Apostolus dicit, *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per pec-*
Ibidem. *catum mors: & ita per omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Item dicit, *Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysem, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudine præuaricationis Adæ.* Peccans igitur homo totam in se peccato subdidit progeniem, quando delinquendo veram perdidit libertatem: à quo enim quis deuictus est, & seruus addictus est: & omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Ab hac seruitute, qua nascens paruulus tenetur obstrictus, solus mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus liber est genitus, qui licet verus homo natus fuerit, non tamen interueniente concupiscentia carnis, nec ex concubitu maris, & fœminæ, sed de Spiritu sancto natus, ita veram carnem de carne matris accepit, vt Dominus verus non culpam humanæ sumeret originis, sed naturam; & peccata in corpore suo non facienda reciperet, sed delenda portaret. Apostolicæ namque prædicationis veraciter auctoritas do-
1.Petr.2. cet, quia *peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, & peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt à peccatis separati cum iustitia viuamus.* Solius eius mater sicut virgo fuit ante conceptum, sic virgo permansit inuiolata post partum: quia nec libidinem sensit, cùm Dominum conciperet in vtero factum mirabiliter hominem, nec aliquam corruptionem, dum in vera nostri generis carne pareret humani generis redemptorem. Dominus namque verus veram ex virgine suscipiens carnem, perfectionem ex ea humani corporis sumpsit, virginitatis ei gratiam non ademit. Neque enim decebat, vt integritatem virginitatis creator humanæ carni Dominus in conditione tribueret, & idem carnis humanæ susceptor Dominus, quod fecerat redempturus, virginitatem carni, de qua nascebatur, auferret. Ipse est secundus homo de cœlo, qui non ideo de cœlo dicitur, quia inde secum voluit deponere substantiam sui corporis: sed quia nihil in se terrenæ cupiditatis forma serui habere potuit, quam in vnitate personæ Dominus creator cœli terræque suscepit.

CAPVT III.

Non ergo cœleste corpus ad terram deposuit, sed ad cœlum Dominus in se naturam veram terreni corporis eleuauit. Hanc terreni corporis veritatem de terreno corpore matris accipiens, in carne sua nostra peccata portauit, cùm non haberet vllam vel originis, vel operis culpam. Dicit enim Isaias, quia *peccata nostra ipse portauit.* Vt ergo in Esai.53.
hominibus quoque, vbi abundauit peccatum, superabundaret gratia, non solum illud peccatum diluit, quo terrenus homo vniuersitatem suæ propaginis inquinauit: sed etiam huius gratia credenti dimittitur, quicquid illi originali peccato additum voluntariis hominum motibus vel operibus inuenitur. Hoc vtique docet beatus Apostolus dicens? *Nam iudicium ex vno in condemnationem,* Rom.5.
gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Hæc est gratia Dei, quæ nos liberat per Iesum Christum Dominum nostrum, cuius gratiæ opus liberator ipse nobis insinuans, ita loquitur: *Si vos filius liberauit, verè liberi eritis*: & alio loco, *Ve-* Ioan.8.
nit enim filius hominis quærere & saluum facere quod Luc.19.
perierat. Hæc Dei gratia qua saluamur, non alicui præcedente bono merito datur: nec tamen, nisi præcedente malo merito denegatur. Primus enim homo peccati sui merita transmisit in omnes, quorum caro est de peccati lege concepta. Propter hoc in paruulis cùm nullum fit ex propria voluntate peccatum, inest tamen filiis iræ carnaliter genitis macula parentalis, quæ quidem bene dispositum diuinæ creationis non perturbat ordinem: sed næuo paternæ transgressionis infligit tetram nascentibus fœditatem. Ab illa igitur massa damnata nemo futurorum præscientia operum discernitur: sed miserantis figuli ope, atque opere segregatur. Propterea vasa misericordiæ, quæ de eadem massa gratis in honorem fiunt, à vasis iræ in contumeliam factis gratuitæ iustificationis munere secernuntur.

CAPVT IV.

Ad ostendendam autem gratiam, quæ gratis iustificat peccatores, Apostolica prædicatio non vasa iustitiæ, sed vasa misericordiæ nuncupat, beato Paulo dicente: *Quod si volens Dominus* Rom.9.
ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum: vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasis misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Ista misericordia neminem reperit dignum, sed omnes indignos inuenit, & ex ipsis, quos voluerit, dignos facit. Hac misericordia præuentus Iacob, non secundum meritum præteriti, seu futuri cuiusquam humani operis, sed secundum propositum Dei prædestinantis, priusquam nasceretur, electus est. Dicit enim Apostolus, *Quia dum nondum nati essent, aut aliquid egis-* Ibid.
sent boni aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante

dictum

dictum est Rebeccæ, quia maior seruiet minori. Vt ergo minor frater maiori præferretur à Domino, neque præteriti fuit cuiusquam meritum, neque futuri operis: quandoquidem ex vno legitimo, iustoque concubitu reatus conceptorum manebat æqualis. Gratia igitur hoc fecit bonitatis diuinæ: quæ nunquam sic data est, vt aliqua in homine bona merita reperiret, sed vt non habentibus ipsa conferret. Si enim cessante gratia per solam operum præscientiam humanorum in paruulis illis vnius eligendi & alterius reprobandi fuisset facta discretio, nũquã dixisset Apostolus: *Quia non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori.* Ex operibus enim sine dubio Apostolus dixisset, si futurorum saltem ibi humanorum operum bona merita cognouisset. Sed quoniam in vtroque sola damnationis inesse merita sciuit, electionis causam soli proposito diuinæ bonitatis attribuit. Quocirca ex duobus istis fratribus, quos ex vno concubitu Isaac patris nostri vnus in semine conceptus accepit, vnus in lucem partus effudit, sola quem voluit à massa damnationis misericordia diuina discreuit: cui patrocinata est gratuitorum prædestinatio munerum, non futurorum præscientia meritorum. Sic enim secundum electionem propositum mansit, vt ex proposito Dei gratuita foret electio. Voluntas enim causa est electionis, non electio causa est voluntatis. Sic autem fuit in electo gratis misericors Dominus, vt in reiecto non esset iniustus. Vnum enim gratis assumpsit, alterum iustè deseruit. Vniuersæ quippe viæ Domini misericordia & veritas. Bonitas ergo gratis miserantis Dei, & seueritas iustè iudicantis fecit, vt nec ambo acciperent gratuitum misericordiæ donum, neque vnum simul sortirentur interitum, cùm originaliter causa vna fuisset amborum. Propter hoc etiam per Prophetam, priusquam diceretur, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, non operis alicuius præteriti, vel futuri, sed solus propheticus sermo præmisit generis mentionem: ita Malachia loquente, *Nonne frater erat Iacob Esau: & Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, dicit Dominus. Cur igitur hîc non aliqua operum diuersitas, sed sola nescientium fraternitas intimatur, cùm magis & illius qui dilectus est, bona opera, & illius mala, qui odio habitus est, commemorari debuerint: vt nec in illo, qui dilectus est, personalis acceptio: nec in eo, qui reprobatus est, iniusta condemnatio putaretur? Fraternitas enim nullam in se operum diuersitatem significat, qua vnum ab altero meritorum comparatione discernat. Non ob aliud ergo, absque commemoratione operum, ex duobus geminis fratribus vnum se dilexisse, alterum odio habuisse Deus ostendit, nisi vt agnosceremus, per conceptionis, natiuitatisque consortium, quo constabat amborum fraternitas, pari merito vtrumque in illa massa damnationis obstrictum: à qua misericors bonitas sic vnum gratis discerneret, vt alterum ibi non iniustè seueritas iusta relinqueret. Iniusta verò paruuli cuiusquam causa damnationis existeret, si propago mortalis nullam peccati contagionem ex paterna radice sumpsisset. Scriptura verò diuinitus inspirata testatur, quòd à sorde non solùm nemo mundus esse possit hominum, si vnius diei sit vita eius super terram: sed ipse quoque generis humani legitimus, nuptialisque conceptus non sit à culpa iniquitatis extraneus. Sanè hîc nullus calumniam veritati putet aliquatenus opponendam. Nos enim sanctorum patrum sequentes, Domino adiuuante, doctrinam, originalis peccati maculam in conceptu esse dicimus paruulorum, non in concubitu legitimo nuptiarum, quarum bonum ab initio generis humani diuinitus nouimus institutum. Propter hoc & Apostolica doctrina honorabile connubium in omnibus, & thorum immaculatum sine dubitatione commendat. Cùm igitur nuptiæ laudabiliter à Domino sibi tributam possideant in fide & charitate prolem mundam, tamen edunt peccato primi hominis inquinatam. De nuptiis ergo bonis vsque adeo bonum est, quòd homo nascitur, vt malum non sit etiamsi de adulterio vel de fornicatione nascatur. Deus enim humanæ naturæ fœcunditatis donum contulit: libidinis verò malum non est creatura Dei, sed pœna peccati. Proinde de immunditia nuptiarum mundus homo non nascitur, quia interueniente libidine seminatur. Quam libidinem nuptialis honestas vtique non amat, sed in nuptiis mortalis propagationis necessitas tolerat. Ipsa conceptos polluit, etiamsi generantes fideles ad illicitæ commixtionis effectum trahere, ac præcipitare non possit. Ob hoc sanctus Dauid, legitimo fidelíque connubio natus, non sine graui dolore maculam carnalis generationis ita deplorat. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea in vtero me aluit.*

Ibid. Malac. 1. Hebr. 13. Psal. 50.

CAPVT V.

QVæ cùm ita se habeant, fieri non potest, vt quisquis in iniquitatibus concipitur, sine iniquitatis obligatione nascatur. Ab hac vt absolueretur Iacob, Esau reprobato, nulla fuerunt merita hominis, sed diuinæ gratia bonitatis. Circumcisi sunt quidem ambo in corpore circumcisione visibili, quæ in signaculum iustitiæ fidei priore tempore patribus nostris est diuinitus attributa. Circumcisionem verò cordis, quæ est in spiritu, non littera, cuius laus non est hominibus, sed ex Deo est, solus Iacob à Deo gratis iustificatus accepit: Esau verò quamquam fuerit & ipse in carne circumcisus, non est tamen diuinæ dilectionis & electionis dono à massa perditionis exceptus. In quo quidem circumcisio carnalis fuit: sed idcirco non profuit, quia eum à prudentia carnis, quæ inimica est Deo, nullatenus circumcisio spiritalis exemit. In Esau igitur ante sæcula odio Dominus habuit mansuram hominis terreni nequitiam, & eum iustè deputauit ad pœnam. In eius verò fratre non aliqua bona opera, quæ essent futura ex homine, præsciuit, vt eum eligeret atque diligeret: sed ei ante sæcula iustificationis gratiam præparauit, per quam illi non solùm bonæ voluntatis initium, sed etiam bonæ operationis largiretur effectum. Nec in eo bona merita reperit, sed eum misericordiæ gratuito beneficio liberauit. Moysi enim dicit, *Miserebor cui miserebor, & misericordiam præstabo, cui miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Rom. 9.

CAPVT VI.

GRatis igitur gratiam suam tribuit Dominus nato, quia gratis eam præparauerat nascituro. Bonis enim, quicquid boni habent, in voluntate, vel opere, Dominus tribuit, qui etiam tributa custodit. Iniquis verò & impiis, nec præparare Dominus potuit aliquando, nec dare mala opera, quibus damnabiliter seruirent: neque

malas eis voluntates inſeruit, quibus iniuſta quæque culpabiliter vellent: ſed præparauit eis ignis æterni pœnam, vt vltricem ſentiant in æterna combuſtione iuſtitiam. Mala ergo voluntas non eſt ex Deo: & ideò eam iuſtus iudex in hominibus punit; quia non in ea creator bonus ordinem ſuæ creationis agnoſcit; ſed perſeuerantiam iniquitatis, atque contumaciam ſuperbæ ceruicis, quia non ex largitate Dei habetur, idcirco Domino vltore damnatur. Eis autem, quos Dominus regni ſui facit hæredes, gratis bonam voluntatem præparat, gratis donat: quibus etiam perſeuerantiam ſubminiſtrat. Gratis quippe præparauit miſericorditer tribuenda merita munerum, quibus iuſtè retribuat munera meritorum. Figuram porrò duorum populorum dubium non eſt in illis duabus præceſſiſſe germanis; vnius ſcilicet ſaluandi, alteriuſque damnandi. Neque tamen iſti populo ſic ſalus eſt pro operibus reddita, ſicut eſt alteri pro operibus condemnatio retributa. Sed vnus, quod non merebatur, accepit gratiæ ſalutaris donum: alter ſecundum meritum recepit iuſtæ condemnationis interitum. In vno merita ſunt damnationis inuenta, alteri verò merita glorificationis gratuita ſunt iuſtificatione collata. Ille vnde diſpliceret in ſe habuit: iſte autem, vnde Domino placeret, ab ipſo, cui eſſet placiturus, accepit. In omnibus igitur, qui gehennali traduntur incendio, inuenit iuſta ſeueritas, quod puniat eorum malum, in quibuſdam originaliter tractum, in quibuſdam etiam vitio propriæ voluntatis adiectum. Exceptis enim paruulis, quibus ad eligendam iuſtitiam, fugiendúmque peccatum, necdum poteſt eſſe liberum voluntatis arbitrium, quia in ætate tenera torpet ratio conſopita; cæteri, qui ratione vti poſſunt, adiecto reatu propriæ voluntatis, aut ad fidem non accedunt, aut à fide diſcedunt. Vt autem fiat quis iuſtus ex impio, amicus Dei ex inimico, abſolutus ex reo, quamcumque agat corporis ætatem, ab ipſo natiuitatis exortu vſque ad decrepitam ſenectutem, nemo iuſtificatione inuenitur dignus, ſed gratuita bonitate iuſtificatur indignus: nec de poteſtate tenebrarum eripitur, & in regnum filij dilectionis Dei transfertur, niſi quem Dominus gratuito gloriæ dignatus fuerit munere præuenire, qui gratis ſaluat, & iuſtè condemnat. Miſericors Dominus & iuſtus, voluntatem prauam, quam non miſericorditer corrigit, iuſtè punit, quia prauitatem in ea inuenit, quam ipſe non fecit. Bonam verò voluntatem ipſe gratis præparat, gratis donat, ipſe adiuuat, ipſe conſummat.

CAPVT VII.

CErtiſſimè itaque teneamus, omnes homines per ſemetipſos non ſolùm perfectionem, ſed nec initium iuſtitiæ poſſe contingere: ſed vniuerſos qui fiunt boni, diuina iuſtificatione præueniri, & vt accepta bona voluntate nón decidant, opitulatione Dei profectum eis & perſeuerantiam tribui, nec aliquibus hominum meritis, præteritis aut futuris, gratiam dari: ſed ipſius gratiæ dono atque auxilio vniuerſa hominum bona merita & inchoari & perfici. Iniquos verò, qui in ſua iniquitate iuſto Dei iudicio relinquuntur, etiamſi perceptione ſacramenti carere dicantur peccati originalis reatu, ſubſequentium tamen, id eſt propriorum merito peccatorum ad ignis æterni deuolui ſupplicium. Deus enim miſericors & iuſtus humanæ originis voluntariſque peccata, ſiue in paruulis, ſiue in grandibus hominibus, quæ miſericorditer non diluit, iuſtè punit: quia ipſe eſt Dominus bonus & verus, qui hominem fecit, ſed peccatum in homine non creauit: quique merita & opera in omnibus hominibus nunquam inuenit bona, pro quibus eos ſaluet, ſed ipſe in eis & voluntates & opera mutat, quando eos gratuita miſeratione iuſtificat. Qui præſcientiæ ſuæ certa & incommutabili firmitate in vaſis miſericordiæ non niſi gratiæ ſuæ præſciuit donum, quod à ſe nouerat tam in meritis munerum, quàm in meritorum muneribus largiendum. Ipſe enim & gratuitam voluntati humanæ bonitatem donat, & bonam voluntatem in operibus adiuuat. Ipſe etiam in vaſis iræ illa præſciuit malitiæ humanæ opera, quæ eſſent in effectu proculdubio ſequutura. Secundùm rectam itaque fidem, ac perſpicuam veritatem, quod attinet ad paruulum, qui ſine beneficio ſecundæ natiuitatis huic vitæ ſubtrahitur, ſicut præſciſſe fatendum eſt Dominum paruuli futuram mortem, quæ verè futura erat; ſic abſurdè dicitur, Dominum præſciſſe paruuli futura peccata, quæ futura non erant. Neque enim Dominus rerum omnium conditor facienda præſciſſet, quæ facienda non eſſent. Scimus namque præſcientiam Dei ſic eſſe veram atque incommutabilem, vt quæ futura præſcit, verè futura ſint, nec aliquid faciendum præſciat, quod non ſecundùm præſcientiam eius fiat. Futura verò ſola in ſe creaturæ mutabilitas recipit, quæ in creatoris incommutabilitatem nullatenus cadit. Propterea Deo nihil eſt præteritum vel futurum, cui ſic omnia præſentia ſunt, quæ facienda præſcit, vt poſtquam facta fuerint, præterita ei eſſe non poſſint: quoniam ſicut nouit præterita, ſic nouit & futura. Quæcumque enim cum tempore mutantur & tranſeunt, in eius cognitione ſine temporis tranſitu ac mutabilitate conſiſtunt. Rerum autem non earum quæ futuræ non ſunt, ſed quæ faciendæ ſunt, præſcientiam Deo ineſſe, liber Danielis Prophetæ teſtatur his verbis, *Dominus qui occultorum* Dan 3.
es cognitor, qui ſcis omnia, antequam fiant. Dominus ergo ſcit in æterna præcognitione quod futurum eſt, vt fiat in opere.

CAPVT VIII.

ABſurdè itaque dicitur, quòd præſcierit paruulum, ſi viueret, impium futurum, quem profectò non plus quàm vixit, præſciunt eſſe futurum: quem vtique præſciunt ad ætatem qua impiè viueret, non eſſe venturum, quia eum in ætate infantili de ſæculo veraciter nouerat auferendum. Et in quo nulla peccatrix præcognita eſt ætas, vnde fieri potuit, vt ætatis, quæ futura non erat, præſciretur iniquitas: cùm ætas renati paruuli ſine actu omnino peccati eſſe poſſit: actus autem humani peccati ſine qualibet ætate non poſſit? Futuræ enim ætatis non abſurdè præſcita dicuntur opera vel bona vel mala, abſurdè autem præſcientia cuiuſquam humani operis in ætate aſſeritur, in qua futurus homo ipſe non eſſe monſtratur. Sicut autem non niſi concipiendorum exordia, ita non niſi victurorum hominum actualia rectè dicimus Dominum præſciſſe peccata. Illius igitur præſcius operum rectè dicitur Deus, quorum in conſummatione non negatur ſubſequuturus effectus. Cæterum quiſquis Dominum præſcium putat futurorum operum,

rum, quæ tamen futura non fuerant, restat vt præscientiæ Dei, quam vtique non negat veracem, aliquam inesse, quod absit, æstimet falsitatem. Falsum est enim futurum esse aliquid, quod præsens non erit. Dei autem scientia nihil in se potest habere falsi, quia falsitas inesse veritati non potest. Præscientia igitur veritatis, quæ in se non recipit falsitatem, sicut faciendum præscit, quod faciendum est: ita non faciendum, quod faciendum non est. Non ergo Deus in paruulo peccata vlla præsciuit, quæ priusquam moreretur, paruulus non admisit. Si enim facienda præsciisset, vtique fierent. Neque enim futura sciret quæ non facienda præsciret. Proinde fatendum est, quia sicut paruulus mortuus est, ita eum Deus moriturum esse præsciuit: Dei enim præscientia nullatenus fallitur, quia sicut faciendum præsciuit mundum, & sic eum fecit, quemadmodum faciendum esse præsciuit: sicut in ipso quoque mundo singula, quæ facta sunt, vel fiunt, vel facienda sunt, ita semper facienda fuerunt in Dei præscientia, quemadmodum sunt in opere consequuta, vel etiam sequutura. Non ergo Deus præsciuit faciendum à quolibet homine, quod facturus homo non fuit: sicut nec eius præscientiam aliquid latuit eorum, quæ homines vel fecerunt, vel faciunt, vel aliquando facturi sunt: Deus enim verus ea in operibus hominum præscire rectè dicitur, quæ & rebus & personis & temporibus inchoantur. Vbi autem vel res, vel persona, vel tempus non ostenditur, nullum vtique opus est, quod præscitum diuinitus asseratur. Non autem congruit veritati, vt in præsentia Dei dicatur esse futurum aliquid, quod in tantum nihil esse conuincitur, vt ex futuro præsens nullatenus fore vel fuisse monstretur: cùm vtique ipsum futuri nullatenus possit habere vocabulum, quod præsentis appellatione non sit quandoque censendum.

CAPVT IX.

A Paruulo ergo qui nihil fecit, nihil faciendum Dominus esse præsciuit. Cur autem non ab eo abstulerit originale peccatum, nos quidem scire non possumus: hoc tamen eum iustè fecisse, nullatenus dubitare debemus. Licet enim non solùm ex nihilo creatis, sed etiam peccati gerentibus maculam, quam mortaliter viuentibus Dei filiis sicut gratia subinde diluit, ita frequenter infirmitas parit, incomprehensibilis consilij Dei clausa sit altitudo: illud tamen nobis manifestum est, quia in Deo vlla iniquitas non est.
Deut. 32. De ipso enim scriptum est, *Deus fidelis, in quo non est iniquitas, iustus & sanctus Dominus Deus:*
Psalm. 18. Et alio loco: *Iudicia Dei vera, iustificata in semetipsa.* Ad quorum iudiciorum occultam profunditatem (quia iudicia Dei abyssus multa) credimus etiam parentum, siue quorumlibet hominum negligentiam pertinere. Sicut etiam pro paruulo, qui ad baptismum peruenit, parentum curam non dubitamus ad diuinæ gratiæ munera referendam. Et si quidem parentes non fuerint pietate ac bona conuersatione præditi, Dominus, qui malis quoque bene vtitur voluntatibus hominum, per malorum operum solicitudinem beneficium gratiæ suæ operatur in paruulo. Si verò parentes boni sint, non solùm paruulo bona voluntas parentum proficit, sed ipsis quoque parentibus in se credentibus gratiam bonæ voluntatis ipse largitur, vt pro paruulo piam sollicitudinem gerant, donec ad sanctæ regenerationis remedium vitale perueniant. Quorum tamen nec cursus potest, nec ipsa bonæ voluntatis sollicitudo pia sufficere: nisi eum dignetur Dominus suæ miserationis gratuito munere præuenire. Equidem bona voluntas, quæ à Domino pro paruuli regeneratione parentibus inspiratur, eos instigat vt currant, quatenus paruulus ad ablutionem salutaris aquæ perueniat. Verumtamen illius regenerationis effectus non cuiusquam hominis volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui & voluntatem parentum excitat, & volentibus adiutorium donat. Qui opportunitatem quoque prædicandi Philippo dedit, quando spadonis animum ad legendum Isaiam misericorditer excitauit. Ipse etiam locum tribuit, qui eos ad stagnum gratuita bonitate perduxit. Ipse in spadone opus gratiæ salutaris perfecit, quo illuminante idem spado Christum esse filium Dei credidit, & ad stagnum veniens sacræ tinctionis effectum poposcit, nec baptizatus tantùm, sed & Spiritu sancto repletus abscessit. Quis etiam Cornelium centurionem misso Angelo, vt Apostolum Petrum accerfiret, admonuit, nisi qui eidem centurioni gratis donum sui timoris, ac bonæ operationis infudit? Vt enim Dominus orationum eius & eleemosynarum memoriam haberet, ipsius Cornelij prius meminit, non in eius quolibet opere bono, sed in beneplacito suo, vt ei donum sui timoris infunderet, quo ei & eleemosynarum studium, & sanctæ orationis inspiraret affectum. Ipse igitur ei placendi gratiam contulit, qui in eo, quod coram se placeret, inuenit. Ipse est enim de quo Apostolus dicit, *Deus autem qui edu-* Hebr. 13.
xit de mortuis pastorem magnum ouium in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono, vt faciatis voluntatem eius, faciens in vobis, quod placeat coram se. In tantum autem diuinæ gratiæ fuit, quòd Cornelius admonitus est, vt ad se Petrum accerfiret, vt etiam ipsi Petro Spiritus sanctus venientibus ad eum, quos Cornelius miserat, non solum, vt cum eis iret præciperet, quin etiam formidinem totius dubitationis auferens, à se illos missos fuisse firmaret. Denique sic eidem Petro à Spiritu sancto dictum est?
Ecce viri tres quærunt te. Surge itaque, descende, & Act. 10.
vade cum eis, nihil dubitans, quia ego misi illos. Apo- Actor. 16.
stolos quoque volentes ire in Bithyniam atque Asiam, vetitos à Spiritu sancto legimus. Et postquam Act. 9.
Saulum Dominus sua voce prostrauit, ipse ad eundem baptizandum Ananiam visitauit, & misit. Paulus etiam Corinthiis scribens euidenter affirmat, sollicitudinem sanctam Tito discipulo suo, qua pro illis satageret, diuinitus inspiratam. Sic enim dicit,
Gratias autem Domino, qui dedit sollicitudinem pro 2. Cor. 8.
vobis in corde Titi.

CAPVT X.

CVm ergo scripturarum attestatione sanctarum manifestum sit, quòd Dominus, cuius voluntati nemo resistit, cuius dispositionem nemo mutat, cuius iudicia nemo comprehendit, secundùm abundantes diuitias gratiæ suæ, quas habet in bonitate super omnes, quos de massa damnata faciens vasa misericordiæ in honorem, gloriámque discernit, hominibus quoque ratione vtentibus congruas ad salutem personas aut procuret, aut deneget, in aliis scilicet iustitiam tenens, aliis misericordiam tribuens: cur non etiam in baptizandis infantibus certissimè credamus

ac liberè proclamemus diligentiam parentum ad gratiam redimentis, negligentiam verò ad iudicantis Dei iustitiam pertinere? Non quia ex Domino est boni operis negligentia, à quo nulla vnquam potuit esse mali operis causa: sed quia bona voluntas, quæ à Domino tribuitur, quantum in charitate profuit, tanto maiorem pro salute cuiuslibet animæ sollicitudinem gerit. Mala verò voluntas, quæ suo merito gratiam charitatis aut non accipit, aut amittit, torporem negligentiæ non deponit, & dum in suis tenebris derelinquitur, magis ac magis cæcatur. Deo igitur in hominibus misericorditer operante, prouidente etiam adiutoria personarum atque opportunitatum, & ipsa facultas operis tunc inuenitur ad baptizandum paruulum, quando in eo Dominus statuit opus sanctæ ablutionis implendum. Deus enim, qui paruulum non volentem, neque currentem, fidei nescium, suæque salutis atque vtilitatis ignarum, in quo nulla regenerationis petitio, nulla fidei potest inesse confessio, gratuita sacramenti virtute mundat, ipse pro redemptione paruuli animos parentum, siue quorumlibet fidelium voluntates excitat, vt etiam illis cum timore & tremore salutem suam operantibus proficiat ad bonæ retributionis mercedem, per quorum piam curam infans perducitur ad salutem. Si enim mercedem suam non perdet, qui calicem aquæ frigidæ vni ex minimis Christi in nomine discipuli dederit, quo sola caro pascitur, quomodo mercedem non habebit, qui pia sollicitudine currit ac satagit, vt caro infantis, animáque saluetur?

CAPVT XI.

QVocirca etiam hæc bona voluntas diuinitus dari credenda est parentibus piis, qua fructum suæ carnis, quem carnaliter editum nouerat, originalis peccati cogitatione pollutum, non negligant spiritali regeneratione mundandum: neque tantùm cupiant habere temporaliter hæredem, quantum desiderent & vigilanter satagant Christi secum fieri cohæredem: & quem habens ex semine filium mortaliter transiturum, ex aqua & Spiritu sancto renatum fratrem habeant sub Deo patre perpetuum. Veruntamen hanc laudabilem voluntatem illis proculdubiò parentibus Deus tribuit, quibus per Spiritum sanctum gratiam sanctæ charitatis infudit. Ipsi quoque ad vitam æternam perueniunt, non quia in corpore mortis huius morituros filios gignunt; sed quia in Dei timore viuentes, cum eis ad secundæ natiuitatis beneficium festinare non negligunt, & donec in eis opere compleatur, Christiana dilectione parturiunt, quos humana fœcunditate pepererunt. Quos etiam baptizatos diffluere per flagitia, facinoráque non sinunt: sed eos secundum Apostoli præceptum in disciplina & correptione Domini nutrire atque educare contendunt: magis eos volentes esse placitos Domino, quàm diuites aut charos esse in sæculo. Vsque adeò verò manifestum est gratiam baptismi debere filiis à parentibus celeriter afferri, vt hoc non solùm boni fideles solliciti facere soleant, sed etiam illi, qui ad filiorum Dei non pertinent numerum: qui scilicet cùm fidelium censeantur nomine, negare conuincuntur operibus fidem, dum ea gerunt quæ fidei conuenire non possunt. Nam vt de aliis taceam, nonne videmus mulierculas quasdam filios suos non de connubio, sed de fornicatione susceptos, sollicitè ad baptismatis gratiam portare, multumque vereri, ne qui de illis carnaliter nati sunt, spiritali natiuitate priuentur? Ita cum iis quos inuitæ plerumque concipiunt, atque pariunt volentes ad Ecclesiam trementesque concurrunt; & cùm peccatum fornicationis suæ negligant, ita in iniquitatibus suis remanent, vt tamen filios suos absolui vinculis peccati originalis exoptent. Sic Dominus bonus parentum bonorum piam voluntatem non solum paruulis, verùm etiam ipsis parentibus facit ad affectum gratiæ proficere: iniquorum verò parentum sollicitudinem facit commodis filiorum, quibus confert gratiam, militare: quia etiam illi, qui in se beneficium baptismatis operibus malis euacuant, quid conferat baptismatis gratia, non ignorant: & cum in carne sua mortiferæ cedant libidini, in fructu tamen carnis suæ magis cedunt agnitæ veritati. Si verò aliqui paruulorum parentes Christiani (quod interim, quia multum à religione abhorret, durum est credere) christianæ charitatis suæ non minus quàm filiorum salutis obliti, curam regenerandorum non habent paruulorum: non nostram, sed Apostoli super hoc scelere sententiam audiant, & vtinam contremiscant, dicentis: *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet; fidem negauit, & est infideli deterior.* 1.Tim.5. Si autem nullus habet ex Deo, vt neget fidem: sic etiam negligentiam cuiuslibet operis boni nemo diuinæ imputare permittitur voluntati. Sicut autem ad opus diuinæ gratiæ pertinet, quod parentes pro regeneratione filiorum piam sollicitudinem gerunt: ita illud quoque diuini iudicij est, quod Deus malas deserit voluntates, cùm parentes filiorum corporalem ita salutem diligunt, vt animarum in eis negligant sospitatem: curámque gerunt, vt morituri viuant, nec metuunt, si filij eorum cum reatu sempiternæ damnationis intereant: vbi maximam culpam contrahunt, & crudelissimi parricidæ spiritaliter fiunt. Diabolicis enim lucris ipso neglectus sui torpore militant, & placentes hosti nequissimo, regem bonum malis operibus exacerbant. Deum igitur, cuius vniuersæ viæ misericordia & veritas, sicut humiliter laudare debemus, cùm gratiam donat; sic nemo iustè potest accusare, cùm denegat. Ea quippe est bonitas eius atque iustitia, vt gratuita miseratione redimi possit, quemcumque voluerit: voluntati enim eius quis resistit? Iniustè verò damnare quempiam nec velit aliquando, nec possit; quia rectus est Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo, & iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, nec est iniquus Dominus, qui infert iram.

CAPVT XII.

QVisquis igitur gratiæ diuinæ mirabilem vult atque incomprehensibilem considerare virtutem, illud potius humili, pióque corde consideret, quomodo plerumque parentes pij, fideles & impigri, atque solliciti, cum paruulis suis ad baptismum velociter currant, & inter manus festinantium paruuli sine baptismo moriantur. Consideremus ergo duos paruulos sine baptismate mortuos: vnum quem noxia parentum neglexit incuria, alterum cui parentum quidem pia sollicitudo non defuit, sed mortis velocitate prærepto prodesse nequiuit, qui scilicet inter manus portantium, quibus ad baptismum gestabatur, priusquam perueniret ad futuræ vitæ beneficium

ficium, præsentem incurrit occasum, & ante caruit vita, quàm macula; priusque raptus est ad pœnam, quàm perduceretur ad gratiam. Si de his duobus vni dicitur parentum negligentia nocuisse, dicatur cur alteri negatus est salutis effectus, cui nec voluntas potuerit parentum prodesse, nec cursus. An etiam huic à Deo dicitur fuisse consultum, vt qui præuidebatur futurus impius, beneficio putetur iamentandæ mortis adiutus? Quis hoc dicat, quisve non videat, quod talis obitus, non damnationi morientem paruulum prær puit, sed saluti? cui non est vtique leuigata damnatio, sed redemptio denegata: nec consultum est, vt minus torqueretur: sed raptus est, ne liberaretur. Nonne hîc & pia parentum voluntas, atque cursus ex Domino fuit? sed ideò non profuit, quia vt paruulus baptizaretur, ex Deo non fuit, qui profundo iustóque iudicio illis quidem pro filio religiosum infudit affectum, sed paruulo vitale noluit largiri remedium. Nam & sancto Dauid ipse donum charitatis infudit, vt Absalon filio parcendum præciperet, ne in sua impietate moreretur: sed ex Deo non fuit, vt Absalon impius futuræ pœnitentiæ seruaretur. Exhibuit ergo, quod debuit hominis sancti voluntas pia; sed operata est, quod oportere nouerat diuina iustitia. Illud etiam si quis pia mente consideret, nonne sicut diuinæ misericordiæ suauitate mulcetur, ita diuini iudicij profunditate terrebitur? Nonnunquam enim & paruulus fidelibus nascitur, & illis, sicut iam diximus pro redemptione filij pia fide, charitatéque sollicitis antè moritur quàm sacro baptismate diluatur. Alter verò de infidelibus natus, cuius salutem parentes non saltem tepidè volunt, sed omnino non volunt, idem tamen paruulus supernæ dispensationis ordine parentibus, aut violenter aufertur, aut furto subripitur, & ad sanctum baptisma quorumlibet fidelium pia charitate perducitur, & mox, vt baptizatus fuerit, de hac vita discedit. Si paruulorum istorum originalis attendatur causa, ambo æqualiter sunt iræ filij, quia vno simul originalis peccati nexu tenentur obstricti. Vbi autem duorum prorsus æqualis est causa, non vtique possunt merita pronuntiari dispaña. Nulla igitur est causæ diuersitas in infantibus, quæ faciat vnum eligi: alterum reprobari. Si verò parentum consideretur voluntas, illi qui Christiani sunt, vt eorum filius baptizaretur sollicitè voluerunt, instantissimè curauerunt, quorum tamen filius antequam baptizaretur, morte præuentus æternis est ignibus deputatus: ille verò, qui de infidelibus natus est, contra voluntatem parentum perductus ad gratiam baptismi, factus est hæres Dei, & cohæres Christi. Quid in his præuidit Dominus futurum, vt vni nihil conferre posset charitas parentalis, & alteri multum credulitas prodesset hostilis? Quis istam profunditatem iudiciorum Dei penetrare valeat? Quis non tamen hîc, & misericordiam gratuitæ bonitatis, & iustitiam diuinæ seueritatis agnoscat? Vbi enim duorum paruulorum, nec in actibus aliqua sunt merita, nec in origine dissimilis causa, manifestum quidem nobis est, quod ambo fuerint originalis peccati vinculis obligati, occultum verò, cur non ambo fuerint absoluti.

CAPVT XIII.

Sciamus igitur imperscrutabile nobis esse, cur vno derelicto, alterum Deus ab illa perditionis massa gratis eripiat. Certissimè tamen scire debemus, quia miserator, & misericors Dominus, patiens, & multum misericors, & verax, sic ei quem liberat, misericordiam donat, vt apud eum quem damnat, iustitiam, & veritatem nulla ratione prætereat. Absolutus igitur accepit gratiam, quam semper laudet: damnatus verò inuenit iustitiam, in qua non habet quod accuset, vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo, quando vnus in bonis suis præcedentem Dei agnoscit gratiam, alter in damnatione sua non falsam futurorum, quæ non erat facturus, operum præscientiam, sed veram primi parentis inuenit culpam. Dicet aliquis, cur non ambobus largitus est Dominus gratuitam misericordiam, cùm vnus ambos reatus obstrinxerit? Cui, salua incomprehensibili altitudine iudiciorum Dei, respondemus, ideò non vtrumque liberatum, vel vtrumque damnatum; quia Dominus, qui malum nec velle potest aliquando, nec facere, ab vno iusta seueritate debitum præcepit exigi, alteri verò gratuita iussit bonitate dimitti. In duobus enim pariter impiis, quorum vnus absoluitur, alter damnatur, in absoluto cognoscitur gratuita benignitas Dei, quæ potest absque meritis vllis operum gratis omne relaxare peccatum: in eo verò, qui damnatus est, apparet iustitia Dei, cui nullum potest aliquando placere peccatum. Nec misericors ergo absolutio culpabilis potest esse, nec iniusta punitio. Absoluit reum bonitas, quæ nulla malignitate vincitur: punit reum æquitas, quæ nullis iniquitatibus delectatur. Deus ergo, cùm saluat homines, gratiam tribuit suis operibus bonis: & cùm punit pro iniquitatibus peccatores, iustitiam retribuit humanis operibus malis: in illis vtique reparans quod facti sunt; sed in istis iudicans quod fecerint. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Quia & ij qui non peccauerunt proprietate operum, originale trahunt ex primi hominis transgressione peccatum. Voluntatis autem diuinæ secretum, quo vnum impium iustificat, alterúmque condemnat, non ideò æstimemus iniustum, quia nobis videmus absconditum: sed ideò diuinum iustúmque nemo esse dubitet, quia hoc hominum quisquam inuestigare non valet. Proinde cordis humilitatem simpliciter exhibentes, misericordiam, & iudicium Domino cum Propheta cantemus: intentionem nostræ scrutationis eatenus temperantes, vt discutere non velimus, quod comprehendere non valemus. Admonet enim nos sancta Scriptura dicens, *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Dominus, illa cogita semper, & in plurimis operibus eius ne sis curiosus.* Eccles. 3. Reuera enim frustrà labor superfluæ scrutationis impenditur, vbi nulla inuentionis copia suffragatur: & noxia curiositas in reatum protinus labitur, quando modum suum humana infirmitas non metitur. Quin potius in hoc profundissimo diuinæ voluntatis arcano nihil aliud nostræ saluti congruere nouerimus, nisi vt cum Dauid vnusquisque nostrum humiliter dicat: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, nec potero ad eam.* Psalm. 138. Cum beato quoque Paulo religiosi clamoris iungamus effectum, qui ait, *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Rom. 11. In quo loco conuenienter B. Paulus, priusquam incomprehensibilia Dei iudicia diceret, altitudinem sapientiæ eius, scientiæque præmisit. Quibus vtique

vtique verbis omnem querelam, iustoque Dei iudicio aliquatenus obnitentem humanæ vocis temeritatem obstruxit. Certum enim est, ad personam atque officium iudicis pertinere, vt & in cognoscenda causa scientiam non negligat, & in iudicando rectum sapientiæ tramitem non relinquat; ne quando vel aduersus incognitam veritatem conuincatur ignarus temere iudicium ferre, vel agnitam deprehendatur insipienti peruersitate comprimere. Deus igitur nec inscius est, vt temerè iudicet: nec insipiens, vt aliquem iniustè condemnet; de quo prophetica clamat auctoritas, *Iustus Dominus & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* Psal.10.

CAPVT XIV.

PRoinde in omnibus operibus suis æterna laude dignus est Deus, quia cunctis, quos secundùm propositum vocat atque iustificat, gratis remittit iniquitatem: in omnibus autem, quos punit, irreprehensibilem retinet æquitatem. Causa verò maiorum atque minorum, qui sine baptismate cursum vitæ præsentis in infidelitate consummant, quantum attinet ad communionem originalis peccati, vna est: ex hac vtrique ibunt in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius, quia in eis chirographum, quo sibi eos deceptoris nequitia subdidit, Saluatoris gratia non deleuit. Sed in eo est maiorum causa deterior, quia rationis vtendæ facultate percepta, respuunt aut negligunt regenerationis salutare remedium, sine quo non solùm regno potiri nequibunt, quin etiam grauioribus suppliciis subiacebunt. Tales enim contemnentes benignitatem Dei secundùm duritiem suam, & impœnitens cor. thesaurizant sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua: vt non solùm pro originali peccato æternis ignibus ardeant, quibus arsuri sunt sine baptismate morientes etiam paruuli, qui nihil boni aut mali egerunt: sed etiam pro sua voluntate mala tanto deteriùs torqueantur, quantò ampliùs propriæ iniquitatis adiiciunt. In illo quippe originali peccato mors æterna vtrosque complectitur: his autem pro voluntatum, actuumque malitia, pœna cumulatur. Deterius est enim redemptionis beneficium impia voluntate non quærere, quàm ad illud impedimento teneræ prorsus ætatis venire non posse: grauiúsque premitur, qui oneri ex primis parentibus sumpto superaddit proprium, quàm qui solùm baiulat alienum. Eos verò, qui siue originalium, siue etiam propriorum exuuntur oneribus peccatorum, gratia Dei præueniri nullus debet ambigere Christianus. In cuius gratiæ largitate quidam minore rerum consideratione percepta, non leuiter errant, existimantes eam omnibus hominibus æqualiter dari: ita vt etiam eis, qui beneficia ipsius gratiæ tanquam ipsi multum minorant, dum non credunt ipsius gratiæ opus esse in homine, vt gratia suscipiatur ab homine, quæ non ob aliud diuinitus datur, nisi vt bonam voluntatem in homine primitus operetur; tantaque sit in vnoquoque, qui accipit, quantam Deus gratuita miseratione cordi accipientis infundit.

CAPVT XV.

DIgnum itaque est, charissimi fratres, vt in singulis quibusque sententiis, in quibus nubilo cuiusquam obscuritatis ambigimus, sanctorum Patrum definitionibus hæreamus: quos præueniens misericordia Dei gratis illuminauit, vt crederent, & sequens instruxit spiritaliter, vt docerent. Hi enim Apostolicæ prædicationis tenentes per omnia veritatem, certissimè cognouerunt, cognoscendúmque libris, & epistolis reliquerunt, gratiam Dei non omnibus hominibus generaliter dari. Gratuitum quippe donum Dei est gratia: Propter quod dicit Apostolus, quia *Vnusquisque proprium habet donum à Deo: alius quidem sic, alius verò sic.* 1.Cor.7. Ista gratia, quam Deus vasis misericordiæ gratis donat, ab illuminatione cordis incipit: & hominis voluntatem non bonam inuenit ipsa, sed facit: atque vt eligatur, ipsa priùs eligit: neque suscipitur aut diligitur, nisi hoc ipsa in corde hominis operetur. Ergo & susceptio, & desiderium gratiæ opus ipsius est gratiæ. Istam gratiam nullus hominum desiderare vel poscere, sed nec cognoscere poterit, nisi eam priùs ab illo accipiat, qui eam nullis præcedentibus operibus, aut voluntatibus bonis ad hoc largitur, vt voluntatem in qua semper maneat, ipsi præparet, ipsa donet, ipsa illuminet, ipsa excitet, ipsa conseruet.

CAPVT XVI.

VT ergo gratia Dei cognoscatur, & diligatur, desideretur, ac postuletur, priùs donatur homini non cognoscenti, non diligenti, non desideranti, neque postulanti. Ipsa itaque se facit cognosci, diligi, desiderari, postulari. Cùm enim Dominus, sicut per Ezechielem Prophetam loquitur, cor Ezech.11. lapideum aufert ab hominibus, & dat eis cor carneum, vtique per gratiæ suæ illuminationem mutat homini voluntatem, hæc est mutatio non humani arbitrij, sed dexteræ excelsi: per quam filij hominum graues corde, qui diligunt vanitatem, & quærunt mendacium, ad diligendam, & quærendam veritatem non ipsi bonam voluntatem afferunt, sed à Domino donum bonæ voluntatis recipiunt. Scriptum est enim, quia *præparatur voluntas à Domino.* A vero enim lumine, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, bona voluntas datur, vt homo in Deum credat, Deumque fideliter diligat, à quo ipsa voluntas iugiter gubernatur, & regitur, vt nec fides hominis deficiat, nec charitas refrigescat. Vnde Saluator Petro dicit, *Ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua.* Fides autem ipsa est sanctorum, quæ per charitatem operatur. Sicut ergo bonæ voluntatis initium nemo potest habere, nisi fuerit misericordia Dei præueniente illuminatus, quia præparatur voluntas à Domino, & rursum scriptum est, *Deus meus misericordia eius præueniet me*: Psal.58. Ita eandem voluntatem bonam nemo vsque in finem poterit obtinere, nisi fuerit iugiter eadem misericordia subsequente seruatus. Dicit enim Deo beatus Dauid, *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Misericordia igitur, quæ gratis malum hominem præuenit, vt mutet in melius, & ipsa quem bonum facit, subsequendo regit, ne mutetur in peius. Omne igitur bonum voluntatis, & operis tunc inesse potest homini, si præuenientis gratiæ largitate detur, eiusdémque gratiæ subsequentis opitulatione seruetur: quæ malum præuenit, vt bonam Deo largiente voluntatem habere incipiat, quam ante, quia per se habere non poterat, non habebat.

Prou.8.
Luc.22.
Psal.22.

CAPVT

CAPVT XVII.

SVbsequitur autem bonum, vt perseueret & proficiat in bona voluntate, quam ex se habere non potuit, sed gratis accepit. Præuenit ergo dirigendo
Psalm. 7. cor hominis prauum: quia scriptum est, *Dirigit autem corda Dominus.* Subsequitur autem, custodiendo correctum: quia similiter scriptum est, *Iustum adiutorium meum à Domino, qui saluos facit rectos corde.* Gratia igitur in vtroque operatur: scilicet, & in errante, vt correctus viuat, & in correcto, ne deprauatus ascendat. Non omnibus autem istam gratiam dari, & quibus datur, non omnibus æqualiter dari, quisquis piè quærit, eloquiorum sanctorum attestatione cognoscit. Quid enim prius in homine bonum potest esse, quod ad æternam vitam tendat, quàm bona voluntas? de qua tamen in Prouerbiis
Psalm. 8. dicitur, *Præparatur voluntas à Domino.* Dominus ergo, qui in nobis bonam voluntatem præparat, ipse nobis bonæ voluntatis initium donat. Deum quoque in nobis operari non solùm vt velimus, verùm etiam, vt quod benè volumus, faciamus, Apo-
Philip. 2. stolus docet, dicens: *Cum timore, & tremore salutem vestram operamini. Deus est enim, qui operatur in nobis, & velle & perficere pro bona voluntate.* Huius bonæ voluntatis initium in fide consistere, liber Can-
Cant. tici Canticorum ostendit, vbi Christus dicit Ecclesiæ, *Venies & pertransies ab initio fidei.* Quam tamen fidem non omnibus dari B. Paulus asserit, dicens:
2. Thess. 3. *Non enim omnium est fides:* & rursus, *Non omnes obediunt Euangelio.* Quibus autem datur, non æqualiter
Rom. 12. dari, eodem docente cognoscimus, qui ait; *Dico enim per gratiam quæ data est mihi omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei.* Ob hoc ipse Apostolorum chorus, qui non spiritum huius mundi acceperat, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciret quæ à Deo donata fuerant ei, sciens à Domino collatum sibi initium fidei, ab ipso sibi eandem poscebat augeri. Lucas enim Euangelista
Luc. 17. commemorat Domino dixisse discipulos: *O Domine, auge nobis fidem.* Cuius si ex se voluntas hominis habere posset initium, ex se profectò sumpsisset augmentum. Sed beati Apostoli vnde se sciebant initium fidei accepisse, quod non habebant, inde sibi eiusdem augmentum poscebant: quia gratia, quæ illis initium fidei contulerat, ipsa in eis augendæ desiderium suscitabat. In quo tamen desiderio licèt iam fidelis esset voluntas, nullatenus tamen sibi sufficeret, nisi ille qui initium fidei non poscentibus dederat, augmentum quoque poscentibus benigna miseratione conferret. Vt ergo Apostoli crederent, voluntas non defuit, sed in eis ipsam voluntatem Dominus præparauit. Nam vt homo non credat, ex se habet infidelitatem: vt autem in Deum credat, à Deo accepit fidem, & vt in eo fides augmento subsequente perficiatur, non hoc virtus humanæ voluntatis, sed diuina gratia facit: quia Deus sicut voluntatem ad credendum per gratiam præparat, sic ipsam voluntatem gratia operante consummat: & sicut fidem non habentibus ipse donat, sic in illis etiam, qui habent, ipse multiplicat. Propter quod in epistola quæ ad Hebræos est scripta, sic di-
Heb. 12. citur; *Deponentes igitur omne pondus, & circunstans nos peccatum, per patientiam curramus propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum.* Proinde si ex se homo fidem habet, non est auctor fidei Iesus: & si viribus suis homo fidem perficit, non est consummator fidei Iesus. Apostolica auctoritas auctorem consummatorémque fidei nostræ Dominum Iesum confitetur. Certum est igitur fidem in nobis nec esse posse, nec crescere; nisi ille nobis eam tribuat, tributam augeat, auctam perficiat, quem auctorem, consummatorémque fidei Apostolica profitetur auctoritas. Propter quod Apostolus Paulus in Epistola, quam ad Ephesios scripsit, sicut à Deo dari gratiam prædicat, ita testatur non omnibus æqualiter dari, sed prout ille misericorditer donat, qui non pro meritis retribuere, sed gratis tribuere consueuit. Dicit enim:
Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. His atque huiusmodi testimoniis Ephes. 4.
ostenditur, nec omnibus dari gratiam, nec quibus datur, æqualiter dari; sed secundum mensuram donationis Christi. Hinc est, quod eandem B. Apostolus concludens epistolam, pacem, charitatem, atque fidem diuinitus optat tribui, dicens:
Pax fratribus, & charitas cum fide à Deo patre, & Domino Iesu Christo. Ephes. 6.

CAPVT XVIII.

VT ergo in Deum credere vellemus, ille nobis bonam voluntatem contulit: vt in eum crederemus, ipse fidem nobis donauit: vt illum etiam diligeremus, idem nostris cordibus per Spiritum S. gratiam suæ charitatis infundit. Non vtique, quia volumus, gratiam accepimus, sed nec dum volentibus nobis gratia data est. Quam ipsam gratis habere potuimus, vt gratiam acciperemus: sed infidelibus nobis est donata fides ex gratia. Quod vas electionis manifesto testatur eloquio, dicens: *Gratia* Ephes. 2.
salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est. Sola igitur gratia in nobis bonam voluntatem facit, sola fidem ipsi voluntati tribuit. Sed cum bona voluntas habuerit fidem, sine qua bona esse non potest, quia sine fide impossibile est placere Deo, incipit operari bonum, si tamen operanti gratiæ nunquam desit auxilium. Ideò enim in nobis gratia Dei bonam efficit voluntatem, vt habeat quam in nobis adiuuet, non solùm volentem, sed etiam operantem, & ideò voluntati nostræ donum credulitatis infundit, vt eidem voluntati credenti, operantique non desit. Vt ergo habeat fidem, non ex se, sed ex Dei gratia sibi inesse nouerit ipsam fidei largitatem. Parum est autem nobis fidem scire vnicuique diuinitus dari, nisi certissimè nouerimus tantam vnicuique tribui, quantam Deus donare dignatur, non quantam humana voluntas meretur. Quæ priusquam accipiat fidem, punitionem per se ipsam potest mereri, non fidem. Omne enim, quod non est ex fide, peccatum est, & sine fide impossibile est placere Deo. Qui autem Deo non placet, sine dubio displicet, & qui Deo displicet, non eum mitigat, sed potiùs exacerbat. Nullum igitur accipiendæ fidei meritum potest habere voluntas, quæ non habet fidem: quia fidem non habere, hoc est displicere Deo. Infidelitatis autem malum non iustificationis, sed damnationis est meritum. Gratuita est igitur diuisio fidei, quæ non secundum infidelium, quæ nulla est, fidem, sed secundum iustificantis Dei voluntariam vnicuique tribuitur largitatem. Hoc Rom. 12.
vtique doctor gentium docens, admonet nos, non plus sapere quàm oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei. Beatus quoque Petrus multiformem gratiam Dei esse testatur.

CAPVT XIX.

PRopter quod vnumquemque fidelium pro qualitate acceptæ gratiæ præcepit operari, dicens:

1.Petr.4. cens: *Hospitales estote inter vos, sine murmuratione, vnusquisque qualem accepit gratiam, inter vos eam administrantes, vt boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Beatus etiam Paulus dicit: *Multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra: habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes.* Porrò ne quis differentiam donationum quibuslibet humanis operibus, aut meritis niteretur adscribere, ostendit idem Apostolus voluntariam gratiæ spiritalis tribui largitatem, quæ nullum inuenit meritum, cui conferat donum, sed ipsa donat bonorum exordia meritorum. Ait ergo: *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus: & diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: & diuisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Et post enumerationem charismatum dicit, *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens singulis, prout vult.* Proinde non debet vnusquisque Christianus, neque in viribus naturæ, neque in legalibus præceptis, sed in illuminatione cordis, & voluntario diuinæ bonitatis munere constare gratiæ salutaris exordium, qua fit, vt quod diuinitus præcipitur, non solum à nobis agnosci, sed etiam diligi possit ac fieri. Neque enim ipsa natura humana per semetipsam potest aliquando bonam resumere voluntatem, qua placeat Deo, ex quo eam in primo homine perdidit, cùm diabolo deprauata, quam rectam diuinitus acceperat, voluntate consensit. Quam tunc sic perdidit, vt eam nullus hominum deinceps ex se habere possit, nisi eam ab illo gratis acceperit, à quo eam primus homo, cùm conderetur, accepit, quam si primus non perderet, omnis homo deinceps eam naturaliter possideret. Præcepta quoque legis sonare possunt extrinsecùs auribus carnis: intrinsecùs autem nullus ea cordis auditu aliquatenus salubriter percipit, nisi donum gratiæ spiritalis acceperit. Auget enim littera prohibendo peccatum, si desit audienti gratiæ spiritalis auxilium: & agnita lege homo præuaricator efficitur, nisi ad implendam legem voluntas à Domino præparetur. Lex enim iram operatur, & vbi non est lex, nec præuaricatio: & conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt iustificatio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.

Rom.12.

1.Cor.12.

CAPVT XX.

Lex itaque sine gratia ostendere potest ægritudinem, non sanare: vulnera monstrat, medicamina non ministrat: vt autem legis impleatur præceptum, gratia ministrat auxilium. Ac sic lex reuelat culpam, gratia confert indulgentiam. Legis est igitur, quòd peccata cognoscimus: gratiæ, quòd vitamus. Dicit enim Apostolus, *Peccatum non cognoui nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.* De gratia quoque ait, *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Naturæ itaque deprauatæ vitium est, vt homo peccet: legis officium, vt homini peccatum, quod ignorat, demonstret: gratiæ autem donum est, vt hominis vitium sanet, quod sibi culpa intulit, & legis agnitio cumulauit. Operatur ergo gratia, & illuminationem in hominibus, & salutem: vt mandata legis, quæ donec homo implere non poterat, non tantum inutiliter, sed etiam damnabiliter audiebat, adiutorio gratiæ præuentus, non solùm sancta, & iusta, & bona esse nouerit, verùm etiam charitatem accipiat, qua possit & diligere, & implere quod discit. Non

Rom.7.

ergo putemus gratiam Dei omnibus hominibus dari. Non enim omnium est fides: & quidam charitatem Dei non recipiunt, vt salui fiant. In quibus tamen, vt non credant, neque diligant Dominum, humanæ voluntatis est vitium, quæ quamdiu gratia diuini muneris non mutatur, aut præcepta non intelligit, aut intellecta contemnit, id est, aut nesciens peccat, aut peccatum suum vitio præuaricationis accumulat. De iis igitur, quos ignorantiæ circumuallat obscuritas, dicitur, *Non sciuerunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Psalm.81. Ephes.4.
Hi, sicut Apostolus dicit, *ambulant de vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum.* De scientibus verò dicit, quia *cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis.* Et de contemptore suo dicitur: *Verbis non emendabitur seruus durus: sed etsi intellexerit, non obediet.* Quid est autem, verbis non emendabitur, nisi solo mandato legis, si gratia desit, non conuertetur? Deus enim conuertens viuificat nos, vt plebs eius lætetur in eo. Ipse nobis ostendit misericordiam suam, & salutare suum ipse dat nobis. Vt ergo non credat in Deum homo, ex seipso habet infidelitatis vitium: vt autem credat, & diligat eum, diuinæ largitatis est donum. Si enim quæratur, quales homines inuenit gratia: tales vtique, quales designat Apostolus, id est, insipientes, & incredulos, errantes, seruientes desideriis, & voluptatibus variis, in malitia, & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Ex quibus vitiis omnibus non possibilitate naturæ, & agnitione legis, sed benignitate Saluatoris nostri Dei nos prædicat esse saluatos. Cuius ope fit, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo.

Rom.1.

Prou.29.

Tit.3.

CAPVT XXI.

Hoc igitur agit gratia Dei per Dominum nostrum Iesum Christum, vt ex insipientibus sapientes faciat, infidelibus fidem tribuat, creantes ad vitam, non solùm vocet, sed etiam à prauis desideriis reuocet: prauis desideriis expulsis desiderium regni cœlestis inspiret: ablata voluptatum carnalium cupiditate, donum spiritalis delectationis, ac voluntatis infundat, extirpet inserta bonitate malitiam: benignitatis dono pellat inuidiam: odibilibus quoque, & odientibus inuicem donum sanctæ dilectionis attribuat. Vt ergo ex malis boni simus, & vt igne sanctæ charitatis flagremus, gratiæ spiritalis opere in nobis inchoatur, eiusque in nobis operatione perficitur. Fructus enim Spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, & cætera, quæ Apostolica doctrina commendat. Hoc in nobis Spiritu operante salubriter facienda cognoscimus, quia ipse in nobis operatur, vt cognita faciamus. Non enim Spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis. Eodem quoque spiritu agimur, vt bene agentes, filij Dei simus. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. Cœlestibus igitur obedientes eloquiis, firmissimè teneamus, omnium nobis bonorum initium diuina largitate conferri. Nos autem, vt contineamus, ne mala faciamus, & vt bonum incipiamus velle, vel facere: nec initium à nobis habere

Gal.5.

habere possumus, nec profectum. Quemadmodum
Sap 8. enim de continentia scriptum est, *quia nemo potest esse continens, nisi Deus det*, & Apostolus eam inter
Galat. 5. fructus Spiritus enumerat. Sic charitas quæ non agit perperam, quod ad continentiam pertinet, & quæ per bona opera cooperit multitudinem peccatorum, per quam in nobis Deus cooperatur, non solùm vt declinemus à malo, sed etiam vt faciamus bonum: qua diligamus non solùm proximos, sed etiam inimicos nostros, & benefaciamus eis, qui oderunt nos, & oremus pro persequentibus, & calumniantibus nos.

CAPVT XXII.

HÆc ergo charitas non ex nostra voluntate aut esse incipit, aut crescit in nobis: sed gratia Dei faciente diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Quisquis igitur in nomine gratiæ non vult falli vel fallere, audiat Apostolum, tumoris humani superbiam, quæ sibi nititur assignare bonæ voluntatis initium, sollicitè comprimentem, qui ait: *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Iacobi quoque sententiam syncera cordis humilitate sectetur, qua nos ab
Iacob. 1. errore reuocat, & in viam veritatis inducit, dicens: *Nolite errare fratres mei: omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à patre luminum.* Ipse quoque noster Conditor ac Redemptor, cùm turbis in parabolis loqueretur, vt ostenderet intelligentioris agnitionis facultatem illis tantùm inesse, quibus eam ipse largiri voluerit, quia ipse est, qui docet hominem scientiam, dicentibus sibi discipulis. Quare in parabolis loqueris eis? manifesta responsione donum gratiæ cœlestis aperuit, di-
Luc. 8. cens, *Quia vobis datum est, nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Ipsius quoque ad patrem directa confessio euidenter ostendit, omnem sapientiam humanæ mentis ad intelligentiam diuinæ prædicationis inualidam, nisi Deus qui docet exteriùs per hominem loquentem, per seipsum interius docens, illuminet atque adiuuet audientem. Ait enim,
Matth. 11. *Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Quo modo gratia omnibus asseritur data, quæ à sapientibus & prudentibus, teste ipso donante, monstratur abscondita? Nam & in subsequentibus verbis, agnitionem Dei non in humana potestate, sed in diuina ostendit reuelatione consistere, cùm
Ibidem. ait: *Nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Quis hîc non videat hominem ab homine inutiliter sermonem doctrinæ cœlestis audire; nisi ei magister Deus reuelando misericorditer loquatur in corde? Hæc autem reuelatio specialis est filiorum Dei, qua non solùm cognitionis donum, sed etiam diuinæ dilectionis accipiunt. Non enim talis est ista reuelatio, siue cognitio, qualis illorum, de quibus dicit Apostolus, quia *quod notum est Dei, manifestum est in* Rom. 1.
illis. Deus enim illis manifestauit, scilicet vt sint inexcusabiles; quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Illa itaque manifestatio, qua cognouerunt Deum, qui cognitum non dilexerunt, gratiam non habuit, qua Deus sic cognoscitur, vt ametur.

CAPVT XXIII.

QVia ergo gratiam non acceperunt, propterea cognoscentes Deum, gratias non egerunt: & quia vasa iræ fuerunt aptata in interitum, hoc in eis operata est illa manifestatio, qua Deum cognouerunt, vt cognoscendo superbirent, non vt se humiliando diligerent. Tali ergo cognitione ablata excusatio est, non collata saluatio. In hac autem reuelatione, quam gratia Dei in vasis misericordiæ operatur, simul homini diuinitus agnitio Dei, dilectióque confertur. Illi enim qui non sunt electi, inexcusabiles sunt, electi autem inaccusabiles fiunt. Dixit enim Apostolus, *Quis accusabit electos Dei? Deus* Rom. 8.
qui iustificat, quis est qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est, immò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. In vasis ergo misericordiæ reatus naturalis humili, quam gratia spiritalis donat, fide & charitate soluitur: in vasis autem iræ superba cognitione nutritur. Per illam cognitionem cæcum cor à semetipso inflatur ad mortem: per hanc autem diuinitus illuminatur & humiliatur ad vitam. Illa cognitione cor obscuratur insipiens, dum quod Dei est, homo sibi superbus assignat: hac autem accipit lumen, vt hoc ipsum, quod Deum cognoscit ac diligit, non ex possibilitate naturæ, neque ex auditu legis, neque ex sua voluntate, sed ex Dei dono sibi inesse non ambigat, semperque humilis esse meminerit, ne superbus amittat, quod indignus accepit. Cognitio ergo illa peccato adiicit præuaricationis reatum, ista remouet à peccatore supplicium. Illa iustè damnat, ista gratis iustificat. Illic scientia inflans nutrit, augétque peccatum: hîc charitas ædificans cooperit multitudinem peccatorum.

BEATI FVLGENTII Episcopi Ruspensis,

De veritate prædestinationis & gratiæ.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.



SVperiore libro, adiuuante gratia Dei, quæ sola potest & humano cordi donum sanctæ cognitionis infundere, & ori rectam loquendi tribuere facultatem, quia in manu Dei sunt, & nos, & sermones nostri, primitus de Iacob & Esau satis superque ostendimus Apostolicæ documento sententiæ, nullis præcedentium aut subsequentium exigentibus operum meritis, sanctum Iacob, priusquam nasceretur, electum, sed sola diuini propositi benignitate discretum. Quod euidenter B. Paulus illo cognoscitur asseruisse sermone, quo ait: *Dum enim* Rom 9.
nondum nati fuissent, aut aliquod egissent bonum aut malum, vt secundum electionem propositum Dei maneret. Quod Apostolus ideò dixit, vt non secundùm hominis, sed secundùm electionem vocantis propositum mansisse monstraret: neque ex nascituri quolibet merito, sed ex voluntate Dei cognoscere-

tur electio. Reuera enim vocatio Dei ex hominis merito, & non ex gratia Dei fuiſſet electio, ſi quid bonæ vel malæ actionis inueniretur in paruulis. Sed quia nulla fuerunt in nondum naſcentibus ex vno concubitu conceptis operum merita propriorum, quæ diuerſitate ſui vnum facererent eligi, alterum reprobari: quia ſi eſſent, non vtique ſecundum Dei electionem, ſed ſecũdùm humana opera propoſitum Dei maneret. Quia ergo nulla fuit in illis fratribus diuerſitas proprij operis boni vel mali, quæ vni electionis conferret meritum, alteri damnationis inferret ſupplicium: propterea ſecundum electionem fuit propoſitum Dei, quia non ex merito eligendi voluntas eligentis manſit, ſed ex eligentis propoſito gratuita fuit electi diſcretio. Propter quod Apoſtolus ſequutus adiunxit: *Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia maior ſeruiet minori.* Hac igitur in quantum Dominus donauit, geminorum fratrum quæſtione tractata, generalem de paruulis ſine baptiſmate morientibus inquiſitionem operis ſeries ſubrogauit. Qua diligentius diſcuſſa, & quantum arbitror, euidentius abſoluta, ipſius demum gratiæ, qua gratis præueniuntur quicunque ſaluantur, tractatus eſt à nobis ſollicita inquiſitione ſuſceptus: quo patuit gratiam non omnibus hominibus vniuerſaliter dari, & quibus datur non æqualiter dari. Illius eſt enim, vel quibus eam, vel quantam dare, qui non eam humanis voluntatibus, aut operibus debitam retribuit, ſed gratuitam illuminandis cordibus miſericors ac benignus infundit. Et ideò cui voluerit, & quantam voluerit, profectò largitur, quia neque vllo bonæ voluntatis exortu, neque effectu cuiuſquam boni operis priuſquam gratiam tribuat, inuitatur.

CAPVT II.

VErumtamen quia pleroſque nouimus in quæſtione gratiæ Dei & humani arbitrij non tenere diſcretionem: ſed ita vnum aſſerere, vt alterum nitantur auferre, cùm gratia pietatis neutrum negari ſinat, ſed ordinem cuſtodiri in vtriuſque confeſſione præcipiat: nos gratiæ diuinæ fulti præſidio, quo humanum & illuminatur & gubernatur arbitrium, in hoc ſecundo libello curauimus & gratiam Dei & arbitrium hominis ſic aſſerere, vt neutrum tollamus, dum vtrumque defendimus: ſed oſtendamus, quid horum ſit, quod altero egeat, & quid ſe alteri gratuito munere bonitatis impendat: quid ſit quod medelam ſemper expectet; & vnde beneficium medicinæ indeſinenter exuberet. Dicit enim creator ſaluatorque mortalium non eſſe neceſſarium ſanis medicum, ſed malè habentibus, neque ſe veniſſe, vt vocaret iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Hinc itaque cognoſcitur, quid idem medicus in infirmis inueniat, & quid ipſe ſanandis impendat. Inuenit liberum hominis arbitrium, in ea duntaxat ætate, quæ vſui iam poteſt ſeruire rationis, aut ſuæ infirmitatis neſcium, aut morbo noxiæ cogitationis inflatum: dum ſcilicet quid faciendum ſit, neſcit; aut quod faciendum ſcierit, ſuis ſe viribus implere confidit. Ac ſic, aut homo neſcius morbum amplectitur, aut plus ægrotat, dum non à medico poſcit, ſed ipſe nititur adhibere remedium. Vnde conſequens eſt, vt lethali morbo vel ignorantiæ, vel ſuperbiæ prægrauatus, nec medicum requirat, nec in ſe effectum veræ ſanitatis inueniat. Neque tamen libera voluntas ideò non eſt in homine, priuſquam ſanetur opere diuinæ conuerſionis, quia morbo magis vult obtemperare quàm medico: cùm eo ipſo quòd obtemperat homo, vel non obtemperat, liberum ſibi ineſſe arbitrium euidenter oſtendat.

Matth. 9.

CAPVT III.

EST ergo non ſolùm in hominibus iuſtis, verùm etiam in impiis liberum arbitrium, ſed in iſtis bonitate Dei redemptoris erigitur atque dirigitur: in illis autem Dei vlciſcentis æquitate deſeritur, & punitur. Ac ſic in his non ſolùm cognoſcendo, ſed etiam diligendo inhæret veritati. In illis verò aut ignorat mandatum, & in peccato ſuo non eſt ei peccati cognitio: aut ad hoc poteſt peccatum abſque adiutorio gratiæ Dei cognoſcere, vt dum ſe præſumit per ſemetipſum diuinæ voluntatis implere poſſe mandata, non obtemperet humiliter voluntati Dei, ſed bonum malè faciens ſuo potius famuletur errori: dum ſcilicet ignorans Dei iuſtitiam, & ſuam volens conſtituere, iuſtitiæ Dei non eſt ſubiectus, quando finis legis non niſi Chriſtus ſit ad iuſtitiam omni credenti. Medicus itaque noſter peritus & bonus, gratis ad vitam reducturus mortuos, ac ſanitati redditurus ægrotos, ipſe languentium ſalus & reſurrectio mortuorum, in eo viuificandis ac ſanandis hominibus inſuperabili bonitate conſuluit, in quo medicinam ſe nobis idem medicus fecit. Sed vt ordinem ſuæ curationis ſapientia Dei ſapienter expleret, priùs præceptum dedit per legem iuſtitiæ, quo ſuam infirmitatem ægrotus agnoſceret, daturus effectum per gratiam, quo infirmus ſuæ infirmitatis ſalubriter conſcius, non iam confidens in virtute ſua tumeſceret, ſed ipſum fontem vitæ ſalutiſque cognoſcens, ab ipſo ſibi ſanitatis beneficium poſtularet: nec ſuam iactans ſuperbo corde iuſtitiam, ſi ſe putaret alienum à morbo, tanquam non egeret curationis auxilio: vnde illa vox Phariſæi eſt: *Deus, gratias tibi ago, quia non ſum ſicut cæteri homines, raptores, iniuſti, adulteri, ſicut & publicanus iſte.* Sed vulnera ſua contriti cordis humilitate reſpiciens, veraciter exclamaret, *Ego dixi Domine, miſerere mei: ſana animam meam, quia peccaui tibi.* Nec tamen medicus ille cœleſtis noſtram infirmitatem ſanaret cognitione dilectioneve mandati, niſi homini liberum dediſſet arbitrium. Sed multiplicata eſt infirmitas ſola cognitione mandati, vt per gratiam inciperet ſanitas fidei ac dilectionis conſtitui. Cognitione itaque mandati ad bene operandum hominis liberum arbitrium conuenitur: non quia voluntate tantùm, vel virtute ſua poteſt homo implere quod ei lex iubet: ſed vt per mandati notitiam infirmitatis ſuæ ſibi conſcius fiat, & adiutorium gratiæ medicinalis expoſcat. Qua percepta, poteſt & diligere quod iubetur, & facere, & agnoſcere, vel quid poſſit, vel quid non poſſit, & vt poſſit expoſcere, & ſibi ſuæ infirmitatis imputare miſeriam, & ſanitatis aſſignare beneficiis medicinalibus gratiam.

Luc. 18.

Pſalm. 40.

CAPVT IV.

HÆc omnia quæ ſuperius poſuimus, dignum eſt, vt cœleſtibus eloquiis aſſeramus. Per Iſaiam ſic loquitur Deus, *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis: ſi autem nolueritis, nec obaudieritis me, gladius deuorabit vos.* His verbis, quibus dicitur, ſi volueritis, & ſi nolueritis, procul dubio libertas humani declaratur arbitrij. Velle enim & nolle, voluntatis eſſe nullus ignorat. Quod ergo per prophetam dicitur, ſi volueritis & audieritis me, noſtra conuenitur voluntas, qua debemus & ſemper bonum velle, ac bonis operibus indeſinenter ac libenter inſiſtere. Cum verò Apoſtolus dicit: quia *Deus eſt, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate*, oſtendit vtique

Eſai. 1.

Philip. 2.

vtique ipsam hominis voluntatem, & ad benè volendum non nisi diuino munere dirigi, & ad benè operandum diuinitus adiuuari. Dum ergo præcipitur nobis vt velimus, ostenditur quid habere debeamus. Sed quia id ex nobis habere non possumus, admonemur vt à quo nobis datur præceptum, ab ipso petamus auxilium. Quod tamen non possumus poscere, nisi Deus in nobis operetur & velle. Voluntas enim quæ in nobis dono Dei miserantis efficitur, ipsa in nobis, vt benè operari valeat, adiuuatur. Quæ de malis, in quibus ante iustificationem iacet, & in eis cum delectatione deficit, non sua virtute, sed Dei præuenientis operatione consurgit: & postquam surrexerit, vt non cadat, sola sibi non potest sufficere: sed sicut ad surgendum beneficio misericordiæ præuenientis erigitur, sic ad perseuerandum misericordiæ subsequentis iuuamine custoditur. Beatus itaque Dauid, & humani arbitrij voluntatem, & virtutem diuinæ gratiæ recognoscens, conuenit quidem nos, vt faciamus bonum, sed quod à nobis imperat fieri, inde nobis poscit, vnde nos habere posse non ambigit.

CAPVT V.

HVmanum igitur arbitrium ad conuersionem prouocans, salubri prædicatione terret, dicens:
Psalm.7. *Nisi conuertamini, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit illum.* Sed vt ostenderet, quod operari præcipimur, conuersionem quam nobis prædicat, dono supernæ operationis assignat,
Psalm 48. dicens: *Deus tu conuertens viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te.* Vt etiam suæ animæ vnusquisque misereatur, & Deo placeat, humanum diuino sermone
Ecclesi.30. sic admonetur arbitrium: *Miserere animæ tuæ, placens Deo.* Quia verò nemo potest animæ suæ misereri, nisi qui Dei misericordia præuentus acceperit vt misericors sit, ipse misericordiæ largitor edocens
Rom.9. dicit: *Miserebor cui misereor, & misericordiam præ-*
Psalm.58. *stabo cuius miserebor.* Ideò & beatus Dauid dicit: *Deus meus, misericordia eius præueniet me.* Et quia Deo nemo potest placere, nisi in eo Deus operetur quod placeat coram se, in epistola quæ ad Hebræos est scripta, manifestè positum est. Ibi quippe dici-
Hebr.13. tur, *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono, vt faciatis voluntatem eius, faciens in vobis quod placeat coram se.* Deo igitur non placemus nisi velimus, sed ab ipso nobis tribuitur, vt velimus, à quo nisi voluntas hominis mutetur, vt bona sit, aut semper appetit malum, aut nunquam benè appetit bonum. Ac sic dum in rebus bonis rectum ordinem non tenet, Deo vero & bono nullatenus placet. Deo ergo non placemus, nisi in voluntate bona: sed vt id faciamus, ipse facit in nobis, quod placeat
Psalm.39. coram se. Dauid enim dicit, *Vt faciam voluntatem tuam, Deus meus, volui.* Sed ad ipsam voluntatem faciendam gratiæ spiritalis poscit auxilium, qua doceatur vt sciat, & dirigatur vt faciat. Vnde & in
Psal.142. alio loco sic orat, *Doce me, vt faciam voluntatem tuam, quia tu es Deus meus:* statimque subiicit, *Spi-*
Esai.55. *ritus tuus bonus deducet me in viam rectam.* Item Isaias præcipit, dicens: *Derelinquat impius viam suam: & vir iniquus cogitationes suas, & conuertatur ad Domi-*
Ephes.4. *num.* Paulus quoque Apostolus hortatur, vt renouemur spiritu mentis nostræ, & induamus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.

CAPVT VI.

VErumtamen ne conuersio vel renouatio nostra humano assignetur arbitrio, vtramque nobis à Domino sanctus Heremias deposcit his verbis:
Conuerte nos ad te, & conuertemur: renoua dies no- Thren.5.
stros, sicut antea. Rursus Psalmista dicit, *Aperi os* Psalm.80.
tuum, & adimplebo illud. Vbi intelligimus os cordis significari, non corporis. De quo ore alio loco dicit,
In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti su- Psal.125.
mus sicut consolati. Tunc repletum est gaudio os nostrum. Et tamen ne quis sibi oris apertionem super-
bus assignet, ostendit liber Actuum Apostolorum, ad Act.16.
recipiendum Christianæ prædicationis verbum os humani cordis largitate diuini muneris aperiri. Ibi enim scriptum est de quadam muliere nomine Lydia purpuraria: cuius Dominus aperuit cor, intendere iis, quæ dicebantur à Paulo. Iterum scriptum
est, quia *sapientia aperuit os mutum, & linguas infan-* Sap.10.
tium fecit disertas. Aperuit enim os mutum, vt increduli crederent; disertásque fecit infantium linguas, vt quod crediderant, prædicarent. Vnde non immeritò credulitatem, locutionémque suam S. Spi-
ritus dono Paulus adscribit, dicens, *Habentes autem* 2.Cor.4.
eundem Spiritum fidei sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum, & nos credimus, propter quod & loquimur. Voluntariè homo credit, & voluntariè loquitur: sed hoc ex se voluntas hominis habere non potest, nisi Deus det; quia vt fidelis credat, sapientia os mutum aperit: & vt credens loquatur, linguas infantium disertas facit. Præcepta igitur, quibus per Prophetas atque Apostolos admonemur, quid debeamus appetere, quid vitare, conueniunt nostrum arbitrium, vt dominicis iussis voluntariè seruiamus. Sed cùm ipsi Prophetæ & Apostoli, qui Spiritu sancto repleti sanctè vixerunt, sanctèque docuerunt, nunquam destiterint à postulatione diuini iuuaminis, quippe ad implenda, quæ Deus iubebat, ab ipso auxilium requirebant, proculdubio sicut non negabant inesse homini liberum voluntatis arbitrium, sic illud sine iuuamine gratiæ Dei, ad ea, quæ sancta sunt, non solùm agenda, sed etiam cogitanda insufficiens atque inualidum testabantur. Vnde S. Apostolus ostendens in homine liberum voluntatis arbitrium, Philippenses ad ea, quæ sancta & iusta sunt, cogitanda atque agenda præceptis
salutaribus hortatur, dicens: *Quæcunque sunt vera,* Philip.4.
quæcunque pudica, quæcunque sancta, quæcunque iusta, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus si qua laus, hæc cogitate quæ didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me. Hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum. Nonne & vt cogitent, & vt agant quæ sancta sunt, præcepit, & tamen tam cogitandi quàm agendi facultas vnde nobis donetur, euidenter ostendit? De
cogitatione quidem dicit, *Non quod sufficientes simus* 2.Cor.3.
cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis. Quid est, quod dicit, ex nobis, nisi ex libero voluntatis arbitrio? Vnde ergo est, si ex nobis non est? *Sed sufficientia,* inquit, *nostra ex Deo est.* Ad agendum quoque Spi-
ritu Dei nos agi, sic prædicat: *Quotquot enim Spiri-* Rom.8.
tu Dei aguntur, hi filij sunt Dei.

CAPVT VII.

HÆc igitur inter litteram iubentem & spiritum viuificantem, id est, inter legem, gratiámque distantia est, quia lex conuenit, gratia conuertit hominis voluntatem, vt bonum velimus. Illa clamat, hæc donat: illic voluntati hominis incutit iustitia diuina terrorem; hic infundit misericordia charitatem. Per illam accepit voluntas Spiritum seruitutis

seruitutis in timore: per istam accepit Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater. Hæc ergo in nobis libera voluntas eam in se habet naturaliter qualitatem, vt appetere sponte possit bona vel mala: sed bona proficiendo appetit, mala verò deficiendo. Vt autem deficiat, potest ipsa sola sibi sufficere: vt proficiat verò, indiget semper diuinæ miserationis auxilio. Nisi enim gratia præueniente leuetur, nullatenus surgit; quia Dominus erigit elisos. Nisi ea deducente iuuetur, nullatenus currit, quia de Deo scriptum est, *Deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum.* Et ipsi dicitur, *Domine deduc me in iustitia tua propter inimicos meos.* Nisi gratia custodiente perducatur, nullatenus peruenit. Dicit enim sanctus Dauid, *Emite lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & perduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.* Neque spretis malis voluntas humana vel eligere bona, quæ ducunt ad vitam, vel diligere poterit, nisi gratiam discretionis à Deo & charitatis acceperit. Spiritualibus enim donis discretionem beatus Paulus inseruit, dicens: *Alij quidem datur per spiritum sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundum spiritum: alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetatio, alij discretio spirituum.* Quorum autem discretio spirituum spiritali largitate donatur, nisi bonorum ac malorum? vt scilicet illuminati atque adiuti gratia Spiritus sancti, nouerimus atque possimus dona sancti Spiritus cum timore & tremore seruare, & suggestiones diabolicæ malignitatis salubri discretione repellere. Quod nos B. Ioannes Apostolus obseruare præcipit, dicens: *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt.*

Psalm.22. Psalm.5. Psalm.42. 1.Cor.12. 1.Ioan.4.

CAPVT VIII.

VT autem sciamus quæ nobis à Deo donantur, non in nobis operatur spiritus mundi, sed Dei, id est, non spiritus, quem homo habet, vt nasceretur in mundo, sed quem accepit, vt renascatur Deo. Quod Apostolus euidenter edocet, dicens: *Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Neque solùm vt sciamus, sed etiam vt intelligamus, diuini muneris Apostolus esse testatur, sic Timotheo scribens, *Intellige quæ dico.* Quo sermone humanum vtique ad intelligendum conuenit arbitrium. Quod nisi homo haberet, intelligere quæ dicuntur, nullatenus posset. Sed vt ostenderet, vnde intellectus humano detur arbitrio, cùm dixisset, intellige quæ dico, subsequenter adiecit: *Dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.* Dauid quoque sanctissimus vt mandata Dei discat, à Deo sibi postulat intellectum, dicens: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me: da mihi intellectum, vt discam mandata tua.* Prouerbia quoque testantur, quia Dominus dat sapientiam, & à facie eius scientia & intellectus procedit. Et Apostolus Iacobus præcipit, vt *si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* Vt autem ipsam quoque voluntatem postulandi diuinitus ostenderet dari, adiecit, *Postulet autem in fide, nihil hæsitans.* Sine fide autem Deum inuocari non posse, Paulus ostendens ait, *Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Quia igitur nullus inuocat priusquam credat, nec aliquis in Deum credit, nisi fidem acceperit; certum est, quoniam ille nos excitat, vt sapientiam postulemus, qui nos illuminat vt credamus.

1.Cor.2. 1.Tim.2. Psal.118. Iacob.1. Rom.10.

CAPVT XI.

HOmo igitur bonum vult voluntate, bonum facit voluntate, sed sine dono atque adiutorio Dei nunquam potest bonum velle, vel facere. Equidem conuenitur, vt sciat; admonetur, vt faciat, quia liberum habet semper arbitrium voluntatis. Sed neque scientiam sanctam potest habere, nisi dono gratiæ desuper accepit à patre luminum, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum: & si sciens aut non faciat quod faciendum esse iam nouit, aut dum ea sibi nititur assignare quæ facit, proprij tumoris pondere prægrauatur. Ideò verò sanctam scientiam superiùs dixi, quia est scientia non sancta, illa scilicet, quæ inflat hominem, quæ ædificantem non habet charitatem. Illa scientia quidam cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Hac scientia si quis se putat scire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum scire. Igitur ad benè viuendum nunquam sufficit cuiquam scientia præcepti, nisi dilectio fuerit custos mandati, & vt diligat, non nisi sua voluntate diligit. Et ideò Dei & proximi dilectio vnicuique nostrum ita legali sermone mandatur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua; & proximum tuum sicut teipsum.* In quibus duobus præceptis Saluator noster totam legem dicit, Prophetásque pendere. Vt autem diligamus Deum ex toto corde nostro, ipsam dilectionem habemus ex Deo. Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Et vt diligamus inuicem, Deus nobis tribuit charitatem. Ait enim B. Ioannes, *Charissimi, diligamus inuicem, quoniam charitas ex Deo est: & omnis qui diligit fratrem, ex Deo natus est, & nouit Deum: qui autem non diligit, ignorat Deum, quia Deus charitas est.* Quoniam igitur Deum charitatem esse diuinis claret eloquiis, profectò manifestum est, quòd nemo Deum habere possit, si se homini Deus ipse non dederit. In eo ergo liberum arbitrium nostrum ad diligendum Deum & proximum idoneum efficitur, in quo ei charitas diuinitus datur. Sine charitate enim, nec Deus diligi potest, nec proximus. Vt autem Deus diligi possit, ipse se tribuit: quia Deus charitas est, & Deum non nisi charitate diligimus. Nisi ergo Deum accipiamus, Deum diligere non valemus. Posita sunt quoque ante hominem ignis & aqua, vita & mors, vt quò vult, manum suam libero porrigat voluntatis arbitrio. Si enim desit voluntas libera, manus quoquam non porrigitur: sed eandem manum ad vitam nunquam porrigit homo, nisi eam Deus gratuita bonitate tenuerit. Propter quod dicitur & à Propheta, *Tenuisti manum dexteræ meæ, & in voluntate tua deduxisti me.* Alio quoque loco ipsam manum dexteræ nostræ diuina dicit protectione saluari. Ait enim: *Dominus custodit te, Dominus protectio tua.* Ipse denuò orat, vt opera manuum nostrarum concessa super nos illuminatione Dominus dirigat. Ideò ait, *Sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos.*

Matth.22. 1.Ioan.4. Psalm.72. Psal.120. Psalm.89.

CAPVT X.

HIs atque huiusmodi testimoniis, quibus tam nouum, quàm vetus refertum est testamentum, tale esse hominis demonstratur arbitrium, vt siue ad inchoanda quæ bona sunt nihil possit, nisi ipsum gratia diuina præuenerit, siue ad perficienda nullatenus sibi sufficere valeat, nisi gratia qua præuenitur, eadem iugiter

adiuuetur. Nec tamen quia indiget iuuamine, ideò dicendum est non esse; nec quia est, ideò credi debet ad initium, vel profectum boni sibi posse sufficere. Proinde si ad eloquia diuina humilis ac mitis accesserit animus, quod tunc potest, si ei humilitatis & mansuetudinis donum diuinitus conferatur, ablato velamine, quo intelligentior, atque excelsior intellectus obtegitur, cordi contrito, & humiliato sapien-
Prou.2. tia conceditur. Scriptum est enim, quia *Dominus dat sapientiam, & à facie eius scientia, & intellectus procedit.* Quoniam igitur non est aliquod præceptum, quod non ideò Deus dederit homini, vt prosit voluntariè atque humiliter operanti: voluntas autem bona non nisi fide inchoatur, & charitate perficitur: fides verò, & charitas diuinæ sunt munera voluntatis, quæ nisi voluntariè homo sibi donata susciperet, nec inessent homini, nec prodessent: ad hoc enim Deus voluntatem hominis præparat, vt sit, cui donum fidei, & charitatis infundat, propterea fatendum est ve-
Psal.10. rum esse, quod sanctis docemur eloquiis, sola Dei misericordia saluari hominem, quia scriptum est. *Salua me in tua misericordia*, & hominem ratione vtentem tunc ad salutem perpetuam peruenire, si sua cucurrerit, atque laborauerit voluntate. Non enim
1.Cor.9. frustra dicit Apostolus, *Sic currite, vt comprehendatis*:
1.Cor.3. &, *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*: &, *Labora vt bonus miles Christi Iesu.* Et
2.Tim 2. alio loco, *Itaque fratres, stabiles estote, & immobiles*
1.Cor.15. *abundantesque in opere Domini, semper scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* Ad quem tamen laborem in Sapientiæ libro sibi poscit quidam au-
Sap.9. xilium, dicens ex totis præcordiis suis, *Deus parentum nostrorum, & Domine misericordiæ tuæ, qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientia tua constituisti hominem vt dominetur creaturæ, quæ à te facta est, & disponat orbem terræ in æquitate, & iustitia, & directione animi iudicium iudicet: da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam.* Et paulò post, *Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & de sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam quod acceptum sit coram te. Scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis sobriè, & custodiet me in sua potentia, & erunt accepta opera mea.*

CAPVT XI.

VEruntamen ne quisquam huic operi saltem orandi affectum, quo sibi sapientiam posceret, non diuinitus arbitraretur infusum, paulò superius
Sap.8. ait, se scisse quoniam aliter non potest esse continens nisi Deus det: & hoc ipsum tamen sapientiam esse dicit scire, cuius hoc donum esset. Vnde igitur est instructus vt sciret, inde est excitatus vt oraret. Nec iterum nisi voluntariè sciuit, nec nisi voluntariè orauit; quia & ad sciendum, & ad deprecandum Christi gratia ignarum & torpidum hominis præueniens instruxit arbitrium. Misericordiæ igitur diuinæ est vt hominis liberum illuminetur arbitrium; quo fit, vt homo, & ea, quæ placita sunt Deo, cognoscat; & adiuuanti gratiæ officium sui laboris voluntaria deuotione subiungat. Ad illuminandum hominis
Psal.58. arbitrium dicitur, *Deus meus misericordia eius præue-*
Psal.22. *niet me.* Ad adiuuandum refertur, *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Non autem præueniendo illuminaretur, si non esset: nec subsequendo adiuuaret, si illuminatum ad aliquid sibi bonæ cogitationis, aut operis esse posset idoneum. Hanc impossibilitatem sermo diuinus ostendit, vbi
Sap.9. ait, *Quis hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Dominus? Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ.* Timidæ enim sunt cogitationes mortalium, non laudabili timore, sed vituperabili, non bono, sed malo, & quo nos timore liberauit ille, qui per mortem destruxit eum, qui mortis habebat imperium, id est, diabolum, vt liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti.

CAPVT XII.

HAnc seruitutem, de qua nos eripuit, atque libertatem, quam nobis gratis contulit redemptor noster, euidenter ostendit, dicens: *Si manseritis* Ioan.8. *in verbo meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Respōdentibusque Iudæis, quòd semen Abrahæ essent, nec cuiquam vnquam seruissent, responsione sua simul, & seruitutis eorum mortiferam conditionem, & libertatis, quam ipse suis fuerat collaturus, ostendit protinus veritatem, dicens: *Amen, amen dico vobis, qui facit pecca-* Ibid. *tum, seruus est peccati. Seruus non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum. Si ergo filius liberauerit, verè liberi eritis.* Cogitationes ergo mortalium timidæ illæ vtique designantur, per quas peccato seruiunt, qui per totam vitam obnoxij sunt seruituti. De qua seruitute nos Dei gratia liberatos Paulus edocet dicens, *Cum enim serui essetis peccati, liberi* Rom.6. *fuistis iustitiæ. Quem ergo fructum habuistis tūc, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc verò liberati à peccato, serui autem Deo facti, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Ecce quid nobis gratia Dei contulit; timidos liberauit, de quibus scriptura dicit, *Cogitationes* Sap.9. *mortalium timidæ*: illi proculdubio timori subiectæ, cui subditos quosdam sermo diuinus sic arguit, di- Psal.13. cens: *Illic timuerunt timore, vbi non erat timor.* Hic est timor, quem sæculi cupiditas ad reatum iniicit, ad supplicium nutrit. Iste timor illos captiuos possidet, quorum cogitationes rebus implicitas incertis, atque instabilibus tenet. Propter quod, & ille, qui dixit: *Cogitationes mortalium timidæ*, statim subiecit, *Et in-* Sap.9. *certæ prouidentiæ nostræ.* Incerta est enim prouidentia quæ incertis rebus impenditur, & incertæ res, quarum certa possessio non tenetur. Quotidie possumus inuiti amittere, quod in æternum non possumus possidere. Tunc ergo sunt incertæ prouidentiæ mortalium, quando earum rerum amore animus tenetur innexus, quarum aut possessio possessori inuito potest adimi, aut possessioni nolens possessor auferri. Vnde autem incertæ prouidentiæ insint homini, subsequenter ostensum est, dicente scriptura. *Cor-* Ibid. *pus enim quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, & difficile æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt inuenimus cum labore.*

CAPVT XIII.

POstquam ergo nostræ mortalitatis scriptura nobis demonstrauit ærumnam, subsequenter nobis diuinæ gratiam bonitatis insinuat, vt agnoscamus, vnde nobis, & scientiæ donum, & correptionis atque sanitatis beneficium conferatur. Sequitur autem ille, qui ea, quæ in terra sunt, difficile æstimari, & quæ in prospectu sunt, cum labore asserit in- Sap.9. ueniri, & dicit Deo: *Quæ autem in cœlo sunt, quis inuestigabit? Sensum enim tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris spiritum tuum de altissimis? Et sic correctæ sunt semitæ eorum, qui in terris sunt, & quæ tibi placent, didicerunt homines, & per sapientiam sanati sunt.* Quid est, didicerunt, & sanati sunt? Quid per sanctum Spiritum, & per sapientiam Dei; quæ

vtique Christus est, hominibus dicit esse collatum, nisi quia tunc salubriter discimus quid facere debeamus, quando nos misericordia præueniens illuminat, & sanamur, vt quod illa præueniente discimus, eadem subsequente faciamus? Præuenit enim nos dum propitius fit Dominus omnibus iniquitatibus nostris: subsequitur nos, dum sanat omnes languores nostros. Præuenit misericordia liberum hominis arbitrium, dum in nondum bene volente sola operatur exordium bonæ voluntatis; subsequitur, dum benè volenti subministrat auxilium, vt benè operando perueniat ad bonæ voluntatis effectum. Misericordia igitur præueniens cooperaturam sibi hominis voluntatem sola præparat: subsequens autem cooperantem sibi voluntatem iuuat. Itaque præueniens in tenebris hominem constitutum gratis educit ad lucem, non solùm admonendo extrinsecùs, sed & intrinsecùs illuminationis gratiam largiendo. Dominus enim illuminat cæcos, faciens scilicet ex infideli fidelem, ex superbo humilem, ex aspero mitem, ex fornicatore castum, ex maleuolo benignum, ex truculento placidum, ex amatore mundi amatorem Dei & proximi, ex raptore rerum alienarum, suarum postmodò largitorem. Sic misericordia Dei præueniente, & in corde hominis mirabiliter operante, qui diuitiis temporalibus carnaliter superbus extollebatur, humilis in timore Dei, pauper spiritu libenter efficitur: & qui asper erat, & inobediens diuinis antea sermonibus repugnauit, ad audiendum verbum mitis, & quietus accedit: & qui dudum iniustitiæ crudelitatem indigesta crapulatus peruersitate ructauit, esuriens, & sitiens satietatem iustitiæ concupiscit. Ita fit, vt pro peccatis etiam lugeat, in quibus antea mortifera delectatione gaudebat: operibus deinde misericordiæ indesinenter insistens, ipse quoque consequatur misericordiam, per quam perueniat ad coronam: fide quoque per charitatem, quæ sancta sunt laudabiliter operante, ad videndum Deum munditiam acquirat cordis, qui cogitationibus pridem sordebat obscœnis. Hæc est mutatio dexteræ Excelsi, per quam humanum illuminatur arbitrium: hæc magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius. Sic in nobis Deus præparat adinuentiones suas; quia ipse in nobis præparat, quod in nobis inueniat: num arcum potentium infirmum facit, & infirmos præcingit virtute: id est, dum in hominibus, quos gratis saluat, præsumptionem humanæ virtutis infirmat, vt se infirmos agnoscant, & adiutorium diuinæ virtutis accipiant. Ista Deus in nobis misericorditer facit, dum pro malis bona retribuit, dum misericordia præueniente malis bona donat, vt ea in nobis misericordia subsequente custodiat. Cùm enim iustificatis, ac benè volentibus præbet auxilium, suis vtique donis subministrat augmentum: & ita confirmat quod operatus est in nobis, dum bonam, quam ipse tribuit, voluntatem torpere, ac deficere non permittit in in nobis.

CAPVT XIV.

Philip.1. PRoinde secundum Apostoli præceptum, cum timore, & tremore nostram salutem operemur, scientes quia Deus est, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate. Neque sic putemus abutendum beneficiis gratiæ, vt absque bonis operibus torpeamus. Ab eis enim gratia profectò discedit, quorum charitas refrigescit. Audiamus itaque Apostolum gratiæ participem, gratiæ nobis opera demonstrantem. Ait quodam loco, *Quid ergo dicimus? permanebimus in peccato, vt gratia abundet?* Statimque respondet, *Absit, qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?* Rom.6. Hoc igitur in nobis operatur gratia, vt peccato mortui, iustitiæ viuamus. Ideo rursus idem Apostolus ait, vt æstimemus nos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro. Gratia itaque diuina in humano arbitrio, & mortem salubriter operatur, & vitam: mortem scilicet criminum, vitamque virtutum. Ideò Deus dicit, *Ego occidam, & viuere faciam.* Deut.32. Sicut ergo cùm viueremus peccato, prauam voluntatem nostram praua opera sequebantur: ita nunc accepto beneficio gratiæ, & per hoc mutata in melius voluntate, non viuamus peccato, sed Deo. Ad hoc enim nobis cùm mortis præiudicio frigidi essemus, datus est vitalis feruor sancti Spiritus, quem gratis accepimus, vt per gratiam Dei, & bonum velle, & bonum facere valeamus. Ideò nos Apostolus esse præcipit Spiritu feruentes, Domino seruientes. Rom.12. Non ergo nobis est à sancto labore cessandum, quibus diuinæ gratiæ non solum merces promittitur, sed & auxilium suffragatur. Et quia vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborum, dignum est, vt bene facientes non deficiamus tam ab opere quàm ab oratione. Nec aliquid horum quæ benè facimus, aut voluntatis, aut possibilitatis nostræ viribus assignemus; ne inter eos meritò superbiæ deputemur, qui ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti, quod profectò sapientia carnis est, quæ inimica est Deo, legi autem Dei non subiicitur: nec enim potest.

CAPVT XV.

SVbsequatur igitur humilis voluntas hominis præcedentem, & comitetur subsequentem misericordiam redemptoris: quæ dum nos præcedit, ea quæ retrò sunt, obliuiscimur; dum subsequitur, in ea, quæ ante sunt, extendimur. Ac sic ipsa gratia nos & anteriorum appetitum tribuens dirigit, & posteriorum recordationem subtrahens, ab arrepto cursu retardare non sinit. Facit præcedens, vt sequamur ad brauium supernæ vocationis Dei: facit subsequens, vt gloriemur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Ipsa facit, vt nec cupiditatibus capiamur illecti, nec aduersitatibus succumbamus inuiti. Ita misericordiæ subsequentis opere in quantum mundo mortui efficimur, in tantum Spiritu mentis nostræ magis, magisque renouamur. Cælestibus itaque mandatis obediens, quantum adiuuatur homo diuinitus, voluntariis nisibus elaboret. Quòd verò in labore non deficit, quòd rectis gressibus currit, quòd benè certat, quòd fidem seruat, non suæ virtuti deputet, sed dono gratiæ in se, ac secum operantis assignet: labori sancto studium bonæ voluntatis impendat; quæ voluntas tunc bona est, si studium suum diuinæ largitatis munus esse non ambigat. Apostolus quippe Timotheum ad virtutem huius laboris hortatur, dicens: *Labora, vt bonus miles Christi Iesu.* 2.Tim.2. Se quoque amplius cæteris omnibus laborasse testatur dicens: *Abundantius illis omnibus laboraui.* 1.Cor.15. Sed vt ostenderet se, & fidei donum & laborandi virtutem diuinæ gratiæ munere, ac iuuamine consequutum, item dicit: *Qui prius fui blasphemus, ac persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum.* 1.Tim.1. Opus autem eiusdem misericordiæ

1.Cor 7. ricordiæ sic ostendit, dicens: *Concilium autem do tanquam misericordiam consequutus à Domino, vt fidelis essem.* Ideò cùm dixisset, dignum se non esse vocari Apostolum, quia persequutus esset Ecclesiam Dei, opus in se præuenientis ostendens, ait: 1.Cor.15. *Gratia autem Dei sum id quod sum.* Et vt ostenderet laborandi quidem donum gratiæ sibi largitate collatum, sequitur, & dicit: *Et gratia eius in me vacua non fuit.* Quid est vacua, nisi otiosa? Ideò adiungit, *Sed abundantius illis omnibus laboraui. Non ego, sed gratia Dei mecum.*

CAPVT XI.

VT esset igitur Paulus ex infideli fidelis, sub gratia operatus est, quæ auersum conuertit, & infideli fidem, cùm infidelitatis suæ merito fidem accipere non mereretur, attribuit: Atque ita voluntariè quidem Paulus credidit, voluntariè abundantiùs illis omnibus laborauit, sed & credere, & laborare non posset, nisi desuper donum gratiæ in se ac secum operantis acciperet. Vt ergo gratia Paulum nolentem, incredulúmque præuenit, vt bonam voluntatem haberet, ita cooperante ipso Paulo bonam contulit, collatamque à se iuuit per omnia voluntatem? Labor ergo Pauli propterea fructuosus fuit, quia laborem suum non suis viribus, sed gratiæ Dei, cuius confortabatur iuuamine, tribuebat; sciens quia laboris illius nec conatum haberet, nec consequeretur effectum, si defuisset, & misericordia præuenientis, ac subsequentis auxilium. Laboranti ergo voluntas non deerat, quam gratia non cessabat adiuuare, quæ dederat: & vt Paulus non deficeret in labore, virtutem volenti gratia subrogabat. Talis itaque voluntas dignè merebatur & per se, & pro suo labore mercedem, quia & in se, & in suo labore non virtutem suam, sed diuinæ cognoscebat gratiæ largitatem. Ideò denique omnia, quæ in bono poterat cogitare, vel facere; quòd scilicet temperanter vtebatur prosperis, quòd etiam fortiter reluctabatur aduersis, non sibi, sed Deo, à quo confortabatur, humiliter, atque veraciter assignabat. Dicit enim quodam loco: *Scio & humiliari, scio & abundare. Vbique & in omnibus institutus sum, & esurire, & satiari, & abundare, & penuriam pati. Omnia possum in eo, qui me confortat.* Phil.4. Omnia ergo Paulus libero arbitrio poterat, sed in eo, qui eum ex alto virtute induerat. De hoc dicit in Coloss.1. quodam loco. *In quo certando laboro secundum operationem eius, quam operatur in me in virtute.* Beatus itaque Paulus nec se misericordia præuentum tacuit, vt fidelis esset: neque suo merito in se Christi gratiam habuit operantem, vt non ipse à sancto labore cessaret: hoc enim gratia in eo operabatur, vt neque deficiendo fieret torpidus, nec supèrbiendo ipsi gratiæ esset ingratus. Proinde sicut in Psalmo sa- Psalm.2. lubriter admonemur, *seruiamus Domino in timore, & exultemus ei cum tremore*, scientes, quia Deus est, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate. Maximum est quippe diuinæ gratiæ adiutorium, atque beneficium, vt illuminata mens hominis semper cogitet, & præuentam se gratuita gratia, & indesinenter adiuuandam virtute diuina. Atque ita fiet, vt Deo largitori bonorum omnium, atque custodi seipsum homo competenter humilians & gratias incessanter agat, & orare non desinat. Gratias agat, quia præuentus est, vt conuerteretur auersus, vt illuminaretur cæcus, vt acciperet fidem incrudulus. Oret autem, vt sanetur languidus, & adiutorio gratiæ confortetur infirmus. Ex tota igitur voluntate petat, vt accipiat; quærat, vt inueniat; pulset, vt aperiatur ei. Quod nullatenus faciet, si voluntatem accipiendi, & inueniendi, & intrandi non habet: Nec tamen in eo quod petens accipit, quærens inuenit, pulsans ingreditur, suis viribus assignes petendi, quærendi, & pulsandi officium, quia licèt homo voluntariè petat, pulset, & quærat, nunquam petens accipere, quærens inuenire, pulsans intrare poterit, nisi sanctam priùs voluntatem acceperit. Nam quidam, sicut sanctus Ia- Iacob.4. cobus dicit, petunt, & non accipiunt, eo quod malè petant, vt in concupiscentiis suis insumant. Et de quibusdam quærentibus se dicit Sapientia: *Quærent me, & non inuenient.* Ideò igitur, neque illi petentes accipiunt, neque isti quærentes inueniunt, quia voluntatem terrenis deditam delectationibus gerunt, nec est in illis sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Vt autem bonum illud summum, atque incommutabile homo petat, & quærat, præparatur à Domino voluntas ac datur, quia initium petendi, quærendi, pulsandi non ex corde hominis, sed à Deo consurgit. Scriptum est enim: *Omni custodia serua cor tuum, ex hoc enim exitus vitæ.* Prou.4. Seruamus autem cor nostrum, si non ille seruauerit, cui dicitur: *Conserua me Domine, quoniam in te speraui.* Psal.15. Hinc est, quod ipse vnigenitus Deus carnis humilitate suscepta compatiens infirmitatibus nostris, patrem pro nobis orare dignatus est, dicens: *Pater serua eos in nomine tuo, dedisti mihi*: & iterum: *Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos ex malo.* Ioan 17. Ibidem.

CAPVT XVII.

NVnquam igitur homo congrua custodia seruat cor suum, nisi fuerit Deo custodiente seruatum. Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilant, qui custodiunt eam. Propter hoc Apostolus Paulus diuinam pacem cordibus nostris optat adesse, dicens: *Pax Domini, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Iesu Domino nostro.* Phil.4. Et cùm nobis per Hieremiam dicat, *Custodite animas vestras*, hoc se beatus Hier.17. Dauid adimplere non posse cognoscens, diuinam poscit animæ suæ custodiam dicens: *Custodi animam meam, & libera me.* Psal.27. Qui rursus ait: *Tu Domine seruabis nos, & custodies nos à generatione ista in æternum.* Psal.11. Et vnicuique fidelium diuinam optans impendi custodiam, dicit: *Dominus custodit te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus.* Psal.120. Et vt iugiter gratiæ diuinæ necessariam nobis sciremus esse custodiam, sequitur & dicit: *Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum, ex hoc nunc, & vsque in sæculum.* Ad hanc indesinenter nos custodientem Dei gratiam refertur, quod in eodem Psalmo dicitur: *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël.* Sicut igitur omnia bona, inter quæ etiam voluntatem habemus, non nisi Deo largiente accipimus: sic omnia, quæ accipimus, non nisi Deo custodiente seruamus. Quæcunque sint enim bonæ vitæ munera in homine, tunc ab illo costodiuntur, si bona in eo perseueret voluntas. Sed voluntas ipsa, cuius bonitate cætera bona benè habentur, ritéque seruantur, nunc in homine bona, iustáque perseuerat, si eam custodiens gratia diuina non deserat. Sicut enim nihil potest in se habere bonæ cogitationis, nisi subueniente gratia fiat bona: sic ad custodienda quæ accipit, nullatenus potest sua virtute sufficere, nisi ille, qui eam gratis bonam facit, gratiæ suæ opitulatione seruauerit. Ille verò certus est bonæ voluntatis profectus, si ea, quæ accipit à Deo, ita vigilanter, sollicitéque custodiat, vt custodiæ diuinæ adiutoriū

frequentia orationis, & studio bonæ operationis exposcat. Ita fiet, vt dum oranti auxilium tribuitur, laborans retributione boni operis non priuetur. Veruntamen, & orandi, & operandi quod bonum est, illis Deus tribuet perseuerantiam quos prædestinauit ad vitam. Omne quippe datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum: qui operum suorum æternam habens præscientiam, non solùm quæ daret, sed etiam quæ tribueret incommutabili dispositionis suæ consilio præparauit. Ideò non aliter implet disposita, quam disposuit implenda: quia sicut dispositionis diuinæ ordinatio semper habuit, sic ordo rerum in diuinis operibus currit: in quibus sunt vniuersæ viæ eius misericordia, & veritas, quarum vna malis bona tribuit, altera bonis malisque digna retribuit: vna iustè coronat, iustéque condemnat, altera gratuita bonitate iustificat: quia quisquis gratia præueniente accipit iustitiam, non nisi eadem subsequente peruenit ad coronam. Ita si fratres nostri secundum doctrinam suam, Deo adiuuante percipiant, nunquam conabuntur disputationibus suis sic humani arbitrij virtutem infirmam defendere, vt gratiæ Dei conuincantur aduersantia sapere: cùm potiùs omnes, qui vitæ desiderant fieri æternæ participes, oporteat sanctorum Patrum diuinitus inspiratis informari & adhærere sententiis, qui gratiæ diuinæ sic illuminati sunt dono, vt indubitanter assererent in hominis voluntate nihil bonæ cogitationis oboriri, nisi quod beneficio gratiæ præuenientis infunditur: nihil in melius augeri, nisi quod subsequentis iuuamine roboratur, nihil bene consummari, nisi quod eadem operante, atque opitulante perficitur.

CAPVT XVIII.

HÆc itaque catholicorum Patrum Apostolicis institutionibus tradita permanet in Ecclesiis sine aliqua dubitatione doctrina, quam Græci, Latinique Pontifices, sancti Spitus infusione firmati, vno atque indissolubili semper tenuere consensu. In qua B. Augustinus indutus virtute ex alto, abundantiùs illis omnibus laborauit: non autem ipse, sed gratia Dei cum illo, ipsius ministerio Dominus vberiorem huius rei fidelibus suis instructionem præbuit. Quippe adhuc ipsi in corpore constituto Pelagiana hæresis aduersus gratiam Dei mortiferis ausibus rebellauit. Nec defuit in vita benignitas miserantis Dei, quæ militem suum spiritalis gratiæ armis tanto fortiùs præcingeret, quanto acriùs aduersus eundem vasa iræ diabolus instigaret. Proinde memoratus Dei Pontifex turrim fortitudinis ipsam gratiam tenens, & exinde cuncta hostilium machinamenta telorum cœlestis iuuaminis virtute confringens, non solùm ipse de hoste victoriam referens triumphauit: quin etiam posteris certandi & vincendi ordinem, si quando victa prauitas recidiuo ausu infandum caput erigere niteretur, ostendit. Sensum quippe Christi habens, tam gratiæ Dei, quam humani arbitrij, & officia discreuit, & merita, semper diuinis humana subiiciens, & veraciter docens, diuinitus homini, & gratuitò iustificationis donum, & bonæ voluntatis exordium, & plenum tribui glorificationis effectum. Hunc legat omnis, qui salutem æternam adipisci desiderat, humiliter orans misericordiæ Dominum, vt eundem spiritum intelligentiæ legens accipiat, quem ille accepit, vt scriberet: & eandem illuminationis gratiam adipiscatur, vt discat, quam ille adeptus est, vt doceret. Miramur autem non absque magna tristitia istos fratres nostros, qui gratiam Dei quantum intelligi datur, ignorantes euacuare contendunt, hanc sibi similitudinem ineptam reperisse, qua dicunt ita esse gratiæ Dei donum, tanquam si quis det mutuas pecunias, accepto ideò pignore, quod nisi custodierit, debitum accipere non possit. Sed hanc similitudinem quisquis ad Deum refert, proculdubio, aut fallere conatur, aut fallitur. Deus enim noster, parabola proposita, simile dixit esse regnum cœlorum homini patrifamilias, qui proficiscens famulis suis pecunias congrua multiplicandas negotiatione commisit. Vbi tamen sic se ostendit dedisse pecunias, vt nullum se pignus diceret accepisse. Quinimò B. Paulus in se loquentem gerens, à quo nobis sciebat pecuniam datam, ab ipso pignoris quoque gratiam testatur indultam. Ait enim: *Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati, eo quod nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est à vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus.* 1.Cor.4. Ephesiis quoque scribens, idem pignus his verbis insinuat; *Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Ephes.1. Vt ergo in custodienda multiplicandaque Domini nostri pecunia non essemus pigri, sed prouidi, spiritali sumus pignore præmuniti. Hoc pignus sine dubio seruus ille non habuit, qui acceptam Domini pecuniam multiplicare neglexit.

CAPVT XIX.

DEus ergo gratuito munere cui voluerit pecuniam suam, pignusque largitur. Cæterum nos nec ei aliquid dedimus, pro quo pignus acciperemus. Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? neque pignus illi pro pecunia dedimus. Sed & pignus, & pecuniam ipso nobis tribuente habemus, quo pignore nos custodiente, non perdimus quod habemus: à quo etiam iugiter adiuuamur, vt pecunias quas accipimus, commoda negotiatione multiplicare possimus. Illum verò B. Apostoli locum, vbi de Deo dicit: *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat,* meliùs accipimus, si hoc non ad interrogationis sensum, sed ad conclusionem sententiæ referamus. Rom.9. Agebat enim B. Paulus Apostolus de gratuita misericordia, qua Deus, quos vult sine meritis saluat, & de iusto iudicio, quo cæteros irreprehensibili æquitate condemnat. Vbi primum de paruulis loquens Esaü, & Iacob, ipse sibi proposuit quæstionem, ex quibus sine aliquo propriorum duntaxat operum merito, quia nondum nati fuissent, nihil egerant boni, vel mali, cùm ambos reatus originalis peccati teneret obstrictos, vni per indebitam misericordiam gratis est impensa dilectio, alteri per debitum iudicium iustè retributa damnatio. In hac igitur quæstione ipse sibi quod aduersarij inferre possent obiiciés. *Quid ergo,* inquit, *dicemus; Nunquid iniquitas apud Deum?* Statimque respondet, *Absit.* Responsionemque suam legalis testimonij probatione confirmans ait, *Moysi enim dicit, miserebor, cui misereor, & misericordiam præstabo, cuius miserebor.* Ad explicandam quoque promissionis suæ sententiam sic conclusit: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Soluta verò quam de paruulis proposuerat quæstione, hominum quoque iam ratione vtentium voluntates sola Dei miseratione conuerti, subiuncto Pharaonis ostendit exemplo. Ait namque: *Dicit enim scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & annuncietur nomen meum in vniuersa terra.* Geminamque sententiam, quam de paruulorum, atque maiorum gratuita saluatione protulerat, vna conclusione firmauit, dicens: *Ergo*

Ergo cuius vult miseretur, & quem vult obdurat. Vt autem hoc diceret, legalibus se fultum non nesciebat eloquiis, quibus Deum, & Moysi dixisse, Miserebor, cui misereor: & de Pharaone dixisse, quod eius cor obduraturus esset, nouerat contineri.

CAPVT XX.

DEnique vt agnoscatur hæc sententia non ex obiectione proposita, sed ad conclusionem superioris propositionis illata, post eandem conclusionem ipse sibi beatus Apostolus hunc sermonem contradicentis obiecit. *Dicis itaque mihi: Quid adhuc quæritur? voluntati eius quis resistit?* Solent enim homines in tenebris propriæ cæcitatis extantes, cùm audiunt gratia Dei præueniri atque immutari hominum voluntates, vidéntque se pro tenebrosi cordis peruersitate culpari, excusationi suæ de iusta Dei voluntate iniustum captare suffragium, vt exinde maius recipiant punitionis augmentum. Accusant enim Deum, à quo gratiam non accipiunt: & seipsos excusant, qui Deum iustum vitio suæ iniquitatis offendunt. Ipsi suis manibus inferunt plagas, ac medico non dubitant irrogare calumniam, tanquam causa occisionis propriæ non in illo sit, qui seipsum interficit, sed in eo, qui minus ei salubri curatione subuenerit. Medicina quippe non mortis, sed curationis est causa: cui vtique non rectè mors adscribitur, si pessimo vulneri, quod sibi homo intulit, minimè præbeatur. Iustitiæ quippe est, si vulneratus ille relinquatur, vt mortem, quam sibi spontaneis operibus adsciuit, inueniat: misericordiæ autem, si ab eo medicus mortis perniciem beneficio gratuitæ orationis excludat. Tanto ergo iniquiùs medici benignitas infamatur, quantò minus spontanea pernicies hominis seipsum vulnerantis attenditur: quam si in se querulus peccator intuens disceret, non diuinam voluntatem ad excusationem suæ iniquitatis opponeret, sed humiliter misericordiam postularet. Apostolus ait: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Vbi non sicut aliqui putant, B. Paulus in responsione deficit: sed cordis obdurati superbiam vtili satis increpatione compescuit. Dicens enim, *homo tu quis es?* admonuit, vt seipsum peccator superbus attendens, nec aliquid in suis operibus, quod Deo placeret, inueniens, à quo sibi videbat bene viuendi manere præceptum, ab ipso in humilitate contriti cordis exoraret auxilium: sciretque sibi tantummodo succensendum, quicquid cogitatione, vel operatione peccaret: voluntatemque ac facultatem in fide, & charitate, iustè sanctèque viuendi nunquam homini nasci ex homine, sed diuinitus tribui gratuita largitate. Quæ voluntates hominum malas præueniendo mutat in bonas, vt impiis & iniquis peccata dimittat: easdémque bonas voluntates adiuuando subsequitur, vt iustitiæ coronam benè viuentibus reddat, quam non in hoc sæculo, sed in futuro fidelibus suis largiturus est Dominus, dum vasis misericordiæ gratiam largietur, & vasa contumeliæ æterno semper arsura deputabit incendio. In quibus vasis misericordiæ atque contumeliæ, multum sensus istorum fratrum à veritate discordat, quibus videtur ipsos esse vasa misericordiæ, qui Ecclesiasticæ, siue sæcularis militiæ habent in hoc sæculo dignitatem; clericos verò & monachos, vel quoslibet laicos vasa esse contumeliæ. Minus enim attendunt Dei bonitatem, quæ vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam, à vasis iræ atque contumeliæ gratuita dilectione discernit, in illuminatione cordis, hoc est, in fide, spe & charitate consistere: in quibus qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

CAPVT XXI.

OB hoc beatus Paulus non cuiquam sæculari, siue Ecclesiastica prædito dignitate, sed omni operanti bonum, gloriam & honorem, & pacem testatur donari posse: & de vasis quæ in domo magna sunt loquens, non ait, quis potior quemquam dignitas vas honoris efficiet, sed honorem verum mundatis asserit largiendum. Sic enim dicit: *In magna autem domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea & fictilia: & quædam quidem sunt in honorem, quædam verò in contumeliam. Si quis autem emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum paratum.* Beatus quoque Petrus ostendit, per misericordiam Dei, secundum quam vasa misericordiæ appellantur, quicunque saluantur, non dignitatem temporis in hac vita, sed donum regenerationis in fide, spe, & charitate conferri. Ait enim: *Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui per magnam misericordiam regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi à mortuis in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conseruatam in cœlis, in vobis qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem paratam reuelari in tempore nouissimo, in quo exultabitis, modicum nunc, si fieri potest per tristitiam, in variis tentationibus, vt probatio vestræ fidei multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur, & inueniatur in laudem & gloriam & honorem, in reuelatione Domini nostri Iesu Christi: quem cùm non videritis, diligitis, in quem nunc quoque non videntes, creditis, credentes autem exultatis lætitia inenarrabili, & honorificata, recipientes finem fidei vestræ salutem animarum.* Videtis pastorem sanctum ouibus, quas ab ipso principe dominóque pastorum alendas accepit, salubria spiritalis doctrinæ pabula prouidentem. Nempe ostendit, quia Deus hic per magnam misericordiam suam in suis fidelibus operetur, scilicet regenerationem, non in spem sæcularis aut Ecclesiasticæ cuiuspiam transitoriæ dignitatis: sed in spem vitæ æternæ: nec in hæreditatem Imperialis, Pontificalísve militiæ, sed in hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam, & immarcescibilem: neque affectandam in terris, sed conseruatam in cœlis: nec in eos, qui sæcularis aut Ecclesiasticæ dignitatis adipiscuntur temporaliter culmen, sed in eos, qui in virtute Dei custodiuntur per fidem in salutem, non vtique iam perfectè concessam in hoc sæculo, sed paratam reuelari in tempore nouissimo. *In quo*, inquit, *exultabitis*: statimque vitæ præsentis insinuans qualitatem, intulit: *Modicum nunc, si fieri potest, per tristitiam in variis tentationibus.* Cuius verò vtilitatis causa hæc fidelibus accidant, subsequenter insinuans, *Vt probatio*, inquit, *vestræ fidei multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur, & inueniatur in laudem & gloriam, & honorem.* Quando verò sit huius honoris & gloriæ speranda collatio, mox aperit, *in reuelatione*, inquiens, *Iesu Christi.* Quod etiam vas electionis insinuans dicit, *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm enim Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.*

2. Tim. 2.

1. Petr. 1.

CAPVT XXII.

QVantum ergo pertinet ad huius temporis vitam, constat, quia in Ecclesia nemo Pontifice potior, & in sæculo nemo Christiano Imperatore celsior inuenitur. Sed non ideo quilibet Episcopus vas misericordiæ putetur in gloriam præparatum, quia

Synod. Parif. ann. 829. lib. 1. cap. 23.

quia pontificali militia fungitur: sed si pro grege sibi credito solicitus semper inuigilet, prædicet verbum: instet opportunè, importunè, arguat, obsecret, increpet, in omni patientia & doctrina, nec sibi dominatum superbus vsurpare contendat, sed Apostolicis informatus eloquiis exemplum se cunctis exhibeat: nec sibi vllius altitudinis collatum sibi gaudeat temporale fastigium, sed se humili corde fidelibus præbeat bonæ conuersationis exemplum. Clementissimus quoque Imperator non ideò est vas misericordiæ præparatum in gloriam, quia apicem terreni principatus accepit: sed si in imperiali culmine recta fide viuat, & cordis humilitate præditus, culmen regiæ dignitatis sanctæ religioni subiiciat: si magis in timore seruiat Deo, quàm in tumore dominari populo delectetur: si in eo lenitas iracundiam mitiget, ornet benignitas potestatem: si se magis diligendum quàm metuendum cunctis exhibeat: si subiectis salubriter consulat: si iustitiam sic teneat, vt misericordiam non relinquat: si præ omnibus se sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ meminerit filium, vt eius paci atque tranquillitati per vniuersum mundum prodesse faciat suum principatum. Magis enim Christianum regitur ac propagatur imperium, dum Ecclesiastico statui per vniuersam terram consulitur, quàm cùm in parte quacunque terrarum pro temporali securitate pugnatur. Non ergo per quamlibet sæculi aut Ecclesiæ dignitatem, sed per fidem, quæ per dilectionem operatur, vnusquisque vas in honorem dono Dei miserantis efficitur. Non enim saluator noster beatos voluit nuncupari habentes sæcularem aut Ecclesiasticam dignitatem, sed pauperes spiritu, mites, lugentes, esurientes, sitientésque iustitiam, misericordes, mundos corde, pacificos, & qui persecutionem propter iustitiam patiuntur. Nec Abraham patrem nostrum temporales honores, vel diuitiæ ad Dei amicitiam perduxerunt: sed quia credidit Deo, reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus. Nec pauperem Lazarum, ærumna paupertatis & famis afflictum, ab æterna requie inopia atque ignobilitas temporalis exclusit: sed virtutem, quam diuinitus Abraham diues accepit, vt in diuitiis pauper spiritu sanctè viueret; eandem accepit Lazarus, vt afferens fructum cum tolerantia, translatus ab Angelis in sinum Abrahæ perueniret. Hoc autem ideò factum est, quia secundum sæculum alia copia Abrahæ diuitis, alia Lazari pauperis videbatur inopia: cæterùm secundum Deum, & paupertatem sanctam cum Lazaro communem Abraham diues habuit, & diuitias sanctus cum Abraham Lazarus pauper indiuisa communione possedit. Deus enim pauperes elegit in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod promisit diligentibus se. Ipsa fide diuites fiunt omnes, qui scientes, quia præterit figura huius mundi, mortui peccato, viuentes autem Deo, non in dignitate temporali, sed in cruce Domini nostri Iesu Christi cum Apostolo gloriantur. Sæcularem quippe, siue Ecclesiasticam dignitatem possunt & vasa misericordiæ, & vasa contumeliæ temporaliter adipisci, quia ista bonis sunt malisque communia: in cruce autem Domini Iesu Christi veraciter gloriari, proprium est vasorum misericordiæ, quæ præparauit Deus in gloriam, quæ & vocauit non solum ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus. Ista vasa veraciter Christi esse beatus

Galat. 5. Paulus intimat, dicens: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Quisquis hoc diuina illuminatus miseratione considerat, nullatenus audebit quoslibet laïcos, quantacunque sæculari præditos dignitate, mundi contemptoribus, clericis ac monachis sanctè viuentibus præponere: vt illos vasa contumeliæ appellet, à quibus diuinæ gratiæ dono mundum ipsum contemptum videt atque calcatum; & illos pro temporali potestate putet esse vasa misericordiæ, quos manifestum est in culmine sæculi constitutos, id est mundi huius religiosos principes, mundi contemptoribus non solùm Episcopis, sed etiam monachis, Christianæ religionis obtentu, seipsos veraciter atque laudabiliter subdidisse. Ergóne quisquam Christianus potest ita vas misericordiæ dicere Imperatorem Constantinum, vt vasa contumeliæ Antonium appellet, & Paulum? Nónne si ipsæ beatæ memoriæ Augustus Constantinus humanis rebus hactenus interesset, tam noxiam sui nominis laudem inter maximas contumelias deputaret? Aut beatum Imperatorem Theodosium sic potest quisquam vas misericordiæ dicere præparatum in gloriam, vt Ioannem Thebæum monachum à vasis misericordiæ segreget, & vas in contumeliam factum peruersus affirmet: cùm ipse gloriosissimus Imperator, cui Deus fidei merito, quam ipse donauerat, etiam indomitas subdidit gentes, tantam dicatur memorato viro Dei honorificentiam detulisse, vt nullatenus illarum præsumeret subire conflictus, priusquam fuisset prophetica illius responsione firmatus? Ergóne tantum virum religiosissimus Imperator vas contumeliæ fuisse credebat, in quo sic Deum humilitérque consuleret, & per quem sibi Deum vera respondentem ipso rerum effectu testante protinus agnouisset? Quis verò neget beatos Episcopos Innocentium Romanum, Athanasium Alexandrinum, Eustachium Antiochenum, Gregorium Nazianzenum, Basilium Cæsareensem, Ambrosium Mediolanensem, Hilarium Pictauiensem, Constantinopolitanum Ioannem, Aurelium Carthaginensium, Augustinum Hipponensem, cæterósque Pontifices, qui Ecclesias Dei vigilantissimè gubernantes, aut nascentibus, aut iam natis hæreticis habitante in se sancto Spiritu restiterunt, nec veteres lupos Ecclesiastico gregi permittentes irrepere, nec nouos perniciosè intra ouile dominicum latitare; quis inquam istos neget vasa misericordiæ, quæ Deus præparauit in gloriam? Sed quis vsque adeò diuinæ fidei & charitatis inimicus, vt Paulum, Antonium, Ioannem, Hilarionem, Macarium, aliósque similis vitæ ac sanctitatis monachos, in quibus & rectæ fidei veritas, & sanctæ conuersationis refulsit integritas, vasa contumeliæ non metuat appellare? Absit ab omnibus Christianis, vt talia de bonis seruis Dei credant.

CAPVT XXIII.

Quotquot spiritu Dei aguntur, hæc indignè non solùm de monachis, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum, sed & de laicis coniugatis rectè credentibus, rectéque viuentibus suspicantur. Diuersus est quidem seminis fructus, quod hominis filio seminante, terra bona fœcundo sinu suscipit nutriendum: nec tamen centenus solus, sed & sexagenus, & tricenus, vt in horreum congregetur, Deo nunc interiùs incrementum largiente nutritur. Dicit enim Deus per Prophetam, daturum se spadonibus, id est, virginibus, in ciuitate sua, & in muro suo honorem & locum meliorem quàm filiis & filiabus. Sed & ipse in suo Apostolo loquens, honorem congruum continentiæ viduali & coniugali pudicitiæ, bonitatis suæ largitate

Addit. 4. Capitul. c. 21.

Esai 56.

1.Tim.5. Hebr.13. largitate concessit, dicente Paulo: *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt.* Et rursus: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Itáne Apostolus, qui in magna domo alia dicit esse vasa in honorem, alia in contumeliam, honorari viduas coniugatósque præciperet, si eos inter vasa contumeliæ deputaret? Vasa quidem esse in honorem omnes, qui spretis facultatibus in fide & charitate deseruiunt, nullus audet negare fidelium. Sed quis vasa contumeliæ dicere audebit illos, quibus ad dexteram constitutis ob hoc dicturus est Dominus, qui cum in suis minimis esurientem sitientémque pauerunt, vestierunt nudum, susceperunt hospitio peregrinum, visitauerunt infirmum, & in carcere constitutum? Quis istos omnes audeat dicere vasa facta in contumeliam, quos ipse figulus ituros in vitam testatur æternam? An fortè isti monachos & laïcos deuotè Domino in suis gradibus ac professionibus seruientes, in hoc tantùm in sæculo vasa esse contumeliæ dicunt, qui eos affici contumeliis, tribulationibúsque perspiciunt? Sed talia sentientes illa statim sequetur absurditas, vt ipsos primitus beatos Apostolos, gregis scilicet dominici gloriosissimos arietes, vigilantissimósque pastores, vasa contumeliæ appellare cogantur. Quos enim certiùs in Christi domo fratres isti vasa contumeliæ secundùm suam sententiam nuncupabant, nisi quos pro nomine Christi scriptura testante contumelias cognouerit pertulisse? Audiant igitur beatum Paulum Thessalonicensibus hæc loquentem. *Nam ipsi* 1.Thess.2.
scitis, fratres introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit, sed ante passi & contumeliis affecti, sicut scitis, in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro loqui ad vos Euangelium Dei, in multa sollicitudine. Corinthiis quoque scribens, ait: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persequutionibus, in angustiis pro Christo.* 2.Cor.12. Et contumelias in hoc sæculo perpeti omnibus sanctis nouerint esse commune, audiant quid etiam de cæteris Apostolis liber ipse testatur, quem de actibus eorum Lucas Euangelista conscripsit. Ibi quippe memoratur, quod Iudæi Apostolos in custodiam publicam missos, & Angelo ianuas carceris aperiente dimissos, rursus adducentes cæde macerauerunt, cæsísque denunciauerunt, ne loquerentur in nomine Iesu, & dimiserunt eos. Vbi Sanctus Lucas cum gaudio eos contumeliam passos, his verbis insinuat. *Illi quidem* Act.5.
gaudentes ibant à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati.

CAPVT XXIV.

SEd forsitan dicent ideo beatos Apostolos vasa contumeliæ non fuisse, quia illæ contumeliæ, quas pro Christi nomine pertulerunt, semina fuerunt futuri honoris gloriæ, quia per illas contumelias nec veritate fidei, nec sanctæ conuersationis virtute priuati sunt. Agnoscant ergo illos esse vasa contumeliæ, non qui in sæculo contumelias perferunt, sed qui intra Ecclesiam corporaliter positi, quam magnam domum appellat Apostolus, aut rectæ fidei contraria pertinaciter vsque in finem sentiunt, aut sanctæ conuersationis abiiciunt instituta: simulque cognoscant secundum beati Pauli sententiam, quia si quis se mundauerit ab istis, in quocunque gradu, in quocunque honore, in quacunque fuerit professione positus, erit vas in honore sanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum paratum, recepturus futuræ retributionis beatitudinem sempiternam ab illo iudice, qui in hoc sæculo, quibus vult, gratuitam iustificationem donat, & iustificatis per fidem adiutorium gratiæ subministrat, quos in beatitudinem regni cœlestis donata glorificatione angelicæ æqualitatis inducat.

BEATI FVLGENTII Episcopi Ruspensis, de veritate prædestinationis & gratiæ,

LIBER TERTIVS.

Hactenùs longè maxima sui parte mutilus, nunc primùm integer prodit ex MS. codice Cartusiæ Portarum.

CAPVT PRIMVM.



IAm nunc de illis, quos Deus prædestinauit in adoptionem filiorum, ordo suscepti operis cogit disputare; quos secundùm veræ fidei regulam sanctarum Scripturarum auctoritate firmatam, non solùm ad præmium glorificationis, sed etiam ad gratiam iustificationis: nec solùm ad æternam beatitudinem, quæ non mutatur, verùm etiam ad fidem, quæ per charitatem operatur: neque ad æterna tantùm præmia, sed etiam ad bona merita gratuita bonitate Dei ante mundi constitutionem in Christo prædestinatos, & huius prædestinationis beneficio secundùm propositum vocatos & iustificatos, nullus debet ambigere Christianus. Quisquis enim veritatem prædestinationis diuinæ negare contendit, mutabilem Deum sine dubio prædicat, cui temporalium actuum humanorum temporalem cognitionem peruersus assignat? Nam si Deus incommutabilis est, quod dubitandum non est, omnia futura ex æternitate incommutabiliter nouit, & omnia opera sua incommutabili ordinatione disposuit. Nec potuit esse dispositionis eius aliquando mutatio, vbi dispositorum sine initio manet æterna cognitio. Proinde apud Deum sicut nunquam defuit futurarum præscientia rerum, sic nunquam defuit sempiterna &

& incommutabilis operum vel donorum prædestinatio futurorum. Apud ipsum quippe, quo æterna incommutabilitas, & incommutabilis æternitas manet, sicut inchoandarum rerum scientia nunquam potuit inchoari, sic mutabilium operum nunquam potuit æterna dispositio commutari. Deus itaque sicut nunquam futurarum rerum fuit inscius, ita nec misericordiæ, aut iudicij sui fuit ignarus: sed sicut semper omnia futura & bona & mala præsciuit, sic omnia opera gratiæ atque iustitiæ suæ incommutabili prædestinatione disposuit.

CAPVT II.

MAgna quippe altitudo sapientiæ & scientiæ Dei: quibus diuitiis plenus, omnia futura & scienter cognouit, & sapienter præordinauit. Psal. 138 5. Cui vtique non inconuenienter dicitur: *Ecce tu Domine cognouisti omnia, nouissima & antiqua.* Et quem veraciter futura opera sua iam fecisse Beatus Isai. 55. 11. secundùm LXX. prædicat Isaias, dicens: *Qui fecit quæ futura sunt.* Futura quippe opera sua eo iam fecit, quo incommutabiliter facienda disposuit. Vnde rectè quidquid facturus est, iam ab ipso factum dicitur, in cuius operibus faciendis æterna dispositio, & incommutabilis inuenitur. Virtus enim & sapientia Dei ex æternitate incommutabiliter omnia futura nouit, irreprehensibiliter vniuersa opera sua futura disposuit. Sic omnia quæ disposuit, irreprehensibiliter facit. Non mutat Deus prædestinata, quia sapientia eius non fallitur, aut reprehenditur in dispositione: & perficit Deus prædestinata, quia virtus eius non impeditur aut superatur in opere. Hinc est, quòd Deus noster, cuius vniuersæ viæ misericordia & veritas, & cui veracitèr misericordiam & iudicium cantat Ecclesia, quia non solùm omnia opera sua, quæ vtique bona sunt, exquisita in omnes voluntates eius; sed etiam quædam hominum & Angelorum opera mala quamuis in tempore facienda, ipse tamen incommutabilis & æternus, incommutabili atque perenni cognitione præsciuit; non solùm ea disposuit, quæ ipse gratis quibus vellet donaret vt bonus; verùm etiam illa, quæ & bonis & malis redditurus esset vt iustus. Prædestinauit ergo gratis iustificandos impios, & glorificandos iustos, quos præueniret & subsequeretur misericordia eius. Hi sunt secundùm propositum vocati: hi sunt, quos Deus præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij eius. Fieri autem à quo, nisi ab illo, qui eos Abrahæ promisit? cui Abraham confortatus fide gloriam dedit, plenissimè sciens, quia quæcumque promisit, potens est & facere? Ipse itaque quos prædestinauit, fecit & facit conformes imaginis Filij sui, qui est fidelis in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. De his Apostolus Rom. 8. 30. dicit: *Quos prædestinauit, hos vocauit: & quos vocauit, hos iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Omnes isti prædestinati sic vocantur, vt iustificentur; sic iustificantur, vt glorificentur. Ac per hoc prædestinauit quos voluit, & ad opera bona, & ad præmia sempiterna: prædestinauit ad vitam bonam, prædestinauit ad vitam æternam: prædestinauit ad fidem, prædestinauit ad speciem: prædestinauit adoptandos in sæculo, prædestinauit glorificandos in regno: prædestinauit per gratiam faciendos primogeniti fratres, prædestinauit per gratiam perficiendos eiusdem vnigeniti cohæredes.

CAPVT III.

HÆc omnia sicut in se continet prædestinationis æternitas, sic implet prædestinantis Dei misericordia, & iusta maiestas. Neque enim ignarus futurorum vnquam esse potuit filiorum, qui vnico Filio, quem sibi coæternum, ac sine initio genuit, prædestinationis fratres præparauit. Nobis gratis gratiam præparans, gratis gratiam donans; quos iustificaret eligens in ipso ante mundi constitutionem, non ex humanis meritis, sed ex gratuito suæ proposito voluntatis: voluntatem suam bonam faciens causam iustificationis nostræ, non iustitiam nostram inueniens causam voluntatis suæ. Testatur enim Apostolus, quia Deus elegit nos in Christo ante mundi constitutionem. Ephes. 1. 4. Et vt ostenderet, nos non ex operibus eligi meruisse, sed ex electionis dono bona merita percepisse, continuò subiungit, dicens: *Vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius.* Hæc electio fuit in æterna Dei præparatione, quæ per eius gratiam perficeretur in tempore. Hæc electionis æterna præparatio, ipsa est diuina prædestinatio: in qua dignè totum gratuito beneficio diuinæ bonitatis adscribitur, quia sola ibi erga nos miserantis Dei charitas inuenitur. Ideò subsequutus Apostolus, hoc nobis euidenter inculcans, ait: *Qui in charitate prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum.* Ephes. 1. 5. Et vt totum ex solo proposito bonæ voluntatis Dei descendere doceret, adiecit; *Secundùm propositum voluntatis suæ.* Et vt hoc propositum bonæ voluntatis Dei gratuitum esse monstraret, sequutus adiecit: *In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto Filio suo.* Prædestinatio vtique filiorum Dei ad hoc vtiliter non solùm cognoscitur, verùm etiam prædicatur; vt in omnibus bonis humanæ voluntatis & operis, dum diuina prædestinatio in æterna gratiæ præparatione cognoscitur, eiusdem prædestinationis effectus in ipsa gratiæ donatione nihilominùs agnoscatur: ac per hoc in ista filiorum Dei adoptione, quam Deus & prædestinando præparauit ex æternitate, & vocando ac iustificando largitur in tempore, gratia Dei glorificetur, & ipsa laudetur. Elegit enim nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius.

CAPVT IV.

NOn ergo quos eligeret, aut sanctos, aut immaculatos inuenit, aut inueniendos esse præsciuit; sed vt sanctos & immaculatos faceret, ante mundi constitutionem elegit. Non ergo nos ideò elegit, quia sancti & immaculati futuri eramus, sed vt sancti & immaculati essemus. Et ideò nos in charitate prædestinauit, quia vt nos prædestinaret, gratuitè nobis effectum charitatis impendit. Prædestinauit autem nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, non secundùm meritum aut voluntatis, aut operationis nostræ, sed secundùm propositum voluntatis suæ. Et quoniam gratis à Deo hanc adoptionem filiorum accepimus, à quo gratis electi sumus, vt sancti & immaculati essemus, ideò in his omnibus laudem gloriæ gratiæ Dei Beatus Paulus insinuat: vt omnis, qui eiusdem gratiæ illuminatur munere, & verum gratiæ donum ex æternitate prædestinationis intelligat, & æternam Dei prædestinationem ex dono gratiæ spiritalis agnoscat. Cuius prædestinationis ita manet æterna firmitas & firma æternitas, non solùm

solùm in dispositione operum, verùm etiam in numero personarum; vt nec de illius numeri plenitudine quispiam salutis æternæ gratiam perdat; nec extra illius numeri quantitatem ad donum salutis æternæ perueniat. Deo enim qui scit omnia antequam fiant, sic non est incertus prædestinatorum numerus, sicut dispositorum operum dubius apud eum non inuenitur effectus. Apud se habet certissimum numerum prædestinatorum ille, qui eos in adoptionem filiorum per Christum prædestinauit; quia in mensura & numero & pondere cuncta disposuit. Ipsos enim promisit Abrahæ dicens; *Respice in cœlum, & numera stellas, si potes dinumerare eas, & dixit: Sic erit semen tuum. Et credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* De his dicitur Danieli Prophetæ: *Et in tempore illo saluus erit populus tuus omnis, qui inuenietur scriptus in libro.* Ipsis vtique Saluator noster ait; *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* De his in libro Sancti Danielis dicitur: *Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebant quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Isti spiritaliter intelliguntur in Psalmo, vbi dicitur de Deo; *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Proinde qui numerat multitudinem stellarum, non potest suorum ignorare numerum filiorum.

Genes.15.5. Dan.12.1. Luc.10.20. Dan.12.13. Psal.146.4.

CAPVT V.

ILli ergo numero nec aliquis additur, nec aliquis demitur; quia secundùm propositum voluntatis suæ Deus sanctos suos prædestinauit, de quo scriptum est; *quia omnia quæcunque voluit, fecit.* Ita nemo potest eius mutare prædestinationem, sicut nullus potest eius vincere voluntatem. Quòd si numerus ille certus non est apud Deum, aut diuina scientia fallitur, aut voluntas diuina mutatur, aut diuina virtus aduersitate qualibet superatur. Quòd si aliquid horum soli possunt impij dicere, aut fortè nec impius aliquis audet horum dicere aliquid, nemo diuinam prædestinationem neget, quandoquidem illius Dei prædestinatio vera prorsùs asseritur, cuius & scientia irreprehensibilis, & voluntas incommutabilis, & virtus insuperabilis inuenitur. Ad hanc prædestinationem pertinet, & gratuita iustificatio Redemptoris, & iusta redditio Iudicis. Ad hanc prædestinationem pertinet misericordia, quam Paulus consequutus est, vt fidelis esset; & corona iustitiæ, quam reddet ei Dominus in illa die iustus iudex. Non solùm autem Paulo, sed & omnibus, qui diligunt aduentum eius. Omnes enim, quos Deus prædestinauit in adoptionem, gratis hic iustificantur ex impiis: quia Christus pro impiis mortuus est: & omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati per gratiam ipsius. Quibus sicut per misericordiam præparauit gratuitum iustificationis donum, ita per iustitiam præparauit æternæ iustificationis præmium. Opus itaque gratiæ in omnibus prædestinatis gratuita misericordia inchoatur, & iusta retributione perficitur. Prædestinauit ergo Deus sanctos suos, & ad gratiam vitæ bonæ, & ad gratiam vitæ æternæ. Præparatam gratiam donat Deus, vt homines iustificentur, & bene viuant, & vitam æternam pro rectè factis accipiant. Ideò autem & ipsa vita æterna, gratia Dei ab Apostolo dicitur, quia gratis hominibus vita bona datur, cui iustè vita æterna reddatur. Præparauit autem Deus etiam malis ignem æternum: illis vtique, quos iustè præparauit ad luenda supplicia, nec tamen prædestinauit ad facienda peccata. Prædestinauit enim Deus quod diuina æquitas redderet, non quod iniquitas humana admitteret. Prædestinauit ergo homini reo, non culpam quam odit, sed iudicium quod diligit. Scriptum est enim quia *diligit misericordiam & iudicium Dominus.* Et ideò non solùm originale, verùm etiam omne actuale peccatum in malis puniturus est Deus; quia malis operibus nec præbet initium, nec adhibet aliquando consensum. Mala itaque opera non placent Deo, quia non sunt ab eo: nam si ab ipso essent, mala non essent. Proinde bona opera quæ Deus misericorditer donat, iustè coronat; opera verò quæ ipse non tribuit, iustè punit: in istis coronatur diuina largitio, in illis autem damnatur humana transgressio. Homo itaque illud habet salubriter quod acceperit à Deo; illud perniciosè, quod habuerit ex seipso.

Psal.113.3. Psal.32.4.

CAPVT VI.

PEssimum est autem dicere, quia si est prædestinatio, non debemus orare nec vigilare, sed facere omnes voluntates carnis, eo quòd iam prædestinati fuerimus: cùm vtique illa gratia, quæ nobis diuina prædestinatione fuit præparata, ad hoc diuinitùs nobis detur vt vigilemus & oremus, & sicut in die honestè ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione; sed induamur Dominum Iesum Christum, & carnis curam non faciamus in desideriis. Quomodò enim fieri potest vt gratiam quisque accipiat, & opera gratiæ ipsa gratia in se operante non faciat? Gratia quippe per Spiritum sanctum datur; fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modestia, continentia. Quis igitur accepta sancti Spiritus gratia non oret, non vigilet, non concupiscentiis carnalibus ipsius suffragio gratiæ atque iuuamine repugnet? cùm vtique Saluator noster vigilare & orare nos præcipiat: & Beatus Paulus testetur, quia *qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Tale est autem si quis dicat; si prædestinatus est homo, nec orare debet, nec vigilare; quale si dicat, ab eo cui vita fuerit diuinitus promissa, vitæ subsidia non quærenda. Nam legimus, Ezechiæ Regis ad vitam quindecim annos dono diuinæ miserationis adiectos. Num ergo debuit Ezechias dicere, pro eo quod apud eum certa esset diuina promissio, propterea se debere nec cibum, nec potum sumere, nec ea quæ ad vitæ subsidium pertinent cogitare? cùm vtique ideò detur ipsius vitæ vsus, vt in corde viuentis viuendi perseueret affectus; & in eo quòd quisque vitam suam amat, vitæ subsidia non repellat. Ab ipsa ergo vita habemus, vt de statu ipsius vitæ sollicitè cogitemus. Proinde gratia quam Deus prædestinauit, id est, ex æternitate suis fidelibus præparauit, hoc in nobis agit ex eo quòd eam accepimus, vt in nobis eam custodiri diuino munere postulemus, & hoc in operibus habeamus, quod ipsa largiente percepimus. In illis autem permanent ipsius gratiæ dona, quibus sunt diuinæ prædestinationis munere præparata.

Matt.26.41. Galat.5.24 1.Reg.20.6.

CAPVT VII.

NOn ergo dicendum est; Si prædestinati sumus, nec vigilemus, nec oremus. Immò cùm vigilamus & oramus, gratiæ Dei beneficia cognoscamus: nec denegemus æternam bonorum istorum originem, quorum in nobis diuinam cernimus largitatem; quorum sic non potest esse prædestinatio dubia, sicut eorum cognoscitur præparatio sempiterna. Propter quod dicit Apostolus;
Ephes.2.10. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.* Absit autem vt dum prædestinatio asseritur, Euangelica & Apostolica mandata soluantur: cùm vtique Iesus ab initio sciret qui essent credituri, & quis eum esset traditurus, nec falsa potuerit esse scientia creatoris: & ideò sicut præsciuit traditorem suum, nec alius eum tradidit nisi ille quem ipse præsciuit; sic vtique illos quos præparatione sua sciebat ad fidem prædestinatos, ipsos nouerat ab initio credituros. Quomodò autem assertione prædestinationis Apostolica mandata soluimus, cùm non solùm eos qui membra Christi sunt, sed ipsum quoque Christum prædestinatum Apostolo prædicante nouerimus? De ipso enim Beatus Paulus dicit;
Rom.1.3. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem: qui prædestinatus est Filius Dei in vir-*
1.Cor.2.6. *tute, secundùm Spiritum sanctificationis.* Alio quoque loco dicit; Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam verò non huius sæculi, neque Principum huius sæculi qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram. Quocirca, quid est prædestinationis assertionem arguere, nisi Apostolicam doctrinã mortifera impietate culpare? Certissimè quippe diuinam prædestinationem Paulus & didicerat, & docebat; & quam nouerat in capite, non denegabat in corpore. Sciebat enim, æternum atque incommutabilem Deum, secundùm æternam atque incommutabilem voluntatem suam, omnia præscisse quæ à se facienda disposuit, & omnia prædestinasse quæ se in Sanctis suis misericorditer ac iustè facturum esse præsciuit. Quisquis ergo prædestinationem negat, de apostolicis eam priùs epistolis deleat: ac deinde cùm ostenderit, iustè à se reprehensum Apostolum Paulum, tunc se hominibus indubitanter præbeat audiendum.

CAPVT VIII.

BEatus Apostolus Paulus noluit sileri quod voluit scribi; sed sicut in epistolis suis arguit, si quem in hominibus cognouit errorem, sic omnibus hominibus prædicari voluit quam suis inserunt litteris veritatem. Ille itaque Apostolica mandata sine dubio soluit, qui Apostolica dicta aut negare, aut oppugnare contendit. Prædestinationem namque sicut tam fidenter quàm veraciter Beatus Apostolus prædicauit, ita nobis prædicandam fidenter veraciterque mandauit. Nec timuit ne videretur genesim, vel fatum, aut constellationem introducere: quod si isti fratres inaniter metunt, illic trepidantes timore vbi non est timor; & cum impiis reprehendi formidant, impiè de Deo sentire non dubitant. Quis enim deteriùs potest de Deo æterno, de Deo vero, de Deo bono ac beato sentire, quàm qui eum negat ex æternitate scire quod esset facturus in tempore? aut fortuitum ascribit diuinis operibus cursum, negans æternum manere futuræ suæ operationis in illa incommutabilis Dei æterna voluntate consilium? Hæc enim assertio, quæ verè diuino est inimica consilio, sicut bonas hominum voluntates & opera in æterna Dei prædestinatione haberi omnimodis negat, ita Dei scientiam ex humanis voluntatibus atque actibus pendere confirmat. Si enim Deus omnia futura opera sua ex æterno præsciuit, proculdubio eadem opera sua bonæ voluntatis suæ proposito præparauit; & quod esset operaturus, incommutabilis consilij firmitate disposuit: nec aliter potest ordo diuinorum operum currere, quàm inuenitur in eius incommutabilis cognitionis præparatione constare. Quicquid in tempore mutabiliter geritur, hoc in altitudine diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, æternum atque incommutabile naturaliter inuenitur: qui scientiæ suæ plenitudine vniuersa futura cognouit, & altitudine sapientiæ suæ cuncta opera sua, priùs quàm fierent, mirabili ordine præparauit. Alioquin præcedet diuinam sapientiam humana cogitatio atque operatio, si non eam ex æternitate comprehendit diuina cognitio.

CAPVT IX.

NEcesse est autem, vt si Deus incommutabilis est & æternus, sit eius incommutabilis & æterna cognitio. Incommutabili autem & æternæ scientiæ nihil accidit temporale. Quoniam si aliquid ei in tempore accidisse cognoscitur, necesse est vt initio, mutabilitatique subdatur: nec potest esse sine initio natura, cuius scientia initio inuenitur esse subiecta. Cœpit enim esse qui non fuit, cui scientia cœpit esse quæ defuit: nec omnia potest simul scientiæ plenitudine continere, qui potuit aliquid aliquando nescire. Semper ergo mutabilis fuit qui plenitudine cognitionis indiguit: nec eius sapientia attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter: nec attingit vbique propter munditiam suam, si vel eam aliquid futuri operis latuit, vel non habuit in æterna dispositione ac prædestinatione quod facit: nec retinet integrum suæ incommutabilitatis statum, si temporalibus operibus suis non æternum, sed temporale potest adhibere consilium. Quapropter scientes, Deum incommutabilem, & æternum, & perfectum, creaturæ omnipotentissimum conditorem, & omnium quæ facturus erat cognitorem atque dispositorem æternum; confiteamur eum opera sua omnia ex æternitate præordinasse, ex æternitate dona sua & iudicia præparasse. Ille enim cui Propheta dicit; *Omnia in sapientia fecisti*; in eadem sapientia, in qua omnia condidit, Psal.103.24.
cuncta quæ se facturum cognouerat, ex æternitate disposuit; quia nihil eorum quæ facturus fuerat ignorauerit. Omnes ergo ante mundi constitutionem prædestinando Deus elegit, quos hic in quacumque positos ætate, quolibet tempore secundùm propositum vocat atque iustificat: ipsis etiam donat perseuerantiam, & eosdem omnes perducit ad vitam æternam: hos enim *omnes vult sal-* 1.Tim.2.4.
uos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Voluntas autem omnipotentis necesse est in omnibus impleatur. Fit ergo quicquid ille voluerit fieri, cuius voluntati nemo resistit: nec enim potestas Dei minor est quàm voluntas; & ideò nihil inuenitur velle, quod non possit efficere. Quædam quidem Deus facere posset, & non facit; nihil est tamen quod fieri velit aliquando, nec faciat: *omnia* enim Psal.134.6.
quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. Proinde & in hominibus

bus quoniam quæcumque voluit fecit, quoſcumque vult fieri ſaluos, facit: & quoniam ipſa veritas veraciter dicit; *Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me attraxerit eum*: illos omnes facit ad agnitionem veritatis venire, quos ipſe miſericorditer dignatur attrahere.

Ioan.6.14.

CAPVT X.

IDeò autem *omnes* dicuntur, quia ex omni hominum genere colliguntur: ex omnibus gentibus, ex omnibus nationibus, ex omnibus damnis, ex omnibus ſeruis, ex omnibus Regibus, ex omnibus militibus, ex omnibus prouinciis, ex omnibus linguis, ex omnibus ætatibus, ex omnibus gradibus. Ita ſalui fiunt omnes, quos vult Deus ſaluos fieri, quia nemo ſaluatur, niſi quem ille voluerit gratuita iuſtificatione ſaluare. Nam cum Saluator noſter dixerit: *Nemo nouit Filium niſi Pater, neque Patrem quis nouit niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare* (quod vtique dicens oſtendit, ſe quibuſdam reuelari velle, quibuſdam nolle:) dicatur quomodò ſaluos fieri velit, quibus Patrem ſuum, & ſeipſum reuelare noluerit. Oſtenditur quippe in Euangelio, quibuſdam in parabolis ſic locutus, vt verba ſua vellet audiri, nec vellet intelligi. Quod ipſe Dominus indubitanter aperuit: interrogantibus namque diſcipulis, hæc eum Matthæus dixiſſe commemorat: *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, illis autem non eſt datum.* Marcus quoque non diſſimilem Saluatoris reſponſionem inſinuat, cuius hæc eſſe verba teſtatur: *Vobis datum eſt ſcire myſterium regni Dei: illis autem qui foris ſunt, in parabolis omnia fiunt: vt videntes videant, & non videant: & audientes audiant, & non intelligant: ne quando conuertantur, & dimittantur eis peccata.* Lucas etiam eadem Dominum reſpondiſſe confirmans, ait: *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* Nempe apparet ita Dominum turbis locutum, vt tamen eis regni cœlorum nollet aperire myſterium. Quod vtique faciens, ideò ſua verba nolebat intelligi, quia ſe in illo myſterio nolebat agnoſci. Illam quippe agnitionem myſterij Chriſti eſſe, Paulus teſtatur Apoſtolus dicens; *Inſtructi in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitione myſterij Chriſti Ieſu, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.* Nam & in alio loco dicitur: *Vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis, ad loquendum myſterium Chriſti.* Fidelibus quoque inſtantiam orationis ſuæ inſinuans ait; *Non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis; vt Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti Pater gloriæ, det vobis Spiritum ſapientiæ & reuelationis in agnitionem eius.* Si ergo generaliter omnes homines vult Deus ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, quid eſt quòd ipſa veritas quibuſdam myſterium ſuæ agnitionis occultat? Et vtique quibus ſuam denegat agnitionem, denegat & ſalutem: in hoc enim homines ſalui fiunt, in quo ad agnitionem veritatis perueniunt. De Chriſto quippe dictum, eſt quia *ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum*, de quo etiam Beatus Petrus ait, quia *non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos fieri.* Quomodò ergo erat voluntas Dei in illis ſaluandis, quibus abſcondebatur ipſa cognitio veritatis?

Matt.11.27. Math.13.11. Marc.4.11. Luc.8.10. Col.2.2. Col.4.3. Epheſ.1.16. Matth.1.12. Act.4.12.

CAPVT XI.

AN fortè dicitur, cordis eorum duritia faciente, Saluatorem noſtrum ſuæ agnitionis aperire noluiſſe myſterium? Vbi poſſemus latiùs reſpondere. Sed vt aliquo vtamur pro ſeruanda breuitate compendio! Quicumque dicunt, propter duritiam cordis eorum noluiſſe ipſam veritatem ſuæ agnitionis myſterium reuelare; interim in hoc agnoſcant, non de vniuerſis prorſus hominibus dici, quia omnes homines ſaluos vult Deus fieri, & ad agnitionem veritatis venire: cum illos quos Chriſtus duricordes videbat, nollet vtique ſaluare, quibus propter duritiam cordis eorum nolebat ſuæ agnitionis aperire myſterium. Aut ergo negent, Deum velle omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui Saluatorem noſtrum quibuſdam cognitionem myſterij regni cœlorum dare noluiſſe cognoſcunt, & mendacem pronuncient Apoſtolum Paulum: aut ſi Apoſtoli dictum vniuerſaliter ad cunctos omnino refertur homines, cogentur ſanctos Euangeliſtas pronuntiare mendaces. Quomodò enim quibuſdam dare noluit noſſe myſterium regni cœlorum, qui omnes homines ſaluos vult fieri, & ad agnitionem veritatis venire? quandoquidem ſi omnes omnino vult, neminem vtique non vult: & ſi omnes vult ad agnitionem ſuam venire, omnibus debet myſterium ſuæ agnitionis oſtendere. Sed quibuſdam ipſum myſterium noſſe non dedit. Quale fuit ergo, & velle ſaluare, & nolle myſterium ſalutis oſtendere? Quale fuit quæſo, ſi veritas voluit vt ad agnitionem eius omnes homines venirent, & eis noluit oſtendere quà venirent? Quale hoc eſt, vt eis neget vitam, quos inuitat ad patriam? Ipſa enim ait? *Ego ſum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem niſi per me.* Quomodò ergo illos vult venire ad agnitionem ſuam, quibus denegat agnitionem ſuam? Quid eſt enim nolle myſterium ſuæ agnitionis oſtendere, niſi nolle ſaluare? Non ergo omnes homines vult ſaluos fieri, qui vel quibuſdam pro duritia cordis ſui noluit ſuæ agnitionis aperire myſterium, ſine quo nullus peruenit ad ſalutem. Sed Apoſtolus mentiri non potuit, qui dixit quia *omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Sed nec Euangeliſtæ mentiti ſunt, qui dixerunt, ipſum Dominum diſcipulis dediſſe, aliis non dediſſe noſſe myſterium regni cœlorum. Et vtique illis quia dare voluit, dedit; illis autem quia dare noluit, non dedit: & quia iſtis propterea dedit vt ſalui fierent, agnoſcitur illis ideò non dediſſe ne fierent. Iſtos ergo ſaluos fieri voluit, quibus noſſe myſterium ſalutis dedit; illos autem noluit, quibus ſalutaris myſterij notitiam denegauit: nam ſi vtroſque ſaluos fieri voluiſſet, vtriſque agnitionem ſalutaris myſterij contuliſſet.

Ioan.14.6. 1.Tim.2.4.

CAPVT XII.

QVoniam ergo vtraque Scriptura vera eſt, vtraque ſancta, vtraque diuinitus inſpirata, & ob hoc vtraque venerabiliter eſt ſeruanda, & indubitanter audienda & accipienda; remoueantur ab omnibus illis omnes iſti, quibus Chriſtus non dedit noſſe myſterium regni cœlorum: & digni intelligantur illi omnes homines, quos vult Deus ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; quia reuera in illis voluntas ſaluantis agnoſcitur, quibus agnoſcendæ veritatis

 gratia

gratia non negatus. Sic Deus, quia omnia quæcumque voluit fecit, ſuam implet in omnibus voluntatem; quia omnibus quos vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, donat ſalutaris myſterij rectam cum charitate notitiam. Hos omnes Beatus Petrus ſic intelligendos oſtendit, vt illos omnes diceret, quos Deus vocare dignatur: ipſius enim verba ſunt, ad Iudæos ita loquentis;
Act.2.39. *Vobis enim eſt repromiſſio, & filiis veſtris, & omnibus qui longè ſunt, quoſcumque aduocauerit Dominus Deus noſter.* Nam & Beatus Paulus quodam loco dicit omnes, cùm tamen nolit vniuerſaliter omnes intelligi: ſcribens enim Philipenſibus, ait;
Phil.2.21. *Omnes enim ſua quærunt, non quæ Ieſu Chriſti.* Vbi vtique ſi ab omnibus iſtis nullus excipitur, neceſſe eſt vt etiam omnes Apoſtoli, & cæteri illius temporis fideles cum iſtis omnibus computentur, quod nullus quantumlibet impius ſuſpicabitur. Reſtat ergo vt quoſdam, omnes debeamus accipere; id eſt non omnino omnes homines, ſed omnes qui ſua quærebant, non quæ Ieſu Chriſti.
Philip.1.15. Nam in eadem epiſtola ſuperius quoſdam bonos oſtendens, ait; *Quidam autem & propter bonam voluntatem Chriſtum annunciant, quidam ex contentione, ſcientes quòd in defenſione Euangelij poſitus ſum.* Qui ergo propter bonam voluntatem ex charitate Chriſtum annunciabant, quia charitas non quærit quæ ſua ſunt, non ſua quærebant, ſed quæ Ieſu Chriſti: non ergo erant inter illos omnes qui ſua quærebant, & non quæ Ieſu Chriſti. Hos bonos, in fine epiſtolæ ſuæ
Philip.4.22. ſanctos appellat: & ſicut illos malos, omnes dicit; ita & iſtos bonos, omnes nihilominùs dicit: ait enim, *Salutant vos ſancti omnes.* Ecce in vna eademque Beati Apoſtoli epiſtola ponuntur, & omnes ſancti, & omnes qui ſua quærunt, non quæ Ieſu Chriſti, cùm vtique & omnes qui ſancti erant ſua non quærerent? & omnes qui ſua quærebant, ſancti non eſſent. Accipiantur ergo & omnes iſti & omnes illi, non confusè, ſed diſtinctè; & ſic vtrique omnes dicantur, vt omnes iſti ab illis omnibus, & illi omnes ab iſtis omnibus recto veritatis ordine diſcernantur. Idem ſenſus eſt & in omnibus tri-
Gen.18.54. bubus, quas Deus ſemini Abrahæ promiſit, & in eo benedicendas oſtendit, dicens; *Et benedicentur in te omnes tribus terræ*: quod etiam Beatus Petrus
Act.3.25. confirmans, ait Iudæis; *Vos eſtis filij Prophetarum, & teſtamenti quod diſpoſuit Deus ad patres noſtros, dicens ad Abraham; In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ.* Oſtendens autem Chriſtum eſſe ſemen Abrahæ, in quo eſt omnium tribuum bene-
Act.3.26. dictio repromiſſa, continuò hæc verba ſubiicit; *Vobis Deus primùm ſuſcitans Filium ſuum, miſit eum benedicentem vobis.* Chriſtus eſt itaque ſemen Abrahæ, in quo benedicentur omnes tribus terræ.
Pſal.144.13. Et vtique vera eſt Dei promiſſio, quia *fidelis eſt Dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis*, in cuius promiſſione Abraham non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo, & pleniſſimè ſciens quia quæcumque promiſit, poteſt & facere.

CAPVT XIII.

CVm ergo in Chriſto benedici omnes tribus terræ nullus ambigat Chriſtianus, Beatus tamen Ioannes in Apocalypſi loquens de Chriſto, id eſt, de ipſo ſemine Abrahæ, in quo benedicen-
Apoc.1.7. tur omnes tribus terræ veraciter vtique dicit; *Ecce veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum compunxerunt: & plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ.* Ecce, omnes tribus terræ benedicentur in Chriſto, quo tamen veniente, plangent ſe omnes tribus terræ. Quomodò itaque nobis vtrumque conſtabit, ſi vel in bono, vel in malo ſic omnium tribuum plenitudo vniuerſalis accipitur, vt nihil patri alteri relinquatur? Sed idem Beatus Ioannes qui de ipſius pectore veritatis, vbertatem veridicæ prædicationis ebiberat ſic oſtendit omnes iſtas tribus, quæ ſe aduentu Chriſti planctur æ ſunt; vt omnes iſtas tribus quas in ſemine Abrahæ benedicendas Deus verax promiſit, ex illis omnibus tribubus colligi demonſtraret. In eodem quippe libro eos qui agni redempti ſunt ſanguine, inducit cantantes canticum no- Apoc.5.9. uum, & dicentes; *Dignus es Domine, accipere librum, & aperire ſignacula eius, quia occiſus es & redemiſti nos in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & gente: & feciſti nos Deo noſtro regnum & Sacerdotes: & regnabunt ſuper terram.* Alio quoque memorati libri loco, dum ex duodecim tribubus filiorum Iſraël, duodena de ſingulis tribubus memoraſſet millia ſignatorum; vt etiam ex omnibus tribubus terræ innumerabilem turbam fidelium demonſtraret, ita loquitur; *Poſt* Apoc.7.9. *hoc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & linguis & populis, ſtantes ante thronum & ante agnum: amictos ſtolis albis, & palmæ erant in manibus eorum.* Hæ ſunt omnes tribus de omnibus tribubus congregatæ. Iſtæ ſunt omnes tribus, quæ benedicuntur credentes in Chriſtum; de omnibus tribubus illis, quæ ſe ideò plangent, quia non crediderunt in Chriſtum. Sic intelliguntur omnes fideles; & omnes infideles omnes boni, & omnes mali: omnes quos Deus miſericordiſſima bonitate ſaluat, & omnes quos iuſtiſſima ſeueritate condemnat: quibuſdam iuſtè non donans veritatis agnitionem, quibuſdam miſericorditer agnoſcendam reuelans veritatem, & in omnibus implens ſuam omnipotentiſſimam voluntatem.

CAPVT XIV.

PLurima ſecundùm iſtius intelligentiæ ſaluberrimam regulam, in diuinis eloquiis teſtimonia poterit inuenire, quiſquis voluerit Scripturas diuinas recto cordis oculo recenſere. Cùm verò de humana voluntate tractatur, quod pertinet ad ſalutis vel exordium, vel effectum, verum eſt quidem, quia de illis qui ratione vtuntur, qui volunt ſaluantur, & qui nolunt non ſaluantur: ſed illi qui ſalui fiunt, tunc ſaluari volunt quando diuina gratia præueniuntur vt velint; immò tunc ſaluari volunt, quando ipſum velle dono diuinæ largitatis ac- Prou.8.35. ſecundum LXX. cipiunt. Sancta enim Scriptura mentiri nullatenus poteſt, quæ ait: *Præparatur voluntas à Domino.* Philip.2.12. Vnde quoque Apoſtolus, Chriſto in ſe loquente veraciter dicit; *Cum timore & tremore ſalutem ve-* 2.Theſ.1.11. *ſtram operamini: Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Nec ſolùm initium bonæ voluntatis & operis Deo aſſignat Apoſtolus. Verùm etiam ab ipſo vtrumque teſtatur impleri, dicens: *Vt dignetur vos vocatione ſua Deus noſter: vt impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute.* Et vt oſtenderet hoc per gratiam fieri, ſecutus adiunxit: *Vt clarificetur nomen* Verſu 12. *Domini noſtri Ieſu Chriſti in vobis, & vos in illo, ſecundum gratiam Dei noſtri & Domini Ieſu Chriſti.* In illis ergo qui voluntariè ſaluantur, gratia diuina operatur vt velint: in illis autem qui nolunt, humana duritia perſeuerat vt nolint. Quam tamen duritiam homo non habebit, cùm eam Deus

auferre

auferre voluerit: sine difficultate quippe Deus potest implere quodcumque voluerit, qui ait de quibusdam: *Auferam ab eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum.* Aufert ergo cor lapideum, duritiam cordis auferens: dat cor carneum, gratiam sanctæ credulitatis infundens. Sic emollitur cor quod fuerat durum, quo sanctæ fidei tribuatur exordium.

Ezech.36.6.

CAPVT XV.

Liberum verò humanæ mentis arbitrium, in primo homine rectum creatum est: non tamen sine adiutorio gratiæ: talis vtique gratiæ, qua posset si vellet, in eadem rectitudine permanere: & à qua posset si vellet, auersa voluntate discedere. Nunc autem in vnoquoque homine gratia præueniens operatur, vt libertas arbitrij corrigatur. Arbitrium autem hominis in quantum corrigitur, in tantum liberatur: in tantum autem captiuum ducitur, in quantum adhuc noxiæ seruitutis necessitatibus implicatur. Quæ necessitates non solùm filios sæculi mortaliter premunt, verùm etiam filios Dei frequenter affligunt. Ipsa est illa lex peccati, quæ illum militem strenuum, id est, Paulum Apostolum, condelectantem legi Dei secundùm interiorem hominem: illa in membris habitans, & legi mentis repugnans, quamuis sibi non posset in effectu subiicere, non tamen quiescebat in suggestionibus concupiscentiæ captiuare. Vnde idem Apostolus ait: *Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati quæ est in membris meis.* Nec siluit, solo se posse auxilio gratiæ liberari: ideò sequitur dicens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Habuit ergo in mente gratiæ fortitudinem: sed in carne infirmitatem sentiebat arbitrij, quam non habuit Adam priusquàm deprauaretur voluntaria præuaricatione mandati. Inde est quod Apostolus, non sub lege, sed iam sub gratia constitutus, licèt mente seruiret legi Dei, cogebatur tamen carne seruire legi peccati; quia illud illi in voluntate diuinitus datum erat, illud in eo necessitate remanserat. Illis quippe necessitatibus vrgebatur inuitus, à quibus eripi omnis sanctus & optat, & postulat, dicens Deo, *De necessitatibus meis eripe me.* Harum necessitatum in se Apostolus molestiam sentiens dicebat; *Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, hoc facio. Si autem quod odi malum, hoc ago, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.*

Rom.7.22.

Versu 24.

Psal.24 17.

Rom.7.19.

CAPVT XVI.

HÆ necessitates non desinunt in corpore mortis huius mortaliter viuentibus sanctis; quibus miserabiliter quidem concutiuntur, vt agnoscant se illam gratiam sanctæ libertatis & pacis primæ, in primo homine peccati merito perdidisse: nec eam posse nisi per gratiam Christi recipere, in illa dumtaxat vita, in qua nulla erit sanctis sollicitudo certaminis, sed perfecta securitas pacis: tunc vtique quando insultabitur morti, exstirpata de membris omni contentione peccati. Tunc veraciter in illa pace dicetur; *Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est*, in quod primi hominis præuaricatione cecidimus, & sine quo in hac vita non sumus. *Si enim dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Vigilandum est igitur in certamine, vt requiescatur in pace: cogitanda est liberi arbitrij semper infirmitas quam nobis primi hominis generauit iniquitas: & ad subrogandum virtutis auxilium suppliciter poscenda est diuina maiestas, vt laborantibus tribuat virtutem, & victores nos perducat ad pacem: vbi perfectam, & ab omni peccato plenissimè liberatam habeamus arbitrij libertatem: tunc quando omnis creatura quæ nunc renouatur in Christo, liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Cùm autem liberabitur, proculdubio & liberæ pacis & pacatæ libertatis munere perfruatur. Quòd si illa pax, illaque libertas tanta etiam nunc inesset homini, quantam habuit primus homo ante peccatum, non videret in membris suis aliam legem, quæ legi mentis suæ contumaciter repugnaret, & captiuum in legem peccati violenter abduceret. Liberum itaque humanæ mentis arbitrium, priusquàm primus homo peccaret, in tantum fuit verè liberum, in quantum in se nihil ex se sentiebat aduersum. Inerat ergo ei sanitas & felicitas: nec aliquam sibi sentiebat inesse miseriam, quia tenebat recta libertate iustitiam. Iustitiæ quippe liberaliter seruiebat, ideò de vera libertate gaudebat.

1.Cor.15.54.

1.Ioan.1.1.

CAPVT XVII.

PRimus vtique homo, quamdiu iustitiæ seruiuit, peccatum omnino non habuit. Nos autem quamuis liberati à peccato, serui autem facti Deo, tamen *si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* 1.Ioan.8.1.
Adam ante peccatum non habuit super se graue iugum, quod est super filios eius à die exitus de ventre matris eorum: vsque in diem sepulturæ in matrem omnium. In Adam ante peccatum nullam habuit caro concupiscentiam, quæ spiritui repugnaret: sic enim faciliter dominabatur corpori, sicut obsequebatur fideliter conditori. Anima illa subditum habuit corpus, quam purus Deo subiiciebat affectus: nunc autem in eo nos perfectè obedire Deo cognoscimus, in quo in nobis caro concupiscit aduersùs spiritum, & spiritus aduersùs carnem, vt non quæ volumus illa faciamus. Libertas ergo primi hominis maiorem habuit pacem; sed nunc libertas fidelium per gratiam maiorem accipit charitatem: illi fuit prorsùs quieta in pace iustitia, istis gloriosa datur in congressione victoria. Maior ergo nunc datur gratia, dum per fidem liberum reparatur arbitrium & cùm dono fidei atque charitatis infuso, arbitrij nostri Deus reparat libertatem, sic in nobis perficit in infirmitate virtutem. Sano enim primi hominis arbitrio subrepsit ruina per vitium: vt autem in hominibus sanetur arbitrium, maior gratia est donata post vitium. Ita factum est, vt vbi abundauit peccatum, superabundaret & gratia: ac per hoc arbitrium dono Dei reparatur: & si non tantam habet, quantam priùs habuit sanitatem & pacem, maiorem tamen accipit ex largitate virtutem, vt voluntas hominis quæ sola deceptoris suasione à Deo discesserat, nunc gratiæ subnixa præsidio, non solùm suasionibus, sed nec tormentis separetur à Christo. Ità Christus Deus mirabiliter ostendit quid humana virtus valeat, quid diuina; vt homo qui per propriam voluntatem victus est sanus, acceptâ maiore gratiâ non vincatur infirmus. Virtus itaque hominis quæ minorem habuit gratiam, sponte victa cecidit: &

infirmitas hominis maiore adiutorio gratiæ, victoriam recipit quam amisit. Potestas vtique bene vel malè operandi, potest inesse homini vtenti ratione; sed malè operandi potestas ex solo liberæ voluntatis habetur arbitrio. Potestas autem benè operandi tunc libero inest arbitrio, quando donatur à Deo. Hanc potestatem diuinitus dari, Ioannes Euangelista hoc sermone testatur: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: his qui credunt in nomine eius.* Ioan. 1. 12.

CAPVT XVIII.

QVæstionem verò de anima, quam penultimam vestris in litteris posuistis, ego in hac responsione vltimam posui, quam magis arbitror conflictum apud vos habere quàm terminum: in qua plus potest augeri contentio, quàm suffragari cognitio. Vtraque enim pars sic suis assertionibus nititur, vt contrariis nihilominùs obiectionibus reuincatur. Cuius quæstionis Beatus Augustinus profunditatem sibi imperscrutabilem cernens, nullam voluit huius rei definitam proferre sententiam; incongruum prorsus existimans, aliquid affirmare sine dubitatione velle, quod alter posset contraria responsione conuellere. Cuius tam in decimo libro de Genesi ad litteram, quàm in libris ad Vincentium Victorem de origine animæ, necnon in libro primo ex duobus quos ad Sanctum Hieronymum scripsit; in tribus quoque epistolis quas ad Optatum Episcopum de hac quæstione composuit, disputatione refulget non minùs copiosa quàm profunda; & eo magis laudabili, quia congrua temperie moderata. Vbi quicquid ingenij acumine, quicquid ratiocinationis ordine, quicquid auctoritatis pondere inquirendum, discutiendúmque conspexit; & inquisiuit singulariter, & discussit. Consensum tamen ab vtraque diffinitione continuit, nec laborem tantæ disputationis inaniter susciperet, quem cuiuslibet sententiæ temeraria diffinitio vacuaret. Videbat, eam partem quæ affirmat animam de anima sicut corpus de corpore propagari; & illam quæ asserit nouas singulis nascentibus animas fieri, contrariis posse responsionibus submoueri: quarum pro compendio responsiones singulas, series huius operis tenebit insertas.

CAPVT XIX.

ILli quippe qui nouas animas asserunt singulis fieri, cùm illis opponi cœperit, qua iustitia Dei anima quæ noua datur corpori, peccatum originale trahat, cùm de humani seminis propagatione non veniat, omnino deficiunt, duplici scilicet absurditate constricti: quia vel Deum pronunciare compelluntur iniustum, vel negare coguntur originale peccatum. Anima enim quæ non propagatur vt caro, non debet cum carne originalis peccati teneri consortio: ac per hoc inuenitur nec indigere Baptismatis Sacramento. Et si in paruulo qui sine Baptismate moritur, sola caro est peccati originalis contagione polluta: & anima non baptizati infantis sine iniquitate de hoc sæculo putatur exire: dicatur vbinam sit paruulus in resurrectione futurus: vtrùm in regno Dei, propter innocentiam; an in igne æterno, propter immunditiam carnis. Vbicumque futurus dicatur, aut mendax Deus, aut iniustus asseritur. Mendax est enim si non baptizatum introducit in regnum, cùm firmissimam præfixerit Saluator ipse sententiam, dicens; *Si quis non renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Ioan 3. 5. Iniustus est autem, si cum carne miserit animam in ignum æternum, quæ cum carne non habet commune peccatum. Sed manifestum est, omnem qui non fuerit aut in nomine Christi sanctificato latice, aut pro Christi nomine & eius Ecclesia proprio sanguine baptizatus, ignis æterni combustione damnandum. Qua ergo iustitia diuini iudicij, anima cum sua carne in ignem æternum mittetur, si peccati originalis crimine non tenetur? An fortè hanc absurditatem quisquam tentabit arripere, vt animam seorsùm dicat pro sua mundítia * in æternum futuram, carnem verò asserat in æterno igne, originalis merito iniquitatis arsuram? Sed veritas catholicæ fidei, quæ in cunctis hominibus resurrectionem carnis futuram certissimè credit & prædicat, destruit huius adinuentionis ineptissimam falsitatem. Caro enim si animam non recipiet, non resurget: & si non resurget, vtique nec viuet: quæ ergo sine anima non potest viuere, quomodò exanimis poterit illius ignis cruciamenta sentire? Necesse est itaque vt carnem negent resurrecturam, qui volunt animam non baptizati paruuli propter mũditiam collocare in regno. Quod etiam ipsi vident quemadmodum dicatur non solùm tam absurdè, quàm impiè. Magnæ quippe impietatis est, aut resurrecturam negare mortuam hominis carnem; aut animam dicere, absque carne in qua vixit, vel ærumnæ, vel felicitatis post iudicium fore participem: cùm Saluator noster futuram resurrectionem carnis ostendens dixerit; *Quia veniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius: & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* Ioan. 5. 28. Necesse est autem vt resurgente corpore, pro operibus suis sit retributio animæ carnisque communis: quia cùm caro resurrexit, nec corpus sine anima, nec anima sine corpore remanebit. Erit igitur communiter animæ & carni æterna vel exultatio, vel afflictio, quando indissolubilis manebit æterna carnis animæque connexio: quæ tamen non debent habere commune supplicium, si non habent commune peccatum; quia non conuenit iustitiæ Dei vt anima quæ nouo corpori datur, nec cum ipso corpore propagatur, cum quo communem non habet propaginem, reatum propagationis compellatur habere communem.

* Hic felicem, quid simi

CAPVT XX.

ILli verò qui asserunt animas cũ corporibus propagari, possunt quidem ex hoc ad ostendendum in paruulis iustum Dei iudicium, firmare non solius carnis, nec solius animæ, sed vtriusque commune originale peccatum; vt ex communione propaginis, peccati quoque reatus dignè credatur esse communis: sed in consideratione seminum quæ non concepta pereunt, penitùs obmutescant. Animam quippe humanam certum est, æternitatem ipso conditionis munere percepisse; quæ necesse est vt corpus in quo hîc quantulocumque tempore vixerit, in resurrectione recipiat. Quis ergo dicat animata semina profluxisse, siue illa quæ non concipiuntur, siue quæ nocturna illusione funduntur? quod omnis sapiens videt quàm sit absurdum, & à ratione omnimodis alienum. Dum ergo his atque huiusmodi propositionibus partes se inuicem vincunt, victrices esse non possunt; quia vnaquæque earum sic victrix efficitur de alieno, vt vincatur de suo; & cùm alienam propositionem destruxit, ipsa non valet astruere quod proponit: Quantò ergo meliùs ab huius quæstionis certamine temperamus, in qua nos inaniter laborare cognoscimus:

cimus: præsertim quia quod à sanctis viris maioribus nostris videmus minimè definitum, oportet nos tantò cautius atque temperantiùs quærere, quantò ad eius finem illos præclaros viros cernimus minimè peruenisse. Sit ergo nobis sine dubitatione compertum, quod catholica fides & credit & prædicat: animam scilicet humanam spiritum rationalem esse, non corpus: necesse Dei partem, sed Dei creaturam: nec pro quibuslibet peccatis ante corpus gestis, tanquam in carcerem missam in corpus: sed ex opere atque ordinatione Dei insertam esse corpori, ex qua corpus & viuat & sentiat: quam non dubitemus, cum carne in qua nascitur, originale peccatum trahere, & ob hoc beneficio sancti Baptismatis indigere.

CAPVT XXI.

His enim omissis quas suprà posuimus, catholicæ fidei veris manifestisque sententiis, in diuersos errores multi miserabiliter inciderunt. Tertullianus quippe animam non spiritum esse dicens sed corpus, vehementer errauit, eò vsque desipiens, vt etiam summum & verum Deum corpus esse diceret: cùm non solùm de Deo rerum omnium creatore legamus, quia *Deus spiritus est*, verùm etiam de Angelis quos Deus creauit, dicatur in Psalmo: *Qui facit Angelos suos spiritus.* Animam quoque humanam spiritum rationalem esse nemo sapiens dubitet: de quo spiritu Apostolus dicit: *Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Ideò & sanctus Euangelista rationalem animam, quam Christus cum carne suscepit, non corpus, sed spiritum esse docuit: nam ipse Saluator dixerat: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam*: quam sine dubio tunc posuit, cùm Euangelista dicit, quia *inclinato capite emisit spiritum.* Anima verò humana in eo rationalis ostenditur, in quo ad imaginem & similitudinem Dei facta narratur. Vnde diuinitus homines admonentur, ne fiant *sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Animam verò partem Dei esse, id est, vnius cum Deo esse naturæ, cæca Manichæorum sentit impietas, quæ Dei substantiam non solùm in corporibus hominum, pecorum, auium, atque piscium; verùm etiam in lignis & herbis, in arboribus & oleribus æstimant colligatam. Ignorant enim miseri, nec attendunt non hoc esse creaturam quod est creator; cùm Deus sit immutabilis, anima verò mutabilis: quæ modò scit, modò nescit; modò deficit, modò proficit; modò sapit, modò desipit; modò reminiscitur, modò obliuiscitur; modò odit quod modò dilexerat, modò diligit quod modò oderat; modò incidit in seductionis laqueum, modò etiam non seducta præbet tamen errori consensum. Quod Beatus Apostolus in Adam & eius muliere certissimè ostendit, dicens: *Adam enim non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit.* Mulier ergo seducta peccauit, cui vir non seductus voluntaria prauitate consensit. Impium est itaque credere, animam partem esse Dei: quæ ex eo quòd aliquando in deterius commutatur, non pars diuinæ naturæ, sed quædam pars diuinorum operum inuenitur: ex illis quippè operibus est quæ fecit Deus, singula quidem bona, simul autem omnia bona valde.

Ioan.4.24.
Psal.103.4.
1.Cor.2.11.
Ioan.10.18.
Ioan.19.30.
1.Tim.2.14.
Psalm.31.9.

CAPVT XXII.

Illud quoque fidei est omnino contrarium, animam antequàm fuisset in corpore, in quibuslibet locis cœlestibus aut terrenis aliquid deliquisse, & merito cuiusquam peccati in corpus meruisse detrudi; quod sensisse dicitur Origenes. Cui omnino Apostolus Paulus obsistit, dicens, nondum natos nihil egisse boni vel mali. Actus quippe nascentium nulli sunt proprij; cùm tamen antiquo primi hominis peccato nascamur obstricti. *Per vnum enim hominem in hunc mundum peccatum intrauit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Vnde naturaliter filij iræ facti sunt, seruique peccati: seruientes autem peccato, liberi facti sunt iustitiæ: vtpote qui in iniquitatibus concepti sunt, & quos in delictis matres suæ in vtero aluerunt. Ex hac originalis obligatione peccati, amissa est illa bona libertas arbitrij, quando malæ libertatis vitio, cœpit homo peccato voluntariè famulari. Ideò est omnibus hominibus, in omnibus ætatibus constitutis (id est, ab ipsa natiuitate de ventre matris, vsque ad finem decrepitæ senectutis) necessarius sanguis Christi, qui in remissionem fusus est peccatorum, & solus potest delere omne peccatum. *Vnus est enim mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus*; in cuius morte quisquis non fuerit ei in Baptismate consepultus, nec potiri regno, nec ignis æterni poterit carere supplicio. Veritas quippe ait, quia *si quis non fuerit renatus ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Quapropter de omnibus hominibus, pusillis & magnis, infantibus, pueris, adolescentibus, iuuenibus, senibus accipiendum est, quod ille Doctor gentium in fide & veritate veraciter dicit; (non enim est distinctio,) *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei: iustificati gratis per gratiam ipsius, quæ est in Christo Iesu: quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum.* Præcedens autem delictum cùm in infantibus quæritur, illud sine dubio primum primi hominis inuenitur, quod per primum hominem in hunc mundum intrauit, & in ipso auctore totam sibi progeniem originaliter vendicauit. Quæ propago indiget sanguine illius mediatoris redimi, qui verus in forma Dei permanens Deus, ita semetipsũ exinaniuit, formam serui accipiens, vt nec originalis, nec actualis maculam posset habere peccati.

Rom.9.11.
Rom.5.12.
1.Tit.2.5.
Ioan.3.5.
Rom.3.23.

CAPVT XXIII.

In ipso itaque nobis reddita est vera libertas, cui nulla potuit inesse vel originalis, vel actualis iniquitas. Inde est quod ipse dicit: *Ecce venit Princeps mundi, & in me non habet quicquam.* Ipse iustus & iustificans, liber & liberans: qui vtique iustificando liberat, & liberando iustificat. Liberat autem homines de potestate diaboli, liberat arbitrium hominis à seruitute peccati, vt sit arbitrium hominis verè liberum, quia salubriter liberatum; & ad hoc insit ei vera libertas, vt ei nulla dominetur iniquitas. Hanc se libertatem daturum esse per gratiam, ipse liberator noster hoc sermone testatur: *Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.* Et paulò post, *Si ergo vos filius liberauit, verè liberi eritis.* Filius ergo ab illa peccati seruitute liberat, vt arbitrium liberum Christi gratia liberatum, iustitiæ laudabiliter seruiat, quod peccato nequiter seruiebat. Ita fit vt non per arbitrium hominis, sed per gratiam liberatoris non regnet peccatum in mortali corpore, dum iustificamur ex fide: & per adiutorium gratiæ Deus in nobis operatur & velle & perficere pro bona voluntate


Ioan.14.30.
Ioan.8.34.
Vers.36.

luntate; ipse nobis bonam voluntatem donans, ipse facultatem boni operis subministrans, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum; sine quo nihil facere possumus, & in quo omnia possumus, in quantùm ab eo gratiam virtutis accepimus. Quod vtique recta confidentia Beatus præsumit Apostolus, dicens: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Er iterum: *In quo laboro certando secundùm operationem eius, quam operatur in me in virtute.*

Philip. 4. 13.

CAPVT XXIV.

HÆc omnia fideliter atque indubitanter tenentes, sine periculo sumus, etiamsi quemadmodum dentur animæ corporibus nesciamus. Sufficit autem scire, nos prima natiuitate pollutos, secunda natiuitate mundatos; prima natiuitate captiuos, secunda natiuitate liberos; prima natiuitate terrenos, secunda natiuitate cœlestes; primæ natiuitatis vitio carnales, secundæ natiuitatis beneficio spiritales; prima natiuitate filios iræ, secunda natiuitate filios gratiæ; prima natiuitate filios sæculi, secunda natiuitate filios Dei. Proinde etsi scire non possumus quemadmodum anima detur corporibus; illud rectè credendo & benè viuendo, illud instantissimè satagamus, vt in regno Dei & anima nostra lætetur & corpus. Illud ergo si scire non possumus, patienter ignoremus: regnum autem Dei ardenter atque instanter quæramus, vbi proculdubio etiam hoc Deus nobis reuelabit, quod non hîc nobis inaniter occultatur, nisi quia in hac vita forsitan non competit vt sciatur. Quòd si quisquam diuinitùs illuminatus, aut indiciis certissimæ rationis, aut testimoniis sanctæ auctoritatis valuerit vel agnoscere, vel docere, animas humanas aut nouas singulis corporibus dari, aut cum ipsis corporibus propagari; illud interim asserat, quod habet fides ecclesiastica manifestum, omnes scilicet homines ex ipso conceptu trahere originale peccatum, quod sit singulis nascentibus vnius mediatoris sanguine remittendum, vt impietatis nexus, qui prima natiuitate contrahitur, secunda natiuitate soluatur: & per filium Dei qui factus est ex muliere, factus sub lege, vt adoptionem filiorum reciperemus; ipsius adoptionis gratiam, quam vnusquisque perdiderat vitio hominis peccatoris, recipiat beneficio Redemptoris. Hoc indubitanter asserens, quicquid deinceps secundùm veritatem poterit de animarum origine demonstrare, rectè faciet non tacere. Tunc autem quæstio de anima rectè tractatur, si non dubitatur de originali peccato humani generis, & de beneficio sancti Baptismatis, quod captiuis donatum est per gratiam Saluatoris, qui dignatus est & totam sine peccato naturam nostri generis accipere, & omnem culpam nostri criminis abolere.



DIVI FVLGENTII
Ruspensis Episcopi,
Liber de Prædestinatione & Gratia.

CAPVT PRIMVM.

QVVM in sacris voluminibus litterarum, seu futurorum quid Prophetico spiritu pronunciantibus, seu præteritorum historica veritate narrantibus, seu vitæ monita Apostolica authoritate tradentibus, aliqua veluti diuersum sonante sententia vel mouetur lector, vel sollicitatur auditor, certa & inconcussa fide cognitum teneri debet, vnius atque eiusdem spiritus, & eius præter quem nullum nihil est veritatis, apertius alibi, paulo occúltius alibi sonare mysteria. Ac proinde si quid occulta significatione suspensum, aut à conscribente breuiter indicatum, minúsque quàm humani cordis obtusio poscebat, expositum est, hic lucidius apparere, ibi altius latere, nusquam deesse nouerit veritatem. Quòd si etiam pro magnitudine rei, de qua quæritur, non facilè intellectus sensibus quærentis occurrit, maximè si de incommutabili voluntate omnipotentis Dei, diuersum sonet canonicæ authoritatis vtraque sententia: ita illa omnia ad pietatis regulam dirigenda sunt, vt nec iniustum Deum esse, nec merita singulorum confusa quadam personarum acceptione taxantem, nec infirmum, vt quicquid voluerit, non valuerit explicare, inconcussa definitione teneatur.

CAPVT II.

SVb huius igitur definitionis iugo, ne in sacrilegam temeritatem male libera colla luxurient, quæstionis huius quantum Deo donante possumus, occulta memoremus. Quam B. Apostolus Paulus diuersis in locis, non parum discrepantibus verbis, studiosis proponit scrutatoribus, eisque per ipsam loquitur veritatem. Sententiam siquidem in Dei gratia præcedente, larissima & robustissima disputatione confectam ita concludens, ait: Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Quum in alia epistola de diuina beneuolentia, ipse sic dicat: Qui vult omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Occurrit enim, cur pereant ex his aliqui, quum omnipotens Deus omnes homines saluos fieri velit, & in agnitionem veritatis venire: deinde cur rursus induret alios, misertus aliorum, aut quo modo omnes saluos fieri velit homines, quum ipse nonnullos ne saluentur induret. Hoc quantum ad humanam iustitiam videtur iniustum. Sed quis ita desipiat, vel potius quis ita blasphemet, vt dicat de iustitia Dei, lege humanæ iustitiæ disputandum? quæ profectò si iustitiæ Dei aduersatur, iniusta est. Ab illo enim qui summè iustus est, omne quod qualitercumque iustum est, manere manifestum est. Quis ergo erit qui incommutabiliter manentem, & omnia quæ sunt

1. Tim. 2.

Rom. 9.

sunt condentem, regentem atque seruantem Dei sapientiam, pendeat humanæ sapientiæ arbitrio? De qua idem Apostolus dicit: Quia sapientia carnis inimica est Deo. Et alibi, Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. Non est ergo de illa maiestate diuinæ sapientiæ, humanæ vanitatis arbitrio disputandum.

1. Cor. 3.

CAPVT III.

SI quis autem peccata sua ita nutriendo, figura vel vmbra, vel typo superbiæ blandiente decipitur, vt dicat, quod nonnullos esse dicturos statim vidit beatus Paulus Apostolus. Subiunxit enim, Dicet aliquis: Si cuius vult miseretur, & quem vult indurat, quid adhuc quæritur? Voluntati enim eius quis resistit? Nouerit hac plus nos ad humilitatem, ac pietatem cogi atque arctari sententia. Quum enim totum ad Deum referens humanis viribus neget Doctor amplissimus, quid aliud quàm vt in Deum toto corde suspensi, ab eo salutis auxilia postulemus, hortatur? Quem ergo mouet hæc in diuinæ gratiæ dispensatione diuersitas, & iniustum putat negari alteri quod alter acceperit, intelligat quemadmodum diuinitus dixerit Psalmista, Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas: atque agnoscat tali Deum agitare res humanas iudicio, vt debitas pœnas aut iustè reddat, aut misericorditer donet. Vitiatæ enim radicis macula, ita propaginis traduce per generationum sarmenta diffusa est, vt nec infans quidem vnius diei à culpa sit primæ præuaricationis alienus, nisi per indebitam saluatoris gratiam fuerit liberatus. Quod si nec hic quidem sine peccato est, qui proprium habere non potuit, conficitur vt illud traxerit alienum, de quo Apostolus dicit: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ira in omnes pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Quod qui negat, negat profectò primum nos esse mortales. Si enim vt dicit Apostolus: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: mors intrare non potuit, nisi intrante peccato. Et quoniam mors non naturæ conditio, sed pœna peccati est, sequatur necesse est pœna peccatum. Quia verò in omnes homines mors pertransiit, in omnes necesse est pertransisse peccatum. Peccatum quo modo cum paruulis originale nascatur, carnis oculis videre non possumus. Quia verò omnes ex Adam carnaliter natos, & si illi iam etiam qui in Christo renati sunt, videmus mortis lege constringi, per hoc quod videmus semper paruulos mori, cogimur confiteri semper paruulos nasci cum peccato originali. Facilius enim fieri posset, vt quamuis transeunte peccato, pœna minime sequeretur, quàm vt nulla communicatione peccati partem sumat pœnæ, qui non habet culpæ. Si ergo, vt apparuit, de præuaricatoris semine omnes nascimur debitores, quoniam in ipso omnes, vt ait Apostolus, peccauerunt, & ipsa iam in principio vnde descendimus, massa damnata est, nullus de duritia sua, nullus de pœna sua conqueri audeat, quæ etiam non existentibus peccatis propriis, sola nascendi conditione debetur. Quòd vero Deus aliis gratuita vocatione conuersis, misericordiam largitur indebitam, non ad dispensationis iustitiam, sed ad donantis misericordissimam largitatem,* veritatis ratione referendum est. An audebit debitor creditorem iniquitatis arguere, si alteri donans, ab eo quod debebat, exegerit? Si ergo inter contractus hominum, nullus ex hoc præscriptionis locus est, vt à se dicat debitor iniustè exigi, quia scit alteri debitori ab eodem quod debebat creditore donatum, quis in tantam insaniam profanæ vocis erumpat, vt iniustitiæ Deum arguat, si vni indebitam donauerit gratiam, alteri reddiderit debitam pœnam.

Rom. 6.
Psalm. 24.
Iob 14. secundum 70.
Rom 5.
Rom. 5.
* aliàs libertatem.

CAPVT IV.

ITaque ex superiori huius parte sententiæ, quæ dicit, Cuius vult miseretur: puto quòd nullus nisi indignus misericordia audeat disputare. Quod verò sequitur, Quem vult indurat: ibi paululum humanæ mentis intentio verbi nouitate confunditur. Sed non ita intelligendum est, quasi Deus in homine ipsam quæ non esset, duritiam cordis operetur. Quid enim aliud est duritia, quàm Dei obuiare mandatis? Vnde illud beatus Stephanus dicebat ad populum: Dura ceruice, & non circunciso corde, & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis. Quam qui à Deo fieri putat, propter quod dictum est, quem vult indurat: ipsum præuaricationis intueatur exordium, & Deo donante mandatum, per quod transgressionis culpam in corde fuerit operatus attendat, quamuis ne ab ipso quidem si negarer assensum, potuit tentatore compelli. Ergo quicquid quoad illã præuaricationem natus supplicij homo patitur, iustè reddi, meritóque fateatur. Indurare enim Deus dicitur eum, quem mollire noluerit. Sic etiam excæcare dicitur eum, quem illuminare noluerit. Sic etiam repellere eum, quem vocare noluerit. Quos enim prædestinauit, illos & vocauit: & quos vocauit, illos iustificauit. Ipse enim dedit, vt simus; ipse, vt boni esse possimus.

Rom. 9.
Duritia cordis quid sit?
Actor. 7.
Quo sensu indurare, excæcare, repellere dicitur Deus.
Rom. 8.

CAPVT V.

PRæsciuit enim nos eius diuinitas, sapientia condidit, iustitia damnauit, gratia liberauit. Mundus enim quamuis pro tempore ex quo factus est cœperit, in illa diuinæ præscientiæ luce faciendus nullum potuit habere principium: & quanticunque vel ex Adam, vsque in hodiernum diem homines nati sunt, vel post nostram ætatem generationis sui propagine nascituri, apud Deum nati sunt iam, & decurso totius vitæ tempore transierunt, in illo nihilominus diuini obtutus lumine permanentes. Deus enim qui nec loco clauditur, nec tempore præuenitur, omnium rerum, tam præteritarum memoria, quam imminentium scientia plenus est: nec reminiscens voluitur in præteritum, nec sperans tenditur in futurum. Et quæcunque omnino sunt, quæ temporum moribus agitantur, ab eo principio in quo erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, vsque in finem omnium sæculorum. De quo fine cum diceret beatus Moyses: Domine, inquit, qui regnas in sæculum & sæculum, & adhuc nec sperantur futura, nec præterita transierunt, sed in præsentia diuinitatis præsenti semper luce cernuntur. Ab illo ergo quia æternus & præscius, quia & iustus & pius est, qui exercet debitam seueritatem, & exhibet indebitam pietatem, & habet in creandis, atque eligendis hominibus, sicut in luto figulus potestatem, facta sunt alia quidem vasa in honorem, alia verò in contumeliam. Antequam faceret nos, præsciuit nos, & in ipsa nos præscientia cum nondum fecisset, elegit. Sed à quo hoc fieri potuit, nisi ab eo, qui vocat omnia quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt? Apostolis enim dicit. Qui elegit nos ante mundi constitutionem. Intra mundum facti sunt, & ante mundum electi sumus: atque ita vno, eodémque, nec

Ioan. 1.
Exod. 15.
Rom. 4.
Ephes. 1.

nec transeunte, nec futuro, sed continuo tempore, vel si quo alio modo dici potest, si tamen apud Deum est, & præsciri, & facere, & eligere, & præscientia sua incommutabiliter permanente eligere, faciendos, quos facturus fuerat eligendos. Hæc quidem quantum ad fidei regulam, Deo illuminante prædicta sint.

CAPVT VI.

Rom.8. SEd iam video quid etiam hic calumniosa prauitas possit opponere. Sequitur enim, vt si eos, quos prædestinauit, illos & vocauit: & si eos quos vocauit, illos & iustificauit, qui nec prædestinati, nec vocati, ac per hoc nec iustificati sunt, ab omni culpa debeant esse innocentes, iniustéque ab eis pro vitæ prauitate transactæ, in illo agnitionis die sint
Rom.9. poscenda supplicia. Dicat istis Paulus Apostolus, Nunquid iniquitas apud Deum? Statim ipse respondeat: Absit. Cúmque hoc fuerit in hominis mente sana pietate fundatum, quod nulla sit iniquitas apud Deum, ita intelligat: Cuius vult miseretur, & quem vult indurat, quasi diceret, cuius vult miseretur, & cuius non vult, non miseretur. Itémque hoc ipsum rursus intelligat, quasi diceretur, cui vult donat, & à quo vult debitum poscit. Quod qui dicere perseuerat iniustum, ab Apostolo audiat: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Congruè siquidem huiusmodi impietatem Apostolica reprehendit authoritas, tantum de exaggeratione nominum pondus in-
Ibid. cutiens, cum dicit: O homo, tu quis es qui respondeas Deo? O homo Deo, lutum figulo. Subiunxit enim idem Apostolus: Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare sic me fecisti? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Si ergo habet, imò quia habet potestatem figulus luti facere ex eadem massa, aliud quidem in honorem, aliud verò in contumeliam, ô homo, tu quis es, qui respondeas Deo, quia cuius vult miseretur, & quem vult indurat? Sed priusquam ad huiusmodi conclusionem beatus Apostolus disputationis ordine perueniret, hoc potissimum de veteribus litteris sumpsit exemplum, in quo indura-
Exod.9. tionem quæ à Deo fieri dicitur, edoceret. Dicit, inquit scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum exci-
Exod.4. taui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra. Indurasse autem cor eius, Deus in eadem scriptura apertissimè dicitur, cum Moysi de signis quæ in Ægyptios per eum facienda fuerant loqueretur. Sic enim dicit: Ego autem indurabo cor Pharaonis ne dimittat populum. Hinc iam per aperta se iactans calumniator astutus, iustitiam Dei ad suum libret arbitrium, & quanta potest vociferatione respondeat: Si cuius vult miseretur, & quem vult indurat, quid adhuc quæritur? Voluntati enim eius quis resistit? Huius elationi Apostolus dicat: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Qui autem piè quærens aliquid desiderat inuenire, illum locum eiusdem scripturæ relegat, vbi primo Moysi in rubo ignis apparuit, atque ita cor eius ardore diuinæ charitatis igniuit, vt
Psal.118. in conspectu regum, sicut Dauid dicit, testimonia eius sine confusione loqueretur; & ibi inueniet totum hoc, quod indurasse Deus cor Pharaonis præ-
Exod.3. mittit, non ad operationem Dei, sed ad præscientiam pertinere. Loquens enim Dominus de rubo, sic dicit:
Exod.4. Ego autem scio quod non dimittet vos Pharao Rex Ægypti, nisi per manum magnam. Sed extendens manum meam, percutiam Ægyptios in omnibus mirabilibus quæ faciam, & postea dimittet vos Pharao Rex Ægypti. Hæc prima vox Dei est, qua futuram voluntatem Pharaonis, sicut præuiderat, indicat. Postea iam inter ipsos miraculorum imbres dixisse legitur. Ego autem indurabo cor Pharaonis, ne dimittat populum: Vbi iam apertè intelligitur primam iterasse sententiam. Quid est enim, indurabo cor, nisi non molliam? Apparet enim in alios manente iustitia, in alios gratia profluente, scripturæ illius sententiam fuisse completam: quia dixit Deus Pharaoni: In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra. Vtente enim Deo bene etiam malis, induratione Pharaonis, flagellis Ægypti, & tot, ac tantis in illa gente miraculis pariter aceruatímque peractis, quid aliud gestum est, quàm vt Dei virtus apud se magna, in se plena, ad humani generis notitiam perueniret, non Deo, sed ipsis relegentibus, & credentibus profutura? Pharaonem non esse mutandum, & illam omnem gentem, quæ post tot verbera, vix sibi erutum populum Dei armis etiam insectari conabatur, & bello, alta illa Deus prouidentiæ suæ luce præsciuit. Sed periturorum interitum prædestinatis à se vasis misericordiæ, salutis voluit esse argumentum, & aliorum perditione ad salutem vsus est aliorum, quia potestatem habet Rom.9.
figulus luti ex eadem massa, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam facere.

CAPVT VII.

HOc etiam diuinæ potestatis, in hominum electione iudicium, paulò ante commemorans B. Apostolus robustissimis monstrauit exemplis, cum de Rebeccæ partu adhuc intra vterum constituto, totum ad gratiam Dei referens loqueretur. Sic enim Rom.9.
ait. Sed & Rebecca ex vno concubitu habens Isaac patris nostri, cum nondum nati fuissent, nec aliquid boni egissent, nec mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori: sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esaü autem odio habui: Malac.1.
Statimque subiecit. Quid dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? Negánsque respondit? Absit. Vt iam cætera quæ sequuntur, ad hanc sententiam suspensa referantur, & relata soluantur, qua negauit apud Deum esse iniquitatem. Sed hic quid egerit, hæc Apostolicæ disputationis intentio satis admodum claret. Non solùm enim fratres, sed & geminos, nec solum geminos, sed vno etiam concubitu fusos in vtero comparauit, vt quoniam in nondum natis nondúmque aliquid operatis, nulla esse poterant momenta meritorum, nec ex parentum quidem meritis, quæ diuerso tempore varia esse poterunt, aliquod contra gratiam relinqueretur obstaculum. Quæ vtique parentum merita, etiamsi permittamus diuinum paruulis, vel auertisse, vel conciliasse præsidium, seu bona, seu mala circa geminam prolem, quæ eodem concepta concubitu, eodémque in lucem proiecta momento est, paria esse debuerunt. Quòd si futuros eorum mores dicitur diuinum discreuisse iudicium, profectò illud euacuabitur, quod præmisit Apostolus dicens: Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori. Rom.9.
Non enim ait ex præteritis operibus, sed cum generaliter dixerit. Non ex operibus, ibi & præterita intelligi voluit, & futura: præterita scilicet quæ nulla erant; futura quæ nondum erant. Prædestinatus est Iacob vas in honorem, quia non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Maior seruiet minori.

CAPVT

CAPVT VIII.

ET ne fortè vasa in honorem prædestinata, suis aliquid viribus tribuendo, negarent gratiam creatoris, alio eos loco Apostolus vasa misericordiæ nominauit, vt totum quicquid esset secundum misericordiam se esse cognoscerent. Sic enim & alibi dicit idem Apostolus. Et hoc non ex vobis, sed Dei donum est. Beatus etiam Moyses in Deuteronomio dicit ad populum. Et ne dicas in corde tuo: Fortitudo mea, & potentia manus meæ fecit mihi virtutem magnam hanc, sed memoraberis Domini Dei tui, quia ipse tibi dat fortitudinem facere virtutem, vt statuat testamentum suum, quod iurauit patribus vestris. Item paulò post ibidem ad eos: Ne dicas, inquit, in corde tuo, cum consumpserit Dominus Deus tuus gentes istas ante faciem tuam, dicens: Propter iustitias meas induxit me Dominus hæreditare terram bonam istam. Non propter iustitiam tuam, neque propter sanctitatem cordis tui intras hæreditare terram eorum, sed propter iniquitatem gentium istarum, Dominus disperdet eas à facie tua. Ecce quàm antiquum Spiritus sancti dogma, non solùm in Apostolicis literis prædicatum, sed etiam in Propheticis, atque in ipsis Israëlitici populi exordiis, sancti Spiritus voce firmatum, nouellæ præsumptionis impetus conatur euertere. Clarè siquidem in vno atque eodem scripturæ loco, bonitatem, & seueritatem Dei Propheta beatus ostendit, dicens: Non propter iustitias populi hæreditatem terræ illius reddi, sed gratia tantum miserantis donari, illos autem propter iniustitias suas pelli. Ecce in illis iustè punitur iniquitas, in istis gratis nulla iustitia muneratur. Nec sufficit beato Moysi quod dixerat, non propter merita ipsorum, hæreditatem terræ Israëlitico populo fuisse concessam, nisi etiam adderet quod adiunxit, vnde eos omni bono monstraret indignos. Sequitur enim post illud quod supra memorauimus: Et scies hodie, quia non propter iustitias tuas Dominus Deus tuus dat tibi terram istam bonam hæreditare, quoniam populus duræ ceruicis es tu. Quis hic secundum debitũ præcedentium meritorum mercedem redditam dicat? Quis non gratiam fateatur indebitam? Quoties ait Propheta: Tentauerunt eum in deserto? Quoties iracundiam Dei cordis auersione metuerũt, & saluauit eos propter misericordiam suam, vt notam faceret potentiam suam? Hoc iterum Apostolus dicit: Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias suas in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.

Marg.: Ephes. 2. Deut. 8. Deut. 9. Deut. 9. Psal. 94. Psalm. 105. Rom. 9.

CAPVT IX.

NE verò rursus homo in vltimam fæcem desidiæ resolutus, arduum virtutis iter, & quamuis adiuuante gratia Dei, non nisi labore gradiendum inerti sibi crederet posse deferri, & nullius laboris industriam studio sui profectus adhiberet, ita inter se, atque hominem Deus tempora officiáque distribuens ordinauit, vt vocatione ipsius bonorum principia sumeremus, vocati autem, atque illuminati, vias mandatorum eius boni ingenij intelligentia nosceremus, & eas libero, vel eligeremus, vel relinqueremus arbitrio. Quas tamen si ipsius fulti adiutorio, continua deuotione sequeremur, in fine rursus non repugnantem mandatis suis, subiectam in nobis obedientiam coronaret. Liberum verò quod ab eo habemus arbitrium, prono ad nequitiam lapsu fluit, & cùm ad virtutis indolem Dei auxilio deserente, nihil possit, ad genus omne peccati idonea fultum virtute subsistit: trahit enim lex in membris nata peccati, & Deus à leni iugo mandatorum suorum, leuique sarcina recedentes: atque in peccati durissimam seruitutem, libero à iustitia voluntatis arbitrio defluentes, secundum suam iustitiam derelinquet: Eos verò qui vocationis munus congrua pietate susceperint, qui carnalibus non subiugantur illecebris, qui iactantiæ vitio auaritiæ facibus, vento superbiæ caruerunt, & quantum in homine est, Dei in se bona seruantes ad spiritalia exercitia omne studium contulerunt, & in agone huius vitæ certantes adiuuat, & coronas vincentibus largitur æternas: ipse rursus delinquentes deserit, resistentes indurat, contemnentes condemnat.

Marg.: Liberum arbitrium ad peccandum sibi sufficit.

CAPVT X.

DE horum graduum distributione, quam vel in nobis Deus operatur, vel nos iubet aliquid operari, ipsum interrogemus, de cuius verbis orta est quæstio, quam si Dominus adsit, enodare conamur, vt eius sensibus per diuersa volumina, varia quidem locutione, sed vna atque eadem intentione digestis, si quid in hoc loco latet, alterius sententiæ collatione reseretur. Vocatum à Deo Apostolum Paulum, vel in eo libro legimus, vbi eius gesta cum omni veritate narrantur, vel ipse in epistola sua confitetur, dicens: Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus. Secundo autem loco vocationem secutus, & totum quod in homine fuerat operatus, ipse sic dicit: Plus omnibus illis laboraui. Sed ne hoc ipsum quidem sibi tribuens, solicita pietate subiunxit: Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Iam ergo & vocato & vocationem per opera iustitiæ subsecuto, quid supererat aliud, nisi vt liberatus de corpore mortis huius, ad illius alterius vitæ, quæ sanctis omnibus veritatis ore promissa est, beatitudinem perueniret? Quod nullis humanis meritis reddi, sed Dei donantis gratia largienti donari, sibi ipse respondet post gemitus, quibus dixerat: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore huius mortis? Gratia Dei, inquit, per Iesum Christum Dominum nostrum. Hanc itaque distributionem, qua diximus à Deo homines nullis existentibus meritis vocari, & vocatos, vt boni aliquid operentur, Dei adminiculis indigere, sumpto de veteribus literis Apostolus monstrat exemplo, postquam illam de duobus geminis electionem omni repulsa laude meritorum, ad Dei gratiam, iudiciúmque contulerat, videns quod impia posset blasphemare garrulitas, dixit: Nunquid iniquitas est apud Deum? Et sequitur, Absit. Et quasi diceretur ei, vnde probas? Parum putauit auctoritatem suæ valere doctrinæ, nisi sententiam suam etiam legis doceret exemplo. Sic enim intelligi voluit, quod Moyses dixerat: Miserebor cuius miserebor, & misericordiam præstabo, cuius misericors fuero, vt primam misericordiam vocatione credamus hominibus prærogari, quæ sola ad rectè viuendum non sufficit, sed deserat qui vocauit. Ideóque additum: Et misericordiam præstabo, cui misericors fuero: vt à Deo accipi manifestum sit, & ipsa misericordiæ opera, quæ cum videmur impendere, Dei misericordiam promeremur. Sic enim in Euangelio dicit, Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus. Quod nisi sic intellexisset Apostolus, nunquam pro bonis gratiæ disputationi suæ hoc testimonium curasset inserere.

Marg.: Rom. 1. 1. Cor. 15. Rom. 7. Exod. 33. Matth. 5.

CAPVT XI.

SI quem verò mouet, quod non omnes,etiam de
his qui iam vocati sunt ad secundam gratiam,id
est ad rectè viuendi donum peruenire mereantur,
Matth. 20. sicut Dominus in Euangelio dicit : Multi sunt vo-
cati, pauci verò electi : Hinc intelligat, quale sit
quod contra Dei gratiam defensare molitur, qui de
libero sibi blanditur arbitrio. Quicunque enim di-
uinæ vocationis munere derelicto, ad impiam rur-
sus flexere perfidiam, ipsis Dei gratiam deserenti-
bus, ad implendum quod voluerant sufficit arbi-
trium. Vidit enim quemadmodum Psalmista,miseri-
cordiarum Dei ordinem quem ex Moysi sensu in-
Psalm. 80. terpretatur Apostolus, Prophetici spiritus veritate
decantet. Audi,inquit,popule meus, & testificabor
tibi. Quid eos volebat audire,quod cum testificatio-
ne loquebatur? Quid vtique, nisi mandata vitæ?
Sicut alius Propheta dicit : Audi Israël mandata
vitæ. Sed quæ sint ista mandata vitæ, Psalmista sub-
Ibidem. iungit, & sequitur. Ego enim sum Dominus Deus
tuus,qui eduxi te de terra Ægypti. Et hæc esse man-
data vitæ,in oratione qua discipulos suos patri Do-
minus commendabat, ostendit, dicens : Hæc est
enim vita æterna, vt cognoscant te solum verum
Ioan. 17. Deum, & quem misisti Iesum Christum. Post hanc
vocationem illud sequitur,quod & vult ad conatus
hominum pertinere, & ostendit sine se non posse
Philip. 2. compleri, hoc est enim quod dicit Apostolus:Quo-
niam ab ipso habemus velle & perficere pro bona
voluntate. Ab ipso enim habemus velle, quia vo-
cat & illuminat: ab ipso perficere,quoniam ad nos
pertinet conari bona,quæ & velle donauit. Nec in-
cautè ab Apostolo cum dixisset : Quia ab ipso ha-
bemus & velle & perficere; additum est, pro bona
voluntate : vt etiam atque etiam videant, vbi ha-
beant à Dei iustitia liberum de quo gloriantur ar-
bitrium. Sed illum ordinem quo misericordias di-
uersas Dominus temporum dispensatione distri-
buit,sicut Moysen dixisse sensit Apostolus,etiam in
continuata Psalmi huius oratione videamus. Quid
enim ait, postquam vocatos docuerat,dicens : Ego
enim sum Dominus Deus tuus,qui eduxi te de terra
Ægypti? Dilata,inquit,os tuum,& ego adimplebo
illud. Hic aliquid rursus appatet homini fuisse ser-
uatum, quod per liberum facere debeat arbitrium.
Dilatare enim iubetur os suum,sed Deus se implere
promittit. Sicut etiam discipulis suis in Euangelio
Matth. 10. dixerat : Nolite cogitare, quo modo, aut quid lo-
quamini:non enim vos estis qui loquimini, sed spi-
ritus patris vestri,qui loquitur in vobis. Hoc solum
ad illos retulit, vt omnem tribulationis necessita-
tem libenter pro veritate susciperent, penes se au-
tem promisit effectum. Libero ergo qui locus serua-
tur arbitrio, vt sine Dei adiutorio ad exemplum
quid voluerit rationali dignitate suffulta, sibiipsi
si non sufficiat humana natura,continuo Psalmista
Psalm. 80. ostendit. Et non audiuit populus meus vocem
meam. Et Israël non intendit mihi. Qui dixerat
cum vocaret : Audi popule meus,& loquar Israël,&
testificabor tibi. Quid testificans commendauerat
mentibus audientium? Dominus Deus tuus ego
sum. Quid etiam ab ipsis fieri iusserat, quos de ter-
ra Ægypti & ignorantiæ tenebris liberatos,in luce
mandatorum suorum splendore vocationis eduxe-
rat? Dilata,inquit,os tuum. Statimque quasi dice-
ret,si dilatare te deserente me volueris, nihil prode-
rit,ita addidit, & implebo illud. Quid ergo qui vo-
cauerat,& vocatos docuerat, querula de eisdem vo-
ce subiungit : Et non audiuit,inquit,populus meus
vocem meam, & Israël non intendit mihi? Exeat
nunc liberi contra Deum defensor arbitrij, audiat
dicentem Apostolum, cum de bonis suis laboribus 1. Cor. 15.
loqueretur : Non ego autem, sed gratia Dei me-
cum. Audiat Dei vocem in Psalmo, de his quos de- Psalm. 80.
seruerat dicentem : Et dimisi eos secundum deside-
ria cordis eorum,ibunt in voluntatibus suis. Audiat
vnum, eundémque Apostolum de vitæ suæ variis
temporibus sibi tantum mala, gratiæ autem Dei
bona omnia tribuentem. Qui prius fui blasphe-
mus, inquit, & persecutor. Et alio loco : Gratiâ
Dei sum id quod sum. Cum diceret : Qui prius fui 1. Tim. 1.
blasphemus & persecutor,nulla gratiæ mentio ini- 1. Cor. 12.
quo operi copulabatur: quia sufficit sibi, sicut di-
ctum est, ad nequitiam natura libertatis humanæ.
Cum verò de præsentis vitæ beatitudine loquere-
tur : Gratia, inquit, Dei sum id quod sum. Et illum
ordinem quo miseretur Deus vocando, miseretur
deinceps in cœptis conatibus adiuuando : sicut se-
rie Psalmi narratum atque digestum est, beatus
etiam Apostolus Paulus continua narratione ser-
uauit. Sic enim in ordine quem posuit,excerpta te-
stimonia relegantur,ita loquitur. Gratia Dei,inquit,
sum id quod sum. Hæc est prima misericordia,quam
liberæ voluntatis opera consequuntur. Sed vt Apo-
stoli Pauli vocationem bona opera sequerentur,
quid ait : Et gratia eius in me vacua non fuit. Quid
enim fecisti? Plus, inquit, omnibus laboraui. Ne
multùm superbias,ò liberi defensor arbitrij,audiens
Paulum de suis laboribus gloriantem, attende quod
sequitur. Non ego autem, sed gratia Dei mecum.
Puto sanè quod nullus de his qui contra Dei gra-
tiam exaltato ante ruinam, sicut scriptum est, corde
blasphemant, tantum arrogantiæ impudentis assu-
met, vt beati Prophetæ Dauid meritis, aut æquan-
dum se,aut etiam existimet præferendum. Cuius,vt
de illa prima remuneratione quam nullus non fa-
teatur vt indebitam, delati scilicet regni,interim ta-
ceam,orationum & confessionum eius intentiones
affectúsque pensemus. Ipse siquidem definit in Psal- Psalm. 9.
mo : Beatus homo quem tu erudieris Domine,& de
lege tua docueris eum. Sed videamus vtrum ipsi iam
erudito, & omni legis scientia secundum instru-
ctionem Iudaïcam sufficienter instructo, ad beati-
tudinem res hæc sola suffecerit. Cur ergo rursus
idem clamauit ad Dominum: Da mihi intellectum, Psalm. 118.
& scrutabor legem tuam, & custodiam illam in to-
to corde meo? Parum erat quod ad scrutandam le-
gem poposcerat intellectum, nisi etiam ad custo-
diendam necessarium significaret auxilium, dicens:
Et custodiam illam in toto corde meo, quasi dice-
ret : Tunc custodiam illam in toto corde meo,si tu
dederis intellectum.

CAPVT XII.

ADhuc superbus ille propriæ voluntatis defen-
sor ad ista respondeat, quòd Propheta ad in-
telligendum tantùm mandata diuina, quæ tamen
propria virtute impleturus fuerat, opem diuini po-
stulauerit auxilij. Quæ si ita sunt,à te paululum li-
bet beate Dauid, sensuum tuorum occulta perqui-
rere. Vnde ergo, rogo te,pugna carnis & spiritus?
Vnde Apostolicum sicut ipse fateris certamen? Etiam
vtique illuminatus atque eruditus intelligentiæ
munere,quam diuinitus postulaueras, clamas & di-
cis : Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.
Nam intellectu certè discernendæ vanitatis à verita- Psalm. 118.
te,sicut poscebas accepto,cur oculos tuos à vanita-
te quæ displicet, non auertis? Si auaritiam repre-
hendis, cur non ab eo proprio separatus arbitrio
cor tuum ad mandata salutis inclinas, sed tanquam
infirmus

infirmus in omnibus clamas ad Deum, Inclina cor meum in testimonia tua, & nõ in auaritiam, nisi quia suggerit auaritiam in membris nata lex peccati? Et
Galat.5. Rom.7. adhuc vult oculos suos, nec per se potest vir sanctus auertere: ac sic caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: ex qua lite non liberat, nisi gratia, quæ per Dominum nostrum Iesum Christum
Philip.2. paruis magnisque donatur. Velle enim adiacet, perficere autem non inuenio: quamuis & ipsum velle non ex nobis, sed Dei donum est, quoniam ab ipso habemus & velle & perficere, pro bona voluntate. Beatus ergo es, quoniam cum Apostolis Christi, & doctrinæ & pugnæ æqualitate concordas: quia & in scriptis tuis Apostolorum bella cognoscimus, & tua certamina in Apostolicis litteris inuenimus.

CAPVT XIII.

VNde ista in vno, eodémque homine, qui ex anima & corpore constat, rerum, voluntatúmque diuersitas, nisi quia iusta Dei iudicia contemnens, homo Deum, creatura creatorem, infirmus summum intra semetipsum inobedientiæ pœnas & contumaciam inferioris inuenit? Qua enim iustitia, quamuis meliori deterior, creaturæ tamen creatura seruiret, si ipsi qualiscunque creatura seruire noluit creatori? Sed ne hoc quidem sufficit ad pœnam, vt pars illa deterior melioribus repugnaret cordis affectibus, nisi etiam plerunque superaret, in captiuitatem duceret, possideret, non solùm vel natos in Adam homines, sed lex ipsa peccati ad motus sui ministerium vindicaret, nisi etiam renatos in Christo, manente suggestione pulsaret: quia reuera per id regenerationis munus reatus dimissus est; non soluta conditio gratiæ est, veterum delens chirographa debitorum; non à passione carnali iam separans adhuc hominem in carne viuentem, vt omnis homo futuro tempore diuinum per singulos imploret auxilium. Et quoniam lex non tam auferre potuit, quàm monstrare peccatum, quod peccatum in se nascentes passim sibi homines vindicabat, & concupiscentiæ consensione possessos, in æternum mergebat interitum: Dominus no-
Philip.2. ster Iesus Christus filius Dei, verbum patris, æquale & coæternum patri, semetipsum exinauiuit, formam serui accipiens, & cùm peccatum ipse non esset, factus assumpta carne peccatum, vt à peccato carnis homine sanato, peccatum damnaret in carne:
Luc.19. venit quærere quod perierat, sanare quod ægrotabat, erigere quod iacebat, potestatem habens dimittendi peccata, quod non debebat donare, quod ei debebatur dimittere, deletisque omnibus veteris culpæ maculis, quam fecerat reparare naturam. De his quibus pœnam seueritas iusta decreuerat, secundum ineffabilem dispositionis occultæ misericordiam, elegit vasa quæ faceret in honorem, & alios à ventura ira dono gratuitæ vocationis absoluit: alios delinquentes ad æqualitatis iudicium reseruauit, nulli tamen agnoscendæ veritatis abstulit facultatem: & ita plenitudo diuinæ præscientiæ in alios manante iustitia, in alios gratia profluente completa est: vt pereuntibus quos præscierat Deus esse perituros, & saluatis quos in illa secreta electione præscierat esse saluandos, toto orbe diffusa multiplicaretur Ecclesia.

CAPVT XIV.

GRatulare igitur, ô quicunque illuminatus es, & gratiam quam non merebaris agnosce: geme quicunque induratus es, & iustitiam confitere. Dic quicunque ab originali contagio, lauacro gratiæ te gratularis ablutum: Misericors & miserator Dominus, patiens & multæ misericordiæ. Psal.144.
Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Dic quicunque damnaris, Iustus es Domine in omnibus quæ fecisti nobis, & omnia iudicia tua vera: Psal.102.
quia in veritate & iudicio superinduxisti omnia hæc, propter peccata nostra: & noli iniustitiæ Dei culpam tuæ induratationis ascribere: quia omnes viæ Domini misericordia & veritas, vt nec hi qui Psalm.24.
misericordiam fuerint consecuti à Deo, iudicio veritatis de meritis suis aliquid glorientur: nec hi qui indurati atque damnati sunt, excusationem culpæ ex hoc habere posse se credant, quòd nullam qua conuerterentur, sint misericordiam consecuti. Hanc ergo Pharao misericordiam non accepit, & ideò ei ad pereundum liberum sufficit arbitrium, quem quidem nullus ita ignarus diuinarum scripturarum erit, qui audeat dicere illa omnia iniustè esse perpessum. An fortè si piè de Deo sicut expedit sentiamus, etiam Pharaoni datam misericordiam reperimus? Patientia enim Dei valere ei debuit ad salutem, qua differens iustum meritúm que supplicium, miraculorum verbera crebra densabat. Nunquid non potuit, sicut flagellis cædens expulit populum, ita miraculis credens, Deum tantæ virtutis agnoscere? Si dicitur iam, Pharaonem non potuisse mutari, quia eum præsciuerat Deus non esse mutandum. Respondetur, Dei præscientiam non cogere hominem vt talis sit, qualem præsciuit Deus: sed præscire talem futurum, qualis futurus est, quamuis eum non sic fecerit Deus. Quem si cogeret esse, hoc vtique cogeret quod non est. Porrò si hoc præscierat futurum esse quod non est, præscientia non est. Quod de Deo quàm impiè dicatur, aduertit quisque qui peccatis suis inde blanditur, quòd Deus eum peccatorem futurum esse præscierit.

CAPVT XV.

EXistere nihilominus fortasse aliquem reor, qui dicat, minus idoneam ad salutem viam, si nulla intrinsecus vocatione pulsatus, tamen quispiam flagelletur. Vnde Nabuchodonosor pœni- Dan.14.
tentiam meruit fructuosam? Nonne post innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnum quod perdiderat, rursus accepit? Pharao autem ipsis flagellis est durior effectus, & periit. Hic Exod.14.
mihi rationem reddat, qui diuinum consilium nimium altum sapienti corde diiudicat, cur medicamentum vnius medici confectum, alij ad interitum, alij valuerit ad salutem, nisi quia Chri- 1.Cor.2.
sti bonus odor, aliis est odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem? Quantum ad naturam, ambo homines erant: quantum ad dignitatem, ambo reges: quantum ad causam, ambo captiuum populum Dei possidentes: quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diuersos, nisi quod vnus manum Dei sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: alter libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnauit arbitrio? Hic quicunque respondet, illi vt mutaretur affuisse diuinum, huic vt induraretur defuisse præsidium; & hoc contendit iniustum, propter quod rerum ipsarum fines in Dei voluntate constituens, dixit Apostolus, cuius vult miseretur, & quem vult in- Rom.9.
durat: dicente Domino, Sine me nihil potestis fa- Ioan.15.
cere: intelligat illa omnia, vel adiuuante Domino

perfici, vel deferente permitti, vt nouerit tamen, nolente Domino nihil prorsus admitti.

CAPVT XVI.

SEd reditur ad paruulos, reditur ad geminos, parum est quod dixi, reditur ad necdum natos, qui & eodem concubitu seminati, & eodem momento in lucem fuerant proferendi. Eis discrepans diuersúmque iudicium diuinæ voluntatis apparens, sensus hominum de voluntate Dei superbe nimium disputantes, magnitudo quæstionis obturbat. Exalta iam viribus vocem tuam, ô iniuste accusator iusti, & dic mihi, quid ille mali commisit, quid boni ille meruit? Et respondet tibi, non ego, Rom.9. sed Paulus Apostolus, nihil quidem ambo meruerunt: sed habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam. Dicturus es, quare? Quæ est iudicij huius tam confusa diuersitas? Rursus hanc præsumptionem ille confutet & dicat: O homo tu quis es, qui respondeas Deo, maxime, quia ad illam humanorum actuum comparationem rursus intentio conuersa respondet, iniustitiæ non posse argui creditorem, qui duobus debitoribus tale voluerit habere iudicium, vt vni donet, ab alio exigat, quod ab vtrisque debetur. Et certè in omnibus humanæ conuersationis actibus, atque contractibus ad discernendum aliquid, ad diiudicandum hanc, qua videmur aliquam probare iustitiam, ex ineffabili diuinæ iustitiæ plenitudine in humilitatis nostræ corda manare, manifestum Ioan.1. est, beato Ioanne hoc in Euangelio suo confirmante, Quoniam omnes de plenitudine eius accepimus. Quod si ita est, qua tandem impudentia homo de Deo, lutum de figulo iudicabit, non solum dicens, quid me fecisti sic: sed etiam de aliis damnabili curiositate perscrutans & dicens, quare de eadem massa fecisti, alium quidem sic, alium verò sic? Si humanum genus quod creatum primitus constat ex nihilo, non cum debita mortis & peccati origine nasceretur, & tamen ex eis creator omnipotens in æternum nonnullos damnare vellet interitum: quis omnipotenti creatori diceret, quare fecisti sic? Qui enim cùm non essent, esse donauerat, quo fine essent habuit potestatem: nec dicerent cæteri, cur paribus omnium meritis diuinum discreparet arbitrium: quia potestatem habet figulus luti ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam. Nunc autem cùm damnatis pœna iusta reddatur, saluatis autem gratia donetur indebita: quis vsque adeo humanæ conditionis oblitus, diuini sensus arcana discutiat, vt cum ipse pœnam merito fuerit consequutus, quærat cur alius gratiam, quæ non debebatur ei, acceperit? Hanc itaque diuinam electionem, non meritis reddi, sed sola voluntatis munificentia donari hominibus, Moyses cum iam tunc, quamuis carnalem populum doceret, ostendit. Sic enim euidenter in Deuteronomio dicit ad populum, Ecce Domini Dei tui cœlum est, & cœlum Deut.10. cœli, terra & omnia quæ sunt in ea: Veruntamen patres vestros elegit Dominus diligere eos, & semen eorum, elegit post ipsos vos præ omnibus gentibus. Et adiecit, Circumcidimini ergo à duritia cordis vestri, & ceruicem vestram ne induretis amplius. Sed hanc in eis mansisse duritiam cordis, sicut supra iam diximus, beatus Stephanus cum Iudæos increparet, ostendit: in Actibus enim Act.7. Apostolorum, sicut ipse dicit, Dura ceruice & incircumcisi corde & auribus, vos semper spiritui sancto resistitis. Vnde dura ceruix in illo populo, qui ex omni mundo electus est, qui de seruitute decem miraculis meruit liberari, cui lex data est, cuius saluti ora Prophetarum omnium militarunt, ex quo factus secundum carnem, & ad quos missus est Christus: nisi quia cæcitas ex parte in Rom.11. Israël facta est, donec Israël adoptatus ex plenitudine gentium intraret in regnum, & conclusit in incredulitate omnes Dominus, vt omnes indigerent misericordia Saluatoris? Cuius diuini consilij sacramenta perstringens, & maiestatis mysterium, quæ quamuis magnitudine reuelationum nouerat, tamen pro humana infirmitate succumbens, etiam ille qui pro persecutionibus & blasphemiis vas electionis meruit nominari, miratus exclamat: O altitudo diuitiarum sapientiæ & Rom.11. scientiæ Dei: & inscrutabiles vias eius, & inscrutabilia confitens Dei esse iudicia. Cum illo ergo quando de talibus quæritur, admiremur, & manente sententia, quod non sit iniquitas apud Deum, si quid est illud quod quæritur, quod modum nostri sensus excesserit, & intellectus nostri non dignatur angustias, in illa iustitiæ, misericordiæ, præscientiæque diuinæ plenitudine permanere inconcussa Rom.10. æquitate fateamur: ne de superioribus diuinæ voluntatis arcanis aliter quam modus conditionis nostræ patitur disputantes, Dei iustitiam relinquamus, & nostram statuere cupientes, in imam contumaciæ voraginem decidamus.

Libri de prædestinatione & gratia finis.

CENSVRÆ INOFFICIOSÆ CENSVRA,

QVA

LIBER DE PRÆDESTINATIONE ET GRATIA,

BEATO FVLGENTIO RVSPENSI EPISCOPO asseritur, & nitens, purúsque præstatur à P. THEOPHILO RAYNAVDO, *Societatis* IESV *Theologo.*



IRATVS principio est nonnemo, collocatum à nobis fuisse inter Fulgentij opera, tanti Patris nomine, librum Authoris, vt non vnus censuit, suspecti, & hactenus apud Augustinum tomo 7. non inter *fauos illos diuini nectaris plenos, manantes misericordiam & veritatem, quos illa verè artificiosa Dei apis instruxit,* (vt loquar cum Seuero epistola apud Augustinum 37.) hoc est inter germana Augustini opera: sed in angulo cum quisquiliis sepositum, & veluti fucorum contuberniis annumeratum: Tanquam non modò nothum & ab Augustino parente alienum, sed etiam suspectum, propter furfuris alicuius aut farinæ non bonæ admixtionem. Sanè censura ei per DD. Louanienses apud Augustinum præfixa, fert esse librum *suspecti authoris.* Ex mox libellus in eadem Appendice continenter ad istum subiunctus, *eiusdem cum isto farinæ*, pronunciatur: Atque adeò vterque, doctrinæ non sanæ ac vitiatæ insimulatur. Hæc vt accuratè dispiciantur, perspicuúmque sit, iuréne, an iniuria, liber quem proponimus, improbatus antehac sit, aut in suspicionem vocatus, duo mihi præstanda video. Primum vt quis sit eius germanus parens, apertum faciam. Alterum, vt quæ in eo reprehensa, aut tanquam dura, vel suspecta, fuerunt notata, diligenter excutiam. His enim duobus accurate discussis, euincam, vt spero, aliud de eo ferendum esse iudicium, nec immeritò locum illi à nobis inter S. Fulgentij opera fuisse attributum.

Quis libri huius Author, varia placita.

2. DE Authore binas fuisse sentẽtias animaduerto. Prima est quæ illum ait esse suspecti Authoris. Ita Louanienses (vt diximus.) in Censura operum D. Augustini, & Posseuinus in Apparatu sacro, V. *Augustinus*, ad Tomum 7. post Cardinalem Bellarminum quem allegat. Fundamenta huius sententiæ infra proferam & euertam. Demonstrabo enim doctrinam huius libri esse vsquequaque sanam; & quæ in eo dura aut suspecta visa sunt, omnino Catholicum sensum habere. Quo demonstrato, omnis illa de authore suspicio euanescet. Itaque nunc vltra non hæreo in huius sententiæ improbatione.

Secunda sententia longè aliter de hoc libro pronunciat. Eum enim D. Augustino adscribit, atque adeò eum probatæ notæ, & nullatenus corruptæ doctrinæ esse agnoscit. Ita existimauit Gratianus cap. *Nabuchodonosor* 23. q. 4. locum enim ex huius libri cap. 15. adducit tanquam Augustini. Similiterque Gregorius Ariminensis, homo in Augustini lectione versatissimus in 1. d. 40. q. vnica, artic. 2. *ferè in fine*, locum ex huius libri cap. 16. recitat tanquam Augustini. Adstipulatur Petrus Fonseca 6. Metaph. c. 2. q. 5. sect. 9. qui inde confirmat D. Augustinum esse huius operis verum parentem, quòd ex eo S. Prosper indiuiduus S. Augustini sectator multa desumat, nec stylus, aut sententiarum grauitas, & ingenij acumen alium sibi vendicare possint libri huius authorem. Subscripsisse huic placito videtur etiam Erasmus: qui cum in Augustino multa mutauerit, & solita Patres arrodendi & improbandi licentia eò processerit, vt libros quos Possidius, & Beda, aliique veteres Augustino asserunt, eidem abiudicauerit, hunc tamen librum D. Augustino permisit. Idemque ante Erasmum censuisse oportuit eos, qui permixtim cum indubitatis D. Augustini operibus illum ediderant: vnde Erasmo in mentem non venit vt eum exturbaret. Fauet etiam Val. 1. 2. d. 8. q. 3. p. 4. q. 1. qui Authorem libri huius censet vel esse Augustinum, vel hominem Augustini sententias exprimentem.

3. Quominus tamen D. Augustino hunc librum tribuendum existimem, facit non doctrinæ diuersitas ab Augustiniana, quæ sanè nulla est, sed alia quæ subiicio. In primis stylus, ne pilum quidem similitudinis habet cum stylo D. Augustini. Quamuis enim non diffitear Augustini stylum plerumque varium & dissimilem esse; quod Criticis, ac præsertim Erasmo, non absque graui Ecclesiæ damno, & Sanctorum Patrum truncatione plerumque imposuit: tamen cùm in tam variis B. Augustini operibus, modò pressæ & concisæ scriptionis acumen, vt in psalmorum expositione aliisque tractatibus siue homiliis; modò liberior amœnitas fluentis orationis, vt in Didacticis; modò vt in Polemicis acer & pugnax scribendi modus, à fœcundissimo illo ingenio in omnes se formas fingere idoneo adhibeatur, interque ea varia opera, tametsi non omnia omnibus, aliqua tamen externo veluti vultu, inuicem sibi scriptionis ac styli similitudine tanquam eiusdem vteri fœtus respondeant; argumentum est non leue, hunc librum

librum non esse reuera D. Augustini, quòd nullum sit tam multorum indubitatorum D. Augustini operum, quod styli tumore cum isto consentiat: cuius rei iudices appello omnes qui D. Augustinum non indiligenter euoluerint, & sapori illi insueuerint, quam ex assidua authoris alicuius lectione, palatum mentis illicò diiudicat. Accedit Possidij, Prosperi, Fulgentij, Cassiodori, Bedæ, & cæterorum antiquorum silentium: Qui cùm Augustini opera referre, & multa ex eis describere soleant; nunquam tamen vel hunc liberum Augustini nomine allegant, vel eo vtuntur tanquam Augustini opere. Quod incredibile esset non facturum Bedam; qui cum suos in Paulum Augustino centones, tam studiosè ex quibusvis Augustini libris confecerit, nunquam tamen peritis ex hoc libro testimoniis vtitur, quamuis insignia in eo habeantur ad Pauli illustrationem: ac præsertim cùm loca quædam ex epistola ad Romanos hic ex professo elucidentur.

Quæ paulo ante ad hunc librum D. Augustino asserendum prolata sunt, facilè dissiciuntur. Sanctum enim Prosperum ex hoc libro profecisse non admitto; sed è contra libri huius authorem doctrina Prosperi, & vtrumque doctrina Augustini familiariter vsum postea ostendam. Vnde factum est, vt tanta Prosperum inter & libri huius Authorem, doctrinæ consensio sit deprehensa. Sententiatum verò grauitas, & ingenij acumen, si illam quam dixi styli extraneitatem supponamus, cæteraque ad hoc opus Augustino tribuendum argumenta desint, (vt reuera desunt,) non plus euincunt hunc librum D. Augustini esse, quàm omnes Sanctorum Patrum libros, & sententiarum grauitate insignes, & summo ingenij acumine conscriptos. Denique nonnullorum hoc opus Augustino non recèns vendicantium iudicium, non tanti esse apud quemquam debet, vt præiudicium inferat: cùm in hoc genere, qui subsequuntur, ferè anteriores sequi soleant, vt grex arietem: & ex quo contigit librum inter antiqui alicuius scriptoris opera sedem nactum, præscribat prudentia, donec valida in contrarium argumenta suppetant, suos illi (vt ita dicam,) natales, absque rixa & lite esse permittendos. Itaque sapienter Gratianus & Gregorius, ac si qui alij antiquiores, hunc librum Augustinianis accensuerunt, inductam ante eos de huius libri parente opinationem, nulla occurrente ambigendi vel nouandi causa, conuellere nequaquam tentarunt. Quod eodem iure ad recentiores Theologos qui hoc opus D. Augustino tribuerunt, extensum volo.

Batauici tamen Theologastri iudicium non moror: hominis in pronunciando de Patrum scriptis (vt quammitissimè dicam,) admodum insulsi, & naris supra fidem obesæ. Quod innumera fœdè ab eo ac licenter patrata in Cypriano, Hilario, Hieronymo, Augustino, aliisque Patribus, quorum ille mus & arrosor erat, faciunt testatissimum: & demonstrarunt qui iustis censuris Lucianici illius Theologastri supercilium compresserunt viri doctissimi, Albertus Pius, Natalis Beda, Richardus Cenomanus, Franciscus Titelmanus, Genesius Sepulueda, aliique hominem iustis lucubrationibus insecuti. Vel qui per aliam occasionem, de eius censuris & in Patres licentia, ferunt iudicium; Canisius lib. 5. de Deip. c. 10. Marianus Victorius scholiis in Hieronymum, passim. Posseu. lib. 1. biblioth. selectæ c. 20. Nominatim verò in D. Augustini operibus diiudicandis, tam turpiter toties labitur, vt maior plerumque oscitantia excogitari vix queat. Malitiam taceo, quam in abiudicandis D. Augustino quibusdam indubitatis eius operibus, perspicuè in eo demonstrauit Hieronymus Torrensis in præfatione ad Confessionem Augustinianam. Itaque fixum esto, Erasmi iudicium sententiæ quæ Augustino hunc librum adscribit, nullam authoritatis accessionem facere.

Nostra sententia.

5. Tertia sententia hunc librum B. Fulgentio adscribit. In hac quamuis absque duce, iampridem fuisse me fateor. Ex quo nimirum ante annos viginti in hunc librum, tomo 7. Augustini inter quisquilias depositum, omnia alia cogitans incidi. Memor siquidem Apostolici oraculi, *omnia probate, quod bonum est tenete*: & diuini moniti quo edoctum hac in parte Dionysium Alexandrinum memorat Eusebius 7. histor. cap. 6. opus quamuis ab ædificantibus reprobatum circumspicere attentiùs adorior, tentaturus aliquidne vtilis succi ex deprauato solo liceret eruere; quando nullus est tam malus liber de Plinij sententia, qui aliqua ex parte commodare scrutanti non possit. Miratus sum deuentum legendo ad libri metam, absque offensa vel remora. Itaque opus cætera egregium, secunda lectione, eáque attentiore euoluendum resumo, si fortè fermentum illud quod ex præiudicata ob præfixam censuram opinione, vni alicui angulo inspersum censebam, nancisci possem. Qua ex cura factum puto, vt germanus libelli parens, quem non quærebam, occurrerit, & ipse liber iure optimo, non authoris suspecti, aut alicubi corruptus, sed sanus & purus vsquaqueque visus sit, suóque dignus authore S. Fulgentio.

6. Causæ adscribendi eum tanto Patri, hæ occurrerunt. In primis stylus. Non enim gutta guttæ similior, vt facilè indicabunt, qui indubitatos Fulgentij libros cum isto contulerint; ac præsertim eum scriptionis tumorem, qui Fulgentio perpetuus est, obseruarint. Deinde eædem plerumque hic ratiocinationes & sententiæ, ac ferè periodi, quæ alibi apud Fulgentium hæc ipsa sæpè versantem leguntur, vt appareat, de eodem fonte, & hæc & illa manasse. Sanè quæ de præsentia Dei habentur c. 5. legi quoque possunt cùm lib. 1. ad Monim. cap. 12. tum lib. 1. de verit. prædestinat. *in confutatione meritorum conditionatorum*, & lib. 3. *ferè initio*. Quæ item c. 7. habet de Iacob & Esau, omnino gemina sunt iis quæ eodem lib. 2. de verit. prædest. & initio secundi, de iisdem leguntur. Quæ cap. 8. de naturali hominis ad peccandum sufficientia traduntur; non autem ad Christianæ virtutis indolem, siue ad operandum sicut oportet, habentur similiter lib. 2. de verit. prædest. *ante medium*: Præterea quæ cap. 11. & 12. hic habentur de diuini auxilij necessitate ad sciendum, volendum, & perficiendum, illis planè sunt affinia quæ de eodem argumento leguntur lib. 1. de verit. prædest. *per multas paginas*. Ibidémque locus Apostoli ex 1. Cor. 15. expenditur eodem prorsus modo, quo in citatis huius libri capitibus 11. & 12. Omitto alia quamplurima, quæ quiuis per otium facilè deprehendet.

Accedit magnus vbique consensus doctrinæ huius libelli cum doctrinis Augustini, vt constat ex locorum Apostoli circa prædestinationem expositione, quæ traditur per decem prima capita: Et ex doctrina de peccato originali, modóque illud probandi, quæ traditur c. 3. & modo explicandi indurationem in c. 4. & 6. & ex argumento de paruulis in cap. 7. Itémque ex modis probandi necessitatem gratiæ, non modò ad ordiendum, sed etiam ad perficiendum, de quibus c. 10. & seqq. In quibus aliisque, quorum minutiori obseruatione supersedeo, Augustini doctrinam ita hic Author expressit, vt fuerint

fuerint qui hunc librum Augustino tribuendum esse censerent. Quod mihi quidem non persuadent, vt præmisi. Inde tamen perspicuum fit, summam eos doctrinæ huius libri cum doctrina Augustini consensionem deprehendisse; nihilque hîc putens, aut ab Augustino extraneum subolfecisse. Quare cùm liber hic non sit Augustini, & tamen Augustini doctrinã studiosè expresserit, quisquis eius author fuit, non dubium, quin antiquo alicui ex Augustini studiosis sit adscribendus. Nullus autem occurrere potest, cui cum fundamento tribui queat præter Fulgentium:qui quàm Augustino addictus fuerit,quamque fæliciter eius in se doctrinam transfuderit, frustra docerem: Et constat ex frequentibus elogiis, quibus illam vt Seuerus appellat *fontis æterni venam*, variis locis ac nominatim lib. 2. de verit. prædest. ornauit. Et hinc factum videtur, vt Prosperum multa ex hoc libello desumpsisse censuerit nonnemo supra adductus. Quia enim & Fulgentius & Prosper ex Diuo Augustino vbique proficiunt, mirum non est, eosdem cum vno tertio, inter se quoque eosdem videri. Quanquam si neuter ex Augustino profecisset, ea superesset causa affinitatis doctrinæ, Prosperum inter atque Fulgentium, quòd constet Fulgentium Prosperi lectione delectatum, illiúsque admodum studiosum fuisse. Vide calcem libri primi ad Monimum, & libri secundi initium.

7. Hactenus coniectanea nostra, quibus vt probabilitatem & verisimilitudinem suam concedi velim, ita velut ineluctabilia à me non venditari, vltrò profiteor. Subdo autem argumentum, quod & potentissimum & euidentissimum videri meritò debeat, ductum ex Authore vitæ S. Fulgentij, eius quondam familiari, cap. 28. Texens enim Catalogum Scriptorum B. Fulgentij, Calarim Sardiniæ ad iteratum exilium reducti, cùm præmisisset; *Tunc etiam de remissione peccatorum, consulenti Euthymio viro religioso, duobus libellis sine mora respondit:* confestim subdit. *Testimonia quoque prædestinationis, & gratiæ differentias cupientem nosse, salubriter disputans docuit.* Nihil in rem nostram apertius aut expressius proferri potuit. Integrum enim huius libri argumentum, paucis his verbis expressum est. Siquidem libro hoc vniuerso nihil traditur præter expositionem difficilium quorumdam Apostoli de prædestinatione testimoniorum, quæ habetur à libri principio ad cap. vsque 10. & tractationem differentiæ gratiarum, quæ à cap. 10. ad finem vsque libri producitur. Ac ne quis tractationem de prædestinatione contentam primo libro ad Monimum, vel tribus libris de veritate prædestinationis designatam putet iis quæ retuli verbis; planè aliud est Fulgentij locis illis institutum, quàm testimonia sacra de prædestinatione, & gratiæ differentias explicare. Disertè etiam idem vitæ Author seorsim meminit eorundem trium librorum de veritate prædestinationis, quos post reditum ab exilio conscriptos in Africa memorat. c. 29.

Itaque non video iustam vllam superesse causam, hunc de quo agimus librum, cum argumento per vitæ Autorem proposito tam bellè consentientem, S. Fulgentio abrogandi, dummodò quæ in eo aduersùs sanam doctrinam indigna Fulgentio notata sunt, demonstremus Catholica, & Fulgentio digna, quod præstandum sequitur. Nihil enim præterea ad cumulatam & perfectam huius libri assertionem Fulgentio faciendum desiderari potest. Nam silentium Isidori in libro de Scriptoribus, quod video præterea obtendi posse, non est quod obiiciatur; cum & alios plerosque indubitatos Fulgentij partus omiserit S. Isidorus, & ipsemet disertè moneat, præter paucos illos à se visos quos ibi commemorat Fulgentij libros, *multa alia esse ingenij eius monumenta*; *meliori* *que forte esse illum, cui delicias omnium librorum eius præstiterit* Deus. Quare ad eam quam dixi, criminationum libro huic impactarum, depulsionem accingamur.

Quæ notata in hoc libro morbosa, & Fulgentio Autore indigna, ex Posseuino.

8. Complexus est vniuersas illas criminationes Anton. Posseuinus in Apparatu sacro, V. S. *August.* c. 5. professus adscribi à se Cardinalis Bellarmini iudicium, quo huius libri Author pronunciatur diffidere à D. Augustini doctrina, & videri oblitus Cassiani fuligine. Argumentum ducitur ex c. 9. quo dicitur soli libero arbitrio tribuere eligere bonum præcedente vocatione. Item ex cap. 11. quo tribuit Deo nostrum velle, quia nos vocat & illuminat; homini autem tribuit conatum. Eúmque describit adipiscendæ gratiæ & salutis capessendæ progressum, vt primò Deus vocet: Secundò homo os aperiat atque dilatet: Tertiò Deus os ab homine dilatatum impleat. Quæ ad Semipelagianismum, siue Cassianismum pertinere, videtur exploratum. Quid quod cap. 12. propositis antea variis locis ex Psalte, quibus diuini auxilij indebiti necessitas stabilitur, cum quoddam Pelagij effugium adduxisset, non aliter illud præcludit, quàm à Cassiano fuisset præclusum? Iam c. 15. ad difficillimam quæstionem ita respondet, vt in Nabuchodonosore ad bonam frugem reueniente, ponat initium bonæ voluntatis; Deo autem perfectionem solam tribuat. Quem Semipelagianismi florem, veriùs fæcem esse, nemo non videt. Postremò c. 16. ait hominem tametsi non peccasset, potuisse à Deo iuste damnari, contrà quàm docet D. Augustinus epistola 105. & 106. & lib. 2. de peccat. merit. cp. 16. ac etiam contra Concilium Arausicanum 2. Hæc ex Cardinalis Bellarmini censura Posseuinus. Ipse tamen Cardinalis lib. de scriptor. in Augustino ad tom. 7. non aliud in hoc libro reprehendit, quàm postremum illud quod ex c. 16. obiectum est. Quod item vnum displicuisse videtur Censoribus Louaniensibus, cum nihil aliud ex toto hoc libro suffixerint.

Aliæ criminationes ob traditam hoc libro vocationis eluctabilitatem, & quorundam desertionem.

9. Fuit præterea, ne quid dissimulem, qui reprehẽderet quod author c. illo 9. ait, hominem à Deo vocatum & illuminatum, posse vias mandatorum Dei proprio arbitrio (vtique adiuto,) eligere, vel eodem arbitrio nudo respuere. Idque etiam Ioannes Soteallus in præfatione ad Prosperum, sugillat in Gennadio c. 21. lib. de Eccles. dogmat. docente, supposita Dei admonitione, & inuitatione ad salutem manere homini libertatem, vt sequatur vocantem: & initium salutis Deo miserante haberi, assensum autem salutiferæ inspirationi præstitum, nostræ potestatis esse, eo quod voluntas sit liberè sequax diuinæ inspirationis: & sicut vt non labamur à bono, sollicitudinis nostæ est & cælestis pariter adiutorij, ita vt labamur, & inuitanti gratiæ non acquiescamus, potestatis nostræ est & ignauiæ. Hæc in Gennadio reprehendit Soteallus, tanquam manifestè pertinentia ad hæresim Pelagianam. Nec mitiùs de allegato Authoris nostri loco pronunciatum est ab illo quem adduxi eius Censore: estque reuera locus Authoris loco illi qui in Cennadio notatur, admodum similis.

Tandem vt alium quoque næuum non prætercam, dura admodum visa est non paucis sententia quam apertè supponit Author c. 15. nempe Pharaoni concessam quidem fuisse misericordiam aliquam qua converteretur, non tamen quæ ad gratiam internam & subministrationẽ intrinsecam spiritus pertineret. Quod est dicere, defuisse Pharaoni auxiliũ ad salutem sufficiens. Ait quidem Author c. 14. Pharaonem, tametsi

metsi induratum atque damnatum, excusationem culpæ ex hoc non habuisse, quod nullam qua conuerteretur misericordiam sit consecutus. Ac si piè de Deo sicut expedit sentiamus, etiam Pharaoni datam misericordiam reperturos. Mos tamen c. 15. eam misericordiam seclusa intrinseca vocatione, ad solam externam flagellationem pertinuisse profitetur. At constat verum auxilium sufficiens, sine quo solus nequit obsurgere ad vocationem intrinsecam, quam S. Aug. lib. de grat. Christi c. 2. *subministrationem virtutis* nominat, esse referendum. Quare nullo modo quadrat in locum adductum ex c. 15. benigna interpretatio quam adhibet Suarez t. 4. 3. p. d. 8. l. 2. n. 9. existimans negari duntaxat eo loco Pharaoni auxilium congruū & efficax, non autem sufficiens, quasi hoc sit quod ibidem dicitur, *minus idonea ad salutem via.* Non quadrat inquam in eum locum illa interpretatio. Nam auxilium sufficiens spectat ad misericordiam intrinsecam, quam Pharaoni negat Author eo c. 15. ac proinde omninò supponit immanibus quibusdam peccatoribus cum in profundum venerint subtrahi sufficientia parandæ salutis auxilia. At hanc esse *opinionem erroneam*, tradit S. Thom. 3. p. q. 86. art. 1. & videtur damnata in Concilio Lateran. vt refertur c. *firmiter*, de summa Trinit. & fide Cath. vbi tanquam fide certum ponitur, semper hominem lapsum posse per veram pœnitentiam reparari; quod ea opinatio apertè negat, quandoquidem statuit subtrahi quibusdam auxilia sufficientia, sine quibus impossibilis est resurrectio à peccato, & reditus ad vitam gratiæ.

Criminationum propositarum depulsio, ac primùm affinitatis cum errore Cassiani.

HÆc sunt in quibus doctrina huius libri à quibusdam notata est, ipseque Author in suspicionē vocatus. Non erit tamen, vt spero, operosum ista purgare, librúmque & Authorem, liberare à censura. Et in primis miror, viros eruditos & in antiquorum errorum introspectione ac librorum lectione non hospites, Authorem nostrum insimulare potuisse erroris quo sorduit Cassianus, ob ea quæ hîc c. 9. 11. 12. ac 15. traduntur. Quod enim neminem latet qui Cassianum viderit, error eius palmaris atque primarius, cuius participem volūt Authorem, in eo situs fuit, quod diceret Deum tribuere incrementum ortui illi bonæ voluntatis quam vel ipse plantauerit, vel nostro conatu viderit emersisse. Dedi ipsa Cassiani verba ex collat. 13. c. 7. & 8. quæ diligentius expendi in tractatione de initio salutis, in causa Valeriani Cemeliensis. Quod si, vt plerique parum consentaneè ad Cassiani mentem fecerunt, statuimus eum communi cæterorū Massiliensium, siue Semipelagianorum errore laborasse, dicendum erit in eo situm fuisse præcipuū Cassiani errorem, quod diuinæ gratiæ suppetias humanæ inuocationi subiungeret, & cælestem rorem non nisi in præparatum naturali conatu solum, siue in animam quo potuit per nudam naturam nisu, illum ad se prolicientem, demitti. At huius erroris ne vmbram quidem in citatis capitibus apparere, puto perspicuū, & breui singulorū expensione demōstro.

In capite nono, quod primùm insimulatur, duo tradit author spectantia ad salutis initium circa quod impegit Cassianus. Ait enim primò in capitis fronte. *Ne rursus homo in vltimam fæcem desidiæ resolutus, arduum virtutis iter, & quamuis adiuuante gratia Dei? non nisi labore gradiendum, inerti sibi crederet posse deferri, & nullius laboris industriam, studio sui profectus adhiberet; ita inter se atque hominem, Deus tempora, officiaque distribuens ordinauit; vt vocatione ipsius, donorum principia sumeremus: vocati autem atque illuminati, vias mandatorum eius, boni ingenij intelligentia nosceremus, & eas libero vel eligeremus, vel relinqueremus arbitrio. Quas tamen si ipsius fulti adiutorio, contina deuotione sequeremur, in fine rursus non repugnantem mandatis suis, subiectam in nobis obedientiam coronaret.* Subdit mox sub capitis finem, *Deus eos qui vocationis munus congrua pietate susceperant, & quantum in homine est, Dei in se bona seruantes, ad spiritualia exercitia omne studium contulerunt, & in agone huius vitæ certantes adiuuat, & coronas vincentibus largitur æternas.* Hæc tantùm author eo capite, quæ ad salutis initium spectare videantur. Porrò tantùm abest vt aliquid in his deprehendi possit quod Cassiani vel Massiliensium fermentum suboleat, vt potiùs conceptis verbis confodiatur eorum error, quandoquidem disertè author, bonorum principium Deo tribuit; eíque primas, homini non nisi secundas vendicat, contra quàm superbissimè faciebāt Semipelagiani: quos propterea S. Augusti. lib. de prædest. SS. c. 2. ita inter se ac Deum partitos salutis exequendæ negotium docet, vt sibi potiores partes (ipsum inquam boni principium,) Deo non nisi despicaciores deferrent.

11. Illud potius à rigido censore in prædictis verbis culpari posset, vnde factus reuera est aliquibus Authorem excutientibus timor. Nimirum quod videatur author gratiam comitantem non agnoscere, cùm dicat hominem, postquam vocatus & illuminatus est, vias mandatorum Dei libero vel eligere, vel relinquere arbitrio. At comitantis gratiæ inficiatio, quamuis ad Cassiani errorem non pertineat, est tamen apertè hæretica: iuxta illud D. August. in exposit. epistol. ad Rom. propos. 62. quod tanquam *omnino verissimum* commēdat lib. de prædest. sanct. c. 3. *Neque velle possumus nisi vocemur. Et cum post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra & cursus noster, nisi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat quò vocat.* Verùm, Authorem gratiam comitantem nō esse inficiatum, perspicuè docent verba illa eiusdem noni capitis, *arduū virtutis iter, & quamuis adiuuante gratia Dei, non nisi labore gradiendum.* Et illa paulò post. *Quas tamen vias mandatorum Dei libero arbitrio erectas, si ipsius fulti adiutorio continua deuotione sequeremur*, &c. Moxque ibidem illam de Deo; *in agone huius vitæ certantes adiuuat.* Fastidio plura annotare, quæ passim reliquo libro occurrunt. Sed nominatim c. 10. vbi eleganter ad duplex beneficium gratiæ aptat illud Exod. 32. *miserebor cuius miserebor*; hoc ad primam misericordiam vocatione prærogatam refert: Verùm quia ea misericordia (vt ait, & optimè) *sola ad rectè viuendum non sufficit, si deserat qui vocauit*, propterea ad designandam secundam misericordiam, siue gratiam adiuuantem, ait subdi eodem Exodi loco; *Et misericordiam præstabo cui misericors fuero.* Egregiè item similia iterat cap. 11. circa illa Apostoli verba, *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit*, quæ ad duplicem illam misericordiam æquè refert: & conceptis verbis notat; *quo ordine miseretur Deus vocando; eodem misereri deinceps inceptis conatibus adiuuando.* Itaque euanescit planè suspicio negatæ per authorem gratiæ comitantis, qua pulsatum non neminem referebam, occasione verborum illorum noni capitis, quibus hominem vocatum & illuminatum, vias diuinorum mandatorum libero arbitrio eligere pronunciabat. Non enim de arbitrio nudo ea verba accipere par est, sed de arbitrio adiuto, vt illico subditur, fueràtque etiā paulo ante præmissum. Imo quamuis Author, de gratia adiuuante tacuisset, non propterea censendus esset eam negasse, cum ipsæ scripturæ, quod S. Basilius annotauit in c. 6. Esaiæ, ad illud, *Ecce ergo mitte me*, eam Dei cooperationem quandoque subticeant, quia non semper necesse est omnia exprimere.

Conatus

Conatus vocationi subiunctus, rectè homini adiuto tributus ab Authore.

12. IAm verò, quæ cap. 11. insimulabantur tanquam sapientia Cassiani errorem, duo sunt. Nempe quod author Deo vocationem & illuminationem tribuat, homini autem conatum. 2. quod cum in negotio salutis ordinem statuat, vt primò Deus vocet; deinde homo os aperiat; tandem Deus illud impleat. Quem ipsum ordinem sub alio verborum cortice statuere videtur Faustus Rheg. l. 1. de grat. & lib. arbit. c. 7. Gennadius quoque lib. de Eccles. dogm. c. 21. idem perspicue tradit. Et fortassis hic est locus quem Ecclesia Lugdunensis contra Ioannem Scotum *circa caput eius primum*, damnat Pelagianismi. Cùm enim retulisset de Scoti sententia, *hominem sine laboris studio & cooperantis gratiæ doni, ad Deum peruenire non posse*, subdit Lugdunensis Ecclesia: *sentire hominem absque laboris sui studio ad Deum peruenire non posse, non est Catholicum, sed Pelaginum. Inuenitur in libello cuius titulus est*, Dogmatum Ecclesiasticorum, *quædam talis definitio; Sed omnino (vt diximus) vt alia nonnulla in eodem libello, Pelagiani erroris est.*

Cæterùm nihil hic quoque video C ssiani fuligine oblitum. Nam quamuis fixum ratúmque sit apud Catholicos, Deum in bono consensu cudendo, voluntatem semper anteuertere, tamen ex quo præuentio siue illustratio intellectus, naturæ fœcunditare altior, & eidem commensa voluntatis delibatio antecessit, iure poscitur ab homine vt attrahentem gratiam subsequatur; eique cum comitate gnauiter collaboret. Idque ipsum ad insignem Dei in nos beneficentiam pertinuisse, vt fælicitas adulti non esset purum Dei donum, sed humanæ quoque voluntatis, Deo cooperantis stipendium ac merces, notatum egregiè est à D. Chrys. hom. 60. ad pop. *in ipso initio*, & à Nazianz. or. 38. Recte enim aduertunt hi Patres, homini esse honorificentius, diuinam iustitiam præmiantem antecedenti liberalitate subnixum expiriri compensatricem, quàm mera muneratoris liberalitate frui: & salutem suam, purum beneficium alienum, non etiam aliqua ex parte laboris sui præmium habere.

Hic ergo est ille ipse conatus, siue oris apertio & dilatatio, quam à nobis diuinitus antecedenter præuentis & comitanter adiutis exigi, affirmat Autor c. illo 11. disertè addens illud quod ad conatum nostrum vocationi subiunctum, atque ideò ad illam oris apertionem & dilatationem pertinet; hoc est consensus liberi exhibitionem & executionem boni operis, non posse à nobis absque Deo compleri, & idcirco hanc esse secundam gratiam. Nec est quod conatus ille qui voluntati præuentæ concomitanter adiutæ ab Authore conceditur, timorem alicui faciat. Is enim duntaxat conatus reprobatur in hoc negotio, qui à Semipelagianis nudæ voluntati tribuebatur. Debere autem vnumquemque, præeunte & coadiuuante gratia conari in supernaturale bonum, verissimè dicitur. Sic enim sine vlla vitij vel labis suspicione dictum est ab indubitato Fulgentio lib. 2. de verit. prædest. c. 15. *Cælestibus mandatis obediens quantum adiuuatur homo diuinitus, voluntariis nisibus elaboret.* Et mox c. 16. *l. bor Pauli propterea fructuosus fuit, quia laborem suũ nõ suis viribus, sed gratiæ Dei cuius confortabatur iuuamine, tribuebat, sciens quia laboris illius, nec conatum haberet, nec consequeretur effectum si defuisset, & misericordia præuenientis, & subsequentis auxilium.* S. item Augustinus conatum nostrũ gratiæ præuenienti subiunctum disertè admittit lib. de nat. & grat. c. 31. & 65. (vbi similiter locutum S. Hieronymum refert) & lib. 2. de peccat. merit. c. 5. Optimè quoque sic verbis Theodulfus Aurelianensis l. 6. carminum in primo, vbi sic habet.

Tanta Dei bonitas fragiles nos instruit, ornat
Vt sua de propriis nostra gerat merita.
Et sine qua bona nulla fiunt, quæque efficit eius
Gratia, sint nostris adnumeranda bonis:
Dat bene velle prius, pelagi quoque donat, & ipsum
Præuenit hic, sequitur nos opus eius ibi.
Hinc fit vt initium, perfectio detur & illibinc,
sic capite & cauda est hostia grata Deo.
Proque bonis propriis, clemens sua præmia donat,
Concordet noster si bene nisus ei.

Disertè etiam suffragatur his verbis grauis quisquis demum author Eucherius hom. 2. de S. Ioanne Baptista, *Abstinentiæ merita ac virtutum, & iter arduum militiæ spiritalis, humano generi insinuare curauit. Sciuit quod non sufficeret eligentis gratia, nisi inuigilaret collaborantis industria: sanctificatus est, & nondum tamen de sola Dei electione securus; sed nihilominus agonibus ieiuniorum & laboribus abstinentiæ atque iustitiæ diuinæ in se vota seruare contendit.*

13. Quod si voluntas diuinitus præuenta & adiuta, rectè dicitur conari & niti ad bonum; malè omnino improbabatur ordo ille atque progressus in cudendo supernaturali cõsensu propositus; quo nimirum Deus primum vocare dicebatur; tum homo adiuuante Deo os aperire; tandémque Deus, os sic apertum & dilatatum implere. Non aliter sanè D. Augustinus q. 9. in Exodum tractans illud Exodi 4. *Ego aperiam os tuum, & instruam te quæ locutus es*, obseruat ex eo loco patere *ipsam etiam oris apertionem ad Dei voluntatem & gratiam pertinere. Non enim a t. Tu aperi os tuum, & ego instruam te, sed vtrumque ipse promisit, aperiam & instruam* Itaque & vocatio, & gratia adiuuans, & cooperatio nostra, ad cudendum supernaturalem consensum interuenit, iuxta D. Augustinum, eo tamen ordine vt prima planè sit vocatio. Eidem subiungatur libera cooperatio adiuuante gratia, quæ quia non fit adiuuans actualiter & de facto cooperans, nisi quia homo annuit, & gratiæ sollicitanti vltrò succubuit, propterea addit D. Augustinus Psal. 80. apertionem tribui voluntati (vtique adiutæ, ac priùs etiam præeunti,) adimpletionem autem tribui Deo. Verba Augustini sunt. *Alibi autem dicit in Psal. Dilata os tuum, & adimplebo illud. Vbi significat in homine voluntatem accipiendi, quod* Deus *donat volenti: Vt ad voluntatis exordium pertineat, Dilata os tuum: ad Dei autem gratiam, Et ademplebo illud. Hic verò & aperiam os tuum, & instruam te.* Habemus in his verbis ab Augustino traditum illum ipsum progressum & ordinẽ in negotio salutis, qui in anthore improbabatur.

14. Nec Faustus Rhegiensis, si hunc ordinem reuera assignasset, improbandus esset, aut conflanda huic doctrinæ inui dia, ex eo quod à Fausto esset tradita. Quin potius gratulandum esset, quod scriptori apud plerosque suspecto, ritè ac solidè purgando patefactus esset aditus. Verissimilius tamen est in duobus illis de gratia libris, per Faustum, vt loquitur Author vitæ S. Fulgentij c. 28. *Subdolo sermone compositis*, quippe qui *fauens occultè Pelagianis, Catholicus tamẽ vellet videri*; in descriptione ordinis quo cuditur consensus liber, aliter accipi gratiam pulsantem atque trahentem, ac diuinam vocationem voluntati præuiam quàm à Catholicis, & hic ab Authore quẽ purgamus accipiatur. Non obscurè enim Faustus lib. 1. c. illo 7. per vocationem intelligit externam legis propositio- & prædicationem, quod planè est cum Pelagio desipere. Et idcirco Faustus tanquam gratiæ hostis à S. Fulgentio impugnatus est libris septem, vt Autor vitæ, c. illo 28. memorat, itemque Facundus Hermianensis libro contra Mocianum Scholasticum, *ferè initio*, ac etiam Isidorus in Fulgentio, & Patres Affricani in Sardinia exules sub finem epistolæ synodicæ ad Ioannem Presbyterum & Venerium Diaconum,

verbis illis amplissimis de Fulgentio. *Vnus de nobis, in quantũ Dominus seruis suis recti gratiã dignatur donare sermonis, &c. aduersus duos libros Fausti Galli, septẽ libros edidit: quos cũ recensueritis, agnoscetis protinus, quemadmodum memorati Fausti cõmenta veritati contraria, Catholicæ fidei penitus inimica, discussio prodidit, ratio manifesta conuicit, autoritas diuina compressit, & præcedentiũ Patrũ cõsona prorsus attestatio confutauit.*

Grauant item alij Faustum authoritate epistolæ Leonis 2. ad Constantinum Pogonatum, Græcorum Imperatorem, in qua Faustus post anteriores hæreticos Pelagium, Cœlestium, & Iulianum, numeratur inter eos *quos sancta Catholica atque Apostolica Ecclesia, de catalogo fidelium patrum, vtpotè zizania, de area dominicæ Ecclesiæ, gehennæ supplicio abdicanda, per ventilabrum diuinæ discretionis abiecit.* Quanquam cùm in illa enumeratione erronum quæ fit in ea epistola, post Faustum Pelagio ac Pelagianis subiunctum, attexatur Maximinus, est longè probabilius, Faustum de quo ibi agitur, esse Manichæum: Maximinum autem, esse Maximinum Arrianũ Episc. quos vnà cum Pelagio, Cœlestio, ac Iuliano impugnauit D. Augustinus. Idque ex eo apparet verisimillimum, quod in decreto Gelasij de libris probatis & apocryphis, ad quod in ea epistola videtur allusum, ita improbentur opuscula Fausti Rhegiensis, vt tamen ipsa persona non damnetur, nec referatur in album erronum & hæreticorum, quibus postmodum cum Pelagio, Iuliano, Cœlestio, aliisque hæreticis primoribus, accensentur Faustus (vtique Manichæus,) & Maximinus. Quod placuit non dissimulare, ne quis ex illis verbis epistolæ Leonis Pontificis, quibus Faustus ille æternis suppliciis addictus statuitur, illatam putet labem sanctitati ac beatitati Fausti Rhegiensis, quẽ cœlitũ honoribus Rhegij à multis retrò seculis effici, ac proinde quod post hæc pridẽ cõscripta Simõ Bartellus spissa pro Fausto apologia executus est, vel materialiter tantùm errasse, vel ante mortẽ resipuisse & Catholicũ obiisse, certũ est. Vt vt statuẽdum sit de sinceritate & veritate epistolæ Leoni tributæ, quã supposititiam esse contendit Barõ. an. 683.

Cum igitur Faustus, describens ordinem quo voluntas assurgit ad cudendum supernaturalem consensum nomine vocationis quam primo loco statuit, intellexerit nudam propositionem externam, siue prædicationis beneficium, quod ne Pelagius quidem inficiabatur; subministrationem autem virtutis internæ præuenientis, quam fides Catholica astruit, non agnouerit, meritò improbatur eius doctrina. Aliter verò statuendum est de Authore, qui vocationem intrinsecam communiter diuinitus obuenientem, ab externa manifestè secernit c. 12. & 15. nec laborat eo præiudicio, quo scriptores alia ex causa Pelagianismi infamia laborantes, grauantur plerumque etiam in verbis benignam interpretationem admittere idoneis.

Potest eadem ratio esse Fausti & Ioannis Scoti per Lugdunensem Ecclesiã confutati. Quantum enim ex ea confutatione colligitur, censebat Scotus, in negorio salutis, laborem humanum præuenire gratiã, eamque aduocare cooperaturam. Hoc autem liquet pertinere ad semipelagianismum, nec vlla ratione admitti posse à catholico. Id tamen à Gennadio tradi loco qui proferebatur, est planè falsum. Quinimo ibi disserte admittit gratiam præuenientem. Itaque repudio notam, qua Lugdunensis Ecclesia librum de ecclesiasticis dogmatibus iniustum voluit.

Authoris aduersus Pelagianum argumentatio malè suggillata.

15. QVoad ea quæ in capite 12. arguebantur, vana planè est Authoris impetitio. Dicitur enim eodẽ planè modo expedire nodum quẽdam, & Pelagij euasionem intercludere, quo faceret Cassianus cõformiter ad suum errorem. Vt ergo huius criminationis inanitas detegatur, proponendus est nodus ille, & prætensa Pelagij euasio, ac Authoris interclusio.

Disputauerat Author in signiter c. 11. ex Psalte ps. 80. & Apostolo 1. Cor. 12. pro gratiæ præuenientis, & adiuuantis necessitate. Tandémque in illius vndecimi capitis calce alium vrserat Psaltis locum, qui cum ps. 93. beatum prædicasset eum, quem Dominus erudierit, & de lege sua docuerit, tamen ps. 118. ipse iam eruditus & omni legis scientia secundum instructionem Iudaicam sufficienter instructus, clamat humillimè ad Dominum, eiusque misericordiam interpellans, ait: *Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo*, vnà pascens & intellectum ab externa legis instructione distinctum, & gratiam ad constanter tenendam iustitiæ viam, diuinis auspiciis initam. Aduersus hæc Catholicæ veritatis firmamenta, ait cap. 12. obniti posse Pelagianum, respondendo, Psaltem diuini auxilij subsidium postulasse ad intelligenda rantùm mandata diuina, quæ intellecta, esset propria virtute impleturus. Ita vt quamuis ex locis cap. 11. propositis adigeretur ad concedendam necessitatem auxilij interni ad perspiciendum verum supernaturale, tamen ad veri perspecti executionem nulla esset ei necessaria supernaturalis vegetatio & roboratio: eo quod natura illuminata atque erudita intelligentiæ munere, non sit infirma, possitque per se malum defugere, & bonum perficere. Hoc Pelagiani hominis, Catholicam lucem cap. illo 11. affusam, ex parte tantùm excipientis, perfugium ita obstruit Author cap. 11. vt dicat, Dauidem etiam post internam lucem impetratam, ob intestinam infirmitatem ac pugnam, adactum fuisse ad exposcendam vim indebitam, eámque Dei bonam voluntatem, ex qua iuxta Apostolum obtingeret homini posse perficere quod ex diuina gratia voluit. Ita vt quamuis ei præuento adiacet velle, perficere tamen non inueniat, nisi à Deo quoque pro bona ipsius in nos voluntate accipiat perficere.

Hic quid ab Authore peccatum fuerit, quáve in parte Cassianum æmulatus sit, vrgendo Pelagianum illud responsum, ego quidem fateor me non videre. Nec puto sanè vllius esse tam lynceos oculos, vt id perspiciant, præsertim cùm Author adducto eo loco Apostoli, quo Cassianus & Semipelagiani abutebantur, *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio*, expresè excludat sensum Semipelagianum; & ipsum quoque velle, Dei donum esse disertè moneat sub capitis 12. finem. Itaque Catholicus planè, & vsquequaque sanus eo loco est Author: quandoquidem Apostolum rectè intellectum, & B. Augustinum, ipsum quoque velle Deo ex professo vindicantem lib. de prædest. SS. secutus est. Vt autem dicit Venantius Fortunatus in expositione orationis Dominicæ, ad tertiam petitionem, in digressione contra Semipelagianos citatum Apostoli locum peruertentes, *Quicunque cum Apostolo Paulo, id est oculo Ecclesiæ, & cum Beato Augustino eius sequace consonat, in eo ignorantiæ caligo non regnat.*

Homini initium, Deo perfectionem non tribuit Author: Quanquam & hoc quoque absque labe apud nonpaucos.

16. EX his purgata quoque manent quæ culpabantur in cap. 15. quo Author dicebatur, Nabuchodonosori ad bonam frugem reuertenti concedere initium reuersionis ad Deum, ipsi autem Deo solam perfectionem reditus illius assignare; iuxta phrasim Semipelagianismo grauidã apud aliquos, *nostrum est velle & incipere, Dei verò perficere.* Hæc calumnia euanescit manifestè ex dictis proximè circa caput 12. quo Author disertè agnoscit, non *perficere* duntaxat, sed & *velle*, Dei munus esse gratuitum, & natu-

ræ

ræ indebitum, quod est stirpitus eradicare Semipelagianismum. Nihil verò occurrit toto cap. 15. ab Authore prolatum, cui videatur inædificari posse calumnia in qua diluenda versamur, præter illud in extremo capite, in bona Nabuchodonosoris resipiscentis, & animum mutantis opera cadens; *Intelligat*, respondens de quo agit, *illa omnia adiuuante Domino perfici.* Hinc tamen nullo colore concludi, mentem Authoris esse, quod sola boni operis perfectio à Deo sit, initium verò à nobis ducatur, manifestius esse puto, quàm vt vberiore demonstratione egeat: Quum Author de initio prorsus tacens, perfectionem Deo adscribat. In quo non plus peccat, quàm Scriptura, quæ plerunque de operibus supernaturalibus, quæ præuenientem & adiuuantem gratiam deposcunt, sermonem miscens, alterutrius duntaxat gratiæ meminit, tacita, non exclusa altera. Eúmque sensum apud benè multos Patres vndecunque Orthodoxos, subesse verbis illis, *nostrum est velle, Dei perficere*, latissimè ostensum est, ea disquisitione qua Valerianum Cemeliensem importunæ criminationi subduximus.

Quare etiamsi Author quem purgamus, homini salutis initium, Deo perfectionem tribuisset, non esset confestim insimulandus erroris, cum posset verbis eius optimus ille sensus subesse, quem ad tot SS. Patrum loca necessariò damus, nempe quod homini diuinitùs iam tacto atque præuento, adscribatur determinatio prima libera prout libera: non quod excludatur concomitans & coadiuuans gratia Dei sine qua liber ille consensus non excuderetur; sed quod diuina gratia condiuuans, in liberum consensum nostrum non influat, nisi posteriùs ratione quàm voluntas libera, cuius est seipsum determinare, coadiuuante & cooperante Deo: ita vt præmissa diuina præuentione gratuita, homini necessario & absque eius consensu immissa, actus secundus liber ex ea cœlesti præuentione & hominis libertate profusus, idcirco exerceatur, quia homo diuinitus tactus, & adiutus, ad eum liberè se applicat, non exercendum, quantumlibet gratia hominem tangente, nisi eum exerceri homo vellet. Id verò de gratia, quæ secundum ordinariam legem communicatur, clarum videtur. Neque enim actus ille exercetur, quamuis gratia tangente cor, nisi homo vellet eum actum exerceri, ad quem suppono non prædeterminari, nec abripi voluntatem à gratia. Hinc autem liquet voluntatem præuentam diuinitus, & comitante Dei adiutorio fultam, in bono sensu præire applicationi diuini concursus ad coëfficiendum consensum liberum, ita vt supposita præmotione, ac sollicitatione voluntatis per gratiam præuenientem, & auxilio comitante ad manum posito, ac parato, vt ad nutum hominis exeratur, quod consensus liber, qui & Dei, siue gratiæ, & voluntatis fœtus est, excudatur, prius ratione pendeat à voluntate quàm à Deo, quamuis in quocumque temporis momento, coniunctim pendeat ab vtroque illo principio. Ratione itaque huius prioritatis voluntati competentis per ordinem ad actum suum liberum, rectè ac catholicè dicitur, nostrum esse initium, Dei verò perfectionem. Ac proinde quamuis ea locutio apud Authorem extaret, non esset improbanda, tanquam incapax Catholici sensus, ac Semipelagiana. Quod hic delibatum, plenè discussum est in prædicta Valeriani defensione.

Hominis innoxij addictio ad æternos cruciatus de potentia absoluta, malè in Authore reprehensa.

17. QVod in cap. 16. reprehendebatur, tanquam durum & alienum à D. August doctrina, facilè mollietur, si Authoris institutum spectetur. Tractat eo loco argumentum de paruulis, quorum alter diuina benignitate ad gloriam euehitur, alter salute excidere permittitur. Eam difficultatem Author ita enodat, vt dicat non posse creditorem argui iniustitiæ, si de duobus debitoribus tale voluerit habere iudicium, vt vni quod debet concedat, ab altero debitum reposcat. Subdit autem non modò potuisse Deum infantem parentali noxa inquinatum dimittere absque salute, sed etiam innoxium fore si hominem nulla generationis labe sordentem addicere vellet suppliciis. *Si humanum genus quod creatum primitus constat ex nihilo, non cum debito mortis, & peccati origine nasceretur, & tamen ex eis creator omnipotens, in æternum nonnullos damnare vellet interitum, quis omnipotenti creatori diceret, quare fecisti sic? Qui enim cum non essent, esse donauerat, quo sine essent, habuit potestatem. Hoc dicerent cæteri, cur paribus omnium meritis diuinum discreparet arbitrium: quia potestatem habet figulus luti, ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumelium. Nunc autem cum damnatis pœna iusta reddatur, salutis autem gloria donetur indebita, quis vsque adeo humanæ conditionis oblitus, diuini sensus arcana discutiat, vt cùm ipse pœnam meritò fuerit consecutus, queratur cur alius gratiam quæ ei non debetur, acceperit?*

Hæc dura, & ab Augustino aliena iure dicerentur, si spectaremus quod Deus de lege ordinaria facit, siue secundùm legem semel latam, & in Scripturis toties expressam; qua Deus vltrò recepit, quantum est ex se neminem salute excludendum, & æternos cruciatus nemini infligendos, absque suo scelere & demerito. Hoc enim est quod S. August. l. de peccat. mer. c. 16. affirmat, cum ait, *Nulla vindicta, nulla corruptio, nullum Dei flagellum debetur, nisi peccato.* Et quod ait epist. 105. *debita redditur pœna damnato, indebita gratia liberato.* Rursúsque epist. 106. *Quemquam immeritum & nulli obnoxium peccato si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.* Similia leguntur in Conc. Arausic: Et consentiunt illa S. Fulg. lib. 1. de verit. præd. c. 11. *ea est bonitas Dei atque iustitia, vt gratuita miseratione redimi possit, quemcunque voluerit. Voluntati enim eius quis resistit? Iniustè verò damnare quempiam, nec velit aliquando nec possit, quia rectus est Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo, & iniquitas nostra iustitiam Dei cõmendat, nec est iniquus Dominus qui infert irã.*

Itaque Deus de potentia ordinaria, & attento ordine per ipsummet constituto, non potest ex se & secluso hominis demerito, illum addicere æternis suppliciis, quia secundum potentiam & legem à Deo latam, supplicia illa habent semper rationem vindictæ & damnationis propriè dictæ; quia scilicet ob culpam præuiam rependitur pœna. Nec id Author diffitetur, vt constat ex verbis illis capitis tertij. *Faciliùs fieri posset, vt quamuis transeunte peccato pœna minimè sequeretur, quàm vt nulla communicatione peccati, partem sumat pœnæ, qui non habet culpæ.* Aliud igitur est quod Author voluit verbis illis cap. 16. quæ tanquam dura & ab Augustino aliena insimulantur. Nimirum voluit duntaxat, potuisse Deum, quippe supremum Dominum, addicere æternis ignibus eos quoque qui non peccassent, si voluisset, nobiscum

agere

agere de potentia absoluta: & spectando quod absque iniustitia & sine rationabili cuiusquam offensione præstare potuisset; si voluisset alium rerum ordinem & procedendi modum tenere, quàm quem lege lata sanxit, & toties in scripturis expressit.

18. Hoc autem Catholicè omnino statui, euincit in primis ratio ducta ex supremo Dei dominio, quæ c. illo 16. ab Authore adhibetur, & significatur etiam Sap. 12. vbi Sapiens excisorum à Deo iniquorum omnem planè querelam iustam excludit, dicens Deo: *Quis imputabit tibi si perierint nationes quas tu fecisti?* quasi diceret. Tametsi aliæ eas perdendi iustæ causæ interuenerunt, verissimumque est impias gentes iram tuam deuocasse ad se, non autem à te vltrò innoxiis illatam, tamen si libuisset tibi figmentum tuum, nihil alioqui malè commeritum, quasi testam conterere, quis te idcirco perperam egisse queri posset, cum sis supremus Dominus, qui opus quod fecisti, potes si lubeat redigere in nihilum, nulli in ea destructione obnoxius, nullaque idcirco labe inquinandus? Sanè qui de re sua disponit vt lubet, nulli iniuriam infert. Vnde nullius iniustitiæ argui posset Deus, si pro libertate sua omnes creaturas, quasi salis grana in aquis dissolueret. Sed neque inclementiæ. Quandoquidem non deberet creaturæ asperum videri, diuino dominio, destructione illa prodendo inseruire, quamuis cum suo incommodo. Nulla igitur labes Deo idcirco inferretur. Esto deesset, tunc decor ille & splendor diuinæ bonitatis & clementiæ, qui elucet in eo procedendi modo quem nunc Deus de facto seruat, nullum hominem destruens voluntate ex se concepta, aut aliter quàm ad exigentiam causarum secundarum. Par itaque ratio est de addictione ad æternos ignes, non quidem rationem pœnæ habente ob culpam, quæ in eo euentu deesse supponeretur, sed duntaxat habente rationem mali atque nociui, illati à Deo disponente de re sua pro potestate. Absolutè enim loquendo, ea addictio Deo libera esset: nec Deus, aut iniustitiæ, aut crudelitatis notari posset, si illam decerneret; quamuis magis eum deceat irrogatio æterni supplicij sub sola ratione vindictæ. Quam decentiam maiorem insinuare videntur illa ex cap. 12. Sap. *Cum sis iustus, iustè omnia disponis. Ipsum quoque qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimas à tua virtute.* Corrupta lectio, & cum textu nullo modo cohærens, ferebat, *ipsum quoque qui non debet puniri, condemnas.* Sequitur eam lectionem S. Augustinus q. 53. ex 83. & Sanctus Greg. 3. Moral. cap. 11. qui de Christo à Patre condemnato cum puniri non deberet, locum interpretatur. Seruata autem lectione gemina, locus ille eam quam dixit maiorem decentiam legis à Deo statutæ, aperte fert.

19. Videor mihi iam nimius in re perspicua. Sed quia hic locus Authoris, maximè lubricus & salebrosus Censoribus visus est, non grauabor aliqua nonnullorum Patrum, ac Doctorum testimonia attexere, quibus prætensa illa asperitas complanetur. S. Macarius homil. 15. *Deus sui iuris est, & quod vult facit. Si velit* (ita vertendum illud ἐὰν θέλῃ, quod interpres malè expressit vertens, quando ei ita visum est,) *pro potestate & iure suo mittit iustos in gehennam, ac peccatores in regnum: Quamuis hoc minimè velit, nec placeat ei: iustus est enim Dominus.* S. Chrysostomus lib. 2. de compunct. cordis, sub finem. *Si te agentem quod tibi præceptum est, conijci iubeat Dominus tuus in gehennam, aliqua tibi datur contradicendi potestas?* Sanctus Augustinus in Psalm. 70. initio. *Multum mouet Dei amor & timor. Timor Dei quia iustus est, amor quia misericors est. Quis enim ei diceret quid fecisti, si damnaret iustum? Quanta ergo misericordia eius, vt iustificet iniustum?* Ex scholasticis idem conceptis verbis tradunt Gregor. in 1. d. 40. q. vnica, artic. 2. *sub finem*, allegans hunc ipsum locum quem purgamus. Camerac. in 1. q. 12. artic. 2. *littera I.* Medina Cod. de orat. q. 6. Subscribunt Serar. in c. 7. Iosue, q. 39. & Lorinus in c. 12. Sap. ad v. 12. Imo Cameracensis citans Gregorium, ait, *eos qui faciunt talia argumenta*, quibus probatur Deum fore iniustum & crudelem, si absolutè ex se hominem Tartaro addiceret, *& reputant in eis magnam esse difficultatem, non attendere cum debita veneratione verba sacræ Scripturæ, & signum esse magnæ ruditatis & ineruditionis in Scripturis, facere magnam difficultatem in hoc.* Nec obtendi potest Gregorium & Cameracensem esse in ea durissima sententia, quæ asserit Deum de facto aliquos reprobasse ante præuisa demerita. Hoc enim hi Doctores non admiserunt, nisi de reprobatione negatiua, vt apertè liquet ex Cameracensi supra *littera L*, qui ostendit idem voluisse Gregorium. Quod igitur addunt de addictione ad æternum cruciatum, absque demerito hominis, siue de reprobatione eius positiua à Deo ex se, & non præuiso hominis probro concepta, spectat tantùm ad potentiam absolutam: de qua etiam sola egit author loco quem præstamus indemnem, quem etiam Gregorius in sui placiti confirmationem allegat.

Eluctabilitas vocationis diuinæ perperam damnata in Authore.

20 Reliqui sunt duo illi næui, quos extra syllabum locorum mendosorum à Posseuino propositorum (de quibus hactenus) ab aliis in hoc libro animaduersos, & obiectos diximus. Prior habetur cap. 9. quo repudiabilitas diuinæ vocationis, eiusque per voluntatem humanam eluctabilitas admittitur; quam Soteallus in Gennadio aperti Pelagianismi damnauit, & alius quem retuli nuperus minorum gentium Censor, non leuiore nota inussit. Sed quod eluctabilitatem vocationis diuinæ confirmare vel excutere, huius instituti fines non ferant, nolo penitiùs in eas salebras descendere. Tantùm obiter, ne labes quæ Authori immeritò affricatur, abeat non detersa, reuoco importunis Censoribus in memoriam, quod à Tridentina Synodo sess. 6. cap. 5. & can. 4. traditum est, intorto in dissentientes anathemate. Nempe *tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem*, hominem inspirationem illam recipientem, non nihil omnino agere, *quippe qui illam abiicere potest.* Et, *liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, posse dissentire si velit.* Addo præterea, ad impactam authori hoc loco calumniam depellendam, satis supérque esse debere; quod grauissimi omnino Patres eodem planè modo locuti sint, quo author hoc loco: proindéque, quam defensionem illis Patrum locis aptabunt authoris criminatores, nos præsenti loco iure aptabimus. Signo quædam, quæ nunc occurrunt nonnullorum Patrum loca, ei qui apud authorem in suspicionem vocatur, planè genuina.

S. Augustinus lib. de spir. & littera cap. 34. *In omnibus misericordia eius præuenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propria voluntatis est.* Infigit hoc Augustinus intra paucas lineas semel ac iterum; adeóque Martinum Kemnitium

tium inter Lutheri combibones strenuissimum, veluti vertigine circumegit, vt locum manifestissimum, detorsione æquè inepta ac peruersa, aliò trahere nisus sit, latè referente, ac refellente Stapletonio lib. 4. de Iustif. cap. 4. à quo insignia alia Diui Augustini loca in eam sententiam expenduntur. Quibus adiunxerim eum locum ex l. de nat. & grat. cap. 64. quo relinquit voluntatis arbitrio vocantem Deum audire, etiam posito quod homo ad credendum vocetur, & credat: Tum præclaram Sancti Augusti disputationem lib. 2. contra duas epistol. à cap. 5. ad finem vsque libri, aduersus eos Pelagij æmulatores, qui exprobrabant S. Augustino, fati inuectionem sub nomine gratiæ, quia existimabant S. Augustinum eam præuentionem gratuitam asserere, qua voluntas vel reluctans abriperetur, nec posset vocanti resistere si vellet.

S. Prosper l. 2. de vocat. gent. cap. 26. alias 9. agnoscit refutationem gratiæ per voluntatis nequitiam, & susceptionem, siue admissionem ab eadem voluntate humana diuinitùs adiuta: per cuius liberum consensum negatum, potuisset vis gratiæ hebescere, atque obtundi. Et cap. 28. ait Deum, etiam à perseuerantibus non auferre eam mutabilitatem qua possunt nolle, cum eis donat velle ad sibi obediendum: hoc est cum eos congtua vocatione præuenit. Et rursus in capitis fine, eos qui credunt, docet in sua habere potestate ne veniant, quamuis constet, eos efficaciter vocari. Idem Prosper lib. contra Collat. c. 3. approbat vt Catholicissimam (sic enim appellat) eam Cassiani definitionem qua dixerat Cassianus, *posse hominem se auertere ab auxilio Dei, vel attrahentem eius gratiam humiliter subsequi.* Et in opere eidem perperam tributo, de vita contempl. (quod verè est Iuliani Pomerij) disertè l. 1. c. 3. habetur, Angelos bonos potuisse abiicere gratiam qua perstiterunt: & quod in bono perstiterunt, & gratiæ obsecuti sunt, eámque non repudiarunt sicut cæteri, fuisse voluntatis eorum vtique diuinitus adiutæ.

S. Anselmus c. 4. concor. tractans illud Iobi 14. *Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt,* & quærens, quomodo ergo aliqui videantur horam mortis suæ ex libera voluntate accelerare, respondet id nihilominus ab illis sui ipsorum carnificibus liberè admitti, nec eam terminorum vitæ hominis à Deo constitutorum antegressionem libertati humanæ in nefario illo opere incommodare. *Nam quoniam Deus non fallitur, nec videt nisi veritatem, siue ex necessitate, siue ex libertate veniat; dicitur constitui apud se immutabiliter, quod apud homines, priusquàm fiat, mutare potest. Tale etiam Paulus Apostolus de his qui secundum propositum vocati sunt sancti, dicit* Rom. 8. *Hoc quippe propositum, secundum quod vocati sunt sancti, in æternitate in qua non est præteritum vel futurum, sed tantùm præsens, immutabile est; sed in ipsis hominibus, ex libertate arbitrij, aliquando est mutabile.* Nempe priusquàm executioni mandetur, & homo reipsa ei proposito, ac diuinæ vocationi ab illo causatæ suffragetur. Apertissimè S. Anselmus hoc loco, vocationem secundùm propositum, quæ sanè non alia est, quàm illa victrix voluntatis humanæ, agnoscit esse eluctabilem, & priùs quàm homo liberè ei cooperationem suam adiunxerit, posse mutari & cassam reddi, etiamsi de facto non sit reddenda cassa, aut mutanda.

Idem S. Anselmus in concord. *ferè in fine,* hoc est c. 24. ita loquitur: *Homo habet in bonis quod mala non sunt, quia cùm posset deserere iustitiam & mala facere, non deseruit, sed seruauit per liberum arbitrium, dante & subsequente gratia.* En S. Anselmus agnoscit actus bonos supernaturales (de quibus ibi agit) potuisse non fieri, quamuis ad eos sollicitaret gratia effectum sottita. Apertè ergo agnoscit, eam potuisse abiici ab homine, nec fuisse ineluctabilem.

Manifestè quoque B. Laurentius Iustinianus ser. de S. Luca, statuit humanam facultatem diuino spiritui vocanti posse resistere. *Valet enim sicut assensum præbere, ita gratiæ repugnare diuinæ. Magna profectò liberi arbitrij virtus est, quæ salutis, seu propriæ damnationis efficitur causa.* Itaque est eo loco sermo de vocatione congtua, cum qua voluntas efficitur causa salutis, non autem de sufficiente quidem, sed incongrua, quæ sterilis semper est, nec effectum vllum producit. Et tamen congruæ illi vocationi, effectum reipsa sortienti, resistere posse humanam libertatem affirmat Iustinianus, quamuis constet ei non resistere, quandoquidem ponitur effectus.

Vt Latinis paucos Græcos subnectam, S. Basilius sub finem homiliæ Quod Deus sit author malorum, agens de gratia S. Gabrielis, quæ effectum verè est sortita, ait eum talem gratiam respuere potuisse, & liberum illi fuisse, etiam ea gratia supposita, excidere statu viatoris sancti, tametsi de facto gratiæ inhæserit, eamque non abiecerit sicut poterat.

S. Chrysostomus hom. 4. de laud. Pauli, agens de S. Pauli vocatione, quæ fuit profectò singularis, & victrix: *Nullus* (inquit) *hoc audiens, vocationem istam, necessitatem putet: Siquidem potuit redire vnde discessit.* Et inferiùs: *Tu verò hoc audiens, nolo vocationem istam, necessitatem putes. Non enim Deus cogit homines vocando, sed post vocationem quoque, permittit eos propriarum esse dominos voluntatum.*

Similia sæpè iterat S. Macarius. Sed optimè hom. 27. tractans illud, *spiritum nolite extinguere.* Et illud: *Nolite contristare Spiritum S. Dei.* Sic enim colligit. *Vides in tua voluntate situm esse, & in libero arbitrio tuo, vt honore afficias Spiritum S. & non contristes. Ego verò tibi dico, perfectis quoque Christianis, & quidem captiuatis & inebriatis bono, inesse liberum arbitrium, vnde infinitis malis examinati conuertantur ad bonum. Perinde ac si sint primates quidam diuites ac nobiles, qui propria voluntate & instinctu relictis bonis, nobilitate sua ac facultatibus, abeant, & induant sordida, ac vilia vestimenta & ignominiam pro gloria, sintque miseri & abiecti: hoc situm est in eorum propria voluntate. Ego verò tibi dico quod ipsos quoque Apostolos consummatos in gratia, non prohibuerit gratia, quominus quæ vellent perficerent; etiamsi voluissent ipsi, ea quæ displicebant gratiæ, peragere. Natura enim nostra, capax est, tum boni, tum mali: ac potestas aduersaria, exhortandi, non cogendi vim habet. Itaque* λοιπὸν (quod perperam interpres vertit, quoad reliqua) *tu habes liberum arbitrium vergendi quocunque volueris.* Subdit tentationum, in Apostolis quoque iam in gratia confirmatis vigentium, quod tametsi roborante gratia non essent lapsuri, possent tamen labi, nec id si obniti voluissent, impediuisset gratia, quæ tamen in eis est de facto sortita effectum. Pulcherrimè item in hanc rem disputat homil. 15.

Egregiè omnino ac copiosè in hanc sententiam disserit Philo Carpachius, tractans descensum sponsi in hortum nucum, videre in germine torrentis. Descensum enim sponsi in hortum, interpretatur gratiam præuenientem, à qua docet repetendum esse totius boni exordium, eiusque totam vim in sola pellacia & suauitate repudiabili collocat. Sed

quod

quod locus ſit longiuſculus, ibi legatur.

Poſſem his adiungere graues Authores, quibus locus Gennadij plane genuinus loco quem purgamus, totidem verbis exſcriptus eſt, atque adeò purus atque integer habitus. Huiuſmodi, præter cœteros, ſunt S. Bernardus lib. de inrer. domo, cap. 68. Author libri de ſpir. & anima, c. 48. S. Iſidorus lib. de doctrina & fide, propoſit. 20. Rabanus l. 4. de vniuer. c. 10. & recentiore memoria Sotus lib. 1. de natura & grat. c. 15. Verùm quia non hoc ago, vt repudiabilitatem diuinæ vocationis confirmem, eamve excutiam, ſed tantùm vt cenſuram iniuſtam amoliar, quæ in Authorem idcirco vibratur, quòd eo loco, in quo verſamur, eam repudiabilitatem diſertè agnouerit, non hæreo vlterius in hac cauſa; contentus addidiſſe ſi ſuffigatur locus authoris in quo verſamur, æquè ſuffigi oportere prædicta, & alia grauiſſimorum Patrum loca: aut quæ excuſatio illis aptabitur, loco item authoris æquè eſſe accommodandam. Præterea eos qui in Gennadio & Authore, damnant Pelagianiſmi eam quam vterque admittit vocationis victricis repudiabilitatem, velim non latere, non ita multò antè Batauicam Pſeudoſynodum Dordracenam, bruto fulmine perculiſſe placitum, quo diuinæ vocationis eluctabilitas admittitur, vt patet ex art. 12. & ex art. 8. inter reiectos. E contra vero Lutetiæ anno 1354. quidam Guido Auguſtinianus adactus eſt retractare quod ſexto loco dixerat, voluntatem puri viatoris ita quoque præueniri, vt nunquam poſſit in non actum meritorium, ne homo poſſit diuinum propoſitum mutare.

Aliquorum deſertio tradita ab Authore citra notam.

21. DE altero næuo propoſito, longam diſputationem texunt Theologi, partim agentes de prædeſtinatione & auxiliis prouiſis cuiuis adulto ad capeſſendam ſalutem; partim tractantes de viribus pœnitentiæ ad cuiuſvis peccati abſterſionem. Videndi Vaſquez 1. p. d. 97. Suar. t. 4. 3. p. d. 8. ſ. 2. Bellarm. l. 2. de grat. & lib. arbit. c. 6. Val. 1. 2. d. 8. q. 3. part. 4. q. 1. & quos iſti proferunt. Ego non grauatè concedi Authori viſum eſſe, Pharaonem cum in profundum venit & induratus eſt, auxilio ſufficiente quo poſſet reſipiſcere, fuiſſe deſtitutum. Nam S. Auguſtinus in expoſitione quarundam propoſitionum ex epiſtol. ad Rom. cap. 62. apertè in ea eſt ſententia. Nec verò eam vel retractauit, vel molliuit. 1. Retract. c. 23. quo alia quædam ex eo libro recognoſcit. At S. Fulgentio familiare eſt, Auguſtini placitis mordicùs adhærere, eoque interdum rigore, vt ſententiam quam verborum cortex præfert, etiamſi duriorem, conquiſita interpretationis alicuius benignitate mollire, & in alium ſenſum trahere, non ſit ſollicitus. Sic enim ſententiæ quæ infantes Baptiſmi exortes ſuppliciis non eximit, quia nonnullis Auguſtini locis in ſpeciem traditur, ſubſcriptum à Fulgentio eſt l. de fide ad Petrum c. 27. Quia ergo S. Auguſtinus loco allegato, negauit Pharaoni auxilium ſufficiens ad conuerſionem, mirum eſſe non debet, idem viſum Authori, qui in Auguſtini verba iurauit. Id quod etiam eadem ex cauſa viſum Henrico quodlib. 8. q. 1. Gregorio in 1. d. 46. Abulenſi in c. 4. Exod. q. 12. & in c. 2. Deuter. q. 10. Adriano q. 3. de pœnit. in ſolutione argumentorum, Caietano ientaculo 8. q. 1. & in c. 19. Ioan. ad illud *non poterant credere*, Medinæ 3. parænef. c. 1. Catherino opuſc. de prædeſt. & reprob. & tract. de deſertione Dei, & aliis quibuſdam recentioribus. Imo inter Patres aliqui, propter Auguſtini (vt videtur) authoritatem, in eandem ſententiam conceſſerunt. Vt S. Gregor. 11. moral. c. 5. & l. 31. c. 11. S. Iſidor. l. 2. de ſummo bono, c. 15. Anſelmus (vel potiùs Petrus Babylon. verus eius operis Author,) in c. 12. Matthæi.

22. Itaque æquum eſt, nihil ſeueriùs Authorem ei ſententiæ obſcuriùs ſubſcribentem ſtatuere, quàm in iſtos quos protuli eidem apertè ſuffragatos, ſtatuatur. Nempe aſſerendum eſt, quamuis eorum ſententia videatur dura, minúſque conformis diuinæ benignitati, & idcirco nobis non placeat; tamen non eſſe aſperiore cenſura percellendam. Non enim fert ea ſententia, latam eſſe à Deo generalem legem, vt quilibet tali ſcelere, talíve peccatorum multitudine ſordens, excidat ſpe auxiliorum ſufficientium ad pœnitentiam concipiendam, quantumcunque vitam proroget, & quòd potuerit ad ſtatus illius abiectionem efficiat: Qui eſſet error exploratus, cùm conſtet ex ſcripturis, nullum eſſe tam irremeabile hypobrichium, vt ei infixos quoſcunque, Deus à ſua miſericordia ſemper excludat. Non item fert ea ſententia, peccatorem, media ad culparum expiationem diuinitùs prouiſa vſurpantem (vel Sacramentum pœnitentiæ, ſi de indurato in lege gratiæ ſit ſermo:) aut auxiliis gratiæ inſtructum, non poſſe emundari ob inutilitatem & impotentiam mediorum illorum, vel auxiliorum: Qui item eſſet error grauiſſimus, & remediis diuinitus inſtitutis, ac gratiæ ſubſidiis cœlitùs collatis iniurius, ac proinde meritò à S. Thoma, & à Concilio Lateranenſi improbatus, vt in ratione dubitandi fuit oſtenſum. Fert itaque tantùm ea ſententia, Deum interdum abſque vniuerſali lege, quoſdam ob ſcelera immania abiicere, & ſufficientibus quoque auxiliis in pœnam priuare, quamuis aliis, qui non minora peccarint, poteſtatem conuerſionis faciat, non negatis ad id ſufficientibus auxiliis. Quem illius ſententiæ ſenſum S. Thomas non ſuffixit, imo non videtur ab eo alienus 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. Nec plura ad elegantiſſimum Opuſculum parenti ſuo B. Fulgentio vendicandum, & ab iniuſta nota, ac ſugillatione liberandum.

BEATI FVLGENTII RVSPENSIS EPISCOPI,

Liber pro fide Catholicâ aduersùs Pintam Episcopum Arrianum.

Nunc primùm prodit ex duobus MSS. codicibus, Diuionensi, & Cartusiæ Portarum.

I. ATHOLICÆ fidei fidissimum fundamentum post Christum Apostolos esse, certa fidei testatur integritas: quam rationem, ipsa forsitan prædicatione cessante, occulta nescio quæ operatio Spiritus sancti in mentibus fidelium seminata atque concreta insinuat. Quis tamen bene credentium ignorat, quia hæreses omnes de Catholica exierunt tanquam sarmenta inutilia de vite proiecta? Ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua, & portæ inferorum non præualebunt aduersùs eam. Ecclesia vna, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes hæreses pugnans, pugnare potest, expugnari non potest: de qua Salomon in Canticis Canticorum, ex persona Christi suam sponsam quam Ecclesiam
Cant. 2. 2. credimus laudantis, dicit: *Ecce proxima mea tanquam lilium in medio spinarum*: quia diuersarum hæresum dogmatibus eius integritas tanquam spinis quotidie pungitur, vt contra hostes suos vigilans exerceatur, donec eminens tanquam lilium in capite sponsi sui, candore ipso decoretur.

II. Verùm quia quidam proprio spiritu actus, eius fidei cultores Homousianos vel Vnisubstantianos vocandos esse præsumpsit, eius imperitiæ respondendum. Tantus enim ac talis est omnipotens Deus, vt per malos pronunciet bona; sicut per Pontificem malum, nostræ redemptionis prædicere dignatus est sacramentum. Is namque qui ipsum condidit libellum sæua mente conceptum, congeriem diuinorum testimoniorum, tam noui quàm veteris testamenti contra Homousion opponendam putauit. De talibus olim prænunciauit
1. Tim. 1. 7. Apostolus, dicens: *Nescientes de quibus loquantur, neque de quibus adfirment.* Si enim sciret quid Homousion ex Græco in Latino exprimitur, laudare potiùs quàm exprobrare contenderet. Patres enim nostri trecenti decem & octo, ad Arrij venena excludenda antidotum huius vocabuli confecerunt, non extraneis vocibus ab Euangelio vsi sunt, sed verbum è verbo ad ritum facilius rectæ fidei rationem nondum intelligentibus insinuare curarunt: homos namque vnus, vsia substantia Græco sermone appellatur. Consule Euangelij dictum, & inuenies hoc esse ore diuino prolatum: *Ego & Pater vnum sumus.* Discute pluralem, & redi ad singularem substantiæ veritatem. Nam quòd di-
Ioan. 10. 30. xit: *Ego & Pater vnum sumus*; Patris, suamque personam, contra Sabellium, quem præuidebat futurum hæreticum, dicendo sumus, sententiam promulgauit, vt discerneret suam, Patrisque personam. Vnum quod dixit, æquè Arrium præuidebat, qui substantiam deitatis intersecare non dubitat. Quia & Sabellius malè coniunxit, & Arrius sceleratiùs separauit: oportebat namque Sabellium Patris, Filiíque personam secernere, & Arrium deitatis substantiam in nullo penitùs separare. Magnum sanè crimen fidei putant applicari Catholicæ, cùm eius alumnos Homousianos, vel Vnisubstantianos appellant: quasi homousion vel substantiam deitatis, vel alicuius hominis vocabulum contineat; sicut diuersarum hæresum auctores, sui nominis sectam discipulis prædicandam esse senserunt. Sicut Simoniani à Simone, Menandriani à Menandro, Marcionistæ à Marcionæ, Valentinianistæ à Valente, Manichæi à Mane, Nepotiani à Nepote: & vt antiquas, & penè iam deficientes hæreses prætermittam, nouellas interim nominabo, vt sunt Sabelliani à Sabellio, Arriani ab Arrio, Eunomiani ab Eunomio, Macedoniani à Macedonio, Apollinaristæ ab Apollinare, Nestoriani à Nestorio, Donatistæ à Donato, Maximianistæ à Maximiano, Rogatistæ à Rogato; & si qui sunt alij qui nominetenus tantùm, non opere dicuntur Christiani, qui derelicto Deo, auctorum suorum nomina venerantur. Doceat is qui Homousion in Catholicos accusandum putauit, alicuius esse hominis nomen Homousion. Videretur namque mihi, nisi Euangelij clarissimum culmen omnibus gentibus luce clariùs innotuisset, vt hæresim suam quomodo fouendam arbitrarentur Arriani, possent ipsa Domini verba de Euangelio eradicare, id est; *Ego & Pater vnum sumus*, quod (vt dictum est) verbum è verbo translatum Homousion Patres statuerunt. Ioan. 10. 30.

III. Quòd autem apud imperitos astruunt, multis debere credi, an paucis; eo quòd Nicænum Concilium in trecentis decem & octo Patribus celebratum est; Ariminense verò in octingentis triginta iactitant congregatum, vbi Homousion callidi homines apud imperitos interpolare conati sunt; compendio referam. Ecce Homousion in paucis obtinuit, vt cæteris Episcopis per totius orbis spatia constitutis sic innotuisset, vt eius se confessione gaudeant decorari. Quòd si posterior Ariminensis* in tanta multitudine, vt asserunt congregatus est, eius sectæ Episcopi per orbem multiplicarentur, populi crescerent; talis fides etiam ipsa imperia occuparet. Sed vbi fraudis illius calliditas per prudentes & probatissimos viros est agnita, ita Homousion confirmatum est, vt vix Ariminensis reliquias ad probandos Catholicos remansisse cernamus. Ipsam vrbem Ariminum, vbi hoc fraudis negotium gestum est, vel potiùs concinnatum, si complaceat, consulamus. Vtrùm ipsius sectæ habeat Episcopum, nescio: nam de Mediolano liberiùs astruam,

* *Videtur deesse*, conuentus.

vbi Auxentius sectæ suæ venena vt callidus artifex fudit : cuius posterior Ambrosius dogma ita destruxit, Spiritu sancto repletus ; vt nomen eius post mortem in ipsa vrbe, à memoria viuentium raderetur ; & velut quoddam contagium eius vocabulum haberetur. Per quem Ambrosium & Augusti tunc Gratiani fides firmata est, & crementa in Episcopis & populis magis magisque creuerunt. Non enim omnipotens Deus, qui per omnes Scripturas Ecclesiæ suæ crementa promisit, deserere suam pollicitationem, & dimittere posset crescere falsitatem. Hoc de omnibus hæresibus dictum sit.

IV. Cæterùm in consequentibus, adiuuante Deo, qui & cor instruit, & linguam regit, & de vno Deo, & de potentia & inuisibilitate vel æqualitate Filij cum Patre, & Spiritus sancti deitate, quæ Trinitas ipsis nolentibus vnus tamen est Deus, talia testimonia ponentur ; vt si contentionis tenebras non amauerint, lucem necesse sit videant veritatis. Et ne quempiam moueat quod diximus, Ecclesiæ crementa per omnes Scripturas fuisse promissa : & si vindicant, per hanc oppressionem fuisse concessa, nouerint esse scriptum in Ieremia, *Clamabit perdix, congregabit quos non peperit, faciet diuitias suas non cum iudicio.* Et hoc certissimum documentum est, quia catholica fides nunquam nisi tribulationibus & persecutionibus
Act.14.21. creuit : vt impleatur quod dictum est ; *quia per multas tribulationes & angustias oportebit nos videre regnum Dei.* Illius autem fidei crementa testantur exilia innocentium, & proscriptiones miserorum, & tormenta, & oppressio captiuorum. Sed video quosdam contradictores parturientes, & Donatistarum nobis obiicere persecutiones, quorum furor legibus violentiam fecit, & legibus ista perpessi sunt. Nam si quos ex eis catholica mater pio sinu suscepit, sine vlla Baptismi iniuria, sine vlla oneris iactura, sine vlla Spiritus sancti contumelia : vt qui voluntate conuersi sunt, dolerent quia diu eos latuit charitas.

Catholica testimonia de vno Deo.

Deut.6.4 V. Prima vox Dei ; *Audi Israël Dominus Deus*
Deut.32.12. *tuus, Deus vnus est.* In Deuteronomio ; *Dominus solus deducebat eos, & non fuit cum illis Deus alie-*
Deut.32.39. *nus.* Item ibi ; *Videte, videte, quia ego sum Deus, &*
Exod.20.3. *non est alius præter me.* In Exodo item ; *Non erunt*
Exod.20.5. *tibi alij absque me.* Item : *Sacrificans diis aliis abs-*
Deut.6.13. *que me, eradicabitur.* Item : *Dominum Deum tuum*
Deut.3.24. *adorabis, & illi soli seruies.* Item : *Neque enim est alius Deus vel in cœlo, vel in terra, qui potest facere*
Oseæ 13.4. *opera tua, aut comparari magnitudini tuæ.* In Osea Propheta ; *Dominum præter me non noueris, & sal-*
Isai.43.11. *uans non erit præter me.* In Esaia : *Ego Deus, & non est præter me saluans : adnunciaui, & saluaui, & non*
Isai.45.18. *erit in vobis alienus.* Qui suprà : *Hæc dicit Dominus qui fecit cœlum : hic Deus qui extendit terram, & fecit eam : non in vanum fecit eam, sed vt inhabitare-*
Isai.45.22. *tur. Ego sum, ego sum, & non est alius quis. Ego sum Deus, & non est alius. Per me ipsum iuro, nisi prodierit de ore meo iustitia, verba mea non reuertentur : quoniam mihi flectetur omne genu, & iurabit omnis*
Isai.64.4. *lingua Deum.* Qui suprà : *A sæculo non audiuimus,*
Isai.43.10. *neque oculi nostri viderunt Deum præter te : & ante me non fuit Deus, & præter me non erit alius. Quis*
Isa.48.12. *ego? Deus primus, & ego in ea quæ superueniunt.*
Psal.17.32. In corpore Psalmorum ; *Quis Deus præter Domi-*
Psal.76.15. *num nostrum?* Item : *Quis Deus magnus sicut Deus noster? Tu es Deus qui facis mirabilia solus.* Item ; *Sciant gentes quoniam nomen tibi Dominus : tu so-* Ps.82.18.
lus altissimus super terram. Hoc magis Filio competit. In Regnorum, Ezechias aduersùs Sennacherib ; *Domine Deus Israel, tu es Deus solus Re-* 4.Reg.19.15.
gum omnium terræ. Qui suprà : *Dominus Deus no-* 4.Reg.19.19.
ster, saluos nos fac de manu eorum, vt sciant omnia regna terræ, quia tu es Dominus solus. Salomon in oratione expandit manus suas in cœlum, & ait : *Domine Deus Israël, non est similis tibi Deus,* 3.Reg.8.23.
nec in cœlo sursum, neque in terra deorsum. Et quamuis de vno Deo duo vel tria testimonia sufficerent, audiant tamen ij, qui nobis duos Deos introducunt. Confitentur enim Deum Patrem, & Deum Filium : hoc sanè verum est ; sed qui non honorificat Filium sicut honorificat Patrem, hic impius est. Si enim debetur sacrificium vel honorificentia Patri, hoc debetur & Filio. At cùm maiorem adseris Patrem, minorem Filium, duos Deos introducis ; in vtroque sacrilegus, & non audiendo : *Dominus Deus tuus, Deus vnus est* ; & non hono- Deut.6.4.
rificando Filium sicut honorificas Patrem. Nullos gradus interposuit Filius. Interroga, Patris quæ honorificentia. Tu conaris ad vtrorumque contumeliam : & Patris, quia eius Filius non auditur, de quo Pater dicit : *Ipsum audite*, & Filij, Matth.17.5.
quem in suo præcepto audes contemnere. Sed iam alia testimonia de æqualitate Patris & Filij proponantur.

Testimonia de æqualitate Patris & Filij.

VI. In Apocalypsi. *Et habebat in vestimento,* Apoc.19.16.
vel in femore suo scriptum, Rex Regum, & Dominus dominantium. Si de Patre hoc Apostolus dicit, hîc manifestè de Filio dicitur. Vbi suprà : *Beatus, & sanctus qui habet partem in resurrectio-* Apoc.20.6.
ne prima : in eis secunda mors non habet potestatem. Sederunt Sacerdotes Dei & Christi eius, & regnabunt cum eo. Vbi suprà : *Ego sum α, & ω : initium* Apoc.21.6.
& finis. Ego sitienti dabo fontem aquæ vitæ gratis. Qui vicerit, possidebit hæc, & ero illi Deus, & ipse erit mihi filius. Vbi suprà : *Et templum non vidi in ea : Dominus enim Deus omnipotens est templum* Apoc.21.22.
eius, & Agnus. Nulla differentia. Vbi suprà : *Et* Apoc.22.1.
ostendit mihi fluuium aquæ vitæ splendidum, procedentem de sede Dei, & Agni. Vna sedes, non duæ. Vbi suprà : *Sedes Dei, & Agni in illa erunt, &* Apoc.22.3.
seruient ei. In epist. Ioan. *Omnis qui non manet in* 2.Ioan.9.
doctrina Christi, Deum non habet. Qui permanet in doctina, & Filium & Patrem habet. Filius priùs. In epistola Iudæ : *Dominatorem & Deum nostrum* Iudæ 4.
Iesum Christum negantes. Et Deus, & Dominus. In Apocalypsi : *Dicunt montibus & petris, abscondite* Apoc.6.16.
nos à facie sedentis in throno, & ab ira Agni : quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare? Vnum, vel æquale iudicium. Vbi suprà : *Salus Deo nostro, & Agno.* Vbi suprà : *Factum* Apoc.7.10.
est regnum huius mundi, Domini Dei nostri, & Apoc.11.15.
Christi eius, & regnabit in sæcula sæculorum. Regnabit, non regnabunt. Vbi suprà : *Et audiui vocem* Apoc.12.10.
magnam in cœlo dicentem : Facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius. Nulla diuisio. Vbi suprà : *Et vidi, & ecce Agnus* Apoc.14.1.
stabat super montem Sion, & cum illo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen Patris eius in frontibus suis. Numquid præiudicat, quia Filius prior nominatus est, vbi vna potestas est? Vbi suprà : *Hi empti sunt ex hominibus,* Apoc.14.4.
primitiæ Deo, & Agno. Vbi suprà : *Hi cum Agno* Apoc.17.14.
pugnabunt, & Agnus vincet eos ; quia Dominus dominorum est, & Rex Regum. Quid amplius habet

Patet?

Heb.6.13. Pater? dicatur. Ad Hebræos: *Abrahæ namque pro-*
mittens Deus, quia neminem habuit per quem iu-
raret maiorem, iurauit per semetipsum, dicens, Si
de Patre accipitur, visibilis erit: si de Filio, maior
Ioan.5.23. illo non erit. Pater in Euangelio: *Vt omnes*
honorificent Patrem. Et qui habet qui eum mi-
sit, hæc missio non de loco in locum: nam &
Ioan.5.21. Sol mittit radios, & non à se separatur. Item:
Sicut Pater viuificat mortuos, ita & Filius quos
vult viuificat. Ecce Filius, quos vult: ecce Spiri-
Ioan.14.9.& tus, vbi vult. Philippo: *Qui me videt, videt &*
v.11. *Patrem.* Et iterum: *Non credis, quia ego in Patre,*
& Pater in me? Ecce æqualitas Patris, & Filij. Item:
Ioan.17.1. *Pater, clarifica Filium tuum, vt & Filius tuus clari-*
ficet te. Par potestas. Sed sufficiunt ista de æquali-
tate Filij cum patre.

Testimonia de Filij deitate.

Iob 9.8. VII. In Iob: *Qui extendit cœlum solus, & am-*
Baruch 3.37. *bulat super mare tanquam super terram.* In Ieremia:
Hic Deus noster, & non deputabitur alius absque
eo: qui inuenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam
Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in ter-
ris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Num-
quid quia hic persona Filij expressa est, dicendo,
quia non deputabitur alius absque eo. Patrem à deita-
te separamus? In Esaia: *Fatigata est Ægyptus, &*
Isai.45.14. *negotio Æthiopiæ. Multi ad te venient, & tui erunt*
serui: & ambulabunt post te, alligati compedibus: &
adorabunt te, & deprecabuntur: quoniam in te est
Deus & tu es Deus solus, & nesciebamus: Deus Is-
raël, Saluator noster. In hoc clarissimo testimonio,
non solùm deitas Filij, sed & summa cum Patre
Ioan.14.11. ostenditur æqualitas: nam quòd ait, *In te est Deus,*
& tu es Deus: hoc in Euangelio dictum est: *Ego*
in Patre, & Pater in me. Ad Romanos: *Quorum*
Rom 9.5. *patres, & ex quibus Christus, qui est super omnia*
Deus benedictus in sæcula. Propria deitas Filij. Ad
2.Cor 4.4. Corinthios secunda: *Qui est imago inuisibilis Dei.*
2.Cor.5.19. Si imago, veritas. Vbi suprà: *Deus erat in Christo,*
Ephes.3.8. *mundum reconcilians sibi.* Si Deus totus, non ex par-
te. Ad Ephesios: *Euangelizare incomprehensibiles*
Colos.1.19. *diuitias Christi.* Numquid Christi solius, & non Pa-
tris? Ad Colossenses: *Quia in ipso complacuit om-*
nis plenitudo diuinitatis corporaliter. Hic aduerte,
quia & omnem plenitudinem, & diuinitatem: vbi
nihil est quod addatur. Vbi suprà: *Vt ostenderet*
Colos.1.27. *Deus diuitias sacramenti sui inter gentes: quod est*
Christus. Ecce diuitiæ Dei, Christus est. Vbi suprà:
Colos.2.3. *Vt in agnitione sacramenti Dei, quod est Christus: in*
quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ abscon-
Philip.2.6. *diti.* Integra plenitudo. Ad Philippenses: *Qui cum*
in forma Dei esset constitutus. Audis formam, & negas
1.Thes. æqualem? Vbi suprà: *Ipse autem Deus Pater, & Do-*
minus noster Iesus Christus dirigat viam nostram ad
1.Tim.6.14. *vos.* Ecce ambo dirigunt: par potestas. Ad Timo-
theum prima: *Vt serues mandatum irreprehensibile,*
vsque ad aduentum Domini Iesu Christi: quem suis
temporibus ostendet beatus, & solus potens, &c. Num-
Tit.2.11. quid quia dixit, *solus potens*, excluditur Pater à po-
Tit.2.13. tentia? Ad Titum. *Illuxit autem omnibus hominibus*
gratia Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi. Vbi su-
prà: *Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ*
Tit.3.4. *magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi.* Si magnus
Deus Filius, nihil habet minùs. Vbi suprà: *Cùm au-*
tem benignitas & humanitas illuxit Saluatoris nostri
Iesu Christi. Hic nec humanitatem tacuit, nec diui-
1.Ioan.5.20. nitatem. Ioannes ad parthos: *Vt credamus in vero*
Filio eius Iesu Christo. Hic est verus Deus, & vita
æterna. In hoc testimonio qui negat Filio per-
fectionem Dei, Antichristus est. Petri secunda:
Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus 1.Pet.1.11.
in æternum regnum Domini nostri & Saluatoris
Iesu Christi. Et quamuis hæc pauca testimo-
nia de deitate Filij, quasi de magno mari ipsa-
rum Scripturarum stilla eleuata sit: cùm om-
nis Scriptura tam eius deitati, quàm etiam eius
pro adsumpta carne humanitati perhibeat testi-
monium: sicut ipse in Euangelio secundum Ioan-
nem ait: *Scrutamini Scripturas, quia vos pu-* Ioan.5.39.
tatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt
quæ testimonium perhibent de me. Non ait, *de no-*
bis; ne duos introduceret Deos. In Luca dixit
ad eos Iesus: *Hæc sunt verba quæ locutus sum* Sap.18.15.
vobis cùm adhuc essem vobiscum: quoniam neces- Zach 2.6.
se est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi
& Prophetis, & Psalmis de me. Numquid ex-
cludit Patrem à testimonio Scripturarum, quia
& hic ait: *de me*? De omnipotentia Filij in Sa-
lomone: *Omnipotens sermo tuus Domine, de cœ-*
lis à regalibus sedibus venit. In Zacharia: *Oq,*
fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus: eo quòd
ex quatuor ventis cœli colligam vos. Dicit Dominus:
In Sion saluamini qui habitatis in terra Babylo-
nis. Propter quod hæc dicit Dominus omnipotens.
Post gloriam misit me ad gentes, qui vos ex-
spoliauerunt. Propter quod qui tangit vos, tan-
quam qui tangit pupillam oculi eius. Propter quod
inducam manum meam super eos, & erunt præ-
da prædantibus eos: & scitis quia Dominus om-
nipotens misit me. Sursum omnipotens dicit: deor-
sum omnipotens mittit: numquid duo omnipo-
tentes? Amos Propheta: *Dominus qui tangit ter-* Amos 9.5.
ram, & mouet eam, & lugebunt omnes commoran-
tes in ea: & ascendet sicut fluuius Ægypti, qui ædi-
ficat super cœlum ascensionem suam, & remissionem
suam super terram confirmat: qui vocat aquas
maris, & effundit eas super faciem terræ: Do-
minus omnipotens est nomen eius. Nónne hæc om-
nia Filio intelliguntur conuenire? qui descendens
terram tetigit, passione commouit, de terris as-
cendit in cœlum, & super terram descendit è cœ-
lo? sicut ipse promisit in Apocalypsi: *Hæc dicit*
qui est testis fidelis initium creaturæ Dei: qui est, & Apoc.3.14.
qui erat, & qui venturus est, Dominus omnipotens.
Mouet quia dixit, *initium creaturæ Dei*: moueat,
quia dictum est, *Dominus omnipotens*: vt hoc de dei-
tate; illud, quòd natus est de Maria virgine.

Testimonia de Trinitate.

VIII. In Euangelio: *Ite, baptizate gentes in no-* Matth 28.19.
mine Patris & Filij & Spiritus sancti. In nomine, non Matth.13.33.
in nominibus. Item: *Simile est regnum cœlorum mu-*
lieri, quæ abscondit fermentum in farinæ satis tribus,
donec fermentaretur totum. Hîc mulier ponitur Ec-
clesia, quæ æquis ponderibus fidem Patris & Filij
& Spiritus sancti in corda credentium abscondit.
In Apocalypsi: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus*
Deus Sabaoth. Tertiò audio *sanctus*, & vnum Domi- Apoc.4.8.
num Deum. Vbi suprà: *Et dixit mihi Angelus.*
Hæc verba vera Dei sunt. Et cecidi ante pedes eius vt Apoc.19.9.
adorarem eum: & dixit mihi; Vide ne feceris: con-
seruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testi-
monium Iesu, & spiritus prophetiæ. Quid tam luce
clarius ad ostendendam Trinitatem, nisi verba vera
Patris, testimonium Filij, donum prophetiæ Spiri-
tus sancti? In Psalmis: *Apud te est fons vitæ, &* Psal.35.10.
in lumine tuo videbimus lumen. Apud Deum Patrem
fons vitæ Christus: & quia lumen est in ipso, illu-

minator videtur Spiritus sanctus: quia qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius. In Psal. LXVI. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.*
Vers.8. Ter audio Deum, & vnum prædicat metuendum. In epistola Ioannis: *Tres sunt in cœlo qui testimonium reddunt, Pater, Verbum, & Spiritus: & hi tres*
1.Ioan.5.7. *vnum sunt*: Quid dicam de Patriarcha Abraham? qui cùm trium speciem virorum videret, vnum in eis Deum cognouit cùm dicit: *Dominator Domine.* Corporali ministerio tribus exhibet humanitatis officium: vno tamen prolis suscepit beneficium,
Gen.18. dum dicitur ei: *Ad hoc tempus veniam, & erit Saræ filius.* Non dixit, *veniemus*, sed *veniam*: ne plebem Deorum introducere videretur. Nam vt noueris Trinitatem simul habitare, simul immunditiam declinare, audi quid in Euangelio Dominus dicat: *Qui me diligit, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum: & veniemus, ego & Pater meus, &*
Ioan.14.11. *mansionem apud illum faciemus.* Ecce, Pater & Filius vnam habitant mansionem. Quid Spiritus sanctus? Audi Apostolum dicentem: *Templum Dei*
1.Cor.3.16. *estis; & Spiritus Dei habitat in vobis.* Ostensus est Pater, & Filius & Spiritus sanctus simul habitare: ostendatur ipsa Trinitas simul immunditiam declinare. Apud Salomonem habes: *Peruersæ au-*
Sap.1. v.3. *tem cogitationes separant à Deo.* Hoc de Patre.
4.5. *Quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia.* Hoc de Filio. *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu.* Hoc de Spiritu sancto. Sed vt compendio intellectus, Scripturæ sensum de natura Trinitatis vniter dicentem colligas: in Exodo item habes. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, &*
Exod.3. v.6. *Deus Iacob.* In Psalmo: *Viuit Dominus, & benedi-*
15.16. Psal.17.47. *ctus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ.*
1.Cor.12. 4. Paulus: *Idem Spiritus, idem Dominus, idem Deus.* Nunquid ostendit catholicum sensum, quia Spiritus prius nominatus est? Item si Dominum quæ-
Psal.28.2. ras ipsam Trinitatem dictam audi: *Adferte Domino gloriam & honorem, adferte Domino gloriam*
Psal.23.9. *nominis eius.* Quia Rex ipsa Trinitas: *Auferte portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ: Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Testimonium datum, Deum tertiò repetitum, Dominum tertiò appellatum Regem. Nec dij, nec domini, nec Reges dicti sunt, quia in trina nomina & personas discernuntur: nam vna deitas, vnum dominium, vnum regale imperium. Qui huic veritati studio malè vincendi contradicit, non dico damnabitur, sed iam damnatus est.

Testimonia de Spiritu sancto, quia Deus est.

Gen.1.2. IX. In principio libri Genesis: *Et Spiritus Dei ferebatur super aquas*: qui in figura Baptismi aquas
Iob 33.4. sanctificaret, non qui lassando pausaret. In Iob: *Spiritus diuinus est qui fecit me, & Spiritus omnipotens qui docet me.* In diuinitate perfectio. In Euangelio: *Spiritus est Deus; & qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare.* Item: *Non enim*
Ioan.4.24. *ad mensuram dat Deus Spiritum.* Ecce Spiritus immensus est. Ad Nicodemum: *Spiritus enim vbi vult*
Ioan.3.34. *spirat, & vocem eius audis; & nescis vnde veniat, vel quò vadat.* Quando audis, *vbi vult*, propria
Ioan 3. 8. Luc.4.18. potestas est. In seipso Christus: *Spiritus Domini*
Luc 4. 1. *super me.* Nisi prius reuocer has voces intellectus, maior erit Spiritus Filio. Item; *Iesus repletur Spiritu sancto, reuersus est ab Iordane.* Similis intel-
Ioan.6.63. lectus. Item: *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, vbi erat prius. Spiritus est qui viuificat:*


nam caro non proderit quicquam. Nihil minus habet deitatis qui viuificat. Item: *Cùm venerit Paracletus, Spiritus veritatis, quem Pater mittet in nomine meo, ipse introducet vos in omnem veritatem, & docebit vos.* Deus est qui introducet in omnem veritatem. In Actibus Apostolorum, Petrus Cornelio: *Iesum à Nazareth, quem vnxit Deus Spiritu sancto.* Homo vnctus est, non Deus. Item Ananiæ: *Quare tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto?* Et infert: *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Item: *Hæc dicit Spiritus sanctus. Segregate mihi Saulum & Barnabam in ministerio quo vocaui eos.* Hic nec Patris, nec Filij inducit personam; quos tamen sanus intellectus non separat à iussione. Item Apostolus gentibus in epistola: *Placuit*, Act.15 28.
inquit, *Spiritui sancto, & nobis, non imponere vobis ampliùs, quàm vt abstineatis ab idolis, à fornicatione, & sanguine.* Numquid hæc iussio sine Patre & Filio facta est? Item ibi: *Dixit autem Spiritus Petro: Exurgens vade cum illis, quia ego eos misi ad te.* Act.10.19.
Numquid nisi creator imperat creaturæ? Item ibi: *A Mileto autem Paulus mittens Ephesum, conuocauit Presbyteros, & maiores natu:* & post multam Act.20.17.
exhortationem intulit: *Attendite gregem Christi, in quo vos Spiritus sanctus constituit Episcopos.* Act.20.28.
Numquid ab hac constitutione Sacerdotis separatur Pater aut Filius? Paulus ad Romanos: *Spiritus autem vita æterna, & pax.* Hoc Pater, hoc Filius, hoc Rom 8 6.
Spiritus sanctus; sed vna vita, non tres. Vbi suprà: *Spiritus vita est propter iustitiam*: hoc Pater, hoc Filius. Vbi suprà: *Si autem Spiritus eius qui suscitauit Christum à mortuis, habitat in vobis*: qualis Rom.8 10. Rom.8.11.
hic est Deus, qui carnem creatoris à mortuis suscitauit? Vbi suprà: *Non enim accepimus Spiritum* Rom.8.15.
seruitutis. Nullus liber nisi Deus, quod est Spiritus sanctus. Vbi suprà; *Deus autem spei repleat vos* Rom.15.13.
omni gaudio, & pace in credendo: in abundantia spei, & virtute spiritus sancti. Sicut Christus virtus Dei, ita Spiritus sanctus. Vbi suprà; *Vt fiat oblatio gen-* Rom 15.16.
tium sanctificata in Spiritu sancto. Spiritus sicut vi- Rom.15.18.
uificat, ita & sanctificat. Vbi suprà; *Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus in obedientiam gentium, aut verbo aut factis; per potentiam signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti.* Virtus Filius, virtus Spiritus, virtus Pater; sed vna, non tres. Ad Corinthios prima; *Spiritus autem omnia scrutatur. Nemo nouit quæ sunt* 1. Cor.2.
Dei, nisi Spiritus eius. Vbi suprà; *Templum Dei* v.10. 11. 1.Cor.3. 16.
estis & Spiritus Dei habitat in vobis. Deus est qui 1.Cor.6. 11.
habitat in templo suo. Vbi suprà; *Abluti, & sanctificati estis in nomine Domini Iesu Christi, & Spiritu Dei nostri.* Ecce, simul mundant, simul sanctificant Filius & Spiritus sanctus. Vbi suprà: *Omnia operatur* 1.Cor.12.11.
vnus atque idem Spiritus, diuidens vnicuique prout vult. Qui liberè quod vult facit, nulli est subditus. Ad Corinthios secunda: *Epistola scripta, non atramento,* 2.Cor.3.3.
sed Spiritu Dei viui. Spiritus hominis non est minor homine; quantò magis Spiritus Dei? Vbi suprà: *Littera occidit, Spiritus autem viuificat.* Qui viuificat 2.Cor.3.6.
Deus est, quia *Dominus mortificat, & viuificat.* Ad Ga- 1.Reg.2.6. Gal.3 14.
latas: *Vt benedictionem Spiritus accipiamus per fidem.* Gal 5.25.
Deus est qui benedicit. Vbi suprà: *Spiritu viuimus, Spiritu & ambulemus.* Qui rursum benedicit, ipse viuificat vt Deus. Vbi suprà: *Qui seminauerit in Spiri-* Gal.6.8.
tu, de Spiritu metet vitam æternam. In his tribus testimoniis ad Galatas, Spiritus & benedicit, & viuificat, & dat vitã æternam. Ad Ephes. *In quo credentes signa-* Ephes.1.13.
ti estis in Spiritu sancto. Signamur in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti. Vbi suprà: *In quo vos ædifi-* Ephes.2.22.
camini in habitaculum Dei in Spiritu. Item: *Reue-* Ephes.3.5.
latum est sanctis eius Apostolis in Spiritu, esse gentes cohæredes.

Ioan.4.26. Act.10.38. Act.5.3. Vers.4. Act.13.2.

Ephes.3.16. *cohæredes.* Omnia operatur vnus atque idem Spiritus, hæredes facit. Vbi suprà; *Vt det vobis secundùm*
Ephes.4.3. *diuitias claritatis suæ, virtutem corroborari per Spiritum suum.* Non corroborat nisi Deus. Vbi suprà;
Ephes.6.17. *Solliciti seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis.* Pax Christus. Numquid duæ paces? Vbi suprà; *Et gladium Spiritus, qui est sermo Dei.* Sermo Dei Christus: Spiritus sanctus sermo Dei.
Philip.1.27. Numquid duo sermones? Ad Philippenses; *Sine absens audiam de vobis, quia statis in vno Spiritu:*
2.Thes.2.13. hoc est, in Deo. Ad Thessalonicenses; *Adsumpsit vos Deus ab initio ad salutem in sanctificatione Spiri-*
1.Tim.3.16. *tus,* ad Timotheum prima; *Magnum est pietatis sacramentum; quod manifestatum est in carne, iustificatum est in Spiritu.* Ecce, etiam Christi incarnatio-
2.Tim.1.14. nem Spiritus sanctus sanctificat. Ad Timotheum secunda; *Bonum fidei commissum custodi per Spiritum sanctum qui habitat in nobis.* Si Deus non esset Spiritus, non auderet Apostolus per ipsum discipu-
Tit.3.5. lum adiurare: insuper, qui habitat in nobis. Ad Titum; *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, per*
1.Pet.1.12. *Spiritum sanctum.* Petri ad gentes; *Nunciata vobis sunt per eos, qui euangelizauerunt vobis, Spiritu sancto misso de cœlis: in quo concupiscunt Angeli prospicere.* Deus, quem cupiunt Angeli prospicere.
1.Pet.2.18. Vbi suprà; *Christus pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis? vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem Spiritu.* Vbi suprà:
1.Pet.3.18. *Vt iudicentur quidem secundùm hominem in carne, viuant autem secundùm Deum in Spiritu.* Vbi suprà;
1 Pet.4.14. *Si exprobramini in Christo, quoniam gloriæ Domini Spiritus in vobis requiescit.* Gloria Patris Christus est gloria Spiritus sanctus. Numquid duæ gloriæ?
2.Pet.1.20. Petri secunda: *Hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ, propriâ interpretatione, non enim voluntate humana ablata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto acti locuti sunt homines Dei.* Nullus inspirat prophetiæ donum nisi Deus.
1.Ioan.3.24. Ioannis ad Parthos: *In hoc scimus, quia manet in*
1.Ioan.4.13. *nobis, de Spiritu sancto quem dedit nobis.* Vbi suprà: *Quoniam in eo manemus, & ipse in nobis; quia de Spiritu suo dedit nobis.* Dedit, quod audis, ope-
Apoc.11.11. ratio est virtutis, non separatio deitatis. In Apocalypsi; *Et post dies tres & dimidium, Spiritus vitæ à Deo intrauit in eos: steterunt super pedes suos.* Quod
Apoc.14.13. à Deo procedit, Deus est. Vbi suprà: *Scribe, beati mortui qui in Domino moriuntur: amodò iam dicit Spiritus vt requiescant à laboribus suis.* Non dixit Pater, non dixit Filius, sed Spiritus, qui per
Heb.9.13. hanc iussionem ostenditur Deus. Ad Hebræos: *Si enim sanguis taurorum, & hircorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum seipsum obtulit immaculatum Deo?* Hoc testimonium docet cuius potestatis sit Spiritus sanctus, per quem caro Christi exhibetur immaculata. Vbi suprà: *Irritam quis faciens legem*
Hebr.10.28. *Moysi, sine vlla miseratione, duobus vel tribus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, & Spiritui gratiæ contume-*
Heb.12.23. *liam fecerit?* Ecce qualis vltio pro iniuria Filij, & Spiritus sancti. Vbi suprà? *Iudicem omnium Deum, & Spiritus iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem Iesum Christum.* Hoc testimonium conuenit Trinitati, quia & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus hic nominatus est. Quia omnipotens est
Sap.7.22. Spiritus sanctus. In Salomone; *Spiritus sanctus, multiplex, subtilis, disertus, securus, incontaminatus, omnem habens virtutem.* Et negas omnipotentem?
Ioan.16.7. Quia Iudex est Spiritus sanctus. Dicit Dominus: *Si abiero, mittam eum ad vos: & cùm venerit, ipse arguet mundum de peccato, de iustitia, & de iudicio.* Vides iudicem, qui etiam ipsum, si dicendum est, vindicat Saluatorem: & audet ei quisquam subtrahere deitatem? Et quid dicam ampliùs de deitate Spiritus sancti? quem pertimescit Dauid, dicens? *Quò ibo, Domine, ab Spiritu tuo, aut à facie tua quò* Psal.138.7.
fugiam. Et vt concludam, tantus ac talis est Spiritus sanctus, in quo si quis blasphemauerit, inueniet eum non sibi relaxantem neque in isto sæculo, neque in futuro.


X. Fides catholica ineffabilem illam diuinitatis substantiam vel naturam humanis verbis exprimere non potest, inconuertibilem, immutabilem, impassibilem, simplicem, incompositã, indiuisibilem, inaccessam lucem, inexplicabilem virtutem, sine fine magnitudinem, gloriam inconspicabilem, bonitatem concupiscibilem, inexquisitum decorem, qui mentis quidem puræ contingat & moueat affectum, iudicari autem, atque explicari non possit. Vbi est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, sola natura quæ creata non est, dominationis potestas, bonitas naturalis. Pater, initium omnium, causa cunctorũ, radix viuentium, à quo procedit fons vitæ, virtus & imago indemutata inuisibilis Dei, qui est Filius à Patre genitus, Verbum siue ratio viuens; qui erat semper, & erat apud Deum, & Deus erat, non factus ex patre ante sæcula, non adsumptus postmodùm vel adoptatus in filium, non possessione vel factura; sed creator & factor omniũ, qui est omnia quæ pater est: cui Pater omnia quæ habet, gignendo dedit. Et vbi ergo qui dedit, gignendo dedit; & qui accepit, nascendo accepit; non inopi subuentum est, sed ipsa copia nata est: non enim ille qui accepit, illi qui dedit potest esse inæqualis, quia & hoc nascendo accepit vt esset æqualis. Non formam Dei perdens, in eadem forma serui factus est obediens vsque ad mortem, mortem autẽ Crucis, in qua paulò minus minoratus est ab Angelis, vt in forma Dei maneret æqualis; quia non est forma illa mutabilis. Qui in cœlo spiritibus mundis intellectualibus in forma Dei, & Deo æqualis, vt Deus præbet exemplum; vt se idem exemplum redeunti etiam lapso præberet homini, qui propter immunditiam peccatorum, pœnamque mortalitatis Deum videre non poterat, semetipsum exinaniuit non amittendo diuinitatem suam, sed adsumendo humanitatem nostram, & formam serui accipiens. Venit ad nos in hunc mundum, qui in hoc mundo erat, quia mundus per ipsum factus est, vt exemplum sursum videntibus Deum, exemplum deorsum mirantibus hominem: exemplum sanis ad permanendum, exemplum infirmis ad conualescendum: exemplum morituris ad non timendum, exemplum mortuis ad resurgendum fieret; ipse in omnibus primatum tenens: vt quia homo ad beatitudinem sequi non debebat nisi Deum, & sentire non poterat Deum; sequendo Deum hominem factum, simul sequeretur, & quem sentire poterat, & quem sequi debebat. Amemus ergo eum, & inhæreamus illi, charitate diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Hic Spiritus & vita est, & viuificans lux, & illuminans: bonus, & bonitas: Spiritus rectus, Spiritus Principalis, qui est Dominus omnium: mittens Apostolos, separans sibi ministros, templa sibi ipse constituens: inspirans vbi vult, diuidens donationes Spiritus prout vult. Spiritus adoptionis, Spiritus veritatis, Spiritus sapientiæ & intellectus, scientiæ, consilij, virtutis, & timoris Dei: per quem Pater agnoscitur, & Filius glorificatur. Neque enim dignum est, aut Filium aliquando defuisse Patri,

aut Spiritum Filio: esset enim in maximis defraudata diuitas; & velut inglorium atque indignum duceretur, si velut ex pœnitentia & præpostero consilio Deus ad perfectionis plenitudinem peruenisset. Qui potest capere capiat: qui nondum potest, oret vt capiat: credat vt capiat, quia scriptum est; *Nisi credideritis, non intelligetis.* Isai 7. 9 secundũ LXX.



FRAGMENTA LIBRORVM Aliquot Beati Fulgentij, qui non extant.

Ex Theodulphi Episcopi Aurelianensis collectaneis, de processione Spiritus sancti, ad Ludouicum Pium Imp.



FVLGENTIVS. *Quòd solus pater genuerit filium, solus filius à patre genitus sit, solus Spiritus sanctus à patre filioque procedat, in libro tertio, quem scripsit contra Fabianum, sic dicit.*

Veraciter quippe profitemur, solum patrem genuisse, solum filium de patre natum esse: veraciter etiam dicimus, solum Spiritum sanctum de patre filioque procedere.

Item in libro quinto contra eundem Fabianum.

Ecce ego in quantum potui, licet breuiter, reddidi rationem, qua vnum Deum dicamus, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: & in ipsa Dei imagine ostendi quoddam diuinæ agnitionis indicium: In qua quidem imagine memoria, intelligentia, & voluntas non habent singulas propriasque personas. Imago quippe est ista non nata, sed facta; non genita, sed creata. Ad hoc vtique, vt sicut in ista vna imagine inuenitur quædam discretio vocabulorum, sic in illa vna diuinitate discretio personarum cognoscatur: & naturalis vnitas ostendat vnum esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: personarum verò proprietas demonstret alium esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum sanctum. Alium autem Patrem, non eo quod Deus est, sed eo quod pater est: & alium filium non eo quod est Deus, sed eo quod filius est: alium quoque Spiritum sanctum, non eo quod Deus est, sed eo quod & Patris, & Filij Spiritus est. Alium ergo Patrem, quia genuit, alium Filium, quia de Patre natus est, & alium Spiritum sanctum, quia de Patre Filioque procedit. Non tamen alium Deum Patrem, & alium Deum Filium, & alium Deum Spiritum sanctum: sed vnum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Non enim confundit vnitas Trinitatem, nec Trinitas separat vnitatem: quia quod in personarum proprietate discernitur, hoc vnum naturaliter essentiæ vnius communione monstratur.

Item idem in libro septimo eiusdem operis.

Ioan. 16. *Non enim loquetur à semetipso: sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annunciabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Ecce primùm ostendit non esse alia Spiritus sancti, quàm quæ sunt Filij. Deinde vt ostenderet omnia sua esse quæ Patris sunt, adiecit: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, de meo accipiet & annuntiabit vobis.* Ibidem. Illud igitur primitus attendamus quod ait; *Non enim loquetur à semetipso: sed quæcumque audiet, loquetur.* Quis autem comprehendat, qualis sit illius simplicis naturæ locutio, vel qualis auditio, vbi non est aliud audire quàm esse? Audit itaque Spiritus sanctus quæcumque Pater & Filius dicunt, & hic eadem similiter dicit: sicut videt Filius quæ Pater facit, & hæc eadem similiter facit. In illa enim natura, vbi est summa & vera simplicitas, in eo filius videt quod Pater facit, Spiritus sanctus audit, quod cum Patre Filius dicit, qui à communione naturalis essentiæ, & Filius de Patre natus extitit, & Spiritus sanctus de Patre Filioque procedit. Hoc igitur est Spiritui sancto audire, quod est de natura Patris Filioque procedere: & hoc est loqui, quod est per gratiam nostris cordibus ineffabiliter intimare.

Item idem in eodem libro.

Et non rapit eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi maius est omnibus: & nemo potest rapere de manu patris mei. Ego & pater vnum sumus. Ioan. 10. Hæc est ergo vox, quam oues eius audiunt: quæ scilicet in eo quod nemo rapit de manu filij, neque de manu patris, vnam virtutem filij & patris intelligunt: & audientes ab eo, quia ipse & pater vnum sunt, vnitatem veram in patre & filio essentiæ naturalis agnoscunt: hæc est vox filij, hæc est locutio Spiritus sancti: quia de natura patris natus est filius, & exinde procedit Spiritus sanctus: hoc etiam à patre & filio Spiritus sanctus audit, quia de patre & filio communis diuinitatis æqualitate procedit. Non ergo Spiritus sanctus loquitur à seipso, qui non à seipso, sed de patre & filio habet naturalem locutionem, vnde naturaliter procedens habet originis veritatem. Ad hoc vtique pertinet quod ait: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis: omnia quæ habet pater mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet.* Ioan. 16. Quam bene veritatem doctrinæ suæ veritas ipsa seruauit! Si enim, Hoc dixisset, quasi suum esse tantum spiritum ostendisset: sed dicens, Omnia quæ habet pater, mea sunt, propterea dixi quia de meo accipiet; ipsum Spiritum sanctum vnum esse ostendit, & patris & suum. Cuius intelligentiæ dicens: *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, quæcumque dixero vobis.* Ioan. 14. Pater mittit, sed in nomine filij mittit: Spiritus sanctus missus à patre docet, sed filius dicit, Hoc etiam ill●

Ioan. 15. illo demonstratur loco, vbi Dominus dicit: *Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam in vos à patre, spiritum veritatis qui à patre procedit.* Ecce hic paracletum, quem mittit pater in nomine filij, ipsum mittit filius à patre: mittit autem à patre spiritum veritatis. Mittit ergò à patre spiritum suum, quia ipse est veritas. Mittit eum pater in nomine filij, quia vnus spiritus est patris & filij, mittit eum filius à patre, quia sic procedit à filio, sicut procedit à patre. Idem quoque spiritus patris, qui spiritus est veritatis. De filio ergo accepit, & omnia quæ habet pater filij sunt, quæ Spiritus sanctus accepit: quia non de solo filio, sed simul de vtroque procedit. Hoc autem vocabulum processionis de patre nulli creaturæ inuenitur indultum, vt proprietas ista processionis solius esse demonstretur essentiæ naturalis. Legimus enim filium de patre genitum: & quamuis in eo quòd vnigenitus dicitur, in solo naturalis generatio demonstretur: tamen propter gratiam adoptionis, nos quoque Deus pater voluntarie genuit verbo veritatis. Vnigenitus igitur vnus & solus est de patris essentia filius natus, sed & nos per adoptionem, & filij Dei dicimur, & de Deo nati, beato Euangelista dicente: Ioan. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Cùm ergo nos & Dei filios, & de Deo genitos, & de Deo natos diuinis ostendatur eloquiis, processionis tamen de Deo vocabulum nemo potest creaturæ cuiquam docere concessum. Quid ita, nisi quia vnigenitum filium posset naturalis natiuitas verum Deum ostendere, eumque non adoptiuum, nec diuersæ naturæ, sed consubstantialem patri sine dubitatione monstrare. Procedere autem de Deo ideo nulla creatura dicitur, vt ille qui procedit de patre & filio, sic esse credatur Deus, sicut est pater & filius. Solius est enim Spiritus sancti de patre & filio proprietas ista processionis. De patre quippe ac filio procedit, sed non recedit: nec est in aliquo minor, aut subditus qui de immenso patre ac de immenso filio inseparabiliter & vnus procedit, & totus. Sic igitur ei non potest imperari quod loquitur, sicut ei non potest imperari quod mirabiliter operatur.

Item idem in libro octauo eiusdem operis.

Filius est igitur à patre missus, non pater à filio, quia filius est à patre natus, non pater à filio. Similiter etiam Spiritus sanctus à patre & filio legitur missus, qui à patre filioque procedit. Sed quia non vno modo in Scripturis sanctis dicitur missio, propterea in sacramento Incarnationis non solùm à patre, verùm etiam à Spiritu sancto missus est filius, quia mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus totius est Trinitatis operatione plasmatus. Alio autem modo mittitur à patre & filio Spiritus sanctus, cùm ab ipsa Trinitate vno Deo gratiæ spiritalis donatur effectus.

Item idem in libro nono eiusdem operis.

Deum itaque patrem non totius Trinitatis, sed filij & Spiritus sancti fatemur auctorem: de quo habet vnigenitus filius æternæ natiuitatis, & Spiritus sanctus æternæ processionis originem. Vnitas autem naturalis creatorem filium de creatore patre naturali natiuitate insinuat extitisse, & creatorem Spiritum sanctum de patre filioque procedere.

Item idem in libro decimo eiusdem operis.

Expleta verò confessione veræ diuinitatis, veræque humanitatis vnici filij Dei, confitemur nos credere in Spiritum sanctum, qui est vnus spiritus patris & filij, de patre filioque procedens, in patre, filioque naturaliter manens, de patre ac filio vnius diuinitatis habens naturaliter veritatem.



EX LIBRO III.

HINCMARI ARCHIEPISCOPI
Rhemensis aduersus obiecta Græcorum, ad Odonem Bellouacensem.



FVLGENTIVS *Episcopus, litterarum studiis admodum eruditus, & vita sanctitate perspicuus, ab Arrianis pro Catholica fide multa perpessus, in libro quæstionum de Spiritus sancti processione sic ait:*

Sic totum quod est ipsa natura commune tribus inuenitur esse personis, vt aliquid tamen inueniatur, quo propriè vnaquæque persona noscatur: quod tamen nec inueniatur separabile, nec possit esse commune. Nam proprium patris dicimus esse, quod genuit; proprium dicimus filij esse, quòd solus de solo patre natus est: proprium Spiritus sancti, quòd de patre, filioque procedit. In his verò propriis nulla est naturæ separatio, sed quædam personalis agnitio.

Item in consequentibus.

Non ergo potuit Spiritum sanctum diuinitas filij accipere, cùm ipse Spiritus sanctus sic procedat à filio, sicut procedit à patre, & sic detur à filio, sicut datur à patre. Nec illa natura, vnde Spiritus sanctus habet originem, potuit vel expectare, vel accipere largitatem. Spiritus ille totus est patris, totus est filij, quia vnus naturaliter spiritus est patris & filij: Proinde totus de patre procedit & filio, totus in patre manet ac filio; quia sic manet vt procedat, sic procedit vt maneat. Vnde naturaliter hanc habet cum patre ac filio vnitatis plenitudinem, & plenitudinis vnitatem, vt totus à patre, totus habeatur à filio. Non ergo accepit Spiritum sanctum diuinitas filij, cum qua vnius naturæ est Spiritus sanctus, & ex qua habet quidquid habet, immo de qua est hoc quod est, quia quod naturaliter habet, hoc est.

D. VALERIANI, CEMELIENSIS EPISCOPI, Scriptoris disertissimi, HOMILIÆ.

HOMILIA I.

De bono disciplinæ.



MVLTI, qui sanæ doctrinæ aduersantur, iustitiam culpant, & disciplinam imperium esse iudicant, ac rationabilem castigatiouem superbiæ assignant: cùm non sit imperium, nisi vbi aliquid iubetur iniustum; nec sit superbia, nisi vbi negligitur disciplina. Disciplina igitur magistra est religionis, magistra veræ pietatis: quæ nec ideo increpat vt lædat, nec ideo castigat vt noceat. Denique mores hominum irata corrigit, inflammata custodit, ita Salomone dicente: *Fili, ne deficias à disciplina Domini, neque fatigeris cùm ab eo increparis. Quem enim diligit Dominus, increpat: flagellat autem omnem filium quem recipit.* Prou. 3. Nihil profectò est, quod non disciplina aut emendet, aut saluum faciat. Quam si quis sapiens apprehenderit, nec gratiam amicitiarum perdit, nec periculum damnationis incurrit. Nemo disciplinam irrationabilem putet, sub qua videt vniuersis quæ in cœlo, & sub cœlo sunt, verbo operante compositis omnipotentis Dei stare consilium. In principio enim operis sui Deus nihil prius quàm disciplinam fecit. Nam cùm assistente sapientia cœlum suspenderet, terram pararet, maria concluderet, & suis locis, suisque temporibus cursum solis, lunæque globum disponeret, omnia sub disciplina constituit. Quid autem non esset tenebrosum, quid non incompositum, quid non haberetur absurdum, nisi constitutis legibus cuncta starent elementa? Nunquid sine disciplina agitur solis cursus? qui quamnis diurni itineris necessitatem infatigatus impleuerit, ad officium tamen suum matutinus accurrit, & se parte cœli quotidie terrarum spatia lustraturus ostendit. Tanta est disciplinæ ratio, vt intra temporum metas lege conscriptas ita indefessi itineris alternis vicibus syderum cursus agitetur, vt nec Luna defectionis suæ damna effugiat, nec Solem diurni luminis flamma destituat. Nunquid sine disciplina est, quòd tanti maris fluctus humili terrarum littore continentur, & in suo sinu frequenter incitata ventis, altior aggere vnda concluditur? Omnia profectò insipiens natura confunderet, nisi mundum disciplinæ ratio gubernaret.

Hæc ideò proposuimus dicere, vt disceretis obedire euangelicis præceptis, & cœlestibus obtemperare mandatis. Quid autem rationalem animam, & ad Dei imaginem factam expediat, facilè potest homo intelligere, cùm videt sacratis per voluntatem Dei constitutionibus disciplinæ etiam elementa seruire. Audite Prophetam dicentem: *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Psal. 2. Bene in omnibus causis timor obtemperat disciplinæ: qui pro hoc ipso quòd imminentes periculorum casus aut iras iudicum cauere nouit, potestatem conseruandæ salutis obtinuit. Quid igitur adultero castum? quid furi esset tutum? quid latroni non peruium? quis non expauesceret concaua littorum, secreta syluarum? quid non præsumptio possideret, nisi furorem animorum sub metu pœnæ disciplina compesceret? Ac nisi constitutus esset ordo viuendi, nunquam profectò finem poneret natura peccandi. Nihil est quod non gula suadeat, si gulæ disciplina consentiat. Nihil est quod non perdat luxuria, si amore vitiorum à te disciplina discedat. Nihil est quod non habendi ac possidendi cupiditate animus occupet, nisi auaritiæ vitium disciplina condemnet. Omnia sub metu disciplinæ vitia iacent. Iam non est in quo fides vnquam erubescat, si homo futurum Dei iudicium respiciat, & causam reddendæ rationis intendat: nec est in quo vindex scelerum flamma desæuiat, si intuitu disciplinæ aut quæ sunt honesta cogites, aut quæ sunt pudenda castiges. Multi ibi nomen credulitatis imponunt, vbi pro amore disciplinæ, crimen admissi sceleris, supplicio vindicatur latronis: cùm sententia indicantis iustis legibus seruiat, & non solum præsentibus, sed etiam futuris manum porrigat. Quis igitur non licitè crederet se debere peccare, si impudicis & impiis actibus iudex non præscriberet disciplinam? Videamus quid lex loquatur: *Non occides, Non adulterabis, Non furaberis, Non falsum testimonium dices.* Exod. 20. Hæ sunt disciplinæ leges, quibus etiam districtio sententiæ sæcularis obsequitur, impugnando turpia, resecando criminosa. Nam adiicit scriptura: *Iudex non est vindex positus boni operis, sed mali.* Ita vt etiam vicarium pœnæ genus exigat, tùm dicit; *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Sed istam antiquæ sententiæ seueritatem facilè vitare possumus, si flammas futuri iudicij cogitemus. Absolutè autem docet Paulus Apostolus posse

posse contemni sæcularis arma iudicij, qui dicit:
Rom.13. *Si vis non timere potestatem, quod bonum est, fac.*

Sed hæc non otiosè tractanda sunt. Nam cùm de his terrenis potestatibus Apostoli doctrina commemorat, sensibus nostris cœlestis iudicij partes insinuat. Nam cùm docet seruiendum sæculi legibus, admonet necessariò hominem futuris cauere temporibus. Si vis, inquit, non timere potestatem, quod bonum est fac. Hoc est dicere, si vis non futurum timere iudicium, declina à malo, & fac bonum. Ergo hanc primam constitutionis formam, quæ sæculi legibus caret, cauere debemus & vincere, vt possimus à nobis illud præiudicium futuræ mortis excludere: quia quos ista temporalis non affligit pœna, hos illa in æternum insatiabili tormentorum persequitur dolore. Nemo autem illum homicidij crimen euasisse æstimet, quem excusatum sæcularis iudicij corrupti sententia absoluerit. Nec ille adulterij facinus prætermissum putet, qui indulgentiæ lege deprehensus euasit. Nemo cùm sanam dexteram videt falsitatis reo, debita iure supplicia iudicet fuisse concessa. Defunctis corporibus salua sunt crimina, nisi fuerint priùs apud Deum lacrymarum intercessione purgata. Expectat enim reum suum gehenna debitis armata suppliciis. Ad confusionem magis præsentis vitæ, non ad absolutionem criminis, pertinet authoritas sententiæ sæcularis. Illa ergo nobis sunt ante omnia cogitanda supplicia, vbi homo viuit durante pœna, vbi nec tormenta corpori, nec desunt membra tortori. Quæ tamen facilè vitare possumus, si habenas disciplinæ teneamus, ita dicente Apostolo:
Rom.13. *Si vis non timere potestatem, bonum fac, & habebis laudem ex ea.* Quis sapiens non ad hæc disciplinæ bona animum lætus adponat, vbi potest homo non solùm criminis pœnam vitare, sed &
Psalm.2. gratiam laudationis acquirere? Audite Prophetam dicentem: *Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* In hoc loco ad illos, puto, pertinet ista sententia, ad quos nondum disciplina peruenit: qui adhuc in deuiis morantur capti antiquo superstitionis errore. Probantur enim sub lege nunquam vixisse, qui admonentur vt apprehendant studium disciplinæ. Sequitur in hoc Psalmo: *Nequando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.*

Igitur si illos Propheta statuit reos, ad quos disciplina nunquam peruenit, quid de illis iudicandum putamus, quos disciplina destituit? Inter vtrorumque actus authoritas propheticæ lectionis incusat minorem planè culpam non peruenisse ad disciplinam, quàm legem disciplinæ respuisse.
Prou.16. Ecce dicit Propheta: *Qui spernit disciplinam, odit animam suam.* Et verè vt dixit, ita est. Nam hostis est & inimicus animæ suæ, qui spretis disciplinæ monitis, diabolicis occupatur officiis. Dicunt aliquanti disciplinam satis duris legibus constitutam. Loquantur ista satis miseri, quos ad omne facinus ille diabolus author mortis inuitat; quorum mentes insatiabilis gula possidet, super quos regnat ebrietas, quos turpis luxuria captiuos tenet; & à quibus nũquam superbia ingrata discedit. Illis autem quibus est studium honestæ fidem seruare continentiæ, humilitati, pietatique seruire, dulce disciplinæ onus est & leue iugum Domini, quod non grauat nisi aut perditos, aut perituros. Erubesco dicere in confusionem humanæ negligentiæ, quare apud aliquantos parum proficiat disciplina, cùm videamus pastorale magisterium etiam apud muta animalia non perire. Doceant nos ecce seruare ordinem disciplinæ tam dociles equorum animi, cùm in gyrum ducti flexuosis gressibus membra componunt, & sub vnius habenæ retinaculo ita laxari se consentiunt, vt & currendi & standi modus sub quadam legum dispositione seruetur. Ita quos natura numero diuidit, studio disciplinæ coniungit. Videte quàm fortia boum corpora plaustro subiaceant: quæ in tantum imperio animum parant, vt tumentia naturaliter leui iugo colla supponant. Ita disciplinæ constitutionibus seruiunt etiam quæ in feritate nascuntur. Vnde miror aliquoties hominem, cui inest sapientia & intellectus prudentiæ, passim præcepta disciplinæ negligere: cùm videamus mutum animal vitia cauere, iussis obtemperare, imperio deseruire, atque ita ad omnem obedientiam animum aptare, vt cùm opus fuerit, armatis legionibus occurrat, & hostibus se telis iussum obiiciat. Audite in hoc loco Prophetam dicentem: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognouit.* Esa.7. Vereor dicere, ne nostram negligentiam pulset ista sententia: non autem cognoscit Dominum, qui conditionis suæ non cognoscit officium. Ostendam sanè quomodo Dominus possit aut inueniri, aut cognosci, si tamen est animus videndi. Si vis videre Dominum, require mendicum, suscipe peregrinum, visita infirmum, curre ad carcerem. Si vis videre Deum, vincula captiuitatis absolue, nodos iniquitatis incide. Audi de hoc Dominum dicentem: *Esuriui, & dedistis mihi bibere: hospes fui, & suscepistis me: nudus fui, & cooperuistis me: infirmus fui, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me.* Matth 25. Moneo itaque ne despicias nudum, ne cæco manum subtrahas, ne inuolutum pannis contemnas. In hac enim veste primùm Dominus cùm à Magis quæreretur, inuentus est.

Et quia de disciplina fecimus mentionem, sub qua fides Christiana viget, necesse est vt omnia in aures vestras vitæ ornamenta deferantur, vt intelligat vnusquisque parum sibi prodesse conuersionis famam, nisi in contemptu mundi amauerit disciplinam. Ergo cui studium est Christum colere, prius cordis sicut corporis indumenta suscipiat. Omnis igitur vita religionis professæ, integritatis debet famam sentire, ne quem expectat corona virtutis, pudoris damno feriat. Corporis integritas vitam muniat, integritatem fides incontaminata custodiat, vt manente vtriusque partis beneficio immaculatum hominem faciat regnare cum Christo. Sed in hoc solo constat conuersionis nostræ ratio, vt boni simus. Laborandum igitur illi ante omnia est, vt qui bonitatem sequitur, bonus esse iudicetur. Nam quamuis homo purum corpus immaculatúmque custodiat, laceratam vitam ad Deum portat, cuius actus vultum infamat, licèt sciamus conscientiam solam bonis actibus posse sufficere. Sed quanto melius est vt semper de te bene sentiat, qui circa ianuam tuam vanis suspicionibus frequenter ægrotat? Insitum est enim naturaliter vulgo, vt de bonis malè semper iudicet. Sed tu qui curam bonæ famæ colis, studio tuo gratiam integræ opinionis acquire. Vita ergo nostra ita sit lucida, vt sit omnibus nota. Integritas religioni, pudor seruiat humilitati. Quem amor tenet seruandæ integritatis, ante omnia falsi ad se famam non admittat erroris. Magnum est quidem,

dem, & gloriosum, & vsque ad cœlum omnium ore proferendum, nunquam malis actibus locum dedisse: sed multo fortius est nunquam falsis suspicionibus laborasse. Quid enim tibi prodest sobrietas, si vitia ebrietatis exerceas? Quis te non ebrium iudicet, si inter effluentes vino calices saltantium gyros imiteris? Quis te castum putabit, si te viderit meretricum fabulis mixtum scenico sermone compositis, aut loquentem turpia, aut inhonesta resonantem? Laudo quidem conscientiam castitatis in te, sed odi colloquium meretricis. In quo loco fortasse dicat aliquis; Sufficit mihi pura conscientia. Quantum ad innocentiam pertinet, tibi soli sufficit. Sed prouidendum est ne facilitate tua alter peccet, & alienum peccatum in te redundet, iuxta illud quod dicit scriptura; *Væ illi per quem scandalum venit.* Quamuis autem pretioso corpus vestias, & niueo vellere membra componas, non sine macula diem transigis, si camini ardentis ora contegeris. In omni igitur actu tuo vitam tuam disciplina comitetur. Si vis placere Christo, elabora vt professionem tuam fides adiuuet, fama commendet. Præcedat vos patientia humilitatis socia, assistat pudicitia integritatis magistra: fugiat cupiditas, erubescat ebrietas, luxuria actus suos lugeat, superbia confusa discedat. Quicunque igitur est qui festinat Deum agnoscere, sub hoc disciplinæ ordine Christum nostrum poterit inuenire. Multa quidem superabant adhuc, dilectissimi, quæ disciplinæ ratio suadebat aperire: quæ interim putauimus differenda, ne otiosis auribus fastidium pareret longa narratio. Sanè ne quid in hoc opere subtraxisse videamur; elaborabimus vt ea quæ religiosis actibus competunt, sequenti tempore differamus.

HOMILIA II.

De arcta & angusta via.

MVltis atque innumeris disciplinæ legibus, dilectissimi, sicut audistis Euangelistam dicentem, viuendi rationem Christus noster instituit; & diuersis modis renascenti populo viam salutis ostendit: nihilque occultum esse voluit, quod animam aut saluaret, aut perderet: ne res tanto pretio comparata diabolicis superstitionibus ignorantiæ vitio decepta seruiret. Sed quod peius est, parum prodest medicina morituris: & ideo difficilis est via salutis, quia facilius est semper exitus mortis:
Matth. 7. ita scriptura dicente, *Quàm ampla & spatiosa via est, quæ ducit ad mortem, & multi sunt qui intrant per eam!* Quàm arcta & angusta via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam! Mirantur fortasse aliqui, quare Euangelista amplam & facilem dicat esse viam mortis, cùm iter vitæ toto arctetur accessu. Cui autem vnquam difficilis fuit ad inferiora descensus, vbi homo onere suo trahitur, & fascis sui victus mole portatur? Multa sunt autem quæ viam prosperæ salutis impediant. In quo loco illos specialiter mortis iniuria persequitur, quibus vanitas & crudelitas dominatur. Concurrunt præterea in præiudicium vitæ dissensiones, æmulationes, lites, rixæ, sacrilegia, adulteria, homicidia, fraterna odia, parricidalia consilia, falsitatibus armata periuria: quæ non solum ascendentem impediunt, sed etiam in profundum Tartari mergunt. Quando ergo fieri potest, vt ille homo facilè ad superiora perueniat, quem tanta vitia impediunt? Arcta & angusta via est, quæ ducit ad vitam. Hæc est illa via, dilectissimi, per quam iusti pergunt, & sancti, immaculatique gradiuntur per quam illis iter est; qui humilitate, integritate, sanctitate prædíti, indefessi Christum nostrum prosequuntur. Huius ergo viæ & eligendus nobis, & muniendus accessus est: quia sicut est arduus, ita & peruius; facilem autem se volentibus præstat, si non aut vanitas impediat, aut fallax huius mundi ornatus obsistat. Liberum autem & exutum omnibus impedimentis illum esse conuenit, qui iter ardui montis adgreditur. Sicut autem videmus iniusto fasce vacillare vestigia; ita multis lapsibus subiacet anima, si fuerit iniquis actibus occupata. Vnde exonerandum corpus est sæcularibus desideriis impeditum; ne per ardua & excelsa tendentibus, aut periculum mortis incumbat, aut desperatio laboris adcrescat. Quis igitur sapiens animal suum impeditum sarcina per angustum iter dirigat, cuius vnum latus excelsi montis moles premat, aliud rupes præceps inster; vbi nisi temeritas præualuerit, aut reuertendum est, aut euadendum? Similis est & hominis illius causa, qui viam religionis ingressus est. Opus est ergo, vt semper resecet quæcunque aut inhonesta videantur, aut turpia, qui animam suam ad cœlestem gloriam desiderat peruenire. Non sine causa autem dicit Dominus; *Relinque bona tua, & sequere me.* Bona ista, dilectissimi, Matth. 19.
mala nostra sunt, terrenis actibus enutrita: quibus dum aliquanti nimium adtentè seruiunt, cœlestia perdiderunt.

Si vultis itaque vt vobis pateat cœlestis ianua, remouenda sunt omnia, & pœnitentiæ deputanda sunt quæcunque in excidium vitæ negligenter & inconuenienter vsitata sunt. Difficile autem est, vt ad ea, quæ præparauit Dominus credentibus in se, tibi perueniendi sit aditus, nisi onustum vitiis pectus exoneres, atque omnes iniustitiæ culpas religiosæ disciplinæ austeritate compescas. Superfluè autem te putas ardui itineris & viæ asperæ semitas tenere, si animæ impediaris errore. Ponite vobis denique, si videtur, ante oculos duos ad superiora tendentes; quorum vnus graui pondere onustus pergat, alter leui tantùm baculo nixus incedat: & videbitis quis facilius ad superiora perueniat. Respicite prius ad illum qui grauatur onere: & videbitis hominis illius pendentia retrorsum festinare vestigia, atque ita flexo genu incedere, vt putetur redire. Modò descendenti, mòdò cadenti similis, ita in diuersam partem penduli itineris toto corpore per singula momenta iactatur, vt ipsa necessitas ambulandi pene plus desperationis habeat, quàm laboris. Conuertite modo oculos vestros ad illum, cuius ceruicibus nihil ponderis imminet: & videbitis quàm liber incedit, quàm facile illi est per ardua exutis ire plantis, & in locis scrupeis pendulis hærere vestigiis. Nunc leui cursu procerus attollitur: nunc per diuersa tota animi alacritate portatur: vt ostendat difficultatem locorum liberis non impendere corporibus, nec laboriosa esse cuiquam itinera, quamuis sint ardua, si exoneretur mens iniustis ponderibus occupata. Similis est, dilectissimi, ratio siue his, quos iniqui actus onerant; siue illis, quos veteri exutos culpa pœnitentiæ lacrymæ commendant. Debet itaque quæ sunt onerosa deponere, qui vult ad iudicium securus venire: & terrena contemnere, cui est animus cœlestia possidere. Sanè, dilectissimi, quo faciliùs illius ardui itineris exsuperemus angustias, syncerae mentis adhibenda sunt studia: & remouendum si quid litium aut infelix sermo seruit,

aut,

aut in opprobrium domus alienæ iniuriæ fortè veneni lingua commouit. Æstimari autem non potest, quantùm impediant viam vitæ vitia indisciplinatæ linguæ: quæ dum nimium loquendo organum sui oris exercet, odia aduersum se etiam de otiosis sermonibus excitauit. Nam dicit Dominus etiam de otiosis sermonibus rationem esse reddendam. Videte ergo quid illi futurum sit, quem causa culpæ principalis impugnat: cùm non sit sine periculo animæ ad iudicium etiam leuia quæcunque portare. Arcta & angusta est via, quæ ducit ad vitam. Matth.12.

Quicunque ergo est sapiens, primo loco abiiciat à se impedimenta mundi, & muniat iter suum studio disciplinæ, remoueat intercedente pœnitentia quæcunque per negligentiam videntur imposita: nec secum portandum putet, quicquid gloria sæcularis imposuit: quia licet sint per se grauia, fiunt tamen itineris difficultate grauiora. Fortè aliquantis in hoc sæculo nimium delicatis angusti & ardui itineris necessitas desperationem parit. Et verè habet hoc ratio, vt aspera quæque & difficilia rudis animus expauescat. Sed quid faciamus, quòd nulla deliciosis militibus virtutum patet ianua? Quis autem fructus laboris esset, si per plana discurreres? aut quando te ad locum paratum venisse gauderes, si sine iniuria corporis peruenires? Quis vnquam otiosus trophæa composuit? aut quis circunstantibus vbique hostium legionibus ad victoriam dormitando peruenit? Parum laudis habet virtutum corona, quæ ex labore non descendit. Potest quidem habere palmam, sed non habet gloriam. Quando fuit vt agricola horrea sua otiosus impleret? aut quis vnquam legitimo tempore agri sui fructum recepit, nisi priùs multiplicato rudem terram sulco confecerit? Hæc est autem magnarum ratio virtutum, vt quanto plus homo laborat, tanto plus mercedis acquirat.

Videamus tamen, qualis ista via mortis sit, quam Euangelista dicit amplam, & spatiosam, & fluctibus plenam: quæ quamuis referta sit mortibus, nunquam tamen desinit suscipere criminosos. Est enim huius naturæ, vt citò ad se perituros inuitet, facilem autem se illis præbet, quos disciplina destituit. In comparatione autem plani & angusti itineris, nihil viatori periculosius spatiosis itineribus, quia sine disciplina curritur, vbi equorum habenæ laxantur, atque ita fit vt multos porta mortis recipiat: quia vbi liberius pergitur, facilius peruenitur. Audite Dominum dicentem; *Tolle crucem tuam, & sequere me.* Facilem profectò homo illius ardui itineris non expauescit accessum. Quare autem illum labor conturbet, cui alter manum porrigit? Quisque igitur per ardua alterius latera regitur, ad necessitatem cœptæ rei diuiso itineris labore portatur. Et ideo potest fieri, vt ad promissa regni præmia non dubiè perueniat, qui ad superiora Domino comitante festinat. Matth.16.

Sed deponendum est priùs, dilectissimi, sicut superiùs diximus, quicquid humanis corporibus infelix sæculi error imposuit: ne fortè nos peccatorum mole adiecta ad illa remunerationis tempora aut non patiatur peruenire; aut si peruenerimus, cœlestis regni portas non permittat intrare. Sed dicis; Non possumus peruenire, certis experimentis agitur: videmus enim frequenter multos insalutato patrefamilias ianua teste discedere; quos tamen nequitia, aut malitia, aut perfidia, aut luxuria, aut superbia facit exosos. Contempletur vnusquisque vestrum diabolicæ præsumptionis offensam: & intelliget quantum superbia grauet hominem ad superiora tendentem: vel in quo statu sit positus, cui elationis spiritus dominatur. Audite de hoc Dominum dicentem: *Humilibus Deus dat gratiam, superbis resistit.* Sed nec minus impeditur necessitas huius itineris vitio cupiditatis: quæ dum vult nimia pecuniæ mole gaudere, diuitem in regnum cœlorum non permittit intrare, ita Domino dicente; *Amen dico vobis, quia difficile est diuitem intrare in regnum cœlorum.* Hinc ebrietas, luxuriæ malis conscia, non parum humanis corporibus oneris inducit, quæ dum impudicis actibus seruit, infelicem hominem à consortio regni cœlestis exclusit. Obsidet etiam angusti itineris secretum crudelitas cum impietate coniuncta: quæ dum cruentis legibus mortis institit, cœlestis gloriæ clausit viam: ita Apostolo dicente, *Non fures, non auari, non ebriosi, non maledici, non rapaces regnum Dei possidebunt.* Ad hæc ergo quæ diximus, pugnandum nobis est studio disciplinæ, vt perueniamus ad locum vitæ. Adhibenda magis est itineri nostro pietas, misericordia, humilitas, integritas, castitas, sobrietas, pax, fides, charitas. Non autem priùs ad locum promissæ hæreditatis peruenies, nisi sub hoc vitæ studio onustum prius vitiis corpus exueris. Iacob.4. Matth.19. 1.Cor.6.

HOMILIA III.

Item de arcta & angusta via.

OMnis homo, cui est cura Deum videre, & cœlestia regna contingere, facilè potest intelligere, angusti & ardui itineris necessitates ad vitæ compendium pertinere, & spem obtinendæ gloriæ in labore consistere. Nihil est enim quod non labor exsuperet: si tamen in alteram partem, vt assolet, animus non declinet. Constat autem illi omnes difficultates occurrere, qui illius spatiosæ viæ delectatur errore. Audite Euangelistam dicentem. Quàm ampla via & spatiosa est quæ ducit ad mortem, & multi sunt, qui intrant per eam! quàm arcta & angusta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam! Non dubito quòd aliquantis in ordine cœlestis militiæ constitutis desperationem faciat, quòd cœlesti militiæ ardui itineris arctatur accessus. Et verè, dilectissimi, non solùm arduum, sed etiam difficile & plusquam laboriosum est ad celsiora tendentibus. Sed inuitis, desidiosis, & negligentibus, sine dubio etiam per plana necessitas laboris adcrescit.

Quamuis autem sint aspera & difficilia, quæcunque sunt in excelsis posita, non dubiè fit vt in apertum campum veniant, si itinerantibus nihil desperationis occurrat. Omne igitur opus, dilectissimi, in quo studium humanæ conuersationis inuigilat, voluntarium requirit officium. Nam inæstimabile est, quantum difficultatis adcrescat, si hominem voluntas in maxima rerum necessitate decipiat. Nunquam ille bene iter ardui montis adgreditur, cui desperatio dominatur. Quando autem potest fieri, vt corpus adsuescat labori, nisi voluntas obtemperet laboranti? Respice & vide, quàm citò ad terram resilit, qui equum trepidus adscendit: vel quantis laboret angustiis, qui inuitus altum mare nauigaturus ingreditur. Religio Christiani nominis, in qua vocati sumus, liberi arbitrij suscepit officium, ad quam si quis inuitus venerit, oneri onus addit, & exutis antiqua lege corporibus desperatæ vitæ pondus imponit. Inde est quòd multos porta mortis recipit: quia perituris semper vitæ difficultas occurrit.

Necessarium itaque, vt qui ad libertatis vsum peruenit, si quid in se est infidelitatis, resecet, & cœleste testimonium studio voluntariæ seruitutis adcumulet: ne homo tantis Deo beneficiis obnoxius, in paruis officiis inueniatur ingratus. A negligentibus & imperitis seruitium Deo debitum fortè iudicetur onerosum, ex hoc quòd nullum tempus vacationis excipiat. Omnem hominem Deus, non solùm ad libertatem vocauit, sed etiam in summa rerum dignitate constituit. Ipse autem sibi seruitium indicit, qui inuitus seruit. Nam si voluntati seruitium accommodes, non te famulum Dei inuenies esse, sed filium. Nam ita dicit
2.Cor.6. Propheta voce Domini: *Ego ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.* Conditionis nostræ, dilectissimi, talis est seruitus, vt laudemus semper Dominum nostrum in operibus suis, & extollamus eum in claritate maiestatis suæ voce continua. Quid autem præter hoc humanum indiget inuisibilis, incomprehensibilis, inæstimabilis gloriæ potestas? aut in quo corporale requirat officium, cui chorus obsequitur Angelorum? Illa est seruitus intolerabilis, quam indicit tyrannicæ, hoc est diabolicæ dominationis superbia, impiæ captiuitatis iniuria: ad officium verò, non ad seruitium pertinet voluntariè superiori personæ exhibere famula-
Psalm.53. tum. Audite Prophetam dicentem: *Voluntariè sacrificabo tibi Domine.* Discite quantum distet inter addictam & voluntariam seruitutem: Nunquam potest fieri, vt sine offensa diem transigat, quem negligentia addictæ seruitutis accusat. Qui ex voto Domino suo paret, adquirit gratiam: inuitus
Ierem.18. adcumulauit iniuriam, ita Propheta dicente: *Maledictus homo qui facit opera Domini negligenter.* Si consideret vnusquisque vestrûm gratiam adhibitæ libertatis, quam Christus noster fidelibus populis per regenerationem vitalis lauacri & Spiritus sancti effusionem concessit: intelliget non otiosè Domino seruiendum; cui quamuis quidlibet quotidie honoris aut muneris exhibeamus, nunquam tamen persoluimus quod debemus. Quando autem est, vt ille persoluat debitum, quem constat vicario pœnæ munere comparatum, nisi fortè pro amore redemptoris se similis sententia aut mortis, aut damnationis excipiat?

Sed dum ista fortissimis quibusque proueniunt, nos vel quod solum possumus, Christo nostro quotidie gratiarum hostias immolemus: vt si alios commendant virtutum merita, nobis saltem locum gratiæ faciant voluntariæ seruitutis officia. Exoneremus ante omnia corda nostra impia contagione, vt fructus possimus nutrire iustitiæ: debet enim ex integro terrenis actibus abrenunciare, qui vult cœlestibus mandatis satisfacere. Nam sicut homo nunquam inuitus bene seruit: ita nec occupatus bene commendata custodit. *Voluntariè sacrificabo tibi.* Non sine causa Propheta hac se Domino voce commendat. Sciebat necessariò multos dubio corde seruire; & aliud ore promittere, aliud pectorum secreto disponere. Voluntariè sacrificabo tibi. Quamuis parua, ex voto offerentis magna fiunt munera, consumunt verò auctorem suum beneficia, quæ constiterint extorta, sic denique semper plangit quod erogauit, qui conuiuium inuitus instituit. Voluntariè sacrificabo tibi, hoc est, voluntario sacrificio. Vt auctori tuo oris munuscula quotidie lætus exhibeas, eius sacrificium laudis verborum suauitate componas, atque ad officium operis deputati deuotus occurras. Audite Prophetam dicentem: *Voluntaria oris mei fac beneplacita Domine.* Cùm ergo conuenimus ad Ecclesiam, dilectissimi, ante omnia secreta pectoris nostri fides veritatis auxilio munita possideat: vt enim purum & immaculatum Deus diligit, non falsitate obsessum, non periuriis occupatum, non fictum, non dubium; leuitatis enim perfectæ hæc sunt indicia, aut sanctitatis amor, aut studia disciplinæ; hoc est immaculatam hostiam sacrificiis exhibere, tota Domino fideliter mente seruisse. Seruitij autem nostri hæc est ratio, vt beneficia Christi nostri semper recolas: & in quo religiosæ fidei labore profeceris, auctori tuæ libertatis adsignes. Inter omnia custodias præcepta iustitiæ, vni Deo seruias; Trinitatis tamen honore seruato. Vnam fidem, vnum baptisma credas. Patris, ac Filij, & Spiritus sancti vnam claritatis confitearis essentiam, nec diuisa voluntate cuiusquam aut præcedere, aut regnare personam, sed Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum vnius potestatis, vnius credas esse virtutis. Ita igitur fiet, vt illud arduum & angustum iter in æternum victurus exsuperes: atque ea quæ iustis laboribus in cœlesti parte promissa sunt, non dubiè consequaris, si per hoc disciplinæ gradus excurras, & vitæ tuæ tempora sub hac viuendi lege disponas.

HOMILIA IV.

De promissis & non redditis.

SI homo obnoxius beneficiis, dilectissimi, promissioni suæ satisfaceret, & studio deuotionis implendæ fidem placitis exhiberet, neminem vnquam repetitio debiti ingrata confunderet: nec esset cuiquam imputandi locus, si mox promissi muneris votum sequeretur effectus. Sed inde est quòd interdum amicitiarum fides læsa suspirat, quia necesse est aliquoties homini aut redhibitionis increpare moram, aut debitoris exprobrare perfidiam. Inimicitias enim dixisse est promissa denegasse, quia ad litem pertinet, si quid aut hic inuitus reddit, aut ille per moras exacerbatus exigit. Audistis Prophetam dicentem: *Sic psallam nomini tuo Deus in sæculum sæculi, vt reddam vota mea de* Psalm.60.
die in diem. Infinitum est, dilectissimi, quid beneficia gratiæ capiant, si ante diem creditorem suum debitor solutione præueniat. Quicunque autem commodatam pecuniam vltro reddiderit, sibi reponit. Non difficile enim homo, cum opus fuerit quodlibet impetrat, si fœneratori suo celeri satisfactione respondeat. Ille verò quem perfidia arguit, semper creditoris sui ianuam clausam inuenit: & quamuis frequenter pulset ac supplicet, tristis & vacuus cum increpatione recedit. Si ergo homo homini mentiendo aduersum se odia excitat, quantò magis si Deum fallat, & cœlestis maiestatis Dominum lubrica promissione decipiat? Ideo hæc proposuimus, dilectissimi, quia solent aliquanti imminentibus periculis ita animorum vota componere, vt accedente tempore obliuiscantur se aliquid Domino promisisse. Hic hostiam corporis sui offert: ille pœnitentiæ lacrymas repromittit, alius in amore Ecclesiarum, alius in honore Sanctorum voti reus extitit. Sed ista tam facile est promittere, quàm negare, circa quos tamdiu durat spes deuotionis implendæ, quamdiu dolor sentitur in capite. Ita paulatim consuescit promissa denegare, postquam mortem cœperit non timere. Et miramur quare aliquoties Dominus vndantibus lacrymis tam tardè respondeat, nec exaudiat supplicantium voces

voces iustis doloribus seruientes? Miramur quare non sollicito agricola lætior se solito cultura componat? quare non fœcundo cespite multiplex spica parturiat? quare non pingues oleæ exhibeant pretiosa commercia? quare non plenis torcularibus sudet copiosa vindemia? Nemo hîc terræ imputet, nemo intemperiem aëris accuset; manus arida nihil colligit: aut si collegerit, mox amittit. Infructuosi agricolæ semper vacua & otiosa sunt horrea. Nam & inde descendit, quod aliquoties non inuenit medicina quos sanet. Difficile est vt medicus manum fideliter accommodet, quem frequenter languentis promissio vana destituit. Ecce hic filij sui infirmitate suspirat, & Sanctorum ianuas die, noctúque precibus inquietat. Hæc mariti, ille vxoris suæ valetudine afflictus, secretum pectoris sui pulsat, & flebili oratione auxilium cœlestis miserationis implorat, se suumque munus Deo offerens. Sed ita succedentibus votis videmus aliquoties vniuersa subitò animum excedere, vt æstimes miseros obliuionis magis bibisse poculum, non salutis. Ita non semper fallacibus votis futura respondent.

Quando autem est, vt beneficium inueniat, qui debitum non reportat? Non potest fieri ne aliquando suæ perfidiæ pœnas luat, qui inanibus verbis patientiam iudicis frequenter illuserit. Inde est quòd otiosis Dei auribus hominum preces euanescunt, nec habet effectum intercessio lacrymarum: quia difficile est vt exaudiantur, qui Deo suo frequenter vana promissione blandiuntur: Beati apud quos manet fides placiti, & nullum studium mentiendi. Melius est profectò non promittere, quàm promissa fraudare; vbi quamuis homo inhumanitatis notetur culpa, nulla tamen subdolæ circumuentionis grauatur iniuria. Recurrite denique ad actus Apostolorum, & inuenietis ad damnum animæ pertinere promissis fidem frangere. Legimus igitur Ananiam & Sapphiram vxorem suam vendito patrimonio suo partem dispensandæ pecuniæ ad Apostolos detulisse, partem domi re-
Act. 5. conditam reseruasse; quibus ait S. Petrus: *Impleuit, Anania, iniquitas cor vestrum mentiri Spiritui sancto; cùm esset fundus in vestra potestate, non hominibus mentiti estis, sed Deo.* Ita dum operantur fraudem, mercati sunt mortem: & dum cupiditati seruiunt, æterna munera perdiderunt. Ecce, dicit Propheta:
Psal. 115. *Vota mea Domino reddam in atriis domus Domini.* Obligatus legitima debiti est sine dubio pactione, qui conuincitur Domino aliquid promisisse; qui autem redditurum se loquitur, necessariò debitum confitetur. Tandiu enim iuris tui est patrimonium tuum, quandiu chirographi fide alteri non fuerit obligatum. In omni itaque placito, siue quod amicitia obtulerit, siue quod voluntas adscripserit, non lentanda redhibitio. Nam omnis oblati muneris gratia perit, vbi causa repetitionis incumbit. Ita nihil votis suis præstiterit, cui necesse est inuito reddere quod promisit. Nam legimus in Salomone:
Deut. 23. *Si voueris votum Domino tuo, ne moram feceris reddere illud; quærens enim quæret illud Dominus à te: & erunt in peccatum quæ egrediuntur per labia tua, nisi reddideris illud.*

Ergo, dilectissimi, moneo vt quicumque se Domino votum promisisse nouit, statim reddat. Certè qui soluendo non sufficit, non promittat. Non hîc, vt aliquanti putant, inhumanitatis vitia exaggeramus: sed de fide dicimus, quam videmus apud aliquantos periclitari pestilentia vanitatis. Nam multi sunt, quod peius est, qui subtracto libertatis suæ pretio, non integram pecuniam, hoc est semiplenam religionis fidem ad Dominum detulerunt. Audite Prophetam dicentem, *Vouete & reddite Deo vestro munera.* Psalm. 75. Vouete, his dat consilium conuersionis. Reddite, ab istis debitum promissæ repetit sanctitatis. Parum autem ille habet de religione, quem studere vides sæculo, & plus præsenti vitæ fauere, quàm æternæ gloriæ. Tunc probas nihil te Domino de tua oblatione fraudasse, si iustitiæ partes colas, integritatem diligas, sanctitatem, quam promisisti, exhibeas. Debet autem expauescere Ananiæ vel vxoris eius exitium, qui intelligit se Domino fuisse mentitum. Vouete & reddite Deo vestro munera. In hoc loco causam munificentiæ non importunè prosequitur, quia testimoniis competentibus admonemur. Siquidem infructuosis hominibus adquiescamus, vt ista vox affectum indicet postulantis. Nunquid à te Deus ideo aliquid requirit, quia illi deest? quid autem non habet, qui totum possidet? Nunquid quia in tribulationibus tuis promittis aurum, aut in doloribus polliceris argentum, Dei vsibus necessarium est? aut ideo aliquis pretiosos lapides, aut vestes offert, quia his Deus indiget. Ob hoc à te tuum munus quæritur, vt ipse fulgeas tuo auro, ipse tuo niteas argento, ipse tuis gemmis orneris, ipse tuo serico vestiaris. Tuis donis tuam vult Dominus animam componi, quam videt aut superbiæ, aut nequitiæ, aut auaritiæ, aut luxuriæ vitio deprauatam. Vouete & reddite Domino Deo vestro munera.

Sed dicis fortè: Non indiget Deus nostro munere. Non quidem munere indiget * sed fructum requirit, quem propter redemptionem animæ tuæ misericordiæ deputauit. Nam præter illam hostiam corporis tui, quam incorruptam & inuiolatam altaribus conuenit exhibere, nec non vocis officia, quæ nostro debemus artifici; hoc est apud Dominum acceptabile sacrificium, vt bonitati & misericordiæ studeas, vt iustitiæ partes foueas, & fide intemerata iugiter Domino placere contendas: vt nudum non inuitus vestias, vt inopem non inuitus pascas, vt captiuos voluntariè redimas, vt in vinculo constitutum memor tuæ redemptionis absoluas. Ad hæc fortè respondeas, Quid pauperi faciam? quid filio derelinquam? Audi Dominum dicentem? *Qui plus amauerit filium aut filiam quàm me, non est me dignus.* Matth. 10. Videtis ergo nihil præferendum Deo, nec plus filium cogitandum esse quàm Deum. Dicis, quid filio derelinquam? Si cùm vnum filium habeas, alium tibi desperanti vxoris partus exhibeat, nónne vtrumque tibi vno successionis gradu pietas paterna commendat; & vt superuenienti locum facias, etiam testamenti iura rescindis? Ita hæreditatem, cui solet vnus inhæreditare, frequenter videmus inter multos numero accrescente sufficere.

Qui ergo habet vnicum filium, cogitet Christum sibi natum; atque inter duos, aut tres, vel plures ita opes suas diuidat, ne Christus noster exhæredatus abscedat. Quod si tantùm gaudes numero filiorum, moneo vt admisso ad consortium hæreditatis redemptore tuo, ita patrimonij tui diuisionem temperes, quasi aut vnum minus natum tibi iudices, aut vnum plus accreuisse gratuleris. Fac ergo locum Christo tuo inter filios sibi dilectos. Quare autem illos non vna patrimonij in terra diuisio maneat, quos in cœlo eadem portio promissæ hæreditatis expectat? Quicunque autem indigentibus, & miseris quæ sunt vitæ necessaria subtraxerit, primogenito, & quidem meliori inter omnes filios portionem subditam denegauit. Audite in hoc loco scripturam dicentem; *Qui pauperi miseretur, Deo fœnerat.* Prou. 19. Multi sunt, qui miserorum necessitatem ita-

 illudendam

illudendam putant, vt in dies promittendo decipiant, & hoc ad illa vota pertinet, quæ superiùs diximus obliuione consumi. Quid iuuat differri miserum, si abundantia suppetit facultatum? Vbi vides hominem statim posse benefacere, & eleemosynam procrastinata humanitate differre, solam ibi voluntatem intelligis defuisse. Audite ad hunc locum
Psalm.60. Psalmistam dicentem: *Sic psallam nomini tuo Deus in sæculum sæculi, vt reddam vota mea de die in diem.* Nunquid dixit de anno in annum? sed dixit de die in diem. Omni ergo die operandum nobis est, dilectissimi, debitum autem Deo, & promissum munus non est tempore prolongandum. Nihil futuro iudicio debet, qui quotidie vota persoluerit: nec est vnde rationem in posterum præstet, qui de die in diem Domino bonorum operum fructum iusto
Matth.25. labore ditatus obtulerit. Ecce dicit, *Quæcunque feceritis vni ex minimis istis, mihi fecistis.* Siue ergo bonum, siue malum quis fecerit, ad Domini maiestatem nouerit pertinere: vtriusque enim partis retributio hominem expectat. Vnde studendum nobis est misericordiæ & eleemosynis: ne cùm venerit Dominus cœli ac terræ, inter cæteros animæ errores pauperum nobis nuditates opponat, & oculis nostris infelicitates ingerat miserorum. Nemo ergo dispiciat nudum, nemo conturbet aspero ore mendicum. Hæc est inter omnia placita Deo hostia: hic ordo salutarium sacrificiorum, vt miseris in necessitate subuenias, & ne in infidelitatis notam incidas, compos voti fidem tuæ promissionis absoluas.

HOMILIA V.

De oris insolentia.

NOn otiosum est, dilectissimi, quòd inter omnia vitia, quæ vitam humanæ conditionis impugnant, specialiter linguæ insolentiam Propheta castigat. Sciebat necessariò amari oris studio aliquoties venena componi, & nimia facilitate laborum frequenter odia comparari. Et verè, dilectissimi, ita est. Nam inquieta naturaliter lingua non paruum mortalibus affert vitæ detrimentum, vt cum bene composita dissipat, aut diu peccata conturbat. Quando autem est, vt se rixa moueat, si se lingua compescat? aut quis ibi locus est inimicitiarum, vbi cessant venena verborum? Nam hoc habet semper lingua malitiosa commercium, vt lites serat, odia moueat, mortes adquirat: ita in hoc lo-
Eccl.23. co Salomone dicente: *Lingua multos conturbauit pacem habentes, ciuitates destruxit, & domos effodit.* Falluntur profectò, qui putant nihil esse ferro fortius, nihil veneno violentius. Quamuis autem ista in perficiendis mortibus habeant peculiare naturæ beneficium, cedunt tamen in contentione verborum. Nihil enim est tam noxium, aut malitiosum, quod non viribus suis minus sit, si se incitata semel lingua commouerit. Multa sunt quidem humana corporis vitia, & satis grauia: sed parum possunt consiliis, virtutibusque suis, nisi sceleribus armentur alienis; sicut est crudelitas, quæ impietate seruit, & portas inferi cruenta mortis lege custodit; quid autem falsitas posset, si cupiditas otiosa dormiret? nam & ipse mortis exitus minor esset, si aut ferrum deficeret, aut venena cessarent. Singulare autem malum est lingua, in qua tantum malitiæ robur exultat, vt in perficiendo opere suo alterius auxilium non requirat.

Cohibenda ergo nobis est, sicut Propheta admonet: ne fortè cùm proruperit, aut excitata lædat, aut incitata percutiat. Solet enim non impune recedere, cùm se in verborum procacitate iactauerit. Nam commota flammas euomit, & cùm alteri nocere quærit, totum intrinsecùs malè conscium pectus incendit. Audite Prophetam dicentem, *De multiloquio non effugies peccatum.* Faciliùs, si necesse Prou.10.
est, quilibet potest ferre armatas ferro acies, & instructas rebus bellicis legiones, quis autem sustineat labiorum tela infixa pectoribus? Faciliùs sine dubio recipiunt sanitatem corpora ferro lacerata, aut quare aliquis tantum gladio occisorum morti crudelitatis pondus imponat, cùm aliquoties minora ibi sint pericula, vbi maior est cruoris inuidia? Difficiliùs autem semper sanatur quicquid extrinsecus collisionis includitur. Non difficile est profectò medico vlcera quamuis tumentia in oculis posita herbarum beneficio castigata mollire, habet & vis veneni remedium suum: quod haustum, quamuis in vltima viscerum sede dominetur, salutaris tamen poculi vnda perquiritur: in tantum vt miretur aliquoties artifex scelerum, superueniente medicina nihil oris sui incantationem valuisse, linguæ verò insanabilis plaga est: quæ quamuis leuiter percutiat, alta tamen semper mouet pectoris dolore suspiria. Sciebat sine dubio Propheta quantum malum esset linguæ, cùm clamaret: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis, vt non declinet cor meum in verba mala.* Si quis Psal.140.
ergo est sapiens, ponat custodiam ori suo, & det labia vinculo taciturnitatis. Sed nec vnius tantum partis studia procacis linguæ pulsat inuidia. Agendum quidem est huic, ne aliquid iniuriosum proferat: sed nec minus illi prouidendum, vt insanientis hominis dicta rationabili verborum responsione supplodat. Magnum autem studium est seruandæ pacis, si amaritudinem alienæ linguæ blando prosequaris alloquio; citò autem iniquorum labia amicus sermo confundit. Sed quod peius est, faciliùs inuenies, qui aut malè semper dicere, aut libenter mala velit audire. Nihil est sæuius, nihil violentius amaris, asperisque sermonibus: quorum vulnera tantò difficiliùs curantur, quantò faciliùs proferuntur. Ferri spicula per cælum volantia facilè scuti obiectione contemnis: verborum verò iactus nec reuocari potest, nec prohiberi: multò enim velociores sagittis sunt. Quæ autem ibi propugnacula subueniant, aut quæ munitio tam parata succurrat, vbi emissum telum pene antè percutit, quàm procedit? Enumerari non potest, quantis sit lingua iaculis accincta verborum, quibus satis promptum est etiam quæ sunt animæ secretiora percutere. Quamcunque autem aures iniuriam suscipiunt, illico ad cordis secreta transmittunt: vbi si semel introierit, sine mortis exitu non recedit. Res autem quæ nullis medicinæ beneficiis indagata excluditur, in perpetuo dolores operatur. Vnde castigandus est linguæ sonus, ne de facilitate verborum faciat venenum.

Si respiciamus, dilectissimi, ad omnes qui corporibus dominantur dolores, nihil inuenimus quod non possit aut ferro sanari, aut blanda medicaminis confectione molliri. Latêre autem neminem potest, quàm graues sint luporum morsus, quàm periculosum serpentium virus; sed his facile obsisti potest aut herbarum succo, aut arte medicorum. Verborum verò intolerabile vulnus est; difficile autem sanare potest alius doloris causam, quæ semel pectori infixa sedem animæ latenter inuaserit. Audite Prophetam, dicentem: *Mors & vita in manibus linguæ.* Verè, dilectissime, si ad interiora respicias, Prou.18.
&

& tumorem exasperati cordis diligenter inquiras, inuenies verborum vulnera mortes operari. Quid mihi autem aliquis in comparatione malitiosæ linguæ artificium veneficij increpet, & noxias poculorum compositiones accuset? Excessit illa res omne genus veneni, quæ non potest nisi morte compesci. Omnis quidem malitia ex corde descendit; sed hæc ipsa, quamuis sit noxia, facilè potest tolerari, si res iniquo nutrita consilio non prouocetur in litem; sed aut tacita doleat, aut in suis volutata sordibus conquiescat. Tamdiu enim sanari potest iniquarum valetudo cogitationum, quandiu id quod corde concipitur, ore tacito continetur. Verum vbi semel lingua rotante proruperit, frustra medicum quærit; sine remedio est enim culpa verborum: quia deleri non potest quicquid lacrymarum inserta per aures propagauit iniuria. Audite Dominum dicentem, *Facito ori tuo ostia & seras, & verbis tuis facito stateram.* Ad hæc forte respondeas, Quis possit in tantum oris sui labia continere, vt tacitus diem transeat? Non hæc sententia honestæ linguæ vinculum taciturnitatis inducit. Vult planè loqui hominem, sed honesta proferentem, ac pacifica cogitantem. Multum autem verbis honoris adcrescit, si dulcisonos organi cantus nulla mentis amaritudo confundat. Hæc ideo proposuimus, dilectissimi, quia inuenimus multos aliquoties vno atque eodem sermone dulcibus verbis venena miscere; & fictis pacis blanditiis litium pugnas introire. Quid istis infelicius, quid periculosius esse potest, qui fallacis linguæ studio vitæ insidiantur alienæ? Quare isti non respiciunt ad illum propheticum Psalmum, qui dicit, *Disperdat Dominus labia dolosa*?

Eccles. 25.

Psalm 11.

Videtis sub quali maledictione viuit, qui aliud in corde serit, aliud in lingua disponit? Bene profectò nouerat Dominus cœli ac terræ, aliquoties malos Sanctorum studia ficta humilitate decipere: qui ore Euangelico dicit, *Veniunt ad vos in vestimentis ouium, ab intus autem sunt lupi rapaces.* Inextricabile profectò malum est, dolosa consilia miscere blanditiis. Nolo suspectas munerum suauitates. Quis autem libenter habet acidos latices, & tristi herbarum sapore conditos? Difficile igitur potest fieri, vt ille cuiquam placere possit, qui simul dulcem & salsam aquam profert. Quando autem est, vt gustus non offendat, si fauo mellis quæcunque amaritudo se misceat? Cor ipsum hominis, quamuis sit viuum & sapiens, integra prudentia caret, quod amaritudo fellis infecerit. Omnia itaque subdolæ mentis compescenda sunt vitia: ne dum cœperint aliqua extrinsecùs amara conficere, etiam ea quæ sunt in ore nostro dulcia incipiant displicere. Audite Prophetam dicentem, *Pone Domine custodiam ori meo.* Hæc est vtilis custodia oris nostri, vt non facilè declinet cor nostrum in verba, quæcunque ad expugnanda pacis studia aut turpis sermo profert, aut vilis actus personæ confingit. Inter confusos autem linguæ sonos neminem pœnituit tacuisse. Nam videmus frequenter etiam verborum facta in crimen venire, & nimia facilitate verborum amicitiis odia succedere. Quando autem potest fieri, vt homo aut magniloquus, aut maliloquus non habeatur ingratus? Quod tamen vitium si requiras, superabundat in aliquantis fœminis: quæ sicut non dubitant quæ sunt turpia dicere, ita nec ea quæ sunt pudenda confunduntur audire. Sed nec nos ista dicimus, vt aliquis semper vocem suam presso ore contineat, & linguæ sonum obductis labiis perpetua taciturnitate includat. Vt nimirum malos loqui ingratum est, ita inutile est bonos semper tacere. Cùm opus ergo fuerit, proferamus verba iustitiæ; sit os nostrum conditum.

Matth. 7.

Sed dicis fortè, Non potest non aliquando respondere prouocatus. Tacendum est planè, cùm improbus sermo labia quieta sollicitat: & loquendum, cùm os amicum pacis studia commendat. Ita & loqui, & tacere perfectio est. Est autem vtriusque partis causa, verborum tenuisse mensuram. Magnum est tacere: magnum est & loqui; sed sapientis est vtrumque moderari. Nam aliquoties nimia taciturnitas stultitiæ adscribitur, sicut & verborum nimietas ad furorem refertur. De qua re si nostri sententiam requiras arbitrij, iam malo aliquis tacendo stultus, quàm nimium loquendo iudicetur insanus. Loquamur ergo, sed cum timore & tremore, cogitantes de omnibus verbis rationem esse reddendam, ita vt nihil de corde nostro iniquum exeat, nihil de ore blasphemum procedat, nihil resideat in cogitatione quod lædat. Nam præter illa quibus auditus offenditur, quorundam interiorem conscientiam Propheta castigat: *Labia dolosa in ore, & corde locuti sunt mala.* Inter illas ergo insolentis linguæ culpas, cogitationes. Nam quicquid in corde loqueris, Domino confiteris; quia Deus scrutator est cordis. Videte ergo si possit fieri, vt illi occultum aut excusatum possit esse quod clamas, quem non potest latere quod cogitas. Omni itaque studio, dilectissimi, æquali vinculo ora nostra moderentur. Nihil ingratum lingua proferat, nihil iniuriosum improbus sermo confingat, nihil subdolum, nihil dolosum in corde nostro sit, nihil asperum, nihil otiosum. Nam Dominus dixit etiam de verbis otiosis rationem esse reddendam. Quamuis autem aliquis vitam fide muniat, scientia regat, castitate & sobrietate componat, nihil est quod in homine placeat, si in toto corpore sola lingua displiceat.

Psalm. 11

HOMILIA VI.

De otiosis verbis.

QVotiescunque, dilectissimi, pro studio necessitatis nobis creditæ causam tractauimus disciplinæ, dum grauiora persequi voluimus, aliquanta neglextmus; quæ licet aliquantis videantur facilia, si diligentiùs requiras, multis criminibus inueniuntur obnoxia. Quibus nunc porrigenda manus est, & elaborandum studio medicinæ, vt vnaquæque res culpas suæ infirmitatis agnoscat. Currite ergo per singula, si videtur, quæ aut pœnæ seruiunt, aut lætitiæ blandiuntur: & inuenietis non solum in fæuis draconibus regnare noxium virus, sed etiam in exiguis apum venena latere corporibus. Frequenter diximus, dilectissimi, ebrietatem & cupiditatem quosdam fontes esse vitiorum, ex quibus quidam torrentes præcipitati peccatorum nascuntur, qui secum maximam partem humani generis in profundum trahunt: cùm hinc ebrietas gulæ gurgitem fouet, inde cupiditas furorem improbæ peruasionis accendit, hæc enim mater est superbiæ, illa luxuriæ: quarum vna falsitatis, altera deformitatis est socia, quibus studij est homicidia exercere, adulteria fabricare, amicitiarum fundamenta destruere: cùm quodam commercio fœditatis furtiuo amori mercedem suggerit cupiditas, occasionem præstat ebrietas. Sed hæc, dilectissime, sicut aliquoties diximus, paruo poteris labore cohibere, si illa prius, quæ peccandi fomitem præstant, volueris resecare; nec planè difficile tibi erit compescere

compescere quæ sequuntur, si ea quæ sunt in capite vitia castigata damnentur. Citò enim vniuersa corporis iunctura deficiet, si non sit qui ventri improbo pabulum subministret. Vnde ante omnia ebrietatis, siue cupiditatis castiganda sunt vitia, quæ sibi inter cætera vindicant principatum: vt illa quæ his obsequuntur, suo periclitentur officio. Facile est enim quamuis profundi gurgitis vndam siccari, si ortus aquæ possit excludi.

Multa quidem, dilectissimi, adhuc de his quæ recolimus, memoriæ suggeruntur. Sed quia aliquoties in earundem castigatione satisfecimus disciplinæ: putamus pro commemoratione rerum hodie dicta posse sufficere. Vnde ex his, quæ præsenti materiæ videntur inserta, interim temperamus, donec illarum partium crimina, quæ aliquantis Matth.12. facilia videntur, exponamus. Audistis, dilectissimi, Euangelistam dicentem de otiosis verbis Domino rationem reddendam. Si respiciatis, dilectissimi, ad hæc quæ proposuimus, & illa quæ in castigatione indisciplinatæ linguæ aliquoties diximus; intelligetis hanc sententiam ad oris insolentiam pertinere; cuius dicta licet otiosa dicantur, non tamen otiosè tractanda sunt. Nemo autem credat leuem esse culpam, quam tantopere cælestis sententia districtionis impugnat. Huius generis est quicquid fama mentitur. Otiosa sunt enim semper infructuosa colloquia ficti rumoris exposita. Quis autem putandus est otiosus esse sermo, nisi ignarus rationis, & nuntius falsitatis; cui id studij est, aut ridenda confingere, aut de incertis quasi certa sentire? Est autem hoc genus hominum, quod dum fabulis pascit, nescit cauere mendacium. Audiant isti Dominum dicentem; *Os quod* Sap.1. *mentitur, occidit animam.* Otiosa verba sunt figurata conuitia, stulta fatigatione composita, dulcibus vt aliqui putant, sed multis accincta plagis, ac mortiferis insuper armata suppliciis. Nam quamuis lætitiam excitent, in odia tamen frequenter incidunt. Multa sunt, dilectissimi, his similia, quæ fortè non sunt prætermittenda, licet inter omnia verborum vitia videantur extrema. Si verbi gratia hominem fusci coloris appellas argenteum, otiosum verbum iniuriam facit; quia si verum dixeris, accusasti: si falsum detuleris, irrisisti. Cùm hominem proceræ staturæ & antiquæ infantem vocas, nonne iniuriam facis, si veritate suppressa puerili studio mentiaris? Ad contumeliam enim pertinet, si verbis tuis humano corpori aut aliquid addas, aut detrahas. Sed dicis fortè, satis leuia esse ista, & facilè portanda. Verum est. Nam talia sunt ista genera vocabulorum, ac si alienis crinibus leues plumas inseras, vel si per totum verticem iuuentutis primæ honore fulgentem, liquentes cineres, aut puluerulenti aliquid candoris asperseris; non quidem caput oneras, sed deformas. Similiter & detracta per iocos coma, quamuis nihil operetur doloris, multum tamen exhibet fœditatis.

Cauendum est ergo, dilectissimi, ne scenico sermone alter alterum lædat, & theatralibus verbis verecundiam fratri læsæ æstimationis incutiat. Solet igitur nimia oris facetia excitare motus animorum, & sermo lætitia accinctus reciprocum parare conuitium. Sic denique scintilla quamuis parua flammas euomit, & ex nihilo exorta, magna frequenter mouet incendia. Otiosus sermo satis otioso nutritur auctore. Vnde quia theatralium verborum fecimus mentionem, fortè pro studio disciplinæ nec illa debeo reticere, quæ otiosis verbis curiosas aures capiunt, atque alti pectoris secreta concutiunt, dum plagis modulantibus blandiuntur. Hæc sunt illa vitia, quæ superiùs commemorauimus quadam mellis suauitate componi; hoc illud opus, quo diximus admixta dulcedine tristes vulnerum dolores institui. In hoc loco fortè aliquis pro amore disciplinæ interrogandum putet, quæ sint istæ otiosæ voces, quæ iniuriam excitent, & periculum audientibus parent. Bene requiris, ne per ignorantiam periclitetur auditus. Inuenimus igitur frequenter, ita impudicitiæ viam muniri, atque ex hoc fomenta adulteriis ministrari: cùm hic agili plectro tinnientis citharæ sonos expedit, ille docili digito laborantis organi blandimenta componit. Isti sunt laquei, quibus famulantibus inter cætera vulnera diabolus hominum mortes operatur. Nam quotiescunque dulci voce mulcetur auditus, ad turpe facinus inuitatur aspectus. Nemo insidiosis cantibus credat, nec ad illa libidinosæ vocis incitamenta respiciat: quæ cùm oblectant, sæuiunt; cùm blandiuntur, occidunt. Sic frequenter videmus blandis sibilis aues decipi, & hebetes feras in laqueum mortis dulcedine vocis impelli. Similis est, dilectissimi, causa mortalium, quos dulcisoni cantus cura sollicitat. In hoc autem proficiunt varietates vocum, & producta sine syllabis verba, vt homo aut capiatur, aut capiat. Explicari non potest, dilectissimi, quàm periculosos laqueos exhibeant inimicæ studia voluptatis. Nam si aliquis posset humani pectoris secreta perquirere, inueniret ad singulos sonos fistulæ corda infelicium suspirare.

Intelligite ergo, quid inter viros ac mulieres nimium familiaris ac secretus sermo facit, quid iuncta vicinia, quid iocis mixta colloquia: quid gula deliciis inuitata, quid auri fames ad omne facinus prostitutionis exposita; si alienum furorem etiam mutæ vocis blandimenta decipiant. Refugiendus est ergo vt error iste vocis sonus, qui humanis pectoribus dulcedine sua amaritudinem fecit: & persuasione quadam melliflui cantus frequenter mortifera ægris venena commiscuit. In quo loco primùm obturandæ aures sunt, opponentes scutum fidei, quo faciliùs omnis lenocinantis vocis excludatur auditus. Adhibenda etiam disciplina, quæ oculorum desideria repellat, & tabescentis cordis incitamenta compescat. Nam ita docet Euangelista dicens, *Si te scandalizat oculus tuus, erue eum.* Matth.5. Nemo, dilectissimi, in hoc credat huius sententiæ stare rationem, quasi Dominus humanum corpus deformare velit, quod ad similitudinem suam plasmauit, & speciem suæ dignationis instituit. Hoc est oculos eruere, quæ sunt in homine turpia resecare, & viles actus emendatione compescere: castigatis illecebris truncare luxuriam, & bono conscientiæ, manus improbæ cupiditatis abscindere. Ille autem manus suas incidit, qui in se infidelitatis tela confregerit, & iusto iudicio infidelitatis calamos amputarit. Ad salutem igitur animæ pertinet, si debilitentur vitia iniquis actibus enutrita, & radicitus vellatur impiorum aspectus oculorum: quibus citò mortis stimulus adquiescit, si hæc quæ superiùs dixi, integra & illæsa permiseris dominari. Sed quo facilius ista operemur, audiendus est Christus, qui dicit: *Relinque omnia bona tua, &* Matth.19. *sequere me.* Scio quidem, dilectissimi, quòd laboriosè suscipiunt ista, qui sæculi actibus occupantur, quibus dulcis est istius vitæ vsus. Sed si diligenter requiras, vanitate plenus, & quodammodo tenui vmbra vestitus, ad tempus mundus obsequitur, & hæc quam vides, fallax diuitiarum pompa blanditur. Bene ista nouerat S. Dauid, qui dicit, *Auerte Do-* Psal.118. *mine oculos meos, ne videant vanitatem.* Quæ est ista vanitas,

vanitas, nisi cultus diuitiarum, sæcularium studia voluptatum? Confirmat hoc in Salomone qui
Eccl.1. dicit, *Vanitas vanitatum omnis homo diues.* Nemo ergo, dilectissimi, in huius mundi vanitate confidat, quam videt infirmis stare vestigiis; cuius cultus temporalis atque inanis est, & ornatus fumo, ventóque similis. Talis est autem decor vultus eius, ac si speciem illius vitis aspicias, quæ solstitiali flore composita, præmissæ fructum nescit exhibere vindemiæ, quæ dum nimium parturit, maculam perpetuæ sterilitatis incurrit. Longè alium nobis, dilectissimi, æternæ vitæ tempus promittit ornatum, si tamen homo peccatis pauper incedat. Ille autem ad Christum diues vadit, qui misericordiæ fructus congregat, & stultæ studia cupiditatis impugnat. Ille ad cœlos opulentissimus pergit, qui à se pompam temporariæ vanitatis excludit. Ille secum magnas opes ad paradisum portat, qui onustum vitiis pectus studio religionis exonerat. Ille postremò omnem penuriam mendicitatis euasit, qui quotidie in corde suo Christi nostri mandata serit, & peruigili fide horrea pectoris sui seminibus diuinæ institutionis impleuerit. Ita vt ante omnia illius otiosi sermonis compescat libertatem, quæ si inter illa religiosæ vitæ studia mixta consederit, non dubiè in examinatione futuri iudicij præiudicat sanctitati. Citò autem quæ sunt in homine optima reuilescunt, nisi inter cætera quæ emendationem requirunt studiose ea quæ superiùs commemorauimus linguæ vitia resecentur.

HOMILIA VII.

De misericordia.

SI respiciamus, dilectissimi, omnes iustitiæ gradus, per quos opus religionis instruitur, non inueniemus cui non apud Dominum gratiosa seruitus locum comparet dignitas. Sed hæc ipsa, quæ fides in nobis operatur, quamuis humano labore proficiant, ad Dominum referenda sunt: per quem, & in quo si qua sunt bene gesta, consistunt, & in posterum quibusque profutura seruantur. Vnde nemo sapiens Dei beneficia suis virtutibus æstimet applicanda; ne audiat illam Apostoli sententiam di-
1.Cor.4. centis, *Quid habes quod non accepisti? aut si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Scimus quidem, dilectissimi, quòd iuxta Euangeliorum fidem, quæ beatitudinis promissa commemorat homini iustitia in cœlestibus locum fecit, id est promissionem paradisi, & terram repromissionis, gratia mansuetudinis & humilitatis obtinuit: cordis puritas Christum videre meruit: misericordia consimilem mercedem retributionis accepit: pacis iocunditas multis inter filios Dei locum parauit: pœna sanctorum victoriæ coronam, & cœlestis regni gloriam ex virtutum meritis adquisiuit. Sed hæc omnia vna atque eadem Patris, & Filij, & Spiritus sancti in nobis virtus operatur, quæ perfectionem iustis laboribus præstat, ac bonæ voluntati quęcunque sunt optima subministrat. Vnum est sanè & pernimium, quod ex illa misericordiæ sede descendit, in quo sibi quotidie iustè possit mortalis homo gloriari: hoc est refectio pauperum, & redemptio captiuorum: si tamen ipsa non aut iactantia dissipet, aut tristitia ingrata con-
Matth.24. turbet. Audistis ecce Euangelistam dicentem: *Venite benedicti patris mei, possidete mecum regnum cœlorum promissum vobis à constitutione mundi. Esuriui & dedistis mihi manducare: sitiui & dedistis mihi bibere: nudus eram & vestistis me.*

Videtis ergo quòd si gloriati cuiquam oportet, non nisi in hoc opere conuenit gloriari, in quo pasci ac vestiri se Dominus præcipit; & in dies famem suam portiuncula panis fracti postulat saturari. Si vultis ergo, vt non sit inanis nostra gloriatio, primo loco abundantibus eleemosynis summi regis redimamus amicitias: & vt nobis pateat cœleste regnum, omne misericordiæ studium conuertamus ad Dominum. In cuius amore non otiosè aut negligenter pauperum tractandæ sunt lacrymæ: ne ille qui totum orbem solet pascere, ad nostram confusionem inter mendicos videatur esurire. Contemplare denique singulorum necessitates, & nostri erga miseros sollicitudinem Saluatoris: & intelliges ibi esse Christum nostrum, vbi abundantiam videris lacymarum. Nec enim longè tibi quærendus est Dominus; si non sis auarus. Expectat nos ecce foris, cum illa suorum turba famulorum. Non enim tibi errandum est oculo, vt dubites circa quem potissimum opus miserandæ erogationis impendas. Ipsum scias esse Christum nostrum, quem videris nudum, quem aspexeris cæcum, quem offenderis claudicantem, quem pannis inuolutum, quem videris sordida veste contectum. In hac denique veste, cum à Magis quæreretur, inuentus est: & cùm in præsepi positus iaceret, sub hoc habitu apertis thesauris munera oblata suscepit. Ad hæc respondet illa Euangelica sententia, quæ dicit: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, vbi neque tinea corrumpit, neque fures effodiunt.* Matth.6. Hi sunt illi thesauri, qui cœlestibus meritis deputantur, quos nulla res aduersa contaminat: hoc est, facultatum per miseros dispensata substantia.

Audi itaque primo in hoc loco consilium meum, quicunque diuitiarum abundantia gloriaris. Si times tineam, commenda: si furem metuis, in superiore parte commenda. Ecce habes idoneum custodem: qui opes tuas seruet tibi, in æterum, & in sæculum sæculi profuturas. Addit ad hoc, *Nolite vobis thesaurizare thesauros in terra.* Non abs re est, dilectissimi, quod admonet Dominus, ne quis thesaurum suum terræ commendet. Frequenter enim videmus congesta terræ vitio periclitari; & opes nimium defossas quadam limi tabe consumi. Vnde vtilius iudico esse commodare quam abscondere, & fœnori magis credere, quàm terræ deputare. Stultitiæ autem genus est, clausum tenere, quod potest multiplici labore proficere, & ad vsum æternæ vitæ fructum exhibere iustitiæ. Moneo ergo ne quis in terra abscondat thesaurum suum: hoc est, ne quis terrenis actibus cœlestis animæ dignitatem deputandam putet. Illius autem thesauros tinea comedit, qui vanitati seruit, & vitam suam in huius mundi pompa constituit.

Tinea igitur, dilectissimi, vermis est inuidiæ & auaritiæ: qui secreta cordis solus possidet, solus quæ sunt in abditis congesta consumit. Furem verò diabolum credite: qui vt bonis operibus insidietur, obiecta sæculi pompa blanditur: & vt hominem à consortio regni cœlestis excludat, aurum manibus ingerit, argentum oculis opponit, gemmas collo inserit. Ita superbiam nutrit, & desideria carnis stimulo cupiditatis accendit: quæ sicut scriptu- 1.Tim.6.
ra dicit, *Mergunt hominem in interitum.* Non dubiè autem ille pœnis exonerat profundum, qui thesauros suos præmittit ad cœlum. Audite quid Dominus offerat: *Venite benedicti patris mei, possidete* Matth.25.
mecum regnum promissum vobis à constitutione mundi. Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: nudus eram, & vestistis me. Quis dubitet post hanc vocem de hoc sæculo cum tota patrimonij

patrimonij sui pompa migrate? Stultitiæ profectò vanitas est, vitium in electione meritorum, plus mundum eligere, quàm cœleste regnum; magis sæculo placere, quàm Christo. Si quis itaque vult locum inuenire in cœlesti sede, non desinat indigentibus necessaria ministrare. Sed fortè dicat aliquis, tenues sunt facultates meæ: non patiuntur tantas erogationis expensas. Si tibi aliquis domum præclaram huius temporariæ possessionis offerret, nonne pretio collato vndique nummos aggereres? & si fortè sacculi tui pondus non sufficeret, rem tibi necessariam mutata pecunia compararres, donec ampliata nouo cespite possessione gauderes? Ecce possessio tibi regni cœlestis offertur, & quidem parua pretij mercede taxata; quæ possit etiam ab illo facilè emi, qui solet de paupertate causari. Videamus tamen quid sit, quod à te pretij nomine postulatur, cibus, potus, & vestitus. Ad hæc non inuenio cui erogatio non quotidiana suppetat. Si requiras, fortè horreis tuis annonæ species exuberat, & nouas vini cellulas antiqui gustus fama commendat. Quid tibi prodest seruare ista, si nescias lucratiuis studere commerciis? Sed dicis, pauper sum. Nunquid sub hac voce illis excusare te poteris, quibus pretia specierum pro temporum sterilitate deponis? Sine causa exiguitatem tuæ facultatis accusas. Potes habere quod vendas: non potes habere quod dones? Non sine causa dictum est, frange esurienti panem tuum. Ad inhumanos puto pertinere istam sententiam: quorum panes reconditos & incontaminatos solet caries exesa consumere. *Frange ergo esurienti panem tuum*, ne pereat, & te à consortio regni cœlestis excludat. Addit ad hæc, *Et domesticos seminis tui ne despexeris.* Qui sunt domestici nostri? necessariò omnes, qui nobis sunt nascendi lege coniuncti. Quid est quòd in faciendis eleemosynis non est cuiusquam excipienda persona, nec habendum electionis iudicium? quia res quæ necessitati seruit, erogationis ordinem non requirit.

Quid autem tibi est opus quærere, vtrum Christianus an Idæus, vtrum hæreticus an Gentilis, vtrum Romanus an Barbarus, vtrum liber an seruus sit ille qui postulat? Vbi incumbit necessitas, non opus est vt personam discutias: ne cùm indignos misericordia segregas, Dei filium pariter amittas. Vnde autem scire possumus, in qua parte terrarum habitet Christus? Vbique credendus est esse, qui totum noscitur possidere. Sequitur superiora: *Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & vestimenta tua ante te orientur, & præibit te iustitia, & claritas Dei circundabit te. Tunc clamabis ad Dominum, & Dominus exaudiet te. Adhuc te loquente dicet, Ecce adsum.* Et hoc propter fracti panis particulam. Quàm plus putas adquires, si maiora præstiteris? Audite Euangelistam dicentem, *Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus.* Multi quidem gradus sunt misericordiæ: sed requirendum est, qui potissimùm existant. Principatus misericordiæ est quidem, lapso manum porrigere, erranti viam salutis ostendere, infirmos visitare, in tribulatione posito solatiis inhærere: sed illa est præcipuè spectanda misericordia, esurientem pascere, nudum vestire, captiuum redimere, ad tempus non habenti necessaria commodare. Inuenimus aliquotiens præterea multa genera misericordiæ, quibus se vulgo studia humana commendant: quæ cùm nullum exhibeant misericordiæ fructum, misericordiæ tamen mentiuntur affectum. De his enim dicit Iacobus in epistola sua: *Si frater aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat aliquis vestrum, Ite in pace, calefacimini & saturamini: si non dederitis eis quæ necessaria sunt corpori, nihil vobis proderit.* Iac. 2.

Matth. 5. (margin note beside "Audite Euangelistam dicentem")

Quis non oderit tale genus misericordiæ, vbi oris elegantiâ infirmo pietas otiosa blanditur, & infructuosæ cœlo lacrymæ porriguntur? Quid iuuat alienum flere naufragium, si negligas corpus expositum? aut quid prodest animum excruciare dolore alieni vulneris, si deneges poculum sanitatis? Non pascunt esurientem blanda colloquia, nec vestiunt alienam nuditatem infructuosa consilia. Quid iuuat fomentis mollibus palpasse mendicum, si non reficias fame moriturum? Quod istud genus est misericordiæ, vt hominem velis viuere, & nolis in necessitate eruere? Crudelis est profectò pietas, quæ scit dolere miseris, & nescit subuenire perituris.

Quid amplius quæritis, dilectissimi, pro erogatione fracti panis? etiamsi non fuisset vobis cœlestis regni portio repromissa, sufficere peccatoribus deberet illa sententia, quæ mortalibus spem futuræ salutis, & lætitiam perpetuæ detulit securitatis. Nam si respiciatis ad vestri laboris fructus, & cœlestis indulgentiam pietatis, multo plus recipitis quàm datis. Ecce pro pastu pauperis in Euangeliis cœlorum vobis regnum promittitur: pro erogatione fracti panis, & hospitij receptaculo, vel nudati corporis vestimento, opem suam vobis inuocantibus per Prophetas Dominus pollicetur: in Psalmis iustitia misericordiæ vestræ in sæculum sæculi collocatur. Si comparemus terrenis cœlestia, satis paruo constat res tam pretiosa commercio, aut quanta pars est eleemosynæ vestræ ad illa quæ videtur mortalibus Dominus præstitisse? Ecce nos damus terrena, ille cœlestia: à nobis temporanea offeruntur, ille sempiterna largitur. Vultis scire quantum distent à cœlestibus donis vestri census? In comparatione beneficiorum non est eadem ratio, diuitias accipere perpetuas, & dare quæ erant peritura. Ante omnia illis lacrymis consulendum est, quas nuper furor cruentæ hostilitatis indixit. Nec enim deest in quo se opere bona voluntas exerceat. Nam quod peius est, multos videmus de sua, suorúmque redemptione sollicitos: quibus manus porrigenda est. Sed dicis, pauper sum, nec nos quemquam suademus dare quod non habet. Sed cuius facultas tam tenuis est, vt non possit redimere captiuum, saltem illud quod est minimum addat ad pretium, vt vel paruo nummo videatur satisfecisse mandato.

HOMILIA VIII.

Item de misericordia.

Mvltæ causæ, dilectissimi, ex Euangelica lectione venientes in diuersam partem animum trahunt, quas si voluerimus sub vnius materiæ propositione disponere, necesse est vt causa causæ impediat, alterius negotij intellectum alter excludat. Quando autem potest fieri, vt non confusione multarum rerum, aut dicentis, aut audientis impediatur ingenium? Inter cætera ergo dilectissimi, quibus pro meritis suis beatitudinis gratiam Euangelista commemorat fuisse collatam, interim causam misericordiæ apud vos putauimus exponendam, quæ quotidiani operis fructum requirit: cætera temporibus suis, cùm vsus fuerit, exse

exsequemur: vt vnaquæque res cùm propriis viribus fixa constiterit, alterius causæ materiam non requirat. Ecce dicit Dominus, *Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus.* Miror si post hanc vocem dubitet aliquis nummum suum expendere, cum viderit iustis lucra respondere beneficij. Quid autem prodest congestam auri massam sacculo custodire, cum possis quotidie & benefacere, & expensæ fœnus pecuniæ reportare? Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus. Gaudete, dilectissimi, & securi donate, atque indubitanter expendite. Quis autem non certatim opes suas larga per miseros erogatione dispenset, cùm multiplices fructus, & duplicia dona se intelligat recepturum? Ecce denique beatos illos Dominus in hac vita iudicauit, quibus in futuro misericordiam repromisit. Audite in alio loco Dominum dicentem, *Omni petenti te tribue.* Non est otiosum, dilectissimi, quòd omnibus petentibus eleemosynam Dominus dare iubet. Sciebat necessariò aliquotiens inter malos etiam bonos latere: atque ideo bonos, malósque commiscuit, ne cùm indignos erogatio nimium cauta prætetiret, etiam dignus misericordia indonatus abscederet. Nulla est discretio postulantis, nec est necessitas exploranda pauperis: dantis, non accipientis fructus quæruntur. Non interest cui petenti eroges, non enim requirit Dominus, vtrum mereatur ille qui postulat: sed quærit quantùm præstet qui donat. Audite ad hunc locum Apostolum dicentem, *Qui parcè seminat, parcè & metet.* Profectò nobis præstamus, quotienscunque miseris subuenimus: lucrum nostrum est, nostrarum erogatio facultatum. Nam si respicias ad spem futuræ retributionis, fœnori traditur quicquid esurientibus ministratur: ita dicente Propheta, *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* His omnibus fideiussor est Christus, qui dicit, *Ego vobis in centuplum reddam.* Insuper & vita æterna promittitur: impietati & auaritiæ iudicij districtio reseruatur. Ita Euangelista dicente, *Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc segregabit omnes ab inuicem, oues à dextris, & hœdos à sinistris: dicens illis qui à dextris sunt, Venite filij mei, possidete mecum regnum cœlorum. Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me, nudus eram, & vestistis me.* Dicet illis qui à sinistris sunt, *Recedite à me maledicti in ignem æternum. Esuriui, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi bibere.*

Matth. 5.
Eccl. 6.
2. Cor. 9.
Matth. 19.
Matth. 25.

Cogitemus ergo, dilectissimi, & prouideamus ne nos retributio impietatis inueniat. Nam sicut in pascendis, vestiendisque pauperibus placatur Dominus: ita læditur in contemptu miserorum: cui tanta est cura infelicium, vt sibi datum iudicet, quicquid inopem aut vestit, aut reficit. Audite Salomonem dicentem, *Fili, benefac tecum: conclude eleemosynam in sinu pauperis.* Quisquis ergo vtilitatibus suis consulere desiderat, non inuitus pauperem pascat. Non deest autem, in quo quotidie possis lucrum facere, si ad necessitatem respicias paupertatis alienæ. Nam dicit scriptura, *Eleemosyna & fide peccata purgantur.* Ecce hic ieiunis faucibus pastum requirit: ille miserabile vestimentum deesse sibi in nuditate testatur. Satis crudelis est & nimium durus, quem non tangit dolor cùm partem corporis sui aut debilitas, aut nuditas, aut paupertas stimulat. Parum profectò sibi prospicit, qui non causæ alienæ necessitatis intendit. Nil tibi prosunt diuitiæ tuæ, si diuitiarum beneficiis non vtaris. Nam pars mendicitatis est, congestam secretò pecuniam possidere. Nescis quòd non recipit fructum quicunque non seminat; iuxta illam sententiam, quam superiùs commemorauimus, *qui parcè seminat, parcè & metet?* Hæc est igitur exercendæ culturæ ratio, vt quanto plus homo seminum terræ commendat, tanto futuris messibus spes maior adcrescat. Qui non seminat, otiosis manibus alios merentes spectat. Nam qui inter cæteros agricolas plus laborauerit, olus reponet. Quomodo autem potest fieri, vt horrea sua vacua respiciat, qui semina multiplicato iugiter sulco terræ commiserit? Quid tibi prodest congestis incubare diuitiis, si de his nullum lucrum capias? Videmus denique frequenter inueteratam frugum massam vetustate consumi, & vitiata temporibus vina nullis in posterum vsibus profutura iactari. Illud solum aliquotiens Domino magis intelligimus profuisse, quod renouandi gratia solet agricola indigentibus commendare. Quicquid autem auaritia seruauerit, aut æstas nimia decipit, aut vetustas ingrata consumit, aut tinea damnosa corrumpit. Hoc solum sibi homo reponit, quicquid causa miserationis expenderit. Nam ita dicit Dominus: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, vbi neque tinea consumit, nec fures effodiunt & furantur.*

Eccl. 29.
Prou. 15.
2. Cor. 9.
Matt. 6.

Prouideamus ergo, dilectissimi, ne facultates nostras vermis auaritiæ exterminet. Præmittamus illuc opes nostras, vbi nullus fur irruat, nullus insidiator incendat. Commendemus diuitias nostras Domino dicenti: Nolite vobis thesaurizare thesauros in terra. Quisquis enim facultates suas in opere Dei fideliter erogauerit, in parte cœli reconditas ac repositas sub iusto fideiussore custodit. Nemo sapiens ad huius sæculi ornamenta respiciat; quæ dum temporaliter voluntatibus hominum seruiunt, animis possidentis illudent. Duo sunt genera diuitiarum. Vnum quod suadet ad mortem: aliud quod ducit ad vitam. Diuitiæ mortis sunt, incubare facultatibus alienis, & coaceruatam pecuniam infelicium lacrymis comparatam, in diem adnumerare sæculi hereditatibus profuturam. Illæ integræ & incorruptæ diuitiæ, quibus animæ redimuntur, quibus peccata purgantur. Illius diuitiæ acceptabiles Deo sunt, cuius largitate pauper alitur, nudus vestitur, captiuus redimitur, vinctus absoluitur, cœlestis regni hæreditas comparatur. Nolo illas diuitias, quæ quotidie augmento suo famem faciunt, & in posterum dignitatis suæ flore nudatæ, amatores suos esurire patiuntur. Recurramus denique ad scripturas, & intelligetis in comparatione diuitiarum sub meliore sorte stare pauperiem. In castigatione enim auaritiæ Dominus quendam diuitem apud inferos Abrahæ patri nostro ita supplicasse adsignat, vt mendicum Lazarum in sublimiori loco residentem mitteret, qui refrigeraret os eius, & æstuantia siti labia restingueret. Cui ita traditur fuisse responsum: *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Videtis quod quædam vices studia bonorum ac malorum hominum manent: quas studio misericordiæ conuenit præueniri; ne infructuosæ diuitiæ aduersum se vltrices criminum flammas accendant? Paremus itaque nobis, dilectissimi, apud Dominum locum gratiæ, & viam vitæ nostræ munificientia & largitate muniamus. Affectuum nostrorum labem apud Dominum præmissa satisfactione purgemus, respicientes ad illam propheticam sententiam,

Luc. 16.

Psal.125. quæ dicit, *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent.* Si quis ergo conscientiam suam diligenter interrogat, non otiosis auribus ista suscipienda putet. Non enim poteris in illa die futuri iudicij aliter inuenire refrigerium, nisi vulnera tua aut curaueris refectione pauperum, aut laueris inundatione lacrymarum. Profusiùs autem ipsi flete, & facultates vestras flentibus erogate: vt futuris temporibus inter cæteros gaudia metentes fructus misericordiæ colligatis.

HOMILIA IX.

De eadem misericordia.

QVotiescunque, dilectissimi charitatem vestram pro studio religionis admonere opus est, toties nobis illa sententia Euangelicæ lectionis occurrit, quæ in futuro iudicio inter bonos malósque discernet. Quam si quis neglexerit, lacrymas metet: si quis excoluerit, abundantissimos lætitiæ
Matth.25. fructus adquiret, ita Euangelista dicente: *Cum venerit Dominus in maiestate sua, & segregauerit malos à bonis, dicet ad illos qui à dextris sunt, Venite, possidete mecum regnum cœlorum. Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere.* Dicet & ad illos qui à sinistris sunt: *Recedite à me maledicti in ignem æternum. Esuriui, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi bibere.* Quicunque ergo, dilectissimi, vestrum ad illud cœlestis regni consortium venire desiderat, primo loco paupertati manum porrigat, nec alienas lacrymas otiosè respiciat: quia vnumquemque, siue boni operis, siue mali, sententia retributionis expectat: ita Do-
Gal.6. mino dicente, *Quæcunque seminauerit homo, illa & metet.* Inter cætera ergo, dilectissimi, quibus religiosæ vitæ studio opera apponimus, non prætermittamus necessitatem pauperum, ne perdamus infelicium commercia lacrymarum. In hoc enim stat apud Dominum ratio pecuniæ per miseros dispensata, vt quanto plus homo erogat, tanto fœnoris plus reponat. Sic multis seminibus multa parturiunt; ac multis parturientibus multiplicata consurgunt. Audite de hoc quoque Do-
2.Cor.9. minum dicentem, *Qui parcè seminat, parcè & metet.* Si ergo videtis, quod qui parum serit, parum metet; ita & qui parum erogauerit, parum recipiet: qui nihil serit, nihil reponit: ita fit, vt qui parum recondit, inuitus sæpe ieiunet. Quando autem potest fieri, vt homo horrea sua plena magnis frugibus videat, qui nihil seminis terræ commendat?

Si vultis ergo, vt fructus lætitiæ colligamus, largiùs in lacrymis seminemus. Qui parce seminat, parcè & metet. Inuenimus frequenter hominem, qui cùm esurienti semel eleemosynam dederit, mandatum se persoluisse credit. Non igitur deficientes fame artus vnius diei pastu refecisse sufficit. Sine causa autem vna die bonus est, qui altera descendit ingratus. Nam præcedentis misericordiæ beneficium perdidit, qui putat esurienti semel sufficere quod donauit. Ille autem ad Dominum integros misericordiæ fructus præmittit, à quo pauper nunquam tristis abscedit. Iugi medicamine opus est medico, vt gemitus alieni doloris excludat: quia infirmitas quæ in diem crescit, medicinam in diem requirit. Sed nec minore cura nobis prouidendum est, vt abundantibus eleemosynis curemus, si quid in nobis cruentum, si quid est sordidum. Non enim statim sanantur vulnera, quæ semel laueris. Sæpe excisi corporis medicina repetenda est. Si vultis itaque, dilectissimi, vt dies vitæ nostræ nulla auaritiæ culpa contaminet: non claudamus aures nostras ad clamorem infelicium, nec auertamus oculos nostros à nuditate miserorum. Nemo autem sibi putet perire, quod pauperibus donauerit. Nam sicut mendicitas inhumanitatem sequitur, ita opulentia humanitatis studio comparatur: ita Propheta dicente, *Qui dat pauperibus, nunquam egebit; qui verò auertit faciem suam, in maxima penuria erit.* Prou.8. Ecce aures vestras clamor esurientis increpat, & ieiunis faucibus ianuam tuam sonus vocis deficientis accusat. Quare tibi non occurrit illa sententia, *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus?* Psalm.40. Satis illum negotiatorem constat stultum, qui reconditum sacculo tenet nummum, de quo inde potest habere commercium. Sed quod peius est, auaritiæ multa consentiunt. Hic ne misereatur pauperi, obstrepit vocem postulantium conturbatione sermonum: ille ne audiat, aliud audisse simulat. Satis misera est ista viuendi conditio, vt homo dum studet auaritiæ, auribus suis grauitatem conetur imponere. Respice ad illam sententiam quæ dicit, *Qui pauperi miseretur, Deo fœnerat.* Prou.19. Quare ergo dubitet aliquis indigentem pascere, cùm videat se ista Christo nostro in pauperis refectione conferre? Sunt aliqui, qui miserabilem mendicitatem spe procrastinatæ humanitatis includunt, qui cùm excusare se postulantibus erubescunt, miseros promittendo decipiunt. Ecce hic dicit, clauis deest, custos absens est: cùm primùm fueris reuersus, accipies. Non cogitas illam sententiam Salomonis, quæ dicit, *Ne dixeris, abi & reuertere, cras ego dabo: cùm possis statim benefacere.* Prou.3. Vnde scis quid contingat sequenti die? Dicis, cùm primùm fueris reuersus, accipies. Quando est illud esurienti, vt villicus tuus redeat, qui fortè te volente frequenter abest? quando est, vt ad clamantem illa fastidiosa secretorum tuorum claustra dissiliant, quæ dum tuæ seruiant voluntati, nesciunt aperiri? Dicis, cùm fueris reuersus, accipies. Quid si nudum grauior solito tempestas cædat? quid si deficientes fame artus exitus vicinæ mortis excipiat? Quis non iudicet tuo iudicio deputatum morti, quem videt tuo beneficio potuisse seruari? Cùm fueris reuersus, accipies. Cuius fide redit, quem virtus tota destituit? aut qua spe domum repetit, qui pridie confusus abscessit? Deponamus quòd promissioni tuæ redeundo satisfaciat: fortè sub hac qua pridie conditione venturus. Multo iustius planè est, eleemosynam statim negasse, quam esurientem spe promissa decipere. Audite Dominum dicentem, *Frange esurienti panem tuum.*

Requiramus, si vultis, dilectissimi, qua fractus panis mercede pensetur. Ecce dicit Dominus, *Frange esurienti panem: si videris nudum, vesti eum, & domesticos seminis tui ne despexeris.* Esai.58. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & vestimenta tua citò orientur: & præibit ante te iustitia: & claritas Dei circundabit te. Tunc exclamabis, & Deus exaudiet te: & dum adhuc loqueris, dicet, ecce adsum. Videte, dilectissimi, quantum nobis constet erogatio tenuis expensæ, vt ad petitionem nostram tantæ maiestatis Dominus dignetur occurrere. Nam & alibi dicit; *Qui dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, amen dico vobis, quia non peribit merces eius.* Matth.10. In hoc loco voluntas requiritur, non facultas. In maximis enim affectum integræ

integræ deuotionis ostendit, qui in minimis votum miserationis exhibuit. Vnusquisque ergo, dilectissimi, provt habet, vt potest, eroget, largiatur, expendat. Nemo claudum refugiat, nemo surdum non audisse se fingat: nemo debili manus subtrahat: quia omnia ista in retributione consistunt. Vestire enim pauperem, corporis sui est operuisse nuditatem. Lucrum autem magnum est refecisse mendicum. Sic enim dicit Dominus, *Quacunque feceritis vni ex minimis istis, mihi fecistis.* Tanta est enim apud Dominum nostrum cura miserorum, vt sibi præstitum putet, quicquid agentibus erogatio miserata contulerit. Videmus igitur aliquoties inter abundantis vini, frumentique commercia egentes viduas, quas sexus & senectus decipit: quibus nec laborandi, nec prouidendi virtus suppetit. Satis ille impius est, quem non ad misericordiam prouocat aut infelicitas desolationis, aut infirmitas senectutis. Videmus & quod peius est, frequenter multitudinem captiuorum nudis errare corporibus. Quid tibi prodest abundantia diuitiarum tuarum, si in conspectu tuo vnus algeat, alter esuriat? Ecce imminet tempus, dilectissimi, iustæ retributionis, & promissæ in cœlestibus munus hæreditatis. Erogemus ergo, & expendamus in hoc sæculo, si velimus partem diuitiarum obtinere in cœlo. Audite Dominum dicentem, *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo*: & alibi, *Facite vobis sacculos, qui non veterascant.* Bene dilectissimi, Christus noster boni operis fructum pensata facultatum qualitate disposuit: vt in faciendis eleemosynis nec diues, nec pauper excusare se possit. Ita vt huic qui plurimùm possidebat, thesauros iuberet erogare: illum quem nouerat paupertatis squalore sordere, esurienti panem iuberet frangere. Quæ autem tam vacua horrea, quæ sustinere non possint tam tenuem erogationis expensam? aut qui tam miseri census, quos possit conturbare mendicus? Facilè sanè, & sine difficultate potest implere mandatum, cui vltra possibilitatem nihil constat impositum. Scio quidem census tenues frequenter bonæ voluntati obsistere: ita vt non sit in quo se opera pretiosæ cogitationis extendant. Sed si illa quæ maiora sunt, implere non possumus, vel hæc quæ parua & facilia sunt, non prætermittamus. Frange esurienti panem. Ad hæc quis non deuota mente respondeat, quamuis paupertate oppressus sit, & tota victus mendicitate suspiret? Alioquin aut nimium mendicus, aut satis vanus est, qui in facienda eleemosyna non est fracti panis erogatione contentus. Sed dicis, multa minutatim dispensata massam faciunt. Verum est, sed quantum est istud ad illud quod dicit Dominus: *Ego vobis reddam in centuplum, insuper & vitam æternam*? Tu tamen, qui tam inuitus fracti panis portiunculam porrigis, quid faceres si à te auri pondus, si argenti pretiosum talentum, aut aliquid integrum peteretur? Nescio si tu aliquando dato magno pretio captiuum redimas, qui de re tam parua suspiras. Qui pauperi miseretur, Deo fœneratur. Vnde, dilectissimi, moneo, vt nemo partem diuitiarum Deo subtrahat: qui iustis laboribus non difficilem boni operis fructum reportat, cùm misericordiæ mercedem multiplici miseratione compensat. Non dubitemus itaque erogare: non dissimulemus expendere. Maxima enim semper fuit apud cultores terræ spes alendæ vitæ, ex abundantia seminasse.

Matth.25. Matth.6. Luc.11. Matth.19.

HOMILIA X.

De parasitis.

QVotiescumque, dilectissimi, pro studio disciplinæ, ad confusionem malorum, opus fuit bonarum partium virtutes exponere, multùm amicitiis honoris exhibuimus, cùm singula quæque pro suis meritis laudaremus; præferendo fraternæ coniunctionis studia, quæ pacis & charitatis iuncta consortio, vitam perfectæ religionis instituunt. Sed dum assiduè singularium rerum causas curiosus inquiro, & honestis actibus officium sermonis accommodo, multùm in ipsis amicitiis quod mihi displicet inueni. Vnde ne quid in adulatione bonarum partium subtraxisse videar disciplinæ, ausus sum inter illas inimicitiarum culpas etiam amicitias castigare: si tamen amicitiæ dicendæ sunt, vbi operatur iniuria multis acta vulneribus. In quo loco ad excusandam execrabilis erroris inuidiam, aliquanti fortè lusum prætendant, & pœnalibus causis lætitiæ nomen imponant. Ferat hoc quolibet animo, qui huiusmodi contumeliis subiacere consueuit. Ego ibi amicitias excessisse omne genus captiuitatis puto, vbi nec læso irasci, nec irato conuenit vindicari. In quo loco, dilectissimi, quem ex duobus infeliciorem iudicem, nescio: vtrum illum qui aliena deformatione viuit, an istum qui corpus suum ludibrio prostituit, & illusionibus tradidit. Nemo mihi in talibus causis patientiæ nomen imponat, ad luxuriam profectò pertinet pœna, quam irascentis inimici non extorquet iniuria. Sed fortè istis danda venia sit, quos ad omnem contumeliam paupertas trahit, & infelix penuria luxuriantibus plagis subiacere compellit: qui dum necessitati seruiunt, contumeliis adquiescunt. Esto vt his patientiam causa improbæ paupertatis indicat, quid de illis iudicabimus, quos aliena pascit contumelia? Qualis iste gradus est amicitiarum; quem vinxit pœna, asperauit iniuria? aut quæ illi potest esse gratia familiaritatis, vbi est quotidie pœna venalis? Erubesco quidem, dilectissimi, in confusione miserorum, quos fames improbæ cupiditatis illexit: sed multò plus illorum actu & conuersatione suspiro, apud quos pœnalis amicitia tristitiam remouit, & lætitiam cruentus amor familiaritatis exegit. Infelices quidem illos iudico, quos ad iugem contumeliam venter inuitat, & ad omnem iniuriam gula nunquam poculis exsatiata sollicitat. Sed istos multo infeliciores puto, qui amica instigatione pugnas instituunt, & inter fluentes mero calices alieno sanguine satiantur. Ecce hic conuiuium instituit, & votiuo quodam apparatu vndique greges adulantium congregauit. Inter quos procedit parasitorum gula: cui consuetudinis est iniuriam mero vendere, & poculis scissa plagis vestimenta sarcire. Videte ergo, quomodo isti ferant odiorum causas, apud quos cruentas esse placet amicitias. Quid non inuenit infelix ac damnosa luxuria? Ecce fit spectaculo homo homini: & ad excitandam lætitiam, aut sermo turpis, aut vultus exigitur fœditatis. Huic denique manducanti barba vellitur: illi bibenti sedilia subtrahuntur: hic ligno scissili, ille fragili vitro pascitur. Tanta est igitur libido ridendi, vt putent miseri nullum sine lætitia transire conuiuium, nisi in cibos verterint aut vestimenta corporum, aut ministeria poculorum. Quantis autem putatis miseriis ista constare? Ecce quicquid detrimenti mensa fecerit

fecerit, insatiabilis venter adquirit. Nam qui huiusmodi voluptatibus seruit, etiam mercedem laboris sui aut bibendo conterit, aut vapulando consumit. Sed hæc ante omnia illis imputanda sunt, qui lætitiæ causa ad tam fœdum ministerium gradum amicitiæ & familiaritatis inclinant. In meliore profectò statu est apud Dominum seruitus, quæ standi lege deputato paret officio. Est illi inter accumbentes locus ridendi, & nulla tamen inter expectantes tenetur culpa peccati. Ecce instruitur acies poculorum telis armata. Expectatur primùm in contentione verborum victoria. Nec finis ponitur, donec abundantibus lacrymis aspera quæque poculorum temperentur. Polluere est magis, quàm exornare conuiuium, expectare infelicium pugnas amicorum: si tamen amici dicendi sunt, qui captiuorum lege seruiunt, & gladiatorum more pascuntur. Datur misero inter ciborum nouitates, vini liquores, quicquid vilius, quicquid asperius: vt in tanta rerum abundantia incertum sit, vtrum esurire, aut sitire sit melius. Minus planè ludibrio subiacet tenebrosis sedibus deputata captiuitas: vbi quamuis sustineat homo durum dominationis imperium, accipit tamen ex ipsa rerum necessitate solatia. Non enim habet, in quo possit erubescere, cui necesse est inuito seruire. Velim tamen scire, dilectissimi, in quo reficiat expectantis animum iniuria deformitatis alienæ. Adserant fortè huius rei amatores locis ista præstari, quasi reuera desit, vnde homo non requirat. Ostendam vobis, si placet, oblectamenta non incommoda: quæ facilè omnem tabescentis animi possint mœstitiam remouere. Ecce infantibus quàm sunt verborum admiranda principia: vbi primùm informis littera vocabulum matris operatur, & distantis syllabæ gemitus patris nomen orditur? Quis autem ibi lætus non sit, cùm inter illa sermonum dura rudimenta, luctantes labiorum sonos rudis lingua decipit, & os trepidum stillantia verba destituit? Quod si fortè spectaculis delectaris, habes equorum, licet aliquotiens periculosa, satis tamen grata certamina; cùm plagis gradu concito ventos aut timeant, aut rapiant. Nec parum lætitiæ conferunt illa studia venationum, & canibus acta certamina: quæ nec periculis, nec damnis constat exposita: cum hic in conflictu æmulis cursibus aurito lepori imminet, ille argutis naribus cerui vestigia latentis inquirit. Quæ tamen dimittenda sunt sæculo, in quo antiquo æstuat errore luxuria. Nos verò aliter decet, quos Christus noster suis legibus vinxit, & ab illa superstitiosæ gentilitatis stultitia segregauit. Licet nec nobis desint spectacula, quæ tristitiam releuent, & anxium curis animum sufficienter oblectent. Ponamus nobis ante oculos illas pugnas Martyrum, & intueamur admirabilium exempla virtutum: & videbitis subitò adcrescente lætitia cedere omnes infelicium æstus animorum. Cui autem non lætitiam paret pugna, iustis partibus succedente victoria, quam ferus hostis admotis tormentorum stimulis in Sanctorum persecutione composuit? Quis igitur non rideat, quis non lætus sit, cum videat militem Christi nostri suppliciis exultantem? erubescente persecutionis auctore, victum plagis cessisse tortorem? Si quis fortè dulcisoni cantus delectatur auditu, ad psallentium Prophetarum choros sollicita latiùs corda conuertat. Impleatur os nostrum cœlestium exultatione Psalmorum, referente Christo nostro gratias, qui spe redditæ salutis in honore nominis sui iugiter exultare nos voluit. Hæc sit exultatio cordis nostri, vt die, noctúque lætemur in Domino. Hoc est autem exultare, mandatis Domini tota mente seruire. Mandatis autem Domini seruit, qui vitam suam ab omni vitiorum contagione custodit. Ille vitam suam custodit, qui fidem proximis suis exhibet, pacem diligit, amicitias colit. Hoc est igitur amicitias colere, alienam iracundiam moderationis studio sustinere, & feruentes fratris animos patientia temperare. Ita est vt futuro iudicio inter cæteros inculpatus incedas, si de Christo nostro in his omnibus quæ diximus, te probatum castigatus exhibeas.

HOMILIA XI.

Qui gloriatur, in Domino glorietur.

NOn rectè sentiunt, dilectissimi, qui putant vitæ ornamenta proprio labore componi, & sine adiutorio omnipotentis Dei virtutum posse merita comparari. Si ergo nostrum est tantùm quod boni sumus, quare vitiis subiacemus? aut si ex nobis descendit omne, quicquid potest hominem aut ornare, aut saluum facere, quare pereundi lege concludimur? Omnem profectò modum sacrilegæ superstitionis excessit, qui in laboribus iustis partem Deo subtrahit, à quo sapientiæ spiritum accepimus, qui totum hominem regit, & ad omne opus bonum mortalium mentes accendit. cuius est quicquid ex illa iustitiæ sede descendit. Omnia itaque laborum insignia ad Deum referenda sunt: ne sancti Spiritus dona rescindat. Nimiæ autem præsumptionis est vitium, Imperatore pugnante, militem solum palmam velle reportare victoriæ. Sanè si vultis, potestis agnoscere, cui mala, cui bona debeant imputari, Propheta dicente, *Bonitatem fecisti cum seruo tuo Domine.* Item alibi, *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Videtis ergo, quòd bona nostra diuinitati debemus adscribere: mala autem humanis moribus imputare: quia vt bona procurante Domino creantur, ita mala diabolo auctore nascuntur. Sed vt intelligatis vitam Dei munus esse, mortem diabolo subiacere, audite Euangelistam dicentem, *Venite filij, possidete mecum regnum promissum vobis à constitutione mundi. Esuriui, & dedistis mihi manducare.* Aliis verò dicit, *Recedite à me maledicti in ignem æternum, quia non dedistis mihi manducare.* Videte ergo quod boni actus cœlo seruiunt, mali inferni sedibus deputantur. Diuisio autem actuum nostrorum est, cùm bene facimus, Christi sumus: cùm mala operamur, in diaboli potestatem transimus. Nunquam enim deserit Dominus voluntatem religionis studio florentem: nec desunt solatia diuinitatis, vbi sunt actus bonæ conuersationis. Tunc sanè nos bona deserunt, cùm deteriora succedunt: quia non dubiè diuino auxilio destituimur, postquam iniquitatis desideriis occupamur. Adsistente igitur Deo ac Saluatore nostro, sine dubio dominatio diabolicæ potestatis abscedit. Vbi autem virtutum Dominus discesserit, facilè hostis aulam vacuæ possessionis inuadit. Vna est itaque spes salutis nostræ, vt malorum actuum ordinem nobis imputemus, bonorum Dei virtutibus adscribamus. Citò autem ille ad se imperium diabolicæ potestatis admittit, qui diuinæ maiestatis solatia non metuerit obtinere. Sperandum ergo in Domino, vt boni simus, & cùm boni fuerimus, in Domino gloriandum. Audite Apostolum dicentem: *Quid habes, quod non accepisti?*

Psal. 118. Psal. 116. Matth. 25. 1 Cor. 4.

Si

Si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Hæc actuum nostrorum perfecta gloriatio est, si gloriemur in Domino, apud quem victoribus virtutum corona componitur. Ibi sanè de se hominem gloriari oportet, vbi pro nomine Domini voluntaria crucis pœna succedit; quæ tamen gloriatio hunc habet fructum, si auxiliante Christo mereatur effectum. Nam Propheta in hoc loco dicit,
Psal. 126. *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam: in vanum vigilant qui custodiunt eam.* Videtis ergo, quòd nec sine Domino quod bonum est ædificari, nec ædificatum sine Domino poterit custodiri. Ædificatio diuinæ huius domus ædificatio est vitæ nostræ, quam oportet diuinæ maiestatis auxilio communiri. Rogandus itaque semper est Christus noster, vt in nobis bona nutriat, & exorandus, vt nutrita custodiat: atque ita intelligentiæ nostræ corda componat: vt omnia quæ bona sunt gloriæ cœlestis potestatis adsignet. Stultitiæ verò genus est, vt homo suum esse iudicet quod laborauit, qui in alterius potestate consistit. Ecce hic modò diuitiis exultat, modò paupertate suspirat, si in manu nostra sunt bona nostra, quare non cùm volumus aut penuria cessat, aut diuitiæ perseuerant? Hic modò sanitatis vigore attollitur, modò infirmitatis dolore vexatur. Si in potestate hominis esset vitæ nostræ salus, nunquam periclitaretur mendicus, nec moreretur infirmus. Requirat denique vnusquisque initia vitæ suæ, & auctorem quærat generis humani: quis corpus formauerit, quis membra composuerit, quis terrenam materiam in humanum vsum fecerit vegetare. Nónne hæc omnia Dominus sapientia procurante constituit? Cùm ergo non sit nostrum quod sumus, quomodo nostrum est quod habemus? Stultitiæ genus est, vt cùm alij debeas vitæ beneficium, tibi adscribas ornamenta virtutum. Ecce hic honore extollitur, ille sibi de corporis integritate blanditur: hic diuitias labori suo imputat, ille scientiam doctrinæ vigiliis adsignat. Nec nos negare possumus, ornamenta religiosæ vitæ vigilantiæ studio comparari. Sed ibi Deus est, vbi integræ religionis est
Rom. 7. animus, ita Apostolo dicente, *Exemplum eius quæritis, qui in me loquitur Christus?* Satis ibi vacillat humanum studium, vbi non requiritur Dei auxilium. Nam non dubiè periclitatur fides, si non muniatur patrocinio diuinitatis. Nostrum est igitur bonum velle, Christi verò perficere. Nam ita Apostolus lo-
Psalm. 13. quitur: *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.* Vides ergo boni operis voluntatem ex nobis debere descendere, perfectionem verò à Dei potestate pendere. Quare autem aliquis mortalium fieri bona suo tantum studio adsignet, cùm dicat
Ibidem. Propheta, *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Et Euangelista itidem doceat non esse bonum, nisi solum Deum? Ergo videtis, quòd si quando boni videmur, bonitatem Dei operamur. Au-
1. Cor. 3. dite Apostolum dicentem, *Vos estis templum Dei, si tamen Spiritus Dei habitet in vobis.* Templum profectò Dei sumus: sed cùm bene facimus. Si ergo templum Dei est homo, necessariò Dei est quod habemus in templo. Sed hæc bonis diximus. Verùm non est Dei templum, vbi conuenit multitudo vitiorum. Nam vbicumque crimina porriguntur, ibi diabolus dominatur. Ad illum scilicet respicit pompa diuitiarum, qui sibi in magna domo vindicat principatum. Nos procuratoris loco fungimur: si aliquid lucrifecerimus, referetur ad Dominum: si damni, referetur ad procuratoris exitium. Quicquid enim seruus in Domini positus potestate laborauerit, necessariò Domini est. Habet quidem seruus gratiam laboris sui, sed Domino debet fructum operis impleti. Denique vtili seruo ad hoc pecunia creditur, vt Domino duplicati fœnoris lucra numerentur. Respicite itaque ad consuetudinem conuersationis humanæ; & intelligetis vtili seruo ad hoc pecuniam credi, vt Domino duplicati fœnoris lucra numerentur. Nam ita in hoc loco Euangelista dicit, ad eum qui lucrum quadruplicatæ pecuniæ reuerso de peregrè Domino portauit, *Euge serue bone, quia in pauca fuisti fidelis, in multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.* Ita Dominus laudatur in seruo bono: seruus bonus prædicatur in Domino. Vnde cauendum est, ne quando quod ad gloriam boni operis pertinet, nostris virtutibus adscribamus: scientes quòd non per iactantiam victoriæ corona componitur: sed per fidem & confessionem Dominicæ passionis, quibus respondent bonorum operum studia. Hæc est illa pecunia, cui diximus cœlestis regni respondere beneficia. Hoc illud negotium iusto fœnore duplicatum. Hæc est illa retributio meritis debita, ac beatis laboribus repromissa. Multiplicetur ergo in nobis pietas, fides, misericordia, bonitas: vt cùm venerit Dominus facere rationem cum seruis suis, intremus in gaudium Domini Dei nostri. Quod facilè obtinere possumus, si vsque in finem cœlestia mandata seruemus. Sed non otiosè nobis laborandum est, vt mercede digni iudicemur. Iustis autem actibus facilè honesta succedunt, si tamen non occupent animum prauæ voluptates: quæ non difficilè in ventos euanescunt, si non diuinæ maiestatis solatia requirantur. Quisquis ergo est in hoc, quo stat salus homini, religionis ordine constitutus, non extollatur gloria sanctitatis: sed magis fructum laboris sui Domino reseruet, qui vnicuique pro meritis cœlestia dona componit. Qui gloriatur itaque, in Domino glorietur. Omni ergo studio agendum est, dilectissimi, vt vitam nostram Domino ita fides pura commendet, ne quid extollentia humana sibi vindicet, aut suis laboribus donet. Totum autem perdidit quod laborauit, qui propriis virtutibus fructum sanctitatis adscripserit.

Matth. 25.

HOMILIA XII.

De bono conseruandæ pacis.

SOlliciti sunt fortè aliqui maliolis exprobrare verbis studium bonæ voluntatis, & timori aut ignauiæ adscribere, si quando homo litibus cedit, & exulceratus iniuriis ad omnem patientiam quietis amore confugerit. Ad confutanda tam prauæ mentis iudicia, sufficere quidem deberet Euangelicæ lectionis admonitio. Sed quod ex nobis est, finem rerum etsi exiguo sermone prosequimur, atque ea quæ plenitudo religionis postulat, pro affectu quo charitati studemus, votis competentibus adiuuamus. Licet sciam antiquis legibus ita multos deuincto amore seruire, vt odiis semper impugnent quicquid seruandæ pacis cura suggesserit. Siquidem id ipsum quod dicturi sumus multis diuinarum scripturarum testimoniis adprobemus, ita in hoc loco Domino dicente: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt.* Non dubito quòd aliquantis satis otiosum, & impossibile videatur pro inimicitiis amorem deferre, pro contumeliis gratiam retulisse. Et verè, dilectissimi, difficile est, vt accepta iniuria dolor non in quacunque parte corporis desæuiat. Sed sapientis est superuenientem dolorem aut patienter ferre, aut fomentis mollioribus temperare. Infinita autem Matth. 5.

virtus est, odia vicisse beneficiis. Nam ille inter cæteros planum perfectæ virtutis obtinet, qui ad vicem veneni pocula dulci melle componit. Primus itaque dilectionis gradus est, charitatis affectum amicitiis nutrire: integræ autem dilectionis est cumulus, odium amore repensare. Illud beneficiis adscribitur: hoc virtutibus deputatur. Additur præterea ad cumulum perfectæ dilectionis illa sententia, quæ ait, *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* Quicunque ergo tu es, quem alienæ insolentiæ inquietat iniuria, & dolor contumeliis excitatus stimulat: si vis perfectus esse, animorum iracundiam moderatione compesce, & à te patientiæ bono odia improbæ indignationis exclude; aut certè, si tantùm vindicare desideras, miserere his qui ignorant salutem animæ in hac dilectionis perfectione pendere. Fortè odiis odia compensentur, & ad compensandum facinus vicaria fit iniuria. Prouocasse quidem ad iracundiam fratrem, crimen est: sed prouocatum non cessasse, deforme est. Ita enim odiorum semina abundantissimos iniquitatis fructus reddunt. & scelerum pœnas operantur: & cùm auctor litis erubescit fratri satisfacere, & læsus iusto, quantùm ipse putat, iudicio vindictam illatæ requirit iniuriæ. Audistis ecce, dilectissimi, quibus pacis studia fructibus gratulentur: nunc discite, quantis odia criminibus incusentur. Sic enim proponit Euangelista Domino dicente, Qui odit fratrem suum, homicida est. Videte vtriusque partis retributionem. Huic pro odio fratris homicidij macula adscribitur: illi vindicta pro parua eleemosyna præparatur. Respice denique & vide, quanto te amicitia quietis & pacis honore circundet: quantum tibi fauoris exhibeat, si aduersus inimicitias amore contendas. *Diligite inimicos vestros.* Longè autem minor fructus est, si amantem te diligas. Alienis enim moribus seruit, qui non amantem diligit: suis autem moribus seruit, qui amantem diligit. Ad illum necessariò charitatis gratia pertinet, qui inter duos prior affectum amoris exhibuit: qui amantem diligit, debitum lædit. Nam non est nouum meritum, vbi alterius præcedit officium: nec perfectioni adscribendum est, vbi muneribus munera, præmissis officiis redduntur officia. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* Nunquid dixit, si esurierit amicus tuus, ciba illum? Tu inimicum tuum pasce: nam amicus ipse sibi præstat, vt non esuriat? quid autem ibi operatur tua eleemosyna, vbi amicum pascit amicitia? Videmus tamen, quid intersit inter eum qui indigentem amicum pascit, & eum qui esurientem inimicum reficit. Ille gratiæ reddit debitum: hic exhibet miserationis & virtutis exemplum. Gloriosum est quidem indigentem fratrem pascere: sed fortius est inimico in necessitate posito subuenire. Diligite inimicos vestros. Fortè illi quem recens pulsat iniuria, videantur ista non conuenire rationi. Sed respiciat quicunque est, ad vitæ suæ quietem: & intelliget quia inimicum dilexisse, vicisse est. Infinitum autem est, quantum periculi homini incumbat, cùm duos æmulos furore consimiles ad pugnam ille diabolus magister litis armauerit: cuius est consuetudinis ad instiganda odia amaros portare ac reportare sermones. Quando est autem, vt ille diem sine tribulatione transigat; vel quando est, vt ab illo vox sine impia cogitatione discedat, quem ira indignatione stimulat? Nunquam profectò sine suspicione vitam ducet, cui est semper necesse cogitare & timere quem læserit. Summa itaque cura sunt dolores asperi blando verborum medicamine temperandi: quatenus & duritia cordis pacis studio castigata mollescat. In quo loco beatos illos iudico, qui verba labiorum suorum tacito ore custodiunt: & memores cœlestium mandatorum alienæ vocis contumeliam non requirunt. Cessant enim odia, vbi non reputatur iniuria: nec habet vllam virtutem iracundia, si desit vnius in contentione persona. Ita duplex patientiam manet victoria, hominem vicisse proprios animorum motus, & temperasse mores alienos. Scimus quidem, dilectissimi, quod aliquoties in contentione verborum laceratis auribus corda suspirant. Sed ipse sibi iniuriam facit, qui litigiosi hominis verba custodit: ipse se maculat, qui alterius dicta queritur in se fuisse collata. Plena victoria est, ad clamantem tacere, & non respondere prouocanti. Habes enim mercedem, & de tua patientia, & de fratris medela, si obliuioni deputetur iniuria: vbi enim verbis verba succedunt, incendio fomenta præstantur. Sicut nihil est deformius respondere furiosis: ita nihil vtilius tacere prouocatis. Nam sic adcrescunt inimicitiæ, si cùm alter se verbis defendit, alterius dicta alter accuset; nullus autem est finis inimicitiis, nisi ad tempus obtemperemus iratis. Dicis fortè, non est culpa, si illud quod dicit Propheta, feceris: *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labiis meis.* Si non vis iniuriam pati, religa plectrum oris tui, & obtura aures tuas, ne ad te irascentis fratris verba perueniant: aut certè si peruenerint, silentio deputentur. Sic fit vt conceptus furor virtutem perdat, si vno tacente alter solus insaniat. Audite Apostolum dicentem: *Dilectio proximi malum non operatur.* Vultis scire quod sit istud malum, quod gratiam fraternæ dilectionis excludit? odia, rixæ, simultates, lites, æmulationes: quæ omnem cursum vitæ præsentis infamant. Hoc ergo malo absolutus est, qui charitati seruit: nec habet in eo locum ruina vitiorum, qui calcatis odiis integrum charitatis custodit affectum. Addit ecce dilectionis augmentum Euangelista dicens, *Dilige proximum tuum, sicut temetipsum.* Videamus quis sit iste proximus, quem tanto studio Euangelista commendat. Non ita Propheta gradum patientiæ, aut necessitudinem consanguinitatis exposuit, vt extraneos à gratia fraternæ dilectionis excluderet. Proximus tuus est omnis homo, qui eadem tibi est Christianitatis lege coniunctus; proximus tibi est, qui ab Ecclesiæ consortio non videtur alienus; proximus tibi, quicunque est proximus Christi. Qui ergo proximum diligit, Deum diligit. Ita qui Deum diligit, oportet vt Christi sui proximum veneretur. Propheta laudans coniunctionem fraternam dicit, *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum!* Quid in vita hominis est bonum nisi pax, sub qua omnia quæ sunt honesta proficiunt, ac religiosa nutriuntur? Quid est iocundius, quàm vt omnes gentes vni Deo in pace seruiant, atque in vnius Domini laudem omnium populorum vota conueniant? Habitare in vnum, hoc est in vnum Deum credere, & in vno Dei filio fideliter permanere. Hæc est mortalibus vtilis & iocunda coniunctio, vt non diuidamus, sicut hæretici faciunt, patrem à filio, nec filium à patre, nec Spiritum sanctum ab vtroque: sed credamus hæc tria nomina per personas diuisa vnius deitatis gaudere consortio. Ita fit vt cùm in vnum conuenerit, nullum fit in Ecclesia dissidium charitatis. Vitemus ergo semper, dilectissimi, odia; sed vt odia vitare possimus, ante omnia causas vitemus odiorum. Primo loco cesset inuidia, quæ ad omnem litem animos humanæ mentis accendit.

Nemo

Marginalia: Rom. 12. (at "Si esurierit inimicus tuus"); Matth. 5. (at "Diligite inimicos vestros"); Rom. 12. (at "Si esurierit inimicus tuus, ciba illum"); Psal. 140. (at "Pone, Domine"); Rom. 13. (at "Dilectio proximi"); Matth. 5. (at "Dilige proximum"); Psal. 132. (at "Ecce quàm bonum").

Nemo in comparatione personæ alterius natales infamet; & non est quem insolentia sui oris accuset. Cauendum ante omnia est, ne quid per concertationem simultatis adcrescat. Solet enim ansanabilis inimicitia ex contentione descendere. In quo loco patientia opus est, cui non sine fructu propriæ salutis obsequeris. Nam sicut illum qui iniuriam fratri infert, grauis peccati manet culpa: ita te maxima protegit virtutis corona, si accepta non irasceris iniuria. Ille enim dilectionis plenus affectus est, si obliteratis contumeliis infirmitatibus miserearis alienis. Scimus quòd gloriosum est aliquantis, expectare benignis oculis pœnas corporum, aut damna miserabilium facultatum. Sed
Matth.5. si qui sunt isti, audiant Dominum dicentem, *Orate pro calumniantibus vos.* Multi accepta iniuria vicariam contumeliam parant, & vindictæ locum
Rom.12. animo latrocinanti expectant. Et vbi est illud quod Dominus dicit, *Nemini malum pro malo reddentes?*
Ibidem. Ac ne aliquid sibi vendicaret iracundia potestatis, etiam spem abstulit vltionis, cùm dicit, *Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus.* Dimittat ergo vnusquisque fratri suo ex toto corde. Nullus recolat iniuriam, nemo quærat ira perseuerante vindictam. Sint tibi cum inimico tuo semper blanda, sed pura colloquia, cessent obtrectationes, & cessant lites. Sic vt à te diligatur inimicus, si non addas causas, quibus semper inflammetur iratus.

HOMILIA XIII.

Item, De bono pacis conseruandæ.

ALiquanti fortè æstimant, dilectissimi, ab antiquis legis iustitiam, quam criminosi satis duram iudicant, nimiæ bonitatis præiudicio fuisse calcatam; ex hoc quod dicat Dominus in Euan-
Matth.5. gelio, *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, & orate pro calumniantibus vobis.* Satis crudelis est, dilectissimi, qui putat iustitiæ non conuenire bonitatem: cùm vna atque eadem sit ratio prouidentiæ, malos bonitate compescere, bonos legis vinculo custodisse. Denique currite ad sanctum Dauid, & inuenietis fontem iustitiæ ac bonitatis vnius esse virtutis, qui ita in parte psalmo-
Psal.118. rum loquitur, *Bonus es tu, Domine, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas.* Nemo ergo dilectissimi, legis descriptionem aliud putet esse, quàm bonitatis, pietatisque consortium, quæ cùm disciplinæ studet, honestis actibus mores instituit; & concitata iniquis cogitationibus corda seueritate compescit. Nam vt sciatis nihil de antiquo iure fuisse
Matth.5. subtractum, audite Dominum dicentem, *Non veni legem soluere, sed adimplere.* Non sine causa, dilectissimi, Christus noster præsentis ac veteris testamenti præcepta vnum corpus esse voluit. Sciebat alteram partem sine alterius adiutorio stare non posse; & verè ita est. Nam vbi est districtio iudicantis, temperamentum semper opus est bonitatis. Omne denique poculum, dilectissimi, cuius auxilio medicina spem humanæ salutis operatur, ex amaris speciebus & dulcibus constat. Quod si quis medicus rationis ignarus nequeat temperare; dum remedium quærit, mortifera ægris venena componit: quæ ita omnes extrinsecus dolores accendit, si tristes herbarum succos æquis nesciat miscere ponderibus. Ita & lex dilectissimi, quæ Christiana iura moderatur, ex amaris & dulcibus, hoc est ex antiquis & præsentibus institutis est condita. Nam vt est peccatoribus ingrata, ita & iustis tota est verborum suauitate composita; in tantum vt his cœleste promittat regnum, illis gehennæ minetur incendium. In qua si quis sapiens nouerit humilitatis & pacis adiectione confectionis seruare mensuram, nullam exinde districtoris iuris patietur iniuriam. Nam vt est facile aspera quæque pocula mellis suauitate mollire: ita non est difficile, honestis actibus antiqui iuris amaritudinem temperasse. Si quis itaque vestrum iustitiam amat, vtriusque Testamenti mandata studeat: atque ita nouellis legibus seruiat, vt illa quæ sunt antiquitus constituta non prætermittat. Sic ergo implebis legem Christi, si nihil de antiquis aut præsentibus institutis subtraxeris veritati. Quis autem sapiens opus iustitiæ fructum neget esse bonitatis, cùm audiat Prophetam dicentem, *Bonum mihi, quod humiliasti me, vt discerem iustificationes tuas?* Psal.118. Non dubito esse aliquos, dilectissimi, qui sub hac sententia perfectam putent stare iustitiam, quæ dicit, *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Leuit.24. Dominabatur quidem ista dudum apud sæculi homines: sed ideo, quia necdum auctor venerat bonitatis. Qualem autem illam putatis fuisse iustitiam, quæ solam mortis operabatur iniuriam? Et nullus profectò adhuc pœnæ finis esset, nisi Christus noster cruentis legibus oleum misericordiæ miscuisset: hoc est verè sine dolo implesset iustitiam, bonitatis exhibuisset doctrinam. His ergo, dilectissimi, eruditionibus instituti, antiquæ legis amaritudinem dilectionis studio temperemus: ne videatur ille perfectæ modum excessisse iustitiæ, qui illatæ vicem reportat iniuriæ. Ecce dicit Euangelista, *Diligite inimicos vestros.* Matth.5. Fortè aliquantis videtur absurdum, contumeliam amore repensare. Non est impossibile inimicum diligere, si partium tuarum vtilitatem cogites. Diligite inimicos vestros. Nemo sub hoc mandati titulo, æstimet se aliquod inimico præstare beneficium. Qui inimicum diligit, se diligit. Sibi enim parcit, qui latrocinantis dexteram magni muneris præda compescuit: & suum corpus texit, qui armato hosti precibus obuiauit; negotio quodam conatus seruare reuerentiam pugnatori. Nam partem constat esse victoriæ, prælium oblato auri pondere redemisse. *Diligite inimicos vestros.* Ibidem. Hoc est inimicos diligere, odiis non respondere; accepta contumelia patienter ferre, donare iniuriam, aut manufactam, aut verborum stimulis excitatam. Nam ita dicit Dominus, *Qui te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & sinistram.* Ibid. Istud præbere scio quod aliquantis ingratum est, qui nesciunt lites cauere, & imminentes suppliciorum pœnas moderatione compescere. Infinitum est autem, quantum vni patientia sua præstet, si alter solus insaniat. Nam sicut duplicatas in se plagas excitat, qui repugnat: ita maioris rixæ lucrum facit, qui manus suas alio feriente continuit. *Benefacite his qui vos oderunt.* Ibid. Primus gradus est ille quem diximus, vt inimicum tuum diligas: secundus verò, vt inimico benefacias: nam ibi affectus docetur, hic opus miserationis exigitur. Aliud est enim inimicum diligere, aliud misero subuenisse. Parum igitur apud inimicum tuum proficit gratia dilectionis tuæ, si eum quem diligere te asseris, esurire patiaris. Audite Paulum dicentem, *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciendo, carbones ignis congeres super caput eius.* Rom.12. Hic quantum video misericordia crudelitati famulatur. Qua re ergo non ille circa inimicos suos pecuniam securus expendat, quem promissæ tempus vltionis

expectat? Nescit sine dubio irasci, qui dubitat misereri. Vltra felicitatem autem constat esse victoriæ, inimicum saluum fecisse, & iniuriam vindicasse. Sequitur in hoc ipso loco, *Orate pro calumniantibus vos.* Sine dubio hîc Dominus conscientiam ficti cordis admonuit. Sciebat enim dilectionem verbis compositam, ac licet largam erogationis expensam, fieri frequenter ingratam. Ita ergo te ostendis non inuitum illam vindicem tui eleemosynam fecisse, si inimici tui plagas cœlesti medico supplici oratione commendes, & profusis lacrymis auxilium salutis implores. Diligite inimicos vestros. Si inimicos diligere iubemur, in quo statu putatis esse illum, qui fratrem nullis excitatus iniuriis impia insectatione insequitur? De hoc mihi videtur Apostolus dixisse; Qui odit fratrem suum sine causa, homicida est. Et verè ita est ac si occiderit hominem, qui odiis persequitur innocentem. Sed videamus tamen qui sunt isti, quos propter odia fraterna sanctus Ioannes damnandos credidit. Puto illos esse, de quibus Propheta dicit, Inuidia percussum est cor eorum. Isti sunt, qui aduersus se pugnas instituunt, & domos suas proprio igne incendunt: in quorum sinu clauso flamma tenetur incendio. Nam non est hic quod alteri debeat imputari, vbi nullus est cum aduersa parte conflictus, cùm omnes penè causæ, & omnia odia inter personas in acie prouocatas desæuiant. Si credibile est, ecce inuenimus reum, qui aduersarium non habet: habemus itaque qui possit puniri, & non inuenimus qui debeat vindicari. Felicem planè illum iudico, cuius gloriosam vitam toruis oculis alter aspexit. Nam satis bono loco est illius causa, qui aliena laborat inuidia, quia non licet homo nisi melioribus: nec inuidiæ subiacet, nisi quem ad celsiora melior vitæ profectus euexerit. Illos verò plusquam miseros puto, quos lucra alienæ felicitatis exagitant; & iracundia impia æmulatione concepta, occultis cordis iaculis inquietat. Bene istos sua tela puniunt, vt videatur mihi ipsa inuidia aliquid habere discretionis, cùm auctoris sui cor repercutit, & malè conscium pectus cruento iugiter liuore consumit. Primò ergo castiganda inuidia est, quæ semel animo concepta dolores operatur. Sanè vbi occurrit oculis nostris alienæ gloria felicitatis, æmulationis nos magis studium teneat, non liuoris: iuxta illud quod dicit Apostolus, Æmulamini meliora. Ille profectò nihil subtrahit veris amicitiis, qui sine inuidia bonis æmulatur alienis: nec alteri iniuriam facit, qui exemplis ad meliora contendit. Si quis ergo est sapiens, imitetur fructus institiæ, sequatur actus continentiæ, apprehendat humilitatis gratiam, & cum bonis æmulo amore currat, vt ad meliora perueniat: respiciens ad illam Apostolicam sententiam quæ dicit, *Sic currite vt apprehendatis.* Quicumque ergo mouetur aliena gloria, currat post bonos, & elaboret vt apprehendat: & adquiescat vt præcedat, tantùm vt sine animi liuore contendat. Hoc est verè immaculatam exercuisse virtutem, sine iniuria vicisse meliorem. Superbis sanè locum demus: tantùm vt nos in humilitate vincamus. Non nos ad æmulationem prouocet lucrum militiæ sæcularis. Maneat illos pompa diuitiarum, quos admonet cura filiorum: licet multo plus lucrifaciat, ac sibi reponat, qui culturam miserationis exercet. Nihil est autem tutius, quàm in ore pauperum partem recondere facultatum. Nam ita dicit scriptura, Domino dicente, *Qui parcè seminat, parcè & metet.* Tibi fraudas quicquid reseruas. Erogemus ergo, dilectissimi, multum, vt multiplices colligamus fructus misericordiæ. Sine lucro est autem pecunia, quæ sacculo tenetur inclusa: quæ si negotio deputata fuerit, non multo post tempore quadruplicata respondet. Quicquid pauperibus dederitis, sine dubio fœnori deputatis, reddituro vobis in posterum, cùm vniuscuiusque labores multiplicato honore censentur. Expectat enim singulos retributio operis sui, siue quos religiosa fides ornat, siue quos manus larga commendat. Nam ita Euangelista dicit, Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Sit ergo nobis, dilectissimi, primo loco cura pacis: secundò miserationis. Nihil fictum labiis corda nostra suggerant: nihil dubij ora respondeant: respicientes aute omnia ad illam sententiam, quæ dicit: *Quod tibi non vis, alij ne facias.* Hæc illa, quam diximus, perfecta dilectio, quæ affectum integri amoris instituit. Ita est ergo, vt in te antiqui iuris districtio nihil habeat potestatis, si ea quæ legis plenitudo postulat, obedienter obseruas.

Matth. 25. — 1. Cor. 9. — 2. Cor. 9. — Iacob. 4.

HOMILIA XIV.

De bono humilitatis.

Non sine iniuria partis alterius, dilectissimi, est, quotiescunque opus est vocis præconia virtutum meritis exhibere: quia cùm homo meliora laudat, deteriora castigat. Non enim dubiè stultus notari se æstimat, si bonorum iudicio sapiens laudatus abscedat. Sed quid facturi sumus, qui non possumus nec bona sine malorum increpatione disponere, nec mala sine bonorum commemoratione damnare? Dabit ergo veniam, qui se in hoc opere iniuriam æstimet accepisse. Melius est enim, vt mala conscio pudore confusa discedant: tantùm vt ea quæ sunt laudatione digna non lateant. Duæ igitur causæ in vnum veniunt, humilitas & superbia: quarum exponi alteram sine alterius verecundia, rerum natura non patitur: quia vna suis actibus, altera erubescit alienis. Dicendum igitur est, quantum humilitas vtilitatis habeat, vt possitis intelligere, quantum superbiæ infelicitatis incumbat: & exponendum, quantum superbia odiorum pariat, vt discatis quantum amoris gratia humilitatis adquirat: quo faciliùs vnusquisque agnoscat vestrum quid in se debeat emendare, vel quid possit eligere. Non ita superbiæ castiganda dominatio est, vt humilitatis prætermittenda sit gratia: nec in tantum humilitas præferenda, vt superbiæ tacenda sint vitia. Quid enim prodest scire valetudinis causam, si nescias medicinam? aut quid iuuat nosse auxilium sanitatis, si nulla sit compescendi cura languoris? Audite de his scripturam dicentem, *Humilibus Deus dat gratiam: superbis autem resistit.* Discite nunc, dilectissimi, vtriusque partis retributionem: & intelligetis quid diligere, quid odisse debeatis. Ecce hic pro amore humilitatis inuitatur ad gratiam: ille pro superbiæ crimine deputatur ad pœnam. Castiget ergo vnusquisque in se, si cui adcreuerit tumor animorum: ne aduersum se cœlestis iustitiæ arma commoueat. Difficile autem sine periculo vitæ suæ transigit, cui aduersus sublimiorem potestatem causa dimicationis incumbit. Inclinandus est itaque ad omnem humilitatem animus, vt sit apud Dominum obtinendæ locus gratiæ.

Tob. 4.

Potestis

Poteſtis autem intelligere, quàm grauis ſit culpa tumentis ſupercilij, quam neceſſe eſt tanto diuinitatis labore compeſci. Bene humilitas ſemper inlæſa eſt: neſcit enim vinci, cui non eſt cauſa pugnandi. Superbia verò non ſolùm odiis, ſed etiam periculis ſubiaceret. Difficile enim poteſt fieri, vt non ſuſtineat pugnam, qui iniuriam indicit. Sed facilè à nobis omne periculum huius neceſſitatis excludimus, ſi aduerſus ſuperbiæ vitia humilitate pugnemus. *Humilibus Deus dat gratiam, ſuperbis autem reſiſtit.* Iac. 5. Si diligenter requiritis, dilectiſſimi, vniuerſa, quibus ab initio mundi Domino cœpimus diſplicere: inuenietis omnium vitiorum principem fuiſſe ſuperbiam: & cognoſcetis facilè, in quo aut humilitas meruerit cœleſtem gratiam, aut ſuperbia inciderit in diuinitatis offenſam. Periclitari denique ſuperbia hominem diaboli exitus docuit: qui in ſublimori conſtitutus loco, humiliori deſpexit; ac propter vitium præſumptuoſæ mentis Angelica dignitate depulſus, tyrannicæ ſententiam damnationis excepit. Videtis itaque, quòd ſuperbiæ partes agit qui ſuperbiæ ſtudet. Quid autem ſupereſt illi, niſi damnationis ſententia, cui arrogantia dominatur? Comparemus, ſi placet, bonis mala, & deteriora melioribus: & intelligetis quanta homo in diem ſuperbiæ vitio laboret inuidia. Sed nec longè quærenda perſona eſt. Tu aſſume officium libertatis, & ſtatim animum ſuperbientis agnoſces. Quæ, rogo, illis eſt vita, quibus quotidiana ſunt odia? Nunquam profectò ille aut ſine ſuo, aut ſine alterius peccato diem tranſigit, qui ſupercilio elatus incedit: quia inter ſuperiores inferioréſque perſonas, ſemper aut deſpicitur, aut timetur. Superbia vilitatis eſt vitium, & indicium ignobilitatis, neſcit autem extolli nobilitas mentis. Semper adoleſcit apud indignos mores cum poteſtate ſupercilium: Verùm vbi eſt vitæ ſplendor, humilitas otioſa blanditur. Humilitatem illam veram & ſanctam dico, quam religionis & Dei amor ſuadet, non timor dominationis extorquet. Illius humilitatis facimus mentionem, quæ charitatis eſt iuncta conſortio: quo non auctoritate extorquetur imperij, ſed nutritur lege viuendi. Nemo profectò mores naturæ tantùm vitiis æſtimet imputandos: cum facultate nutritur ſupercilium? cum poteſtate creſcit imperium. Quando igitur infirmis corporibus ſufficeret medicina, ſi cum homine naſcerentur & vulnera? Nutritur ſuperbia, dum hic ſe verbis ſapientiorem, natalibus iudicat ille meliorem: hic dum non vult loco moueri, ille dum putat ſe poſſe contemni. Ita videmus vitio ſuperbiæ odia creſcere in comparatione perſonæ: dum hic adulantium oculis auri, argentique pondus ingerit: ille ambitum honoris opponit: hic dum in ſe præfert abundantiam opum, ille ſermonum: hic dum ſe vult propter conſilium expeti, ille propter conuiuium deſiderat ſalutari. Enumerari vix poſſunt vitia ſuperbiæ, quæ ſi homo vincere aut cauere poſſet, nullum laqueum diabolicæ damnationis incurreret. Ecce hic vt ſemper nouus eſſe videatur, excuſationem ſalutatoribus mandat: ille vt quotidie ſalutetur, ægrotat: hic vt inueniat imputandi locum, fingit ſe de omnibus eſſe ſollicitum; non quod abſentem deſideret, ſed vt reum inofficioſitatis accuſet. Quærit enim quam ex matutinis horis ianuam ſalutator obſederit, vt imputet quare amicorum pompa defuerit. Ita cùm ad ſalutationem non admittatur ille, qui præſto eſt; reus ſtatuitur ille qui deeſt; ac ſic cum huic qui occurrit clauditur ianua, illi qui deeſt paratur offenſa. Nolo illos ducere faſtus animorum, cùm egreditur diu mediato ſupercilio, ac ſuis locis ſuiſque meritis ordinationes inſtituit: ita vt cùm hic oſcula porrigat, ille pectus opponat. Nullus illi ſermo gratus, nullus confabulationis ſeruetur affectus: alios oculis præterit, alios ſermone deſpicit: iraſcitur, vt alteri ſe oſtendat iratum. Quæ rogo ibi eſt ſpes viuendi, vbi vnus ſub ſpecie amicitiarum præſumit dominationem, alter dum nimium obſequitur, ſuſtinet ſeruitutem? Videamus autem qualis ſit hic ſuperbus, cùm inter æquales in iudicio ſententiam daturus fortè conſederit. Videor mihi videre pugnas verborum eructatione compoſitas, cùm vnus miſericordiæ ſtudeat, alter iuſtitiæ fauere ſe fingat; non vt recto iudicio fidem ſeruet, ſed vt ſtudia perſonæ ſuperioris expectet. Aliud enim ſenſiſſe ſe ſimulat, vt alterius diſceptatione diſſentiat. Non putat in conciliis rectum, niſi quod ſolus ſenſerit: non putat iuſtum, niſi quod ſibi ipſe perſuaſerit. Vult ſolus audiri, ac ſolus omnium ore laudari: nec deeſt, quod peius eſt, ex hac parte qui faueat. Citò enim ſuperbia adulationi dat locum, dum aut hic quærit gratiam, aut ille veretur offenſam. Nec parua eſt in ipſis conuiuiis ſuperbia, cùm altior toto locus paratur; atque in tantum ſublimior lectus ſternitur, vt magis pendere, quàm iacere videatur. Ita ſuperbia adquieſcit iniuriæ, ne pati videatur iniuriam. Quæritur quis adſurgenti manum porrigat, quis humerum regat, quis latus fulciat. Nemo mihi excuſare poteſt hoc vitium non eſſe tyrannicæ dominationis. Officium enim, quod homo homini exhibet, ſi non ad hoc ſolùm deferatur, vt tueatur infirmum, conſtat eſſe ſeruitium. In quo loco laudo paupertatis patientiam, quæ cùm propriis virtutibus deſeritur, alienis moribus famulatur.

Sed quid ſolis diuitibus tantum ſuperbiæ pondus imponimus, cùm videamus frequenter homines in ſumma penuria conſtitutos ſimili animorum infelicitate ſordere? De quibus dicit ille ſapientiſſimus Salomon, *Tres odit anima mea, pauperem ſuperbum*, & cætera quæ ſequuntur. Eccl 25. Excedit ſine dubio ille ſuperbiæ modum, cui nulla eſt conſcientia facultatum. In maximis, & in ſublimioribus humilitas præferenda eſt: humilem verò pauperem nemo miratur: inuitus enim ſe humiliat, quem neceſſitas paupertatis inclinat. Humilitas in paupere grata eſt, in diuite glorioſa: humilitas inter inimicos blanda: ſuperbia verò etiam inter amicos ingrata. Requiramus è contrario, dilectiſſimi, quæ ſint bona humilitatis. Blanda eſt & officioſa ſemper humilitas: in amicitiis grata, in contumeliis otioſa: non extollitur proſperis, non mutatur aduerſis: non inducit ſeruitium, non exorquet: officio prior ad ſalutandum, tardior ad ſedendum: non ſe adulantium grege expectat deduci, non ſe ambitioſè deſiderat ſaluari; non laudis ſtudia poſtulat, non fauorem vocis expectat: odit ad clamantium choros, quia non ſine verecundia laudatur bona conſcientia. Non requirit voces adulantium, niſi qui ſe laudatione nouit indignum: verecundiùs autem ſemper laudatur amicorum ſtudiis, qui meretur. Verùm vbi indignitas dominatur, notari actus ſuos æſtimat ſi inlaudatus abſcedat. Circumſepta eſt humilitas bonitate. Vt facere iniuriam neſcit, ita à contumelia non requirit. Vir humilis contentionibus magis vult tacere, quàm vincere: in iudiciis adquieſcit imperitus videri, quàm impudens

iudicari: non in verbis promptus, non ad respondendum paratus. Citatus verò, & facilis est superborum sermo: plenus contumeliis, & refertus iniuriis: nunquam sine vulnere missus, nunquam sine dolore iaculatus: cuius insanabilis plaga est, & inremediabilis macula. Vbi autem præuenerit verborum culpa, mox per satisfactionem sequitur medicina. Hanc ergo amare, dilectissimi, hanc quærere, hanc eligere, hanc tenere nos conuenit, vt non perdamus gratiam mercedis munere promissam.
Luc 14. & 18. Audite Euangelistam dicentem: *Qui se humiliat, exaltabitur, & qui se exaltat, humiliabitur.* Exaltatio ista damnatio est, quæ circa arrogantes & superbos futuri iudicij exerit potestatem. Inclinandus itaque nobis est animus, quatenus supplosa omni nota superbiæ, odiorum studia conquiescant. Sic erit vt homo de humiliori loco ad celsiora perueniat, & remuneratus honore condigno cœlestis gratiam potestatis acquirat.

HOMILIA XV.

De bono Martyrij.

MVlta mihi loquendi apud vos fiducia est, dilectissimi, quotiescunque opus est in amore beati Martyris ad memoriam præconia reuocare martyrij, quæ animosa fides peperit lucratiuis incitata suppliciis, licet non tantum lingua sufficiat, quantum martyria postulant. Quomodo autem omnia humani oris officium poterit expedire, quæcunque in paratum belli cœlitus virtus operata est! Itaque quod solum possumus, fauorem labiorum meritis exhibemus; siquidem nullius sensum latere possent facta certaminis, quod nobis per annos singulos reparat documenta virtutum.
Psal. 115. Audistis Psalmistam dicentem, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Quid pretiosius esse potest illa morte, quæ in conflictu pugnæ hostilibus telis nescit credere? Maximam profectò illam animam constat palmam reportare victoriæ, quæ non adquiescit impiis legibus decepta seruire. Hoc est verè eximiæ virtutis indicium, persecutionis tempore plus morti fauere quàm vitæ. Licet æternæ vitæ locum faciat, quem in confessione Christi nostri voluntaria crucis pœna commendat, ita Domino dicente,
Ioan. 12. *Qui amat animam suam, perdet illam: & qui odit animam suam, in vita æterna inueniet eam.* Quis non sapiens contempta huius lucis vsura, si ita vsus venerit, ad martyrium ambitiosè festinet, cùm videat ad lucrum vitæ pertinere morti animam deputasse? Quare autem non homo ad tam pretiosum opus deuotus occurrat, ac se in impiorum manus audacter obiiciat, quem cælestis gratia remunerationis expectat? iuxta illud quod Dominus in illa beatitudinis descriptione commemorat,
Matth. 5. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quia ipsorum est regnum cœlorum.* Videtis quantos fructus humanis fides suppliciis probata contulerit: vel in quo loco sit posita contemptu corporis adquisita victoria? Quis autem posset de hac quam commemorauimus mercede dubitare, cùm videat ecce in amore Sanctorum totius orbis studia conuenire, & passim vndique ad deuotionem annuæ solemnitatis occurrere? Facilè profectò intelligimus, quis illis in cœlesti sede locus paretur, quorum memoriam tanta officiorum cura prosequitur. Aptemus itaque animos ad futuram gloriam, quæ reposita est nobis, & præponamus terrenis cœlestia, vt possimus illa æternæ vitæ promissa contingere. Nemo autem sibi de huius mundi ambitione blandiatur, quem videt in diem deficere accessu ætatis & temporis. Si comparemus denique æternis præsentia, satis vilia & inutilia constat esse quæ temporaliter possidemus. Require denique gratiam debitæ hæreditatis, & intelliges huius mundi diuitias displicere; ac iudicabis nihil auro obscurius, nihil argenti splendore sordidius. In comparatione autem paradisi, vitro similis est gemma pretiosior. Ita est enim huius lucis & futuri temporis dignitas, ac si stante in cœlo luna oculis hominum radius se matutinalis infuderit. Tandiu enim placet lunare commercium, quandiu tenebrosæ nocti constitutis legibus præstat officium, quæ quamuis placeat candore nocturni luminis, obscuratur tamen superuenientis sideris claritate melioris. Hoc est solum quod tempora præsentis vitæ commendet, si ea agimus, quæ futuro iudicio non subiaceant accusationi, nec possint accusata conuinci. Sed vt nulla in posterum anima apud Deum iniustitiæ laboret inuidia, amplectendus est ille profecto Psalmus qui dicit, *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent.* Psal. 125. Hoc est in lacrymis seminare & gaudia metere, præcedentes vitæ actus proprio confutare iudicio, & lasciuientem animam iusto subdidisse supplicio. Citò enim tristitia lætitiam consequitur, si districtionem iudicis satisfactione præuenias, & admissi criminis culpas assidua castigatione confundas. Sed ne minorem ex hoc gratiam comparasse puteris, afflictis & mœrore confectis subuenias, & causam tuam apud pauperes larga erogatione componas. Nam Matth. 5.
ita dicit Dominus, *Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

Si quis itaque vestrum, dilectissimi, studiosè Christi consolationem requirit, alienos dolores eleemosynis resecet, ac studiosè lacrymas suas huic, in cuius honore conuenimus, patrono commendet: ac se frequentibus patrociniis insinuet, quo facilius possit impetrare quæcunque Domino pro sua vtilitate suggesserit. Occurrendum est semper Dei amicis, ac seruiendum est proximis, & incessabiliter supplicandum, vt sanctæ intercessionis possimus obtinere suffragium. Quis autem apud iustum iudicem locus erit veniæ, si amicis regis nescias supplicare? Denique respicite ad sæcularis ordinem disciplinæ: & intelligetis quæ circa Sanctorum obsequia cura manere vos debeat. Sine dubio nisi prius placatus fuerit illius animus, qui secreta domus prætoriæ obseruat, non facilè peruenitur ad sublimioris amicitiam potestatis. Studiosè profectò expectanda sunt suffragia patronorum, quibus solis datum est irascentis Domini animos nosse mollire, & iracundiam temperare. In magna igitur domo post Dominum secundus est semper gradus amicorum. Soli sunt per quos apud dominum & suggerendi liber locus, & impetrandi facilis præbeatur accessus. Peculiari itaque veneratione excolenda nobis est memoria Sanctorum, vt ianuam salutis aperiant, & in notitiam Domini desideria nostræ peruenire faciant seruitutis. Magna enim securitatis est portio, in rebus asperis de domo regis habuisse suffragium. Nam decrescit quodammodo inuidia criminis, vbi reus ad amicitias regalis familiæ cœperit pertinere. Ita sine periculo homo vitam transigit, si sit qui apud Dominum negligentiam peccatoris excuset. Nemo autem est, cui non opus sit potentioris, etiam in maxima securitate,

tate suffragium. Nam quamuis aliquantos in hoc numero fides probata sanctificet, opus tamen est vt sit qui ipsam fidem Domino supplici intercessione commendet. Nec enim tam fortem inuenias, vt non egeat auxilio fortioris. Sicut bene sub scuto militatur, ita tutò testibus sub patrono res agitur, vbi quamuis immineat pœna; si sit qui intercedat, non dubiè obnoxia legibus donatur iniuria. Quis autem modus esse potest mortis, si cùm iudex sententia feriat, non sit qui reo supplici intercessione subueniat? Si cogitaremus, dilectissimi, quantum nobis huius Martyris virtus præstitit, à laudibus Dei nostri nunquam linguæ studium, nunquam oris cessaret officium. Respicite ad illorum studia, qui peregrinas aquas bibunt, & fontes longè positos sitientes inquirunt: & videbitis quantum gratiæ habeat suis aquis inundata possessio. Æstimari autem non potest, quantum patrimonio vtilitatis adcrescat, si quando quod alibi ambitiosè quæritur, in propria possessione nascatur. Vobis ecce Dominus virtutum, de quo quotidie sumeretis, dedit fontem viuum habere, non deficientem, non asperum, non amarum: de quo si quis voluerit bibere, semper iustitiam sitiet, nec vnquam ab illa cœlestium mandatorum lege discedet. Si vultis ergo dilectissimi, vt sit nobis in cœlesti sede portio, quam victoribus Dominus repromisit: imitemur primo loco sancti Martyris fidem in confessione, & sequamur viam eius in virtute: nec dubitemus in amore Domini cruentis lictoris manibus pectus opponere. Voluntarium autem militem in conflictu pugnæ citò protegit corona victoriæ. Sed dum ista beatis superueniunt, & felicium meritis conferuntur; nos interim, quod ad præsentem animæ salutem pertinet, resistamus aduersis. Non deest autem in quo possis quotidie vincere, si volueris carnis desideriis repugnare. Respice, & vide quanta circa te sæuiant certamina criminum, vel quàm multa sit acies instructa vitiorum. Hinc superbia, inde fidem nostram impugnat inuidia: modò ebrietas luxuriæ materiam suggerit: modò cupiditas animum ad omne genus falsitatis incendit: cuius studium est inter cætera rixas serere, lites mouere, odia comparare. Aduersus istas ergo legiones nobis est armis spiritalibus dimicandum, & die noctúque in acie standum, donec aut vitia cedant, aut ad pœnitentiam inclinata confugiant. Quibus superatis non dubiè etiam illum, qui summam martyrij palmam requirit, poterimus inire conflictum. Quis autem ibi nolit pugnare, aut quis non conetur vincere, vbi non solùm homo præcedentibus laborum meritis, sed etiam præsentibus virtutum docetur exemplis?

HOMILIA XVI.

Item de bono Martyrij.

SAtis necessaria fuit, dilectissimi, huic mundo, quantum res docet, ad excitandam virtutum gloriam victoriæ tam præclaræ cognitio. Qui adhuc sine dubio iaceret in tenebris occultis, si non inclytis Sanctorum illuminaretur exemplis: & circa deuia & incerta pugnaret, nisi incredulas hominum mentes diffusa per totum orbem martyrij corona confunderet. Ob quam rem Deo agendæ sunt gratiæ; qui ad tantam patientiam mortalium mentes armauit, nec otiosus operis magni labores adspexit: ita vt cum amatoribus suis indiceret pugnæ necessitatem, victoribus pararet iusta retributione mercedem. Ita Euangelista dicente, *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Matth.5. Quisque ergo sapiens studio religionis ad superiora contendit, discat priùs vnde magis veniat corona virtutibus. Nec enim longè nobis quærendus, quem sequamur. Ecce ante oculos nostros est, qui quotidie exemplis salutaribus prouocat, & paterna affectione ad consortium sanctitatis inuitat. Facilè ergo, si vultis, ea quæ sunt cœlesti regno digna apprehendetis, cùm habeatis quotidie quem possitis sequi, & quem debeatis imitari. Respicite, dilectissimi, ad aliarum regionum studia, quæ videmus in amore Sanctorum peregrinis latiùs florere commerciis: & intelligetis quantum nobis Dominus præstiterit, vel quantum circa nos sollicitudinis aut amoris impenderit, qui inter cæteras nationes, quas saluandi studio respexit, etiam loca nostra martyrij cruore perfudit. Requirite, & inuenietis, quàm ambitiosè totus pene orbis expetat patrocinia sanctitatis: ita vt tantarum virtutum merita certantibus votis ac frequentibus iugiter prosequantur officiis. Facilè ergo agnoscitis, quàm specialis circa vicem Martyrum officiorum cura nos maneat, cùm videatis huc etiam extraneas nationes deuotæ mentis amore concurrere, & prout causa exigit, sancti Martyris solatia postulare. Habetis planè, quod peculiariùs gratulari. Nam ex vestro fonte oritur quicquid religionis vbique bibitur: & ex vobis nascitur, quicquid alibi sitientibus ministratur. Discite ergo ex hoc, dilectissimi, Deum diligere, qui se quotidie cœlesti imperio sanguinis sui effusione commendat: & agnoscite quantum amatoribus Christi nostri patientia, quantum religionis actibus conferat in persecutione tristitia. Ecce sicut lectio docet, victorem possessio regni cœlestis excipit. Tanti est planè sustinuisse carnificem, cui paret pœna mercedem. Quis igitur sapiens, si ita vsus venerit, tantæ virtutis operam bene sibi conscius non requirat, ac se hostibus audacter obiiciat? Quare autem ille flammas non securus aspiciat, aut quare tortoris vngulas expauescat, quem tam pretiosa gratia remunerationis expectat? Perfectæ fidei est lucratiuis locum dare suppliciis: præsertim cùm tantis præcedentium virtutum doceatis exemplis. Perfacilè profectò potestis intelligere, quid prosit fortissimis quibusque in persecutione vicisse: cùm videatis quotidie aduersus nequitiam diabolicæ præsumptionis per singula Sanctorum loca spiritalis iudicij sæuire sententiam. Non autem otiosa res est, dilectissimi, quòd videmus frequenter in castigatione immundi spiritus corpora humana vexari, & inuocatis Sanctorum nominibus actus suos auctorem scelerum confiteri. Quando incredulis mentibus lectio sola sufficeret? quando humanis sensibus antiqua cognitio integram fidem veritatis insereret? aut quando ad credulitatem tantarum rerum descenderet animus, si ad assertionem præteritorum solus expectaretur auditus? Satis igitur infelix est, & alienus à Christo, cuius corda adhuc obsidentur stultæ incredulitatis errore: cùm videat merita Sanctorum tantis stare virtutibus. Ad hos enim respicit, quòd videmus frequenter aëreum spiritum sub alterius persona psallentem, & alieno ore trepidæ confessionis proferre sermonem. In quo cùm operetur flamma, non videtur iniuria:

alter cæditur, & alius confitetur. Tantum igitur Dominus per Sanctos suos virtutis operatur, vt diabolicæ nequitiæ actus per occultas vulnerum plagas, & inuisibiles lacrymas iudicij auctoritate confundat; & latentia scelerum blandimenta sub quodam tortore castigata compescat. Quis sapiens hæc spectet, & non statim quicquid illud est in se infidelitatis accuset: & memor conditionis suæ iugi officio Sanctorum memoriæ condignè honorem paret? Facilè videlicet potest intelligere, quis illis apud Dominum locus sit, vel quo honore à nobis habendi sint, quibus examinatione palmarum commissum videt esse iudicium. Horum ergo, dilectissimi, exempla sectanda sunt: horum fides sequenda: horum virtus imitanda. Nec difficile est cuiquam ista perficere; nam si cogitetis promissæ remunerationis coronam, facilè vobis erat vincere persecutionis iniu-
Apoc.2. riam. Ecce dicit Dominus, *Qui perseuerauerit, dabo illi victoriæ coronam.* Nemo ergo diffugiat, si ita vsus fuerit, sonitus catenarum, & tenebrosis sedibus otiosa supplicia, in vsum impiorum parat neruorum. Sine dubio vniuersus apparatus mortis cedit, si tamen pugnandi voluntas adcrescat. Omnis igitur spes obtinendæ victoriæ in fide & voluntate consistit. Si enim voluntas sequatur fidem, nunquam deserit voluntatem. Difficile autem est, vt ille sentiat pœnam corporis, qui susceperit iniuriam voluntariæ passionis. Sanè quo facilius in acie positus securus incedas, ante oculos ponenda sunt semper facta Sanctorum. Nam in maximis præliis non desunt pugnatori solatia, si fortissimorum virorum requirantur exempla. Ec-
Matth.16. ce dicit Dominus, *Tolle crucem tuam, & sequere me.* Sed fortè non omnibus ista conueniunt: quia frequenter delicatum corpus cedit iniuriæ. Qui de corporis sui fragilitate desperat, ad arma iustitiæ confugiat, quæ voluntario deputatur officio. Facilè autem supetuenientis hostis impetum sustinet, quem ad pugnam voluntas armauerit: nec expauescit cruenti lictoris gladium, quem munit virtus animarum. Sed cui ista laboriosa videntur, dilectissimi, faciliora suscipiat. Vnum quidem est & arduum iter, sicut Euangelista dicit, quod ducit ad vitam. Sed si requiramus, multæ viæ sunt, per quas venitur ad gloriam. Ecce incumbit luxuria, dominatur superbia, sæuit auaritia: aduersus istas pugnandum est nobis studio disciplinæ, cui omnis cœlestis gloria virtutis obsequitur. Inclina denique superbiam, & statim consequeris gratiarum coronam; compesce auaritiam, & non dubiè de omnibus vitiis poteris obtinere victoriam. Vince ergo priùs desideria carnis, & non difficile tibi erit vincere tormenta carnificis. Nostis quantis malis inuidia subiaceat: quæ dum aliis liuet, ipsa se percutit: vel quantum anima cupiditatis periclitetur incendio. Scitis quàm grauis aspectus ad excitanda desideria; quàm sint veloces iactus oculorum; quàm turpis ebrietas; quàm periculosæ verborum sagittæ, quæ non sine dolore percutiunt, non sine fatigatione discedunt. Aduersus hæc ergo paranda nobis est crucis pugna. Toties denique in die tolles præmium, quoties desideria vinces animorum. Multa sunt præterea, dilectissimi, quæ nobis necessitatem pugnæ frequenter indicunt, quibus deuictis ac superatis non minimam palmam iusto victor labore consequeris. Nam sicut quanta sunt in homine vitia, tanta sunt & vulnera: ita quanta sunt certamina, tanta sunt præmia: quot sunt victoriæ, tot sunt coronæ. Non enim ille sine triumpho paruo diem transigit, qui castigatis vitiis animo purificatus incedit: Ecce dicit
Dominus, *Tolle crucem tuam & sequere me.* Scio Matth.16.
quidem paucis deberi martyrij coronam, ipso Do-
mino dicente, *Multi vocati, pauci electi.* Sed dum Matth.20.
ista felicibus supetueniunt, in his quæ superius exposuimus excitanda fides est, vt nos, cùm opus fuerit, exercitio religiosæ vitæ in hostiles impetus paratos inueniat. Virtus enim magna in minoribus semper experimentum capit. Sic rudis miles, priusquam ad pugnam veniat, aduersus arborem truncatam robur exercet, & indocta manus vulnera ludendo componit. Nunc pedes attollitur, nunc rapido equorum cursu ventos imitatur. In tantum denique proficit studium, vt pene minor labor sit vicisse hostem, quam exercuisse virtutem. In similibus ergo, dilectissimi, præludendum nobis est, & aptandus est studiis animus ad fortiora venturus. Virtus enim, quæ in paruis promitur, faciliùs in maximis exhibetur. Sic dum consuescimus minora vincere, maiora discimus tolerare.

HOMILIA XVII.

Item de bono Martyrij.

Asserunt, dilectissimi, solliciti agricolæ rudem terram, & nullis vnquam examinatam sulcis, non statim iustis respondere seminibus: nec bene conceptum sulco germen nutrire, nisi prius scissa ac sæpius repetita mollescat. Iam tunc necesse est vt dominus agelli sui fructus securus expectet, cùm antiqui cespitis amaritudo cessauerit. Vbi si arandi studium subitò cultura destituit, prope est vt pristino squallore terra sordescat. Hæc est enim boni malique discretio, quòd diligentia natutam vnxit, negligentia reuocat ad naturam. Sub hac, dilectissimi, viuendo ratione, Christianæ religionis cultura aut crescit, aut deficit: nec minore in hoc opere cura suspirat, cui necesse est duritiam humani cordis assidua castigatione mollire, & exposita frequentius fide obsessum vitiis pectus excolere. Non autem dubiè apud negligentes periclitatur: religiosæ studium professionis: præsertim si cœlestium verborum semina mens amata suscipiat, & indociles animi nesciant fructus nutrire iustitiæ. Nam sicut cessante studio solent spinis arua sordescere: ita vbi religionis cultura negligitur, vitium naturæ renouetur. Apud illas fortè nationes, dilectissimi, laboriosum sit viam salutis iusto sermone disponere, quibus tantùm verbo fides Christianæ religionis innotuit. Inueniant isti fortè, etsi vanum, excusationis ingenium, qui dicant nulla sibi vnquam, quæ sequerentur, exempla admirabilium credita fuisse. Quorum vocem Propheta conuin-
cit dicens, *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Nos ad hæc, dile- Psal.18.
ctissimi, quem gradum excusationis opponimus, si quid in nobis Dominus aut negligentiæ deprehenderit, aut infidelitatis inuenerit, apud quos Christianum nomen à virtutibus cœpit? quorum non solum auribus, sed etiam oculis quotidie sub præsentia tanti Martyris fides religionis inseruitur? Et cuius tandem Martyris? Illius necessariò, qui in hoc loco pugnam inclytæ virtutis primus exercuit, & quo ordine cœlestis regni possessionem obtineremus, ostendit: qui in dies quid agendum nobis sit exemplo docet; quid proficiamus, inquirit. Nemo autem dubitet illum pro actibus suis esse

esse sollicitum, quem videt sibi parentelæ affinitate coniunctum. Oportet itaque primo loco, vt nos huic patrono frequentibus insinuemus officiis, quatenus pro nobis apud Dominum peculiaris intercessor inuigilet, & vitam nostram dignationis suæ fauore commendet. Nihil autem est quod non possit homo in qualibet necessitate positus obtinere, si amicis summi Imperatoris non desinat supplicare. Respicite illorum studia, dilectissimi, qui sitientes aquas à peregrinis fontibus petunt: hoc est, qui sanctas ac venerabiles Martyrum reliquias per extensa spatia terrarum studio religionis inquirunt, & diffusa per totum orbem virtutum merita peculiaribus officiis prosequuntur: & intelligetis quo honore nobis ille habendus est, qui huius vrbis locum in conflictu cœlestis pugnæ suo victor cruore perfudit. Vidimus enim per diuersas & longè positas regiones scissi corporis plagas passim diuidi, & pretiosa vulnerum documenta toto cominus orbe portari: ita vt non minor sit illis Sanctorum cura, quibus sola martyrij creduntur indicia. Patrocinium ergo, quod aliis fides præstitit, nobis vltro Dominus maiestatis exhibuit. Non itaque longè quærendus est, quem sequamur. Hîc habemus patientiæ magistrum, hîc exempla præmiorum, hîc formam virtutum, hîc documenta meritorum. Aptemus itaque, si ita visus venerit, ad omnem patientiam animam: & memores annuæ solemnitatis, quem veneramur meritis, sequamur & exemplis. Videte quæ sunt ornamenta pectoris, quæ pretioso serico quasi opus Dei tegitis, & fuluo auro sidereum vultum oneratis: & discite, quæ sit pompa vulnerum, quæ corona lacrymarum, in quo stet sustinuisse carnificem, vel quanti constet vicisse tortorem; vel in qua descendat exultatione

Psal.125. victoria suppliciis comparata, ita Propheta dicente, *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent.* Quis sapiens his rebus edoctus non iudicet temporalis vitæ vsum in comparatione martyrij debere contemni? Si autem respiciatis ad hæc, quæ quotidie Sanctis exhibentur officia, agnoscetis persecutio-

Ezech.18. nis tempore melius esse perire, quàm viuere. Sed quare dicimus perire, cùm Propheta dicat? *Iustus vita viuet in æternum*? Huic ergo, dilectissimi, virtutum magistro profusis in diem lacrymis supplicemus, vt nos pro futuris doceat seruire vulneribus: ostendat aduersum bellis pectus opponere, atque omnem conflictum iniuriæ sustinere. Neque enim difficile est ibi inire pugnam, vbi videas præcessisse victoriam. Citò autem insidet animis, quod docetur exemplis. Sed quod peius est, propter vanitatem huius mundi difficile est cuiquam ad cœlestia peruenire. Non autem obtinet regnum promissum corporis delicata custodia: nec ad coronam virtutum facilè peruenit, qui non legitimo agone certauerit. Necesse est igitur, vt ad omnem iniuriam corpus inclinet, qui ad locum victoriæ peruenire disponit. In hoc autem stat obtinendæ locus gloriæ, vt discat prius displicere sæculo, qui placere vult Christo. Audite in hoc loco Domi-

Ioan.12. num dicentem, *Qui amat animam suam, perdet illam; & qui odit animam suam, in vitam æternam inueniet eam.* Multa sunt genera passionum, quæ Deo nostro mortalem hominem viuendi lege commendent: in quibus etsi non est corona Martyrum, est tamen non minima palma virtutum. Sanè, dilectissimi, quia reposita est hæc, de qua diximus, corona victoribus, nos interim vel quod possumus, peccatis circunstantibus repugnemus. Cui ergo illa prima martyrij pompa non creditur, elaboret saltem, vt inter fortissimos quosque honestæ ac religiosæ vitæ præmia consequatur. Non igitur ignoratis, quantis naufragiis mens humana subiaceat. Ecce cupiditas oculorum nostrorum portas iugiter pulsat, & corda hominum diuitiarum stimulis inquietat. Hinc hominem ad omne facinus animus, inde inuitat aspectus. Non deest ergo, in quo vincas si pugnare non desinas, & quasi in acie positus hostilibus telis per momenta confligas. Ad hæc sanè exponenda Euangelica institutione opus est, quæ dicit, *Si te scandalizat oculus tuus, erue eum.* Hoc est oculum eruere, Matth.5. vitia castigare, desideria carnis extinguere, & disciplinæ studio vitæ lasciuiam deprimere. Paratus tibi est ecce campus, luxuriæ prouocaris illecebris; & vt solet fieri, specie, cultuque deciperis. Si vis vt ista superes, pugnandum est studio castitatis. Occurrat tibi Theclæ inter flammas & tabidas bestias custodita pudicitia: quæ in tantum mundi huius ornamenta despexit, vt amore seruandæ pudicitiæ coniugales thalamos desponsata contemneret, & integritatem professæ virginitatis pugnando nutriret, vincendo seruaret. Frequenter nos ad pugnam prouocat iracundia, & furor animorum, instigamur iniuriis, contumeliis lacessimur. Discite quo studio ista vincamus, armemus ad patientiam animos, & quod oratione obtinere non possumus, doceat nos ad hæc Euangelicus sermo, qui dicit, *Qui te percusserit in dextera maxilla, præbe illi & alteram.* Videtis quòd iniu- Ibidem. riæ adquieuisse, vicisse est. Nam non minimam coronam illum constat reportare victoriæ, qui iuxta hæc quæ præmisimus verba mandati, læsus nescit irasci. Suggerunt nobis aliquotiens oculi quod animus non requirit: frequenter etiam ipsa suos lingua prodit errores: erumpit in vocem turpia, & inhonesta resonantem. In hoc loco hæc est ratio adhibenda virtutum, vt taciturnitatis studio amoris verba claudantur, vbi in alternatione sermonum loquendi modus est virtutis cumulus. Audite de hoc Prophetam dicentem, *Pone Domine cu-* Psal.140. *stodiam ori meo, vt non declinet cor meum in verba mala.* Vincenda ergo est auaritia, confutanda iracundia, castiganda luxuria, & circunstantiæ vinculo ora refrænanda. His gradibus ad paradisum tenditur: his virtutum meritis ad Sanctorum consortium peruenitur.

HOMILIA XVIII.

De Machabæis.

MVlta quidem spe, dilectissimi, ad æternam salutem animus accenditur, si quando singulorum Martyrum facta recoluntur. Sed multiplicato quodammodo anima gaudio in amorem Domini, fauoremque se commouet, quotiescunque memoriæ Machabæorum mater occurrit, quæ adhortatione sua vna die septenarium numerum martyrij corona vestiuit, tanto fide fortior, quanto partu videtur fuisse fœcundior. In qua tanta virtutum documenta, quanta fuerunt pignora. Nam tot vna die omnipotenti Deo Martyres tradidit, quot filios mater diuersis temporum vicibus adquisiuit. Beata inter omnes matres, & ipsa orbitate felicior: cui autem fides contulit, vt sub vna die ad cœlestis regni gloriam cum tota ventris fœcunditate migraret. Hinc respicite illam Euangelicam sententiam, quæ dicit Christo nostro nec parentes præferendos

esse, nec filios. Apud aliquantos fortè gloriosum sit, & exemplis salutaribus proferendum, vnum filium Deo hostiam obtulisse. Hæc omnem animarum virtutem & vota præcessit: ita vt in dolore sæuientis pœnæ nullum filiorum affectus maternæ pietatis exceperit. Videte autem per quot virtutum gradus pretiosa fides creuerit, cùm adquieuisse semel satis sit, hæc septies in amorem Domini pietatem maternam voluntaria orbitate multauit, bene sibi conscia, quæ sciret omnem fructum ventris sui in illa vitæ æternitate consistere, iuxta illam

Ioan.12. sententiam quæ dicit: *Qui amat animam suam, perdet illam; qui odit animam suam, in vitam æternam inueniet eam.* Docet lectio veteris testamenti Abraham patrem nostrum vnicum filium suum Isaac immolandum Deo sacrificium obtulisse. Quod per totum orbem memorabile fidei constat esse documentum. Ac licet nullus perfuderit sanguis altaria, fuit tamen in voluntate victoria: quia apud Dominum hoc est velle, quod facere. Cui ita Angelum

Gen.22. legimus adclamasse: *Abraham, Abraham, ne iniicias manus in puerum*: sufficit quod agnoui, quod diligis Dominum Deum tuum. Si ergo pater noster Abraham vnum filium sacrificium obtulit, & placuit: quanto magis hæc, quæ vno tempore septem votis consentientibus immolauit, seipsam octauo loco hostiam Deo offerens? vt quæ fuerat ad incitamentum cœlestis gloriæ magistra tot fortissimorum virorum, fieret etiam ipsa eximiæ virtutis exemplum. Sed si placet, dilectissimi, ipsius pugnæ ordinem recolamus, vt discant parentes amare filios suos, & filij obtemperare parentibus: Christi nostri amore prælato, qui victoribus legitimo agone certantibus coronam vitæ cœlesti flore com-

Apoc.2. ponit, ita Domino dicente, *Qui vicerit, dabo illi coronam vitæ.* Ecce, dilectissimi, quantum rei gestæ fides eloquitur, instituitur pugna pro patriis legibus inter omnipotentis Dei & diaboli ministros, multis atque innumeris instructa suppliciis; quibus armatus auctor iniquitatis, venena nequitiæ suæ consueuit exercere. Sed quamuis aduersus iustitiæ ministros multis sæuiat hostilis ira erroribus, fit sine trepidatione conflictus. In quo loco artifex scelerum & inimicus bonorum altiori interpellat corda consilio. Molitur igitur aduersus singulos impietatis suæ tela, & pœnali quodam argumento, vt mos est, certamen singulare disponit: dum credit in aduersis diuisam per partes fraternitatem facilè posse turbari; nec difficilè vinci, si singulos in quæstione positos pœna confecerit. Producitur itaque primo loco natu primus, circunstantibus ac frementibus vndique cum toto mortis apparatu impietatis officiis: non otiosè persecutore tractante, qui putaret, sublato coniuratæ virtutis capite, omne bellum posse finiri. Sed fefellerunt eum misero crudelitatis magisterio nimium edocta consilia. Non tanto fœdius hostis vincitur, quanto aduersus vnum iustum virum maior tyranno satellitum turba famulatur. Maximum autem est indicium ignauiæ, inter confertos hostium globos vnum palmam victoriæ retulisse. Sauciato itaque hostis furore, cui diuersa tormentorum genera seruiebant, currit per singulos manus cruenta carnificis: & ad incutiendum mortis timorem, vnicuique fraternum sanguinem portat, explorans metu mortis testimonia crudelitatis. Sed dum apud alterum victoriæ locum molitur, victum se ab alio confitetur. Stetit autem apud omnes inconcussa fides, vis suorum animata suppliciis. Succedit in aciem secundus: nec longo interuallo procedit & tertius: quibus coronatis, pugnam quartus aggreditur: nec quintum, aut sextum mors funesta deterruit. Et denique in omnibus vna fides, vna virtus, vna conscientia: vt omnes vnum putares, atque omnes vnum esse crederes: cum tamen singulos per partes laceraret iniuria. Ita fraternitas victoriæ animata consortio, dum paternis legibus seruit, multiplicis virtutis insignia reportauit. Inter tot igitur pompas funerum discurrit mater attonita, & curis anxia, ac metu & pauore conterrita. Sed neminem ista res decipiat: trepidat quidem, sed de victoriæ euentu, non de morte filiorum. Ad singulas interrogationes mater stat sollicita, ne quem fides deciperet, ne quem à collegio sanctitatis fragilitas humana segregaret. Nam aduersus cruentas hostis minas vnumquemque sedula adhortatione persequitur, ne vellet aliud esse, quàm frater. Singuli quidem patiuntur: sed ista cum singulis patitur, & cum singulis animo sola torquetur. Tollit ergo palmam propriæ virtutis in amore omnipotentis Dei. Sed si respiciatis ad singula, quæ sedulitas materna sustinuit, cum omnibus filiis partem est sortita martyrij. Post tam innumeras virtutum palmas, venitur ecce ad illum, cuius ætas hosti obtinendæ victoriæ spem fecerat: & qui viderat circa fortiores ætate viros parum profecisse minacis inquisitionem sermonis, pueriles animos lactandos blandæ adhortationis alloquio, omni denique via subdolæ persuasionis aggreditur. Hunc diuitiis & honore dignum iudicat, illam vnius filij absolutione æstimat esse palpandam. Sed animus iam totus directus ad cœlum non facilè recipit de terrena parte consilium: accenditur magis ad virtutis culmen intrepidæ animus infantiæ, adhortante matre: O nouum & mirabile virtutis exemplum! orbitate sua mater exultat: & vnde pietas damnum patitur, lucrum reportat. Præmisso etiam hoc quem delicatiùs amabat filio, ipsa quoque viam gloriosæ mortis ingreditur, nec longè innumeris vexata suppliciis, cum triumpho prosecuta filios, ad cœlestia & æterna, contempta hac temporali luce proripuit. Cui ergo, dilectissimi, curæ sunt ventris sui pignora, huius matris imitetur exempla, tam numerosa, tam fortia. In quam si quis vincendi studio intenderit, non dubiè multiplicis gloriæ honore muneratus incedit. Quæcunque itaque mater est, filios suos hoc honore dignos iudicet, ac sub ista quam didicistis adhortatione doceat, vt discant cœlestium legum instituta seruare. Qui autem Christo nostro seruiunt, fortissimorum virorum pugnas imitentur. Illa mater probat se amare filios suos, quæ hoc quo mundus nititur errore depulso, de fructu ventris sui hostiam Deo tradiderit, ac se, suoque Domino quotidie immolatura libenter obtulerit. Sed quo faciliùs illius cœlestis virtutis insignia obtinere possimus, contemnenda sunt munera & honores huius sæculi, quæ humanos oculos vanitate suadente decipiunt. Hoc autem apud Dominum acceptabile constat esse sacrificium, si prælato cœlesti honore sæculum cœperis despicere.

HOMILIA XIX.

De Quadragesima.

SI respiciamus, dilectissimi, causam præsentis solemnitatis, quæ nobis spem salutis æternæ futuræ resurrectionis lege commendat: non abs re est, si omnes hos in lætitia dies ducamus, atque illa

illa districtioris vitæ studia temperemus. Sed in hoc mihi aliquotiens displicet lætantium chorus, quòd putat homo totum sibi licere, quicquid Quadragesimæ tempore illi religiosæ deputauerat disciplinæ. Vnde nulli dubium est, præcedentia officia in confusionem venire, si nescias custodire quæcunque ad purificationem animæ ieiuniorum & vigiliarum labore te constiterit comparasse. Citò autem ille quæ sunt comparata rescindit, qui immemor spiritalium munerum carnalibus desideriis adquiescit. Oportet enim inter hæc quæ diximus gaudia, illam religiosæ disciplinæ viam teneri, quæ non dubiè Domino hominem bonæ voluntatis insinuat. Cui si sciremus condignam legibus seruare reuerentiam, nullum gehenna susciperet, nullum perpetuæ mortis pœna damnaret. Omni ergo studio nobis agendum est, dilectissimi; ne purificati corporis conscientiam indulgentia nimiæ remissionis impugnet: non tantùm dierum illorum obseruatione contenti, quos annuatim ieiuniorum cura commendat. Licet hanc ipsam aliquantis ob inutilem somnum & insatiabilem gulam constet esse ingratam qui dum ad sanctæ Paschæ dies desiderio instigante festinant, accusando vigiliarum studia, continent æ bona, Paschæ conuiuia, & ieiunia copiosa. Quasi reuera quod quadragesimæ dies prohibeant, licitò fieri solemnitas votiua permittat, & in absolutione ieiunij data sit licentia peccandi. Ideo nemo putet ex eo omnia sibi licere, quia videt districtioris vitæ tempora præteriisse. Solet enim omnem honestæ vitæ statum remissio incauta decipere. Non æstimet ille ebrietati aliquid fuisse permissum, qui videt constituto tempore cessare ieiunium. Non credat mentes hominum somnolentiæ deputatas, qui videt iuges vigilias superueniente solemnitate fuisse suspensas. Non est vtilis seruus, qui feriatos dies ad hoc expectat vt dormiat. Maior sollicitudo agricolæ manet, postquam diutin terram labore contegerit. Vigilandum igitur est primùm, ne fortè commendata sulcis semina, aut fera præsumptuosa sibi vindicet, aut auis insidiosa contemnat. Sequitur vt ex otio in vsum aquæ bibula fossa deducatur, ne superueniens tempestas pullulantia germina aut occidat, aut rapiat. Opus est etiam herbas velli, & aridum cespitem sarculo operante molliri: ac per illos quos sibi agricolæ vindicant feriatos dies improbum animal circumducta sepe prohibere. Tantus est enim amor alendæ vitæ, tanta prouidentiæ cura, tantum culturæ studium, vt nec tunc quemquam otiosum esse conueniat, cùm agricolæ arista fructus perfecto flore commendat. Nam solent adultæ messes spinis adcrescentibus impediri: atque illa quæ in spe maturitatis constituta sunt, alieno semine suffocari. Ita intelligendum & multa agricolæ studio crescere, maxima quæque per negligentiam deperire. Sed dicis fortè, omnes negligentias solemnisantes excusant. Omnibus sine dubio periculis subiacet, qui vitam suam quolibet tempore negligentiæ tradiderit. Nunquam denique equis otio deputatis bene fræna laxantur. Ita & post hyemis rigorem citò inebriata aquis terra luxuriat. Videamus etiam frequenter nauigia maris portu proximo, quiescentibus remis, subita vi incurrisse naufragiis. Ad hæc ergo respicientes, fratres dilectissimi, ita vitæ nostræ ordinem disponamus, vt primo loco castigemus illum conuiuiorum luxum, quatenus à nobis desideria carnis fugitiua discedant. Non igitur ideò dico, quasi adeo sit abstinendum cibis, aut in totum parcendum poculis: quia licet sint ad crucem parata, tamen semper sustinenda sunt corpora. Displicet mihi solùm in his diebus insatiabilis gula, atque illa ventris infructuosa commercia. Displicet profusum ebrietate conuiuium, ac per totam noctem ludibrio expositum. Excedit profectò disciplinæ modum, si quis plus bibat quam sitiat. Quid igitur apud illos exosum, vbi præter ebrietatis vitium, etiam detrimenta conueniunt facultatum? quis autem ferat illa damna vinolentiæ, vbi plus vergitur ebrietatis causa, quàm bibitur? aut quis apparatum illius triclinij libenter aspiciat, in quo omnia pereuntis vini odore sordescunt? Nam vbi supercurrit merum, horret necessariò turpi squallore conuiuium. Petit profectò quicquid hydria plena susceperit. Videat ergo quid futurum sit, cui ebrietas placet: atque ad hæc, quæ dicturi sumus, animum sapienter accommodet: & non difficile causam suæ infelicitatis agnoscet. Si oleo nimio vas compleueris ad os patulum recurrit feruens vnda vindemiæ, & cum fœditate remouet quicquid ex nimietate susceperit. Videmus etiam frequenter exundante vino caprini generis vasa corrumpi, & vndis luctantibus cuppas figuli rimas aperire. Nihil profectò liceret morti, si scirent miseri causas vitare pereundi. Debilitatis autem viam munit, qui infirmis corporibus plus aliquid oneris imponit. Ita vt est dubiè cœptum iter peragat, quem iniusti fascis pondus accusat. Moneo itaque, dilectissimi, vt si quis Christo nostro placere disponit, primo loco desideria gulæ castiget, quæ ebrietate famulante magistra solet esse damnorum. Denique hinc nuditas, hinc mendicitas, hinc solet aliquantis venire egestuosa paupertas. ita Salomone dicente, *Omnis ebriosus pannis vestietur.* Perseuerent magis in bonis illi fructus continentiæ, quibus videmur Domino Quadragesimæ diebus deuota iugiter mente seruire: ne cùm fortè nos possidendos negligentiæ dederimus, videamur studium honestæ vitæ temporibus solum præstitisse, non moribus. Quid prodest, si te Domino quadraginta diebus bonum exhibeas, & vna die furore impiæ crudelitatis offendas? Quid iuuat per multa temporum spatia pudicitiæ seruasse reuerentiam, si postmodum ad turpe facinus luxuria instigante rapiaris? Quid prodest cupiditati ad tempus fraudem fecisse, si post tantos misericordiæ fructus, quos tibi manus larga contulit, alienis damnis & lacrymis delecteris? Perit profectò quicquid gratæ homo per multos annos iustis operibus adquisiuit, si sub vnius horæ spatio quocunque turpis vitæ deprauetur errore. Hæc est igitur seruandæ disciplinæ ratio, vt integritatem in te nutrias, castitatem diligas, pacem colas, atque omnia quæ iniquitati seruiunt, sub metu disciplinæ confundas: ita vt superiori non superbiat mediocritas, nec despiciatur in personarum comparatione paupertas. Sicut autem magnum est semper seruisse melioribus: ita vtile est & gloriosum humiliori personæ reuerentiam præstitisse; quia in quantum homo dignitate præditus humiliatur, adtollitur, ita Domino dicente, *Qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.* Humilitatis itaque ante omnia via eligenda nobis est, quæ nec odiis subiacet, & multùm semper amoris adquirit: ita Apostolo dicente, *Humilibus Deus dat gratiam, superbis autem resistit.* Cogitet ergo quis huiusmodi labore iniquo de pœna dubitare futuri iudicij, qui videt aduersus sese pœnam cœlestis iracundiæ commoueri. Quam si quis humilitate præuenerit, non difficile erit, vt in cœlesti sede locum æternæ possessionis inueniat.

Prou. 23. Matth. 23. Iac. 4.

niat, de quo ille diabolus superbia operante depulsus sententiam perpetuæ damnationis excepit. Sectemur ergo humilitatem, sobrietatem, continentiam, pudicitiam: elaboremus obtinendo studio sanctitatis: vt vita nostra nullis damnis animæ concutiatur, nullis vnquam apud Dominum odiis addicta suspiret.

HOMILIA XX.

De auaritia.

ASserunt, dilectissimi, authores omnium curationum diuersis doloribus medicinæ beneficia diuersa competere, & singulis infirmitatibus singula quæque beneficium peculiare præstare: ita vt doceant tumentia aut ferro debere compesci, aut medicaminis confectione molliri: latentia melius esse poculis indagari, frigida corporum feruentibus pasci, calidiora frigidioribus temperari. Ego verò in opere diuinæ institutionis aliter sentio. Nam si illam epistolam ad Timotheum factam recenseatis, inuenietis sub vno medicamine, & vnius vulneris resecatione multas valetudines posse curari. Quod autem istud vulnus sit, in quo infirmitates diuersæ conueniunt, & mortiferos dolores operantur, sanctus Apostolus Paulus euidenter exposuit, dicens, *Radix omnium malorum est cupiditas; quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* (1.Tim.6.) Tractandum est ergo, dilectissimi, quo opere, quo labore debeat tanta criminum sylua succidi. Sed priùs concurrentium vndique in vnum omnium vitiorum causas debetis agnoscere: & singula quæque vnde descendant, quò vadant, quid deformitatis, quid doloris exhibeant, diligenter inquirere. Maxima enim spes est recuperandæ salutis, fontem nosse languoris. Radix omnium malorum est cupiditas. Et verè dilectissimi, si respiciamus ad singula, quibus ab initio vitam suam habendi studio conditio humana prostituit: nihil est malorum, quod non cupiditas, aut concipiat, aut parturiat, aut pascat, aut nutriat. Ex hoc enim fomite videmus pullulare odiorum causas, hinc euenire criminum pugnas, hinc fraternas acies instrui, hinc amicitiarum fœdera dissipari. Nemo ergo singulis infirmitatibus proprij doloris crimen adsignet. Nam cùm omnia vitia constent nominibus suis, pendent tamen sceleribus alienis. Videmus igitur superbiam vanitatis tumore componi, & humillimum quemque arrogantiæ contagione moueri. Quem si inter æquales positum subito fortè respicias, alium iudicas esse quàm fuerit: ita elatum verbis incedere, & tumenti aspectu aspicias ad cælum collum portare: ac paupertatis beneficio diu clausum iter linguæ, verborum munire ponderibus: atque in tantum fastidiosi oris verba disponere, vt cùm ipse velit loqui, alium nolit audire. Sed hæc quamuis sint per se grauia, constat illecebris cupiditatis animari. Cesset denique diuitiarum pompa, & non tam facilè inuenies, quis superbiæ laboret inuidia. Radix omnium malorum est cupiditas. Curramus per singula, si videtur: & inuenietis quantis malis pullulet vitium cupiditatis. Ecce armatur vici͏nitas frequenter ad litem. Vnde est, nisi quòd hic fortè terminos transcendere, & cespitem iuris alieni cogitat occupare? Quare non occurrit oculis illa sententia, *Ne transeatis terminos, quos posuerunt patres vestri*? (Prou.22.) Ecce fit primùm in hoc loco de proprietate contentio: & dum suam quisque cupiditatem verbis fouet, stimulum litis accendit. Crescit postmodùm de contentione causatio; atque vtinam hoc solùm sufficeret cupiditati! Illud grauius est, quod dum nemo vult inchoatæ calumniæ facere iacturam, peruenitur ad rixam. Armantur serui, incitantur propinqui, & in alterius lucrum pectus opponitur alienum: animatur vino furor conductus, & effusus sanguis fit pretium possessionis. Aperitur postmodum legibus forum: & dum vltionis locus quæritur, congeminatur homicidium. Videmus etiam frequenter acies cupiditate componi: dum aut hic vult videri ditior, aut ille erubescit esse pauperior. Quibus inter se æmulantibus periclitatur interim vicina possessione consortium, dum quærit quis primus inuadat, & cogitat vt immune possideat. Ita fit vt dum cupiditatis quærit augmentum, patrimonium vacillet alienum. Quare non cogitant isti illam sententiam, quæ dicit, *Stulte,* (Luc.12.) *hac nocte requiretur à te anima tua: hæc quæ parasti cuius erunt*? Et verò nihil est stultius, quærere dubia, & adquirere peritura. Quid enim prosunt homini opes, quæ ad hoc solùm congregantur vt pereant? Certè te moriente remanet cespes auaritia propagatus: relinquitur ampliata possessio: & quamuis sit in alterius potestatem transfusa, testimonium tamen tui sceleris seruatura. In quo loco cogitandus est semper ille Propheticus sermo, *Væ illi qui iungit villam ad villam.* Sed dicis, lego (Esa.5.) parentes filiis thesaurizare debere. (2.Cor.12.) Ex hac ipsa sententia potes agnoscere, quid profecerit pietas tua. Ecce ad alium transeunt diuitiarum tuarum ornamenta, & tecum remanet peruasionis inuidia. Apud alium facultatum tuarum pompa recedit, & tecum pœna migrauit. Stultitiæ genus est, aliis fecisse lucrum, & sibi parasse supplicium. Nam ita dicit Apostolus. *Qui volunt diuites fieri, in-* (1.Tim.6.) *cidunt in tentationem & laqueum diaboli.* Sed nec longo interuallo cœlestis sententia districtionis suæ exerit potestatem. Nam quodammodo per gradus ad vltionem quandam præteritorum actuum vitiorum incrementa succedunt. Denique hic parricidali animo, aut patris vitam increpat, aut matris mortem expectat. Tueatur illum fortè ab hoc crimine causa debitæ hæreditatis. Verum est; sed quanquam legitimus hæres sit, non tamen sine cupiditatis vitio successionis vota componit. Vellet denique vnicus esse, si posset, modò de patris morte cogitat; modò de fratris vita suspirat. Non est hoc sine grandi scelere impietatis. Nam quisque hominum parentiuæ mortis expectatione animam pascit, parricidali crimine in hæreditate succedit. In quo loco cupiditatis impulsu nutriuntur inter cohæredes odia. Necdum funus effertur, & iam testamenti fides iuris interpretatione vacuatur. Alter de subscriptione patris disputat: alter de fratris persona desperat. Hic adstruit scripturam non stare testibus: ille adsignat testamentum non conuenire temporibus. Ita vacillat prædium in collisione causarum: & quod adquisiuit auaritia parentum, perdit cupiditas filiorum. Audite scripturam dicentem, *Ne concupiscas rem pro-* (Exod.20.) *ximi tui.* Enumerari non potest, quantis modis cupiditas sæuiat. Ecce vbi testamentum profertur, statim de falsitate cogitatur. Quæritur quis mutum audierit loquentem, quis mortuum hæredes nouerit ordinantem. Nec difficile est, quod peius est, cuiquam inuenire personas, aut scelere coniunctas, aut pretio comparatas. Imitatur hic infelix suscriptionem manus alienæ. Ita scripturam, quam

quam testator non instituit, cupiditas calamo repente componit. Radix omnium malorum est cupiditas. Hic ad confirmandam fraudem armat periurio falsitatem: ille alienis litibus corruptum nonnunquam pectus opponit. Ita sub vnius cupiditatis vitio facultas & adquiritur, & laceratur. Vbi est
Prou.5. quod dicit scriptura, *Falsus testis non erit impunitus*? Cui hoc imputandum putamus, quòd inter illos quos audimus aliquoties criminibus interfuisse, etiam innocentes in crimen vocantur? Venit enim frequenter in quæstionem suspicio: & cùm apud alterum resideat furti culpa, ad alium transit peruasionis inuidia. Ita dum augmentum facultatum quæritur, etiam bene adquisita lacerantur. Sic fit vt aliquoties descendat ex cupiditate falsitas, & ex falsitate paupertas. Radix omnium malorum est cupiditas. Vnde est quòd videmus inter se frequenter armatas stare legiones? Quid autem aliud est, nisi quòd aut ille aliena occupare quærit, aut ille occupata custodit? Inde descendit, quòd aliquoties de imperij potestate contenditur, & de primatus ambitione certatur. Omnia profectò in pace consisterent, si hominem imperandi cupiditas non teneret. Radix omnium malorum est auaritia. Requiramus cuius sit vitium, quòd tenui tabulato hominis vita committitur, & dubiis casibus pelagi incerta tentantur. Nonne cupiditati adscribendum est, cùm superueniente procella altum mare nauticus clamor incusat? Nonne ad cupiditatis recurrit inuidiam, cùm scrupeis rupibus naufragum corpus illiditur, & tumentia aquis membra ignotis littoribus pelagi vnda iactantur? Nunquam se profectò nauta nauigio credidisset, nisi nauigandi desiderium negotiandi cupiditas incitasset. Fertur denique homo vndis voto quadruplicandæ pecuniæ: portatur aurum, vt reportetur cum falsitate periurium. Nunquam enim negotium sine fraude agitur, vbi ad hoc solùm vilius emitur, vt carius distrahatur. In qua re etiamsi votis hominum nauigatio quieta successerit, non sine naufragio est, cùm inter vendentem & ementem iniquis aut ponderibus, aut mensuris, quis aut operatur aut patitur. Quare isti non cogitant illam sen-
Matth.7. tentiam, quæ dicit, *Sicut mensus fueris, metietur tibi*? Erubescimus illa dicere, dilectissimi, quæ luxuria agente deferuntur, cui descendit ex cupiditate commercium. Frequenter igitur coniugalis pudor pecuniæ taxatione vilescit: & diu incontaminata virginitas sub paruo auri pondere prostituta fidem integritatis amisit. Tanta est apud aliquantos cupiditas, vt venalis pudor pretium fœditatis inueniat. Nam ita ad corruptionem corporis pecunia studiosè pensatur, quasi dignum aliquid comparetur. Infelix profectò est, qui plus cupiditati consulit, quàm pudori. Damnasse est promissæ hæreditatis gratiam, integritatis fecisse iacturam. Videte sub vno crimine quàm dissimile commercium cupiditatis. Hic pecuniam dedit, vt corruptionem emeret: illa pudorem perdidit, vt pecuniam compararet. Nihil enim sine cupiditate agitur, quotiescunque peccatur. Nam si remoueas ornamentorum cultum, nullum patieris in corporis contaminatione naufragium. Cesset denique auri desiderium, & nec coniugalis fides petit, nec virginalis integritas erubescit. Radix omnium malorum est auaritia. Hic proditionis arguitur, ille delator alieni criminis accusatur. Quis dubitet, quòd secretum pectoris oblatæ pecuniæ pondus irruperit? Nihil clausum constat, quod auro argentóque non pateat: nihil occultum, quod non pecunia indignante sit cognitum. Vnde periculosè illis conscientiæ fides creditur, quibus cupiditas dominatur. Haberet profectò integritas tortum secretum, si in aliena domo proditrix pecunia non haberet ingressum. Radix omnium malorum est cupiditas. Ecce ille Dominus ac Saluator noster exitum voluntariæ passionis vitio alienæ cupiditatis impleuit. Legimus damnationem Redemptoris nostri triginta argenteis comparatam. Sed sicut vidistis proditionem ex cupiditate venire: ita debetis agnoscere damnationem ex perditione descendere. Proditus quidem ductus ad supplicium, sed proditor currit ad laqueum. Ecce quid fructus habet cupiditas, pecunia damnationis ad comparationem sepulturæ reposita, hoc est funeribus deputata. Intelligite ergo, in quo statu sit culpa cupiditatis, cùm in damnationem venerit pretium proditionis. Nam & Apostolus Petrus dicit, *Pecunia tua tecum* Act.8. *sit in perditionem*. Fortè sit aliquis de stultis & auaris, qui sibi de hac sententia blandiatur; & præferat quod audit, secum suam pecuniam migraturam. Nihil votis istius ex hac parte subtrahimus. Ventura quidem tecum est, non vt putas ad ornamentum corporis, sed ad testimonium falsitatis. Non tamen ad illos est ratio, quos misericordia comitatur. Alia illos manet causa, quos pecunia sua circa pauperes expensanda Domino larga erogatione commendat: alia illos, quos reconditæ per scelus facultates accusant. Istis denique adnumeratur ad supplicium: illis verò paratur ad regnum, ita Domino dicente, *Venite filij, possidete mecum regnum* Matth.25. *paratum vobis à constitutione mundi. Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui & dedistis mihi bibere: nudus eram & vestistis me*. Sit ergo, dilectissimi, vnusquisque vestrûm illa pecuniæ qualitate contentus, quæ gratiam salutis adquirat, non quæ causam damnationis accendat. Castigemus itaque primo loco cupiditatem, si volumus vt omnium vitiorum vincamus errorem. Nemo appetat aliena, & non est qui inimicitiarum laboret inuidia; nemo imperat consortium, & nullum est de peruasione certamen. Sit vnusquisque contentus propria, & nulla est de occupata possessione causatio. Contemne aurum & paratum euanescit homicidium: nec parricidalia odia feruntur, si cupiditatis oculus castigetur. Non est in quo hæres erubescat, si quis ad mediocritatem portionis suæ contentus accedat. Non sit qui pecuniæ augmentum quærat: & neminem culpa proditionis accusat. Si non requiras lucrum, nullum patieris in tempestate naufragium: & cùm agelli tui otiosus secreta custodis, alienum periculm securus aspicies. Vitare ista, dilectissimi, per singulos gradus fortè difficile est, & laboriosum multis simul hostibus per diuersos errores occurrere. Quærendum est ergo compendium belli, & auctor litis requirendus: vt cum illo nobis sit pugna, à quo processit iniuria. Non enim dubiè legiones armis instructas poteris vincere, si tyrannum potueris obtinere. Totam autem causam belli finiuit, qui auctorem pugnæ superauit. Instruamus ergo virtutum acies aduersus paratas scelerum legiones. Sed ante omnia aduersus ipsam, quæ caput belli est, hoc est cupiditatem, fide auxiliante pugnemus. Ita non difficilis erit de illa quam diximus vitiorum labe victoria, matre captiua.

HOMILIARVM FINIS.

VALE



VALERIANI EPISCOPI Cemelienſis Epiſtola ad Monachos.


De virtutibus & ordine doctrinæ Apoſtolicæ.



IMPOSITÆ mihi votorum circa me veſtrorum ſarcinæ etſi interim corpore, vt ſcriptum eſt, abſens, præſens tamen ſpiritu ac mente ſuccedo. Nec parum, vt reor, dilectioni veſtræ officij atque amoris exhibeo: quia vos quoque in ſpiritu, non in carne agere confido, dicente Apoſtolo, *Quicunque in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu: ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis.* Rom.8. Nec ſanè incognitam ſpiritualibus viam teneo, ſi ædificationis veſtræ ſollicitudinem ſermonibus eloquij epiſtolaris expromo: præcipuum beatiſſimi Pauli exemplum præ manibus habens; quem ſequi cupimus, etſi conſequi non valemus. Etenim etſi nos comparatio illius in nullo recipit; vobis tamen obedientia eorum eſt coæquanda quos edocet. Vt doctrinæ ordine conſtituto, cum Romanis prædicari crudelitatem veſtram in toto orbe cupientes, ſecunda emendatione correcti, pace integra, charitate non ficta inuicem vos, vt ſcriptum eſt, ſancto oſculo ſalutetis. Cum Galatis menſium, temporum, dierúmque obſeruatione reiecta, repudiantes mundum, ac ſequentes Deum, non ancillæ vos filios intelligatis, ſed liberæ. Vt in verbo veritatis cum Epheſiis permanentes, vnum Dominum, vnam fidem, vnum Deum patrem omnium, qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis eſt, noueritis. Cum Philippenſibus, irreprehenſibiles & ſimplices, omnia ſine murmuratione & hæſitationibus facientes, in medio gentis prauæ ſicut luminaria luceatis. Cum Coloſſenſibus verbo Chriſti in vobis abundanter habitante, inuicem vos pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritalibus doceatis. Cum Theſſalonicenſibus voluntatem Dei abſtinentes à fornicatione ſectemini, orantes ſine intermiſſione, omnia probantes, quæ bona ſunt retinentes. Dehinc præcepti ordinem cum omni labore ſectantes: vt ſi quis operari non vult, nec manducet. Ipſe enim eſt panis, qui de cœlo deſcendit, cui admiſceri neminem decet, niſi opera quibus ille delectatur exerceat. Vt Timotheus vobis forma ſit, etiam poſt diuturnam aquam vino modico vti præceptus, ad ſuſtinendum ſtomachum, non ad opprimendum? quia quamuis geminis commonitionibus erudiatur: niſi quis ſobrius fuerit, miniſterium ſuum implere non poterit. Vt Titi vos informet exemplum, non ſolùm ſobrios eſſe debere, ſed etiam continentes: quia omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum. Denique hæc Apoſtolicæ concluſio tota doctrinæ myſtici numeri ſummam abſterſi corporis purificationem compleuit: quia nihil eſt tam Deo proximum, quàm hominem non corruptum. Attendamus quippe poſt hæc circunſpectiùs quid ſequatur. Fugitiuus quondam Domino famulus redit, & conditio conuerſione mutatur. Apoſtolicis vinculis genitus ad vtilitatem inutilis proficit: nec ſolùm in fratrem, ſed etiam in chariſſimum fratrem, gradum coniunctorum nominum faſtigio tranſcendit animorum; nec tantum appellationis meretur vinculum, ſed etiam amoris affectum. Ad hoc enim Domini dignatione perducitur pura caſtitas ſobrietate nutrita, vt quod parcitas vini curauit in Timotheo, quod abſtinentia & continentia purgauit in Tito, id ad indulgentiſſimam libertatem accreſcat in Oneſimo. Hæc & exſequenda doctis, & agnoſcenda ſunt imperitis: quia ſicut ſcriptum eſt, & ignorantia mors eſt, & fides ſine operibus mortua eſt. Gemina vobis ratio adhibendæ obſeruationis incumbit, ſciendi cura, cum labore complendi: quoniam ea quæ in diuinis eloquiis præcipiuntur, non ſolùm non facere, ſed etiam ignorare peccatum eſt. Hebræos denique in exemplum conſummatæ perfectionis aſſumens, contemptum præſentium rerum ob amorem cœleſtium inſinuo præmiorum. Vt ſi fortè quiſpiam vobis, aut perſecutionis pondus tulerit, aut diripuerit vniuerſa, quæ veſtra ſunt: vos quoque nobile illud ac ſingulare teſtimonium, quod in eximia eorum laude venerando Paulus ore deprompſit, non diſpari ſanctæ imitationis proſequatur affectu, quo ait, *Nam & vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis.* Hebr.10.

FINIS.

INDEX



INDEX HOMILIARVM VALERIANI CEMELIENSIS Episcopi, quæ hoc volumine continentur.

SYLLABVS CAPITVM.

PROLOQVIVM,

Agendi pro Valeriano causæ, & modus.

PROLO

PROLOQVIVM.

Agendi pro VALERIANO, causæ & modus.



D omnes æquè cum se dat occasio, nec facultas deest, pertinere censendum est, illud siue monitum, siue præceptum parentis optimæ, ad dilectum vteri sui Lamuëlem, in visione qua eum erudit Prouerb. 31. *Aperi os tuum muto, & causis omnium filiorum qui pertransеunt.* Si maximè genuinum loci alioqui non perspicui, sensum quærimus, muto os aperit, quisquis innoxium, qui tamen pro se dicere, & causam suam tueri nequeat, indemnem præstat ab insultibus quibus appetitur: Quod ipsum est, causam filiorum pertranseuntium, hoc est imbellium, & ad sui defensionem inidoneorum; (cuiusmodi fere sunt pertranseuntes & aduenæ,) propugnandam suscipere, eique os aperire, quod tanquam insigne charitatis opus, mater amantissimo filio commendatum voluit, éstque cuiuis alteri imitatione exprimendum. Hoc consilio, cum è diuturnis tenebris nuper eductus Valerianus Cemeliensis Episcopus, acri Theologi cuiusdam criminatione, ac zelo incensissimo, quem ne ipsi quidem Alpini rigores temperare valuerunt, famæ discrimen adierit, ac etiamnum adire pergat; eo quem dixi, PARCO CHARITATIS criminatore, Valerianum tanquam Semipelagiani erroris compertum atque conuictum, vbique proscindente; & quibus potest clamoribus annitente, vt Valeriani opus, ac nomen, pristino sepulchro ac tenebris redonetur: charitati consentaneum duxi, viro, sin minus sancto (nam hoc etiam ei decus per accusatoris zelum periclitatur;) at muto saltem, nec iam pro se dicere idoneo, aperire os meum, & pertranseuntis causæ, laborantique Valeriani famæ, opitulari. Nam quamuis maculæ ei à criminatore inspersæ, non paruæ duntaxat sint, sed etiam minimæ; Tamen etiam labeculæ exquisitum candorem infuscant; & muscæ, (tantulæ licet;) vnguenti cui immoriuntur, suauitatem exterminant. Ad hoc porro officium, præter communem hactenus propositam, ea me impulit priuata causa, quòd harum, (vt de Eucherij lucubrationibus scitè dixit Hilarius Arelatensis,) florulentarum, omnique amœnitate vernantium homiliarum fragrantia, viciniæ nostræ cui Valerianus Episcopus præfuit, atque adeo etiam oris nostris, quamuis alterius & Diœceseos & Prouinciæ, tamen non adeò dissitis, afflata sit tam multis ante sæculis; dignúmque videatur omnem ab eis putorem, vt suauiter afflare pergant, dispellere. Quod commodè præstiturus videor, si præmissis iis quæ ad Valeriani personam spectant (quod ita necessarium videatur ad auertendam doctrinæ labem, vt ex dicendis liquebit;) has eius homilias, quas negata benigna interpretatione, PARCA CHARITATIS criminatio impetit, nauiter diligentérque excutiam, prolatis iis omnibus, vnde labes aliqua, syncerae & vndecunque Catholicæ, scriptoris huius doctrinæ aspergi videtur. Illis autem expositis, & ad sanæ doctrinæ amussim exquisitè aptatis, alterum quoque criminationum caput attingam; disquirens, rectè-ne Valerianus, *Sancti* titulum, quo illum MM.SS. perantiqui Codices donant, retinere in posterum debeat.

CAPVT I.

Valeriani sedes. De eiusdem ætate, natione, genere, statu priuato, coniectanea.



LEGANTER vt omnia Theodoretus orat. 9. de prouid. imitatus Chrysostomum hom. 7. in ad Coloss. ad illud, *vita vestra abscondita est*, plerosque sanctorum, etiamsi apud Deum illustres, iamque gloria cumulatos; tamen quandiu seculi fluctus voluuntur, margarito conferri posse obseruant; quod velut in ostreo abditi, & quoad homines inglorij delitescant: vt propterea concludat, prouidendum à Deo fuisse alterius seculi statum, quo decus vniuscuiusque ac pretium in aperto statuatur, appareátque quid fuerint, etiam cum obscuri incognitique premerentur. Hoc cum in aliis sanctissimis viris innumeris, tum nominatim in Valeriano deprehendere licet: quem tametsi sanctitatis nomine superstes aliqua antiquitatis aurula, illustrem ferat; magna tamen hactenus in plerisque obscuritas, & communis, vt ita dicam, liuor æui pressit; ita vt è capitibus propositis, de sola sede constet; in cæteris coniectura ferè vtendum sit. Conabimur nihilominus à sede quæ explorata est, reptare ad reliqua.

2. Sedes itaque Valeriano Cemelij, siue Cemellæ aut Cemelini. Totidem enim nominibus dictam inuenio ciuitatem, cuius nunc vix aliqua

rudera supersunt propè Nicæam Salyum, in colle cui etiamnum Cemelij appellatio, & florentis quondam ciuitatis fama, rerum vacua, durat. Nam si Deiparæ ædem sacram, & S.Pontij Abbatiam demas, cætera campi tantum sunt, & vineta, vbi Cemelium fuit. Nimirum vt est apud Senecam epist. 91. *Nihil priuatim, nihil publice stabile est. Tam hominum quam vrbium fata voluuntur.* Et quod idem scire dixit ep.71. *Certis eunt cuncta temporibus, nasci debent, crescere, extingui. Nulli non senectus sua est. Omne humanum genus, quodque est, quodque erit, morte damnatum est. Omnes quæ vsquam rerum potiuntur vrbes, quæque alienorum imperiorum magna sunt decora, vbi fuerint aliquando quæretur.* Sapienter etiam de more Antoninus lib.4. de vita sua, num.39. *Quot vrbes mortuæ, vt ita dicam, sunt? Helice, Pompeij, Herculanum, & aliæ innumeræ.* Nec dissimiliter S.Ambros. epist. 8. quæ est ad Faustinum, memorat *semirutarum vrbium cadauera, terrarumque sub eodem conspectu exposita funera.* Ad has Cemelium adiungo, quam vixisse aliquando, nec ingloriam, rudera indicant, & Plinij, ac veterum Geographorum testimonia, non obscurè produnt.

3. Ex constituta Valeriani sede, non inualida de æuo coniectura ducitur. Nam ex epistola Hilarij Papæ ad quosdam Galliæ Episcopos, habetur, decreto S. Leonis Magni, Episcopatum Cemeliensem, coniunctum fuisse Episcopatui Castri (ita enim appellat,) Nicæensis, haud dubiè ob tantam vtriusque loci viciniam, & Diœceseon angustiam. Ab eo itaque tempore, idem Cemeliensis, qui Nicæensis Episcopus fuit. Nec Cemeliensis tantùm, vel tantùm Nicæensis; sed coniuncta vtriusque ciuitatis nomenclatione nuncupatus est, vt liquet ex V.Synodo Aurelianensi, cui Aëtius Presbyter subscripsit, nomine Magni, Episcopi Cemeliensis & Nicæensis. Quanquam in excusis Synodi illius exemplaribus, mutila est ea subscriptio, vt notauit R.P.Iacobus Sirmondus, qui Valerianum eduxit. Subinfert autem ex proposita obseruatione, quandoquidem Valerianus absolutè Cemeliensis Episcopus nuncupatus legitur, oportuisse eum ante factam à S. Leone, vtriusque sedis coniunctionem, Cemeliensi Ecclesiæ præfuisse; atque adeo posteriorem non esse S. Leone Magno. Hoc non grauatè concesserim. Addit prætereà Valerianum sub annum Christi 450. hoc est S. Leoni æqualem statuendum, argumento inde ducto, quod extet ad Valerianum & Ingenuum Ebredunensem, Valeriani Metropolitanum, cæterosque vicinarum Galliæ Prouinciarum Episcopos, eiusdem S.Leonis epistola de Vasensis Episcopi ordinatione, ex Cod. MS. Arelatensi à Card. Baronio euulgata: & alia, inter S. Leonis epistolas num. quinquagesima secunda, ad omnes Galliæ Episcopos, qua Valerianus & Ingenuus, inter Galliæ Episcopos, quorum ad S.Leonem epistola proximè præcesserat, referuntur. Item quòd Concilio per eadem tempora Rhegij in Gallia celebrato, subscripsisse legatur Valerianus, cum aliis illius tractus Episcopis. Tandem quòd habeatur Valeriani Episcopi cum laude mentio, in recens reperto Concilio Arelatensi sub Rauennio S.Leonis æquali, in hæc verba. *Causam quæ inter sanctum Episcopum Theodorum, & sanctum Valerianum, vel sanctum Maximum, item Episcopos; atque Abbatem Faustum, necnon & reliquos fratres insulæ Lyrinensis acciderat, absque dubio, omnes nos qui in Christo vnum sumus, differre non possumus, nisi id agamus, qualiter curetur & abstergatur.* Erat Theodorus Episcopus Foroiuliensis, Maximus verò Rhegiensis, cui postea Faustus successit, *bis successor,* vt ad eum canit Sidonius. Itaque suborta inter Theodorum Lerino vicinum, & Faustum Lerini Abbatem, controuersia: Maximus Lerini olim Abbas, tunc Rhegiensis Episcopus, pro Fausto & Lerinensibus stetit. Et tempora ac loca consentiunt, vt Valerianus ille Episcopus, qui item à Fausti partibus stetit, fuerit hic noster Cemeliensis Episcopus, quem olim in Lerinensi Asceterio Monachum egisse, postea attingam. Has coniecturas, vt non diffiteat esse admodum probabiles, video tamen coniecturas tantùm esse, & quæ indocilem animum ægrè permoueant: præsertim quia in citatis epistolis & Conciliis, Valerianus nusquam appellatur Cemeliensis. Nec Ingenuus, qui post Valerianum adscribitur in citatis epistolis, dicitur fuisse Metropolita Ebredunensis: idque ex ipsa posteriori loco posita Ingenui adscriptione, infirmari videtur. Vt non vrgeam, quod ad Concilij plenitudinem, aut tituli posteà appositi vitium, referri posse video. Nempe Episcopos illos ad metropolim Arelatensem, diuersam ab Ebredunensi, cui Cemelium subest, & ab Aquensi, cui subiacet Rhegium, pertinere. Denique plures simul eodem tempore in illo Galliæ tractu floruisse Valerianos Episcopos, docet Gallorum Episcoporum epistola ad S. Leonem, & eiusdem Pontificis ad eos rescriptum, quod est inter eius epistolas 52. vt plane incertum fieri necesse sit, quis eorum cum hoc nostro recurrat. Quanquam cum pro vno Valeriano plures suppetant, & reliqua adiuncta consentiant, non iniuria existimatur, eorum aliquem esse hunc ipsum quem quærimus Valerianum Cemeliensem. Et ita omnino habeo persuasum. De Valeriani æuo satis.

4. Natio minus obscura est. Ex dictis enim perspicuum videtur, Gallum fuisse, & sedes consentit. Nam quamuis Cemelium à Plinio, Ptolemæo, Leandro, aliisque nonnullis Geographis in Italia collocetur, tamen apparet id ab eis idcirco factum, quod Italiæ limitem statuant, Varum fluuium, cum tamen olim Galliarum finibus ad Alpem summam porrectis, Cemelium Galliæ finibus conclusum fuerit, & ita ferant antiqua itineraria, ac notitia ciuitatum Galliæ, quæ Cemelium inter Alpium maritimarum ciuitates Ebredunensi metropoli subiectas, numerat. Sed & in Romano Martyrologio, pridie Idus Maij, S.Pontius, qui duos Philippos Cæsares ad Christum adduxerat; in Gallia sub Valeriano & Gallieno passus proditur. At passum Cemelij constat: & disertè vtrunque, id est, & Cemelij, & in Gallia passum, affirmant Vsuardus ad eam diem, & Petrus Exquilinus Episcopus in Catalogo, (qui eum etiam facit Episcopum Cemeliensem:) annuúntque antiqua acta quæ superius edidit. Hunc Pontium Cemelij pro Christo obtruncatum, triplici homilia de laude martyrij celebrauit Valerianus, tanquam peculiare Ecclesiæ suæ decus, vt docent illa ex homil. 17. trita de eo argumento. *Illius Martyris, qui in hoc loco pugnam inclytæ virtutis primus exercuit.* Nam quamuis in eo tractu, imo Niciæ, quæ Cemelio stanti propè continens erat, ante S. Pontium alij sanguinem pro Christo fudissent, vt S. Bassus sub Decio 5. Decembr. tamen Cemelij primus Martyrij agonem consummauit Pontius. Igitur Galliæ finibus conclusum est Cemelium; quando Cemelij passum Pontium, in Gallia, vt vidisti, passum produnt Martyrologia, & Acta, in quibus ex Italia egressus, Cemelium adiisse scribitur. Nec aliud sanè de Cemelio quàm de Nicia, Cemelio, vt dixi propè continente, statui potest. At Niciam Galliæ finibus concludunt,

concludunt, Romanum Martyrologium 22. Cal. Iunij, cum de S. Hoſpitio Confeſſore; & eiuſdem occaſione Gregorius Turonenſis lib. 6. hiſt. Franc. c. 6. Sigebertus anno Domini 581. aliique paſſim. Itaque Valerianus in Gallia Epiſcopus, non abs re Gallus conijcitur, cum nihil ſuppetat quod illum aliunde eò delatum, ſedem Cemelij nactum ſuadeat. Vt ex hoc proinde nouo ſydere, tot micantiſſimis illius quod dixi æui, Galliæ aſtris adiuncto, Eucherio Lugdunenſi, Hilario Arelatenſi, Solonio, Verano, Claudiano, aliiſque Præſulibus; Gennadio item, Vincentio, Saluiano, Proſpero Presbyteris, inſignem planè Galliarum, iam illis temporibus, ſplendorem liceat agnoſcere.

5. Et quando Eucherij facta mentio, non debeo inter alias de Valeriano coniecturas, miſſam facere quam ſuggerit Heribertus Roſuedius in notis ad Eucherij Parænesim: eum videlicet Valerianum ipſius cognatum, quem philoſophiæ ſeculari tunc addictum, Eucherius omni floridiſſimæ ſcriptionis vere oſtentato, ad mundi contemptum inuitat, hunc ipſum eſſe Valerianum Cemelienſem. Quòd ſi admittimus, lux affunditur Valeriani generi, ac nobilitati. Nam Valerianum illum ad quem Eucherius ſcribit, fuiſſe ipſi ſanguine iunctum, frons ipſe Paræneſeos Eucherij præfert. Et cum Eucherium conſtet ſplendidiſſimis natalibus inſignem fuiſſe, idem decus ad Valerianum transfunditur; ipſéque Eucherius illum ita affatur eo quem ſignaui loco: *Quamuis in maximis ſeculi apices patre, ſoceroque ele atus, illuſtribus ex vtroque titulis ambiaris, ego tamen longè ſuperioris in te honoris faſtigia concupiſco.* Vides genus illuſtriſſimum. Sed & ob ter *ſoceri* vocem aduerte, quæ Valerianum illum coniugio illigatum prodit. Id verò videri poſſet omnem coniecturæ huius vim elidere, cum Valerianus Cemelienſis, & Epiſcopus fuerit, & ante Epiſcopatum Monachus vixerit, vt aperte habetur ex initio epiſtolæ ad Monachos, qui illum ſibi, tametſi abſentem, in præfectum elegerant. Nihil tamen coniecturæ propoſitæ inde decedere, perſpicuum eſt ex ipſa Eucherij ad ſanctum inſtitutum inuitatione; quæ docet vel Valeriani coniugium non fuiſſe niſi deſignatum, ideóque fas illi adhuc fuiſſe ad aliud vitæ genus conuolare: Vel quod aliis pleriſque accidit, Valerianum, annuente coniuge, aut non vltra ſuperſtite, liberum fuiſſe ad ſanctum inſtitutum capeſſendum, & conſecutam promotionem in præfecturam mona ſticam ac Epiſcopatum.

6. Et hinc via vtcunque aperitur, ad agnoſcendum Valeriani ſanctum obitum, & beatitatem. Nam quod per ea tempora, *altrix magnorum montium plana Lerinus*, vt eam Ennodius nominat; illuſtriorum virorum à ſeculi fluctibus in Gallia ſecedentium, frequentiſſimus portus eſſet; admodum veriſimile eſt, in ea inſula monachum egiſſe Valerianum; indéque primò alicubi à Monachis abſentem in præfectum fuiſſe expetitum: Tum vitæ ſanctitate ſanguinis ſplendori coniuncta illuſtrem, ad ſedem Cemelienſem in ea ora poſitam, fuiſſe tranſlatum, vbi ſancto fine quieuerit, iuxta ea quæ de S. Valerij Lerinenſis olim Monachi depoſitione, Amauldus in Martyrologio mon ſtico his verbis tradit. *Nono Cal. Auguſti, Niciæ in Prouincia, depoſitio ſancti Valerij Epiſcopi & Confeſſoris, qui ex Monacho Lerinenſi ad Epiſcopatum aſſumptus, boni Paſtoris officium implere ſtuduit, & in gaudium Domini ſui introductus, audire meruit, Euge ſerue bone*, &c. Idem conſignatur in tabulis Lerinenſibus ea die. Hunc porro eſſe noſtrum Valerianum, exiſtimant nonnulli Nicienſes. Quos inter V. C. nec iuris tantum vtriuſque conſultiſſimus, ſed omni quoque politiore literatura excultiſſimus, D. Honoratus Leotardus, datis de eo argumento litteris, hunc eſſe ſenſum ſuum ſignificauit. Nec verò refert, quod Sanctus ille ex Lerinenſi Monacho Epiſcopus, Valerius dicatur, nõ Valerianus. Nam potuit in antiquioribus tabulis, vnde illud Martyrologium confectum eſt, per feſtinationem amanuenſium, notarum compendia (vt aſſolet,) conſectantium, ſcribi pro Valeriano, Valerius, adhibita nota, qua in alia exſcriptione non adhibita, manſerit, Valerius. Hac ſanè vel ſimili alia ex cauſa, in Concilij Arauſicani ſubſcriptionibus, Valerius cum Valeriano confunditur in pleriſque Codicibus. Minùs etiam mouet, quòd locus depoſitionis, non Cemelium, ſed Nicia notetur in iiſdem tabulis, & Martyrologio. Nam iuncto per illud tempus à S. Leone Epiſcopatu Cemelienſi & Nicienſi, contingere facile potuit, vt Valerianus vtriuſque ſedis Epiſcopus, Niciæ potius quàm Cemelij corporis exuuias poneret: & in tanta Niciæ Cemelij propinquitate mirum non eſſet, etiam ſtante Cemelio Niciæ exceſſiſſe è viuis Valerianum, tametſi in gregis ſui excubiis aſſiduum. Præterquam quod non vltra ſtante Cemelio cum illud Martyrologium confectum eſt, vel exſcriptæ tabulæ antiquæ, è quibus fuit depromptum; facilè potuit qui Valerianum iis inſeruit, vt obſcuritatem vitaret, abiecta Cemelij diruti mentione, ciuitatem continentem, in quam Cemelium, eiuſque populus, & ſedes Epiſcopalis, aliáque iura conceſſerant, aſſignare pro loco in quo è viuis exceſſerit ſanctus ille Epiſcopus. Quid ſi verò ne locum quidem obitus ſignauit, ſed locum quo eius illa die è vita excedentis depoſitio recolitur, quod Cemelio euerſo Niciæ fieri oportuit?

7. Sed me quidem coniectorem diutius agere in tam obſcuris Valeriani rebus piget. Multoque etiam magis pigeret, niſi animaduerterem, criminatorem, longè tenuioribus indiciis, imò apertis hallucinationibus nixum; ſecurè, Valerianum harum homiliarum parentem longè aliis coloribus expingere, quàm prout à me expreſſus eſt. Statuit enim vt per ſe euidens, ac Illuſtriſſimi Card. Baronij teſtimonio firmat, hunc eſſe nefandiſſimum hæreticum Pelagij & Cœleſtij partiarium, ex Occidente profectum Alexandriam, vt habetur ex epiſtola Euſebij cuiuſdam ad S. Cyrillum Alexandrinum, quam profert Baron. anno Chriſti 417. n. 15. Ea epiſtola, is quem dixi Euſebius, amicè expoſtulat cum S. Cyrillo, quòd truncati gladio Sedis Apoſtolicæ, Pelagius & Cœleſtius, communione Alexandrinæ Eccleſiæ potirentur, interuentu ac opera hominis peſtiferi, eorumdem hæreſeos capitum fœderati Valeriani ventriloqui, gulæ ventriſque mancipij, genere humili, & conditione ipſa ſerui, Ariminenſis poſſeſſionis illuſtriſſimi Valerij Comitis. Additque Baronius coniectare ſe, hunc eſſe illum ipſum Valerianum, cuius apud S. Hieronymum eſt mentio epiſt. 79. Qui enim ibi in vulgatis codicibus dicitur Annianus Pſeudodiaconus Celedenſis, cuius libros contra ſe editos S. Hieronymus teſtatur ſe per Euſebium Presbyterum ſuſcepiſſe, reſpondens S. Auguſtino & Alippio, qui ſciſcitati erant eóſne libros confutaſſet, hunc Baronius ſuſpicatur corruptè legi Annianum; dicendum autem Valerianum. Quandoquidem veriſimile eſt, hunc eſſe illum Euſebium, qui Valerianum apud Cyrillum inſimulauerat, atque adeo non alium quoque eſſe Annianum illum, quàm Valerianum Euſebio inuiſum: Qui item corruptè dicatur Celedenſis Diaconus, cum de Eccleſia Celedenſi nuſquam fit

fit mentio, ſed Cenetenſis potiùs ſit dicendus. Ita enim ſubſtituit Baronius, teſtatus aliam lectionem habere *Arelatenſis*. Quid ſi *Auellanenſis*, quæ Iuliani aliquando Capuani Epiſcopi, Pelagianorum acerrimi, agnominatio ex patria, teſtè Proſpero? quid ſi item *Celanenſis*? Nam hunc Iulianum, Beda lib. 1. in Cant. *in ipſo initio*, vocat Epiſcopum Celanenſem, in Campania. Hic Valeriani noſtri criminator triumphum canit; & Cardinalis Baronij authoritate eum apertè grauari, imo opprimi, perſpicuum exiſtimat.

8. Verùm hæc exiſtimatio tam inſulſa eſt, vt ne ingeſto quidem ſalis modio, defatuanda videatur. Tota enim vis argumenti quo nititur, eo vniuerſa reuoluitur, quòd Cardinalis Baronius de Valeriano Cemelienſi, & his homiliis, earúmque parente prorſus tacens, prodat Hieronymi & Auguſtini ætate, vixiſſe Pelagianum quendam nomine Valerianum, Diaconum Cenetenſem. Inde infert criminator, hunc eſſe Valerianum Cemelienſem Epiſcopum, harum homiliarum parentem. Quæ cuiuſmodi ſit conſecutio, ineptiam ipſe quoque ſic demonſtrare contendam. Quare obiter tantùm dico, non ſi vnus aliquis fuit hæreticus nomine Alexander, aut Ioannes, aut Sergius, fas illico eſſe, omnia quæ peruersè ab illo facta dictáve ſunt, transfundere in quemcunque eiuſdem nominis ea ætate florentem, quamuis neque munus, neque alia perſonarum adiuncta diuerſa eſſent, vt hîc ſunt planè diuerſa. Periclitabitur ſanè per hanc inferendi & criminandi licentiam, author Catholicæ epiſtolæ B. Iudas argui proditionis & venditionis Chriſti Domini, patratæ à bipedum nequiſſimo, eiuſdem nominis, muneris, ac æui cum S. Apoſtolo. Deſino calamum per ſe quaſſatum conterere.

Nihil porro prætereа ſuppetere quod Valerianum noſtrum grauet, ex iis quæ ſiue ex Euſebio illo, ſiue ex Hieronymo adducta ſunt, nullo negotio euinco. Nec vrgeo quanta ſit fides quorundam ſub Euſebij illius nomine vulgatorum ſcriptorum de vita S. Hieronymi, & aliorum eiuſdem ingenij partuum ad S. Cyrillum, & Auguſtinum, quæ hæreſibus atque ineptiis farta, Louanienſes tom. 2. Auguſtin. obſeruarunt, ſuffragante Baronio anno Chriſti 420. à num. 42. & in Rom. Martyr. ad 30. Sept. Hæc tametſi diſſimulata velim, quis non videt eum Valerianum, quem Euſebius ille ἐγγαστρίμυθον nominat, fuiſſe Pelagij & Cœleſtij diſcipulum ac fœderatum? Hunc autem Valerianum, cuius homilias indemnes præſtamus, fuiſſe eorundem iuratum hoſtem, vt & Semipelagianos reliquos, quibus ab aduerſario non ſatis memori, poſtea adiungitur? Semipelagiani enim, viri aliàs probi & docti, Pelagium & Cœleſtium, quorum Valerianus ille ventriloquus, partiarius proditur, abominantur, vt infra referam. Nihil igitur noſtro huic Valeriano, cum Valeriano illo quem Euſebius apud Cyrillum eſt inſectatus, commune reuera eſt, præter nomen. Vnde quo iure criminator Valeriano noſtro infamiam Valeriani hæretici affricet, tantùm quia eiuſdem eſt nominis; eodem noſter, ſi ineptire liberet, cumulari poſſet elogiis queis per eadem tempora Prudentius, Valerianum Epiſcopum celebrat hymno 10. periſteph. aut quibus Valerianus Epiſcopus Aquileienſis ſub eam ætatem florens, exornatur à S. Hieronymo, & Ruffino, aliiſque.

9. Tametſi verò cauſæ præſenti nihil incommodat, quòd Valerianus ille ventriloquus, idem ſit cum Anniano Celedenſi Diacono, vt Baronius coniectabat: multa tamen ſunt quæ ſuadeant fuiſſe longè diuerſum & coniecturam ſcriptoris ſapientiſſimi, omníque elogio ſuperioris, infirment. Omnes enim antiqui Codices & Hieronymi & Auguſtini, (nam huius quoque tom. 2. ea Hieronymi epiſtola inſerta legitur,) conſtanter legunt Annianum; nec vlla lectionis varietas, in manuſcriptis quæ Marianus, Victorius, & Auguſtini emaculatores adhibuerunt, notata eſt in eo nomine. Quod verò Euſebius aliquis (incertum an idem qui ad Cyrillum ſcripſit;) ad Hieronymum Anniani ſcripta tranſmiſerit, non ſufficit ad transformandum Annianum in Valerianum. Imo quia potior eſt plurium Codicum fides, vnius noui Codicis teſtimonio, ſi demus eundem eſſe illum Euſebium, qui ad Cyrillum de Valeriano ſcripſit, & ad Hieronymum ſcripta eiuſdem erronis tranſmiſit, colligendum potiùs erit mendum eſſe in ea Euſebij epiſtola, quæ recens profertur, legendúmque in ea eſſe, pro Valeriano, Annianum. Sed demus ſanè irrepſiſſe mendum in Hieronymi & Auguſtini Codices, próque Valeriano, corruptè in eis legi Annianum. Quid Valeriano Celedenſi Diacono, cum Valeriano Cemelienſi Epiſcopo? Quid blaſphemo ſcriptori, poſt deluſam cum Pelagio Synodum Dioſpolitanam, calamum aduerſus S. Hieronymum ſtringenti, cum ſcriptore cuius omnes apices, pietatem, humilitatem, charitatem, & reliquas Chriſtianas virtutes inſigunt?

Altera prætenſa in Hieronymi codice vitiatio, vt maximè admitteretur, purgaret potiùs quàm fœdaret Valerianum Cemelienſem, probri quod ei inſpergebatur, deriuatione in alium Valerianum ex ſuſpicione Cenetenſem, aut vt vna lectio habet Arelatenſem. Nullam tamen extare Celedenſem Eccleſiam (quæ fuit vnica mendum cauſandi ratio,) ſcriptori diligentiſſimo excidit, cum Hieronymi epiſt. 77. quæ illi 79. propè continens eſt, ſcripta ſit ad Marcum Preſbyterum Celedenſem. Ex qua conſtare videtur, Celedenſem Eccleſiam in Syria fuiſſe: quandoquidem S. Hieronymus, Marcum illum, qui in Celedenſi Eccleſia plurimùm poterat, expoſcit auxiliatorem aduerſus eos, qui è Syriæ eremo, quam tunc incolebat Hieronymus, ipſum extrudere nitebantur. Nec eſt quod data gratis identitate Valeriani illius, de quo Euſebius ſcribebat ad Cyrillum, & Anniani de quo Hieronymus; nouum videatur, hominem fortè in Occidente natum (quod Ariminenſis illa ſeruitus ſignificat;) adſcriptum fuiſſe Celedenſi Eccleſiæ in Syria. Frequentiſſimum enim per ea tempora erat, vt qui in Occidente nati eſſent, commeantes in Orientem, ibi inaugurarentur. Ipſéque S. Hieronymus origine Dalmata, Antiochiæ initiatus eſt ſacerdotio.

Video me tempus prodigere; & tam malè ſubnixam, Valeriani noſtri ex ea Euſebij epiſtola denigrationem, iam ſatis ſupérque obductam eſſe; planéque conſtare quanto iure Valeriani noſtri Criminator, ſibi ex ea epiſtola triumphum cecinerit? Quàm denique veriſimiliores ſint coniecturæ noſtræ, ſi earum cum Criminatoris argumentis fiat contentio. Qualiacunque verò fuerint quæ præmiſi coniectanea, placuit ea non prætерire, quod & ſua probabilitate non vacent, & aliquid apud cordatos & affectu liberos, conferre poſſint, ad ſuſpendendum vel temperandum iudicium de Valeriani recta fide, in ea criminatione ad quam progredior.

***

CAPVT

CAPVT II.

Quæ aduerſus Valerianum facere viſa, aut videri potuerunt.

1. DVo in Valeriano ſugillat Criminator, doctrinam Semipelagianam, & ſancti prænomen. Auſpicabor à priore criminationis parte, cui etiam ſubnectam ſi quæ alia in doctrina Valeriani occurrerint, vel morboſa, vel ſuſpicionem latentis mali mouere apta. Qua in re nec Criminatoris diligentia, nec mea inſuper indagatione & ſcrutatione contentus fui; ſed oculatiſſimorum præterea Cenſorum iudicia, & emunctiſſimæ naris hominum ſagacitatem, ſtudio meo adiunctam volui.

Semipelagianiſmi ſuſpectum Valerianum, vel etiam (ſi accuſatorem audimus,) planè compertum; faciunt quæ variis harum homiliarum locis ſparſa habentur. Signabo quæcumque occurrerunt. Homilia prima, omnium iudicio vndecunque ſana eſt: & ideirco apud Auguſtinum tomo 9. vbi iampridem habetur ſub nomine libri *de bono diſciplinæ*, non modò Eraſmi arroſionem effugit, ſed etiam Louanienſium Theologorum cenſuram; qui quamuis rectè libelium illum loco mouendum pronunciauerint, tanquam ab Auguſtino non conſcriptum, nihil tamen in eo reprehenderunt; vt neque Card. Bellarminus in cenſura Tomi 9. D. Auguſt. quamuis de parente libelli anceps ſit, nec definire audeat, aliúſne ab Auguſtino ſit, an ipſe Auguſtinus. Quæ dubitatio, poſtea quàm ea ſcripſit Bellarminus, planè euanuit, prolatis poſteriorum diligentia, veteribus Codicibus ex Floriacenſ. & S. Galli Bibliotheca, in quibus diſertè liber ille Valeriano Cemelienſi adſcribitur. Et vt fides veterum Codicum deeſſet, ſtylus planè clamat, authorem non eſſe Auguſtinum, ſed eundem cui adſcriptæ leguntur reliquæ vndeviginti, hoc eſt Valerianum. Ex eo tamen quod tantus vir auſus non fuerit eum libellum D. Auguſt. adiudicare, perſpicuum eſt, nihil illum ſuboleciſſe in eo minus ſanum, oli úmve. Itaque intacta ſanè abire poſſet ea prima homilia, niſi Valeriani criminator, qua eſt in deprehendendis aliorum erroribus odora vi, hanc quoque primam homiliam ſuffixiſſet, quòd prima eius verba hauſta ſint à Pelagio, quem ait, *ſæpiùs eo dicendi modo eſſe conqueſtum.*

2. Homilia ſecunda *ſub initium* ita loquitur Valerianus de anguſta via. *Hæc eſt illa via dilectiſſimi, per quam iuſti pergunt & ſancti immaculatique gradiuntur.* Liquet ſermonem eſſe de via iuſta arcta, non philoſophicè tantùm, ſed etiam Chriſtianè Et tamen hæc ſubdit quæ Maſſilienſe fermentum ſubolent, quo voluntas, Dei manum veluti prehendere, & ad illam ex ſe ſurrigi dicitur: *Huius ergo viæ, & eligendus nobis & muniendus acceſſus eſt, quia ſicut eſt arduus, ita eſt peruius: facilem autem ſe volentibus præſtat, ſi non aut vanitas impediat, aut fallax huius mundi ornatus obſiſtat.* Hoc, illud ipſum eſſe videtur, quod Caſſianus, & alij eiuſdem furfuris toties ingeminant, damnatúrque can. 6. Conc. 2. Arauſicani, *miſericordiam Dei conferri volentibus.*

In eandem ſententiam hom. 3. *Omne igitur opus dilectiſſimi, in quo ſtudium humanæ conuerſationis inuigilat, voluntarium requirit officium.* Et mox: *Religio Chriſtiani nominis in qua vocati ſumus, liberi arbitrij ſuſcepit officium.* Hæc voluntaria liberi arbitrij officia, Caſſiani & Fauſti, vt locutionem, ita & fuliginem referunt. Diſertè ſanè Fauſtus epiſtola ad Lucidum, ſalutis initium, quod naturæ viribus tribuit, ait, *officij rem eſſe, non meritum.* Rurſus inferiùs eadem homilia: *Chriſto noſtro, quotidie gratiarum hoſtias immolemus, vt ſi alios commendant virtutum merita, nobis ſaltem locum gratiæ faciant, voluntariæ ſeruitutis officia.* Quid clarius pro eorundem Maſſilienſium errore, cum humana ſeruitus gratiam deuocare, eique locum facere perhibeatur? Nomen porro *officij*, deſignare opus honeſtum intra naturæ ordinem, atque adeò non niſi humanam ſeruitutem Deo ab homine impenſam denotare, docent Tullij, vt Lactantius non ſemel nominat, *Officiales libri*: itémque Panætij & filij eius, ac etiam Ariſtotelis (referente S. Ambroſ. 1. offic. c. 7.) libri de officiis. Item Nicolai Damaſceni opus de eodem argumento, ac cum eadem inſcriptione, commendatum à Simplicio in c. 37. Enchir. Epicteti. Et denique Zenonis Stoici ſcriptio, prænotata voce quæ latinè *officium* vertitur, vt eſt apud Laertium lib. 7. in Zenone. At conſtat hos Ethnicos, ſupra honeſtatem merè naturalem non aſſurrexiſſe. Igitur qui gratiæ locum fieri, per voluntaria, ſiue liberi arbitrij, officia, affirmat, vt hîc à Valeriano factum, videtur tribuere humano labori aduocationem gratiæ, qui eſt Maſſilienſium error.

3. Homilia 7. æquè lubricè, poſt enumerata ſancta pleraque opera, quibus cœlum virtutum meritis emercari licet, ſubiungit: *Sed hæc omnia, vna & eadem Patris & Filij & Spiritus ſancti in nobis virtus operatur, quæ perfectionem iuſtis laboribus præſtat, ac bonæ voluntati, quæcumque ſunt optima, ſubminiſtrat.* Agnoſcat Lector ſolemnia verba, quibus Semipelagianiſmus apud indubitatos eius aſſertores concipitur, *Deum eſſe qui perfectionem præſtat, homine initium præbente:* Et ſubminiſtrari quidem à Deo optima omnia, nempe cœleſtes ſuppetias, & gratiam, cum actualem, tum ſanctificantem; tamen præmiſſa ex homine per naturæ vires bona voluntate.

An non verò idem ferunt illa ex homilia 9. *Videte dilectiſſimi, quantum nobis conſtet erogatio tenuis expenſæ, vt ad petitionem noſtram, tantæ maieſtatis Dominus dignetur occurrere.* Dominum occurrere dicit, ſed expetitum, & humanis votis aduocatum, quod noſtrum quantulumcumque initium, Maſſilienſes dandum naturæ viribus in ſalutis negotio contendebant, vt eſſet vnde Deum acceptionis perſonarum labe eximerent, qui aliquibus præſto eſſe, alios abiicere videatur. Eóque trahit Valerianus locum ex c. 15. Eſaiæ, quod item facit Caſſianus collat. 13. c. 8. & 11.

4. Homilia 11. error de quo agimus, traditur primum ſubobſcuriùs, verbis illis. *Nunquam deſerit Deus voluntatem religionis ſtudio florentem, nec deſunt ſolatia diuinitatis vbi ſunt actus bonæ conuerſationis.* En, voluntatem ex ſe ſtudioſam, Deus ſuperinductis auxiliis communit ac promouet, & actibus noſtris humanis ſolatia gratiæ aſciſcuntur. Mox verò apertiſſimè, & itavt ipſis Solis radiis ſcriptus videatur Semipelagianiſmus. *Nec nos negare poſſumus ornamenta religioſæ vitæ, vigilantiæ ſtudio comparari: ſed ibi Deus eſt, vbi integræ religionis eſt animus, ita Apoſtolo dicente: Exemplum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus? Satis ibi vacillat humanum ſtudium, vbi non requiritur Dei auxilium. Nam non dubiè periclitatur fides, ſi non muniatur patrocinio diuinitatis. Noſtrum eſt igitur bonum velle, Chriſti verò perficere. Nam ita Apoſtolus loquitur: Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Vides ergo boni operis voluntatem ex nobis debere deſcendere, perfectionem Dei poteſtate pendere.* Rurſúſque infra: *Habet quidem ſeruus gratiam laboris ſui, ſed Domino debeo fructum laboris impleti.*

Conclamatus planè videri potest Valerianus, nec videtur tam morboso loco Chiron vllus medicinam satis idoneam facturus. Quid enim aliud Pelagianorum reliquiæ obtrudebant ? Audi Cassianum collat. 13. cap.9. in fine. *Vt euidentiùs clareat, etiam per naturæ bonum quod beneficio creatoris indultum est, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi à Domino dirigantur, ad consummationem virtutum peruenire non possunt, Apostolus testis est dicens: velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.* S. item Augustinus in expositione quarumdam propositionum ex epist. ad Rom. num. 60. cum iunior tunc sic scripsisset; *Quid credamus nostrum est, quod autem bonum operatur, illius est qui credentibus in se, dat Spiritum sanctum,* postea recensens illud opus 1.retract. c. 13. & lib. de prædest. SS. cap. 3. reprobat eam propositionem; quam tanquam Semipelagianismo fœtam, commendabant Semipelagiani, & D. Augustino obiiciebant, vt testatur Hilarius ep st. ad August. Imo Iulianus Capuanus, Pelagianorum signifer, cum quo S. Augustinus gemino certamine confligit; eo tandem adactus est, vt non aliud assereret, quàm quod proximè proposito loco Valerianus; *volens intelligi,* verba sunt Augustini, sententiam eius referentis l.4. prioris respons. c.3. *hominem per se incipere sine gratia quod perficit gratia.* Et ibid. lib. 2. c. 8. *Volunt,* Pelagij ex parte asseclæ, de quibus ibi agit, *in homine ab ipso homine incipere cupiditatem boni, vt huius cœpti meritum, etiam perficiendi gratia consequatur.* Vt iam Valerianus non tantum Semipelagianismi, hoc est Pelagianismi diluti, sed ipsius fæcis Pelagianæ propinator audire posse videatur.

6. Quid si & Ethnicismi? Hierocles sanè, homo Gentilissimus, ad vers. 47. Pythag. latè confirmat, electionem bonorum in bonis esse, perfectionem autem eorum, esse à Deo, & studium quidem nostrum, esse veluti extensionem manuum ad bonorum captationem ? Deum autem esse, qui manum porrigentibus præsto est, & largitur volentibus ac petentibus. Itaque tanquam formam materiæ, preces operi & conatui nostro esse imprimendas docet, vt eo inter nos petentes, & Deum largientem medio interposito, perficiamus iuuante numine, quod per nos ipsos non adduceremus ad perfectum. Vocatque Hierocles impiam virtutem, (si ita dici potest,) illius qui in suis duntaxat operibus confidens, exprompta vi sua naturali perfectionem à Deo non expectet. Seneca eodem sensu epist. 73. in fine, negat Deos fastidiosos esse; *admittunt, & ascendentibus manum porrigunt.* Quasi diceret: planè Dij homines admittunt, sed venientes. Manum iisdem porrigunt, sed adscentibus, & ex se conantibus id præstare quod per naturam possunt. Vnde ita subdit, nullam sine Deo mentem bonam esse, vt tamen naturalia boni semina, per culturam in fruges promouenda, non sileat. Tantùm non dicens, nostrum esse velle, Deo verò perficere. Planè gemina habet initio epistolæ 41. vbi bonum virum sine Deo neminem esse contestatur, nec posse quenquam nisi ab illo adiutum exurgere; non posse item rem tantam sine adminiculo numinis stare; à nobis tamen ducendum esse initium, eo quod Deus prout à nobis tractatus est, ipse nos tractet; eiléque proinde à nobis ipsis impetrandam bonam mentem, siue benè volendi exordia, quibus Deus consummationem adiungat. Qui est Stoicus ille typhus, quem S. Augustinus in gratiæ hostibus toties exarat; ac nominatim serm. 13. de verb. Apost. & tract. de Stoicis & Epicureis.

Philo pulcherrimè lib. de sacrific. Abelis & Cain ad illud, *& factum est post aliquot dies,* hoc ipso errore ait laborasse Cainum, vt proinde liceat teterrimi huius dogmatis assertores, pro Caini germanis habere. Distinguit enim Philo tres classes eorum qui Deo gratias non agunt. Primam leuiter præ reliquis peccantium; eorum videlicet qui per beneficiorum obliuionem gratiarum actionem, qua nihil pretiosius, missam faciunt. Alteram deterrimam; hoc est eorum qui per nimiam arrogantiam, seipsos habent pro authoribus bonorum suorum. Tertiam malignitate veluti mediam; sed eorum qui bona sua referunt ad authorem Deum; sed ita vt censeant se merito suo illa consequi, attracto ad se per bonum aliquod suum opus, Deo; & per illud rati se dignos factos diuina gratia. Diceres expressos à Philone, pluribus post sæculis nascituros Pelagianos & Semipelagianos. Nam Pelagianis perbellè congruit classis illa secunda, Semipelagianis verò tertia. Et vtramque Philo manifestis veteris instrumenti oraculis, quæ profert, conclusam docet, & Cainitarum esse confirmat. Annuitque de more S. Ambros. lib. 1. de Cain & Abel c. item 1. quamuis initio capitis secundi, aliam eorundem duorum fratrum allegoriam magis approbet hac non reiecta. En igitur quantum virus in prolatis Valeriani locis latet: si tamen latet, & non potiùs apertè se prodit; cum tam disertè homini initium bonorum suorum arroget, solam verò perfectionem Deo tribuat, vt Semipelagiani reliqui.

6. Fides autem Catholica hæc est, ait Chrysost. aut quiuis alius author homiliæ de Adam & Eua, cuius hanc partem legere etiam licet apud Cœlestinum, epist. ad Episcopos Galliæ, *vt omnium bonorum effectuum atque operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur authorem, & non dubitemus ab ipsius gratia, omnia hominis merita prouenire, per quem item fit, vt aliquid boni & velle inueniamur & facere.* Ex hac planè Catholica regula, malus cæteróqui author, nec prorsus abs re Eutychianismi insimulatus Ioannes Maxentius, in calce professionis Catholicæ, in hunc modum ferit eos quibus relata ex Valeriano verba placent. *Abominamur eos qui contra vocem Apostololi audent dicere,* nostrum est velle, Dei verò perficere: *cum idem Doctor, & velle, & perficere, donum testetur esse diuinum, ipso dicente, Deus enim est qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Ita ille, consentaneè ad catholicum dogma de Deo salutis humanæ initiatore. Nimirum qui filij Dei fiunt; imitatione filij naturalis, vt Fulgentius lib. de Incar. & grat. Christi cap.20. rectè aduertit, non ex voluntate carnis aut viri, sed ex Deo nascuntur. Et quamuis vnusquisque præeunte Deo, possit sibi pater effici, & marem se vel fœminam, hoc est sanctum vel improbum efficere, vt pulcherrimè tradit Nyssenus hom.6. in Eccles. & l. de vita Mosis, ac Bernardus serm. 57. ex paruis, tamen nisi Deus præcedat, iacendum est homini æternùm in nihilo, multò magis quoad esse gratiæ (quippe sublimius,) quàm quoad esse naturale.

Ipse fidei, & totius sanctitatis nostræ, vt Fulgentius supra ex Apostolo vrget, non consummator tantùm, sed etiam initiator & author. *Ipse* iuxta D. Augustinum homil. 14. ex 50. *retribuendo bona pro malis, inuenit quo modo retribueret bona pro bonis,* &c. *Cum ergo bona retribuit, præuenit se, dando bona quibus retribueret bona. Ipse* vt est apud eundem Augustinum cap.32. Enchir. *hominis voluntatem bonam, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia. Quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa.*

Hæc

Hæc è triplici in nos ad salutem diffusa benedictione, omnium suauissima, & animæ recogitantis palato maximè sapiens, eodem Bernardo iudice serm. 39. ex paruis. Vbi misericordiam ac benedictionem Dei, præuenientem nos, adiuuantémque & consummantem distinguens; *Verùm*, inquit, *in his tribus, non immeritò dulcius sapit ea quæ non modò immeritos, sed & malè meritos præuenit, vt dum adhuc filij sumus iræ, & operamur opera mortis, ipse cogitet super nos cogitationes pacis; & ne petentibus quidem, imo & impetentibus; non inuocantibus, sed prouocantibus; non interpellantibus, sed etiam repellentibus, spiritum bonum, spiritum vitæ, spiritum adoptionis largitur. Quid illi animæ dulce sapiat, cui misericordia tanta non sapit? Meritò proinde benedictio dulcedinis nominatur, ea quæ præuenit.* Admodum igitur corrupta, aut nulla spiritualiter gustandi vi præditum oportuit Valerianum, cui ea benedictio dulcedinis, non modò dulce non sapuit, sed ne vllo quidem pacto percepta est. Aliter sentimus Catholici. Non, inquam, quod Valerianus affirmabat, præuenimus ipsi Deum, ac veluti solicitamus, vt operi per nos cœpto opitulator & consummator accedat, sed ipse ante occupat & præuenit nos. Videndus quoque Richardus Victorinus lib. de gradibus charitatis cap. 3. initio.

Concludo hunc locum insigni planè disputatione Ecclesiæ Lugdunensis in opere contra Ioannem Scotum, circa caput eius quartum, *in fine*, vbi hæc eius propositio refertur. *Semper naturam inchoare posse, ac perficere non nisi per gratiam.* Hoc Lugdunensis Ecclesia his verbis reiicit. *Quod si ita dicit, quasi natura hominis per liberum arbitrium suum semper possit bonum inculpare, sed non nisi per gratiam Dei perficere, vt inchoatio totius boni semper homini deputetur, Deo autem tantummodò eius perfectio; vt primam partem boni agendi sibi vendicet homo, secundam Deus; talis sensus omnino Pelagianus est, & contrarius Euangelicæ & Apostolicæ veritati. Quia ipse Dominus, vt initium boni nostri ostendat non esse ex nobis, sed ex illo, ait,* non vos me elegistis, sed ego elegi vos. *Et Apostolus dicit fidelibus*, quia qui cœpit in vobis opus bonum perficiet vsque in diem Christi Iesu. *Et iterum*: Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, verùm etiam vt pro illo patiamini. *Et beatus Ioannes Apostolus dicit.* Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. *Et iterum beatus Paulus Apostolus ait*: Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem & consummationem fidei nostræ, Iesum. *Si ergo verè Catholici esse cupiamus, totum fideliter diuinæ gratiæ deputare debemus, & initium videlicet boni operis nostri, & finem: quia sicut præmissis Scripturæ sanctæ testimoniis clarissimè demonstratur, Dominus eligit sanctos suos, non illi eum. Deus in suis fidelibus & incipit bonum & perficit. Ab ipso donatur fidelibus qui pro eo patiuntur, & initium fidei, & si is marty ij. Ipse prior dilexit sanctos suos, vt & illi eum possent diligere. Et fides nostra Dominum Iesum habet authorem, eam in nobis inchoando; & ipsam habet consummationem perficiendo. Hoc ergo fideliter teneamus, vt in vera fide fundati, ab errore hæretico tuti simus.* Non est quærenda fortior & dilucidior confutatio erroris Valeriani, quoad supernaturalis operis initium ex nobis, solam verò perfectionem ex Deo.

7. Aliorum contra sanam doctrinam errorum, notatum à criminatore Valerianum, non inaudiui. Amicus tamen homo, ingenio acri & perspicaci, quem ad scrutandum in lucernis Valerianum adhibui, significauit, vnum præterea & alterum locum, in alio negotio, posse Lectori minùs attento, aut æquo, duriorem videri.

Quinetiam ne quid prætersam quod grauando Valeriano conferre possit, moneo, his semel ac iterum pridem vulgatis, incidisse me in opus Bernardi Vindingi, cui titulus, *Criticus Augustinianus castigatus.* Ibi in Obseruationibus ad S. Augustini Tomum nonum, cui insertus est liber de bono disciplinæ, qui idem est cum prima Valeriani Homilia: abiudicatur ea lucubratio Augustino, nec in ea aliud reprehenditur, quàm quod cap. 1. dicatur, *non est imperium, nisi vbi aliquid iubetur iniustum.* Idémque quod cap. 8. obscurè admodum dicatur, *cui studium est Christum colere, prius cordis & corporis suscipiat inaumenta.* Sed non est quod ista nos moueant. Nam quod author illius lucubrationis quæ rectè B. Augustino abiudicatur, dicat imperium non esse nisi cum iubetur iniustum; sumi debet iuxta phrasim murmuratorum, quos ibi sugillat Valerianus, qui sollicitudinem & accurationem Præpositorum insimulabant tyrannidis ac superbiæ. Hoc peruersè dici monstrat Valerianus, contendens, benemoratum & humilem subditum, quandiu nihil ei iniustum mandatur, non debere duri ac Tyrannici iussi insimulare præceptum Superioris. Locus ex cap. 8. optimè habet. Agit enim ibi Valerianus de conuerso, qui illius in sæculo calcibus factus sit Monachus, ac proinde vestem mutarit. Eum ergo monet, vt sicut aggrediens ad seruitutem Dei & religiosum cultum iniens, mutauit vestem corporis, ita nouam animæ vestem suscipiat proposito & voluntate. Quid ibi obscurum aut non nitens? Quare his quæ exordia sunt prætermissis, excutiamus bina illa loca, quæ ab amico, emunctissimæ naris homine Ioanne Garatio notata dixi.

Prior locus habetur hom. 3. vbi cæteros quidem Christianos negat persoluere vnquam Deo posse quod debent: At Martyres, Deo debitum exactè persoluere, profitetur. *Non otiosè*, inquit, *Domino seruiendum, cui quamuis quilibet quotidie honoris aut muneris exhibeamus, nunquam tamen persoluimus quod debemus. Quando autem est, vt ille persoluat debitum, quem constat vicario pœnæ munere comparatum? nisi fortè pro amore redemptoris, se similis sententia, aut mortis, aut damnationis excipiat.* Audacter planè, sanguis hominis puri pro Deo fusus, cum pretioso sanguine quasi agni immaculati componitur, quandoquidem debitum quo Christus nos sibi obstrinxit, dicitur persolui, ac velut extingui ea sanguinis repensione. Sapientiùs Chrysostomus, aut quiuis alius author homiliæ de Adami in creaturas reliquas prælatione, nominum, quibus Deo obstringimur, indissolubilitatem expendit. Suauissimè de more S. Ambr. lib. 3. de virg. propè in fine. *Bonus seruus in pretium studet præparare Domino quòd pro se solutum est. Noli aurum parare filia, noli argentum. Non diuitiis istis te Christus redemit. Paratum habeto pretium, non semper exigeris, sed semper debes. Sanguinem soluit, sanguinem debes. Ille pro te soluit, tu pro te redde. Eramus oppignerati malo creditori peccatis. Contraximus chirographum culpæ, pœnam sanguinis debebamus. Venit Dominus IESVS, suum pro nobis sanguinem obtulit. Sed non potes sanguinem reddere* (ipsum inquam Christi sanguinem; nam de eo agit, negátque reddi vel compensari posse:) *Bonus quidem seruus debet pretium suum reparare Domino suo. Sed si non potest pretium reddere, vel hoc faciat, ne pretio videatur indignus.*

indignus. Ergo & tu, dignum te gere tali pretio. Quasi diceret, compensatio eius desperanda tibi est, saltem igitur connitere, ne tantum litrum frustra sit exhibitum. Disertissimè item ac verissimè Saluianus l.2. ad Eccles. *Quidquid libet, homo pro Deo perferat, solui omnino non potest, quod Deus pro homine perpessus est. Quia etiamsi passio ipsa non differat genere pœnarum, multum tamen distet necesse est diuersitas patientium.*

Posterior suspectus Valeriani locus, habetur homil.8. Valerianus videtur asserere, peccatum linguæ esse vulnus absque remedio. Sic enim loquitur. *Tamdiu sanari potest iniquarum valetudo cogitationum, quandiu id quod corde concipitur, ore tacito continetur. Verùm vbi semel lingua rotante proruperit, frustra Medicum quærit. Sine remedio est enim culpa verborum: quia deleri non potest, quicquid lacrymarum inserta per aures propagauit iniuria.*

8. Hæc sunt, quæ præter Semipelagianismum, de quo Valerianus à criminatore traducitur, aiebam posse in eo durè dicta videri, quæ tamen nullo negotio molliuntur. Nam prior locus tantùm continet decus illud Martyrum, quo mortem Saluatoris morti rependunt; & ex diuina concessione ac priuilegio martyrij, abstergunt omnem reatum & maculam, vsque ad nouissimùm quadrantem persoluentes quod debent; iuxta illud Tertulliani in calce Apologetici. *Quis non pati exoptat, vt totam Dei gratiam redimat, vt omnem veniam ab eo, compensatione sanguinis sui expediat? Omnia enim huic operi delicta donantur.* Et S. Cyprianus epist. 52. martyres, omnia peccata passione purgasse ait, statimque ab obitu ad gloriam peruenire. Vt proinde neque suffragiis, neque sacrificiis per viuos absque iniuria iuuari queant, vt Innocentius Papa dixit: Qua necessitate, adulti ferè omnes qui aliter è vita excedunt, obstringuntur. Rari enim sunt adulti, quibus ad purum alia via, id est per baptismum, aut contritionem absolutissimam vel satisfactionem perfectam, abstergantur sordes peccatorum, absque additione ignis emendatorij. Itaque non cogitauit Valerianus, de contentione & æquiparatione sanguinis Christi, & sanguinis martyrum. Quanquam si aliquid tale protulisset, non difficiliùs exponeretur, quàm S.Cyprianus, cuius sunt illa ad calcem libri de laude Martyrij. *Cum ad exemplum dominicæ passionis, atque ad omne testimonium Christi, animam tuam ponas, nec fundere sanguinem metuas, martyrio totum necesse est cedat. Martyrij inæstimabilis gloria, infinita mensura, immaculata victoria, nobilis virtus, inæstimabilis titulus, triumphus immensus, quippe quo & propria confitentis laude præfertur, velut socio Christi cruore decoratus.* Et mox, *ô beati, & quibus verè dimissa sunt peccata. Si tamen qui Christi compares estis, aliquando peccastis.*

9. In posteriore loco, noluit Valeriannus asserere linguæ peccatum esse immedicabile; sed tantùm ostendere intendit quantum sit nocumentum, quod verbo improuidè emisso plerunque infertur, quamque sæpè ea plaga ægrè obducatur, imo frequenter nullo vnquam tempore obducatur; eo qui transfixus est, spiculum cordi infixum non tantùm non reuellente, sed etiam altiùs ac firmiùs adigente. *Sagitta enim infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti.* Præclarè omnino in hanc rem disputat noster hom. 5.

Quare his quæ planè leuia sunt, nec à criminatore obiiciuntur, prætermissis, insistendum est depellendo Semipelagianismi probro, cuius Valerianus acriter vehementérque incusatur. Vnde etiam à criminatore subinfertur, eius de sancti gradu deiectio: cum enim sine fide recta impossibile sit placere Deo, temerarium omnino censet, homini cuius fides ambigua sit, vel potiùs apertè oblæsa, Sancti prænomen arrogare. Accedit altum de Valeriano silentium in tabulis Ecclesiasticis, & omnibus retrò Sanctorum indicibus, in quibus verisimile non est prætermittendum, tam vniuersaliter, támque constanter fuisse Valerianum, si sanctitatis laude viuus claruisset, & Sancti nomine dignus excessisset è vita.

CAPVT III.

Quæ prima Valeriani quoad Semipelagianismum defensio, eiúsque improbatio.

1. PRiusquam relego vestigia aduersus Valerianum pressa, & ostendo quàm vana suspicio tetram ei Semipelagianismi labem affricuerit, referre iuuat, quid in eius defensionem proponi posset, & reuera ad aliorum grauissimorum Patrum purgationem, est necessarium.

Erunt ergo qui existiment, eam maculam, esse in Valeriano, aduersariorum opinione minorem; quòd Valerianus eo æuo vixerit, quo Semipelagianismus nondum erat exploratus error, eáque in religione, cuius plerique omnes Præsules, & viri sanctitate ac eruditione præstantes, ad eundem scopulum naufragantes, de initio fidei ex humanæ voluntatis aliquo per seipsam nisu; déque gratia Dei humanæ inuocationi subiuncta, & omnibus quantum ex Deo est, diuinæ gratiæ rore æquè respersis; D. Augustino impunè dissentiebant: donec post annos circiter sexaginta, eóque ampliùs, Concilij Arausicani 2.definitione, proscripto errore, veritas Catholica constabilita est: quod iuxta postremam (nam multoties in hoc puncto variauit;) Cardinalis Baronij sententiam, contigit anno Christi 529. sub Consulatu Decij iunioris, quæ est anni nota Concilio adscripta, cum tanto ante floruisset Valerianus. Itaque videri posset ex hoc capite Valerianus, non nisi leuiter, imo non nisi materialiter errasse. Tametsi tota illa accusatio de Semipelagianismo homiliis eius inspersо, veritate niteretur. Vnde non esset, quod quicquam de eius sanctitate detractum censeretur, cum constet, viros sanctissimos, salua sanctitate, in multo apertioribus impegisse, non communi errore, sed priuata sua opinione ac sensu ductos. *Non enim error, hæreticum, sed peruicax obstinatio facit*, inquit Petrus Damiani lib. 1. epistola 13. *nec omnes hæretici dicendi sunt, qui opinantur errorem; sed qui pertinaciter & audacter prædicant falsitatem.*

2. Mitto reliquos; cum in hac ipsa Semipelagianismi causa suppetant exempla luculenta Cassiani & Fausti Rhegiensis. Cassianus enim, etiam post scriptas & euulgatas collationes, S. Leone familiarissimè vsus est, vt docet epistola qua Cassianus S. Leoni opus de Incarnatione inscripsit. Quanta autem sanctitatis laude claruerit, docent non tantùm eius scripta, quæ Christianæ perfectionis medullam iure dixeris, sed etiam memoria qua in benedictione est Massiliæ, vbi à tam multis seculis, sancti titulum retinet & cœlestium honoribus colitur. Eius enim caput argentea theca inclusum, inter sacras reliquias Abbatiæ S. Victoris, vbi Cassianus olim vixit, exhibetur venerandum. Sacrum de eo, & quidem peculiare ac proprium, celebratur;

celebratur, die festo honoratur: omni denique cultu qui cœlitibus impendi solet, religiosè afficitur. Quæ videtur fuisse causa, cur Petrus de Natalibus l.7.catalogi Sanctorum,c.59. eum Sanctis adscripserit. Varias Diœceses in quibus Cassianus colitur vt Sanctus, notauit Alenardus in præludiis ad concordiam regularum S. Benedicti Anianensis, cum de regularium authoribus. Paulinus Aquileiensis Episcopus lib.1. contra Felicem Vrgelitanum *sub finem*, & lib. 2. semel ac iterum, nec non lib. 4. initio allegans Cassianum, appellat eum, *Sanctum Cassianum.* Disertissimè quoque Thomas Vualdensis lib.3.doctrin.artic.3.cap. 28. num. 2. Cassianum adducens, vocat *Beatum Cassianum.* & à Catholicis talem agnoscendum, luculento præconio ei exhibito contendit. In concordia Regularum per S. Benedictum Anianæ Abbatem frequentissimè allegatur regula Sancti Cassiani, & rarò omittitur prænomen Sancti. Iidem honores Fausto, Rhegij in Prouincia habentur; vbi templum Deo, in Fausti, tanquam sancti honorem, iam olim extructum cernitur, & quotannis festum de eo, cum Octaua tanquam de insigni sancto celebratur. Primus eum Ioannes Molanus, non ita pridem, è Gallicano Martyrologio, cui illhuc vsque tanquam sanctus adscriptus fuerat, expunxit; exemplo nequaquam probando in Doctore priuato. Quamuis igitur, & Cassianus, & Faustus, huiusmodi fuerint, tamen vtrumque errori patrocinatum, & materialiter fuisse hæreticum, ita exploratum est, vt non sit effugio locus.

3. Nam Cassianus, vt postea apertissimè demonstrabo, quibusdam eorum qui salutem capessunt, salutis initium ex naturæ viribus concessit. Nec audiendi sunt, siue Henricus Cuychius, siue Petrus Ciaconius, suis ad Cassianum annotationibus: quorum ille collationem 13. ob Prosperi impugnationes, & Gelasij decretum, esse hæreticam fatetur; sed absque Cassiani labe, quem ait retulisse tantùm, non etiam approbasse, sententiam Abbatis Chæremonis: Alios autem Cassiani libros, errore liberos contendit; & sicubi Cassianus contrarium videtur tradere, interpretatur id Cuychius de bona voluntate per gratiam excitata, & præcedente vberiora auxilia, eaque vtcunque promerente. Ciaconius verò propositione 2. & 10.ex Cassiano excerpta,& passim in cæteris propositionibus ad quæstionem de gratia pertinentibus, etiam collationem 13. purgat à crimine; eò quod Cassianus, & ea collatione, multò magis alibi, astruat tantùm naturale aliquod meritum remotum, siue naturalem dispositionem remotam ad gratiam sanctificatem, non autem proximam dispositionem, quam solam Ciaconius cum errore admitti censet.

4. Sed neutra Cassiani excusatio est idonea. Nam mens Chæremonis non est alia, quàm ipsius Cassiani, qui vt cum Prospero loquar, in procemio libri contra collatorem, *Chæremonis se ostendit per omnia probasse ac suscepisse sententiam.* Et sanè nisi hanc admittamus fuisse Cassiani mentem, fatendum erit omnia quæ in collationibus habentur, ad eos tantùm spectare, qui inducuntur loquentes: quod non minùs extra rem esset, quàm si quis Platonis Dialogos, Platonis mentem continere negaret: aut si quis diceret, in Dialogis S.Hieronymi contra Pelagianos, non haberi quid reuera de gratia senserit S. Hieronymus. Itaque perspicuè Cassianus reuincitur erroris quoad collationem 13. Ecclesiæ authoritate suffixam. Dicere autem, quod in ea collatione asseritur morbidum esse; quæ verò alibi iisdem propè verbis ab eodem authore traduntur, esse alio sensu accipienda, diuinare est, vel potiùs tenebras gratis offundere. Euanescit ergo omnis illa prior Cassiani excusatio.

5. Nec posterior est magis idonea. Nam admittere naturale aliquod meritum remotum, & naturalem dispositionem etiam remotam, ad gratiam sanctificantem, reprobum est, & maledicto proximum. Ea siquidem dispositio, quamuis esset remota respectu gratiæ sanctificantis, esset tamen proxima respectu alicuius gratiæ auxiliantis, per quam gradus fiat ad sanctificationem. At concedere, auxilium gratiæ posse naturaliter acquiri, & sub meritum cadere, est Semipelagianus error, quem proinde sibi affricat, qui ea ratione Cassianum purgat. Quod si nomen dispositionis remotæ acciperetur impropriè, quo pacto vsurpatur à plerisque Scholasticis, admittentibus naturalem dispositionem remotam, id est meram obicis remotionem absque inductione vllius proportionis, & quacunque moraliter idonea, siue Dei attractiua, & qualitercunque meritoria, aut etiam impetratoria, optatione subiecti ad formam supernaturalem: sic vitio vacaret ea Ciaconij doctrina, sed ad rem non faceret: quia Cassianus perspicuè agit de naturali dispositione, tenui quidem, sed tamen propriè accepta, & aliquali gratiæ merito fœta. Quare fatendum est, Cassianum errasse circa initium salutis. Eúmque errorem iis quæ extant eius operibus contineri, docent quæ in Cassiano reprehendit Prosper, habentúrque etiamnum apud Cassianum. Vt propterea displiceat quod Card. Baronius anno Christi 433. affirmat, nempe nunc quidem sanum esse Cassianum: olim tamen priusquàm Eucherij Lugdunensis & Victoris Martyritani, ac Cassiodori labore purgaretur, iis resectis quæ cum Ecclesiæ Catholicæ doctrina non cohærebant, morbosum extitisse. Hoc reiicio; cùm extent, vt dixi, etiamnum apud Cassianum, quæ Prosper ex eo verbatim retulit, atque confixit.

6. Faustum quoque laborasse errore Semipelagianorum quoad salutis initium, disertè asserit Petrus Diaconus lib. de Incarn. & grat. Christi, cap. vlt. & non posse eum nota illa eximi, quamuis subobscurè plerunque errorem prodat, at ita vt ægrè teneatur, mihi videtur indubitatum, ex tam multorum illius æui Catholicorum Doctorum concitatione in Faustum. Nam S.Auitus Viennensis Episcopus, in quo ait Ennodius in vita Epiphanij, *se peritia velut in diuersorio lucidæ domus inclusit*; S. Fulgentius, S. Cæsarius, & in Oriente Ioannes Presbyter Antiochenus, aduersus Faustum, partim adhuc superstitem, partim non ita multo ante defunctum, insurrexerunt, vt docemur ex Isidoro lib. de viris illustr. c. 14. Gennadio c. 86. Catalogi, Authore vitæ S.Fulgentij cap. 28. Adone Viennensi in Chronico ad Christi annum 492. Ioanne Maxentio in responsione ad Hormisdæ epistolam. Vt proinde operam ludant recentiores, qui pro Fausto pugnant, & eum vsquequaque Catholicum fuisse, tanto post tempore persuadere nituntur, decepti exilitate meriti naturalis, quod respectu gratiæ admittit, & interdum vix nomine meriti dignatur, ob tenuitatem; ita vt non obstante aliquali illo merito, gratiam agnoscendam inculcans, eandem sincerè asserere videatur.

7. Cassianus ergo & Faustus; pij & sancti viri, nec in vita duntaxat pietatis laude clari, sed etiam post mortem, iis in locis, in quibus æuum exegerunt, sanctitate commendati, & cœlitum honoribus illustres,

ſtres, humanum aliquid paſſi, re nondum per Eccleſiam perſpicue definita, aliter de ſalutis initio ſcripſerunt, quàm ſana doctrina ferat: nec tamen idcircò omninò proſcribuntur: Quin potiùs quæ vtiliter ſcripſerunt, cum fructu leguntur, & eorum memoria in benedictione eſt. Erit igitur qui non aliter de Valeriano ſtatuat.

Mihi tamen huiuſmodi excuſatio, perparum reipſa, vel nihil à vera accuſatione, quoad punctum de quo agimus, abeſſe videtur. Sic enim non homiliæ, de quarum ſynceritate & ſana doctrina quærimus, errore liberæ demonſtrantur, ſed probabilis ignorantia Authoris, eiúſque inuoluntaria cæſpitatio allegatur. Quod vnicum eſt pro Caſſiano perfugium, interclusis, propter authoritatem Proſperi, cui Romana Eccleſia ſuffragata eſt, omnibus benignis Caſſiani in ſenſum Catholicum interpretandi viis, quas inire aliqui antehac infeliciter tentarunt, vt monſtraui; nec deſunt qui idem etiamnum cogitent, euentu vt auguror non diſſimili, conſilióque parum probabili. Quid enim attinet, collaudatam à Gelaſio, cum cæteris Proſperi opuſculis, impugnationem Caſſiani retractare; ipsúmque etiam Caſſianum, eodem decreto in plenis ac non corruptis editionibus ſuffixum velle indemnem præſtare, iis quæ aduerſus eum conſtituta ſunt, labefactandis, aut potiùs malè tentandis? Eo ſanè deuenire videntur qui Caſſianum purgant, vt Proſperum Cœleſtini & Gelaſij elogiis illuſtrem, vel calumniæ in detorquenda Caſſiani mente, vel inſcitiæ in ea perſpicienda, inſimulent: quòd quàm ſit intutum, & iniuſtum, nihil attinet dicere. Ipſeque Caſſianus, quamuis Proſperi impugnationem moleſtè tulerit, vt Proſper ſub initium epiſtolæ ad Ruffinum refert, tamen non eſt calumniam cauſatus, quod fuiſſet auertendo Proſpero accommodatiſſimum. Fauſti verò, quamuis non adeò explorata videri poſſet hallucinatio, & nonnihil anceps cauſa, quod complures pro eo Catholici ſcriptores ſteterint; (ſanè Sidonius, Fauſtum habuit pro *viro doctrinæ ſalutaris ac ſingularis.* Ruricius vocauit, *doctorem eximium*, *paſtorem egregium.* Hilarius Arelatenſis, adhuc Abbatem ita honorauit, vt medium locaret inter ſe ac Theodorum & Maximum Epiſcopos: Hilarius Pontifex, dignum duxit qui in Synodo Romana ſecum vnâ præſideret:) tamen eadem mihi videtur eſſe ratio, & illum æquè reiecit Gelaſius Pontifex.

8. Non igitur è re & exiſtimatione Valeriani eſſe videtur, ſi Caſſiano & Fauſto, vt erroris, ſic excuſationis ſimilitudine accenſeatur. Et quod communis eo æuo, eáque in regione fuiſſe Semipelagianus error obtenditur, pertinet ad protenſiorem labis illius diffuſionem, non autem ad Valeriani ab ea immunitatem. Nam ſicut bonum, iuxta Senecam epiſt.73. Dionem Chryſoſtomum orat.40.& Tyrium diſſert. 33. quo communius & diffuſius, eo etiam auctius eſt: Ita & malum, quod idem Dio eleganter de more proſequitur orat. 32. quo ad plures permanat, eo eſt tetrius ac grauius. *Quæ paria ſunt merito*, ait Proſper contra Collat. c.9. de malis agens, *non minuuntur coëundo, ſed creſcunt.* Pulcherrimè item S.Hilarius initio ſexti libri de Trinit. demonſtrat quanta ſit grauitas erroris, ex quo peruulgatus & communis efficitur. Quare alia via ineunda eſt purgando ſolidè ac verè Valeriano; ita vt non commiſerationem erga eum mouere velle, aut deprecari iuſtam cenſuram, ſed innoxium oſtendere, & iuſto iudicio interpoſito, cauſáque diſcuſſâ euincere, iudicemus.

CAPVT IV.

Germana Semipelagianiſmi expoſitione tradenda, proluditur ad legitimam Valeriani ab ea labe exemptionem.

1. QVia criminator, dicam Semipelagianiſmi, Valeriano maximè impingit, minus de reliqua accuſatione ſollicitus; operæpretium eſt præmittere quis fuerit Semipelagianorum germanus error, quòd diſcrepantes de eo ſententiæ ſint, & verendum videam, ne Valeriani criminator aliter fortaſſis Semipelagianiſmum quàm par ſit, & veritas ferat, interpretetur; & idcirco fucus fiat imperitis. Idque excutere, in errore non adeò peruio, magis neceſſarium videtur: Quandoquidem idem Valeriano maſtix, qua eſt antiquitatis Eccleſiaſticæ & hæreſeon peritia, ac ſagacitate in peruadendo ad ipſa errorum cubilia; Arianiſmum, quo vix vllus fuit in Eccleſia error minùs ambiguus, non eſſe de diuino Verbo in natura tantùm diuina ſubſiſtente, ſed de Chriſto ex diuinitate & humanitate compacto, accipiendum contendit: quaſi idcirco errauerit Arrius, & tot Synodorum fulminibus contritus ſit, quod dixerit Chriſtum eſſe Patre minorem: Quæ quanta ſit, vt quàm mitiſſimè dicam, ceſpitatio, nihil attinet exaggerare.

Delatores Semipelagianorum Gallorum, Proſper, & Hilarius alius ab Arelatenſi.

2. Vt igitur vera Semipelaginiſmi notitia habeatur, adeundi ſunt Proſper & Hilarius, qui de eo errore ad D. Auguſtinum adhuc ſuperſtitem literas dederunt, quæ extant præfixæ libro D. Auguſtini de prædeſtinatione Sanctorum. Ex quibus, vt hoc præmittam quod vſum aliquem in hoc negotio habere poteſt, conſtare puto, Hilarium illum non modò non eſſe S.Hilarium Pictauienſem, vt ſenſerunt aliqui relati à Baronio ad Rom. Martyrol. 5. Maij, *litera I.* Et idem per calami vel Typographi exerrationem habetur apud Caſſiani Gloſſatorem ad lib. 12. de inſtit. cap. 13. (hallucinatione planè gemina ei qua impegit Eraſmus in notis ad Eucherij Paræneſim:) ſed etiam non eſſe Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, vt paſſim affirmatur. Nam Hilarius Epiſcopus Arelatenſis, vnus fuit eorum, qui aduerſus D. Auguſtinum querelas mouerunt. Audi Proſperum in calce epiſtolæ ad Auguſtinum. *Speramus non ſolùm tenuitatem noſtram diſputationum tuarum præſidio roborandam, ſed etiam ipſos, quos meritis atque honoribus claros, caligo iſtius opinionis obſcurat, defœcatiſſimum lumen gratiæ recepturos. Nam vnum eorum, præcipuæ authoritatis & ſpiritualium ſtudiorum virum, ſanctum Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, ſciat beatitudo tua admiratorem ſectatorémque in aliis omnibus tuæ eſſe doctrinæ, & de hoc quod in querelam trahit, iampridem apud ſanctitatem tuam, ſenſum ſuum per literas velle conferre. Sed quia vtrum hoc facturus, aut quo fine ſit facturus, incertum eſt*, &c. Expendo particulas illas, *vnum eorum*, vtique aduerſus Auguſtinum agentium, de quibus ſermo erat: Et *in aliis omnibus.* Nam quoad negotium, de quo Proſper tota epiſtola, atque adeo quoad errorem Semipelagianum, non erat Auguſtinianæ doctrinæ admirator, imò eam *in querelam trahebat.* Et Proſper liquidò teſtatur, ſe eum habuiſſe ſuſpectum, cum dubitet, quo fine eſſet cum Auguſtino per literas acturus, quod ſe præſtiturum recepe-

rat.

rat. Vt propterea planè videatur Hilarius Arelatensis is fuisse, *& vitæ meritis antecellens, & adepto nuper summo sacerdotij honore superueniens, ad cuius authoritatem se parem non esse*, agnoscit Prosper eadem epistola. Numerus enim pluralis, quem eo item loco adhibet, facilè referri potest ad communem loquendi modum de aliquo, cum eius nomen ex causa premitur.

Is verò Hilarius, cuius epistola ad Augustinum extat, non modò non erat Episcopus, cum Prosper ad Augustinum de hoc negotio, deque Hilario Arelatensi Episcopo scriberet, sed etiam laicus fuisse videtur. Quandoquidem suæ ad D. Augustinum scriptionis rationem reddit, quod D. Augustini *contradictores, essent ex parte tales, quibus consuetudine Ecclesiastica*, laicos summam reuerentiã necesse sit exhibere: quod ita à se seruatum subdit, vt tamen modestè pro Augustino egerit, quæ liquet cadere in laicum. Quid quod Hilarius Arelatensis Episcopus, vir fuit & doctissimus, & quod eius superstites lucubrationes aliquæ produnt, eloquentissimus. Hic verò Hilarius, haud quaquam se stylo similẽ Hilario Arelatensi exhibet in epistola citata, in cuius etiã calce fatetur se tenuitatis suæ conscientia adactum agere *cum viro*, inquit, *tum moribus, tum eloquio, tum studio claro, vt quanta posset collecta suis literis intimaret, quas coniunctas his destinare curaui. Est enim talis, qui etiam præter hanc necessitatem, dignus tuæ sanctitatis notitia iudicetur.* Quæ apertè cadunt in Prosperum, qui se Augustino de facie ignotum testatur initio epistolæ; & cũ Hilario pro Augustino apud Cælestinum Papam postea stetit. A quo cum vterque vocetur filius, ea ipsa epistola qua alij Galli Episcopi ad quos scripta est, vocantur fratres; cum item vterque à D. August. vocetur filius, initio libri de prædest. sanct. perspicuè haberi videtur, ne Prosperum quidem, eo tempore Episcopum fuisse: ac fortassis etiam neque postea; cum à Gelasio, Fulgentio, Marcellino Comite, & aliis eum subsecutis, nunquam vocetur Episcopus, vt passim alij in Gelasij decreto, sed tantùm *vir religiosus, eruditus & sanctus*. Ac vt Episcopus Rhegiẽsis fuisset, nunquam tamen videtur fuisse præmittendus Hilario Arelatensi, longè sublimioris Sedis Antistiti, *& ex plenissima mundanæ potestatis sede*, vt in parænesi loquitur Eucherius, ad religionem primùm, tum ad Arelatenses insulas euecto, quæ aperta est confirmatio discriminis quod statuimus inter Hilarium Arelatensem Præsulem, & istũ qui pro Augustino stetit, cum Prospero.

Emendandum verò est in scriptore, cæteroque diligentissimo, quòd Hilarium istum Augustini studiosum, non tunc quidem cum Augustinum interpellauit, sed postea fuisse Arelatensem Episcopum statuit, illum ipsum Hilarium, qui non minus eruditione & eloquentia, quam nobilitate claruit, ac etiam sanctitate. Cum verò Augustinum interpellaret, ait fuisse duntaxat Presbyterum. Ita habẽt anno Christi 426. n. 20. & anno 439. num. 28. & anno 441. n. 3. pleneque in Rom. Martyrol. ad 5. Maij *litera l.* Hæc ex dictis per se concidunt. Ostensum enim est, cum Augustinus ab Hilario & Prospero interpellaretur, celebrem illum Hilarium Arelatensem, iam fuisse adeptum eam sedem, & ab iis ipsis Augustini interpellatoribus, vocatum in suspicionem. Item monstratum est, Hilarium cuius est epistola ad Augustinum aduersus Semipelagianos, cum eam scriberet, non nisi laicum fuisse, ac proinde non fuit tunc Presbyter.

Ex quo obiter prætereà deprehenditur, ambigi posse, an hic Hilarius diuersus sit statuendus ab illo Hilario Syracusano qui longè anteriùs, in causa Pelagij tunc in Sicilia versantis, Augustinum pulsauit iis quæstionibus quæ apud Augustinum epist. 88. leguntur, & enodantur epist. 89. vbi Augustinus eum semper vocat filium. Eo enim gustu Augustinianæ doctrinæ percepto, potuit hic Hilarius ad Augustinum in Africam pergere, salubribus eius vberibus præsens nutriendus; quo beneficio excidisse magnopere dolet sub finem epistolæ aduersus Semipelagianos, addens id sibi maximè accidisse fratris causa, quem cum matrona sua continentiam professum renunciat, ex Galliæ ora maritima, vnde dici posset ad Augustinum scripsisse, siue in transitu, siue aliqua ex causa eò diuertens.

Cum verò hoc ambiguum videri possit, exploratum tamen arbitror, illum alium Hilarium, quem D. Augustinus epist. 94. de recenti errore Pelagij admonet, ab Hilario Semipelagianorum delatore diuersum esse. Ille enim alius Hilarius, consacerdos & Pastor à D. Augustino vocatur ea epist. 94. cum tamen Hilarius Augustini familiaris, laicus (vt dixi) fuerit, extrema ætate D. Augustini. Videtur ergo fuisse Hilarius, Narbonensis primæ Episcopus, qui tunc florebat. Nam quominus concedam esse Hilarium Arelatensem Episcopum, ratio temporis non patitur. Data enim est ea Augustini epistola sub Innocentio primo, anno Christi 416. vt ibi n. 15. obseruat Baronius, quo tempore Hilarius sedi Arelatensi nondum fuerat præfectus. Nam successit S. Honorato, qui sedit post Patroclum. At hic, teste Prospero in chronico, cæsus est Arelatis, anno Christi 426. sedente Romæ Cælestino, cui præiuerat Innocentius, éúmque ante Cœlestinum subsecuti, Zozimus & Bonifacius. Vt perspicuum sit nondum per ea tempora, Hilarium titulo consacerdotis & pastoris potuisse affici ab Augustino. At de his satis.

Prædictorum Semipelagianorum motus, & de Augustino querelæ.

3. Ex horum igitur Augustini æqualium & studiosissimorum epistolis liquet, sub extremam D. Augustini senectutem, in Gallia Narbonensi, maximeque Massiliæ, plerósque, & inter eos non neminem, *& vitæ meritis, & summi sacerdotij honore supereminentem*, id est, Episcopum, ægrè tulisse, quod S. Augustinus reuocata priore sua doctrina, de initio gratiæ & iustificationis ex naturali conatu, quam iuuenis & negotij gratiæ minus sciens tradiderat, primum planè salutis nostræ exordium diuinæ præuentioni concedendum doceret, quas eorum querelas S. Prosper in responsione ad tria prima Genuensium excerpta, latè refert. Et quamquam initio, ferè tantùm susurrando, & clanculum Augustino aduersabantur, vt idem Prosper epist. ad Ruffinum testatur; tamen sensim, quod idem in præfatione libri contra Collatorem disertè traditur, magnis motibus in eam posteriorem D. Augustini doctrinam efferbuerunt, quod putarent, ea ratione ruinam peccatoris refundi in Deum, & hominis salutem nõ statui in eius manu, contra quàm antiquus Ecclesiæ sensus ad ea vsque tempora tulerat. Alij ex iisdem Augustini æmulis, alia opponebant. *Augustinum*, inquit Prosper epist. ad Ruffinum, post præmissum illustrissimum eius elogium, *quidam nostrorum infamant, dicentes, eum liberum arbitrium penitus submouere, & sub gratiæ nomine, necessitatem prædicare fatalem. Adiicientes etiam, duas illum humani generis massas, & duas credi velle naturas, vt scilicet tãtæ pietatis viro, Paganorũ & Manichæorũ adscribatur impietas.* Alia itẽ addebãt, dura & dira, quę in Capitulis

 ipsorum,

ipſorum, apud Proſperum extantibus, videre licet. Quantis item & quàm portẽtoſis calumniis, ipſum Proſperum Auguſtini defenſorem onerarent, habetur in præfatione ad obiectiones Vincentianas, apud eundem Proſperum.

4. Exiſtimatim autem, primam horum omnium in Auguſtinun & aſſeclas motuum, originem, fuiſſe gliſcentem in ingeniis pleriſque infirmis errorem, ex malè intellecta D. Auguſtini doctrina de electorum vocatione ſecundum propoſitũm, ac non vniformi electione omnium ad eadem gratiæ auxilia, atque adeò neque ad gloriam. Aliquos enim Monachos, inde admodum fuiſſe turbatos, conſtat ex D.Aug.ep.46.& 47. & ex libris de gratia & lib.arbitrio, ac de correptione & gratia. Eodemque etiam pertinuiſſe videtur deſperatio illius Monachi in ipſo D. Auguſtini monaſterio, quam deſcribit lib.de dono perſeu.cap.15. Nam quamvis D. Auguſtinus, eum ſolam præſcientiam cauſatum refert; tamen ſunt duo illa ſatis coniuncta, & ferè infirma ingenia ad vtrunque illum ſcopulum alliduntur, ac cur præſciantur tales futuri, cauſam referunt in non ſuppeditata largiora illa & ſecretiora beneficia, quæ electis obtingunt. Hi ergo, aliique infirmi, ſcandalum paſſi ſunt in propoſita D. Auguſtini doctrina. Reſque eo deuenit, ſi Sigibertum audimus, anno Chriſti 415. & idem habetur in chronico Proſperi per Pithorum edito, anno Honorij 23. vt hæreſis inde conflaretur *Prædeſtinatorum*, qui ſubneruabant corda ſeruorum Dei, negabántque habendam eſſe ſalutis ſollicitudinem: quod niſi quis eſſet è fœlici illo puſillo grege electorum, quibus Deus gloriam antecedenter decreuit, & auxilia ſpecialia, altámque & ſecretam vocationem præparauit, neceſſariò perdendi eſſent: ſaluandi autem neceſſariò forent, ſi ad eum numerum, & beatum Dei peculium pertinerent.

Alij tamen hæreſim prædeſtinatorum longè poſteriorem faciunt, & magnam partem aliter explicant. Tribuunt quippe eam authori Goteſcalco, Monacho Sueſſionenſi, qui ſub annum Chriſti 800. viuebat. Eius autem error his verbis refertur ab Eccleſia Lugdunenſi contra Ioannem Scotum, ex ipſius Scoti libro, in quarti capitis examine. *Tertiam ponit hæreſim, prædeſtinationibus neceſſitatem & vim inferentem. Cuius vt ſibi videtur, authorem non tacet, vocans eam Goteſcalcanam, à quodam videlicet miſerrimo & infeliciſſimo monacho, iamdudum illhic, (neſcimus quo ordine,) damnato, & annis iam plurimis carcerali ergaſtulo retruſo, nomine Goteſcalco.* Hunc & alios eiuſdem Goteſcalci errores, eadem Eccleſia, libro de tribus epiſtolis, *initio*, ex cuiuſdam (credo Hincmari) epiſtola refert: illud item addens, cùm Goteſcalcus è Gallia ad extremas Germaniæ oras ob Euangelij prædicationem profectus eſſet, inde cœpiſſe prædicationis exordium, quod Deus quos voluit, ab æterno ſiue ad gloriam, ſiue ad ſupplicia prædeſtinauerit, & ita quidem, vt nec electi perire, nec reprobi ſaluari poſſint: nec velit Deus omnes ſaluari, ſed eos duntaxat qui ſalutém reipſa conſequuntur; pro quibus item ſolis venerit & paſſus ſit Chriſtus. Ob hæc, & ſimilia, in quibus obfirmatè hærebat, adiudicatum flagris Goteſcalcum à monachis & Abbatibus, & penè vſque ad obitum ſine miſeratione dilaceratum, traditur eodem libro, poſt medium, adactúmque ſuis manibus in flammam proiicere librum, quem pro prædictis propoſitionibus ſcripſerat. Videſis de Goteſcalco Pithæum in Annalibus, Trithemium in Chronico Hirſaugienſi, Flodoardum lib.3. hiſtor.Eccleſ. Rhemenſ.cap.14. & omnium maximè Hincmarum qui aderat, epiſtola de eo ad Nicolaum I. vbi benè aduertit, Goteſcalcum non fuiſſe reuera authorem primum, ſed inſtauratorem duntaxat hæreſeos prædeſtinatorum, quam à prima origine repetiimus. Multa quoque de Goteſcalci nequitia & pœnis ei inflictis leguntur apud Rabanum, epiſtola ad ipſum Hincmarum, & alia ad Heuerardum Comitem. Nam in alia quæ eſt ad Noringum, ita errorem Goteſcalci repellit, vt de eo prorſus ſileat. Similiter qui nunc lucem aſpexit Author Operis contra hæreſim prædeſtinatorum, & confictum Auguſtini nomine librum, adducit integrum ad huius hæreſis penetralia educenda in publicam lucem, Goteſcalci nuſquam meminit, & hæreſim Prædeſtinatorum exortam ipſius D. Auguſtini temporibus agnoſcit, proximéque à Neſtoriana eam collocat ante exortam Eutychianam, de qua ſilet.

Scopulus Scopulo ab eis declinatus.

5. Ab hac ergo hæreſi, tunc per eam quam dixi occaſionem gliſcente, quàm maximè receſſuri nonnulli, *vt ſemper erroris eſt abrupta dementia*, iuxta Nouatianum de Trinit. c.20. in alterum extremum deflexerunt; negantes ſpecialem beneficentiam Dei in electos, & vocationem eorum ſecundum propoſitum. Iidem diuinam electionem ad gloriam, nulla meritorum per gratiam comparatorum ratione habita, factam repudiabant: & qui inter eos erant turbulentiores, antecedentem illam electionem, ad augendam infamiam, magna mendaciorum acceſſione cumulabant. Antecedentem quoque gratiæ excitantis præparationem, & omnem voluntatis humanæ præuentionem, à Deo gratiæ authore factam auerſabantur, tanquam libertati humanæ infeſtam. Eóque conſilio, Deum communem omnium Patrem, & nullius perſonam accipientem, probaturi; ſalutis item humanæ poteſtatem in vniuſcuiuſque manu repoſituri; auxilia gratiæ voluntati naturaliter exertæ, & auxilium per naturales vires imploranti, ac ex ſe ad ſalutem conanti, ſubiungebant. Cordatiores tamen ac ſedatiores, ac etiam religioſiores nonnulli, vt de Caſſiano dicam, ſubiunctionem illam gratiæ excitantis ad humanam voluntatem, non fundabant in ſecutura libertatis temeratione per gratiam præuenientem, aut in defutura homini ſalutis ſuæ poteſtate, ſi præueniatur, præſertim vt propoſiti diuini aſſectantis electionem antecedentem ad gloriam: (Hæc enim omnia videntur agnouiſſe, non ſequi reuera, ſiue ex electione æterna ad gloriam & ſpecialem gratiam, ſiue ex temporali præuentione vi æterni decreti facta, proptereáque in quibuſdam liberè ſaluandis agnoſcebant præuentionem gratuitam:) ſed fundabant ſubiunctionem illam gratiæ ad voluntatem, in quibuſdam ſcripturæ locis malè detortis, ad gratiam ſubſequentem pertinentibus, quibus Deus dicitur peccatorem expectare, & in maturitate præueniri.

Expenſa Proſperi & Hilarij delatio.

6. Vt perſpicuum teſtatúmque fiat hæc ita ſe habuiſſe; (nec enim deſunt qui refragentur, & errorem Maſſilienſium aliter referant; (itemque vt ea quam diximus ſententiarum & fundamentorum inter Maſſilienſes varietas perſpiciatur; adeundi & audiendi ſunt qui naſcentem eorum errorem

errorem Augustino primùm,tum Cœlestino Pontifici renunciarunt Prosper & Hilarius. Ita igitur Prosper epistola ad Augustinum, post latè expositas Massiliensium querelas aduersus specialem quorūdam electionem ab Augustino assertam, eorúmque vocationem secundum propositum, non communem aliis. Aiunt *quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrij libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint. In istam verò talis gratiæ prædicationem, hi quorum contradictione offenditur, cum prius meliora sentirent; ideo se vel maximè contulerunt, quia si profiterentur ab ea omnia bona merita præueniri, & ab ipsa vt possint esse, donari, necessitate concederent Deum secundum propositum & consilium voluntatis suæ, occulto iudicio & opere manifesto, aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam, quia nemo nisi per gratiam iustificetur, & nemo nisi in præuaricatione nascatur. Sed refugiunt istud fateri, diuinóque abscribere operi sanctorum merita formidant: nec acquiescunt prædestinatum electorum numerum, nec augeri posse, nec minui: ne locum apud infideles ac negligentes, cohortantium incitamenta non habeant, ac superflua sit industriæ ac laboris indictio, cuius studium cessante electione frustrandum sit. Ita demum enim posse vnumquemque ad correctionem aut profectum vocari, si se sciat sua diligentia bonum esse posse, & libertatem suam ob hoc Dei auxilio iuuandam, si quod Deus mandat, elegerit. Ac sic cum in his qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo sint quæ humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia; priorem volunt obedientiam esse quàm gratiam, vt initium salutis ex eo qui saluatur, non ex eo credendum sit stare qui saluat; & voluntas hominis, diuinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subiiciat voluntatem.* Vides initium ac progressum erroris, ad metam vsque barathro & voragine conclusam.

7. Similis Hilarius initio epistolæ ad Augustinum, breuius quidem quoad erroris originem, distinctiùs tamen quoad progressum & varia adiuncta erroris. *Aiunt*, inquit de Massiliensibus, *nouum & inutile esse prædicationis, quod quidam secundum propositum eligi dicantur, vt id nec arripere valeant nec tenere, nisi credendi voluntate donata. Excludi putant omnem prædicandi vigorem, si nihil quod per eum excitetur, in hominibus remāsisse dicatur. Consentiunt omnē hominem in Adam perisse, nec inde quemquam posse proprio arbitrio liberari: sed id conueniens asserunt veritati, vel congruum prædicationi, vt cum prostratis & nunquam suis viribus surrecturis annunciatur obtinendæ salutis occasio, eo merito quo voluerint & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequantur effectum. Cæterum ad nullum opus, vel incipiendum, nedum deficiendum, quemquam sufficere sibi posse consentiunt. Neque enim alicui operi curatio is eorum, annumerandum putant exterrita & supplici voluntate, vnumquemque ægrotū velle sanari. Quod enim dicitur, crede & saluus eris; vnum horum exigi asserunt, aliud offerri, vt propter id quod exigitur si redditū fuerit, id quod offertur deinceps tribuatur.* Ex mox: *Non putant negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantùm Medicum quærat, non autem quicquam ipsa iam valeat. Nam illa testimonia, vt est illud, sicut vnicuique partitus est mensuram fidei, ad id volunt valere, vt adiuuetur qui cœperit velle, non vt etiam donetur vt velit; reiectis ab hoc dono, aliis pariter reis, & qui possent similiter liberari, si ea quæ pariter indignis præstatur credendi voluntas, etiam ipsis similiter præstaretur. Si autem aiunt, dicatur voluntatem omnibus remansisse, qua vel contemnere quis valeat, vel obedire, de compendio putant rationem reddi electorum vel reiectorum, in eo quod vnicuique meritum propriæ voluntatis adiungitur.* Rursúsque infrà. *Quod autem dicit sanctitas tua neminem perseuerare nisi perseuerandi virtute percepta, eatenus accipiunt, vt quibus datur, inerti licet, præcedenti tamen proprio arbitrio tribuatur: quod ad hoc tantum liberum asserunt, vt velit vel nolit admittere medicinam. Cæterum & ipsos abominari se & damnare testantur, si quis quicquam virium in aliquo remansisse quo ad sanitatem progredi possit, existimet: Nolunt autem ita hanc perseuerantiam prædicari, vt non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit. Nec ad incertum voluntatis Dei deduci se volunt, vbi eis quantum putant, ad obtinendum vel amittendum, euidens est, qualecunque sit, initium voluntatis.* In prædictis Hilarij verbis, ad plenam erroris de quo agimus introspectionem, desideratur lux aliqua quoad duo: Nempe & quoad *initium* illud *qualecunque*, quod Semipelagiani arbitrio ex se spectato dabant; & quoad *opus* ad quod necessariam esse gratiam fatebantur.

Quod fidei initium, Semipelagiani, humanæ voluntati arrogarent.

8. Et quidem *initij* nomine in ipsis erroris sui cunabulis, cuiusvis boni operis exordia designabant, ita vt non primi duntaxat boni actus liberi, siue fidei; sed etiam quorumvis bonorum operum ad perseuerantiam necessariorum exordia, nudo libero arbitrio adscriberent. Postea tamen conuicti, vt D. Augustinus refert lib. de prædest. SS. c. 2. & in eiusdem libri calce, & lib. de bono perseuer. c. 17. palinodiam cecinerunt, seque restrinxerunt ad solum salutis initium, & perseuerantiam in ea, vt bis cap. illo 17. testatur D. Augustinus. Placet ipsa verba appendere; quòd recentiores aliqui, securè pronuncient, Semipelagianos, circa solum salutis initium, non item circa perseuerantiam, aberrasse. Ita ergo loquitur Augustinus, referens Semipelagianorum sententiam. *Sed ij qui, solum initium fidei & vsque in finem perseuerantiam, sic in nostra constituunt potestate, vt Dei dona esse non putent, neque ad hæc habenda atque continenda Deum operari nostras cogitationes, & voluntates, cætera verò ipsum dare concedunt, cum ab illo impetrantur credente fide.* Et mox: *Hæc ergo Deo dona sunt, id est vt de aliis taceam, sapientia & continentia. Acquiescunt & isti:* Semipelagiani. *Neque enim Pelagiani sunt vt aduersus istam perspicuam veritatem, dura & hæretica peruersitate contendant. Sed hæc inquiunt, vt à Deo dentur nobis, fides impetrat, quæ incipit à nobis. Quam fidem & incipere habere, & in ea vsque in finem permanere, tanquam id non à Domino accipiamus, nostrum esse contendunt.* Vides in quas tandem angustias deuenerint Semipelagiani, coacti solum fidei initium, & perseuerantiam in ea nudæ voluntati tribuere; eóque confugientes, vt Deum labe, hominem necessitate in salutis negotio eximerent.

Sed intutum planè fuisse perfugium illud, clamāt Scripturæ infinities quoad perseuerantiam. Non minus item luculenta pro fidei initio ex supernaturalibus tantùm suppetiis concipiendo extant testimonia, quàm pro initio reliquorum supernaturalium operum, vt videre est in longa & insigni disputatione quam instituunt S. Augustinus lib. de prædest. SS. & insigniter serm 15. de verbis Apostoli. Prosper l. de vocat. gen. c. 23. & Fulgent. lib. 1.

de verit. prædest. vt probent, fidem esse donum Dei: Nec tantùm, *fidei supplementum*, vt D. Augustinus eo libro c.2. loquitur, sed etiam *fidei cœptum*, de quo solo Semipelagiani ibi impugnati, refragabantur. Et quamuis Concilium Arausicanum quod Semipelagianismi fæces siccauit, damnet, non eos tantum qui fidei initium sibi arrogabant, sed etiam eos qui cæterorum bonorum exordia eodem modo vendicabant nudo arbitrio, & naturæ viribus: Tamen hoc non eò pertinet, quasi Semipelagiani ita philosophati sint de cuiusvis extra fidem bonæ actionis initio; sed cum principio ita sensissent, ne qua superesset erroris scintilla, id quoque reprobauit. Quanquam cum fides sit prima radix in salutis negotio, sitque de ea multo potior ratio quàm de subsequentibus actibus, ac si euictum fuerit initium eius à Deo esse, de aliis quoque omnibus multo potiori iure idem euictum videri debeat: mirum non esset, etiamsi admitteretur Semipelagianos in eodem semper errore de cuiusvis operis initio perstitisse: Diuum tamen Augustinum incubuisse præsertim in eam curam, vt demonstraret fidei initium à Deo esse, non autem à nudo libero arbitrio.

9. Cum autem eiusdem D. Augustini testificatione lib. de prædest. SS. c.2. compertum sit, Semipelagianos non potuisse obsistere manifestissimis Scripturæ locis, quibus fides donum Dei esse monstratur: perspicuum videtur, eos nomine *initij fidei*, non intellexisse fidem rudem adhuc & modicam, sed nomine *initij fidei*, intellexisse eā credendi volitionem fidei præuiam, quam Concilium Arausic. 2. can. 5. vocat *credulitatis affectum*. Aperteque S. Fulgentius l. de Incarn. & grat. Christi c.18. Semipelagianos refellens circa voluntatem credendi, quam ab homine esse contendebant, eam nominat *initium credulitatis*. Ex quo sequitur, *fidem cœptam*, cui Semipelagiani vt D. Augustinus c. illo 2. loquitur, rependi aiebant *fidem auctam*, non esse fidem essentialiter constitutam, tametsi intensiuè imperfectam, sed esse affectum anteriorem, qui sit fidei veluti præludium, quamuis moraliter vnus cum ea actus computetur, & idcirco donetur plerumque eodem nomine. Similitérque sequitur, fidem auctam, quæ ibidem appellatur *incrementum fidei*, non esse auctarium & accessionem aliquam ad fidem ante inchoatam in eodem genere, sed esse fidem ordinis superioris, succedentem imperfecto illi initio speranti ad laborem humanum. Prouocari autem aiebant, fide illa cœpta, fidem auctam, quia existimabant, hominem exhibito eo initio, qualitercunque emereri internum gratiæ auxilium necessarium ad credendum. Et ipsum quidem hominem, ex parte sua primùm conferre volitionem: eam autem cum primùm emicuisset, foueri & promoueri à Deo. Quod ipsum aliter efferebant dicentes, *hominis esse initium præbere, Dei verò perficere*. Itemque vt Prosper epistola citata refert, iis conferri sanctitatem, qui bono naturæ quod vocabant *gratiam initialem*, benè vsi essent, eóque aliquali merito diuinam in se supernaturalem beneficentiam prouocassent.

Quid apud eosdem operæ, quæ Deo adscribebant

10. Eo credulitatis naturali affectu ex nobis supposito, quo prolici asserebant diuinæ gratiæ adiutorium, quodque aiebant à diuina vocatione expectari; addebant Semipelagiani, reliqua omnia, quibus nomen *operum* dabant, ipsúmque etiam fidei assensum, esse à diuina gratia. Idque affirmabant, cum aiebant, ad quodcunque opus humanæ curationis, & incipiendum, & perficiendum, necessariam esse gratiam. Tantùm quippe excludebant ab operum syllabo, eum quem dixi naturalem credendi affectum, disponentem vtcumque ad gratiam. Hoc enim duntaxat voluntati nudæ saluum volebant in negotio salutis, quod ita necessarium censerent, vt salus in cuiusvis adulti potestate locaretur, & Deus liberaretur ab acceptione personarum, quibus duobus incommodis posteriorem D. Augustini doctrinam premi calumniabantur: à se autem declinari existimabant, admittendo ex parte hominis qualecunque initium, seu tribuendo bono vsui liberi solius arbitrij, meritum aliquod quantumcunque exile, ac tenue, vt in eo initio tota gratiæ substructio fundamentum haberet. Idque initium purè naturale, nostroque nudo arbitrio expromptum, aiebant à Deo expectari, tanquam ansulam, qua voluntatem diuina auxilia prehensantem acciperet.

Friuola interpretatio expectati à Deo iuxta eos, initij humani, explosa.

11. Ridiculi verò prorsúsque insulsi sunt, qui aliter eam expectationem interpretantur, affirmantes hoc errore sordere, qui dixerunt, consensum prout liberè à voluntate præstitum gratiæ vocanti præimmissæ, expectari à Deo tanquam rationem cur ipse quoque eum consensum velit à se prodire. Ita vt cum duæ hæ causæ concurrant ad illius consensus productionem, prior ratione sit voluntas antè præuenta. Eam verò præstoletur Deus, & ad eius nutum atque adeo posterius ratione, se applicet ad cooperandum, & cudendum consensum. Quam censores prædicti censent esse reprobam illam doctrinam de Deo voluntatem nostram expectante, à Cassiano collat. 13. cap. 12. malè fundatam in illis Isaiæ verbis capit. 30. *expectat Dominus vt misereatur vestri*, damnatamque in Concilio Arausic. 2. can. 4. & à Prospero, Fulgentio, aliisque gratiæ contra Semipelagianos defensoribus confutatam.

Hoc verò est in erroribus antiquis referendis, & in Conciliorum contra eos definitionibus interptetandis, iocari: cum exploratissimum sit, Semipelagianos diuinam gratiam excitantem, & primum initium à Deo positum exclusisse, timentes humanæ libertati ex præuentione, & diuinam immunitatem à vitio acceptionis personarum prætexentes. Eo itaque sensu damnantur, quod voluntatem à Deo expectari affirmarent: cum tamen Deus non expectet voluntatem vt eam vocet; etiamsi iam vocantem, verè expectet quoad consensus liberi productionem. Id est nolit eam inconsultam abripere ad cooperandum, vel adigere ad cudendum consensum; sed id libertati eius permittat: nec nisi ab ea iam præuenta aduocatus accurrat ad cooperandum. Aduocatus, inquam, non per actum diuina cooperatione anteriorem, quem constat esse impossibilem, sed per exigentiam naturæ tunc operandæ, & in talibus circunstantiis, ac præmissa diuina fœcundatione præueniente, expromptυræ actionem, si posset absque Deo se ad cooperandum adiungente, eam expromere. Eam enim suam exigentiam voluntas contuendam Deo obiiciens, & obiectiuè, non formaliter exhibens, aduocat Deum ad cooperandum, & cum ipsa producendum consensum liberum. Itaque illa per Deum

Deum expectatio humanæ voluntatis,quam Concilium Arausicanum reprobauit, alia non est quàm quæ ab ipsis Semipelagianis posita fuerat; hoc est expectatio voluntatis,vt vocetur, ita vt prius homo ex se & suis viribus,Deo nihil adhuc circa salutem hominis moliente, expromat suum qualemcunque nisum, eiúsque interuentu vtcunque mereatur, vt Deus qui eum duntaxat nisum, languidum licet & eneruem,expectabat, illico accurrat, promotor & consummator initij nostri, cui tanquam aliquali merito, & causæ moraliter mouenti, exhibet supernaturales suppetias.

Quale gratiæ meritum ei humano initio tribuerent.

12. Semper dico,iuxta Semipelagianos initium illud salutis quod esse à nobis affirmabant, tenue aliquid & exile fuisse,nec nisi aliquale meritum auxiliorum gratiæ continuisse. Perspicuum namque videtur,illos non affirmasse competere tali initio meritum de condigno, respectu salutis ad quam aiebant illud disponere. Ita disertissimè tradit Cassianus collat.13.c.9. & 13.& 16.& lib.12.de instit.c. 11.13.& 14. Idémque sonant verba illa Semipelagianorum,quos suprà ex Hilario retulimus dixisse, initium istud,seu voluntatem qua quæritur Medicus,*nō valere quicquam*,id est,perexigui esse momenti ac meriti. In quo Semipelagiani à Pelagio dissidebant, qui naturali salutis negotiationi meritum eius condignum concessit.

Nec placent qui Semipelagianos quoad hoc Pelagio adhæsisse, & meritum condignum inuexisse, affirmant; vt Vega lib.8.in Conc.c.5.& Toletus in c.8.ad Rom. annot.51. & in c.11. ad illud, *si autem gratia, iam non ex operibus.* Non placent,inquam: Nam sanctus Augustinus qui locis allegatis hoc Semipelagianum meritum improbat,tamen ibidem, & epist 105. ac sæpè alibi,concedit peccatori diuinitùs præmoto meritum congruum remissionis peccatorum, negatque simile meritum naturalibus viribus posse concedi respectu primæ gratiæ. Ergo agnouit gratiam non tantùm euerti concessione meriti naturalis condigni (quanquam eo maximè;) sed etiam concessione meriti naturalis congrui, & aliqualis tantùm ac perexigui,quale inuexerunt Semipelagiani, qui exiguitatem huius meriti considerantes eò deuenerunt, vt profiterentur quod ei nostro qualicunque initio rependitur, esse gratiæ donum,& initium illud non esse meritum,nempe perfectum & simpliciter dictum. Quod minùs peruadentes nonnulli,inconstantiæ damnant Cassianum & Faustum, apud quos locutiones illæ frequentes sunt,quàsi erroris sui ea in parte immemores.Reuera tamen perstabant in errore,nec nisi meritum simpliciter dictum inficiabantur, cum tamen omnis planè naturalis ad salutem dispositio, & vis qualitercunque meritoria,quam illi admittebant,neganda sit tanquam gratiæ euersiua, quod Toletus suprà malè diffitetur.

Quàm vanè timerent diuinæ sanctitati,& libertati humanæ circa salutem, negato voluntati creatæ eo initio.

13. Neque verò rectè Semipelagiani per hunc errorem prospici à se putabant humanæ libertati in negotio salutis, & diuinæ exemptioni à labe acceptionis personarum, quem fuisse illis geminum erroris scopulum,præmisi: Malè,inquam,errorem errore declinabant. Nam quamuis verissimum sit,salutem esse in cuiusvis adulti potestate, & Deum longè abesse à personarum acceptione, est tamen falsissimum quod Deus præueniatur ab homine:siue quod homo salutis suæ negotium per bonum vsum nudi liberi arbitrij auspicetur: sed ad locandam in manu cuiusvis adulti salutem suam, satis supérque est,quod præuentus à Deo, possit Deo vocanti consentire aut dissentire,vt planè loculenter tradit Fulgent.lib.de prædest.& gratia cap.9.post Augustinum lib.de spir.& lit.c.34.Et quamuis ea præuentio non sit æquale beneficium in omnibus quibus impenditur, sed in quibusdam talis,sit,vt faciat facere, (tametsi eluctabiliter;) eo quod sit victrix suauitas atque delectatio, provt vocatur à D. Augustino lib.2. de peccat. merit. c.27. Tamen semper est sufficiens ad operandum,& talis vt per solam hominis negligentiam ac culpam non sortiatur effectum.Quę autem est selecta & specialis,nō infert Deo labem acceptionis personarum,quæ locum non habet in merè gratuitis, etiamsi distributio fiat inæqualis, nulla prorsus interposita causa ex parte recipientium.

Est tamen ibi ingeniis omnibus fixa crux,hærendúmque est in diuino,iusto,sed occulto iudicio,iuxta illud Augustini de spir. & litera c.34. *Si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur vt persuadeatur, illi autem non ita: duo sola occurrunt interim quæ respondere mihi placeat. O altitudo diuitiarū. Et nunquid iniquitas apud Deum? Cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caueat ne inueniat præsumptores.* Cauendum item esse in ea quæstione præcipitium monet serm.20.de verbis Apost. & pulchrè serm. 11. *Monet me inquis quod ille perit, non ille. Monet tanquam hominem: si verum vis audire,& me mouet,quia homo sum. Sed et si tu homo, & ego homo: audiamus dicentem, ô homo tu quis es qui respondeas Deo? Si posset loqui pecus, & dicere Deo, quare istum hominem fecisti, & me pecudem, non iustè succenseres,& diceres; ô pecus,tu quis es qui respondeas Deo? Et tu homo es,sed à Deo pecus es, & v inam sis pecus eius, & ouis pascuæ eius.* Videndus in eandem sententiam epist. 105. & Prosper 2. de vocat. gent. c.30. *in fine*, & S.Chrysost.hom. 26. in ad Rom. *in mor.* Itaque admotæ à Semipelagianis machinæ nullo negotio subuertuntur. Alia ratione eas machinas disiicere se putant alij, sed quæ reuera non est solida, nec erroris pura. Nam non video quàm commodè à semipelagianismi labe liberari possit Author operis contra Prædestinationes, sæpè concedens toto libro tertio,gratiam præuenire voluntatem, sed hoc accipiens de præmissa incarnatione, & Christo fonte gratiæ ad salutem nostram à Patre dato, qua ratione argumenta contra Semipelagianos necessaria gratiæ præuentione elidere poterat. Sed non sufficit ad illud initium quod contra Semipelagianos agnoscendum est, tanquam proprium gratiæ præuenientis; intelligi enim debet de gratia actuali, quæ est actus in nobis receptus, ac excitans nos ad operandum: qualem gratiam præire ex parte Dei, & anteuertere nostram operationem, hic Author non videtur agnoscere. Et idem videtur innuere Arnobius iunior in Psalmum 147. Itaque sola Catholica,& solida ratio euertendi Semipelagianorum machinas, ea est quam proposui.

* *
*

Alia vulgi Gallorum, in Augustinum calumniæ, elisæ.

14. Illæ autem aliæ calumniæ in Augustinum, quas prætereà memorabam Massiliæ & per eam Galliæ oram disseminatas, quoad electionem ad gloriam; partim per se euanescunt, vt Prosper eas referens l. ad obiectiones Vincentianas rectè demonstrat: partim commodissimè mihi videntur depellendæ, si dicamus D. Augustinum admisisse quidem in Deo formalem gloriæ electorum intentionem, meritis præuisis anteriorem, à qua originem ducat præparatio vocationis congruæ, & secundum propositum (ita enim apertè ferunt quæ disputat lib. de corrept. & gratia cap. 7. & 12. & lib. de prædest. SS. cap. 3. & l. de bono perseuer. cap. 9. aliisque locis. Et id quoque suadet specialis illa cura & amor Dei in electos, in Scripturis ab Augustino expensis, tam sæpè celebratus;) eam tamen intentionem iuxta eundem D. Augustinum, non aliter statuendam esse efficacem, quàm per ordinem ad auxilia congrua per eam procuranda. Nam electio mediorum congruorum, & eatenus efficacium, ita connectitur cum diuina illa electione & intentione, vt non debeat hæc intentio concipi efficax, priusquam hæc media, & ordo ad ea cogitetur. Cum autem ea media non sint ineluctabilia, sed absolutè loquendo possint non habere effectum, vt alibi demonstratur, & splendidissimè tradit S. Macar. hom. 37. agens de gratia tradita Apostolis iam confirmatis in gratia, ne grauiter delinquerent, quæ vtique efficax fuit: Rectè ex his mediis coniectamus, efficacitatem intentionis à D. Augustino inuectam non esse firmiorem. Atque ita concidunt omnes machinæ quæ ex eo admouebantur, quod salus electi, iuxta D. Augustinum, sit planè necessaria & euersu impossibilis. Aliud enim est certò & infallibiliter non fore euertendam, aliud non posse euerti, etiamsi homo vellet. Primum est verissimum, posterius verò falsissimum.

Quamquam nihil quoque versatibili libertatis humanæ conditioni timendum censerem; etiamsi admitterem, electionem ad gloriam iuxta D. Augustinum esse planè efficacem, sed tantùm intra ordinem intentionis; eo quod Deus ob præuisam conditionaliter cooperationem voluntatis humanæ, si his vel illis suauibus mediis iuuetur, noluerit de voluntate abripienda per auxilia ineluctabilia quicquam decernere, consequenter ad suam illam robustam, planéque antecedentem electionem, quam ex seipso concepit: Decreturus, si humanæ voluntatis indocilitatem, & obfirmationem aduersus illa mitiora & molliora media prænouisset. Sic enim libertas humana, eiusque circa salutem vertibilitas, salua perstat, non obstante ferreo illo decreto prorsus immanente, & voluntatem qualis ex se erat, atque adeo planè exsolutam relinquente. Salus tamen fit indefectibilis, quia quamuis intentio diuina sit pura intentio ob præcognitam inflexionem liberam voluntatis per gratiam repudiabilem, tamen si voluntas aliter se habere vellet, adigeretur ad capessendam hanc vel illam viam, diuino decreto antecedenti, quod supponitur consentaneam. Quia verò ea salutis indefectibilitas, quamuis cum præsenti libertate cohærens, mihi alias ob causas non probatur, idcirco propositam D. Augustini sententiam eo quem retuli modo exponere præstat; vt cauillis & calumniis minus obnoxia statuatur. Hæc alibi planè discussa nunc tetigisse sat est, ad aperiendam inanitatem querelarum à Massiliensibus iactatarum, de quibus hactenus.

Cassiani error priuatus in hac causa.

15. Vidit Cassianus reliquorum Massiliensium errorem hactenus expositum, quo prima gratia statuitur semper voluntati & inuocationi humanæ subiuncta, cohærere non posse cum plerisque Scripturis, quibus docemur Deum palam fieri nescientibus ipsum, & apparere iis qui illum non interrogabant. Itaque aliud aliquid commentus est. Nempe quod interdum quidem homo præueniat Deum, & bono liberi arbitrij vsu præmereatur vtcumque gratiam Dei, petitioni ac studio naturali superinductam, qui fuit error Semipelagianorum, seu vulgi Massiliensium: Interdum tamen Deus præueniat nos, & à nobis nondum vocatus, pulset ad ostium, ac voluntatem præoccupet. Quod esse Cassiani placitum notarunt Cuychius annot. 20. in Cassianum, & Diaconius in obseruationibus ad eundem, apertéque habetur ex Prospero lib. contra Collat. præsertim c. 5. 9. & 38. *Nec cum hæreticis*, ait c. illo 5. *tibi, nec cum Catholicis plena concordia est. Illi in omnibus iustis hominum operibus, liberæ voluntatis tuentur exordia. Nos bonarum cogitationum ex Deo semper credimus prodire principia. Tu informe nescio quid tertium, & vtrique parti inconueniens reperisti, quo nec inimicorum consensum acquireres, nec in nostrorum intelligentia permaneres.*

Sed quid aliunde Cassiani mentem venamur, cum extent perspicua ipsius Cassiani loca, quibus ea quã dixi Cassiani opinatio liquidò deprehenditur? Illustrissimè collat. 13. c. 7. *Dei benignitas cum bonæ voluntatis in nobis quantulamcunque scintillam emicuisse perspexerit; vel quam ipse tanquam de dura silice nostri cordis excusserit, confouet eam & exsuscitat; sua'que inspiratione confirmat*. Ex cap. sequenti: *Cum in nobis ortum quendam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eum confestim atque confortat, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantauit, vel nostro conatu viderit emersisse.* Similibus desiunctionibus scatet tota illa collatio: & propterea Concilium 2. Arausic. can. 8. peculiariter ac seorsim, suppresso licet Cassiani nomine, damnat eius errorem, quo aliqui ad Deum accedere dicuntur per liberum arbitrium præuenientes Deum; alij verò per diuinam misericordiam à Deo præuenti, idem præstare dicuntur. Quod Concilium ait exscindi vniuersali illo oraculo, *Nemo enim potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Et effato Apostolico omnes æquè comprehendente; *Nemo*, planè nemo, vt Concilium expendit, non aliqui duntaxat, *potest dicere Dominus IESVS nisi in Spiritu sancto.*

Quare cum Cassianus alicubi tantum memorat præuentionem Dei per voluntatem creatam cuius motum præstoletur; alibi autem, ac nominatim collat. 3. non semel memorat tantùm præuentionem diuinam, qua omnis voluntatis motus anteuertitur, non est inconstantiæ insimulandus, vt aliqui hîc quoque faciunt: sed cum specialis eius error ferat, aliquando Deum, aliquando voluntatem ponere initium iustificationis, consequenter quandoque vnam præuentionem, quandoque aliam pro instituto & subiecta materia proponit, vt Prosper etiam notauit lib. contra Collat. c. 38.

Cur tamen Semipelagianis accenseatur.

16. Hæc licet ita se habeant, nihilominus passim Cassiani error Semipelagianismi nota suffigitur, ipséque Cassianus Semipelagianis accẽsetur, quia qua ex

ex parte voluntatem aliquando Deo præire statuit in salutis negotio, ea ex parte semipelagianismum sectatus est: sicut ipsi Semipelagiani, quia qua ex parte statuebant præuentionem humanam auxilium Dei antecedere, Pelagio adhærebant, Pelagianismi sæpè notantur, & Pelagiani dicuntur apud Augustinum, Prosperum, Fulgentium, aliósque antiquos. Non laborauit tamen Cassianus aliis erroribus, qui in aliis eiusdem furfuris notati sunt: Et quamuis Diuo Augustino occultè obloqueretur, vt Prosper latè memorat epist. ad Ruffinum, tamen quæ supra retulimus portenta calumniarum de D. Augustino non confinxit, aut disseminauit, vt indicant illa eiusdem Prosperi lib. contra Collat. c. 2. *Ne ad obscurandam scientiam doctiorum ea exagitare videamur, quæ vulgus ignobile, & procax ineptorum loquacitas intemperanter effundit; vnius potissimùm definitiones, quem non dubium est illis omnibus in sanctarum studio scripturarum præstare, referemus*: Hoc est Cassiani, quem rursus paulo post vocat *virum sacerdotalis ordinis, qui disputandi vsu, inter eos quibuscum degit, excellit*: & vt vides liberat eum nota procacitatis in Augustinum; moxque toto opere refellit tantum in Cassiano errorem de diuina per hominem præuentione, tacitis omnibus aliis supra memoratis, quibus grauatum ab aliquibus ea ætate & regione D. Augustinum præmisimus.

Summa erroris Semipelagianorum, & cur dicti Semipelagiani, vel Pelagij reliquiæ, ac Massilienses.

17. Habemus igitur quis verè fuerit error Semipelagianorum, tum quatenus maximæ parti Massiliensium communis, tum quatenus Cassiano peculiaris, ac quorsum Semipelagianismus dicatur. Quia enim assertores erroris propositi non omnino adhærebant Pelagio, sed ex parte tantùm; nempe negando primum iustificationis initium esse ex diuina gratia, quam alioqui agnoscebant, idcircò Semipelagiani appellantur. Et aptius vocarentur reliquiæ Pelagianorum, qua etiam ratione interdum nominantur; quia reuera non amplexabantur dimidium erroris Pelagij, sed in vno duntaxat puncto, tam multis in quibus Pelagius præterea errauerat, reiectis, cum eo consentiebant *ea vna parte superba prædicationis* (id est Pelagianæ,) *cæteris abdicatis re-renta*, vt loquitur Prosper epist. ad Demetriadem. Quin etiam in illo vnico puncto, non omnino Pelagium sectabantur, sed veluti dimidia ex parte. Nam cum Pelagius meritum condignum in naturalibus operibus respectu humanæ salutis agnosceret, ipsi longè temperatiùs philosophati, aliquale duntaxat meritum naturale admittebant, quod esset salutis nostræ fundamentum, & gratiam homini conciliaret; quamuis illud adeo exile censerent, vt vix nomine meriti illud dignarentur. Quia tamen hic eorum error erat veluti portio plenitudinis illius errorum à Pelagio inuectæ, & illa gratiæ, vt cum Fausto loquar, *voluntatis ansulam prehendentis* aduocatio per humanum laborem sternebat viam ad renouandum præcipuum Pelagij errorem, quo diuinam gratiam per naturalia merita dari contendebat, propterea dicti sunt Pelagianorum reliquiæ; *in quorum detruncationibus* verba sunt Prosperi epist. ad Ruffinum, *hæresis Pelagiana palpitaret*. Et in epist. ad August. *in istis Pelagianæ prauitatis reliquiis, non mediocrem virulentiæ fibram nutritam* queritur. Et lib. contra collat. cap. 11. huius erroris assertores, refouendo cineres Pelagiani dogmatis iam extincti, deficientem fumi nidorem in rediuiuam flammam conatos accendere.

18 A plerisque vocantur Massilienses: Quia reuera Prosper initio epistolæ ad Augustinum, eos quorum errorem tota epistola refert, ait in Massiliensi vrbe fuisse constitutos, quos *claros & egregios in omni virtutum studio viros* fuisse testatur; nimirum ea tunc vrbe è Cassiani disciplina excultissimis in re Ascetica, & virtute Monachis instructissima: quos inter, ipse Cassianus, velut inter ignes luna minores, *insignis & clarus*, vt Prosper Tyro in chronico loquitur ad Christi annum 436. splendebat, & eruditione & sanctimonia. Vt propterea S. Prosper epist. ad Ruffinum, de hoc in Massiliensibus *virtutum studio, exortum periculum, & de morum probitate discrimen* ingemiscat; secuturis facilè populis, quod tam illustrem gregis Christi portionem probasse perspicerent. Hilarius tamen initio epistolæ ad Augustinum, eadem cum Prospero in Augustinum ventilante, referens ait: *Massiliæ, vel aliis etiam in locis in Gallia*, fuisse ventilata. Nec id Prosperum latuit, qui etiam Hilarij Arelatensis querelas vt supra vidimus, ac etiam Genuensium dubia non tacuit; ex quo patet luem illam Massiliensem, omnem illum tractum & Galliæ oram peruasisse, ac Genuam etiam & Italiæ fauces tentasse.

Si tamen Massiliensis lues dicenda est, quæ primùm in Affrica videtur exorta, non modo quoad rixas *de vocatione secundum propositum*, quibus sedandis S. August. librum de corrept. & gratia scribere adactus est, vt eius libri initio, & epist. 47. docet; ac etiam Prosper initio epistolæ ad Augustinum: sed etiam quoad enatum ex eo circa specialem vocationem dissidio, placitum Semipelagianum de prima gratia humanæ inuocationi subiuncta. Apertè enim S. Augustinus ante delatos à Prospero & Hilario Gallos epist. 107. & lib. 2. contra duas epist. cap. 8. contrito iam Pelagio, refert subnatos qui errorem de prima gratia humano labori repensa tuerentur, dimissis reliquis Pelagij erroribus: Qui est Pelagianismus ille dilutus quem serò sapientibus Afris Massilienses, alíique vicini Galli ferè omnes, aliquandiu admiserunt, nec sine obfirmatione aliqua. Ita vt quamuis D. Augustini à Prospero & Hilario admoniti, diuinis planè libris de prædestinatione sanctorum & dono perseuerantiæ (quos D. Augustini cygneas voces, & Testamentum iure quis dixerit;) videri posset error ille planè contritus, necesse tamen postea fuerit Cœlestinum Romanum Pontificem ab iisdem Prospero & Hilario interpellatum graui increpatione, Augustino superstites in Gallia Semipelagianismi professores, & conniuentes ad eorum errorem, vel etiam ei stipulantes Episcopos coërcere, non magno quoad hunc errorem pretio operæ. Nam per annos insuper non paucos in eo tractu viguit, quod Galli D. Augustini autoritate non admodum mouerentur hac in parte, in qua ipse alias sensisset aliter: eius verò posteriorem sententiam, duram & immitem esse calumniarentur. At Cœlestini authoritatem declinare se satis existimarent, causando libros de prædestinatione sanctorum & dono perseuerantiæ, quibus Semipelagianismus conuellitur, non fuisse à Cœlestino approbatos, sed tantùm doctrinam anteriorum Augustini operum, quibus Pelagium cinerauerat, fuisse Cœlestino commendatam: Id enim Gallos obtendisse, latè refert Prosper in fine lib. contra Collatorem.

Extrema eorum per Ecclesiam contritio quando facta, & circa quid præcisè.

19. Nec priùs fumans adhuc hæc Pelagij fauilla, plane

planè extincta est, quam sedes Apostolica transmissis ad tractus illius Episcopos, capitulis quæ Arausicæ in Liberianæ Basilicæ dedicatione publice proposita, & à Patribus congregatis firmata ac denunciata sunt, omnem incendij illius velut scintillam, doloso cineri tuendæ humanæ libertatis ac diuinæ iustitiæ suppositam, fœliciter compressit anno Christi iuxta nouissimam Card. Baronij subductionem, 529. sedente Felice 4. longè post S. Leonem Cassiani æqualem, cui titulus à collectore gratis appositus, eam Capitulorum Apostolicorum transmissionem adscribit. Et accessit insignis eorundem Capitulorum confirmatio, per Bonifacium II. datis ad S. Cæsarium literis quæ leguntur tom. 1. Conciliorum Galliæ, *pag. mihi* 223.

Consideratione porro dignum est, in illis Capitulis, siue Canonibus, ea tantùm definiri, quæ ad excludendam subiunctionem diuinæ gratiæ ad humanam voluntatem pertinent, & ad gratiæ necessitatem pro toto iustificationis progressu, intactis iis quæ ad lectionem ad gloriam spectant, & plerisque in D. Augustini doctrina displicuerant. Similitérque Cœlestinus in fine epistolæ, post constitutam fidem Catholicam de veritate noxæ parentalis & gratiæ necessitate, ac primatu; profitetur reliquas quæstiones, de quibus D. Augustino negotium facessebatur, neque à se negligi, neque decidi, sed liberæ Doctorum disputationi permitti, in eos fines, quos Christiana charitas & modestia præfigit. Quod ego ad quæstionem de electione absoluta ad gloriam, ante vel post præuisa merita per gratiam procreata, pertinere existimarim. Quia enim in eo puncto D. Augustinus multos & graues contradictores sustinebat, nec antiquiores Patres ea in parte perspicuè prodiderant aliquid tanquam ex fide tenendum; aliundè autem fatalitas quædam sub nomine electionis & prædistinationis ad gloriam, prorsus antecedentis consensum humanum induci meticulosis videretur; satius duxerunt Pontifices in quæstiones non necessarias non excurrere, contenti tradidisse, quæ sine fidei violatione negari non poterant: quoad illas autem non necessarias quæstiones, indixisse modestiam; & D. Augustini sugillatione, tanti viri merita, exantlatósque pro Ecclesia labores dedecente, interdixisse. Quinetiam S. Prosper, quamuis Augustini placitorum tenacissimus: tamen in epistola ad Augustinum, post relatas Semipelagianorum querelas in varia doctrinæ à D. Augustino traditæ capita, cum extremam veluti lineam placiti quod isti è contrario statuebant esse docuisset subiunctionem gratiæ ad nudam voluntatem humanam: hoc duntaxat videtur reprobare tanquam Pelagij virulentia imbutum, intactis cæteris, *si principium salutis malè in homine collocatur, si diuinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, vt ideo quis adiunetur quia voluit, non ideo quia adiuuatur velit; si originaliter malus receptionem boni non à summo bono, sed à semetipso inchoare malè creditur; si aliunde Deo placetur, nisi ex eo quod ipse donauerit.* Quæ liquet ad solum gratiæ primatum ac necessitatem pertinere.

Quæ falsò aliqui Semipelagianis affingant.

20. Non video autem vnde aliqui incumbentes parieti inclinato & maceriæ depulsæ, plures contra fidem apertè pugnantes errores, in Semipelagianis tanto post tempore subodorati sint, quàm Pontifices, & Concilia, & illorum temporum Patres perspexerint. Affingunt enim Semipelagianis, quod interna gratiæ auxilia, verámque spiritus subministrationem sustulerint: itémque quod dixerint, hominem naturæ viribus immediatè sustolli ad gratiam sanctificantem, nullis interpositis dispositionibus liberis. Addunt alij, negatam ab eis fuisse gratiam sanctificantem, & diuinam cooperationem ad actiones liberas: Quæ omnia quo iure Semipelagianis affingantur, equidem non video.

Nam quod attinet ad gratiam sanctificantem, ne ipse quidem Pelagius eam apertè sustulit, vt ex eo liquere videtur, quod Concilia & Patres Pelagium impugnantes omninò silent de gratia habituali: & exaggerationes virium naturæ, quas Pelagius epistolæ ad Demetriadem, & iis qui supersunt Commentariis in Paulum inseruit; prætensa item ab eo libertatis læsio per gratiam, vt habetur ex D. Augustin. l. 4. contra Iulian. cap. 8. & ex lib. 2. contra duas epistol. cap. 5. ad solam gratiam actualem spectabant, non autem ad habitualem. Quantò magis igitur Semipelagiani, viri & docti & probi, gratiam sanctificantem non sustulisse censendi sunt?

Quod verò attinet ad gratiam actualem internam reuelationi ac externæ propositioni obiecti contradistinctam, certum est eam negasse Pelagium; primò quidem absolutè & simpliciter, postea verò tanquam necessariam. Contendebat enim ad summum esse vtilem, & iuuare ad facilius operandum quod absolutè posset per nudas naturæ vires effici, vt memorat D. Augustinus epist. 106. & luculenter lib. de gestis Pelagij, cap. 14. habetúrque ex ipso Pelagio epist. ad Demetriad. Nisi si quod Augustinus eodem lib. de gestis Pelagij, cap. 31. satis innuit, de hæreticorum more Pelagius cum res tulit mendaciter admisit quod alioqui inficiabatur. Pelagianos certè, de Magistri posteriore placito minus sollicitos, internam gratiam excitantem inficiatos esse, multis confirmat Bellarminus in recognit. capitis 13. libri primi de grat. & lib. arbit. apertéque tradit S. Augustin. l. 1. contra duas epistol. c. 19. & in secunda respons. contra Iulian. lib. 1. cap. 95. vbi refert eos gratiam internam vocasse *necessitatem.* Sic igitur de internis gratiæ auxiliis sentiebant Pelagius & Pelagiani, quocumque verborum colore hæresim obtegerent: Semipelagiani autem non sic: idcirco enim S. Augustinus lib. de prædest. SS. cap. 1. laudat eos, quod gratiam simpliciter dictam, atque adeò internam admittentes, recederent à Pelagio. Quorsum ergo eis affingamus contrarium, & non iam Semipelagianos, sed purè Pelagianos quoad gratiæ negotium eos statuamus?

Idem dico de impacta iisdem negatione diuinæ nobiscum cooperationis in actibus liberis. Nam quamuis de Pelagio problema sit, expunxeritne diuinam cum causis secundis cooperationem, & nominatim cum voluntate libera; & non pauci partem affirmantem, plerique etiam negantem tradant, vt videre est apud Salam 1. 2. tract. 5. d. 4. n. 9. & alios quos adduxi in Natur. Theodist. 8. n. 338. de Semipelagianis tamen nusquam apud antiquos legitur, quod diuinæ cooperationi sint aduersati. Nec id sanè ad ipsorum causam referebat, vt videtur ex dictis perspicuum.

21. Sileo de ea insulsitate, quam nuperi quidam in Semipelagianis damnant, quod admiserint actus merè naturales circa obiecta illa materialia, quibus supernaturales actus distinentur. V. G. quod admiserint dari posse naturalem aliquem assensum obiectorum, queis intellectus supernaturali fide roboratus præstat assensum: & naturalem aliquem amorem, charitati Theologicæ in suo ordine proportionalem,

tionalem, absque vllo tamen ordine ad gratiam & iustificationem. Hoc Semipelagianis vitio vertere ac suffigere, ineptire est: nec vacat iniuria in grauissimos Theologos, veteres iuxta ac nouos, qui ita senserunt.

Satis de Semipelagianorum errore; si rei apud plerosque implexitatem & argumenti fœcunditatem spectes, omnino paucis: si institutum hoc loco nostrum, planè multis. Nunc an hic ipse error Valeriano iure impingatur, consideremus repetitis & ad examen vocatis locis illis, quæ offensionem ingenerasse supra vidimus.

CAPVT V.

Demonstratur directè, Valerianum à Semipelagianismo proximè exposito abhorruisse.

ALienum omnino ab errore proposito fuisse Valerianum, duplici via pandam. Nempe primò directè: hoc est ostendendo quàm ille gratiæ diuinæ studiosus assertor fuerit, primásque ei semper detulerit: secundò indirectè, iis nimirum quæ Semipelagianismum sapere visa, aptè conditis, & ad catholicum saporem, idonea expositione aptatis.

Planè Catholicam apud Valerianum gratiæ diuinæ assertionem ferunt varia loca. Sic enim loquitur homil. 3. extrema. *Seruitij nostri hæc est ratio, vt beneficia Christi nostri semper recolas; & in quo religioso fidei labore profeceris, auctori tuæ libertatis assignes.* Et homil. 7. initio. *Hæc ipsa quæ fides in nobis operatur, quamuis humano labore proficiant, ad Dominum referenda sunt, per quem & in quo, si qua sunt bene gesta, consistunt, & in posterum quibusque profutura seruantur. Vnde nemo sapiens Dei beneficia suis virtutibus æstimet applicanda, ne audiat illam Apostoli sententiam dicentis, quid habes quod non accepisti? Aut si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ex hoc Apostoli loco, Venantius Fortunatus in expositione Orat. Dom. circa tertiam petitionem, in insigni digressione contra Semipelagianos, contendit perspicuè & apertè euerti eorum errorem: ita vt quisquis hoc cum Apostolo, quem *Ecclesiæ oculum*, scitè nominat, humiliter profitetur, eo ipso profiteatur, bonam quoque voluntatem, & salutis initium à Deo esse: æquè ac prima incensio lampadis ab extrinseco est, quo ille exemplo egregiè aperit à Deo præueniri hominem, imitatus Augustinum tract. 23. in Ioan. Non dissimiliter ergo sensit, qui locum illum in eam rem æquè adhibuit Valerianus. Qui mox ibidem, enumeratis variis bonis operibus supernaturalibus addit. *Sed hæc omnia, vna atque eadem Patris & Filij & Spiritus sancti in nobis virtus operatur, quæ perfectionem iustis laboribus præstat, ac bonæ voluntati, quæcunque sunt optima, subministrat.* Alludit apertè ad illa Apostoli verba, quæ totius de gratia doctrinæ breuiculum iure quis dixerit. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum.*

2. Splendidissimè homil. 11. propè tota. Nominatim verò in ipso homiliæ fronte, verbis illis. *Omnem profectò modum sacrilegæ superstitionis excedit, qui in laboribus iustis partem Deo subtrahit; à quo sapientiæ spiritum accepimus; qui totum hominem regit, & ad omne opus bonum mortalium mentes accendit. Omnia itaque laborum insignia ad Deum referenda sunt, ne S. Spiritus dona rescindat.* Et mox prolatis aliquot Scripturæ testimoniis. *Videtis ergo quod bona nostra diuinitati debemus adscribere, mala autem humanis moribus imputare: quia vt bona procurante Deo creantur; ita mala, diabolo auctore nascuntur.* Partem laboris iusti, & ad iustitiam promouentis, non esse Deo subtrahendam; accipi à Deo spiritum sapientiæ, ac veluti primum halitum vitæ supernaturalis; accendi à Deo mentes nostras ad omne opus bonum, & quicquid huiusmodi est, Deo procurante creari, ideóque hæc omnia esse illi adscribenda; quantum abest à Semipelagianismo, quo prima radix boni operis homo statuitur, & boni procuratio eidem adscribitur?

Specialiter verò quod ait bona creari in nobis procurante Deo, mala autem nasci auctore diabolo; argumentum continet in rem nostram efficacissimum ex eo ductum; quòd quemadmodum fœtus non potest sibi ipsi dare primum esse, sed necessariò supponit patrem: ita spiritualis fœtus, ille inquam absconditus cordis homo qui in nobis formatur, quamuis ad suum augmentum & conseruationem possit aliquid conferre: tamen quoad primum initium necessariò aliundè prodit; hoc est à Deo, qui voluntariè generat nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius. Hoc ipso sensu Semipelagianismum planè exscindente, locutum Valerianum, liquet ex illis aliis eiusdem homiliæ verbis. *Requirat vnusquisque initia vitæ suæ, & auctorem quærat generis humani: quis corpus formauerit, quis membra composuerit, quis terrenam materiam in humanum vsum fecerit vegetare. Nonne hæc omnia Dominus, sapientia procurante constituit? Cum ergo non sit nostrum quod sumus, quomodo nostrum est quod habemus. Stultitiæ genus est, vt cum alij debeas vitæ beneficium, tibi adscribas ornamenta virtutum.* En apertissimam Semipelagianismi profligationem, eo quod dicebam argumento subnixam; vsurpatam quoque à D. Aug. in Psal. 144. ad illud, *& iustitia tua exultabunt.*

Nec dimitto indiscussam vim verbi, quo vt mala auctore diabolo in nobis nasci, ita bona procurante Deo creari faciebat Valerianus. Nam siue verbum *creandi*, pressè ac strictè, siue laxiùs vsurpemus, suppetet quod huic rei referat nonnihil. Et stricta quidem acceptio, qua vox *creandi* signat productionem ex nihilo, rectè impetit Semipelagianismum, & quodcunque salutis initium ex naturæ viribus, vt propterea S. August. ad veritatem Catholicam ea in parte confirmandam, vsurpare passim soleat verba illa Ps. *pro nihilo saluos facies eos*; ita luculenter in Ps. 55. itémque illud Apostoli, *ipsius factura sumus creati in Christo Iesu in operibus bonis*, & similia quæ ad hoc institutum vrget lib. de grat. & lib. arbit. c. 8. Eodem sensu S. Basil. in Ps. 32. tractans illud, *ipse dixit, & facta sunt; mandauit, & creata sunt*, proferens varias Scripturas, in quibus creatio, quia est productio ex nihilo, spiritualem nostram procreationem ex nullo nostro initio factam signat: addit posse eum Psalmi versum quoad priorem partem de affectione naturali accipi, qua dicente Deo factus est mundus: quoad posteriorem verò partem, intelligi posse de generatione in Christo, quæ est moralis creatio, excluso in ea morali quocumque influxu subiecti, quoad primam gratiam auxiliantem. Nec dissimiliter Anastas. Sinaita lib. 7. hexaëm. *initio*, ait in 2. c. Geneseos iterari narrationem creationis rerum, quæ posset superflua videri, nisi instituta denuò esset, ad designandam secundam creationem longè sublimiorem, quæ est in Christo & per Christum. Hoc denique voluisse oportuit antiquos illos scholasticos, qui vel in 1. dist. 26. vel in 4. dist. 1. censuerunt gratiam

gratiam fieri in nobis per creationem. Hoc enim in rigore physico loquendo, si de gratia habituali sit sermo, improbabile est. Nam accidenti valdè præternaturale est produci absque subiecto, atque adeò ex nihilo physico. Et multò etiam improbabilius est agendo de gratia actuali, quæ fortè nulla vi potest sic effici. Sensus ergo scholasticorum illorum esse debet, quem S. Thom. 1.2.q.1.10. art.2.ad 3. perspicuè expressit: Nempe gratiam sanctificantem moraliter creari; quia spectata prima radice ex mera Dei præuenientis liberalitate obtingit, quod similiter dicendum est de gratia actuali. Atque ita primus hic sensus creationis nostræ per emissum Dei spiritum, ac Deo procurante factæ, apertè euertit Semipelagianismum.

3. Si autem verbum *creandi* sumatur paulò latiùs, ita vt dicantur procurante Deo creari bona, mala autem nasci auctore diabolo, quia benè supernaturaliter operantes, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nascimur, tanquam ex patre fœcundante, & primum initium totius procreationis indente, æquè concidet per ea verba Semipelagianismus. In quam rem iuuat afferre perelegantem doctrinam, cui Gulielmus Parisiensis l. de sacram. Matrimonij c. 5. inædificat animæ humanæ cum Deo nuptias, ad concipiendam & pariendam prolem bonorum operum, non absque vniuerso apparatu illis nuptiis comitante, per analogiam ad nostrates nuptias. Est autem ea doctrina Richardi Victorini in Psal. 28. ad illud: *Dilectus quemadmodum filius vnicornium*: & Bernardi lib. de inter. domo, c.68. qui apertè ex Richardo profecit. Obseruant hi Doctores, quamuis possimus patres esse Christi, cooperantes ad alienam salutem, eúmque gignentes in alieno corde: Tamen vnumquemque nostrum in quo Christus formatur & generatur, non se habere ad Christum sic genitum vt patrem, sed vt matrem duntaxat, quæ ex alieno seminio concipit. Proptereáque expendunt interminatam in Scriptura maledictionem, sterili, & quæ non parit; nec similiter dictum, maledictus qui non gignit: quia non æquè in potestate nostra est, præueniri sancta cogitatione qua veritas perspiciatur, ac est in nostra potestate, adhærere veritati intellectæ & interiùs gustatæ, Domino dante suauitatem. Ea enim præuentio conferens primum salutis initium, merè ex Deo est, qui proinde iure dicitur habere rationem Patris in hac spirituali natiuitate, contra quam sentiebant Semipelagiani, qui sibi ipsis absque gratia, natiuitatis illius initium arrogabant. Liquet ergo quantum ab eis abfuerit Valerianus.

Inferiùs quoque eadem homilia 11. allegato initio Ps. 126. *Nisi Dominus ædificauerit*, &c. ita infert: *Videtis ergo, quod nec sine Domino quod bonum est ædificari, nec ædificatum sine Domino poterit custodiri. Ædificatio diuinæ huius domus, ædificatio est vitæ nostræ, quam oportet diuinæ maiestatis auxilio communiri. Rogandus itaque semper est Christus noster, vt in nobis bona nutriat, & exorandus vt nutrita custodiat, atque ita intelligentiæ nostræ corda componat, vt omnia quæ bona sunt, gloriæ cœlestis potestatis assignet.* Expendo ædificationem diuinæ domus, id est exordium & initium iustificationis, Deo tribui æquè ac eiusdem iam ædificatæ custodiam. Ex eo enim quod Dei sit domum nostram internam ædificare, inferri ipsum quoque iustificationis exordium à gratia esse repetendum, tradit egregiè Naz. orat. 31. n. 8. & Nazianzeni auditor S. Hieronymus Ierem. 18. Itémque Ioannes Episcopus Hierosolymitanus adductus & commendatus à S. Augustino lib. de gestis Pelagij c.14. ac etiam Prosper ad excerpta Genuens. dub. 8. Aduerto insuper gratiæ diuinæ præuenientis auxilia, iisdem à Valeriano verbis expressa, quibus designantur in Ecclesiastica oratione Dominicæ 6. post Pentecosten, qua petitur à Deo, *vt quæ sunt nutriat; ac pietatis studio, quæ sunt nutrita custodiat.* Præterea obseruo eodem loco Valerianum; non aliqua, sed planè omnia quæ christianè bona sunt, cuiusmodi etiam est primum iustificationis initium, assignare Deo gratiæ auctori, & monere rogandum Deum vt ita intelligentiæ nostræ corda componat, id vt agnoscamus & facto præstemus. Quæ omnia sunt à Pelagij reliquiis alienissima. Valet enim ex eiusmodi dicto, ea D. Augustini illatio quam conficit 1. Retract. cap.9. vbi expendens quod dixerat lib.3. de lib. arbitr. omnia bona ex Deo esse, sic concludit. *Quia omnia bona ex Deo sunt, sequitur vt ex Deo sit & bonus vsus liberæ voluntatis quæ virtus est, & in magnis numeratur bonis.*

4. Infra quoque Valerianus ex illis Scripturæ locis, *non est qui faciat bonum*, &, *nemo bonus nisi solus Deus*, argumentatione ei gemina, quam Prosper cap. 20. contra Collat. ex iisdem locis conficit ad probandum nostræ ex Deo salutis initium, concludit in hunc modum. *Ergo videtis quod si quando boni videmur, bonitatem Dei operamur.* Item addit, cum benè facimus in ordine ad salutem, Deum in nobis vt in templo habitare, & scilicet operari in nobis illud ipsum bonum, quod tametsi nostrum sit, tamen quia radicaliter & principaliter à Deo pendet, *bonum Dei* à Valeriano appellatur: Eo ipso sensu quem egregiè expressit S. Greg. lib. 33. mor. c. 25. & 26. tractans illud, *quis ante dedit mihi, vt reddam ei?* Et homil. 9. in Ezech. ad illud, *ingressus est in me spiritus, postquam locutus est mihi, & statuit me super pedes meos.* Appono partem loci illustrissimi, tanquam radium, quo vera & catholica Valeriani hoc loco doctrina collustrari potest. *Sciendum est, quia mala nostra solummodò nostra sunt: bona autem nostra, & omnipotentis Dei sunt, & nostra: quia ipse aspirando nos præuenit vt velimus, qui adiuuando subsequitur, ne inaniter velimus sed possimus implere quæ volumus. Præueniente ergo gratia, & bona voluntate subsequente; hoc quod omnipotentis Dei donum est, fit meritum nostrum. Quod benè Paulus breui sententia explicat, dicens: plus illis omnibus laboraui. Qui ne suæ videretur virtuti tribuisse quod fecerat, adiunxit; Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Quia enim cœlesti dono præuentus est, quasi alienum se à bono suo opere agnouit, non autem ego: sed quia præueniens gratia, liberum in eo arbitrium fecerat in bono; quod libero arbitrio eandem gratiam est subsecutus in opere, adiunxit: sed gratia Dei mecum. Ac si diceret, in bono opere laboraui, non ego, sed & ego. In hoc enim quod solo Domini dono præuentus sum, non ego. In eo autem quod donum voluntate subsecutus, & ego.* En S Greg. gratiam præuenientem, & salutis ex Deo initium colligit & probat ex eo quod bonum opus nostrum dicatur *bonum Dei*, nósque dicamur alienum bonum operari, quo ipso modo loquitur, vt vidisti, Valerianus. Quæ mihi videntur idonea argumenta, bonæ cuiusvis voluntatis etiam primæ, ab eo adscriptæ auxilio gratiæ, in salutis negotio.

5. In calce denique eiusdem homil. 11. hæc verba habet. *Qui gloriatur ergo, in Domino glorietur: omni ergo studio agendum est dilectissimi, vt vitam nostram Domino ita fides pura commendet, ne quid extollentia humana sibi vendicet, aut suis laboribus donet. Totum autem perdidit quod laborauit, qui propriis virtutibus fructum sanctitatis adscripserit.* Hæc planè gemina

sunt

effato S. Cypriani, *in nullo gloriandum eſſe, quando noſtrum nihil ſit*: Ex quo teſtimonio S. Auguſt. lib. de prædeſt. SS. c.3. & lib. de dono perſeuer. c. 14. fatetur ſe adductum vt ſententiam ſuam priorem circa ſalutis initium retractaret. Quomodo ergo Valerianus eodem modo locutus, ſalutis initium homini arrogaret? Et verò quod negat fas eſſe, extollentiam humanam aliquid ſuis laboribus vendicare, videtur intortum in errorem Semipelagianorum, qui humano labori ſubiungebant gratiam, eámque adſcribebant ei labori quo voluntas petendo, pulſando, quærendo Deum aduocat. Vt ſuſpicio eſſe poſſit, vniuerſam hanc homiliam, qua Valerianus ex inſtituto reiicit eos qui Deum gratiæ auctorem ab aliquo laboris ſui conſortio in bonis operibus excludunt, non tantum in Pelagium intorqueri, qui abſolutè gratiam inficiabatur; ſed etiam, & quidem multo magis in Semipelagianos, quorum poſt Pelagij cineres, fauillæ fumabant.

6. Tandem alieniſſimum eſt à ſenſu & modo loquendi Semipelagianorum, quod habetur hom. 16. verbis illis: *Omnis igitur ſpes obtinendæ victoriæ, in fide & voluntate conſiſtit. Si enim voluntas ſequatur fidem, nunquam deſerit voluntatem.* Vtique fides. Sanè Semipelagiani erroris flos, vel potius fæx, eſt ſubſecutio & ſubiunctio fidei ad voluntatem bonam. At Valerianus diſertè voluntatem bonam ſubiungit fidei: Ita vt etiam prima credendi voluntas, non ſit ex nuda facultate voluntatis; ſed diuinum fidei ſeminium, ſiue gratiam voluntati præuiam ſubſequatur. Quæ eſt Catholica doctrina contra Semipelagianos. Idcirco enim eos ſugillans S. Petrus Chryſologus ſerm. 135. poſt commendatam S. Laurentij in viuicomburio conſtantiam, monet Auditores vt mirantes S. Laurentij fidem & patientiam, donum Dei mirentur. Dei enim donum fuiſſe tantam fidem, tantum in tantis cruciatibus animi robur. Tandémque concludit: *Ergo Martyrum merita, velut Dei dona laudemus; amemus, oremus, ſubinferamus voluntatem noſtram. Voluntas enim ſequitur, non præuenit. Sed tamen non deeſt charitas, ſi non deſit voluntas. Ipſa enim ardens voluntas, vocatur charitas.*

CAPVT VI.

Quæ prioribus locis Semipelagianiſmum ſubolere in Valeriano viſa, demonſtrantur Catholica.

1. PErgo ad indirectam Valeriani expurgationem, quæ in locorum ſuperiùs propoſitorum expoſitione conſiſtit: Tractabo ſingula eo ordine quo adducta ſunt; qui idem eſt cum ordine ac ſerie homiliarum, de quarum morboſitate aut vlcere ſuſpicio fuit.

Gratiæ aut libertatis ſuppreſſio neutram excludit.

Præmittendum tamen eſt vnum, quod non ad Valeriani tantùm, ſed etiam ad plurimorum Patrum indemnitatem obſeruare operæ pretium eſt: Nempe, non ſi aliquando Patres auxilium gratiæ in opere talis auxilij indiguo reticent, cenſeri illico poſſe excluſum, cum ſæpè ſubintelligatur, nec ſemper neceſſe ſit omnia exprimi. Id quod etiam in ipſis Scripturis ſeruatum à Spiritu ſancto, grauiſſimi Patres notarunt. Vt S. Baſil. in cap. 6. Iſaiæ, tractans illud: *Ecce ego, mitte me*; & S. Ambroſius ad Lucæ procemium, expendens illa verba, *viſum eſt, & mihi*; & obſeruans Euangeliſtam, etiamſi tacuit loquentem in ſe Spiritum ſanctum, non idcirco tamen id negaſſe, ſimilitérque Chriſtianum, ſi in opere ad ſalutem pertinente, eodem modo loquatur, & de diuina cooperatione taceat, non idcirco eam diffiteri. Deſcripſit eum D. Ambroſij locum S. Auguſtinus lib. de grat. Chriſti, cap. 46. & lib. de dono perſeuer. cap. 19.

Sed inſigniter idem tradit S. Anſelmus in concord. 2. p. cap. 15. his præter cætera: *Cum aliquid dicit Scriptura ſacra pro gratia, non amouet omnino liberum arbitrium; neque cum loquitur pro libero arbitrio, excludit gratiam; quaſi ſola gratia, aut liberum arbitrium ſolum ſufficiat ad ſaluandum hominem, &c. Ita quippe intelligenda ſunt dicta diuina, vt hoc excepto quod dixi de infantibus, nec ſola gratia, nec ſolum liberum arbitrium ſalutem hominis operetur.* Illuſtrat hoc nonnullis Scripturis adductis; tum profert inſignem ſimilitudinem. *Sicut ergo quamuis naturalis vſus non procreet prolem ſine patre, nec niſi per matrem; non tamen remouet vllus intellectus aut patrem, aut matrem à generatione prolis, ita gratia & liberum arbitrium non diſcordant, ſed conueniunt ad iuſtificandum & ſaluandum hominem.* Appoſitiſſimè. Quid enim familiariùs quàm vt ſimpliciter dicamus, *hic homo eſt filius illius mulieris*, tacito, nec tamen idcirco excluſo patre? Similiter ergo, quamuis voluntas noſtra de ſpiritu Dei concipiat, nec niſi cœleſti ſemine fœcundata, ac diuinæ illuminationis prægnata conceptu (vt S. Fulg. loquitur initio ſecundi ad Traſim.) eniti poſſit partum ſalutis; tamen plerumque ſolius liberæ voluntatis, opus illud fundentis fit mentio; non expreſſo, nec tamen negato diuino ſeminio, per quod fœcundata eſt voluntas; ſine quo non plus poſſet concipere aut parere fœtum ſalutis, quàm poſſit naturaliter mulier effici mater abſque viri opera.

Itaque qui voluntatis ſolius meminerunt, exprimunt duntaxat, quid hæc cauſa in ſuo genere & ordine ad effectum & ipſi & gratiæ communem contribuat, non negato (quamuis non expreſſo) gratiæ concurſu. Quod, vt dicebam, in Scripturis ipſis ſeruatum videmus. Et longè æquiſſimum eſt eodem modo accipere ſimilia Patrum dicta, in longioribus præſertim diſputationibus, aut cum ad populum agunt: quia illa diligens, & anxia vtriuſque cooperariæ cauſæ expreſſio, vel nauſeam, & faſtidium pareret, vel offenſionem ex ingenerata ſuſpicione hominis de auditoris, aut lectoris ingenio aut ſecuritate diffidentis. Ita planè, ſua quædam de libertatis humanæ viribus duriuſculè in ſpeciem dicta lib. 3. de lib. arbit. emollit ipſe D. Aug. 1. retract. c. 9. oſtendens tacitam tunc à ſe, ſed non excluſam gratiam. Quam (vt vocat) *regulam*, Auguſtino allegato, commendat Fauſtus Rheg. lib. 1. de grat. c. 6. *Apud regeneratos*, inquit, *quando gratia ſine labore, vel labor ſine gratia in ſcripturis ponitur, ſupprimitur, non ſeparatur. Cùm vnum ſine alio dicitur, tacetur alterum, non negatur, ſecundum illam regulam quam Antiſtes Auguſtinus inſinuat: Non omnia quæ tacentur, negantur.* Non me latet, Pelagianos hoc ipſum ſtudioſè inculcaſſe, ſic enim Critobulus, partes Pelagij ſuſtinens apud Hieron. lib. 1. contra Pelag. *ferè initio*, obiicienti Attico catholico, quod gratiæ non meminiſſet; idéoque eam inficiatus videretur, reponit; *Ex eo quod non rogaui, dixiſſe exiſtimandus ſum; neque enim quicquid non dicimus, negare arbitrandi ſumus.* Et apud Paul. Oroſ. in Apol. pro arbitr. libert. hæc aduersùs ipſummet Pelagium ſcripta habentur.

habentur. *Quamlibet crebrò dicas de gratia Dei, non ideò negaui, quia non dixi; ſed ideò dixiſſe accipiendus ſum, quia non negaui: Quaſi vero & Suſanna ideò de adulterio confeſſa credenda ſit, quia arguentibus aliis non negauit; aut teſtimonium falſorum teſtium, Dominus IESVS, quia tacuit, approbauerit.* Hæc inquam Pelagianis dicta non inficior: Neque tamen idcirco vacillat regula propoſita, quia non omne quod hæretici proferunt, illicò auerſandum eſt. Poterit enim quod dicunt (vt ſanè hic contingit,) non eſſe fœtus eorum, ſed ab Eccleſia & probatis Doctoribus mutuo ſumptum. Itaque cum PP. hoc ſtatuant quaſi pro canone, iure ratum eſt habendum. Accedit quod plerumque Patres, vt Sanctus Auguſtinus etiam notauit lib. de prædeſtinat. SS. cap. 14. intenti in rem quam tractant, non ſunt adeò ſolliciti de exprimendis ac diſtinctè & explicitè proponendis omnibus, quæ fide certum eſt ad aliquid interuenire, ſed ſecurè loquentes agunt quod agunt. Atque ita ſtrictim & obiter gratiæ auxilia plerumque ſupponunt, aut attingunt potiùs quàm tractent; quamuis non idcircò ea diffiteantur, vel diuinam voluntatis noſtræ præuentionem inficientur; ſed quod muneris noſtri eſt, & in poteſtate noſtrà locatur, potiùs vrgeant.

2. Hoc quod generatim de Patrum ſcribendi & loquendi modo in hac re præmiſi, locum omnino habere potuit in Valeriano; vt non ſit quod rigidiùs, auſteriúſve cum eo agamus, ſi aliquando è duabus cauſis ad ſalutis noſtræ negotium interuenientibus, alterutrius tantùm meminerit, non expreſſa altera, quam non idcirco inficiatur. Huiuſmodi cautione præmiſſa, quæ ad pleraque Patrum dicta in aliis materiis commodare æquè poteſt, vt ad ſuppreſſionem alicuius è diuinis perſonis, in opere vniuerſis communi (quo eam adhibet Paſchal. Diac. l. 2. de Spiritu ſancto, c. 4. *in fine,*) accedamus ad expendenda ſigillatim ſuſpecta apud Valerianum loca ſuperius propoſita.

Nihil in prima Homilia non ſyncerum & Semipelagianiſmo putens.

Primam homiliam ex ea cauſa ſuffigebat criminator, quod ipſa prima eius verba hauſta ſint à Pelagio, quem ait, *ſæpius eo dicendi modo eſſe conqueſtum.* Non poſſum non ſuſcipere tantam ſagacitatem in Pelagij veſtigiis ſubolfaciendis. Nam hic eſt frons primæ illius homiliæ. *Multi, qui ſanæ doctrinæ aduerſantur, iuſtitiam culpant, & diſciplinam, imperium eſſe iudicant; ac rationabilem caſtigationem, ſuperbiæ aſſignant, cum non ſit imperium, niſi vbi aliquid iubetur iniuſtum, nec ſit ſuperbia, niſi vbi negligitur diſciplina.* Subiicitúrque continenter, longum diſciplinæ encomium. Quid hîc Pelagianum fermentum ſubolet? Vel quæ, ſaltem in ſpeciem huius principij cum Pelagiana impietate communitas? Extat indiculus errorum Pelagij apud Aug. hær. 88. & lib. de geſtis Pelagij cap. 11. 14. & 35. Quid inter eos errores affine commẽtationi huic diſciplinæ regularis? Nam de ea ſermo eſt auctori cum monachis agenti, vt ſatis liquet ex inutilitate famæ conuerſionis, quam religioni profeſſæ denunciat, niſi diſciplinæ ſtudium acceſſerit. An verò S. Cyprianum initio libri de diſciplina & habitu virginum, Chryſoſtomum homilia de eruditione diſciplinæ, Hugonem Victorinum libro de inſtitutione Nouitiorum à c. 10. S. Bonauenturam in ſpeculo diſciplinæ propter Nouitios, Laurentium Iuſtinianum lib. de diſcipl. Monaſt. & alios qui diſciplinam non ſecus celebrant, quàm hic Valerianus; & graue à dyſcolis haberi iugum eius expoſtulant, Pelagianæ fuliginis inſimulabimus ea ex cauſa?

Quàm verè autem ſubdatur à criminatore, *Pelagium ſæpiùs eo dicendi modo eſſe conqueſtum*; intelliget qui aduerterit ex Pelagij ſcriptis præter plagulas apud Auguſtinum, ſupereſſe duntaxat epiſtolam ad Demetriadem, malè à quibuſdam, iam à Bedæ temporibus D. Hieronymo inſcriptam, & ab eodem Beda lib. 1. in Cant. Iuliano Celanenſi Epiſcopo, qui cum Auguſtino conflixit, attributam. Item commentarios breues in Paulum, Hieronymo quoque inſcriptos, diſertè autem à D. Auguſtino lib. de geſtis Pelagij cap. 16. & lib. 3. de pecc. merit. cap. 1. & 12. Pelagio adſcriptos. Ac denique ſymbolum ſecundum, quod habetur tom. 9. Hieron. incipitque *Credimus in Deum Patrem*, definit autem per ea verba, *hæreticum comprobabit.* Nam hanc fidei profeſſionem S. Auguſtinus lib. de grat. Chriſti cap. 32. & 33. & lib. de peccato orig. cap. 1. & 21. à Pelagio ad Innocentium tranſmiſſam monſtrat. Nuſpiam verò in illis lucubrationibus comparent querelæ illæ Pelagij, de neglectu aut duritia regularis diſciplinæ, apud aliquos effrenes & iugi impatientes. Et vt extarent alicubi ex Pelagio illæ querelæ, parum omnino id referret; cùm non quæcunque ab hæreticis dicta ſunt, reſecanda videri debeant, niſi eadem falce omnia propè fidei dogmata reciſa velimus, vt Ruſticus Card. Diaconus dial. contra Aceph. probè monuit.

Sed neque in ſecunda.

3. Homil. 2. illud notabatur, quod agens de via Chriſtiana Valerianus, dicat, acceſſum Chriſtianæ viæ, facilem ſe præſtare volentibus, quæ videbantur ſubolere Semipelagianam gratiæ ſubiunctionem ad voluntatis conatum. Sed hæc eſt planè inanis criminatio. Quid enim apud Patres & morum Magiſtros decantatius, quàm volenti nihil difficile? Et ſi velimus diuinæ gratiæ, qua præuenimur cooperari, fore vt conſenſus ad virtutem, quantumcumque præruptus & horridus, non miteſcat modò, ſed etiam cum ſuauitate ſuperetur? At hoc vnum eſt quod affirmat Valerianus.

Nec minùs perſpicuè, abſque nota vel erroris ſuſpicione idem tradiderunt, vt alios nunc prætercam, Clem. Alex. 2. ſtrom. cap. 7. & S. Auguſtin. lib. 1. de lib. arbit. cap. 13. & variis locis S. Chryſoſtomus. Et Clemens quidem diſputans de adoptione filiorum Dei, hæc verba habet: *Velle ergo omnia antecedit. Rationales enim facultates, ſunt eius quod eſt velle, miniſtræ. Velis, inquit, & poteris.* Idem quod Valerianus conceptis verbis tradidit S. Maximo de Scopo Incarnat. & qui hoc ipſum mellitiſſimè ſic expreſſit Eucher. in paræn. ad Valer. n. 7. *Si hominum quiſpiam clarus ac locuples, in locum liberorum te adoptaturus acciret, ires per appoſitas rerum difficultates, & per quamuis longi receſſus iter, vectatus accurreres. Deus vniuerſitatis, rerúmque Dominus, te in adoptionem vocat; illud, ſi velis tibi blandum filij nomen impertiens, quo Deum noſtrum, vnicum ſuum nuncupat, & non accenſus raperis? Non properus vrgeris; ne conditionem tantam, celeri occurſu, mors feſtina præripiat? Atque ad hanc obtinendam, tu non inuias terræ ſolitudines, nec longinqui maris incerta penetrabis. Cùm volueris, hæc adoptio tui, tecum eſt.* Sed & Laurentius Nouarienſis homil. de pœnitent. idem explicatè ſic tradit. *Eſto ne ſoli differre res in promptu eſt, vita in manu eſt, victoria in arbitrio eſt. Si voluiſti, viciſti; ſi nolueris, victus relinqueris.*

queris. Qui vult vincere, conatur vt vincat; qui deſperat, amiſit victoriam. Itaque perſpicuè ſtatuit cuique in manu ſua, vincere peccata; quæ victoria infert ſanctitatem. Neque tamen quiſquam idcirco notauit Laurentium, vel ſemipelagianiſmi inſimulauit; quia ſuppreſſit diuinam præuentionem.

Sanctus verò Auguſtinus, loco allegato, longam de voluntatis vi ad Chriſtianè viuendum diſputationem concludit his verbis. *Ex quo conficitur vt quiſquis honeſtè rectéque vult viuere, ſi id ſe velle præ fugacibus bonis velit, aſſequatur tantam rem tanta facilitate, vt nihil aliud ei quàm ipſum velle ſit, habere quod voluit.* Quem locum recognoſcens 1. retract. cap. 9. agnoſcit Catholicum & vſquequaque ſanum eſſe, tametſi ſolius voluntatis facta in eo ſit mentio, dimiſſa nec tamen excluſa gratia, quod id loci illius non intereſſet, & nondum tunc exortis Pelagianis non videretur neceſſarium diligentiùs ac ſolicitiùs loqui. Non diſſimiliter ſerm. 31. ex 40. nouis, hortatus ad tenendam iuſtitiam liberantem à ſecunda morte ſubdit; *Quæ ſi nolis ideò non erit, quia illud, vnde te ab iſta morte redimes, ſi volueris, erit. Iuſtitiam voluntas impetrat à Domino, & bibit illam tanquam de fonte ſuo: ad quem fontem nullus prohibetur accedere ſi dignus accedit.* Et mox: *Sanguis Domini tui, ſi vis, datus eſt pro te, ſi nolueris, non eſt datus pro te.* Rurſuſque paulo poſt, *Sanguis Chriſti volenti, eſt ſalus, nolenti ſupplicium.* Tandem in Pſal. 102. ad illud, *qui ſanat omnes languores ſuos*, multa præfatus de Deo medico, & animarum ſanatione, ſubdit; *Sanabit te, opus eſt vt ſanari velis. Sanat omnino ille quemlibet languidum, ſed non ſanat inuitum. Quid autem te beatius, quàm vt tanquam in manu tua vitam, ſic habeas in voluntate ſanitatem tuam? Si velles eſſe in aliquo ſublimi honore in hac terra; ducatum, proconſulatum, præfecturam ſi concupiſceres, nunquid continuò poſſes quod velles? Nunquid voluntatem tuam poteſtas ſequeretur?* Hæc & alia huiuſmodi apud Auguſtinum frequentia, nemo vnquam inſimulauit erroris, vel affinitatis cum Semipelagianorum fuligine. S. Chryſoſtomus eodem ferè modo loquitur hom. 5. in 1. ad Theſſal. *in ipſo fine*, inculcans, vt boni ſimus & Chriſtianas virtutes adipiſcamur, ſat eſſe ita velle, iuxta illud Iſaiæ quod allegat, *ſi volueritis & audieritis me.* Alibi item multus eſt hac in parte, ſed diſertiſſimè hom. 18. in ad Rom. *paulo ante partem moralem*, vbi propoſita ſaluatione reliquiarum per electionem gratiæ, cuius (vt ait) ſunt in hominis ſalute potiores partes, opponit ſibi, cur igitur non omnes ſaluentur, ſi ex gratia ſalus eſt? Reſpondet autem in hunc modum. *Quia noluiſtis. Gratia ſiquidem licet gratuita ſit, volentes tamen tantummodo ſaluat; non eos qui nolunt, qui continuò auerſantur, qui contradicunt.* Nimirum vt ait initio homiliæ 19. *potior quidem pars gratiæ eſt, non tamen totum.* Longum & pulchrum in eam rem locum legere licet apud Theodorum Studitam catecheſi 43. *ſub finem.*

4. Itaque rectè omnino ac Catholicè dicitur, viam ſalutis patere volentibus, eſſéque eis facilem; non enim excluditur gratiæ adiutorium voluntatem vegetans: ſed ſubintelligitur æquè ac in illa D. Ambroſij locutione, ſub finem libri de viduis, *vnicuique voluntas ſua poſteritatis eſt author. Ex voluntate enim ſapientia naſcitur.* Et perſpicuè agit de ſupernaturali ſapientia. Itemque æquè ac in aliis illis locutionibus, *propria voluntas eſt vnicuique cauſa ſuæ ſaluationis*; & *bona voluntas Deum ad nos deducit, & nos in Deum dirigit. Per bonam voluntatem Deum diligimus, Deum eligimus, ad Deum currimus, ad Deum peruenimus, & eum poſſidemus. Per eam ad Dei ſimilitudinem reformamur, & ei ſimiles efficimur.* Habentur hæc omnia in Manuali quod nomine D. Auguſtini circumfertur cap. 23. Et planè ſimilia habentur apud D. Bernardum lib. de inter. domo cap. 8. Nec diſſimiliter ac durius etiam Nazianzenus, ob additam particulam excluſiuam, & tamen ſimili ſubintellectione adhibita condiendus, verbis illis orationis 40. *Ite, & emite, ac vinum nullo perſoluto pretio bibite. ô ingentem benignitatis celeritatem! ô facilem contrahendi rationem! Hoc bonum ſola voluntate venale tibi proponitur: cupiditatem ipſam Deus ingentis pretij loco habet. Sitit ſitiri.* Particula excluſiua intelligenda tantùm eſt cadere in ea quæ ex parte voluntatis conferri debent.

Eodem denique modo accipienda ſunt illa S. Iuſtini in Apolog. ad Antonin. vbi recolens locum Iſaiæ de peccatoris iuſtificatione & ſecunda natiuitate iam antea adductum ab ipſo, *ſi volueritis & audieritis me*, ac ſecundam iſtam natiuitatem cum ea quæ fit in adulti Baptiſmo contraponens ſubdit; Apoſtolos docuiſſe primam quidem hominis natiuitatem fuiſſe neceſſitatis opus, quod homine, neque ſciente, neque volente peracta ſit. Prouidiſſe tamen Deum, vt non maneremus neceſſitatis & ignorantiæ filij, quales ex prima natiuitate eramus; ſed efficeremur filij voluntatis & ſcientiæ, adipiſcentes remiſſionem peccatorum & ſanctitatem volentes renaſci. Vbi certum eſt ita exprimi natiuitatem ex liberi arbitrij delectu, quo homo volens ſciénſque formatur, & naſcitur denuò, vt tamen non excludatur diuina gratia volitionem & præueniens & promouens.

Indubiéque eadem mens fuit Nyſſeni homil. 6. in Eccleſ. ad illud, *tempus pariendi & tempus moriendi*; iuxta quem: *Nobis ipſis quodammodo patres ſumus, quando per bonum animi inſtitutum, liberúmque arbitrium, nos ipſos formauerimus, & genuerimus, & in lucem ediderimus. Hoc autem facimus ex eo quod Deum in nos ipſos admittamus effecti filij Dei, & filij virtutis, & filij altiſſimi.* Idem optimè lib. de vita Moſis, exponens natiuitatem ad gratiam. *Eſt vita humana mutationi ſemper ſuppoſita. Quare oportet cum non ſit æterna & immobilis, ſemper naſci. Sic autem naſci, non aliena fit appetitione, nec extrinſecus vt in corporali natiuitate, ſed electione propria vnuſquiſque naſcitur. Vnde fit vt nos ipſi patres ſimus noſtri, quales cunque nos volumus electione gignentes, & aut marem aut fœminam, vitij ac virtutis ratione fingentes.* Non poterat magnificentiùs bonæ voluntatis interuentum in ſalutis noſtræ negotio proponere: meritóque poſſet hoc eius dictum ſalebroſius videri, quàm quod Valerianus dixit, viam ſalutis patere volentibus. Hactenus tamen Nyſſenus, calumnia negatæ præuentionis gratuitæ oneratus non eſt, & meritò. Nam vt cætera loca taceam, in orat. catech. c. 30. diſertiſſime aſſerit gratiam præuenientem. Et cum ibid. c. 39. accuratè tradat quod ex eo aliis locis allegatis protuli, nempe hominem liberæ ſuæ voluntatis electione gigni ex Deo, & filium altiſſimi effici; perſpicuum eſſe videtur, non pugnare duo illa, natiuitatem ſecundam obtingere volentibus, & à Deo vocante & præoperante eſſe, quod voluntas velit vt obtingat. Quod attendentes nonnulli Patres adducti cap. 5. n. 3. dixerunt neminem in ſpirituali natiuitate eſſe ſibi patrem, ſed matrem duntaxat, quia hæc ex aliena tantùm anteriori operatione fœcundatur.

Tertia item homilia Semipelagianiſmo libera.

5. In homilia tertia ſuſpectus primùm erat locus quo aſſerebatur depoſci à Chriſtiano *voluntarium officium.* Sed perperam trepidatur timore vbi non erat timor. Vel enim ſuſpecta eſt vox *voluntarij* in negotio ſalutis, vel vox *officij*. Neutra verò iure inſimulatur. Nam Dauid qui voluntariè ſe ſacrificaturum ſpondebat, non habetur erroris ſuſpectus. Eiúſque non inſimulatur Princeps Apoſtolorum, qui Chriſtianos ad ſeruitutem voluntariam cohortatur. Non item S. Ambroſius qui lib. 1. de Iacob. c.3. ſtudium noſtrum commendans,& in eo dicens eſſe omnia, ita vt aut culpam adiungat aut gratiam, ſubdit. *Quid in alios deriuamus? Voluntarium ſibi militem elegit Chriſtus, voluntariũ ſeruum ſibi diabolus auctionatur.* Nec denique S. Paulinus cuius illa ſunt in epiſtola 2. ad Seuerum. *Quæ nobis gratia, ſi in alieno tantùm fideles fuerimus, niſi de proprio ſeruiamus, id eſt de libero voluntatis arbitrio, ex toto corde noſtro, & ex totis animæ noſtræ viribus diligentes Deum? In quem nos affectum laceſſit Propheta qui dicit*, voluntariè ſacrificabo tibi. *Hoc enim acceptum & placitum coram Deo, vt bonum noſtrum ſit voluntarium.* Sanè omne obſequium noſtrum Deo exhibitum, eſſe debere voluntarium, notio ipſa obſequij fert, etiamſi diuina præuentio ad ſupernaturale obſequium exigatur. Imo quia præuentio illa ad voluntarium obſequium ſollicitat, ſcitè Iſido. Peluſ. l. 4. epiſt. 51. tractans illud, *iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt*, ait vocationem *non eſſe violentam & coactam, ſed voluntariam ac ſpontaneam*; ab effectu eam conſequente, ſiue à propoſito noſtro voluntario, de quo verba illa Apoſtoli accipit, denominans eam *voluntariam*. Tantùm abeſt vt humano conſenſui & obſequio negaturus eſſet rationem *voluntarij*.

6. Æquè facilè purgatur vox *officij*; quam tametſi in Eccleſiaſticis libris non vſitatam, vt loquitur S. Auguſtinus epiſt. 19. & ab Ethnicis vſurpatam ad deſignandum naturale decus actionum intra naturæ fines honeſtarum, tamen S. Ambroſ. 1. offic. c.8. docet *non eſſe tantummodò Philoſophorum Scholæ aptam*, ſed Chriſtiano quoque ſenſu vſurpari poſſe, ſiue officium ab efficiendo dictum velimus, quaſi *efficium*, vna litera propter ſermonis decorem immutata; ſiue ab eo quod ea agantur quæ nulli officiant, proſint omnibus. Vtrauis enim officij notio & ſignificatio probetur, monet, æque eam vocem in Chriſtianos & ſupernaturales actus honeſtos, ac in naturales cadere. Et idcirco idem S. Pater lib 4. in Lucam, ad illa verba capitis quarti, *nemo eorum mundatus eſt, niſi Naaman Syrus*, vocem officij intrepidè adhibuit agens de obſequio ſupernaturali. *Euidenter* inquit, *hic ſermo nos Domini ſalutaris informat, & ad ſtudium venerandæ diuinitatis hortatur, quod nemo ſanatus oſtenditur, & maculoſi morbo corporis abſolutus, niſi qui religioſo officio ſtuduit ſanitati: Non enim dormientibus diuina beneficia, ſed obſeruantibus deferuntur.* Neque verò quia Caſſianus & Fauſtus voces *voluntarij officij* vſurparunt, damnandæ confeſtim ſunt tanquam reprobæ & Semipelagianiſmo grauidæ. *Non enim omnia quæ hæretici dicunt, figmenta ſunt, aut recuſanda*, ait S. Cyrillus epiſt. 30. annuentibus Origene homil. 9. in Num. & Hieronymo epiſt. 75. & 152.

7. Calumnia quæ alteri eiuſdem homiliæ loco inædificabatur, non minùs facilè diſpellitur. Quod enim ait Valerianus, quando *alios commendant virtutum merita, curandum eſſe, vt nobis locum gratiæ faciant voluntariæ ſeruitutis officia*, non eo pertinet quò detorquebatur. Senſus enim eſt; quando Martyrij laurea, de qua agebat, non ſemper in promptu eſt, (nec erat ſanè quo tempore has homilias habebat Valerianus in altiſſima tunc pace Eccleſiæ;) enitendum eſſe, vt volũtaria ſeruitus ſuppleat quod ſupplicium extrinſecus irrogatum & patienter exceptum præſtare poſſet ſi inferretur; pateátque ea ratione aditus ad gratiam Dei. Quod perinde eſt, ac ſi diceretur, ſatagendum eſſe vt per bona opera acceſſio fiat ad gratiam ſanctificantem anteriùs partam, iuxta illud S. Ambroſij ſerm. 14. in Pſalm. 118. v.4. *Voluntarium organum, vberiore ſpiritus ſui gratia Chriſtus impleuit.* Vel vt per bona opera de ſancti Spiritus inſpiratione concepta, contritionem inquam perfectam & amorem exquiſitum, diuinam gratiam ſanctificantem aduocemus, depulſo peccato quo fortè priùs ſordebat anima.

Nec-non ſeptima.

8. Homilia 7. notabatur locus quo diuina virtus dicitur perfectionem iuſtis laboribus præſtare, & ſubminiſtrare bonæ volũtati quæcunque ſunt optima. Quod tantùm abeſt vt notari debuerit, vt potius admodum piè & catholicè à Valeriano dictum ſit, ad humanum faſtum (vt fert Valeriani eo loco inſtitutum, & proximè antecedentia docent;) deprimendum, agnoſcendámque Dei in nos beneficentiam, à quo eſt omne donum perfectum & datum optimum, iuxta Apoſtoli ſententiam ad quam Valerianus apertè alludit. Itaque quod ait, perfectionem præſtari à Deo laboribus iuſtis, ſenſus non eſt, hominem ſolum inchoare, Deum verò perficere: ſed ſenſus eſt, ipſam totam perfectionem & dignitatem operum iuſtorum, ex Deo manare; eique decus iuſtorum operum illibatè eſſe adſcribendum. Conformitèr ad S. Macarium, cuius ſunt illa planè inſignia homil. 26. *Oportet hominem dedita opera & conſulto excolere terram cordis ſui, & elaborare. Requirit enim Deus laborem, fatigationem ac operationem ab homine. Verùm niſi ſuperniùs apparuerint nubes cœleſtes, ac pluuiæ gratiæ, nihil proderit agricolæ labor. Hoc autem eſt indicium Chriſtiani cultus, quantoſcunque quis labores ſuſtineat, & quantaſcunque iuſtitias pepererit, ac ſi nihil effeciſſet, ita ſe gerere.* Omnia ſcilicet benè per nos ac iuſtè facta adſcribendo gratiæ. Nec diſſimiliter S. Leo ſerm. 2. de Epiph. c. 3. verbis illis: *De cordibus noſtris quæ Deo ſunt digna promamus. Quamuis enim omnium bonorum ſit ipſe largitor, etiam noſtræ tamen fructum quærit induſtria. Non enim dormientibus prouenit regnum cœlorum, ſed in mandatis Dei laborantibus atque vigilantibus, vt ſi dona illius irrita non fecerimus, per ea quæ dedit, mereamur accipere quod promiſit.* Similia habet ſerm. 5. de Epiph. c. 3. Quod item ait Valerianus, ſubminiſtrari bonæ voluntati quæcunque ſunt optima, non eſt trahendum ad ſuppeditationem auxiliorum gratiæ ob præuiam volitionem naturaliter bonam; quod eſſet apertè contra ſcopum Valeriani, nec humanum tumorem comprimeret, ſed augeret: Accipiendum itaque eſt de ea quam dixi ſubminiſtratione cuiuſvis dati optimi, facta à Deo voluntati ex ſe egentiſſimæ, nec vnquam ad ſupernaturalia aſſurrecturæ, niſi erigeretur & præueniretur diuinitùs.

Item Nona.

9. Ex homilia 9. arguebatur locus quo dicitur Dominum dignari occurrere ad petitionem noſtram. At

At hæc eſt admodum inſulſa criminatio, & quæ æquè in Eſaiam, ipſúmque Spiritum ſanctum poſſet cadere. Tractat enim ibi Valerianus illud Eſaiæ; *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dicet, ecce adſum.* Inde verò infert, ineffabilem eſſe Dei dignationem, qui ad clamorem noſtrum ac petitionem dignetur occurrere, séque paratum ad opitulandum præſtare; quod ipſum Propheta eo loco, imò per Prophetam Spiritus ſanctus profitetur. Poſſet ſanè non ſuſpectus modò, ſed etiam compertus erroris eo loco haberi Valerianus, ſi clamorem illum ex meris naturæ viribus conceptum diceret; aut ſi petitionem cui Dominus occurrit, ex naturæ nudo vigore profectam vellet, qui eſſet error gratia humanæ inuocationi ſubiuncta, in Concilio 2. Arauſicano confeſſus. Sed huius peruerſi ſenſus, non alia apud Valerianum indicia extant, quàm apud Prophetam cuius verba adhibuit.

Concinunt planè alij Patres, vt S. Chryſoſtomus homil. 27. in Geneſ. tractans ſimilem eiuſdem Prophetæ locum ex c. 65. *Adhuc loquente te, dicam, ecce adſum.* Hortatus enim ad innitendum diuinæ gratiæ, & ſummam Dei in nos beneficentiam exexaggerans, quæ non vt inter homines aſſolet, primùm obſequia exigat, tum beneficia ſua elargiatur; ſed prius benefaciat, & prioribus beneficiis excitet nos ad exhibenda ſancta obſequia; ſubiungit ad conſequendam ſanctitatem & remiſſionem peccatorum, non eſſe plurimo tempore opus; quod latronis exemplo confirmat, qui ne hora quidem eguit ad plenam emundationem. *Tanta eſt Dei erga nos miſericordia. Nam vbi viderit voluntatis noſtræ propoſitum firmum, & ferventi nos deſiderio ad ſe accendere, non retardat, neque differt, ſed accelerat, ſuamque ſolitam liberalitatem exhibens, dicit; Adhuc loquente te dicam: Ecce adſum.* Id quod latè confirmat exemplo ſerui illius, qui rogatus rationem reddere, cum non eſſet ſoluendo, ſupplex Domino factus; immenſæ ſummæ remiſſionem exoraui, ac etiam ſupra quam petebat, obtinuit.

Similia illa apud Ambroſium in calce ſermonis 47. *Multi diabolici fluctus ſunt in hoc mundo, tentationum multa naufragia, à quibus ita liberari poſſumus, ſi clamantibus manum ſuam Saluator extenderit. Nos ergo clamare ad Dominum non ceſſemus, ille auxilium ſolitum non negabit.* Durius item lib. 3. de Virgin. *Didiciſti*, inquit, *vbi Chriſtum requiras: diſce etiam quemadmodum poſſis mereri vt ille te quærat. Excita Spiritum ſanctum dicens*: Exurge Aquilo, & veni Auſter, aſpira hortum meum, & perfluant aromata mea. Deſcendat frater meus in hortum ſuum, & manducet fructum promiſerarum ſuarum. *Hortus verbi, animæ vernantis affectus eſt, & in pomiſeris virtutis eſt fructus. Veni ergo, & ſiue manduces, ſiue bibas, ſi Chriſtum inuocas, adeſt dicens*: Venite manducate panes meos, & bibite vinum meum: *Siue etiam dormias, pulſat ad ianuam.* Extrema hæc verba apertè ferunt præuentionem diuinam gratuitam, qua Deus ipſe homines, necdum aperientes cordis oſtium, ſollicitat & illicit ad bonum. Et tamen in anterioribus verbis docet S. Ambroſius, peccatorem inuocando, mereri vt Deus illum quærat: item excitare Spiritum ſanctum. Quæ ſi crudè acciperentur, non modò cum veritate Catholica, toties alibi per S. Ambroſium tradita non cohærerent, ſed neque cum extremis illis verbis, quibus Deus pulſare ad ianuam cordis, hoc eſt preuenire hominem & præmouere ad bonum dicitur. Itaque reſtat vt S. Ambroſius dicatur tribuiſſe homini inuocanti, meritum vt à Deo quæratur & excitet Spiritum ſanctum; non agendo de inuocatione humana, qua primum gratiæ auxilium comparetur, ſed agendo de inuocatione facta ex anterioribus gratiæ auxiliis ad promerendam vlteriorem & vberiorem. Quo ipſo modo accipi longè molliora Valeriani verba quæ nunc purgamus, eſt longè æquiſſimum.

Denique concinit S. Macarius tum alibi variis locis, nominatímque hom. 26. & 33. tum luculenter homil. 46. vbi longè etiam durius loquitur quàm prædicti omnes; quamvis multus, imo plurimus variis locis ſit in aſſertione gratiæ præuenientis, vt infra monſtrabo. Locum adſcribo, vt qui in Valeriani oculo feſtucam vident, hanc primùm trabem eiiciant ex S. Macarij oculo. *Quemadmodum ſi quis morbo aut febri detineatur, licet in cubile corpus proiectum ſit, non valens perficere opus aliquod terrenum, non tamen quieſcit animus, ſed diſtractus & curans quæ ſuperagenda, medicum requirit, miſſis ad eum amicis ſuis; eodem quoque modo anima poſt transgreſſionem mandati, in infirmitatem affectionum redacta, & languidior reddita, vbi acceſſerit ad Dominum, & crediderit; auxilium ab eo conſequitur, & abnegata priori peſſima vita, licet antiqua ægritudine decumbat, & nequeat opera vitæ verè peragere; nihilominus curare quæ ad vitam pertinent, ſedulo deprecari Dominum, & inquirere verum Medicum, & habet & poteſt. Et non vt aiunt quidam peruerſa doctrina ſeducti, prorſus mortuus eſt homo, vt omnino non poſſit quicquam boni peragere. Etenim infans licet nihil poſſit perficere, aut propriis pedibus accedere ad matrem nequeat: nihilominus voluitur, clamat, & plorat inquirens matrem: erga quem ſumma afficitur miſericordia mater, & gaudet de infante quærente eam cum labore & clamore. Et cum non poſſit infans ad eam peruenire, nihilominus ob multam pueri inquiſitionem ipſa mater abit ad illum, amore pueri capta & amplectitur, circumfouet, atque alimentum profert ſumma cum dilectione. Hoc ipſum benignus quoque Deus facit in anima ad eum accedente, & eius deſiderio detenta.*

Siue de languore & ægritudine animæ ex caſu primi parentis; ſiue de ægritudine & languore ex propria anteriori culpa loquatur S. Macarius, perinde eſt. Statuit enim animam in vtrovis illorum ſtatuum, clamare poſſe, & inquirere medicum; & id negantes peruerſa doctrina imbutos vocat: quia ſcilicet agit de anima clamante & inquirente, præmiſſa cœleſti præuentione & ſollicitatione, quamvis eam hic non exprimat. Adhibet porro vt vides illud ipſum ægri exemplum, quo poſtea vſi ſunt Semipelagiani ad declarandum ſuum errorem, vt ex Hilarij epiſtola ad Auguſtinum diſcimus. Proptereáque dixi durius aliis iam memoratis loqui S Macarium, quamvis ei benigna interpretatio non negetur, quæ proinde neque aliis mitiùs locutis, ac inter eos Valeriano neganda non eſt.

Tandémque vndecima, omnium in ſpeciem morboſiſſima.

10. Homilia 11. maximè morboſa viſa eſt. Duo in ea notabantur loca. Prior quo dicitur, *Deum nunquam deſerere voluntatem religionis ſtudio florentem, nec deeſſe ſolatia diuinitatis, vbi ſunt actus bonæ conuerſationis.* Hic tamen locus vſquequaque ſanus eſt. Voluntatem enim religionis ſtudio florentem à Deo deſeri, quis niſi impius, & diuinæ benignitatis prorſus rudis effutiat? Cui verò ignotum illud à Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. traditum poſt D. Auguſt. lib. de nat. & grat. cap. 26. ac Proſperum ad 7. & 13. obiectionem Vincentianam, & lib. 2. de vocat c. 12. & ad 7. capit. Gallorum. *Deus neminem deſerit, niſi prius ipſe deſeratur.* At non deſerit Deum

 voluntas,

voluntas religionis studio florens. Itaque quam ei gratiam contulerat Deus, vt religionis studium conciperet, eóque floreret; eandem lubens volens prorogat, cœlestiáque auxilia & solatia, bonis actibus ex diuina largitate procreandis intento homini, deesse non finit. Prior ergo ille locus facilem vt dixi explicatum habet, vel potiùs otiosè opponebatur. De posteriore quia putatur desperandus, seorsim pronunciandum est.

CAPVT VII.

Catholicè omnino à Valeriano dictum esse nostrum esse velle, Dei autem perficere, *multipliciter ostenditur.*

1. TOta aduersus Valerianum belli moles, in posteriorem locum ex homil. 11. notatum incumbit, cum disertè tradat eo loco Valerianus, *nostrum esse bonum velle, Dei verò perficere; & boni operis voluntatem ex nobis debere descendere, perfectionem verò in Dei potestate pendere. Et habere quidem hominem gratiã laboris sui, sed Domino debere fructum laboris impleti.* Quod videtur esse ipsissimum virus Semipelagianũ, quo homo ita Deum admittit in subsequentibus cooperarium, vt tamen quod D. Augustinus l. de prædest. SS. cap. 2. egregiè notauit, primas sibi partes in salutis suæ negotio vendicet, Deo secundas tantùm concedat, & *quasi componat cum Deo, vt partem sibi vendicet, atque illi partem relinquat. Et quod est elatius, primam tollit ipse, sequentem dat illi, & in eo quod dicit esse amborum, priorem se facit, posteriorem Deum.* Tantùm tamen abest, vt hic locus desperandus sit, vt potius commodissimè, nec vno modo ostendere liceat, nihil in eo affirmari cum sana doctrina minus consentiens.

Idque videtur agnouisse Ecclesiæ Lugdunensis libro contra Ioannem Scotum, circa propositionem eius quartam in ipso fine. Post longam enim reiectionem propositionis illius, *nostrum est inchoare, Dei per gratiam perficere*, subdit Lugdunensis Ecclesia, *Si istius verba alium sensum habent, ostendit ipse qui scripsit*: Quæ verba apertè innuunt, præter sensum apertè hæreticum, qui verbis illis in extima crusta spectatis subesse potest, alium adinueniri posse, catholicum & labis expertem: Eum nos (quicquid sit de Ioanne Scoto, qui gratiam præuenientem inficiatus videri potest,) circa Valerianum affinibus licet verbis vsum, exhibere conabimur, nec difficile (vt spero) exhibebimus, & quidem multiplicem.

Scopus Valeriani, nobis velle, Deo proficere tribuentis.

Et in primis spectandum est Valeriani institutum & sententiæ quæ in inuidiam vocatur cohæsio ac textura cum antecedentibus & consequentibus. Valet enim vniuersè, quod præclarè circa Scripturæ loca annotatum est à D. Chrysostomo hom. in illud Hierem. *Scio Domine, quia non est hominis via eius.* Nempe nullam esse periculosiorem, aut magis præposteram loci alicuius interpretationem, quàm quæ datur vni alicui loco, à corpore tractationis, cui commissus erat, auulso; neglecta antecedentium & consequentium cohæsione & ἀκολουθείᾳ, scopóque authoris. Scopus ergo Valeriani eo loco erat infigere, *stultitiæ*, vt ait, *genus esse, vt cum alij debeas vitæ beneficium, tibi adscribas ornamenta virtutum.* Cum inquam agnoscas te à Deo habere quod sis secundum naturam, inficieris tamen te ab eodem habere vt tibi benè sit supra naturam, & quoad virtutes infusas, aliáque supernaturalia animæ decora. Hoc ita confirmat Valerianus, vt tamen negatum nolit ornamenta religiosæ vitæ vigilantiæ studio comparari; nósque ad eam animæ exornationẽ, & mundum supernaturalem aliquid conferre? Nimirum assensum liberum quo admonenti Deo annuimus; cum in potestate nostra situm esset refragari, & diuinam sollicitationem ac motionem nos præuenientem abiicere, vt Tridentinum disertè tradit sess. 6. cap. 4. Ne verò inde animus humanus intumescat, addit Valerianus, neque ex assensu illo & volitione boni adhibita per voluntatem, præberi vanæ gloriationis occasionem: cum ea studij nostri exhibitio etiãsi per gratiam exprompta, ac de voluntatis silice velut excussa, in primis Dei auxilio eguerit vt excuderetur. Deinde iam excusa tuta non sit; & periclitetur, nisi diuinitus firmetur; muniatúrque aduersus superuenientes difficultates, quæ plurimæ semper & graues impendent in supernaturalium operum exercitio.

2. Primum illud humilitatis motiuum, à Valeriano propositum, ex eo quod consensus non fuerit per nos exhibitus nisi per gratiæ auxilium & præueniẽs & coadiuuans, continetur verbis illis, quæ in inuidiam à criminatore vocantur, cum tamen sint catholicissima, & vsquequaque sana: *Nec nos negare possumus ornamenta religiosæ vitæ, vigilantiæ studio comparari. Sed ibi Deus est, vbi integra religionis est animus, ita Apostolo dicente. Exemplum eius quæritis, qui in me loquitur Christus?* Hæc in inuidiam vocantur, & morbosa à criminatore censentur, quia putat sensum esse, studiũ humanæ vigilantiæ, excluso Dei auxilio parare ornamenta religiosæ vitæ, eo quod Deus adueniat quò eum vocat animi religio integra, & naturæ viribus concepta. Sed hic sensus est apertè contra scopum Valeriani, & pugnat cum ratione ex loco Apostoli proximè adducto petita.

Germanus itaque Valeriani sensus est ex immediatè præmissis repetendus. Dixerat, stultitiæ genus esse prima sua initia naturalia Deo adscribere, non item supernaturalia, inde tacitè occurrens obiectioni quæ proferri à superbo poterat, ex eo quod ornamenta virtutum comparentur hominis studio; subdit, se quidem negare non posse, quin humanum studium conferat ad ea ornamenta comparanda; sed hoc studiũ non esse à nobis, sed à Deo præueniente & cooperante. *Vbi enim est integra religionis animus, ibi Deus est*; non consequenter sed antecedenter. Quasi diceret. Verè quisquis es qui id tacitè tractas, vigili studio aliquid fecisti; sed cuius ope? Et vnde illud studium? An non à Deo, vt de suo in bonum animarum studio pronunciauit Apostolus, cũ dixit: *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus?* Itaque vigilantia quidem, laudanda est, commendandusque conatus ad boni operis exercitium expromptus; sed nisi antecessisset diuina præuentio, conatus ille, ac nisus voluntatis, non modò languidus planè & cassus fuisset, sed prorsus nullus. Hunc ipsum sensum de hominis vigilantia ac iustificatione produnt illa Augustini serm. 15. de verb. Apost. c. 11. *Iustificationem, & habeamus in quantum habeamus, & augeamus in quantum minores sumus, & perficiamus, &c. Sed totum ex Deo, non tamen quasi dormientes, non quasi vt non conemur, non quasi vt non velimus. Sine voluntate tua, non erit in te iustitia Dei. Voluntas quidem non est nisi tua, iustitia non est nisi Dei. Esse potest iustitia Dei sine voluntate*

voluntate tua; sed in te esse non potest, nisi per voluntatem tuam. Et mox: *Sine te fecit te Deus: non enim adhibuisti aliquem consensum vt te faceret Deus. Quomodò consentiebas, qui non eras? Qui ergo fecit te sine te, non te iustificat sine te. Ergo fecit nescientem, iustificat volentem.* Satis de primo humilitatis motiuo per Valerianum proposito.

Prima dicti illius catholica expositio.

Addit etiam secundum iam tactum humilitatis motiuum, ad deprimendum tumorem, ex ea studij humani libera collatione, in comparationem ornamentorum animæ. Nempe quod præter diuinū auxilium præueniens atque cooperans, egemus diuino auxilio subsequente quo firmemur & muniamur in bono ex diuina inspiratione concepto. *Satis ibi vacillat humanum studium, vbi non requiritur Dei auxilium. Nam non dubiè periclitatur fides si non muniatur patrocinio diuinitatis. Nostrum est igitur, bonum velle, Christi verò perficere. Nam ita Apostolus loquitur, Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.* Denunciat Valerianus nos nobis non sufficere, ne ad bonum quidem aspirante Deo iam conceptum; eo quod facilè ob infirmitatem simus vacillaturi, in tantis fluctibus & turbinibus, tantáque nostra imbecillitate. Itaque requirendum siue implorandum humillimè esse Dei auxilium subsequens ac muniens in tot discriminibus. Quod sanè ad cohibendam inflationem ex bono opere, & collato liberè assensu voluntatis diuinitus sollicitatæ, est appositissimum: cum inde liqueat, nos quidem iam præuentos, tantulum quid cōtulisse; consensum scilicet liberum, quo Deo vocanti adhæsimus: Tamen nisi Deus beneficia anteriora præuentionis & cooperationis, nouo ac speciali subsequentis gratiæ & perseuerantis beneficio cumulet, cassum fore laborem nostrum, & minimè diuturnum. In quem sensum illud Apostoli accipit, *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum, non inuenio.*

3. Quo ipso modo eundem locum accepit Prosper lib. contra Collat. cap. 8. *Cum donatum, inquit, nobis fuerit bonum velle, non statim inuenimus & facere, nisi quærentibus, petentibus, atque pulsantibus, qui dedit desiderium, præstet effectum. Vox namque ista dicentis. Velle adiacet mihi, perficere autem bonum nō inuenio, vocati est, sub gratia constituti, qui condelectatur quidem legi Dei secundùm interiorem hominem; sed videt aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, & captiuantem se in lege peccati. Et quamvis acceperit scientiam rectè volendi, virtutem tamen in se non inuenit eorum quæ optat operandi, donec pro bona voluntate quam sumpsit, mereatur inuenire qui faciat.* Eodem modo illum Apostoli locum accepit S. Gregor. 29. moral. cap. 25. tractans illud, *de cuius vtero egressa est glacies, & gelu de cœlo qui genuit.* Ostendit enim plerosque post sancta desideria turbari in executione, nec posse concepta virtutum semina in fruges operum promouere, eo quod interuenientibus tentationibus reuerberentur, ne de proposito bono diuinitùs indito extollantur, immemores inanitatis suæ & egestatis; idque censet voluisse Apostolum eo quem dixi loco: *Quid aliud, inquit, quàm de Dei vtero glacies producitur, quando de interno secreto dispensatio egreditur; & voluntates nostræ, etiam in bonis desideriis frænantur? Videamus paulum (infusa videlicet terra,) quanto disciplinæ glacie prematur, dum ait; velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Qui enim velle habere se asserit, iam per infusionem gratiæ, quæ in se lateant semina, ostendit. Sed dum perficere bonum non inuenit, profectò indicat quanta illum dispensationis supernæ glacies premat.* In eundem sensum interpretatus est Apostolum S. Thomas Rom. 7. lect. 7. improbata illa eiusdem loci interpretatione quam refert; vt eam etiam minùs probauit D. Augustinus 1. retract. 23.

4. Ad eum ergo modum locum Apostoli vsurpauit Valerianus, eóque sensu cum Apostolo loquens dixit, *nostrum esse velle, Dei autem perficere.* Id est, cōsensum quidem per nos præstari Deo vocanti (consensum enim præuenti & diuinitus adiuti, contribuimus de nostro:) vt tamen consensus ille sollicitanti Deo præstitus, irritus non sit, nec in auras abeat, vel etiam ante executionem concepti desiderij euanescat; necessarium insuper esse, vt diuina protectione, iugíque subsequentis auxilij munimine firmetur. Quod item ferunt illa alia verba sub homiliæ finem, *habet quidem seruus gratiam laboris sui, sed Domino debet fructum operis impleti.* Itaque nulla hîc in Valeriano labes se prodit, sed nitela & paritas vndecunque.

Illustratio expositionis datæ quo ad vtramque dicti partem.

Id vt distinctius appareat, (quandoquidem hic est potentissimus aduersarij aries, quo disiecto reliqua pessum ibunt;) secernenda sunt duo in præsenti Valeriani sententia. Primum quod dicat *nostrum esse velle*, id est, in salutis negotio hominis partes esse Deo præuenienti assensum præstare. Alterum, quod dicat, *Dei esse perficere*, & difficultates superuenientes dispellere. De hoc secundo negotium Valeriano non facessitur: Quia rara est inter omnes, subsequentis gratiæ & Dei confirmātis quæ operatus est in nobis, non vtilitas tantū, sed etiam necessitas. Idque vt cætera nunc extra locum taceam, perbellè expressit S. Ephrem, laudum gratiæ frequens buccinator tract. de fuga prauarum consuetudinum, qui habetur tomo 1. *Audiamus, inquit, ipsum Apostolum dicentem: Cum metu & tremore vestram salutem operemini. Et neque si quis adhuc iuuenis sit hoc paruipendat, neque senes negligat. Vtriusque enim incertus est finis. Contemplemur ergo agricolas. Hi enim terram adæquantes seminant: Et virescentibus terris, solerter eas seruant, volucres & quadrupedia inde arcentes, ne dum adhuc semen est tenerum ac molle, à talibus euellatur, & nullius bonæ frugis reddatur. Et quando iam ad messem excreuerit, ne tunc quidem cura & sollicitudine vocant; sed anxij hærent, ne forte grandine fruges concutiant, aut locustæ messem deuorent, aut ventus æstuans fructum corrumpat. Vnde & assiduè vota Deo nuncupant, supplicibúsque Deum votis interpellant, vt saluos & innocuos ipsis Dominus suos fructus concedere dignetur. Tunc verò fructus in sua recondētes horrea, magno cum gaudio festū celebrant. Sic quoque & eos qui spirituale vitā aggrediuntur, vigilare & sobrios esse, ac diuini verbi semen custodire oportet*, &c. Non poterat familiariùs necessitatem diuini auxilij perficientis quod aspirante Deo cœptum est, declarare. Propterea que passim alij Patres ad exponendū salutis negotium, eam comparationem vsurpant: & cor nostrum, agro, ac solo; gratiam cœlesti semini ac diuinis nubibus; Scripturas, ligoni; ardorem sancti Spiritus, stercorationi; studium nostrum, culturæ per agricolam impensæ; denique curæ ad messem vsque & illationem frugum in horreum, diuinam gratiam subsequentem componunt. Videsis nominatim eundem Ephremum in decade capitum de virtute, cap. 10. Macarium homil. 26. interrogat. vlt. & penult. Paulinum optimè epist. 30.

siue 2 ad Aprum & Amandam,& epist. 35. *sub finem.* Prudentium lib. 3. contra Symmachum *sub finem.*

5. Prius autem illud dictum, seu quod *nostrum sit velle*, castum planè est, in sensu quem Valeriano dedi: esse autem sensum illum verè germanum, declarato prolato insigni loco ex homilia in illud Isaiæ, *si volueris & audieris me*, &c. quæ Chrysostomo tribuitur, tametsi fortassis alium, & quidem latinum auctorem habeat, ita loquitur in homiliæ initio. *Si velle aut nolle, nostrum non esset, hoc est si viuendi rectè, aut secus, libertas adempta nobis fuisset, nec bonus vnquam cœleste munus dignè perciperet, nec malus supplicium competens inueniret, sed totum Deo deputaretur auctori.* Quæ fusiùs mox explicat, declarans eatenus dici, *nostrum esse velle*, quatenus *libera quis voluntatis arbitrio præcepta aut implet aut contemnit: vnde sibi quisque quod meretur instituit, nec potest aliud mereri quàm velit; quippe cui legis propositus tenor sit, ex quo quid velit eligat, & quod nolit contemnat, vt iudicio hominis, Dei iudicium celebretur, & qui libertatem concessam in obsequium dederit, muneretur, qui in contemptum duxerit, condemnetur.* Quod hic auctor tam explicatè dicit, eatenus nostrum esse velle negotio salutis, quatenùs liberè præstamus assensum, quem negaremus si luberet, omnino catholicum ac certum est, quia non idcirco excluditur gratia præueniens, sed potiùs non obscurè insinuatur in voce *assensus*, quæ connotat antecedentem inuitationem & sollicitationem, cum qua eundem sensum & animum induit qui consentit.

Igitur omnino Catholicus sensus subest propositis ex Valeriano verbis, quæ tantùm fuerunt, *nostrum esse velle*, id est, vt auctor adductus sua hæc verba exposuit, nostrum esse consentire, & exequi, vel detrectare diuinum Imperium: *In nobis namque manet* ait Bernardus lib. de inter. domo c. 68. *ad quærendam salutem, arbitrij libertas; sed admonente priùs Deo & inuitante ad salutem, vt vel eligamus, vel sequamur. Potestatis nostræ est, diuinæ inspirationi acquiescere, & quæ ad salutem nostram pertinent, eligere, & sequi: Diuini verò muneris est, vt possimus adipisci, quod sequendo cupimus consequi.* Verba sunt iis quæ apud Valerianum suspecta habebantur, planè genuina. Descripsit Bernardus locum ex c. 21. de Eccles. dogmat. Gennadij (si tamen Gennadij, & non alicuius qui Gennadij librum ea additione infersierit; cum ipse quidem Gennadius ex Cassiani & Fausti laudibus, Prosperi autem reiectione, non obscurè se prodat Semipelagianum.) Vt vt sit probauit & descripsit eum locum Bernardus, itémque Rabanus lib. 4. de vniuerso c. 10. & Author libri de spiritu & anima c. 48. Hanc primam interpretationem dicti, toto Valeriani opere in speciem difficillimi, existimo planam & commodissimam, maximéque cum anterioribus, & tota homiliæ textura cohærentem. Nec dubito talem habendam, ei qui animo in solam veritatem intento, & docili ac non præoccupato, Valeriani mentem eo loco inquisierit.

Secunda eiusdem dicti expositio Catholica.

6. Subiicio secundam interpretationem æquè Catholicam, iuxta quam id vnum voluit Valerianus, volitionem liberam, qua Deo vocanti consensum præstamus, ita simul à nobis & Deo esse, vt tamen priùs ratione à nobis profundatur, quàm à Deo; & rationem cur Deus ad illam per nos liberè formandam cooperarius accedat, ex eo petendam, quod nos benè vtentes diuina præuentione, operari velimus; cum possemus aduersus stimulum calcitrare. Et nihilominus totam supernaturalitatem, siue perfectionem ordinis superioris, quæ cernitur in illo libero consensu cui nostra determinatio & applicatio libera initium dedit, esse à Deo. Qua ratione, *perfectio*, non sonat consummationem rei iam inchoatæ, & eatenus imperfectæ; sed dignitatem & eminentiam ordinis superioris, quæ in actu est, secundum quam actus habet proportionem cum vlteriore gratia & gloria. Vt hæc responsio perspiciatur, duo sunt præmittenda.

7. In primis præmitto non debere mirum videri, quod noster concursus in actum liberum, statuatur ratione anterior concursu diuino ad eundem actum, siue diuina cooperatione nobiscum: Neque enim hic sermo est de diuina excitatione, quam Deus in nobis absque libera nostra cooperatione, & eatenus sine nobis producit, quæ excitatio perspicuè antecedit consensum nostrum supernaturalem: sed sermo est de eo concursu, quo Deus actionem liberam nobiscum cudit. Eam enim actionem, siue consensum liberum ponere vel omittere, est in potestate voluntatis, diuino anteriori rore respersæ, & diuino adiutorio gratiáque adiuuante suffultæ. Deus autem pro ea magna reuerentia qua creatam voluntatem disponit, quoad hoc eam non præuenit, vt sæpè loquitur Sanctus Chrysostomus; id est, non adigit illam, neque vim infert, vt in hanc potius partem quàm in aliam flectatur, quod faceret præoperando, & vt ita dicam prægendo ac præcurrendo, sed voluntati gratia sua roboratæ permittit delectum huius vel oppositæ actionis; siue actionis & omissionis. Ratio autem cur ipse Deus se applicet ad concurrendum nobiscum, & coëfficiendam hanc vel illam actionem; est, quia videt determinationem nostram ferre, vt hîc & nunc non sit iustitium in voluntate, sed exercitium alicuius actionis; itémque vt hæc specie non alia actio exerceatur, quomodocunque tandem videat id ferre determinationem nostram, quod explicare alterius est instituti. Hac ipsa ratione concursum diuinum ad nostras operationes liberas subsequi ratione determinationem nostram, latè alibi expositum est, rectéque tradunt Scotus in 4. d. 1. q. 1. *litera Ss.* & in 2. d. 37. q. vnica, *litera V.* Ocham in 1. d. 42. q. vnica, *litera F.* Gregor. in 2. d. 34. q. 1. artic. 3. ad 8. Gabr. in 2. d. 2. q. 2. *litera F. & M.* Capreol. in 4. d. 12. q. vnica ad 1. Scot. contra 2. Maior. in 2. d. 37. dub. vltimo. Almain. tract. 2. moral. cap. 10. *in fine.* Ruardus artic. 7. propos. 10. *sub finem*; aliíque adducti cum de diuino concursu, & libertatis humanæ cohæsione cum diuinis decretis, & primæ causæ cooperatione nobiscum. Et specialiter in supernaturali cooperatione, idem non obscurè colligitur, ex eo quod Deus nostrum se adiutorem & cooperatorem profitetur. At qui adiuuatur, quatenus adiuuatur, prius saltem ratione supponitur se accinxisse ad operandum, idémque est de eo cui Deus cooperatur, iuxta illud D. Augustini serm. 15. de verbis Apostol. *Si non esses operator, ille non esset cooperator.* Tametsi quæst. 15. in Deuteron. rationem habens gratiæ præuenientis, ait, Deum operari, hominem verò cooperari.

8. Præmitto prætereà, *perfectionem* posse duobus modis vsurpari. Nempe primò provt connotat anteriorem imperfectionem, quæ adiectione vel appositione aliqua consummetur. Qua ratione paruulus cum crescit, adeptione nouæ molis supra anteriorem dicitur, perfici: & gratia habitualis quoties nouo aliquo auctario cumulatur, perfici dicitur. Hoc sensu D. Thomas 1. p. q. 4. artic. 1. ad 1. ait Deum spectata vocis notione non posse dici *perfectum*: Sumitur deinde *perfectio* secundò, provt denotat nobilita

nobilitatem & dignitatem rei quæ perfecta affirmatur. Quo pacto minimus gradus gratiæ, dicitur esse maximæ perfectionis præ bonis omnibus naturalibus. Et hoc modo Deus cui nihil accedere aut decedere potest, dicitur *perfectus*, quamvis nulla in eo præiacuerit inchoatio boni, quæ superuentu alterius complenda & consummanda sit. Hoc item sensu S. Iacobus dixit omne donum perfectum, desursum esse. Neque enim mens Apostoli erat, ea tantùm dona cœlitus dimitti, quibus nulla vlterius fieri debeat accessio: qua ratione omnis gratia quam hic adipiscimur quandiu crescere licet, expungenda esset ex albo donorum perfectorum, descendentium à Patre luminum. Mens ergo Apostoli erat, omne donum ordinis superioris, à Deo gratiæ auhore proficisci, in quibus donis magna omnino perfectio, id est dignitas entitatiua atque nobilitas elucet.

9. His ita præmissis, perspicua secunda illa Valeriani interpretatio quam proponebam. Cùm enim ait, in negotio salutis, *nostrum esse velle, Dei verò perficere*, quasi eo ordine formetur consensus liber vt primum nos velimus, Deus verò perfectionem apponat: sensus esse potest in consensu libero qui à voluntate diuinitùs præuēta & adiuta profunditur, duo esse; nempè & quod sit consensus liber, & quod sit talis perfectionis ac dignitatis, habeátque proportionem cum gratia sanctificante, ad quam per cum consensum fit progressio; ac etiam cum gloria quæ est meta totius supernaturalis progressus. Quod ergo ille consensus liber, ponatur in rerum natura, habet & à nostra voluntate diuinitus præuenta per gratiam excitantem, & à Deo nobiscum cooperante. Prius tamen ratione est quod nos velimus agere, quàm quod Deus velit coagere. Nec Deus vult ad illum actum liberum nobiscum procreandum se applicare, nisi quia diuinus intellectus qua est perspicacia, videt voluntatem in his circunstantiis operabundam: id est, eruptam in hunc illumve certæ speciei actum, si se sola posset in eum erumpere. Hoc ferunt verba illa, *nostrum est velle*. Quod tamen consensus ille noster sit illius dignitatis ac perfectionis cuius reuera est; hoc est quod sit supernaturalis, id habet à Deo gratiæ authore, qui hunc actum principiat, cùm ratione auxilij præmissi & coadiuuantis, tum etiam ratione coefficientiæ & applicationis supernaturalis, qua diuina potentia exequens, humanæ voluntati supra connaturalem eius exigentiã cooperatur. Hoc exprimunt verba illa, *Dei verò est perficere*. Sicut enim determinatio ad exercitium actus liberi, tribuitur voluntati creatæ diuinitus præuentæ, tanquam directæ & proximæ causæ talis exercitij in manu eiusdem diuinitus fœcundatæ constituti; ita supernaturaliter & perfectio ordinis superioris, ob quam iste consensus habet proportionem cum sanctitate & gloria hominis, respondet Deo vt causæ directæ ac proximæ. Non quod gradus quoque supernaturalitatis, non sit coniunctim à voluntate simul & à Deo; sed quod si spectetur ratio & causa à qua habet quod sit supernaturalis, ea non sit alia quàm Deus. Sicut intellectio supernaturalis, V.G. assensus fidei; quod sit obiecti expressio, habet ab intellectu; quod sit talis expressio, habet à specie impressa determinante vniuersalitatem & indifferentiam potentiæ; quamvis entitatiuè tota intellectio & ab intellectu sit, & à specie impressa armante, vt Philosophus loquitur ac determinante potentiam ad actum talis essentiæ, siue ad exhibitionem talis obiecti.

Quare vt in pauca contraham hanc secundam Valeriani interpretationem; *Nostrum est velle*, id est quod operatio libera exerceatur; id à nobis diuinitus præuentis, tanquam à causa directa proficiscitur. Quod autem ea operatio quæ ad nutum voluntatis diuinitus præuentæ exercetur, habeat supernaturalem perfectionem à Deo, est tanquã à causa directa.

Patres doctrinæ propositæ adstipulari.

10. Possumus hanc doctrinam Patrum authoritate communire. Luculenter eam tradit S. Macarius homil. 37. disertè tradens à voluntate hominis esse, vt opus supernaturale exerceatur, nec Deum in eo genere quicquam operari, nisi ad voluntatis præuentæ exigentiam. Locum infra dabo c. 9. n. 3.

Author operis imperfecti in Matth. homil. 32. expendens verba illa capitis 19. *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*, hæc verba habet: *Quod dicit*, quibus datum est, *non hoc significat, quoniam quibusdam datur, quibusdam non datur; sed illud ostendit, quia nisi auxilium gratiæ acceperimus, nihil ex nobis valeamus. Quoniam autem volentibus gratia non denegatur, in Euangelio Dominus dicit*; Petite & dabitur vobis; quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis: Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit; & pulsanti aperietur. *Debet autem voluntas præcedere, & sic sequitur gratia. Nam nec gratia sine voluntate aliquid operatur, nec voluntas sine gratia potest. Nam & terra non germinat nisi pluuias susceperit, nec pluuia fructificat sine terra*. Tradit disertè hic author indiuiduam gratiæ & voluntatis in edendo supernaturali opere societatem; quamvis necesse sit gratiam præuenientem priusquam de facto opus illud coefficiat, antecedere, ac veluti rigare voluntatis ariditatem, vt in exemplo pluuiæ ac terræ contingit. Itaque quod ait, *debere voluntatem præcedere*; ne intra vnam & alteram lineam admittatur manifesta repugnantia, ac vt ratio quæ subiicitur cohæreat, exponendum necessariò est de antecessione illa rationis, qua ostendimus voluntatem & gratiam ita simul coëfficere actum liberum, vt præmisso tactu voluntatis per gratiam præuenientem; quod ad coëffectionem de facto exprompram attinet, prius ratione agat voluntas libera: eò quod causa cur Deus ad illud opus cum voluntate coëfficiendum se applicet, sit determinatio voluntatis conditionaliter præuisa. Atque ita locus ille authoris operis imperfecti, disertissimè continet traditam Valeriani interpretationem.

Video excipi posse, opus illud mendosum esse, & fartum erroribus. Verùm ea exceptio, hoc loco non valet. Nam S. Bona. lib. 2. pharet. cap. 26. & S. Thom. in catena Matth. 19. verba proposita describentes, nihil in eis corruptum aut putens subolfecerunt. Constat quidem Arrianos opus illud interpolasse, & admisto hæreseos suæ fermento vitiasse. At res de qua agimus, nihil ad Arrianam impietatatem fecit.

11. Nec desunt affinia loca ex indubitatis, & vt ita dicam, azymis Chrysostomi operibus. Nam homil. 23. in Matth. operis perfecti, inuestigans causam mundationis Manassis, respondet, id factum pœnitentiæ fletu, & studio voluntatis. Subditque: *Non est quippe, non est aliquod omnino peccatum, quod non cedat pœnitentiæ virtuti, imò gratiæ Dei. Cum ad meliora conuertimur, nobis continuò cooperator efficitur. Si enim bonus esse malueris, qui prohibeat, nullus omnino est. Imo est quidem Diabolus prohibens, sed profectò nihil poterit te eligente meliora: magis autem hoc Deum tibi in adiutorium copulante.*

copulante. Perperam latina interpretatio habet *Deo copulante*,cum legendum sit,*Deum copulante*,vt Græca ferunt, & sensus exigit. *Quod si tu certè nolueris, retróque recesseris, quinam ille te tutabitur? Non enim necessitate ac violentia,sed cum tua te vult voluntate saluare.* Subiicit in eam sentētiam quamplurima quibus confirmat,Deum quidem non velle nos violenter adstringere.*Si tamen solam ad placendum ei ostenderimus voluntatem*, nullo modo nos destituturum,sed accessurum ad compugnandum, vt fert Græca vox,séque nobis poscētibus adiunctur ũ cooperarium & protectorem. *Vtinam*, inquit post multa,*nos ita erga illum seruaremus affectum, vt illius viscera,nostra charitate flammentur. Sed tantummodò occasionem Deus istius ignis requirit, & si modicam scintillam ipse prabueris,ingentem omnino flãmam beneficiorum in te eius accendes.* Et mox præcludens vanũ metum timentium Deo veluti obstrepere, negat metuendam esse in eo ad Deum accessu inurbanam importunitatem. *Sicut enim respirare importune omnino nunquam est, ita etiam non quidem petere,sed non petere potiùs, importunum est. Sicut enim respirare hoc iugiter indigemus, ita etiam eo quod à Deo præstatur auxilio. Quod si voluerimus, facilè illum ad nos poterimus inflectere. Et hoc profectò declarans, atque ostendens Deum promptum esse semper ad beneficia largienda dicebat*; sicut diluculũ paratum inueniemus eum.*Quotiescunque enim venire & ad illum voluerimus accedere, expectatas ab illo esse preces nostras continuò sentiemus.* Vides quàm perspicuè Chrysostomus præcessionem illam applicationis voluntatis diuinitus præuentæ exposcat,vt Deus illi adiungatur cooperarius in pugna cum Satana, & liberi consensus formatione, quam hostis noster intercipere satagit.

In eundem sensum sumenda sunt illa ex homil. 15. eiusdem operis.*Si modo initium rei ipse præstiteris,habebis supra omnia opitulantem tibi pacis Deum, flammamque illam, primùm ipso cooperante discuties.* Et illa ex homil.16.*Facilem facit Deus esse virtutem, cooperando nobis, nósque semper in bonis actibus adiuuando. Vbi enim volueris exiguum quid deuotionis afferre,reliqua omnia celeriter subsequentur. Propterea enim vult & te aliquid laborare, vt tua quoque possit esse victoria.* Et denique illa ex lib.1. de compunct. cordis, quæ malè aliqui habent pro immedicabiliter ægris: *Non sola Dei gratia facit vnumquemque perfectum. Requiritur enim vt & nos,quod in proposito nostro & viribus nostris est, expleamus. Idcirco venit quidem ad vnumquemque gratia Dei:sed apud eos qui dignè explent ea, quæ mandata sunt, in ipsis permanet: Ab his verò qui minùs dignè agunt,citò discedit:Ad eos autem qui nec initium faciunt conuertendi ad Dominum, omnino non venit. Rectas enim mentes diligit,& sine fuco propositum.*Sunt sanè hæc immedicabilia,si sensus sit,primum gratiæ auxilium non venire ad hominé,nisi is operatione honesta ex naturæ viribus elicita,naturali inquam conuersione ad Deum,tanquam initio salutis ex parte sua posito,illam proliciat. At hic sensus est à Chrysostomo,& à veritate alienissimus. Sensus igitur germanus est, gratiam compugnantem & cooperantem, quæ efficit hominem perfectum,omnino non venire ad eos qui nec initium faciunt conuertendi ad Dominum. Vt enim gratia cooperans & compugnans accedat,& nobiscum eliciat consensum quo dispositiuè vltimò perficimur, necesse est, vt prius ratione faciamus conuersionis initium. Idque abundè sufficit ad obstruendum os loquētium iniqua.Hæreticorum inquam,aduersus quos postremo illo loco obiter agit Chrysostomus; & ignauorum Christianorũ, qui culpam non adeptæ perfectionis referebant in gratiam, aliquos velut aspernantem, & ad eos non venientem. Hoc perperam obtendi ait Chrysostomus, quòd gratia compugnans & perfectioni adipiscendæ coadiuuans, quantum est ex se ad omnes veniat. Et bis quidem qui ea vti assiduè voluerint, prompta semper subseruiat atque constanter. Vtentibus verò primum, sed mox resilientibus,& aliorsum studia sua vertentibus, ipsa quoque desistat adesse, donec ipsi denuo illius coëfficientiam exigant; eaque exigentia voluntatis operabundæ aduocent diuinam illam gratiam ad compugnandum & cooperandum. Illis denique, qui inertes prorsus, ac otio marcentes, primum actum liberum conuersionis ad Deum elicere renuerint, prorsus se neget: eo quod diuina sapientia vt tumori nostro simul & honori consuleret, vt sapientissimè ponderat hic ipse S.P. homil.83.in Matth.& 60.ad pop. *in ipso initio*, voluerit nec totum libertatis esse ne superbiremus, nec totum gratiæ,vt virtus esset aliqua ex parte bonum nostrum, quatenus scilicet voluntas præuenta, admisit liberè & aduocauit gratiam prout actu cooperantem & coefficientem: quia voluntas prius ratione, præmisso cælesti afflatu, determinauit se ad agendum.

12. Addo postremo loco insignem S.Bernardi locum tract.de gratia & lib.arbitr.*aliquantulũ à principio*;vbi latè confirmat,velle inesse nobis ex libero arbitrio, atque adeo nostrum esse velle, quamvis vt velimus benè in Christiana significatione,id non sit nostrum,sed gratiæ. *Velle*,inquit,*inest nobis ex libero arbitrio, non etiam posse quod volumus. Non dico velle bonum,aut velle malum,sed tantùm velle. Velle enim bonum, profectus est*; *velle malum,defectus. Velle verò simpliciter, ipsum est, quod vel proficit vel deficit. Porro ipsum vt esset,creans gratia fecit: vt proficiat, saluans gratia facit,vt deficiat,ipsum se deiicit. Itaque liberum arbitrium nos facit volentes, gratia beneuolos: ex ipso nobis est velle; ex ipsa bonum velle.* Declarat hæc multo pluribus, & inter alia accipit in hunc sensum illud Apostoli, *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio*, docens Apostolum agnouisse, velle quidem sibi inesse ex libero arbitrio, tamen vt illud velle, si velle supernaturaliter bonum,id habere à gratia faciente Christianè beneuolum, siue bene volentem in ordine ad salutem. Agnoscit ergo Bernardus, *nostrum esse velle*, & quidem prius ratione,quàm gratia cooperans,assensum liberum nobiscum coëfficiat. Nam ratione saltem,prius est velle, quod nostrum est,quàm benè velle, quod est à gratia, Deóque eius authore supra naturæ debitum operante.

Obsigno hanc secundam Valeriani interpretationem verbis Prosperi 2.de vocat.gent. c.26. aliàs 9.quibus doctrina hactenus proposita continetur & egregiè illustratur.*Gratia Dei*,inquit,*in omnibus iustificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, mouendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, córque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam voluntas hominis subiungitur ei, atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidiis, vt diuino in se cooperetur operi,& incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium; de sua habens mutabilitate si deficit, de gratia opitulatione si proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos, siue occultos, siue manifestos, omnibus adhibetur: & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitia,quod autem à multis suscipitur, & gratiæ est diuinæ, & voluntatis humanæ.* Quod autem supposita excitatione hominis non libera, consensus

liber

liber gratiæ illi non liberæ subiunctus, priùs ratione sit ab homine iuxta Prosperum, quàm à gratia provt actu coefficiente, declarant quæ subdit in calce capitis, hoc in primis agere gratiam, *vt in eo quem vocat, primam sibi receptricem & famulam donorum suorum praparat voluntatem. Nam virtus nolentium, nulla est.* Annititur inquam gratia præueniens, vt voluntatem exhibito consensu libero ad gratiæ cooperátis admissionem, & dona vlteriora deducat; quod sine eo consensu reliquus progressus in salutis negotio planè intercludatur, ac proinde ratione primus sit post gratiam præuenientem. Non dissimilia petere licet ex Richardo Victorino lib. 3. de contempl. c. 16.

Expositio tertia catholica eiusdem dicti.

13. Subiicio tertiam Valeriani interpretationem catholicam, simúlque duas hactenus traditas illustro ex Anselmo, seu potius Heruæo in c. 1. ad Philipp. ad illud, *qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet.* Quem locum exponit hac ecphrasi. *Deprecor Deum pro vobis, confidens hoc ipsum de bonitate eius, quia ipse qui per præuenientem gratiam cœpit in vobis opus bonum; per subsequentem & cooperantem perficiet illud, dans perseuerantiam vsque in diem Iesu Christi; id est vsque ad extremum diem vitæ vniuscuiusque, quando anima de corpore egrediens, præsentatur ante tribunal Christi iudicanda. Cooperando in nobis Deus perficit quod operando incipit, quoniam ipse vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Nam vt velimus, sine nobis operatur: cum autem volumus; & sic volumus vt faciamus, nobiscum cooperatur.* His verbis, & duæ iam propositæ Valeriani interpretationes continentur, & tertia subindicatur. Nam prima quidem traditur, cum dicitur, Dei esse perficere quod ex eius præuentione benè voluimus; perficere, inquam, dando perseuerantiam. Secunda verò, cum dicitur, Deum cum volumus, cooperari, atque adeo quia volumus, operando nobiscum in nobis actum quo summopere perficimur, quia est datum optimum & donum perfectum, superans omnia ex naturæ feracitate enasci apta. Tertiam eruo ex eo quod dicitur Deus cooperans perficere quod operando incipit. Vbi verbum *perficiendi*, vsurpandum est cum connotatione anterioris imperfectionis, expletæ & consummatæ per adiunctionem perfectionis superuenientis.

Quia ergo cooperatio diuina, & noster liber consensus supernaturalis, si comparentur cum diuina præuentione, se habent vt imperfectum & perfectum; siue vt semen ac fructus, vt pulchrè declarat S. Anselmus in concor. 2 p. c. 16. idcirco quatenus Deus nos inuitat & excitat ad bonum, rectè dicitur, opus eius esse in nobis imperfectum. Hominis autē sic præuenti est, volendo efficere, vt Deus quod de solo cœpit operando, perficiat cooperando. Nostrum enim est velle, ac vti immisso diuinitus gratię semine: quo ipso Deus agnita voluntatis determinatione, adiungit se illi, non iam excitatorem, sed cooperarium, perficitque quod inspirando cœperat, & terra nostra fructum suum non dante, imperfectum manebat. Descripsit verbatim Heruæus Augustinum lib. de grat. & lib. arbitr. c. 17. cui proinde hæc tertia Valeriani interpretatio innititur potiùs quam Heruæo. Et potest etiam fundari in illis Fulgentij verbis lib. de prædest. & grat. cap. 11. quibus docet, Deum esse qui dicitur in nobis perficere, quod vocatio inchoauerat, *quia ad nos pertinet conari bona, quæ & velle donauit*; *ostendens sine se non posse compleri, quod & vult ad conatus hominum pertinere.*

Addita quarta interpretatio catholica dicti propositi.

14. Quartam Valeriani interpretationem subnecto, conformem ei expositioni quam DD plerique catholici tribuunt ei loco Apostoli, quo Valerianus nititur, *velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.* Non pauci enim, nec ignobiles, ea verba accipiunt de velleitate peccatoris ex nuda natura operantis, quæ *illi adiacet*, id est, iuxta eum languida & prostrata iacet, quasi infirma, nisi gratia accedat, & voluntati efficaciam ad perficiendum cōferat. Aiunt ergo DD. prædicti, Apostolum in se transfigurasse personam peccatoris gratiæ robore destituti, atque geméntis, quòd naturaliter ad bonum suspiret, illudque inefficaciter velit sub ea ratione, sub qua obiicitur illi, & spiculo naturæ lumini & voluntati appetenti commensum est: sed illud velle langueat, & iaceat, nec valeat ad bonum Christianum assurgere, nisi gratia perficiens accedat, qua indebitus vigor voluntati immittatur, sicque bonum perducatur ad effectum. Quam interpretationem Apostoli eleganter persequitur Nicol. Gorram. Rom. 7. Dici ergo similiter potest, Valerianum inde deprimere factum humanum, ac conari persuadere, vt qui gloriatur, in Domino glorietur, quod quamvis ex naturæ viribus habeamus imperfectam aliquam & inefficacem boni volitionem, & eatenus nostrum sit velle, tamen Dei solius sit perficere, id est, efficere in nobis aliquid sicut oportet. Nā illud quidē velle quod ex nobis habemus, planè nihili ducendum est in negotio salutis, ac ne remotè quidem disponit ad gratiam & iustificationem. Diuinum autem munus siue prima gratia excitans, ac deinde cooperans perficit quod delineatum, & vtcunque inchoatum fuerat per illā naturalem & languidam boni volitionem. Nō quod gratia & illa volitio pertineāt ad eundem ordinem, sed quod gratia habeat se vt formans ruditatem & potentialitatem illam naturalem, & eatenus dici possit perficere negotium salutis, quod imperfecta illa volitio non potuit consummare. Quo ipso sensu, gratia dicitur perficere naturam quā sustollit ad ordinem diuersum. Et S. Bernardus sermone in ramis palmarū nuper edito, cuius initiū est, *Redemptor noster*, ferè in fine ait, bona naturæ inchoari ex gratia creatrice; augeri verò & perfici ex gratia saluatrice.

15. Facit ad rem præsentem distinctio, quam proximè laudatus Gorram. 2. Cor. 1. adhibuit tractans dubium circa illa verba eiusdem capitis, *Non sumus sufficientes*, &c. Opponit enim in contrariū Glossam Ezech. 3. quæ ait initium bonæ volūtatis esse ex nobis, quod Glossę dictū ita enodat. *Duplex est initium quoddā naturale, scilicet inclinatio naturalis & actualis ad bonū, & hoc est ex nobis. Quoddā formale, quod est pars boni operis, & hoc est à Deo.* Hoc posterius initiū præ priore, cui superuenit, vocat *formale*, tanquā perficiens & actuans potentialitatem prioris initij, quod *materiale* idcirco appellat. Hanc ipsam distinctionem & interpretationē facile est Valeriano accommodare, dicendo, admitti ab eo volitionem naturalem ex nobis tanquam materiale boni initium, quod nullo modo ad gratiam disponat, ac ne congruè quidem eam impetret: Perfectionem tamen boni illius initij naturalis, quæ sola confert ad salutem, nō homini, sed Deo authori gratiæ assignari. Et multò sanè crudius est dicere, initium salutis esse ex nobis, perfectionē ex Deo, quod Glossa suprà dixit, quàm cum Valeriano dicere, nostrum esse velle, Dei

verò

verò perficere. Ergo quam interpretationem durioribus illis verbis damus, par eſt his mollioribus non negare.

Indicatur quinta eiuſdem dicti interpretatio.

16. Poterat quinta interpretatio addi, quæ inſinuatur à S. Optato lib. 2. contra Parmenian. vbi ait, noſtrum eſſe velle & currere, Dei autē perficere, id eſt imperfectiones tollere, & homini in pleriſque ſemper deficienti ſuccurrere, quia ipſe ſolus eſt perfectus, nos autem omnes ſemiperfecti ſumus, quantumvis benè & ſanctè curramus. Verba Optati infra adducam, cap. 9. ex quibus hæc interpretatio melius deprehendetur. Nec pauca etiam pro ea illuſtranda extant apud S. Hieronymum lib. 1. contra Pelag. vbi latè proſequitur, quamvis omnes velimus bonum plenum, & iuſtitiam apprehendere, proprium tamen eſſe Chriſti ſolius, eſſe perfectum.

CAPVT VIII.

Valerianus modum loquendi Scripturarum æmulatus, atque adeo malè notatus.

1. SAtis ſupérque, vt exiſtimo, depulſa ſunt quæ pro Semipelagianis nota Valeriano inurenda, proferri vel à ſuſpicioſiſſimo poterant. Nunc vt nitela Valeriani magis prodatur, eo præſertim poſtremo loco, qui maximè lubricus cenſebatur, iuuat oſtendere eum ipſum loquendi modum, qui in Valeriano offenſionem criminatori mouit, alióſque planè ſimiles in Scripturis receptos eſſe, vt proinde iniuriâ notetur erroris, ob vſurpatam locutionem quam Spiritus ſanctus ſcriptori Canonico ſuggeſſit, niſi aliunde conſtaret detorqueri ab eo germanum Scripturæ ſenſum, de more Sectariorum omnium, quod in præſenti non habet locum, quandoquidem nihil Valeriano oppoſitum eſt, quod commodè depulſum atque enodatum non fuerit.

2. Militat ergo in primis pro Valeriano locus Apoſtoli Rom. 7. quē ipſemet allegauit, *velle adiacet mihi, perficere autem bonū non inuenio.* Huius loci variæ interpretationes paſſim apud interpretes proſtāt: ſed duæ, quas ibi D. Thomas retulit, ſunt maximè accommodatæ. Alterā ita Apoſtolus accipit, vt ſenſus ſit, volitionem boni ſicut oportet, eſſe liberam homini per gratiam adiuto, quamvis vlterior gratia exigatur ad perſeuerantiam à Deo expectanda, qui idcirco perficere dicatur, quod noſtra electio, tametſi per gratiam concepta ad conſummationem non perduceret; eo quod difficultates ſuperuenientes extrinſecus, & vt illæ deeſſent, faſtidium quod naturaliter obrepit ex iugi conflictu & niſu contra torrentem, diſturbet plerumque conſilia optima, & anterius voluntatis propoſitum frangat.

Expreſſit id egregie, vſurpans hunc ipſum locum Apoſtoli, Author Soliloquiorū perperam S. Auguſtino adſcriptorum, cum ſint reuera S. Anſelm. ſaltē maxima ex parte. Ita ergo loquitur cap. 24. *Domine ſi vis potes me ſaluare, ego autem etſi vellem, nō poſſem. Magna eſt multitudo miſeriarum mearum mecum: Velle quippe mihi adiacet, perficere autem non inuenio. Velle quod bonum eſt, non poſſum, niſi tu velis: nec quod volo, poſſum, niſi tua potentia me confortet: & quod poſſum aliquādo nolo, niſi tua voluntas fiat ſicut in cœlo & in terra. Et quod volo & poſſum, ignoro, niſi tua ſapientia me illuſtret. Et ſi etiam ſciam quandoque volens, quandoque valens, imperfecta & vacua tranſit ſapientia mea, niſi adiuuet vera ſapientia tua.* Et mox: *Dicebam, hoc faciam, illud perficiam: nec hoc, nec illud faciebam. Aderat voluntas, non erat facultas. Aderat facultas, non aderat voluntas; quoniam de meis viribus confidebam. Nunc autem confiteor tibi Domine Deus meus, pater cœli & terræ, quia non in fortitudine ſua roborabitur vir, vt non glorietur ante te ſtulta præſumptio omnis carnis. Non eſt enim hominis velle quod poſſit, aut poſſe quod velit, vel ſcire quod velit & poſſit, ſed potiùs à te greſſus hominis diriguntur; illorum inquam qui non à ſe ſed à te, dirigi ſe confitentur.* Hæc & alia eo loco, quibus non modò infirmitas humana ad volendum bonum per nudas naturæ vires; ſed etiam ad perſeuerandum cum gratiæ ſuppetiis, quæ ad volendum ſuffecerunt, perſpicuè exprimitur; alludendo ad propoſitum Apoſtoli locum, eo quem protuli ſenſu intellectum.

3. Poſterior verò interpretatio eum locum ita accipit, vt ſenſus ſit, volitionem boni naturalem à nobis eſſe: perfectionem autem boni, ſiue executionem diſpoſitionis illius qua perducendi ſumus ad ſalutem, iā inde à prima volitione ad ſupernaturale bonum quomodolibet diſponente ad verticem vſque gloriæ adeptæ eſſe à Deo, iiſque auxiliis, quibus naturam ad huiuſmodi bona ordinis ſuperioris ſuſtollit. Quæ interpretatio non caret fundamento aliquo in voce *perficiendi*, quæ in Scripturis, cum agitur de negotio ſalutis, idem ſonat quod executionē & operationem, vt notauit Adamus (vel potiùs vt ad Adami condiſcipulum lego in præfatione ad librum Heſſelij de facto Nectarij (Ioannes Heſſels in cap. 2. ad Philip. ad illud *qui operatur*, ἐνεργῶν *in nobis velle & perficere*, θέλειν καὶ ἐνεργεῖν,) vbi verbū quod paulo ante interpres vulgatus vertit, *operatur*, illico vertit *perficere.* Vt proinde idem ſit iuxta hāc interpretationem, ac ſi Apoſtolus dixiſſet eo loco quem verſamus; Per naturam nudam & ex me habeo aliquam boni voluntatem prorſus inutilem ad ſalutem; vt autem bonum illud, ad quod intra inferiorem ordinem concipiendum, & vtcumque volendum ex me feror, exequar de facto ſicut ad ſalutem oportet, hoc non habeo niſi per gratiam.

4. Harum loci Apoſtoli interpretationum prior mihi videtur aptior, eámque S. Thomas approbauit & Catharinus aliique recentiores; planéque videtur eam amplexus Valerianus hunc Apoſtoli locū vſurpans. Nihilominus ad Valeriani inſtitutum perinde eſt, vtramvis Apoſtoli interpretationem amplectamur; & iuxta vtramvis Valerianus qui locutionem Apoſtoli vſurpauit pronunciandus eſt ab errore immunis. Propoſitum erat Valeriano oſtendere hominem in ſalutis negotio debere tumorem ponere, & in Domino, non in ſe gloriari, ad quod vtervis ille ſenſus verborum Apoſtoli à Valeriano vſurpatorum eſt accōmodatiſſimus. Nam quis poteſt tumori eſſe reliquus locus, in tanta humanorum ſtudiorum, quamvis rectè & ex gratiæ auxilio initorum, vacillatione & fragilitate? Quæ item ſuperbiæ materia illi ſuppetit, qui norit omnem fortitudinem ſuam eſſe fauillam ſtupæ, & quicquid naturalibus ſuis viribus poteſt, nullius planè eſſe ad ſalutē momenti, atque adeo quicquid eſt in ordine gratiæ, à Deo eſſe? *Multum* ſanè *per omnem modū*, ait Richard. Victor. lib. 3. de contempl. cap. 23. *anima tam ad dilectionem Dei, quàm ad ſui contemptum proficit, cū planè agnoſcit quàm per ſe nihil poſſit. Quàm admiranda illius gratia, per quam ita operatur in nobis omnia opera noſtra, vt ſint tam ſua quàm noſtra, dona ſua & merita noſtra.*

Vrget inſigniter hoc humilitatis incentiuum S. Gregor.

Gregor.22. moral. c.10. tractans illud, *si osculatus sum manum meam ore meo*, quod perinde esse ait, ac si dixisset Iob, *Ego mea opera tanquam mea non profero, quia authoris sui gratiam negare conuincitur, quisquis sibi tribuit quod operatur.* Et idcirco præmiserat sanctos esse ab huiusmodi fastu alienissimos, quia probè norunt quid ex se, quid ex Deo habeant, & *quicquid in se boni inspiciunt, immortalis gratiæ cognoscunt donum, eique de accepto munere debitores fiunt, qui & praueniendo dedit eis bonum velle, quod noluerant, & subsequendo concessit bonum posse quod volunt. Vnde bene per Ioannem dicitur, adorauerunt viuentem in sæcula sæculorum, mittentes coronas suas ante thronum Domini, vt ad illum referant gloriã laudis, à quo se sciunt vires cepisse certaminis.* Idem infinities inculcat S. Augustinus; nominatímque lib. de corrept. & gratia, c.12. & in Psal.58. *sub finem.* Et hoc ipsum Apostolus verbis allegatis infigere voluit nec aliud intendit aut dixit Valerianus. Proindéque quisquis ei negotium ex hac parte facessit, videat ne eodem ariete Apostolum appetat.

5. Genuinum huic Scripturæ loco obseruat S. Thomas Rom.7.lect.3.esse illum alium ex c.16.Prouerb. *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius.* Perinde enim esse censet D.Thomas, dicere hominem viam suam disponere, & vt paulò ante ibidem dicitur, præparare animam; ac dicere, hominis esse velle, Dei autem perficere. Sicut ergo locutio illa sapientis, *hominis est viam suam disponere, & animam suam præparare, Domini autem est gressus eius dirigere* (siue vt legit D. Augustinus secutus Græcum textum, *à Deo autem responsio linguæ*, nempe internæ, siue consensus constans & perfectus ad finem vsque;) casta omnino est, quippe à Spiritu sancto suggesta, abestque à Semipelagiano errore quàm longissimè: Ita illa alia locutio quam Valerianus vsurpauit, omnino sana est & Catholica: quandoquidem iudice D. Thoma, vtraque sub dissimili vocum cortice, eodem sensu fœta est. Abutebantur quidem Semipelagiani ea cordis dispositione, & animæ præparatione homini per Salomonem concessa, indéque inferebant initium salutis, siue bonam volũtatem esse homini à seipso, perfectionem autem & consummationem negotij salutis, esse à Deo gratiæ authore, vt refert S. Aug. l.2.contra duas epist. Pelag. cap.8. Tamen si mens non læua fuisset, facilè deprehendissent hominem quidem præparare cor, *non tamen sine adiutorio Dei qui tangit cor*, vt D. Augustinus loco allegato rectè disserit.

6. Quod Salomon eo loco tradidit, non infirmauit Hieremias cap.10.verbis illis *Scio Domine, quia non est hominis via eius, nec viri est, vt ambulet & dirigat gressus suos.* Quam Hieremiæ sententiam S.Chrysostomus integra homilia de ea egregiè discussit: præfatus, eam suo tempore *vbique circumferri solitam in domibus, in foris, in pagis, in vrbibus, in terra, in mari, in insulis, & quocumque te cõtuleris.* Nec paucos aconitum ex suauissimo flore legentes, intulisse ex ea, nihil in nostra potestate situm esse. Quod S.Chrys. idcirco ab eis factum refert, quod non inspecta totius capitis textura ac serie, abreptis temerè paucis verbis à reliquo contextu truncatis atque auulsis, in absurdos, & à Scriptoris mente alienos sensus detorquerẽt Prophetæ sentẽtiam; quod esse plerisque ineptiendi & errandi originem, grauiter queritur. Itaque nõ infirmari à Hieremia quod à Salomone traditum retulimus, ex eo confirmat S.Chrysost. quod eo ipso loco Propheta ipsi homini gressus suos tribuat, & esse eius viam quam init, agnoscat: quod nõ diceret si ipsa in eius potestate nõ esset. Præterquam quod subdit illico Propheta supplices ad Deum preces, vt dignetur modum adhibere supplicio: cui locus profectò non esset, nisi cor hominis disponeret viam suam, vt Sapiens affirmat. Sic complanata difficultate ex eo loco nata, eiusdem loci germanum sensum profert S.Chrysost. his verbis. *Quod dicit, hanc sententiam habet. Non totum est in nostra potestate, sed aliud quidem in nostra, aliud vero in Dei situm est potestate. Nam vt optima quæque eligamus, velimus, & agere contendamus, omnemque laborem exãtlemus, nostri est arbitrij. Vt autem ad exitum ea perducamus, neque intercidere sinamus, vtque ad finem rectè factorum perueniamus, id verè cœlestis est gratiæ. Partitus enim est nobiscum virtutem Deus, & neque rem totam in nostra sitam esse voluit potestate, ne in superbiam efferremur; neque totum sibi ipse sumpsit, ne nos inertiæ dedamus: sed exiguum quid laboribus nostris relinquens, maiorem partem ipse conficit.* Et infrà: *Hoc igitur est quod ait Propheta, fœlicem exitum rerum in potestate nostra situm non esse, verum ab auxilio pendere diuino. Vt autem eligamus, in nobis & in arbitrio nostro situm est.* Hunc esse germanum Prophetæ sensum, pluribus reliqua homilia confirmat, eam præsertim vanam excusationem præcludens, quæ ex eo à quibusdam duci posse videbatur, quòd non sit homini vitio vertendum si non agat; cum eius tantùm fuerit velle & eligere, Dei autem sit ad exitum perducere. Friuolam esse eam excusationem inde demonstrat S. Chrysostomus, *quod fieri non possit, vt si nos voluerimus, elegerimus, ac statuerimus, Deus nos derelinquat. Si enim eos qui nolunt, hortatur & consulit eis vt velint & statuant, multò magis eos, qui vltrò eligent, non derelinquet.* Ex his satis supérque liquet, quomodo locus Hieremiæ & ad purgandum Valerianum conferat, & cum proposito Sapientis loco, quem item è re præsenti esse ostendimus, non collidatur.

7. In eundem sensum adducit ibidem S.Chrysostomus celebrem locum ex c.9. ad Rom. quo item abusos qui segnitiei suæ Scripturas obtendebant, initio memorauerat. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Reuera tamen eum locum cum libertate cohærere, etiamsi prodat, hominis esse velle & currere, Dei verò misereri atque perficere, ita demonstrat S.Chrysostomus post discussum Hieremiæ locum allegatum. *Simile illud est etiam*; Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. *Et quam ob causam curris, inquis, vel quam ob causam volo, nisi tota res in mea sit arbitrio sita? Vt nimirum dum vis, & dum curris, diuinum auxilium & beneuolentiam tibi concilies, sic vt te adiuuet, & manum porrigat, atque ad finem vsque perducat. Si enim hoc sustuleris, & currere simul & velle desieris, neque manum porriget Deus, sed & ipse abscedet. Vnde autem id cõstat? Audi quid dicat: Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos & noluisti? Ecce relinquetur domus vestra deserta. Vides quoniam illi noluerunt, quo pacto etiam Deus abscessit? Propterea nobis quoque opus est, vt velimus & curramus, quo Deum nobis etiam conciliemus.* Vult igitur homo & currit authore Apostolo, idque planè hominis est, tametsi diuinitùs antea tacti atque præuenti. Nihilominus enim nisi luberet, neque vellet, neque curreret: & tamen negotij fœlix exitus atque perfectio, expectanda est à Deo miserente, cuius propterea esse dicitur, perficere quod nos ex eius inspiratione voluerimus & elegerimus. Origenes eodem planè modo Apostolum accepit l.3. de Patriarch. c.1. Multa enim eleganter præfatus, de nexu nostræ ad gratiam subiunctionis, ipsiusque gratiæ, quamvis interdum sola

sola gratia opitulans exprimatur, ait hoc pertinere ad designandum, quàm nihil sit omne quod exhibemus ad salutem præ perfectione & consummatione cœlitùs aduenìente, & promouente conatus nostros, in irritum alioqui cessuros. *Non sufficit* (inquit) *ad perficiendum salutem sola voluntas humana, nec idoneus est mortalis cursus ad consequenda cœlestia, & ad capiendam palmam supernæ vocationis Dei, nisi hæc ipsa voluntas nostra bona, promptumque propositum, & quæcunque illa in vobis esse potest industria, diuino vel iuuetur, vel muniatur auxilio. Et ideò valde conuenienter dicit Apostolus*, quia non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: *quemadmodum si dicamus de agricultura illud quod scriptum est*; ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Ita neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. *Sicut ergo cum bonos atque vberes fructus ad perfectam maturitatem protulit seges, nemo piè & conuenienter dicet, quia fructus istos agricola fecit, sed à Deo fatebitur præstitos; ita etiam nostra perfectio non quidem nobis cessantibus & otiosis efficitur, nec tamen consummatio eius nobis, sed Deo qui est prima & præcipua causa operis adscribitur.* Et post multa concludit. *In nostræ vitæ cursu, à nobis quidem dependendus est labor, & studium atque industria adhibenda: laboris verò nostri fructus, à Deo speranda est salus.* Sic expensus locus Apostoli bellè consentit cum loco quem purgamus in Valeriano.

8. Attexo locum ex Psalmo octogesimo, quem D. Augustinus l.2. contra duas epistolas, cap.7. ait geminum esse illius quem ex cap.16. Prouerb. iam protulimus. *Cor hominis disponit viam suam sed Domini est dirigere gressus eius.* Nempè illum Psalmi locum; *Dilata os tuum, & implebo illud.* Quæ verba existimat idem significare, ac illa quæ ex Sapiente Prouerb.16. retulimus, & vidimus in ea recidere quæ ex Apostolo primùm proposita, & à Valeriano vsurpata sunt; vt proinde quia quæ eadem sunt vni tertio, inter se quoque sunt eadem, fatendum sit, omnia ista loca eodem recidere. Eo igitur Psalmi octogesimi loco tribuitur homini oris apertio & dilatatio, Deo autem eius impletio. Non quod Deus ipse non aperiat os & labia cordis nostri (aperire enim dicitur Exodi 4. vt notauit S. August. q.9. in Exod. & Fulgent. l. de prædest. & grat. cap.11.) sed quod nos ipsi diuinitus præuenti, ita inchoemus texturam negotij iustificationis, vt Deus gratiam pro gratia reponens, & nouo gratiæ beneficio anteriorem gratiam cumulans, accedat consummator boni, quod nos pro fragilitate nostra, & tã multis remoris, ipsaque operis sublimitate præpediente, non adduxissemus ad perfectionem, nisi diuinitùs accessisset nouæ gratiæ robur, necessarium ad implendum & perseuerandum. Hoc sensu, nos sumus qui diuinitus tacti & præuenti, cor lubentes Deo aperimus; ipse verò per consensum à nobis liberè præstitum subintrans, nobisque ad ipsum appropinquantibus appropinquans, vt dicitur Iacobi 4. implet os apertum; dirigit gressus hominis qui cor suum disposuit, ac præparauit animam, perficit atque consummat, quæ tenuitas nostra rectè voluit, sed perficere nequiuisset. Quod est illud plenum & perfectum gratiæ donum, quod Deus dare dicitur applicato per consensum arbitrio, sicque aperto cordis sinu, vt eleganter in hunc modum tradit author Scalæ paradisi, c. 10. tom.9. August. *Quid prodest homini, si per meditationes quæ agenda sunt videat, nisi orationis auxilio, & Dei gratia ad ea obtinenda conualescat? Omne* (inquit) *datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, sine quo nihil possumus facere, sed ipse in nobis facit opera, non tamen omnino sine nobis. Cooperatores quidem Dei sumus, sicut Dicit Apostolus. Vult siquidem Deus, vt eũ oremus, & vt ei aduenienti & præstolanti ad ostium, aperiamus sinum voluntatis nostræ, & ei consentiamus. Hunc consensum exigebat à Samaritana quando dicebat, voca virum tuum. Volo tibi infundere gratiam, tu applica liberum arbitrium.* Sicut tamen eam applicationem arbitrij, quam tanquam dispositionem subsequitur infusio gratiæ sanctificantis; illam cordis apertionem per consensum liberum; illam nostram supernaturalem aditionem ad Deum antecessit præuentio merè gratuita, & pulsatio homini non libera; ita velle illud nostrum, quo veluti rudimento per nos posito Deus perficiens & consummator accedit, inde ortum habet, vnde perfectionem: quia nisi Deus non cogitantibus, multóque minus volentibus præsto fuisset, excitans & præmouens, non exurrexisset velle nostrum, quod per Deum perfici posset.

9. Nec aliter accipiendus est ille alius locus apud Psaltem, *accedite ad Deum, & illuminamini.* Et alius apud Iacobum; *Appropinquate Deo, & ipse appropinquabit vobis.* Appropinquare enim nobis dicitur Deus cum præmisso hominis accessu, & dispositionibus liberis, subiungit quod suum est, & eatenus hominem in tenebris illuc vsque versatum, illuminat, homine illuminante sibi lumen sciẽtiæ proprio arbitrio, vt est apud S. Hieronymum in cap.2. Ecclesiastæ ad illud, *non est bonum homini*, &c. Quod aliter dicitur; Deum, quia homo voluit, consummationem & perfectionem apponere: & expectasse Dominum vt misereretur nostri, quæ est Isaiæ locutio cap.30. aut hominem præparasse Domino cor suum, quod facere monemur 1. Reg. 3. vel denique hominem præuenire in maturitate, & clamare vt dicitur Psal. 118. Sicut ergo has locutiones à Spiritu sancto suggestas Canonicis scriptoribus, nemo erroris notauerit, aut gratiæ diuinæ, illum hominis accessum & liberam appropinquationem præuenienti, contrarias dixerit; cum certum sit præuentionem diuinam iis locis non expressam, non idcirco in eis negari, sed subintelligi: ita locutio quam in Valeriano purgamus, quandoquidem illis affinis, aut etiam gemina est quoad sensum, eadem benigna interpretatione donari sine incommodo potuit, vel etiam debuit, non autem in inuidiam vocari.

Hæc ad gustum aliquem ex Scripturis præbendum sufficere in præsentia existimo, vt constet quàm infirma sit Valeriani criminatio, qua ex parte maximè feruet.

CAPVT IX.

Cum Valeriano grauissimi Patres æquè causa caderent.

1. NVlla ratione potest liquidiùs deprehendi quàm vana fuerit Valeriani quoad Semipelagianismum criminatio, quàm si ostendero grauissimos Patres, quorum doctrinæ synceritas ambigua non sit, eodem planè modo citra querelam locutos esse, quo locutus est Valerianus eo loco in quo maximè sit vis ad impingẽdum ei Semipelagianismum. Nempè quo dixit, *nostrũ esse velle, Dei verò perficere:* nam cætera nemo non videt, quàm sint inania. Non proferam quoscunque possem Patres, sed selectos quosdam: ac ne ex his quidem omnia ad hoc

institutum

institutum facientia coaceruabo, sed libabo duntaxat quædam singularia, & ita similia iis quæ in Valeriano culpantur, vt non sit ouum ouo similius, aut gutta guttæ. Quanti autem, apud prudentem quemcumque Theologum, in gratiæ negotio esse debeat Patrum sensus, quámque temperatè agendum sit in iis improbandis, quæ Patres vsurparint circa illud, quantumuis nonnihil lubrica aut ambigua videantur, res ipsa loquitur; & docent illa S. Fulgentij lib. 1. de verit. prædest. cap. 15. *Dignum est vt in singulis quibusque sententiis, in quibus nebulo cuiusquam obscuritatis ambigimus, sanctorum Patrum definitionibus hæreamus, quos præueniens misericordia Dei gratis illuminauit vt crederent, & sequens instruxit spiritualiter vt docerent.*

2. Primus in aciem prodeat Origenes, cuius Catholicissimam de gratia sententiam, cum ex aliis plerisque locis petere licet, tum disertissimè ex l. 7. contra Celsum, pag. 414. col. 1. non secus ac Valerianus scripsit hom. 12. in Num. ad illud, *profecti à puteo, veniunt in Mathanaim.* Nam præter cetera quæ in hanc sententiam luculenter disputat, ait: *A Mathanaim venimus in Nahaliel, quod interpretatur* ex Deo. *Quid* ex Deo? *Posteaquàm obtulerimus nos quæ ex nobis sunt, venimus ad hoc vt consequamur ea quæ ex Deo sunt. Cum enim fidem nostram & affectum obtulerimus ei, tunc & ipse largitur nobis diuersa dona Spiritus sancti, de quibus dicit Apostolus, Omnia autem ex Deo sunt.* Fidem & affectum vocat ibi Origenes, liberum voluntatis assensum, ad cooperandum Deo sollicitanti nos ad bonum, vt ex proximè antecedentibus liquet. Atque ita locus iste Origenis, planè recidit in locum qui apud Valerianum visus est morbosus. Idem Orig. hom. 24. in eundem librum, luculenter in eandem sententiam differit circa illud, *homo, homo quicunque vouerit*; & præter cætera, ait; *Vult ergo à nobis priùs aliquid accipere Deus, & ita nobis aliquid ipse largiri, vt dona sua & munera, merentibus, & non immeritò largiri videatur.* Declarat autem id quod Deus per nos præmitti postulat, esse voluntariam recensionem cum gemitu ad Deum, & conuersionem ad cor, quæ conuersio ita per nos præmittitur vlterioribus Dei donis, vt tamen præueniamur anterius.

Multo prauioris authoritatis est S. Hilarius, *latinæ*, vt S. Hieronymus scitè dixit, *eloquentiæ Rhodanus*; cuius doctrinæ syncerissimæ, & vndecunque erroribus liberæ, locuples testimonium perhibet idem Hieronymus ad Lætam scribens. Hilarius igitur in Psalm. 118. *litera Nun*, ad illud, *hæreditate acquisiui*, &c. ita loquitur. *Ne quod à multis dici sæpè solet rationis aliquam habeat authoritatem, cum asserunt proprium Dei munus esse, vt quis in Dei rebus atque operibus versetur, excusantes infidelitatem suam, quod cessantes erga se Dei voluntate maneant infideles. Est quidem in fide manendi, à Deo munus, sed incipiendi à nobis origo est. Est voluntas nostra, hoc proprium ex se habere debet, vt velit Dei incipienti crementum dare; quia consummationem in se infirmitas nostra non obtinet; Meritum tamen adipiscendæ consummationis est ex initio voluntatis.* Corruptè editio ab Erasmo adornata verba illa, *incipiendi à nobis origo est*, exhibet hoc modo, *impediẽdi à nobis origo est*; quod cum scopo Hilarij non cohærere per se liquet, & firmatur ex illis quæ postea subiiciuntur, *vt velit Deus incipienti crementum dare.* Et, *est ex initio voluntatis*, quæ apertè ferunt illam priorum verborum lectionem quam dixi. Vtvt verò legantur priora illa verba, locus Hilarij æquè Valeriano commodat, ratione horum posteriorum, quæ vbiuis leguntur eodem modo. Videntur autem exclusionem gratuitæ præuentionis sonare, reuera tamen eam præuentionem non excludunt, sed tantùm aperiunt, quid homo post diuinam præmotionem debeat de suo ad salutem conferre, adiuuante Deo. Id quod egregiè illustrant illa eiusdem Hilarij in eundem Psalmum litera He, ad illud: *Inclina cor meum in testimonia tua*, cum eandem versat difficultatem, vnde hominis culpa salutem non adipiscentis, si salus à Deo est? *Omnem*, inquit, *occasionem huius impiæ excusationis Propheta submouit. Primùm enim cum orat, conueniens infirmitati suæ egit officium. Dehinc Dei muneribus humana deuotionis studia connexuit. Cum enim ait, legem mihi statue Domine viam præceptorum tuorum, quid secundum orationis nostræ humilitatem Dei esset, ostendit. Cum autem subiecit, & exquiram eam semper, officium deuotionis suæ promittit: & in cæteris quoque vtrumque quodam complexu sibi inuicem colligauit, cum deduci se in semita postulauit, & cum idipsum voluit. Prius enim quæ à Deo sunt, cum honore præposuit, & tunc quæ à se cum confessione subiecit. Orat igitur vt Deus tribuat. Est ergo à nobis cum oramus exordium, vt minus ab eo sit. Dehinc quia de exordio nostro munus est eius, ex nostro rursum est vt exquiratur*, & *obtineatur, & maneat.* En exordium à nobis, vt munus & consummatio à Deo sit. Sicut ergo S. Hilarius exordium illud nostrum agnoscens, non euertit quod immediatè ante concesserat, dandas scilicet esse Deo primas in salutis negotio; ita neque quotquot similiter, aut etiam mollius loquuntur (cuiusmodi reuera fuit Valerianus,) insimulandi sunt negatæ diuinæ præuentionis, aut defensi Semipelagianismi.

Idem S. Hilar. can. 6. in Matth. ad illud: *Multi mihi dicent*, &c. reprehendit vanos ostentatores operum suorum, *quasi verò eorum aliquid proprium sit, quæ loquuntur aut faciunt, & non omnia virtus Dei inuocata perficiat.* Et mox: *De nostro igitur est beata illa æternitas promerenda, præstandúmque est aliquid ex proprio, vt bonum velimus, malum omne vitemus.* Disertè, *bonum velle ex nostro & proprio esse* ait, virtutem autem Dei inuocatam perficere omnia affirmat, quæ est ipsissima sententia Semipelagianismi notata in Valeriano. Quam ergo glossam his Hilarij verbis aptabit criminator, eandem Valeriano accommodabimus.

3. B. Macarius Ægyptius, S. Antonij discipulus & æqualis S. Hilarij, hom. 37. disertè, & perspicuè initium salutis Deo tribuit. Ait enim post pleraque in eam sententiam. *Ne igitur existimes te in virtute præuenisse Dominum secundùm eum qui dicit, ipse est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Statim verò subdit quæsitum, & responsionẽ qua res de qua agimus luculenter exponitur. Interrogatio hæc est. *Quid igitur præcipit Deus homini facere?* sequitur responsio *Antea diximus, promptitudinem animi hominem habere à natura, quam quoque Deus requirit. Præcipit igitur vt primùm cognoscat, & cum cognorit diligat, & voluntate incumbat. Vt autem exerceatur mens, aut laborem toleret, aut opus aliquod perficiat, gratia Domini largitur volenti & credenti. Voluntas ergo hominis est velut adiutorium à natura insitum; absente verò voluntate, neque ipse Deus quippiam operatur, quamuis possit, propter liberam nimirum arbitrij libertatem. Perfectio igitur operis spiritus, in voluntate hominis sita.* Et mox: *Ipse dicit, Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti? Itaque ex hoc credamus, quod ipse nos congregat, à nobis autem solã requirit voluntatem. Quæ verò voluntatis erit declaratio, nisi labor spontaneus?* Subdit illustrissimam comparationem instrumenti artis & hominis in salutis suæ negotio, quod sicut instrumentum nisi ab artifice ci-

tatur, manet immotum; ita & anima, licet laboret operans quod bonum est, Deum in ipsa clam operantem exigit. Similia ex parte habet homil. 4. *post medium.* In his omnia continentur quæ Valeriano vitio vertebantur. Nam & *laboris spontanei*, siue *voluntarij* meminit Macarius; & voluntatis quæ à nobis requiritur vt Deus in nobis operetur consensum liberum; eo quod Deus tanta cum reuerentia libertatem nostram disponat, vt quamuis possit, tamen ad eius iura retinenda, nolit nisi volenti largiri gratiam, qua opus spiritus perficiatur: Nempe non primam & præuenientem; quam disertissimè ante paucas lineas astruxerat, & explicatissimè etiam agnoscit hom. 1. pag. 6. hom. 11. pag. 143. hom. 15. pag. 180. hom. 26. pag. 345. & 347. & hom. 29. pag. 388. Sed cooperantem ad excudendum consensum liberum, quem Deus nobiscum non facit, nisi quia volumus. Itaque rectè concludit S. Macarius, quod quamuis nos quidem non præueniamus Deum in virtutis opere, *perfectio tamen operis spiritus* (siue quod opus spirituale, ad quod à Deo præuenti & sollicitati sumus ad perfectionem suam consummante & perficiente Deo pertingat,) *in voluntate hominis sita est.* A Deo namque præstatur ea operis perfectio, iuxta S. Macarium, sed ad voluntatis humanæ diuinitus præuentæ exigentiam; quamuis ad præuentionem Deus non expectauerit exigentiam voluntatis. Potuit sanctus Macarius, à Magistro suo Antonio Magno, eam doctrinam hausisse. Siquidem referente S. Athanasio cap. 15. vitæ, numero 33. B. Antonius nostram tantummodò voluntatem in hoc negotio expectari confirmabat. Nihil illis, vt putabatur, apud Valerianum salebris accommodatius proferri potest.

4. S. Optatus Mileuitanus lib. 2. aduersus Parmenia. post medium. *Vos ipsi qui sancti & innocentes videri ab hominibus vultis, dicite vnde est ista sanctitas quam vobis licentiùs vsurpatis. Quam Ioannes Apostolus profiteri non audet, qui ait, si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Hoc qui dixit, sapienter se ad Dei gratiam reseruauit. Est enim Christiani hominis, quod bonum est velle, & in Deo quod bene voluerit currere; sed homini non est datum perficere, vt post spatia quæ debet homo implere, restet aliquid Deo vbi deficienti succurrat, quia ipse solus est perfectio, & perfectus solus Dei filius Christus; cæteri omnes semiperfecti sumus: Quia nostrum est velle, nostrum est currere, Dei perficere. Vnde B. Paulus Apostolus ait, neque volentis, neque currentis, sed ad Dei gratiam pertinentis. Nam & à Christo saluatore nostro perfecta sanctitas non est data, sed promissa. Denique sic ait: Sancti eritis, quia & ego sanctus sum: solus est sanctus & perfectus. Non dixit sancti estis, sed sancti eritis dixit. Vnde est ergo quod vobis perfectam sanctitatem de superbia vindicatis?* frustra anniteret demonstrare, quàm hæc consentiant cum iis quæ in Valeriano suspecta habebantur. Nec verò potest S. Optati authoritas declinari, admittendo eius lapsum: Nam S. August. lib. 1. contra Parmen. c. 3. & lib. 3. de doctr. Christ. cap. 4. ac Fulgent. lib. 2. ad Monim. eum cum laude allegant, tanquam scriptorem vsquequaque Catholicum.

5. S. Cyrillus Hierosol. in calce præfationis ad Catecheses: *Meum est dicere; tuum verò agere, Dei autem perficere.* Et catech. 1. cum præmisisset apparuisse mysticarum plantarum flores, ac desiderium suum subiunxisset, vt & fructus perficiatur, (vtique à Deo,) subdit: *Liberalis namque est Deus, & pronus ad beneficientiam; expectat tantum cuiuslibet propriam voluntatem: Propterea subiecit Apostolus, secundum propositum vocatis sanctis. Propositum cum adest proprium, vocatum te facit.* Quod expectari à Deo ait propositum nostrum, & voluntatem, illud ipsum est quod Valerianus dixit, *nostrum est velle.* Quod autem Cyrillus, à Dei liberalitate & beneficentia, posito assensu nostro atque proposito, perfici desiderat initia nostra, & fructus ex floribus consequi agnoscit, quod Valerianus affirmauit, *Dei esse perficere.* Expectari porro voluntatem ait Cyrillus, non nudam, aut ex se initium dantem humanæ saluti, sed præuentam; & cum gratia præoperante cooperantem. Ei enim sic subsequenti diuinam præuentionem, vberiora auxilia, & perfectio & omnia bona rependuntur à muneratore liberalissimo: à quo esse humanæ voluntatis præuentionem, splendidissimè tradit idem Cyrillus catech. 16. agens de Spiritu sancto, quem *Magnum Præsulem, & gratiarum parochum,* (apellatione illi gemina, qua apud S. Ambr. lib. 1. de Spir. sancto, vocatur *Præsul benedictionum Dei;*) nostris voluntatibus afflantem, & ad omnia pietatis opera præuenientem elegantissimè describit.

6. S. Basilius in cap. 6. Esaiæ, ad illud, *quem mittam*, ita loquitur: *Obserua & exactam disciplinam & circumspectam prudentiam dicendi, quæ veridicum Prophetam addecet. Duobus enim propositis sermonibus, vnica satisfacit responsione. Quem mittam, & quis ibit? Ecce ego sum; Mitte me. Non iam adiecit, & ego ibo. Siquidem susceptio istius Apostolicæ legationis, penes nos sita est; & à nostro pendet arbitrio, confirmare autem ad perfectionem, eius est qui infusione gratiæ nos corroborat, Dei. Itaque Isaias per id quod liberæ & electiuæ erat voluntatis, respondit; Ecce ego sum, mitte me. Quod autem erat gratiæ, reliquit Domino, vt qui propriæ conscius infirmitatis, non est ausus polliceri seiturum.* Hoc quid aliud est, quàm quod Valerianus dixit, *nostrum est velle, Dei perficere?*

Gregorius Nyss. Basilij magni frater, is *quem omnes Patrum patrem vocant* (ait Epiphan. Diac. in 7. Synodo actio. 6. part. 5.) libello de scopo Christiani, liberæ voluntatis & gratiæ necessarium nexum egregiè tradens, nostrum esse velle, Dei perficere, præclarè docet. Multis enim adhortans ad crescendum in sanctitate, & collaborandum spiritui gratiæ adiuuanti, hæc habet præter cætera. *Corporis certè augmentum ad increscendum non in nobis situm est: haud quaquam natura ex hominis sententia & libidine staturam metitur, sed suo ipsiusmet impetu & necessitate, animi verò in ortus renouatione modus & decus, quæ spiritus gratia largitur, per eius qui acceptus est, studium, à consilio nostro pendent. Nam quanto magis labores pro pietate extendis, tanto etiam magis animi magnitudo simul extenditur; & sempiternam vitam atque ineffabilem quæ in cœlis est, lætitiam, einsdem spiritus gratia concedit: accipiendi verò munera & dignitatem gratiâ fruendi, amor per fidem laboribus obtinet. Iam verò ad idem progressæ, operum iustitia & spiritus gratia, in qua anima concurrerunt, eam beata vita certatim complent, sed à se inuicem disiuncta, nullum animæ emolumentum exhibent. Etenim Dei gratia in animis qui salutem fugiunt, non potest frequenter adesse: hominis verò virtutis vis, per se non sufficit ad vitæ formam absolutam extollendos. Nisi Dominus ædificauerit domum & custodierit ciuitatem, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Hinc edocemur, non esse in mentem inducendum, in humano studio, totam sitam esse coronam, verùm ad Dei voluntatem referendam esse spem de fine obtinendo.* Hæc Nyssenus, admodum consentaneè Valeriano. Nam & à nobis præmotis pendere agnoscit aduocationem

Dei ad nos adiuuandos, & perfectionem à Deo esse, disertè statuit.

7. S.Gregorius Nazianzenus, *cuius ea est in doctrina Christiana authoritas, vt nullus vnquam eius dictis calumniam inferre præsumpserit* (verba sunt D.Thomæ 1.p.q.61.art.3.) & quem nominatim Semipelagianis quoad salutis initium opponit S. August.l. de dono perseu. c. 19. ita scribit orat.31. tractans illud Christi, *sed quibus datum est*, multiplicémque hæreticum affectum, verbis illis prauè detortis subiacentem depellens: *Aptitudinem quidem alios aliis vel maiorem vel minorem habere, ipse quoque concedo: cæterum ad perfectionem adipiscendam, aptitudinem solam minimè sufficere contendo. Rationem enim esse quæ eam excitet, vt natura in opus prodeat, quemadmodum silex ferro pulsatus, atque ita ferrum fiat. Cum audieris quibus datum est, adde: Volentibus datum est, atque iis qui ea animi propensione sunt: etenim cum illud audis, non est volentis atque currentis, sed miserentis Dei, idem tibi existimandum censeo.* Quod salutis adoptionem ait dari à Deo volentibus, idem est ac si diceret, nostrum esse velle, Dei autem perficere. Et tamen quàm hæc non pugnent cum initio salutis ex Deo; liquet ex illis quæ statim subiungit, probans, & ex Apostolo Rom.9.eruens, ipsum quoque velle nostrum, ex Deo esse.

8. S. Ambrosius, cui in syncera gratiæ assertione testimonium sæpè perhibet S. August. vt epist. 107. & l.de grat.Christi c.44.& l.de dono perseu. cap. 8. & 13. & 19. & 23. accommodatissimè in rem nostram loquitur serm. 10. in Psal.118. ad v. 4. *Moysi dicit Deus: Miserebor cuius misertus fuero, & misericordiam præstabo, cui misericordiam præstitero. Igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei est. Fortè dicas, ergo non debemus vel velle currere. Atqui negligentes Deus deserere consueuit. Non ergo hoc dicit, sed quid dicat, consideremus. Non volentis, neque currentis hominis perseuerantia est. Non est enim in hominis potestate, sed miserentis Dei est vt possit complere quæ cœperis.* Vides ab Ambros. *velle*, tribui potestati hominis, *cōplere* autē siue perficere & perseuerare, adscribi Deo. Non plus, aut aliter dicit Valerianus.

Est & alius apud S.Ambrosium egregius locus in calce epistolæ ad Iustum, (est epist.63. aliàs lib.1. epist.X.) *Incrementa* (inquit) *per naturam, quæ diuini habet gratiam muneris, consummationem & perfectionem Deus dat, idest illa præstantissima & diuina Trinitatis natura & substantia.* Non sumit *incrementa* pro augmento aut profectu rei iam conditæ, sed pro initio & prima productione, & in eum sensum vsurpauit paulo ante illud Apostoli 1.Cor. 3. *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Huiusmodi ergo incrementa sanctorum operum, fatetur S.Ambr. esse per naturam, diuini habentem gratiam muneris. Ipsa enim libertas qua agere volumus, & Deum sequi, est magnum planè munus Dei, tametsi nobis compertum à natura: Consummationem autem & perfectiouem Deus dat. Quia supra illud *quod natura spontaneo ingenio operatur, vt surgant semina diuinitus indita* (vt paulo ante dixerat Ambrosius), id est supra id quod potest de suo conferre natura, exigitur Dei gratia præueniens, ratione cuius Deus consummat & perficit imperfectum nostrum: nos inquam promouet ad fruges operum supernaturalium, quas ne inchoaremus quidem per naturam nudam. Hoc ipsum est, quod Valerianus dixit, nostrum est velle, Dei perficere. Non est ouum ouo similius.

9. S.Chrysost.hom.12.in ad Hebr.*in mor.* ita loquitur. *Oportet nos eligere primum quæ bona sunt, & tunc Deus quæ sua sunt introducit. Non antecedit nostras voluntates, ne nostrū lædatur arbitrium liberū. Cum autem nos elegerimus, multam tunc nobis affert auxiliationem.* Et mox. *Nostrum, eligere tantum est & velle, Dei autem efficere, & ad perfectionem perficere.* Idem sonant quæ habet hom.16. in Ioan.ad illud, *conuersus Iesus, & videns eos sequentes*, &c. Sic enim scribit. *Hinc admoneri possumus, Deum suis in nos beneficiis nostras non præuenire voluntates, sed à nobis incipiendū esse. At cum nos prompto, paratoque animo ad suscipiendam gratiam exhibemus, tunc multas nobis offert salutis occasiones.* Et hom.42.ad pop.tractans illud, *Ne des*, (ita enim legit,) *in commotionem pedem tuum, Non dixit ne cōmouearis, sed ne des. Igitur in nobis est dare, non in nullo altero. Nam si stare velimus stabiles & immoti, non commouebimur. Quid igitur? In Deo nihil est? Omnia quidem in Deo, sed non ita vt liberum in nobis arbitrium violetur. Si igitur in Deo sunt inquis, cur nos accusat? Propterea dixi, ne liberum in nobis arbitrium violetur. In nobis igitur & in Deo sunt. Oportet enim nos priùs eligere bona, & ille sua tunc inducit. Nostras non præuenit voluntates, ne nostram temeret libertatem. Cum verò nos elegerimus, tunc magnum nobis affert subsidium.* Et hinc extricat dubium ex illis Apostoli verbis Rom.9.*non est volentis*, &c.quæ videntur falsa, si & in nobis est salus nostra. Præter primā enim illorū verborum explicationem, quod scilicet Apostolus ea verba ex persona aduersarij protulerit, & obiiciendo ac interrogando, non asserendo; subdit hanc secundam. *Dici & illud potest, quod cuius est amplius, totum esse dicit. Nostrum enim est eligere & velle, Dei verò expedire & ad exitum adducere. Quoniam illius itaque plus est, totum illius esse testatur, secundùm humanam locutus consuetudinem. Nam & nos ita facimus. Quale quod dico, Domum ædificatam benè videmus, & dicimus totum est artificis, licet non totum ipsius sit, verùm & operariorum, & domini qui materiam suppeditauit, aliorúmque multorum: Attamen quoniam plus contulit, illius totum esse dicimus, ita profectò & hic. Et rursum in multitudine vbi multi sunt, omnes esse dicimus, vbi pauci, neminem. Ita & Paulus ait, Non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Duo verò magna hic facit. Vnum quidem ne extollamur. Siue curras, sine festines, inquit, ne tuum esse putes meritum. Nisi namque supernum assequaris fauorem, omnia nequicquam. Tamen clarum est quod optatum assequeris quandiu curres, quandiu voles. Non hoc itaque dixit quod in vanum currimus, sed quod in vanum currimus, si totum nostrum esse putemus, nisi Deo plus assignemus. Nec enim totum Deus suum esse voluit, ne sine causa nos coronare videatur: neque rursus nostrum, ne in arrogantiam dilaberemur. Nam si minorem habentes partem altum sapimus; quid si totius authores essemus?* Tandem post multa, tractans illud *Lauamini, mundi estote, & si fuerint peccata vestra sicut purpura, sicut niuem dealbabo.* Ita enim legit; subdit: *Vides quod priores nosipsos oportet mundare, & tum Deus emundat. Cum enim dixisset prius: Lauamini, mundi estote, tunc subdidit: Ego dealbabo.*

Locum ex hom.32. imperfecti, à DD.Thoma & Bonauent. allegatum tanquam Chrysost. supra iam protuli c.7. Est & alius pulcherrimus locus hom. de septem Machabæis, est n.44.tom.1. Græcol. Ibi Deus ita loquens inducitur. *Non talis agonotheta ego sum, vt certaminis exitū in aliqua certantiū virtute constitutam, sed ipse assisto luctantibus, & auxiliū præbeo, & manum præbeo athletis meis. Et quod ex proprij arbitrij libertate susciepiūt de bonæ voluntatis effectu, vt pro legibus meis & nomine meo dimicent, id in victoriam ipsis procedere, mei est auxilij.* Similia alibi apud Chrysostomum non semel leguntur, quæ planè similia sunt iis quæ in Valeriano insimulantur erroris.

10. Vereor autem ne alicui minus prouidè fecisse videar, qui ad Valerianum expurgandum, eiusque doctrinam liberam Semipelagianismo præstandam, adducam Chrysostomum, quem tetra hac fuligine oblitum, imo Cassiano discipulo erroris authorem fuisse, censuit iam olim Thomas Braduardinus lib. 2. de causa Dei cap. 31. & recentiorum non nemo, vt Anianus præfat. in homilias Chrysost. in Matth. quem refert & approbat Sixtus Senens. lib. 5. Bibl. annot. 101. (quanquam apud ipsum Anianum, ego quidem nihil tale lego, sed contrarium potiùs non obscurè deprehendo.) Mol. 1. p. q. 14. art. 13. d. 41. Tol. in cap. 6. Ioan. annot. 20. & qui ad omnes pro Chrysostomo excusationes obsurdescit, Vasq. 1. p. d. 89. cap. 4. & d. 91. cap. 8. & 9.

Mirabile tamen mihi semper visum est, quod quam calumniam Chrysostomus ab ipsis Pelagianis non est passus, eam à Catholicis post tot secula sustineat; ita vt cum Pelagiani loca Chrysostomi pro suo errore de peccato originis, tam studiosè colligerent, & Catholicis opponerent, vt D. Augustinus contra Iulianum testatur; in hac tamen parte ita cæcutiuerint, vt non agnouerint errorem, qui apud eum tam creber est iuxta Doctores allegatos. Quid quod extant apud Chrysostomum tam crebræ, támque ingeminatæ ac perspicuæ assertiones initij salutis planè gratuiti, vt omnem planè huius in eo erroris vel suspicionem abstergant? Omitto homiliam de Adam & Eua, quæ explicatissimè continet Catholicam de gratia doctrinam, contra Pelagianos eorúmque reliquias: Eam inquam homiliam omitto, quia est dubius Chrysostomi partus, & (saltem quoad aliqua ex Cælestini epistola ad Episcopos Galliæ inserta,) suppositities.

Disertissimè verò & conceptis verbis expressam apud Chrysostomum præuentionem gratuitam legere licet in plerisque indubitatis eius fœtibus; ac nominatim hom. 19. & 22. & 23. & 28. & 38. in Genes. quibus locis præuiam & nostras preces anteuertentem gratiam apertè admittit: & pulchrè hom. 12. in 1. Cor. ad illud, *quid habes quod non accepisti*, & hom. 13. ac 44. & 71. in Ioan. & hom. 4. de laud. Pauli, & homil. 5. in 2. ad Thessal. ac hom. 1. & 8. in ad Philipp. & luculenter in psal. 143. ad illud, *Domine quid est homo quia innotuisti ei?* & homil. 70. in Matth. ad illud *exi citò in plateas*, vbi ad diligentiam nostram pertinere statuit tantùm quæ subsequuntur vocationem ex gratia factam & merè liberaliter collatam. Homilia quoque 24. in ad Hebr. cum dixisset obseruationem mandatorum pluris esse debere Christiano quam miracula, rationem reddit quod miracula quidem sint purè Dei munera, obseruatio autem mandatorum, *post Dei donum, etiam nostri sit studij*. En *post Dei donum*, id est post præuentionem diuinam. Nam de gratia comitante, eo ipso quod comitans est, non diceretur propriè ac verè, quod post Dei donum nostri sit studij benè agere. Egregiè item hom. 28. in ad Hebr. ad illud *aspicientes in auctorem fidei*. Planè verò diuinam præuentionem tradit illustrissimè ac explicatissimè, hom. 83. in Matth. ad illud, *antequam gallus cantet*.

Quare meritò pro Chrysostomo à calumnia hac in parte purgando, certant Hierem. Constantinop. in cens. Orient. Eccl. c. 18. Driedo c. 4. concord. *in medio*, Bellarm. lib. 6. de grat. & lib. arbit. c. 6. Fons. 6. Metaph. c. 2. q. 5. sect. 10. Suar. lib. 2. de prædest. c. 8. Iustin. in c. 2. ad Philipp. ad illud, *Deus est qui operatur*, & alij plerique. Imo Dominicus Soto in cap. 1. ad Rom. ad illud, *qui prædestinatus est*; Chrysostomi in hoc puncto criminatores, *impietatis*; Driedo autem loco notato, *magnæ impudentiæ* damnat. Itaque de sana hac in parte Chrysostomi doctrina, non videtur dubitandum. Ac proinde quam explicationem adductis ex eo locis concedimus, eandem vni simili loco apud Valerianum negare non est æquum.

11. S. Isidorus Pelus. Chrysostomi discipulus, l. b. 4. epist. 171. ita scribit. *Non solum ea quæ non sunt in nostra potestate, vt tu vir sapiens arbitraris; sed ea quoque, quorum nos sumus domini, si non magna auxilij copia nobis à diuina prouidentia aduenia, non poterimus ad perfectum finem exitúmque perducere. Aderit autem id præsto omnino iis hominibus, qui absque tergiuersatione ac prætextu vllo ea quæ penes se sunt, inferunt, nihilque eorum quæ ad illud impetrãdum conducere videntur, prætermittunt.* Priora verba apertè ferunt, Dei esse perficere: posteriora autem, nostrum esse velle. At ne hæc volitio viribus naturæ ab eo adscribi censeatur, audi quæ subiicit. *Nam diuina prouidentia quæ non volentes excitat, & hortatur vt velint; profectò eos qui volunt, omniáque faciunt & sollicitè agunt, omnino in ipsum præclarè factorum subuehet fastigium.* Et apertissimè lib. 2. epist. 72. *Cognita præeuntis diuini auxilij facultate quisquis vult, & laborat, atque omnia mouet (neque enim nuda voluntas sufficit;) tum addiscit, tum fructum edit, tum salutem assequitur.* Videsis præterea ibid. epist. 266. & l. 3. epist. 271.

12. Hilarius diaconus, is quem S. Hieronymus dialog. aduersus Lucifer. *orbis Deucalionem* ob inductum anabaptismum, nominauit, in Commentariis in Paulum, (qui perperam Ambrosio adscribuntur, cum sint istius Hilarij vt notauit vir eruditus in edit. Louan. ad lib. 4. Diui Augustini contra duas epist. c. 4.) perspicuè præiuit Valeriano ad illud Philip. 2. *Deus est qui operatur in vobis velle & operari pro bona voluntate*; sic enim habet. *Apostolus Deum bonos conatus adiuuare testatur. Omnem enim gratiam semper reportat ad Deum, vt nostrum sit velle, perficere verò Dei.* Nec potest opponi schisma, aut etiam hæresis huius Hilarij. Nam quoad negotium gratiæ & quæ ad Pelagianos spectant, Catholicè sensit: alioqui S. Augustinus lib. illo 4. contra duas epist. c. item 4. non protulisset contra Pelagianos, locum ex his commentariis in cap. 5. ad Rom. in explicatione verborum illorum, *in quo omnes peccauerunt*. Et cum alleget hos commentarios nomine S. Hilarij, non inanis inde desumitur coniectura, de Hilarij huius resipiscentia & reuocatione ad Ecclesiam, & vsquequaque veram fidem. Quod enim S. Augustinus communitate nominis deceptus, adscripserit Hilario Pictauiensi hos commentarios, & idcirco eorum autorem vocauerit Sanctum Hilarium; nimis pingue est, & Augustini nare ac solertia indignum, in tanto styli & scriptionis discrimine; præsertimque cum S. Augustinus non ignoraret, ipsummet Commentariorum illorum authorem in cap. 3. prioris epistolæ ad Timoth. se Damasi Pontificis, hoc est ipsius prope Augustini æqualem prodere, quod bellè cum Hilarij Diaconi ætate consentit, non item cum ætate S. Hilarij Pictauiensis.

13. S. Hieronymus, cuius de gratia doctrinam contra Ruffinum de Semipelagianismo suspectum, approbat Gelas. c. *sancta Romana*, & epistola 7. quæ est ad Episcopos Piceni; Item qui dialog. 3. aduersus Pelag. profitetur se doctrinæ Diui Augustini de gratia adhærere, & vicissim à D. Augustino pro Catholica doctrina contra Pelagianos profertur lib. 1. contra Iulian. c. 2. & lib. 2. *sub finem*, vbi de falsis rumoribus à Pelagio iactatis aduersus S. Hieronymum *quasi ei tanquam æmulo inuidisset*: sanctus inquam Hieronymus ita scribit dialog. 3. contra Pelag.

Hoc

Hoc scito, baptismum præterita donare peccata, non futuram seruare iustitiam, quæ labore & industria ac diligentia, & semper super omnia Dei clementia custoditur, vt nostrum sit rogare, illius tribuere quòd rogatur; nostrum incipere, illius perficere; nostrum offerre quod possumus, illius implere quod non possumus. Rursus infra in eodem dialogo. *Vbi misericordia & gratia est, liberum ex parte cessat arbitrium, quod in eo tantum est vt velimus atque cupiamus, & placitis tribuamus assensum. Iam in Domini potestate est, vt id quod cupimus, quod laboramus, ac nitimur, illius ope & auxilio implere valeamus.* Idem in c. 3. Ezech. ad illud, *& aperui os meũ*, hæc habet. *Ego inquit Propheta aperui os meum, quia mihi dictum est, aperi os tuum & comede. Aperto ore Dominus largitus est cibos, vt initia voluntatis in nobis sint & perfectionem à Domino consequamur. Non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Attamen & velle, & currere, nostri arbitrij est.* Et lib. 2. in Iouin. *Sicut in bonis operibus perfector est Deus; non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis Dei; & adiuuantis vt peruenire valeamus ad calcem: sic in malis atque peccatis, semina nostra sunt; incentiua & perfectio diaboli.* Idem in epistola ad Theodosium & alios anachoretas, agens de studio euadendi è seculi tenebris per supernaturales actus, ait. *Et ante dixeram præsens, & nunc per litteras votum indicare non cesso, quod mens mea omni ad id studium cupiditate rapiatur. Nunc vestrum est, vt voluntatẽ sequatur effectus: Meum est, vt velim; obsecrationũ vestrarum est vt quod velim, & possim.* Nempe quia exorabitis mihi auxilium Dei, cuius est perficere. Quid loco Valeriani magis geminum. Idem epist. 8. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. Et tamen velle & velle nostrum est: Ipsumque quod nostrum est, sine Dei miseratione nostrum non est.* Nemo vnquam calumniatus est Catholico dogmati de initio salutis planè gratuito aduersari, cum tam constanter D. Hieronym. pro gratia pugnet aduersus eius hostes, perspicuéque epist. 8. *sub medium*, Demetriadem doceat, quomodo accipienda sint hæc, quibus dicit nostrum esse velle, Dei verò perficere. *Velle*, inquit, *& nolle nostrum est: ipsum quoque quod nostrum est, sine Dei miseratione nostrum non est.* Et in epist. ad Ctesiphon. *Velle & currere meum est, sed ipsum meum, sine Dei semper auxilio, non erit meum: Dicit enim idem Apostolus, Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere.*

14. S. August. lib. 1. retract. c. 23. & lib. de prædest. SS. c. 3. vtrobique excutiens locum ex ea quam iunior ediderat expositione quarundam propositionum epistolæ ad Romanos, disertè admittit, verè & Catholicè dici, *nostrum esse, velle; Dei verò, perficere*; quamuis corrigat quod insuper in illis propositionibus dixerat, *nostrum esse credere*; quia nondum, (vt fatetur,) benè discussis gratiæ arcanis, existimabat cùm eas propositiones exponeret, actum fidei non esse ex gratia, sed esse naturæ fœtum. Itaque absolutè retractat quòd in ea expositione dixerat prop. 61. *nostrum esse quod credimus, quod autem bonum operamur, illius est qui credentibus dat Spiritum sanctum.* Admittit autem tanquam Catholicum, quod ibidem addiderat, *Nostrum est credere & velle, Dei autem dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi*; quia de volitione, tametsi supernaturali (qualis ea est quæ ad credendum interuenit) rectè dicitur quod nostra sit, *propter arbitrium voluntatis*, vt ibidẽ addit: quamuis etiã Dei sit, ratione gratiæ diuinæ voluntatem præparantis, & roborantis. Quatenus autem credere substernitur volitioni nostræ, per quam inducitur; sic etiam ipsum credere nostrum est, quia non fit nisi volentibus nobis. Hoc sensu, & vt ait, hac regula seruata, agnoscit Augustinus locis allegatis, verissimè dici nostrum esse velle, Dei verò facultatem perficiendi siue operandi tribuere.

Iisdem locis ratum habet, valdéque commendat, quod in iisdem propositionibus in 62. dixerat *Cum post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra & cursus noster, nisi & Deus vires currentibus præbeat, & perducat quò vocat: Ac deinde subiunxi. Manifestum est ergo, non volentis neque currentis, sed miserentis Dei esse, quod bene operamur. Omnino verissimum est.* At hoc idem planè est cum sententia quæ apud Valerianum insimulabatur erroris. Nam & voluntatem nostram agnoscit Augustinus, siue velle nostrum in negotio salutis, & huic volitioni accedere insuper vult perfectionem à Deo gratiæ authore & consummatore, quod vnum dixit Valerianus. Proindéque si Valeriani criminatio subsistat, D. August. si Deo placet, Semipelagianismi damnandus erit in eo suo iudico in retractationibus prodito circa propositionem ei planè geminam, quæ apud Valerianum arguitur, & confirmatur in lib. de prædest. SS. vbi maximè feruebat exagitatio Semipelagianorum, contra quos liber ille extrema D. August ætate ex instituto scriptus est.

Eiusdem D. Augustini locus in q 68. & 85. luculentus admodum est *Si quis*, inquit *magno gemitu & dolore pœnitendi, misericordia Dei dignus fuerit, non ipsius est, qui si relinqueretur, interiret, sed miserentis Dei, qui eius precibus doloribusque subuenit. Parum est enim velle, nisi Deus misereatur, sed Deus non miseretur qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit ad pacem.* Hanc præcessionem voluntatis ad pacem Dei, non excludere misericordiam Dei præuenientem, declarat ipse S. Augustinus l. 1. retract. cap. 26. locum propositum recognoscens. Igitur cum voluntatem ad perfectam animæ pacem diuinitùs concedendam præcedere, pacem autem illam subsequi, idem planè sit ac dicere, nostrum esse velle, Dei verò perficere, intelligit omnino S. Augustinus velle illi nostro præire diuinum donum gratuitum, idque non negari cum dicitur à nobis sumi exordium liberè volendi, aut nostrum esse, velle.

Suppetit prætereà insignis locus ex D. Augustino quæst. 9. in Exod. vbi tractans illud Dei ad Mosem, *Sed nunc vade tu, & ego aperiam os tuum, & instruam te quæ locuturus es*, cúmque locum componens cum loco Psalmi 80. quo Deus hominem inuitat vt os dilatet & aperiat, Deo ipso os dilatatum impleturo; ita differit, *Satis hic apparet non tantum instructionem oris, sed ipsam etiam apertionem, ad Dei voluntatem & gratiam pertinere. Non enim ait: Tu aperi os tuum, & ego instruam te, sed vtrumque ipse promisit, aperiam & instruam. Alibi autem dicit in Psalmo, dilata os tuum, & adimplebo illud. Vbi significat in homine voluntatem accipiendi quod Deus donat volenti: vt ad voluntatis exordium pertineat, dilata os tuum: ad Dei autem gratiam, & adimplebo illud.* En disertè assignatum voluntati (vtique antecedenter præuentæ & concomitanter adiutæ,) exordium consensus liberi, Deo autem adimpletionem. Quod enim ea præuentio illúdque adiutorium non proponatur expressè eo Psalmi loco, sicut proponitur in illis aliis verbis ex 4. Exodi, parum refert; quia quod subticetur, non idcirco negatur. Itaque voluntas, afferente per Psaltem Spiritu sancto, & interprete D. August. suppositis diuinis auxiliis antecedentibus, & comitantibus ad manum positis, præbet exordium cudendi liberi consensus, quo vult accipere quod Deus donat volenti. Eo autem exordio

exordio posito, factáque per hominem ea apertione & dilatatione oris, Deus adimplens siue perficiens non deest. Videsis in eandem sententiam philosophantem egregiè Augustinum serm. 7. de verb. Apost. *sub initium*, vbi ad accipiendam gratiam diuinæ bonitatis, vult aperiri ab homine sinum voluntatis; & hominem monet, vt Deus velit ei quod petit, dare, accommodandam ipsi homini esse voluntatem ad accipiendum. Et l. contra epistolam fundam. cap. 1. in ipso fine. *Nostrum fuit velle, has partes expetere: Dei est, volentibus & petentibus donare quod bonum est.* Hæc tam genuina sunt iis quæ apud Valerianum calumniæ patent, vt non videam sit-ne gutta guttæ similior.

15. Eucherius Lugdunensis, aut quisquis alius author homil. 11. de Paschate, perperam Eusebio Emisseno inscriptæ, respondens percontanti cur Deus salutem hominis, eo quo perficitur modo, sanxerit exequendam, non autem iure supremi dominij hominem liberando & obstipum iacentémque subuehendo ad gloriam, hæc habet præter cætera. *Iniquissimum videtur, vt qui ceciderat voluntarius, erigeretur inuitus. Vides quia dignantissimi Medici studium, infirmi sui requirit assensum? Per liberum arbitrium est excepta captiuitas; per liberum rursus arbitrium erat restituenda libertas. Dominus enim qui ianuam reserat etiam sollicitudinem pulsantis expectat. Pulsantis inquam, nam vbi labore studuerit reparare quod perdidit, nec damnum rei perditæ, nec fructum sentiet restitutæ. Beneficium non potest custodire, qui nescit desiderare. Periclitatur munerantis donum, si non inueniat suscipientis affectum.* Et mox. *Hoc elaborat diuina prouidentia, vt quia consensus crimen intulit perdito, voluntas meritum conferat acquisito, & deuotio reparati iustitiam reparatoris ostendat.* Vtique dum homini pro bona sua voluntate benignè facit, perficitque & consummat quod homo adhibito duntaxat affectu inchoauerat, conferens quod suum est. Ita enim ferunt quæ retulimus, súntque, sin minus verbis, at saltem sensu, eadem cum illis quæ apud Valerianum purgamus. Et vtrorunque sensus est quem toties iam profero. Nempe hominem diuinitus inuitatum, præbere prius ratione assensum, pulsare, & velle: Idque contuentem Deum, cooperari homini, & opus perficere ad quod voluntatem illexit: ac ne per ingruentia discrimina auertatur à recto, prouidere cœlestes suppetias, quibus voluntas roboretur atque fulciatur aduersus hostiles impetus, & intestinum diffidium.

Ne verò quis Eucherio (si is est homiliæ author;) ob affinitatem cum Hilario Arelatensi, Sempelagianismum impingat; expendat illa ex hom. 9. quibus breuius eandem doctrinam proponens, ait hominem non fuisse compellendum, sed ducendum ad salutem: vt sua voluntate repararetur, qui sua voluntate ceciderat, essetque locus & virtuti & remunerationi, & idcirco hominem à Deo non abripi per violentiam, sed per beneuolentiam sollicitari & erudiri in vitam. *Quia benignitas prouocantis etiam meritum desiderat acquiescentis, & dignantissimi Medici studium infirmi sui requirit assensum.* Non poterat concinnius & apertius diuinam præuentionem testatam dare; séque Semipelagianismi tunc maximè vigentis, labe eximere.

Alius ex Eucherio locus in hanc rem expensione dignus, habetur homil. 3. ad Monachos, *sub finem*; sic enim scribit præter cætera. *Vbi viderit Deus deuotionem animi, ardentiorem insinuabit affectum, & quantum nos addiderimus ad studium, tantum ille apponet ad adiutorium; quantum nos apposuerimus ad diligentiam, & tantum ille addet ad gloriam. Qui habet, etiam dabitur illi, & superabundabit. Et alio loco dicit.* Posui adiutorium super potentem. Hæc eidem repensioni patere videri possunt, cui verba apud Valerianum suspecta. Nam Deum adiuuare potentem; & appetere adiutorium ad studium; & affectum insinuare, vbi deuotionem viderit; idem sonare videtur quod illa Valeriani, *nostrum est velle, Dei perficere.* Sensus tamen Eucherij est omnino Catholicus, & probè cohærens cum gratuita præuentione. Nam scopus eius est docere, quo plus homo collaborat gratiæ Dei, eo ampliorem quæstum facere, magisque semper ac magis ditescere: Ita tamen, vt velit initium laboris à Deo præueniente factum, cui propterea totum laboris fructum, ac quæstum hominis vult adscribi. Sic enim paulo ante verba proposita loquitur. *Sanctus adhuc sanctificetur, quotidie addamus ad merita, nec de nobis aliquid præsumamus, quia Dei est omne quod possumus.* Et statim post verba quæ aurea retulimus, tanquam suspecta, ita concludit, apertè eluens omnem in verbis illis suspicionem. *Gratia ergo de gratia nascitur, & profectus profectibus seruiunt, lucra lucris, & merita meritis lucrum faciunt; vt quanto quis plus acquirere cœperit, tanto plus conetur & delectetur acquirere, vt acquisitionis lucrum acquirendi nutriat appetitum.* Quem ergo Catholicum sensum posteriora & anteriora Eucherij verba, intermediis illis quæ Valeriani loco affinia diximus, apertè ferunt, quidni verbis quoque Valeriani, cum nihil apud eum obstet, aptare liceat.

16. S. Dorotheus diuinæ gratiæ frequens assertor, cui S. Theodorus Studita, vir & sanctissimus & doctissimus, ac suo tempore fidei in Oriente columen, in Testamento nu. 4. testimonium perhibet syncerissimæ ac Catholicissimæ doctrinæ in omnibus scriptis, ita loquitur doctr. 10. num. 2. *Deus illum respicit & libenter adiuuat, datque illi quietem, qui viriliter decertat, & sibi ipsi vim facit. Itaque nos ipsos fratres cogamus, compellamúsque, ac stabile fundamentum iaciamus, velimúsque tandem quod bonum est. Nam etsi perfecti nondum sumus, perfectionem tamen ipsam velle, & quod bonum est appetere, principium & fundamentum est nostræ salutis. Simul ac enim velle cœperimus, cœpimus auxiliante Deo & pugnare. Non deerit qui nos ad parandas virtutes adiuuet, modò ipsi decertemus. Proinde quidam ex Patribus frequenter dicere solebat? Da sanguinem & accipe spiritum. Hoc est, certa, contende, enitere, & habitum procul dubio virtutis acquires.* In his verbis sententia quæ in Valeriano malè audiebat, multipliciter continetur. Vt enim Deus hominem respiciat, vt Dei adiutorium accedat, vt Deus quietem det, & ad perfectionem pertingere contingat; vult Dorotheus hominem fundamentum suæ salutis iacere, & velle ac appetere quod bonum est, cui volitioni spondet non defuturum Deum; & præstito per nos sanguine, hoc est sudore & conatu nostro, vt ipsemet interpretatur doctr. 11. num. 1. contestatur non defore diuinam gratiam ac spiritum, & subsecuturam perfectionem ad quam connitebamur. Similiterque doctr. 14. num. 13. *incipe* (inquit) *forti animo, & fide constanti erga Deum. Ostende illi animi tui propositum ac studium, & adesse ibi procul dubio senties auxilium illius ad recte agendum, & cum virtute.*

Hæc si apud S. Dorotheum eadem seueritate acciperentur, qua criminator accipi vult apud Valerianum; & sensus esset, conatui ex mera libertatis vi naturali, humanisque viribus concepto, subiungi Deum opitulatorem ea dispositione pellectum, adducentémque ad perfectum; malè omnino

S. Theodorus

S. Theodorus Studita testatum Ecclesiæ moriens reliquisset, nihil in S. Dorothei doctrinis contineri contra rectam & sanam fidem. Est enim error exploratus, & iam compertus S.Dorothei æuo (hoc est sub annum Christi 360.) multóque magis tempore S.Theodori Studitæ,(id est anno Christi 800.) asserere gratiam diuinam subiungi humano labori tanquam dispositioni. Itaque sensus Dorothei is est quem Valeriano similiter loquenti dedimus: Nempe homini ex gratia & per gratiam diuinitus præmissam operanti, ac fundamentum vlteriorum & vberiorum auxiliorum per bonum vsum priorum iacienti, rependi à Deo spiritum: Et Deum accedere consummatorem operis suppeditatione gratiæ largioris, ac concessione perseuerantiæ, quæ homini à Deo expectanda est vltra vocationem.

16 S.Gregorius Papa, referente S.Zacharia Romano Pontif.epistola 6.ad S.Bonifacium Maguntinum(extat Tom. 2.Decretal.epist. Sum.Pontif. & inter epistol.S. Bonifacij post 137.) hæc verba habet. *Bonum opus sit in voluntate,& cum Dei adiutorio erit in perfectione.* Non alium S. Gregorium, quàm Romanum, allegari ibi à S.Zacharia, persuasissimum habeo. Neque enim Pontifex Roma scribens, alium Gregorium, sine addito aliquo discriminante adduceret. Præterquam quod fuit ille Pontifex S. Gregorio addictissimus, eiusque dialogos Græcè vertit, vt refert Photius. Vbi is locus apud S. Gregorium Magnum legeretur, hæsi alias ambiguus. Nam loca duo S.Gregorij, quibus ea verba contineri notat Serarius in scoliis ad S. Bonifacij epistolas, nihil tale reuera continent. Sed postea deprehendi, eum locum haberi homil.21. in Euang. *Sub initium.* Et quamuis is locus nullibi apud S. Gregorium occurreret, indubiè tamen habendus esset germanus S. Gregorij, quia de fide S.Zachariæ Pontificis in allegando S.Gregorij loco, dubitare non licet. Et quamuis aliquis perfrictè auderet diffiteri, ea verba esse S.Gregorij, sola S.Zachariæ Pontificis authoritas ad plenam eorum indemnitatem satis superque esse posset. Itaque locus allegatus, duorum sanctissimorum Pontificum authoritate communitur. Hinc quanta tutela accedat Valeriano, qui non aliud dixit quàm hi fidei Magistri, nihil attinet exponere. In epistola 40. Hormisdæ Papæ, quæ est ad Anastasiam & Palmatiam (est 34.in Tom. 1. Epist. Decretal. in huius Pontificis epistolarum serie,) habentur verba, loco proximè citato valdè affinia. Hæc nimirum. *Bonæ voluntatis studium diuinæ semper comitatur prosperitatis effectus.*

S.Ildephonsus serm. 1. de assumpt.initio. *Sit nobis bona voluntas in affectu, erit pro certo Dei adiutorium in prouentu.* Quid clarius? Quid Valeriani dicto similius.

Beda in negotio gratiæ versatissimus,& D. Augustini studiosissimus, tantùm abest vt vitium vllum in Valeriani verbis quæ excutimus subolfecerit, vt potius q.13. ex variis (habentur tomo 8.) ea profetat ex libro Sapientiæ. Sic enim scribit: *Deus hominem fecit perfectum, & talem scilicet, qui posset velle bonum & non velle. Et hoc est liberum arbitrium, velle scilicet & nolle absolutum. Hoc est velle suum hominis per naturam sic dicitur in Sapientia, nostrum est velle, Dei autem perficere. Nostrum scilicet per naturam. Et Apostolus: Velle quidem adiacet mihi per naturam. Sed hoc velle & hoc bonum deprauauit homo peccando, & quasi extinxit, non tamen omnino, quia semper remansit in eo aliqua scintilla boni. Et quando Apostolus dixit, Deus operatur velle, sic non intelligimus quo modo primùm ponat in eo velle, sed voluntatem quæ in eo est per naturam, deprauatam & quasi extinctam suscitet & reuiuiscere faciat. Sic facimus conuenire ista duo, quod scriptura dicit, nostrum est velle, & quod Apostolus, Deus operatur velle cum libero arbitrio.* Horum quidem verborum cortex *nostrum est velle, Dei autem perficere*, in libro Sapientiæ non comparet. Itaque expressum esse à Beda sensum, necesse est; fortassis loci illius ex cap. 12. quo pronunciatur Deum cum magna reuerentia nos disponere. Nempe quatenus antecedenter præuentos, atque pulsatos cogitatione & suauitate non libera dimittit nobis ipsis; nostrumque liberum velle, siue nostram ad actum elicitum consensus, determinationem præstolatur, perfecturus quod illa tulerit. Fortassis expressit locum illustrissimum de libero arbitrio ex cap.15. Ecclesiastici, qui liber cum sit sapientialis, interdum appellatur *Sapientia.* Quicquid verò sit de scripturæ loco, quo Beda propositam sententiam expressam censuit, sufficit in præsentia eam Bedæ fuisse certam, & planè Catholicam, cum etiam à Spiritu sancto dictatam existimarit. Disertè enim quod prius dixerat haberi in Sapientia, mox subdit haberi in scriptura. Vt proinde non possit quis existimare, Sapientiam à Beda primùm memoratam, esse librum sapientis alicuius scriptoris non canonici.

17. S. Damascenus orat. 3. de imag. tradens primum genus eorum quibus potest adoratio deferri, ait eo contineri sanctos, *qui pro virili conformes se reddiderunt Deo, suamet voluntate & destinato proposito per cohabitantem & cooperantem Deum; qui & verè Dij nuncupantur, sed adoptione, non natura, &c. Hic primùm à libertate pendet propositi & voluntatis. Deinde omni qui certa deliberatione & animi destinatione proponit bonum, Deus cooperatur in bonum.* Idem 2. fid.orthod.cap. 19. *Nosse oportet electionem agendorum, in nostra esse potestate, finem autem bonorum in Dei cooperatione, iustè cooperante iis qui recta conscientia bonum eligunt, secundum præscientiam eius.* Quem interpres vertit, *finem bonorum*, æquè vertere poterat, aut etiam debebat, *perfectionem.* Neque enim eo Damasc. loco potest sermo esse de causa finali, vt per se patet. Vox autem Græca τέλος, quam ibi adhibet Damascenus, non causam tantùm finalem, sed alia etiam multa significat; interque ea *perfectionem*, vt notauit qui de vocis illius palyonimia agit, Stobæus in Eclogis ethicis capite 3. *initio.* Idcirco addens, nuptias Doricè dici τέλος: vel quod iuuentutem perficiant, vel quod virum mulieri sociatum perficiant; qua ratione pronubam Iunonem, *perfectam* dictam obseruat. Itaque apertè Damascenus idipsum ait quod Valerianus, *nostrum esse velle & eligere, Dei perficere.*

Marcus Eremita tractatu de Paradiso, interrogatione vltima. *Iubet Deus vt homo imprimis cognoscat, & cùm cognouerit amet, ac voluntatem depromat. Vt autem mens exerceatur, laborem perferat, aut opus aliquod perficiat, gratia Domini largitur volenti & credenti. Quare voluntas hominis, est velut auxilium à natura insitum, qua absente, ne Deus quidem quippiam operatur, tametsi facultate non careat, quod fit ob arbitrij humani libertatem. Igitur operis perfectio, Dei est, voluntas autem hominis.* Non est opus Marci & Valeriani verba conferre: tam genuina sunt, imo tam eadem. Tantùm opponi potest, hunc quoque Marcum, admodum morbosum censeri. Hoc ego quoad alia nunc non excutio. In hoc tamen puncto planè sanus est. Nam S.Macarium hom. 37. ferè exscripsit, in verbis quæ ante postremam hanc interrogationem habentur, apertè tradidit gratiam præuenientem. *Nunquam*, inquit, *existimes te præ-*

uenisse Dominum in virtute, ex eius sententia qui dicit; ipse est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.

18. Strabus Fuldensis in glossa ordinaria in capite 3. Ezech. ad illud, *& aperui os meum*, describens eo loco S. Hieronymum, ita scribit. *Aperto ore Dominus cibos largitur, vt initia voluntatis in nobis sint; & perfectionem beatitudinis à Domino consequamur. Non est enim volentis neque currentis, sed Dei miserentis. Velle tamen & currere, nostri est arbitrij.* Hæc apertè sunt eadem cum illis quæ leguntur apud Valerianum: & cum Strabus ea apud Hieronymum lecta, sua fecerit, satis monstrauit nullum se in eis errorem subodoratum.

Theophylactus, qui vt liquet ex præfatione in Euangelium Matthæi, & ex comment. in capite 22. ad illud, *multi sunt vocati*, catholicissimè de salutis initio & gratia præueniente sensit: Tamen in capite 9. ad Romanos, ad illud *non est volentis*, hæc verba habet: *Videtur hic liberum arbitrium tollere Apostolus. At illud non agit. Nam quemadmodum de domo dicimus. Totum est artificis cum interim opus habeat materia, & cooperatoribus ipsum adiuuantibus; attamen quia rei consummatio ab illo pendet, dicimus; Totum hoc illius, nimirum fabri est; vel eam domum iste faber condidit. Non dissimili ratione, & nostra voluntate indiget Deus. Attamen quia ille consummat & perficit, dicimus, totum hoc Dei est.* En Deus iuxta Theophylactum in negotio salutis, consummat & perficit: non accedit tamen consummator, quin interueniat nostra voluntas, qua non præsupposita non cooperaretur nobis, neque consummaret aut perficeret salutem nostram. Quid aliud dicit valerianus! Recolatur locus suprà num. 9. adductus ex Chrysostomi hom.42.ad pop. quam Theophylactus apertè defloraruit, & esse quam proposui eius mentem, erit extra dubium.

19. Philotheus Constantinopol. Orat. in tertiam ieiuniorum Dominicam, de crucis adorat. expendens illud Christi, *si quis vult venire*, satis fusè aperit diuinum consilium in relinquenda homini potestate suæ voluntatis in negotio salutis suæ; tandémque concludit, summam dignitatem ac pretiositatem bonorum quæ nobis Deo ab audientibus parata sunt, in causa esse cur vi trahendi non simus; præsertim cum ea quæ accipiuntur cum necessitate ac vi, non diu perseuerent. Tum subdit, *hac de causa non cogit Christus, sed si quis vult sequi, eum vocat, eumque admittit.* Si volueritis *inquit*, & audieritis me. *Prius est velle, & tum demum audire. Si non voluerimus, neque audire poterimus: Omnes enim virtutis & vitij functiones in voluntate nostra sita sunt.* Nec aliter Ioannes Xiphilinus item Constantinopol. Patriarcha Orat. de eodem argumento, iisdem propè verbis locum illum Esaiæ adducens ad propositorum Christi consiliorum illustrationem. *Per Esaiam,* inquit, *dicit, si volueritis & audieritis me. Prius enim velle oportet, ac tum audire, vt pro nostra parte liberi simus. Ibi enim ex eo quod nolimus, fit vt non audiamus. Sic omnis beatitudo & pœna, dolorumque perpessio, à nostra libera potestate proficiscitur.* Vterque apertè profecit ex Chrysostomo orat. de eodem argumento.

In horum authorum dictis quæ retuli, non modò primo loco statuitur velle liberum, quod in Valeriano vocatur in suspicionem: sed etiam quod durius est, vocatio videtur subiungi liberæ volitioni, quatenus auditio, quæ vocationem affectare videtur, postposita ab illis est volitioni. Quasi volitio vocationem aduocet aut impetret, vt dixit etiam S. Ambros. lib. 1. de Cain. cap. 8. agens de vocatione Zacchei, quem ait impetrasse vt vocaretur. Quæ multa duriora sunt iis ex parte aliqua similibus, quæ tam seuerè accipiuntur apud Valerianum. In horum ergo authorum locutionibus, *velle*, quod iacitur tanquam fundamentum primum totius substructionis vlterioris, non est ita primum, quin diuinæ motioni anteriori ex qua productum est, inædificetur; sed tantùm dicitur prius respectu diuinæ gratiæ cooperantis & reliqui progressus consequentis: est autem planè posterius diuina gratia excitante ad volendum, siue vocatione, quæ non impetratur prout omnino prima, sed tantum prout expressior vel vberior; aut prout sollicitat ad vlteriora opera bona, connexa cum primo ex diuina gratia merè liberaliter concessa, & nullis bonis operibus impetrata, prælicito. Ei autem eatenus primæ volitioni Deus adiungit quod suum est, & perfectionem nostri illius initij; nempe gratiam cooperantem ac subsequentem, quibus nostrum illud rudimentum ex diuina præuentione excitatum confouetur, & ad perfectum adducitur. Quidni longè molliùs locutum Valerianum eodem modo accipere liceat, equidem non video.

20. S. Bernardus lib. de interiori domo cap. 68. *Potestatis nostræ est, diuinæ inspirationi acquiescere, & quæ ad salutem nostram pertinent, eligere & sequi. Diuini verò muneris est, vt possimus adipisci quod sequendo cupimus consequi.* Hæc cum sententia quam apud Valerianum male audire volunt, tam gemina sunt, vt non sit facienda contentio. Nec refert quod eodem capite Bernardus tam disertè astruat necessitatem gratiæ præuenientis, doceátque *nullam esse humanam industriam sine Dei gratia; & esse in nobis libertatem vt vel eligamus, vel sequamur, sed admonente prius Deo, & inuitante ad salutem.* Nam quod D. Bernardus explicitè dixit, hoc alij Patres eodem modo locuti quoad posteriora illa verba, non excluserunt, sed subintellexerunt, vt sæpè ostendimus.

Hugo Victorinus l. de spiritu & anima (ipse enim censetur verus eius operis parens (cap. 48. eadem verba quæ nunc ex Bernardo descripsimus, adhibet; ac proinde in eandem rem vrgeri potest. Ante vtrumque eodem modo locutus est Rabanus lib. 4. de vniuerso, cap. 10. Omnes vt supra etiam cap. 7. num. 5. notabam, profecerunt ex libro de Ecclesi. dogmat. cap. 21. cuius author fuit Gennadius, qui proinde æquè potuisset adduci, si constaret, illud caput, non esse alicuius Catholici scriptoris additamentum, ad Gennadium, vel corrigendum (est enim de Semipelagiana fuligine suspectus,) vel explendum. Video me à peritis ridendum; si admoneam, hunc Gennadium, esse illum Massiliensem qui sub annum Christi. 490. floruit; non autem illum Gennadium Scholarium, qui Constantinopoli sedit ante annos plus minus ducentos: sub annum scilicet Christi 1440. & pro Ecclesiæ Romanæ ac Græcæ concordia strenuè egit in Concilio Florentino. Quominus tamen id obiter monere superuacuum non sit, facit peritia criminatoris, apud quem mille anni tanquam dies vnus: & idcirco Gennadium libri de Ecclesiasticis dogmatibus authorem, vocat Gennadium Scholarium.

Rupertus libro in Iosue, capite 10. tractans exploratores à Iosue missos, sic habet. *Non ergo quisquam vllo in negotio, tantum de cœlestibus præsumat præsidiis, vt non etiam ipse sibi prior adsit vigilando pro facultate ingenij, laborando proportione virili. Nam sicut minimæ fidei*

est, de diuinis dubitare promissis, sic nimiæ temeritatis vel præsumptionis est, cœlestem per miracula præstolari opem, otiosè sedendo manibus compositis. Hominis namque est incipere, Dei autem perficere. Quid clarius? quid Valerianí dictis quæ in suspicionem vocantur, affinius? Neque tamen Rupertus vnquam Semipelagianismi notatus, vel vtcunque insimulatus est. Imo explicatissimè ac creberrimè, Catholicum dogma de perpetua gratiæ diuinæ auxiliatricis præuentione, apud eum est reperire. Locum verò in hanc rem totam ipsis solis radiis scriptum legere est libro eius 10. de Officiis, c.8.vbi quomodo & præuentio Dei sit necessaria, & tamen nostrum sit velle, & Dei perficere, egregiè aperit.

21. Laurentius Iustinianus lib.de contemp. mundi cap. 8. cum præmisisset noscendum esse, tantùm liberum arbitrium esse nostrum proprium; cætera autem, siue naturalia siue gratuita, esse Dei munera, concludit in hunc modum. *Virtutes & meritorum cumulus, ex liberi arbitrij assensu creantur: Dei nihilominus cooperante virtute, quæ liberum arbitrium.* En liberum arbirrium, eiúsque partum, electionem, Beatus hic Doctor, ait esse *nostrum proprium*; Deo autem tribuit perfectionem per cooperationem & gratiam adiuuantem; quod planè idem est ac si cum Valeriano dixisset, *nostrum esse velle, Dei verò perficere.* Et tamen fuisse Laurentium Iustinianum in negotio gratiæ vsquequaque sanum & Catholicum, patet ex illo ipso capite quod adductum est. Et optimè etiam ex fasciculo amoris c. 8. *sub finem*, & ex lib.de discipl.& perfect. cap.23.

Non pigebit, tot Sanctis Doctoribus, sanctam Virginem à Deo eruditam subtexere; cum apud Deum, vt non Iudæus aut Græcus, seruus aut liber, ita neque mas, aut fœmina sit. B.Hildegardis, quam S.Bernardus, & multi magni Præsules, ipsique etiam Summi Pontifices, propter cœlestem sapientiam, datis ad eam literis coluerunt, respondens ad quæstiones VViberti monachi Gemblacensis, apertè agnoscit, Dei esse perficere bona opera, quæ nos voluerimus. Sic enim habet ad quæstionem, quod proprium quid commune habeant gratia & liberum arbitrium. *Gratia Dei & liberum arbitrium, hoc commune habent, quod homo in scientia boni & mali, vtrumque & bonum & malum ad operandum eligere potest; & quod per proprietatem liberi arbitrij secundum gustum & desiderium carnis quæ nunquam coactus dimittere potest, elegerit, hoc Diabolo adiuuante perficit, & quod secundum voluntatem animæ elegerit, hoc gratia Spiritus sancti adiuuante perficit.* En, *liberum arbitrium potest eligere quæ Deo adiuuante perficit*, quod ipsum est à Valeriano dictum, *nostrum est velle, Dei perficere.*

Hæc quæ retulimus, & similia quæ apud Patres occurrunt, ita omnes accipiunt, vt grauissimos Patres, hoc est florem Ecclesiasticæ eruditionis, Semipelagianismi non damnent; sed pro argumento de quo agunt, variis viis benignè exponant. V.G.ita vt voluerint *nostrum esse velle, Dei verò perficere*, quatenus diuinitus vocati atque præuenti liberè assentimur, cum possemus non assentiri, eo quod etiam post vocationem, vt expressè dixit Chrysost. hom.4.de laud. Pauli, simus domini consensus nostri. Quamuis ad perficiendum & executioni planè mandandum bonum propositum, necessaria sit gratia diuinitus conferenda. Vel certè ita vt voluerint, hominem diuinitùs præuentum præstare liberè Deo consensum; & sic, eius esse velle: Deum autem homini liberè volenti cooperando, perficere effectum primæ vocationis. Vel præterea, ita vt tantùm concedant homini ex se, & ex nudis naturæ viribus operanti, imperfectam boni volitionem, quæ ne remotè quidem disponat ad Iustitiam, & idcirco Dei sit, egestatem nostram honestando, perficere in nobis per gratiam, quod nunquam ex se præstaret natura. Qui omnes sensus, & si qui sunt alij supra tacti, eximunt Patres à calumnia, quamuis semper non meminerint gratuitæ præuentionis, eo quod non id agerent, vt de seipso dixit D.Augustinus 1.retract. cap. 9. excusans suum silentium aut certè parcitatem memorandi gratiam in Libris de libero arbitrio, quos ante exortam hæresim Pelagianam conscripserat. Non inquam id agunt Patres, vt vbiuis omnia dicant, sed pro subiecta materia, quod ad Lectoris vel auditoris ædificationem confert, hoc proponunt. Reliqua quamuis taceant, non tamen concludunt. Ad hanc normam exigenda sunt Patrum scripta, quoties Patres intenti in argumentum quod tractant, adiunctum aliquod minus explicatè proponunt, quod esse illis admodum frequens, notauit S. Anselmus lib. de Sacram.altaris cap.13. Nec potest sine grauissima in viros æquè doctissimos & sanctissimos iniuria, & Ecclesiæ probro, negari illis hæc siue reuerentia, siue benignitas.

22 Quod ergo in aliis Patribus necessariò facimus, quidni in Valeriano æquè fiat? Non enim aduersus eum militat, quod contra Cassianum & Faustum esse vidimus: vt scilicet reclamarint aduersus eum Patres, qui per ea tempora viuebant, erántque probè conscij mentis ac sensus quo dictum aliquatenus lubricum, & in bonam, malamve partem flexile, fuerat prolatum. Itaque idem de Valeriano quod de tam multis aliis Patribus, similiter, vel etiam duriùs loquutis, pronunciandum est. Imo quamuis Valerianus non versaretur in eadem naui cum tam multis aliis Patribus, æquum foret sententiam quæ in verum æquè ac falsum sensum potest accipi, interpretari in bonum ac Catholicum sensum. Ita enim postulat Christiana charitas, & mititas. Et vt Nazianzenus orat. 8. rectè censuit, *Non facilè de alio malum suspicatur, qui non facilè ad malum impellitur.* Ita neque alienis dictis, præsertim quæ annositate incanuerint, subiacere falsitatem facilè persuadebitur, qui veritatis & synceritatis ipse sit amans, nec minùs cum aliis agere, quàm agi secum candidè velit.

CAPVT X.

An Valerianus, Sancti titulo, quo iam olim in MM. SS. potitur, exuendus.

1. QVod olim in sua causa Madaurensis Philosophus, hoc in Valeriani negotio, vnius & alterius voculæ immutatione dicere licet: *Ecquandóne vidisti flammam, stipula exortam, claro crepitu, largo fulgore, cito incremento. Sed enim materia leui, caduco incendio, nullis reliquiis. Hem tibi illa accusatio iurgiis inita, verbis aucta, argumentis defecta, rebus flaccens, strepitu vigens, nullis post æquorum arbitrorum sententiam reliquiis calumniæ permansura.* Nihil à me exaggeratum, nihil oratoriè, aut cum veritatis vel charitatis parcitate dictum intelligunt, qui criminationis Valeriano quoad doctriam impactæ, ortum & progressionem edocti, ius eius & euentum, inanitatem inquam & infirmitatem, ex hac lucubratiuncula

tiuncula æstimabunt. Nunc tractandum superest alterum criminationis caput supra propositum, spectans ad *Sancti* prænomen. Quamquam poterimus hac in parte esse breuiores; non modò quia criminator vti vnicum eius fundamentum profert corruptam Valeriani doctrinam, quod satis hactenus disiecimus; sed etiam quia hæc criminationis pars, non tam ipsum impetit Valerianum, in quem tuendum & purgandum incumbimus, quàm alios qui ei titulum illum detulerunt. Seueritas tamen criminatoris, eiusque in re quam accipere benignè licuerat, charitatis parcitas, hoc quoque criminationis caput obiter, & in transcursu attingere suadet.

2. Inde ergo infert Criminator, Valerianum perperam & cum fidei Catholicæ iniuria SANCTI titulum præferre, quòd Semipelagianus cum fuerit, veræ sanctitatis quæ extra Catholicam fidem nulla est, expertem fuisse fatendum sit. Quod enim de sui temporis hæreticis à Sancto Irenæo scriptum est lib.4. cap. 60. æquè in omnes quoad pietatem & sanctimoniam intorquere licet. *Putatiuum est, & non veritas, omne apud eos.* Notauit quidem Origen. homil. 7. in Ezech. nihil esse hæreticis familiarius, quàm vt *per vmbram sanctitatis*, simplicibus fucum faciant, idque Augustinus lib.2. aduers. litter. Petil. cap.18. diaboli, & electorum eius organorum, proprium esse confirmauit; tamen qui iuxta veram definitionem datam ab Epicteto cap. 36. enchiridij, *probitatis ac sanctimoniæ simij duntaxat sunt*; & reipsa eo nomine à Patribus insigniuntur, nominatimque à Sancto Ignatio epistol. 9. & à Sancto Cypriano epistol. ad Iubaianum, facilè produnt, quæ tandem sit illa sanctitas, cuius laruam deformissimæ & omnibus modis fœdissimæ vitæ obtendunt. Non secus ac ille Alexandrinus simius apud Nyss. l. ad Harmonium de Christia. nomine, obiectis nucibus posuit personam, séque quod erat exhibuit. Quare cadit haud dubiè hac causa Valerianus, si extra fidem Catholicam, quæ vnica est vera & Christiana fides, vitam & animam egit.

Qua ratione Sanctus Maximus Monachus & martyr, epistola ad Petrum illustrem, contendit titulum *Sancti*, Pyrrho in hæresim prolapso esse denegandum. *A cuncta enim* (vt ait) *cecidit sanctitate, qui ab Ecclesia Catholica sponte prosiliit.* Et addit, *non nisi per piam confessionem & orthodoxam fidem, sanctificationem recipi, sanctumque vocabulum.* Liceat hîc profectò dicere quod Federicus Imperator apud Tagenonem, in expeditione Asiatica legatis Imperatoris Constantinopolitani ingessit. [Dominus vester *sanctum* se appellat: Mirabilis est sanctitas, quæ sanctos viros, honestos, religiosos, benignè, vtpotè fideles nuncios, in oscula pacis exceptos, in quorum ore non est inuentum mendacium nec iniquitas, subitò consueuit incarcerare, & fame ac nuditate vsque ad mortem macerare. Longè faciat à nobis Deus talem sanctitatem.] Dicere inquam similiter liceat, Valeriani Semipelagianismo supposito, apage sanctitatem fœda hæresi contaminatam, apage sanctum hæreticum.

3. Non est tamen operosum demonstrare quantopere hæc accusatio frigeat. Absque vera enim fide nullum esse sanctitati locum, extra controuersiam est, vt non sit opus in locum communem excurrere, quo sanctam Ecclesiam Catholicam, vnam & solam; hæreticorum autem spelæa, improbitatis & nequitiæ latibula esse planum fiat. Illud ergo demonstrandum fuerat, abfuisse Valerianum à vera fide, quæ illi, vt euici, non nisi per calumniam, & inanem planè suspicionem abrogata est. Et vt cum parcissimo charitatis criminatore Valeriani agam liberaliter, demus sane sanè conuictum ab eo fuisse Valerianum Semipelagianismi, ita vt labis illius indeclinabiliter & inexcusabiliter compertus habeatur: Quidni quod de Fausto & Cassiano quoad gratiæ negotium supra retuli; déque Sancto Cypriano quoad hæreticorum anabaptismum; de Sancto Chrysostomo quoad Deiparæ leues culpas; de Sancto Irenæo quoad millenarium; déque aliis plerisque viris sanctissimis quoad alias materias in confesso est, de Valeriano quoque dici queat? Errasse nimirum materialiter & absque pertinacia, nondum re tunc apertè per Ecclesiam definita, cum tamen hæreticum, veréque fidei exsortem non faciat assertio falsa, sed contumacia & obfirmatio aduersus Ecclesiam fidei magistram, iuxta insignem Augustini doctrinam ad Vincentium Victorem, cuius multos & pingues errores retulerat lib. 3. de origin. animæ, cap. 15. *Absit*, inquit, *vt te arbitreris hac opinando à fide Catholica recessisse, quamuis ea fidei sint aduersa Catholicæ, si coram Deo, cuius in nullius corde oculus fallitur, veraciter te dixisse resipiscis, non te tibi ipsi esse credulum; probari ea quæ dixeris posse, ac studere te semper etiam propriam sententiam non tueri, si improbabilis detegatur: eo quod tibi sit cordi, proprio damnato iudicio, meliora magis, & quæ sint veriora sectari. Iste quippe animus etiam in dictis per ignorantiam non catholicis, ipsa est correctionis præmeditatione ac præparatione catholicus.* Et lib. de dono perseuer. cap.21. idem Augustinus rationem reddens consilij quo ad retractanda quæ ad illud vsque tempus scripserat, animum appulerat, sibique inter scribendum errores aliquos excidere potuisse professus, cuiusmodi sanè erat hic ipse in quo versamur de actu fidei & salutis initio ex naturæ viribus, quem errorem iunior & rerum gratiæ rudis docuerat: *Sed interest*, inquit, *quantum & in quibus rebus erretur; & quàm facilè quisque corrigat, vel quanta pertinacia suum defendere conetur errorem. Bona quippe spei est homo, si eum sic proficientem dies vltimus vitæ huius inuenerit, et adiiciantur ei quæ proficienti defuerunt, & perficiendus quàm puniendus potiùs iudicetur.* Hanc pro eo decore quod Valeriano saluum volumus, excusationem, nemo inidoneam censuerit, qui æquus æstimator esse velit humanæ ad labendum fragilitatis, diuinæque in nos benignitatis, cum abest obduratio animi in errore quem imprudens adieris, non etiam sciens, voléns que retineas.

4. At rigidum censorem canæ vetustatis, & qui parcus chariratis, summo iure cum ea agere obfirmauerit in re de qua agimus, monitum velim, consideret diligenter, ne cum ea benignitatis parcitate iniuria, nec qualicunque, sed irreligiosa, & ipsi Cælo infesta adiungatur. Quam in rem recoli velim ex cap. 1. quàm non vanis coniecturis admodum verisimile effecerimus, hunc esse Valerianum illum, qui ex Abbate in Episcopum promotus, ad omnem sanctimoniam (quod hæ homiliæ docent,) commissum sibi populum informauit, & communicatoriis cum Sancto Leone litteris frequenter vsus, plerisque Conciliis Catholicis subscripsit, famamque suam ad posteros sin minus splendidam, & quod negari non potest, aliquatenus obscuram, at nullo saltem sinistro rumore aspersam transit. Nec enim proditur, vel per

per coniecturam, qui ab omni retro æuo locutus sit de eo verbum malum. Quinetiam sancto fine quieuisse, & tabulis Lyrinensibus ac Martyrologio Monastico stata die 24. Iulij insertum tanquam cœlitem, iis indiciis astruximus, quibus potiora & clariora non sunt, quæ veterum plerisque pacificam seruant possessionem tituli ac decoris, de quo recens Valeriano lis mouetur. Sed quid perantiquum, longéque firmissimum pro Valeriani sanctitate suffragium diutius premo? Veteres MM. SS. codices, ex Sancti Galli, aliisque illustribus bibliothecis depromti Valerianum Cemeliensem harum homiliarum auctorem, *Sanctum* disertè indigetant. An non igitur exemplo non bono, nec absque temeritatis periculo, tentatum videri potest à Valeriani criminatore, de antiqua possessione deiicere eum, cuius ius nullo firmo argumento, nulla vel probabili ratione infirmauerit, sola caligine rerum illius, quam æuum aliis tam multis & sanctissimis & eruditissimis viris offudit, iniuriæ prætenta?

5. Videt Lector, *quàm nullo negotio*, vt Mamerti verbis vtar, *veritatis calor, frigentium verborum pruinas liquefaciat*: nec nessarium hoc loco esse ad illam aliam huius in Valerianum machinæ declinationem confugere, quæ videri cuipiam posset non inruta. Nempe antiquam prænominis huius communicationem, non esse ad præsentem Ecclesiæ vsum admetiendam. Nunc enim non nisi planè *vindicati*, vt cum Sancto Cypriano loquar, hoc titulo decorantur: ita vt ne illi ipsi quidem quos Ecclesia cælestibus honoribus cum aliqua restrictione prosequitur, *Sancti* nominentur, sed *Beati* duntaxat, quamdiu ea restrictio non amouetur, eáque comperendinatione, plenæ ac omnimodæ sanctitatis eorum illustrationi proluditur.

Alium verò olim vsum eam appellationem impertiendi viguisse, nemo tam hospes est in Patrum libris aut in Ecclesiastica Historia vt ignoret. In ipsis enim Ecclesiæ cunabulis, Christiani omnes hoc nomine condecorabantur, vt ex Apostolo sæpè liquet, & ex cap. 9. Actorum, ac ex illius æui Scriptoribus, Ignatio præsertim, qui epistol. ad Magnesianos grauissimè adhortatus Christianos, vt se dignos exhibeant cognomento quod acceperunt, adducit in eam rem illud Isaiæ 62. quod de Christiano populo accipit, *vocabitur nomine nouo, quo Dominus nuncupabit eum, & erit populus sanctus.* Imo Philo Iudæus Apostolorum æqualis, communem *Sanctorum* nomenclaturam Christianis omnibus aptatam eo tempore vulgo fuisse, confirmare videtur, describens Christianorum instituta ac mores sub nomine Essenorum, lib. de vita supplicum, vt Eusebius ac Hieronymus auctores sunt; aliique permulti apud Baronium anno Christi 64. contendunt: Atqui Esseni nomen, cum Sancti nomine, idem esse, habetur ex ipsomet Philone lib. quod omnis probus liber, & ex Chrysostomo homil. 44. in acta. Itaque omnes olim Christiani, sancti audiebant, quippe institutis, professione, ac capite Christo, sancti; & ad omnem sanctitatem aspirare obstricti; & diuino obsequio ac cultui tam multis nominibus mancipati; hoc enim propriè est sanctum esse, iuxta modum loquendi in scripturis frequentissimum, vt aduertit Origenes homil. 11. in Leuit. qui notat, *eam ob rem, etiam muta animalia & vasa ministerij sancta vocitata; & vestimenta, sancta dici, & loca item quæ in vrbibus, vel sub vrbibus posita sunt, & Sacerdotibus deputata. Ex mutis quidem animalibus, primogenita boum vel pecorum, sanctificari per legem Domino iubentur; & dicitur*, ne faciatis in eis opus vllum, quia Domino sancta sunt: *Super vasis verò, cum in tabernaculo testimonij vasa ministerij, thuribula, vel phialæ, vel cætera huiusmodi vasa, sancta appellantur. Super vestimentis etiam, stola Pontificis Aaron, & tunica linea, & cætera huiusmodi vestimenta, sancta dicuntur.* Hæc & alia benè multa eo loco Origenes, latè inferens, totidem modis Christianum posse dici *Sanctum*, & teneri ad sanctitatem aspirare, quot sunt genera rerum inanimatarum, quibus ob specialem aliquem nexum cum diuino cultu, nomen *Sancta* tribuitur. Vt planè videas longè altiùs repetendam esse eam *Sanctorum* appellationem omnibus olim Christianis tributam, quàm vnde eam duxit Pamelius ad librum 2. Tertulliani ad Vxorem cap. 1. numer. 3. qui censet eam primùm petitam ex loco Apostoli 1. Corinth. 7. quot filij Christianorum, dicuntur *Sancti*. Omnes ergo Christiani *Sancti* audiebant: quamuis certum sit non omnes tunc vitam exegisse ad solidæ sanctitatis amussim. Neque tamen idcirco quisquam iure contendat nunc expungendam, quòd seueriùs in ea appellatione tribuenda agatur hoc tempore.

Quinetiam nemo sanctos Patres criminatur, aut inducta spongia delendam contendit, delatam quandoque apud eos hæreticis aut suspectæ fidei hominibus, sancti appellationem, siue ratione muneris quod obibant, siue ob gloriam confessionis, tametsi labe subsequente velut infuscatam. Certè Diuus Augustinus Hilarium Diaconum, Luciferianum; nominat *Sanctum Hilarium*, quamuis non constet resipuisse, & ad Ecclesiam reuenisse. Frequentissimè item *Sanctitatis* titulum, honoris ergò, impendit alloquens Episcopos fidei oblæsæ, aut vitiatæ, quandiu eorum causa desperata non erat. Sanctus Gregorius lib. 6. regest. epist. 6. Ioannem ieiunatorem, quem Baron. anno 596. in peccatis suis mortuum opinatur, vocat *sanctæ memoriæ Ioannem.* Titulus Imperatoris apud Luitprandum l. 1. c. 3. est, δεσποτεία σου ἁγία; *dominatio tua sancta.* S. Cyrillus l. 2. in Nestorium cap. 4. agnoscit quod Nestorius ibi adductus dixerat, Medos ac Persas, Isaiæ 13. sanctos appellari, tametsi impios & idololatras: Nihilominus enim agnoscit dici sanctos, quia sicut *segregatum Deo sacrificium, siue ille vitulus esset, fortasse ouis, sanctum appellabatur, ea ratione etiam Prophetica voce, ipsi quoque sancti sunt vocati, quod diuino numine segregati, dicatique essent ad Babyloniam capiendam.* Constat etiam Alexandrum III. in rescripto ad Regem Æthiopum hæreticum, quod refert Baron. anno Christi 1177. in inscriptione impendisse ei titulum *Sanctissimi*, quo insigniri ab omnibus ex regionis vsu solebat. In quibusdam Manuscriptis Codicibus sexti Concilij Constantinopolitani testatur Alemanius ad Photij historiam arcanam *pag.* 73. legi Iustinianum ἐν ἁγίοις. Sicut in præfatione ad Canones Trullanos dicitur, τῆς θείας λήξεως: id quod etiam de Theodora Augusta habent PP. Sexti Conc. CP. Propudiosam tamen huius Augustæ vitam, & Iustiniani enormia probra à vera sanctitate remotiora, quàm cœlum à terra distet, Procopius prodidit in ea historia. Item Concilium Romanum *Palmare* dictum, Theodorico Gothorum Regi Arriano, titulum *Sancti* (quidam Codices legunt *piissimi*;) tribuisse, non adulandi studio, sed pro more honestandi eo magnifico titulo æui illius Principes. Auctius etiam Dionysius Alexandrinus apud Euseb. 7. histor.

stor. cap. 10. Valerianum & Gallienum, Ethnicos Imperatores Christiano nomini infensissimos, nominauit *Sanctissimos*. Apostoli haud dubiè exemplo, qui hominem pessimum, quod præfectura fungeretur, vulgari titulo appellauit *Optimum*. Contra quam hæreticos iam olim factitasse habetur ex Sancto Chrysostomo ad illud Psalmi 13. *Non est Deus*. Sic enim scribit. *Quilibet hæreticus vehementissimus in tempore persecutionis, loquens cum Pontifice, nec eum vocat Pontificem, nec Archiepiscum, nec religiosissimum, nec Sanctum. Sed quid, Reuerentia tua, sapientia tua, prudentia tua, iustitia tua, & nomina illi adducit communia, eius negans auctoritatem.* Nimirum quia cùm aliis, tum ea maximè quæ nunc ad Episcopum Episcoporum restricta est *Sanctitatis* appellatione, auctoritas Ecclesiastica Hæreticis inuisa designabatur. Tandem defunctos quoque, *Sanctos* veteribus dictos, docet illud Martialis lib. 11. Epigr. 30. aliàs 54.

Dic benè quod sancto peperit fœcunda marito.

Vbi Raderus, [sancti erant veteribus defuncti.] Virgilius

Salue sancte parens, cineres saluete recepti.

Et 12. Tabulæ. *Hos letho datos, diuos habento.*

6. Hanc igitur defensionem pro retinendo *Sancti* titulo, Valeriani nomini præfixo, ex vsu antiquo quosvis Episcopos ea appellatione cohonestandi, qui vsurparet, non esset profectò quod à spongia criminatoris metueret. Nam si criminator de præsenti Ecclesiæ vsu rem æstimans, obduci omnes illos quos dixi titulos in Patrum scriptis, vel Conciliorum actis contenderet, quoties non perspicuè vindicatis hominibus tribuuntur; næ ille ridendum se ac exsibilandum prudentibus propinaret, non etiam intentum assequeretur. Atque ita non incommodè aliquis tituli, de quo agitur indemnitati à se prospectum arbitretur.

Non habent sanè potiora pro titulis *Sanctorum* & *beatorum*, quibus plerosque non vindicatos condecorarunt, nemine obstrepente, Ioannes Abbas Cisterciensis, in compendio SS. sui instituti, Chrysostomus Vander Sterre in Natalibus SS. Præmonstratensium, Molanus in Indiculo SS. Belgij, & in eius auctario Arnoldus de Raisse, Augustinus de VVitte in Genealogia Sancti Francisci, Hiacynthus Coquetus libro de SS. Belgij, Ordinis Prædicatorum, Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi.

Ego, vt præmisi, eam defensionem tanquam non necessariam dimitto: satis superque factum æquo cuiuis ac prudenti existimans, si nulla nouandi occasione suppetente, cùm non agatur de eo in tabulas Ecclesiasticas referendo, nec de vllo nouo honore eidem decernendo, sed de rebus eo quo iampridem sunt loco permittendis; qualem antiquiores voluerunt esse ac nominari sinant auctorem illum, quem nulla accusatio noxium probauit, & pro quo faciunt vrgentes coniecturæ, quas initio dedi; frequens præsertim communicatio cum Ecclesiæ capite; in plerisque Conciliis Catholicis subscriptio; tabularum Lyrinensium & monastici Martyrologij suffragium, inolita in Codicum vetustissimorum epigraphis, tituli nunc recens controuersi possessio, cui nullus longissimi temporis præscriptionem reueritus, negotium hactenus facessiuit post tam multas, tam variis locis factas Valeriani editiones, præter vnicum Valeriano in doctrina tam parum æquum, & charitatis in eum adeò parcum. Quare quandiu per Ecclesiam, & sapientes licebit, QVI TENET TENEAT, POSSESSIO VALET.

D. AMEDEI

DIVI AMEDEI EPISCOPI LAVSANENSIS, DE LAVDIBVS GLORIOSÆ VIRGINIS MARIÆ, Perelegantes Homiliæ.

VITA D. AMEDEI LAVSANENSIS Episcopi.



AMEDEVS castro *Costa*, iuxta *Viennam Allobrogum*, magni Antonij ossibus venerabundam, nobilibus parentibus originem duxit. Hic morum integritate, literarum institutione, atque virtutum decore stirpis generositatem longè superans, in cœnobio *Altæcumbæ* Cisterciensem professus ordinem, *Abbas* præficitur. Succedentibus inde temporibus, circiter annum Dominici Natalis quadragesimum quartum supra millesimum centesimum, *Lausanensis* Ecclesiæ *Episcopus* ordinatus multa eidem Ecclesiæ impendit beneficia. *Amedeum* Gehennarum Comitem, qui arcem munitissimam ad expugnandam ciuitatem Lausanensem in eminentiori prope vrbis mœnia loco, per longam obsidionem erexerat, non tam armis, quàm prudentia deuictum, machinam ipsam funditus euertere compulit. *Eugenium* tertium Pontif. Max. *Conradum* secundum, *Fridericum* primum Imperatores Augustos, & ad indulta iamdudum confirmanda, & ad noua instauranda Ecclesiæ suæ priuilegia, fauentissimos habuit. Huic *Fridericus* in hæc verba scribere solitus est. *Charissimo Cancellario nostro Amedeo Lausanensi Episcopo, qui genere & nobilitate, necnon fidelitate nobis astrictus cognoscitur, &c.* Frequens illi mora apud *Ponidonem*, cœnobio Altæcristæ vicinum, vt qui eiusdem religionis, ac habitus monachus esset. Fama est, illum in die sanctæ *Agnetis* natum, imbuendum litteris traditum, Ordinem professum, & Abbatem factum. Quare eidem Virgini deuotior, sacra illius duplici fasto instituit per totam Lausanensem diœcesim peragenda. Scripsit *Homilias in laudem Christiparæ Virginis octo*, tam dicendi suauitate, quam mysteriorum profunditate deliciosas. Quas cum nulli adhuc mortalium manifestasset, solicitatur tamen à sorore sanctimoniali, virgine religiosa, quatenus ei iucundum illud munusculum communicaret. Annuit frater sororis desiderio ea conditione, vt & illa iucundum quoque munusculum, quod à gloriosa Virgine accepisset, vicissim impertiret. Mittit continuò soror laneam chirothecam, quæ in præsentem diem *Lausanæ* in reliquiario sacrosanctæ Virginis Mariæ visitur, quamplurimis laudata miraculis. Vnde coniectura facilis, quantum vtrique viuenti adhuc cum Diuis commercium. Præfuit *Lausanensi* Ecclesiæ annis quatuordecim. Mortuus illic, & ante altare sanctæ Crucis in æde Diuæ Mariæ sepultus.

LECTORI.

HOc breuiarum vita B. Amedei, his eius Homiliis iam olim præfixum, apertè reuincit errorem F. Henrici Villot in suis Athenis orthodoxorum Sodalitij Franciscani; qui Amedeum harum homiliarum Authorem, non Allobrogem, sub Eugenio III. florentem, ac ex Abbate Cisterciensi Lausanensem Præsulem, sed alium quendam Amedeum esse statuit, qui aliàs Amator, vel Ioannes Menesius dictus est, & sub Paulo II. & Sixto IV. inter Franciscanos in Hispania floruit. Quæ temporum, & locorum, ac nationis, & instituti, munerumque diuersitas, errorem dedocere facilè potuit. Noster lib. 2. vitæ Sancti Bernardi cap. 8. cum laude memoratur, & plenius in Cisterciensi Menologio, septimo Idus Ianuarij, vbi proditur fuisse filius B. Amedei, Domini Albæ Ripæ, qui postmodum contempto seculo Monachum professus est in Abbatia Bonæ vallis Viennensis Diœcesis, ibique clarus pietate, ac miraculis excessit è viuis 14. Cal. Nouemb. vt est in eodem Menologio ea die. Amedeum filium, cuius sunt hæ Homiliæ, cum obiisset Lausanæ anno Christi 1158. Sanctorum numero adscriptum esse, habet idem Menologium, & consentiunt Angelus Manrique l. 3. Laureæ Euangel. ac Christophorus de Perales in Sancti Bernardi vita l. 2. c. 19. qui de eo plura, necnon Genebrar. l. 2. Chronograph. Claud. Robertus in serie Episcoporum Lausanensium, Miræus in auctario Cisterc. ad annum 1148. & Barnabas de Montalbo t. 1. Chronic. lib. 2.

HOMILIA I.

De fructibus & floribus Sanctissimæ Virginis MARIÆ.



OMNIS sancta & rationabilis anima, inuestigans cœli secreta mysteria, & distinguens ordines supernorum spirituum, inuenit primam post redem-
Apoc.3.7. ptorem, illam *in mulieribus benedictam*, illam *plenam gratia*, quæ Deum genuit, & Virginitatis gloriam non amisit. Hæc igitur Virgo beata omni luce clarior, omni suauitate gratior, omnique potentatu sublimior, totum mundum illuminat, & vnguenti optimi perfusione innouans omnia, Cherubim, & Seraphim agmina potestate transcendit, & maiestate. Gloriosis ergo meritis eius introducat nos Rex in cubiculum suum, & referet nobis arcana secretorum proles Dauidica, *quæ claudit, & nemo aperit;*
Luc.1.28. *aperit, & nemo claudit.* Pandat nobis gaudia genitricis suæ, decorem electæ matris suæ, Moyses, & Prophetæ attestati sunt illi. Euangelistæ verò, & Doctores, vitam, mores, & gratiam eius postmodùm exceperunt, vt veritas sibi consona redderetur, & quod illi futurum prædixerunt, hoc isti recolerent gestum.

Vnde nos tot, & tantis præconiis excitati, curramus in odorem vnguentorum eius, & gratiarum illius attrahentes spiramina, dum ab eius aspectu suauissimo differimur, & retardamur, requiescamus in floribus, quibus se fulciri iubet in Canticis
Cant.2.5. dicens, *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Qui sunt hi flores, nisi diuina in laude eius mysteria, & olim à sæculi abscondita Sacramenta: quæ iam in carne apparentia, in spiritu manifestata, ex dictis Patrum, velut ex quibusdam gemmis arborum proruperunt. Mala verò explicat
Gal.5.22. Apostolus dicens, *Fructus Spiritus sunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Fulcitur ergo floribus, cùm prædicta oracula apparent. Sti-
Prou.21.31. patur malis, cùm fit quod scriptum est, *Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius.* Sed quia de veris floribus, & sempiterno fructu iustitiæ sermo se intulit, necesse est, vt adiuti dono Spiritus, eosdem flores, & fructus latius exequamur.

Aduertamus itaque duos tanquam calathos aureos plenos fructibus; & floribus adornatos, nouum & verus testamentum, hinc & inde læua dextraque Virginis consistentes. Quorum antiquitas transiit in læuam, & noua gratia coruscat in dextera. Iure quippe lex mortis in sinistra, & lex vitæ in dextra; quia illa facit transgressorem, & hæc tollit transgressionem. Ipsa Virgo Virginum vernans in floribus, & in fructuum suauitate delicians apparet media, & velut arbor plantata in medio Paradisi, attollit verticem in altitudinem cœli, & de superno rore concipiens, fructum refert salutarem, fructum gloriæ, fructum vitæ, de quo qui ederit, viuet in æternum.

Et vt clarescant quæ dicta sunt, paradisus est hortus, ad quem Ecclesia inuitat dilectum suum:
Cant.5.1. *Veniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructum pomiferarum suarum.* Hortum namque dilecti se nominat, quem fontes Saluatoris irrigant, & riui donorum inebriant, vt maritata amore spiritus lætetur, in stillicidiis eius germinans, & gaudeat in prole multorum filiorum, tanquam in vbertate geniminum suorum. Hæc vocat di- Cant.7.13
lectum comedere fructum pomiferarum, quia seruauit ei poma noua, & vetera, dicta scilicet vtriusque testamenti. Aut consummatos sensus cordis sui, quos gerit inter vbera, sicut legitur: *Erunt vbera tua, sicut botri vineæ.* Vnde certè bonos quosque spi- Cant.7.8.
ritus, & Angelorum, & hominum, quorum alij in nouitate vitæ perseuerant: alij gerunt de vetustate, & corruptione, quod doleant.

Possunt quoque per poma noua & vetera, noui, & antiqui patres significari, in quibus pascitur amor sponsi, *donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Cant.2.17
Inter hos & horum media, consurgit arbor, quam diximus salutiferam, generans cibum vitæ, & manna cœleste. Manna habens omne delectamentum, & omnem suauitatem, ad quod si primus Adam attingeret, mortem non gustaret in æternum. Hunc panem se esse perhibet filius hominis in Euangelio, dicens: *Ego sum panis viuus qui de cœlo* Ioan.6.51.
descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in 52.
æternum.

Vt igitur redeamus ad prædictos calathos, & flores læuæ, fructusque dexteræ perpendamus (quia quod lex promisit in flore, hoc gratia exhibuit in operatione; ibi prophetatur quod futurum est, hic virtus consummata laudatur; illic Sacramentum, hic res Sacramenti est.) Attendamus eosdem calathos Christi gloriam, & partum Virginis præferentes; hæc enim summa, hic finis testamentorum, Christum proloqui, Christum ostendere, Christum annunciare, & Virginem Mariam. Et id quidem nunc Sacramentis tegitur, nunc ænigmatibus, aut similitudinibus obuoluitur, nunc ritu festo celebratur, nunc sacrificiis obumbratur, nunc declaratur Prophetia, aut Euangelica assertione roboratur.

Et in hac condensitate saltus Libani, in hoc monte vmbroso condenso, aperit se nobis sponsi dignatio, & thalamus egressionis eius, Saluator Gentium, & Terra germinans Saluatorem, Stella ex Iacob, & dux de Israel, Virga de radice Iesse, & Flos de radice eius. Alibi namque legimus Christum nasciturum ex Virgine, passurum in carne, resurrecturum in gloria, ascensurum in iubilatione, & dona Spiritus credentibus donaturum. Alibi natum, passum, resurgentem, ascendentem, & dona Spiritus suis infundentem. Sic in scripturis veritatis de sancta matre eius annunciatum est, quia Virgo conciperet, & Virgo pareret filium, cui nomen Isai.7.14.
Emmanuel, & *Egressus eius à principio à diebus* Mich.5.2.
æternitatis.

Hunc sola Virgo meruit suscipere, sola parere, sola lactare, in votis, & ardenti præstolatione deprecantis, & dicentis Ecclesiæ: *Quis mihi det te* Cant.8.1.
fratrem sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam nemo me despiciat? Inueniam te, inquit, *foris* in luce, qui es secretum Patris. *Inueniam te* apparentem in carne, qui lates in inuisibili maiestate. *Inueniam te* sponsum procedentem è thalamo, qui in ventre virginali conceptus es de Spiritu sancto. *Et deosculer.* Deosculer vnita tibi in perceptione carnis tuæ, & sanguinis, & iam non simus duo, sed vna caro. *Deosculer* in vno spiritu adhærens tibi, quia *qui adhæret Deo,* 1 Cor.6.17.
vnus Spiritus est. Et iam nemo me despiciat. Non Deus Pater, videns proprium Filium incarnatum, non Angelus sanctus, adorans Deum hominem factum, non superbus dæmon, dolens à Christo se superatum.

Cæterum est, vt de Euangelio inferamus ali- Luc.1.26.
qua. Legimus Virginem ab Angelo salutatam, à Deo desponsatam, de Spiritu sancto concepisse,

Matth. 1.21. se, Deum verum, & hominem genuisse, qui saluum faceret populum suum à peccatis eorum, & regni eius non erit finis. Hic est qui repromissus est Abrahæ, quod in semine eius benedicentur omnes gentes. De quo pulchrè Apostolus ait. *Intuemini quantus sit iste*, qui ingreditur ad saluandas gentes. Verè magnus, quem vnigenitum Pater misit in mundum, quem Virgo corporaliter effudit, quem Virgo concepit, & peperit, & post partum Virgo permansit. Annunciatur ab Archangelo, concipitur de Spiritu sancto, nascitur ex sacra Virgine, & à Ioanne adhuc clauso inter materna viscera præmonstratur. Suscipitur à sene Simeone, cum ineffabili gaudio, à quo lumen Gentium, & gloria plebis Israëliticæ prædicatur.

Gen 22.18. Heb. 7.4. 1. Ioan. 4.9. Luc. 1.26. & 55. Luc. 2.7. Luc. 1.44. Luc. 2.28.

Sap. 8.1. Vidésne ergo sapientiam attingentem à fine vsque ad finem fortiter, & disponentem omnia suauiter? A puero nondum nato, vsque ad senem decrepitum, tam congrua sibi testimonia proferentem, & tam dulci concordia veritatis organa modulantem? Hinc per Prophetam dicitur, *Non est qui se abscondat a calore eius.* Cuius egressus à Patre, regressus ad Patrem; excursus ad inferos, recursus ad sedem Dei. Quis enim se à calore eius abscondet, quem infans sensit in vtero, quo senex frigidus flagrauit in templo: ille quasi significaret se velle occurrere Domino, exultabat motu quo poterat. Hic accipiens in vlnas suas, incredibili desiderio expectatum IESVM, diuinum amorem hausit medullitus; nec ferens in carne fragili suauissimum odorem supercœlestis essentiæ, & vim verbi flammigerantis in ossibus precabatur sui corporis dissolutionem, quo liberiùs effracto mortali domicilio, prægustata dulcedine frueretur, & natum saluatorem, quem apud superos prædicabat, habitantibus in regione vmbræ mortis nunciaret.

Psal. 18.7.

Sed quid agimus, aut quo rapimur? Ecce dum benedictam in mulieribus prædicare cupimus, fructum ventris eius benedictum attollimus, & dum quærimus laudare speciem arboris, fructus nimia dulcedine detinemur. Omnis enim arbor ex fructu suo dignoscitur, & ex propria vbertate pensatur. Vt palma ex dactylorum suauitate, vitis ex vini liquore, oleaster ex oliuæ pinguedine: Ita nimirum laus nati genitrici exuberat, & honorem puerperæ partus diuinus accumulat.

Matth. 7.17.

Libet, dilectissimi, quæ præmissa sunt alio sensu repetere, & alia rursus assertione comprobare, vt cæca infidelitas arguatur à lumine, & fides Christi se palpabilem præbeat, & inoffensam. Ingrediamur itaque sancta sanctorum, & intueamur propitiatorium, habens desuper duo Cherubim, ipsum cum versis vultibus respicientia, & obumbrantia extensis alis. Illic inter cætera refulget vrna aurea, habens manna reconditum. Illic est virga Aaron, quæ fronduit. Propitiatorium intellige, de quo ait Apostolus, *Quoniam ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Duo Cherubim duo testamenta significant. Cherubim namque interpretatur scientiæ plenitudo, & scientiæ plenitudo in testamentis est. Bene ergo Cherubim propitiatorium, versis ad se vultibus respiciunt, teguntque Christum, quem testamenta concorditer prædicant, figuris, & ænigmatibus velant.

Exod 25.18. Heb. 9.4. 1. Ioan. 2.2.

Vrna aurea beata est Maria, aurea per excellentiam vitæ; aurea per integritatem, & puritatem; aurea per plenitudinem gratiæ. Hæc vrna manna reconditum habuit, quæ panem Angelorum, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo, sacrosancto gessit in vtero.

Virga verò dicitur, vtpote gratiosa, & recta, subtilis, & porrecta. Gratiosa per verecundiam & formositatem; recta per iudicium, & æquitatem; subtilis per contemplationis ingenium; porrecta per vitæ meritum. Effloruit autem de Spiritu sancto, sicut virga Aaron floruit ex miraculo. Illa fructum protulit amygdalinum; ista & optimum protulit amygdalum, habentem nucleum & testam. Nucleum, vt reficiat; testam vt contegat. Nucleum in diuinitate; testam in humanitate. Num. 17.8.

Vis nosse nucleum? Audi, quia *in principio erat Verbum.* Testam nosse desideras? Audi, quia *verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Vides ergo, quia nucleus est in testa, verbum est incarnatum. Et quoniam testa etiam corticem habet, corticem intellige in carnis amaritudine, testam in resurrectione, nucleum in deitate. Cortice Christus nos sanat, testa corroborat, nucleo pastum æternum administrat. Hoc nucleum, hoc verbum inter vtrumque nos illuminet, & vsque in cubiculum genitricis suæ nos introducat, quod viuit & regnat cum eodem Deo Patre in vnitate eiusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Ioan. 1.1. Ioan. 1.14. Cant. 3.4.

HOMILIA II.

De iustificatione, vel ornatu MARIÆ Virginis.

QVia semel annuente Deo, beatissimæ Virginis laudes exorsi sumus, præstat, vt eiusdem præconia medullis cordis, & vocis officio persoluamus. Intendamus gloriæ eius, & ingressi abyssum tanti luminis, splendorem rutilum semitarum illius dilatato corde, & inenarrabili percurramus lætitia, dicentes cum Salomone. *Viæ eius, viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ.* Quod si dicente eodem Propheta, *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem*, quis lucem, & splendorem semitarum eius eloqui sufficiet? Harum tamen processus, & incrementa viarum partim explicare conabimur, vt in gradibus suis gloriosa dignoscatur, & per singulos gradus suos pronuncietur. Habuit enim distinctos gradus, & incrementa diuisa, vt pulcherrimo castitatis ordine incederet, & de virtute in virtutem proficiens, videret Deum deorum in Sion, translata à gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu. Prou. 3.17. Prou. 4.18. Psal. 83.1. 2. Cor. 3.18

Primò itaque omnium virtutum decore meruit ornari. *Secundò*, Spiritu sancto fœdere maritali copulata est. *Tertiò*, mater inuenta est Saluatoris. *Quartò*, animam eius pertransiit gladius, & carne sumpta de carne eius, mundi perditi ruina reparatur. *Quintò*, exultat in Filio resurgente, & ascendente super cœlos cœlorum ad Patris dexteram. *Sextò*, de hoc sæculo rapitur, & occurrente sibi Domino, supra cœligenas omnes collocatur. *Septimò*, demum perficietur, cum plenitudo Gentium introierit, & omnis Israël saluus erit. Gaudet enim vltra quàm dici aut credi fas est de communi electorum salute, sciens quod propter eos Dei filius carnem susRom. 11.25.

cepit ex ea. Tunc ergo perficietur Deo melius pro-
Hebr.11.40. uidente, ne sine nobis consummarentur.

Iam verò nomina ipsorum graduum consideremus. *Primus*, dici potest iustificatio, vel ornatus. *Secundus*, copulatio, vel fœderatio. *Tertius*, Virginis partus, aut noua progenies. *Quartus*, mentis robur, siue Martyrium. *Quintus*, gaudium, vel admiratio. *Sextus*, assumptio, vel exaltatio. *Septimus*, plenitudo, seu perfectio. Prædicta iustificatio, vel ornatus procedit ex timore Dei. Copula quoque talis, & fœderatio, ex incredibili pietate prouenit. Nam Virginis partus, & noua soboles lumen scientiæ effudit vniuersitati, opus fortitudinis Christo moriente, & matre aspiciente exhibitum est. Eodem verò resurgente, profundissimum, & inscrutabile consilium, quo hostem callidum decepit, & mundum redemit, in gaudium, & admirationem profluxit. Inde cælis apertis bona inuisibilia referantur, & fit quoddam mirabile, vt sicut Deus in homine hominis passiones experimento didicit, sic homo assumptus in Deum, Dei gloriam pleno intellectu percipiat. Demum sapientia adducet plenitudinem, & perfectionem, vt perfecta in perfecto appareat, & in plenitudine glorietur.

Repetamus quæ dicta sunt, & eisdem denuò
Gen.28. gradibus commorantes, *Dominum innixum scalæ Angelos etiam ascendentes, & descendentes* ad Virginem contemplemur. Mirantur enim puellam castissimam matrem Domini, cælique reginam mox futuram, & in his erumpunt vocibus admi-
Can.3.6. rationis, & laudis, *Quæ est ista, quæ ascendit* dealbata? Quid est dealbata, nisi albis vestibus ornata? ornata scilicet ornatu decoris, & honestatis, iustitiæ, & sanctitatis. Harum vestium ornatus Prophetarum eximius fulgebat, cum diceret,
Isai.51.10. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimento salutis, & corona iustitiæ circumdedit, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.*
Psal.131.9. Hinc per Psalmistam dicitur, *Sacerdotes tui in-*
Isai.52.1.2. *duantur iustitiam.* Isaias verò hortatur Hierusalem, vt excussa de puluere induatur vestimentis gloriæ suæ. Et per exprobrationem primo Ange-
Ezech.18.12.33. lo dicitur, *Et tu signaculum similitudinis in Paradiso deliciarum Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum. Sardius, topasius, iaspis, chrysolithus, onix, & berillus, sapphirus, carrus, carbunculus, & smaragdus.* Sciendum verò, quod hæ vestes albæ sunt, & odoriferæ, pretiosæ, & variæ. Albæ propter innocentiam, & puritatem, lucis æternæ candorem. Odoriferæ propter fragrantiam opinionis, & bonæ famæ pretiosæ ob sui dignitatem, & commoditatem. Variæ ad varios vsus, & qualitates distinctas.

Cant.6.9. De albedine iam suprà dictum est: *Quæ est ista, quæ ascendit* dealbata? Et alibi legimus: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol? Quasi aurora*, surgens de tenebris ad lumen, de errore ad fidem, de mundo ad Deum, & in ortus sui diluculo infecta murice verecundiæ, cum humilitatis venusto pallore. *Pulchra vt luna*, quia casta permanens in sæculum sæculi, supercœlestis luminis illustratione perfunditur, & obumbratione lætatur. *Electa vt sol.* Vbique claritas, vbique splendor, vbique candor vestium designatur. Possent, & alia dici de hoc cando-
Apoc.3.4. re, vt illud Domini dicentis de suis, *Ambulant mecum*
Ibidem. *in albis, quoniam digni sunt.* Et illud: *Qui vicerit, vestietur vestibus albis.* Sed breuitatis studio perurgemur.

Iam de odore earumdem vestium verba sponsi sponsam laudantis in epithalamio audiamus. *Odor* Cant.4.11.
vestimentorum tuorum, sicut odor thuris: Asserunt odore thuris dæmones effugari, lachrymas excitari, Deum lachrymis mediantibus placari. Ego verò libenter dixerim, odore virtutum sanctæ Mariæ Angelos tenebrarum effugari, & quadam valida turbine, huc illudque raptari, vt in eis impleatur
quod dictum est, *Fiant tanquam puluis ante faciem* Psal.34.5.
venti. Odor iste mortuos in peccatis excitat, mente debiles roborat, bonos incitat ad meliora, meliores ad optima. Bonus odor, qui Regem in accubitu suo per Virginem prouocauit, vt ad nos veniens, nostra reciperet, sua daret, constituens nobiscum amicitias legi immobili, & pace sempiterna. Sic itaque fragantia vestimentorum sanctæ Mariæ hostes fugat, bonos inuitat, Deum placat.

Nam de pretiositate eorum & varietate, cùm Psal.44.5.
Psalmista Specioso formæ præ filiis hominum, de
laude sponsæ eius loqueretur, cecinit dicens, *Asti-* Psal.44.10.
tit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate: Et paulò post subintulit, *Omnis glo-* Psal.44.14.
ria eius filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietate. Non solum autem vestitu deaurato,
& fimbriis aureis decoratur, verùm etiam veste stra- Prou.31.22.
gulata, quam fecit sibi, dicente Salomone. Et om- Ezech.28.
ni lapide pretioso cooperitur. Nulla enim gemma, 12.
nullus lapis pretiosus, nulla pretiosa margarita huic deest operimento, vt non iam simpliciter pretiosum, sed omni pretiositate pretiosum iure appellari queat. Nam sicut vna pretiositas momento momenti, immò vltra omne momentum, & partem momenti discurrens, multas efficit pretiositates; sic multæ in vnam conueniunt, vt vnius participatione in vna sint vnum. Et hæc pretiositas est Charitas, vestis scilicet nuptialis, vestis non habens maculam, aut rugam, vestis impartibilis, inconsutilis desuper contexta per totum. Qua, per quam, & in qua sunt omnia chara, quæcunque chara sunt; omni bona, quæcumque bona sunt. Et ipsa sunt vnum in vnitate, idem in deitate, simplum in simplicitate. In toto totum obtinent, & de toto gaudent, seposita ab omni diminutione, & duplicitate, & numerositate.

His dictis de pretiositate ornamentorum, de varietate, cuius superiùs exempla posuimus, disseramus. Huius duæ sunt species, vna in coloribus, alia in vsibus. Item quæ in coloribus consistit, diuiditur in albedinem, & nigredinem, in ruborem, & viriditatem. Hos principales colores afferunt; & hi maximè exornant præfatam vestem. Viret enim, vt oliua, vel laurus, & vt iris virens in nubibus. Viret in fide, & spe æternorum, in obedientia mandatorum, in contemplatione æternæ viriditatis, & virore æternitatis. Rubet verò, vt sphæra ignea, vt regis purpura, vt coccus bis tinctus, præferens amorem Dei, & proximi. Fuligo eius, vt cornu, & vt elatæ palmarum, aut certè velut ebur intinctum, & vt cœli serenitas in mediis noctibus. Color iste in fundamento ponitur, & cæteris coloribus substernitur, vt nobis innuat virtutem humilitatis in fundamento poni debere. Si candorem quærimus, candet perpetua virginitate, & perfecta puritate. Decoris quoque suauitate fortem rhinocerotem inclinat, Deum maiestatis inuitat. Alia multa de varietate, & significatione colorum à spiritalibus spiritaliter inueniri possunt.

Verùm

Verùm varietas, quæ vsibus accommoda deseruit, multis & ipsa refulget speciebus. Alia namque ornamenta illud caput altissimum, collúmque bene ornant & velant. Alia crines & aures. Alia pectus & brachia. Alia manus & digitos. Quædam torum corpus induunt, quædam lumbos accingunt, quædam pedes muniunt. Caput eius mens eius dicitur. Nam sicut caput regit membra corporis, ita mens sensus animæ regit, & moderatur. In collo, quod cæteris membris eminet, & vitalem gratiam capitis artubus subministrat, altitudo illius exprimitur, qua præsidens membris Ecclesiæ, caput suo connectit corpori, quia Christum coniungit Ecclesiæ, & vitam quam primo
Rom.5.18. loco suscipit, reliquis membris infundit. Decebat
1.Cor.15.22. enim, sicut per fœminam mors; sic per fœminam vita intraret in orbem terrarum. Et sicut in Eua omnes moriebantur, ita in Maria omnes resurgerent. Illa malè credula verbis serpentis, mortis venenum miscuerat. Hæc conterens caput serpentis, antidotum vitæ cunctis ministrauit, vt mortem occideret, & vitam repararet. Crines capitis sunt cogitationes cordis, aures auditus interior.

In pectore secretum latet, & cogitatio voluitur. Vnde hic mos inoleuit, vt rei pectora tunderent, & quasi feriendo suam iniustitiam accusarent. Per pectus ergo arcana illius gloriosi pectoris designantur, per brachia virtutes operum, per manus ipsa opera, per digitos operum diuisiones. Corpus eius operum eius indiuisa connexio. Lumbi voluntates eius. Pedes affectus illius sunt, quibus ingressa sanitas æquitatis, præclara
* Lege exuuiis. vestigia posteris dereliquit. Hi pedes calceantur * eximiis mortuorum animalium, quia exemplis præcedentium patrum muniuntur. Lumbi præcinguntur præcinctorio fidei, & cingulo iustitiæ. Corpus induitur amictu illo de quo Apostolus
Gal 5 27. Ephes.4. 24. ait: *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Qui nos hortatur, vt induamur nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Vide homo, & obstupesce ad tantam nouitatem, cum Hieremias di-
Hier.40,22. cat: Nouum faciet Dominus super terram, mulier sola circumdabit virum. Eadem, quæ circundedit, circundata est; circundans carnem, circundata est à spiritu, circundans virum nouum, circundata est ab homine nouo; circundans & generans, circundata, & regenerata; generans in forma humanitatis, regenerata in forma natiuitatis.

Transeamus ad reliqua. Annuli ornant digitos, quia singula opera eius fide & dilectione clarescunt.
Cant.5.44. Annulus enim significat fidem, & castam dilectionem. Manus eius tornatiles, aureæ plenæ hyacinthis. Tornatiles propter perfectionem operis, aureæ propter fulgorem sapientiæ, plenæ hyacinthis propter puram & feruidam intentionem. Hyacinthis quippe cæruleús & rubeus, lucidum, & feruens opus demonstrat.

Brachia eius illo sunt impressa signaculo, de quo sponsus ait in canticis, *Pone me signaculum su-*
Cant.8,6. *per brachium tuum.* Aut certè eius dextram operit ignea lux, & sinistra rutilat purpura dominicæ passionis. Auribus dependent inaures obedientiæ: Crines ligat vitta disciplinæ: Pectus exornant monilia mundissimarum, & lucidissimarum cogitationum: Torques aureus additur collo eius. Hoc soliti sunt secundi in regnis coronari, & hæc est secunda corona. Prima namque præfulget in terribili capite dominatoris vniuersæ terræ. Secunda cecidit in sorte matris eius. Ipsa enim singularis regnat in regno Dei & Christi, de hinc sub illa, & post illam Sancti altissimi. Caput eius Virginitatis gloria obumbratur; & charitatis coccino velatur. Benedictio Domini super illud, & benedictione omnium gentium repletur.

Coronatur etiam coronis omnium populorum, & exultatione cunctorum promouetur. Cerne in decore diadematis eius sanctorum concentum, vibratum à repercusso lumine, cerne sculptos lapides, gemmas vernantes, stellas coruscantes, Patriarchas expectantes, Prophetas præmonstrantes, Apostolos comitantes, Martyres triumphantes, Confessores & Virgines exultantes. Corona illa rubet rosis, liliis albescit, pallescit violis, viret laureis, palmis densatur, oleis impinguatur, omni fructu repleta, omni suauitate referta. Hæc nos, dilectissimi, de iustificatione Virginis, vel ornatu dixisse sufficiat. Superest, vt eius sacra manuductione ad pertractanda profundiora, & secretiora mysteria in visione Domini præparemur. Amen.

HOMILIA III.

De Incarnatione Christi, & Virginis Conceptione de Spiritu sancto.

DOmine audiuimus opera tua, & expauimus. Considerauimus mirabilia tua, & defecimus. Descendente verbo tuo, cor nostrum liquefactum est, & omnia interiora nostra contremiscentia paruerunt illi. Nam *dum medium silen-* Sap.18.14.
tium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de regalibus sedibus venit. Effudisti enim Pater viscera charitatis tuæ super nos, & multitudinem miserationum tuarum vltra cohibere non potuisti. Effudisti lucem in tenebris, rorem in siccitate, & in magno gelu ignem vehementissimum accendisti. Ideò apparuit nobis filius tuus, vt copia ciborum, imminente fame grauissima, & vt fons aquæ viuæ animæ laboranti, & deficienti præ siti in æstu. Aut certè sicut apparere solet fortis adiutor, & liberator obsessis, iamiamque ruituris in prælio; quibus mors intentatur præ oculis, hostili gladio comminante, & armata dextra sitiente cruorem. Sic ille nobis apparuit, & factus est in salutem. Verumtamen salutis nostræ exordia repetere, & incarnationem eius retractare, recolere vnde venerit, qualiter descenderit, vbi & quomodo conceptus fuerit, optimum, ac saluberrimum est. Modum verò conceptionis extremum ponimus, vt exequentes propositum nostrum, illam ineffabilem coniunctionem, qua de Spiritu sancto beatæ Mariæ venter effloruit; latiùs in fine differamus.

Licet enim sit ineffabilis, multa tamen iocunditas, mira & stupenda suauitas vbertim elici potest. Illic enim est summa nostræ fidei, illic honor substantiæ, radix vitæ, lumen scientiæ, amoris vinculum indissolubile, & patens aditus ad æterna. Sed iam occurrat nobis beatus Dauid, & dicat vnde venerit: *A summo cœlo egressio eius.* Quid Psal. 18,6.
est à summo cœlo? A Deo, qui est summa essentia, summum bonum, summa beatitudo. Summa essentia est, quæ nec loco circumscribitur, nec mutabilitate mouetur, nec tempore clauditur;

ſed omnia loca maieſtatis immenſitate circumſcribit, omnia mutabilia mouet propria immobilitate, claudit cuncta tempora æternitatis infinitate. Summum bonum eſt eadem eſſentia, non ex alio eſſentia, ex alio bonum, non ſolùm per dictam immenſitatem, immutabilitatem, & æternitatem, verùm etiam propter æternam largitatem creationis, quam parturiuit in tempore, & infinitam ſapientiam, qua antequam quicquam eſſet, cuncta diſpoſuit in æternitate; & amorem ineffabilem, quo opus ſuum complectebatur, antequam produceretur in creationem. Iterum ſumma beatitudo conſiſtit in ſummo bono, ſuique adeptione efficit verè beatos. Eius namque participatione vita æterna acquiritur, perfecta ſapientia tribuitur, amoris plenitudo poſſidetur; vt plena ſinceritas ſit in æternitate vitæ, plena iucunditas in lumine ſapientiæ, plena ſuauitas in amoris dulcedine. Hæc de ſumma eſſentia, ſummo bono, & ſumma beatitudine diximus, vt interluceret nobis ſummum cœlum, de quo venit Chriſtus.

Sed quia hoc ſummum cœlum Pater, hoc ſummum cœlum Verbum, hoc ſummum cœlum Spiritus ſanctus: Venit Chriſtus à Patre, venit etiam quodammodo à Verbo, venit à Spiritu ſancto. Qualiter verò venit à Patre, qui nunquam reliquit Patrem? Qualiter à Verbo, qui nunquam Verbum eſſe deſtitit? Qualiter à Spiritu ſancto, cum Spiritus Sanctus à Patre, & ab ipſo procedat? Difficilis eſt hæc quæſtio, & multa indiget profunditate. Et quia erit nobis progreſſus ad hæc Sancta Dei? Quo ordine iter aggreſſum conſequemur? Ecce condenſa nebula, nubeſque luci diſſima itinera noſtra præpediunt. Aqua illa quam vidit egredientem de templo ſancto Ezechiel, non ſolùm talos & genua, verum renes & collum operiens diffunditur ſuper nos, ne tranſvadare poſſimus. Adeſt tamen ille in quo ſperamus, in quo ab adoleſcentia confidere edocti ſumus, qui effundat animas noſtras, & leuet nos ſuper nos, ponens pedes noſtros quaſi ceruorum, vt educat nos ſuper excelſa noſtra; ſtatuens nobis ſpecula in monte cum Moyſe & Helia, quatenus quod quærimus reuelata facie contemplari poſſumus. Ibi oſtendetur omne bonum, ibi pleniùs de viſione Domini erudiemur.

Ezec.47.3. & ſequent. — Pſal.17.34. — Mat.17.3. 2.Cor.3.18.

Quod ſi voluerimus accedere ad caliginem, in qua ipſe eſt, ingreſſi medium nebulæ, & permoti gloria tantæ maieſtatis, perterriti etiam magnitudine illius infinitatis, non ſubſiſtemus, & erimus quaſi nihil. Deus enim lucem inhabitat inacceſſibilem, cuius ignis ſicut ſtipulam carnes deuotat, cuius faciem nemo videre poteſt, & viuere; ad cuius abyſſum indagandam Angeli non ſufficiunt, ad quem nulla poteſtas aſpirat, præter illam quæ in vnitate perſonæ copulata eſt. Demus itaque gloriam Deo, & cadentes in facies noſtras, adoremus à longè veſtigia Trinitatis, credentes corde, & confitentes ore, quia quicquid de ipſo ſenſerimus, aut diximus, ſub ipſo eſt.

1.Timoth.6. 16.

Hac fide præmuniti, ad ſoluendam quæſtionem propoſitam redeamus. Chriſtus venit à Patre, venit à Verbo, venit à Spiritu ſancto, quando tota Trinitas conceptionem & humanationem illius operata eſt. Nihil enim aliud fuit à ſumma Trinitate venire, quàm operante eadem Trinitate concipi & humanari. Ideò dictum eſt. (A ſummo cœlo egreſſio eius.) Venit etiam Vnigenitus à Patre, & à ſe, ſecundum alterius modi intelligentiam. Venit à Spiritu ſancto. Aliter tamen à Patre, & à ſe, aliter à Spiritu ſancto. A Patre namque genitus æternaliter, ex matre prodiit genitus temporaliter, apud patrem manens inuiſibiliter, & cum hominibus viſibiliter conuerſatus. Hoc enim fuit illi egredi à Patre, quod tempora noſtra ſuſcipere, quod foris viſibiliter apparere, & fieri, quod ex Patris natura non erat. Quod verò dictum mirabile eſt, iſte venit ab eo, à quo non recedebat, ab illo egrediens, in quo remanebat, vt ſine interuallo totus eſſet in æternitate, totus in tempore, totus inueniretur in Patre, quando totus in Virgine, totus in ſua, & Patris maieſtate, quando totus in noſtra humanitate. Si quæris, quomodo; collige veritatem ex imagine. Verbum in corde genitum, aliquando integrè exit in voce, vt perfectè ad alios veniat, & totum in corde remaneat. Sic verbum bonum de corde Patris eructatum, & in campum exiit, & Patrem non reliquit. Venit etiam verbum à ſe, deſcenditque ſub ſe, quando caro factum eſt, & habitauit in nobis, quando ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens. Illa exinanitio eius deſcenſio fuit. Ita tamen deſcendit, vt ſibi non deeſſet. Ita caro factum eſt, vt verbum eſſe non deſineret, nec minuit gloriam maieſtatis, humanitatis aſſumptio.

Pſal.18.7. — Ioan 1 14. Phil.2.7.

Sciendum quoque qualiter à Spiritu ſancto venerit, cùm Spiritus ſanctus ab illo procedat. Procedit quidem ab illo Spiritus ſanctus æterna proceſſione, ſed ille natus ex Maria Virgine, venit de Spiritu ſancto temporali conceptione. De æterna proceſſione Spiritus per Pſalmiſtam dixit, *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Verbum Patris, os Domini nominauit. In quo ſemel Dominus nobis locus eſt. Spiritum oris, Spiritum ſanctum appellauit, dictum ſpiritum oris, quòd ab ore procedat. Nam quòd verbum de Spiritu ſancto venerit, ſic habes in Abacuc, *Deus ab auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharan.* Per auſtrum in quo eſt vitialis calor, virtúſque genitiua, Spiritus deſignatur? qui confert vitæ nouitatem, faciens oriri germina virtutum. Et licet beatus Hieronymus, quem ſequi cupimus, montem Pharan Patrem appellarit, non incongrue tamen monte Pharan idem Dominus ſignificatur? Mons dictus propter excellentiam charitatis, Pharan propter gratiarum diuiſionem. Pharan quippe interpretatur diuiſio. Et ſpiritus Domini dona ſua ſingulis provt vult diuidit. Venit ergo Deus ab auſtro, quia de calore viuificante, & regenerante conceptus eſt. Venit de monte Pharan, quia de ineffabili celſitudine diuiſionis chariſmatum emanante profluxit. Dic nobis ſancte Daniel, qualiter de hoc monte deſcenderit. *Præciſus eſt*, ait, *de monte lapis ſine manibus.* Quis lapis? Lapis quem reprobauerunt ædificantes. Lapis angularis. Lapis quem vnxit Iacob. Lapis in quo ſunt ſeptem oculi, hic præciſus eſt de monte ſine manibus: quia Virgo ſacra ſuſcepit eum, non ab homine, neque per hominem, ſed de Spiritu ſancto.

Pſal.32.6. — Abacuc. 3.3 — Dan. 2 34. 1. Pet.2 7. Epheſ.2.20. Gen.18.18. Apoc.5.6.

Dic etiam nobis beate Dauid modum deſcenſionis eius. *Deſcendit ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.* Priùs dicendum eſt, quid hoc vellus, quæ terra, dehinc qualiter pluuia deſcendit in vellus, & qualiter ſtillicidia ſtillant ſuper terram. Vellus cùm ſit de carne, excreſcit extra carnem, & carnis paſſiones ignorat. Attactu leni, colore humilis, manſuetudinem & humilitatem denuntiat. Formæ etiam habilitate, ſimplicitatis & innocentiæ gerit indicium, & naturali

Pſal.71.6.

turali velamine membrorum fouet teneritudinem. Designat autem gloriosam Virginem, quæ in carne degens, extulit se extra carnem, & carnis passiones mactauit robore Spiritus. Nam mansuetudine, & humilitate nulli similis extitisse dignoscitur. Simplicitatem eius, & innocentiam dicere nullus sufficiet. Charitatem, qua humanum genus incessanter protegit, & fouet, mentis intelligentia non comprehendit. Porrò præfata terra eandem Virginem demonstrat, terræ nomine appellatam, propter quandam similitudinem. Sicut enim vetus
Genes.2.7. Adam de terra incorrupta, nullúmque passa contagium formatus est, sic terris terra Virgo nouum Adam procreauit.

Si non credis mihi prædicanti ortum noui ho-
Psal.84.12. minis de terra; crede Psalmistæ dicenti, *Veritas de terra orta est.* Quæ maior nouitas, quam vt oriatur de terra ille, qui est veritas? Crede etiam tubæ du-
Isa.54.8. ctili Isaiæ producentis gracilem, & suauem admodum sonum, ac dicentis, *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet saluatorem.* Qui iterum dixit, *Erit germen Domini in*
Isa.4.2. *magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis,* Germen Domini in magnificentia & gloria extitit, quando conceptum de Spiritu sancto, & ortum de radice Iesse in summitate virgæ totum effloruit, imò flos fuit. *Et requieuit super eum spiritus*
Isa.11.8. *Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & repleuit eum spiritus timoris Domini.* Fructus verò terræ sublimis fuit, quia benedictus fructus Mariæ, diuinitatis celsitudine meruit sublimari. Hæc idcirco diximus, vt terræ nomine Mariam intelligi debere monstraremus.

Restat differere, qualiter pluuia descendat in vellus, qualitérve stillicidia profluant super terram. Pluuia descendit in vellus absque strepitu, sine motu, sine vlla scissione, aut diuisione. Leniter infunditur, tranquillè suscipitur, suauiter bibitur. Sic stillicidia sensim & paulatim infundunt terram tam mirabili decursu, tantáque subtilitate; vt in introitu vix pateant, & in exitu germina producant. Ita imber veniens de vltra super cœlestes aquas descendit in gremium Virginis, sine humano opere, absque motu concupiscentiæ, salua integritate, & claustris virgineis obseratis, leniter infusus est, tranquillè susceptus, incarnatus ineffabiliter. Stillauit quoque super terram eius, in introitu non comparens, & in exitu prodiens manifestè. Sunt ad hæc tantæ rei aliæ similitudines. Enim verò vt claritas solis vitrum absque læsione penetrat; & vt radius oculorum tranquillo & claro liquori sine scissione, & diuisione immergitur, vt vsque ad fundum vniuersa rimetur: sic Dei Verbum adiit virgineum habitaculum, & inde prodiit clauso Virginis vtero. Quippe qui facilè posset extra Virginem corpus creare de nihilo, facilè potuit corpus acceptum de Virgine, extrà sine carnis scissione traiicere. Neque enim legi naturæ se subdidit, sed legem naturæ subdidit sibi.

Ecce diximus qualiter descenderit Dei verbum. Vbi namque descenderit, simili modo manifestum est; quia descendit in vterum virginis, vterum impollutum, immaculatum, consecratum manu vnctionis diuinæ. Ibi carni nostræ copulatum, naturæ associatum, impleuit sacratissimum, & secretissimum sacramentum, vt essent duo in carne vna, & vno contubernio fruerentur. Factus est ergo Deus inuisibilis, homo visibilis. Impassibilis & immortalis passibilem se & mortalem exhibuit. Incircumscriptus, lineis nostræ substantiæ circumscribi voluit.

Clauditur aluo puerperæ, cuius immensitas claudit ambitum cœli & terræ: & quem cœli cœlorum non continent, Mariæ viscera complectuntur. Si quæris, quomodo factum est istud, audi summum Angelum exponentem Mariæ ordinem rei, & dicentem ei, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Gaude ergo, & lætare Maria, quia concipies de spiramine; Luc.1.35.
gaude, quia inuenta eris habens in vtero de Spiritu sancto. Desponsata quidem eras Ioseph, sed à Spiritu sancto præuenta. Ille qui te creauit, signauit, Luc.1.27.
& assignauit te sibi, plasmator tuus ipse factus est sponsus tuus, factus est amator formæ tuæ; qui plasmator ipse te vocat, dicens: *Veni amica mea,* Cant.2.10.
formosa mea, columba mea, iam enim hyems abiit, & recessit. Veni. Ille decorem tuum concupiuit, & tibi coniungi desiderat. Impatiens moræ, ad te venire festinat.

Surge ergo, induere vestimentum gloriæ tuæ, ornare pretiosissimis ornamentis tuis, quia complacuit Domino in te. Surge in occursum sponsi tui, & Dei tui, & dic ei: *Ecce ancilla Domini.* Festi- Luc.1.38.
na, noli tardare, quia ille non tardabit, sed exulta- Psal.18.6.
bit vt gigas ad currendam viam. Festina & tu, *obliuiscere populum tuum, & domum patris tui,* currens Psal.44.11.
obuiam ei, vt osculeris osculo oris eius, eiúsque beatissimis immiscearis amplexibus. Egredere, quia Cant.1.1.
iam thalamus collocatus est, & sponsus veniet tibi, veniet tibi Spiritus sanctus. Ille *superueniet in te,* Luc.1.35.
& virtus altissimi obumbrabit tibi, subitò. Dum verò speras, dum damna dilationis deploras, & dilecti turbaris absentia, velox & improuisus superueniet in te, vt inopinato perfruaris gaudio, & noua lætitia perfundaris. Superueniet non solùm tibi, sed in te, vt proprius reuiset te, & inspiret tuam gratissimam dilectionem, insinuans tibi intima aspersione verbum bonum, verbum plenum congratulationis & admirationis, plenum consilij, plenum gaudij, plenum salutis.

Spiritus sanctus superueniet in te, vt à tactu eius venter tuus contremiscat, vterus intumescat, gaudeat animus, floreat aluus. Macta, id est, magis aucta, quæ tanta suauitate perfrueris, tam cœlesti osculo dignaberis, tali sponso coniungeris, à tali marito fœcundaberis. *Spiritus sanctus superueniet in te.* In alios sanctorum venit, in alios veniet, sed in te superueniet, quia præ omnibus, & super omnes elegit te, vt superes vniuersos, qui ante te fuere, vel post te futuri sunt, plenitudine gratiæ. Impleuit quidem Abel Gen.4.8.
tanta innocentia, vt innocens manibus & mitis corde, de manu fratris necem susciperet. Tua verò innocentia, millia nocentium innocentiæ reddidit, & saluti. Transtulit Enoch; sed caro, quam Gen.5.24.
generabis, cùm assumpta fuerit de terra, omnia trahet ad se. Impleuit Abraham fide, & obedien- Gen.17.1.
tia profutura posteritati, sed fide tua, & obedientia mundus saluatus gratias agit. Impleuit Moysen, & legis, non gratiæ latorem instituit; ti- Exod.19. & 20.
bi autem tribuens non solùm legis latorem, sed 1. Reg 16.1.
gratiæ & gloriæ largitorem. Asciuit Dauid in Pro- & 12.
phetam & Regem; sed ille tibi scribit, & filium Psal.109.1.
tuum Dominum suum nominat. Quid plura memorem? Omnes superas, præes vniuersis non solùm hominibus, sed & summis cœlorum virtutibus.

Hinc est, quod gloriosius præ illis nomen hæreditabis: Nam cum alius dicatur Angelus Dei, alius Propheta, alius præco, & quisque suo censeatur nomine, pro ordine & dignitate, tu singulari & speciali nomine appellaberis Mater Dei.

Et ideò mater ſalutis, mater gratiæ, mater miſericordiæ. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te,* ſuperueniet in vbertate, in affluentia, in plenitudine, & in effuſione carnis & animæ. Cúmque repleuerit te, erit adhuc ſuper te, & ſuper aquas tuas feretur, facturus in te quiddam melius, & mirabilius, quam cùm ferebatur ſuper aquas à principio, vt materia creationis in diſtinctionem, formamque prodiret. *Et virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Obumbrabit tibi Chriſtus Dei virtus & ſapientia. Ille humanam ex te naturam ſuſcipiet, & plenitudinem diuinitatis, quam ferre non poſſes, habebit in carnis ſuſceptione. Obumbrabit ergo tibi, quia luci ſe inacceſſibili aſſumpta à Verbo humanitas obiiciet, cuius obiectu lux illa temperata, caſtiſſima viſcera tua perfundet.

Geneſ. 1. 2.

Libet, chariſſimi, in tanta ſolemnitate gaudiorum adhuc pauliſper immorari, & de præfata conceptione aliquid quærere; liber ipſum diuinum agalma, ipſum pretioſiſſimum, & ſanctiſſimum vas, in quo Dei verbum conceptum eſt, apoſtrophando interrogare. Rogamus ergo, Domina, Dei mater digniſſima, non aſperneris petentes cum tremore, quærentes ex pietate, pulſantes cum charitate; rogamus, quo affectu mouebaris, quo amore tenebaris, quibus ſtimulis agitabaris, cùm hæc fierent in te, & Verbum carnem ſuſciperet ex te? Vbi erat anima tua, vbi cor, vbi mens, vbi ſenſus, vbi ratio? Ardebas vt rubus, qui olim oſtenſus eſt Moyſi, & non comburebaris: liquefiebas, & non conſumebaris. Ardebas liquefacta ſupernis ignibus, liquefacta in igne, vires reſumebas ab igne, vt ſemper arderes, & interim liquefieres. Ignis ille rorem luminis exhibuit, ros luminoſus vnctionem præbuit, vnctio ſemen ſanctum præſtitit. In quo repromiſſum eſt Abrahæ, quòd in eo benedicerentur omnes gentes. Hæſiſti enim, Virgo pulcherrima, ſtrictis amplexibus auctori pulchritudinis, & effecta plus Virgo, immò plus quam Virgo, quia Mater & Virgo, hoc ſacroſanctum ſemen deifica infuſione ſuſcepiſti. *Aue* igitur *gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Ieſus Chriſtus*, qui eſt ſuper omnia benedictus Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Exod. 3. 2.

Luc. 1. 28. & 42.

HOMILIA IV.

De partu Virginis, ſeu Chriſti Natiuitate.

HEri, dilectiſſimi, ſermo noſter habitus de copula ſpirituali, & conceptu virgineo, ad partum feſtinat; vt quam de Spiritu ſancto concepiſſe cognouimus, Deum verum & hominem genuiſſe profiteamur. Enixa eſt enim puerpera Dei filium, vt mira dignatione, mira & incredibili pietate Deus ad corpus deſcenderet, & aſſumpta carne deſtitutos filios Adæ viſitaret. Factus eſt ergo Dei filius hominis filius, vt in vnitate perſonæ Deus eſſet & homo; Deus ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus, & homo ex ſubſtantia Matris in ſæculo natus. Exultauit itaque gigas geminæ ſubſtantiæ, modulatis vocibus ex tinnulis ſuauiſſimis, in cithara corporis decantare, & in carnis organo compacto dulciſſimos ſonos edere, & ineffabili concordia reſonare, vt lapides ſuſcitaret, ligna commoueret, feras traheret, homines abſtractos à carne educeret in ſublime. Nam ſuauitate mirificæ cantilenæ ſuſcitauit de lapidibus filios Abrahæ, & ligna ſyluarum, id eſt corda Gentilium ad fidem commouit. Feras quoque, id eſt feros motus & incultam barbariem moraliter compoſuit, & homines ab hominibus edoctos in numerum deorum inſtituit. Bene autem Dauid, cuius voces reſonant in extrema terræ, cantoris officio perfunctus eſt, quia de ſemine eius magnus iſte præceptor erat naſciturus.

Athanaſ. in ſymb.

Sed iam qualiter eum beata Virgo peperit aduertamus. Peperit eum ſalua virginitate, quia ſaluo pudore concepit. Peperit inuiolata, quia illibata ſuſcepit. Et quia in delictis non concepit, abſque dolore peperit, nullum habens in conceptione contagium, nullum paſſa in partu diſſidium. Si enim quod nefas eſt cogitare, in carnis voluptate conciperet, procul dubio in partu doleret dicente ſcriptura, *Voluptas pœnam habet.* Vnde prima parens omiſſo vero & æterno gaudio, quo poterat in Dei ſui amore & contemplatione perfrui, fluxa carnis voluptate reſoluta corruit, & per intemperantiam ignominioſam damna paſſionum, & diræ mortis aculeos tolerauit. Hinc eſt, quòd vſque hodie Euæ filiæ in dolore pariunt, & quod cum dulcedine excipiunt, in magna carnis amaritudine profundunt. Non ſolùm autem illæ, ſed & omnes filij Adam, qui in carne delectantur, carne cruciantur; vt inde cruciati, vnde delectati, ſentiant ex verbere, quid præſumpſerint ex delectatione; & diſcant carnem non amare, nec carnis deſideria perficere. Qui enim in carne ſeminauerit, dicente Apoſtolo, de carne metet corruptionem. Galat. 6. 8.

Porrò Dei genitrix nec in carne delectata, nec carne cruciata, & in conceptione virginior, & in partu extitit ſanior, obſtetricante illa manu, de qua per Pſalmiſtam Deo dicitur, *Fiat manus tua, vt ſaluet me.* Manus quippe Dei, vnigenitus Patris appellatur, per quem fecit ſæcula. Hæc manus facta, quando incarnata, non ſolùm nullum vulnus inflixit, verùm atteſtante Propheta, *Languores noſtros ipſa tulit, & dolores noſtros ipſa portauit.* Planè manus iſta plena remediis, plena medicinis, ſanauit omnem languorem, morbos expulit, & mortuos ſuſcitauit. Inferni clauſtra diſſipauit, fortem ligauit, & vaſa eius diripuit, & ſpiritum charitatis ſuorum cordibus infudit. Manus iſta ſoluit compeditos, illuminat cœcos, erigit eliſos, diligit iuſtos, cuſtodit aduenas, pupillum & viduam ſuſcepit. Tentatos eripit à tentatione, dolentes reficit conſolatione, mœſtis reportat lætitiam, laborantes ſub vmbra ſua protegit, meditantibus leges ſcribit, orantium corda tangit, & benedicit, vt attactu confirmentur, in benedictione amore proficiant, & perſeuerent in opere, dehinc ad patriam reducit, & ad Patrem perducit.

Pſalm 118. 173.

Iſai. 53. 4.

Ideò enim caro facta eſt, vt carne carnem traheret, & carni coniungens carnem, glutino charitatis ad Dei inuiſibilia, & inuiſibilem Patrem omnipotentem, ouem erraticam reportaret. Nam quia relicto Deo, illa in carne cecidit; neceſſe fuit, vt huius incarnatæ manus miniſterio, quaſi quodam vehiculo, ad Patrem ſubleuata rediret. Hac igitur obſtetricante manu, Maria non ſolùm non doluit, verùm etiam in partu Virgo fuit. Hæc eſt illa ianua, de qua in Ezechielis volumine legimus. *Porta iſta clauſula erit principi, & per eam princeps egredietur.* Per hanc nimirum princeps regum terræ Chriſtus egreſſus eſt, quam ſicut in ingreſſu non aperuit, ſic in egreſſu non patefecit. Pertranſiit in pace, & ſemita eius non apparuit. Et ſi miraris clauſo vtero Mariæ, Ezech. 40 2.

Mariæ, signatóque virginali pudicitia Deum natum; mirare quod clauso, obseratóque aditu sepulchri ad superos rediit, & clausis ianuis ad discipulos introiuit. Non enim tollimus admirationem, sed incredulitatem arcemus.

Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit, & vniuersa opera eius mirari possunt, non inuestigari.
Eccl. 1. 8. *Cunctas res difficiles*, ait Salomon, *non potest eas homo explicare sermone.* Nam vt omittam, qualiter ex vno paruo grano ingens arborum silua oriatur; & qualiter ex Adam, & Euæ semine, humani generis massa producta sit, aliáque innumera prætercam: Quis explicet naturam cyniphis de terra? vnde alarum extensio, & pedum deambulatio, vnde ocelli, & forma capitis; vnde effigies corporis? vnde aculeus tam subtilissimus, vt ab oculis interdum euanescat? Ita concauus, & perforatus, vt exhausto sanguine breuissimi corpusculum animantis impleat? Si autem inquisitione cyniphis succumbit tua ratiocinatio, ô homo, erubesce altiora te quærere, & fortiora te inuestigare. Nam si teipsum, & breuem abyssum animi tui non colligis; in infinitatem maiestatis qualiter ascendis? Qui nescit vsque ad primum limitem numerare, quomodo poterit de Arithmetica iudicare? Qui nescit quid sit punctus, aut linea, eritne perfectus in Geometria? Qui nescit sonum edere, musicamne poterit docere? An erit peritus Astronomus, nesciens quid sit motus? Ita qui se ignorat, alta Dei non penetrat?

Quid est enim humana sapientia diuinæ sapientiæ comparata? Nec locum puncti, nec punctum puncti apud eam obtinet. Nam vt quoddam mirabile proferam, oculus cyniphis aliqua proportione magnitudini cæli comparari potest: humana verò mensura nulla proportione contingit diuinam immensitatem. Quæ enim pars finitum infiniti? mensurabile immensurabilis? momentaneum æterni? Aut qua multiplicatione, vel numero creatura comparabitur Creatori? Si millia millium extenderis in infinitum; casso labore coneris, & ne vlla quidem vel extrema proportiuncula, humanam scientiam diuinæ sapientiæ poteris comparare. Vnde si Dei essentia contempletur, hominis substantia non inuenietur, attestante Propheta, qui ait: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt*
Isa. 40. 15. 17. *coram eo, & quasi momentum, & inane reputatæ*
Exod. 3. 14. *sunt.* Et Dominus ad Moysem, *Hæc dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos.* Cùm se esse perhibuit, ab illis esse remouit.

Crede ergo Deo humana paruitas, imò humanum nihil, & super omnipotentissima sapientia, sit firmissima argumentatio tua. Illam præpone, illam assume, & de illa fac conclusionem. Credo verò quòd quicunque authori suo perfectè adhæserint, non arcebuntur lege naturæ; sed supra naturam, cum authore naturæ stabilientur. Neque enim authori suo natura legem imposuit, sed author leges dedit naturæ quas voluit, & quando vult, multat ipsa leges, sicut quando de aqua vi-
Ioan. 2. 9. & 9. 11. num fecit, & de luto formauit oculos. Quando
Matt. 26. 26. 27. 28. etiam seipsum in manibus continens distribuit edendum, & bibendum discipulis suis, totus extra remanens, & intus edentes se pascens. Sic (quod ad rem attinet) foras exiit clauso vtero Virginis. Hæc contra incredulos, & pro incredulis dicta sint.

Matt. 23. 37. Nec vos Iudæi intactos prætercam, qui Prophetas ad vos missos occidistis, & Dei filium, qui saluandis vobis venerat, interemistis, idem poculum miscentes Domino Prophetarum, quod & Prophetis antè miscueratis. Dixistis enim, *hic est heres, venite, occidamus eum, & nostra erit hereditas.* Matt. 21. 38.
Immò quia heredem occidistis, hereditatem amisistis. Nec etiam vestra dicenda est hæreditas, quam emenso mille annorum spatio, perdidistis. Quare ergo dicitis nondum venisse Messiam, nondum natum Christum? Aut ipsi mentimini, aut veritatem mendacem facitis, quæ loquitur in Psalmo de Dauid, dicens: *Ponam in sæculum sæculi semen eius, & thronum eius sicut dies cœli.* Et iterum: *Semel iuraui in* Psal. 88. 30.
sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in æternum Ibid. 37. 37.
manebit, & thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis. Rogo, vbi est ista promissio, vbi thronus Dauid perfectus sicut sol in conspectu Dei? & perseuerans sicut dies cœli? Quod si veritas non fallit, nec fallitur, præsertim dicente beato Iacob, *Non auferetur* Gen. 49. 10.
sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium. Venite ad Ecclesiam Dei, & videbitis filium, & Dominum Dauid sedentem in throno suo, cum potestate magna & maiestate.

Quod si adhuc impudicè, & irrationabiliter contenditis, & dicitis, Christus cum venerit, regnabit gens nostra cum illo. Videte primitiuam Ecclesiam de gente vestra: videte fratres vestros, qualiter regnant cum Christo. Ecce corda eorum viuunt in Psal. 21. 27.
sæculum sæculi. Sapientiam eorum narrant populi, & laudem eorum nunciat omnis Ecclesia Sanctorum. Et adorant eos tribus & populi, & incuruantur ante eos filij matris eorum, id est, Ecclesiæ. Eccl. 39. 14. Gen. 27. 26.
Erubescite inimici Christi conculcari sub pedibus eius, cui à Patre dictum est: *Sede à dextris meis,* Psal. 109. 1.
donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Et incipite fieri de membris eius, vt bibatis redemptionis sanguinem, quem patres vestri fuderunt in suam perniciem.

Et de vobis Gentilibus quid dicam? Caro nostra & os nostrum estis, quæ res amplius de vestra nos reddit salute sollicitos. Quare enim non creditis Christum Deum esse? Creditis quidem illum natum, & natum ex Virgine absque vllo peccato vixisse. Sed quia Deum illum esse non creditis, erratis perniciosè, & perditissimè delinquitis. Sed dicitis, ita credere à Propheta nostro edocti sumus. Si vultis scire, quod vester ille Propheta pseudo fuerit, ex verbis eius condemnamus eum, & ex ore illius stultitiam eius improbamus. Ille dicit Christum verè de Virgine natum, absque vllo mendacio, & absque vllo peccato conuersatum. Sed Christus, qui eius testimonio semper verax fuit, attestantibus Prophetis & Apostolis, Deum & Dei filium se esse, apertissimè in Euangelio professus est, ergo ille mendax fuit, qui Christum Deum non esse perhibuit. Confingite ergo viscera vestra ad Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam, quia sicut olim in diluuio, præter arcam nullus inueniebatur locus salutis, ita nunc præter Ecclesiam Christi, nullus est locus diffugij.

His omissis redeamus ad id, de quo tractabamus, & differentiam * partium Mariæ & Euæ * lego *partuum.*
perpendamus. Eua parit corrupta, Maria incorrupta peperit. Eua in dolore, Maria in salute. Eua in vetustate, Maria in nouitate. Ista seruum, illa Dominum. Ista reum, illa iustum. Ista peccatorem, illa iustificantem à peccato. Euæ partus mortes multiplicat: partus Mariæ à morte saluat. Euæ parturienti draco insidiatur: partui Mariæ ab Angelis ministratur. Euam parturientem tremor cordis occupat, parientem Mariam virtus diuina

diuina lætificat. Eua quos parit, multis exponit casibus: quos parit Maria, saluat à malis omnibus. Eua pariente, abundauit malitia: pariente verò Virgine Maria, superabundauit gratia. In partu Mariæ cœli lætati sunt, & terra exultauit, infernus etiam commotus expauit. Cæli lætam dederunt stellam, irradiantem, & Angelorum gloriosorum exercitum colladantem, & dicentem. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Matth.2.2. Luc.2.14.

Luc.2.20. Matt.2.11. Ibid.3 & 16. Exultans terra dedit Pastores glorificantes, & Magos adorantes, offerentésque munera, aurum, thus, & myrrham. Infernus conturbatus dedit Regem impium; & commouit in iram satellitem grassantem in necem innocentum, nec miserantem lactantibus vteris, auulsósque ab vberibus occidentem. Ita pariente Maria boni lætati sunt, & mali turbati, quia ille nascebatur, qui bonis bona redderet, & malos debita vltione feriret. Puta quando enixa est puerpera, faciem vniuersitatis risisse, & lætum orbem suo plausisse Domino. Puta cœlum abstersis nubibus induisse decorem, & sidera dicentia, adsumus, luxisse ei cum iocunditate. Puta noctem effudisse lumen in tenebris, & pro caligine ministrasse splendorem. Nox illa dedit lumen antequam oriretur, & lucem quæ ob nimium splendorem iubar solis obnubilat.

Psal.138.11. De hac nocte per Psalmistam dicitur, *Nox illuminatio mea in deliciis meis.* Et conuersus ad Dominum dixit, *Tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Fulgebat aëris grata & serena temperies, & cuncta pacata in ordine suo, auctorem suauitatis, & pacis venisse testabantur. An non putas in ortu Christi cuncta pacata, quæ legis illo moriente cuncta turbata? Illo moriente turbarentur, & nascente non pacarentur? morientem suo sensu sentirent, nascentem nescirent? Si autem illo nascente cuncta lætata sunt, mater eius qualiter lætabatur? Si cuncta gaudebant, ista quanto gaudio fruebatur? Aut quæ erat in genitrice lætitia, si ita gaudebant omnia? Lingua balbutit, cor refugit, sensus expauescit ad pondus tanti gaudij. Quomodo enim vas adhuc fragile, adhuc luteum & mortale, ad tantam vim gaudiorum poterat durare? quia ille obumbrabat ei in ortu Christi, qui in conceptu obumbrauerat. Ille dabat sufferentiam gaudiorum, qui affluentiam præstabat; & quam gloria maiestatis replebat ineffabili abundantia, virtus diuinitatis mirabili potentia continebat.

Cum igitur natum repromissum edidisset, diem ex die in nostrum diem peperisset; conuersa ad Deum toto corde, vocem gratiarum, & laudis suæ auditam fecit in excelso; obtulit acceptum labiorum sacrificium, & hostiam iubilationis immolauit, & dedit holocausta cordis pacifica, & thus odoris suauissimi in incensum Domini adoleuit. Accipiens verò natum Emmanuel, aspexit lucem incomparabiliter sole pulchriorem, & sensit ignem aquis inextinguibilem. Suscepit in testa carnis genitæ fulgorem illuminantem omnia, & verbum vniuersa portans portare meruit inter brachia. Repleta igitur scientia Domini, sicut aquæ maris inundantes, rapitur extra se, & mente sursum eleuata, altissima contemplatione defigitur. Miratur se virginem assumptam in matrem, & Dei genitricem se læta miratur. Intelligit in se completa Patriarcharum promissa, Prophetarum oracula, & Patrum antiquorum desideria; qui Christum de Virgine nasci præconabantur, & ortum eius votis omnibus expectabant. Videt Dei filium sibi commendatum, & mundi salutem sibi creditam lætatur. Audit sibi dicentem, & in se loquentem Dominum Deum; Ecce elegi te ex omni carne, & inter omnes mulieres benedixi. Ecce commendaui tibi filium meum, commisi tibi vnicum meum. Noli timere lactare quem peperisti, agnosce non solùm Deum, sed & filium. Filius meus est, filius tuus est. Filius meus ex diuinitate, Filius tuus ex assumpta humanitate. Quo itaque affectu, & studio; qua humilitate, & reuerentia; qua dilectione, & deuotione id expleret, hominibus incognitum est, & Deo cognitum, qui renum & cordium est scrutator. Deo cognitum, qui spirituum ponderator est. Eccli.45.4.

Sæpe vt credimus, oblita esus, ac potus, sprétáque carnali necessitate, noctes insomnes agebat, vt Christum mente cogitaret, Christum carne videret, cuius ardebat desiderio, cuius flagrabat obsequio. Sæpe etiam agebat, quod in canticis canticorum scriptum est, *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Cant.5.2. Carne quippe dormiens, animo vigilabat, nocturna quiete somnians, quæ per singulos dies cogitabat, & vigilans in eisdem se inueniebat, & artus sopori concedens, in pace in idipsum dormiens quiescebat. Vbi erat thesaurus eius, ibi & cor; vbi Psal.4.9. gloria, ibi & conscientia. Diligebat Deum, ac Filium suum ex toto corde, ex tota mente, & ex omnibus viribus suis. Ex toto corde, quia toto affectu; ex tota mente, quia toto intellectu; ex omnibus viribus, quia omni cordis intentione, & mandatorum omnium executione. Videbat oculis, & manibus tractabat verbum vitæ. Felix cui præstitum est fouere eum, qui fouet, ac nutrit omnia, portare portantem vniuersa, lactare Filium, qui lac ipsis vberibus infudit: pascere cuncta pascentem, & escam auibus administrantem. Pendebat in collo eius Patris sapientia, & in humeris eius virtus mouens cuncta residebat. Stabat in sinu materno paruulus Iesus, & in gremio quiescebat virgineo sanctarum requies animarum. Aliquando subnixo capite, læua dextráque tenentem, vultu placidissimo genitricem aspiciebat, quam desiderant Angeli videre, & blando murmure vocabat genitricem, quam omnis Spiritus appellat in necessitatibus.

At illa repleta Spiritu sancto, sanctum pectus pueri suo pectori copulabat, & faciem illius faciei suæ applicabat. Nonnunquam osculabatur manus, & brachia, & materna confisa licentia, ab eius ore sacratissimo dulcia oscula carpebat. Non satiabatur visu, nec implebatur auditu, quia illum videbat, & Luc.10.24. audiebat, quem multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt; & audire, & non audierunt. Proficiebat igitur magis ac magis in amore, & animus inardescens mente peruigili, diuinis obtutibus inhærebat. Non labores, non dolores, non discrimina, non penurias, aut necessitudines, non formidines, aut mortes, non regis impiissimi furorem, & fugam, reditúmve in Ægyptum, & ex Ægypto pro nati charitate formidabat. Erat gratissima in opere, lætissima in actione, promptissima in obsequio, deuotissima in ministerio, & humillima in famulatu. In cunctis prosperè agebat, cuncta strenuè, & sapienter administrabat. Vniuersa humanitatis officia vultu sereno, & mente tranquilla percurrit. Nam sicut in theorica nulli similis extitit, sic in actiua vita similem non inuenit.

Sed quo tendit oratio? Vincimur, & nos vinci gratulamur. Valdè supra nos est, quod attentauimus, longè inferiùs iacemus. Ergo redeamus ad nos, & culpas fletibus diluamus. Rogemus matrem pietatis per arcana gaudij, & ineffabiles amores, quos singulari

ſingulari priuilegio meruit, vt maternæ pietatis affectum nobis impendat, & pro noſtris exceſſibus apud proprium intercedat filium. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA V.

De mentis robore, ſeu martyrio Beatiſſimæ Virginis.

MEmores ſponſionis noſtræ, & ſcientes, quòd à nobis nihil poſſumus facere, non enim ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, à Patre luminum cordis luminationem, & oris apertionem imploramus. (2. Cor. 3. 4.) Sciendum itaque, duo eſſe genera martyrij, vnum in manifeſto, aliud in occulto, vnum patens, aliud latens, vnum in carne, aliud in Spiritu. Carne ſancti Apoſtoli, & Martyres paſſi ſunt, qui ob amorem veritatis, in teſtimonium Ieſu ſeipſos impenderunt, & effecti hoſtia Chriſti calicem Domini biberunt, vt per crucem aſcenderent ad maie- (Cant. 7. 8.) ſtatem, & per mortem temporalem vitæ æternæ participes effici mererentur. Iſti in canticis canti- (Cant 3. 10.) corum aſcendunt in palmam apprehendere fructus eius, & per aſcenſum purpureum in lectulum veri Salomonis congregantur, vt diſcumbant in reclinatorio aureo, & delitiis affluant vniuerſis, eden- (Luc. 22. 30. Luc. 12. 37.) tes, & bibentes in regno Dei, Chriſto illis miniſtrante. Spiritu verò Sancti illi paſſi ſunt, qui aliquid paſſione carnis durius in ſuis ſpiritibus pertu- (Geneſ. 22. 2. & ſeq.) lerunt. Spiritu paſſus eſt Abraham, quando iuſſus Iſaac Filium ſuum, quem vnicè diligebat, immolare, paterno pertentabatur affectu, & ab imis viſceribus pietate nati mouebatur. Agebat tamen nihilominus iniunctum opus impiger executor, & diuinæ iuſſionis accelerans imperium, itinere trium dierum peruenit ad montem Oreb, vbi, ſicut ei fuerat imperatum, ſtruem lignorum compoſuit, ligatum Iſaac ſuperimpoſuit: acceptóque gladio immolaſſet Filium, niſi voce cœlitus lapſa repreſſus audiſſet: Ne extendas manus in puerum, nunc cognoui, quòd timeas Deum. Vir iſte ſupra carnem paſſus eſt, quia Filium, quem carne propria plus amabat, & fide, & deuotione offerre non diſtulit, & plenam facti deliberationem, tertia die deinde oſtendit.

Ita legiſlator Moyſes animo paſſus, quando ſtetit in confractione in conſpectu Dei, & pro populi ſalute rogaturus, ſalutem ſuam longè proiecit, di- (Exod. 33. 2.) cens: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro, quem ſcripſiſti.* O iaculum in corde! ô vul- (Rom. 9. 3.) nus durius omni vulnere! ô plaga intimis animæ viſceribus inhærens! *aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro, quem ſcripſiſti.* Optabat anathema eſſe à Chriſto pro fratribus, & aliorum ſuam reputans ſalutem, alieno, quàm ſuo damno magis affligebatur. Neque enim ſibi fore integrum credidit, ſi aliis morientibus ipſe viueret, & aliis peri- (1. Cor. 13. 5.) clitantibus ſolus regnum intraret. Charitas quippe non quæ ſua ſunt, quia communia propriis, non (1. Reg. 24. 17.) propria communibus anteponit. Vnde Dauid, & ipſe animo paſſus, cum videret Angelum cædentem populum, ingemuit, & ex toto corde conuerſus ad Deum, ſe peccaſſe, ſe iniquè egiſſe commemorat, in ſe conuerti gladium exorat. Excuſat Iſraëlem, ſe cum ſtirpe ſua deleri expoſtulat tantùm, vt mucro madens ſanguine à cæde conquieſcat, & vltrix ira innocentes vltra non perimat. Puto aduertimus ex his, quòd mentis martyrium carnis tormenta excedat.

Hoc itaque patiendi genere Glorioſa triumphans, quantò cunctis vicinior, tanto cunctis glorioſior, venerandæ cruci dominicæ paſſionis inhæſit, hauſit calicem, bibit paſſionem, & torrente doloris potata, nulli vnquam ſimilem potuit perferre dolorem. Currit poſt Ieſum, non tantum in odore vnguentorum, ſed in multitudine dolorum. Non ſolùm in gaudio conſolationum, verùm & in abundantia paſſionum. Cernebat verum Salomonem mater in eius diademate, quo coronauerat eum nouer- (Cant. 3. 11.) ca ſynagoga, & ipſa coronata corona tribulationis poſt eum incedebat. Stabat autem iuxta crucem, vt illud dulciſſimum caput nati, vnctum oleo iuſtitiæ (Ioan 19. 25 Pſal. 44. 8.) præ participibus ſuis arundine percuſſum, & ſpinis coronarum triſti ſpectaculo videret. Aſpiciebat (Ibid. 3.) ſpecioſo forma præ filiis hominum non eſſe ſpeciem, neque decorem; excelſum ſuper omnes gentes, deſpectum, & nouiſſimum reputatum; ſanctum ſanctorum, cum ſceleraris, & iniquis affixum; ocu- (Iſa. 53. 3.) los ſublimis hominis humiliatos, & ceruicem ſuſtinentis omnia, humeris inclinatam pendere, ſereniſſimam faciem Dei emarcuiſſe, & decorem vultus eius abſconditum. Hinc illi per Prophetam dicitur? *Verè tu es Deus abſconditus.* Quare abſconditus, (Iſa 44. 15.) quia non erat ei ſpecies, neque decor, & *Cornua in* (Abacuc. 3 4.) *manibus eius. Ibi abſcondita eſt fortitudo eius.* An non abſconditus, quando manus miſit ad fortia, & palmæ eius clauos conſecutæ ſunt? Lucebat in manibus fixura clauorum, & latus innocuum dedit vulneri locum. Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertranſiit planta eius, & baſes eius ſtipiti affixæ ſunt. Hæc vulnera à ſuis, in domo ſua, pro nobis paſſus eſt.

O præſtantiſſima eius vulnera, quibus mortem occidit, & inferna momordit! *Mors*, inquit *ero mors* (Oſeæ 13. 14.) *tua, morſus tuus inferne.* Captus eſt Leuiathan hamo, & dum hiat ad eſcam vermis clamantis in Pſalmo, *Ego ſum vermis, & non homo*, horum vulnerum ferro (Pſal. 21. 7.) ſauciatus inhæſit. His ergo tam pretioſis vulneribus irretitus eſt diabolus, & homo liberatus. Habes er- (Cant. 2. 14.) go Eccleſia, habes columba foramina petræ, & cauernam maceriæ, in quibus requieſcas. Ne timeas Goliam furentem, animo atrocem, vultu minan- (1. Reg. 17. 4. & 50.) tem ingentia, quando à vero Dauid mucrone proprio eneruatus volebat percutere, & percuſſorem inuenit: vulnerare curabat, & grauiter ipſe vulneratus eſt. Nodis ipſe ſe ſuis implicuit, & ſuo ſe conatu deiecit. Non ſua rapuit, & ſua amiſit. Aliena inuaſit, & propria perdidit. Appenſus eſt in ſtatera ſanguis Chriſti, & paterno iudicio præponderans, hominum peccata, & diaboli vincula diſſoluit. Expoliatus, itaque tam vaſis pretioſiſſimis, quam omni (Luc. 11. 21. & ſeq.) glorioſa ſubſtantia, & armis in quibus habet fiduciam, hoſtis ille antiquus reſeruatur in iudicio, pro effuſione ſanguinis filij Dei pœnas æternas luiturus. Et vos cum illo Iudæi, ingrati, blaſphemi, parricidæ ardebitis, vt quos miniſtros inuenit in ſcelere, ſodales habeat in igne.

Filios, ait Dominus, *nutriui, & exaltaui, ipſi autem* (Iſa. 2. 2.) contemnentes *ſpreuerunt me.* Verè ille vos enutriuit, & exaltauit, & ſcelere veſtro in cruce exaltatus eſt. Induit vos coccino in deliciis, & ornatu (2 Reg. 1. 24. Prou. 4. 9.) gloriæ; & inſania veſtra denudatus eſt. Corona in- (Pſal. 1. 47. 14.) clyta protexit vos, & coronam ſpineam capiti eius impoſuiſtis. Cibauit vos ex adipe frumenti, & (Pſal 68. 22.) fel ei eſcam dediſtis. *Dederunt*, ait, *in eſcam meam* (Iſa. 54. 2.) *fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.* Longos fecit funiculos hæreditatis veſtræ, & clauos veſtros conſolidauit; vos autem brachia eius extendiſtis, &

Matth.27. 41.&51. manus, quæ mortuos suscitauerant, clauis affixistis. Obstupuit cœlum super hoc, & indutum est tenebris, quasi succo cilicino. Sol, & Luna retraxerunt splendorem suum, & habitu mœroris circundati, visi sunt flere factorem suum. Aër obtenebratus, & densa caligine conglobatus est. Terra tremuit, & commota est. Saxa scissa sunt, monumenta aperta sunt, & ab inferis mortui resurrexerunt. Infernus ipse solus exhorruit, & inferi furiæ conturbatæ sunt. Iudæus verò terra insensibilior, saxis durior, inferno crudelior, dæmonibus infidelior, neque sensit Dominum, neque scidit animum, nec scelus exhorruit, nec fidem adhibuit. Et quid facies popule nequam, gens sceletata, domus effundens sanguinem crucifixi, cum venerit in nubibus cum potestate magna, & maiestate, descendet ardentibus cœlis, & terra, & aduentus sui terrore elementa dissoluet, & cùm venerit, signum crucis apparebit in cœlo, & ostendet dilectus cicatrices vulnerum, & loca clauorum, quibus à te in domo tua confixus est? Tunc planges te super te planctu quasi vnigeniti, & dices montibus, operite nos, & collibus, cadite super nos à facie gladij columbæ, & ab
Psal.20.10. ira furoris Domini. Ponet te in clibanum ignis in tempore vultus sui, in ira sua conturbabit te, & deuorabit te ignis. Turbo veniens rapiet te, tempestas sæua demerget te, ignis æternus succendet te,
Ezec.12. 20. tartareumque chaos serò peccantem inuoluet. Et ne dicas more tuo solito. In longum prophetat iste.
Isai.22.17. Ecce Dominus asportari te fecit, vt asportatur gallus gallinaceus, & sicut amictorium subleuauit te, vt vilis, & exul moriaris in terra non tua, & duplici contritione contritus, sola vexatione amissum intellectum recipias, & discas ex pœna, quæ ex culpa præsumpsisti.

Igitur tam pro nati morte, quàm pro Iudæorum perditione, ineffabili dolore Gloriosæ pectus vrebatur, & altissimo pietatis iaculo confossum, extremas spirabat inter angustias, hausit poculum amarius ipsa morte, & quod hominum genus ferre non posset, adiuta diuino munere femina valuit sustinere. Vicit sexum, vicit hominem, & passa est vltra humanitatem. Torquebatur namque magis, quàm si torqueretur ex se, quoniam supra se incomparabiliter diligebat id, vnde dolebat. Et vt paulisper omittamus acerbissimam illam de morte Nati mœstitiam, quis explicet quo dolore *arcebatur* beata Virgo, quibusve premebatur angustiis, cum Propheticis oculis cerneret stirpis suæ magna quadam ex parte condemnationem, gentis attritionem, casum populi, ruinam patriæ, & ipsius olim ciuitatis sanctæ Hierusalem euersionem? certè Prophetæ præscij futurorum prædixerunt excidium Iudæorum, & interitum suorum fletu multo persecuti sunt. Ipse Dominus mouit lachrymas super Hierusalem, & Apostoli multo tempore fleuere perfidiam patriæ, Paulus plenus pietate optauit anathema esse à Christo pro fratribus, qui erant secundum carnem, vt eos ad salutem prouocaret, & æmulationem; quantò magis mater pietatis cuncta faceret, omnia libens sustineret, quibuslibet se pœnis & mortibus obiiceret, vt imminentem interitum, & cladem à gente sua submoueret.

Fortè, *arctabatur.*

Luc.19 42. Rom.9.5.

Sed honor regis iudicium diligit, & Dei summi iustitia irrefragabilis iustissimè disponebat, quando alma redemptoris, & misericordiæ mater plangebat. Nec verò quisquam opponat, Iudæos exosos Dei genitrici, eo quod filium suum morte turpissima condemnarunt. Quos enim morti æternæ appropiare videbat, nequaquam odio suo dignos xistimauit, & sugillatione, sed affectu plurimo, sed lachrymis multis & magna miseratione. Vnde tam particeps charitatis, quam crucis IESV, assumpsit orationem pro eis, corde perfecto paternæ pietatis aures compulsans: Pater, dimitte illis hanc noxam, quia nesciunt, quid faciunt. Hæc vox eius, desiderium eius fuit, quo meliùs aures pulsantur incircumscripti spiritus, replentis omnia, & vbique audientis. Cæterum quicunque diligitis matrem Domini, aduertite, & totis affectuum visceribus considerate, quantum & inimicos Vnigeniti plangeret morientis. Effugit omnem sensum, humanos intellectus exsuperat concepta de passione Nati tristitia. Nulla huc similitudo, nulla ad tantam mœroris acerbitatem accedit comparatio. Quæ enim mater dilexit filium suum, vt ista? Non enim fortuitò concepit, vt cæteræ mulieres, sed vnicus Patris pia electione, & gratuita bonitate matris visceribus influxit, hoc est vnde magis diligebat. Neque verò, vt cæteri offensam in vita sua matri retulit, sed gratiæ gratuitatem infudit, dicente de eo scriptura: *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est* 1.Pet.22. 2.
dolus in ore eius. Item ait de gratia: *Speciosus forma* Psal.44 3.
præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Hoc est vnde magis diligebat. Eundem quoque habuit Deum, quem & filium, quia *homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.* Et hoc est, vnde magis comparabiliter diligebat. Sola enim à sæculo meruit habere eumdem filiúmque Deum. Psal.86.5.

Ergo abysso abyssum inuocante, duæ dilectiones Psal.41.8. in vnam conuenerant, & ex duobus amoribus factus est amor vnus, cum Virgo mater Filio diuinitatis amorem impenderet, & in Deo amorem nato exhiberet. Quò igitur magis diligebat, plus doluit, & amoris magnitudo attulit fomenta passionis. Quid enim ageret, cum in Caluariæ consisteret loco, & videret crucem, clauos, vulnera morientis in innocentia, nec tamen exsatiatam immunitatem Pharisæi furentis inuidia? Pendebat ille luens nostra, non sua delicta; & Pharisæi cum Scribis il- Ioan.19.
ludentes percutiebant caput eius, & offerebant 29.
acetum felle mixtum ori eius, vt impleretur Prophetia Dauid dicentis ex persona Christi, *Super* Psal.68.27.
dolorem vulnerum meorum addiderunt. Inter hæc Dei genitrix consternabatur animo, & dolores vt parturientis apprehenderunt eam. Ibi gemitus, ibi singultus, ibi suspiria, ibi mœror, ibi dolor, ibi agonia, ibi æstus animi, ibi incendia, ibi mors morte durior, vbi vita non tollitur, & mortis angustia toleratur. O veneranda, & plena deuotionis, & lachrymarum memoria! recordari, qualiter sancta illa anima Gloriosæ passa sit, quasve pertulerit de Christi morte angustias! Pallidus vultus IESV exsanguem reddidit vultum Genitricis. Ille carne, illa corde passa est. Denique contumeliæ, & opprobria impiorum in capite materno redundabant. Mors Domini illi amarior morte fuit. Et licet edocta Spiritu resurrecturum non ambigeret, necesse illi tamen fuit paternum calicem bibere, & horam suæ passionis non ignorare. De hoc illi prophetauit Reuerendus Senex Simeon dicens, *Tuam* Luc.2.35.
ipsius animam gladius pertransibit. O Domine IESV, terribilis in consiliis super filios hominum, nec matri tuæ pepercisti, quin gladius animam suam pertransiret. Hac nobis per igneum gladium, atque versatilem transeundum omnibus in communi ad lignum vitæ, quod est in medio paradisi.

Sed ad ordinem redeamus. Poterat ergo beata Maria illud, quod specialiter Christo conuenit, exclamare,

Thren.1. 12. exclamare, *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus.* O quantus, & qualis dolor, ô quæ, & qualis in illo dolore Maria; & nunc qualis erat, quantum distabat ab illa, quæ olim inter choros Angelorum Nato obsequia deferebat, pastoribus glorificantibus, & Magis adorantibus cum oblatione munerum mysticorum? Distabat verò, non virtute, sed mœrore, non gratia, sed pressura. Nam virtute augebatur, & multiplicabatur gratia. Propterà in tanta posita aduersitate, nec resoluit pudorem verecundiæ, nec amisit vigorem constantiæ. Ad cuius rei probationem ait de ea Beatus Ambrosius Mediolanensis Episcopus: *Lego stantem, iuxta crucem Domini, non lego plorantem.* Stare namque in illa cordis amaritudine magnæ adscribitur constantiæ, abstinere à lachrymis summæ verecundiæ annotatur. Cohibebat illa lachrymas præ pudore, stabat sublimissima quadam animi magnanimitate. Itaque nec dolor excussit lachrymas, nec animum pœna deiecit. Quia hinc pudor honestus, illinc fortis constantia decertabant. Ergo charissimi imitemur matrem Domini, vt inter aduersa non obliuiscamur verecundiæ, & memores simus constantiæ. Non deerunt tristitiæ, non deerunt aduersa, non deerunt tentamenta, mors & ipsa transitum faciet per nos. Vallemus animum humili verecundia, & firma constantia. Viuat in mortem pudor, & inter gladios animi constantia perseueret. Tunc effecti morum similitudine similes genitrici Dei, post eam adducemur in templum Regis, & filij sui. Cui cum Patre, & Spiritu sancto laus est ab omni creatura, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Ambrosius concione in obitu Valent.

HOMILIA VI.

De gaudio, & admiratione Beatæ Virginis in Resurrectione, & Ascensione Iesu-Christi Filij sui ad Patris dexteram.

Cant.5.1. *Comedite amici, bibite, & inebriamini charissimi.* Inuito vos ad mensam sapientiæ, & ad vini libamina, quæ miscuit vobis in crate calicis præclari. Inuito vos ad epulas Gloriosæ, ad Conuiuium Dei Genitricis. Felix, qui tali potitus conuiuio, coram recumbentibus in veste nuptiali fulgebit. Apponetur ei panis vitæ confirmans, replens, & satians suauitate mirifica. Et vinum lætitiæ, vinum procedens de genimine vitis, verè vinum resurrectionis, expressum de ligno Dominicæ
Num 13. 24. passionis. Hoc vinum botrus ille protulit, qui ablatus è terra Promissionis in vecte ligneo pepen-
Luc.15.22. dit. Edet præterea præfatus conuiua in stola pri-
Exo .12. 11 ma, & annulo pacis, occisum à Patre vitulum saginatum, accinctum renes zona fidei, & castitatis, ha-
Ioan.21.9. bens etiam calceamenta in pedibus, vtpote ad omne opus bonum præparatus, agni Paschalis assas igni carnes manducabit. Nec deerit edentis voluntati hinnulus ceruæ gratissimæ, & ceruus saliens de valle inferi in montem cœli. Dehinc percepto pisce, qui ad littus maris inuentus est super prunas, apparente discipulis Domino in resurrectione, gustabit simul fauum mellis. Sumensque canticum de canticis canticorum dicet in illa die, *Comedi fa-*
Cant.5.1. *uum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo.* Affluens itaque deliciis vniuersis, ita secum alios ad prandium inuitabit, *comedite amici, bibite, & inebriamini charissimi.* Et ego fratres ad hoc prandium vos inuito. Edite panem vitæ, vinum lætitiæ bibite, inebriamini gaudio resurrectionis. Ebrietas hæc summa sobrietas est, hæc mundi memoriam obliterat; & Deum præsentem animo semper inculcat; hac ebrius quisque cunctorum semper obliuiscitur, & solius diuinæ charitatis recordatur. Hac igitur & vos inebriamini dilectissimi, cum Dei genitrice inebriamini, & gaudete cum gaudente, qui cum lugente luxistis.

Tempus gaudij, & tempus mœroris, ait Salomon. Eccles.3.4.
Mœror abiit, gaudij tempus aduenit, verum gaudium, quod de Christi resurrectione prouenit. Surrexit enim, & erexit animum matris suæ. Iacebat illa velut in quodam arctissimo mœroris tumulo, donec Dominus iacuit in sepulchro. Illo namque resurgente, reuixit spiritus eius, & quasi de graui somno euigilans, solem iustitiæ, & radios resurgentis in luce matutina respexit. Intuita est ortum surgentis auroræ, & præcedentem in filia futuram carnis resurrectionem. Pascebatur oculis in carne fulgida resurgentis, & mente cernebat gloriam diuinitatis, vt intus & foris egrediens, & ingrediens frueretur pascuis veræ, sempiternæque fœlicitatis. Facta igitur extra se, suique oblita præ gaudio, adhæsit corde lætissimo Patri spirituum, & conglutinata Deo, in illum tota efferebatur, in cuius amoris immensitate tota refundebatur. *Domine in* Psal.20.2.
virtute tua lætata est valdè, & super salutare tuum exaltata est vehementer, desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eam. Corona capitis eius Christus est, dicente sapientissimo, quod *filius sapiens corona sit matris suæ.* Prou.13.2.
Et quis sapientior illo, qui est Patris sapientia? bene autem corona de lapide esse dicitur, quia in nouo, & veteri testamento nomine lapidis Christus significatur. Dictus est lapis, propter potentiam, pretiosus propter gloriam. Et vtraque Psalmista complexus est dicens, *Dominus virtutum ipse est Rex* Psal.23.
gloriæ. Quia Dominus virtutum ideò lapis; quia 10.
Rex gloriæ, pretiosus. Nihil verò lapide fortius, nihil gloria pretiosius est.

Habes ergo ô Beata, gaudium tuum: impletum est desiderium tuum, & Christus corona capitis tui tulit tibi cœli principatum per gratiam, regnum mundi per misericordiam, inferni subiugationem per vindictam. Ille tibi ab inferis victor ascendit, ille contriuit portas æreas, & vectos ferreos confregit. Inferni munitiones obtinuit, & capita draconis allisit. Dedit hostium tuorum strages innumeras, & Principem lethi religauit, occidit mortem, & mortis auctorem proiecit in vinculis. Catenis igneis auctor ille mortis religatus est.

Inde eduxit suos de tenebris, & vincula eorum disrupit. Animas omnium iustorum ambulantes in lumine vultus eius, & in nomine eius exultantes associauit sibi, in iustitia eius exaltatæ sunt, quæ propter iniustitias suas humiliabantur. Solus fuit in trãsitu ad inferos Dominus IESVS, sicut ex persona illius Dauid cecinit, dicens: *Singulariter sum ego, do-* Psal.140.
nec transeam. Solus in ingressu, sed in egressu mi- 10.
nimè solus, qui innumera Sanctorum millia secum reduxit. Cecidit in terram, & mortuus est, vt Ioan 12.
fructum multum afferret. Deposuit se in semen- 24.
tem, vt humanum genus colligeret in segete. Felix aluus Mariæ, in qua seges ista coaluit. Felix cui dictum est, *Venter tuus, vt aceruus tritici vallatus* Cant.7.2.
liliis. An non vt aceruus tritici venter eius, qui grano illo intumuit, quo omnis renatorum seges excreuit? In fonte quippe baptismatis peccatis, & nobis ipsis mortui, per lauacrum regenerationis Christo renascimur, vt ei viuamus, qui pro om-

Gal.7.27. nibus mortuus est. Vnde Apostolus ait, *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Ergo ex vno grano multæ segetes, & ex aluo Virginis granum illud. Ideò aceruus nominatur, vi seminis, non numerositate; virtute, non pluralitate.

Liliis namque vallatus dicitur: eo quòd vteri materni perennis integritas scripturæ sacris eloquiis comprobetur. Quid enim sunt aliud diuina eloquia, nisi quædam lilia emanantia candorem puritatis, & gratum puritati spirantia odorem suauitatis? Hinc est, quòd verbum Patris, & sapientia, & candor lucis æternæ nominatur. Et de diuinis eloquiis per Psalmistam dicitur, *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* Nam de odore scriptum est in canticis canticorum, *Curremus in odore vnguentorum tuorum,* id est, in notitiam eloquiorum. Eloquia enim Domini vnguenta pretiosissima sunt, quibus morbus animarum expellitur, quibus congrua vulneribus medicina confertur. Horum antidoto, dira serpentis venena diffugiunt; horum fomentis, acerba vulnera cedunt; horum ope sauciatus ille curatur, qui incidit in latrones, cum descenderet ab Hierusalem in Hierico. De quorum item odore in præfatis canticis hæc sponsi ad sponsam vox est, *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.* Cui alibi dixit, *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Habet enim Ecclesia sponsa Christi vbera testamentorum, quibus infundat paruulis lac consolationis, perfectis lac exhortationis.

(Sap.7.26. Psal.11.7. Cant.11. Luc.10.20. Cant.4.10. Cant.11.)

Nec mirum, si eius lacte perfecti alantur, quæ ait, *Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens.* Hæc vbera meliora sunt vino. Et Paulo attestante, *quod stultum est Dei sapientius est hominibus.* Meliora ergo sunt vbera eius vino inanis Philosophiæ, vino sæcularis scientiæ, vino cupiditatis mundanæ, nun quidem expresso de vinea Sorec, neque de vinea Cypri, aut de vinea Engaddi, sed de vinea Sodomorum, & de suburbanis Gomorrhæ, aut certè de vua fellis, & botro amaritudinis. Itaque adolescentulæ memores vberum sponsæ, super vinum lactis eius copia enutriri desiderant, vt eo crescant in salutem. *Meliora sunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis.* Fragrant hæc vbera vnguentis optimis, cum præfata Ecclesiæ testamenta perfectis innotescunt eloquiis, vt pro sensuum capacitate alios historica superficie nutriant, & alios morali suauitate instruant, alios mystica intelligentia ad alta sustollant. Fragrant etiam vnguentis optimis, cum eisdem testamentis additur gratia spiritualis intelligentiæ, & virtus charitatis diuinæ, vt velut quædam lilia candeant ex dono intelligentiæ, redoleant ex amoris suauitate. Inter hæc lilia dilectus pascitur, vt eius dilectæ voce dicitur: *Dilectus,* inquit, *meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Inter lilia quippe pascitur, cum verbi dies interna dulcedine legentis animus in scripturis satiatur. His ergo liliis vallata Dei Genitrix audit ab ore Salomonis, *Venter tuus, vt aceruus tritici vallatus liliis.*

(Cant.8 10. 1.Cor.1. 25. Cant.1.25. Deut.32. 32. Cant.2.16. Cant.7 8.)

Possunt quoque per lilia sanctorum animæ designari candentes per vitæ meritum, fragrantes per virtutis exemplum. De candore Psalmista Deo ait, *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.* Et de odore ita pronunciat. *Eructauit cor meum verbum bonum.* De quo, & Apostolus, *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco.* Vallata igitur liliis redemptoris Mater aptissimè hunc illis congruentem poterit proferre sermonem, Gaudium meum, & corona mea omnes vos estis, acquisiti sanguine meo, & carne sumpta de carne mea. His etiam liliis septus erat, dum animas iustorum ab inferno eriperet suæque gloriæ dotatione bearet. Verus enim Iacob in baculo crucis transiuit Iordanem mortalitatis, & cum duabus turmis regressus est. Ego duas turmas, circumcisionem, & præputium, eos qui in lege, & ante legem fuere, intelligo. Ergo solus obiit, & fœnore multiplicato reuixit. Nam vita omnium ipse est, & vita omnium cum ipso resurrexit. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Cuius morte pullulauimus, cuius sanguine radix nostra succreuit, cuius resurrectione corpus effloruit:

(Psal.90.9. Psal.44. 22. 2.Cor.2. 15. Philip.4.1. Gen.32. 10. 1 Cor.15. 22.)

Effloruit verò, non vt fœnum, sed vt verbum, non vt dies sæculi, sed vt dies cœli. Hinc voce summi Patris de semine Dauid dicitur, *Ponam in sæculum sæculi semen eius, & thronum eius sicut dies cœli.* Igitur æternus flos de radice eius ascendit, qui aruit ex passione, sed refloruit ex resurrectione. Refloruit autem, non vt denuò decidat, tanquam flos agri, sed vt verbum Domini maneat in æternum. Nam *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Propterea vir desideriorum Daniel, filium hominis vsque ad antiquum dierum venisse perhibet, vt filium hominis demonstraret. Quem bene intuens Psalmista ait, *Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui,* & quæ sequuntur. Ecce qui Deum nominat, cuius sedem in sæculum sæculi esse memorat. Hunc postmodum vnctum à Deo oleo lætitiæ præ consortibus narrat. Deus enim ab æterno, cum Patre regnat in sæculum sæculi; & homo ex tempore vngitur oleo lætitiæ præ consortibus suis. Verè præ consortibus, cui Pater ait, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et illud, *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Quem vt Patri æqualem ex diuinitate intelligas, audi dicentem in Euangelio, Ego & Pater vnum sumus: &, *Qui videt me, videt & Patrem.*

(Psal.78. Ioan.1 14. 7.13. Psal.44.7. Psal.1.7. Psal.109. Ioan.14.9.)

De ipso quoque Apostolus ait, *Quia Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen,* & cætera, quæ sequuntur. Equidem genu infernorum flectitur illi per terrorem, genu terrestrium per acquisitionem, cælestium per beatificationem. Istis namque intentat supplicia, illos eduxit à miseria, illos attollit in gloria. Istis terribilis in iudicio, illis misericors in auxilio, & his munificus in præmio. Dæmones enim subiicit gladio suo, homines redimens sanguine suo, Angelos satians vultu suo.

(Ioan.10. 30.)

Ergo inferna prosternunt genu, trementes potentiam eius; terrestria curuant genu, laudantes clementiam eius, cælestia flectunt genu, clamantes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Ipse est filius tuus, ô Maria: ipse amor tuus resurrexit tibi die tertia, & in carne tua ascendit super omnes cœlos, vt omnia adimpleret. Habes ergo, ô Beata, gaudium tuum, attributum est tibi desiderium tuum, & corona capitis tui. Attulit tibi cœli principatum per gloriam, regnum mundi per misericordiam, inferni subiugationem per potentiam. Tantæ igitur, támque ineffabili gloriæ tuæ, diuersis affectibus cuncta respondent; Angeli in honore, homines in amore, dæmones in tremore. Cœlo namque venerabilis, mundo amabilis, orco terribilis es.

(Phil.2.6.)

Gaude itaque, & lætare, quia surrexit susceptor tuus, gloria tua, exaltans caput tuum. Gauisa es in conceptione, afflicta in passione, iterum gaude in resurrectione, & gaudium tuum nemo tollet à te.

Rom.6.9 Cant.2.10. à te. *Christus resurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Propterea vocat te. *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Iam enim hyems transit, imber abiit, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit. Amica mea,* per coniunctionem, *columba mea,* per vnionem; formosa mea, per decus & compositionem; *surge* de mœrore, de afflictione, de humiliatione, & puluere, quæ doloris indicia sunt: *propera*, tolle moras, onus excute, grauitatem exue, leuitatem indue, cursum arripe, volatum assume, & veni. *Veni*, vt gaudeas gloriam Dei primitias resurrectionis; primogeniti ex mortuis. *Iam hyems transiit*, qua Petrus torpens negauit, qua corda Iudæorum congelata extinxere sibi solem iustitiæ pruinis * voluptatum suarum succensi. *Imber abiit, & recessit*, imber turbidus, lutulentus, ruinosus, mixtus niue & grandine abiit, & recessit. Imber conclamantium, & dicentium, crucifige, crucifige eum, abiit, & recessit. Abiit quoque imber, quo area gentilium, & vellus Iudaici populi meruit exsiccari, *Flores apparuerunt in terra nostra*, flores vtique beatorum Spirituum & Angelorum, alternatim vernantium, & locum odore suauissimo spargentium, vbi positus Dominus.

* forte, voluntatū.

Exod.37.7. 3 Reg.6. 32. Hos vetus scriptura significans expressit, cum duo cælata Cherubim super Propitiatorium in vtraque summitate instituit, ac ea in foribus tabernaculi cum palmis depinxit. Causa euidens est, figuris fuit obumbrata, nunc re ipsa exhibita. Palmæ præferunt insigne resurrectionis; fores & propitiatorium designant illum qui est patens aditus ad regnum, & propitiatio pro peccatis hominum. Duo namque Cherubim, duo sunt Angeli, quorum vnus ad caput, & vnus sedit ad pedes, vbi positum fuerat Corpus Christi. Qui flores iure nominantur, quia summi Dei æternitas, ver illis præbet æternum, vt semper floreant, nunquam marcescant, nunquam decidant, & specie inuiolabili idem permaneant. Flores etiam visi sunt in terra nostra, cum ascendente Domino astiterunt duo viri iuxta Apostolos, qui & dixerunt, *Viri Galilæi quid admiramini aspicientes in cœlum? Hic* IESVS, *qui assumptus est à vobis, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Tempus putationis aduenit*, putatus est infernus, & de corde credentium diabolus amputatus. Os Domini separauit pretiosa à vilibus, præcidens sarmenta de vitibus, & colligens zizania de messibus, vt grana condat in horrea, rogo tradens ad comburendum zizania. O triste diuortium, luctus & gaudium passim mixta! O dulcis & amara dies, cum iustus iudex rediens ab inferis, aliis dorsum opposuit, aliis faciem desideratam ostendit. Alios reliquit in supplicio, alios extulit cohæredes in regno. Illos dimisit arsuros cum diabolo, hos euexit coronandos in cœlo. Viderunt impij, & sine spe ingemuerunt: viderunt boni, & corde pleno lætati sunt. O miseri, quibus non subuenit misericordia! ô boni, quibus occurrit in gloria! O miseri, quos ipsa vnigeniti passio non adiuuit! ô boni, quos à morte perpetua eripuit! Viderunt impij, & sine spe ingemuerunt; viderunt boni, & vocem in iubilo leuauerunt.

1.Ioan.2.2. Ioan.10. 11.

Act.1.11.

Ier.15.19. Matth.13. 30.

Psal.71.26. Cant 5 6. Paritérque tu Gloriosa Natum ab inferis ascendentem vidisti, Nati gloriam beatissimis oculis aspexisti, vidisti & defecisti. Defecit caro tua & cor tuum, liquefacta es, vt vocem dilecti filij tecum loquentis audisti. Factum est verbum eius quasi ignis flammigerans in ossibus tuis. Ergo diuinis ignita colloquiis, tota effecta es velut ignis, téque holocaustum Deo suauissimum obtulisti. O Phœnix aromatizans gratiùs cinnamomo & balsamo, & nardo suauiùs regem in aspectu tuo delectans? Phœnix congregans omnes species, & igne circunfusa superessentiali, vt cœlum cœlorum, & cœli potestates Angelicas mirifico repleas suauitatis incenso. Hoc incensum suauissimum est, hoc thymiama bene compositum procedit de thuribulo cordis Mariæ, & vniuersa suauiter olentia excedit. Porrò thuribulum sequens incensum & eleuatum manu Domini, ascendit vsque ad thronum Præsidentis. Ascendit stipatum prosecutione Angelicorum spirituum, clamantium in excelsis, atque dicentium, *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Sed iam sermo noster iste vsque ad ascensum pertractus finiatur, vt alius ascensum hunc, opitulante Deo pleniùs exequatur. Qui viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Exod.30. 39.

Cant.3.6.

HOMILIA VII.

De B. Virginis Obitu, Assumptione in cœlum, Exaltatione ad filij dexteram.

Cogitanti mihi, & sæpius animo retractanti Dei Genitricis assumptionem, quæstio quidem occurrit, quæ digna inquisitione, vtilis inuentione, dulcis admodum clarebit communicatione. Quæritur enim, cur ascendente in cœlum Domino, mater eius quæ tanto eum amplectebatur affectu, non statim secuta est? Cum enim nulla peccati nube depressa, nulla vitæ macula respersa, super ignem ruberet ob charitatem, luce clarior ob castitatem, ipsis etiam præclara caliginis ob virginei partus nouitatem, mirum videbatur, quare cum Filio non statim ad æthera prouehebatur. Certè Enoch in cordis munditia cum Deo ambulauit, & non comparuit, quia transtulit illum Deus. Elias quoque charitatis igne nimio succensus, curru igneo, & equis igneis raptus memoratur. Illa verò excedens Enoch cordis munditia, & amoris prærogatiua maior Elia, quare cum illo quem genuit, non illico in cœlum efferebatur? Erat namque plena gratia, & in mulieribus benedicta. Deum verum de Deo vero sola meruit concipere, quem Virgo peperit, Virgo lactauit, fouens in gremio, eique in omnibus almo ministrauit obsequio. Passa est demum magis spiritu quàm carne cum moriente, reuixit Spiritu Dei cum resurgente? Eius quippe sacratissima caro, quæ de Spiritu sancto grauida fuit, quæ germine magnifici Regis intumuit, in quo Deus homo, Verbum Caro factum est, & mediante Christo plenitudo diuinitatis mansit in ea corporaliter, assumpto Domino videretur inserenda cœlo.

Genes.5. 24. 3.Reg.2. 11.

Luc.1.28.

Col.2.9.

Vt quid enim retardata est, vel ad momentum? aut passa Nati diuortium? Vt quid dilatum est feruentius igne tam sanctum eius desiderium? Quoniam ista dilatio discipulorum Christi non minima consolatio fuit. Ista dilatio matri nil minuit, & mundo contulit remedia salutis. Voluit enim Dominus IESVS, vt ipso ad Patrem reuertente, Apostoli materno solatio, & eruditione fruerentur. Qui quidem licet edocti essent à Spiritu, ab illa tamen poterant edoceri, quæ mundo iustitiæ solem edidit, & fontem sapientiæ ex prato virgineo, intemerato nobis alueo produxit. Mira denique pietate primitiuæ Ecclesiæ prouisum est, vt quæ Deum in

in carne hac præſentem iam minimè cerneret, matrem eius viſu iucundiſſimo recreata videret. Quid enim tam iucundum, quid tam decorum, ac delectabile, quàm matrem Plaſmatoris, & Redemptoris omnium videre? Nam ſi ſepulchrum eiuſdem noſtri Redemptoris, quod extat vſque hodie, ita viſui deſiderabile eſt; ſi lapis in quo requieuit ſtirps ſancta Ieſſe, tanta eſt expetibilis celebritate, vt affectus & animos cunctorum prouocet in ſe, & quadam pietatis arte trahat ad ſe omnia, quæ, vel qualis erat Dei genitricem cernere lætitia, donec eam diuina pietas communi ſorte degentem nobiſcum conceſſit in terra? Beata gens & fœlix generatio, quæ tali ſpectaculo meruit illuſtrari. Beata planè, in cuius medio credentis, & fruentis conſtitit arbor producens fructum vitæ, effulſit Genitrix lucis veræ. Apparuit puteus ille clauſus,
Ezech.13. 1. & ſignatus, de quo egreſſus eſt fons domus Dauid, patens in ablutione peccatoris & menſtruatæ. Hoc inſigne priuilegium, hoc cœleſte munus, hæc gratia ſpecialis Eccleſiæ primitiuorum præſtita ſunt.

Denique Virgo Mater, omnium in ſe clariſmatum commercia deferebat. Prima namque viſione ſcintillans ſacri amoris ignibus, proximorum pectora ſuauiter exurebat, animis fidem ſuggerebat, ſuadebat verecundiam, honeſtatem venuſta-
Ezec.1. 4. Pſal 17.9. bat, inflectens ad pietatem. Spirabat florem vir-
Dan.7.10 ginitatis, ferebat nouale caſtitatis, depingens oculis habitum humilitatis, & præferens indicium veritatis. Splendor indeficiens in circuitu eius, & ignis exardeſcens à facie eius. Fluuius igneus, rapidúſque egrediebatur ab ea, qui hoſtes ſuccenderet, amicos confoueret, iuuaret proximos, concremaret inimicos. Fertur ab iis, qui norunt naturam animantium, quod ſolo viſu & flatu mortifero vicina quæque ſibi regulus venenatus interimat. Sic illa è regione ignis diuini calore vehementer accenſa, & verbi flammigerantis
Iſai.57.19 ſparſa incendiis, odorem reſuſcitantis gratiæ, iis qui longè, & iis qui propè commanebant, exhalabat.

2.Cor.3.6. Et aliis quidem, id eſt, aduerſæ partis erat odor mortis in mortem: aliis verò, id eſt, credentibus in filium ſuum, odor vitæ in vitam. Sicut enim in Eua omnes moriuntur, ita & in Maria omnes
Gen.3.15. viuificabuntur. Et ſicut Euæ ſcelere fit mundi damnatio; ita fide Mariæ facta eſt orbis reparatio. Illa infecta eſt veneno lethali, quod transfudit ad poſteros; hæc infuſa vitali antidoto, quod fidelis tranſmiſit ad vniuerſos. Corruit illa malè credula ſerpenti, ſurrexit iſta, & iuxta verbum quod dixerat Deus in Geneſi, contriuit caput ſerpentis. Ab initio prænunciata, & nunc Eccleſiæ primitiuorum donata. Ex tunc repromiſſa, & in fine temporum exhibita.

Quis ergo non properaret, quis non curreret ab extremis terræ, reuerendæ maieſtatis decus aſpicere, & vultum omnimoda ſuauitate, imperiali etiam dignitate, & ſingulari præditum poteſtate videre? Quippe nihil inueniebatur illi ſimile in filiis, & filiabus Adæ. Nihil tale in Prophetis, in Apoſtolis, aut in Euangeliſtis. Nihil illi ſimile
Pſal.88. 7. cœlum vel terra dedere. Quis enim in nubibus æquaretur ei, aut ſimilis foret matri Domini inter filios Dei? Et vide quàm recto ordine citra aſſumptionem effulſit admirabile nomen eius in vniuerſa terra, & fama eius celeberrima vbique diffuſa eſt, priuſquam eleuaretur magnificentia eius ſuper cœlos. Decebat enim matrem Domini Virginem, & ob nati ſui honorem, primò terris regnare, & ita demum cœlos cum gloria ſuſcipere. Dilatari & infimis, vt & ſuperna in plenitudine 2 Cor 3. 18.
ſancta penetraret, tranſlata ſicut de virtute in virtutem, ſic à claritate in claritatem à Domini Spiritu. Igitur in carne præſens, futuri regni primitias prælibabat. Et nunc accedens à Deo ineffabili ſublimitate, nunc & proximis condeſcendens inenarrabili charitate. Inde Angelicis frequentabatur officiis, hinc humano famulatu venerabatur. Aſſiſtebat ei paranymphus Gabriel cum Angelis, cui Ioannes gaudens ſibi Virgini matrem Virginem in cruce commendatam, cum Apoſtolis miniſtrabat. Illi reginam, iſti videre Dominam lætabantur, & vtrique pio deuotionis affectu obſequebantur.

At illa reſidens in arce ſublimiſſima virtutum, & pelago diuinorum affluens chariſmatum, abyſſum gratiarum, qua cunctos exceſſerat, credenti & ſitienti populo largiſſima emanatione profundebat. Salutem namque corporibus, & animis medelam afferebat, potens ſuſcitare à morte carnis & animæ. Quis vnquam ab ea æger vel triſtis, aut ignarus cœleſtium myſteriorum abiit? Quis non lætus & gaudens rediit ad propria, impetrato à Matre Domini quod voluit? Mariæ præſentia gratam veris temperiem exhibebat, & quo fauens ſe verteret, paradiſus erat. *Emiſſiones tuæ*, ait ſponſus, *paradi-* Cant.4. 13.
ſus malorum punicorum cum pomorum fructibus, Cypri cum nardo, nardus & crocus, fiſtula & cynnamomum cum vniuerſis lignis Libani. Myrrha & aloës, cum omnibus primis vnguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. Habet quippe paradiſus Glorioſæ Virginis mala punica in varietate virtutum, fructus pomorum in perfectione operum. Habet & cyprum cum nardo, illam fertilem vuarum, hanc miti odoris herbam aromaticam, ob ſobriam ebrietatem ſenſuum, & ſuauefragrantem opinionem virtutum. His adduntur crocus lætitiæ, fiſtula exſpoliationis carnis, cynnamomum ſuauitatis, cum vniuerſis lignis Libani, per quæ virtutum vniuerſitas figuratur. Myrrha quoque mortificationis, & aloës incorruptionis, cum omnibus primis vnguentis effuſis in oratione, ab illo vnguento, quod conſiſtens in capite, deſcendit in barbam, barbam Aaron, non illius veteris Pſal.132. 1.
& ſignificantis, ſed noui & ſignificati. Deſcenditque in oram veſtimenti eius, quod eſt Eccleſia, ipſi verò Aaron, iuxta Paulum, exhibita ſine macula, & Ephe.5. 27.
ruga. Cant.4 15.

His ergo tantiſque bonis exuberans ſponſa, ſponſi mater vnici, ſuauis, & chariſſima in deliciis, vt fons hortorum rationabilium, & puteus aquarum viuentium, & viuificantium, quæ fluunt impetu de Libano, à monte Sion vſque ad circumfuſas quaſque & exteras nationes, pacis flumina, & gratiarum emanationes, cœlica infuſione deriuabat. Vnde beatus Dauid, cum de filio eius Domino noſtro loqueretur: *Erit*, inquiens, *in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis*, aptè de illa mox intulit, *donec auferatur luna.* Luna ipſa eſt, quæ cœlo, terriſque irradians, aſtris Sanctorum longè ſuperior coruſcat. Donec, ait, auferatur luna, quæ eleuato ſole iuſtitiæ ſtetit in ordine ſuo, prima Eccleſiæ primitiuorum infulſit. Tradit fides maiorum iuxta veritatem hiſtoriæ, ab ortu Saluatoris, vſque ad tranſitum Glorioſæ terrarum accolas, ſopita armorum tabie, continua ac tranquilla pace quieuiſſe. Hæc in ſolutione propoſitæ quæſtionis diximus, vt quo fructu Genitrix Regis noſtri dilata ſit, monſtraremus.

Sanè etiam aduertendum ex hac eius dilatione,

vt

vt quæque fidelis anima, vulnerata charitate, & iaculis amoris confossa, discat non murmurare, si eam euenerit non hunc ad vota migrare. Ecce differtur mater Domini, quis audeat murmurare? Differtur vt proficiat, proficit perseuerando. Amori enim, vel operi iuncta perseuerantia, plenitudinem creat, parit perfectionem.

Psal.91.13. Hinc est quod voce Psalmistæ de iusto dicitur, *Iustus vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Palma emenso numeroso spatio florere dicitur, & cedrus Libani annoso prouectu multiplicatur. Sic iustus animo canescens, vt palma florebit diuturnitate. Hinc memoratus Psalmista aptè pauca Ibidem. vers.15. subiunxit: *Adhuc multiplicabuntur*, haud dubium quin iusti *in senecta vberi.* Aduertendum itaque optimi meriti, ac singularis iustitiæ Mariam quæ super Angelos meruit exaltari, priùs hic in senecta vberi debuisse multiplicari. Quod vbi prouenit ex diuino munere, absconditus honor eius, & forma quam gessit in occulto effecta luce clarior, & omni elegantia præstantior, ora in se supernorum ciuium, animosque mirabili dilectione conuertit.

Iam verò quis dignè laudibus efferat sacratissimam eius assumptionem? quis fatu explicet, quàm læta migrauit à corpore, quàm læta vidit filium, quàm gaudens properauit ad Dominum, Angelorum vallata choris, Apostolicis fulta obsequiis, dum Regem cerneret in decore, & natum cum gloria præstolantem se videret, sicut expers totius corruptelæ, sic immunis ab omni molestia: De carnis habitaculo educta est perenniter habitatura cum Christo. Transiit autem in visione Dei, & beatissimam illam animam sole clariorem, cœlo celsiorem, Angelis digniorem, Domino exhalauit. Enimverò in transitu eius glorioso illustratur mons Sion, vbi prouecta dierum decessit in senectute bona. Ibi expleuit munus vitæ, dans plenam atque perfectam virtutum omnium consummationem. Ibi orienti magis quàm morienti, & abituræ plus quàm obituræ occurrunt castra Dei, & ruunt obuiam ei exercitus militiæ cœlestis. O quàm pretiosa in conspectu Domini mors Genitricis suæ? Quæ vita adæquabitur morti eius? quæ gaudia funeri eius? Addas licet mundanos honores, addas conuiuia, ac festa trophæa, addas omne quod demulcet, & quod delectat vniuersum, his tamen omnibus iucundior, atque suauior est. Est enim absolutio à carne, via ad vitam, nil habens doloris, acerbitatis nihil, nihil formidinis. Fouet autem pro dolore, delectat pro acerbitate, & pro metu firmat in littore fide stationis. Nec tenebras inducit, quæ lumen æternum aperuit, nec vitam tollit, quæ diligit ad auctorem vitæ.

Hac morte Gloriosa migrauit, si transitum ad vitam mortem liceat nominare. Immò, vt verum fatear, vita est, vbi sola mors moritur, vbi corpus mortis exuitur, vbi vita carnis pia quiete defuncta fœnore multiplici in posterum reseruatur. An non vita, cùm itur ad fontem vitæ, & vita æterna à vita perpeti meatu hauritur? Hoc haustu indefectiuo ante decessum præuenta est mater Virgo, ne transitu in ipso vel leuissimo mortis gustu tangeretur. Egrediens itaque vidit vitam, ne mortem videret. Vidit filium, ne carnis abscessu doleret. Euadens ergo libera in tam fœlicissima visione, & potita optato vultu Dei, venerandos ciues cœli in sui obsequio, & deductione paratos inuenit. Mirantur illi animam meriti singularis exutam æterna labe, nullam carnis aut sæculi maculam habere. Mirantur exutam artubus, gratia totius puritatis candere. Quid enim primùm laudent in ea, integritatem, an humilitatem, prudentiam, an charitatem, robur mentis, an longanimitatem, honorem matris, an partus nouitatem? Sed virtus integra, & plena gratia magis in illa laudatur.

Vnde Dominus assistens egressæ de corpore ita prædicat laudes eius. *Tota pulchra es mater mea, & macula non est in te.* Tota, ait, pulchra es, pulchra in cogitatu, pulchra in verbo, pulchra in actu, pulchra ab ortu vsque in finem, pulchra in conceptu virgineo, pulchra in partu diuino, pulchra in rubore passionis meæ, pulchra in insigni candore resurrectionis. Surge ergo amica mea, columba mea, formosa mea, immaculata mea, & veni. Iam enim hyems transiit absentiæ meæ, imber lachrymarum tuarum abiit, & recessit, & redeunte sole flores Angelici apparuerunt tibi. Vox tua ô turtur castissima exaudita est. Tempus assumptionis aduenit. Igitur cùm Virgo Virginum à Deo, & filio suo rege regum exultantibus Angelis, collætantibus Archangelis, & cœlo laudibus acclamante deduceretur, impleta est Prophetia Dauid, dicentis ad Dominum. *Astitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circundata varietate.* Tunc iuxta Salomonis vocem, resurrexerunt filiæ, & beatissimam prædicauerunt, & reginæ pariter laudauerunt illam. *Quæ est ista,* aiunt supernæ virtutes, *quæ ascendit dealbata, innitens super dilectum suum?* Vel iterum, *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol?* Itémque aiebant, *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarii?* Nouus & admirandus est nobis splendor iste, nouus & gloriosus hic ordo assumptionis, nouus & gratus odor hic suauissimus.

Cant.4.7. Cant.2.10. Psal.44.10. Prou.31.18. Cant.6.8 Cant.8.5 Cant.6.9. Cant.3.6.

Tantis verò deducta laudibus, nec ipsa poterat à laude cessare, quæ filium Dei ex se genitum, in dextera paternæ magnitudinis sedentem, séque gloria assumentem videbat. *Tenuisti,* ait, *mecum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.* Et rursum: *A dextris est mihi, ne commouear propter hoc lætatum est cor meum & exultabit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe.* Quoniam non dereliquisti me in sæculo, nec dabis corpus genitricis tuæ videre corruptionem. Sed quid ego his immoror? Vt enim paucis multa colligam, aderat Gloriosissimæ verbum simplex, & multiplex, verbum intelligibile, continens omnia verba laudum, quo laude ineffabili Dominum ac natum suum ipsa honorabat. Eleuata igitur cum vocibus exultationis & laudis, prima post Deum super omnes cœligenas in sede gloriæ collocatur. Ibi resumpta carnis substantia, neque enim credi fas est corpus eius vidisse corruptionem, & duplici stola induta, Deum & hominem in vtraque natura, quanto cæteris clariùs, tantò ardentiùs vniuersis, mentis & carnis oculis contemplatur. Exinde humano generi charitate inenarrabili condescendens, & illos misericordissimos oculos, quibus cœlum illustratur, ad nos conuertens, communem pro clero, populo, & vtroque sexu, pro viuis quoque ac defunctis leuat orationem. Adest huc de cœlo Gloriosissima, & prece potentissima, propellens omne quod nociuum, & conferens omne quod bonum est, cunctis ex corde rogantibus se munimen præsentis vitæ tribuit, & futuræ. Memor quippe quo fructu effecta est mater Redemptoris, libentissimè suscipit cuiuslibet preces peccatoris, & pro vniuerso reatu pœnitentiam apud proprium filium intercedit. Sanè obtinebit quod volet parens charissima, per cuius castissima viscera Verbum Dei venit ad nos, orbis piacula, &

Psal.72.24. Psal.15.8.

veteris delicti cautionem sanguine proprio lauaturus, IESVS Christus Dominus noster, qui viuit & regnat cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

De Mariæ Virginis plenitudine, seu perfectione, gloria, & erga suos clientes patrocinio.

PLures, dilectissimi, dies elapsi sunt, quibus Episcopali sarcina oneratus, & curis prægrauatus immensis, epulum adhuc promissum de laude beatæ Mariæ, sanctæ auiditati vestræ ministrare nequiui. Nunc ergo ipsa eadem Virgine propitiante, vobis non deero, negotiis quidem me paululum subtrahens, * nostris verò piis desideriis fauens. Igitur cœli Reginam, Matrem vitæ, fontem misericordiæ, deliciis affluentem, & innitentem super dilectum suum, sedulo celebremus officio, & laude licet impari prædicemus. Feramus animos in sublime, intuentes diligentissimè, quod virga elegantissima orta de radice Iesse, ramorum suorum mirabili extensione sese vbique terrarum expandit, vt dispersos filios Adæ, ab æstu, à turbine, & à pluuia vmbra desiderabili protegeret, fructúque saluberrimo aleret esurientes. Sublimata itaque super omnia ligna Paradisi, & super altissimorum montium præcelsos vertices exaltata, ipsos cœlos inæstimabili magnitudine penetrauit, cælestium ordinum stipata choris, & Virginum choreis adornata. O decus, ô gloria, ô magnificentia arboris huius, cuius fructu indeficienti, cuius pastu immortali, cœligenis atque terrigenis fit iugis epulatio, continua exultatio, fœlix & sempiterna laudatio. Beati qui edunt cibum in regno, tuo, *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.*

*forte vestris.

Cant.8. 5.

Isa.11.1.

Psal.13. 5.

In te etiam laudabitur, non Eua, lethi propinatrix, sed Maria vitæ propinatrix, mater & altrix cunctorum, vita viuentium. In te laudabitur Genitrix tua; audiant mansueti & lætentur. Lucifer gloriosus & arrogans vulneratus ad ima corruit; audiant superbi & humilientur. Virgo humilis ad thronum gloriæ coronata conscendit; audiant humiles & lætentur. Corruit ille elatus magna de se præsumendo; introiuit Maria in holocaustis totam se plenitudine gratiæ committendo. Induratus ille malitia, vltra non adiiciet vt resurgat; confirmata illa charitate, non mouebitur amplius vt cadat. Centro quippe immobili hærens inexpugnabili firmitate, nulla vnquam moueri poterit mutabilitate. Ille dignitatis Angelicæ clarissimos fines excedens, dum nititur ad quod creatus spiritus non accedit; inane sectatus, per præcipitia rapitur, horrore tenebroso tegitur, ad inferiora laci defluens, vt in æternum doleat, & iustissimæ damnationis in tormentis pœnas exsoluat. Qui merito diabolus, id est deorsum fluens appellatur, quia defluxit ex supernis, & stantibus inuidens, quos valet adhuc secum ad inferiora demergit.

Psal.13.3.

Suggerit creditoribus suis honores, dignitates, excellentias appetere, alta sapere, in altum cornu extollere, vulgi acclamationes, * fori salutationes, primas, in conuenientibus sedere amare; minores contemnere, paribus se præferre, maioribus inuidere, gloriæ Dei obliuisci, alios blanditiis, alios minis, aut pœnis subiugare, sibi idolum seipsum statuere, omnia facere ad ostentationem hominum & laudem. Cùm ergo miseros, elatos, inflatos, attonitos, & mente captos vsque ad nubes extulerit, tunc demum eosdem ad turpia quæque, & inhonesta crudeliter eneruatos inclinat, inclinatos sine vlla miseratione secum ad inferna inferiora præcipitat. At Gloriosissima, carne integerrima, mente serenissima, viuentium mitissima, quò cunctis humilior & sanctior extitit, eò super omnes eleuata, & in cœlum à cœli ciuibus honorificentissimè, & ex more Imperiali suscepta à Patre supremo, in regno claritatis æternæ, & in throno excellentissimæ gloriæ, prima post filium, quem ex se genuit incarnatum, iussa est residere. Magne Deus, terribilis & fortis, bonitate ineffabilis, humilem ancillam erigis & exaltas, vnde hostem æmulum olim expuleras! Triumphet humilitas augmentis gratiarum, & corona inclyta à te decorata; superbia verò inanis, & tenebrosa dehiscat. Adstat ergo Beatissima singulari merito præcipua vultui Conditoris, prece potentissima semper interpellans pro nobis. Illo enim edocta lumine, cui nuda & aperta sunt omnia, cuncta nostra videt discrimina, nostrique clemens, & dulcis Domina materno affectu miseretur.

*Leg. fori salutationes, primas in conuenientibus sedes amare.

Sancta animalia, de quibus in Ezechiele legitur, quòd ante & retrò, intus & foris, atque in circuitu plena sunt oculis, labores hominum, & dolores, casus, defectus, cæcitates, inualetudines, extrema pericula, incertos exitus vitæ, & mala quæque humani generis, non æquè, vt Dei genitrix, valent examinare, examinando cœlesti auxilio diluere, & propulsare. Quò enim sublimius immensi regis cor aspicit, eò profundiùs diuinæ gratiâ pietatis afflictorum misereri, & miseris succurrere nouit. Vnde Maria, id est, maris stella, prouido Dei consilio vocata est, vt nomine declararet, quod re ipsa clarius manifestat. Nam ex quo cœlos cum filio suo regnatura conscendit, induta decore, induta pariter fortitudine, præcinxit se, mirabiles elationes maris solo nutu compescitura. Mare quippe præsentis sæculi nauigantes, séque plena fide inuocantes, ab impetu procellæ, & ventorum rabie eruit, eósque secum ouantes ad littus felicissimæ patriæ perduxit. Dici non potest, charissimi, quoties hi asperrimis scopulis naufragaturi offenderent, illi in syrtes pessimas non reuersuri inciderent, hos Scyllæa vorago hiatu horribili mergeret: illos Sirenarum cantus in exitium dulces detinerent, nisi stella maris perpetua Virgo Maria ope validissima obstitisset, suosque iam fracto gubernaculo, & rate conquassata, omni humano consilio destitutos, cœlesti ducatu ad portum æternæ pacis applicandos eueheret. Ezec.1.18

Nouis itaque triumphis, noua perditorum ereptione, nouis populorum incrementis exultans, gratulatur in Domino, nec contenta partis spoliis, sed humanæ salutis cupida, hoste liuido longiùs propulsato, alias atque alias sibi exuuias semper acquirit. Igitur in manu potenti, & brachio excelso tyrannorum fines egreditur, munitissima quæque domorum aggreditur interna sub pedibus suis faciens contremiscere, & principem mortis nimio terrore percussum resilire. Denique ipsa iubente, vehementer euomit prædam, quam in ventrem malitiæ traiecerat, reiiciens cum dolore, quam cum ingenti superbia detinebat. Surgunt lapsi, redeunt pœnitentes; peccator videbit & irascetur. Maxilla eius homo Dominicæ crucis perforata reddit liberos, quos antea detinuit captiuos, dẽtibus suis fremẽs & tabescens. Per matrẽ filio, per Virginem reconciliantur Psal.111. 10.

liantur Deo, vitæ dati, non morti penitus subtracti. Desiderium peccatorum peribit, desiderium verò beatæ Mariæ perficitur, quando educuntur quotidie vinculati de lacu miseriæ, & luto fæcis, vt de peccati ergastulo, & profundo iniquitatis, indulgentiæ dono respirent in auras perennis libertatis. Sic illa colligit dispersos, reuocat auersos, eruens eos qui ducuntur ad mortem; quosque trahi cernit ad supplicia, liberare non cessat.

Non solùm autem animarum saluti, verùm etiam humanorum corporum sanitati, atque necessitati pia diligentia prouidet, & medetur. In locis quippe memoriæ sanctitatis eius dicatis, claudis gressum, cæcis visum, surdis auditum, mutis impetrat eloquium, curans omne genus languorum, præbénsque innumera beneficia sanitatum. Accedunt ad eius limina rei tundentes pectora, confitentes delicta, & accepta venia, læti ad propria reuertuntur. Accedunt etiam mente capti, capite languidi, phrenetici, maniaci, arreptitij, nocturno timore, aliquóve phantasmate, seu certa maligni incursione delusi, qui recepta sospitate, diuini muneris largitatem assequuntur. Accedunt nihilominùs ad eius vestigia, qui amaro sunt animo, mœsti, egeni, afflicti, desolati, ære alieno obligati, quódque grauissimum est, viuentes cum dedecoris nota respersi. Horum, & omnium de quacunque tribulatione clamantium illa libens preces suscipit, & Nato supplicans omne malum ab eis miseratrix auertit. Enimverò sicut ignis attactu cera liquescit, & velut ardore solis defluit glacies, sic ab eius facie inimicorum deperit acies, eáque iubente nihil aduersi subsistit.

Notandum verò, ac solerter intuendum, quanto affectu, quantáve benignitate cognatos sibi puritate animi complectitur & diligit, quæ homines nequam & sceleratos suo interuentu, vt sæpe dictum est, à morte peccati, & æternis doloribus incessanter absoluit. Gemina quippe dilectione rutilans & insignis, hinc in Deum ardentissimè figitur, cui adhærens vnus spiritus est, hinc electorum corda blandè consolatur & attrahit, eísque nati largitate optima dona partitur.

Motu ergo celerrimo senas Seraphim alas excedens, nunc in fonte vitæ fruitur amore deitatis, nunc terras signis, & virtutibus illustrans, vbique suis, vt mater iucundissima & mirificentissima occurrit. Quosdam præsentia sua subactis vitiis reddit victores, quosdam magnarum virtutum pio interuentu facit compotes, quibusdam intimæ contemplationis pandit sinum, aliis in exitu vitæ iter præbet securum, vt nulla deterreat virtus aduersarij, quibus ducatum præbuit ad Christum mater vnigeniti Dei.

Extant harum assertionum exempla plurima, quæ vt notissima, & perutilissima compendiosè prætерimus. Sciendum verò certissimè, quod creberrima miracula, innumera beneficia, spiritales visiones, cœlestes reuelationes, sublimes consolationes almæ Parentis Domini, orbi terrarum assidue coruscabunt, donec finem mundus iste senescens inueniat, inclarescente regno, cuius non est finis.

Sed inter hæc ad memoriam redit dies illa famosa iudicij, cuius altitudinem sanctus Propheta Dauid se timere pronunciat, quam semper appropinquare fidelium nullus ignorat. Illo igitur tremendi Psal 55.4. examinis articulo, obsequentibus Angelis, Archangelis, omníque exercitu militiæ cœlestis, Rex cœlorum aderit cum præfata piissima Genitrice, orbem terræ iudicaturus in iustitia, & populos in æquitate. Tunc illa fulgebit luce splendidissima, cuius per vte- Psal.97.9. rum intactum, & clausam ianuam rex gloriæ Deus mundo irradiauit. Illo in tempore patebit veritas Patriarcharum & Prophetarum, qui Virginis partui Deifico olim attestati sunt. Apostoli quoque filij eius, virtutum illius imitatores & testes, afferent ei gloriam & honorem, quia eius doctrina irradiati, & spiritu sapientiæ illapso cœlitus confirmati, veri solis splendoribus Ecclesiam repleuerunt. Exultabunt martyres in decore, & gratia effusi sanguinis, mercedem optimam habentes Deum de Deo, qui nasci dignatus est ex ea.

Gaudebunt Confessores, videntes Gloriosam, quam in terris positi dilexerunt, & vita comite laude celeberrima merita eius prosecuti sunt. Gaudebunt, inquam, intuentes illud singulare diadema, quod in die solemnitatis & lætitiæ, in die assum- Cant.3.11 ptionis, & gloriæ, dilectissimæ Genitrici Christus impressit, memoraus illud diadema, quo eum illa in die desponsationis coronauerat. Current virgines in odore vnguentorum eius, properantes ingredi Cant.1.3. cum ea ad nuptias, vt in cœlesti thalamo vero Spon- Matt.25.7 so perenniter sociatæ, Maria præcinente nouum canticum succinant, quod nemo valet dicere, nisi mente & corpore virgo sit. Denique omnis sexus & ætas, omnis ordo & dignitas Beatissimam prædica- Apoc.14. bunt, & populus innumerabilis acclamabit illi in 3. iubilo, meritis eius & precibus saluatus, & in dextra pio coronatus à Domino. In quorum numero, & ex quorum collegio nos esse contingat, ô Clemens, ô Pia, ô Dulcis Maria, vt cum dies erit iræ, tribulationis, & angustiæ, non pro reatu puniamur, sed per te Domina digni inueniamur misericordia eius, qui ascendit ad Patrem parare famulis suis locum, vt eos Ioan.14.2. in amœnissima cœli regione, lucidissimis paradisi mansionibus inter vernantes ignitos lapides collocaret, Dominus noster Iesus Christus, cui est decus, honor, potestas, gloria & magnificentia cum eodem Patre & Spiritu sancto per infinita sæculorum sæcula. Amen.

SANCTI ASTERII EPISCOPI AMASEÆ HOMILIÆ.

HOMILIA

In locum Euangelij secundùm Lucam.

De Diuite & Lazaro.



SALVATOR Noster Deus odium vitiorum, studiúmque virtutum non solùm vetando præcipiendóque mortalibus ingerit; sed claris etiam exemplis certam instituendæ vitæ disciplinam tradit, factísque simul & verbis ad eam rectè piéque degendam impellit. Ita hoc loco, quamuis alibi iam sæpè Prophetarum & Euangelistarum ore, sed & suo, declarasset, odio se habere superbas & elatas opes; gratiam autem, humanitatem paupertatémque cum iustitia coniunctam; vt orationi robur ac firmamentum addat, efficacibus vtitur exemplis, diuitémque & egenum graphicè describit: & illius quidem ambitiosas voluptates, huius autem afflictam ærumnosámque vitam cum vtriusque exitu nobis ob oculos ponit; vt aliorum ex instituto vitæque genere, de nostro ipsorum rectè veréque iudicare possimus. Luc.16. v.19. *Vir quidam erat diues, & induebatur purpura ac bysso.* Hæc oratio duobus, & quidem breuibus verbis eos notat ac traducit, qui nec rectè diuitias habent, & ad inanes immodicosque sumptus abutuntur. Nam & purpuræ color valde pretiosus est, planéque superuacuus; & byssi item vsus minimè necessarius. His autem qui vitam sectantur moderatam ac frugi, proprium ac familiare est, cùm rerum vsum necessitate metiri, tum inane vanæ gloriæ studium, fallacémque voluptatem tanquam vitiorum parentem vitare. Sed enim, quò meliùs eorum quæ dicuntur vim ac robur intelligamus, primus vestimentorum vsus inspiciendus est, quàm latè pateat, & quos ei fines atque terminos temperantia præscripserit. Quid igitur iustitiæ lex ait? Pecudem Deus creauit pelle benè comata ac densis velleribus: his detonsis tunicam & pallium pertexi tibi cura, quò cùm hiberni frigoris molestiam, tum feruentis radij noxam effugias. Quòd si leuiore per æstatem anni veste eges, vberiorem ad commoditatem vsum lini Deus dedit, vnde tibi decorum in procliui indumentum, quod simul & tegat, & leuitate refrigeret. Et his cùm perfrueris. Creatori gratiam habet, quòd non modò nos creauit, verùm etiam tutelæ & præsidiis vitæ prospexit. Quòd si pecoribus & lana relictis, necessarióque Creatoris apparatu instrumentóque contempto, vanis cogitationibus vesanísque cupiditatibus in luxum effusus, & byssum requiris, & Persicorum stamina vermium colligis, vnde euanida, vt ita dicam, araneæ tela contexatur: si prætereà tinctorem ingenti mercede conducis, vt purpuram venatus maritimam eius animalculi sanguine vestem inficiat, id verò hominis est immodicè lasciuientis, quique rebus creatis abutatur, nec habeat vbi pecuniam superfluentem effundat. Eóque non immeritò talis ab Euangelio vapulat ac reprehenditur, tanquam mollis & effœminatus, cultúmque & ornamenta miserarum puellularum mutuatus. Alij item repeiiuntur similis amantes vanitatis, magísque etiam & pleniùs vitia exercentes, qui ne hîc quidem stultæ solertiæ fines constituerunt, sed inani quodam & superuacuo commento, quod artem pictoriam per stamen atque subtegmen imitatur, omniúmque formas animalium in vestibus exprimit, florida ac sexcentis variegata figuris vestimenta tum sibi, tum vxoribus ac liberis comparant. Qui sibi ludunt etiam alibi, nil vsquam sedulò vel seriò facientes, sed per immodicas opes abutentes vita, non vtentes, ipsíque Paulo & diuinis vocibus, non dictis, sed factis aduersantes. Nam quæ ille verbis præscripsit, 1.Tim.2. hæc isti mordicus retinent, & ipsa re faciunt rata. v.9. & 10 Quandocumque igitur in publicum prodeunt, quasi depicti parietes ab obuiis aspiciuntur. Quin etiam pueri circumstant, ridentes inter sese, digitísque picturam in vestibus commonstrantes; & ad multum spatij prosequuntur, nec nisi ægrè recedere & auelli possunt. Videre est illic leones, pantheras, vrsos, tauros, canes, syluas, saxa ac venatores, & omnia denique, circa quæ pictorum industria naturæ æmula versatur. Necesse videlicet erat, vt videtur, parietes non solùm atque domos exornari ac depingi; verùm etiam tunicas & pallia iis superiecta. Qui autem quæve de diuitibus illis religiosiores, argumenta textoribus ex historia Euangelica collecta subministrant: ipsum inquam Christum nostrum cum Discipulis omnibus, ac miracula quæque quemadmodum ibi narrantur. Videbis nuptias Galileæ & hydrias; paralyticum lectum baiulantem; cæcum qui luto curatur; mulierem quæ sanguinis profluuio laborabat, fimbriam prehendentem; peccatricem ad pedes Iesu accedentem, ac Lazarum è sepulchro rediuiuum, & hæc dum faciunt, piè sese facere, & vestimenta Deo grata induere arbitrantur. At me quidem si audiant, istis diuenditis, viuas Dei imagines colant. Christum ne pinge (satis enim illi quòd semel ad corpoream naturam assumendam causa se nostra sponte demisit) sed mente & intellectu Verbum incorporeum circumfer: in vestibus paralyticum ne habe, sed hominem infirmum ac proiectum require: ne assiduè mulierem sanguinis profluuio laborantem spectandam propone, sed viduæ afflictæ miserere: ne peccatricem ad genua Domini prolapsam tam diligenter contuere, sed tuorum aspectu peccatorum contritus, lachrymas vberes emitte. Pro effigie Lazari resurgentis idoneam in tuæ tempus resurrectionis apologiam para. Cæcum in vestibus depictum circumferre nolli, sed cæcum viuentem beneficiis solare: posthabitísque reliquiarum cophinis, & hydriis illis Canæ Galilelææ, esurientibus cibum, sitientibus

sitientibus potum præbe. Et in his quidem nobis illa splendida ac superba diuitis vestis profuerit. Neque verò cætera negligenda. Præter luxum enim in vestibus, purpuraque ac bysso, opiparè quotidie epulabatur. Paria autem ac gemina prorsus ista duo sunt, inutili, inanique circa vestes ambitione efferri, ventrique & gulæ per voluptatem ancillari. Luxus vtique & deliciæ cum studio virtutis repugnant, tum socordiæ, profusioni, intemperantiæ, seruilique prorsus consuetudini homines mancipant & addicunt. Et quamquam res vna atque simplex videatur: si propiùs inspicias, & sigillatim examines, è varia, multiplicique vitiorum colluuie conflata reperietur. Deliciari enim absque magnis facultatibus haud possis. Atqui diuitias accumulare citra peccatum, impossibile; nisi alicui, sicut Iob (quod valdè rarum) simul & ditescere & iustitiam colere contigerit. Ante omnia autem ei cui lautè delicatéque viuere propositum, domo opus est cultiùs exstructa ac pretiosis calculis, lapillis, atque auro, sponsarum instar exornata; tum etiam ad mutationes temporum, annique tempestates benè accommodata. Commendatur enim hiberna quidem calida & ad Meridianum conuersa solem; æstiua verò Septemtrioni opposita, quò tenues illæ & frigidulæ ab Arcto spirantes auræ perflare eam, & permeare commodè possint. Ad hæc stragula multi pretij veste est opus ad scamna, lectos, culcitras, ianuas: nam omnia apud hos tales, quamuis inanima, accuratè vestiuntur, cùm pauperibus interim hominibus integumenta corporis desint. Adde vasa argentea & aurea, sumptuosam emptionem auium Phasianarum, vinique Phœnicij, quod Tyriæ vites, etsi maximè pretiosum, diuitibus affatim sufficiunt, omnémque adeò voluptatis atque deliciarum apparatum, ab ipsis illis qui vsurpant accuratè recensendum. Nam adaugescens & exquisitior in dies luxus etiam Indica aromata cibis affundit; magisque iam coquis quàm Medicis vnguentarij seruiunt. Quin & mensæ satellitium perpende, structores, pincernas, dispensatores, & qui his præeunt, musicos, musicas, saltatriculas, tibicines, ridiculos, gnathones, parasitos, turbam vanitatis comitem atque pedissequam. Hæc vt habeantur, quot pauperes iniuria afficiuntur? quot orphanis pugni cæduntur? quot viduis lachrymæ excutiuntur? quot denique miserè dilaniati ad restim & laqueum decurrunt? Eiusmodi profectò mortalium anima, quasi lethæa quadam aqua degustata, sui prorsus obliuiscitur; quæ & ipsa sit & cui coniuncta, quódque hæc copula aliquando soluetur, ac deinde, rediuiuo corpore, rursus integrabitur. At cùm debitum tempus adueniet, & indeprecabile decretum corporis & animæ nexum dissoluet, reputatio subibit eorum, quæ in vita patrata sunt, & pœnitentia sera ac nihil profutura. Tunc enim demum pœnitentia prodest, cùm pœnitens emendandi facultatem habet; sublata verò copia rectè faciendi, inutilis est dolor & irrita pœnitentia. *Erat autem quidam mendicus, nomine Lazarus.* Non tantùm pauper hic describitur, vsque necessariorum carens, sed etiam graui inualetudine oppressus atque corpore tabido diffluentique, sine lare & certa sede, incultus, horridus, & ad ianuam diuitis proiectus. Ad summam, cum cura ac Tragico ferè cothurno pauperis miseriæ enarrantur, vt non miserantis sæuities magis magisque notaretur & innotesceret. Nam is quem alterius inopia atque ægritudo commiseratione non tangit, fera sanè est rationis expers, perperam humanam indutus formam, ipsámque

Luc.16. v.20.

naturam praua voluntate fallens, ac denique feris ipsis atque belluis immanior. Siquidem sues iugulata sue sensu quodam doloris afficiuntur, & circa fusum recens sanguinem triste murmur edunt. Circumstant tauri cædem boues, miserabili dolorem mugitu designantes. Quin gruum quoque greges, cùm vna fortè gregalium in casses incidit, captam circumuolitant, & lamentabili quodam aërem clangore complent, comitem suam & gregalem requirentes. Et hominem, ratione præditum animal, mansuetum, & ad Dei similitudinem, virtutis ac bonitatis capax, proximorum acerbi casus grauésque calamitates tam parùm afficient ac mouebunt? Iacebat itaque ærumnosus ille gratusque mendicus in magnis doloribus, pedum vsu priuatus (alioquin enim alastorem illum atque superbum declinasset, aliúmque pro ianua illa hospitum interfectrice & pauperibus semper occlusa locum delegisset) ac manibus etiam penè carens, neque palmam protendere valens ad rogandum: sed & præclusa habens ipsi vocis organa, stridulumque & asperum pectore sonum emittens: omnibus denique membris vel mutilus, vel captus, neque aliud quàm quædam infelicis morbi reliquiæ, & miserandum infirmitatis humanæ exemplum. Neque tamen miseriarum ille catalogus superbi mentem ad considerationem flexit. Præteribat hominem tanquam saxum, eo scelere semet obstringens, cui nullum omnino velum aut prætextus. Neque enim ad expurgandum adducere potuit illa vulgaria ac speciosa; *Non noram, ignorabam, latuit me pauper cùm rogaret,* quippe qui pro foribus iacens egredienti simul & intranti spectaculo fuerat: & quò prorsus indeprecabilis superbi damnatio redderetur, micas de mensa deciduas supplici voce petierat; neque tamen omnino quidquam impetrarat, sed cùm ille satietate dirumperetur, fame & inopia contabuerat. Quare par & æquum fuerat, Chananæam illam Phœnissam huic diuiti hominum osori magistram adhiberi, quæque scripta sunt ei referre: Etiam catelli, ô alastor ac fastuose, comedunt micas quæ cadunt de mensa dominorum; tu autem fratrem tuum atque proximum hoc munere non es dignatus. Imò canes ipsi cum cura alebantur: seorsum quidem ædium custodes, seorsum venatores, tectóque & strato, suis illis, & quasi peculiaribus attributis ministris digni habebantur; cùm interim humi neglecta iaceret atque calcaretur Dei imago, quam si cui Moyses idoneus ac fide dignus de generatione hominum auctor, propria manu finxit præstantissimus ille architectus atque conditor vniuersi. Quòd si igitur hoc loci narratio de Lazaro finē haberet, atque ita rerum natura ferret, vt hac vita tam diuersa, tam inæquali, vitæ nostræ curriculum definiretur, alta sanè & exerta voce coquereret, quòd cùm pari dignatione creati simus, tam inæqualiter erga proximos, & eadem stirpe prosatos nos geramus. Enim verò cùm ea quæ restant auditu præclara sunt, qui superioribus adgemuisti, bonum deinceps animum habe, iamque disce compauperis beatitatem. Comperies enim iusti Iudicis exactum tribunal, vbi voluptarius ille ingemiscat ac ploret; mendico contra benè pulchréque sit, & condignum vterque præmium ferat. *Accidit autem vt moreretur mendicus, & deportaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Vides pauperis ac iusti famulos: vides migrationis tam felicis administros. Angelos inquam ipsos comites atque satellites, hilariter & blandè eum intuentes, ipsáque specie & ore malorum remissionem ac madelam iam instantem declarantes. Impositus est autem

Matth.15. v.27. Marc.7. v.28.

Luc.16. v.22.

tem sinui Patriarchæ, quod quidem quæstionis ansam & occasionem iis præbet, qui magna cum animi voluptate profunda Scripturarum scrutantur. Nam si iustorum quilibet in eundem hunc ab excessu locum deferretur, peramplum sanè & in infinitum parentem hunc sinum ad omnem beatorum multitudinem capiendam esse oporteret. At si id omnino impossibile (sinus enim quamuis cauus & capax vel vnum ægrè virum, infantes vix duos complectatur) cogitatio quædam subiit, & per imaginem sensilis huius sinus ad rem intelligibilem, quasi manu nos ducit. Quid enim est, quòd Abrahamus eos recipere dicatur, qui benè rectéque vitam instituerunt? Fare, age, diuine Luca (nam velut præsentem te compellabo) quid causæ, quòd cùm multi iustorum Abrahamo antiquiores fuerint, honorem hunc illis in æuo remotiori constitutis debitum, isti præcipuè adsignari? Præteriisti silentio Enoch, Noë, & alios horum posteros & sectatores. Verùm intelligere iam mentem tuam videor; nec abit, vt opinor, extra scopum mea ratiocinatio. Cùm enim Abrahamus Christum Dominum summè coluerit, eíque se Christus præcipuè supra alios mortales aperuerit ac reuelarit: cùm admirabile
Gen.18. v.2. Trinitatis mysterium, tribus Angelis specie & habitu viatorum hospitio per senem exceptis, in eius tabernaculo præclarè nobis fuerit adumbratum: cùm denique pateat è multis mysticis ænigmatis hunc virum familiarem fuisse Deo, qui multis pòst sæculis palam cum hominibus sub velo carnis versatus est; his de causis sinum eius tranquillum quendam portum, & quietum ab omni fluctuum agitatione locum dicit. In Christo enim nostrum omnium salus ac spes & expectatio futuri sæculi, qui secundùm seriem humanam è carne prodiit Abrahami. Atque adeò laus huius senis atque decus ad Saluatorem relationem habere mihi videtur, qui de virtute cuiusque cognoscit, debitamque mercedem retribuit, ac salutari illa voce iu-
Matth.25. v.34. stos compellat: *Venite benedicti Patris mei: possidete regnum vobis paratum. Accidit autem vt moreretur mendicus.* Duo circa pauperem hunc notantur, inopia nimirum, & humilitas atque modestia. Non est itaque quòd pauper quilibet ac pannosus virtutis laudem sibi vindicet, aut egestatem ad salutem ipsi sufficere existimet. Nec enim vniuersim laudatur quemcumque necessitas egere cogit; sed hic demùm in admiratione est, qui sponte & decreto quodam animum in paupertate componit ac moderatur; illis autem qui moribus & ingenio prauo sunt, omninóque corrigi non possunt, viaticum est ad mala multa facinora coacta paupertas. Et omnes equidem parietum perfossores, plagiarios, grassatores, fures, & homicidas ipsos, cùm ad tribunal iudicio sisterentur, inopes, egenos, ignobiles, sine domo certísque sedibus vidi. Vnde liquidò constat, beatum hic pauperem illum prædicari, qui mente philosophica laborem & ærumnam perfert, fortitérque & constanter aduersos tolerat casus, ac nihil vel sceleris vel flagitij molitur, vt carni per voluptatem atque delicias gratificetur. Quem ipsum apertius describit Dominus in enumeratione beatorum, vbi primo loco dicit:
Matth.5. v.3. *Beati pauperes spiritu.* Non omnis igitur pauper iustus; sed ille qui Lazari similis: neque diues omnis damnatus; sed ille qui vitam instituit quomodo Lazati æqualis, alitque reipsa vitæ huius testes & imitatores. Quis enim cœlesti illo Iobo opulentior? Neque tamen eum nimia illa rerum omnium copia & affluentia aut à iustitia abalienauit, aut, vt breuiter dicam, à virtutis orbita demouit. Contra, quis Iscariote Iuda pauperior? Neque tamen vel minimum ad salutem ei profuit egestas: verùm cùm & vndecim pauperibus ac Philosophis, & ipsi Christo Domino, qui voluntariam causa nostra paupertatem susceperat, contubernio iunctus esset, nimia cupiditate & auaritia abreptus, proditionis scelus molitus est. 2.Cor.8. v.9. Operæpretium autem erit, vtriusque elationem defuncti prudenter examinare. Pauper enim cùm obdormisset, Angelos ipsos habuit comites ac ministros, à quibus ad locum requietis optimæ spei plenus deferretur; alter post mortem sepultus est. Nihil enim satius quàm ipsam afferre Scripturam, quæ vel vno verbo infamem diuitis exitum satis declarat. Mortuus quippè peccator vere sepelitur, quoniam corpore & animo iuxta terrestris est, ac naturalem huius dignitatem coniunctione & sympathia carnis ad sordes fæcésque terrenas deorsum trahit, nullúmque posteritati profuturum vitæ suæ monumentum relinquens, ignobilique tectus obliuione, similem pecudibus exitum sortitur. Nam & corpus sepulchrum, & animam infernus habet: ac quasi tenebrosi duo carceres pœnam scelesti, & vltionem patiuntur. Et quis, obsecro, miserum & infelicem stultitiæ non incuset? quæ quidem, dum inter homines ageret, magna spirabat, seséque efferens, omnes qui cum ipso versarentur, despicatui habebat, & obuios quosque tantum non formicas atque vermes ducebat, inani, fastu, fluxæque & fugacis opinione gloriæ plenè diruptus; at verò cùm ab hac vita auelleretur, & tanquam mastigia spoliaretur alienis, quorum se Dominum per humanam amentiam esse crediderat, ad oppositam arrogantiæ delabitur humilitatem animique demissionem, & auiculæ lugentis instar lamentans, & multa frustra deblaterans, Patriarcham implorat, misericordiamque precatur, quam ipse non vsurpauerat, cùm ei benefaciendi facultas in manibus esset. Perit denique & flagitat, vt ipse Lazarus auxiliator aduersus flammas & incendium adueniat, vtque leprosi digitum in aquam intinctum adlambere aliquantum sibi detur. Talis nimirum ac tanta eorum stultitia, qui corporis huius nimiùm amantes: hic exitus eorum, qui diuitiarum deliciarúmque supra modum studiosi. Eóque sapientem ac multùm in posterum prospicientem hominem decet, medicamenti vicem ad morbos auertendos hanc parabolam habere: tum humanitate & misericordia, tanquam futuræ vitæ conciliatricibus, malorum huiuscemodi discrimina declinare. Dramatica enim hæc oratio ac certis attribura personis, quò per demonstrationem ac viuas imagines benè viuendi legem edocti, sacra monita ac præcepta nunquam aspernemur, perinde quasi verbis tantùm terrorem incutiant, & inanes intra minas consistant. Nec enim me fallit, multos mortales huiuscemodi cogitationibus delinitos peccandi sibi ipsis licentiam condonare. Verùm alia nos omnia locus hic Scripturæ docet, ipsiusque Patriarchæ testimonio nulla iudicij illius pœnam venia leuat, nulla decretam mitigat vltionem clementia. Nam etsi multis & miserabilibus Patriarham verbis diues obsecrasset, nullus ille flecti potuit lamentis, vt grauissimorum cruciatuum doloribus eum eximeret: sed maturo consilio iustam ad hunc modum sententiam confirmauit. Deus vnumquemque pro meritis condignè muneratur: ac tu quidem, qui dum viueres, aliena cum iniuria luxu delitiisque diffluebas, peccati pœnam in præsentiluis: iste autem qui miseram & acerbam in terris vitam exegit, in lætum hunc atque iucundum, re conuersa

conuersa, traductus est statum. Addidit, vastum immanémque hiatum infelices illos à beatis dirimere, & omni prorsus intercidere commercio, quò seorsum vtrique degant, ac distinctè suam habeant qua bonorum qua miseriarum sortem. Verùm aliud, meo quidem animo, non tam sensu quàm intellectu percipiendum occultè hæc parabola designat. Non enim profectò cogitandum, fossam illic aut scrobem, qualis in castris arcendis hostibus fieri solet, ab Angelis re ipsa ductam; sed potius à Luca, dum dissidium seiunctionémque eorum adumbrare studet, qui per virtutem quique secus vitam coluerunt, similitudinem hanc & imaginem hiatus propositam fuisse. Et hanc cogitationem nostram velut sigillo concludit Esaias, ita quodam-
Esaiæ 59. modo loquens: *An non valida satis manus Domini ad seruandum, aut aggrauata est auris eius, vt non exaudiat? imò verò peccata vestra diuiserunt inter vos & Deum vestrum.*

EIVSDEM HOMILIA

In locum Euangelij secundùm Lucam,

De Oeconomo iniquitatis.

INter disserendum sæpenumero vobis dixi, quòd commentitia ac falsa quadam notione mentibus hominum insita cùm peccata multiplicantur, tum opera bona, quæ præstare quisque nostrum hac in vita debemus, retardantur. Hæc autem illa est, quæ cuncta, quibus vtimur, fruimur, nexu mancipióque nostra esse nobis persuadet. Ab hac opinione est, quòd magna contentione de illis litigamus, pugnamus, digladiamur, ac ceu præcipua quædam & eximia bona, maximè ea amamus & æstimamus. Verùm longè secus, imò planè contra sese res habet. Nihil enim quidquam eorum quæ possidemus, verè nostrum est: ac ne nos quidem ipsi tanquam Domini hic in terris, ac velut propria sede & domo commoramur; sed quasi inquilini & aduenæ, vel potiùs exules nolentes ac nec opinantes abripimur, fortunisque simul omnibus, cùm rerum Domino visum fuerit, exuimur. Ad summam, facillimè res fluxæ huius vitæ mutantur: & qui hodie clarus & illustris, cras miseratione & ope dignus; qui in præsentia locuples ac diuitiis affluens, paulò post egere, vixque domi panem ad victum habere deprehenditur. Et hoc maximè Deus nobis hominibus præstat, quòd semper idem & in eodem sit statu, vitamque & gloriam ac potentiam possideat sempiternam. Vnde autem exordium hoc sermonis desumptum, prudentes ac litterati facilè profectò iam animaduertunt. A Lucæ nimirum parabola, quam huius intuitu rei de illo bonorum alienorum dispensatore commentus est; quem gementem ac plorantem describit, postquam tanquam prodigus ac dissipator ex Domino bonorum audierat: *Redde ratio-*
Lucæ 16. v. 2. *nem villicationis*, & quamprimum hinc abi: non enim vltra rebus te meis illudere, pérque voluptatem abuti quasi propriis sinam. Est autem hæc non vera rei narratio; sed ficta parabola, quæ sermone quodam obumbrato moralem virtutem nos docet. Itaque noueris quisquis es, rerum tibi alienarum dispensationem esse delegatam, eiectáque prorsus ex animo potestatis herilis arrogantia, dispensatori & œconomi rationibus reddendis obnoxij circumspectionem & humilitatem sume, Dominúmque semper expectans, codicem ac tabulas rationum sollicitè compara. Inquilinus enim es, & ad breue tempus, velut in transitu concessa tibi vsura. Quod si in notis ac familiaribus etiam hæsitas, ab ipsa re & experientia disce, quæ magistra est minimè fallax. Prædium posside, vel ex hæreditate maiorum, vel ex aliquo contractu: memoria igitur tecum repete & enumera, si potes, quotquot id ipsum ante te possederunt. Post deinde futurum in æuum cogitationem mitte, tecúmque reputa, quam multi numero post te eo potientur: ac dic mihi sodes, cuiusnam eius dominium, & quodnam eximij discriminis inter illos qui aliquando id habuerunt, qui nunc habent, aut deinceps sunt habituri? Nam si quis omnes velute machina congregauit, domini profectò plures quàm glebæ reperientur. Ampliùs, si videre libet expressam huius vitæ imaginem, recordare, si fortè accidit, aut finge, aliquando tempore æstatis arborem in via conspicatum vndique viridem & patulam, latáque aptam vmbra, vel domus vicem implere, propter amœnitatem ei successisse, & quantum licebat, sub ea commoratum: dein alium, te iam abituriente, viatorem adstitisse, depositaque sarcina, tua abeuntis excepisse omnia, stratum, ignem, ramorum vmbram ac lympham præterfluentem. Sed & hunc, vbi pauxillum in herba, te ambulante, requiescet, viam rursus inite cœpisse; eamdémque arborem vna die decem fortè hospitum ad breue tempus diuersorium exstitisse, & cunctis vsu potuisse, cùm tamen vnius propria Domini censeretur. Haud aliter sese habent stationis huius atque vitæ copiæ & facultates. Multos illæ quidem alunt & oblectant; dominium autem earum penes vnum Deum, cui incorruptibilis & interitus expers vita. In pandocheum etiam aliquando, cùm iter faceres, diuertisti, ibique lectum, mensam, pocula, discos, aliaque omne genus vasa reperisti, cùm nihil quidquam tecum attulisses. Et vbi nondum ad satietatem iis vsus esses, superuenit alius anhelabundus ac puluerulentus, & aliena ceu propria affectans, ad abitum te excitauit & impulit. Talis omnino vita nostra, fratre, aut si quid his quæ diximus magis transitorium & caducum. Quare cùm aliquos audio dicentes, Prædium meum ac domus mea, non possunt satis admirari, quomodo quæ ipsorum non sunt inani syllaba sibi vindicent, tribusque fallacibus literulis aliena amplexentur. Sicut enim histrionum personas propriè & peculiariter eorum possidet nemo; sed pro re & argumento promiscuè quisque sumit: ita terram fæcésque terrenas quasi vestes ex aliis alij induunt. Dic quæso, num aliquid regno maius? Atqui scrutare quæ regum sunt: chlamydes conquire regias, quamplurimas sanè reperies, quæ regum multorum corpora texuerint: quod & de coronis, fibulis, zonis censendum: omnia nempe hæreditatem instabilem, vsumque eorum communem, & ab iis qui abeunt, ad alios qui remanent transeuntem. Quid autem & quanti tota illa quam Præsides obtinent scena; argenteum vehiculum & virga aurea? Non semper ista à Præside habentur, nunquam certè ad eodem, nisi fortè ad exigui temporis vsuram. Sicut enim feretrum aut sandapila alia subinde cadauera suscipit: ita principium virorum insignia vtentes identidem commutant. Vnde & frequentes Apostoli nobis erudiendis in hanc ferè sententiam voces. Repræsentat enim huius mundi faciem illud.
Tanquam nihil habentes, & tamen omnia possidentes, 2. Cor. 6. v. 10.
& *Videntes, tanquam non vtentes.* Hæc enim omnia 1. Cor 7. v. 31.
ad vnum scopum tendunt, quòd velut in diem hic viuere debeamus, sempérque exitus signum ac tesseram expectare. Et quò pleniùs discas, legibus te & regulis subiici Dominicis, ad quas omnia dirigenda sint, teipsum in primis intuere, & considera,

tam corporis aspectu quàm animi, præceptis virtutis teneri, neque tuæ spontis, tuive dominum ipsius esse; sed cùm sermonem, tum actiones, atque adeò quoscumque vitæ motus lege certâ habendos. Accepisti corpus à Creatore ex partibus pluribus compositum, & quinque sensibus ad vsum commoditatémque vitæ instructum, qui nec ipsi liberi sunt, verùm pro se quique legibus certis adstringuntur. Et quod ad visum quidem attinet, qui princeps censetur: contuere naturam, & contemplare quæ visu pulchra ac præclara: solem terrarum orbem collustrantem, lunam tristem & obscuram faciem noctis illuminantem: stellas cæteras exiguum, illas quidem neque nobis sufficiens ex sese lumen præbentes, verùm tamen decus nescio quod speciémque scintillantem quam sortita sunt eiaculantes. Aspice terram plantis omnigenis herbisque comantem, ac mare æquabilem in planiciem expansum, vbi pura tranquillitas strauit ac fixit. Ad hæc & talia licet oculis vtare: cætera verò spectacula, quæ per oculos noxam animæ inferunt, fuge & prætercurre, velúmque ne videant obducito. Satius enim sensui tenebras inducere, quàm operibus tenebrarum occasionem præberet. Et ideo per Matthæum hesterna
Matth. 5. v. 28. nobis die Dominus dixit: *Quicumque aspexerit vxorem alterius ad eam concupiscendam, iam adul-*
Matth. 18. v. 8. *terium cum ea commisit in corde suo.* Ac vel præstet oculum proiicere cùm ad fœda ac noxia respicit. Sed & auribus suæ leges, suæ cautiones. Ad sanos enim sanctósque sermones inclinare & patefacere eas oportet, ac per istos quasi tubos ad animum bona dicta transmittere. At si quis vitiorum assecla pestilénsque & perniciosus homo propiùs accedit, vt peccati cœnum per aures infundat, vitandus ille & fugiendus non aliter quàm genus illud ferarum quæ toxicum eiaculantur. Os etiam & lingua contineantur, vt bona tantùm & honesta promant, à fœdis & vetitis abstineant: à maledictis inquam, sycophantiis, calumnia, contentione cum fratribus ac blasphemia contra Deum; eorúmque vice proferant, atque enuntient quæcumque pia, quæcumque religiosa, quæcumque bonorum operum causa & incentiuum. Sacri denique
Psal. 39. v. 1. Psaltæ quisque hæc vsurpet: *Dixi, Custodiam vias*
Psal 5. v. 11. *meas, ne peccem lingua mea*: &, *Linguis suis dolosè*
Psal. 51. v. 2. *agebant*, ac præterea: *Quid gloriatur in malitia qui potens est in iniquitate? Tota die iniustitiam cogitauit lingua ipsius. Sicut nouacula acuta fecisti dolum.* Ad summam, sit & os inter ea quæ prosunt. Ac naribus quoque & odoratui modus adhibeatur, ne voluptati deditæ nimiùm sint, vnguentorúmque pretiosorum fragrantes halitum consectentur. In tales enim
Esaiæ 3 v. 10, & 24. Esaias acriter inuehitur. Quin manus quoque meminisse mandatorum debet, ac cauere ne promiscuè qualiacumque contrectet. Protendatur ad faciendam eleemosynam, non ad furtum: tueatur propria, neque colligat aut comportet aliena: corpora ægra ac malè affecta ad opem ferendam attingat; non vegeta ac libidinibus semper prurientia. Constare iam satis existimo, quòd nec ipsius nostri domini sumus; sed œconomi tantùm ac dispensatores. Quidquid enim legibus ac præceptis adstringitur, ipsi subditum & obnoxium est legislatori. Quòd si igitur ne ipsæ quidem corporis nostri partes ac membra libera suique iuris sunt, sed voluntate Domini ad functiones suas diriguntur & gubernantur; quid his dicemus, qui sibi persuadent, auri, argenti, agri, cæterarúmque rerum plenam se possessionem merúmque dominium habere? Nihil omnino tuum, ô bone; tu seruus es, & omnia tua Domini, quia seruus liberum peculium non habet. Nudus in hanc lucem prodiisti, & quæcumque possides, ex lege Domini accepisti. Siue enim hæc ex patrimonio, Deus voluit ac iussit, vt liberis exuuias ac spolia sua parentes partiantur: siue ex matrimonio hoc ipsum, & quæ eò pertinent, à Deo sunt instituta; siue denique ex mercatura, agricultura, aut aliis acquirendi modis, Deo fauente & adiuuante nactus es. Ecce patet itaque, tua non esse quæ habes: videamus iam quid præscriptum tibi sit, & qualis esse eorum administratio debeat. Da esurienti, tege nudum, cura malè affectum, nec pauperem aut iacentem in triuiis neglige; de te ipso noli sollicitus esse, aut cogitare, quemadmodum ad diem crastinum peruenies. Et ista quidem si feceris, à legislatore cohonestabere; si verò mandatorum rationem nullam habueris, malè multabere, grauitérque puniere. Hæc profectò mihi non videntur eius esse, qui suus sibi Dominus, cuique libera quidvis agendi potestas; sed omnino contrà, multitudo præceptorum arguit hominem imperio regio legibúsque Dominicis subditum, à quo præscriptæ vitæ ratio quasi debitum aliquod exigetur. Et nos tamen nescio quomodo tanquam liberam degamus vitam, & à rationibus reddendis immunem, miseros, inopésque despicimus, ac miseriis suis immori patimur; cùm interim non dubitemus per ambitionem ac vanitatem sumptus immodicos facere. Nam & adulatorum intemperantium multitudinem alimus, & parasitorum infelicium turbam in comitatu habemus; & cùm in bestiariorum ac ferarum & generosorum equorum alimenta, tum in præstigiatores & mimos, aliósque perditissimos homines opes exhaurimus: atque adeò rem facimus stultitiæ & insaniæ prorsus ad finem. Nam vbi impensa lucrum inæstimabile salutémque æternam adfert, compressâ manu pecuniam cohibemus, vt ne pauci quidem oboli excidant: vbi verò de sumptibus istiusmodi agitur, quos & peccata comitantur, & pœnæ infinitæ ac vel ipsum ignis supplicium consequitur, vltrò opes effundimus, totóque ostio, ambitione iubente, exire permittimus. Qui sanè non est sensus animúsque seruorum Dominum expectantium; sed iuuenum intemperantium, comessatorum, ac voluptatibus deditorum. Quòd si videre liber, auditor, quàm sollicitè timidéque concredita sibi dispensator prouidus administret, Dauidis mihi librum explica, ac locum eum quære, quo pius ille vir præstitutam exitus sui diem studiosè inquirens ad Deum ita fatur:
Notum fac mihi finem meum, & numerum dierum Psalm. 38.
meorum, quis est, vt sciam quid desit mihi. Vides in v. 5.
his verbis tanquam in imagine clamantis animum & affectionem, quàm sit timidus, quàm in futurum longè prospiciens, quàm curiosè iudicij, supremæque lucis in inquisitione versetur, ne signum abitus imparatum eum offendat & opprimat; vtque præcognito quod superest incolatus spatio, diligentia ac studio officium suum implere possit, prinsquam veniat qui abducat. Est enim verè cuiusque nostrum exitus, œconomi quædam ac dispensatoris effigies, si sigillatim examinemus, & inter se contendamus, quid patiatur, & qui vita defungitur, & qui dispensatione abdicatur. Nam qui moritur, ad eumdem planè modum aliis administrationem tradit, arque œconomus claues: hic eiicitur ex agro, ille ex toto terrarum orbe tanquam ex vno aliquo fundo cedit: œconomus labores suos, vineas, hortos, domos, mœstus, inuitúsque relinquit; ille autem cui vita deserenda quemadmodum adfici tibi videtur?

videtur? Nónne bona sua suspirat ac deplorat? Nónne supellectilem thesauróśque deamatos miserabiliter circumscripsit? cùm nec opinato longè ab iis abstrahitur, & ad locum ei destinatū traducitur, talibúsque aures eius vocibus personant: *Redde rationem villicationis tuæ:* ostende quomodo præceptis obtemperaueris, quo animo erga conseruos, leni ac benigno fueris, an contra sæuo & inhumano tyranni in morem pugnis ac verberibus in eos sæuiens, eleemosynæque demenso miseros defraudans. Et benè ie res habebit, siquidem propitium reddere Dominum bonūque se seruum approbare potuerit; sin minùs, non illic ei paratæ virgæ & flagra, non obscurum pistrinū, non compedes ferreæ; sed ignis inextinguibilis, sed tenebræ perpetuæ, nulláque lucis intercapedine distinctæ, sed stridor dentium, ipsius Euangelio testimonio designatus. Quòd si nunquam, ô bene, terrenis hisce bonis tanquam alienis exuère; age sanè, fruere mundo omnibusque voluptates sensibus admitte: sin, vt quàm diutissimè fruamur, eis aliquando finis præstò, carendumque erit; metuamus fratres migrationis illum diem, & ex præscripto Domini tempore incolatus viuamus, ne vincti & ære alieno oppressi abripiamur; sed liberi, sed secura conscientia solisque cōmentariis actionum nostrarum irreprehensibilibus, & extra censuræ aleam onusti viam ingredi possimus. Malus fuit huius vitæ dispensator vir ille diues, cuius quidem ager quamquam vberes fructus reddiderat, nihil tamen in tanta fortuna copiáque rerum boni vel cogitauit, vel fecit, sed hiante ventris desiderio, latisque & profundis cupiditatis & auaritiæ finibus apertis suum ipsius in vsum atque voluptates omnia conuertit, talia subinde dicens: *Destruam horrea mea, & maiora exstruam, & dicā animæ meæ: Habes multa bona reposita, requiesce, ede, bibe, lætare.* Et dum loqueretur, ecce adstitit qui abduceret: accessit specie terribili conseruus, deturbatum dispensatorio munere rapturus ad pœnam. Et quid tum, quæso, prodest voluptuariæ vitæ propositū? Atque hæc quidem viuide graphicéque nostrā ad cautionem descripta sunt. Iam verò quid experiētia vitæ quotidianæ? Nónne hæc assidue talia quoque vociferatur? dum hunc quidem qui meridie firmus, & valens, ante ortum vesperi mortuum nobis ostendit: illum qui vesperi benè sanus, & incolumis, ante radium matutinum conclamatū atque depositum: alium item in accubitu supérque mensam animam efflantem. Et quis tandem obsecro tā stupidus atque stolidus, vt non animaduertat quotidie nostrum aliquem, alium aliàs, ex huius vitæ dispensatione quasi loco moueri? Sed enim bonus ac fidus minister rectáque subnixus conscientia adficitur animo, quemadmodum olim Paulus: ille enim vel Domino non vrgente ad eum anhelabat ac solui cupiebat; sed & vltrò dispensationis munus deprecabatur, alicubi loquens; *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis?* Ac rursus: *Bonum mihi dissolui, & esse cum Christo.* Contrà, qui plenus cogitationibus terrenis, glebæque & humo verè cognatus, de migratione anxius, ita lamentatur vtille in parabola: *Quid faciam, quia Dominus aufert à me dispensationem? Fodere non valeo; mendicare erubesco.* Desidis simul atque voluptarij hic dolor, hæc querela. Nam fletus in abitu & eiulatio hominem arguit fundo suo prorsus agglutinatum, & affixum, carnisque voluptates, quibus fuit deditus, gementem ac deplorantem. Imbecillitas autem ac fuga laborum, vitæ per inertiam ac desidiam actæ crimen est ac nota. Nam si operi ac labori assueuisset, à fodiendo nequaquam abhorreret. Quòd si allegoricè de his quæ sub intellectum cadunt, parabolam hanc interpretamur; vbi semel hinc migrauerimus, neque operandi neque mendicandi tempus: eóque nemo dicat, *Fodere nō valeo.* Vt enim maximè valeas, nemo permiserit. Cultus, & obseruatio mandatorum, huius propria vitæ est, fruitio vero futuræ. Quare si hic cessaueris, ac nihil operatus fueris, frustrà de vitibus, frustrà de fossione cogitaueris. Sed nec rogando vel mendicando quidquàm profeceris. Declarat insigne virginum insipientium exemplum: quæ, cùm oleum ipsis deesset, vt impudenter, sic incassum à prudentibus id petierunt. Quo docemur, adueniente sponso, neminem oleo alieno, id est aliorū rectè factis suum ad commodum atque fructū vti. Suis quisque factis quasi veste quadam amictus est, siue splendida illa ac pretiosa, siue vili ac paupercina: nec exuere eam fas, & alia permutare, nec omnino, vel ex dono vel commodato Iudicij tēplum exornari. Manet quisque qualis reuera est, siue bonorum egenus, siue diues, & copiosus. Et hæc quidem hactenus. Quid iam dicamus de cōdonatione, & remissione debitorum, quam iniquitatis ille œconomus cōmentus est vt solatium aliquod, & auxilium in malis apud conseruos sibi compararet? Non enim sanè procliue, conuertere id in allegoriam scripto congruentem. Dicam tamen quod in mentem multa voluenti mihi venit. Omnes quicumque peccatorum remissionem obtinere studemus, alienarum donationem rerum lucrum atque quæstum proprium facimus. Aliena appello quæ Domini sunt. Nihil enim omnino nostrum, sed quod bonorum cúmque exister, illius mancipio proprium est. Quum igitur aliquis finē suum, & abitum considerans, peccatorum onus beneficentia leuare studet, àc vel debitorum sibi nominum gratiam facit, vel egentibus de fortunis suis largitur; ea quæ Domini sunt donando plurimos sibi conciliat amicos, qui bonitatis ac liberalitatis eius testes apud Iudicem erunt, suóque testimonio recreationis, & refrigerij locum ei parabunt. Testimonium autem qui beneficiis affecti sunt apud Iudicem ferre dicuntur, non voce & oratione tanquam apud ignarum; sed ipsis quodammodò benefactis quæ acceperunt, auctores suos pœna criminum eximentibus. Nam qua ratione sanguis Abeli clamare ad Dominum dictus est: eodē modo opera bona testimoniū ei tribuere dicētur qui fecit in Christo Iesu Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Matth. 13. v. 42. 22. v. 13. 24. v. 51. 25. v. 30. Luc. 13. v. 28.

Luc. 12. v. 18.

Ro. 7. v. 24.

Philip. 1. v. 23.

Luc. 16. v. 3.

Matth. 25. v. 1.

Gen. 4. v. 10.

EIVSDEM HOMILIA.

Aduersus Auaritiam.

VIri Christiani, cœlestisque participes vocationis, quotquot & ex agris & ex oppidis (vniuersim enim omnes appello) hoc ad festū cōcurristis, vnusquisque vestrum vtique perspicit, & intelligit, qua de causa conuenerimus, & quare Martyres ædium ornatu cultuque magnifico, tum annuis huiusmodi cœtibus honestentur, & quo potissimum proposito sibi scopo maiores nostri ista quæ videmus instituerint, eumque ritū ad posteros transmiserint. Planum certè perspicuumque ei qui vel parùm cogitationē intendit, quòd zelo pietatis hæc talia constituta, quódque publici isti solemnésque conuentus tanquam ludi quidam atque pædagogia sunt animarum: vt & Martyres,

colentes insignem eorum pietatem imitemur, & Doctoribus ea occasione congregatis aurem præbentes, profuturum aliquid ignoratúmque nobis antea discamus, quod ad dogma confirmandũ, aut ad ambiguum obscurúmve Scripturæ locũ explicandum, aut ad morum & vitæ emẽdationem pertineat. Sed enim vos mihi videmini, virtutis omisso studio, curáque animæ posthabita, toti circa Mammonæ sordes forúmque rerũ venalium versari: alij quidẽ ipsi contrahentes; alij alienis intenti inhiantésque, & æmulos inuicem sciscitantes quomodo res alienæ depretientur ac vilescant. Verùm, agite, transferte mihi studium hoc ad Ecclesiam: relinquite auaritiam, illam circumforaneam, illam Mænada: auersamini tãquam turpem meretriculam, multitudini atridentem, & alienis ornatam induuiis ac fucatam. Contrà, amate diuinam hanc, probam, pudicam, amictam decore vultúque graui ac modesto. Sic enim ait Salomon in libro
Prou.4.v.6. Prouerbij, ibi: *Ne dimittas eã, & custodiet te, dilige eam, & conseruabit te.* Noli per contemptũ præterire, & quæ in mensa hac proposita, quia gratis cõsequi potes, ne aspernare. Sed eò gratiora sint ac magis expetantur, quòd nos hic non sedemus ad modum institorum cum statera ac trutina; sed vnicum censemus lucrum auditoris ac discipuli salu-
Act.25.&26 tem. Lecta à nobis in Actis Apostolorum Pauli ad Festum & Agrippam oratio; Pauli inquam & fidelis Apostoli & prudentis oratoris. Ac tibi perspectum auditor, si quidem animũ aduertisti, quomodo nec veritatem ille ex metu prodat, & obsequiũ erga Agrippam sermonis libertate temperans duros commitiget animos atque deliniat, non aliter quàm si belluas aliquas orationis, vt ita dicã, con-
Zachar.3. trectatione incãtaret. Vaticinatus est & hodie Zacharias, ingentium de vnigenito mysteriorum ianuam nobis reserans per lapidem septem oculorum ictus habentem, pérque cãdelabrum aureum, super quod lucernæ septem duóque trunci oliua-
Zachar.4. tum. Multa deinceps Scripturæ loca thesaurum boni conditum habent, quæ percurrere quidẽ omnia velim, & spiritualis ostẽdere conuentus abundantiam; verùm vrget me & impellit ad debitum soluẽdum hesterna promissio. Cùm enim instituta tum à nobis & incepta auaritiæ esset accusatio, neque exponi denudaríque vanitas eius & stultitia potuisset, in hanc diem reiecimus. Quare attendite, & æqui veritatis æstimatores atque iudices estote. Non enim alienis de rebus, sed de nostra ipsorum salute disceptatur, & damnatorios quosque calculos aduersus propriam animam quasi ream & domo vel vrbe eiiciendam quisque mittit. Auaritia itaque est non solùm pecuniæ cæterorúmque bonorum cupiditate feruere & ferri, præsentiáque aliis insuper cumulare velle; sed, vniuersè loquendo, qualibet in re plus quàm par est aut adest, cupere & affectare. Et à diabolo quidem peccatum hoc manauit, qui initio cùm eminentissimam Archangeli dignitatem & ordinem obtineret, tyrannidem ac rebellionem aduersum diuinitatem molitus est demens, ac mox in aërem terræ proximũ deturbatus, malus nobis & vitæ nostræ factus est vicinus: atque adeò neque diuinitatem, quam captabat, adeptus est; & Archangeli, quo fulgebat, honorem amisit: serui instar infidi qui temerariis ausis in latronem euasit; ac canis illius in Gentium fabulis, qui & carnem perdidit, & vmbram (nam quomodo rem inanem & incomprehensibilem;)
Gen.3. prehendere non potuit? Post hunc primũ hominũ voluptate pellectus, veritas sumpsit dapes summó-
Gen.25.v.31 que excidit immortalitatis bono; sicut Esaũ posteà propter pulmentum iure primogenituræ. Sed & multitudinem hanc linguarum & idiomatum im- Heb.12.v.16.
moderata quorumdam cupiditas in vitam nostram
introduxit. Qui fœlicitate nimia lasciuientes cùm Gen.11.
peruium sibi cœlũ fore credidissent, tidendámque eius ad adscensum turrim moliti incassum essent,
tũ ipsi cohibiti sunt & coërciti, tum pro consensu Gen.11.v.7.
concentúque sermonis dissidium atque dissensionem inuexerunt, humanæque genti molestiã ex obscurarum sono vocum, interpretandíque laborem reliquerunt. Iam verò Pharao quare in tantas támque varias calamitates incidit? Nónne plus haben- Exod.9.8.& 10.
di cupiditate, dominãdíque peregrino populo, qui nihil eius ad imperium pertineret? Hinc factum, vt, cùm alienos non dimitteret, suos deperderet,
qua strage primogenitorum, qua in traiectu maris. Exod.11. & 14.
Nam omitto fluenta sanguinea, ranarum infinitam sobolem, bruchorum tetram luem, pustularum papularúmque fœdam eruptionem, & quadrupedum necem cum cætera clade & peste, qua populus Ægyptius ob auaritiam atque cupiditatem Principis damnatus est. Alibi verò peccatum hoc mala scabie & spissa lepra vindicatum didici. Et iuxta mecum hic recordare, quisquis historiam amas, &
Elisæi præclara facta libenter audis, quemadmo- 4. Reg.5. v.14.
dum Naaman ille Syrus, postquam in Iordane lauisset, à lepra fuerit liberatus; contráque ea cor- Lucæ 4.v.27
reptus puer Giezi, puer auarus & imperitus, qui 4. Reg.5. v.27.
spiritualem gratiam, gratuitámque Doctoris sui
medelam pretio venditarat. Quid Absalonem mi- 2. Reg.15.
tissimi patris ferocem audacémque filium ad parricidium adegit? Nonne intempestiua successionis regiæ & aliena inuadendi diripiendíque cupiditas. Iudam quid è catalogo Discipulorum expun- Lucæ 22.v.4
xit, & ex Apostolo proditorem fecit? Nonne cùm gazophylacij infida administratio, tum pretium infame, & denariorum aliquot propudiosum auctoramentum? Ananiæ denique & Sapphiræ tri-
stis, vnde & tragicus in Actis Apostolorum exitus? Act.5.
Nonne quia suarum furto rerum propriorúmque donariorum sacrilegio sese contaminarant? Deficiet me dies, si ministros & mancipia auaritiæ dinumerare pergam. Quare missam faciam veterem historiam, & quotidianam vitæ experientiam interrogabo, cuiusmodi fera sit auaritia, quàm ægrè quos semel prehenderit elabi sinat, vt vegeta semper ac valida, nunquam debilitetur atque deficiat; sed cum iis, quos sibi subiecerit, consenescat & perennet. Libidinosus amatórque corporum, vbi iam longam insaniam insaniuit, remissionem finémque morbi tandem inuenit, vel postquam senilem ipse ætatem attigit, vel cùm eam quam amat exoletam videt ac floris extincti. Gulosus ventris voluptatibus aliquando renuntiat, siue quando iam satietas eum cœpit, siue cùm stomachus eæque partes, quibus cibum concoquendi vis ac munus, imbecilliores factæ, desiderium & appetentiam illam hiantem sedarunt. Ambitiosus, postquam in multis se iactauit theatris, spectari tandem velle & inanes flare glorias desinit. Verùm auaritiæ morbus eiusmodi malum est, vt vix vnquam eo liberari possis: & quemadmodum hæc semper virens atque frondens hedera adsitas irrepens arbores validè circumuoluitur & adhæret: ac ne ramis quidem fatiscentibus aut arefactis recedit, nisi qui flexus istos & anguineos, quasi gyros ferro secet: ita nec auari mentem, siue iuuenis hic siue senex, in libertatem facilè vindicaris, nisi sobrio prudentíque consilio velut machæra morbum disciderts. Auarus propinquis est odiosus, famulis grauis, amicis inutilis, exteris dif-

ficilis & vix affabilis, vicinis molestus, vxori malus contubernalis, liberorum parcus atque sordidus educator, sui ipsius malignus curator, noctu interdiúque solicitus & cogitabundus, secum ipse loquens ac differens, eorum more qui mente exciderunt, & in insaniam lapsi sunt. Denique cùm omnibus abundat, tanquam omnium egenus ingemiscit: præsentibus non fruitur, quæ absunt anxiè quæritat: propriis non vtitur & ad aliena oculos adiicit. Multi in istius [inquit] grege, agni, stabula vix capiunt, planities ac pascua tota tegũtur. Ac si pinguem, & benè habitam ouem vicini viderit, misso proprio grege, in vnam, & alienam illam cupiditate fertur. Atque ita quoque de bobus, equis, agris. Omnium copia rerum ædes coangustat, sine vsu, sine fructu. Nullum enim percipere fructũ voluptatis potest, quisquis insatiabilis, éstque domus eius similis cõditoriis siue sepulchris, quæ sæpè plena sunt auro atque argento, cùm qui vtatur existimat nemo. Corpus auari non alitur: anima nihil lucratur; quia non exuberat è dextera eius eleemosyna. Quis autem laboris, & ærumnæ finis? Dicat eorum aliquis quos hic morbus corripuit. Multos equidem ipse noui, qui etiam cùm in morbo cubant, pecuniam salute sua magis amẽt, & æstiment. Nam si fortè Medicus remedium eis parabile præscribit ac parui pretij ex apio puta, thymo, vel anetho, quæ passim obuia sunt, & paruo comparantur, sine mora consilio obtemperãt: si verò medicamentorum eiusmodi mentio, quæ ex pluribus componuntur, & vel ex pharmacopolio, vel ex vnguentaria petenda sunt; animam potiùs exhalent, quàm crumenam soluant. [Quid mirum?] cùm mente, & cogitationibus terreni sint, terrestrium possessionem rerum vitam, & spiritum ducunt. Hos tales publica communísque fœlicitas molestia afficit ac dolore; damna contra ac clades, delectatione, & gaudio. Exoptant graues, & intolerabiles indici pensitationes & tributa, quò grandiore per eam occasionem fœnore pecuniam suam occupent; auéntque videre miseros aliquos à fœneratoribus oppressos, & constrictos, vt eorum agros, instrumenta, aut pecora vel iumenta paruo per necessitatem ære proiecta acquirant. Frequenter autem Philosophorum instar circa Meteora versantium in cœlum suspiciunt, non vt syderis alicuius ortum aut planetæ domũ scrutentur; sed vt aëris constitutionem considerent, & an apparentia signa largiores imbres aut siccitatem denuntient. Ac si pro spe sua multis malum imminere animaduerterint, aliena lætantur in fœlicitate. Omnia vndique summo studio in horrea sua congerunt, & coaceruant; obsignántque singula, ac duplici communiunt sera, dimetiẽtes sine fine, & supputantes. Inter hæc, & dum ista spe titillatur, & [quasi per somnium inanibus & imaginariis opibus auarus ditatur, si nubes aut nebula crassa superuenit, exterretur ac si periculum ingens ipsi immineat. Quòd si minutula pluuia terram aspergit, sublachrymari incipit: si magna aquæ vis & siccitati tollendæ par ingruit, eximus eum luctus occupat, iámque non minùs sollicitè, quàm si filius periclitetur; remedium passim quærit, modúmque, & rationem frumenta à tabe; & vermibus diutissimè seruandi. Ac si tam æstuare animaduertendum, & calore corripi, pro Medicorũ instituto refrigerare studet, eóque tum excutit, & expãdit, tũ separat ac perflari sinit. Sed & miser adsidet, tegumenque, & tutamen à meridie excogitat, quod circa noctem rursus amouet, vt auræ nocturnæ aspirare liberiùs queant. In his laboribus ac molestiis? si pauper eum adit, ac periclitantis aliquid frumenti rogat, nimia eius charitate aut nihil dabit, aut parcè, & semianimus dabit. Ego verò te exhortor qui tali præditus es ingenio, ne perpetuo sic laborare, & discruciari velis. Miseratione enim dignus quilibet auarus; etiã ille qui delicias non abhorret, qui beatã vitã voluptate ventris aliisque definit, cúmque finẽ hominis præcipuum putat. Multò magis, & omnium quidem miserrimus, qui illiberalis atque sordidus, qui cùm suum defraudat genium, tum vnus occupat per quæ pluribus benè pulchréque fuerit sine vllo tam exactæ continuæque diligentiæ fructu vel fine. Quis enim ignorat, propter seipsum, exceptis virtutibus, nihil fieri; sed vt aliud ex alio procedat ac sequatur? Nemo certè quisquam solius causa nauigationis mari se committit; nemo propter ipsam agricolationem in labore ætatem agit; sed liquidò constat, quòd certo vterque scopo molestias istas subeat; alter nimirum vti fruges vberémque messem colligat; alter vt transmarinæ negotiationis diuitias referat. Tu verò dic sodes, quidnam spectes, & cur ne omnia vndique corradas; opésque exstruere inutiles studeat? Delectat me dices, aspectus. Atqui ratione alia morbo tuo indulge: nam alienis etiam bonis sedare desiderium hoc potes. Si te capit, & exhilarat argenti fulgor: in officinis fabrorum argentariorum assidenti corruscantem argenti lùcem contemplari licet; aut circa forum, & loca rerum venalium, vbi disci, lances, aquales, & omne genus exposita vasa, animum oblectare. Liberum hoc, & gratuitum spectaculum. Quinetiã spectare eos potes, qui argentum examinant, ac pecuniã in mẽsis perpetuo contrectant atque dinumerant. Immò verò rectis potiùs obtemperans monitis prauum hunc appetitum exues, animúmque mutabis. Facilis enim correctio, cùm auaritia nõ sit naturalis aliqua necessitas; sed impetus, & voluntaria quædam affectio, difficile non difficile deponere iis qui cõsultum sibi volunt. Mitte cogitationem in futurum æuum, quando non eris, quãdo paux lla terra corpus tuum exporrectum omnísque sensus expers habebit, & paucorum tabula palmorum reliquias tuas teget. Vbi tum opes, vbi tanto collecta studio cimelia? Quis bonorum abs te relictorum hæres? Nec enim is omnino, quem tu tibi destinas, certus erit successor. Si liberi tibi superstites, fortè ab auaro tuíque simili circumscribentur, iniuria afficientur, ac flentes patriis ex ædibus expellentur. Quòd si liberorum expers, amicorum aliquem hæredem instituis, non est cur testamenti tabulis magnopere confidas, tanquam certæ, & definitæ legi, tanquam rei minimè controuersæ, cuíque contradici nullo modo possit. Parua res scriptum irritum facit. Nónne vides vt apud tribunalia super testamentis assiduè litigetur? quot ea modis, & quibus artibus per iurisperitos, aduocatos, oratores, ac falsos qui ad hoc aluntur, testes, pérque iudiciorum nundinationes oppugnentur? Ex his certe quæ viuo te, & vidente fiunt coniecturam facere debes de his quæ post te futura. Si tibi diuitiæ bene, & innocenter partæ, exemplo beati Iobi, bene eis vtere; si malè, & per nefas quæsitæ, solue quasi captiuas, suísque dominis, quibus per iniuriam ablatæ, vel quales ad te peruenere, vel etiam cũ auctario, velut Zacchæus, repone. Si nullas habes, noli per malas artes acquirere alioquin enim abeuntẽ, ac necessariũ ingredientẽ iter, triste peccati viaticũ persequetur: bonisque abs te relictis alieni ignotique fruentur. Tũ

Dauidem mirabere dicentē *Thesaurisat ; & ignorat cui congregabit ea.* Tum, & diuitem illum Lazaro oppositum agnoris: illum quidem in Euangeliis nobis lectum ; neque fabulam ad terrorem compositam, sed certum absolutúmque futuri typum æui. Byssus computruit , regnum ad alium traductum est,deliciæ, & voluptates euanuerunt, peccatum autem ab illis profectum manet,abeuntémque porrò comitatur,non aliter quàm vmbra corpus : eóque post epularum magnificentiam, post lautas opiparásque mensas : quæ guttam leprosi digito destillantem requirit , ac mendicum ad opem ferendam implorat, cui ne manus quidem fuisse videntur ad canes abigendos,qui vulnera circa atrium iacentis allamberent.Sed,& desiderat coniungi Lazaro , quem , ex aduerso vide fossa media vel hiatu diuulsus: Quo quidē designatur non vallum,non agger manu factus, vt in castris ad hostem arcendum,sed peccatorū obex, & sepimentum:quod cōdemnato, velut muri obiectu, aditum transitúmque ad iustum interclusit.

Isa. 59. v. 1. Et huic explicationi subscribit Isaias, cum insipientē populum grauiter increpans sic affatur. *An non valida satis manus Domini ad seruandum, aut aggrauata est auris eius , vt non exaudiat ? Immo verò peccata vestra diuiserunt inter vos , & Deum vestrum.* Quòd si peccata mortales à Deo separāt, de auaritia non est dubitandum , peccato longè

Ephes. 5. v. 5. grauissimo , quam vera voce veritatis ille præco Paulus idololatriam appellat , omniúmque stirpem,& genitricem malorum. Quid enim eos qui Christo nomē dederāt , ac mysteriorū participes erant,ad cultum,dæmonū pertraxit?Nónne plura possidendi cupiditas,& alienas fortunas occupādi? Nónne promissorum spe magistratuum ac præfecturarū,Regiæque munificentiæ,& largitionis ab impiis facta , Dei cultum religionémque quasi vestem repentino mutarunt:Et hæc quidem anteriorum exēpla temporum memoria seruauit; sunt etiānum recentia ac nostræ ætatis.Cùm enim Imperator ille, qui Christiani personam per simulationē diu gestauerat;repentè eā deponens,totámque deducto sipario scenam denudans,& ipse dæmoniis impudenter sacrificauit,& alios variis eò præmiis inuitauit; quantus ab Ecclesia ad altaria factus est concursus ? quam multi per bonorum escam , & illecebras vna cum ipso transgressionis hamum deuorarunt. Qui nunc quidem stigmatiæ ciuitates oberrant,omnibus odio ludibrióque tāquam Christi Domini propter pauxillum argenti proditores, expuncti Christianorum albo , sicut Iudas Apostolorum, à transgressoris appellatione noli,sicut à signis equi,qui in peccatum omnium grauissimum pertrahi facilè passi sunt, sequutiq; statim impuræ,& execrabilis impietatis mystago-

Ephes. 5. v. 5. gum.Ita nimirum auaritia iuxta Apostolum idololatria est,omniúmque radix malorū, innumera ex sese vitia progignens.Sicut enim ij qui aurum in sinu visceribúsque terræ scrutantur,aureā glebā circa principem,& proprium generationis locum cumulatim repositam inueniri narrant,& aliquas inde velut venas in longum hinc inde produci,sicut arborum à stipite latè sese explicant ac diffundunt radices:ad eundem modum,imagine non minùs impropria auri, & auaritiæ , multa video germina multósque surculos vna eádemque stirpe auaritia coniunctos. Hinc video filium capiti genitoris imminentem, & absque vlla vel venerandæ canitiei vel auctoritatis patriæ reuerentia longiorem senis vitam indignantem. Cùm enim copiam omnē domi largiter suppetere videt, cuius dominium penes ipsum non sit,eóque potiri ipse cupit , & sui quoque iuris fieri, grauis illi patria auctoritas ac potestas. Et initio quidem intra silentium sese continet, altéque reconditum morbum habet;aucta dein paulatim cupiditate,& animo iam tumente, repentè malum prorumpit , non aliter quam è fistulis & canalibus aquæ vis. Tum ille misero seni prorsus intolerabiles, viuúmque tantum non effert ac valentem. Si equum agiliter conscendit miratur & adstupet:si largius & vt benè sanus,cibum sumit, fert ægrè , secúmque murmurat : si famulo ad opera ac ministeria manè excitat , vigilantiam bonámque valetudinem senis gemit ac dolet. Quod si aliquod cimelium alicui donauerit, aut seruum manumiserit, tum nullius homo pretij ac delirus audit ; tum, quasi viuendi regulam ac præscriptum transgressus, alienique prodigus ac profusus, conuitiis atque probris omnibus proscinditur ; longioris, heu, vitæ &, spiritus non statim emissi reus.Tui isti,scelerata auaritia,fructus:tuo impulsu & incentiuo filius parenti inimicitias denuntiat : tu comples terram latronibus & homicidis,mare piratis, vrbes turbis atque tumultibus,forum ac tribunalia falsis testibus, sycophantis, proditoribus,aduocatis ac iudicibus eò propendentibus quo tu pertraxeris. Auaritia mater inæqualitatis,immisericors, inhumana, crudelis.Per hanc vitā mortalium dispar ac discors:aliique satietate nauseant, & opes superfluentes velut cibum nimium euomunt;alij fame & penuria pressi , in extremo penè discrimine versantur : hi sub tectis recumbunt auro distinctis ac variegatis, domósque incolunt paruarum instar vrbium , in quibus balneæ , porticus in longum porrectæ , & plures quasi domus omnísque magnificentia ac splendor ; illi contra ne duo quidem tigna, quibus tegantur, habent : cúmque perdurare sub dio non possunt , vel ad causinos balneatorum confugiunt, vel si in balneatores hospitibus inimicos inciderint, pariter ac sues fimum fodientes, necessarium sibi calorem procurant. O disparem vitæ conditionem inter homines à natura dignatione pares! quæ quidem perturbatio rerum atque diuersitas non aliunde quam ab auaritia profluit. Ab hac est quòd alius contra decorum penè nudus , alius præter innumeras ad vsum corporis vestes parietes ipsos purpura velat. Pauper nec in lignea quidem mensa confringere panem potest,cum mollis ille & delicatus fulgore latissimæ ex argento mensæ , quam opere ductili fieri curauit , mentem & oculos pascat. At quanto fuerat æquius,illo lautè quidem & opiparè epulante , cæterásque delicias ad satietatem vsurpante , mensæ pretium in alimenta pauperum conuerti ? Alius ætate fessus & ingredi inualidus,aut vitio aliquo claudus;asinum necessarium vectorē non habet; alius ipsos equorum greges ob multitudinem ignorat:huic oleum ad lichnum deest;ille solis luminibus, & candelabris censeri diues potest : hic quidem in solo nudo procumbit ; ille verò diuitiis laborans in lecto se resupinat circumquaque fulgente, & argenteis sphæris atque catenis vice funium exornato.Tales nimirum inexplebilis auaritæ effectus absque ea foret,neque esset hæc in vita mortalium inæqualitas,hoc dissidium neque tam variis cladibus atque calamitatibus insuauis ea nobis ac lachrymabilis redderetur. Hinc homines naturalem erga homines charitatem exuunt;hinc ferrum accuunt,aciésque instructas inter se arietant , sommáque cum immanitate tanquam belluæ depugnant. Cætera deinceps quis enarrauerit ? Muri validi & excelsi

machinis

machinis conquassantur, vrbes expugnantur, coniuges abducuntur, liberi in seruitutem rediguntur, agri vastantur & vtuntur: arboribus ipsis, tanquam iniuriam intulerint, haud temperatur: cædes fit magna iuuenum ac virorum, riuique sanguinis à strage cadauerum profluunt ac voluuntur: facultates denique & fortunæ eorum qui vincuntur, præmij loco victoribus cedunt vniuersæ. Quid deinde? viduarum lamenta, pupillorum fletus, & parentes suos & libertatem amissam elugentium. Qui nudiustertius multarum magnarúmque diuitiarum possessor, tum frustum panis protensa dextera mendicat: qui seruos complures habuerat textores, ædésque vestibus refertas, lacero detritóque malè tectus panniculo seruitutem ipse seruit, & aggerere aquam, equili stercus abradere, & huiusmodi fœda subire ministeria cogitur. Alia sexcenta mala sunt, quæ summatim oratione complecti, impossibile. Omnium autem eorum causa ac radix plus habendi cupiditas, & iniquus alienorum bonorum amor. Hanc affectionem si quis hominum pectoribus exegerit, nihil erit quod vetet, quin & in alta pace tranquillè degamus, & omnis prorsus exulet è vita nostra contentio, terror atque perturbatio: quin protinus naturalem ad charitatem & amicitiam redeant omnes. Et ea re Dominus noster bonis monitis diligenter hunc morbum curat, dum aliàs
Matth.6. v.24. quidem affirmat, non posse nos Deo simul & Mam-
Lucæ 16. v.13. monæ seruire; aliàs verò diuitem illum miserum proponit, qui magnis cogitationibus plenus: ac
Lucæ 12. v.18. diuturnam sibi spondens voluptatum fruitionem, non vltra crastinum vitam erat producturus. Sed & alibi, dum eximium & numeris omnibus absolutum illum prædicat, qui facultates suas pauperibus dilargitus ad inopem Philosophiam sponte properabit, illam virtutis matrem atque contubernalem. Verùm hic audire mihi videor, etiam in silentio, publici saporis quorundam voces, quibus doctoribus obstrepi solet. Et quomodo vitam, inquiunt, sustentabimus, si rei familiaris nulla cura? quomodo necessaria comparare valebimus? quomodo vel æs alienum dissoluetur, vel mutuum petenti dabitur, si de tuo consilio paupertatem omnes amplexi fuerimus? Increduli iste sermo & diffidentis, insipientis hæ voces, & ignorantis quòd Dominum habemus Deum huius vitæ gubernatorem, dispensatorémque, qui natis animantibus necessaria tum alimenta tum vestimenta sponte sua suppeditat. Diuina prouidentia fouet ac tuetur opera sua, nec vnquam in fide diuitem egestas ærumnosa oppressit. Testabitur id, vt opinor, abundè vel vnum quod è sacris litteris à me proferetur exemplum. In historia Regum mulier describitur, quam supra viduitatis ac solitudinis malum fœnerator auarus & inhumanus vrgebat obsidebátque, liberos etiam ipsos, quos præter miseræ nihil reliquum, loco pignoris abducturus. Itaque cum in extremas esset redacta angustias, ac nemo quisquam ditiorum miseratione tangeretur, adiit ad hominem humanum ac fidelem.
4 Reg.4. Elisæus hic erat Propheta, terrenis quidem expers bonis, incorporeis autem atque cœlestibus ornatus & copiosus: Philosophus ab aratro, sine domo certísque sedibus, veste vna ac simplici vtens, hæreditate nuper quidem auctus, sed hæreditate ouinæ
4 Reg.2. parui pretij pellis, & benedictionis inuisibilis igneo curru delapsæ. Hic igitur supplicem infecta re non dimisit, nec de auxilio continuo desperauit, etiamsi non adesset quod quærebatur, neque verba aliqua degeneris aut diffidentis animi protulit, sicut aliquis è vulgo, & vnde argentum mihi debito dissoluendo? verùm vt peritissimus medicus, etsi medicamenta ad manum non erant, inopinatum morbi remedium excogitauit. Et, Quid habes, inquit, mulier in domo tua? Dic sodes si quid mihi tibi reliquum. Nec enim quisquam adeò pauper, nihil vt omnino possideat. Vbi verò respondit, vas esse fictile cum oleo pauxillo. Fac, ait, multa mihi vasa pares. Et ipsa quidem parauit, ille autem impleri iussit: vnde persoluto fœneratori debito, mulier angustias & inopiam euasit. Nam pauxilium illud olei, quod apud se esse Prophetæ dixerat in modum fontis inopinato scaturiuit, omnésque quotquot conquisitæ fuerant, amphoras repleuit: ac tum demum fluere desiit, cum vasa ad recipiendam deessent; æquatúmque est indigentiæ beneficium diuinum. Nam à diuina profectò misericordia, non ab olea plantáve manauit hoc oleum. Hanc, si potestis, scientiam vobis comparare, quicumque quàm latè patet Oriens & Occidens vspiam estis, Reges, dynastæ, diuites, vosque mundanæ sapientiæ consulti, donum hoc agrestis, & ab aratro profecti Vatis acquirite, quod auferri non poterat, & iugiter apud eum permanebat: cùm illa vestra, quibus quærendis studetis, bona sexcentis exposita sint periculis, latronibus, parietum perfossoribus, tyrannis, raptoribus, sycophantis, insidiatoribus, mari fluctibus haurienti, telluri ipsi hiatibus dehiscenti. Spes igitur nostra, ac cellæ penuariæ vice sit Dei dextera: quæ populum Iudaicum è terra Ægypti eduxit, bonorúmque affatim vel in solitudine Charan ei suppeditauit: quæ Danieli auxiliatorem Habacuc miro modo stitit & Ismaelem abiectum & maternis abdicatum vlnis seruauit: quæ Exod.14.
Iudæis per singulas ætates opitulata fuit, ac denique panes quinque hordeaceos ita in infinitum multiplicauit, vt singuli millenorum hominum famem satiarint, singulósque præterea cophinos reliquiis adimplerint. Deo nostro sit laus & gloria in sæcula sæculorum. Amen. Ioan.6.v. 9 & 19.

EIVSDEM ASTERII

Homilia in Festum Kalendarum.

DVo dies hesternus hodiernúsque festa coniungit inter sese minimè cognata aut congruentia, sed diuersa planè & contraria. Alterum enim proprium est multitudinis in exteriora intentæ, perque nundinationem vilem & illiberalem multum mammonæ argentum corradit; alterum autem verum Dei cultum purámque & criminis expertem vitam docet atque commendat. Quia verò complures, voluptatibus & occupationibus vanis antepositis, conuentui in Ecclesia concionique sacræ non interfuerunt, age nunc fatuam illam ac noxiam oblectationem, quasi phrenitim inter risum atque iocum necantem, eiicere ex animis conemur. In quo Salomonis quidem dicendi Prouerb. 5.6.& 7. cap.
modum & institutum opportunè mihi videor imitari posse: qui dum iuuentutem monet, ab intemperantiæ laqueis vt diligenter sibi caueat, quò plus roboris & neruorum orationi insit, personam intemperantiæ tribuit mulieri perditæ damnatæque vitæ, & omnem eius improbitatem velut marmori insculptam his, qui illecebris eius inescantur, ob oculos ponit. Quare & ego festi huius ab hominibus instituti vanitatem patefacere, eiúsque studiosos & amatores ab erroneo hoc studio deterrere atque auocare constitui. Hæc itaque publici festi lex est, primùm vt certus sit ac manifestus eius

copus, tum vt communis omnium lætitia; non vt aliqui in gaudio sint, cæteri in mœrore & luctu. Id enim bello magis quàm festo congruit, in quo necesse est victores exsultare, lætitiáque propter victoriam sese efferre; victos cladem suam atque calamitatem deplorare. Verùm enimverò, primum quem habeat finem [& originem] horum dierum celebritas, obscurum & incertum. Nam fabulæ quæ multæ narrantur, sese inuicem facilè subuertunt, ac veri planè nihil. Deinde cùm paucos admodum gaudij compotes, tum plures longè tristes animíque ægros video, quamquam læta serenáque fronte dolorem tegunt & obumbrant: omnia denique strepitu plena ac tumultu, turbámque mutuò sese impellentem. At est anni ineuntis læta quædam recordatio. Quàm læta quæso, bone vir? Ante omnia quidem congressus imaginem intuebor qualis sit, vt plena suspicionis ac minimè amica. Salutatio tenui inclinatáque voce profertur, succedítque osculum muneris initium, & suauium quidem pangitur, numisma autem expetitur, obtentúque charitatis auaritiæ litatur. Nam pura ac syncera amicitia humanitatis officia non vendit; gratis præstat & citra mercedem. Circumfertur itaque passim ac donatur auri magna copia, sine iusto aliquo vel specioso donationis titulo ac prætextu. Nuptiæ non sunt, nec superbientis ambitionem sponsi vocare potes. Nec est item quod eleemosynam sumptum eum appellemus, vnde nullum pauperibus commodum aut leuamentum: non etiam contractum, vbi mutuum non fit aut vlla permutatio: donationem multò minus, cui necessitas adhæret. Quemadmodum igitur & festum hoc & sumptus hos indigetabimus? equidem non reperio. Vos agedum indicate, qui colitis & celebratis: reddite rationem, sicut nos diuinarum feriarum, quæ verè feriæ & sunt & dici debent. Natalem enim celebramus, quòd eo tempore sese Deus in carne mortalibus ostendere cœpit. Luminum festum agitamus, quia per peccatorum remissionem tanquam ex obscuro prioris vitæ carcere lucidam ad vitam atque liberam eximus. Iam verò die Resurrectionis ornatiorem cultum assumimus, magnámque lætitiam præferimus, quod ea dies immortalitatem nobis ad meliorem feliciorémque statum manifestum reddit. Atque ita deinceps de cæteris. Ad summam, nulla res est humana, cuius non aliqua ratio reddi possit: & si quid fortè eiusmodi, quod rationem aut scopum non habet, meræ nugæ sunt. O rem ineptam & absurdam! Omnes alienum sperantes inhiantésque discurrunt & vagantur: qui munus dederunt, dolent: qui acceperunt, sibi non retinent aut seruant. Transmittitur enim ad alios, & quod quis à cliente donum accepit, eo suum ipse patronum aliquem muneratur. Fluxum & inconstans huius lucis aurum est, & quasi sphæra lusoria ab alio statim ad alium transit. Nouus hic munerandi modus, nouum cultus obsequiique genus cum indeprecabili pensitationis, siue tributi necessitate coniunctum. Nam maior & dignitate præstans ipsa vultus sui reuerentia mouet; minor petit, atque omnes tanquam gradibus in sinus potentiorum exhauriuntur. Quod in aquarum denique confluentibus accidit, hoc tempore videre est. Illic enim tenuis minutúsque riuulus, in alium maiorem influit, & hic alio rursus grandiore, & magis exundante absconditur: atque adeò minores multi riui coniuncti, vicini fluminis accessio fiunt: quod & ipsum dein alterius mage maioris, atque ita deinceps, dum extremum lato profundóque mari misceatur. Festum hoc non festum, & mendaci prorsus nomine plenum acerbitatis ac molestiæ: graue prodeuntibus in publicum, graue domi remanentibus. Viles enim de plebe homines, agyrtæ & ascenici præstigiatores in turmas discreti, nullis non domui clamoribus ac plausibus, velut fausta precantes, molestiam exhibent. Et circa ianuas quidem eorum qui tributa cogunt & exigunt pertinacius hærent, donec tandem qui intus obsidetur tædio molestiáque expugnatus, pecuniam proiiciat quam habet & quam non habet. Quin alterius ad fores accedunt, nec ante vesperam vlla mali remissio. Cœtus cœtum excipit, clamor clamorem, iactura iacturam. Egregium hoc festum, æris alieni causa ac fœnoris, paupertatis occasio, miseriarum initium. Si quis ob fortunarum tenuitatem fidem non habeat, quique mutuum det inueniat neminem, trahitur ac vexatur, vt ille qui foro cedens fiscum ac vectigalia regia deseruit, plorat perinde quasi bonorum proscriptione multetur: lamentatur, vt qui latronum in manus inciderit, custoditur, verberatur. Si pauxillum aliquid domi conditum in alimenra coniugis atque miserorum liberum; promitur id & proiicitur; ac sedet ille cum suis per festum hoc præclarum esuriens & omnium indiguus. Noua prauæ consuetudinis lex, molestias & affanias celebrare, pauperiem & indigentiam festum appellare. Hæc præterea dies simplicibus tenerisque pueris argenti cupiditatem & amorem instillat: hæc ab vna ad aliam transire domum docet cum munusculis ac fructibus autumnalibus argento compactis. Pro quibus duplum ipsum redditur; teneræque mentes ad nundinationes, quæstum illiberalem informari hinc incipiunt. Quid porrò sacrosanctis optimisque agricolis hac fieri die solet? Abstinere publico, vicósque & plateas vrbis fugere coguntur magis quàm retia lepores. Nam si qui deprehenduntur, verberantur, iniuria à temulentis adficiuntur, amittunt quæ in manibus, in pace pro hostibus habentur, subsannantur ac ludificantur, tam verbis quam factis, implenturque contumeliæ optimi nostri Prophetæ, malitiæ omnis expertes, simplices & candidæ Dei imagines, fidique in libertate vitæ nostræ serui ac ministri. Sic igitur homines dignirate præstantes, sic inopes, sic pueri, sic agrestes: alij vexantur, alij murmurant & fremunt, alij discunt quæ nescire pulchrum bonúmque foret. Videamus iam quid armatis militibus hoc festum prosit. Bonorum iacturam faciunt, luxationisque & vulnerum mercedem annonam ac cibaria promunt, & prodigunt cum graui morum disciplinæque damno. Condiscunt enim illiberales & inhonestas scenicorum artes ac studia, vnde mollities ac dissolutio morum, ludósque eiusmodi & iocos, qui legibus & principatui, quorum custodes constituti sunt, minus aduersantur. Summam potestatem risum iocúmque faciunt, currum, vt in scena, conscendunt, satellitia ficta creant, publicéque & palàm agitant quæ propria sunt mimorum & histrionum. Sed illa tamen pompæ augustiora, cætera quis enarret? Nonne velato ore in fœminam degenerat ille fortis, ille animo præstans, ille in armis suis admirabilis, hostibus formidabilis. Tunicam ad talos demittit, zonam pectori circumuoluit, calcementa muliebria sumit, & more fœminarum, capiti crobylum imponit: quin etiam cum lana colum circumfert, dextráque filum ducit, qua trophæum antè tulit, spiritumque & vocem in acutiorem & muliebrem sonum extenuat. Hæ celebritates huius vtilitatis: hæc hodierni festi publici commoda ac fructus. Consules etiam ipsi fama inclyti,

clyti,& ad fastidium humanarum dignitatum euecti per vanitatem opes exhauriunt,non modò sine fructu,sed & cum peccato; dicique verè potest, quàm sublimis eorum thronus, tam insignem esse dementiam. Cùm enim permultos capessere soleant honores, & amplissimas Regias Præfecturas obtinere, quamplurimum è qualibet exstruere opum student. Et hi quidem stipendium militare suum in commodum vertunt, illi iustitiam & veritatem pretio sæpius addicunt, alij thesauros gazamque regiam depeculantur, & omnia vndique nullo vel infami vel iniquo prætermisso lucro cum offensa Numinis coacernant; nunc autem præsident, aruumque congestum intra breue tempus in aurigas,tibicines,mimos saltatores, spadones distribuunt. Addo propudia mulierculanum, quæ corpus suum vel carnifici venale præbeant, bestiarios impuros, & ab omni spe derelictos, ipsásque belluas, quibus alendis auro opus, sumptúque in carnes aur mazam. Ista autem omnia non alia causa, quàm vt ipsorum nomina contractibus ac diplomatis præscribantur. O stultitiam! ô cæcitatem! Deus pollicetur, eorum qui pauperes alunt nomina libris viuentibus,immortalibus, incorruptibilibus inscripta iri, quos neque tineæ, neque tempus absument. Et hos tu libros non affectas, non rationem tantorum promissorum habes,non memoriæ diuinæ (qui liber ille viuus) inscribi,insigique studes; sed contra magnifacis à tabulariis exarari,à mangonibus prædicari,à vilibus adulatoribus excipi plausu, malus vtilitatis arbiter, ineptus & imperitus rerum æstimator. Quin potius pauperem iniuria affectum munerare, non musicum dissolutum: affice beneficio viduam pro scorto; mulierem decenter conclusam pro ea quæ se vulgat: inquire de virgine sancta Deo psallente, & sperne psaltriam inuerecundam ac palam cantu velut insidiis homines intemperantes captantem: fer opem pupillo, libera pauperem ære alieno ac fœnore, & gloriam perpetuam videbis. At tu loculos euacuas in turpem animi relaxationem, in risum indecorum & inconditum; neque consideras quàm multas pauperum lachrymas dones, per quas opes illæ tuæ conflatæ, quam multi in vincula coniecti verberatique fuerint, aut ad laqueum accesserint, vt tibi suppetat quod scenicis hodierno die largiaris. Et quis quæso finis? Vanitas. Post omnia tumulus exiguus, paucorum obolorum vestis corpusculum ambiens; ac paulò post necessarium temporis malum, obliuio, quæ cuncta, circa quæ sudaueris, tenebris inuoluat: sed & iudicium diuinum, & indeprecabilis mali propositi vindicta ac pœna. Vbinam Consules & fasces? Propone tibi ob oculos, & enumera qui heri, qui nudiustertius fuerunt: nónne hic quidem, vt facinorosus aliquis per repentinam armatæ multitudinis seditionem capite truncatus est, ostentatúsque maiore post necem pompa, quàm cùm in curru sublimis, & exsultabundus transueheretur? ille præter exercitus præfecturam eumdem adeptus honorem, in extremis Ægypti, Libyæque finibus, in locis arenosis & humoris omnis humanique cultus expertibus, damnationis supplicium fugiens, miserrimè extinctus est? Quid de eo dicamus, qui & ipse de numero Consulum atque Ducum exercitus in terra Colchide nunc degens, barbarorum humanitati vitam & spiritum debet? Præsidem autem illum rectorémque prouinciæ fortissimum & inuictum, vt existimabat, qualis vitæ catastrophe excipit. Primùm quidem filium suum vidit capite truncatum, & ipse postea capitali sententia damnatus est, laqueóque gulæ iam admoto, clementia Principis manibus carnificis exemptus est; vt quantulum ætati supererat, senex in dolore & calamitate sensúque malorum exigens, ac plenus dedecoris & ignominiæ, tali magni consulatus exitu vita decederet. Quid? quod anno superiore gigantea prorsus facinora atque etiam maiora molitus est, cuius sexus in dubium vocabatur, virgasque consulares affectauit, qui virgas heriles effugerat, ac tantum telluris possedit,quantum nec facilè nominaret, qui nunc exigua conditur humo, & quantulam ei non nemo miseratione motus impertiit. Non igitur verè iuxta sapientem illum Ecclesiastem hæc talia cuncta vanitas vanitatum, ac vel amplissimæ dignitates inania quædam visa & ostenta somniorum? quæ cùm ad breue tempus oblectarunt, pòst deinde diffugiunt & euanescunt: & cum aliquantum floruerint, subitò marcescunt. Sed nos hîc finem dicendi facientes, laudem & gloriam Seruatori tribuemus.

EIVSDEM ASTERII HOMILIA

In locum Euangelij secundùm Matthæum.

An liceat homini dimittere vxorem quacumque ex causa? Cap.19.

PRæclara Christianis & laboris amantibus duarum est harum copula ac conuersus dierum: Sabbati inquam & Dominicæ, quas tempus in orbem recurrens hebdomadis singulis reducit. Nam quasi matres aut nutrices Ecclesiæ & populum congregant, & sacerdotes ad docendum considere faciunt: atque adeò cum discipulos, tum Doctores ad animarum curam ducunt & impellunt. Mihi quidem auribus adhuc insonat hesterni diei concio, insidéntque memoriæ circa quæ tum laboratum fuit. Video crucem spiritu Prophetiæ Esa.63.v.3. ab Esaia fixam, ac vestimenta Domini quasi calcantis in torculari cruore tincta, atque Seruatorem ipsum dextra præmium præferentem. Video 3. Reg.5. Salomonem æquam iudicij trutinam librantem: v.24. miseret me debitoris Euangelici, qui lenitatem & clementiam qua Dominus erga ipsum fuerat vsus, in conseruum non adhibuit; sed per imprudentiam & inhumanitatem suam ipsius calamitatem instaurauit. In his enim capitibus die superiore proximo versabamur, vt omnes scitis qui non indiligenter animum aduertistis. Hodie etiam multa nobis præclara in mensa, quam videtis, Spiritus proposuit. Adieci autem animum ad garrulos istos ac tentatores Pharisæos; & improbitatis eorum vehementer misereor, quod ipsum Sapientiæ fontem suis interrogatiunculis circumuenire aggressi sunt, in contrariumque quæstiones eorum, vnigeniti diuinitate vertente, conatibus & ausis suis exciderunt. De quibus & Esaias hisce verbis vaticinari Esa.44. mihi videtur: *Conuertens sapientes retrorsum, & scientiam eorum stultitiam faciens, & appendens verba* v.25. *pueri sui.* Ac rursus Dauid: *Linguis suis dolosè agebant: iudica illos Deus, decidant à cogitationibus suis.* Psal 5.v.11. Veruntamen gratia eis esto, licèt aduersariis, quòd diuinam sapientiam ad edendum responsum excitarunt, nostrum vt in vsum hæc litteris ac memoriæ proderentur. Ecce enim matrimonium, id est res humanæ vitæ maxima, velut ad normam hîc dirigitur, finésque certi definiuntur eius & contrahendi & dissoluendi. Quibus diligenter vterque cœtus & sexus attendat, quo tum fœminæ,

 tum

Matth 19.

tum viri quæ propria cuiusque sint condiscant; *An liceat vero qualibet causa coniugem repudiare.* Hoc quidem Iudæorum problema. Scopum autem interrogationis hunc inuenio: Quoniam fœminæ faciliores ad credendum, & ad miracula Christi celebranda, fidémque de diuinitate eius amplectendam propensiores esse viderentur (vt & fuisse postremo patuit ex earum multitudine quæ Seruatorem, cùm ad supplicij locum duceretur, prosequuta est, & passionem eius miserabiliter defleuit) vt offensam & odium apud hunc sexum ei conciliarent, dolosam istam interrogationem & hæc verborum quasi retia fabricati sunt. Verum ille dolum sibi instructum vi diuinitatis animaduertens, & leuiora lenioráque docere & præcipere solitus, insidias eorum elusit, ac secundum mulieribus responsum dedit; atque ita Pharisæos quæstioni intentos inhiantésque tanquam lupos inanes, prædæque expertes ablegauit. Ipsa, ait creatio coniunctionis, non diuortij scopum ostendit; primúsque nuptiarum auspex & conciliator exstitit ipse Conditor vniuersi, qui & primos, quos finxerat, homines coniugali inter sese vinculo copulauit, & posteris velut perpetua quadam serie conuiuendi, cohabitandique necessitatem imposuit, legis instar diuinæ colendam & obseruandam. Qui autem nexu tam arcto iunguntur, non amplius duo sunt; verùm vna caro. Quare quod Deus coniunxit, homo ne separet. Hæc Pharisæis dicta tum fuere: audite iam vos mulierum institores, qui ceu vestes subinde eas mutatis, qui thalamos tam sæpè & facilè struitis quàm nundinarum tabernulas; qui dotem ac bona ducitis, coniuges ad quæstum ac negotiationem habetis, qui vel leuiter offensi libellum repudij conscribitis, multásque velut viduas in vita relinquitis. Existimate, & omnino vobis persuadete matrimonia morte tantùm & adulterio dirimi. Non enim, vt contubernia meretricia, quæ solam venantur voluptatem, paucorum numerus dierum terminat, itidem in iis sese res habet quæ ritè & ex lege fiunt; sed planè contrà, ô bone. Vna contrahitur corporis & animæ societas, vt & affectus affectibus commisceantur, & caro carni quodammodo colligetur. Quæ cùm ita sint, quomodo citra animi perturbationem abscindis? quomodo sine molestia, sine ægrimonia ab ea recedis, quam vitæ sociam, non vsurariam in breue tempus accepisti, quæ soror tua, quæ coniunx. Et soror quidem, creationis aspectu materiæque terrestris, ex qua compositi estis: coniunx autem propter matrimonij legitimam copulam atque coniunctionem. Duplex hoc vinculum legis & naturæ quemadmodum abrumpes? Pacta nuptialia ac sponsiones quomodo rescindes? Et quibus de pactis loqui me censes? an de his quibus scripta iam dote & ipse manu propria subscripsisti, & sigillum apposuisti tuum? Valida quidem illa sunt ac firmata satis: verùm ad vocem Adami me conuerto:

Genes. 2. v. 25. Matth. 19. v. 6. Marci 19. v. 9.

Genes 2. v. 23.

Hæc caro ex carnibus meis, hoc os ex ossibus meis: ipsa vocabitur vxor mea. Non de nihilo profecto vox ista memoriæ prodita; sed vt communis esset omnium confessio virorum fœminis, quæ viris per nuptias legitimè iunguntur, huius vnius ore prolata. Ac ne mireris vnius ex verbis cæteros obligari; quæcumque circa protoplastos illos initio acciderunt, in naturam posteris abierunt. Quare si mulier aliqua temerè repudiata, sumpto Geneseos libro, ad iudicem (iudicem eumdem ac testem) te pertraxerit, dic age quid respondebis? quî defugies eorum auctoritatem verborum, quæ per temetipsum coram Deo pronuntiata, quæque non vilis aliquis scriba, sed ipse Moyses litteris consignauit Dei famulus ac minister? Patris ac matris expertem mulierem Adamo Deus in manum tradidit, & vti bonus curator, pupillæ tutelæ prospexit. Ista parentis suæ defensione, his causæ suæ firmamentis aduersus ingratos infidósque maritos filiæ rectè etiam vtentur: nec vllo modo poteris vxorem habere despicatui, legibus & antiquitus diuinis & posterius humanis astrictus. Incutiant tibi pudorem vitæ commoditates quas vxor adfert. Membrum est, adiutrix est, vitæque socia & communium genitrix liberorum, in morbis opitulatrix, in calamitate solamen, domus custos, ac bonorum thesaurus. Eadem dolet, eadem gaudet; communes, si quæ sunt, possidet opes, rem tenuem & angustam sedulò sustentat, malóque paupertatis quantum potest occurrit ac resistit, laborem denique & molestiam educandis liberis propter consortium tuum ingentem subit. Si calamitas incidit, ille malis obtutus latet; amici qui censebantur, amicitiam fœlicitate metientes rebus aduersis sese subducunt; serui simul & Dominum & miserias fugiunt. Sola adhæret vxor ægræ partis membrum, & in malis serua ac ministra: hæc virum curat, hæc lachrymas abstergit, hæc plagis ac verberibus medetur, hæc in carcerem vsque comitatur, & si quis ingredi permiserit, libenter vna cum eo concluditur; sin id prohibetur, sicut familiaris hero catellus circa ianuam carceris manet. Nouimus ipsi * mulierem, quæ attonsa coma vestem virilem, eamque floridam, induit, vt ne virum fugientem latentémque deserere cogeretur. Ita cùm seruitutem seruire videatur, affectui verè seruit, in eóque vitæ genere compluribus perseuerauit annis, locum ex loco, solitudinem ex solitudine mutans. Talem etiam patientissimi Iobi coniugem fuisse reperimus. Deseruerunt eum omnes, vnáque cum opibus adulatores defluxerunt: amici ipsi rebus secundis amicitiam æstimantes cum fortuna mutarunt. Si qui remanserunt ac præstò fuere, eorum præsentia contumeliæ quàm officio proprior, augendæ magis ærumnæ quàm solatio fuit, quique consolari debuissent, coram eo lamentati sunt. Sola autem hæc primaria paulò antè & ornatissima fœmina nusquam à viro decessit, asseditque vel in sterquilinio, saniem & tabum abstergens, vermesque plagis educens; verè quidem illa vitæ socia, non fœlicitatis contubernalis; indiuiduæ cultrix amicitiæ, non assentatrix affectatrixque voluptatum, vnum denique de tanta fortuna ac tota cognatorum ac beneuolentium cohorte reliquum marito bonum. Ac proinde ex nimio coniugis amore in peccatum blasphemiæ prolapsa fuit: ac ne diutius ille conflictaretur, & ipsa continuis in doloribus eum videret, Deo maledicere & accelerare mortem suasit. Suæ nempe secura viduitatis ac solitudinis, vnum id cogitabat, quemadmodum è vita non vita maritus exiret. Hæc talia cum recente experientia memoria vetus aduersus eos adfert, qui erga coniuges iniurij sunt & iniqui. Quid porrò respondeat huius criminis reus? quam saltem speciosam leuitatis suæ defensionem proferat? Malum, ait, odiosumque mulieris ingenium, lingua temeraria ac præceps, mores à domo rebusque domesticis alieni, nec ipsa bona aut frugi rei familiaris administratrix. Sint hæc ita sanè: persuaderi adhuc mihi patior, & accipio vestra dicta, sicut vnus eorum iudicum qui parum exploratam aurem habent, ac facilè accusatorum insectationibus transuersi rapiuntur. Tu verò dic obsecro, cùm eam initio duceres, an nesciebas homini te coniungi? Hominem autem cum quis audit, non statim peccatum adhærere & consequi cogitat,

* De Sabina Iulij Sabini cõiuge refert Plut. in ἐρωτικῷ ex Cornel. Tacit. lib. 20. Hist. Pet. Victorius lib. 18. var. lect. cap. 15.

Iob. 2. v 7.

Deúmque

Deúmque solum culpæ & reprehensioni non obnoxium: Tu ipse nusquam peccas? non moribus & ingenio tuo molestiam vxori præbes? An omnis omnino purus & expers culpæ, matrimonij legem inuiolabiliter seruas? Quoties ipsa forsitã à temulento contumelia affecta est? Quàm multas & magnas iniurias, quàm indigna verba sustinuit? Quot & quanta tua vitia in obscuro sunt, quoniam vxor non reuelauit? Tolerauit illa temerè & sine causa irascentem atque debacchantem; & quamuis libera ac dignatione par, conticuit sicut ancilla de foro empta. Necessaria ad vitam, & victum vel inopia vel auaritia non suppeditanti, quamquam ægra animo non maledixit: nec redeuntem à symposio, vino onera um & insanientem, ebrietatis odio non admisit aut reiecit; sed cum venia ac lenitate, qualis humanitatem nostram decet, te suscepit, & reprimentem ac verberãtem ad lectum manuduxit, capútque ægrum ac meri vaporibus agitatum sedulò curauit: sola nimirũ tui miseria, cum famuli mentis ob errorem, & agitationem herum deriderent ac subsannarent. At tu passim in compitis & plateis oberrans, frigidis de causis vxorem tragicè turpitérque traducis, vt ad faciliorem cogitati repudij veniam & excusationem viam & aditum tibi munias. Duri, immites ac belluini id genus homines, veréque geniti quemadmodum fertur, è robore vel saxo, qui rebus omnibus obliuioni traditis æquo animo & absque sensu doloris segregantur. Quis autem ægrum sibi membrum curationis vicem abscindat, cùm & nullum ferè periculum, & medelæ magna spes & penè explorata? Exorta est in manu pustula, diligenter eam curamus: inflammatio pedi infesta, pharmaco tumorem cohibemus Quòd si prætermissa medicorum inspectione & cura quoties aliquid doluerit, ad ferrum & sectionem imus, exiguo sanè tempore membris nos ipsos omnibus mutilauerimus. Verum non eo modo, ô viri: estote memores membrorum vestrorum, flectant vos, & pudore quodammodò afficiãt obsequia ac ministeria mulierum; ac dum ira accensi fueritis, partus vnius dolores cum his quæ dolorem vobis faciunt contendite, multísque hæc partibus vinci comperietis. Considerentur, inque medium proferantur beneuolentiæ bona, morborum curationes, casuum omnium atque calamitatum societas, lachrymæ mariti causa fusæ. Veniat in mentem quòd parentes suos quòd domum vbi primùm lucem aspexit, propter te reliquerit, forísque venientem & externum sequuta sit: quòd fortè suarum aliquid recularum alienare non dubitauerit, vt eo molestiam atque morositatem viri redimeret. Hæc omnia affectum concilient, amorísque vinculum nectant, ac lubricum animum, velut marcidam domum, contineant atque confirment. Vincat misericordia, & consuetudo conuictúsque longi temporis ne calcetur, quæ faciunt vt etiam bruta animantia ægrè disiungantur. Vidi certè bouem, quòd aberrasset ab armento, solúsque sibi relictus esset, miserabiliter mugientem: pecudem item balantem, montésque percurrentem & saltus, dum ad gregem rediisset, à quo inter pascendum recesserat. Sed & caprea idem passa, quamquam in varios incidit greges, prætercurrit, nec antè cursum sistit quam vbi suum, cui assueuit, & gregem & caprarium reperit. Ne brutis igitur ipsis nos, qui rationis participes, duriores existamus, neque minoris vxorem faciamus, quam aliquẽ viæ comitem, aliúmve ex causa leui & subita leuiter nobis notum. Vides quemadmodum quos via publica iunxit, idémque tectum ad diuersorium aut vmbrosa per æstum meridianum arbor excepit, fortuitum occursum in occasionem amicitiæ rapiant, & cùm ad diuortia viarum peruenerint, non sine ægrimonia diuellantur, ac sublachrymantes & fixis alter in alterum oculis consistãt, symboláque mutua largiantur; vt progressi deinde paululùm rursus sese conuertant, reuocatísque fausta ac fœlicia apprecentur: vt denique breuis vsura temporis tam arctam iungat amicitiam, vt ægrè digredi cogendíque tantum non esse videantur. Et tu comparem ac vitæ sociam despicatui sic habes, vt vasculum amissum aut vile vestimentum per neglectum in via obliuioni traditum, catellúmve Meliteum qui domo clanculum se subduxit? Vbi simulatus, initio affectus? vbi tori societas atque communio? vbi legitimum vinculum & diuturnæ vis consuetudinis, quam & in naturam abire tum ratio dictat, tum experientia demonstrat? Faciliùs cuncta abrupisti quàm Samson hostium funes. Iudicum 15. v. 13. Atqui vir probus & in affectu constans vel demortuæ memoriam coniugis ægrè deponit, liberósque fouet ac diligit tanquam commune depositum matris ac naturæ, spirantémque in eis defunctam videre sibi videtur. Hic enim ex liberis maternæ similitudinem vocis præfert: ille de forma ac lineamentis plurimùm hausit: alius mores & ingenium parentis repræsentat. Atque ita pater multas habens & viuas & spirantes coniugis effigies, perpetui consortij connubiíque speciem animo suo informat, eóque nullã nouæ cogitationem voluptatis admittit: nec hodie qui tumulum coniugi fecit, post paulo thalamum adornat: aut à lachrymis ac suspiriis nuptialem ad choream iterum festinat: nõ vestem atram ac lugubrem festa sponsalíque stola permutat: non in calentem etiamnum à priore matrimonio lectum alteram inducit, aut nouercam, odiosum liberis nomen, adducit: sed turturum non illam quidem à ratione profectã sed insitam à natura sanctimoniam imitatur. Nam autem hanc ferunt, vbi semel à contubernali disiungitur, perpetuam colore viduitatem, & facere planè contra ac columbæ, quæ in polygamiam procliues. Hactenus quidem vapulet maritus, crebrísque densæ niuis instar ingratitudinis criminibus pulsetur. Quòd si fortè adulterij culpã obiicit; eámque diuortij rationẽ reddit, omnem statim accusationẽ à marito iniuria hac affecto in adulteram transferam, & pro hoste probus posthac illi defensor ac propugnator assistam. Laudabo eum qui fugiet insidiatricem, qui vinculum abrumpet, quod cũ aspidi, quod echidnæ copulauit. Huic enim primùm dat veniã ipse Conditor vniuersi, tanquam iusto dolore percito, meritóque domus pestem & exitium domo exigenti. Nam cùm duplici fine matrimonia contrahantur, beneuolentiæ & liberorum quærendorum, neutrũ in adulterio obtinetur. Nec enim affectui locus, vbi in alterum animus inclinat: ac sobolis omne decus & gratia perit, quando liberi confunduntur. Sed quæ pertinent ad hoc peccatum, in alia quæstione tractata fuerunt opportunè. Continentiam igitur & castitatẽ, quod est indissolubile matrimonij vinculũ, pars vtraque mihi cole. Hæc enim vbi colitur, ibi concordiam & mutuam beneuolentiam locum habere necesse est, quando vaga ac spuria cupiditate liber animus iusto legitimóq; totus amore occupatur. Hæc porrò continentiæ lex non fœminis tantùm, sed etiã viris à Deo lata est, qui tamen legislatoribus adhærentes humanis, per quos libidinari ipsis licet, seueri quidem iudices sunt, & arbitri castitatis muliebris, ipsi verò cum summa impudentia in plures insaniunt, &, iuxta Prouerbium,

bium, aliorum medici infinitis vlceribus scatent. Et si quis eos horum flagitiorum arguit, lepidam & iocularem defensionem adhibent. Viri, inquiunt, etiamsi plures ad fœminas accesserint, nullum domui familiæque damnum inferunt: at mulieres vbi peccant, externos heredes in domos ac familias inducunt. Verùm audiant tam stolidæ sententiæ auctores, ac discant, per ipsos quoque domos alienas euerti. Fœminæ enim eæ, quibuscum consuetudinem habent, aliquorum vel filiæ vel vxores omnino sunt: & inuenietur aut matrimonium insidiis petitum, aut pater iniuria affectus; qui postquã susceperat, eduxerat, virginémque perductum ad thalamum sperauerat, omni spe & expectatione per istos pudicitiæ prædones deturbatur. Quòd si iam pater est qui flagitia hæc patrat, cogitet atque consideret, quid animi sit patri sic deluso: si maritus, sibi illatam eam iniuriam reputet. Nam ita demum benè præclaréque se res habent, si de aliis quisque statuit, quod euenire sibi velit. Siqui autẽ Romanis auscultantes legibus, permissam esse scortationem & crimine vacare existimãt, grauem sane errorem errant, ignorántque, leges diuinas ab humanis dogmatibus nimium quantum desidere. Audi Moysem Dei voluntatem annunciantem grauésque & amaras aduersus scortatores sententias pronunciantem. Audi Paulum dicentem: *Scortatores, & adulteros iudicabit Deus.* Alij isti nil quidquam ad salutem tibi proderunt tempore retributionis; sed ipsi trepidantes æstuantésque mente vix constabunt: insipiens & indoctus deprehendetur legũ ille architectus Plato, cum graui illa orationis suæ facultate ac robore contra omnes legum latores vim suam efferente: cùm ad pœnam distrahi videbunt eos, quibus ipsi scortandi licentiam indulserunt. Nam omnino qui non vetuerunt, aliena sibi peccata asciuerunt, & gemino obnoxij crimini inuenietur, quòd & ipsi sibi non temperarint, & aliis passim peccare permiserint. Qui igitur cum vxoribus viuere volunt modestis & bene moratis, ipsi suos mores ita componant, vt coniugibus institutioni disciplinæque sint, hæque domesticis ad virtutem exemplis excitentur.

Heb 13.v.4.

ASTERII AMASEÆ EPISCOPI, Sermo in Danielem Prophetam & Susannam.

NVnquam doni superefluentia diues, Spiritus gratia, sua, quando, ac quibus velit, exhibere cessat. Tanquam enim fluuius *aquis* plenus *salientibus in vitam*, secus omninò ac visibilia hæc terram irrigãtia flumina, emissiones virtutis subministratas habet. Neque enim, vti quandoque illa, eã profluens aqua deficit; neque illorum more, incrementa vel decrementa admittit; neque pro eorum ratione, hanc ac illam partem allambit; quin etiam abundat semper, ac omnibus sufficit, inque eos effluens qui plenitudinis sunt participes, nihil minus plena consistit: sed & ita vberem habens gratiam, pro etiã ætatũ modo distribui ac diuidi nescit. Neque enim quæ sunt immensa, pro corporum molis ratione mensurari possunt, sed animi ingenuitatis ac puritatis socia, pariter elucẽt ac produntur. Quocirca, nuncquidem cum Samuële nuper latente versatur, nunc verò Dauidẽ ab ipsis assumit gregibus ouium: ac fratribus præfert, quibus ille ceu immaturiori ætate, contemptus videbatur alium ab aratro assumens, vnctione initiat; postq; illos, nobis nunc in argumenti partem propositum, beatum ac planè

Ioan.4.v.14

Gratiæ amplitudo quanta.

1.Reg.3.

1.Reg.16 v.11.

1.Reg.19. v.19.

sapientem Danielem, tenerum adhuc, ac valde iuuenem, seniorum iudicem, ac Prophetam creat. Quanquam enim ille, res erat grauis illius captiuitatis, ac patriæ loco Babylonem habebat, videbaturque ab immatura ætate despectior, atque à tot malis fiducia carens: quòd tamen virtute præditus esset, fuissetque prima statim adolescẽte ætate philosophia eruditus, ac omnino forti ac constanti polleret, in ipso ætatis flore, senum illorum ac perfectorum redargutio ac iudex effectus est. Cæterũ modicùm quid si lubet, sermonem ad principium reducentes, videamus vt Deo amicum esse, sublimem ac beatum præstet.

Qualis Dan. inter captiuos.

Capta penitus, ac bello expugnata ab Assyriis ciuitate Ierusalem, Hebræorum per id tempus populi Babylonem translati sunt. Porrò, inter iuuenum captiuorũ turmas, beatus quoque Daniel vnus fuit, agebatque in terra hostiũ cõtemptibilis puer, afflicti populi exigua quædã ac multesima appendix, qui neque haberet quo apud sui generis homines clarus esset, nec apud hostes iustum belli spolium videretur; obscurus; inglorius; ætatis ac calamitatis præiudicio quem solus probe vidẽs oculus ille perspiceret. Solus quippe Deus purũ adolescentis cernebat animum, margariti instar marinis ostreis implexum, aut sicut aurum in terræ sinu repositum; vẽ que ornatam sponsam arcanioris thalami abditam velo. Vbi autem opportunum appetit tẽpus, oportuitque vt qui delitescebat, in palã proferretur; vt obscurus ille, notus euaderet; vt contemptus, conspicuus fieret; vt denique, qui in calamitatis tenebris absconditus fuerat, claritatẽ acciperet? modico diuini Spiritu afflatu atque illapsu, humilis ille, vniuersis sublimor euadit; sapiens, qui nec os aperire posse: ocultorum redargutio; iudicum iudex, homo rudis: sublimi solio sedens, qui neque tribunalium vnquam minister fuisset: iuuenis castitatem calumnia appetitam vlciscens; conuertens errantem populum; malè latam ciuitatis vniuersæ calculo sententiam reuocans. Audistis enim recitatam modò lectionẽ omninóque rei miraculũ suspẽsos animos tenet. Ego quoque iis omissis quæ libri alij habent si qua nobis psalmi coniuncta voluptate vtiliter modulati sunt, si qua Apostolus cõsilio suggessit; si qua Dominus pro potestate in Euangeliis sanxit, huic potissimũ narrationi animũ adieci. Video nãque duplicem cõmendari iuuentutem, alterã quidẽ ferendo, alteram sustinendo sententiam: ac Danielẽ quidem, pro lata ritè sententia plausum habere ac adgratulationem: Susannã verò pro victoria castitatis obtinere coronam. Venite itaque qui pulchrorum ac virtutis amantes estis: antiquum illud memoria instauremus iudicium. Veteri castitate, nouam in præsenti exscindamus incontinentiam, traducentes iuuenilem senectutem, ac canã admirantes iuuentutẽ. O scelesti senes ac populi principes, innumeros ad emendationem necessarios habentes pædagogos! legitimo fœdere iunctarũm nuptiarũ insidiatores: maligni castitatis aucupes: subtiles dolorum instructores: calumniæ prompti inuentores. Scortationem labiorum tenus damnatis, & adornatis adulterium: aliorum medici, pleniq; ipsi morbo. *Sepulchra dealbata*, intus immundicia plena, externa verò superficie, ornata sublimes, ac in iudiciũ sedibus præsidentes: tumq; cùm scortari voluistis, inter arbustorũ densa, ac dumeta adrepentes. Risit cùm videret præuaricationum doctor, ac malorũ cõsiliarius, vt principes populi; vt viri proceres ac delecti, ceu sepulchrorũ effossores quidã ac latrones, ĩpudico recreãd spectaculo, vẽtrẽ traheretis, vulpiũq; more latitaretis inter dumeta;

Matth.13. v.27.

dumeta; quæ nimirum è nemorosis ac vmbrosis locis, domesticis insidiantes auibus, in eas, dum incaurè pascuntur, insiliant. O similem illi malitiam, quam humanorum illa animorum lues, à principio in finem vsque molitur! in horto primùm corruit sublimis homo; nunc quoque in horto, viri senes à serpente acti, à primâ illâ ac principali gloriâ excidunt: quique iudices erant, præiudicio damnati fiunt, alieni à vitâ, ac operarij peccati. Cæterùm hoc certamine, vicit quidem viros, victoriæ autem palmam concessit fœminæ, nec grimæ hominis leuitatem illam, in Babylonis adolescentulâ inuenit. Ac meritò dicat aliquis, haudquaquam Babylonem confusionem propter Susannam esse, sed mandatorum Dei obseruationem, ac castitatis custodiam: virili pectore mulieris ciuitatem, lætæ pro victoriâ festiuitatis locum.

Babylon haud confusio à Susannâ.

Hanc ego, vt intermedia tantùm excipias tempora, cum casto Ioseph virtutis similitudine compono. Sisto autem honestam fœminam, secus castū virum: Deo amicam, secus filium Israël: vnam ambobus ac eandem pro castitate impono coronam, victorúmque pedibus, deuictos substerno; Ioseph quidem, impudicam Ægyptiam; serui liberi, heram, Susannæ verò, infames senes. Castitatis eos institutores constituo; hanc quidem, muliebris, illum autem, virorum iuuentutis: orbis terrarum luminaria; resurrectionis flores, adulterorum Iudices; legitimarum nuptiarum custodes. Interim verò, in sacrâ duntaxat fœminâ, nostra versetur oratio. Nunc enim castus ille Ioseph extra argumentum ac castitatis parenthesis est.

Breuis cum Iosepho cōparatio.

Vbi enim senes, quod quidem arbitrabantur, intra retia venationem tenentes, exque insidiis, ceu mox capturi, irruentes, nihil pulcherrimam certiam pauidam inuenerunt, sed illis pariter ac fabulæ auctori draconi resistentem: (Porrò ferunt ceruum animal esse serpentibus noxium: Pulchrè verò inuenit sermo animalis imaginem:) vbi, inquam, obsecrarunt, nec fuerunt auditi; comminati sunt, nec perterruerunt: deinceps iam, malo œstro perciti homines, consilij inopes fiunt, ac vtrinque duobus maximis anguntur, quòd sunt fraudati desiderio, quódque sceleris argui possint. Sunt autem calumniam scelesta capita, ac mali solutionem, aliud excogitant malum, velamenque mœchiæ, necem instruunt. Peccator enim, postquam in prima delicta inciderit, ceu fune, primo peccato, reliquas consequenter iniquitates attrahit: ac verò, bona bonis oriuntur; malis autem, procreantur similia. Quocirca nunc quoque, adulterij fructus, cædes subgerminat, citóque, ceu pro magno fœminæ scelere, Concilium sedet, ac multitudo iudicium spectatura, in concionem vocatur. Porrò, iidem ipsi accusatores, ac iudices erant; fidemque, calumniam struens canities, habebat: iuuentus autem calumniam patiens, ab obtinente opinione præiudicium ferebat. Ad hæc excitatus populus, idque patiens, quod ab stolido impetu populus pati solet, errore indignabatur, senúmque impetum vnà sequebatur. Reæ actæ fœminæ parentes lamētabantur: lugebat maritus tristem casum; filij hinc inde matri in periculo versanti hærentes, lugubre quod vociferabantur; genus vniuersum præ pudore abscondebatur. Præclari autem illi iudices, ac castitatis vindices, honestè pallio obtectam: Neque enim vel in malorum confusione sui ipsa obliuiscebatur, honestatis habitum haben; honesto eiusmodi tegumento nudari iussere, quò pro mœchiæ tribunali, mœchiam operantes, iudicandæ mulieris adspectu turpem cupiditatem sedarent: sed & manus capiti imponentes, prolatæ symbolo damnationis, mundum illud corpus, impudici homines contractu polluebant; ac contra eam, belli veritatis præsides, falsum pro concione orabant.

Ceruus serpentibus noxius.

Prouerb. 5. v. 19.

Pulchra sententia.

Vbi porrò persuaso populo, iam sententia lata esset, ac pœna instaret, tunc calumniam passa mulier ad iudicium illum Iudicem adspexit: Causæ remissionem ab hominibus in Deum transtulit, Inuocauit tribunal illud quod falli nequit; nec veritas quicquam tardauit. Tu mihi iam quoque, ô beate Daniel, quâ tunc ratione a Spiritu excitatus es, in sermone exurge. Dic tu etiam: *Innocens ego à sanguine huius*, quomodo postea Pilatus aduersus furentes Hebræos. Voca iterum ad iudiciū populum: incipe litem malè absolutam: reorum loco statue falsi nominis iudices: commutetur præsidum ordo, videátque mulier viros senes, quâ ipsa paulò ante ratione vrbi spectaculo fuit. Tu captiuus, ciues iudica; hospes viros indigenas; iuuenis, veteres. Commoda sacrum os Spiritui: Non enim *habes labia immunda*, vti se Isaias despiciens, ait; neque vno de Seraphim, aut purgatorio carbone indiges. Prudenter separa falsos iudices, vt ne tuis quoque interrogationibus, vti mulieri in horto, consensione insiliant. Nam, & illud prudenter intelligamus, quo ter beatus puer verborum tenore sit orsus sermonem: *Inueterate dierum malorum: Nunc venerunt peccata tua quæ faciebas prius*, condemnans quidem insontes, absoluens verò reos. O miraculum, magnámque Spiritûs libertatem! *Vbi enim Spiritus erat, illic libertas.* Videtis enim, vt neque in ipso exordio timeat: sed vt in ima ipsa conscientiæ intendens, ac animos senum peccatorum apothecas videns, testes quidem ac probationes non quærat; duriùs autem per contumeliam appellet, vt qui Propheta, sententiam scriptā, in pectore haberet. Ac quidem quod spectat ad ipsum, nec quicquam dixisset; sed nullâ morâ abduci iussisset: quia tamen suadendus erat insipiens populus, leuesque iudices, qui ex actorum potius canis, quàm ex veritate sanxissent, etiam seorsim positis interrogationis adhibet probationem, exque dissonâ responsione mendacium arguit: ac latâ sententiâ, non carnificibus tradit reos, sed vltores Angelos aduersus eos accersit: sic nimirum, eóque cumulo Sanctorum prouexit dignitas, vt & Virtutes inuisibiles illis obsequio ac ministræ adsint.

Daniel. 13. v. 46.

Isai. 6. v. 5.

Daniel. 13. v. 52.

2. Cor. 3. v. 17.

Daniel, Angelis senes puniendos tradit.

Quænam verò deinceps facta sunt scelestis senibus? Mutato iudicio, cùm veterum iniquitatum, tum recentis peccati pœnas morte daturi; tota verò Babylon gestarum rerum miraculum, ac rem sic nouam in ore habens, Deum canticis celebrabant, qui latentium fabularum notitiam in publicum fecisset. Porrò Helcias receptâ filiâ, totus animo renouatus est; Ioachim festum victoriæ diē cecinit pro vxore: filij, veræ illius ac castæ pignora vultibus blandè ad risum compositis, circa matrem gestiebant, flebilisque ille luctus totus in lætitiā cessit. Vos autem, Christi populus, piissimâ ac salubri audita narratione, ne negligenter auditā prætereatis: quinimò doctrinæ ac exercitationis vitæ argumentū sermonem assumatis. Vos fœminæ, æmulamini Susannam: Sic viris castitatē seruate, vti suo illa seruauit; maluitque pati, ac adire pericula, quàm mœchiâ Deum prouocare; viro probrum facere; domo ac familias perdere; dubias proles facere. Vos senes, vt qui tales senes sint, odio habete: Magistratus, iniquorum iudicum finem timete: Iuuenes, æqualem vobis Iuuenem

Ethicum.

Iuuenem imitamini, quò sic omni ætate in bonorum formatâ typum, Ecclesiæ cœtus omnis sanctus ac probatus efficiatur, in Christo Saluatore nostro; quem decet gloria, potestas, honor, cum Patre coæterno, sanctissimóque ac viuifico Spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

ASTERII AMASEÆ EPISCOPI, *In cœcum à natiuitate.*

Ex R. P. Iac. Sirmundi Societ. Iesu autographo multis emẽdato ex Seguieriano Codice.

AVdiuimus modò, diuina plane ac sublimia argumenta tonitrui filij Ioannis, ceu potiùs Spiritus sancti, qui eundem ex piscatore ac manuali artifice scriptorem ac oratorem effecit. Quippè multam nobis ac prolixam enarrarunt Domini disputationem; quâ is, ab Hebræorum cogitatâ monarchiâ animos abducens, contumacem ac incredulum populum diuina Patris ac Filij scientia, erudiret: portam eis gratiæ à legali traditione aperiens, sensimque, à veteri, ad nouum testamentum, velut olim à deserto ad diuitem illam ac frugibus vberem terram, ducens. Cæterùm dum is variè prææternam suam existentiam, ac Patri semper coniunctam, probat, ac disertè cœcis inclama; Esse se ante Abraham; nihil illi sermonis perspecta virtute, nullâque scitâ contradictione, quod dictum improbabant, coarguentes, verborum loco ad lapides confugiebant, ac diu ante crucem, manus homicidas ad cædem exercebant. Cui verò vbique constitutum esset, vt ad contumeliosum ac blasphemum populum longanimiter haberet, eorum declinauit iram atque tumultum, non humili, sed diuina quadam fugiens ratione: qui medius stans, ac cùm palparetur, non cerneretur, versansque cum ira tumentibus, non videretur. Steterunt verò illi attoniti, animi quidem proposito in cædem intenti, haud tamen inuenientes qua ratione iram explerent; nihil venatoribus imperitis absimiles, qui præmaturiùs suscitatâ ac submotâ prædâ, suffugiente ceruo in locum aliquem, ac clanculum egresso, temerè per saltum errant, molestum onus retia ferentes, frustraque secum catulo trahentes.

Ioan 8. v. 58. Pulchrum simile.

Equidem verò, quanquam alioqui sum malus seruus, id tamen necdum oblitus sum, esse me seruum, quique pro domino aduersus iniuriosos habeam insurgere. Quamobrem etiam clamabo in Hebræos, tanquam hodie præsentes, ac furore actos: Ergóne scelesti, lapidibus beneficum appetitis? Quis enim vos, è petra potauit? Appetitis eum lapidibus, qui lapideis tabulis insculptâ lege, viam vestram formauit? Appetitis, inquam, lapidem electum, pretiosum, quem Isaias prædixit? Appetitis spiritalem lapidem, nulla hominis manu, è prærupta petra, iuxta quod docuit admirabilis Daniel, abscissum? Appetitis lapidibus summum angularem lapidem, qui parietes duos noui ac veteris testamenti committit? Tametsi enim non creditis potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ: hoc est, acceptabilem Christo populum, ex Gentibus ac præputio congregare: in quo etiam promissionem suscepit Abraham, dicente ei Deo, fore in eo benedicendas omnes Gentes. Arcana enim Deus scientia futurum præuidens, omnes in posterum credituros, fidei duci ac principi in filiorum sortem attribuit. Ex tunc enim contuebatur Hebræorum populi seditionem, ac videbat lapides, falsique nominis filios abdicatis accensebat. Cùm autem sermone veritatem annuncians, haudquaquam persuaderet pietatem: tametsi aderat abscondebatur; ac apparens non videbatur, quò tali miraculo admittere cogeret, esse ipsum Christum, ac Deum parente Abraham seniorem. Audite, ergo, inquit, ô verè cœci ac stulti: Quisnam iste, qui & versatur vobiscum, nec tamen videtur: num fortè ille est qui ad Moysen loquens, minimè conspiciebatur, ac tamen apparebat? Nam tunc quoque videbatur ignis ac rubus, ambo muta; nihilominusque audiebatur vox, ac sermo erudiebat, certóque, quod futurum erat prænunciabatur: sicque virorum prudentum, vt personam ex rerum cognatione intelligitis.

Dan. 2. v. 45. 1 Pet. 2. v. 6. Math. 3. v. 9 Genes. 18. v. 18. Exod 3. v. 4.

Cùm sic autem alienè à ratione ac stultè Hebræi haberent, Dominus noster ac Saluator, velut sedulus quidam ac sapiens Medicus, non cedente morbo ad primum experimentum, modum alium curationis aggreditur. Statuit verò vt mente cœcos, Cœco curet; qui obuius inuentus esset, non accidenti aliqua læsione cœcitatem passus, sed naturæ vitio; sic nimirum ex vtero in lucem productus.

Exod. 17. v. 6. Exod 34. v. 1.

Hominem porrò conspicatus, stetit, præstoque ad curationem fuit: curationem vtique humana maiorem ratione & arte. Quippe ars medica ac eius ratio, eorum morborum contemplationem tradit, qui iam à natura perfecto animali ac in lucem edito, casu postmodum aliquo accidunt: congeniti autem corpori vitij, minimè curationem promittit: at neque vniuersim morborum, si qui deinceps acciderunt: cuius rei abundè testes sunt mutilati homines, quibus nemo Medicorum, membrorum priuationem farciuit. Quamobrem etiam discipuli, morbum miserantes, videntesque hominem qui lucis iucundissimam voluptatem nequidem vnquam gustasset, curiosiùs inquirentes ærumnæ causam, Dominum, interrogabant; haud scitè admodum, num ob propriam culpam, an propter parentum delicta, sic affecto corpore in lucẽ productus esset. Vtrinque autem percõtatio reprehensionem habet: neque enim filius, nullius ipse reus, pro parentibus reprobatus esset: 1 cùm Deus non puniat alium pro alio: neque verò suorum ille criminum pœnas daret qui necdum in vitam processisset, siquidem ita cœcus natus erat. Nemo siquidem necdum natus peccator est. Ipsa quidem interrogatio haud valde probata est. Videamus verò vt Veritas, Dominus noster ita percontantibus responderit. Morbus iste, ô discipuli, minimè gentium, peccatorum retributio est, sed futuræ dispensationis præparatio, quò is, qui communis habetur homo, maiora homine operetur: vtque vniuersorum auctor, post primam creationem, nunc quoque opificij argumenta inueniat: atque ex particularibus, vniuersis fidem astruat: ac denique durus populus intrabilisque, adorare persuadeatur abiectis lapidibus. Illuminentur ergo oculi non videntes, vt iustitiæ Sol animos insipientium illustret. Fiat res noua, ac creentur oculi, quo nouerint seditiosi, vt quem dicunt Iosephi Filium, verè fabri filius esset, potuisse quidem confractum currum reficere, aut ligna à iunctura disiuncta conserere, seu etiam fractam trabem fulcire; vel item asperos asseres complanare, aut omninò illa præstare, quæ pater artifex pro artis ratione ac instituti filium doceat; vt tamen partem hominis, eámque pulcherrimam, nempe oculum, sic maximè à natura elaboratum, nemo alius, quàm qui à principio in naturam potestatem habet, condere potuerit.

Nemo pœnas dat, eorum quæ peccauerit antequam nasceretur.

Cœcitas viri permissa ceu argumento astruendæ Christi diuinitatis.

Sanè, vt quis attentè humanis membris animum adijcere velit, in hac maximè parte corporis omnipotentem

potentem ac variam Dei ſapientiam, tantam artis magnificētiam in tantillo membri ambitu exhibentis, perſpexerit. Nam primò quidem affuſam habet quandam gratiam, éſtque tenerrimus, ac carne vacans, vt ita dicam; in delicata ſubſtantia duritiem habens, inque molli contentionem quandam; ac variis coloribus illuſtriùs interfloret. Eius itaque meditullium, nigri delineationem habet: eámque non eiuſdem per totum rationis, ſed variis quibuſdam circulis commiſſam: centro quidem ac meditullio nigriori: exteriori autem circunflexu paulatim in flauiorem deſinente tincturam. Eam foris munit album, ſplendidum illud ac pellucidum; haud tamen ſummè ac nulla temperatione candidum, ſed vitrea quadam ac pellucida ſpecie formatum. Rubeus color circa pupillam affuſus eſt, vt albo ac nigro contemperet gratiam. Ad hæc autem ſic in denſo pellucidus eſt atque leuis, vt & propiùs accedentium formas exprimat, ac velut egregium ſpeculum, eorum quibuſcum ſermonem miſcemus, figuras repræſentet: quamobrem etiam eius circuli ſummè medium centrum, pupilla appellatum fuit, humanam ſemper exhibens ſpeciem, vt quis è regione aſpexerit. Vt enim nequit fieri, vt quis aſpectans in ſpeculum, non ſtatim ſuam in materia figuram adumbret, ſic neque, vt quis aduerſo vultu alteri conſiſtens, non ſuam formam oculo appingat. Sese ergo homines inuicem aſpicientes, ſibi mutuo ſpecula efficiuntur.

Pulchra oculi deſcriptio.

Cignus itaque in creatis admiratione oculus. Is enim Deum quoque mihi exponit, qui totam accuratè creaturam perficiat, exque operatione artificem oſtendat. Hic, ex iis quæ viſibilia ſunt, inuiſibilia animæ explicat. Per eum Solis habeo notitiam, ac cæli ornatum noui, luſtróque ſtellarum pulchritudinem, & terræ baſim, ac maris naturam: diuerſa ſemina arborúmque varietatem, ac colorum variam tincturam: tenebrarum triſtem faciem, ac lucis ſplendorem: omnia denique ſi qua laudauit Deus conditor. Atque adeò, niſi eſſet oculus, creatorum vniuerſitas ſine teſte ſenuiſſet, cùm nullus Dei ſapientiam ac virtutem, quæ in ea elucet, aſpecturus eſſet.

Oculi præſtantia ac vtilitas.

Gen. 1. v. 31.

Ob eam ergo mirabilem viſus ſtructuram, nunc quoque oculi ceu ex temporanea molitione conditi ſunt, quò abiectiores de Vnigenito cogitationes ex carnis nobis humilitate accedentes, ſubmoueamus; ex geſtorum magnificentia anguſtam omnem abiectámque opinionem ab animo eiicientes; ſciamúſque, beatum Deitatis lumen ac pulchritudinem, vas teſteum aſſumpſiſſe; quod nobis lucernæ inſtar ſplendorem ſubminiſtret. Omninò autem, ipſe per ſe Dominus curat; nec ſolo ſermone ad opus vtitur, qui rerum ornatum vniuerſum præcepto produxiſſet: qui duobus verbulis, membris ſolutum hominem curaſſet; quin & ore, & manibus, omnique alia prouidentia cœcitatem curat, quò certam ex rebus fidem incredulis faciat. Spuit in terram, exque ſputo lutum facit. Nimirùm idcircò ad curandum terram adhibens, quò oſtendat, ex eodem ſe luto, ex quo primitùs totum animal formatum fuiſſet, nunc quoque reliquum membrum condere. Saliua autem illud ſarcit, ac diſſipatum expérſque glutinis continet puluerem, quò nobis perſpicuè oſtendat, omnia Verbum virtute oris ſui peregiſſe: Nam; *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.*

Pſ. 148. v. 5.

Ioan. 5. v. 8.

Ioan. 9. v. 6.

Cur ſaliua ac lutum in Cœci curatione.

Pſa. 32. v. 6.

Fortè autem idcircò etiam ſpuendo curat, quò eos ad metum compungat, qui breui poſt expuendo iniuriam facturi erant. Nec ſic tamen furentium inflexit audaciam; quin fuit multis oblitus ſputis, qui ſputo rem eiuſmodi geſſiſſet. Primi ordinis creatricem virtutem in eum modum oſtendit. Ac quidem iubendo lauari in piſcina Siloë, futuram nobis ſalutem per aquam innuit, quam Miſſus Siloë vniuerſis conceſſit. Tunc enim benè videmus, cùm aqua myſtica mundati fuerimus. Tunc nos gratiæ lumen circunfulget, cùm baptiſmi virtus, peccatorum ſordes maculáſque eluerit. Quotquot verò iubente Siloë lauamur, ſpiritale videmus lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in mundum. O miraculum, ac vim magnam! Diſceſſit è piſcina qui paulò ante cœcus erat, ornata facie oculorum auctario, Solis probè radium videns. Vicinos ac notos res tanta in ſtuporem vertebat. Turbabat ſane noua curationis ratio. Circuibat vrbem homo videns, quò nouum ac mirabile factum opus omnes viderent, à Ieſu nato in Bethleem; à puſillo illo infante, pannis inuoluto in præſepio. Hæc enim Iudæos morabantur, vt ne Deitati crederent.

Ratio alia n oralior.

Quid velit imperata lotio in Siloë.

Ioan. 1. v. 9.

Ergo ſtulti ac tardi corde: conſiderate animo quotquot à ſæculo fuerunt homines: Incipientes ab Adam omnes deinceps inueſtigate, num quod modò factum eſt, ſub aliis quoque factum reperiatis? num ſæculum, curationis eiuſmodi exemplo illuſtre occurrat? rursúmque ad iriſionem Domini mei, proferte fabri Filium, cuius ſciatis fratres, cuius domum ac familiam noueritis. Studentes humilia omnia percenſere, multam veſtram profundite incredulitatem. Quod ſi rem eiuſmodi nec quiſquam patrauit homo, neque ætas vlla tale quid narratum audiuit, veſtram ipſi damnantes inſcitiam, ad veritatem deinceps reſpicite. Vos quoque lauamini in Siloë, vt ne in veſtra moriamini cœcitate.

Matth. 13. v. 55.

Enimuerò nihil illi quod operæ pretium eſſet. Non ſermo erudiebat: non docebat actio: non miraculorum virtus flectebat: contra autem per improbam arrogantiam ſexcentis modis obſcurare omnia ac irridere tentabant. Porrò eis in contrarium verſutia cedebat. Quò enim magis erant increduli, aliique ac aliis interrogationibus rem demoliri ſtudebant, eò amplius veritas confirmabatur: idemque eis, atque beſtiis illis accidebat, quæ ab aliquo vulneratæ, necdúmque tota cuſpide ventri infixa, quo in hominem irruunt impetu, ſibi ipſa totum adigunt ferrum.

Scitum ſimile.

Quod primum curioſè quærunt, hoc eſt: Sitne hic ipſe Cœcus, nec eius loco alius proditus ſit: cùm ſe palam homo ipſum conteſtaretur, ac totam curationis ſeriem enarraret, vt & luto oblitum ſit cœcitatis remedium; vtque piſcina lutum abluens, viſum præbuerit. Hæc vicini curioſiùs indagabant, diſcebántque; requirebant Phariſæi, " atque credebant.

Prima Phariſæorum ſtrues in Cœci miraculum.

Fortè: nec Al tera.

Strues altera aſſumebatur ad conuellendum quod factum eſſet, vt oſtendere conarentur non eſſe Chriſtum, qui curaſſet. Quia verò homo ſoſpitatorem clamabat, ſuáque confeſſione ac prædicatione, gratias rependebat, ac beneficium prodebat, obturatis oribus, ac animo perplexi, nec habentes quid agerent, ad morbi rurſus inquiſitionem recurrunt: diligenter ſcrutantur, ſitne is Cœcus à natiuitate, hominiſque parentes conſulunt, ac ſingula accuratiùs exigunt, non vt rem geſtam confirment, ſed vt quouis modo labefactandi miraculi anſam arripiant, falſique aliquid commenti moliantur, quo fidelem plebem à ſtudio auertant. O excellentem malitiam! Depugnare contra veritatem; nec adorare omnium conditorem; ſed bene-

fico detrahere: non admirari potentiam, sed conari gesta eleuare. Credite vel parentibus, ô Pharisæi, sic natum esse cæcum hominem; rursumque ad Cœcum recurrite, secundóque, ac tertiò, certò ab eo docendi malos conatus ac insidias. Vbi verò primus conatus non successerit, ad secundum procedite: Vbi nec secundus, ad tertium: vbi nec tertius, deinceps ad quartum. Astutæ vulpis cursus versate: ac quidem omni vos parte ceu indagine cingunt veritatis retia; nec fieri potest, vt à miraculo exitum inueniatis. Enimuerò nullam omittite strophem araneæ texentes telam, variè quidem, imbecilli tamen conatu ac inutili, insidias struentes.

Iudæi olim à parentibus increduli. Morbus hic à patribus in vos est deriuatus. Incredulorum parentum, increduli filij. Eodem illi modo habuerunt, quod spectat ad Ægypti miracula. Nouis modis præterque expectationem ab hostibus saluabantur, ac salutis auctori increduli erant. Alebātur escis nobilioribus quàm habeat naturæ vsus, erántque famelicis ingratiores. Suscipiebant manna de cœlo missum, aliorúmque Ægypti ac cepium tetrum desiderabant odorem. Columna nubis interdiu obumbrabantur, vt ne Solis radiorum æstus molestiam faceret: ignisque columna per noctem illustrabantur, nouum aliud præter lunam eximiúmque consecuti luminare: ac quasi nihil diuinæ virtutis efficacitatem persentirent, ita nouos ac sublimes dari quærebant deos, vbi parum quid Moyses accipienda lege in monte detentus, reditum protraxisset. Verè vos eorum hæredes improbitatis, qui neque legem dilexeritis, ac gratiam odio habeatis. Qui non amygdalina virga, sed ferrea regi habeatis.

Exod. 16. v. 13.

Exod. 13. v. 21.

Exod. 32. v. 1.

Num. 17. v. 8.

Videtis hominem transeuntem ad lucem; vbi tota longè anteriori ætate, inutilibus luminibus in tenebris egisset, alienos oculos duces sequens; quotidie sedens pro templi foribus; ærumnam publicans quò plures ad miserendum pertraheret; cuius tota ciuitas ægritudinis testis esset: nunc autem videntem ac celeri curatum remedio: non variorum medicaminum compositione, aut ferri sectionibus; sed luto solo, eóque saliuæ iniectione confecto: qua verò ratione non admiratione defixi estis; non obstupuistis; non vosmet in terram abiicientes, cum adoratis, qui oculos de terra creauit, diuinamque virtutem colitis: non autem liuore disrumpimini, ac Deum tanquam artis socium æmulamini; tanquam opifices, rerum opificem; tanquam gentiles, æquè vobis honoratum ac comparem.

Porrò legentes veteris testamenti libros, si qui de Hebræorum populi regimine scripti sunt; quique Regum principatus, ac eorum docent historiam, faciles quæ de singulis narrantur, suscipitis; vt parum absit quin Moysen Deum existimetis; supráque modum admiramini Elisæum, ac eius laudatis Thesbitem præceptorem: ac quotquot per singulas ætates diuinitùs afflati sancti extiterunt, atque à Deo beneficia consecuti sunt, magnaque ac præclara patrarunt, æquales Angelis augetis honoribus: nihilque quod spectat ad antiquos reluctamini; nec reiicitis quæ à patribus narrata accepistis, tametsi ita natura comparati sint homines, vt non facilè fidem adhibeant auditis: quod autem nouissimè oculis in oculis exhibitum vidistis, quæque digitis contrectare potestis, ac diligenti auditu percipere, hæc incredulè simul ac improbè deprauatis, prophetias proculcantes, ac eorum, quæ fuerunt prædicta, exitum euertentes. Quæ enim modò, periculo facto conspecta sunt, priùs olim Isaias verbis docuit: *Ecce Deus noster iudicium retribuit ac retribuet: ipse veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cœcorum, & aures surdorum audient. Tunc saliet sicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Sunt hæc non Petri ac Ioannis verba, nec vllius recentiorum, aut suspectioris personæ sermones, vt suspicantes ad gratiam laudasse, respuatis veritatem; sed sermones sunt vestræ prophetiæ, si modo 2 Thecuitem nostis filium Amos, Prophetam Prophetæ natum; virum ex genere Israëlitam, legalis institutionis caput. Sit Deo gloria, potestas, honor, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen. Isai. 35. v. 4.

ASTERII AMASEÆ EPISCOPI in sanctos Principes Apostolos Petrum & Paulum.

Ex venetandæ antiquitatis Seguierianæ Biblioth. Codice nuper allato ex celebri monasterio τ̃ Ἐκλεί- ςεως Græciæ.

HI sanè omnes, consueta ac legitima ratione exhibiti, sacri Martyrum honores, festi dies sunt, ac præclarè è pietate gestorum tituli perpetui. In iis, vbi Ecclesiarum Præsules, dicturi accesserint, ad rerum in orationis argumentum propositarum magnitudinem suas exigentes vires, ipso statim exordio ad veniam, remque à se amoliendam, confugiunt, sermonísque exilitate, minui rerum magnificentiam, asserunt. Vt verò illi, singulos quosque Martyres laudibus celebraturi, velut animum despondent, maiusque aliquid quàm pro sua facultate laudationem agnoscunt, ac liquido suam ipsi fatentur imbecillitatem, quid de me fiet: cui hodierna die Martyrum præceptores celebri laude prosequendos propositum sit? Veros, inquam, illos, primosque discipulos Christi, Ecclesiarum Patres, solos probatos fidelesque Euangelij præcones; qui cum Deo miscere colloquia, suisque ipsi auribus diuinam suscipere vocem, digni habiti sint. Haud enimuerò, quòd sit sublimis sermo; ac arduus conatus: idcircò operæ pretium videatur, vt iners vanúmque silentium eligamus, ignauorum more ac maris rudium, qui ad maris ipsum adspectum abiiciunt animum; ac neque principio sustinent nauim conscendere, nec vel experiendi causa, extrema ipsa littora modicum obnauigantes lustrare: quin ter beatis viris, quorum hodie celebrandorum gratia conuenimus, conatum concredentes, quod nostræ erit facultatis aliorum lætitiæ præstare studeamus. Noui siquidem à nobis exigendum, non quantum magnis illis ac admirandis meritò debeatur, sed quantum pauperibus nobis in promptu sit. Vtinam verò modicum quid eius mihi gratiæ suppeditatum suppeteret, cuius ambo hi sancti participes, alter quidem Hierosolymis incredulos docuit, alter verò cùm Athenis in Areopagum venisset, superstitiosos ab impietatis errore conuertit; ostendens eis Christum, ac veræ pietatis ac religionis annuncians sacramentum. Sic enim liqueret, aliquid nos eorum præstare quæ sunt proposita: nec procul admodum ab argumenti tanta præstantia abesse.

Quia verò præclara illa Spiritus dona magnorum sunt, ipséque, eiuscemodi gratiarum diuitiis indignus existo, meam vobis alacri animo paupertatem, velut Elisæus cum pulmento olera, appono: 4. Reg. 4. v. 38.
haudquaquam ea priuandus laude, vt ne omninò prætendam quod bonum ac præclarum est. Ne quis autem me vestrûm, Auditores, qui viros strenuos laudandos susceperim, externæ putet ac profanæ sapientiæ sectaturum leges. Non enim

composita arte assentamur atque blandimur; sed Dei amantium ac religiosorum animorum virtutem, vera narratione repræsentare studemus. Quamobrem tacebitur genus, nec patentum illustris gloria, negotij aliquid dicturo præbebit: Quippe, *caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*: nec

1.Cor.15. v.50.

cœlis ciues à terrenis ac sæculi prærogatiuis honoraturi sumus: sed planè secùs; obscuram parentum vitam; artes mœchanicas; paupertatis denique appellatum probrum; hæc vtique inter laudandum commemorabimus. Nam iuxta Euangelium nostrum, Christiani, humilitate gloriam habent. Sanè quidem externorum encomia contuens, maximè vitupero; quòd eos laudaturi quos sibi proposuerint in laudis argumentum, tanquam nihil peculiare dicendum suppetat, ad maiorum frustrà sepulchra confugiant, ac defunctis incassum negotium facessant; mortuó:que, viuentium ornamento asciscant: quibus vita functos inuocant, nihil boni ac præclari apud eos extare profitentes, quos laudibus celebrant. Prætereà, vt quidem certum esset, sic omninò comparatum esse, vt qui claris maioribus procreati sunt, ipse quoque probi existerent, ac virtutem, ceu quandam naturam velut hæreditaria successione transmissam susciperent; esset fortasse haud incongruum parentum meminisse: cùm verò studiorum diuersitas plerumque generis successionem mentiatur: Philosophi namque filius, luxuriosus ac ganeo euadit; ac philosophus, voluptarij ac libidinosi filius: frustra laboratur percensendis encomio proauis ac maioribus: cùm sit ostendendum, quæ cuiusque facinora ac res præclarè gestæ sint. Quod hæc verò sic habeant, haud aliunde diligenti peruestigatione nouerimus, quàm ex sacris ipsis Christianorum Scripturis, quotum multiplex variáque vtilitas existit.

Humilitas Christianorum gloria. Encomiorum improbata lex laudandi maioribus.

Virtus non natura ac generis successione, vt quis inde laudetur.

Scimus planè Sacerdotem; senem illum magni Samuelis cùm educatorem tum magistrum. Nihil tamen ipse, quanquam optimus erat, iuuit filios: idque, cùm apud parentem ipsum educati essent, ac quotidie sacerdotij iura ac leges audirent. Rursum verò Timothæus impiis parentibus editus erat: ille, inquam, Apostolus, Paulique generosus catulus: haud ille tamen, ceu quandam naturam, secutus est parentum memoriam: quin libera voluntate eorum odio impietatem habens, ad sacram pietatis legem transfugit; dulcisque fructus ex amara radice prodiit: Mulorum copula, ac ouium partus. Sic Absalon, modesti ac sobrij patris, furens iuuenis; eóque temeritate ac audacia notus, quò pater probis ac ingenuis moribus: seu potiùs, vt quod sit magis è veritate dicamus; exuberanti malitia paternam longè superans virtutem. Atque adeò vt quis contrariis eiusmodi filiorum ad parentes moribus animum adhibere velit, studiosos ac recti amantes innumeros malis prognatos offendet: malósque vicissim parentibus optimis satos. Idque admodum meritò. Siquidem enim natura, non mores, vitium aut virtutem efficeret, non iam duo essent, sed alterum vniformiter præualeret.

1.Reg.2. v.12.

Act.16.v.1.

2.Reg.15. &c.

Dicatur ergo Petrus *filius Ionæ*: Cuiusnam verò illius, nihil mea refert. Ego namque à filij actis, honesto familiá parentum; atque ab imis incipiens, ad superiora transmitto laudem, lucernarum instar, quæ noctu à solo ac ima domo, tecta illuminant. Sanè verò Isaias vaticinio ait, posuisse Patrē, Filium *lapidem angularem*: nimirum significans, mundi totam concretionem, illo fundamento ac basi nixam esse. Quin & rursum Vnigenitus, vti sacris Euangelij libris conscriptum est, Petrum Ecclesiæ fundamentum dicit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Primus enim reuera hîc, ceu grandis quidam ac durus lapis, in mundi huius caua demissus est, siue in *conuallem plorationis*, quemadmodum Dauid ait; vt Christianos omnes super ædificatos portans, in sublime; nempe ad spei nostræ domicilium, subueheat. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Sed & simili quoque Saluator noster appellatione, primum suum Discipulum honestandum duxit, nominans fidei Petram. Per Petrum ergo, verum ac fidelem pietatis doctorem effectum, Ecclesiarum stabilis inflexáque firmitas consistit. Iusti porrò ædificatione radicati stamus, qui ab ortu solis ad vsque occasum sumus Christiani. Planè, cùm á tempore annunciationis Euangelicæ, multæ increuerint tentationes, tyrannique nos innumerabiles: ac illis prior, diabolus funditus destruere, atque á fundamentis euertere conati sint: Decurrerunt flumina velut torrētes, inquit salubris ac sacra scriptura; vehementes diabolicorum spirituum venti irruerunt; copiosi ac immensi persequentium Christiano imbres impetu defluxerunt, nec quicquam tamen diuino potentius vllum est munimine; quòd nimirum fidei ædificatio sactis primi Apostolorum manibus extructa esset. Hæc porrò dicenda habui, ob illud vnum verbum benedictionis eius, qui Euangelistam ac sacrum præconem, petram nuncupauit. Videamus autem, si lubet, qua Petrus ratione ædificauerit; non lapidibus lateribúsque, vel alia terrena materia, sed sermonibus ac actionibus, quas spiritus exercebat instinctu.

Ioan.1.v.42

Isai.28.v.16

4 Reg. v.38.

Matth.16. v.18.

Psalm.83. v.7.

1.Cor.3. v.11.

Petrus fidei petra à Domino appellatus Ecclesiarum firmitas Petro doctore consistit.

Matth.7. v.27.

Cùm Deus itaque ac Saluator noster in cœlos ascendisset, quando Apostolis spectantibus nubes ei vehiculum facta est, vir iste, docendi partes Euangelij suscepit; atque sociis omnibus prior, pro Episcopi ac præpositi munere os aperiens, audentis animi fortitudinem contra populos aduersus pietatem furentes, ostendit; ac sapiens orator in medio Gentium ac Israëlis enituit: Gentium, inquam, acuentium linguas, quæque ira, vt quis Iesum nominasset, implerentur. Ita sanè vt quod à Propheta in Domini persona dictum est, Petro quoque admodum congrueret: *Circundederunt me canes multi; tauri pingues obsederunt me*: is tamen spiritu fervens, altáque memoria illud ad ipsum Domini mandatum retinens, quo fuit dictum: *Pasce agnos meos*; stans in promiscua ex innumerabilibus Gentibus multitudine, clamabat: *Viri Iudæi, & qui habitatis Hierusalem vniuersi.* Ac ne locum totum subnectentes longiores simus, in memoriam reuocat Ioëlis oracula, prædicentis spiritu prophetico Spiritus aduentum: tum transit ad Dauidem, ac exponens Psalmum quintumdecimum, confirmat resurrectionem: sicque sermonem vniuersum in verborum sapientia ac legis testimonio concludens, statim post se traxit auditores; non decem, aut centum, vel etiam ter autve quinquies tantos; quinimò, *tria millia* virorum; Ecclesiæ cœtum; integrum populum abundè habentem hostes percellere, à quibus repentina adeò mutatione abscissi essent. O Suadæ feruida accensáque medicamina, an mos intimè ac penetrabiliter perstringentia! O diuina sapientia, humanam omnem sapientiam obscurans! Quid ad hæc, qui Demostheni supra Rhetores defertis lauream: quique Socratem laudatis inter Philosophos? Tantùm enim abest, vt magnus ille ac celebratissimus pro oratoria facultate, ea auditoribus persuaserit, quæ animo constituta essent, vt etiam ab iisdem vrbe ac patrio solo deportatus sit: Socrates verò, plurium illorum ad Athenienses sermonum, ac sapientia re-

Primus Petrus à Domini ascensione vti Episcopus ac pastor prædicat.

Ps.21.v.13.

Ioan 21. v.15.

Act.2.v.14.

Petri vis sermonis.

fertarum disputationum finem, sicutam inuenit, interficiente discipulorum choro; tanta nimirum pollebat vi suadæ. At Petrus, piscator ille; ille manuum arte victum quærens: ille imperitus, ac quicquid per contemptum velis appellare, vno sermonis iactu, tria virorum millia venenatus, firmiter transtulit; idque cùm illi molestè ferrent ac tumultuarentur, ac ne os quidem diducere à principio sinerent.

Postquam autem Christianorum ordo ac cœtus abundè satis auctus erat: cùm ad sermonis doctrinam ac admonitiones, virtutis ac potentiæ efficacis mirabile documentum præbuisset, claudum sospitem, ac integris pedibus à templi vestibulo erigens; illum, inquam, claudum ex matris vtero, quique naturæ vitio laborabat: confluente ad templum vniuerso populo, quem miraculi fama ad spectaculum prouocaret: vniuersisque intentè in virum adspicientibus, cùm miraculo stupefacti starent: obstructa sunt ora Christi hostium: fuitque deinceps crux, non probrum, sed victoriæ trophæum: rursus ergo imperitus ille: ille mechanichus artifex, secundos aggreditur sermones in hæc verba ad eos loquens: *O viri, siquidem admiratione dignum, ac diuina potentia arbitramini quod est factum, ipsum adorate qui claudam curauit; Iesum, quem cecidistis, quemque demum ira exuperanti æstu, in ligno exaltastis. Ille ipse est, viuitque, ac sicut vobis sæpius dictum est, à mortuis excitatus vniuersorum, dominatur. Quamobrem nunc eorum quæ peccastis pœnitentiam agentes, Accedite ad eum, & illuminamini, quemadmodum vester ille parens Dauid ait. Siquidem enim filij Prophetarum estis ac discipuli Moysi, nolite maiorum vestrorum gratiam sperneres iis animum adhibentes qui falsa loquuntur: sed prudenti iudicio quæ ab illis fuerunt pranunciata considerantes, vestræ Saluatorem gentis, animis suscipite. Quippe ille est, quem Moyses Prophetam vobis suscitandum promisit* Hæc Petrus ac iis similia ad populum differens, abiit tribus milliis æquales alios auctariò referens. Ac quidem talis Petrus publica concione fidenter Euangelij doctrina exponenda loquens, alacer, imperculsus, prudens: suorum fiducia, ac aduersariorum pauor.

Petri secunda prædicatio.

Act. 3. v. 12.

Psal. 33. v. 6.

Deut. c. 18. v. 15.

Quia verò non id tantùm pietatis doctor optimus studio agebat, vt Dei populum numerosa multitudine augeret; sed longè ampliùs, vt discipuli accuratè pro traditarum legum ratione vitam instituerent: vidit verò Ananiam illum, suorum ipsum fructuum furem, nouumque sacrilegum, malā peccati inuectorum in Chrihianos consuetudinem, seuerè eum ab Ecclesia excidit; non velut crudelis animo ac homicida; sed spectato quod conduceret, eiuscemodi peccatum curans medicina. Cùm enim populus recens conuersus atque conflatus, à Gentilitio ac Iudaïco victus morumque neglectu, Euangelicas nuper leges accepisset, meritò planè existimauit, nedum verborum correptionem discipulis necessariam esse, verùm etiam secundo metu aliquo indigere. Sic enim moribus comparatum est, vt qua ratione prima studia regulata fuerint, eadem ad finem vsque inolescente consuetudine perseuerent: idcircò vbi peccatum arguit, mortem mox supplicio induxit; non vsus gladio, autve carnificibus reum tradens: sed momento illo temporis, qua ratione sustulit, præclarum Christi potentiæ specimem edens. Tantum enim obiecit crimen, inque illud vocatus homo expirauit. Hoc verò quantum sit, quantamque Ecclesiæ reuerentiam ac metum iniecerit, haud opus doceri habeamus. Duo quippe simul confecit; vt nimirum, cùm Saluator Deus esse crederetur; tum ex eius doctori legum adesse comites Angelos, qui promptè vt Apostolus voluisset, exequerentur. Voluit claudo beneficium præstare, nihilque gratia tardauit: voluit punire sacrilegum, moxque pœna præsto fuit.

Act. 5. v. 1.

Ananiæ mors castigante Petro.

Erant hæc abundè, vt vel lapideas mentes stupore afficerent, certámque omninò facerent fidem nullam Petri verba habere deceptionem; sed verè Deum cum ipso esse, sanctúmque ac veritate fultum, quod anunciabat sacramentum, existere. Sed & hoc attendamus necessum sit; illud quidem puniendo ac necem inferendo, semel duntaxat ab Apostolo vsu suadente signum vsurpatum esse, quò iis, qui mala essent voluntate, castigandi potestatis specimen exhiberet: beneficia autem ac sanitates, quotidie ac iugiter præstitisse: tantáque erat curandi ac gratiæ facilitas, vt nemo ægrotus accedens, spe sua frustratus abiret; sed integer ac sanus domum reuerteretur. Quisquis verò Hierosolymis Petrum locus habebat, is Christum loquebatur: habebatque sequentem infirmorum multitudinem, ac mirabile diebus singulis promiscuæ plebis spectabulum: congregatis aliis quærendæ causa liberationis à malorum molestia; aliis verò, vt impertiendæ sanitatis spectatores essent. Sic namque etiam illud mirabile de Apostolo conscriptum est, de quouis alio inauditum: vt nimirum, infirmorum cognati ac domestici, publicè eos in lectis exponerent, *vt veniente Petro vmbra illius obumbraret quemquam illorum*: adeòque seruus celebriori præ Domino fama habetur. Ac fortè in signo isto completur, quam Saluator prophetiam ad discipulos est locutus: *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Cùm autem hoc dico, minimè gentium seruum, cum Domino comparo. Apagesis furentis sensum: sed Deum, qui per famulos suos potentiæ suæ specimen edat, nullum è discipulis, suis perinde ac Petrum muneribus locupletasse, pronuncio: quin supernis sublimem effectum donis, vniuersis eum prætulisse. Vti verò discipulorum primatum tenet: maior quoque inter fratres rerum experimento per Spiritus sancti virtutem ostensus est. Primus vocatus; citò obsecutus est; cùm in litore; in mundi loco aspero inuentus esset. Is námque humanæ eum tempestatis iugiter circumstrepentibus fluctibus, continuum circa litora precum clamorem ac vota habet. Primus inter Christianos sæculi res spreuit, despectísque omnibus quæ in pedibus ac mundana sunt, studium animúmque ad spiritalia ac cœlestia traduxit.

Petrus semel punit; ab bis mel mort: punit; beneficia ac sanitates iugis impertit.

Petri prærogatiua singularis vt sola vmbra sanet. Act. 5. v. 15.

Ioan. 14. v. 12.

Vti donis, sic virtute maior inter fratres.

Dicat verò fortè eorum aliquis, qui pauperem atque obscurum ter beatum illum appellare solent: Quid enimverò ille reliquit? Qua se possessione abdicauit? Vniuersa, ô homo, dimisit, quæ habuit. Cuique verò, quod possidet, magnum est: illúdque, diuitiæ sunt, quod tenuis ac egenas habet. Similis apud Deum habet, tum qui currus dimittit, tum qui contemnit asinum. Quòd enim diuiti equis quatuor vectus currus; hoc clitellæ viles pauperi. Perinde autem Philosophus est, tum qui argenteam ac historiis variè distinctam ornatámque, tum qui ligneā vilisque pretij mensam relinquit, ac similiter, tum qui frequens hominibus oppidum, tum qui exiguum hortulum: qui vestem auro textam, quique veterem ac detritam tunicam. Non enim Deus multitudine aut qualitate eorum, quæ dantur, collationem iudicat ac humanitatem; sed gratam habet ac probat dantis voluntatem. Quamobrem etiam Euangelium viduam illam vti probam deprædicat, quæ obolnm impertita esset; quod nihil

Vt multum pauper reliquerit.

Luc. 21. v. 12.

Matth. 10. v. 42.

nihil retinuisset, eorum quæ habebat. Quin etiam qui aquæ frigidæ calicem præbuerit, expediti reuera facilisque conuiuij mercedem, regnum accepturus est. Eo enim quod suppetebat, sitientis necessitatem curauit; tametsi vini odorati ac generosi ob paupertatem copia non erat. Hæc porrò per indulgentiam dico. Haud enim prorsus, vt quis piscator, idem & pauper existat. An nescis piscatorem margaritas captare? Margaritæ autem, flores sunt superbarum excelsarumque diuitiarum, quibus reges ornantur: quibus fœminæ, opum pariter ac ornatus amantes, gloriantur. Piscator purpuram inficit, decantatam illam, ac Imperij insigniis addictam. Piscatores subflauas, ac velut auro rutilas lanas tingũt, quibus pinnas flauas capiunt. Haud ergo eorum artis instrumenta spectanda sint, tanquam vilia ac contempta; rete, inquam, ac hami: ex eo autem quod exercent, eorum facultates noueris. Alioqui enim, nihil agricultura pauperius occurrat, vt ex ligone ac rutro eius quis probet diuitias. Sed & ij qui regem illum diuitiarum, aurum fodiunt, inopes erunt. Sola quippe ascia eis vsui est, ac lignea scutella, qua aurum discernant à terra. Taceant itaque Gentiles Hebræique, qui Petro paupertatem exprobrant, atque à piscatoris arte magnum illum deprimere tentant. Talia verò gloriari cessantes, dicant rogo percontanti mihi; Quisnam piscator, aut vniuersim homo, supra mare pedes incessit? Quis supra lacum stantem gressum fixit, vti ille supra fluctus agitatos ventis? Cùm enim Deus ille noster, quæ eius bonitas! multa per suos seruos patrarit miracula, cùm olim in Republ. Israëlis, tum quibus postremis tẽporibus, benigna Saluatoris nostri Incarnatio mundo exhibita est: nullus tamẽ eorum, qui à principio in finem vsque claruerunt Sãcti, fide sua ac superna gratia, rem eiusmodi noscitur gessisse.

Vt piscator Petr⁹, haud etiam pauper.

Singulare Petro vt super aquas ambulauerit: & si demum nostris Hiacintho ac Raymundo, &c. Deus tribuit.

Exod. 14. v. 21.

Mirabilis quidem Moyses nullo nauigio traiiciens mare: Is tamen terra gradiebatur vti hominibus comparatum est, cum aquæ hinc inde ad se recessissẽt. Magnus item Iesus ille eius successor, quòd Iordanem supra etiam ripas exundantem transmiserit: Verùm is quoque, perinde ac mare rubrum, seipsum diuidens inhibensque fluentum, terram nudam transmittenti populo, quam incederent, præbuit. Nullus verò vnquam virorum, gressum in aqua fixit. Nec enim hoc lex naturæ habet, vt humida fluidáque substantia, corpori solido ac prementi resistat. Putem verò, vniuersorum herum ac Dominum, supra modum tunc præferuens, accensumque viri desiderium admiratum, ex cuius impetu exclamauit dicens, *Iube me venire ad te super aquam,* tantæ illius dilectionis ac fidei merito, nouam illam ac mirabilem gratiam concessisse, cuius Petrus solus visus est capax, omni retrò hominum successione ab Adamo ad vsque nouissimum. Vera siquidem ac peculiaris Dei, miraculi eiuscemodi exhibitio, creatæ abiectionem naturæ immensum superans, quemadmodum etiam Prophetarum optimo Dauidi visum est. Nam & ille in quodam psalmo Deum laudans, eiusque sermone omni ac cogitatu maiorem potentiam enarrans, ista dixit, quæ pro more modulantes scitis: *In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur.* Quod itaque Dominus in deitatis rationibus propriis habuit, hoc cum seruo, tali dignans honore, commune fecit.

Iosu. 3. v. 16.

Datum Petro sic incedere dilectionis, ac fidei merito.

Matth. 14. v. 28.

Psal. 76. v. 20.

Beatus quidem magnus Ioannes, qui supra pectus Domini requieuit: Magnus quoque Iacobus, quippe qui tonitrui filius appellatus sit. Præclarus item honestantibus ipsum honoribus Philippus, vt quis raptus fuerit à Spiritu, cum Æthiopem Saluatoris notitiam docuit: omnes nihilominus Petro cedant, seque fateantur secundos, si modò gratiarum comparatio honoris prælationem probauerit. Vniuersa sanè sigillatim contemplans atque considerans, virum hunc deprehendo cùm in sermonum disputationibus, tum in operum patratione, vbique similiter reliquo discipulorum choro præsilientem ac præsultantem, idemque vitæ stadium currentes ponè relinquentem.

Act. 8. v. 39. Mar. 3. v. 17. Ioan. 13. v. 23.

Petrus vniuersis maior omni parte discipulis.

Percontante enim quandóque Domino ex Duodecim, ac periculo probante, vt illi de ipso opinionis, inque eâ certitudinis atque animi haberent; iubentéque vt clare edicerent, quem eum dicerent: cùm omnes reliqui vellent tacere ac cunctarentur, palamque præferrent parturire animis aliqua meditatione quid responsuri essent; statim aperiens os, qui viuum accensumque fidei carbonem animo ferebat, quo & priùs Isaiæ labia mundata fuissent, beatam illam ac planè perspicuam præclarè edidit confessionem: *Tu es Christus Filius Dei viui.* Quænam quis pro horum dignitate verborum, idoneus maximi Apostolorum Interpres effectus, demirari possit? Videte enim primùm vt sit sermo nihil superfluus ac breuis, paucarum dictionum exclamatione, rerum innumerabilium magnarumque virtutem exponens. Omnis quippe hic talis optimus sermo, cuius est decens locutio, nec redundans sensu exili ac modico: contrà verò, qui verborum breui contextu multa significet, adinstar grani sinapis; quod quidem, vt manibus teneas spectesque, minimum est, vt autem ori ac linguæ admoueas, gustesque, animal totum à pedibus ad caput ad suum trahit calorem. *Tu es Christus Filius Dei viui.* Vnus hic sermo ad Dei ac Saluatoris nostri agnitionem conferens, duo hæc intelligentia respicit ac sensu habet: vnum quidem quod ad primam spectat deitatis generationem; nempe Verbum quod in principio semper est, & est apud Patrem, ac Deus est, vti nos magnus Ioannes ille Theologus docuit, ceu spongia quædam Vnigeniti ac Dominico pectori adiacens, ac inde occultæ sapientiæ cognitionem trahens: alterum verò quod ad carnis œconomiam quam bonus Deus assumpsit, nostræ se imbecillitati inclinans. Operæ pretium ergo sit responsionem contemplari, vt breui sermone ac paucis verbis, omnium accuratè intellectum paucis declarauerit, atque ab inferioribus ducto exordio, ad sublimia quoque sigillatim animum subuexerit.

Petri confessio Matth. 16. egregiè exposita ac illustrata.

Tu es Petrus. Isto œconomiam declarat, ac Dei in carne apparitionem edisserit. Nec enim Christus nomen est præterni, sed vngendorum gratiæ indicatio. Quamobrem etiam Dominus noster cùm id omninò susceperit, vt homo fieret, aliaque omnia spectantia ad carnem, vnà quoque suscipit vt appelletur Christus, tanquam inunctus in Regem, non olei cornu, vti Samuel Dauidque, ac deinceps alij homines; sed Spiritus operatione, per quã etiam Dominicus ille homo (sic enim multi libenter Iesum appellant) mirabili quadam, nouaque ac insolita ratione in Virginis vtero conceptus fuit. Iesum porrò confessus nostri causa factum hominem, haudquaquam illic sermonem terminauit: quinimò spiritali scala Iacob in cœlum conscendens, Deique Verbum, quod erat in principio, contemplatus, propriam illi veramque dignitatem adiungit, *Dei viui Filium* appellans. Accuratè verò hic, ac non alius: isque ipse rectam nihilque peruersi habentem fidei confessus regulam, cunctisque nobis inuiolabili lege tradens pietatis sermonem, haud indonatus abiit, ac sine præmio: quin potiùs ab eo beatus nuncupatus, qui eximiè beatus est, fidei petra

Christi nomen ab œconomia atque hominis.

Cautè hominem Dominicum appellat, vti etiam Greg. Cras. 51.

appellatur, fundamentumque ac basis Dei Ecclesiæ. Accipit verò per promissionem claues regni, eiúsque portatum efficitur dominus; vt aperiat, quibus voluerit; claudat verò, quibus iure claudendæ sint; planà verò pollutis ac profanis, ac eam negantibus confessionem, cuius ergo ipse, tanquam sedulus gnauusque bonorum Ecclesiæ custos, regni ostiis præfectus fuit. O nebulam ac caliginem illam plurimam humanis offusam oculis, qua prohibentur hæretici Patrum videre vestigia; ac quam Apostolorum pedes viam triuerût, incedere. Ecce namque eximia quadã ratione sincerus ille Christi discipulus Petrus; ille, inquam, primum vbique, tum quod ad honores spectat, tum quod ad merita ferens suffragium; ille admodum magnus, cuius decus vniuersum impleuit terrarum orbem; iussus edicere vt de Deo ac Saluatore sentiat, non à longi cuiusdam commenti vafritie cœpit, nec syllogismorum rerumque circulo vallatus percontanti respondit; vti nunc solemne habent graues illi rhetores, inque verbis positæ, fidei artifices; sed corde simplici succinctam veritatem exposuit; haudquaquam ingenitum contra genitum distinguens: de iis quæ ad dissimile spectant, nequicquam emora mente friuola disputans: nec verò substantiarum, quæ omnia superant, distinctionem curiosius indagans: nec demum immensam deitatem syllogismis metiens; qualia habent Arij ludicra, Eunominiique praua conamina. Æmulemur itaque, ô Christiani, (quorum fides, nota est ac insigne, non verborum effluentia;) piscatorem illum; illum simplicem; illum Bethsaida ortum, primam illam Christi venationem. Studeamus dicere; *Tu es Christus Filius Dei viui*; his autem plura, pugnæ verborum studentibus dimittere: quorum opus, contentio; finis autem, interitus.

Petrus, ingressurus cœlos Dominus, à confessione.

Arium petit ac Eunomium.

Ergóne hactenus inque dictis finem habent Apostoli miracula? quin planè secùs, ne quidem videmur incœpisse, vt quis cum dictis, quæ reliqua sũt comparet. Ego nihilominùs pleraque vestræ scientiæ permittens: (Scitis enim Petrum, ac res Petri, tametsi nemo virum laudare in animum induxerit;) pauca quædam volo dicere de eius requie, vtque è terra in cœlum migrauerit, vt illic faciam dicendi finem, vbi ille vitæ finem accepit. Cùm ergo Saluator, sponte assumpta morte humanum genus sanctificaturus esset, ceu peculiare quoddam depositum ac peculium, vniuersalem ac orbe toto diffusam, viro huic commendat Ecclesiam; vbi tertiò interrogasset, illud, *Amas me?* Cùmque is, multa alacritate singulis interrogationibus totidem professiones adiecisset, mundi curam accepit: velut vnum gregem, vnus Pastor; quibus audiuit: *Pasce agnos meos*. feréque sui loco dedit Dominus fidelissimum discipulum, in patrem, pastoremque, ac magistrum, iis qui essent accessuri ad fidem. Cùm itaque eam vocem audisset, haudquaquam segnitie vitam traducendam duxit; nec dilexit viuere extra periculorum aleam: quin vniuersum circunquaque lustrans terrarum orbem, cœcis Christum reuelabat; iis dux effectus qui exerrabant: eos prouocans qui pietatem gustassent: hostes impugnans; consolans domesticos; persecutiones sustinens: carcerum molestiam ferens: multis modis Euangelij causa pericula adiens.

Ioan. 21. v. 15.

Petrus, vnus Pastor vnius Gregis vniuersalis Ecclesiæ, ac Vicarius Christi.

Processu deinde temporis, vrbem regiam petens, inde ad regnum excurrit. Nero enim in iram prouocatus, vti olim Herodes in Palestina, cùm Christum Regem Magi annunciarent; aliis quidem spretis suppliciorum generibus lata sententia ter beatum Apostolum affigi cruci decernit, vt nedum Petrus mare gradiens Dominum imitaretur, verùm etiam in ligno suspensus, tanquam nihilominùs humilis sapiensque, vel in ipso certaminis tempore ac lucta cum mortis pauore, perspectum habens quid Dominum inter ac seruum interesset, vnum quid beneficij loco ab hostibus rogauit: ne scilicet eadem cum Domino figura affigerent ligno, sed verso ad terram capite crucifigerent. Haud quippe par esse, vt vel in morte, æquales serui Dominique partes essent. Dixit, ac voti compos effectus est: crucisque medio ad eum abiit, qui crucifixus, resurrexit: ipse quidem martyrij corona donatus; nobis autem, harumce festiuitatum gaudia relinquens.

Petri humilitas sub ipsas mortis angustias.

Hæc nos quoque tibi, ô charum ac sacrum caput, pro nostra virili facultate multarum gratulatoria virtutum gestorúmque reddenda habuimus. Tempus verò est, vt ad pugilem alterum, sermonem conuertamus; ad tuæ, inquam, virtutis socium illum Tarcensem: eum, inquam, qui diuerso quidem supplicij genere; verùm vno eodemque pietatis fine, vnà tecum ad Christum profectus est.

Paulus ille admirabilis: canora illa Euangelij tuba: prius quidem acerbus Christianorum hostis; postremùm verò fortissimus Ecclesiæ patronus; Apostolis quidem recentior gratiæ partu editus; ac posterior tempore Christi discipulis accensus; idem nihilominus probata virtute, vt ne quid amplius dicam, ac Duodecim illorum canos pudore afficiam, Moysis æqualis; æmulator feruens, vt quis alius; legis propugnaculum; veteris testamenti turris firma ac inconcussa; donec mutauit animum, grande eorum periculum, qui Christum loquerentur; nostrosque vbique terrebat, ac in fugam agebat verè iuxta prædictionem Iacobo. *Beniamin lupus rapax*, optimos quosque noui testamenti discerpens ac dispergens greges. Quia verò etiam sancti Stephani fabulam luserat, adhucque cruore fœdatis manibus Damascum pergebat, persecutionemque persecutioni, ac cædes cædibus nectere; totumque funditùs Christianismum, primum hactenus florentem ortum euellere, satagebat: Rem Deus probè vidit: nimirum fore, vt acris hostis ac validus, generosi pectoris ac fortis animi efficeretur amicus: subitoque circumfulgens lumine, percellit, ac ad humilitatem conuertit: incusso quidem timore à cursu cohibens; flammantes verò ac iram spirantes oculos, offusis tenebris castigans. Punit autem non silentio; verùm etiam facto sermonem adiunxit, dicens illi quod scriptum est: *Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare*: non tanquam opus haberet conferre sermonem; Quid enim verbis opus, cùm res sufficerent? verùm vt quærendi occasionem præberet atque discendi, ipsum, qui mortuus ac humo conditus putabatur, Christum viuere, atque è cœlis apparere. Verùm præstat ipsa, quibus lupi Hebræi præda, enarratur, verba proponere.

Pauli laudatio.

Ge. 49. v. 17.

Pauli conuersionis historia.

Act. 9. v. 4.

v. 1. *Saulus autem adhuc spirans minarum & cædis.* Delineat sermo, virum, ira se à præcedenti cæde rumpentem; ægrè adhuc post iactus lapidum ducentem spiritum; sæuo ac truci aspectu hominem, qualem eum oportebat, qui prima prophetiæ Patriarchæ symbola teneret. Ille enim morti propinquus, cùm filios, lecto vndique circunstare iussisset, spiritu prophetauit. Sic itaque benedicens Iudam, illum quidem alloquebatur: verùm vt allegoriam spectes Christum laudabat, qui ex eo foret. Tum verò sanè, ad Beniamin, tanquam ætate iuniorem venit: ac sanè, filium quidem alloquebatur: reuera autem designarat Paulum, quem nouimus ex eius tribu descendentem

Prophetia Iacob in Paulo impleta.

Beniamin

Beniamin lupus rapax, mane comedit, & ad vesperam distribuet escas. Exquiramus quid illud vtique velit, *mane comedens*, hoc est, persecutor, qui in cædes intentus erat; fundebat sanguinem, velut gregem Ecclesiam Christi dispergebat: bonus demum factus est pastor, abiectóque quod erat persecutoris, Apostolum induit: vniuersis verò tanquam escas, legem distribuit, atque hanc nobis sacram mensam posuit. Talis quippè ac tanta existit Dei virtus, vt ira impiisque cogitatibus ceu armis seditiosos nudet, faciléque adducat atque securet, ac mansuetas oues, pro bestiis morsu ludentibus, reddat. Quid ad hæc
v. 2. Scriptura? *Accedens*, inquit, *ad principem sacerdotum, petijt ab eo epistolas in Damascum ad synagogas, vt Christianos duceret in Hierusalem.*

O pugna atque discrimen, earum, quas tunc Paulus epistolas requirebat, earúmque, quas posteà Christum annuncians, scripsit. Illæ quidem vinciebant Christianos; hæ autem, multas, grauésque, atque molestas catenas Christi causa ferendas, persecutori iniecerunt: atque in illis scriptum erat, Paulus Hebræus legis defensor; inimicus crucis? Euangelij hostis; in posterioribus autem Epistolis? *Paulus seruus Iesu Christi.* Cuiusnam rogo? Vtique, crucifixi: ô miraculum! Quod paulò antè probrum fuit, nunc facta est gloriatio: quodque spernebatur, gloriæ hodie titulo memoratur. Nullus enim gloriæ auidus ac superbus rex, Imperij adeò se splendoribus iactauit ac extulit, atque Paulus cruce & clauis; qui se omnibus *vinctum* scriberet, magísque sibi ipse ferro placeret, quàm puellæ mundo aureo.

Pauli gloria seruum esse Iesu Christi, ac vinctum.

Phil. 1. 9. &c.

v. 3. *Et subitò circumfulsit eum lux de cœlo.* Quidni ei apparet in forma hominis, vti Stephano de cœlo apparuit, sed in ignis specie atque luminis? Nimirum, Stephano quidem, tanquam qui perfectus esset, probéque Incarnationis mysterium nosset, nec damni aliquid ex humana vilitate accepturus esset, rectè se ea forma ostendit, qua in cœlum ascendisset: Paulo autem vt qui ideò Iesum nollet Deum appellare, quod in corpore ad nos aduenisset, haudquaquam apparet homo, vt ne in fideli offensionem augeat: sed potiùs in fulguris specie ac ignis; quo à lege & Moyse eam pertrahat. Nam & illic idem ipse Deus Moysi apparens, in igne loquebatur: ac cùm legem daret in monte Sina, igni collustrans Hebræum, tabulas ei in manus dabat. Itaque perfundit lumine; vt rerum tunc ac modò gestarum similitudini adiiciens animum; sese velut ex quadam obliuione excitans, eiusdem potentiæ diuinas apparitiones agnoscat. Mittit autem fulgorem de cœlo, vt ne iam Paulus animo versans Bethleem ac Galilæam, filium Dauidis ac hominem appellet Christum, ac si qua alia nomina sunt ad œconomiam spectantia: palam verò doceatur, cùm Deus in cœlis esset, inde ad nos venisse, vnde etiam nunc apparet.

v. 5. Tum clarè addit: *Ego sum Iesus.* Nomen vtique eius, quà se nobis inclinauit, deiectionis: vt fidem astruat incarnationis, ad quam scandalizabantur Iudæi, Ego ille sum, quem cædebatis colaphis; quem flagellabatis; quem ducebatis ac trahebatis: modò quidem ad Caipham, posteà verò ad Pilatum; quem assiduè fabri filium vocabatis; quem mortuis accensebatis, magno risu eos excipientes ac explodentes, qui prædicarent resurrectionem: Ille modò cùm loquar, non appareo: cùm adsim, non videor:
Act. 7. v. 55. animum illuminans; oculis offundo tenebras. Crede ergo etiam Stephano me apparuisse, quando is id vobis dicens minimè credebatur. *Durum* ergo *tibi est contra stimulum calcitrare.* Stimulum dicit, clauos crucis. Quemadmodum enim qui acuto ferro impingit, nihil quidem lædit ferrum. Quî enim, cùm sit durum ac resistat? se autem ipse vulnerat: sic etiam qui contendit cum Deo, vltiò sibi interitum prouocat. Iam ergo, stude sapias ac emenderis, visúque; à mirabili illo fulgore, amisso, nunc cum primis intellige, idcircò induisse me corpus ac hominem factum esse, vt ne omnes, nudæ velo Deitati consuescentes, cœci fierent.

His ita gestis dictísque, en tibi Paulus manu ducebatur, miserabile spectaculum, quinimò iucundum, meritóque lætitia afficiens animum! Vinctus est lupus: castigatus raptor, ferox mansuefactus lenè incedebat, velox ille cursor: discipulus adducebatur, discipulorum tyrannus: ducebatur alterius bibitum sanguinem, qui Stephani sanguine, manus polluisset. Mansit autem ad tres dies cœcus: Planè merito: qui enim in Trinitatem peccasset, trium iure dierum, debuit pœna plecti.

Sanguis Christi in Eucharistia. v. 9.

Hunc sanè modum admirabilis ille ad pietatem eruditus est. Vbi autem veritatem gustasset, didicisétque experientia Christum viuere, esséque, ac vniuersorum dominari; nec à morte fuisse corruptum; autve discipulos eum furatos esse, statim à lege ad Euangelium transmigrans, vniuersis Christum, quem nuper blasphemans conuitiis impetebat, Deum annunciabat: erátque qualis fuisset hostis, talis socius ac auxiliator: Vtroque nimirùm potens atque robustior. Continuò autem ac inopinatò ingressus in Synagogas Damasci, legis libros ac Prophetarum, pro concione exponebat; non quidem vt legem confirmaret; sed vt lege Christum prædicaret, comparans cum iis quæ gererentur, discipulorum sermones; ac denique per legem, legem excludens, vti ipse de seipso ait ad Romanos scribens: *Ego enim per legem, legi mortuus sum*: hoc est, scriptorum per Moysen ductu; Euangelicam agnoui pietatem. Stupor ergo Damascum tenebat, vniuersíque portento simile ac diuinum quid apud se celebrabant: Venite, videte Hebræum illum Tarsensem: feruentem illum paternæ legis discipulum: acrem Iesu patronum, eúmque Deum prædicantem, atque è scripturis nostris, Saluatorem ipsum, qui promissus est, probantem. Itaque periculum est, ne in contrariam sententiam totam abducat ciuitatem, ne & populum vniuersum alliciat, atque à lege auertat. Quippè in scripturis versatus est, estque subtili ingenio; acri sermone; moribus facilis, plurimúmque ad fidem, momentum habens: quòd nimirum res nostras apprimè sciens non ignorantia decipi videatur, sed probatione ac iudicio inuenisse, quod rei esset, ac veritatem; in tantam vtique anxietatem ac angustias, magnam coniecit ciuitatem: populum numerosum, prima strenui proselytæ prædicatio: maiórque tunc Damascum habebat turbatio, quàm nuper Hierosolymis constitutos Christianos, cùm Paulus Stephanum lapidaret. Quemadmodum enim viri fortitudine præcipui ac mirabiles, cui se adixerint ordini: vnà illi victoriam, addicunt: sic & vir diuinus, magnos omninò eos præstabat, quibus suum momentum contulisset, ac auxilium præstaret.

Paulus repentè è persecutore prædicator, Damascum totam commouet.

Gal. 2. v. 19.

Sic itaque prædicato in Phœnicia Euangelio, primísque illic apostolatûs iactis seminibus, vbi & ipse scientiæ lumen accepisset, Hierusalem petiit, nouum pulchrúmque, in ea constitutis vrbe spectaculum. Qui enim præmiserant, ac vincula, quibus Christianos alligaret, portanda dederant, cùm nescirent, quæ media accidissent, primo aspectu, iucundè viderunt, prædámque exigentes, vinctam Christianorum multitudinem se visuros sperabant, rémque

Hierosolymum reuersus, à suis quæritur ad mortem.

que multarum illatum pollicitationum requirebant. Verùm vbi processu sermonis, Saulum, Paulum inuenerunt, qui vnà cum appellatione animum mutasset, Christíque effectum setuum ac Apostolis aliis feruentiorem discipulum, primum quidem iocum ac irrisionem arbitrati sunt quæ dicerentur: at vbi probantes mentem inuenissent sermoni congruentem, vnum sibi hoc consilij reliquum putauerunt, vt adolescentem perderent: tanquam fieri non posset, vt viuente Paulo atque loquente, Hebræorum religio sospes foret, idque palam totũ retro tempus probauit.

Purũ statim à legalibus Christianismum prædicat.

Cùm enim multi hactenus, tametsi Christiani erãt haud possent purè ex Euangelij norma viuere, sed haberent in vtramque partem, ac quandoque etiam vterentur circumcisione, vt aliqua parte quæ Iudæis grata essent præstantes, eísque indulgentes, eorum delinirent iram. Solus hic imperculsa mente, nihil remissum ac non accuratum docuit; sed clara voce atque disertè à principio sermonem prædicauit. Eóque prouexit libertatis sensus, vt cùm aliquando Galatæ, cùm propria ipsi leuitate, tum magistrorum negligentia, ad legis obseruantiam reuersi essent mirabili ad eos scripta epistola, qua in nouitate Christianæ vitæ pietatem sectari ac religionem colere doceret; cum ipso Apostolorum Principe horum occasione congressus sit, ac vbique Petrum reprehendebat, cúmque eo velitabatur, ceu eo, qui veterum vsu, ac eorum quæ abolita essent, nouam Christianorum turbaret institutionem: nihil reueritus senis canos, aútve Apostolatus prærogatiuam, vbi crcari periculum veritati vidisset: quin Galatis quidem acerrimè restitit: Petrum verò, crebro arguit, quàm licebat maximè libertatem decoro ac modestia temperans. Ac vbique quidem prædicando ac suadendo operam ponebat: quod si verò quando etiam in perditis moribus prauósque homines incidens, graue aliquid passus esset, vel coniectus in carcerem, vel verberibus affectus, vel appetitus lapidibus, haudquaquam suam illam alacritatem ob malum casum amisit: quin modicum cedens, rursus hostes adibat; versánsque sermones suos, fœlixque modis inueniendis quibus adoriretur, ac se facilè admodum incidentibus necessitatibus aptum comparans, prorsus abibat, vel omnibus, vel pluribus in suam sententiam pertractis. Sæpè enim cùm acerbissimis plagis acceptis inuentus esset: ínque vrbis illius suburbiis eiectus, quam erudiebat ad pietatem: quin & pro mortuo præ malorum grauitate habitus, postridiè forum petens, ac dexteram protendens, eos iterum docebat, qui ad mortis ipsas fauces adduxissent: sic nihil curabat corpus, fortíque animo in supernæ vocationis scopum intendens, decertabat: subinde prouincias; vrbes subinde mutans; terra desudans labores atque certamina; accinctus ad maris pericula: clarè ac disertè orans ad frementes populos; iudicibus iratis satisfaciens? Hebræos ad Christi agnitionem à scripturis inducens quas illi in pretio haberent? Græcos, externis ac profanis doctrinis inflectens, ac naturæ legibus non scriptis; confirmans Christianos; proselytas, & qui fidei accessissent, ædificans, ac congruis doctrinis alens, vti satores nouellas plantas, moderato ac castigato aquarum influxu fouent ac recreant. Quod verò eius maximè vim dicendi ostendit, id verò perdiscamus.

Petrũ arguit ea occasione id tamẽ modestia.

Pauli constantia.

Act. 14. &c.

Eius res Athenis. Act. 17.

Athenæ, vrbs est Achaïæ primaria, doctrinarum sedes, vti olim laudatorum ore meruit celebrari: virorum sapientum, ac litterarum colentium studia, antiqua officina. Quia ergo Paulus totum Illyricum percurrens, ac vbique spargens scintillas fidei, quas auspex Spiritus excitabat, viuásque semper seruabat necessatio circuitu ad sapientes quoque Athenienses venerat, res erat multa digna sollicitudine; qua verò ratione coriarius homo, pro concione de Deo apud eos oraturus esset, qui vniuerso simul humano generi, vt eruditionem spectes, dominari vellent. Ille nihilominus animi ac genij magnitudine, superníque doni fretus diuitiis, non vnam aliquam petiit subregulaneam domum, autve in quadam officina sedens, disputare cœpit, quomodò etiam primi ac præcipui apud eos Philosophi, cum iis, qui propiores adibant, consuescere solebant: sed ad ipsum Areopagum excurrens; vbi seuerus quidam ac formidabilis Senatus capitales causas iudicans, sedebat: inuentáque illic collecta copiosa multitudine stans, publica concione consuetos oratores vincebat, quorum apud eos eloquentiæ certamina quotidie erant. Ducto autem exordio ab inscriptione, quæ altari insculpta erat, eiúsque occasione ignotum eis Deum opportunè annuncians, ac demum tota absoluta oratione, tantum abest vt idiota ille ac rudis, quod ad externam sapientiam spectat, aliquid dicendo peccauerit, vt etiam Senatûs eiusmodi principem Dionysium, vnà cum vxore dictis acquiescentem conuerterit, ac Christi seruum effecerit: ab vno altari ac parua quadam inscriptione, à multorum religione altarium auertens.

Inde verò victor rediens, vbi maximè fortis erat bellicus Gentilium dæmon, ac inde ad vicinam vrbem Corinthum transiens, Achaïæ Metropolim, loquénsque in synagogis doctrinam salutarem, abiit adiuncto fidei, non vno aliquo è multis, seu vulgi homine; verùm principe ipso Synagogæ cum tota domo atque à vertice legis victor: crucéque sublimi instar trophæi magnificè elata, sic quoque illam reliquit ciuitatem Christo se inclinantem. Temporis autem processu, ac pietatis sermone promouente, velut dux quidam effectus est, Regi in dies, vrbes, oppida, agros acquirens: neruos ac robur priùs dominantis tyranni succidens.

Corinthi.

Act. 18. v. 8.

Tum verò Corintho transiit Pisidiam: denique Lycaoniam ac Phrygiæ vrbes petens, ac inde inuisens Asiam, postmodúmque Macedoniam, communis erat orbis terrarum doctor: coram quidem positos sermone iuuans: absentes verò conuertens per epistolas. Solus ille est, cuius nunquam genua cùm semper iter ageret sunt lassata: ac nec lingua torpuit, nulla requie ad hostes ac amicos Euangelij mysteria enarrans. Ac quidem talis Paulus quod spectat ad doctrinam: quod autem ad reliquam vitæ philosophiam, qualis rogo? qui semper iugitérque doctrinæ assiduus, ac Euangelio seruiens, ne panem quidem ab aliquo gratis referebat: quin interdiu quidem aduersus sexcentos hostes certamen habebat, noctu verò, scapellum, pellésque, ac artis versabat opus, vt annonam inde ac vitæ commeatum pararet: vt nihil se grauem præberet Apostolum; vt prædicatorem absque sumptu, qui ad vsque panem hospitibus parceret.

Hunc nos sermonem Sacerdotes audiamus, qui nedum comparticipes sumus altaribus, verùm etiam ab illis diuites sumus, ac in deliciis agimus; sacrásque facultates, nostram ipsorum possessionem facimus; quique, Christi causa subiectis, tanquam seruis grauiter imperamus: haud planè sacerdotium, dominatio est; quin potiùs, vt quis intelligat, seruitus. Non magistratûs auctoritate decernentis dignitas; sed modestæ ac castigatæ dispensationis ministratio. Nonne potestatem habebat diuinus Paulus, vt ex sacris mãducaret biberétque; ac modicũ quid stipendij laborũ ad corporis, quod quotidie cædebatur, fomẽtũ ac curam, acciperet? Nequaquam tamen vsus est potestate, vt

Pulchra monitio.

1. Cor. 9. v. 4

Paulus nihil hic accipiēs sibi omnia reponit in cœlis.

1. Cor. 12. v. 2.

vt nihil in terra accipiens, omnia in cœlis reponeret. Quapropter etiam, cùm adhuc carni corruptibili alligatus eſſet, maioribus quàm pro humana ratione donis auctus eſt: atque vt bonorum futurorum, honorúmque æuo illo repoſitorum arrham pignúſque contueretur, aſſumitur vſque ad tertium cœlum: viſionéſque noſtram mortalium ſortem exuperantes videt; ac verba arcana audit, vt ait ipſe: quanquam id modeſtè agens, ac neceſſitate compulſus, cauénſque vbique gloriari, éxque præcellentibus donis ſuis ſeſe efferre. Vt tamen eorum ſenſus comprimat, componátque ad modeſtiam, qui pro exiguis donis inflantur, pauca ex ſuis velut coactus aperit: nec id aliter quam aſſumpta alia perſona, atque omnem de ſe ipſe ſuſpicionem amoliens.

Pauli, quàm Eliæ ac Moyſis aſcenſus raptúſque illuſtrior.

Sanè quidem Elias ille Thesbites, eò quòd in ſpecie ignei currus in altum ſubductus ſit, vbique decantatur, ac multam ſæculo admirationem reliquit. Quovſque autem peruenerit, ſermo nullus expoſuit. Fors enim etiam modicum à terra elatus à virtute agente ipſum, illi loco redditus eſt, quo erat domicilium habiturus. At Pauli translatio, longè illuſtrior fuit atque celebrior, adiuncto etiam medio ad quod vſque ſublatus fuit. Nam cùm ſeptem celebrantur cœli, parùm abeſt vt ne medium aſſecutus ſit. Iam mihi Hebræi ſenſum deprimant magnum quid de Moyſe gloriantes, quòd ſolus vſque ad verticem Sina peruenerit, intráque caliginem ac nubes penetrarit. Meus ſanè Paulus, montis quidem loco, ad cœlum aſcendit: loco autem nebulæ, ſupra aërem nubibus celſiorem euaſit. Ac planè meritò. Decebat enim Chriſti hominem tantùm Moyſem ſuperare, quantò Euangelium præcellit legem.

In diuinis autem apparitionibus, Deíque ad eum ſermonibus vtque vinctus ſolueretur, ac triſtis defectóque animo corroboraretur, reſpondente Deo cùm in vigilia, tum in ſomnis, quid enimverò etiam opus dicere, cùm nec ille ipſe gratiam illam ſuam ſilentio preſſerit, ſed ſimul omnibus liquidò reuelauerit, dicens: *An experimentum quæritis eius qui loquitur in me Chriſtus?* Alij quidem cùm Prophetæ, tum Apoſtoli, certis quibuſdam temporibus ac momentis definitas habebant ſupernas operationes, ac modò illis diuinum aderat Numen, modò etiam aberat: Hic autem vir tanquam ſemel Dei peculiare templum ipſi ad inhabitandum delectum deſtinatúmque, ſic ſemper habebat Chriſtum, cùm conſilij inuentorem, tum ſermonum magiſtrum; tum denique operum adiutorem.

2. Cor. 13. v. 3.

Ioan. 13. v. 23.

Ac quidem Ioannes Zebedæi filius magnus viſus eſt, quòd maiori præ diſcipulis aliis ad Dominum fiducia, ſupra eius pectus recubuerit; quamobrem maximè apud omnes clarus habetur atque celebris. Hic autem, qui non iure humana maior conditione habeatur; qui nimirum non Ieſum in corpore; ſed nudum carne Verbum quotidiè reficeret, vas ſe vtile ac mundum præſtans conditori. Cæterùm cùm plura ac omnis generis varia mihi dicenda forent, quæcumque nimirum vir hic diuinus mundum vniuerſum docens, dixit fecítque, terra pariter ac mari; in iudiciis ac tribunalibus; in foris, in populis; in concionibus; in regum aulis, ſponte prætereo præ illorum tanta multitudine. Nec enim conſtitutum habeo, vt rerum ab eo præclarè geſtarum, commentarium elucubrem, ita vt nihil deſit: ſed vt contextam laudationem: eámque pro virili tantùm mea facultate. Quocircà vbi vnum dumtaxat poſtremum ſuggeſſero, faciam dicendi finem.

Paulus, Romam Petri ſubſidio venit.

Poſtquàm enim vniuerſum circumquaque luſtrans orbem, ac ſermonem ſuper candelabrum ponens, ingentem euangelicæ cognitionis ac ſcientiæ accendiſſet ignem, Romam, regiam vrbem petit, vt vniuerſorum dominos docens, ac in ſententiam cogens, ínque diſcipulos obtinens, ex abundanti hominibus reliquis congrederetur. Cùm autem illic quoque repeperiſſet Petrum, in idem ſtudiò incumbentem opus, ſacrámque quandam ac diuinam bigam copulans, eos qui erant ſub lege, in ſynagogis docebat: Gentiles in foris lucrabatur: ac varius quidam bonorum doctor erat puram Dei ſincerámque ſcientiam declarans: moralis virtutis accuratas regulas ſanciens: choreas ac ebrietatem, omnémque luxuriam ac turpem voluptatem, cui maximè, cùm plebs vniuerſa, tum is qui rerum potiebatur, deditæ erant, ab humana procul conſuetudine depellens. Grauiter quippè Neronem perſtrinxit, optimæ caſtæque illa conuerſationis inſinuatio; maiori à labefactata voluptate affectum dolore, quàm ſi Imperio pulſus eſſet. Etenim erat vt alius quis ſubtilis voluptatum inuentor atque artifex, deliciis captus, ac tibiarum ſe cantu recreans; ignauus molliſque ac effœminatus: ſcortorum præſes, non rex virorum. Qua enim ratione aliorum dominaretur, qui ne ſibi quidem imperare ſciret? id vnum curabat ac ſollicitus agebat, vt pietatis ac caſtitatis doctorem, ex vrbe exſcinderet. Ac verò Herodis æmulatus animum, Apoſtolos in carcerem tradit, vt ille Ioannem: habénſque alterius inſtar Herodiadis, impudicam ac Veneri mancipatam voluntatem, Petri ac Pauli quærentem caput, martyrio ambos coronauit: alterum quidem affigens ligno: Pauli verò ceruicem abſcindens: nobíſque ac vniuerſo mundo, feſtam lucem atque conuentum, ac tantæ argumentum ſolemnitatis, Sanctorum paſſionem relinquens.

Offendit apud Neronem ob doctam caſtitatem.

Hæc nobis, ter vos beati, annua lex recurrens attulit, vos quidem vbique ceu orbis communes athletas prædicans: veſtróque honore, hominum mentes ad meliora componens. Virtutis quippè honor, plurimum prouocat æmulationem: in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui gloria ac imperium in ſæcula: Amen.

ASTERII AMASEÆ EPISCOPI in Sanctum Martyrem Phocam.

Vt ſanctorū memoria vtilis.

PVlchra eſt ac vtilis honeſta colentibus, Sanctorum memoria. Nedum enim eos, qui virtutis ac pietatis deſiderio tenentur, ſermone erudit, verùm etiam eorum qui rectè vixerunt actiones, locupletes magiſtros producit. Idcircò etiam Dominus noſter egregiorum operum documenta tradens: *Qui autem fecerit*, inquit, *& docuerit, hic magnus vocabitur:* Et alibi: *Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Doctrina enim quæ ſermone conſiſtit, inferior imbecilliórque reali operis exhibitione, magiſtra exiſtit: ac quantò viſum auditu certiorem dicimus, tantò liquet actionem ſermone potiorem eſſe. In hunc modum ſcientias addiſcimus: in hunc modum edocemur artes: vt nimirum priùs ſermone ad diſciplinam prouehamur: túmque manu ac experientia, obſcuram eam firmemus. Ac Geometra quidem multa in libro poſita opera, ac aures, ſermone magiſtri plenas habens, haud aliter variarum figurarum vim perceptturus

Matth. 5. v. 19 & 16.

Actio, quàm ſermo, docendo efficacior.

Pulchra inductio.

perceptυrus sit, quàm vbi puncta ac lineas, circulósque in tabella didicerit. At neque Astronomiæ desiderium habentem, nudus sermo disciplinam docuerit; ac nisi erudiens, scienti arte globum coram versans, ipsis oculis poli motum exhibuerit. Medicus denique, rametsi laboris plurimum in Hippocrate, ac reliquis medicæ artis doctoribus posuit, rudis est artis curandi, donec plures infirmos inuisens, ab ægrotis ipsis sanandi modum didicerit. Sic nos quoque discipuli Martyrum, fortium virorum actiones, magistrorum loco nobis ante confessionis agonem statuentes, ad extrema vsque pericula, pietatem seruare docemur, qui nimirum sacros eorum loculos ac sepulchra, velut columnas literis insculptas, ac martyrij certamen accuratè prodentes, aspectemus.

Genes. 18. & 23. Vt sacra loca adspectu iuuent.

Quemadmodum autem qui accedunt ad quercum Mambre, vel ad coëmptam specum, quam Ephron Chettæus vendidit in Saræ sepulturam: quo loco ipse cum filiis Patriarcha iacet; statim cum locorum aspectu, animis imaginem renouant, ac mente contuentur fidelem Patriarcham; primitias illas religionis; primam in eo circumcisionem: sed & eos, qui ab illa radice germinarunt, surculos cogitant; nempè Isaac, Iacob; ac cum virorum recordatione, totius eorum historiæ spectatores fiunt: sic & ego hodie, ter beati Phocæ venerabile delubrum adiens, ex loci specie, omnium simul quæ de illo gesta narrantur, memoria repleor. Video professione hortulanum; animo simplicem: hospitalem; maritimæ regionis eximium decus; in mediterraneam beneficum; Sanctum illum Sanctorum; ac iis, qui Christi causa consecuti sunt gloriam, gloria potiori auctum.

Sacer quidem est ac diuinus vniuersus generosorum ac fortium Martyrum catalogus, passione, debitam pro passione referens gratiam: ac sanguine, pro sanguine debitam omnium Saluatori soluens remunerationem. Verùm in his ipsis non vna est omnium gloria, nec vna mensura cunctis æqualia attributa sunt præmia: quin primum & secundum, ne Sanctorum quidem effugit catalogus. Huius autem rei, vt arbitror, causa est, quòd sit iudex accuratus, nec quicquam in partem alteram inflecti queat. Intuetur enim & suppliciorum magnitudinem, & tolerantiæ constantiam; examinatásque certamina, pro meritorum ratione athletis distribuit præmia. Neque verò mirandum est, ita à Deo honorari iustitiam, cùm ne in humanis quidem Imperatores ac agonothetæ, viros fortes, aut pugiles, æqualiter vniuersos habeant: sed cuique, pro rei præclarè gestæ modo, dona congrua decernant.

Præmia dat Christus Martyribus pro meritis.

Hæc autem disserui, quò virum, qui hodierni conuentus nobis præbuit causam, sociis, ac pugilibus, qui eosdem desudarunt agones, illustriorem ostendam. Nam alij quidem, neque omnes apud omnes sunt noti, neque hominum sermone virtutem celebratam habent: Phocam autem, nemo est qui ignoret: sed quomodò Solis radius vniuersorum oculis explicatus est; ita etiam huius Martyris fama, omnium aures circumsonuit: atque vt paucis dicam, quotquot Dominum Christum nouerunt, iidem quoque eius nouerunt fidelem seruum. Verùm enimverò relictis, sic videtur, quæ ille cum aliis encomia habet communia, eximias Martyris laudes, Martyrum amantibus vobis recensebo.

Magna Phocæ nominis apud Christianos claritas.

§ Phocæ patria.

Tulit itaque sanctum hunc virum; magnum, inquam, illud Christianorum commodum, vicina Sinope, antiqua ciuitas ac nota, fortium virorum ac Philosophorum ferax. Ne quis enim mihi in præsentiarum diuersam religionem reputet: sed id tantùm, num omninò studiosorum virorum nutrix fuerit ac parens. Vitæ autem studium ei erat horti cultura, quem ibi ante portam ciuitatis in Isthmi ostio possidens, diligenter colebat, vt sibi ac indigentibus esset vitæ solatium. Sed & hospitibus, prompto ac alacri animo, paruam ac pauperem domum apertam volebat. Cùm autem habitaret in via publica, quæ suppetebat, aduentantibus communia promebat; ac Loth quidam medius, non Sodomitarum, sed Sinopensium erat. Porrò temporis processu, haud vacuum mercede mandatum inuenit. Viuificæ enim mortis occasio, ex hospitalitate lucro accessit. Vnde verò, ac quonam modo, paulò altiùs repetentem audite.

Vitæ studium.

Hospitalitas.

Cùm Christianæ pietatis sermone annunciato, diuina prædicatio ad omnem aurem exiret, Christúmque ac eius mysteria nota redderet, *fremuerunt gentes*, vt ait Psalmista, *Regésque ac Principes in vnum conuenerunt*: ac Christo regnante, errantes populi irascebantur. Quærebatur autem quilibet Christianus, tanquam maleficus: ac qui propè erat, puniebatur: qui verò procul erat, inuestigabatur. Quamobrem Phocam quoque, nequidem vile studium, hortulanique conditio celauit: sed is quoque, vt verus Christi discipulus, denunciatus est: Ac sanè ad eum venerunt, qui nulla iudicij forma, nulla defensione, à misera hac fluxáque vita, iussi erant abducere. Nam erat tale crimen, quod vir strenuus clara voce confiteretur: nullóque interrogante, operibus proderet: interrogante autem aliquo, impensiùs gaudens clamore efferret.

Psal. 2. v. 1.

Venientes ergo illius lictores supplicij, nostríque festi auctores, apud eum ipsum, qui quærebatur, diuersati sunt, vt neque ij cognoscerent, neque ab illo cognoscerentur. Interim verò aduentus causam celabant, vt cum prius accepissent, ex iis qui habitabant extra ciuitatem, quisnam esset Phocas, & vbi degeret, repentè inuadentes, vt quondam Iudæi Iuda duce Dominum in horto, comprehenderent. Ignorabant autem se prædam habere intra retia, canes, ouem: lupos, agnum: rapaces aues ac vncungues, columbam. Vt autem Isaias Propheta ait: Hœdus cum pardo accubabat, agnúsque cum lupis pascebatur, ac leones simul cum vitulo, commune conuiuium inibant. Cùm autem, vti moris est, mensæ societas ac consuetudo, fiduciam inuicem generassent, rogauit ex eis Martyr, quinam essent, ac qua de causa ad eius venissent ciuitatem. Illi verò alacrem viri susceptionem ac hospitalitatem reueriti, cùm præcepissent, ne quod auditurus erat cuiquam enunciaret, ei arcanum aperiunt, ac insidiarum exponunt fabulam: vt nimirum quærant capere puniendum Phocam. Quocirca hospitalitatis cumulo, hoc quoque beneficio ab eo affici rogabant, vt captando quem quærebant, vnà ipse operam conferret suam.

Isai. 11. v. 6. & 65. v. 25. Phocas occisores suos excipit hospitio, benignéque, etiã agnitos tractat.

Audiuit Dei seruus, immotóque animo auditum sermonem suscipiens, nihil abiectum, ac quod pusillum animum indicaret, passus aut locutus est: neque periculo exterritus spectauit fugam: ídque, eius ineundæ magnam ac liberam habens facultatem, cùm ij needum scirent, eum esse quem quærerent: contra verò omninò fecit, se fortiter gerere, non fugere statuens. Eorum itaque precibus annuit: &, Ego, inquit, in præsenti negotio vobis adiutor ero: Noui enim virum, & facilè quæsitum inueniam. Nec erunt longiores moræ, sed die crastina vobis eum ostendam. Vos tantùm in hoc meo paupere diuersorio requiescite. Vbi sic eis certò

certò promisisset, duabus se rebus dispertit; nempè excipiendis tota humanitate occisoribus, ac parando sepulchro. Cùm autem parasset fossam, & quæ ad sepulturam erant necessaria, ad eos postridiè accedens; Diligenter, inquit, vobis quæsiui Phocam, éstque iam parata præda; ac si lubet; comprehendatur. Illis autem præ gaudio quærentibus, vbinam vir ille esset: Non procul, inquit, sed vobiscum est: nam & ego ille ipse sum. Rem itaque exequimini, longíque itineris ac laboris scopum implete. Obstupuerunt animis homines, eóque audito, diriguerunt, salem ac mensam reueriti, munificúmque in paupertate conuiuam. Ad hæc verò, animos vt se interficerent exhortatione addebat; iubebátque ne quicquam dubitarent; dicens, ne fore quidem illorum manus cædem, sed eorum facinus, qui præcepissent. Dixit, persuasit, passus est, ac capite truncatus, grata Deo hostia oblatus est.

Parat sibi sepulchrum.

Capite cæditur.

Ab eo tempore hactenúsque, columnam eum ac sustentaculum diuinarum per orbem Ecclesiarum, ô viri, habemus; éstque ille Martyrum clarissimus, habens ipse primas partes inter optimos. Is omnes conferto agmine ad suum trahit domicilium, súntque plenæ viæ publicæ iis, qui ex vnaquáque regione ad locum orationis contendunt. Atque est quidem magnificum illud templum, cui obtigit, vt sacrosanctum haberet Martyris corpus, eorum qui affliguntur, relaxatio; eorum qui morbis laborant, officina medica: eorum qui esuriunt, mensa: Abundantiùs enim nunc alit Phocas defunctus, quàm priùs Ioseph in Ægypto viuus. Nam ille quidem frumentum permutabat pecunia; hic autem, gratis largitur egentibus. Sic mendicorum ac erronum turbæ ad Sinopes Isthmum, ceu ad commune aliquod penarium accurrunt. Sed illic quidem sic. Si autem etiam alibi; paucarum reliquiarum impertitione, veluti coloniam aliquam ex metropoli deductam, sibi Martyr constituit, est is quoque locus admirabilis, ac vniuersis Christianis desideratissimus: quomodo vtique, noster hic locus effectus est epulantium domus. *Pretiosa enim in conspectu Domini, mors Sanctorum eius*: multísque locis diuisæ reliquiæ, integram vbique ter beato viro, nominis seruant claritatem.

Phocæ templum.

3 Eius dispertitæ variis locis reliquiæ, vbique claritatem habent. Ps.115.v.15.

Sic etiam in regia ciuitate, Italiæ principe, ac mundi totius regina, vniuersi populi concursu honoratur Martyr ac celebratur, habétque insigni pulchritudine extructam ædem. 4 Non minus autem Romani Phocam colunt, quàm Petrum & Paulum. Quamobrem vt ferunt, caput Martyris summo studio compararunt, contrariam sceleratæ Herodiadi assumentes sententiam. Nam illa quidem sanguinem sitiens, iusti caput venerandum poposcit ad contumeliam: illi autem honoris causa, suæque ipsorum vtilitatis, dignè sibi Martyris caput vendicarunt.

S. Phocas Romæ celebris. Citatur hic locus in 7. Synodo.

4

Nautæ autem, ac qui sunt vectores, non solùm qui transmittunt Pontum Euxinum, verùm etiam qui secant mare Adriaticum, ac qui feruntur super Ægæum; qui item Occidentalem nauigant Oceanum, quíque maris Orientalis sulcant sinus, consueta celeusmata, quibus nauigationis labores recreant, in nouam Martyris laudationem verterunt, totúsque eis in ore est Phocas decantatus: quippe in præsentis auxilij perspicua argumenta præbeat.
5 Nam sæpè visus est, nunc quidem noctu, maris procella inturgescente, excitans gubernatorem ad clauum dormitantem: aliquando autem rursus tendens rudentes, ac veli curam gerens; éque prora, breuia prospiciens. Quocircà nautis lege constitutum est, vt Phocam conuiuam habeant. Quia verò nequit fieri, vt qui nunc incorporeus existit, conuiua ac mensæ particeps fiat, videte quomodò pia cogitatio, quod factu impossibile videatur, facilè reddiderit. Quotidie enim, æquam vnam, pro comedentium ratione, partem, Martyri attribuunt. Eam autem vnus aliquis è conuiuis emens, deponit pecuniam; idem alter sequenti die, ac tertia, alius: Sórsque illa emptionis vniuersos obiens, partis emptorem quotidie suggerit. Postquam autem eos portus exceperit, distribuitur famelicis collecta pecunia: Idque pars Phocæ est: pauperum beneficentia.

Nautarum vbique patronus.

Pia lex Nautarum de S. Phocâ.

Eum quoque Reges admirantur, qui fortissimus religiosusque extiterit, suscipiendique Pauperis ædem sacram; præclaris ac magnificis exornant donariis. Contendunt, qui iuniores accedunt superare veteres. Nec iam mirum, vt Romani Imperij homines pij, quorum vita regitur moribus atque legibus, vsque adeò Christi famulum venerentur, cùm ad vsque Barbaros peruenerit admiratio; ferissimíque omnes Scythæ, quotquot, inquam, habitant continentem ex aduerso Pontis Euxini; accolæ lacus Mæotidis, ac fluuij Tanaïdis, ac quicunque incolunt Bosphorum, & ad Phasidem vsque fluuium extenduntur; omnes, inquam, hi, obsequium Olitori præstent: cúmque moribus omnibus ac studiis à nobis differant, hac vna re sola nobis consentiunt, vt eorum feritas morum à veritate mansuescat. Vnus certè illinc Princeps Réxque, coronam capitis deponens, auro, ac gemmarum floribus magnificè splendentem, exuénsque pretiosæ materiæ bellicam loricam. Quippè superba est ac luxuriosa Barbarorum armatura: vtraque misit donaria, Deo per Martyrem, potentiæ ac dignitatis consecrans argumenta. Clarum enim est, misisse coronam, vt pro regno gratias ageret: loricam verò, vt pro virtute bellica.

Nota quàm celebris hic Martyr.

Regis Barbari præclara donaria.

Quæ autem propter hæc continuè eueniunt beneficia per visiones in somnis, ac curationes, quas ægroti consequuntur, quo quis modo narrauerit, cùm sermo ad singula accedere non possit? Nos ergo hîc desinentes, Saluatori gloriam offeremus, cuius serui fideles tantam gratiam sunt consecuti, vt in omni necessitate ac casu, pro concesso eis dono, conseruis suis benefaciant: ídque postquam ab humanis excesserint, fuerintque separati à corpore. Quorum memoria efficax, quotidie peruadens ciuitates ac vicos, vbique benefactorem Dominum prædicat: quem decet omnis gloria, honor, & potestas, ac magnificentia, nunc & in sæcula sæculorum, Amen.

EIVSDEM ENCOMIVM IN Sanctos Martyres.

Licet, vt videtur, etiam à vehementer infensis & implacabilibus inimicis, lucrum aliquod vel maximum capere: ac cùm reliqua vitæ experientia probat, tum quæ modò sunt celebrata. Nisi enim diabolus Christianos persecutus esset, ac aduersus Ecclesiam bellum suscepisset, nullos haberemus Martyres: Iis autem non extantibus, mœsta ac nihil hilaris festáque, vita nobis ageretur. Quid enim solemnibus hisce conuentibus comparari queat? Quídve adeò venerabile ac præclarum, quàm vt vrbem totam mœnibus effundi videas, atque ad sacrum locum procedere, pura illic sincerissimæ pietatis mysteria celebraturam? Porrò vera pietas est, vt eos veneratione ac honoribus prosequamur, qui forti pro Domino, animo, tormenta passi sunt, ac aduersum

Diabolus persequendo Martyres fecit.

Frequens ad martyria concursus in Natalitiis Martyrum.

aduersum mortis supremum discrimen decertauerunt; quorum principes sunt, ac duces, qui nos hodie in concionem vocarunt; viri nimirum, præclaræ mortis titulo immortales; vitæ contemptu, perpetuò viuentes; quique regnum sanguine commutarint, ac carnis insidias in beneficium verterint. Sic planè, cùm bona voluntas aurigæ instar præsederit homini; sibique eius appetitus omnes ac agitationes subiugauerit, ac velut habenas, animi cogitatus attentè sobriéque pertenderit, extimulando ignauiam, ac nimiam incitationem cohibendo, nequit fieri vt vitæ cursus incompositus, ac periculo coniunctus existat.

Martyres, nostri accusatores. Itaque habemus Martyres, qui nedum vitæ probè instituendæ magistri sint, sed qui etiam peccati accusatores. Qua autem, Martyr, ratione, accuset ac vocet in crimen, ita accipe. Cùm ille per constantiam flammæ ignis victor extiterit, quidni tu luxuriam castitate domas? Cùm Martyr nullam diuitiarum ac pecuniarum, quas dimittebat, rationem habuerit: quidni tu iustitiæ causa paucos nummos contemnis? Cùm Martyr noluerit genus ac familiam prælatum Deo, sed ab vxore, liberis, charissimus abiunctus sit: quidni tu impensiorem castigas affectum: quinimò, propter aliqua tibi fortè necessitudine coniunctas personas, iustitiam conculcas, nec Dei timorem reputas? Cùm Martyr Numinis causa ipsum exuerit corpus: quidni tu vel modicam tunicam, qua nudum tegas, contemnis? Hæc sibi ex aduerso composita, nostram arguunt morum prauitatem. Vel ergo Sanctos, vt magistros reuereamur, vel vt accusatores timeamus, iisque ipsi consentaneam exhibeamus viuendi rationem, quos honore prosequimur: atque in eum etiam modum Deo obediamus, in quem illi obtemperauerunt mandatis, ac promissa firmiter sperauerunt.

Spei vis. Spes namque spiritalium bonorum, proba admodum fortitudinis ac tolerantiæ existit doctrix; quæ nimirum, velut idoneum pignus, certáque arrhabo animis insidiens, periculum omne imperculsos iubet aspicere, ac reipsa ferre strenuè. Atque id, consentanea maximè ratione. Sic enim ferè hominibus natura comparatum est, vt iis laboribus, quibus nihil præmij propositum sit, molles ac resoluti efficiamur, eósque vicissim vegeti ac alacres adeamus, qui præmia ac honores finem habent. Quamobrem vniuersi Martyres, Euangelicæ illi scripturæ animum adhibentes, qua Dominus sacros pugiles ac Dei amantes hortatur, dicens: *Si quis confitebitur me coram hominibus, confitebor eum coram Patre meo*: pro ea confessione, immotis animis acutum ferrum tolerarunt, ac rogos conscenderunt, corpúsque ferarum faucibus vorandum præbuerunt, ac quique dorsa virgis subiecerunt, lateráque vngularum aculeis laniati fuerunt: ferrea vincula pertulerunt, tenebricosósque carceres domicilium habuerunt: famis necessitate oppressi sunt, ac siti extabuerunt: instar lapidum, facies cædentibus exposuerunt: iniurias, vt surdi audierunt: velut muti, ad eos qui probris ac sannis exciperent, siluerunt: mediis populis ac theatris ignominia producti sunt: toto nudato corpore per forum ac plateas fuerunt circunducti; nec viri tantùm sed etiam fœminæ, quod miseriam omnem vincere videatur. Alij igne fuerunt combusti; alij hyemis gelu obriguerunt: variis modis præclara nobis facinora partiti sunt, quò cadentes, ac morte victore efficerentur.

Matth. 10. v. 32.

Reliquiarum Martyrum veneratio; eorúmque inuocatio. Idcircò pia corpora, decenti ornatu componentes; benedictionis vasa illa; beatorum animorum organa; philosophorum hospitum domos, ceu pretiosissima pignora in omne sæculum conseruamus; iisque, tanquam præcipuis donis nostris munimur: ac Ecclesia, Martyrum satellitio, haud secus atque ciuitas armatorum manu, protegitur, coguntúrque celebres populi totius conuentus, ac solemnitatum iucunditatem percipimus, ac iis recreantur. Qui humanæ vitæ aduersis casibus ac calamitatibus vexatur velut ad asylum quoddam ac perfugium, ad ter beatorum requiem ac solaria, festinè accedunt. Precum illos ac orationũ intercessores adhibemus; propter excellentem, qua pollent, fiduciam. His præsidiis leuantur paupertatis incommoda: curantur morbi, ac principum minæ sedantur: omniúmque sæculi turbinum ac tempestatum tranquilli portus, sacra Martyrum delubra existunt. Protectio ac cultus.

In hunc modum pater, seu parens altera, infirmam prolem tollens, atque in vlnas suscipiens complecténsque, medicas quidem officinas ac medicos transcurrit: ad auxilium verò artis expers confugit: atque ad vnum aliquem Martyrum adiens, per eum Domino orationem offert, verbis eiuscemodi compellans eum, quem mediatorem ascifscit: *Qui propter Christum es passus, intercede pro passione morbóque. Qui fiducia polles, conseruis commoda sermonem: tametsi desijsti in humanis esse; at nosti quæ sint passiones ac morbi humani generis. Tu quoque quondam Martyres obsecrasti, priusquam ipse Martyr existeres. Accepisti tunc quærens: modò cùm habeas, largire. Tui præmij cumulo postula, quod nostro cedat commodo. Tuo sanemur liuore, vti mundus liuore Christi.* Alius ad nuptias pergens, thalami exordium facit, quas in Martyriis preces fundit. Quis item in procinctu nauigationis, non prius nauis rudentes soluit, quàm maris Dominum per Martyres inuocauerit. Mendicorum porrò populi, ac pauperum turmæ Martyrum requiem ac refectionem lares communes habent. Vbique autem terrarum ac maris decantantur Martyres. Id planè congruè atque meritò. Non enim communi ratione gesserunt iustitiam, sed ipso corpore baiularunt crucem. Non disperserunt pecunias, sed sanguinem effuderunt. Non miserati sunt pauperem: sed nec sui ipsorum sunt miserti. Non inuiserunt afflictum in carcere, sed ipsi catenas portauerunt. Quamobrem eam gloriam ac honorem consecuti sunt, quæ æquis modis patientiæ eiusmodi ac malis responderet.

Pia supplicatio ac prosopopeia.

Isai. 53. v. 5.

Martyrum excellens virtus.

In hunc itaque modum Martyres: at vbi eorum tyranni ac occisores; qui alta sapiebant, ac superba comminabantur: qui super excelsos thronos sederunt, nec suum principem agnouerunt? Rugierunt leonum instar, pardis velociùs cucurrerunt: vrsis ferociùs discerpserunt: velut lupi sanguinem effuderunt: tanquam vulpes dolum fecerunt. Ij verò tales iacent ipsis mortuis abominabiliores. Vitam suam obliuione obtexerunt: infernum habent sepulchrum; titulúmque, impietatem: ac memoriam, infamiam. In cassum eos pœnitet: frustra gemunt: Eos autem, quos illi dehonestarunt, sempiterna excepit memoria, ac laus senij expers. Quandiu enim rerum gestarum narrationem atque honores, ætate iuniores à senioribus suscipiunt, auúsque nepoti, siue etiam pater filio, eorum tradunt cultum, immortalem laudem efficiunt: ac ceu inuiolabilem quandam hæreditatem, hasce sæculo celebritates per successiones conseruatas transmittunt: quin rem quoque multis hæreditate cariorem. Nam hæreditatis bona, vel fur abstulerit, vel hostis acceperit spolij loco, vel rerum aduersus casus euacuauerit: virorum autem sanctorum memoriæ festam lucem, nullus exciderit annus; quandiu anni erunt, ac curret tempus, cœlúmque habebit solem,

ac

ac terra pascet suas animantes; maréque item proprias: quinimò, vt veriùs dicam, his quoque cessantibus elementis, tametsi putent aliqui nunquam tamen Martyrum ac Iustorum gloria extinguetur, nec cum creato mundo visibili morientur, quæ eorum celebris memoriæ sunt; quin & maiori tunc decore florebunt, transmutata in vitam incorruptam humana natura.

Licet autem incredulis, ac iis, qui de futura spe nostra ambigunt, ex iis quæ æuo hoc aguntur, certa bonæ nostræ expectationis accipere pignora. Ecce enim per vniuersum orbem impletus est Christi athletarum circulus, nec est locus vllus, quo non eorum memoria habeatur; anníque tempora omnia, terræ donis ac frugibus potiora pugilum gesta, celebraturis ac festa agent bus conferunt. Quocirca vt aliquis sedulus esset Martyrum amans, atque omnium passionibus, festi vellet celebritate litare, ne diem quidem in anno non festum præteriret. Vniuersi etenim; solari ipso globo illustriorem mundum, præclara strenuorum virorum facinora habent. Quia enim is, qui bonis aduersatur, vi maxima Christianorum moliebatur pessundare mysterium, vniuersósque furfuribus aspergens, sensis suis ac affectibus obruere nitebatur, ac casso labore, luti operibus occupare: strenuorum Deus virorum copiam iniquitatis instruens, atque ad tolerandum, ac virtutis edendum specimen, erudiens informánsque impudenti illi, ac insidiis humanum appetenti genus obiecit Hi verò, nouum desudarunt, ac nihil consuetum, certamen. Nec enim cædendo ac acies perfringendo victores extiterunt, sed patiendo atque occisi strenuè habuerunt.

Possunt quotidie celebrari Martyrum festa.

Qualis verò, inquies auditor, belli victoria? Quodnam autem genus illud facinoris vt tormentis quis, ac verberibus subiiciatur; ad hæc autem, vt igni, vel gladio, aut carceris maceratione finiat vitam? Verùm noueris, quæ bella suscipimus pietatis ergo, secus geri atque alia. Nam alia quidem bella, in cædibus ac strage hostium, fortitudinis specimen habent; hæc autem, certantium passione ac morte victoriam pariunt. Porrò Sancti, pro ea qua pollent fiducia, mundi intercessores existunt: nesciénsque hostis, in eorum quæ habebat proposita, contraria incidit. Quot enim Martyrio perfunctos occidit, tot hominum adiutores fecit. Videásque, in omnibus quæ designauit, hoc ipsum passum esse. Vnde putat pietati se impedimentum allaturum; inde augmentum pietati asciscit. Dei námque sapientia, stulto illi ac insano consilia in contrarium vertit: ídque ita, cuiúsque temporis res gestas recolentes, habere inuenimus, puta, Moysis expositionem: venditionem Iosephi. Statim in principio secundum hominem Abelem occidit, quo piorum exscinderet semen: secùs autem euenit. Ab eo enim tempore, quo Deus maledixit Cain grauì homicidæ odio habentur. Sic in Christo, quem satanas cruci affigendum in Iudæorum animos immisit. Hoc vtique ipsum illi in Martyribus accidit, quorum plures subterraneas memorias spernunt, eorum eleuantes ac vili pendentes dignitatem. Nonne, inquiunt, ille homo est? Nonne corpus absumptum est? Nonne eorum memoria in pauculis reliquiis, iísque sepultis posita est? Hæc planè Gentiles obiiciunt, ac Eunomiani: nos verò ad vtrosque dicamus.

Martyrum peculiare vincendi genus.

Martyres mundi intercessores.

Martyrum memoriæ subterraneæ.

Eunomiani Gentilibus socij abrogandis honoribus Martyrum: vt & vtrisque noui sectari.

Nos minimè gentium adoramus Martyres, sed tanquam veris Dei adoratoribus habemus honorem. Non colimus homines; sed eos admiramur, qui tempore persecutionum in Dei præclarè cultum absumpti sunt. In loculis ac sepulchris pulchrè elaboratis deponimus, structurísque magnificas eorum requietionis excitamus domos, vt eorum qui præclarè vita functi sunt, honores æmulemur. Nec verò mercede vacuum in eos exhibemus studium, sed eorum apud Deum patrocinio fruimur. Quia enim non valent nostræ preces Deum inflectere, ac impetrare necessitatis tempore, ac molesta calamitate: Quippe cùm nostra oratio, non obsecratio sit, sed delictorum commemoratio: idcircò ad conseruos confugimus Domino charissimos, vt pro quibus egregiè ac ex virtute egerunt, nostris illi delictis medeantur. Quodnam ergo istud crimen, vt Martyribus honorem habentes, ipsi quoque placere Deo studeamus? Quod, inquam, crimen, vt ad patronos confugiamus? Sed & tua deinceps exquiramus, num qui accusas, ipse sis ab omni mundus crimine. Qua id verò ratione; cùm sexcentos mortuos homines, non honore prosequaris, sed vt Deos adores?

Non adorantur Martyres sed honorantur, ac patroni apud Deum asciscuntur.

Nonne tu Cererem ac Proserpinam, pro tua amentia, deorum honore auxisti; duóque muliebria templa extruxisti, ac honoras victimis fœminas, varióque omni cultus genere adoras? Nonne tuæ religionis velut caput ac summa, mysteria sunt illa Eleusinia; ac populus Atticæ, Hellásque vniuersa, celebrandæ causa vanitatis pariter concurrit? Nonne illic obscurus ille descensus, ac honesta illa sacerdotis ac vatis, cum fœmina sacerdote, colloquia; solius, cum sola? Nonne extinguuntur faces, plurimúsque ac innumerabilis populus, suam ipsorum salutem arbitranti r, quæ sic in tenebris ab ambobus fiunt? Nonne tu Dionysium Thebanum vt Deum adoras? Etenim patriam dico, quò hominem noueris. nempè vinitorem virum, ac vino deditum; ebriosum commensatorem; qui populum turpiter lasciuientem agmine traheret; ea facientem, quæ luxuriosos ganeones notent; pocula verò miscentem cum Sileno sene, ac cum Satyris in tripudia effusis, epulis ac mero indulgentem: virum denique, vini ac crapulæ mundo fabulam Nonne tu Herculi existenti viro, tanquam Deus esset victimas offers; robusto homini, poténsque ac fortè adepto corpus; adorásque quòd sæpius strenuè egerit, ac ferarum edomitor fuerit? Quid verò rursus Æsculapium illum, magnam orbis partem in ferula ac ferrea pixide vagatum, nonne colis ac admiraris? Nec sanè, hoc te facere, inficias ieris. Quippe orbe toto extantia templa, Æsculapio, inquam, Herculi ac Dionysio sacra, tuæ illius vanitatis argumenta existunt: sícque ego quidem à crimine liber ac absolutus abibo; Non enim adoro Martyres, nec Deos reputo: te verò liquet teneri criminibus, ídque cùm eorum alios reos agas; in eorum morem, qui mala agente conscientia, priores ipsi innoxios in crimen vocant. Quippe probatum est, homines te adorare, non Deos. Pauca hæc è multis aduersus Gentilem.

Dij gentilium ex hominibus.

Nouæ autem factionis Iudæi, quid mirum vt Martyres inhonoretis qui Christum spernitis, vestrísque ipsorum sermonibus ab æqualitate Paterna separatis; quíque loca, quibus requieuerint sacra corpora, velut profana ac immunda caueatis? Enimverò, qui non cogitatis quod operæpretium est, timere Christiani appellationem, qui cùm Gentilibus Martyres odio habeatis. An nescitis Christum principem esse Martyrum, qui primus passus sit, ac seruis æmulationem dimiserit? Post eum Stephanus pro nominis ille ratione, Deo consentaneæ ac religiosæ claritate pugil. Tum Discipuli omnes ac Apostoli. Vide autem vna iniuria, quam multos probro afficias: Ioannem Baptistam: Iacobum illum Domini fratrem appellatum; Petrum, Paulum, Thomam.

Aduersus Anomæos Hagiomachos.

Hos nomino tanquam Martyrum duces. Ad hæc, immensam eorum multitudinem, qui vitæ causa morte defuncti sunt. Parúmne tibi vt hos offendas? Leuéne periculum vt eorum hostis habearis? Horum quilibet diabolum vicit, vnà cum dæmonum malo sodalitio; fuítque adscriptus Angelorum collegio, ac tanquam probatus pugil publico præconio celebrandus in resurrectione seruatur. Astabit enim & ipse, Deo ac Saluatore nostro apparente, ó que aperiet in fiducia, Angelorum lætus spectaculo Dei se gloria beatum prædicans à verberibus, vinculis, tormentis, morte vtili: quod ea, immortalis ei vita accesserit.

Verùm scio quid hæc audiens sentias, ac dicas. Sum & ipse talium capax. Modò viuam è virtutis ratione, nihil deterior, aut minori honore futurus
Luc.18.v.11. sum, ab iis quos nunc admiramur. Planè verò: Sunt hæc animi arrogantis verba; eius qui seipsum iustificat more iactabundi illius Pharisæi, atque ab omni humilitatis sensu aliena. Palam verò liquet, nisi quis priùs se ipse humiliauerit, non prouehendum ad id quod est altum ac sublime: Dominica namque sententia est. Quin vt aliquis talem te futurum certò spondeat, ergóne nolis, obsecro te, iis habet reuerentiam, qui tibi pietatis viam initiauerunt? qui bonorum fuerunt duces? qui virtutis doctores? qui ad tolerantiam, ac mortis contemptum erudierunt? Disce à sæculi huius ac mundi discipulis, probos ac gratos mores; vt cùm magistris similes euadant, nec eis quicquam de artis peritia desit, magistrorum tamen osculentur pectora: reuereantur; laudibus celebrent: eis concedant primas, colant vt patres.
Sanctorum à morte efficax protectio, multiplici declarata exemplo. Multa Sancti valent, tametsi vita functi; cúmque migrarint è sæculo, beneficiis tamen impertiunt homines: ac quidem Elisæus fidem abundè dictis astruit: qui nimirum, cùm diu antè à sæculo migrasset ac mortis somnum accepisset, immortalem tamen ac indiuulsam Dei gratiam acceperit, tumulo assi-
4.Reg.13. v.21. dentem, ac mortuis ossibus hærentem. Nosti, quisquis existis studiosus scripturarum discipulus, vt cùm mortuus aliquis necessariorum cura funere efferretur, superuenientibus repentè latrunculis siue hostibus, vti facilè in angustiis eiusmodi ac turbatione accidit inter beati Prophetæ sepulchrum proiectus, confestim receperit animam, atque ad vitam redierit. Quid ergo dicturi sumus pro eo quod fuit
4.Reg.4. v.33. gestum? Ergóne sensum habuit vir iustus eorum quæ gererentur? Precésne emisit, velut pro filio Sunamitidis? Verùm nihil eiusmodi, rerum nobis veritas cogitandum ingerit. Nam vir iustus à multis iam annis tumulo iacebat, corpúsque in cognatum puluerem, ac sui generis cineres, fuerat resolutum: Liquet autem, Deum, qui addictos ipsi homines, post etiam mortem semper clarificet, mirabilia hæc ad sepulchra eorum, ac loca quibus quiescant, operari miracula; quò posteri perpetua serie pignus habentes præclaræ conuersationis, vitæ cursum consummant. Eodē modo Elias huiusce præceptor Prophetæ, post equos flammeos ac igneum currum, in alia agens vita; ac ab humanis ad locum migrans, quem est cōsecutus, amplissimum suæ virtutis melotem reliquit symbolum. Tametsi, quanti illa pretij videbatur? Nihil quippè aliud erat quàm pellis mortua, vsu iam ac vetustate inutilis. Hanc nihilominus ipse reformidabat Iordanis, mediáque scindebatur aqua, ac discreta stabat, quâ olim ratione sub Iesu, qui futuri figura fuit. Aderat autem, cùm etiam abesset Thesbites ille, ac Philosophi indumentum, discipulum demulcebat, præstante Dei clementia, vt is tutò flumen transiret, Sanctorúmque indumentis honorem habente, tanquam animata essent. Atque vt perspicuè palam esset, miraculum illud in flumine, non percutientis meritò patratum esse, sed eius honoris causa, qui excessisset, ac fuisset assumptus; Elisæo aquam percutiente, fluebat illa nihilominus more solito, cùm nihil ei noui accidisset. At vbi ille frustrato conatu clamasset: *Vbi est Deus Eliæ?* clamánsque iterum aquas attigisset, mox flumen diuiso fluento, nudam aridam ostendit, Prophetáque pedes ad ripam alteram peruenit.

Ioseph autem, non tam peculiari affectu patrem defunctum amans, quàm gentis Patriarcham, ac generis caput honorans, eius ex Ægypto reliquias Gen.49. v. 29.
celebri adeò cultu reduxit, vt Moyses cum mundi creati ac historia reliqua, hanc quoque narrationem mundo tradendam, ac litterarum monumentis consignandam putauerit. Rursum verò Pharao ipsa vi- Exod 13. v. 19.
gilia vt ita quis dicat, sublatum ab oculis ab Israële proficiscente, Iosephum amisit. Porrò vbique corpus comes populo aderat, multáque cura ceu quid bonum ac præstans ducebatur, atque vt tuta sexcentorum trium millium ac quingentorum multitudi- Num.1. v. 46.
nis virorum, à malis defensio ac tuitio: eáque reuerentia aui vrnam prosequebantur, qua sacram arcam portantem Dei legem. Quocircà etiam Dauid quodam loco Deum obsecrans propitium fore populo ac placabilem, innumerabilibúsque supplicationibus obtestans, vt iuges mutuóque succedaneas calamitatum plagas sisteret, fausta rursum prouidentia Hierusalem gubernaret, ac qua olim gubernata esset, ita ait *Qui regis Israël, intende: qui deducis velut ouem Ioseph* Deum enim flectere nititur Psal.79.v.1.
charissimorum ac amicorum nomina in medium adducens, solerterque admodum supplicationem obit, impiæ scelera multitudinis, Sanctorum Patrum appellationibus velut celans ac obtegens.

Eundem quoque nobis sensum suggerit, qui de Sodomis extat sermo. Abraham námque pro Sodomitis deprecans, quo Deus tempore illis infensus, quam prædixisset intulit pœnam, iustorum illic contemplatione populum vniuersum saluum fieri rogabat. Incipiens enim à quinquaginta, in decem desiit, Deo statim annuente supplicanti, velut statera quadam ac bilanci libra, innumerabili peccatorum turbæ, Iustorum denarium contrà penderet. Atque vt ampliùs declararetur, vel vnum Iustum rem esse pretiosam ac Deo caram, cùm dena quidem multitudo desiderata esset, tantúsque ille peccatorum populus, ne paucos quidem eiusmodi Iustos habere, deprehensus fuisset; essent verò scelesti audaciæ daturi pœnas, Loth vnus violenter trahitur à locis maledicto addictis, ac cum tota familia saluus efficitur, acceptis à Deo in iustitiæ præmium vniuersis domesticis.

Magna ergo res, vir iustus; qui se ipse primùm iuuet; tum vniuersæ deinceps genti existat amplissimus thesaurus: adspectu quidem ignotus, quique nihilominus semper adsit, ac alios ipsis erudiat rebus: olim mortuus: rerúmque præclarè gestarum celebritate viuus. Filiorum bona hæreditas, ac inuiolabilis: quam non absumat tempus, nec fur auferre possit: quippè quæ incorporea, ac nulli concreta materiæ sit, in incorporeis vigens animabus. Vides vt & gloriosi inclytique Israëlitæ, quanquam omnibus spoliati, ipsóque amisso solo patrio, haud tamen claram illam à Dei amante auo ac Patriarcha appellationem amiseri atquin etiam Barbaris mancipati, iustitiæ patrum merito, libertatem adepti sunt; atque in deserto agentes, ob parentum clara facinora, cibis donati: cúmque continuè peccarent, ac sæpiùs in blasphemias ora soluerent, essentque digni iudicati qui exterminio punirentur, Abrahæ

tamen causâ indulgentiam meruerunt, ac propter Israëlem consecuti sunt veniam: duro corde filij parentum merito salute donati.

Scis verò quisquis studiosus es ac discendi cupidus, vt in primis cùm Deus Moysem à gregibus ouiũ ad populorum vocaret præfecturam, hæc dicat statim ad seruum suum: *Ego sum Deus, Patris tui; Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob:* ac paulò vlteriùs producto sermone ista addat: *Congrega seniores filiorum Israël, & dices ad eos: Dominus Deus Patrum vestrorum mihi apparuit: Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob:* sicque Deus ipso statim initio, patrum iustorum nomine velut nota quadam nepotes insignit; qui bonum sciat ac vtile, vt ab illis, ac eorum specimine cognoscantur. Verum processu temporis, cùm populus in iniuriam prorupisset, eius, qui beneficio affecisset, ac Saluatoris contemptum, vitulíque fabrica ac adoratione offendisset, ac adorassent inanime cranium, animæ omnis ac rationis sensum amittentes; cùm nihil hîc Moysi suppeteret, quo Dominum discipulis placaret, ærumnosus tandem pædagogus ad Patrum memoriam confugit, iísque sibi adiunctis, supplicationem promit. Sic enim ait: *Esto placabilis super nequitia populi: Recordare Abraham, Isaac, & Iacob seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, multiplicaturum te semen eorum sicut stellas cœli.* Erat grandis ira, furor indeprecabilis: vbi tamen sapiens ac industrius supplex, Patrum personas adhibuisset, ac senum multas intercessiones ex memoria Deo obiecisset, flammæ instar pœnam extinxit, Patrum oleo insanientium filiorum vulnera curans.

Exod. 3. v. 6.
ibid. v. 16.
Exod. 32. v. 12.

Relicto Moysis libro, ad libros Regum transi. Etenim illic quoque filium videbis indulgentiam consecutum, eò quòd proles est patris Dei amantis ac pij. Is porrò celebratissimus ille Salomon est. Cùm enim ille processu temporis, nedum passionibus dominaretur; sed & illis seruus effectus, ac vitæ neglectu incontinentissimus luxuria euadens, paternam quoque pietatem ac religionem mutasset, legis offensiones, idola fabricans; ait ad eum Deus: *Scindens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo: Verumtamen in diebus tuis non faciam hæc propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui accipiam illud.* Hæc nos historia docet; Sed & Psalmorum cãticum eodem sensu hæc habet: *Iunior fui, etenim senui, & nõ vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.*

3. Reg. 11. v. 11.
Psal. 36. v. 25.

At, vt videtur, vbi semel anima contra veritatem sudere præsumpserit, atque eo statu habet, vt vitæ loco nouum aliquid moliri vesanè existimet, nihil est, quod ad rectam ac ex ordine compositam viam conuertat: quin frænum mordens, ceu pullus quidam tractatu difficilis, in barathrum proruit; sessore animo ac mente vehementiori in nequitiam agitatione superato: quod vtique hos quoque Eunomianos factitare videas: sic enim lubentiùs appellantur, quam Christi homines qui Deum blasphement; Dei homines probro afficiant; magísque loca auersentur, quibus Sancti requiescunt, quàm sobrij homines altaria, profanáque ac polluta dæmonum sacris, loca. Porrò par erat, vt qui eiusmodi dementiæ student, quique temeritatem in omnes virtutis loco habent, vel saltem dæmonum reuererentur voces, clara palam voce contestantium virtutem Martyrum; ac quémque illorum velut præsentem, atque eos ab obsessis hominibus abigentem atque fugantem ex nomine compellantium. Siue autem quis ea velit aduersus immundos spiritus præstare pietatis athletarum exercitus, siue Angelos qui ad eorum, qui requie donati sunt, honorem, sacris eorum delubris assideant, nihil interest. Nam

Eunomiani, sic lubentes appellati. Summum odium in Martyrum cœmeteria.

Dæmones reuerentur ac sentiunt Martyres.

quicquid dicatur, ad eorum gloriam est, qui Christi causâ morte sunt defuncti. Porrò palam quotidiè elucent, alia aliáque, ac diuersa Martyrum beneficia, quibus malè à satana vexati liberentur. Qui enim nuper more canum latrabant, ac quondam inexplicabilibus tenebantur furoris noxis, nunc sobrij ac sani videntur, ipsísque rebus Martyrum intercessionis fiduciam atque vim testatam vniuersis adspectantibus faciunt. Sicut autem Saluatoris nostri potentiæ indubitata argumenta in medio Hebræorum populo obambulabant, tum quos lepra mundasset, tum cœci quibus sanasset oculos, tum si quis paralyticus obfirmata membrorum compage, nullo impedimento ambulabat: sic & modò, qui crucem crucifixi Saluatoris causa portauerunt; eius quam à Domino acceperunt gratiæ perspicua documenta præbent, variis ac diuersis modis conseruorum morbos curantes. Ac quidem Paulus, Petrúsque; ille quidem cùm eiecisset spiritum Pythonem: hic autem, claudum illum in templi vestibulo iacentem erexisset, eiusce modi miraculorum potentia, Hebræos Gentiléisque ad obediendum Euangelio conuerterunt, at malum hæreticorum agmen qui nostrum hoc sæculum malè turbant, ne à rerum quidem ac miraculorum præstantia Martyres reuereatur: vocant verò eorum cœmeteria; nuda ac profana voce πολυανδρεῖα ac sepulchra communia: ipsáque vestibula tanquam polluta infectáque execrantur: nec meminerunt diuini illius oraculi ore omnium celebrati, *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Itaque precemur Deum: sed & Martyres obsecremus, vt à communi Domino impetrent, dari spiritum compunctionis iis, qui hæretico errore aguntur: & vt soluta omni dubitatione, tanquam pariete ac maceria, fraterna omnes vnitate conueniamus in Christo Iesu Domino nostro, quem decet gloria in sæcula: Amen.

Act. 16. v. 16. & 3. v. 2.
Psal. 115. v. 15.

BEATI ASTERII AMASEÆ Episcopi, Enarratio in martyrium præclarissimæ Martyris Euphemiæ.

Ex dupl. Reg. collata cum editis in 7. Synodo act. 4. versio noua.

NVper, ô viri, Demosthenem, egregium illum Oratorem, præ manibus habebam, eámque Demosthenis orationem, qua ille Æschinem acerbis enthymematibus impetit. Diu autem prolata lectione penéque obruta mente, aliqua remissione ac ambulatione, quo fessus animus nonnihil labore leuaretur, egebam. Egressus autem domo postquam in foro aliquantulum cum notis ambulassem, illinc me in Dei templum otiò oraturus recepi. Cùm verò hoc quoque consecutus, vnam quandam ex porticibus transirem, vidi in ea picturam quandam, cuius me species omninò cœpit. Dixisses Euphranoris artificium esse, aut eorum alicuius, 1. qui olim plurimum dignitatis picturæ conciliarunt, non aliter pingentes, quam si viuas in tabulis formas exhiberent. Adesdum verò, si voles: quippe etiam nunc per tempus enarrare licet: egóque picturam exponam. Neque enim nos musarum alumni peiores pictoribus colores habemus. 1.

Sacra quædam fœmina, intemerata Virgo, suam Deo castitatem dicauit: Euphemiam appellant. Cum autem quandoque tyrannus pios homines ac Christianos persequeretur, illa admodum alacris vitæ aleam spontè adiit. Ciues autem, eiúsque socij religionis pro qua ea mortem obiit, ceu fortitudinis ac sanctitatis gloria insignem admirationi habentes haud procul templo sepulchrum ædificantes ac posito loculo, honores ei publicos adhibent, annuum

Euphemiæ res expressæ in tabella.

eius certaminis diem, communem ac totius populi conuentu lætam facientes celebritatem. Sacri quidem sacramentorum Dei interpretes, iugi sermone memoriam honorant, populósque conuenientes, vt illa patientiæ certamen consummauerit, omni studio informant: sed & pictor pietati & ipse studens, artis opera, historiam totam in sindone, quàm licuit viua expressione designans, ibidem iuxta sepulchrum sacram ad spectaculum appendit tabellam. Sic autem habet artis hoc præclarum opus.

Sedet Iudex throno sublimis, acerbo ac truci vultu contuens Virginem. Ars quippè in inanimi quoque materia irascitur, cùm lubet. Porrò adsunt magistratus satellites, ac milites non pauci: ac quidem commentarienses, tabulas ferunt ac stylos; quorum alter manum è cera educens, intensè adspicit in adstantem iudicio Virginem, totam deflectens faciem, tanquam iubeat loqui clariùs, vt ne difficilè audiens, mendosa scribat, ac digna reprehensione. Adstat autem Virgo pulla veste, ac pallio philosophiam professa: vt quidem putauit pictor, ipso quoque vultu lepida; vt autem ipse existimo, egregiè ornato virtutibus animo. Ducunt autem ad præsidem duo milites: alter quidem antè trahens: alter verò à tergo vrgens. Porrò Virginis habitus pudore ac constantia mixtus enitet. Inclinat quidem, ac cernua oculos demittit tanquam virorum erubescens obtutus: stat verò imperterrita, nihil in certamine timidum patiens. Quamobrem cùm alios hactenus pictores, Colchicæ illius mulieris fabulam contuitus laudarem; vt gladium filiis adactura, misericordia ac ira diuideret faciem, ac alter quidem oculus iram ostenderet, alter matrem parcentem ac facinus horrentem, designaret: nunc planè ab ea cogitatione, ad hanc picturam, admirationem conuerti: mirúmque in modum opificem admiror, vt accuratiùs mores quàm colores miscens, pudorem simul ac fortitudinem, affectiones vtique per naturam contrarias, præclarè temperarit.

Vlteriùs autem procedente imitatione, carnifices quidam in leuibus nudi tunicis, operi iam insistebant: ac alter quidem apprehendens caput, ac retrò inflectens, alteri os Virginis præbebat expeditum ad pœnam: alter autem adstans, dentes excutiebat. Porrò supplicij organa, malleus videntur, & terebra. Cæterùm resoluor deinceps in lachrymas, mihíque affectio intercidit sermonem. Sic enim perspicuè guttas sanguinis adpinxit penicillus, vt verè dicas à labiis fluere, ac lamentans discedas. Iterum carcer: iterum casta Virgo in pullis vestibus sedens sola, manus ambas extendit in cœlum, Deúmque in malis adiutorem inuocat. Porrò oranti illi, apparet super eius caput, signum illud quod Christiani adorare ac appingere solemne habent: putóque appetentis passionis symbolum. Mox ergo, ac post modicum, ignem validum loco alio accendit pictor, hinc inde rutilanti rubrica condensans flammam. Statuit verò Virginem mediam, expansis quidem manibus in cœlum, nullam tamen vultu præferentem tristitiam: sed magis gaudentem, vti ad incorpoream ac beatam commigrantem vitam.

Crucis signũ effictum in Euphemiæ capite.

Hactenus cùm pictor manum tenuit; tum ego, sermonem ac linguam. Cæterùm tempus, tibi est, vt & ipsam si velis, 3. picturam absoluas: quo plenè perspicias, num longè impares enarrandæ fuerimus.

3.

***

EXCERPTA PHOTIANA.

Asterij Amaseæ Episcopi, Sermo hortatorius ad pœnitentiam.

Lectum est, ex B. Asterij Episcopi Amaseæ, sermone hortatorio ad pœnitentiam.

LVcas itaque, animorum magis quàm corporum medicus, ipsum Deum nostrum ac Saluatorem, 1 cum perditis ac proiectæ mentis hominibus scribit, lenem, versatum ac facilem; non vt eorum vitij ac malitiæ assumeret aliquid, sed vt suam eis iustitiam impertiret. Etenim sol, quò à creato, Creatoris prouidentiæ specimen habeamus, non patentes modò campos illustrat, verùm etiam concauas partes ac cauernosas. Qui spem semel curationis abiecit, totum se morbo mancipat. Si qui vitiorum ac affectionum victores euaserunt, ac verè super serpentes ac scorpiones ambulant: nec illos decet ad suam fortitudinem, aliorum æstimare vitam: sed Deo quidem, cuius beneficio virtutem gesserunt, gratias agere: imbecillioribus autem non insultare, sed fraternam eis dextram porrigere. Æmulamini charitatem Christi: Iam enim se per hominem hominibus ostensurus, Ioannem præmisit pœnitentiæ sacrum præconem. Interroga Petrum, vt pœnitendo mundatus sit, neque in Simonem redierit, sed Apostoli honorem retinuerit. Equidem arbitror, Iudam quoque, proditorem illum, nisi statim sui carnifex factus sibi iniecisset manus, sed ad genua accidens misericordiam deprecatus esset, orbi illam vniuerso superetrutam consecuturum fuisse. Hisce autem argumento sunt, qui è crucifigentibus ad pœnitentiam reuersi, pœnitendo salutem adepti sunt. Ligabat quondam Christianos Paulus, postmodum autem catenas ipse pro Christo portans, crimina dissoluit. Lapidauit Stephanum, sed lapidatus peccatum expiauit. Hæc noscens Moses: homo enim fuit, noscebátque naturam: vitulum fieri pro sacerdote præcepit: planè tanquam eo qui peccati reus esset, ac opus expiatione haberet. Quod autem id temporis erat carnalis vitulus, hoc modò pœnitentia incorporea, ac incruenta oratio est. In tantùm autem decet Sacerdotem studere clementiæ, vt etsi Dominus quendam excidi iusserit, ceu infrugiferam arborem: ipse tamen satoris instar atque cultoris, veniam ac temporis remissionem deposcat. Hunc enim sterilis ficus intellectum exhibet, qui in Euangelio sermo scriptus est. Attende mulierem peccatricem: non ei conuiuarum numerus pudorem iniecit: haudquaquam epularum tempus tanquam importunum confessioni excepit: sed grandi luctu affecta, ne momento quidem medicum peccatorum dimittendum putauit. Quin ne in conspectum quidem veniens, supplicauit: sed toto se habitu indignam professa, retrò accedens, ac pedes prehendens, solutísque crinibus, ac vniuersis quæ agebat, lugentem prodens animam, atque lachrymis irrigans Saluatoris pedes, condolentia multa misericordiam petebat.

1. Luc.10.v.19. Non debent fortiores aliorum ad se æstimare vitam. Luc.1.v.76. Ioa.21 v.15. Iudas saluãdus vt pœnitens non desperasset. Act.2.v.37. Act.8.& 9. &c. Exod.29.v.1. Quanta sacerdotem decet clementia. Luc.13.v.6. Luc.7.v.38.

Eiusdem Asterij Episcopi Amaseæ, ex sermone in Stephanum Protomartyrem.

STetit verò solus, populo in cædem hiante ac homicida, circumque vallatus. Nemo autem per id tempus aderat; non amicus, non familiaris ac domesticus; non cognatus. Quadam enim hæc in periculo constitutis consolatio est, vt quem è notis adesse

Stephanus in agone solus.

adesse videant. Orationi, pro iis quoque qui lapidarent adiunxit preces. Quippè ij, vel nolentes viro beneficium præstabant. Preces verò sic fusæ, quò tendunt? Non petit vt inimici innoxij sint à peccato, nullóque ij eius reatu teneantur: hoc enim palam diuinæ aduersatur dispositioni ac legi, quæ homicidiis iustam pœnam decreuit. Sed quid obsecro dicit: *Ne statuas illis hoc peccatum*. Hoc est da, vt timore compungantur: incita illorum mentem ad eorum pœnitentiam, quæ nunc perpetrant. Porrò Paulus interficientium vestimenta seruans carnificis populi ministrum agebat. Cùm autem propter alia, tum propter Sabellium illum Afrum, eius ab Ecclesiis damnum præmoliens Deus, se quidem in propria ac perfecta gloria ostendit. Sed & Filium in perfecta ostendit persona. Constituit autem à dextris, vt personarum distinctione subsistentias declaret. Sed & Spiritus sanctus simul iunctus est. Nam ante dixerat: *Et non poterant resistere sapientiæ & Spiritui qui loquebatur*. Vide igitur, vt Scriptura sancti quoque Spiritûs nobis distinctè personam suggesserit. Quòd si Spiritus priori loco scriptus est, ac tunc Pater, Filiúsque, nihil ea ordinis mutatio nocet fidei. Sic enim moris est Scripturæ. Aliquando enim solum Filium nominat: aliquando verò Spiritum cum Filio: alias incipit à Patre, ac in Spiritum desinit: ac è contrà; incipit quidem à Spiritu, procedit verò per Filium ad Patrem: quam præcipuè dicendi rationem admirabilis Paulus lubens custodit.

Quid pro inimicis precetur. Act.7.v 59. Paulus carnificis populi minister in Stephano. Asterij fides aduersus Sabellium. Act.6.v.10.

Eiusdem in illud, Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hierico.

Luc.10.v.30

QVid ergo Christus ad legis peritum se tentantem dicit? *In lege quid scriptum est?* in memoriam redigens charitatem ad Deum & proximum, tantum non dicens. Quocirca vt tibi Deus videat, charitatem mihi debes: si non credas, méque purum hominem putes tui similem, sic quoque ex legis præcepto amate debes. Illos vocamus fratres, qui eodem editi sunt semine, ac eodem vtero geniti. Qui verò eundem habemus Creatorem, ac eandem matrem terram, ex qua conditi sumus; eandem quoque dignitatem animæ, easdem pietatis ac ciuilitatis leges, eandémque spem futuræ vitæ, quomodò non fraterna omni ac cognatorum necessitudine, inuicem propinquiores sumus deuinctioréſque? Cùm vides hominem, teipsum in ipso vides. Cùm ergo etiam eius contuemur mala, famem, sitim, nuditatem, necessitates alias, morbos, aliásque afflictiones; ceu mala propria ac calamitates miserari oportet, ac iis affici. Multos nouimus qui verbis se pericula adituros profiterentur; quíque nihilominus in rerum periculo, beneuolentiam mentiti sint. Sanè quidem Saluator, sic suum dilexit opus, non vt seipsum; sed plusquam seipsum: nobis vero, non tanta dilectio imponitur; sed vt quisque proximum diligat sicut seipsum: sublato quod exuperantius est, vt ne grauius præceptum, impletúque difficilius tradere videretur.

Vt quisque noster proximus. Nos Dominus plus se dilexit: minoráque nobis præcipit.

Vt autem rerum ipsa exhibitione Dominus dilectionis legem clariùs ostenderet: rem plenam misericordiæ, quæ vtique per illud tempus accidisset, ob oculos ponit; legislatorem docens, nostrum eum proximum esse, qui mortalem hanc ac miseriis obnoxiam gestans carnem, ope ac misericordia indiget. Res sic habet. 2. Viator quidam descendebat ab Hierusalem in Iericho: cúmque latrones inuasissent, ablata sunt ei quæ ferebat, éstque nudatus ipsis etiam indumentis: ac demum acceptis à latronibus plagis penè moribundus, via publica nudus iacens animam agebat. Miserabile planè spectaculum oculis misericordia præditis, ac vel scientibus misericordiam.

Asterio vera historia, illud de spoliato ac vulnerato in via.

Dominus cum Iudæis loquens, docénsque tanquam dementes, ac frustra in hac lachrymarum valle versantes, ita ait: *Vos de deorsum estis: ego de supernis sum*: ex iis tantùm nominibus *sursum ac deorsum*, discernens atque distinguens bonum ac malum. Sic nunc quoque cum ait, *descendebat*: eodem sensu dixit. Fuit is porrò Adam, qui à beata illa ac superna vitæ consuetudine, in barathrum, ac humi depressam atque afflictam vitam, deuolutus est.

Ioan.8.v.23

Quis est Sacerdos? quis Leuita? Planè mystico intellectu Moses ac Ioannes, ambo in parabola obscurè denotari, ac quos plerique ignorant. Hi enim offendentes hominem; hoc est, vniuersum genus: pietate ac virtute nudum, atque ab hostibus vulneratum, inspexerunt quidem, sed sanare non potuerunt. Samaritanus verò veniens, probrosi nominis de honestamento bonorum thesaurum occultum ferens, medicinam adhibuit nempè Saluator noster, infami appellatione Samaritani latitans, iacentique homini salutis fontem scaturiens. Appellat verò Scriptura Samaritanum, hîc quoque Iudæorum amentiam confundens quòd eum, qui affluentioribus supra Leuitas ac Sacerdotes misericordiæ visceribus, saucium hominem sanat, per contumeliam ac irrisione Samaritanum vocarint.

Sacerdos ac Leuita mysticè, Moyses ac Ioannes. Vt Dominus appellatus Samaritanus.

Quid autem sibi vult *iumentum*: cui Saluator agentem illum animam imponens, in diuersorium duxit? Liquet planè diuini Verbi vehiculum ac velut subiugale, corpus esse nostro simile, quod gestauit: in quo, ac per quod omne sustinens ac portans, ad sanitatis remedia ac Ecclesiam ducit. Quippè etiam ea, perfecta est sanatio vulnerum, ac ab eis liberatio.

Corpus Domini iumentum, &c.

Eiusdem in illud, Duo homines ascenderunt in templum, vt orarent.

Luc.13.v.10

SErmonem de oratione duabus parabolis complexus est: partim quidem docens constanter orare per Iudicem ac Viduam: partim verò cum reuerentia ac humilitate, per Pharisæum ac Publicanum.

Optimum est vt assiduò cogitemus esse nos creaturas, ac animalia infirma: creatorem verò Deum & optimum vitæ nostræ curatorem. Hoc verò ante omnia præstat oratio. Nemo enim quæ sunt conducibilia petat, nisi priùs certò persuasus Deum esse qui preces exaudiat, quíque ea quæ petuntur possit præbere.

Orationis effectus ac commodum.

Est autem oratio, vitæ nostræ auxilium; colloquium cum Deo: obliuio terrenorum, ascensus in cœlum. Ac quidem recto corpore expansísque manibus orans, crucis passionem figura exprimit: sin autem quis reuera oret, sítque qui orat Deo acceptus, nedum figura crucem repræsenta, verùm etiam affectu. Tanquam enim cruci affixus, sic carnis omnem cupiditatem extinguit, opum omnium gloriæque, ac cognatorum affectionem à memoria procul excutiens. Nihil autem perindè concupiscit ac amat, atque vt tempus ac otium nanciscatur, quò sententiæ aliquid occurrat. Ad hæc verò duo tanquam in scopum collineat, vt effugiat pœnam, vitáque citò excedat: nihílque præterea animo fixum habet, ac agitat, qui oratione crucifixus est. Quin & Ezechiam à portis inferi ipsa liberauit, ac priùs solem (quò eius alia opera taceam) seruum ostendit;

Quid orat. Quid figura ac habitu orantis. 4. Reg.20. v.5.

ostendit: seruumque, conseruorum vsibus mancipatum.

Fiunt bona non benè. Accidit vt quis bonum per naturam faciat: vtque non faciens benè, labores ac operam perdat: velut Pharisæus sese in oratione iactans: ac si quis alius eleemosynæ ostentator est, ac his similia. Leuiùs peccasset Pharisæus, vt Publicanum à conuitio liberum reliquisset. Nunc vno verbo, contra pariter absentes insurgit, eiusque qui aderat, vulnera vellicat. Quare Pharisæus à gloria in ignominiæ barathrum corruit: Publicanus verò à vitæ probro, ad felicem beatumque statum transit: atque ille quidē, magno interuallo à Dei necessitudine recessit: hic autem, infiduciæ locum subductus est.

Eiusdem, In Zacchæum.

Luc.19.v.1. Hiericho, vrbs erat Chananæorum metropolis: Iosu.6.v.1. quam olim Iesus Naue expugnatam internecione deleuit: quamque modò verus ille Iesus curatum venire dignatus est. Cœcus quidem, lumen Luc.18.v.15 recepit: populus verò ad fidem inductus est: lingua omnis Iesum celebrabat: omnisque oculus, ad oculū lumine donatum, miraculi ac salutis vltrò ac spontè magistrum, habebat: qui planè non verbis, sed rebus veritatem discipulos doceret.

Omne quidem vitium, quid malum est ac dignum odio: at Publicanus, exuperantius omnibus. Nullum enim specie aliqua honestum peccandi prætextum habet. In aliis quidem inuenitur mali quædam necessitas ac radix, vnde nascatur iniquitas: at Publicanus, fera est: pestis vias regias obsidens, nihil ad prætextum habens. (Publicani grande vitium.) Morbo hoc Zacchæus ægrotabat, priusquam ad Iesum accederet; qui morbus cœcitate cœci Hierichuntici deterior erat: siquidem hic corpore, ille animo læsus erat.

Ne aliis tribuas aliena: sed iniuriam passis propria restitue. *Et si quid aliquid defraudaui, reddo quadruplum*; inquit: non aliis: Nec enim hoc mercedem habet, aut Deo acceptum est: sed iis ipsis quos fraudaui. (Vt restituendum. v.9.)

3. *Hodie salus huic domui facta est, eò quòd & ipse filius sit Abrahæ.* Quomodò ergo ex Abraham ille qui ex Hiericho est Chananæorum vrbe? Quid commune Abrahæ, quod spectat ad genus, cum Chananæis? Planè liquet tametsi non erat carne filius Abrahæ; moribus tamen ac operibus, simul atque ad Christum accessit, ingenuum magis ac legitimum factum esse atque agnitum, quam qui ex Patriarchæ visceribus nati erant. (Zacchæus filius Abrahæ morum imitatione.) Sic & Apostolus Act.13.v.10. Elymam vocauit *filium diaboli*: Dominus quoque Ioan.8.v.44. in hæc verba ad Iudæos: *Vos ex patre diabolo estis.* Ita ergo & Zacchæus cùm fidem Abrahæ imitatus esset. (Quemadmodum enim vocatus ille, patriam reliquit, sic iste telonium dimisit, ac partas diuitias ex telonij lucris:) Idcircò etiam Christus, veritas ipsa meritò eum filium Abrahæ prædicauit.

Eiusdem, In duos filios quos Lucas commemorat.

Luc.15.v.11

Filius senior ac adolescētior. Parabola quidem, Deum ac rerum huius vniuersitatis factorem, Patrem vocat: filios verò maiorem natu, & minorem; homines duos: alterum quidem, constantem in concessa gratia, ac hæreditate ipsum contingente, quique nunquam ab Ecclesia rebellis recesserit, aut intemeratorum mysteriorum communionem, per vitæ luxuriam respuerit: alterum qui aduersus præfata omnia petulantiùs egerit, atque ideò à vero patre recesserit, concessaque ab eo munera, pro more ganeonum ac luxuriosorum, dissipauerit ac obligurierit. Pars ergo illa substantiæ, quæ contingit, quam iunior filius à patre perit, baptismus est, ac perceptio intemerati corporis. (Portio quæ nos cōtingit Baptismus, & perceptio Dominici corporis.) Etenim multi etiam iuniorum hæc petunt, & accipiunt: cæterùm qui senili mente sunt præditi: ij quoque donum hoc omni diligentia custodiunt. Sanè verò quod quémque contingit, æquis partibus existit distributum: sed accipientiùm pro cuiúsque studio diuersitas, maius illud aut minus facit; aut etiam omninò helluatur ac malè consumit, vti in prodigo accidit. Hæc itaque contingens portio est, quam parabola innuit. *In longinquam verò regionem proficisci*, est à Dei donis & præceptis longè discedere. v.11.

Adam quoque substantiam dissipauit, paternóque omni copioso illo, patrimonio amisso; expulsus est è regione bonorum affatim copia affluente. Graue planè iuniori filio à patre discedere. Quippè parentis oculus, prodigam dilapidationem, ac luxuriam, colloquiáque mores corrumpentia, longiùs pellit fugátque. Cùm autem iuuenis sui sit iuris, ac neque timor vllus adest nec pudor, qui duo fortes lasciuientis iuuentutis custodes existunt; tunc planè tunc fugiunt omnia, ac sus déque vertuntur. Huius porrò regionis longiùs à Deo semotæ, ciuis diabolus est. (Diabolus Princeps regionis longinquæ súmúsque porcarius.) Peccati siquidem ciuitas primum ciuem ac principem auctorémque, diabolum habet; qui omnes vndequaque luxuriosos ac prodigos cogat, faciátque conciues, atque in turpes, & quæ porcos deceant, actiones mittat. Etenim ille, gregem agit porcorum more viuentium: non ouium ratione vtentiū existit pastor, quemadmodum Dominus, *qui animam suam ponit pro ouibus suis.* Ioan.10.v.11. Princeps ergo porcarius, miserum iuuenem mittit ad pascendum porcos; quique olim felix agebat, porcorum commensalis effectus, siliquas comedebat. Tale quid enim est peccatum: ad modicum dulce, nihil tamen quod alendo, aut vtile sit, fetens. (Peccatum inutile. v.17.) *In se autem reuersus.* Nec enim sui compos fuerat, vitiosis affectionibus traditus ac venundatus, mentéque alienata. Porrò se prodigus à conuersione ac pœnitentia, mercenarium appellat, ac sibi infamiæ omnia asciscit nomina: vt nos Euangelium doceat, qua ratione pœnitentes humiliari oporteat, éxque verbis corde compungi. (Pœnitentia habitus ac humilitatis.) Docet autem parabola, pœnitenti ac ei, qui à peccato Deum placare studet, ne in cœlum quidem intendendos oculos: quin potiùs vultu ad pudorem composito, debere animi mœstitiam, ac meticulosam conscientiam indicare.

Vide autem vt Dei bonitatem describat. Venientem enim prodigum nedum repellit, aútve despicit, quin etiam obuiam procedit: idque currens, vt celeriùs errantem recipiat collóque circumfusus amplectitur ac stringit, affunditque lachrymas, ac exosculatur, reconciliationis symbolum præbens, ac pignus veniæ, traditis obliuioni quæ is olim commiserat. (Patris bonitas in prodigum.) Sit verò prima stola, non ipsum Baptisma (nec enim fieri potest vt secundum quis Baptisma suscipiat) sed gratia, quam quisque fidelis per baptismum à principio induit. (Quid prima stola.) Loco enim *Lauacri recreationis*, nobis à Deo concessa est, quam pœnitentia regenerationem facit: quæ nimirum sordes nostras lachrymis eluens, rursum mundos ac puros reddit. (Tit.3.v.5.) Datur prodigo post stolam etiam annulus symbolum spiritalis signaculi Spiritus. (Quid annulus.) Vt enim in Baptismi recreatione, cùm stola est, tum signaculum doni Spiritus sancti; ita etiam in regeneratione quæ pœnitentia fit. Denique afferuntur & calcei, quò serpentis caput fiducia ac tutò calcare possit. (Quid calceamenta. Gen.3.v.15) *Tu, enim inquit, obseruabis caput eius: & ille obseruabit calcaneum tuum.* Ad vtrumque igitur calceamenta conducunt,

conducunt, cùm ad conculcandum serpẽtis caput, tum vt pes læsionis iniuriam effugiat. Ne patris bonitatem molestè habeas, quòd in filium à miseria, amore propensior sit. Qui misericors est, non rigidè iudicat, sed clementer indulget: idque maximè si pater existit, cuius viscera seu vi quadam, ad misericordiam affectus trahat.

Misericors, summũ ius ignorat.

Eiusdem in seruum Centurionis, quem Dominus sanauit.

HAcce concione argumentum à seruo capiẽs, in hortandis seruis ac dominis præcipuè desudat: priores quidem admonens, vt prompta obedientia sinceréque dominis seruiant; posteriores verò, vt clementer ac benignè seruos tanquam contribules fratresque suos tractent. Idem enim vtrisque lutum; eadem fictoris manus; naturæ eadem opera ac passiones; eadem cernitur structuræ corporis figura & forma: quocirca, tametsi nulla alia lex, vel diuina, vel naturalis, cognatam misericordiam ac dilectionem exhibere compelleret, fraterno nihilominùs paternóque ad eos amore habere oporteret. Quin & medicos adhortatione ad clementiam ac humanitatem prouocat.

Seruorum ac dominorũ, mutua officia.

Vidi, inquit, Scytham, ingressum nuper adolescentem, qui Græcam citiùs linguam didicisset. Is cùm eum postmodum dominus, qui coëmerat, studiis informandum liberalibus tradidisset, tantum illis profecit, vt in plerisque præclarè eruditus euaserit, túmque apud Græcos, tum apud Romanos, illustris ac celebri fama enituerit: quippe qui iurisprudentiam professus sit. Porrò qui emerat dominus, Syrus erat, ciuis Antiochenus, ac pueros Grammaticam docebat. Quin etiam, huius se serui Scythæ discipulum fuisse, profitetur studiosus noster Asterius: Vbi tamen, aut quibus in disciplinis, non exprimit.

Serui Scythæ illustris historia.

Asterius serui Scythæ discipulus.

Genes. 7. Exod. 3. & 4.

Tu etiam Moysen profugum, populorum ac Gentis constituisti principem: non iam more Noë, mundum aquis obrutum arcæ vehiculo transmittentem; sed imperio secantem mare eiusque ima pedibus ambulantem. Tuus seruus, Eliæque ille discipulus Elisæus, qui & Sunamitidi viuentem reddidit filium; atque à morte, admotum reliquiis cadauer restituit vitæ. Adhuc enim fidei gratia, tanquam odorata pigmentariáque spiratio perseuerans, ipsum viri fidelis sepulchrum gloriosum præstabat.

Seruorum præstantia in Moyse & Elisæo.

4. Reg 4. v. 35.

4 Reg 13. v. 21.

Eiusdem, in ingressum Ieiuniorum.

NEmo qui conuiuia sectatur virtutis est discipulus. Vna ebrietas, cùm patrem honesto habitu, tum filium libertate priuauit. A ventris cupiditate etiam Isaaci senior filius damnum accepit. Inhians enim, qua fame tenebatur; pulti; fratri quidem primogenita vendidit, paternámque postmodum benedictionem, illo furante amisit.

Gen 9. v. 21.

Genes. 25. v. 32.

Gulæ mala.

Genes. 27. v. 27.

Ne ieiunium adulteraueris, vt ne tibi perinde atque cauponibus accidat. Cùm enim illi, vino admiscentes aquam puniantur; quomodo qui ieiunij austeritati, subtiles quasdam voluptates adiungunt, pœnam effugient? Fugiamus voluptariam vitam. Haud enim fieri potest, eundem voluptati deditum esse, ac esse virum religiosum. Rex ille quondam Assyriorum, qui totus ventri viuebat, ac voluptariæ vitæ, sicut bos præsepi alligatus est. Tres autem pueri, cùm vinum execrabantur propter libamina: tũ carnes omnes, propter sacrificia: Deus tamen maiorem eis, suprà hominum voluptati deditorum, pulchritudinem addebat; ieiuniúmque, competricis loco erat.

Cum ieiunio ab aliis abstinendũ voluptatibus.

Dan. 4. v. 39.

Dan 1. v. 8.

Præbe aures arcanorum doctrinæ, & obliuiscere deliciarum. quemadmodum populus Christum sequens verbo docentem atque opere. Relinquens malignantium synagogam, ad Ecclesiam accede. Quòd si adhuc Iudaicis deuinctus es, quid tibi aliud vult ieiunium, quàm vt Nili crocodilos imiteris, quos aiunt, hominum, quos vorarunt, capitibus adlugere, ac enectorum reliquiis libare lachrymas; non quia belluas facti pœniteat; sed puto quòd illa carne careant, nec in cibos sint idonea.

Matth. 15. v. 32.

Crocodilorum lacrymæ super deuorato-rum capita ac caluarias.

Sanè quidem ieiunium, prudentiæ est ac sanæ mentis; decentisque ac modesti habitus magister existit, chorea verò diffluentem deliciis animum, ostendit. Sed & cuiusque rei peculiares quædam figuræ sunt, quibus ex ipsa sensibus subiecti superficie, inuisibilis affectio animi ac status declaretur. Quia enim, qui legem accipit ad normam vitæ, morúmque componẽdam rationem, pœnam quoque, vt præuaricationis reatum incurrat timere debet: idcircò etiam Deus humanæ vitæ scripta præcepta hominibus promulgans, mox quoque tubæ vocem adiecit, in signum futuræ resurrectionis; quò nimirum, mandatorum discipuli, per resurrectionem iudicium præuidentes, diuinæ legis placita inuiolata, nulláque transgressione seruarent.

Exod. 20. v. 18.

Quid clangor tubæ in legislatione.

Eiusdem in Cæcum à natiuitate.

HÆcce oculi descriptio, ac illa imaginis, quæ sanctæ Euphemiæ formam refert, multam affinitatem venusti characteris cultæque orationis habent: vt non alius atque alius, sed idem sit amba-rum descriptionum auctor. Liquido autem pium se hoc loco prodit, æquali filium Patri honore, ac sæculis anteriorem docens. Quamobrem Arrianus non sit, qui culto ac eleganti sermone Imaginem descripsit.

Idem Asterius descriptionis oculi auctor & imaginis S. Euphemiæ. Asterius orthodoxus.

Cùm Saluator annuncians Iudæis veritatem, ad pietatis sensum non inflecteret; qui præsens erat occultabatur; ac qui apparebat, non videbatur; vt eo miraculo Iudæos fateri compelleret, ipsum quoque Deum esse, qui non videretur: nec alium planè, quàm qui Mosi loquebatur nec videbatur tametsi apparebat. Nam tunc quóque oculis parebant. ignis, ac rubus, ambo muta: nihilominusque audiebatur vox, sermoque docebat, ac certò, quod erat futurum prænunciabat.

Se Dominus latendo Deũ ostendit.

Exod. 3. v. 3.

Eiusdem, In Iairum, & Mulierem sanguinis profluuio laborantem.

HAud facilè, vt videtur, humanum genus ad virtutem inducitur, ac parùm curat doctrinam sermonum. Idcircò etiam Saluator ad mortalem vsque ac corruptibilem carnem se hominibus inclinas, cùm Iudæos surda aure ad verba habentes videret, se ad res conuertens curationem curationi, ac miraculũ nectit miraculo, beneficiorúmque periculo non creditæ Deitati fidem certam adstruere contendit. Res porrò malè homini cesserat. Filiæ, eáque vnica, domus firmamentum, familiæ hæres, ante nuptias efferenda erat; ante thalamum, tumulo inferenda. Mulier quædam venarum vitio grauiter infirma, quæque vitalem totam substantiam effunderet; ac cuius, tum corpus tabe consumptum esset; tum facultates in medicos exhaustæ; vnam demum iis angustiis spem reliquam videt,

Matth. 9. v. 22.

Syrophœnissæ declarata historia, eius-

que pulchra ἐκφέρειν. videt, vt ad Domini pedes procideret. Dominus autem mutos audiuit fœminæ cogitatus; silentióque, silentem sanauit, vbi illa fimbriam tetigisset. Ac illa quidem, furatam se donum putabat; ille autem haud quaquam gratiæ furtum passus est, & vt à nescio obtineretur. Ac quidem hactenus non loquitur quem impendit sanitatem, postea tamen euulgat: non quærens gloriam: Absit: Vbi enim gloriæ appetitus miraculo præit? sed vt fidei fœminæ fructus vberes vniuersis ostendat: atque vt præsentium alios, ad Dei cognitionem conuerteret; aliorum verò vesaniam, cùm rebus, tùm verbis publicè notaret. Vidi, inquit, quæ me retrò tetigit. Nec enim eum duntaxat oculum habeo, qui superciliis subiectus, obtegitur palpebris: quinimò etiã alium, qui terram simul ac mare intuetur, vniuersamque creaturam. Porrò autem mulier silentio accedit, ob reuerentiam ac timorem: minimè tamen latet: Legit enim Deus, etiam nobis tacentibus, nostram cuiusque mentem; haud secus atque nos, dum percurrimus librum. Quamobrem etiam tacente Mosis lingua, eius cordis voluntas audiebatur. Exod.14. v.12. Siquidem beneficij collator beneficium tacuisset, nec ipsa fortè quæ acceperat, quicquam inde commodi consecuta esset, id tanti muneris casui tribuens. Miraculum hoc adspexit hominum infinita multitudo: Spiritus verò sanctus ante multas ætates per Malachiam vaticinatus est, Malach. 4. *Orietur*, inquit, *vobis, qui timetis nomen meum, Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius*. Iustitiæ quidem Solem appellans Dominum, pennas verò, vestimenti fimbriam.


Discamus sanatæ mulieris gratitudinem. Cùm enim esset è ciuitate Paneade. 8 (Est autem hoc oppidulum Palestinæ) ænea statua sanantem honorauit: haud indignum accepti beneficij munus hoc rependi arbitrata. Durauit autem * statua ad annos plures, eos planè mendacij arguens, qui Euangelistas in crimen falsi auderent vocare: Nihilque obstiturum videbatur, vt ne ad vsque nostra tempora statua sospes esset, ac etiamnum vtrunque ostenderet; tum, inquam, diuinum miraculum; tam gratam mentem mulieris beneficium consecutæ; nisi Maximinus ille, qui ante Constantinum Romani Imperij arcem tenuit, homo idololatriæ deditus, impiusque Christo in statua inuidens, æneam illam statuam ab oppido sustulisset: tametsi auferre non potuit rerum gestarum memoriam: Nam ecce, statua quidem non apparet: Euangelium tamen vbique miraculum clamat atque prædicat, ac Hæmorrhousa ab Oriente vsque ad Occidentem celebratur. Quocirca in vanum laborauit, qui materiam sensilem abstulit. Statua enim tametsi erecta & conspicua, tacebat, inanime miraculi monumentum; at fama cum sermone rem assumens, vrbes ac vicos quotidie percurrens, beneficij auctorem deprædicat.

8 Statua Syrophœnissæ uel Hæmorrhousæ.

* A Maximino sublata; alij dicunt à Iuliano.

S. P. NOSTRI NICEPHORI

Patriarchæ Constantinopolitani, vindicatio testimonij Asterij, tractatu in Diuitem & Lazarum, ex 2. eius Antirrhetico.



SECVNDVM producunt Asterium Amaseæ Episcopum, in sermone qui eius nomine prænotatur, in Diuitem & Lazarum, in hæc verba dicentem: *Noli Christum pingere. Satis enim illi est vna illa corporationis humilitas, quam sponte nostri causa suscepit. Quin imò Verbum,* Sancti Asterij verba. *quod vacat corpore, spirituali ratione animo tuo gestans, circunfer.* Atque hæc quidem sola, quæ suo commoda fini arbitrati sunt, ex tota subtrahentes tractatione, proposuere; spretis reliquis, tanquam hæc, quæ ipsis libita essent conficerent. Nos verò operæpretium duximus, vt à principio sermonem resumentes, ea suppleremus, quæ argumento desiderabantur: quo nimirũ lectores, scriptoris mentem, ac quamobrem scripserit, faciliùs ac liquidiùs percipere possint. Ea porrò sic habent *Sequitur Asterij integer locus, suo iam loco editus.*

Hic verò Asterius, quantum ex orationis titulo datur intelligi, non hoc principaliter videtur agere, vt prohibeat Christum pingi; at neque vt picturam adorandam neget. Id autem finis morali hac doctrina propositum habet, cùm vt pauperum dispensationi ac curæ prouideat, tum vt diuitum circa minutula anxietatem, perstringat. Nam primùm quidem, quos perscribit, religiosiores appellat; rémque, religionis opus agnoscit; haud verò noui, an religionis ergo, ac pietatis, quis eas præditos iure vituperet. Tum verò appellat historiam Euangelicam, quam irridere ac carpere, qui non à Christianorum lõgè religione abhorreat? Vbi itaque priùs hæc velut laudationis specie edisseruisset, ad propositum reuertitur. Quia ergo ad eos sermonem habebat, qui diuitiis sæculi erant locupletes; quosdam fortè insano quodam amore rebus sensui subiectis addictos videns, ipsisque adeò textoribus facessentes negotium, inque Phrygionum illa arte elaboratis pannis, sericis ac Sybariticis vestibus malè res consumentes suas; monet deinceps atque hortatur, vt superfluos ac ambitiosos sumptus eiusmodi pretiosarum iactantiæ vestium, resecent nec indumentorum inutilem possessionem, ac splẽdorem magni faciant, quorum gloria ac magnificentia, haud secus atque verni flores diffluat, ac citò marcescat; potiùs verò solliciti sint de animi pretiosiore substantia, eámque larga in fratres egenos erogatione comparare studeant; iisque sumptibus, plurimas, quibus abundant, diuitias ac opes impendat. Ac verò ea sunt quæ argumenti huius ratio pollicetur. Sin autem quis diligentiùs attendat, Asterium lætum quodammodo, ac quem picturæ ipsum spectaculum delectet, inueniat; quàm maximè *Euangelicam narrationem* appellat, ac

Asterij in imagine reuerentia.

ac percensendo, res velut oculis subiicit; atque, quos refert, religiosiores cognoscit: sed neque picta ac coloribus expressa illa, imagines nominat; sed absolutè Dominum, maximè in mulieris peccatricis historia: discipulos quoque, ac quæ spectant ad Galileæ nuptias, personasque, ac gesta alia, quæ illic percensuit propriis ipsis nominibus, nullaque paraphrasi. Siquidem ergo solum hîc Christum pingi prohiberet, haberet stultorum sermo aliquid ad veritatis speciem. Cùm autem etiam discipulo, Cœcumque, ac Paralyticum, ac quæcunque alia proposita, pingere prohibeat, dissuadeátque, quisnon percipiat, vel si rusticior sit ac imperitior, non hoc inde inferri, vt non omnino non sit pingendus Christus; totámque eius admonitionis vim, in pauperum collimare curam: alioqui neque Cœcus pingendus sit, neque Paralyticus, neque mulieres, autve cophini: sin autem, dicere liceat eius ætatis homines, venerationi habuisse cophinos, ac res alias, autve pictos deos exstitmasse. Enimuero, id nemo sani capitis cogitauerit: nec nisi stultorum ac emota mente hominum delirium sit.

Carpit vestium luxũ obtentu pietatis, atque ad pietatem in pauperes hortatur.

Vndique ergo liquidò constat, non eò primariè, ac ex instituto tendere Asterij orationem, vt imagines sublatas velit; sed vt immodicam vestium superbiam ac mundum spernere doceat, pauperúmque cura affici. Velut enim aduersus eos, qui superfluo vestium luxu abuterentur, indignans ostenditur: quamobrem diuites admonet, vt vestium quidem multam ambitionem, ac diuitiarúm cupiditatem sistant; nec suum omne studium rebus materiæ concretis, ac corporeis addicant: quin potiùs, consolentur atque foueant, eiusdem imaginis, lutique, ac mixtionis secum participes, miserationis affectu ac beneficentia largè in eos bona conferentes. Huiusmodi porrò doctrinæ genus, nedum ab Asterio; quin & iam ab omnibus diuina sapientia præditis Ecclesiæ præsidibus, vsurpatum perspiciatur. Planè enim doctorum id curæ proprium, ac maximè ad solatium aliquod pauperum.

Christus, eò pingendus quòd factus homo.

Illud autem obseruandum, qua parte iubet Asterius vt ne Christus pingatur, eum se palam prodere, qui sciat valentem pingi. Num enim tanquam non sit comparatus pingi, necne, hoc facit? Nemo planè sani capitis, tanquam qui sit comparatus, eat inficias. Quis enim mentis compos prohibeat fieri, quod non sit comparatum? Putà, nemo alicui prohibeat ne volet. Quamobrem verò? Planè, quia non sit comparatus volare: benè autem, iubeat quis non ambulare, aut nauigare, ac si quid tale naturæ inest; quòd nimirum qui iubetur, iam sit comparatus. Vtique igitur. Christum nouerat, qui pingi posset; atque adeò monebat, vt ne pingeretur, tanquam qui iam pictus, pingi comparatus esset. Propter verò præfatas rationes, non quia pingi non possit, prohibere voluit.

Vt incorporeus animo gestandus.

Quòd si quis illa verba, *Satis illi est vna illa corporationis humilitas*, tanquam rationem ac argumentum vt Christus pingi nequeat, opponere in animum induxerit; nouerit ille, ab eo potiùs humilitatis modo, talem nobis ostendi, qui pingi possit. Si enim quod sublime ac diuinum est, pingi nequit, atque delineari; tale prorsus concedendum sit, quod est humile atque humanum. Quod autem ab eo dicitur: *In animo tuo spiritali ratione gestans quod est incorporeum*: tanquam moraliter dictum est intelligendum; non velut habeat locum negationis. Eiuscemodi enim ad suos differentem ciues, intelligere possumus. *Siquidem* inquit, *ratione assumpti à Christo corporis, tantus labor ac cura pro vestium splendido cultu existit, cogita eum quandoque etiam incorporeum: sic tamen, vt à corpore non excedat. Quippe etiam in te existit incorporei ratio, qua, pro ratione imaginis, Deum exprimis. Neque mens tua ac animus, corpus sunt, tametsi in corpore coniuncta sunt ac vnita: quò iugi tu memoria in anima feras, quæ incorporea est, mentémque ac animum colas, mundesque rationem ac cogitationem mandatorum obseruatione, ac eorum cura, qui paupertate atteruntur, nobisque similium hominum passibilium morbo affectorum, tibique actio ac vita dirigantur, ac Deo consentanei gressus illuminentur: nec iis, quæ corporali visu cernuntur, inque vsum mundi corporalis cedunt, omnia largiaris: quorum gratia hæcce fari coactus sum, ac duriorem vobis sermonem adhibere.*

Neque ergo incorporeum hoc loco accipi debet, vt isti opinantur. Alioqui potius reuera Manichæus, ac Manichæorum hæresi laborans, Asterius probaretur: quos aduersarij, vt magistros impensiùs promptiúsque sequuntur. Sane verò ex his omnibus perspicue ostendit, quid de Christi illa sentiat incorporatione: vt nimirum, qua ratione Christus vacat corpore, vbique eum adesse sciens corporaliter non vbique adesse sciat. Vnde liquidò magis apparet, existimare eum circunscriptum, ac qui pingi possit ac delineari, secundum id quod in eo corporaliter intelligitur: in quibus, cùm vim sermonis, tum scriptoris propositum perspicere possumus: vt nimium supra quam decori ratio exigebat, disserendo processerit, ac tantillum pietatem neglexerit, id prudenti agens consilio ac temperatione, vt eos, qui in incertum diuitiarum impensiùs conuersi essent, ædificaret, ac plures lucri faceret. Inde verò, qui adulterant omnia, non posse Christum pingi, ac corporis expertem eum, callidè sapientes, iniquitatis suæ malignum consilium asserturus se putauerunt: quibus in hunc modum elucidatis, in cassum insani homines de Asterio glorientur. Sic verò hæc probata habeant.

Dispensatione excedit Asterius, vt à diuitiarum amore retrahat.

Cæterùm his consequenter, Asterius iterum inducatur: siquidem verò alius quis, ab eo qui in manibus versatur, sola fortasse Veritas nouerit: Nos equidem eius rei gratia nihil contendemus. Quòd si idem ipse est, iam inde suis ipsi iaculis feriantur, ac acutis saucientur telis, earúmque machinarum, quas excogitarunt, iactus excipiant. Nunc enim diuites pariterque atque pauperes amandet; eadémque diuitias ac paupertatem ratione; omnem denique sæculi felicitatem atque miseriam: tollantúrque quæsiti inde colores, ac ambiguitates; nudáque ac perspicua magis, recta Ecclesiæ reuelata gloria prodeat: Laudet verò sacram illam Christi statuam; vtque illa Euangelicæ prædicationis patrona constiterit, ac testis, Deum Verbum nobis similem factum hominem, sincera veritate silentio prodens, ac vltrò procurrens miraculorum præco: Iudæorúmque atque Græcorum infidelitatis atque impietatis, coargutio: hactenúsque maneret, figuram ac speciem retinens, diuina illa imago, nisi impij quidam atque profani, Romani Imperij subinde moderatores atque præsides, cùm odio in Christum, tum æmulatione in venerabilem ac sacram Christianorum religionem, sustulissent: Est autem nobis imcompertum, quid sit factum sublata ita è medio. Idem verò ipse fœminam celebret, quæ posuisset

Hæret Nicephorus, sitne idem, Asterius qui in Diuitem, & Lazarum, quique in Hæmorrhousam.

posuisset statuam, idque eius valde admirans ac suspiciens bonæ indolis gratitudinem, ac, quæ illa benefico rependisset; grauissimi morbi, quo tenebatur, curatione exhibitum miraculum, monumento ac titulo publicans. Inseratur autem oratio, sic ad verbum habens.

Asterij verba.

Deinceps verò discamus sanatæ mulieris gratitudinem, animique ingenuitatem, qua, cum munus suscepit. Cùm enim esset Paneadis ciuis; quod est Palestinæ oppidulum; ænea statua beneficum honorauit; congruum hoc beneficij accepti arbitrata præmium. Longóque temporis spatio seruata est statua, qua perspicuè arguerentur, qui falsi crimen Euangelistis inferre præsumerent. Hæc namque merces est. Clamante sanitate beneficium impensum; qui poterat curatio non agnosci? Nec quicquam vetabat vt ne hactenus statua sospes esset, amboque illa ostenderet tum Dei miraculum; tum mulieris beneficio affectæ gratam mentem; nisi Maximinus ille, qui paulò ante Constantinum Romani Imperij sceptra moderatus est, vir idololatra atque impius, ac Christo in imagine inuidens, statuam æneam, ipsam solam, ab oppido sustulisset: non rerum gestarum memoriam. En enim statua nusquam comparet; Euangelium verò vbique miraculum clamat atque prædicat: Hæmorrhousæque historia, à Solis ortu ad occasum per orbem vniuersum celebratur. Frustraque vir impius operam posuit subtrahendo æneam statuam. Nam statua quidem, cùm etiam staret, ac esset conspicua, tacebat, quæ nimirum mutum esset miraculorum monumentum. At fama vnà cum sermone assumens opus, vrbes quotidie, oppidaque, beneficij authorem prædicans, percurrit.

Hîc se ergo Asterius perspicuè ostendit, vt non prohibeat excitari Christi monumenta, nec in fœmina rem reprehendat; ac nec diuitias ac affluentiam opum, vestesque pretiosas accuset; quin potiùs efferat laudibus, quod esset gestum. Nam ferunt fuisse eam ex illustri familia, éque ciuitatis ditioribus: vnde etiam, suam vnà statuam erexit ante sacram Imaginem, quò & curantis magnificam gloriam, fidemque ac probam gratamque curatæ actionem publico monumento ostenderet. Quod si quando etiam sanctè decentérque, de sacris sanctisque nobis Imaginibus Asterius disserit, velut ea sunt quæ in celebratissimam Euphemiam Martyrem exposuit, interim quidem sic dicta differantur; breui autem pòst, opportunè, ac loco proprio assumantur, quando etiam aduersus imagines, imaginibus infensissimi homines, bacchantium more contumeliam instruunt.

Hæmorrhousæ statua, coram Dominicâ erecta statua.

EX PHOTII AMPHILOCHIANIS dubiis, quot Asterij fuerint, ac quam illi opinionem habuerint.

PAriter quidem floruerunt Asterij duo: is nimirum qui Arianorum furoris fautor ac defensor fuit; atqui piorum dogmatum extitit alumnus: qui & magni Iuliani discipulus, à puerili ætate in monasticæ vitæ palæstra sese exercuit: posteà verò etiam religiosorum monasterio præfuit: cuius & discipulus, præter plures alios conspicuos viros, celebratissimus ille Acacius Berrhœæ fuit. Porrò Arianæ ille hæresis admirator, à puero ac adolescentia, Gentilium errore educatus, sophisticam coluit; demúmque simulato Christianismo, in Arianorum partem deflexit: atque is quidem Antiochiæ pœnas dedit petulantiæ linguæ admirabilis Iuliani precibus extinctus: alter verò, virum sanctum ad iustam vindictam prouocauit. Alius ergo est orthodoxæ fidei alumnus; aliusque, erroris præco. At neque is, qui Euphemiæ Martyris enarrationem composuit, commune aliquid habet cum impietatis vindice. Primùm quidem, quòd impius ille citiùs pœnas exoluerit. Nam qui præfatæ Imaginis enarrationem sermone prosecutus est, vt ipse in quibusdam orationum suarum locis disserit, ad decrepitam senectutem peruenit. Item, alter quidem Arianorum furore plenus erat: hic verò in suis tractatibus, quæ sunt fidei orthodoxæ docet ac tradit; non autem quod Dei Filius ac Verbum ex nihilo sit, vti insanus ille blasphemusque Asterius: quin potius semper esse, ac semper Patri coëxistere, Deum tradens, asserit. Tertiò, Asterius ille hæreticus non vrbis Amaseæ, sed alterius cuiusdam haud longè Antiochia Episcopatum impietatis mercede à sociis hæreticis accepit: vnde etiam accersitus Antiochiam impietatis subsidio à suæ sectæ hominibus, admirabilis Iuliani precibus, vti sumus præfati, miserabili exitu vitam finiuit. Prætereà, alter quidem gregem docet, inque virtutibus studiosè laborat, ac religiosæ totius conuersationis ac vitæ domicilium proditur: quorum nihil deprehendas in altero.

SANCTI

SANCTI ASTERII
AMASEÆ EPISCOPI
LAVDATIO
SANCTI PROTOMARTYRIS STEPHANI.



VAM verè sacer, præclarusque, rerum nos exhilarantium circulus? Festus namque dies, festum diem excipit: solemnis celebritas, solemnem occupat celebritatem. Porrò vocamur ab aliis, ad alia vota; Dominique natalem diem, serui honor continuus premit. Porrò autem, siue quis illius natiuitatem coniecerit oculos, qui heri carne editus est, cùm Deitatis ratione existat semper: siue etiam in martyrium illud, quod generosi pectoris famulus hodie pertulit, multa quidem, diuersaque inueniet: omnia tamen eò tantùm spectantia, vt & nos pietatem discamus. Heri sanè, recurrente per anni circulum consueta, at quot annis agi solita, festiuitate, Saluatorem mundi natum esse didicimus; ac carnis expertem, carne amictum esse; incorporeúmque, induisse corpus: tum etiam nostri causa suscepisse passiones, atque in ligno exaltatum esse; nulla alia de causa, quàm vt nostræ saluti consuleret. Hodie verò strenuum pugilem cernimus pro illo lapidibus obrutum; vt sanguine, debitas pro sanguine grates rependeret.

Stephani festum statim à Christi die natalitio.

Stephanus itaque, læti huius conuentus coactor, ipse nos ad præsentis huius lætitiæ conuocauit commercia, allexitque; ipse ciuitatem, in vnam velut concionem, vniuersam congregauit, ac compulit: Vir, primitiæ Martyrum; laborum pro Christo institutor ac doctor: bonæ crepido confessionis, ac prima initia. Ante Stephanum quippe, nemo pro Euangelio sanguinem fuderat. Quemadmodum autem fratricida ille Cain, vt me Moysis docet historia, fraternam perpetrauit cædem: Fraternæ enim à natura amicitiæ loco, contentionem, diráinque æmulationem assumens, primus homicidio terram fœdauit. Ita etiam ter beatus Stephanus, piis pro religione certaminibus fuso primus sanguine, terram sanctificauit. Vir quidem Apostolis, tempore posterior; 1. at præclaris facinoribus, prior. Nec mecum velim indigneris Petre; molestéve habeas Iacobe; vel ægré feras Ioannes, si nedum parem vestro virtutis studio viram statuam; verum etiam maius aliquid ei tribuere videar; imò gaudete, lætóque ac hilari vultu excipite. Quippe patres estis, quos nullus inuidiæ liuor extimulet, quique magis præclaris filiorum facinoribus adgaudeatis, ac quibus volupe sit à filiis virtute præire. Etenim si quid boni, præclarique gestum est à Stephano, illud ipsum continuo vestrum est, qui illum instituistis, ac sacris initiastis disciplinis. Commendata namque athletarum probitas, in celebrem palæstritarum gloriam cedit. Quocirca à vobis paululum veniam precatus, liberè, quæ mihi argumentum præbet piis viri strenui Christi causa certaminibus, patrocinio effabor.

Primus pro Euangelio Martyr.

Gen. 4. v. 8.

Discipulis aliis antiquior es, sancte Petre omniúmque primus, Iesum Christum annunciasti. Verùm cùm adhuc Euangelicum ipse sermonem prædicares, exque alia in aliam vrbem proficisceris, prouinciámque ac regionem ex regione ac prouincia mutares, instaresque verbo; ingressus hic stadium, certaminúmque rapiens coronam, te interim in terra versante, cœlum capessens, gloriam adeptus est: quodque maius videatur, cùm ipsum Pater ac Filius, visione illa admirabili vocarent. Sic ipse Petrus; déque eo dicta sufficiant. Summæ namque impudentiæ est, contentiosiùs de primatu cum patribus certare, honorisque prærogatiuam eis inuidere. Videamus autem & tua Iacobe Ioannis frater. Christi existis præco, alterum à Petro aucupium. Quis verò non tuam admiretur fidem? Solùm enim vocatus, nulla statim mora obtemperasti. Vna cum nauicula, etiam Zebedeum patrem reliquisti; Christum sequens, vti verus, germanusque discipulus. Alacri animo fateor, pro religione passus occubuisti: quippe quem Herodes tyrannus occideret gladio: verùm multis id annis à Stephani nece. At quid sigillatim quosque refero, quando vniuersis etiam Sanctis simul præripuit palmam; primus aciem aduersus diabolum instruens, atque de illo victoriam referens, Dauidem imitatus, quamuis rei ordine inuerso. Vicit Dauid Goliath lapidibus, vicit & Stephanus iis quoque diabolum. Ille nihilominùs, quibus percussit; hic autem, quibus percussus est. Nos autem Christi populus, vt olim Israëlis exercitus sustollamus vocem, faustisque ei acclamationibus pro victoria canamus, velut præsentem intueremur, ac coram stantem admiraremur.

Eo titulo, superioribus Apostolis, ac quodammodo maior.

Act. 7. v. 55.

Matt. 4. v. 2.

Act. 12. v. 3.

1. Reg. 17. v. 49.

Act. 7. v. 58.

Præclara sanè laude dignus censeatur quiuis religionis

religionis propugnator, quamuis secundus, tertiusve, certaminis alcam iubeat: non tamen eâ admiratione, eáque laude, quâ primus. Secundus enim, prioris æmulatione ad imitandum adactus; tum inde ira percitus, ad certamen appulit animum: Alter verò nullo præuio vsus duce, ipseque existens boni inuentor, iure merito principem locum tenet. Magna itaque viri huius alacritas; manuique etiam idcircò & honos, immortalisque memoria, quam neque obliuio vlla obscurauit, neque tempus obliterauit: quinimò alia aliáque per successionem generatio, præclara merita enarranda suscepit. Idcirco diem hunc festum iure perpetuo, sacerdotes, populi, pueri, viri, ac mulieres, celebramus. Verùm ipsam prius accuratè discutiamus historiam, vt ad vsque rei cutem ducti, maiori virum admiratione prosequamur.

Stephani historia.

Erat Stephanus Christi Diaconorum primus; sanctificatus gratia; vas Spiritu sancto plenum; quotidie domesticos confirmans, errantesque ad rectam viam reducens. Cùm autem acriùs doctrinæ insisteret, maiori hostes, præ Apostolis aliis molestia affecit: præque iisdem, diabolum, qui primus hostis existit. Is namque igneos ac truces, iis cum primis adhibet oculos, 2 qui pietati sese addixerunt. In eum ergo, stipatum quoddam exciuit agmen; nempe Alexandrinorum genus, ad omnem longè expeditam seditionem. Planè enim auditis, vt eius vrbis ciues, acri audaciæ feruore, eò procliues ruant, efferueántque, quò eorum temerè ferat animus. Vt autem aduersum se turbam confluentem vidit, in arcto positus, quid tunc ageret ambigebat: solertem tamen artem excogitauit; dulcem nimirum, ac blandum sermonem. Nihil enim præsentaneum magis ad iræ sedandos motus, quàm blanda, concinnáque admonitio. Mihi quæso, inquit, odij causam dicite, ac cuius ergo intentatis manus, palámque 3 velut dilaniaturi videmini. Illis autem respondentibus, eò nimirum quòd patria euerteret leges, ac nouorum dogmatum doctor existeret: stans in medio vir beatus, simplex ac extemporaneus Orator: Nec enim ea promebat, quæ artis methodo didicisset, sed quæ Spiritus afflatu suggerebat.

2 Alexandrini in seditionem procliues.

3

Act. 7. v. 2. Stephani oratio enarrata.

Viri, inquit, *fratres & Patres*. Prudens exordium: optimum concionis ad populum ira exæstuantem, principium. Lenia namque, blandáque verba, non secus ac melle quodam referta, aut molli conspersa oleo, ardentes illos, ferinos impetus comprimebant. Subinde Abraham altè in memoriam reuocat, vt à priscis temporibus ordiens, ac in longum protrahens sermonem, magno illo interiectæ digressionis interuallo, citatum illum effusumque furorem clanculum, sensimque absumeret. Absoluto autem longo illo orationis ambitu, ostendit Moysen etiam Christum prænuntiasse; quo solerter, summa ipsa legislatoris auctoritate, quasi obrependo, fidei verbum occultè insinuaret. Scitè autem, ea omnia prolocutus est, quæ ad auditorum profectum conferebant: At vbi vidit obfirmatam malitiam, ac præfractam, pugnacemque animum peruicacem, ac durum: tunc tandem summa animi libertate præditus, ac spe omni præsentis vitæ destitutus; artificium omne quod blandè animos demulcere, conciliareque posset, omittens, nullis verborum ambagibus, apertè vocauit eos *dura ceruice*; *incircuncisis cordibus*, legis oppugnatores; qui sancto Spiritui resisterent: aliisque eiusmodi compellauit nominibus. Illicò autem, haud secus ac Dominum, *Circundederunt eum canes multi*; *& tauri pingues*, vt in Psalmis canitur, *obsederunt* Iustum. Porrò ille solus stabat, populo in cædem hiante, ac homicida vndequaque vallatus; ac ne vnus quidem per id tempus propior aderat: non amicus; non familiaris; non cognatus. Quædam enim hæc in periculo constitutis consolatio, ac leuamen est, vt quos ex notis è propinquo videant assistentes.

Act. 7. v. 15.

Psalm. 21. v. 13.

Verba Asterij Photio desflorata.

Vbi autem magni illius certaminis altissimus ille positor ac vindex, necessarium Stephano adiutorem animaduertit. Quanquam enim strenuissimus erat, humanis tamen agebatur affectibus; ei statim apparet; atque in cœlum intendenti, Filium à dextris stantem in humana forma ostendit. O ingentem benignitatem! O miram bonitatem! Pugili se conspicuum præbuit is, pro quo ille certabat, talemque propemodum vniuersorum Deus ad eum vocem demisit. *Eia Stephane, ne quid patiaris degeneris animi, Quanquam enim nullum hominem habes, qui auxilietur, nullúsque amicus tibi præsto sit ærumnarum tempore, ego nihilominus vnà cum Dilecto, ea quæ fiunt obseruo. Præsto requies est: patent reseratæ paradisi portæ. Paruumque sustinens temporaneam istam vitam desere, ac ad æternam, immortalemque contende. Adhuc degens in carne Deum vides; quod planè mundanæ omnis naturæ superet vires. Sacrum istud mysterij accepisti à senioribus Apostolis; Patrem, verum habere Filium dilectum: nunc autem tibi eum ostendo, quantum per mortalis conditionem ferre potes. Adstat autem etiam mihi Filius à dextris, vt ex ipso situ, in quo sit honore cognoscas. Multis olim scandalo fuit, vt Deus carne indutus versaretur in terris; nunc autem, sublimem meum conspicare, cælestem ac cœlis altiorem gestantem hominis formam, vt perfectam, completamque carnis dispensationem probet. Eam ob rem lapidibus appetitus, ne succumbas, néve fatigeris, aut languescas. Qui cernas certaminis præsidem, ne certamen pertimescas. Dimitte corpus, ipsum despicatus vt terrestre vinculum; vt ruinosam, ac collabentem domum; vt vas figuli quod facilè confringitur. Accurre liber ad supernam hanc hæreditatis sortem. Præstò namque tibi est præclari huius strenuique facinoris corona. A terra in cœlum commigra. Sine corpus homicidis, haud secus ac escam canibus. Furentem rabidámque multitudinem desere, atque Angelorum choris accede.*

Pulchra Patris ad Stephanũ prosopopeia.

Hoc sanè proposito, forti Deus constantique viro apparuit, ne is timore perculsus, succumberet: neve magnanimus impendentis mali granditate victus, animo consternaretur. Quocirca neque auxiliarium ei Angelum misit, vt postea Apostolis in carcere; neque aliquam ex administris ac conseruis Virtutibus: sed ipse semetipsum palam exhibuit. Tunc siquidem primitiæ agebatur martyrij, erátque operæ pretium vt primum opus quàm maximè absolutum foret: quò futuri deinceps temporibus superextruendi Martyres, firmam æmulandi crepidinem, basimque acciperent, nec ignauiæ ac timiditatis imitatores euaderent: vti sanè in communibus bellis,

Act. 5. v. 19. Act. 12. v. 6.

Ipse Deus Stephano apparet, vt in eo martyrij primitias ioo[illegible] ret.

bellis, ac quæ humano geruntur vſu, accidit. Vnus enim quis anteſignanus, miles dato ſigno opus aggreditur: vtque iis viriliter agens victor euaſerit, ſuorum omnium erigit animos, firmatque; aduerſariorum verò conſternat, ac deiicit: ſin autem imbellis, ignauuſque parùm quid ſuccubuerit, illicò contribulium ſuorum frangit animos, eoſque ſegnes prorſus, ac ignauos reddit; fugæque efficitur teſſera. Hac planè de cauſa Deus è cœlo apparuit.

At Stephanus, magna ea viſionee dignatus, qua nec alius quiſquam, non ſuppreſſit ſilentio ea quæ viderat, ſed ſtatim exclamans, ait: *Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei.*

Act. 7. v. 56. Stephani animus in enarranda viſione.

Rebatur enim ſtatim ac viſionem enuntiaſſet, ſe incredulos ad aſſenſum pellecturum. At illi, dicta tanquam iræ, maioriſque furoris irritamenta excipientes, ac quaſi ad verba blaſphemiæ aures obſtruentes, ſe protinus ad cædem accinxerunt. Extrahentes verò extra ciuitatem Chriſtiferum hominem, qui patientiam geſtaret vti Dominus crucem, malum malo curant; neciſque, nece depellunt crimen, ac cruci lapides addunt. Cùm autem terbeatum virum in quadam terræ planitie ſtatuiſſent; procerum, inquam, illud corpus, excelſumque martyrum trophæum; eumque vndique in orbem concluſiſſent, ſanguinarius ille, ac iracundus populus; ac eam imitati, quam in bellis ἀγωνιὴν ac pugnæ impreſſionem vocant, lapidibus appetunt ſummangularis illius lapidis Diaconum: ac quæque quidem Hebræorum manus necem operabatur: ipſe verò Martyr iaculantium ſcopus erat: in medio ſtans, velut Sagittarij ſignum.

Conſtãtia Stephani, corporis ipſo habitu prodita.

Vbi porrò corpus omni parte contuſum colliſumque, ac ſanguine cruentatum, iam fatiſcebat vt ne rectum in pedes ſtaret, concutiebaturque deciduum, ac caſum minabatur, haud ſecus ac procera platanus, quam fabri plures accidant: nihil tamen, plurium more turpi ipſe câſu proſtratus eſt. Neque enim toto humi corpore pronus diſtentus eſt, neque decidit in latus, neque ſe reſupinus inflexit: ſed decoro precantis habitu ponens genua, è vita exceſſit: vrgens oratione, inſtanſque quàm citiſſimè animam à carne ſeparari, atque ad eum, quem contuebatur, clamans: *Domine Ieſu Chriſte ſuſcipe ſpiritum meum.* Feſtinus namque ad vnam velut coloniam ire properabat, vt è peregrino, ad patrium ſolum: ad illuſtrem præclaramque ciuitatem, è terra deſerta, æſtuque arida, ac horribili ſqualore obſita contendebat. Obſecrationi autem etiam orationem pro perſecutoribus addidit. Quanquam enim inuiti, gratiam præſtabant; lapidibuſque obruentes, ſalutis auctores erant; ac perimentes, vitam conciliabant: atque à luto ſeparantes, ad regnum tranſmittebant.

Act. 6. v. 58.

Orat pro interficiẽtibus.

Hanc quoque ergo orationis dictionem contemplemur, in quem nimirum collimet ſcopum: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Non orat, vt quidam perperam ratiocinantes au tumant, peccatum inimicorum inultum ac impunitum iri; nullique rationi ac pœnæ obnoxium. Planè enim id eſſet repugnare diuinæ conſtitutioni, iuſtique iudicium ac legem emendare, quæ homicidis meritas pœnas præſcribit. Sed quid ait? *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum*: hoc eſt. Timorem compunctionis eis incute. In eorum, quæ nunc temerario auſu perpetrarunt, pœnitentiam compelle: ne quæſo in circunciſione permittas mortem obire: ad tui agnitionem pœnitentia redeuntes trahe, ſancti Spiritus flammam in eorum pectoribus accende. Si enim ita ſe emendauerint, atque ad meliorem ſe frugem receperint; vtique ſane tunc non ſtatues illis peccatum:

Expoſitur ea oratio.

ſed gratiæ lauacro tuo, meoque ſanguine abluti, à criminibus immunes, liberique erunt. Hactenus peractum eſt drama, ac luſa fabula: ac Angelorum quidem exercitus agonem demirantes, Stephanumque ingenti ſtipatum ſatellitio in hæreditatis ſuæ partem euehentes, impenſiùs gaudebant: diabolus verò inanis, grauiterque defectus, ac conſilij inops abſceſſit. Atque vt quippiam corporeum magis, craſſumque de aëreo ſpiritu illo proferam, propheticum loquendi modum imitatus, attrato vultu, *quaſi aduſtio ollæ*, deflexit iter, tum quia præter ſpem ſuam res proſperè ceſſiſſet in melius; tum quòd iiſdem artibus, quibus ſe Chriſtianos minuturum putabat, Martyrum numerum adauxiſſet.

Nah. 2. v. 10. Ioel. 2. v. 6.

Verùm quid de Paulo item ſacro dicam? Nam & ille vnus erat occiſorum, verus *Binjamin lupus rapax.* Quanquam enim ipſe non impetebat lapidibus, at ſeruabat tamen lapidantium veſtes, ac carnificis populi miniſtrum agebat. Enimuerò poſthac breui, nunc tumentem te, efferamque iram, ac furorem ſpirantem viſurus ſum, qui velut langueſcens anus, ac imbecilla, ad manus traharis; cùm veritatis guſtu facto ad Ananiam ducêris. Porrò dulci admodum riſu diffundar, cùm temetipſo denarrante, tuas Euangelij cauſa afflictationes audiam: vtque inter cætera hæc diſcrimina referas; *Semel lapidatus ſum.* Par namque eſt, vt lapidibus mediis lapidum ipſe depellas crimen, vnaque ac eadem paſſione peccatum eluas.

Geneſ. 49. v. 27. Pluribus hæc ipſa in Pauli Encomio. Act. 9. 8.

2. Cor. 11. v. 25.

Operæ pretium autem, æquumque videtur, vt neque Stephani viſionem inexploratam relinquamus. Semper ſanè vniuerſorum Deus, futura, quæ vitam exinde inſequuntur humanam, proſpiciens, errata, quo prudenter eis occurrat, medelam longè antè apparat: idque nunc efficit. Nam ſi ad pugilis duntaxat vtilitatem diuina apparitio facta eſſet, ſatis vtique etiam vox è cœlis facta habuiſſet, vt in baptiſmo primùm; vel vt deinde in Transfiguratione; vel vt etiam in iam memorato Paulo, cùm Damaſcum iter faceret.

Explicata Stephani viſio aduerſus Sabellium.

Matth. 3. v. 17. & 17. v. 5. Act. 9. v. 4.

Atqui nunc, cum vel maximè quia futurum profectò erat, vt ex Africa profectum malum, Sabellius inquam, Dej Eccleſiam inuaderet, peruerſamque opinionem de perſonarum confuſione in mundum induceret: hac de cauſa Deus futura præcauens, ac poſterorum præmuniens animas, ſe quidem ipſe Stephano oſtendit in ſua planè, eaque perfectiſſima gloria: Filium verò etiam demonſtrat in perſona numeris omnibus abſoluta; ipſumque ad dexteram ſuam ſtatuit, vt clara perſonarum diſtinctione ſubſiſtentias explicaret.

Verùm dicet fortaſſe quiſpiam, rectè quidem hæc de Patre, & Filio à te philoſophata ſunt. At vbi eſt Spiritus ſanctus? Si enim ad plenam fidei confirmationem Pater è cœlo cum Filio apparuit, opus etiam videbatur, cum eis etiam ſanctum Spiritum adeſſe, vt exercita quędam reipſa myſteriorum cognitio, viſione ipſa hominibus innoteſceret. Neceſſe itaque eſt ad iſtam obiectionem, noſtram ſententiam in medium proferre. Oportere nimirum, ô nimium ſapiens eum qui recitata aliqua acri, & exacto iudicio expendit, & rimatur, tum rectæ mentis eſſe, tum memoria firmum: vt ita cuncta pariter, quæ ſcripta ſunt, comprehendere valeat. Si enim Spiritus ſancti præſentiam quæris; recole quæ paulò ſuperiùs dicta ſunt, antequam de lapidibus ageretur & nece, & inuenies ante ipſam viſionem Spiritum ſanctum loquentem, & Stephano adſtantem, athletamque præparantem, ac componentem. Clarè namque in principio narrationis hanc primam nobis protulit vocem: *Stephanus plenus gratia, & veritate, ac fortitu-*

Act. 6. v. 8.

dine faciebat prodigia, & signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quæ appellabatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum, qui erant à Cilicia, & Asia, disputantes cum Stephano: & non poterant resistere sapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur. Vides itaque sacram Scripturam distinctè, ac dilucidè Spiritus sancti nobis proposuisse personam? Quamuis autem Spiritum sanctum priùs descripserit, deinde verò Patrem ac Filium, nihil fidei officit ordinis inuersio. Is enim sacræ Scripturæ mos est. Aliquando enim solum Filium nominare assolet: aliquando verò Spiritum sanctum cum Filio; alias verò à Patre initium sumere, ac in spiritum sanctum desinere: & versa vice initio facto à Spiritu sancto, per filium sermonem ad Patrem ducere. Hancque dicendi proprietatem, omnium maximè apud Paulum absque vllo discrimine liceat obseruatam videre. Officium porrò nostrum, quod Stephano debebamus, expleuimus: non ex merito quidem, si rei magnitudo spectetur; at si dicendi facultas, abundè. Deo nostro gloria, nunc & semper, & in sæcula sæculorum: Amen.



INDEX



INDEX
RERVM ET VERBORVM,
In Scriptis Diui Leonis Papæ, & Diui Maximi occurrentium.

Numerus prior paginam designat; posterior columnam notat.

A

Concilium

F

G

H

M

N

Nuptias.

Q

R

S

INDEX RERVM ET VERBORVM,

Numerus prior ad paginam remittit, posterior columnam signat.

A

B

C

Christum

M

N

O

P

INDEX

Rerum notabilium hoc diui Fulgentij opere comprehensarum.

In quo numerus primò occurrens paginam indicat, numerus verò postpositus columnam primam, vel secundam signat.

A

D

E

L

M

N.

O

C

V

INDEX

INDEX

Locorum Sacræ Scripturæ à D. Fulgentio in hoc opere vel explicatorum, vel explicandis ac enodandis aliis eiuſdem operibus allatorum.

EX VETERI TESTAMENTO.

EX NOVO TESTAMENTO.

Matthæi.

5 Cum

F I N I S.